MASTER NEGATIVE
NO. 93-81636

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

CATHOLIC CHURCH

TITLE:

THESARUS RESOLUTIONUM...

PLACE:

MONACHII

DATE:

1872-

Master Negative #

93-81636

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

936
M89
Q
Mühlbauer, Wolfgang, comp.
Thesaurus resolutionum s.c.
concilii quae consentanee ad Triden-
tinorum pp. decreta aliasque canonici
juris sanctiones prodierunt usque
ad annum 1871...
Monachii 1872
81831
Q. v.1

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-5-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

GUIDE TO CONTENTS

for

THESARUS RESOLUTIONUM S. C. CONCILII

REEL	MASTER NEGATIVE #	DATE	VOLUME
1	93-81636	1872	1
2	93-81637	1875	2
3	93-81638	1879	3
4	93-81639	1883	4

REEL 1
VOLUME 1


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

VOLUME 1


936
M154
1

936 M89
Q 1

Columbia College
in the City of New York

Library.

COLUMBIA
LEGE

THESAURUS RESOLUTIONUM S. C. CONCILII

QUAE CONSENTANEE AD

TRIDENTINORUM PP. DECRETA

ALIASQUE

CANONICI JURIS SANCTIONES

PRODIERUNT USQUE AD

ANNUM MDCCCLXXI

CUM

OMNIBUS CONSTITUTIONIBUS ET ALIIS NOVISSIMIS DECLARATIONIBUS SS. PONTIFICUM

AD CAUSAS RESPICIENTIBUS.

PRIMUM AD COMMODIOREM USUM ORDINE ALPHABETICO

CONCINNATUS

OPERA ET STUDIO

WOLFGANGI MÜHLBAUER
CÆREMONIARII ECCL. METR. MONACENS.

REVERENDISSIMIS ILLUSTRISSIMIS EPISCOPIS EORUMQUE VICARIIS, CAUSARUM PATRONIS AC ALIIS IN ECCLESIASTICO FORO VACANTIBUS APPRIME UTILIS ET NECESSARIUS.

TOMUS PRIMUS.

MONACHII. MDCCCLXXII.

SUMPTIBUS **LIBRARIAE J. J. LENTNERIANAE.**
(E. Stahl.)

NEO-EBORACI ET CINCINNATII.
FRIED. PUSTET.

PARISIIS. **P. LETHIELLEUX.**
Via Cassette, 4.

COLUMBIA
COLLEGE
LIBRARY

NOV 1895 bd 125

Praefatio Auctoris.

Supremus Pontifex, Pius IV., merito sub die secunda Augusti 1564 Congregationem octo S. R. E. Cardinalium, qui Synodo Tridentinae interfuerant, ob id specialiter instituit ut decreta ejusdem rite sapienterque interpretaretur, in praxim deduceret et quidquid dubii aut difficultatis contingeret sibi incunctanter ac sollicite referret. Tantam eidem Congregationi tribuit facultatem, ut absque ulla delegatione posset decidere casus, quos tamquam claros putaret decidendos, quos vero tamquam dubios putaret referendos, Sanctitati Suae referret.

Successu temporis causarum negotiorumque moles ita excrevit, ut pro faciliori rerum expeditione instituta fuerit Congregatio quatuor Cardinalium, quae ex declaratione Gregorii XIII. edita sub die 8. Maji 1576 posset expedire casus in Congregatione generali decisos necnon eos, quos claros haberet ex omnium sententia. Tandem Sixtus V. sub die 22. Januarii 1587 Congregationi Concilio Tridentino praepositae amplissimam fecit facultatem, consulto tamen supremo Pontifice, interpretandi dubia difficultatesque extricandi, quae super decretis ad universam catholicae Ecclesiae disciplinam pertinentibus orirentur. Mirabili vere sollicitudine et sapientia Congregatio haec, numero amplissimo S. R. E. Cardinalium in dies aucta ac veluti generale Concilium permanens, tribus abhinc saeculis universam catholicae Ecclesiae disciplinam omnino integram servavit ac abusus e medio sustulit. Unde amplissima haec omnia decreta, supremo Senatu edita, praeclarissimum regiminis ecclesiastici codicem constituunt. Nihil enim amplius urgentius contingere videtur, quod jam in eo decisum

211571

ac declaratum non exstet. Sed hae decisiones S. C. C. partim juxta ordinem chronologicum dispositae in lucem sunt editae et ideo ad usum minime commodae, partim juxta ordinem alphabeticum **in compendium redactae et excerptae** et quapropter fidei dubiae et in singulos consimiles casus cum omni securitate et certa conclusione non transferendae. Insuper hae editiones sunt incompletae. Pluria monasteria editionem romanam chronologice dispositam sibi comparaverunt; sed propter multas incursiones hostiles contra illa factas et vastationes hoc opus partim deperditum est, partim praecipue tempore saecularisationis extinctis monasteriis cum aliis libris in bibliothecas publicas translatum est, quae tamen ejusdem continuationem nondum curaverunt; ideo ex. g. Monachii, Parisiis etc. opus est incompletum.

Hinc votum ac desiderium omnium, ut thesaurus resolutionum S. C. C. tam completus quam ordine alphabetico juxta materias atque distinctis titulis ita dispositus in lucem edatur, ut ictu oculi decisiones in promptu haberi et in singulis variisque casibus ac circumstantiis in dies occurrentibus commode inveniri possint.

Huic duplici voto auxiliante Deo juxta vires satisfacere conatus sum multos labores et pecunias consumendo. Explicare satis nequeo, quantum studii in hanc editionem impenderim. Libentissime autem hoc novum opus immensum atque difficile, in octo circiter magnos tomos distributum, nulli parcens incommodo aggressus sum, quod sperem, gratissimum atque utile fore Episcopis, Praelatis universis, juris ecclesiastici consultis et parochis aliisque curam animarum exercentibus. Plures hujusce operis tomos elaborandos hodiernus Reverss. Antistes Ratisbonensis magna cum liberalitate mihi permisit, sed plurimos ipse anno 1866 Romae commorans acquisivi et usque ad hodiernam diem per amicum Romae viventem est mihi facultas novissima acquirendi decreta ideoque operi in loco congruo quamprimum inserendi.

Praeter has resolutiones S. C. C. omnes etiam bullae, constitutiones et aliae declarationes SS. Pontificum, veteres et novissimae, ad causas respicientes, in loco congruo positae sunt.

Causae *integrae*, ut in originali, cum documentis et argumentationibus pro et contra, proferuntur; quae inter se quoad substantiam cohaerent, ex. gr. *professio regularis* et *restitutio in integrum*, invicem indicantur, quod de rebus vere cognoscendis, tractandis et definiendis maximi erit momenti. Utendo literis minoribus, quam sunt in originali, et comparando majores tomos, qui editionis romanae saepe tres vel quatuor parvos complectuntur, fit, ut pauciora quidem sed multo locupletiora existant volumina hujus editionis quam romanae. Attamen omnes causas minimi momenti proferimus.

Quoties in *una causa plures quaestiones* simul disceptabantur, semel tantum inserebatur et quidem in illo loco, quo quaestio, juxta ordinem alphabeticum prima, erat ponenda, aliae vero quaestiones ad hanc primo positam indicabantur. Quo modo hae decisiones Sacrae Congregationis Concilii, gravissimae et eminentissimae inter omnes, quia decreta S. Concilii Tridentini interpretatur et amplum corpus juris et totam disciplinam ecclesiasticam complectitur, *primum completae et commode dispositae* eduntur. Utinam omnes Ecclesiastici, sive sacculares sive regulares, ac praesertim viri illi, qui fideles quocumque modo ac ratione in externo ecclesiae catholicae ministerio regunt moderanturque, hanc explicationem exornationemque sapientissimi Codicis Tridentini in promptu haberent! Per longissimum enim spatium trium saeculorum haec Patrum Tridentinorum decreta ad omnes christianae societatis casus rerumque eventa sapienter deducta fuerunt, ut praeclarissimum nec unquam periturum christianae perfectionis monumentum constituant.

Porro ex eo etiam, ut et scissae doctorum et theologorum opiniones oraculo sacrae Congregationis vel cum distinctione conciliatae vel diremptae noscantur in tractandis singulis causis et resolutionibus, adjiciuntur antiqui et recentes canones *plene concordantes* et in causis allegatae resolutiones aliarum Congregationum et decisiones s. Rotae romanae. Unde sapientia praeclara S. C. C. emicabit in interpretandis applicandisque Concilii Tridentini decretis, quae sub tanto magisterio et vindice per tria saecula unitatem ecclesiasticae disciplinae toto orbe christiano mirifice firmarunt.

Causas earumque resolutiones e puris fontibus haustas ego auctor testor, qui eas cum exemplaribus originalibus diligenter et accuratissime contuli. *Totum opus completum praesto est, ita ut, si forte Deo volente e vita migravero, nec unquam interrumpatur;* pariter ita est dispositum, ut quisquis successor methodum inserendi posteriora decreta facile intelligere et opus ad finem perducere possit.

Pro monitis consiliisque virorum eruditorum ac benevolorum gratias quam maximas ago; in emendandum opus ea impendi et impendam; quae ignorantia, intemperantia et malitia proferunt, ignoro.

Scias, amice lector, quod, ut scribit s. Hieronymus in epistola contra Vigilantium, „qui scribit, multos sumit judices.“ Hinc suspende judicium, retarda sententiam, donec totum hoc attente lustraveris opus, juxta monitum s. Augustini *lib. de mendacio c. 1.* hic expresse dicentis: „Sane quisquis legis, nihil reprehendas, nisi cum totum legeris atque ita minus reprehendes.“ Accipe igitur grato animo quod tibi grate exhibeo. Si quid minus rectum oculis tuis occurrerit, vitio scribentis adscribe; si vero gratum aliquid aut laude dignum deprehenderis, soli Deo attribue, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum. (*Jacob. 1. 17*).

Interea omnia in toto hoc opere contenta S. R. E. judicio humillime subjicio; et si quid praeter intentum in progressu operis ex ignorantia seu inconsideratione humana irrepsit eidem S. R. E. contrarium, id totum ex nunc velim expunctum, annullatum et pleno animo retractatum.

Vale et Deum mihi propitium exora.

Monachii die Nativitatis B. Mariae V. 1871.

Wolfg. Mühlbauer.

THESAURUS

RESOLUTIONUM S. C. CONCILII.

COLUMBIA COLLEGE

A.

Abacus.

(Abbatum et Dignitariorum.)

Vd. *Usus Pontific.* (modus etc. decr. n. 1856.)

Dignitatibus solemniter celebrantibus abacum superponendis candelabris, calice, pelvi aliisque ad sacrificium opportunis aptum et consueto more ornatum ad cornu epistolae adhiberi posse. N. 2127 die 3. Sept. 1667.

Ad dubium: An Archipresbytero Cathedralis Nazzar celebranti missam in diebus sol. praeparari possit abacus seu credentia cum pelluvio et gutturino ad abluendas manus? S. C. resp.: Concedendum esse ex gratia usum pelluvii cum urceolo. N. 3579 ad 2 die 26. Apr. 1701.

Ad dubium: An Dignitatibus sol. celebrantibus liceat retinere abacum et an idipsum vel cum aliqua distinctione retineri valeat pro Canonicis? S. C. resp.: Affirmative et ad utramque dubii partem sine distinctione. N. 4064 ad 2 die 31. Aug. 1737.

Archidiaconus ecclesiae Pennen. S. R. C. exposuit Vicarium generalem ejusdem ecclesiae fecisse ei praeceptum sub poena unciarum auri 25 etc. ne audeat vel praesumat aptare, ponere nec aptari aut apponi facere credentiam seu mensam in Cathedrali ecclesia Pennen. nec in alio quovis loco, tempore quo ipse Archidiaconus celebrat missam solemnem, nec in dicta credentia seu mensa apponi facere calicem, patenam, candelabra, sottocope, luminaria etc., sed quia juxta rubricas missalis romani dicta mensa seu credentia non prohibetur, immo conceditur et permittitur in missis, quae solemniter decantantur, petiit declarari: An licite Vicarius dictam mensam seu credentiam prohibere potuerit? Eadem S. R. C. respondit rubricas missalis ferendas esse nec licere Ordinario seu Vicario prohibere ea quae juxta dictas rubricas missalis conceduntur, dummodo juxta formam et modum in dictis rubricis praescriptum praeparentur et ordinentur. Et ita declaravit et in civitate Pennen. servari mandavit quibuscumque non obstantibus.

Die 4. Julii 1615. (Anal. J. P. VII. ser. p. 138. Romae 1864.)

Abbas.

1) Aetas.

Aetas requisita ad generalatum, provincialatum, abbatiatum caeterasque similes dignitates jurisdictione quasi episcopali gaudentes de jure communi est aetas 30 annorum completorum; colligitur *ex cap. Cum in cunctis de election.*, et sic decisum fuisse a S. C. C. referunt Riccius *in praxi fori ecclesiastici resolut. 56. part. 4.*, Joann. Maria Novarius *in Lucerna regular. verb.: aetas,* et alii. De jure autem particulari et municipali attendendae sunt constitutiones cujusque religionis, cum variae varia disponant de aetate requisita ad omnes respective praelaturas, dignitates et officia ordinis.

2) Alienare quando potest bona ecclesiast.?

Vd. *Alienatio bonor. eccles.* (alienatio a regul. superioribus).

3) Altare consecrans.

Vd. *Altare* (consecr. ab abbate); *Abbas* (consecr.)

4) Assistens missae sol.

(Quae peragere debeat et quae non?)

Ad dub.: An liceat Abbati in Collegiata altero celebrante missam solemnem imponere incensum in thuribulo illudque benedicere et an possit benedicere aquam cum vino miscendam per celebrantem, ut faciunt Episcopi ex praescripto Caeremonialis?

S. C. C. resp.: Negative in omnibus.

Die 15. Jan. 1729.

Audomaren in Flandria.

Pro parte Episcopi Audomaren. in Flandria iterum supplicatum fuit S. R. C. declarari: An liceat Abbatibus benedicere thus in ecclesiis propriis sive aliis quamvis exemptis a jurisdictione Ordinariorum praesentibus episcopis?

Et eadem S. C. respondit: Non licere. Die 16. Junii 1674.

(Anal. J. P. 1866. p. 1184. n. 1988.)

5) Assistentia Monachorum.

Licere Abbatibus *congregat. Camaldul.*, quando solemniter celebrant, habere sex ad summum Monachos sacris vestibus indutos, quorum duo assistant cum pluvialibus, duo cum planetis et duo cum tunicellis coloris tempori convenientis; hi sedeant non in sedibus choralibus sed super scabellis in loco congruo, panno laneo coopertis. N. 966 die 21. Aug. 1632.

Vd. *Usus Pontifical.* (modus etc. decr. n. 1856.)

6) Associatio.

Caeremoniale librum non comprehendere in associando ad chorum et ad ecclesiam Abbatem sed solum Episcopum. N. 478 die 11. Decb. 1613.

Abbati s. Salvatoris Ord. Cisterciens. Clusinar. accedenti ad peragenda Pontificalia cum associatione totius sui Cleri S. C. resp.: Serventur decreta P. Alexandri VII. de anno 1659. N. 3781 die 10. Mart. 1708.

Neapolitana.

S. R. C. declaravit, Capellanos S. Mariae patientiae Besoreae nuncupat. Neapolis vel duos saltem ex ipsis etiam in habitu clericali consueto absque superpelliceis non teneri excipere Abbatem dictae ecclesiae e loco suae habitationis et illum associare ad ecclesiam quando festis diebus accedit privatim in habitu simplici cum subtana et pallio, occasione celebrandi missam lectam vel assistendi in choro ad missam conventualem vel ad alia divina officia non obstante quod dictus Abbas habeat, prout expositum fuit, ex indulto apostolico mitrae et baculi usum, et quoties celebraturus accedit cum rocchetto et mantelletta excipiatur e dicto loco suae habitationis a suis capellanis superpelliceis indutis et ad ecclesiam associetur.

Die 13. Sept. 1670.

(Anal. J. P. 1866 p. 1165 n. 1898.)

Vd. *Usus Pontif.* (modus, decr. n. 1856.)

7) Benedicens.

Cf. *Bened. cum SSmo; Usus Pontificalium.* (modus etc. praecipue decr. n. 1856.)

Posse Abbatem, dum pontificaliter celebrat in sua ecclesia, populo solemniter benedicere, sed non in praesentia Episcopi. N. 246 ad 2 die 17. Julii 1604.

Non posse Abbatem in locis, ubi jurisdictionem habet, private suis subditis benedicere. N. 412 die 24. Aug. 1609.

Ultra tres vices Abbatibus nullatenus licere trina benedictione solemniter benedicere et tunc si actu Pontificalibus induti solemnia peragant; privatim vero celebrantibus nunquam a simplice sacerdote vel in minimo eos discrepare permissum est. N. 1972 ad 5 die 29. Mart. 1659.

8) Benedictio Abbatis.

a) Ab Abbate.

Vd. *Abbas benedictus.* (num Abbas benedictus non ab Episcopo etc.)

Facultas Abbati generali pro tempore existenti congregationis Sylvestrinorum ordinis sancti Benedicti impertiendi munus benedictionis aliis Abbatibus dictae congregationis.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Apostolicae benignitatis et munificentiae nostrae significationis in eos, qui sanctionibus ostium regularium institutis addicti uberas in vinea Domini virtutis et honestatis afferunt fructus, libenter conferimus eorumque votis et precibus animum propensius intendimus, sicuti, omnibus mature perpensis, in domino magis expedire conspicimus.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Karolus Franceschini Abbas generalis ac Josephus Colucci Procurator generalis congregationis monachorum Silvestrinorum nuncupatorum ordinis sancti Benedicti, quod licet in concilio romano novissime celebrato et in constitutione IV. felicis recordationis Benedicti PP. XIII. praedecessoris nostri sancitum reperiatur, ut Abbates regulares benedictionis munus ab eorum respective dioecesano Episcopo recipere debeant, nihilominus cum aliae omnes congregationes monachorum hujusmodi eo fruantur privilegio apostolico, quo possent illarum Abbates generales aliis inferioribus Abbatibus suae respectivae congregationis munus praedictum impertiri, hinc et ipsi exponentes nunc et pro tempore existenti Abbati generali congregationis praedictae monachorum Sylvestrinorum privilegium hoc per Nos concedi plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacunque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Karolo moderno Abbati generali praedictae congregationis Sylvestrinorum ejusque successoribus, dummodo ipsi praecedenter benedictionem juxta formam Pontificalis romani a catholico antistite gratiam et communionem sedis apostolicae habente receperint, benedictionem aliis Abbatibus canonice electis et eligendis ejusdem congregationis in omnibus et per omnia ad instar indultorum aliis congregationibus monasticis concessorum a romanis pontificibus praedecessoribus nostris, impertiri libere et licite possint et valeant, plenam et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§. 4. Non obstantibus praemissis aliisque apostolicis et in universalibus, ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 29. Aprilis 1774.

(Bull. r. Contin. tom. IV. pag. 703. Ed. Romae.)

Cum P. Abbas gener. ord. s. Hieronymi congreg. Portugall. preces SS. P. Bened. XIV. porrexit, ut Abbas gener. pro tempore ejusdem cong. recipere valeat benedictionem a quolibet ex Episcopis Portug., impertita simul eidem Abbati facultate benedicendi alios Abbates, qui ex antea Abbatis gener. munus obierint, atque in posterum dicti Abbates gen. successores benedictionem ab eorum successoribus possint recipere, S. C. resp.

ad 1.: Consulendum SSmo pro concessione indulti Abbati gen. sumendi benedictionem, servata in omnibus Bulla Bened. XIII.;

ad 2: Negative.

Et SSmus benigne annuit et votum S. C. approbavit. N. 4251 die 23. Apr. 1755.

b) Consensus apostolicus.

Pelagius II. Episcopus Paulo Aquileiensis Ecclesiae Patriarchae.

Statuimus apostolica censura et sub divini judicii obtestatione et anathematis interdicto, ut nullus unquam nostrorum successorum Pontificum nullusque Episcopus nullaque magna vel parva persona quamlibet ordinationem Abbatis facere praesumat, nisi nostro consensu nostrorumque successorum. Si quis vero, quod non optamus, temerario ausu nostri hujus apostolici privilegii transgressor extiterit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis et apostolorum Petri et Pauli et nostra, qui eorum vice fungimur, maledictum et anathematizatum. Qui vero pro intuitu custos et observator hujus privilegii extiterit, benedictionis gratiam a nostra sede et a misericordissimo Deo nostro consequi mereatur in saecula saeculorum.

Mense Martio 585.

(Bull. r. t. I. p. 158. Ed. Aug. Taur. 1857.)

c) Ab Episcopo.

Abbates, qui petunt benedici, debent recipere benedictionem ab Episcopo, non autem ab aliis Abbatibus alias benedictis: *S. R. C. in una Cammacensi 6. Decembris 1631.* Et Abbates semel benedicti cum usu bireti, si transferantur ad aliam abbatiam cum usu mitrae, non indigent alia benedictione: *Ead. congreg. in una Biluntina 25. Febr. 1606.*

Benedictus Episcopus
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

»Commissi etc. Cum itaque, sicut accepi»mus, Abbates regulares perpetui, non qui»dem ratione tituli, quia ad triennium vel »sexennium aut aliud destinatum tempus eli»guntur, sed ratione administrationis, quia »ab unius monasterii regimine, expleto limi»tato tempore, transferuntur ad aliud, ab »Episcopis, in quorum dioecesibus erecta sunt »monasteria, benedictionem obtinere, imo et

»petere negligant, hinc est quod Nos gravi »ejusmodi abusui pro pastoralis officii debito »opportuna consulere ac providere cupientes »de nonnulorum venerabilium fratrum no»strorum S. R. E. Cardinalium et aliquot »insuper romanae curiae Praelatorum, super »hoc a Nobis specialiter deputatorum, con»silio, suadentibus etiam Episcopis et aliis »ecclesiarum Praelatis in praesenti sacro »concilio congregatis, nec non motu pro»prio, ex certa scientia ac matura delibera»tione Nostra deque apostolicae potestatis »plenitudine ac nostra perpetuo valitura »constitutione injungimus, praecipimus ac di»stricte mandamus omnibus et singulis Abba»tibus regularibus licet perpetuis solum»modo ratione administrationis ut praefertur, »qui monasteriis cujuscumque ordinis, con»greg. ac instituti de caetero praeficientur, »ut infra annum a die eorum electionis com»putandum solemnem benedictionem ab Epi»scopis, in quorum dioecesibus monasteria »consistunt, juxta ritum in Pontificali ro»mano praescriptum omnino suscipiant vel »saltem eam ter ab ipsis humiliter postu»lent, servata forma sancita in *c. Statuimus* »*de supp. negl. praelator.* Quod si secus fe»cerint ab officio per annum sint ipso jure »suspensi. Volumus autem et expresse de»claramus, quod ipsimet Abbates electi, »durante praefato termino, interim omnia »munia abbatialia libere ac licite exercere »possint et valeant. Quodque Abbas semel »benedictus iterum benedictionem petere »vel obtinere non teneatur, tametsi ad gu»bernium diversorum monasteriorum, aliarum »etiam dioecesum, translatus extiterit.«

»Quoniam vero nonnulli ex praedictis »Abbatibus regularibus, apostolicis, ut asse»ritur, muniti sunt privilegiis, quibus ampla »ipsis tribuitur facultas suscipiendi benedi»ctionem a quocumque, quem maluerint, ca»tholico antistite, gratiam et communionem »sanctae sedis apostolicae habente, adducti »rationibus, motu, scientia ac potestatis ple»nitudine paribus, statuimus atque decerni»mus, ut hujusmodi Abbates in posterum »non a quocumque antistite sed a dioece»sano tantum Episcopo vel a Metropolitano »infra praedictum terminum benedictionem »omnino suscipere teneantur, et quatenus »ille, quem Abbas elegerit, tertio humiliter »requisitus ipsi petitam benedictionem im»pertiri detrectet aut negligat, tunc et eo »dumtaxat casu eamdem benedictionem a »quocumque catholico antistite Abbas libere »suscipere possit et valeat ac ita perpetuis »futuris temporibus ubique servari volumus, »et mandamus.«

»Caeterum ejusmodi indulta exemptiva »ab obligatione suscipiendi benedictionem a »proprio Episcopo illis dumtaxat Abbatibus, »quibus ab apostolica sede directe concessa »fuerunt juxta modum supra expressum, suf»fragentur, reliquis autem Abbatibus, quia »ea ex generali tantum privilegiorum aliis »ordinibus, congregationibus vel institutis »concessorum communicatione sibi compe»tere praetendunt, minime suffragari posse »nec debere decernimus et declaramus.«

»Quo vero ad Abbates, quibus a roma»nis Pontificibus praedecessoribus Nostris in»dultum fuit, ut a suis Superioribus regulari»bus vel ab eorum Praelatis delegatis bene»dictionem sumere possint, vel etiam per »speciale indultum apostolicum concessum »fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab »ipso summo Pontifice, nihil omnino inno»vandum esse sancimus et apostolica, qui»bus gaudent, privilegia ubique inconcusse »observari praecipimus et mandamus.«

»Universos demum Episcopos atque etiam »Archiepiscopos, a quibus benedictio tribu»enda erit, eorumque officiales, assistentes »et ministros quoscumque in domino hor»tamur ac admonemus ut occasione similium »benedictionum excutiant ac prorsus emun»dent manus suas ab omni munere; quin »etiam praedictis praesulibus sub poena in»terdicti ab usu Pontificalium per annum »vetamus ac inhibemus, ne tam ante quam »post easdem benedictiones earumque intuitu »cujuscumque generis aut speciei etiam bel»lariorum et comestibilium munera vel xe»nia a quoquam recipere audeant illisque »praeterea districte injugimus, ut ab omni »abstineant solemni pompa, quae sumptus »quantumvis modicos etiam prandii secum»ferat, cum ejusmodi sacrae functiones ab »interna solidaque potius benedicentium ac »benedicendorum religione et pietate quam »ab externa et vana apparatus magnificentia »debeant commendari.«

»Decernentes praesentes literas et in eis »contenta quaecumque etiam ex eo, quod »praedicti et alii quicumque in praemissis »interesse habentes vel habere quomodolibet »praetendentes, cujusvis status, gradus, or»dinis, congregationis ac instituti existant, »seu alia speciali nota digni, illis non con»senserunt, et ad ea vocati et auditi, seu »causae, propter quas praesentes emanarunt, »adductae et sufficienter justificatae non fu»erint, sive ex alia quacumque, quantumvis »justa legitima et privilegiata causa, colore, »praetextu et capite etiam in corpore juris »clauso, etiam enormis ac enormissimae lae»sionis, nullo unquam tempore impugnari, »redargui, infringi, in controversiam revocari »aut ad terminos juris reduci posse sed »semper firma et efficacia existere ac fore »suosque plenarios et integros effectus sor»tiri et obtinere et ab omnibus et singulis, ad »quos spectat et pro tempore spectabit, quo»modolibet in futurum inviolabiliter et in»concusse observari. Sicque et non aliter »in praemissis per quoscumque Ordinarios »et Delegatos, etiam causarum palatii apo»stolici auditores ac S. R. E. Cardinales »etiam de latere Legatos et apostolicae se»dis Nuntios aliosve quoslibet quavis prae»eminentia, dignitate et potestate fungentes »et functuros sublata eis et eorum cuilibet »quavis aliter judicandi et interpretandi fa»cultate ac auctoritate judicari et definiri »debere ac irritum et inane, si secus super »his a quoquam quavis auctoritate scienter »vel ignoranter contigerit attentari.«

»Nulli ergo hominum liceat paginam hanc »Nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, »mandati et derogationis infringere vel ei »ausu temerario contraire. Si quis autem »hoc attentare praesumpserit, indignationem »omnipotentis Dei ac beatorum Petri et »Pauli apostolorum ejus se noverit incursu»rum. Datum Romae apud sanctum Petrum »anno incarnationis dominicae 1725 pridie »9. Maji pontificatus nostri anno primo.«

P. M. Card. Pro-Datar.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia J. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco † Plumbi.

L. Martinettus.

Abbates non ab alio quam ab Ordinario benedictionem petere debere et ita servari. N. 1070 die 24. Julii 1638.

Emmo Sacchetto referente dubium circa benedictionem Abbatum monachorum ord. Cisterc. S. C. stetit in decretis, nempe Episcopum esse audiendum, cum agatur de praejudicio ipsius, qui cum sit in possessione benedicendi illis, qui creantur Abbates, per communicationem privilegiorum non censetur concessa facultas utendi jurisdictione, antequam recipiant benedictionem.

Die 19. Julii 1636.

(Anal. J. P. 1864. VII. Ser. p. 265. Ed. Romae.)

d) De essentia non est.

Vd. *pag. 11. Quia; pag. 15. n. 11.*

Ista benedictio non est de essentia nec simpliciter necessaria ad hoc ut Abbates ea, quae sunt ordinis et sui officii, exercere possint, sed potius videtur esse de solemnitate, cum etiam Abbates regulares non benedicti possint libere et licite facere et exercere omnia, quae possunt Abbates benedicti, ut constat ex pluribus concessionibus pontificiis et praecipue Eugenii IV. pro Abbatibus congregationis s. Justinae de Padua in sua constitut. edita 1436 pridie Kalendas Julii anno VI. pontificatus sub his verbis: *Volumus insuper, quod Praelati congregationis praefatae, licet benedictionis munus non acceperint, perinde tamen monasteria ipsius congregationis regere et administrare ac omnes actus in ipsis valeant exercere et insignia deferre ac si munus hujusmodi fuissent consecuti*; et Pii V. pro Abbatibus canonicorum regularium 1566. 17. Kalendas Februarii anno primo sui pontificatus his praecisis verbis: *Necnon singulis ipsorum monasteriorum Abbatibus pro tempore existentibus (tametsi munus benedictionis non suscepissent), quod omnibus et singulis privilegiis praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, indulgentiis, indultis, quibus tam ordinis et congregationis praedictorum quam aliorum monasteriorum et ordinum Abbates in generalibus et provincialibus conciliis utebantur, potiebantur et gaudebant ac uti potiri et gaudere poterant, quomodolibet in futurum uti, potiri et gaudere libere ac licite possint et valeant*; et Julii II. pro Olivetanis 150[illegible] pridie Kalendas Junii anno IV. sui pontificatus praecisis his verbis: *Praefatique sic electi seu nominati absque alicujus dictae Sedis vel alterius provisionis vel dispensationis adminiculo, etiam praeter hoc, quod eis munus benedictionis impendatur, ipsis monasteriis et prioratibus, ad quae sic electi vel nominati fuerunt, praeesse ac illa in Spiritualibus et Temporalibus regere ac omnes actus ibidem exercere et insignia deferre ac si munus hujusmodi suscepissent.*

e) Gratis facienda ab Episcopo.

Vd. *Ordinatio* (pro pecuniis etc.); pag. 4.

9) Benedictio paramentorum ab Abbate facienda.

Vd. *Paramenta; Suppelectilia; Benedictio param.; Usus Pont.f.* (modus etc.); *Bened. campanae.*

Ad dub: 1) An Praelati et Abbates regulares possint sine speciali indulto calices, campanas aliaque vasa sacra, in quibus intervenit sacra unctio, benedicere pro usu alienarum ecclesiarum?

2) An dicti Abbates et Praelati teneantur servare decretum ab Alexandro VII. editum circa usum restrictum Pontificalium Praelatis inferioribus concessum?

S. C. resp. ad 1: Negative;
ad 2: Affirmative.

Die 7. Junii et 2. Aug. 1755.

Abbati mitrato non licere vigore privilegii obtenti ante concilium Tridentinum hodie conferre ordines minores, consecrare calices et benedicere campanas, in quibus adhibetur unctio. N. 636 ad 3. die 6. Junii 1626.

Omnia disposita in decreto edito sub die 20. Julii 1660 tenoris sequentis ad §. 19, quo vetita est Abbatibus benedictio sacrae supellectilis pro usu alienarum ecclesiarum, servanda sunt ab Abbatibus Lateranensibus. N. 2474 die 23. Mart. 1669.

Abbates congreg. Cas., canonicor. regul. Later., s. Augustini et Coelest. non posse uti privilegio benedicendi suppellectilem, nisi pro usu suorum monasteriorum. N. 3192 ad 2 die 30. Julii 1689.

Ad dubium: An liceat Abbati Stambsensi s. suppellectiles benedicere, in quibus s. unctio non adhibeatur, sed etiam altaria consecrare et alia vasa sacra, in quibus adhibetur s. chrysma, idque non tantum ad usum propriae ecclesiae monasterialis sed etiam ad usum aliarum eccles.? S. C. resp.: *Negative.* N. 4065 die 31. Aug. 1737.

Ad dubium: 1) an licet Abbatibus aliisque Pontificalia ex privilegio exercentibus benedicere campanas, vasa s. et alia, quae s. chrysmate liniuntur, necnon vestes s. et in quorum benedictionibus chrysmatis unctio non requiretur?

2) an hoc eis liceat etiam pro ecclesiis sibi pleno jure non subjectis?

3) an Superiores Regularium et Rectores, Priores, Guardiani, Ministri et alii possint explere benedictiones omnes, in quibus s. chrysma non requiritur? S. C. resp.

ad 1: Quoad primam partem non licere nisi habeant privilegium; quoad secundam partem licere;

ad 2: Hoc eis licere pro usu dumtaxat suarum ecclesiarum vel monasteriorum. N. 4159 die 16. Maii 1744.

Ad dubium: An ad facultatem consecrandi et benedicendi Abbati Fuldensi suffragetur communicatio privilegiorum montis Casinens. vel si adesset observantia immemorabilis eum possit juvare? S. C. resp.: Affirmative vigore communicationis privilegiorum, non consuetudinis et in locis propriae jurisdictionis. N. 3663 ad 1 die 22. Sept. 1703.

Abbates aliique similes habentes facultatem benedicendi paramenta pro usu propriarum ecclesiarum, non possunt vigore talis facultatis benedicere paramenta exterarum ecclesiarum, non obstante allegata consuetudine. N. 829 die 18. Aug. 1629.

10) Benedictus.

a) Benedictus ab Episcopo potest conferre prim. tons. et ord. minores.

Vd. *Ordinatio irrita ex def. potest.* (decr. *Collen); Abbas* (ordinare etc.)

Hispanien.

Oppidum de Alcolea in provincia Betica subest sacro equestri ordini Hierosolymitano illudque commendari solet uni ex equitibus jurisdictionem exercenti per Priorem qui judex ecclesiasticus et Vicarius generalis appellatur. Retroactis temporibus consueverunt Vicarii literas dimissiorales pro prima tonsura et minoribus ordinibus tradere dicti oppidi originariis atque domiciliariis easque Archiepiscopis et Episcopis atque ipsis etiam Abbatibus dirigere, sed tribunal Assembleae Hierosolymitanae anno 1757 vetuit ne dimissioriales literae pro minoribus ordinibus in posterum dirigerentur Abbatibus. Priusquam hujusmodi decretum prodiret, anno scilicet 1754 Lucas Franciscus Rodringuez de la Barrera oppidi de Alcolea originarius et incola literas dimissiorales petiit ab ecclesiastica commenda Vicaria pro prima tonsura et quatuor minoribus ordinibus easque a Vicario generali obtinuit Episcopis et Abbatibus directas.

Hisce igitur suffultus literis dictus Rodringuez adiit Abbatem s. Antonii del Tardon ordinis s. Basilii, qui et primam tonsuram et minores ordines eidem contulit. Translato deinde domicilio intra limites Archiepiscopatus Hispalensis instetit apud eminentissimum Archiepiscopum, ut ad sacros ordines promoveri posset tum ratione domicilii tum etiam titulo capellaniae, quam in ea dioecesi possidebat. Re autem perpensa dubitans laudatus Emus Archiepiscopus de ratione ac methodo, qua minores ordines orator susceperat, adeundam consulit apostolicam sedem pro obtinenda venia et rehabilitatione.

Mandatis paruit orator supplicemque obtulit sanctissimo Dom. Nostro libellum sacrae huic congregationi remissum, quo dispensationem a contracta forsan irregularitate et rehabilitationem postulavit Rogatus fuit super precibus eminentissimus Archiepiscopus, ac postea civitatis omnibus interesse habentibus eisdemque praefixo termino ad jura sua deducenda, cum nullus usque adhuc quidquid opposuerit, supplicat orator EE. VV., ut precibus indulgere non dedignentur.

Id autem ut facilius assequatur duo in praesenti casu perpendenda proponit, an scilicet legitimis dimissorialibus literis pro minoribus ordinibus suscipiendis munitus fuerit, ac praeterea, an Abbas del Tardon, si non licite saltem valide illi ordines contulerit? Ad primum nihil sua interesse putat inquirere, utrum Commendatarius de Alcolea sit necne vere Abbas *Nullius* aut pro concedendis suis subditis dimissiorialibus literis apostolico privilegio fruatur. Id unum satis sibi esse existimat ostendere, quod subditus sit comendatoris, uti in eodem oppido natus, et quod illius Vicarius jurisdictionem absque ulla contradictione palam exercuerit et dimissioriales literas tradere consueverit, prout ex immemorabili consuetudine et ex notarii fide resultare affirmat. Hinc minime dubitare potuisse dicit de jure Commendatoris, ut bona saltem fide excusari valeat, cujus causa vel ab irregularitate immunis evasit, *Ferrar. in Biblioth. verb.: Ordo art. 4. num. 22.*, vel de apostolica benignitate sit ei succurrendum ut notat folium in causa *Lucana 1. Septembris 1725.* §. *Abbas et* §. *E contra.* Nec malam fidem induci posse, ex quo in precibus asseruit eminentissimum Hispalensem Archiepiscopum suum esse Ordinarium, aut ex quo dimissoriales literas a Vicario commendae obtinuerit, cum solum post susceptos minores ordines eidem eminentissimo Archiepiscopo subditum se esse agnoverit: caeterum dimissoriales literas ab eo Vicario recepisse qui illas semper aliis tradere consueverat, ac proinde non immerito existimare potuisse speciali quodam titulo ad id fuisse delegatum.

Quod vero respicit alterum propositae questionis caput de ordinum validitate, certum in jure esse dicit, posse Abbates primam tonsuram et minores ordines subditis conferre, dummodo sunt sacerdotali caractere insigniti et benedictionem acceperint ut ex *Can. 14 concilii Nicaeni II.* relat. in *Can. Quoniam distinct. 69., cap. Cum contingat de aetat., qualit., cap. Statuimus de supplend. neglig. Praelat., cap. Abbates de privileg. in 6.* Addit concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 10 de reform.* tantummodo Abbatibus prohibuisse ne primam tonsuram et minores ordines conferrent personae sibi non subditae. Ex his arguit, quod si ageretur de Abbate saeculari, cui privilegium conferendi ordines ante concilium fuit revocatum, *Fagnan. in cap. Statuimus n. 9 et seq. et num. 54 de supplen. neglig. praelat.*

At quoniam sermo est de Abbate regulari, quidquid nonnulli dixerint, veriorem tamen sententiam esse, quae statuit, eos qui jure gaudent conferendi ordines certo generi personarum, valide sed tamen illicite minores ordines conferre sibi non subditis, quia certam ad id potestatem habent, quamvis illa abutantur, *Tamburin. de jur. Abbat. tit. 1. disput. 2. quaest. 3. num. 3. et seq., Fagnan. loc. cit. n. 14 et 23.*

Ambigi autem non posse, quin Abbas del Tardon sit vere regularis habeatque subditos Regulares; nec similiter dubitari posse, quin Abbates ordines s. Basilii privilegio potiantur minores ordines suis subditis conferendi; idque constare sustinet tum *ex citato can. 14.* concilii Nicaeni II. tum etiam ex constitutione san. mem. Gregorii XIII. incipien. *Benedictus Dominus*, ubi ordini s. Basilii omnia privilegia concessit, quae ordini Casinensi tributa fuerunt et quidem non per modum simplicis communicationis sed absolutae immo et amplioris concessionis. Certum vero esse, inter privilegia competentia Abbatis ordinis Casinensis connumerari potestatem illis impertitam conferendi subditis primam *tonsuram et ordines minores, Tamburin. de jur. abbat. disput. 2. quaest. 3. N. 2. tom., Pignatell. consultat. canon 158. N. 1. tom. 4.*

Validam idcirco fuisse contendit collationem ordinum, de qua in praesenti casu sermo est, non obstante, quod Abbas del Tardon benedictus a catholico antistite nunquam fuerit, quia facultas pendet a privilegio aut nativo aut concesso, non vero a benedictione, quae fortasse nil aliud imponit, quam solam institutionem ad praefecturam monasterii prout colligi putat ex Pontificali romani et confirmat *Fagnan. in d. cap. Statuimus de supplend. neglig. Praelat. num 6.* Hoc autem in loco animadvertit, quod simul Alexander III. potestatem tribuit Abbatibus conferendi primam tonsuram et minores ordines, quoties Episcopi ter requisiti benedictionem impertiri recusaverint, ita eo magis ex hoc ipso inferri existimat, hujusmodi potestatem non a benedictione sed a privilegio fere desumendam, idque declaratum a sacra congregatione fuisse in *Uratislavien 12. Febr. 1724.* Neque abesse constitutionem san. mem. Benedicti XIII.: *Commissi Nobis (vā. p. 3),* qua Abbatibus injungitur ut benedictionem infra annum a proprio dioecesano antistite reportare debeant. Observant enim id non praecipi sub poena nullitatis, quin immo expresse praeservatam fuisse dispositionem *Textus in L. cap. Statuimus*, atque etiam permitti ut in decursu anni possint Abbates omnia abbatialia munia exercere.

Addit, in eadem constitutione excipi ab indicta lege Abbates, qui vigore specialis privilegii electi habentur pro benedictis, quos inter connumerari dicit Abbates ordinis s. Basilii, ut ex alia constitutione san. mem. Pii IV. incipien.: *Regularem vitam §. Volentes*, et notat *Pignatell. consultat. canon. 158. n. 1 tom. 4.* Concludit itaque non esse haesitandum de validitate ordinum. *Peyrin. Oper. tom 2. quaest. 3. cap. 3. n. 23., Benedict. XIV. de synodo dioeces. lib. 2. cap. 11 n. 13.* Praesertim quia sacra congregatio illicitas quidem sed validas censuit ordinationes ab Abbatibus factas de personis sibi non subditis ut quoad Abbates benedictos declaravit *in Coimbrien. 26. Junii 1635* et quoad non benedictos in *Panormitana collationis ordinum 16. Martii 1617, in Catanien. 23. Nov. 1641 et in Lucana 16. Martii 1726.*

Eminentissimus Archiepiscopus Hispalen. ait, oratorem originarium esse oppidi de Alcolea, quod intra suae dioecesis limites situm est et s. religionis Hierosolymitanae jurisdictioni subest. Jamdiu autem in ea Vicaria irrepsisse abusum expediendi literas dimissoriales nedum Episcopis sed etiam Abbatibus directas. Nullibi autem constare qualitatem *Nullius* respectu Loci de Alcolea quamvis in sacr. Assemblea ordinis Hierosolimitani jurisdictio quasiepiscopalis indicta sit.

Advertit tamen, dimissoriales literas pro oratore non ab Assemblea aut a Commendatore fuisse expeditas, sed a quodam presbytero nuncupato. Priore et Vicario generali ejusdem loci de Alcolea, qui potestatem illas concedendi non habet, atque idcirco hujusmodi literas nunquam in suo archiepiscopatu fuisse receptas. De Abbate del Tardon observat, illum nunquam benedictionem reportasse. Ac demum quoad oratorem censet posse cum eo misericorditer agi, quoniam nullum adest impedimentum prohibens ad altiora conscensum.

Hae sunt, quae eminentissimus Archiepiscopus in sua relatione animadvertit. Ab aliis interesse habentibus nihil unquam deductum est.

Ex antiqui juris praescripto licitum erat non solum regularibus sed aliis etiam saecularibus Abbatibus primam tonsuram et minores ordines conferre. Haec tamen illimitata facultas coercita fuit a sacro concilio Tridentino *sess. 23. cap. 10 de reform.*, ibi: *Abbatibus et aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus dioecesis consistentibus etsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre, nec ipsi Abbates et alii exempti aut collegia vel capitula quaecumque etiam Ecclesiarum Cathedralium literas dimissoriales aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant; sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in hujus sacrosanctae synodi decretis continentur, ad Episcopos intra quorum dioecesis fines existant pertineat non obstantibus quibuscumque privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.*

Hac synodali constitutione sublata omnino comperiuntur Abbatibus saecularibus privilegia conferendi ordines. Et quoad Abbates regulares habentes subditos, vetita ipsis est ordinatio saecularium solumque concessum, ut regulares ordinare valeant, prout tradit san. mem. *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. num. 10.*

late Fagnan. in cap. Significasti de inferior. regular. aut saecular. Hodie reperitur, cui liceat tonsuram et minores ordines conferre personis saecularibus, tametsi omnimodam jurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem et etiam temporalem habeat in clerum et populum exclusis Episcopis et sive illorum territorium sit intra fines alicujus dioecesis sive extra.

Abbates autem regulares duplici qualitate pollere debent, quod scilicet in ordine sacerdotali sint constituti et quod a catholico antistite benedicti fuerint, nisi tamen Episcopus *tertio cum humilitate et devotione sicut convenit requisitus eos benedicere forte renuerit*, prout decernitur *in cap. Statuimus de supplend. neglig. Praelat.*, vel nisi speciali privilegio muniti fuerint, cujus vigore statim ac electi extiterint valeant ea omnia gerere, quae ab Abbatibus benedictis exerceri possunt. *Bened. XIV. de synod. dioecesan. lib. 2. cap. 11. num. 9.* Hujusmodi vero privilegiis nullimode derogatum fuit per constitutionem san. mem. Benedicti XIII. incipien. *Commissi Nobis 6. Maji 1725* impressam in *append. ad concilium romanum*, sed immo expresse in ea praeservata fuerunt privilegia Abbatibus non benedictis competentia, nam §. *Quo vero* haec leguntur: *Quo vero ad Abbates, quibus . . . . per speciale indultum apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus et apostolica, quibus gaudent, privilegia ubique inconcusse observari praecipimus et mandamus*, quod ipsum observat etiam san. mem. Bened. XIV. *loco supra cit.*

Gravis tamen oritur quaestio, an illicita tantum seu etiam invalida sit collatio minorum ordinum facta ab Abbatibus regularibus de personis saecularibus aut a Praelatis saecularibus de aliis personis praeter eas, quae comprehenduntur in eorum privilegiis post concilium concessis. Quamvis de validitate ordinum dubitare videatur *Pignatell. consultat. canon. 365. tom. primo*, nihilominus paucis respondit san. mem. *Benedictus XIV. loco citat. n. 13.* his verbis: *Aut Abbas nullo fruitur privilegio conferendi primam tonsuram et minores ordines aut privilegio potitur illos conferendi certo personarum generi. Si primum, nec licite nec valide potest quemquam ad primam tonsuram minoresque ordines promovere, si alterum, illicite profecto, attamen valide primam tonsuram minoresque ordines etiam illis confert, qui caeteroquin inter personas non numerantur in privilegio designatas.*

Ratio autem est, quia habentes potestatem conferendi ordines certo personarum generi, nunquam potestate ordinandi destituuntur, quamvis coërcita sit jurisdictio, quemadmodum advertit *Fagnan. in comment. ad cap. Statuimus de supplend neglig. Praclat.* signanter *num. 23*, ubi haec ait: *Nam in privilegio seu commissione conferendi ordines duo implicite continentur, videlicet nuda et simplex potestas ordinandi et jurisdictio restricta et limitata ad personas in literis apostolicis designatas. At ex limitatione jurisdictionis non infertur ad limitationem praedictae potestatis quoniam ad impressionem caractheris nulla habetur ratio jurisdictionis.*

Variae diversis temporibus hac super re prodierunt sac. hujus congregationis resolutiones *In Cremonens. 13. Junii 1519* eadem S. C. censuit: *I. Abbatem ex privilegio Pii V. facultatem habentem ea omnia faciendi, quae facere potest Abbas benedictus, qui de mandato Vicarii apostolici quibusdam saecularibus non sibi, sed ipsi Vicario subditis primam tonsuram et ordines minores contulit, contravenisse concilio et constitutioni san. mem. Sixti V.; II. Caractherem tamen ordinis impressisse; III. Tam ordinantem quam ordinatum incidisse in poenas propositas constitutione san. mem. Sixti V. prout legitur in lib. 7. decr. pag. 15.* Et in *libr. 4 decret. pag. 171.* haec adnotata reperiuntur de una *Parmen. anni 1586. Concilium cap. 10. sess. 26. prohibet Abbatibus, ne possint tonsuram vel minores ordines cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, intra fines alicujus dioecesis conferre. Quaeritur: An de consensu Episcopi Parmen. possit conferre dictos ordines etc.? Congregatio Concilii censuit posse de licentia Ordinarii loci et cum literis dimissoriis Ordinarii eorum, qui ordinandi sunt.* Similiter in *lib. 13. decr. p. 169.* haec recensentur: *11. Maji 1624.* Sacra etc. alias censuit: *Saecularem tonsuratum ab Abbate benedicto vel habente privilegium, ut possit ea omnia, quae potest Abbas benedictus, quamvis ab eo non debuerit ordinari ob adeptam sibi a concilio saeculares ordinandi facultatem, recepisse tamen caractherem; secus si Abbas non esset benedictus vel tale privilegium non haberet. In Catanien. 15. Februarii 1642* decretum fuit *quoad jam ordinatos ab hujusmodi Abbatibus cum literis dimissorialibus Ordinariorum ad primam tonsuram*

et ordines minores facto verbo cum sanctissimo D. N. esse absolvendos a quibuscunque poenis incursis et convalidandos ordines eisdem collatos. Die 24. Martii 1642 facta relatione Sanctissimo Sanctitas Sua jussit edi decretum et convalidavit ordinationes hucusque factas, prout habetur ex lib. 17. decret. pag. 1.

Pariter *in Conimbricen. 26. Junii 1655* dubitatum fuit: *An Abbates congregationis s. Bernardi et s. Benedicti conferre potuerint ordines minores regularibus sibi non subditis necnon saecularibus etiam habentibus literas dimissorias suorum superiorum?* Sacra vero Congregatio respondit: fieri id minime potuisse, sed addidit, *Promotos ab illis non indigere alia collatione dd. ordinum sed absolutione et rehabilitatione a Sanctissimo obtinenda, lib. 19. decret. pag. 484.*

In Panormitana collationis ordinum 16. Martii 1647 cum quaesitum fuisset: *An ordines minores per Abbatem regularem non benedictum collati non suis subditis sint validi, si Abbas habeat privilegium illos suis subditis conferendi?* responsum prodiit: *Collationem ordinum supradictis non suis subditis etiam regularibus factum, si fuerit de ordinibus etiam minoribus et dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium apostolicum, ordines collatos remanere invalidos et ordinatos indigere alia ordinatione, si vero Abbas non benedictus habeat dictum privilegium et ordines minores tantummodo contulerit non subditis, ordinatos non indigere alia ordinatione, sed solummodo absolutione et rehabilitatione a sede apostolica; lib. 18. decret. pag. 311.*

Demum in *Lucana 16. Martii 1726* agebatur de collatione ordinum facta ab Abbate s. Barbarae civitatis Mantuae cuidam clerico, qui non comprehendebatur in privilegio eidem Abbati competenti, cumque disputatum fuisset: *An et quomodo sit providendum in casu etc.;* S. C. resp.: *Pro relatione suspensionis arbitrio Episcopi Lucani.*

Post haec ponderandum, an Abbas del Tardon apostolico privilegio potiatur ea omnia gerendi, quae ab Abbatibus benedictis fieri possunt, quamvis ipse benedictionem non acceperit. S. M. Gregorius XIII. in constitutione incipien. *Benedictus dominus* §. *18.* haec habet: *Monasteriis, conventibus, prioribus et Monachis praedictis necnon conversis et oblatis aliisque etiam dd. monasteriorum s. Basilii religiosis et personis, ut de caetero omnibus et quibuscunque privilegiis, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, favoribus, gratiis et indultis tam spiritualibus quam temporalibus congregationi praedictae Cassinensi illiusque personis et locis per quoscunque romanos Pontifices praedecessores nostros, et Nos et dictam sedem in genere et in specie concessis, confirmatis et innovatis ac etiam per viam communicationis ad eamdem congregationem Cassinensem extensis, quibus illi utuntur, potiuntur et gaudent et uti potiri et gaudere potuerunt, quomodolibet in futurum (quae tamen usu recepta sint et sacris canonibus ac dicti concilii Tridentini decretis ipsiusque ordinis s. Basilii instituto non adversantur), uti, potiri, gaudere libere et licite valeant, concedimus et indulgemus.* Quamvis autem hoc in loco nulla mentio de Abbatibus habeatur, nihilominus *Pignatell. consult. canon. 158. tom. 4. num. 1.* observat, quod ex *privilegiis quae singillatim referuntur a Tamburrino etc. possunt etiam Abbates non benedicti ordinare aliaque exercere, quae possunt Abbates benedicti, ut ex privilegio Eugenii IV. congregationi Cassinens. de observantia in Hispania, et congregationi s. Justinae de Padua et pro Basilianis etiam non benedictis exstant privilegia ejusdem Eugenii IV., Pauli III., Gregorii XIII. et Pauli V.*

Denique non est praetereundum, consuevisse romanos Pontifices in similibus casibus misericorditer agere cum promotis, ut praeter exemplum superius relatum in *Catanien.* aliud prostat exemplum in *Papien. 5. Octobr. 1594.*, quod in *lib. 8. decr. p. 67.* his verbis describitur: *Retuli SSmo Domino nostro, multos in dioecesi Papien. exstare clericos, qui bona fide de licentia quondam Hippoliti de Rubeis tunc Episcopi Papien. fuere ab Abbatibus regularibus benedictis sive habentibus a sede apostolica privilegium, quod solent habere Abbates benedicti, ad clericalem tonsuram et quatuor ordines promoti, quorum deinde aliqui ad diaconatum, alii vero ad presbyteratum rite tamen alias a suis Episcopis promoti sunt, ut plures obtinuerunt beneficia. Et quia uti male promoti fuere, cum hodie Abbatibus regularibus stante decreto concilii Tridentini cap. 10. sess. 23. de reform. minime competat ista facultas, nomine moderni Episcopi Papien., a quo hac de re literas accepi, supplicavi sanctissimo D. N. pro absolutione et rehabilitatione omnium praedictorum, perinde ac si a suis Episcopis canonice promoti fuissent. Et Sanctissimus D. N. ex sua benignitate absolutionem et rehabilitationem praedictam concessit ac voluit per literas congregationis nomine scriptas praedictorum testimonium perhiberi. —*

His ergo perpensis viderint EE. PP. ea qua pollent juris sacri peritia:

An et quomodo sit consulendum Sanctissimo in casu?

Die 18. Sept. 1773.

S. C. resp.: *Dilata.*

b) Num Abbas benedictus non ab Episcopo sed ab aliis Abbatib. et PP. Generalibus possit conferre tonsuram et ordines minores?

Ad dub.: An Abbas Lubensis caeterique ejusdem provinciae Abbates presbyteri, non benedicti ab Episcopo sed a suo P. Generali vel ejus Subdelegatis, possint tonsuram et ordines minores subditis regularibus conferre, ita ut, nisi aliud ordinatis obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illis conferre ordines majores?

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius.

Die 12. Febr. 1724. *Uratislavien.* (Conc. Trid. C. 10. sess. 23. De ref.)

Adnotationes Secretarii S. C.
circa collationem tonsurae et minor. ordinum, quae fit ab Abbatibus regul., qui benedictionem apostolicam aut episcopalem non receperunt, suis subditis regularibus.

Nonnulli sunt in jure canonico textus ad expositam materiam pertinentes. Primus est in *can. Quoniam dist. 69.,* ibi: *Lectores autem manus impositione licentia est Abbati solummodo in proprio monasterio faciendi si dumtaxat eidem Abbati manus impositio facta noscitur ad Episcopo secundum morem praeficiendorum Abbatum, dum constet illum esse presbyterum.*

Secundus est in *cap. Cum contingat de aetate et qualitate,* ubi reassumptis verbis canonis supra allegati decernitur Abbatem presbyterum et benedictum primam tonsuram suis Monachis conferre posse.

Tertius est in *cap. Statuimus de supplenda negligentia Praelatorum,* ubi dicitur: *Si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione, sicut convenit, requisitus substitutos Abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere et alia, quae ad officium hujusmodi pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiam recogitent et Abbates benedicere non recusent.*

Quartus est in *cap. Abbates de privilegiis in 6.,* ubi legitur: *Nec eis licitum sit aliis, quam monasteriorum suorum conversis et qui ad illa convolaverint et in quos ecclesiasticam et quasi episcopalem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonsuram, nisi eis id competat ex pleno praefatae Sedis indulto.*

Ultimus denique desumitur *ex cap. 10. sess. 23. de Refor.,* ubi decernitur: *Abbatibus ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis nun liceat imposterum intra fines alicujus dioecesis consistentibus, etiamsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre.*

Et ab his juris canonici textibus inferunt communiter doctores, *duo esse necessaria ad effectum ut Abbas regularis conferre valeat suis subditis regularibus tonsuram et minores ordines, quod videlicet sit presbyter et solemniter sit benedictus;* licet enim in citato textu sacri concilii Tridentini prohibeatur Abbatibus conferre ordines cuiquam, qui regularis subditus non sit, non valet tamen illatio a contrario sensu ut videlicet cuilibet suo subdito regulari ordines minores conferre possit, cum haec potestas sic explicanda sit ut sibi vindicet locum, quando concurrunt in Abbatibus qualitates a sacris canonibus requisitae, hoc est presbyteratus et benedictionis. *Fagnan.* in cap. quanto N. 21 et sequent. de consuetudine, *Vanespen.* juris eccles. univ. tom. 1. par. 1. tit 31. cap. 6. N. 16 et seq.

Quia vero haec Abbatum benedictio, de qua fuse in Pontificali romano quaeque a nonnullis licet improprie dicitur conservatio, non est absolute et simpliciter necessaria ut Abbas suis subditis regularibus conferre valeat primam tonsuram et minores ordines, alias non bene decretum fuisset in *cap. Statuimus de supplenda negligentia Praelatorum,* quod Abbates primam tonsuram conferant et minores ordines, si Episcopi ter requisiti benedicere recusaverint uti supra visum est, hinc emanavit subalterna quaedam doctorum propositio innixa tum praedictae rationi tum plerisque privilegiis, quae habentur in particularibus bullariis Monachorum, quod concurrente videlicet apostolico privilegio, in quo Abbatibus non benedictis concedatur, ut ea facere possint, quae fiunt a caeteris Abbatibus benedictis, possint Abbates regu-

lares presbyteri, licet non benedicti, prout hodie fere nullus benedicitur cum non sint perpetui sed temporales, primam tonsuram et minores ordines conferre suis subditis regularibus, *Tamburrin.* de jure Abbatum tom. 1. disput. 11. quaest. 3. num. 3 et seqq. et eodem tom. 1. disp. 11. quaest. 13 et tom. 2. disput. 2. quaest. 3 per totam; *Barbosa* voto 89. num. 28. lib. 3.: *Pirhing.* ad primum librum Decretalium tom. 1. lit. 11. sect. 1. §. 6. num 43.; *Clericat.* de sacramento ordinis decis. 15. num. 7. et pluribus seq.

Et conferunt resolutiones hujus S. C. quae decrevit: *Abbatibus benedictis vel quibus a sede apostolica concessum est privilegium ut possint ea omnia facere, quae possunt Abbates benedicti, tonsuram minoresque ordines sui subditis regularibus tantum conferre aliaque Pontificalia hujusmodi Abbatibus competentia in sui ordinis monasteriorum Ecclesiis et limitibus exercere taliterque ordinatos, si quid aliud non obstiterit, legitime posse a quibusvis Ordinariis ad ulteriores ordines promoveri,* quae S. C. resolutio fuit in forma specifica confirmata in literis apostolicis Clementis octavi impressis inter privilegia Cisterciensum Parisiis edita anno 1713. p. 194. Haec sunt, quae pertinent ad juris communis dispositiones, nunc transeundo ad dispositiones et privilegia loquentia de Cisterciensibus; textus supra allegatus in *cap. Statuimus de supplenda negligentia Praelatorum,* loquitur de Cisterciensibus et eorum Abbatibus indulget ut tonsuram conferant, si Episcopi ter requisiti noluerint illis benedictionem impertiri, uti collegitur ex illius lectura et bene adnotavit *Manrique* tom. 2. Annal. Cisterciens. anno 1168. cap. 3. num 4.

Ad eosdem pertinet Cistercienses dispositio textus in *cap. Re Dei Ecclesiam* de simonia, ubi ponitur forma obedientiae ab Abbatibus Cisterciensibus praestandae Episcopis.

Verum sermonem instituendo de privilegiis hujus ordinis extra corpus juris communis constitutis solemnissimum est illud Innocentii octavi, de quo in supradicto privilegiorum libro pag. 137, ubi Abbati Cistercii dioecesis Cabilonensis et aliis quatuor insignioribus Abbatibus et eorum successoribus datur facultas conferendi subdiaconatum et diaconatum Monachis sui ordinis, *ac ne Monachi dicti ordinis pro suscipiendis subdiaconatus et diaconatus ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis ut quibuscunque dicti ordinis Monachis, aliis vero quatuor Abbatibus praefatis ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum praedictorum religiosis, quos ad id idoneos reperietis, subdiaconatus et diaconatus ordines hujusmodi alias rite conferre possitis.* Theologi modum et rationes exquirunt quomodo simplicibus sacerdotibus potuerit dari facultas conferendi ordinem subdiaconatus et diaconatus; at quidquid sit de hoc, *certum esse videtur huic privilegio fuisse a concilio Tridentino derogatum sess. 23. cap. 10 et 12* uti late ostendit *Navar.* consil. 13 de privilegiis et late prosequitur *Suarez* de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 29. num. 17. et num. 24 et 25.

Aliorum privilegiorum Eugenii quarti et Julii secundi quod Abbates triennales Cistercienses Hispan., licet eis munus benedictionis non sit impensum, fruantur omnibus et singulis honoribus, praeeminentis, privilegiis et praerogativis, quibus alii fruuntur Abbates benedicti, mentio habetur apud *Suarez* loco citato et latius apud *Dianam* in edit. coord. tom. 2. tract. 5. resolut. 81.

Occasione benedictionis, quam Abbates Cistercienses ab Episcopis petebant, simultates et jurgia exoriebantur; quocirca Innocentius Papa octavus concessit Abbati generali ut Abbates et Abbatissas sui ordinis benedicere posset, uti habetur in citato libro privilegiorum pap. 137. num 5: *Tibi et successoribus tuis praedictis dumtaxat, ut munus benedictionis hujusmodi quibuscunque dicti ordinis Abbatibus et Abbatissis praedictis, ut dictum munus a te et successoribus tuis praefatis recipere libere ac licite possitis et possint indulgemus.*

Clemens octavus privilegium hoc confirmavit et extendit ad *Vicarios Abbates,* qui ab Abbate generali subdelegarentur pro reliquorum Abbatum et Abbatissarum ordinis benedictione uti habetur in citato libro privilegiorum pag. 199: *Tibi ac pro tempore existenti generali Abbati tui dicti ordinis, quandocunque opus fuerit, principalibus Vicariis tuis, qui Abbates existunt, munus benedictionis caeteris Abbatibus et Abbatissis impendendi facultatem subdelegandi auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuam concedimus potestatem;* idemque Clemens octavus iterum reasumpto tenore concessionis Innocentii octavi et ampliationis a se factae ad aliam subsequenter devenit ampliationem

extendendo facultatem Abbatis generalis quoad subdelegandum ab Abbatibus Vicariis ad *Praesidentes et Reformatores,* uti habetur in citato libro privilegiorum pag. 207 et instante pariter Abbate generali per suas literas apostolicas in forma Brevis confirmavit resolutionem hujus S. C. uti supra dictum est, in qua firmatum fuit posse Abbates conferre tonsuram et minores ordines suis subditis regularibus, si sint benedicti vel habeant privilegium a sede apostolica ea omnia gerendi et faciendi, quae fiunt ab Abbatibus benedictis. Acquisita ab Abbate generali facultate benedicendi per se vel per suos subdelegatos Abbates et Abbatissas sui ordinis, cum Abbas monasterii s. Mariae de Lande ejusdem ordinis Cisterciensis solemniter benedictus tonsuram et minores ordines contulisset Monachis sui monasterii dioecesis Tornacensis et Episcopus renuerit eosdem promovere ad ordines majores sub obtentu, quod in indulto Pontificalium nulla facta fuerat mentio collationis minorum ordinum instante memorato Abbate Paulus Papa V. uti habetur in saepe allegato libro privilegiorum p. 209. confirmavit sequentem hujus S. C. resolutionem: *S. C. Cardinalium concilii Tridentini interpretum censuit, si hujusmodi Abbas aliique ejus successores pro tempore existentes fuerint solemniter benedicti et presbyteri, potuisse posseque conferre regularibus suis subditis primam tonsuram et ordines minores quamvis in indulto apostolico, quo conceditur usus mitrae et baculi, nulla hujusmodi facultatis mentio habeatur, ideoque Episcopum dioecesanum non debere recusare, quin eos, nisi aliud obstiterit, ad sacros ordines promoveat.*

Et haec sunt, quae pro facilitando causae studio Secretarius adnotavit et in sui obsequii, signum non incongruum existimavit ad EE. VV. transmittere.

Die 12. Febr. 1724.

Brixien.

In decreto sacri concilii Tridentini cap. 10. sess. 23. de ref. Abbates utcunque exempti prohibentur tonsuram vel minores ordines conferre cuiquam, qui regularis subditus eis non sit, itidemque literas dimissorias clericis saecularibus concedere ut ab aliis ordinentur, abrogando quaecunque privilegia, praescriptiones aut consuetudines etiam immemorabiles.

Quoad potestatem conferendi tonsuram et minores ordines regularibus Abbati subjectis requiri solet vel quod Abbati benedictionem solemni ritu fuerit impertitus Episcopus ad normam *cap. Cum contingat de aetat. et qualit. praeficien.,* vel quod a sede apostolica obtinuerit privilegium, quo tribuatur facultas faciendi quaecumque agere possunt Abbates benedicti, ut tradunt *Fagnan. in cap. Statuimus. n. 53 de supplen. neglig. Praelat., et in Cap. Quanto num. 24 et seq. de consuetud., et in cap. Aqua num. 18. de consecr. eccl.* cum aliis, quos refert eminentissimus Petra *tom. 5 ad const. 9. Pii II. n. 28 et seq.*

Hinc S. C. in *Panormitana* 16. Mart. 1647 ad I. dubium rescripsit: *Abbatem non benedictum, si habeat privilegium speciale apostolicum conferendi ordines minores, posse suis subditis regularibus conferre, secus si id ei non fuerit ex privilegio apostolico concessum,* ut in lib. 18. decr. pag. 311.

In specie vero *Abbatum familiae Cisterciensis* eadem S. C. censuit satis esse, quod benedictionem susceperint a suo superiore generali juxta ejusdem ordinis privilegia. Siquidem in Uratislavien. die 12. Febr. 1724. proposito hoc dubio: *An Abbas Lubensis, caeterique ejusdem provinciae Abbates presbyteri non benedicti ab Episcopo sed a suo patre generali vel ejus subdelegatis possint tonsuram et minores ordines suis subditis regularibus conferre, ita ut, nisi aliud ordinatis obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illi conferre ordines majores in casu?* rescriptum fuit: *Affirmative,* ut in lib. 74 decr. pag. 66.

Et quamquam s mem. Benedictus XIII. in constitutione edita anno 1725 et (vd. p. 3.) impressa in appendice concilii romani p. 143. statuerit quoscumque Abbates regulares perpetuo infra annum post eorum electionem debere solemnem benedictionem suscipere ab Episcopo dioecesano, hanc tamen addidit declarationem: *Quo vero ad Abbates, quibus a romanis Pontificibus praedecessoribus nostris indultum fuit ut a suis superioribus regularibus vel ab eorum Praelatis delegatis benedictionem sumere possint vel etiam per speciale indultum apostolicum consessum fuit ut electi habeantur pro benedictis ab ipso summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus et apostolica, quibus gaudent, privilegia ubique inconcusse observari praecipimus et mandamus.*

Caeterum cum potestati conferendi ordi-

nes minores, quae vel Abbatibus benedictis ex vi juris communis competat juxta *cap. Abbates de privil. in 6.*, vel quae etiam possit ex apostolico privilegio competere Abbatibus non benedictis, modum posuerit Tridentina synodus eam coërcendo ad regulares eidem Abbati subditos tantum, plane sequitur, eos non posse ordines conferre vel aliis regularibus sibi non subjectis vel saecularibus; sed tamen illicitam adeoque exercitii jure carentem dumtaxat esse, non vero invalidam ordinationem, quando est facta ab Abbate potestatem habente, quamvis limitatam in usu ad certum genus personarum, probat *Fagnan. in cap. Statuimus per tot.* ac praesertim *num. 53 et seq. de supplen. neglig. Praelat., et in cap. Aqua de consecrat. eccles. num. 11, eminentissimus Petra loco supra citato a num. 38 ad fin.* Huic vero sententiae adstipulantur etiam decreta hujus S. C. Siquidem in d. *Panormitana* 16. Martii 1647 ad II. dubium ita rescriptum fuit: *Abbatem non benedictum habentem privilegium ut supra non posse ordines minores conferre non suis subditis etiam regularibus alterius ordinis. Collatione autem ordinum supradictis non suis subditis etiam regularibus facta, si fuerit de ordinibus etiam minoribus et dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium apostolicum, ordines collatos remanere invalidos et ordinatos indigere alia ordinatione, si vero Abbas non benedictus habeat privilegium et ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, ordinatos non indigere alia ordinatione, sed tantummodo absolutione et rehabilitatione a sede apostolica obtinenda* ut in citato lib. 18 decret. pag. 311, et in *Conimbrien.* 26. Junii 1655, in qua responsum fuit: *Abbates congregationis s. Bernardi et s. Benedicti ordines etiam minores regularibus sibi non suditis et multo minus saecularibus conferre non posse, non obstantibus illorum privilegiis. Promotos vero ab illis non indigere alia collatione dictorum ordinum sed absolutione et rehabilitatione a Sanctissimo obtinenda*, ut in lib. 19. decr. pag. 584. Consonat et alia resolutio edita quoad Abbatem non benedictum congregationis Cassinensis in *Mutinen. ordinationis*, quam pariter refert eminentissimus Petra supra citatus n. 40.

Quod autem regulares non subditi vel saeculares, quibus Abbas ordines minores contulerit, habuerint literas dimissorias vel a suis superioribus regularibus vel a suis Ordinariis, nihil refert ad licitam reddendam ordinationem, ut discusso hoc dubio jussu Clementis VIII. in *sacra Rota* determinatum fuit in dec. 985 cor. Seraph., quam approbavit etiam S. C. in *Catanien.* juris conferendi ordines inter Episcopum Catanien. et Monachos ordinis s. Benedicti congregationis Cassinen. ac alios, die 3. Decembris 1641, quae indicatur in lib. 16. Decbr. pag. 610, sed recensetur ad diem 15. Febr. 1642 post approbationem Pontificis ut in lib. 17. decr. pag. 1, eademque resolutio habetur apud *Fagnan. in d. cap. Aqua sub n. 19 de consecrat. eccles., Nicol. lucubr. jur. tom. 2., lib. 1. tit. 14 de aetat. et qualit. et ordin. praeficien., Dianam per 7. tract. 11. resolut. 42 et eminentiss. Petram tom. 5 ad dictam constit. 9. Pii II. n. 40.*

Caeterum ordinum minorum collatio facta ab Abbate saecularibus habentibus literas dimissorias suorum Ordinariorum non ob aliam causam censenda videtur illicita, nisi quia facta fuerit sine assensu Episcopi ejus loci in quo Pontificalium exercitium adhibitum fuerit contra decretum S. C. Tridentini in cap. 5. sess. 6 de Refor; nam alioqui haec S. C. in antiqua causa Bononien. censuit: *Abbates, postquam ordinem sacerdotalem et munus benedictionis susceperint, posse tonsuram et minores ordines saecularibus Episcopi jurisdictioni subjectis conferre, si modo ipsius Episcopi consensus accedat iique pro se quisque ab eodem Episcopo literas dimissorias impetraverint, ita ut satis non sit id generatim ab Episcopo fuisse concessum, sed hac semper concessione singulis opus sit. Posse itidem eosdem ordines conferre aliis regularibus, qui literas dimissorias speciales suorum superiorum nec non specialem consensum Episcopi loci habuerint: ac praeterea aliis saecularibus subditis aliorum Episcoporum, dum tamen et ipsi attulerint speciales dimissorias suorum Ordinariorum et consensum specialem Episcopi loci* ut refert *Fagnan. in d. cap. Aqua n. 8. de consecrat. eccl.*, qui etiam deinde hoc decretum ab objectionibus vindicat explicando sub num. 16 supracitatam decisionem 985 cor. Seraph. ac n. 18 addit alterum simile decretum hujus S. C. de Abbate congregationis Olivetanae.

His positis S. C. C. dignetur decernere:

1) *An Abbati monasterii Stambsensi ord. Cisterc. liceat tonsuram et ord. minores conferre non solum Monachis sibi subditis sed etiam regularibus non subditis?*

2) An liceat eidem Abbati tonsuram et ord. minor. conferre saecularibus aliorum dioecesum cum dimissoriis sui Ordinarii et sine licentia Episcopi Brixinensis, cujus dioecesis et monasterium Stambsense? Et quatenus negative;

3) An taliter ordinati valide susceperint ordines.

S. C. C. resp.

ad I.: Negative quoad non subditos;

ad II.: Negative;

ad III.: Affirmative.

Die 28. Novbr. et 12. Decbr. 1733

c) Usus Pontificalium.

Abbas *cum biretto benedictus* ad Abbatiam usum Pontificalium habentem translatus non indiget alia benedictione sed potest per se mitram et alia insignia et indumenta capere. N. 295 die 25. Febr. 1606.

Vd.: *Usus Pontif.* (modus etc.)

II) Non benedictus.

a) Num Abbas non benedictus possit conferre primam tonsuram et ord. minores.

Vd. *Abbas bened.* (ab Episcopo p. 6; num Abbas bened. non ab Episcopo sed etc. decr. *Brixien.* p. 13). *Ordinatio irrita ex defectu potest.* (decr. *Collen.*)

Mutinen. Ordinum.

Existens Carolus a Vicentia commissus ab annis 16 in congregatione Cassinensi et cupiens acceptari pro oblato perpetuo supplicavit de anno 1687 Abbatem aliosque superiores monasterii ubi reperiebatur ut eum admittere vellent obtinuitque rescriptum favorabile, scilicet: Conceditur juxta supplicata ad formam juris et nostrarum constitutionum cap. 58. n. 23 et conficiatur instrumentum. In quo instrumento idem oblatus genuflexus promisit perpetuo observare tria vota, paupertatis et castitatis et obedientiae, eodem modo ac forma sicut si esset monachus professus, cum hoc quod si in futurum aliqua haereditas seu bona sibi superveniret illa frui deberet sua vita durante; et viceversa Abbas atque superiores promiserunt ei subministrari victum et vestitum cum necessariis commoditatibus.

Iste igitur sic oblatus factus non est dubium quod fuit effectus subditus ut clare ex dicto instrumento, ubi exactissimam obedientiam spopondit his verbis »E promette al sudetto Remo Padre oblate a MM. RR. Superiori sudettit sino che vivera servire perpetuamente a Dio asservando li tre voti di castita, poverla ed obbedienza, e rispetto a quaesta ultima prestare un essatta e cieca obbedienza ed in tutto quello gli sara comandato nello stesso modo e forma quanto egli fosse monaco professo«, et inde evasit particeps omnium privilegiorum congregationis Cassinensis dicente regula s. Benedicti *dicto cap. 58. num. 23:* Oblati non recipiantur nisi ad formam juris et gaudeant nostris privilegiis.

Haec autem forma juris habetur in *cap. Non dicatis 12. pag. 1*, ibi: Quod si propinquus vel amicus vel quilibet fratrum cuiquam aliquid offere voluerit, primo quidem Priori insinuetur et sic suscipiatur si ipse mandaverit de quo tamen nihil fiat aliud nisi quod Priori placuerit.

Ad cujus textus ideo sensum reducitur praedicta conventio instrumenti, quod si eidem oblato aliquid in futurum obvenerit illud frui deberet in vita scilicet, sub beneplacito Abbatis non destruendo antecedentem formam datam in eodem rescripto supplicationis pro admissione facienda ad formam juris, et votum paupertatis pari modo praecedenter emissum, quodque hujusmodi dispositiones semper sint intelligendae dependenter ab arbitrio et voluntate superioris quatenus etiam opus esset verbo, impropriae, ne induceretur repugnantia voto paupertatis, late *Buratti decis. 684; Rota decis. 405. 410. p. 16.*

Et praeterea in nihilo turbat decretum hujus S. C. impressum in bullar. Cassin. constitut. 600 tom. 2, volens quod oblati nihil possint sibi reservare neque etiam quoad usum fructuum, quia non loquitur in hac oblatione facta ad formam juris et cum expresso voto paupertatis, ex quibus iste oblatus nihil in substantia (dato quod sub illo incerto eventu ei aliquid acquiri posset) retineret, nisi Abbas id ei vellet permittere, ad instar annui vitalitii seu livellorum quae communiter religiosi sibi in professione reservant sub libera semper dispositione monasteriorum, quibus statim acquiruntur ex decisionibus supra allatis, nec ideo desinunt esse vere religiosi.

Ultra quod dictum decretum loquitur ad effectum privilegii fori atque exemptionis a collectis, qui non est casus praesens, in quo solum agitur: an iste oblatus valuerit per suum Abbatem ad minores ordines promoveri, et de capacitate ex illius parte (tam-

quam subditi et de corpore monasterii et Monachorum privilegiis gaudentis ex suprad.) non videtur dubitandum.

Capacitas vero ex parte Abbatis eosdem ordines conferendi habetur a privilegio *Innocentii III. Bullar. Cassin. tom. 1. const. 22. num. 9* his verbis: »Minores autem ordines Monachis suis idem Abbas dummodo sit presbyter de nostra poterit indulgentia cum necesse fuerit exhibere«; notatis praesertim illis: Dummodo sit presbyter, sicque non requiritur quod sit benedictus et hoc privilegium iidem verbis denuo concesserunt *Honorius III. dicti Bull. constit. 25 eod. num. 3., Gregorius IX. constit. 30., Innocentius IV. const. 33*, ibi: Monachis et Clericis sibi subjectis; et omissis aliis *Alexander IV. constitut. 36 eodem Bullar. Cassin. tom.* 1.

Non obstat quod dicta privilegia sint directa Abbatibus quorumdam monasteriorum particularium, quia Eugenius IV. omnia privilegia concessa uni monasterio congregationis Cassinens. caeteris omnibus ejusdem congregationis communicavit *in sua const. 58. Item Alexander VI. constit. 22. et Leo X. const. 129.*

Minus urget quod eadem communicatio atque extensio loquatur de privilegiis monasteriorum, primo, quia ex se nullis privilegiis uti valent, sed bene Monachi qui ipsa monasteria informant atque constituunt, quorum Abbas est caput eosque repraesentat, secundo rursus, quia in dicto privilegio Innocentius IV. in citata const. 33. verba sua dirigit tum ad Abbatem quam ad monasterium, ibi: Tibi et monasterio tuo etc.; tertio etiam quia quaelibet dubietas quae circa dicta privilegia cadere posset favore semper ejusdem congregationis est interpretanda, ut post Alexandrum VI. sancivit *Paulus III. constit. 156. num. 45.*

Similiter non turbat quod Abbas qui ordines de quibus agitur contulit non esset benedictus; nam praefata privilegia hanc qualitatem in Cassinensibus non requirunt, sed tantum, quod sint presbyteri, ut in *alleg. const. 22.* et aliis supracitatis. Alias enim hujusmodi Abbates Cassinen. deberent esse benedicti observando quod, licet sint Abbates perpetui, non tamen semper manent in eodem monasterio sed procedunt per triennium ad regendum modo istud modo alterum. Atque in effectu nec Abbas hujus monasterii s. Pauli nec caeteri, de quibus nominatim loquuntur praefata privilegia, erant neque sunt benedicti.

Dependet enim ista facultas ordines conferendi a privilegio usus Pontificalium, quibus gaudent cuncti Abbates Cassin. ut *in dicto Bullar. Cassinens. tom. 1 constit. 2; const. 7. per tot. constit. 9. num 7. constit. 14. num. 4.* Cum aliis pluribus relatis in indice Bullar. verbo: pontificalium insignium usus in princip.

Quodque non requiratur Abbates Cassinenses esse benedictos sed sufficiat illorum electio facta a capitulo generali expresse disponitur per Eugenium IV. eodem *Bullar. Cassin. tom. 1. const. 57, num. 20 et const. 72, num. 2.*

Neque sacri concilii Tridentini decretum circumstantiam benedictionis exposcit, sed tantum vult quod Abbates non possint aliquem ordinare, qui regularis subditus sibi non sit, ut in *sess. 23, cap. 10.*

Et in effectu haec S. C. facultatem minores ordines per Abbates Cassinenses conferendi semper admisit ut in decreto sub die 10. Septembris 1614 impresso in *eodem Bullario Cassinens. const. 275*, ibi: Et semper Abbates congregationis hujusmodi libere mitra et baculo postorali usi fuerunt; calices, altaria, in quibus unctio requiritur, paramenta, lapides consecrarunt et benedixerunt, minores ordines suis subditis contulerunt et alia Pontificalia exercuerunt et in tali possessione semper extiterunt et de praesenti sunt vigore supradictorum et aliorum privilegiorum.

Idem etiam supposuit in decreto 13. Novembris 1641, in quo firmavit hos Abbates Cassinenses habentes jura episcopalia usumque mitrae et baculi et benedicendi ac facultatem primam tonsuram et minores ordines conferendi, (sunt verba praecisa, posse solum transeundo cum dicta dispositione conciliari *cap. 10. sess. 23)* hos ordines conferre suis subditis regularibus non autem regularibus alterius congregationis vel ordines etiam habentibus literas dimissorias superiorum suorum. Quod decretum fuit ab Urbano VIII. die 17. Januarii 1642 confirmatum.

Atque iterum supposuit sub Alexandro VII. Etenim cum sub die 27. Septembris 1659 *) in responsione ad §. 17 usus Pontificalium fuisset restrictus ad tres tantum dies cujuslibet anni suggerentibus Monachis indecorum videri ut in ordinibus conferendis, in

*) Vd. *Usus Pontif.* (modus etc.)

consecrationibus, receptionibus et professionibus Monachorum ac Monialium Abbates mitram non adhibeant, S. C. censuit indulgendum fore ut ea tantum utantur in actu ordinationum et benedictionum cum oleo sacro.

Et quoad Abbates Casinenses: fruantur omnibus privilegiis ut benedicti, habetur quoque ex declaratione ad cap. 64. regulae s. Benedicti a s. sede apostolica approbata sub n. 2.

»Qui Abbates ex indulto sanctae sedis apostolicae habent omnia privilegia et insignia et jurisdictionem quam Abbates perpetui et benedicti habere consueverunt. Quod enim nostri nunc ut olim non benedicantur solemniter, indultum fuit ad favorem Congregationis, non in detrimentum, ut ex privilegio Eugenii IV.«

Quare etc. Hyppolitus Ursellius.

(Anal. J. P. 1866. p. 2201.)

M u t i n e n.

Ordinum.

Pro validitate ordinationis omnino respondendum videtur. Siquidem facultas et habilitas tam ex parte ordinantis quam ex parte recipientis concurrit. Fx parte quippe ordinantis ea controverti non potest, cum Abbates habeant potestatem suis subditis regularibus conferendi minores ordines, ut *per text. in cap.: Abbas, §. Nec iis, de privilegiis, in 6.* tradunt *cap. alleg. 138. n. 6; Barbosa in dict. cap. Abbas, n. 7 et Suarez de relig. in tom. 4. lib. 2. cap. 29. n. 5. et 6; Gratian. discept. cap. 791. n. 2; Pasqualig. ad Lauret. de Franc. qu. 1. n. 10; Tamburin. de jure Abb. tom. 2. disput. 7. qu. 3. et disp. 14. qu. 14. et 15; Mirand. in manual Praelat. tom. 1. qu. 38. concl. 2.; Pignatell. consult. 59. n. 15; Rota decis. 731. part. 1. divers.*

Haecque facultas Abbatibus Casinensibus competitit etiam ex privilegio summorum Pontificum Innocentii III. *bullar. Casin. tom. 1. const. 22. n. 9*, ibi: Minores autem ordines monachis suis idem Abbas dummodo sit presbyter de nostra poterit indulgentia cum necesse fuerit exhibere, Honorii III. const. 25. n. 9, Gregorii IX. const. 30. par. n. 9, Innocentii IV. const. 50; ibi: Tibi et monasterio tuo favorem apostolicum sentias accrevisse conferendi primam tonsuram et quatuor minores ordines monachis et clericis, tibi et successoribus tuis in perpetuum concedimus authoritate praesentium facultatem; et Alexandri IV. const. 56. Eaque praesupposita et praeservata fuit per decretum S. Rituum Congregatis approbante sa. me. Alexandro VII. 27. Septembris anni 1659 declarando decretum restrictivum usus Pontificalium, ut scilicet possint Abbates Casinenses uti mitra in actu ordinationis et benedictionum cum sacro oleo.

Et licet praefata privilegia concessa legantur Abbatibus particularibus monasteriorum, ea tamen per amplissimam communicationem toti congregationi per fel. record. Eugenium IV. (indultum de quo in dicto bullar. Casin. in const. 58 n. 20) omnibus monasteriis eorumque Abbatibus communia effecta fuerunt. Ita enim statutum legitur: Quodque omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, quae cuilibet dictae congregationis monasterio seu loco ex praesentibus et futuris concessa fuerint hactenus et concedentur in futurum, ipsius congregationis alia monasteria et loca praesentia et futura, quibus hujusmodi privilegia concessa non fuerint, in quantum eis expediat, invicem uti valeant et gaudere ac si nominatim singulis ipsis monasteriis fuerint hujusmodi privilegia concessa, autoritate praefata concedimus et indulgemus. Quam communicationem confirmavit Alexander VI. eodem bullar. const. 110. n. 22. et Leo X. constit. 129. Eamque referunt *Pasqualig. quaest. moral. q. 247.; Murg. ad const. Bened. cap. 16.* Qua stante communicatione privilegia fuerunt effectu communia eorumque usus cuilibet monasterio competit perinde ac si fuissent singulis specialiter concessa, ut monet *Gratianus citat. disp. 791.; Murg. ad const. Bened. const. 6; Rota dec. 30. p. 8. rec. tom. 2. et dec. 348. p. 11*, et in praecisis terminis competentiae facultatis conferendi ordines tradunt *Gratian. disc. 87. et cit. 791 n. 9.; Suar. de relig. tom. 4. lib. 2. cap. 29.; Tambur. De jur. Abb. tom. 1. disp. 11. qu. 13.; Pignatell. cons. 156. tom. 5.*

Neque obstare potest quod communicatio privilegiorum intelligenda sit de indultis concessis monasteriis et quae propterea evaserunt et per communicationem participabilia non de iis, quae tributa fuerunt Abbatibus et quae cum eorum persona expirarunt. Quoniam in casu nostro privilegia conferendi ordines, licet directa Abbatibus particularibus, quibus tribuebatur illorum exercitium, sunt tamen concessa monasterio, cum de illis legantur

verba: *Tibi et monasterio tuo*, ac proinde realia censentur ut post *gloss. in leg. quamquam ff. de cens. monent Delbene, de immunit. tom. 1. cap. 5. sect. 18.; Murg. ad const. Bened. const. 6.*, prout etiam satis dicuntur privilegia concessa monasteriis, si fuerint eorum Abbatibus indulta, cum in materia favorabili appellatione monasterii comprehendatur Abbas et Praelatus, ut tradunt *Rodrig. in comp. quaest. regul. resol. 2. n. 16., Donat. quaest. regular. tom. 1. tract. 6. qu. 19.*, praesertim cum in privilegio Innocentii IV. habita fuerit mentio successorum, ibi: *Tibi et successoribus tuis in perpetuum;* quae privilegii perpetuitatem inducit et durationem de tempore communicat, quae insuper, utpote favorabilis, est amplissime interpretanda in favorem ipsius congregationis *ex const. fel. record. Pauli III. in dicto bull. const. 156.* praecedentes approbante, et firmat *Paris. cons. 22. lib. 4.; Rot. dec. 30. p. 4. rec. tom. 2.*

Haec autem facultas ordinis conferendi Casinen. Abbatibus concessa non requirit eorum benedictionem copulative prius requisitam cum qualitate sacerdotis *per text. in cap.: Cum contingat, de aetate et qualit. ordinan.* Benedicto siquidem necessaria existimari posset si facultas ordines minores conferendi praetenderetur tantum ex dispositione juris utrumque requisitum exigente, sed cum ea competat ex privilegiis tantum requirentibus qualitatem sacerdotalem, et praesertim Innocentii III., qui condidit praefatum decretalem in dicto capitulo: *Cum contingat*, adeoque bene conscius erat utriusque requisiti per dispositionem septimae synodi, ad quam in illa se retulit, et ita dum in privilegio, quod de sui natura juris rigorem relaxat, ex traditis per *Donat. quaest. regular. tom. 1. tract. 2. q. 1. per totum*, unam tantum praeservavit, censeri debet quod aliud remiserit; si enim utrumque praeservare voluisset, aliud pariter expressisset, ut arguit *Mans. consult. 374.*

Cessatque omnis difficultas attento claro privilegio concesso per Eugenium IV. et Julium II. Abbatibus triennalibus praedictae congregationis exercendi omnia ea, quae ipsis competunt ratione dignitatis abbatialis, quamvis benedicti non sint, ut in eodem bullario *tom. 1. const. 57.* Ex quo communiter inferunt doctores etiam absque benedictione praefatis Abbatibus competere facultatem ordines conferendi, et praesertim *Rodrig. in compend. quaest. regul. resol. una n. 3; Suarez de relig. tom. 4. lib. 2. cap. 29; Mirand. in manual. Praelat. q. 38. art. 9.; Tambur. de jure Abbatum tom. 2. disp. 2. q. 3; Diana coordin. p. 2. tract. 5. resol. 81; Pignat. citat. consult. 156. tom. 4.*

Eaque licet ex abundanti reddi potest ratio quod benedictio non est adeo necessaria, ut sine ipsa non possint Abbates ordines conferre, ut per *text. in cap. 1.: De supplenda neglig. Praelat.* monet *Suarez de relig. lib. 2. cap. 29.*, ubi, quod Abbates non constituuntur in suo munere per benedictionem sed per electionem et confirmationem, et quod illa est veluti quoddam ornamentum. *Mirand. in manual. d. q. 38. art. 3; Tamburin. de jur. Abb. tom. 1. disp. 11. q. 3*, qui affert aliam rationem quod benedictio tamquam perpetua et non reiterabilis congruere non competit Abbatibus temporalibus, ut sunt Abbates nostrae congregationis mere triennales; et propterea dum ipsis competit facultas ordines conferendi, eam absque benedictione procul dubio exercere possunt.

Ex parte quoque recipientis concurrit habilitas. Per susceptionem siquidem status regularis in solemni oblatione facta cum emissione trium votorum vivendo intra claustra monasterii et religioni inserviendo evasit subditus Abbatis, a quo minores ordines et literas dimissoriales pro sacris ordinibus recipit, ut tradunt *Covarucia in cap.: Alma Mater, vers.: Oblatus vero; Navarr. in manual. cap. 27. n. 79; Sayr. de cens. ib. 9. cap. 26. vers.: Hoc tamen; Mart. de jurisd. cent. 2. cas. 13.*, ubi refert ita fuisse decisum per S. C. sub die 26. Januarii 1608; *Duard. in bullar. Canae, lib. 2. can. 17; Fagnanus in cap.: Ut privileg. per tot. de privileg.* Et quod oblati gaudeant omnibus privilegiis regularium declaratur in constit. s. Patris Bened. *cap. 58. n. 23.*

Non relevante unica difficultate, quae posset excitari ob reservationem usus fructus haereditatum seu bonorum, quae ipsi vita durante obvenire contingeret, quae repugnare videtur voto paupertatis et oblationi bonorum copulative requisitae cum oblatione propriae personae. Ultra quod enim non desunt bonorum oblationem non enunciantes inter substantialia requisita, quae specificant in gestatione habitus et in inserviendo religioni ac permanentia in monasterio, ut prae aliis *Coverucia in d. cap.: Alma Mater vers.: Oblatus vero; Rodriguez. quaest. regular. tom.*

2. q. 122. art. 1; Squillant. de privileg. cler. cap. 7. n. 43., Grassis de effect. cleric. effect. 1. num. 98. Nec oblati per reservationem alicujus portionis bonorum, si sub obedientia vivant inter claustra, desinunt proprie esse subditi Abbatis et viri ecclesiastici, ut monent *Tassi in auth. ingress. de sacros. eccles.; Sanch. decis. 191.*, distinguentes inter plene oblatos et non plene oblatos et admittentes in primo casu posse oblatos intra claustra viventes aliquid sibi pro alimentis reservare.

Reservatio hujusmodi, quatenus repugnaret plenae atque perfectae oblationi, dici deberet contra intentionem contrahentium et ita potius ipsa vitiaretur quam actum vitiaret; intentio enim subditi fuit se plene offerendi cum emissione trium votorum substantialium et intentio superioris fuit illum recipiendi ad formam juris et constitutionum. Unde, cum ex juris dispositione religiosus non possit sibi absolute aliquid reservare independenter a voluntate superioris ad usum irrevocabilem, ut firmat *Tondut. quaest. benef. p. 3. cap. 197*, affirmandum erit quod dicta reservatio intelligenda sit compatibiliter cum voto paupertatis, maxime cum agatur de reservatione juris eventualis, prout est haereditas obventura, ut monet *Tondut., ibi n. 9. vers.: Neque obstat.* Et sicut vitiaretur conditio in legato facto regulari, quod bona legata possideat contra institutum sui ordinis, ut probat *Menoch. cons. 1014. n. 31*, ita quoque vitiari debet reservatio usus fructus contraria voto paupertatis emisso in oblatione, ut in simili arguit *Menoch. dict. cons. 1014. n. 32*, vel intelligi debet dependenter a nutu superioris quoad simplicem usum revocabilem. ut in terminis relicti pro religioso conventuali in actu professionis cum pacto quod nihil amplius praetendere possit, quod illud non impediat eidem acquiri haereditatem postea obvenientem, ita ut transactio super illa inita non substineatur, firmat *Tondut. cita. cap. 197.*

Tandem nec etiam obstat decretum hujus s. congregationis relatum *in bullario Casin. tom. 2. constit. 600.* prohibente reservationem quamvis minimam bonorum in proprietatem vel usumfructum fieri per oblatos, quod etiam refert *Barbos. in Collect. bull. verb.: Oblati n. 4.* Illud enim procedit ad effectum gaudendi privilegio fori, nec loquitur in plene oblatis, qui habitum mutaverunt et vivunt intra claustra sub obedientia superioris, inserviendo religioni, qui est casus noster, quibus requisitis concurrentibus etiam inspecta dispositione *sac. concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 9. vers.: Exceptis iis*, verificatur plena exemptio a jurisdictione Episcopi et subjectio superiori regulari, ut probant *Spada cons. 157. lib. 1; Fagnanus in cap.: Ut privilegia, n. 27. et seq. de privileg.; Card. de Luca de jurisdict. disc. 27. n. 7. et seqq.*

Prout etiam praefatum decretum non loquitur de oblatis ad formam juris, ut pariter in casu nostro. Haec enim oblatio est intelligenda ut quatenus reservatio repugnet vel pro non facta haberi debeat, vel explicanda est compatibiliter cum dispositione juris, scilicet dependenter a voluntate superioris, ac demum in nullo ex casibus in dicto decreto enunciatis prohibetur reservatio eventualis et incerta usufructus bonorum futurorum. Et praeservatur consuetudo religionum, quae cum in casu nostro vigeat, ita oblationes admittendi, multo minus hujusmodi reservatio per dictum decretum improbata censeri debet, et in omnem casum semper exuberaret bona fides tam respectu Abbatis ordinantis quam respectu subditi ordinati.

»Quare etc. Joannes Baptista Bottinus Adv.«

(Ibid. p. 2204.)

M u t i n e n.

Ordinationis.

»Postquam Carolus de Vicentia in statu »commissi per annos sexdecim inservierat »monasterio s. Petri civitatis Mutinae con»gregationis Casinen. ab illius Abbate obti»tinuit recipi in oblatum et subinde ab eo»dem Abbate ad minores et de ejusdem li»centia ab Episcopo Regiensi (ex quo tunc »aberat Mutinen. Episcopus) ad sacros ordi»nes promotus fuit et in eis ministravit.«

»De suae ordinationis validitate postea »dubitans recursum habuit pro declaratione, »et quatenus opus sit, dispensatione ad poe»nitentiariam, a qua preces ad hanc s. con»gregationem remissae fuerunt.«

»Difficultas in eo consistit: An orator ad »ordines minores promoveri potuerit ab Ab»bate praedicto?«

»Sicut enim in privilegiis apost. et sig»nanter ab Innoc. et Honorio III. et Gre»gorio IX. dictae congr. concessis inter caetera

»haec habentur: Minores autem ordines mo»nachis suis idem Abbas (dummodo sit pres»byter) de nostra poterit indulgentia, cum »necesse fuerit, exhibere.«

»Ita in declaratione regulae s. Benedicti »per sedem apostolicam confirmata *cap. 58. »n. 23.* legitur: Oblati non recipiantur »nisi ad formam juris et gaudeant nostris »privilegiis.«

»Et in decreto generali de Abbatis ab »hac s. congregatione edito jussu sa. me. Ur»bani VIII. statuitur quod ad effectum, ut »oblati dici possint personae ecclesiasticae et uti »tales gaudere debeant privilegio fori et ex»emptione a vectigalibus, inter caetera opus »est, ut perpetuo et irrevocabiliter, plene et »cum effectu seipsos et bona sua omnia prae»sentia et futura nulla prorsus quavis minima »eorum portione neque in proprietatem ne»que in usumfructum sibi reservata religioni »obtulerint prout latius videre est ex dicto »decreto et illius declarationibus apud plu»res auctores impressis et signanter *Bar»bosa de jure eccles. lib. 1. cap. 301. §. 2; »Novar. in lucern. regular. in verb.: Oblati; »Lezana tom. 1. p. 2. cap. 8. n. 8; Donat. »rer. regul. tom. 2. tract. 13. n. 10. et 11.*«

»In oblatione autem quam de se suisque »bonis orator fecit ante sibi collatos ab Ab»bate minores ordines haec habentur: Che »se in avveniri esso D. Carlo ereditera, o »acquistera cosa alcuna, la debba godere sua »vita durante, e doppo la sua morte resti »tutto al monastero«.

»Caeterum orator ipse in actu dictae ob»lationis tria vota castitatis, paupertatis et »obedientiae, simplicia tamen juxta oblato»rum morem emisit«.

»His ergo perpensis Emi PP. respondere »dignabuntur:«

»*1. An ordines minores fuerint valide ora»tori collati ab Abbate?* Et quatenus affir»mative;«

»*2. An etiam licite?* Et quatenus nega»tive;«

»*3. An ordines sacri fuerint eidem oratori »licite collati ab Episcopo Regiensi?* Et qua»tenus negative;«

»*4. An super hujusmodi illicita ordina»tioni et irregularitate ex causa ascensus ad »ordines sacros non obstante suspensione at»que exercitii eorumdem sacrorum ordinum »contracta cum oratore sit dispensandum?*

»S. C. rescripsit: Dilata et melius infor»ment super facultate conferendi ordines in »Abbate non benedicto. Die 15. Jan. 1689«.

(Ibid. p. 2207.)

H i s p a l e n.

Lucas Franciscus Rodriguez de la Barrera ex oppido de Alcolea, quod jurisdictioni subest sacri equestris Ordinis Hierosolymitani, suffultus dimissorialibus literis Vicarii a commendatario ibidem deputati, primam tonsuram et minores suscepit ab Abbate claustrali s. Antonii del Tardon ordinis s. Basilii. Cum vero domicilium postea transtulerit intra limites archiepiscopatus Hispalensis et apud eminentissimum Archiepiscopum instetisset, ut ad ordines promoveri posset, dubibitatum tunc fuit de ordinum validitate; idcirco Lucas adeundam censuit apostolicam sedem pro obtinenda venia et rehabilitatione. Fusius de re actum fuit in folio istius causae, quod est ad diem 18. Septembris anni elapsi et opportune resumi nunc poterit ibique plura perpensa sunt, quae conferre posse videbantur.

Omnibus tamen ad examen revocatis in sequenti congregatione diei 27. Novembris dilata fuit resolutio, et quia multa deducta extiterant de privilegiis ordinis s. Basilii ejusque Abbatibus concessis mandatum idcirco dederunt EE. PP., ut ab ejusdem ordinis Procuratore generali hujusmodi privilegia accuratius inquirerentur, edito rescripto: *Dilata et ad mentem.*

Itaque Procurator generalis in sua relatione EE. VV. circumferenda, postquam originem et institutum congregationis monasticae s. Basilii narravit, subdit, suum ordinem fuisse a summis Pontificibus iisdem privilegiis et praerogativis decoratum, quibus Congregatio Casinensis s. Justinae ornata fuerat; quin immo ordini s. Basilii tamquam propria concessa fuisse ea omnia, quae per communicationem Congregationi Casinensium fuerant impertita. Is autem patere ex constitutione san. mem. Gregorii XIII., cujus verba jam transcripta sunt in praeterito istius causae folio et hanc constitutionem confirmatam fuisse a san. mem. Clemente VIII. per aliam constitutionem incipientem: *Quae ad restituendos 4. Calend. Novembris 1592 tom. 5. bullar. nov. part. 1.* Idipsum quoque deprehendi ex aliis literis in forma brevis san. mem. Pauli V., quibus initium: *Injuncti Nobis* tom. 5. bullar. nov. part. 3.; in qua re-

lata constitutione Gregorii XIII. relatisque privilegiis, gradiis et immunitatibus ordini s. Basilii concessis, eadem omnia apostolica auctoritate probata et confirmata fuerunt his verbis: *Ac praedicta omnia privilegia cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et declarationibus, quarum tenores, etsi de verbo ad verbum inserentur, praesentibus pro sufficientur expressis haberi volumus, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus ..... illasque et illa ordini praedicto illiusque Abbati generali et Abbatibus prioribus aliisque Superioribus et Fratribus suffragari eosque universos et singulos illis frui, uti et gaudere, ubi, quando et quoties opus fuerit, posse et debere in omnibus et per omnia etc.*

Inter caetera privilegia vero congregationi Casin. concessa animadvertit illud praecipue recenseri, quo illius Abbatibus facultas tributa noscitur ea omnia peragendi, quae fiunt ab Abbatibus benedictis, etiamsi benedictionis munus non acceperint. Ad hoc probandum profert constitutionem san. mem. Eugenii IV. *3. Kalend. Januarii anni 1434* relatam *a Margarin. in bullar. Casinens. tom. 1. pag. 57. sub num. 4*, quae ita se habet: *Praedictique* (Abbates) *sic electi seu nominati absque alicujus sedis praedictae vel alterius provisionis adminiculo, et praeter hoc, quod eis propterea munus benedictionis impendatur, ipsis monasteriis et prioratibus, ad quae sic electi et nominati fuerint regere et gubernare, nec non omnia et singula, quae per Abbates aliorum monasteriorum et locorum dictae congregationis juxta illius statu et constitutiones hujusmodi fieri poterunt, facere et exercere libere et licite possint et valeant.*

Et cohaerent aliae ejusdem Pontificis constitutiones, quarum una incipit: *Etsi quaslibet*, altera: *Regularem*, et alia: *Romani Pontificis*, relatae pariter *a Margarin. loco cit. pag. 7. sub num. 3. pag. 73. et pag. 82. num. 2.* et in *bullar. nov. inter constitutiones Eugenii IV. tom. 3. part. 3*, quas omnes constitutiones summi Pontifices Alexander VI. et Leo X. postea confirmarunt, ut apud eundem *Margarin. loco citat. pag. 105. et pag. 124. tom. 3.*

Infert ex his Procurator generalis easdem omnino facultates competere Abbatibus ordinis s. Basilii, etiamsi benedictionem non acceperint, praesertim quia a tempore, quo idem ordo in congregationem fuit redactus, scilicet ab anno 1579, ad hanc usque diem Abbates ante benedictionem eorumdem privilegiorum vigore ea omnia gerere consueverunt, quae ab Abbatibus benedictis peraguntur et praecipue suis subditis primam tonsuram et minores ordines contulerunt.

Praeter haec habenda prae oculis sunt, quae statuit Alexander III. in *cap.: De supplend. neglig. Praelat.*, quod nempe, *si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione requisitus Abbates benedicere renuerit, eisdem Abbatibus liceret proprios monachos benedicere et alia, quae ad hujusmodi officium pertinent, exercere.* In explicatione istius decretalis observat *Tamburin de jur. Abb. disput. 11. num. 1. 3. et 4, quod benedictio non est simpliciter necessaria ad acquirendam potestatem ordinis: si enim fuisset simpliciter necessaria summus Pontifex in negligentiam vel contumaciam Episcopi dioecesani tradidisset Abbatibus facultatem eligendi potius quem maluissent Episcopum quam absque benedictione exercendi omnia, quae ad eorum officium pertinere noscuntur.* Et allegat rationem *num. 6. et seq.* his verbis: *Insuper haec benedictio non imprimit characterem neque est a Christo Domino instituta, itaut ad talem potestatem acquirendum simpliciter necessaria reputanda sit.*

Viderunt EE. PP. quod respondendum sit dubio, quod denuo proponitur:

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo in casu?

S. C. resp.: Consulendum Sanctissimo pro absolutione et rehabilitatione ad ordines.

Die 12. Mart. 1774.

F r i s i n g e n.

Postulat Abbas monasterii sanctorum Petri et Pauli ordinis Canonicorum regularium d. Augustini Weyarensis, ut amplissimi Patres definiant: An ipse possit primam tonsuram minoresque ordines suis subditis regularibus conferre etiam absque episcopali benedictione, quod etsi ejus praedecessores, quibus facultas utendi mitra et baculo aliisque insigniis pontificalibus juxta morem Abbatum regularium benigne data fuit ab Innocentio XII. Pontifice Optimo Maximo, omnia exercuerint, quae Pontificalia respiciunt, habito, ut opus erat, Episcopi assensu, ab ordinum tamen collatione abstinuerint; hos autem conferre ipse cupit, ne ejus subditis plurima subeunda sint itineris non brevis incommoda, hyemali praesertim tempore, et bellorum, quae ni-

mium frequenter exardescunt. Ut enim Abbates regulares, qui Pontificalium usum habent, facultatem quoque habent minores ordines conferendi *ex text. in can. 1. et 2. dist. 21. et cap.: Abbates de privileg. in 6.* et late monent *Butrius in cap.: Cum inter de sentent.* et re jud.; *Fagnan. in cap.: Cum contingat num. 1. et 2. De aetat. et qualit.; Tamburrin. de jur. Abbat. vol. 2. quaest. 1. num. 8.*, atque omnes fere pontificii juris interpretes, ita Abbas monasterii ss. Petri et Pauli eamdem sibi esse facultatem contendit, quod ab aliis regularibus Abbatibus non sit dissimilis: nec referre a summo Pontifice Innocentio non fuisse expresse tributam, satis enim esse potestatem atque usum concessisse Pontificalium, e quibus jus venire putat minores ordines primamque tonsuram conferendi, non alia ratione ac illis, qui inter S. R. C. Cardinales allecti sunt, sine ullo particulari privilegio fas est, familiares suos tonsura minoribusque ordinibus insignire ex vetustissima consuetudine de qua *Jo. Andreas in cap. 1. de supplen. neglig. Prael.; Barbosa de offic. et potest. Episc. par. 2. alleg. 3. n. 15.; Clericat. de sac. ordin. dec. 14. num. 7.*

Ex his rem eo deducit Abbas, ut inquiramus: An praecedere necessario debeat episcopalis benedictio, quam accipere Abbates tenentur, priusquam Pontificalia exerceant; ipse autem ea opus non esse putat, quod non ex necessitate accipiatur; electione siquidem et confirmatione, non vero benedictione episcopali Abbas fit et cum ex apostolico privilegio potestatem habeat Pontificalia exercendi, idem hoc esse ac si benedictionem accepisset episcop., ut diserte habent *Barbos. de offic. et potest. Episc. par.* 2. *alleg. 3. n. 6; Ugolin. de offic. Episc. cap. 26. §. 19. num. 1; Donat. in prax. regul. vol. 2. de Regular. promov. tractat. 3. quaest. 34. num. 1.* et ita definivit sacrum hoc Tribunal in causa *Panormitana* 16. Mart. 1644, ut est apud *Murgam* in comment. ad constitut. apostol. post constit. 12. num. 5. et *Pignatell. in compend. canon. par. 1. tit. de Abbat.* atque in alia causa *Uratislavien.* 12. Febr. 1724, quae edita fuit in thesaur. resol. s. Congreg. vol. III. pag. 19., ubi adjecta est luculentissima adnotatio sacratissimi Principis nostri, cum munus a Secretis sanctae hujus Congregationis gereret, quamque oculis subjicere poterunt amplissimi Patres, quod in ea omnis haec res distincte atque eleganter discutiatur. Nihil autem obesse, quod in constitutione Benedicti XIII. Pontificis Optimi, cujus initium est: *Communis nobis etc.*, edita vero est »post romanum Concilium« praecipiatur, ut Abbates regulares benedictionem infra annum ab Episcopo accipiant, nam in §.: *Quo vero* ejusdem constitutionis excipiuntur ii, qui a summis Pontificibus privilegium habent ea post electionem gerendi, quae agunt omnes Abbates benedicti, et quod rei caput est in eadem constitutione iis tantum anni tempus statuitur, qui illam accipere tenentur, non vero aut novum onus adjungitur aut ii memorantur, quibus summi Pontifices usum concessere Pontificalium. Atque haec Abbas: Episcopus, qui, ut opus erat, rogatus fuit de sententia animi sui aperte respondit, nihil habere, quod excipiat contra id, quod declarare poterunt amplissimi Patres. Haec igitur dubia definienda proponuntur:

I. An Abbates monasterii ss. Petri et Pauli Weyaren. primam tonsuram et minores ordines suis subditis regularibus conferre valeant? Et quatenus affirmative;

II. An hujusmodi facultas competat antedictis Abbatibus absque benedictione episcopali in casu?

S. C. C. resp. ad 1: Negative, et amplius.
ad 2: Provisum in primo.
Die 3. Apr. 1745 et 17. Sept. 1746.

b) Privilegiorum usus.

Abbatem non benedictum et non habentem privilegium Pontificalium a sede apostolica non posse neque debere sub praetextu, quod monasterium fuerit alias unitim congregationi Vallisoletanae privilegio Pontificalium gaudenti, celebrare missam et alia Pontificalia exercere, cum illud privilegium (a Clemente VIII. concessum) sit restrictum ad Abbates *benedictos* tantum et ad proprias ecclesias ordinis; neque Episcopo licere, dare seu ampliare propria auctoritate gratiam non concessam seu limitatam a sede apostolica. N. 538 die 8. Maii 1617.

12) Casinensis.

a) Benedict. sol. impertiri potest.

Urbanus Episcopus.
Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Andreae Abbati et conventui monasterii Casinen. ad romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, quod nullius dioecesis esse dinocistur.

Salutem et apostolicam Benedictionem.

»Vestrae devotionis sinceritas et religionis promeretur honestas, ut vos et monasterium vestrum speciali favore prosequamur »et condignis honoribus attolamus. Hinc est, »quod Nos vestris supplicationibus inclinati, «ut tu, fili Abbas et successores tui Abbates »dicti monasterii, qui pro tempore fuerint »in dicto vestro et aliis quibuscumque monasteriis, prioratibus et aliis locis etiam »dicto vestro monasterio non subjectis, »in quibus eorum personae secundum regulam s. Benedicti vivunt, licet alterius ordinis quam ejusdem s. Benedicti nuncupentur, »necnon in parochialibus ac aliis ecclesiis ad »personas dictorum monasteriorum, priora»tuum et aliorum locorum communiter vel »divisim pertinentibus, quamvis eis pleno »jure non subsint, benedictionem solemnem »post missarum, vesperarum et matutinorum »solemnia, dummodo in benedictione hujus»modi aliquis Antistes vel sedis apostolicae »Legatus praesens non fuerit, elargiri possi»tis, felicis recordationis Alexandri Papae IV. »praedecessoris nostri, quae incipit: *Abbates* »et aliis quibuscumque constitutionibus apo»stolicis in contrarium editis nequaquam ob»stantibus, vobis et ejusdem successoribus »auctoritate apostolica de speciali gratia te»nore praesentium indulgemus. Nulli ergo »omnino hominum liceat hanc paginam no»strae concessionis infringere vel ei ausu »temerario contraire. Si quis autem hoc at»tentare ausus sit, indignationem Omnipoten»tis Dei et b. Petri et Pauli Apostolorum »ejus se noverit incursurum. Datum Romae »apud s. Petrum V. Nonas Martii Pontifica»tus nostri anno octavo.«

b) Jus.

Vd.: *Abbas Casin.* (privil. circa usum Pontif. etc.)

Dilecto Filio Sebastiano Gadaletae Abbati Montis Casini ordinis s. Benedicti.

Benedictus Papa XIII.

Dilecte fili, Salutem et apostolicam Benedictionem.

»Qui prosperum fecit Nobis iter Deus »Salutarium nostrorum, cum ad visitandam »Beneventanam nostram Metropolim Deoque »dicandam ecclesiam in b. Philippi Nerii ho»norem a Nobis ibi extructam accessimus, »gaudio nostro cumulum adjecit, cum ad hanc »almam Urbem regredientibus dedit, ut in»stante tua filiali pietate, solemni ritu conse»craremus templum istud religione et sanc»titate celeberrimum. Quod enim sanctissi»mus patriarcha Benedictus, ethnicae super»stitioni ereptum christianis sacris expiave»rat, tum Zacharias anno 748 post Langobardicam vastitatem, post Saracenicum in»cendium anno 1071 Alexander II. praede»cessores nostri, clarissima vestri ordinis »lumina, renovatis caeremoniis inauguravе»rant, vehementer angebamur, novis quidem »temporum injuriis labefactatam terraeque »motu dejectum, sed magnificentius nostra »aetate instauratum ac restitutum, cum ex»ternam vetustae molis majestatem vinceret, »mystica amissae consecrationis dignitate ca»rere. Voti tamen jam compotes illud studiis »nostris superesse intelligebamus, ut eorun»dem praedecessorum nostrorum exempla pro»sequentes susceptam laetitiam perenni pon»tificiae liberalitatis monumento consignare»mus novisque benevolentiae argumentis te«statum faceremus amorem nostrum erga »Casinense monasterium totius inclyti ordinis »caput, quod iterum et tertio invisimus, ju»cunda veteris sanctimoniae recordatione et »suavissimo florentis inter vos disciplinae odore »illecti praecipuaeque religionis stimulis ex»citati. Libenti proinde laetoque animo com»plexi sumus opportunitatem oblatam per »demissas preces, quas tuo nomine Nobis »exposuit dilectus filius Seraphinus Tausius »istius congregationis Procurator generalis, »prudentiae laude et virtutis meritis charitati »nostrae inprimis acceptus; postulationibus »igitur tuis annuentes cupientesque, ut ce»lebritas dedicationis tum ecclesiae tum arae »maximae, a Nobis perpetuo privilegio pro »animabus defunctorum locupletatae, quam »die 19. mensis Maii peregrinus atque in »diem primam mensis Octobris quotannis »recolendam transtulimus, solemniori memoria »renovetur, proprias in officio lectiones se»cundi nocturni jam rite probatas, ab uni»verso clero saeculari et regulari totius dioe»cesis Casinensis, eadem illa die prima Octo»bris recitandas esse decernimus, qua nimi»rum dioecesani clerici de more conveniunt »ad praestandam Abbati seu monasterii prae»fecto obedientiam in ecclesia cathedrali seu »quasi cathedrali montis Casini. Officium »praeterea s. Victoris III. praedecessoris no»stri, qui generis origine civitatem et me»tropolim nostram Beneventanam, abbatiali

»dignitate ac regimine monasterium et con»gregationem istam, hanc denique sanctam »sedem vitae sanctitate rebusque gestis illu»stravit, libenter concedimus, ut die 16. »mensis Septembris a monachis istic degen»tibus celebretur. Ad haec, omnes jurisdi»cendi facultates et jurisdictionis actus a »praedecessoribus nostris concessos Abbati»bus et ex antiqua et immemorabili con»suetudine exerceri solitos, ut sunt, congre»gare synodum, concursum ad conferenda »beneficia ecclesiastica curata, etiam in men»sibus apostolicis, instituere, oeconomos de»putare, commissiones apostolicas, etiam quo»ad dispensationes matrimoniales exequi, sa»crum chrisma a catholico Episcopo conse»cratum confirmando ministrare, suos sub»ditos ad primam tonsuram et ad minores »ordines promovere illisque etiam per suos »Vicarios ad eosdem et ad majores ordines »suscipiendos literas dimissorias concedere, »altaria tam fixa quam portatilia, calices »et sacra vasa consecrare et alia peragere, »quae jurisdictionis quasi episcopalis a nostris »praedecessoribus concessa sunt, ut praedixi»mus et ab immemorabili per Abbates pro »tempore exercentur, confirmamus et quate»nus opus sit de integro concedimus. Quem»admodum etiam singula privilegia a roma»nis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus et »a quibusvis aliis sive ecclesiastica sive sae»culari dignitate praeditis tuo monasterio »collata firma esse volumus; et si aliqua »subsit novae concessionis necessitas, iterum »concedimus et elargimur. Enumeratos autem »jurisdictionis actus exercere licebit Abbati »pro tempore in omnibus locis et territoriis »memoratae dioecesis Casinensis, quae sunt »..... Facultates etiam, quas antecessor nos»ter fel. rec. Gregorius XIII. Episcopis tri»buerat ad ecclesiasticam immunitatem spec»tantibus, ita Abbatibus Casinensibus con»firmamus aut concedimus, ut easdem ad »casus etiam expressos et comprehensos in »apostolicis literis nostris nuper editis et in »appendice concilii romani adjectis liberali»ter extendamus. Denique christifidelium ad »sacram aedem istam confluentium pietati ac »religioni salubriter obsecundare et prospicere »volentes duobus sacerdotibus ad audiendas »confessiones a Casinensi Abbate pro tem»pore existenti eligendis, quos etiam remo»vere possit, facultates omnes elargimur, quae »poenitentiariis sacrae aedis Lauretanae con»cessa sunt. Futurum autem certo confidi»mus, ut studia nostra ad augendam vestri »nominis dignitatem claritatemque monasterii »tam insignis intenta redundare sentiamus »ad monasticae disciplinae incrementum at»que ad luculentius testimonium paternae »benignitatis, qua praeclare animati sumus »erga Casinensem sancti Patris Benedicti fa»miliam de Christi ecclesia egregie meritam »et universum Benedictinum ordinem, unde »tot illustria extiterunt per omnes aetates »documenta virtutum. Dum vero coelorum »Dominum obsecramus, ut rata sint vota »nostra, Tibi, dilecte Fili, apostolicam be»nedictionem peramanter impertimur. Datum »Romae apud s. Mariam Majorem sub an»nulo Piscatoris die 27. Augusti 1727 Pon»tificatus nostri anno quarto.«

Carolus Archiepiscopus Emissenus.

c) Ordinare utrum possit Abbas Casin. non benedictus?

Vd.: *Abbas non benedictus possitne ord. conferre* (decr. *Mutinen.*); *Abbas Casin.* (jus, privil.)

d) Subd. et Diaconat. post Concil. Trid. conferre non potest ut Abbas.

Vd.: *Abbas* (bened. non ab Episcopo etc. decr. diei 12. Febr. 1724 *in Adnotat. Secret.* p. 12. §.: *Verum.*)

e) Praecedentia.

Urbanus V. Episcopus.
Servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

»Specialis benevolentiae plenitudo, quam »ad monasterium Casinense, ad romanam »ecclesiam nullo medio pertinens, ordinis s. »Benedicti, quod nullius dioecesis esse di»noscitur et cui idem vir venerabilis gratia »Benedictus et nomine praefuit, infra nostra »recumbens praecordia gerimus, merito Nos »inducit, ut Praelatos ipsius apostolicis mu»niamus favoribus et gratiosis indulgentiis »honoremus. Ut igitur Abbas dicti monas»terii pro tempore existens, prout ferventibus »desideriis affectamus, congruis fulciatur ho»noribus, auctoritate apostolica, tenore prae»sertim et ex certa nostra scientia concedimus »et etiam ordinamus, quod Abbas praedicti »monasterii, qui est et erit pro tempore, in »conciliis, synodis et aliis quibuscumque locis »ante alios abbates etiam Cluniacen. et Ci»stercien. ac s. Victoris Massilien. et aliorum »quorumcumque monasteriorum, habeat et

»habere debeat primum locum et eos ante»cedat, non obstantibus quibuscumque literis, »privilegiis, indulgentiis apostolicis et aliis »contrariis, quibusvis personis, monasteriis »seu locis concessis, etiamsi de illis et toties »eorum tenoribus esset praesentibus specialis »et expressa ac de verbo ad verbum mentio »facienda, quae nulli, in quantum praesenti»bus obviarent, in aliquo volumus suffragari. »Nulli ergo omnino hominum liceat hanc »paginam nostrae concessionis et ordinationis »infringere vel ei ausu temerario contraire. »Si quis autem hoc attentare praesumpse»rint, indignationem Omnipotentis Dei et »beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus »se noverit incursurum. Datum Romae apud »s. Petrum V. Nonas Martii Pontificatus no»stri anno octavo.

f) Privilegia circa usum Pontifical. et alias functiones.

Vd.: *Usus Pontif.* (modus etc. praecip. decr. n. 5058); *Abbas* (bened. ab Episcopo etc. decr. *Hispanien.* §: *Ambigi* p. 7); *Abbas Casin.* (jus).

Privileg. Abbatum Congreg. Casinens. alias s. Justinae Monachorum Ordinis s. Benedicti utendi Pontificalibus benedicendique populum et consecrandi lapides pro altarium usu.

Pius PP. V.

Sedis apostolicae circumspecta benignitas devotorum consuevit justis annuere votis et his, quae divini cultus respiciunt augmentum animarumque salutem, libenter intendere.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis pro parte vestra petitio continebat, quod cum in diversis monasteriis necnon locis regularibus vestrae congregationis Casinensis, alias sanctae Justinae de Padua, diversa altaria, capellae, capellaniae et alia pia loca in dies erigantur et saepe crescente numero presbyterorum religiosorum ejusdem congregationis altaria benedicta deficiant.

§. 2. Nos volentes commoditati religiosorum dictae congregationis ac eorum devotioni in praemissis opportune consulere et ipsam congregationem favoribus et gratiis prosequi eidem congregationi et singulis illius Abbatibus pro tempore existentibus, qui, licet quinquennales sint, nihilominus ex privilegio apostolico eidem congregationi concesso *baculo pastorali ac mitra pontificali in ecclesia monasteriorum, in quibus Abbates pro tempore deputati existunt, uti et benedictionem pontificalem post divina officia christifidelibus inibi existentibus elargiri consueverunt, quoscumque lapides marmoreos vel prophyrios vel alios, ad usum altarium portatilium accommodandos, pro usu quorumcumque utriusque sexus dictae congregationis monasteriorum, prioratuum et ecclesiarum et aliorum piorum locorum, super quibus intra claustra eorundem monasteriorum et prioratuum seu septa ecclesiarum et aliorum piorum locorum hujusmodi dumtaxat missae celebrari posse, consecrare et benedicere*, Ordinariorum locorum licentia desuper minime requisita, libere et licite valeant, plenam et liberam licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§. 3. Decernentes concessionem et indultum hujusmodi necnon praesentes literas sub quibusvis vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus vel derogationibus per Nos et quoscumque romanos Pontifices praedecessores et successores Nostros quomodolibet factis vel faciendis nullatenus comprehensas, sed semper exceptas ab illis existere et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas esse.

§. 4. Non obstantibus quibusvis etiam revocatoriis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, per Nos et per quascumque cancellariae regulas editis et edendis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum die 6. Julii 1565.

Abbat. Congregat. Casinens. alias s. Justinae de Padua.

Urbanus VIII. Papa.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Pinellus Monachorum ordinis s. Benedicti congregationis Casinen. alias s. Justinae de Padua Procurator generalis, quod alias a venerabil. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequen. videlicet: Cum alias de anno 1606 sub die 28. Januarii S. R. C. instante Archiepiscopo Firman. interdixerit Priori s. Catharinae ordinis Canonicorum regularium in eorum ecclesia usum aliquarum caeremoniarum et de anno 1617 sub die 18. Martii illud decretum ad instantiam bon. mem. Cardinalis Caraffae Archie-

piscopi Neapolitan. extenderit ad omnes Priores et Abbates cujuscumque ordinis etiam Casinen., ab hoc decreto reclamavit Procurator generalis Casinen. et ad s. congregationem recursum habuit, asserens, suam congregationem indefensam fuisse et re mature ac diligenter discussa referente bon. mem. Cardinale Lancellotto s. congregatio de anno 1618 sub die 12. Martii censuit, quoad usum baldachini et quorumdam ministrorum in aliis decretis prohibitorum recedendum esse a praedictis decretis de annis 1606 et 1617 emanatis et licere iisdem Abbatibus, quando solemniter celebrant, uti baldachino et apparatu juxta eorum antiquissimam consuetudinem, ita tamen, ut modeste cum debita convenientia, sine pompa et auro atque in tribus ad summum festivitatibus quolibet anno utantur, prout in dictis decretis latius continetur. Nunc demum Archiepiscopis Florentin. ad s. congregationem accedens instetit prohiberi Abbati s. Mariae ejusdem civitatis Florentinae ordinis Casin. usum baldachini et dictorum ministrorum et aliarum multarum caeremoniarum in dedecus et praejudicium suae archiepiscopalis dignitatis vergentium et citato et interveniente Patre Domino Dominico Pinello ejusdem congregationis Casinensium Procuratore generali et partibus saepe ac saepius auditis ac negotio diligenter discusso, referente illustrissimo ac reverendissimo Domino Cardinale Pio, eadem S. R. C. inhaerendo, dicto ultimo decreto facto de anno 1618 censuit et declaravit licere Abbatibus Casinen., quando solemniter celebrant, quod in tribus ad summum festivitatibus facere eis permittitur, uti baldachino, sine auro tamen et pompa, et aliquibus etiam ministris paratis sacris indumentis. Quia vero numerus horum ministrorum in aliquibus eorum monasteriis erat valde excessivus, vetuit ac prohibuit, ne iidem Abbates solemniter ut supra celebrantes alios possint habere ministros sacris indumentis paratos, quam duos diaconos et presbyterum assistentes, diaconum et subdiaconum pro cantandis evangelio et epistola ac sex ad summum alios duos cum pluvialibus, duos cum planetis et duos cum tunicellis coloris temporis convenientis, quoad reliqua vero in dictis decretis de annis 1606 et 1617 emanatis contenta s. congregatio eadem decreta confirmavit et, quatenus opus sit, innovavit, inhibens omnibus Abbatibus Casinensibus ac serio praecipiens, ut in reliquis omnibus ea ad unguem inviolabiliter observent, eorumque dispositioni addidit, ut supradicti Abbates nullo modo debeant nec possint habere nec tenere sedem suam abbatialem fixam et permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri consuevit, minusque liceat supradictis sex Monachis paratis, ut supra, sedere in sedibus choralibus, ut Canonicorum saecularium mos est, sed sedes pro Abbate solemniter celebranti retineatur in ecclesia iis tantummodo tribus diebus, quibus ipse Abbas solemniter celebrat dictique sex monachi parati sedere debeant loco congruo juxta ecclesiarum convenientem situm super scabellis ad hunc effectum tunc appositis panno laneo coopertis. Die 29. Januarii 1628.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Dominicus praedictus plurimum cupiat praeinsertum decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et inviolabiliter observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, Nos ejus votis hujusmodi annuere illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati praeinsertum decretum hujusmodi apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti et quavis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possent, supplemus.

§. 3. Decretumque hujusmodi necnon praesentes literas cum omnibus in eis contentis semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac eidem congregationis illiusque Abbatibus ac Monachis et personis in omnibus et per omnia plenissime suffragari neque illos a quoquam quavis auctoritate super praemissis quovis modo impediri, molestari, inquietari vel perturbari unquam posse nec debere.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 11. Junii 1628.

(Bull. r. t. V. p. 189. Ed. Luxbg.)

Congregationis Casinensium.

Procurator generalis congregationis Casinensium SSmo humiliter supplicavit, dignaretur praecipere C. S. R., ut, quae Abbatibus Casinensibus particulari Sedis apostolicae indulto ex vetitis et praeter expressa in decreto novissime super usu Pontificalium edito*) adhibere liceat, praevia discussione declararet. Sanctissimus autem oratoris preces ad eamdem congreg. transmisit rescripsitque per Emmum D. Cardinalem Franciottum notulam dubiorum supplici libello subnexam in ipsa congregatione referri, quae

ad §. 4. decreti, quo prohibetur usus praeterquam unius abaci, asserentibus Monachis hactenus ab immemorabili tempore eorum Abbates adhibere consuevisse secundum abacum ad pelvim et urceolos exponendos, censuit: Servandum esse decretum.

Ad §. 5., quo tribus tantum diebus de praecepto etc. pontificalis celebratio permittitur, exponentibus Monachis taxativam hujusmodi non extendi ad usum Pontificalium sine baldachino ac propterea ex indulto Alexandri II. sibi competere Pontificalium usum tum in exequiis nobilium virorum, S. R. C. censuit: Hujusmodi privilegium tantummodo suffragari monasterio Cavensi nec ad alia monasteria extendi.

Ad §. 6., quo in accessu Abbatis Divina peracturi et recessu ejusdem post Divina absoluta prohibetur associatio more Episcoporum, affirmantibus Monachis se ab immemorabili tempore simili associatione usos esse atque indecorum videri, ut Abbas pontificaliter peracturus Divina solus ecclesiam petat, S. C. censuit: Annuendum esse petitis, modo non extra sed intra septa monasterii sese ad ecclesiam conferat.

Ad §. 7., quo taxatur numerus ministrorum, exponentibus Monachis, Abbates indigere ministris ad librum et candelam, ad intortitia elevationis et ad candelabra evangelii, ad mitram et baculum, S. C. censuit: Indulgendos fore alias quatuor ministros cotta indutos praeter expressos in decreto.

Ad §. 8., quo usus mitrae pretiosae et baculi sine velo appenso vetitus est, asserentibus Monachis, mitram pretiosam ipsis de jure competere, velum quoque numquam eos consuevisse baculo appensum adhibere nec esse de ritibus romanae ecclesiae, sed ambrosianae tantum, S. C. censuit: Quoad mitram servandam esse dispositionem cap.: *Ut apostolicae de privileg. in 6.*, quoad baculum vero servandum esse decretum.

Ad §. 10., quo prohibetur usus Pontificalium in aliena ecclesia licet exempta, quamvis Abbas ad ipsam fuerit invitatus, exponentibus Monachis, eos inibi pontificalibus insigniis hactenus usos esse, idque a jure ipsis permissum praesumere, S. C. censuit: Servandum esse decretum.

Ad §. 11., quo sacras vestes ex altari sumere Abbates privatim celebraturi prohibentur, asserentibus Monachis, se hactenus tali privilegio gavisos esse, S. C. censuit: Servandum esse decretum.

Ad §. 13., quo disponitur, ne Abbates extra Pontificalia pontificali more ac trina crucis productione necnon privatim occurrenti populo tum pontificaliter induti etiam per ecclesiam incedentes benedicant, asserentibus Monachis, Abbates in missis privatis hactenus episcopali more benedixisse et Pontificalibus praesertim indutos per ecclesiam transeuntes occurrenti populo benedictionem elargiri consuevisse, S. C. censuit: Servandum esse decretum.

Ad §. 14., quo in praesentia Episcopi Abbatibus denegatur facultas benedicendi solemniter etiam in Pontificalibus, asserentibus Monachis, ex privilegio ipsis, etiam praesente Episcopo, benedictiones hujusmodi competere, S. C. censuit: Servandum esse decretum.

Ad §. 15., quo traditur ordo inferioribus Praelatis Divina pontificaliter peragendi praesente Episcopo loci Ordinario, exponentibus Monachis, Episcopo vetitum reperiri ingressum in eorum ecclesias, ipsis invitis, S. C. censuit: Servandum esse decretum.

Ad §. 17., quo usus mitrae et reliquorum insignium pontificalium, praeterquam tribus anni diebus, abrogatus est, suggerentibus Monachis, indecorum videri, ut in ordinibus conferendis, in consecrationibus et in receptionibus et professione Monachorum et Monialium Abbates mitram non adhibeant, S. R. C. censuit: Indulgendum fore, ut ea tantum utantur in actu ordinationum et benedictionum cum s. oleo.

Ad §. 19., quo vetita est Abbatibus benedictio sacrae suppellectilis pro usu alienarum ecclesiarum, asserentibus Monachis, pro aliena ecclesia ex apostolico indulto eis licitum esse ecclesiasticam suppelectilem benedicere, S. C. mandavit: Exhiberi indultum

*) Vd.: *Usus pontif.* (modus etc. decr. Alexd. VII.)

authenticum ex archivio apostolico desumptum et interim abstineri.

Ad §. 21., quo in missis privatis prohibetur Abbatibus quivis ritus et praerogativae ad Episcopos privative spectantes, exponentibus Monachis, Abbates Casinenses hactenus in missis privatis adhibuisse quatuor candelas, ministros ad lotionem manuum ac duos assistentes cum cotta etc., S. C. censuit: Servandum esse decretum.*)

Praesentisque declarationis decretum typis imprimi posse concessit. Die 12. Jun. 1660. Praedictis autem SSmo relatis Sanctitas Sua ea approbavit et decretum editum die 27. Septembris 1659 omnino exequi et servari mandavit. Verum »quoad §§. 5. 6. 7. 8. et 17. ad limites tantum praesentis declarationis et non alias, salva quavis contraria, verbaliter tamen expressa, dispositione privilegiorum particularibus monasteriis congregationis Casinensium concessorum.« N. 2056. Die 20. Julii 1660.

Franciscus Xaverius de Taufferer, Abbas et Archidiaconus monasterii Litticensis ordinis Cisterc. in dioecesi Goritiae, humillime supplicavit S. R. C. quatenus indulgere dignaretur eidem Abbati suisque successoribus nonnulla privilegia praeter contenta in decreto s. m. Alexandri PP. VII. edito die 27. Sept. anni 1659 circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum. Cui eadem s. congr. rescribendum censuit: Consulendum Sanctissimo pro concessione indulti juxta modum ab eminentissimo Ponente explicandum, videlicet, ut liceat Abbati oratori ejusque successoribus praeter consuetos tres dies in decreto Alexandrino praescriptos singulis annis, tribus aliis vicibus in ecclesiis sibi subjectis pontificaliter celebrare necnon aliis duabus vicibus in ecclesiis sibi non subjectis, quatenus tamen ab Episcopo loci Ordinario, non autem a Praelato inferiore rogatus fuerit. Item pontificalia insignia adhibere in pastoralibus visitationibus ecclesiarum sibi subjectarum, nimirum ad absolutionem pro defunctis et ad visitationem sanctissimi sacramenti eucharistiae dumtaxat. Praeterea in processionibus pro causa publica infra ambitum et districtum ecclesiarum sibi subjectarum solemniter habendis et in conferenda clericali tonsura et quatuor minoribus ordinibus subjectis sibi Monachis et in consecratione altarium portatilium, patenarum et calicum aliisque benedictionibus, in quibus sacra olea sunt adhibenda. Denique ut pro usu ecclesiarum sibi subjectarum tantummodo liceat ei benedicere sacra indumenta et suppelectilia, cruces, imagines, vasa sacra et campanas necnon consecrare calices, patenas et altaria tantum portatilia, dummodo tamen quotiescumque juxta Pontificale roman. s. unctio adhibenda est, fiat cum oleis et chrismate ab aliquo catholico Antistite benedictis seu confectis. In reliquis serventur decreta S. R. C. *Goritien. Die 11. Augusti 1770.* Quibus omnibus Sanctitas Sua benigne annuit. *Die 18. ejusdem mensis 1770.*

*) Vd. *Missa privata Abbat.*

13) Celebrans extra s. territorium.

Vd. *Usus Pontifical.* (modus, praecip. decr. n. 5065.)

Ad dubium: Utrum Abbates ord. s. Benedicti vel aliarum cong., qui pariter usu Pontificalium sunt insigniti, possint, annuente tamen loci Ordinario, missam solemnem in Pontificalibus extra propriam eccl. vel caeteras ejusdem instituti eccl. celebrare, praesertim quando iidem Abbates in apost. indulto benedictionem receperint ad formam Pontificalis rom.?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: »Negative in omnibus sine speciali apostolico indulto.«

Et ita rescripsit ac servari mandavit. N. 5035 ad 3. Die 23. Maii 1846.

14) Concursum pro ecclesiis paroch. vacantibus quando indicere potest?

Vd. *Abbas* (cum jurisdictione etc.); *Concursus.*

Abbates et alii Praelati habentes jura quasi episcopalia, si non habent jus congregandi synodum et in ea examinatores eligendi, non possunt facere et indicere concursum pro ecclesiis parochialibus vacantibus; colligitur ex *concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 18.* et ex constitut. s. Pii V. incip.: *In conferendis beneficiis*, ex declaratione s. Congreg. Concil. tradita Episcopo Palentino *die 24. Octobris 1673* et ex alia Salamantina, Veronen. et Ravennatensi, in qua sic dicitur: *Commendatarius Abbatiae exemptae existentis intra fines alicujus dioecesis et habens jura quasi episcopalia non potest facere concursum beneficiorum curatorum, sed hoc spectat ad Episcopum, in cujus dioecesi est Abbatia, qui electo magis idoneo mittet eumdem ad commendatarium.*

Si vero tales Abbates et alii Praelati habeant jus congregandi synodum et examinatores eligendi pro proprio territorio omnimode exempto, possunt pro parochialibus sibi omnimode subjectis concursum instituere, ut declaravit *sacra congregatio in cap. 18. concilii Tridentini* his verbis: *Ex hoc verbo* (Ordinarius) *colligitur hoc decretum locum habere in inferioribus Praelatis; unde inferior Episcopo, qui omnimodam jurisdictionem habet episcopalem, nec alicui subditur, sed est immediate subjectus sedi apostolicae, nullius dioecesis, proprium territorium habens, si habet jus congregandi synodum et legitime constat illam congregasse et elegisse examinatores, poterit concursum instituere, examinare et approbare ac oeconomos et vicarios deputare, denique omnia alia, quae super hoc decretum permittuntur, praestare.* Ita cum aliis refert *Garzias de benef. part. 9. c. 2. num. 30*, qui testatur idem tenuisse Rotam ex sententia *s. congr. in una Forosemproniens. Paschalis 15. Januarii 1593 et 7. Maji ejusdem anni coram D. Mantica et in una Tarvisina jurisdictionis 17. Februarii 1595 coram de Litta.*

15) Consecrare non potest ecclesias.

Vd. *Abbas Casinensis* (jus); *Abbas* (ecclesias etc.)

Abbati regulari non habenti jurisdictionem quasi episcopalem nec territorium separatum, concedi non solet indultum consecrandi ecclesias noviter aedificatas. *S. C. R. in Pragensi praetensi indulti 31. Aug. 1715* ut refert *Ursaya tom. 1. part. 1. discept. 10.*

16) In concilio.

Vd. *Abbas Casinensis* (jus).

Habentes jurisdictionem quasi episcopalem habent suffragium in concilio provinciali ac subscribunt et jus etiam habent interveniendi conciliis generalibus. Benedict. XIV. de synodo dioec. *lib. 8. c. 2. n. 5.*

17) Correctio.

Vd. *Abbas* (depositio.)

Eugenius PP. III. confirmat constitutiones ord. Cisterc. Monach. s. Benedicti.

Si quis Abbas minus in regula studiosus vel saecularibus nimis intentus vel in aliquibus vitiosus repertus fuerit, ibi caritative clametur, veniam petat, poenitentiam pro culpa sibi indictam adimpleat; hanc vero clamationem nonnisi Abbates faciant. Si forte aliqua controversia inter quoslibet Abbates emerserit vel aliquorum illorum tam gravis culpa propalata fuerit, ut suspensionem aut etiam depositionem mereatur, quidquid inde a capitulo fuerit diffinitum, sine retractatione observetur. Si vero pro diversitate sententiarum in discordiam causa devenerit, illud inde irrefragabiliter teneatur, quod Abbas Cisterciensis et hi qui senioris consilii et magis idonei aparuerint, judicabunt. Hoc observato, ut nemo eorum, ad quos specialiter causa respexerit, diffinitioni debeat interesse.

Anno 1152 (Bull. rom. t. II. pag. 586 Ed. Aug. Taur.)

Clemens Papa IV. de Abbatibus Cisterciensibus.

Si quid in persona Abbatis vel in aliis in eodem monasterio crediderint reformandum, id eidem Abbati suggerant, hoc est cum reverentia et honestate dicant ac eum benigne moneant et hortentur, ut id emendet in se vel et in aliis faciat emendari. Quod si facere forte noluerit insolenter vel distulerit negligenter, servetur quod in eadem charitatis charta continetur expresse, videlicet, ut iidem quatuor primi Abbates sub caeterorum Abbatum nomine usque quater, ut corrigatur ipse et alios corrigere curet, admoneant; et caetera, quae de aliis Abbatibus in eadem charta dicuntur, si incorrigibiles apparuerint, circa eum studiose adimpleant, excepto quod si sponte cedere noluerit, nec deponere, nec contumaci dicere anathema poterunt, donec aut in generali capitulo aut, si illud jam visum fuerit exspectari non posse, in conventu alio, convocatis Abbatibus, qui de Cistercio exierunt et aliquibus aliorum, virum inutilem ab officio suo deponant: conventum autem alium intelligimus eorumdem Abbatum concordem reditum ad processum hujusmodi faciendum in aliqua ejusdem ordinis abbatia, eo circa punitionem Cistercien. Abbatis, moderamine adhibendo, quod circa Abbates alios inferius est statutum.

Die 9. Junii 1265.

(Bull. r. t. VII. p. 733 *ibid.*)

18) Curam anim. quando potest exercere sine approb. Episcopi?

Vd. *Cura animar. exercenda a Regul.* (approb. Episcopi); *Administrat. Sacrament.* (a Regularib.); *Visitatio eccles. par. et cur. regul.* (constitut. Benedicti XIV.)

19) Denominatio.

Abbas in hebraeo seu syro vocabulo idem est et significat in latino *Pater: c. final. de Regular.;* Gloss. *in Clem. de rescr.;* s. Aug. *ep. 177.;* s. Hier. et s. Thom. *in ep. ad Galatas c. 4., Liranus in ead. epist. et eod. capite,* et passim alii.

20) Depositio.

Vd. *Priores* (depos.)

S. Gregorius I. PP. Senatori presbytero et Abbati Xenodochii.

Et quoniam multae occasiones in deceptionem religiosarum personarum a pravis illis, ut dicitur, hominibus exquiruntur, Abbatem atque presbyterum praedicti xenodochii nullo modo privandum deponendumque esse censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Unde necesse est, ut si qua contra eum hujusmodi querela surrexerit, non solus Episcopus civitatis Augustodunensis causam examinet, sed adhibitis sibi sex aliis Coepiscopis suis subtili hoc investigatione perquirat, quatenus cunctis concorditer judicantibus canonicae districtionis censura aut reum ferire aut innocentem possit absolvere.

Anno 603. (Bull. r. t. I. p. 173. n. 4. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Gregorius PP. IV. Episcopis Galliae.

Si contigerit, ut Abbas accusetur de criminalibus causis, non nnius Episcopi judicio determinetur sententia, sed provincialis concilii expectetur censura, aut si forte maluerit appellare sedem apostolicam, res ad romani Pontificis differatur audientiam. Et quotiescumque necessitas urget, eum venire Romam modis omnibus liceat.

Mense Apr. 834. Ibid. p. 281.

Nicolaus PP. I. Trasulpho Abbati Corbeiae.

Quoniam multae quaeruntur ab importunis hominibus malignitatis occasiones et necesse est semper adversarii tela glypeo protectionis repellere, decernimus, ut Abbas, postquam electus fuerit et ordinatus, nulla potestate praevalente dejiciatur, nisi in criminis causa fuerit deprehensus, cujus merito rectoris non debeat administrare officium. Infamiae vero maculis seu criminis alicujus denotatione si fuerit appetitus, non praeter canonicam et regularem deponatur examinationem.

Die 28. Apr. 863. Ibid. p. 314.

Nicolaus PP. I. Episcopis Galliae.

Quoniam multi per pravorum insidias hominum servis saepe Dei fabricantur doli, decernimus, ut ordinatus Abbas deponi non possit, nisi criminalis eum causa monstraverit reum. Quod si fuerit infamiae calumniis denotatus, ex regali providentia Episcoporum habeatur, non minus quam sex, conventus, quorum de numero Coenomanicus constituatur Episcopus: et eorum judicio secundum canones illius causa discussa non aliter deponi possit, nisi reus manifestis certisque patuerit indiciis. Non est enim aequum, ut electus et ordinatus ecclesiae pastor, fortuitu et sine judicio absque ullius manifesta criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud leges saeculi damnatur, nisi in criminali causa deprehensus veritatis testimonio patuerit: nullus ecclesiae, qui fuerit ordinibus consecratus, merito deponendus est, si non certis criminibus apparuerit convictus. Si itaque Abbas et electus a pluribus et ordinatus sacerdotali benedictione, nullo modo debet sui ordinis honore privari, nisi manifestis criminibus fuerit denotatus atque convictus. Unde sub hac auctoritate praecipimus, ut Abbas coenobii sancti Carilefi, postquam electus regulariter atque canonice fuerit ordinatus, a nullo nec Episcoporum nec regum nec alia qualibet persona deponi possit, si non criminalis intercesserit causa, pro qua merito secundum regulam s. Benedicti et canonum instituta deponi debet.

Anno 863. Ibid. pag. 317.

Alexd. PP. II. Guilielmo Abbati Floriacensi.

Si contigerit, ut Abbas accusetur criminalibus causis, non unius Episcopi judicio determinetur sententia, sed provincialis concilii expectetur censura; aut si forte maluerit appellare ad sedem apostolicam, res ad romani Pontificis deferatur audientiam.

Anno 1071. (Bull. r. t. II. p. 43. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexdr. PP. III. Gisleberto Cisterciensi et caeteris Abbatibus Cisterc. ordinis.

Quod si aliqua controversia inter aliquos Abbates ordinis vestri emerserit vel de aliquo eorum tam gravis culpa fuerit prolata, ut suspensionem mereatur, quidquid exinde a capitulo fuerit secundum vestrum ordinem diffinitum, sine retractatione aliqua observetur. Si vero pro diversitate sententiarum in discordiam causa devenerit, illud irrefragabiliter teneatur, quod Abbas Cisterciensis, qui pro tempore fuerit, cum his, qui senioris consilii et magis idonei apparuerint, indicabit. Hoc observato, ut nemo eorum, ad quos specialiter causa respexerit, diffinitioni debeat interesse. Si quis autem Abbas pro inulitate vel pusillanimitate sua se viderit ab abbatiae suae ordine relaxandum, ab Abbate domus illius unde sua processit humiliter postulet relaxari. Qui tamen petitioni ejus non leviter adquiescet, nec quicquam sua auctoritate efficiet, sed congregatis aliquantis Abbatibus ordinis vestri, cum eorum consilio peraget, quod inde pariter viderint adimplendum. Si quis autem Abbatum ordinis contemtor vel ordinis praevaricator aut commissorum sibi fratrum vitiis consentiens apparuerit, Abbas matris ecclesiae per se ipsum vel priorem suum vel quomodo melius noverit expedire, eum, ut corrigatur, admoneat usque quater. Quod si culpam suam corrigere vel a susceptae provisionis officio cedere forte noluerit, aliquanti Abbates ordinis vestri in nomine Domini aggregentur et communicato consilio, si viderint opportunum, eum a regimine submoveant abbatiae, ac postmodum alter, qui dignus sit, consilio et voluntate patris Abbatis, a Monachis domus illius cum Abbatibus, si qui ad eam pertinent, eligatur. Si autem qui deponitur vel Monachi ejus datae in eum sententiae contumaciter decreverint reluctandum, Abbas matris ecclesiae caeterique Abbates plenam habeant potestatem, censura eos districtionis ecclesiasticae coercendi: de quibus sane, si quis reversus ad cor et de sua contumacia respiciens, matris suae misericordiam postulaverit humiliter, sicut filius poenitens recipiatur; quamdiu autem aliqua ecclesiarum vestrarum Abbate proprio fuerit destituta, pater Abbas, de cujus domus illa exivit, omnem curam habeat ordinationis domus illius donec in ea Abbas illius eligatur: electus autem nulli Archiepiscoporum vel Episcoporum emancipatus vel quasi absolutus tradatur, sed nec post factam Archiepiscopo vel Episcopo suo professionem, occasione ejus, ordinis sui constitutiones transgrediatur vel in aliquo praevaricator ejus existat. Praeterea si forte Abbates ordinis vestri matrem vestram Cisterciensem ecclesiam a sacrae religionis observantia exorbitare perspexerint, ipsius loci Abbatem per quatuor primos Abbates, de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle et de Murimundo, ut corrigatur et subditos suos corrigere laboret, admoneant et omnia, quae de aliis Abbatibus supra diximus, circa eum adimpleant: excepto, quod si sponte cedere noluerit nec deponere eum nec si contumax apparuerit, excommunicationis sententia poterunt innodare, donec vel in generali capitulo vel, si illud visum fuerit sine grandi periculo expectari non posse, convocatis Abbatibus, qui de Cistercio exierunt, et aliquibus etiam aliorum, virum inutilem ab officio Abbatis amoveant; et tam ipsi quam Abbates et Monachi Cistercienses alium idoneum Abbatem ei studeant subrogare. In illum porro, qui depositus fuerit, et Monachos ejus, si recalcitrare praesumpserint, sententiam severitatis ecclesiasticae non dubitent promulgare: de quibus post haec si aliquis culpam suae contumaciae recognoscens ad aliquam quatuor praedictarum ecclesiarum se salutis causa contulerit, sicut domesticus recipiatur quoadusque, prout conveniens fuerit, suae restituatur ecclesiae. Interim autem annuus Abbatum conventus non apud Cistercium sed ubi a quatuor praenominatis Abbatibus praevisum fuerit celebretur.

Anno 1181. (Bull. r. t. II. p. 833. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Innocentius PP. III. Abbatibus Praemonstr.

Si Abbas aliquis vestri ordinis infamis vel inutilis aut ordinis sui praevaricator inventus fuerit et prius per patrem suum Abbatem aut per nuntios ejus admonitus suum corrigere et emendare delictum neglexerit aut cedere (si amovendus fuerit) sponte noluerit, auctoritate generalis capituli deponatur et depositus sine dilatione ad domum unde exivit seu ad aliam ejusdem ordinis, quam elegerit, sine ulla conditione temporalis commodi revertatur, in obedientia Abbatis sicut caeteri fratres ipsius domus firmiter permansurus. Id ipsum etiam alio tempore, (si necesse fuerit) et capitulum sine scandalo vel periculo expectari nequiverit, per Abbatem Praemonstratensem et patrem Abbatem et alios Abbates, quos vocaverit, fieri licebit. Quod si depositus in se datae sententiae contumaciter contraire tentaverit,

tam ipse quam principales ejus, qui de ordine vestro fuerint in sua contumacia fautores, ab Abbate Praemonstraten. et caeteris Abbatibus censura ecclesiastica, donec satisfaciant, arceantur.

Die 27. Julii 1198. (Ibid. t. III. 126.)

Quod Abbates seu Priores ordinis Camaldulen. a monasteriorum regimine amovendi seu de excessibus eorum corrigendi, ad appellationes interponendas minime admittantur.

Summarium.

Inhibet ne Abbates et Priores ord. Camald. a regimine amovendi seu de excessibus corrigendi appellationis obstaculum interponant.

Honorius (III.) Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et conventui Camaldulen.

Salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit propositum coram Nobis, quod frequenter accidit quod cum aliquos vultis Abbates seu Priores ordini vestro subjectos amovere a monasteriorum regimine vel de suis excessibus castigare, sicut ejusdem exigunt ordinis instituta, iidem ut canonicam correctionem eludant in vocem appellationis frivole mox prorumpunt, occasione hujusmodi vos et monasteria, quae a vobis tenentur, multis expensis et laboribus fatigantes. Quare humiliter supplicastis, ut cum illi ad defensionem iniquitatis usurpent, quod ad praesidium innocentum dignoscitur institutum, eis appellandi taliter aditum praecludere dignaremur; quia ergo sicut nec praelati valent sine causa gravare subjectos, sic ne subditi pro sola voluntate sub appellationis obtentu correctionem possint eludere praelatorum, vestris supplicationibus inclinati auctoritate praesentium districte inhibemus, ne contra vos a regulari correctione praedicti Abbates et Priores appellationis obstaculum temere interponant. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostrae inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani Idibus Maii, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 15. Maii 1224 pontif. anno VIII. (Bull. r. t. III. p. 404. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Clemens PP. IV. Abbatibus Cisterciens.

Ut circa depositiones Abbatum via maliciis praecludatur, statuimus, ut quicunque Abbatem aliquem deposuerit, causam depositionis et processum habitum circa ipsam per literas, suo et Abbatum, qui depositioni eidem interfuerunt, sigillis signatas, in sequenti capitulo generali, nullo etiam requirente vel proclamante, insinuare ac exponere teneatur. Dicti etiam Abbates, si praesentes fuerint, processum depositionis ejusdem et an de consilio eorum sic fuerit processum, exponant et tunc generale capitulum, utrum depositio justa vel injusta fuerit, judicabit. Quod si praedicti Abbates praesentes non fuerint, hoc ipsum per suas patentes literas generali capitulo explicite attestentur. Et omnes praedicti supra suas conscientias hoc facere teneantur.

Et ut in Abbatibus praedicti ordinis subtrahatur materia delinquendi nec ipsi conqueri valeant per eorum Abbates se indebite fore gravatos, statuimus et ordinamus, quod Abbas subjectum sibi Abbatem deponere debeat pro causis dumtaxat inferius annotatis, videlicet pro haeresi, pro simonia manifesta, pro immunditia carnali, pro dilatione sui monasterii, enormiter alienando vel dissipando bona, pro furto, homicidio, gravi sortilegio, solemni perjurio, pro conspiratione et si falsarius fuerit literarum summi Pontificis vel sanctae romanae ecclesiae Cardinalium, Principum, Episcoporum vel Abbatum ordinis supradicti et si contra communia instituta ipsius ordinis privilegia impetraverit vel retinuerit aut uti praesumpserit impetratis. In aliis autem casibus superius non expressis injungat ei Abbas vel visitator, ut veniam petat in sequenti capitulo generali ad arbitrium ipsius capituli per depositionem vel aliter puniendus.

Depositus autem a regimine abbatiae, si sententia depositionis suae apparuerit injusta, ex ordine et ex causa restituatur per generale capitulum et deponens ibidem recipiat talionem. Si vero circa hujusmodi depositionis sententias in modo tantum vel in ordine sit erratum, causa depositionis legitima existente tunc non restituatur depositus et deponens circa depositionem ad arbitrium dicti generalis capituli puniatur, in casibus quoque, in quibus peracta poenitentia infamia remanet, depositus ineligibilis sit omnino; in illis, in quibus post peractam poenitentiam nulla infamia remanet, postquam impositam poenitentiam peregerit, eligibilis habeatur.

Die 9. Junii 1265. (Ibid. t III. p. 735.)

21) Diaconatum conferre non potest post Tridentinum.

Vd. pag. 12. §.: *Verum.*

22) Differrentia inter Abbat. et Archimandritam.

Archimandrita in rigoroso suo significatu in hoc differt ab Abbate, quod Abbas, ut sic, importat praeesse unico monasterio, Archimandrita vero, ut sic, importat praeesse pluribus monasteriis. Abbas enim est solum pater; Archimandrita vero est primus et Princeps Patrum, ut apud *Rocchum Pyrrhum in histor. Sicil. sac. lib. 4. notitia Archimandridatus Messanae.*

23) Dispensare potestne super aetate ordinandorum?

Vd. *Abbas* (num literas obedient. etc.)

24) Ecclesias aedificare et bened. etc. potestne inscio Episcopo?

Vd. *Abbas* (consecrare etc.)

Elven.

Latifundia possidet Abbas Ulissiponensis monasterii s. Benedicti de salute prope villam Alandroal in Elvensi dioecesi milliariis 75. a monasterio dissita, in quibus vineta plantavit domumque extruxit, praeposito omnibus ordinis sui regulari, cujus commodo consulere cupiens prope domum ecclesiam aedificari curavit, inconsulto tamen Elvensi Episcopo, quae duplicem habet portam, alteram interiorem e domo, quam incolit regularis, externam publicamque. Adstat ecclesiae turris campanaria. Opere impleto ecclesiam benedixit Abbas, inconsulto Episcopo, adscitis nonnullis ecclesiasticis proximae villae, qui Sacra egerunt in nova ecclesia etiam diebus festis populoque sacratissimum eucharistiae sacramentum ministrarunt. Certior de his omnibus factus Episcopus Elvensis ecclesiam interdicto suspendit, processum instituit adversus sacerdotes tum saeculares tum regulares, qui in eadem ecclesia Sacra egerunt. Appellavit Abbas ad tribunal nuntiaturae et post appellationem novo muro ecclesiam omnem circumclusit, ea fortasse mente, ut ecclesiam faceret privatam; novus tamen hic paries januam habet, quae januae ecclesiae respondit. At Episcopus, adito sanctissimo Domino nostro, postulavit, ut audito Nuntio causam ipse definiret.

Datis igitur ad Nuntium apostolicum literis auditus fuit Episcopus, deinde Abbas. Proponebat Abbas urgebatque ordinis sui privilegia, sed Nuntius animi sui sententiam aperuit secundum Episcopum. Post hanc Nuntii opinionem auditam cognitio causae data fuit sacro huic tribunali, Abbate jam monito a Nuntio apostolico, ut jura sua Emmis Patribus proponeret, *sin minus resolutionem in ejus contumaciam captum iri.* Nonus jam labitur mensis neque Abbas in jus adhuc venit. Postulat igitur Episcopus Elvensis, ut ab Emmis Patribus tria, quae subjicimus, dubia definiantur, urget enim juris dispositionem, ex qua nulli licet ecclesias aedificare sine consensu Episcopi, nulli licet, Episcopo inconsulto, ecclesias benedicere et in iis sacramenta ministrare. Id juris custodiendum esse, licet res sit de Regularibus; privilegia enim, quae Regularibus data sunt a summis Pontificibus, interpretari debent *sine praejudicio jurium episcopalium.* Hinc arguit substinendum esse interdictum: neque mutare, quod res sit de ecclesia privata, non publica, cum non licuerit Abbati ecclesiam, quae publica aedificata fuerat, privatam reddere novo muro circumducto, licet ne ita quidem privata facta fuerit, cum murus exterior portam habeat januae ecclesiae respondentem. Addit in idem recidere, etiamsi res esset de ecclesia seu oratorio privato, nam sine privilegio apostolico et sine Episcopi destinatione vetitum est in oratorio privato Sacra agere, ideoque possit Episcopus de jure procedere contra sacerdotes sive saeculares sive regulares, qui in eo Sacra egerunt et sacramenta ministrarunt. Haec Episcopus Elvensis. Dubia sunt:

I. An licuerit Abbati s. Benedicti de salute civitatatis Lisbonae ecclesiam ruralem aedificare in Villa de Mandroal. inscio Episcopo Elvensi eamque solemniter benedicere, Sacra peragere et sacramentum eucharistiae administrare in casu? Et quatenus negative;

II. An substineatur interdictum latum ab eodem Episcopo, itaut possit etiam prout de jure procedere contra sacerdotes saeculares et regulares, qui inibi celebrarunt aut celebrant in casu?

III. An murus exterior fabricatus post promulgationem dicti interdicti circum dictam ecclesiam et habens januam correspondentem

alteri januae ejusdem ecclesiae constituat illam capellam aut oratorium privatum in casu?

S. C. resp. ad primum: Negative; ad secundum: Affirmative.

Die 9. Febr. 1754.

25) Electio, qualitas etc.

Vd.: *Episcopus* (processus de ejus electione); *Priores* (institutio); *Minister ordinis* (electio etc.)

S. Gregorius I. Ep. Mariniano, Ep. Ravennati.

Defuncto Abbate non extraneus nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate congregatio elegerit, et qui electus fuerit sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur: quod si aptam inter se personam invenire nequiverint, solerter de aliis monasteriis sibi similiter eligant ordinandum.

Mense Aprili 598.

(Bull. r. t. I. p. 169. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Gregorius I. Episcopis.

Defuncto Abbate cujusque congregationis non extraneus eligatur nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit, et qui electus fuerit sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequeunt, solerter sibi de aliis monasteriis similiter eligant ordinandum: nec constituto Abbati quaecumque persona qualibet occasione praeponatur nisi forte exstantibus quod absit criminibus, quae sacri canones punire monstrant.

Die 5. Apr. 599. (Ibid. p. 171.)

S. Gregorius I. Abbati xenodochii Augustodunensis.

Ita constituimus, ut obeunte Abbate atque presbytero supradicti xenodochii atque monasterii, non alius ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur, *nisi quem rex ejusdem provinciae cum consensu monachorum* secundum timorem Dei elegerit ac praeviderit ordinandum.

Anno 603. (Ibid. p. 173.)

Martinus I. Abbati Elnonensi.

Defuncto Abbate non extraneus nisi de eadem congregatione, quem sibi concors congregatio elegerit, et qui electus fuerit sine dolo et venalitate aliqua ordinetur.

Die 19. Jan. 1653. (Ibid. pag. 206.)

Sergius I. Aldelmo Abbati Melduni.

Si religiosum Abbatem obire contigerit et ad electionem alterius fuerit ventum, illum, quem religiosa congregatio servorum Dei communi concilio elegerit, promovendum e vestigio, ut non detrimentum monachicae conversationis disciplina incurrat vel res monasterii Abbatis privatione depereant. Praesul quoque, qui similiter in vicinio fuerit, ex apostolici Pontificis auctoritate, orationem ei Abbatis attribuat.

(Ibid. p. 212.)

Joannes VI. PP. Thomae Abbati Farfensis monasterii.

Si religiosum Abbatem de hac vita migrare contigerit, quem ibidem posita congregatio de se ipsis, vel ubi meliorem invenerint, eligentes, ad dandam ei orationem rogatus atque vocatus adveniat reverendissimus Episcopus, eumque, dum ipsi voluerint, exhortentur et post hujusmodi orationem auctoritate principis apostolorum a Pontifice, qui pro tempore fuerit, Abbatis firmitatem hinc praecipiat.

Die 30. Junii 1704. (Ibid. p. 214.)

Stephanus II. Anselmo Abbati monast. Nonnantulano.

Cum in divina vocatione Abbas praefati monasterii pertinxerit et resolutionis tempus advenerit, de propria semper congregatione eligatur Abbas, qui ab omnium Monachorum consensu in eis constituatur ad augumentum et solertissimam gubernationem eorum pro Dei amore morantium monastico ordine militantium.

Die 13. Jan. 753. (Ibid. p. 243.)

Gregorius IV. PP. Episcopis Galliae.

Abbas, qui ordinandus ibi est, cum electione fratrum, propter vitae meritum et honestatem morum et non propter turpia lucra seu per pecuniam eligatur et absque ulla calumnia, a quocumque Episcopo, prout sibi placuerit, benedicatur.

Mense Aprili 834. (Ibid. p. 281.)

Benedictus III. PP. Episcopis Galliae.

Electionis privilegium ut habeant fratres ejusdem monasterii, decernimus, id est, ut quemcumque de se ipsis, qui sit monachicae professionis, dignus tamen pastorali praelatione, voluerint eligere secundum regularem auctoritatem, potestatem habeant eligendi. Et super hoc monentes obsecramus filios nostros gloriosos, Lotharium, Ludovicum,

Carolum Augustum, ut sicut memorabilis Augusti genitor et avus eorum et priores ante se reges Francorum eidem coenobio concesserunt eligere de semetipsis Abbatem atque ipsi suis praeceptis hoc idem sanxerunt, ita quoque conservare suis temporibus pro Christo amore dignentur et conservanda perpetuis diebus aeternitatis suae legibus constituant, ut dum famulis Christi libertatem electionis concesserint et concessam servare studuerint et praesentis vitae regnum et sempiternae beatitudinis gloriam a Domino ipsi percipere mereantur.

Die 7. Oct. 855. (Ibid. p. 298. §. 8.)

Benedictus III. PP. Episcopis Galliae.

(Confirmatio privileg. Corbeiae.)

Qua de re gloriosi principes monasterio huic electionis praerogationem concedite neque aliquam personam aut laicam aut canonicam, quod contra omnem ecclesiasticum ordinem est, aut etiam Monachum ex alio monasterio vel secundum regulam non electum, super illud regali potentia constituatis, ne domus Dei, quae domus orationis esse debet, per vos fiat spelunca latronum. Neque enim ignoratis hujusmodi praelatos et auctores hujusmodi praelationis a domo aeternitatis divina censura exturbandos et ad supplicia ultionis perpetuae deportandos. Unde quae sententia damnationis a Nobis est in tales exercenda, nisi quam Spiritus sanctus ore prophetico protulit dicens: Omnes principes eorum, qui dixerunt: haereditate possideamus sanctuarium Dei: Deus meus pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis, qui comburit silvam et sicut flamma comburens montes; ita persequeris eos in tempestate tua et in ira tua turbabis eos. Qui sunt enim, qui sanctuarium Dei haereditate possidere dicuntur, nisi illi qui res Deo dicatas et ad usus pauperum servorumque ejus collatas saecularis potentiae dominatu non electionis gratia quaerunt obtinere? Principes autem illorum sunt hi, qui votis suffragia praestando aut ecclesiae res illis tradendo consentiunt. Quali autem utrique feriantur divinitus ultione superius dicta sententia comprehendit, quae ostendit eos a coelestis patriae stabilitate projiciendos et temporalis volubilitate lapsus quasi rotae vertigine circumferendos, postque praesentis terminum vitae, turbine divinae animadversionis velut stipulam ariditatis vanitate levissimam rapiendos et infructuositatem eorum atque superbiam tanquam silvestrem sterilitatem et contra Deum elatum tumorem terrae igni flammaque vorante comburendos.

Ut hanc igitur ultionis divinae severitatem non subeant, studeant christianissimi principes Christi ecclesiis electionis sua jura conservare, et quod universae debetur ecclesiae, Corbeiensi non auferant monasterio, ut dum ei propter honorem Dei jus electionis indulserint et res monasterii violentorum ambitionibus ne deserviant incontaminatas servaverint, ipsi coelestis regni cum Christo participium consequantur. Nec illum aliquando in saecularium manus aut canonicam dominationem permittant, quod habitatorum summa destructio est ac dantis sive accipientis summa damnatio. Nam quid est aliud saecularem personam pastoris vice ecclesiae Dei praeferri, quam abominationem desolationis in templo Dei constituere? Quicumque igitur hoc faciunt, Pilato similes inveniuntur, qui Caesaris imagines in templo Domini statuit venerandas. Et cum apostolus fidelibus loquitur dicens: Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: qui saecularem personam Monachis praeficit, quantum in saeculo de forma spiritus ad formam saeculi et de imagine Christi ad imaginem terreni regis eos impellit: quoniam omnis subditus praelati sui debet imaginem sequendo imitari. Unde non parvo se delicti scelere patet involvi, qui tales ecclesiae proponit, ut quorum forma servi Christi, non Christi humilitatem, sed superbiam mundi, non coelestis patriae desiderium, sed concupiscentiam saeculi contemplentur semper et addiscant.

Quod quia videtis excellentissimi principes scelestissimum fore hoc impietatis sacrilegium, a monasterio Corbejense propellite semper, sed nec canonici ordinis personam super illud aliquando vel praeponatis vel proponi sinatis. Memores estote, quod Nadab et Abiu, quia ignem alienum Domino in incensum obtulerunt, divino igni consumpti sunt. Ignem siquidem alienum in incensum offert Domino, qui monasticae religioni aliquem sub canonica professione militantem, ut pastoris vicem obtineat, praerogat. Verum quia tales ultione feriuntur, illorum signat interitus qui mox praesentis poenae supplicio consumpti, quid eorum imitatores mereantur, suae damnationis exemplo posteris signaverunt. Omnes quoque, licet monasticae sint professionis, si non

per electionem regularem constituti fuerint rectores eidem monasterio, de quo loquitur, quia tales per munera cognoscuntur admissi, id est, aut per pecuniam aut per gratiam aut per obsequium, universa a Nobis Petri principis apostolorum auctoritate cum Simone, cujus imitatores existunt, anathemate damnantur. Et ut religiosi principes ab hac damnationis sententia maneant immunes, studeant omnibus modis circa monasterium praefatum electionis privilegium servare semper inviolatum, quoniam secundum jam olim a sanctis patribus definitam promulgationem, ecclesiae Corbeiensis praelationem non per legitimam Monachorum in eodem coenobio Christo militantium electionem sed contra regularem atque canonicam auctoritatem et dantem et accipientem a Christi regno sanctorumque consortio anathematizamus, neque societatem poterunt habere Hierusalem coelestis, qui eam in terris peregrinantem dissociare conantur. Quod egere certum est omnes, qui non pastores sed latrones, nec Christi vicarios sed antichristi sequaces super eam constituere non verentur, ut domus Dei non domus orationis, sed spelunca latronum existat nec in ea forma Christi sed abominatio desolationis emineat.

Sed si reipublicae rectores divinorum contemptores praeceptorum atque nostram super hac re decernentem contemnentes auctoritatem, non quem regularis electio decreverit sed quem eorum dominatio voluerit, illi praeposuerit congregationi, Monachi loci ejusdem Episcopum, ad cujus dioecesim monasterium pertinet, obsecrent, ut aut per se ipsum aut una cum eis ad Archiepiscopum Rhemensem referant atque simul ad principem conveniant et eum super transgressionis suae pericula commoneant. Quod si Episcopus dioecesis illius aut propter timorem aut favorem principis aut propter imprudentiam vel pastoralis curae negligentiam ferre auxilium vel noluerit vel contempserit, fratres per se ipsos praefatum Archiepiscopum et vicinos Archiepiscopos adeant et necessitudinis suae causam eis manifestent, utque sibi ferant auxilium supplicent. Archiepiscopus autem vel ipse solus vel cum caeteris Episcopis suae dioeceseos regem adeant et supra electione violata eum commoneant, utque corrigere dignetur et verbis suadere et precibus obsecrare non desistant. Quod si eos audire contempserit nec peccati sui corrigere culpam maluerit, excommunicationis apostolicae sententiam damnatus excipiat. Si vero vel Episcopus, cujus parochia est, aut Archiepiscopus aut caeteri Suffraganei negligentes super hoc fuerint aut contempserint aut irritum duxerint, damnationis, cujus sententiae teneantur obnoxii, non ignorant. Dicit enim propheta: Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram. Unde noverint se eodem vincendos anathemate, si neglexerint pro grege dominico pastoralis curae solicitudinem adhibere.

Die 7. Oct. 855. (Ibid. p. 299.)

Nicolaus I. PP. Trasulpo Abbati Corbeiensi.

Abbatem fratres ipsius monasterii de seipsis eligendi semper habeant potestatem et eam personam eligant, quae Monachi propositum et habitu et moribus profiteantur: non canonicum aut laicum neque alterius monasterii Monachum: quoniam monachico ordini praeficere vel laicum vel canonicum non est servare ordinis professionem sed evertere; quod unusquisque praepositus, cujus est ordinis, ejus quoque erit et propagator: nec bene disponet aliquando cujuscumque militiae vitam, cujus non fuerit ipse, qui disponit, aemulator. Sed neque rex neque potestas aliqua ullam monasterio Corbejensi praeponat personam, quam non fratres ipsius elegerint monasterii. Debent enim mundi principes honorem praestare Deo, quem sibi volunt praestari a Deo, videlicet ut quemadmodum cupiunt a Deo sibi collatum regni honorem conservari, sic ecclesiae Christi suam non dedignentur servare legem. Non enim decet neque justum videri poterit, ut sibi militantibus de ecclesiae Christi professionibus mercedem restituant et quod de republica sua retribuere debent, id reddere velint de his, quae collata sunt Deo. Qua de re praecipimus omnino, ut monasterio beatorum Petri et Pauli, quod Corbeiae dicitur, nullam praeficiant personam vel ex sibi militantibus vel ex alieno monasterio sumptam, quae non per electionem sumatur probabilem sive de laico sive de canonico sive de quocumque fuerit ordine.

Die 28. Apr. 863. (Ibid. p. 314.)

Nicolaus I. Episcopis Galliarum.

Abbatem de se eligendi fratres coenobii sancti Carilefi semper habeant potestatem neque in electione Episcopi Coenomanici respiciant constitutionem aut dispositionem, sed quemcumque dignum vita, moribus atque

doctrina perspexerint pastorali officio et sibi utilem et aptum dispensatorem esse, ipsum eligant, *regisque in notitiam deferant, ut ejus et concessione et consensu potestatem regiminis accipiat.* Neque pro ejus vel ordinatione vel constitutione munus aliquod accipiatur vel detur, quoniam spiritus sancti donum non debet pretio sed gratia promereri.

Die 28. Apr. 863. (Ibid. p. 317.)

Joannes VIII. PP. Gerloni Abbati Trenorciensi.

Placet, ut per futura tempora ipsi Monachi ex se ipis habeant licentiam eligere Abbatem. Si quis autem temerario ausu magna parvaque persona contra hoc nostrum apostolicum decretum agere praesumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum et a regno Dei alienum et cum omnibus impiis aeterni incendii supplicio condemnatum.

Die 15. Oct. 876. (Ibid. p. 339.)

Joannes VIII. PP. Eudoni Abbati Viceliacensis coenobii.

Constituimus, ut obeunte Abbate praedicti monasterii non alius ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem consensus Monachorum secundum timorem Dei et institutionem regulae s. Benedicti elegerit et hujus apostolicae sedis Pontifex praeviderit ordinandum aut suggestione Monachorum consenserit ordinatum.

Die 29. Sept. (Ibid. p. 355.)

Marinus I. PP. Danieli Abbati coenobii Solemniacensis.

Placuit huic paginae inserere, ut obeunte Abbate praedicti coenobii nullus ibi, quacumque subreptionis ambitione Abbatem statuere praesumat, nisi quem ejusdem loci Monachi secundum authenticam et regularem institutionem ex se ipsis elegerint ordinandum.

Die 12. Juni 883. (Ibid. p. 361.)

Marinus I. PP. Gerardo Ep. Laudensi.

Sancimus, ut cum praesens ejusdem loci Abbas Adalbertus vel ejus successores ab hac luce divina vocatione subtracti fuerint, non aliunde sed de ipsa congregatione concorditer substituatur alter.

Die 22. Juni 883. (Ibid. 362.)

Formosus III. PP. congregationi Monachorum in territorio Viennensi.

Decernimus et ordinamus et constituimus et contestamur, ut decente more humano praedictae congregationis Abbate neque praesens praefatus Episcopus nec quisquam successorum illius aliquo typo et fastu superbiae aut cupiditatis et avaritae et iracundiae alium Abbatem et aliquo modo ipsi congregationi imponere praesumat, nisi quem ipsi Monachi libera electione et devotione secundum regulam s. Benedicti sibi elegerint.

Die 25. Novbr. 891. (Ibid. p. 367.)

Formosus III. Bornoni Abbati monasterii Gigniacensi dioec. Lugdun.

Si quod humanum est Abbas praedicti coenobii obierit, congregatio ipsius monasterii ex se ipsis secundum Deum et regulam beati Benedicti, quem idoneum praeviderint, concordi voto habeat semper eligendi et secundum morem in Abbatem sibi praeficiendi potestatem.

Mense Novb. 894. (Ibid. p. 370.)

Stephanus VII. PP. Raimbaldo Abbati monasterii Vulturnensis.

Obeunte ejus loci Abbate vel suorum successorum nullus ibi qualibet astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu vel saniori consilio elegerint secundum timorem Dei et beati Benedicti regulam a romano Pontifice consecrandum.

Anno 930. (Ibid. p. 386.)

Leo VII. PP. Odoni Abbati monasterii Floriacensis.

Neque ipse rex vel aliquis princeps unquam ipsum locum tradat aut Episcopo aut Canonico vel alicui Abbati sive laico homini aut cuilibet personae ad dominandum, sed, sicut praedictus pater Benedictus constituit, talem post discessum supradicti Abbatis Odonis Monachi habeant, qualem omnis congregatio vel minima pars saniori consilio secundum Deum elegerint, sive de ipsa congregatione sive de alia qualibet monastica fraternitate fuerit. Si autem, quod absit, talem personam eligere maluerint, quae vel per munus vel per cupiditatem inanis gloriae praesse voluerit, hoc per nomen Domini et sanctae Genitricis ejus, in cujus honore locus ipse dedicatus est, necnon beati Petri omnium ecclesiarum principis omnimodis prohibemus, et quicumque vel de ipsis Monachis vel de quolibet ordine qualiscumque persona, aut in ordinando Abbate aut in laesione rerum, sive in detrahenda vel impedienda

conversatione, quam novelli fratres tenere visi sunt, contrarius extiterit, hunc sub anathematis vinculo innodamus donec humiliatus resipiscat.

In ordinando autem Abbate tam rex quam Episcopi vel boni principes vel laici hanc potestatem juxta beati Benedicti praeceptum habeant, ut pravorum non permittant praevalere consensum, sed talem constituant, qui secundum regulam et religiosas praedictorum patrum consuetudines praeesse studeat.

Die 9. Jan. 938. (Ibid. p. 390.)

Agapetus PP. II. Hadamaro Abbati monasterii Fuldensis.

Eligendi sibi Abbatem, quando opus fuerit, fratres inter se potestatem habeant, secundum regulam sancti Benedicti sine ullius personae contradictione, tibique, dilecte fili Hadamare, quia te bene eruditum et eloquentem virum novimus, verbum Dei praedicare auctoritate sancti Petri et concedimus et praecipimus.

Die 28. Oct. 946. (Ibid. p. 328.)

Agapetus II. PP. Agmardo Abbati Cluniacensi.

Nullus ibidem contra voluntatem Monachorum praelatum eis post tuum decessum ordinare praesumat, sed habeant liberam facultatem sine cujuslibet principis consultu, quemcumque secundum regulam sancti Benedicti voluerint sibi ordinare, nisi forte, quod absit, personam suis vitiis consentientem eligere maluerint.

Mense Mart. 949. (Ibid. p. 400.)

Agapitus PP. II. Arnulfo Abbati Rivipulensis.

Statuimus, ut quando Abbas ipsius coenobii de hoc saeculo migraverit, neque a comitibus neque a qualicumque persona pro cupiditatis pecuniae causa neque pro qualicumque favoris inanis gloria ibidem Abbas sit constitutus, sed a cunctis servis Dei ejusdem suprascripti coenobii secundum Deum et secundum sancti Benedicti patris regulam digna persona eligatur Abbas.

Mense Decbr. 951. (Ibid. p. 404.)

Benedictus VI. PP. Caesario Abbati coenobii s. Caeciliae Montisserati.

Post obitum Abbatis nemo ibi Abbatem constituat nisi quem consensus et voluntas communis fratrum ex ipsa congregatione elegerit secundum Dei timorem et sancti Benedicti regulam, si ibi dignus inventus fuerit, nullumque praemium sive donum pro consecratione illius aliisque accipere contendat.

Die 16. Decb. 972. (Ibid. p. 432.)

Benedictus PP. VI. Eldrado Abbati monasterii Viceliacensis.

Constituimus, ut obeunte Abbate praedicti monasterii non alius ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur nisi quem consensus Monachorum secundum timorem Dei et institutionem regulae sancti Benedicti elegerit et hujus apostolicae sedis Pontifex praeviderit ordinandum aut suggestione Monachorum consenserit ordinatum.

Die 28. Novb. 973. (Ibid. p. 435.)

Benedictus PP. VI. Hildesindo Abati monasterii Petralatensis.

Post obitum Abbatis nemo ibi Abbatem constituant nisi quem consensus et communis voluntas fratrum ex ipsa congregatione elegerit secundum Deum et sancti Benedicti regulam nullumque praemium sive donum pro consecratione illius aliquis accipere contendat.

Mense Apr. 974. (Ibid. p. 438.)

Benedictus VI. PP. Gausberto Abbati monasterii Bisuldunensis.

Statuimus, ut, quando Abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus neque a comitibus neque a quacumque persona ibidem Abbas constituatur sed a cunctis ibidem degentibus servis Dei juxta patris Benedicti regulam eligantur Abbates qui a romano Pontifice vel a suo mandatore benedictionem suscipiant.

Die 8. Maii 979. (Ibid. 445.)

Benedictus PP. VII. Abbati monasterii Carcassanensis.

Post obitum Benedicti Abbatis nemo ibidem Abbatem constituat, nisi quem consensu et communiori voluntate fratres, qui ibidem Deo serviunt vel in antea sunt servituri, elegerint.

Anno 982. (Ibid. p. 447.)

Joannes XV. Hildesindo Episcopo et Abbati monasterii s. Petri in comitatu Petralatensi.

Post obitum Abbatis nemo ibi Abbatem constituat, nisi quem consensus et communis voluntas fratrum ex ipsa congregatione elegerit secundum Deum et sancti Benedicti regulam.

Mense Febr. 990. (Ibid. p. 458.)

Joannes XV. PP. Abbati Breunoviensi.

Post obitum Abbatis nemo ibidem Abbatem instituat, nisi quem ipsa congregatio communiter et concordi assensu elegerit.

Die 31. Maii 993. (Ibid. p. 461.)

Gregorius V. PP. Verenfrido Abbati Stabulensi.

Statuimus, ut dum Abbas de hoc saeculo migraverit, neque rex neque dux neque marchio neque Episcopus neque comes neque ulla alia persona ibidem Abbatem ordinare praesumat, sed congregatis in unum cunctis ejusdem monasterii fratribus ex communi consensu Dei providentia, qui dignus hoc honore visus fuerit, ex propria congregatione Abbatem ibidem ordinare.

Die 27. Maii 996. (Ibid. p. 464.)

Sergius IV. PP. Olivae Abbati monasterii Cuyanensis.

Statuimus ut, quando Abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus neque a comitibus neque a qualicumque persona cupiditatis pecuniae causa, neque pro qualicumque favoris inanis gloria ibidem constituantur Abbates, sed a cunctis ibidem degentibus servis Dei secundum Deum et juxta Benedicti patris regulam eligantur Abbates.

Mense Novbr. 1011. (Ibid. p. 498.)

Sergius IV. PP. Olivae Abbati Rivipullensi.

Statuimus, ut quando Abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus neque a comitibus neque a qualicunque persona pro cupiditate pecuniae causa, neque pro qualibet favoris inanis gloria ibidem constituantur Abbates, sed a cunctis ibi degentibus servis Dei secundum Deum et juxta Benedicti patris regulam eligantur Abbates.

Mense Novbr. 1011. (Ibid. p. 501. 504.)

S. Leo IX. PP. Teuzoni Abbati ss. Salvatoris in comitatu Clusino.

Statuimus, cum dictus Abbas de hoc saeculo migraverit, neque rex neque dux neque marchio neque Episcopus neque comes neque ulla alia persona ibidem Abbatem ordinare praesumat, sed concregatis in unum cunctis ejusdem monasterii fratribus ac communi consensu Dei providentia, qui dignus hoc honore visus fuerit, ex propria congregatione Abbatem sibi ordinent.

Die 6. Aug. 1051. (Ibid. p. 611.)

Alexander II. PP. Hugoni Abbati monast. Cluniacis.

Decernimus et omnino constituimus, ut obeunte Abbate non alius cujuscunque personae violentia constituatur ordinandus, sed ab ipsa congregatione loci secundum timorem Dei et institutionem legislatoris Benedicti pater, qui sibi praeesse debeat, eligatur; et ad eum ordinandum, quicumque illis placuerit, Episcopus advocetur.

Anno 1066.

(Bull. r. t. II. 28. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexander II. PP. Guilielmo Abbati Floriacensi.

Abbas, qui ordinandus ibi est, cum electione fratrum propter vitae meritum et honestatem morum et non propter turpia lucra seu pro pecunia eligatur; et absque ulla calumnia a quocumque Episcopo, prout sibi placuerit, benedicatur.

Anno 1071. (Ibid. p. 42.)

S. Gregorius VII. PP. Raymundo Abbati Candomi.

Constituimus, ut obeunte Abbate non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem fratres ejusdem loci communi consensu secundum timorem Dei elegerint.

Die 8. Mart. 1076. (Ibid. p. 79.)

S. Gregorius VII. PP. Almodo Abbati ss. Salvatoris in Britania.

Ita constituimus, ut obeunte Abbate non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem fratres ejusdem coenobii cum communi consensu secundum timorem Dei elegerint, maxime de eadem congregatione, si idoneus inventus fuerit. Quod si talis, qui huic regimini congruat, inter eos inveniri non possit, cum consilio romani Pontificis alium sibi patrem et magistrum expetant.

Anno 1077. (Ibid. p. 93.)

S. Gregorius VII. PP. Azoni Abbati ss. Salvatoris in loco, qui dicitur Septimo.

Constituimus, ut obeunte Abbate non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur nisi quem fratres ejusdem coenobii secundum timorem Dei elegerint, maxime de eadem congregatione, si idoneus inventus fuerit. Quod si talis, qui huic regimini congruat, inter eos inveniri non possit, aliunde sibi

patrem et magistrum expetant, qui non ab alio nisi a romano Pontifice secundum consuetudinem priorum Abbatum consecretur, neque alterius nisi ejusdem romani Pontificis subdatur judicio.

Die 10. Jan. 1078. (Ibid. p. 96.)

Eugenius PP. III. Roberto Abbati Militensis monasterii.

Obeunte nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia praeponatur, nisi quem fratres cum omni consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam elegerint, ab apostolicae sedis Pontifice consecrandum.

Die 24. Febr. 1150. (Ibid. p. 559.)

Eugenius III. PP. Theodorico Abbati monasterii in Wualciodoro.

Obeunte te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam praeviderint eligendum.

Die 12. Jan. 1152. (Ibid. p. 574.)

Innocentius II. PP. Petro Abbati b. Salyri Bituricensis dioec.

Obeunte te dilecte in Domino fili Petre, nunc ejusdem loci Abbate, nullus ibi per subreptionem aut violentiam praeponatur, nisi quem fratres ipsius loci secundum Dei timorem et beati Augustini regulam sibi praeviderint eligendum.

Die 5. Novb. 1131. (Ibid. t. II. p. 369.)

Innocent. II. PP. Pedro Abbati Trenartiensi.

Obeunte ejusdem loci Abbate nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu vel pars concilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum, ab apostolicae sedis Episcopo vel ejus legato consecrandum.

Die 16. Mart. 1132. (Ibid. p. 372.)

Innocent. II. PP. Joanni Abbati Papien. dioec.

Sane obeunte te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu vel pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendum: electus autem a romano Pontifice consecretur.

Die 3. Junii 1133. (Ibid. p. 382.)

Innocent. II. PP. Bertroo Abbati monasterii Fuldensis.

Obeunte te nunc ejusdem loci Abbate, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu aut fratrum pars concilii sanioris secundum beati Benedicti regulam elegerint.

Die 5. Junii 1133. (Ibid. p. 383.)

Innocent. II. Joanni Abbati s. Florae Aretinae dioec.

Obeunte te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars sanioris consilii secundum timorem Dei et beati Benedicti regulam providerint eligendum.

Die 23. Mart. 1135. (Ibid. p. 401.)

Lucius II. PP. Nicolao Abbati monasterii omn. SS. Barensis dioec.

Obeunte te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendum; cui si qua gravior causa evenerit libere liceat apost. sedis audientiam appellare.

Die 25. Novb. 1144. (Ibid. 504.)

26) Ad Episcopatum promovendus abbatia resignata.

Vd. *Episcopus regularis.*

S. Gregorius I. PP. Abbati xenodochii Augustodunensi.

Simili quoque definitione juxta desiderium conditorum *decernimus, ut nullus eorum qui eidem xenodochio atque monasterio Abbas aut presbyter in posterum fuerit ordinatus, ad episcopatus officium quacumque obreptione sit ausus accedere, nisi prius Abbatis officio sit privatus aliusque loco ipsius subrogatus,* ut ne res xenodochii vel monasterii iniqua erogatione consumens gravissimam aegestatis

necessitatem pauperibus ac peregrinis vel caeteris exinde viventibus generet. Episcopum vero tollendi de eodem loco Monachum ad ecclesiasticum ordinem promovendum vel pro aliqua quacumque causa sine consensu Abbatis atque presbyteri habere licentiam prohibemus, ne hujus rei usque ad hoc usurpatio perducatur, ut loca, quae acquisitione hominum construenda sunt, ablatione destruantur.

Anno 603. (Bull. r. t. I. p. 173. n. 5. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Vd. *Episcopus regularis.*

27) Excommunic. et correctio ab Episcopo.

Abbas exemptus non potest ab Episcopo excommunicari ex ejus ordinaria auctoritate; *sacr. Congr. Episc. in nullius Burg. s. sepulchri 25. Febr. 1712. ponente Card. Colloredo,* ut refert Ursaya *tom. 3. p. 1. discep. 15.*

Etiamsi non possit Abbas ab Episcopo regulariter excommunicari, poterit tamen ab eodem Episcopo in aliquo casu denuntiari, ut eviteretur. *Tamb. de jure Abbat. 14. q. 3.*

28) Exemptionis amissio.

De modis, quibus Abbates exemptionem amittere possunt, plene agit Chokier de *jurisdict. in exempt. part. 3. per tot.* Id unum inculcandum est, quod si Abbas exemptus sit simul immediate s. Sedi subjectus, ad amissionem exemptionis minime efficax est quadragenaria, sed omnino requiritur centenaria, idque ratione praejudicii, quod inde obvenit ecclesiae romanae, ut ex text. *in cap. Quum dilecta, §. 4. de confirmat. util. vel inutil.* post antiquos firmant *Loter. de re benefic. lib. 1. quaest. 24. n. 244. et seq.,* mox laudatus *Chokier de jurisd. in ex. p. 3. qu. 12. a num. 4. ad plur. seqq.*

29) Exemptio quando non constat?

Vd. *Abbas* (species tripl. Decr. diei 17. Maji 1861.)

30) Exemptus.

a) Jurisdictio in suos Monachos-Canonicos.

Abbas ecclesiae exemptae, usum mitrae habens, qui divinis solemniter interest, potest Episcopo absente suos Canonicos assumere et eandem in Canonicos ecclesiae colleg. jurisdictionem exercere, quam Episcopus in suos. N. 232. ad 2. die 7. Febr. 1604.

Vd. *Visitatio* (eccles. exempt.; eccles. paroch. et curat. regul.); *Jurisdictio Abbat.*

b) Quando exemptus a jurisdictione Episcopi?

Episcopus Eugubinus hoc primum statuit, quod nisi Abbas probet se habere jurisdictionem omnino, ordinariam cum territorio seperato et qualitate, ut pragmatici ajunt, *vere Nullius,* non possit se subtrahere ab illa jurisdictione, quam Tridentina synodus saltem nomine Sedis apostolicae Episcopis omnibus delegavit, ut docet *Card. de Luc. de jurisdict. disc. 1. num. 8; Galliard. instit. juris canon. lib. 1. tit. 24. n. 1.*

Die 7. Sept. 1805. *Eugubina.*

c) Species triplex.

Vd. *Abbas* (species tripl.)

Abbates triplicis sunt speciei; alii *primae specciei* dicti, qui principaliter cum certis locis ab Episcoporum jurisdictione eximuntur et nonnisi per consequentiam aliqua donantur jurisdictione non in populum et clerum, sed in personas eorum locorum; alii nuncupati *secundae speciei,* qui, nonnullis exceptis quae nominatim prohibentur, obtinent quae ad Episcopos pertinere dicuntur *lege jurisdictionis* in populum et clerum aliquorum oppidorum, remanentibus tamen oppidis illis in dioecesibus suorum Episcoporum et sic Episcopis competentibus cunctis, quae ad eos *jure ordinis* et *lege dioecesana* pertinent, quae vetita sunt ipsis Abbatibus *secundae speciei,* tum quae Episcopis in loca exempta sunt delegata; alii, *tertiae speciei* vocati, qui plenius obtinent quae ad Episcopos *lege jurisdictionis* pertinent, in populum et clerum certorum oppidorum, iis a dioecesibus suorum Episcoporum seperatis, ideoque Episcopis minime competentibus quae ad ipsos pertinent *jure ordinis legeque dioecesana,* sed tantum quae delegata ipsis sunt in loca *Nullius.* Confer *Card. Petra in comment. ad constit. apostol.; constitut. 6. Alexand. III. sect. 1. n. 1. et plur. seqq. et const. 5. Callixti III. sect. 1. num. 6. et plur. seqq.; Clement. in sua concord. pastoral. p. 1. cap. 4. a n. 64. ad fin.*

Num dari queant Abbates exempti *exemptione,* ut ajunt, *nativa, consule Clement. in sua concord. pastoral. part. 1. cap. 6. a n. 18. ad fin.* Regulariter vero Abbates evadunt exempti vel privilegio pontificio vel praescriptione seu quod idem est vel *exemptione dativa* vel *exemptione praescriptiva.*

Quod attinet ad privilegium pontificium, quum nulla in re magis peccatum sit, quam in falsandis id genus privilegiis pontificiis, ut

sunt antiquae querelae Petri Blesensis in epist. 68. nomine *Richardi Archiepiscopi Cantuariensis* scripta *ad Alexandrum III.* et dolet *Hericourt. in legib. eccles. suo ordin. restit. p. 1. c. 11 §. 11.*, prudenti proinde consilio in jure canonico statutum est, ut in controversiis de exemptione nonnisi exhibitis authographis judicium ferri possit, ut jamdudum praescripsere Alexander III. *in cap. Accepimus de fide instrument.* et Bonif. VIII. *in cap. Quam personae de privileg. in 6.* Quin imo examinanda sunt authographa juxta rigidas illas artis criticae regulas, quas ad detegendum, utrum ea vera sint an falsa, circa qualitatem chartae, formam scripturae, adjunctionem fili et alia id genus, proposuit Innoc. III. *in c. Licet et in cap. Quam gravi, de crimine falsi.* Conferendus de hisce regulis omnino est Rousseaud de la Combe, *in sua jurisprudentia canonica, verb.: exemptio, sect. 8. dist. 5. per tot.*

Privilegium pontificium, ut importet exemptionem vel *primae* vel *secundae* vel *tertiae speciei*, debet esse clarissimum; nam in quovis dubio, contra exemptionem, utpote Episcopis praejudicialem et sic odiosam, respondendum est, *Zypeus consult. canon. n. 1. tit. de privileg*; *Danesp. jur. eccles. univers. pars. 3. tit. 12. c. 5. n. 3. et seqq.* Antiquitus non consuevisse romanos Pontifices concedere hoc privilegium[1] nisi requisito consensu Episcopi, cujus jurisdictioni praejudicium irrogabatur, demonstrant *Thomassin. de veter. ac nov. eccles. discipl. t. 1. lib. 3. c. 38. per tot.*; *Hericourt in leg. eccles. suo ordini restitutis, part. 1. c. 11. §. 7.* Quibus vero verborum formulis tributa, necne, censeri debet exemptio *primae specici*, quibus exemptio *secundae speciei*, longum esset tradere. Vide *Cardinal. Petra in commentar. ad const. apostol., const. 6. Alex. III. sect. 1. fere per tot.*; *Clement. in sua concord. pastoral. p. 1. cap. 6. fere per tot.* et potissime decretales a summo Pontifice Bened. XIV. editas in *Spiren. jurisdictionis*, in *Conversana jurisdictionis*, tum in *Tusculana jurisdictionis*. Quod si cupias interpretationem hujusmodi privilegiorum pro exemptione *tertiae speciei*, consule decisiones Rotae *in Marsicen. seu Nullius jurisdictionis super bono jure 7. Junii 1700. coram bon. mem. Muto, et in Brictinorien. seu Nullius Foropompilien. jurisdictionis 27. Aprilis 1725. coram bon. mem. Cerro.*

Quod vero concernit praescriptionem, si de exemptione vel *primae* vel *secundae speciei* agatur, sufficit immemorabilis vel centenaria vel quadragenaria cum titulo colorato. At si quaestio sit de exemptione *tertiae speciei*, nonnisi immemorabilis efficax est, uti definitum fuit in reformationem antiquae sententiae alias a Rota amplexae in celebri decreto *Congregationis particularis* exarato a R. P. D. Prospero Lambertini et approbato a S. M. Clem. XI. die 14. Januarii 1721. Censuitque Rota *in S. Angeli Lombardorum jurisdictionis 4. Febr. 1756. §. 19. cor. reverendis. P. D. Bussio*, mox dictum decretum non esse legem novam sed legis veteris declarationem, atque hinc locum habere, etiamsi agatur de casu ante ipsum jam per rem judicatam definito, qui in gradu restitutionis in integrum revideatur. Sublatam vero ab hoc decreto non fuisse observantiam in *linea interpretativa* privilegii pontificii patet ex ipso decreto.

Ex quibus actibus praescriptione acquiratur exemptio *primae speciei* tradunt *Frances. de Eccles. Cath. c. 30. n. 156;* Rot. *in recent. dec. 76. n. 11. p. 10. cor. Molin. dec. 76. n. 18. et dec. 846. n. 109., optime in Osnaburgen. jurisd. 29. Januar. 1725. fere pert. tot. cor. bon. mem. Cerro.* At facile haud est dignoscere quibus ex actibus praescriptione acquiratur exemptio *secundae speciei* tum exemptio *tertiae speciei*. Vicinitas enim quae intercedit potestatem Abbatis *secundae speciei*, saepe in causa est, ut, qui actus sufficiunt ad praescriptionem exemptionis *secundae speciei*, ii per errorem trahantur ad praescriptionem exemptionis *tertiae speciei*, ut conqueritur *Clement. in sua concordia pastorali p. 1. c. 4. n. 89.* Ad vitandum errorem hunc oportet unam ab altera potestate distinquere limitesque uniuscujusque statuere, ut dignosci inde possit quinam actus proprii sint unius et quinam alterius praescriptionis.

Abbati *secundae speciei*, exceptis literis dimissoriis et excommunicationibus, quae, monitionibus praemissis, ad finem revelandi pro rebus subtractis aut deperditis, feruntur, et si agatur de Abbate non regulari sed saeculari, cognitione causarum matrimonialium et criminalium, tum approbatione confessariorum et concionatorum, caetera fere competunt, quae ad Episcopos pertinent lege jurisdictionis, tum *voluntariae*, ut sunt collatio beneficiorum, institutio clericorum a patronis praesentatorum, destinatio officialium et quaecumque nullo judiciali strepitu peraguntur, tum *contentiosae*, ut sunt potestas

jus dicendi in causis ecclesiasticis et delicta puniendi poenis ecclesiae, ut post alios tradunt *Clement. in sua concord. pastoral. part. 1. c. 4. a n. 85. ad n. 98; P. Gaudent. a Janua de visitat. tom. 1. cap. 3. dub. q. sect. 2. n. 4.* Et ut recte monet *Clement. loco mox citato n. 94.* exercere solet Abbas *secundae speciei* actus jurisdictionis *vel cumulative cum Episcopo*, (sunt ejus verba) *vel privative ad eum juxta formam privilegii vel praescriptionis.* Utroque tamen casu, retinet Episcopus ea, quae sunt *ordinis*, ut sunt ordinatio clericorum, administratio chrismatis, distributio olei sancti et alia id genus, quae sunt *legis dioecesanae*. ut sunt visitatio, exactio cathedratici etc., quae vetita esse ipsi Abbati *secundae speciei* modo dictum est et quae Episcopis in loca exempta sunt delegata, ut, praeter mox adductos, firmat *Card. de Luc. de jurisd. disc. 1. n. 9.*

Aliter vero se res habet quoad Abbatem *tertiae speciei*. Huic enim, demptis literis dimissoriis cum excommunicationibus, quae feruntur praemissis monitionibus ad finem revelationis pro subtractis aut deperditis rebus, omnia competunt quae sunt tum *voluntariae* tum *contentiosae* jurisdictionis et quidem *excluso* semper Episcopo. Quinimo Episcopus nec retinet quae sunt *legis dioecesanae*, imo nec quae sunt *ordinis*, quum possit Abbas *tertiae speciei*, pro iis adire quemlibet Episcopum, ut firmant *Card. Petra in comment. ad constit. apostol., constit. 5; Innocentii IV. sect. unic. n. 29. et duob. sequent.* et rursus *constit. 14. ejusdem Pontificis n. 53.* et demum *constit. 4. Callisti III. sect. 2. n. 90; Pignatell. consult. canon. tom. 7. consult. 8. num. 89. 90. et 102; Rot. cor. Zaratt. dec. 10. n. 20. et plur. seq. in Marsicen. seu Nullius jurisdictionis super bono jure 7. Junii 1700. §. Insuper, et §. Itaque, cor. bon. mem. Mut. et in Brictinorien. seu Nullius Foropompilien. jurisd. 28. Apr. 1725. §. Hanc vero, cor. bon. mem. Cerro.* Solumque Episcopus ea exercere valet quae speciatim delegata sunt in loca *Nullius*.

Patet ex his, quod ad acquirendam praescriptione exemptionem *secundae speciei* satis est docere de exercitio actuum *voluntariae et contentiosae* jurisdictionis in clerum et populum alicujus loci, vel privative ad Episcopum vel cumulative cum ipso Episcopo.

Ad acquirendam vero praescriptione exemptionem *tertiae speciei* minime sufficit probare exercitos fuisse in clerum et populum alicujus oppidi actus jurisdictionis *voluntariae* et *contentiosae*, Abbati *secundae speciei* permissos, sed docere omnino oportet de exercitio itidem eorum actuum jurisdictionis *voluntariae et contentiosae*, qui mox dicto Abbati *secundae speciei sunt* prohibiti, tum et maxime de exclusione Episcopi non modo ab iis sed et ab actibus *legis dioecesanae et ordinis*, ut firmavit *Rot. in Burgen. jurisd. s. Joannis super territorio separato 10. Dec. 1725. §. 2. et 21. Junii 1726. §. 1. et 2. et 9. Jan. 1728. §. 8. cor. bon. mem. Ratt.* inter impress. *dec. 163. n. 4. et 28. Mart. 1735. §. 5. et 20. Jan. 1736. §. 2. cor. reverendiss. P. D. Bussio, et 16. Maii 1738. §. 5. cor. clar. mem. Calcagnin.*

Silentio omittendum haud est dari Abbates *tertiae speciei* per quandam fictionem. Hi sunt, quibus non est territorium cum clero et populo et nonnisi privilegio pontificio, eoque specialissimo et clarissimo, dari possunt. Consule de ipsis *Card. de Luc. de jurisdict. discurs. 18. n. 7; Card. Petr. in comment. ad constitut. apost., constit. 6. Alexandr. III. n. 6. et plur. sequent.; Clement. in sua concord. pastoral. part. 1. cap. 6. a n. 35. ad plur. seqq.; Rot. in Burgen. jurisd. s. Joannis super territorio separato 26. Martii 1735. §. 18 et 20. Jan. 1736. §. 3. cor. reverendiss. P. D. Bussio, et 11. Maii 1838. §. 7. cor. clar. mem. Calcagnin.*

Hic quoad Abbates exemptos tertiae speciei; non inutile est monere esse inter hosce aliquos, de quibus non est judicandum secundum regulas communiter in subjecta materia receptas.

Utque res nota fiat, sciendum est, quod occurunt in ecclesia loca aliqua inhospita et deserta, eaque dicta *Nullius* non in sensu illo sequioribus saeculis usurpato, quod scilicet separata essent a dioecesi sui Episcopi praelatusque in iis esset cum jurisdictione quasi episcopali, sed in sensu longe diverso, quod in ea, utpote deserta et inhospita, nullus finitimus Episcopus jus aliquod sibi asserebat.

Ex quo vero loca haec inhospita et deserta inhabitari incipiebant, secundum disciplinam eorum temporum immediate s. Sedi subjiciebantur, eratque in potestate novorum incolarum pro iis, quae sunt ordinis, quemlibet Episcopum arcessere; *Fagnan. in cap. 3. n. 16. de paroch.; Thomassin. de veter. et nov. eccles. discipl. tom. 1. par. 1. lib. 3. cap. 37. num. 2.*

Constructis subinde ecclesiis seu monaste-

riis *Pontifices* (ait *Fagnanus* uti supra) *presbyteros seu Abbates deputarunt, qui illis praeessent et jurisdictionem loco Episcoporum in clerum et populum exercerent:* Quum igitur hi Abbates jurisdictionem antea haud exercebant, nil mirum si distinguantur ab aliis Abbatibus cessentque adversus eos regulae illae, quibus in dubio pro Episcopis contra Abbates exemptos tertiae spiciei sit judicandum. Vide *Blisson de jur. Episcop. in regular. exempt. cap. 3.*

Exemptionem, qua fruuntur Abbates a jurisdictione Episcoporum, eandem ubique non esse, cum modo *passivam* habeant exemptionem, modo *activam* jurisdictionem in clerum et populum, et hanc vel *privative* exerceant vel *cumulative* cum Episcopis, ut tradit *Card. Petra comment. ad constit. apostolic. tom. 1. pag. 127. num.* 3. *et seqq.*

Die 17. Septbr. 1815. *Nullius Ferentilli.*

30) Facultatem celebr. pontif. tribuens.

Abbas subjectus Ordinario non potest dare licentiam alteri Abbati exempto vel forensi celebrandi pontificaliter in sua ecclesia *sine* licentia Ordinarii. N. 646. die 18. Julii 1626. *Vd. p. 45. §. Concedere.*

31) Ab interstitiis dispensat.

Dispensare possunt Abbates super interstitiis cum suis subditis, quos ad Minores promovent. Ricci *in prax. t. 2. resolut. 584; Tamburini de jure Abbat. 2. Disp. 2. Q. 12. 13.* Dispensare vero non possunt in interstitiis cum suis subditis quoad ordines majores. Vid. *Con. Trid. sess. 23. de Reformat. cap. 11; Tambur. loc. cit. q. 24.*

Vd. infra §. Valent etiam.

32) Juramentum Abbatis cum jurisdict. quasi episcopali.

Vd. *Visitatio Liminum* (ab Abbat. etc., const. Bened. XIV. die 23. Novbr. et 15. Decbr. 1740.)

33) Jurisdictio.

Vd. *Jurisdictio Abbatis; Visitat. eccles. paroch. et curat. eccles.*; *Abbas* exempt. (spec. tr. p. 41.)

34) Cum jurisdictione quasi episcopali in territorio nullius dioecesis.

Vd. *Abbas* (Ordinarius)

Possunt Abbates et Praelati, quocumque nomine nuncupentur, dummodo habeant territorium nullius dioecesis plenamque in eo jurisdictionem quasi episcopalem, conferre beneficia, adhuc curata et parochos, ac beneficiarios instituere institutione etiam authorizabili. Nec valet Episcopus visitare ecclesias nec clericos ejus territorii. Possunt praeterea procedere contra quemvis concionatorem ibi absona concionantem et punire religiosum inibi extra monasterium delinquentem. *Mendo in Epitome n. 2. ex* Trident. *sess. 5. de reform. c. 2. et sess. 6. de reform. c. 3.*

Valent unire beneficia *(Barbosa de potest. Episc. alleg. 66.* et alii ex Trident. *sess. 21. c. 5.)* seu ecclesias parochiales sui territorii et transferre beneficia ab ecclesiis dirutis ad alias et illas facere reaedificari, necnon reviderе dispensationes, quae ad suum territorium deveniunt. Et circa mutationem voluntatis seu dispositionis testatorum possunt idem, quod ex justa causa Episcopus vigore Tridentini *sess. 22. de reform. c. 5. et 6.* Ac etiam agnoscere de subreptione et obreptione gratiae concessae alicui super absolutione publici criminis, quod Episcopis conceditur. *Trid. sess. 13. de reform. c. 5.* Et quae his competunt seclusis iis, quae ad ordinem spectant, respective praefatis Abbatibus ac Praelatis competunt. Hinc possunt Abbates praedicti visitare omnia opera pia *(Riccius in praxi aurea res. 330.)* collegiorum et hospitalium in suo territorio, rursus examinare, ac visitare notarios sui territorii *(Lezana t. 4. consult. 45. n. 72.)* etiamsi apostolica, imperiali aut regia auctoritate institui fuerint, atque illos valent punire ob delicta in suo munere patrata.

Rursus possunt cognoscere de causis criminalibus clericorum (de *Narbona l. 59. gl. 1. tit. 4. l. 2. Recop.)* sibi subjectorum necnon de causis matrimonialibus, item approbare confessarios erga suos subditos *(Suarez. tom. 4. de poenit. dec. 28. sect. 5.)* illosque examinare: item approbare ad concionandum in suo territorio, haec enim omnia concedit Episcopis Tridentinum. Caeterum confessarii ab hujusmodi Abbatibus approbati possunt audire confessiones non solum parochianorum sed peregrinorum et advenarum illuc accedentium, sicut possunt approbati ab Episcopo in ejus dioecesi, quin et absolvere possunt advenas absque fraude illuc accedentes a casibus reservatis in eorum territorio *(Card. Lugo de poenit. dec. 20. sect. 5. num. 71),* qui inibi non sunt reservati, quia reservatio casuum solum tollit potestatem absolvendi iis confessariis, qui sunt in territorio reservantis.

Valent etiam clericis saecularibus sibi subditis concedere dimissorias ad ordines. *Tamburinus de jure Abbat. d. 2. q. 26.* Et tunc non debent ii clerici ab Episcopis examinari, stante etiam concilio Tridentino. *Diana, p. 5. tr. 10. resol. 30.* Nam Tridentinum dumtaxat ait id competere Episcopis, intra quorum fines existunt clerici saeculares. Territoria autem ejusmodi Abbatum seu Praelatorum et clerici sunt extra fines, cum non sint in dioecesi, sed sint nullius dioecesis vere et realiter et non intra fines, nec solum nomine tenus dicantur nullius dioecesis. Hinc Abbates praedicti dispensare valent etiam in interstitiis, non solum in casibus, in quibus tonsuram et minores ordines conferre possunt, sed etiam in eo casu quo suos subditos cum dimissoriis remittunt, ut ab Episcopis ordinentur. *Diana p. 5. tr. 10. resol. 40.*

Possunt hujusmodi Abbates dispensare ex justa causa (*Lezana tom. 4. consult. 45. n. 104.)* in denuntiationibus ad matrimonium requisitis; et concedere licentiam assistendi matrimoniis, cum sint Ordinarii in suo territorio, Insuper congregare in eo synodum *(Tambur. tom. 3. d. 3. q. 3.)* et constitutiones synodales condere atque etiam reservare casus. Sed observanda est forma tradita a Clemente VIII. in bulla de reservatione casuum, quae adducitur a *Tamburino tom. 2. d. 13. quaest. 2.*

Possunt insuper Abbates praedicti imponere censuras, interdictum et cessationem a divinis necnon ex causa dispensare cum subditis in recitatione officii canonici, cum is sit actus jurisdictionis ordinariae ad Praelatos spectans. *Navarr. cap. 12. de horis, n. 24.* Praeterea commutare vota non reservata et in iis dispensare. Adhuc concedere facultatem egrediendi monasteria monialium sibi subjectarum in casibus permissis ob urgentem necessitatem et justam causam (*Gibalinus de claus. monial. d. 4. §. 5.),* quod competit omnibus Praelatis ejusmodi monasteriorum.

Concedere pariter valent veniam, ut quivis Episcopus, etiam titularis, exerceat Pontificalia in suo territorio. *Barbosa de jur. eccl. l. 1. cap. 17. n. 109.* Nequeunt tamen concedere indulgentiam, quia haec potestas reservatur solis Episcopis privative quoad omnes alios.

Possunt denique consecrare calices, altaria, campanas et hujusmodi alia, etiam ad usum ecclesiarum non sibi subditarum. *Diana p. 3. tr. 2. res. 15.* Quod etiam competit Abbatibus monasticis ex privilegio ab Innocentio VIII. concesso. Necnon subditis conferre primam tonsuram et minores ordines et demum benedicere omnia ornamenta ecclesiae, vasa, capellas et ecclesias in suo territorio.

35) Jus.

Praeter oeconomicam bonorum monasterii administrationem (vide de hac *cap. Nullum CXVII. q. 2., et c. Cum ad monasterium, de statu Monachorum)* et paternam, quae Abbatibus in Monachos suae curae commissos vi voti obedientiae competit, potestatem alia insuper praestant illi potestate ecclesiastica, quae seu dispositione juris ecclesiastici seu consuetudine immemoriali ad eos pervenit, magno auctoritatis et splendoris incremento. Ad consuetudinem immemorialem spectant, quae *p. 41. c.* invenies diligenter discusa.

Porro ex juris ecclesiastici dispositione habent Abbates regulares

1. Facultatem absolvendi Monachos sibi obnoxios a peccatis seu per se seu per sacerdotem delegatum: *Extravag. comm. Inter cunctas de privileg.*

2. Statuendi casus reservatos, quorum tamen numerum Clemens VIII. a. 1593 ad undecim casus restrinxit, quin augeri possit sine consensu capituli saltem provincialis aut secluso novo aliquo privilegio.

3. Coercendi suos etiam ecclesiasticis censuris.

4. Causae illis saepe per apostolicam Sedem delegantur cum potestate contumaces censuris coercendi, etiamsi commissionis literae id minime contineant: *cap. Sane, cap. Pastoralis, de officio delegati.*

5. Ad concilia generalia, ad quae olim ex privilegio et consuetudine admittebantur, hodie quasi ex lege vocantur, cum jure suffragii non solum consultivi sed etiam decisivi. *Turrecr. lib. 13. cap. 12. et 13.; Malderus disp. 1. de concil. dub. 4., Bellarm.* aliique passim.

6. Abbates, qui ornamentis pontificalibus gaudent, ea omnia benedicere possunt, in quibus chrisma aut unctio non intervenit.

7. Subditis suis regularibus minores ordines conferre possunt. Hinc demum praecipua quadem post Episcopos dignitate fulgent. *Can. Si quis deinceps CXV. q.*

36) Jus et exercitium praelaturae quando acquirit?

Praelaturae siquidem jus per simplicem electionem acquiritur electo, *Fagnan. in lib. Decretal. cap. 3. de postulat. Praelat. n. 77.* Licet contra acquirat electus jus praelaturae,

ejus tamen exercitium et administrationem obtinet a confirmatione, *cap.: Pastoralis in fin. de rescript., cap.: Nosti et cap.: Transmissam de elect.; Goffred. in cap. 2. de translat. Episcop.*; *Tamburin. de jur. Abbat. disput. 6. quaest. 13. num. 20. et 25.*

Die 28. Novbr. 1789.

37) Nominatio in canone missae.

Eos religiosos, qui Antistitis nomine tacito ejus loco in precibus sive in canone suae religionis superiorem nominant, contra charitatem facere. N. 283. die 12. Novb. 1605.

Non debent regulares in canone nominare superiores suos ut Antistites. S. C. 15. Novb. 1615.

In canone et in collectis omnino faciendam esse mentionem de Episcopo etiam ab exemptis. N. 1611. ad 6 die 25. Sept. 1649.

In canone nomine Antistitis non sunt nominandi superiores regularium. N. 2363. ad 11. die 13. Febr. 1666.

In loco defuncti Pontificis vel Episcopi nemo alius in canone nominari debet. N. 2451. ad 12 die 15. Sept. 1668.

Postulabat Abbas saecul. collegiatae de Lerma Nullius provinciae, ut liceret clero saeculari quam regulari in ecclesiis ei subjectis eum nominare in canone. S. C. resp.: *Negative.* N. 4494. die 1. Sept. 1804.

Nomen *Episcopi Administratoris* amovibilis ecclesiae vacantis non debet in canone memorari per sacerdotes celebrantes. N. 3952. ad 5 die 22. Aug. 1722.

Celsitudinis regalis Eminentiae Ludovici D. Cardinalis Infantis Hispaniarum Toletanae, Hispalensis Ecclesiarum *administratoris* et possessoris, licet sacris destituti ordinibus, nomen in canone missae, collecta et praeconio est exprimendum. N. 4135. die 19. Jan. 1743.

38) Literas dimiss. suis subditis saecul. ut Abbas concedere non potest sed solum regul.

Vd. *Abbas* (bened. ab Episcopo etc. p. 6.): *Abbas exempt.* (species tripl.) *Vd. p. 44. §. Valent etiam.*

Abbates, licet in parochos et parochianos jurisdictionem habeant quasi episcopalem privative ad Episcopum, nequeunt suis subditis saecularibus literas dimissorias ad ordines suscipiendos concedere: *Concil. Trid. sess. 23. de reform. cap. 10.*, ubi expresse habet: *Nec ipsi Abbates et alii exempti aut collegia vel capitula quaecumque etiam ecclesiarum Cathedralium literas dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in hujus sacrosanctae synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existunt, pertineat, non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus;* et sic pluries decrevit s. Congregat. Concilii et potissimum dum *Cardinalis Farnesius obtinens in commendam abbatias s. Zeni et Farfae, in quibus habet jura episcopalia, dubitavit: an posset dimissorias ad ordines concedere. Sacra Congregatio respondit non posse, licet die 26. Januarii 1635 haec facultas fuerit concessa Cardinali Barbarino, sicut etiam facultas faciendi concursus, ut habetur in registris sacrae Congregationis Episcoporum 26. Aprilis 1641.* Imo propositio dubio: *An Episcopus, cui commendatum est monasterium exemptum, possit sibi saeculares subditos ratione dicti monasterii ordinare non obstante capite 10. sess. 23. concilii, sacra Congreg. censuit: Non posse, quia ordinaret eos subditos tanquam Episcopus.* Et hoc ipsum saepius declaravit etiam *sacra Congreg. Episcop. et Regul.*, quae censuit subditis saecularibus, nullius dioecesis, non posse concedi literas dimissorias a Praelato loci vel ejus Vicario, imo neque a Vicario apostolico, sed ab Episcopo viciniori, ut in *Putiniacensi 16. Januarii 1596; in Nullius Carpensis 15. Decemb. 1603. et 22. Nov. 1604. et 14. Junii 1606. et in Nullius Altamurae 9. Augusti 1604.*

Caputaquen.

(Con. Trid. C. 8. 10. 12. Sess. 23. De refor.)

Per binas epistolas supplex indoluit apud hanc S. C. Episcopus Caputaquen., quod patres Carthusiae s. Laurentii prope oppidum Padulae illius dioecesis, cum caeteroquin anteactis temporibus semper consueverint accedere ad Episcopum dioecesanum pro suscipiendis ordinibus, nihilominus postquam fuit ipse ad illam sedem episcopalem evectus, binis habitis ordinationibus generalibus in oppido Salae existen. prope eandem Carthusiam, praefati patres de industria ad illum accedere non curaverint, sed cum exinde abiisset idem Episcopus ad oppidum Cilenti ad habendam tertiam generalem ordinationem, Superior supradictae Carthusiae requisiverit ab eo facultatem, ut nonnulli sui religiosi insigniri potuissent ordinibus ab Episcopo Policastren. At cum renuerit Episcopus Caputaquen. talem facultatem impartiri, promptum se exhibendo eisdem religiosis per se ipsum manus imponere, eo tamen non attento, idem Superior dimiserit suos Monachos cum literis dimissorialibus ordinandos ad praefatum Episcopum Policastren., a quo jam fuerunt ordinibus initiati et nuperrime de mense Decembri anni 1706 alium religiosum pariter ordinandum dimiserit ad Episcopum Marsicen. jam vita functum, contra praescriptum decreti hujus s. Congreg. de mandato s. m. Clementis VIII. editi sub die 15. Maii 1596. Quocirca idem Episcopus, qui haec recenset, supplicavit humiliter pro remedio opportuno.

Exquisita desuper relatione Vicarii capitularis Marsici idem retulit, superioribus annis permultos Monachos monasterii s. Laurentii prope Padulam fuisse promotos a diversis Episcopis Marsici praedefunctis ad ordines sacros cum literis dimissorialibus Prioris illius Carthusiae, in quibus tamen vel attestatus est Episcopum Caputaquen. fuisse absentem vel impeditum ad Pontificalia exercenda, quo casu produxerint etiam literas testimoniales mox dicti Episcopi super impedimento praedicto, quas omnes literas servari, ait, in archivo illius curiae episcopalis per ipsum informantem recognitas; solumque reperisse subdit Gabrielem Busce Neapolitanum ejusdem Carthusiae Monachum promotum per Episcopum Marsicen. praedefunctum ad presbyteratus ordinem de mense Decembri 1706 cum solis literis dimissorialibus sui Prioris, in quibus nulla fit mentio de Episcopo Caputaquen.

Auditus insuper fuit Procurator generalis ordinis Carthusiani in Urbe, qui retulit Priorem praememoratae Carthusiae de mense Maii 1706 nonnullos suos religiosos ordinandos dimisisse ad Episcopum Policastren., quo tempore Episcopus Caputaquen. ordinationem habuit in conventu Minorum Observantium oppidi Cilenti distan. a terra Padulae quadraginta circiter milliaribus per vias difficiles et impervias, ut ex exhibita attestatione syndici et electorum universitatis jam dictae terrae; ac successive de mense Decembri ejusdem anni nullam ordinationem habente praefato Episcopo Caputaquen., quamvis in dioecesi praesente, ut ex simili attestatione exhibita attestatione syndici et electorum, pariter dimisisse quendam suum regul. ordinandum ad Episcopum Marsicen. Porro in literis testimonialibus ordinum collatorum praedictis religiosis ab Episcopo Policastren. nulla mentio fiat de impedimento seu absentia Episcopi Caputaquen. circa ordinationes habendas. Reliquum igitur est, ut EE. VV. libratis his et aliis, quae hinc inde adducentur, non graventur resolvere infrascripta dubia concordata

I. An Monachi Carthusiani s. Laurentii terrae Padulae Caputaquen. dioecesis promoti ad ordines tam sacros quam minores ab Episcopo Policastren. et Marsicen. sint licite ordinati? Et quatenus negative,

II. An et quas poenas incurrerint ipsimet ordinati et Superiores in casu?

S. C. C. resp.: *ad 1: Negative;*

ad 2: Superiores incurrisse poenas contentas in decisis S. M. Clementis VIII., sed ex gratia absolvendos.

Die 28. Jan. et 11. Febr. 1708.

Renovavit nuper querelas idemmet Episcopus, quod eo irrequisito praefati Superiores vigore trium apostolicorum brevium extra tempora nuncupat. pridemque obtentorum tres suos Monachos ordinandos dimiserint ad eundem Episcopum Policastren., a quo re ipsa ordinati fuerunt. Unde videns propriam jurisdictionem laesam humiliter exoravit pro remedio opportuno transmittendo exemplar unius ex praedictis brevibus, in quo haec inter alia recensentur: Tibi, ut de Suporiorum tuorum licentia a quocunque, quem malueris catholico Antistite, gratiam et communionem sedis apostolicae habente etc., per te eligendo ad dictum sacrum presbyteratus ordinem unica dominica etc. promoveri et promotus in illo etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, necnon Antistiti praedicto ordinem hujusmodi tibi conferendi licentiam impartimur non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque. Citatis itaque Patribus concordatisque infrascriptis dubiis ex utrinque deducendis rogantur EE. VV. resolvere:

I. An Monachi Carthusienses monasterii s. Laurentii Padulae Caputaquen. dioecesis ordinati ab Episcopo Policastren. in vim brevium apostolicorum sint licite ordinati in casu etc.? Et quatenus negative,

II. An et in quas poenas inciderint tam ordinati quam Prior dictae Carthusiae in casu etc.?

S. C. C. resp. ad I: Affirmative;

ad II: Provisum in primo.

Die 6. Julii 1709.

Caputaquen.

(Conc. Tr. C. 10. Sess. 23. De refor.)

Biceps nunc excitatur jurisdictionalis controversia inter Episcopum Caputaquen. et Commendatarios abbatiarum, quae extant in oppido Centulae ac altero Controni; quum demisse enim jam dictus Episcopus conqueratur, quod moderni iidem Abbates nihil habentes ejus ordinariam jurisdictionem prae caeteris audent literas dimissoriales ad minores et sacros ordines elargiri praetensis subditis earum abbatiarum, licet nec converti posse asserat, quod finibus Caputaquen. dioecesis utraque circumscribatur, in eisque retroactis temporibus sanctae visitationis jura caeterosque actus nativae jurisdictionis Episcopos exercuisse, quin etiam earum Abbates synodis dioecesanis interesse consuevisse, quemadmodum liquere asserit ex documentis in summario recensendis. Praemonitis itaque ambobus jam nominatis Abbatibus eisque condicto competenti termino ad deducendum eorum jura in sac. congregatione nuper insurrexit Commendatarius abbatiae Controni, qui autumat nedum se exemptum ab utraque lege ordinaria, verum quidem jurisdictionem activam in clerum et populum obtinere et quamquam ex temporum injuriis nullum ejusce praerogativae expressum documentum proferre valeat, nihilominus id satis comprobari asserit ex diuturna observantia juris dicendi ac dimittendi ejus assertos subditos, qui minoribus vel sacris ordinibus initiari expetunt aliisque ex documentis in summario pariter recensendis. Ut minimum vero idem ipse Abbas autumat, quod asserti subditi promoveri nequeant, nisi exhibitis suis literis testimonialibus, quibus Episcopus Caputaquen. fidem omnino tribuere debeat. Hinc saepius lacessito Abbate Centulae diuque exspectato ex his aliisque a partibus, nunc concertantibus, adducendis, exorantur EE. VV. sapienter juxta morem resolvere:

I. An collatio ordinum et concessio dimissorialium ad primam tonsuram, ordines minores et sacros subditis abbatiarum Centulae et Controni spectet ad Episcopum Caputaquen. seu potius dictarum dimissorialium concessio competat Abbatibus, in casu etc.?
Et quatenus ad Episcopum,

II. An requirantur saltem literae testimoniales eorundem Abbatum, in casu etc.?
Et quatenus affirmative,

III. An sufficiat exhibere coram Episcopo literas tantum testimoniales vel debeant quoque ad ipsum transmitti processus super idoneitate ordinandorum fabricati in curia Abbatum in casu etc.?

IV. An et quas poenas incurrerint tam ordinati literis dimissorialibus Abbatum quam ipsi Abbates in casu etc.?

S. C. resp. ad 1: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;
ad 2: Negative;
ad 3: Provisum in secundo;
ad 4: Non esse molestandos.
Die 17. Decembris 1712.

39) Literas dimiss. ut Ordinarius concedere potest.

Romana.

(Conc. Tr. C. 2. Sess. 14.; C. 8. S. 23. De ref.)

Mathias Angelus Coccionus Romae natus ad clericalem tonsuram et omnes minores ordines ab eminentissimo Urbis Vicario Ordinario originis promotus, cupiens ss. ordinibus insigniri cum literis dimissoriis eminentissimi Cardinalis Barberini Abbatis Farfensis, uti ejus Ordinarii ratione domicilii et beneficii, EE. VV. pro opportuna declaratione supplicavit die 16. Nov. 1715, cumque ejus precibus per summarium relatis rescriptum fuerit, ut instantia in folio proponeretur, nunc idem orator narrat post discessum ab Urbe, moram traxisse per decennium in civitate Theatina et deinde ad oppidum Nespoli territorii Farfensis domicilium transtulisse, ubi ab annis decem juxta testium depositiones commoratur animumque perpetuo ibi permanendi medio juramenti declaravit. Insuper orator simplex beneficium in dicto oppido Nespoli possidet, quod tamen, cum sit tantum annui redditus scutorum 30, neque romanam congruam scutorum 60 neque Farfensem scutorum 36 attingit. Emus autem Urbis Provicarius proponit alias ab hac s. Congr. resolutum fuisse, non esse attendendam congruam loci beneficii, si illud simplex sit et non residentiale, sed illam originis seu domicilii, ubi clericus inhabitat, ut in Ariminen. ordinationis die 10. Jan. 1705 et Alatrina die 9. Jul. 1701, in qua rescriptum fuit: »*Lectum et patrimonium constituatur juxta stilum romanum*«. Censet tamen idem eminentissimus Provicarius ratione domicilii per oratorem contracti in dioecesi Farfen. praeviis ejus testimonialibus, promoveri posse ad ss. ordines literis dimissoriis dicti eminentissimi Abbatis. Orator nihilominus, si ulla in praemissis difficultas adesset, supplicat saltem ex gratia, ut possit ordinari cum literis dimissoriis dicti eminentissimi Abbatis uti Ordinarii beneficii, sibi admitti supplementum ex alio beneficio, quod in dioecesi Reatina possidet, et ex propriis ejus bonis, ex quibus EE. VV. sapientissime de more definient:

An eminentissimus Abbas Farfensis possit concedere oratori literas dimissorias uti Ordinarius domicilii vel beneficii?

S. C. C. resp.: Affirmative uti Ordinarius domicilii praeviis testimonialibus Emi Urbis Provicarii et Archiepiscopi Theatini. Die 5. Junii 1717.

40) Literas dimissor. ad Episcopum monasterii ordinandi regularis dirigere debet.

Ex decreto s. Congregationis lato *die 15. Maii 1596* probante sa. mem. Clemente VIII. constitutum fuit: *Superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissoriales concedere ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit, et si dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen et ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus vel nullas esset habiturus ordinationes.* Quod decretum confirmatum est in constitutione sa. mem. Benedicti XIV., quae incipit: *Impositi nobis* data *die 27. Febr. anni 1746*, in qua praeterea monentur ii, quibus privilegia pertinent: *ut non sine justa causa et extra debitas circumstantias pro libitu ipsis utantur*, et tandem jubet, ut *eorum ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico Antistite ipsius sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant, dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum concilium et ipsis ordinibus nominatim atque directe non autem per communicationem concessa fuerint.*

Die 4. Febr. 1804. *Melevitana.*

Benedictus PP. XIV.

Impositi Nobis licet immerentibus apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum ecclesiasticae disciplinae vigorem, non modo novas interdum leges provide constituamus, verum etiam veteres a praedecessoribus nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum praesidio debitis fraudeatur effectibus, novis et inviolabilibus sanctionibus communiamus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collucemus.

Sane quae olim de ordinationibus regularium controversia viguit: *An scilicet regulares a quocunque catholico Antistite indistincte ordinari possent, an vero id juris privative pertineret ad Episcopum illius dioecesis, intra quam sita est religiosa domus, quam regularis ad ordines promovendus inhabitat*, providis romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et declarationibus jamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia Episcopi locorum Ordinarii jura sua fundantes in generalibus canonum statutis et in ipsis exemptionum privilegiis, quae regularibus indulta sunt, ajebant, ipsorum ordinationes, utpote dioecesanis Episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad Ordinarios eorum originis, quam regulares a se abdicant, dum saeculo nuntium remittunt, neque porro ad Ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur, proindeque unice spectare ad Episcopos Ordinarios eorum domicilii, nimirum illius dioecesis ac loci, in quo ipsi ordinandi commorantur. Contra vero regulares apostolicis privilegiis innixi, quae certis ordinibus recentius elargita ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant sacros ordines a quocunque catholico Antistite juxta eorum privilegiorum tenorem pro arbitrio suscipere.

Verum quum felicis recordationis praedecessor noster Gregorius PP. XIII. per suam apostolicam constitutionem, quae incipit: *In tanta rerum*, datum apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae 1573 Kalendis Martii, justis gravibusque de causis alteram constitutionem sui nostrique pariter praedecessoris s. Pii PP. V., cujus initium est: *Etsi mendicantium*, ad juris communis et sacri concilii Tridentini terminos reduxisset, eodem quoque anno in causa Monachorum ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab Episcopis dioecesum, in quibus eorum mo-

nasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia, ab aliis quibusque Episcopis ordinandos esse declaravit, quemadmodum legitur lib. I. decretorum congregationis concilii pag. 75. a terg. dub.: *An nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cujus dioecesi sunt, pro ordinibus conferendis ab Episcopo alterius dioecesis?* Sanctissimus Dominus noster etiam ex sententia sacrae congregationis concilii declaravit: *Obligari.*

Contigit autem sub illius successore Sixto Papa V. eandem quaestionem retractari, instante universo ordine fratrum Praedicatorum. Qua de re idem praedecessor post maturum totius causae examen in praefata congregatione concilii habitum constituit: Licere superioribus regularibus literas dimissoriales concedere suis respective subditis ad ordines suscipiendos, sed eas tamen dioecesano dumtaxat Episcopo directas, nec alteri unquam, nisi quum forte is a dioecesi abfuerit, aut, quatenus in dioecesi extiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur lib. IV. praedictorum decretorum pag. 108: Sanctissimus Dominus noster Xistus V. ex sententia congregationis respondit: *Regulares posse concedere dimissorias ad Episcopum dioecesanum eoque absente vel etiam praesente et ordinationem non tenente ad quemcumque; dummodo ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

Demum a sanctae memoriae praedecessore quoque nostro Clemente PP. VIII. ad hujusmodi controversias perpetuo extinguendas sequens decretum editum fuit: *De mandato sanctissimi Domini nostri Clementis divina providentia Papae VIII. tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcunque regularium superioribus, ut de caetero observent et observari faciant ea, quae in decreto sacrae congregationis concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis: Congregatio Concilii censuit, superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit, et si dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, Episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente, literae dimissoriae dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiae dioecesani Episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis ac vocis activae et passivae privationis ac alias arbitrio ejusdem sanctissimi Domini nostri Papae reservatas poenas incurrant. In quorum fidem etc. Datum Romae die 15. mensis Martii 1596.*

Hoc emanato pontificio decreto eoque tam claris verbis concepto jure sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri, sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Episcopi ultra montes constituti contendere coeperunt, necessarias esse regularibus dimissorias etiam Ordinariorum eorum originis, quo possent ab Episcopis *aliorum locorum ad sacros ordines promoveri*, ex altera vero regulares, obtendentes, in praefato Clementis VIII. decreto derogatum non fuisse apostolicis privilegiis, quae eorum ordinibus sive directe sive per communicationem indulta fuerunt: ut scilicet a quocunque catholico Antistite ordinari possent, hujusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

Verum quod attinet ad Episcopos, ipsa Congregatio Concilii die 28. Februarii anni 1654, ut notatum reperitur libro XIX. ipsius decretorum pag. 316, ita rescripsit: »*Regulares volentes se promovere ad ordines, non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriae originis, sed sufficere, ut observent formam praescriptam in decreto san. mem. Clementis VIII.*« Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17. Mart. anni 1674 decretorum libro XXVIII. pag. 261 et sequentibus.

Quod vero spectat ad regulares, quum eorum praesumptum jus, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis, in quadam congregatione particulari nonnullorum sanctae ecclesiae romanae Cardinalium a felicis recordationis praedecessore nostro Innocentio Papa XIII. deputata, cui nos in minoribus tunc existentes nostram qualemcunque operam, pro demandato nobis secretarii munere, contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset, cumque ad hujusmodi quaestionem definiendam id potissimum visum esset in jure statuendum, an ad effectum eximendi regulares a praefati decreti Clementini observantia, sufficeret quod privilegia suscipiendi ordines a quocunque ipsis concessa fuissent post concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat, an vero oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis praedecessoris decretum, ac praeterea: an hujusmodi privilegia aeque suffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis, quibus directe et expresse indulta fuerunt: idem Innocentius praedecessor, audito praefatae congregationis particularis consilio, decrevit: Satis esse ad supradictum effectum, quod hujusmodi privilegia post concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis praefato Clementino decreto posteriora non sint, *dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicatione* privilegiorum de uno in alium ordinem derivata asserantur, quemadmodum ipse Innocentius in suis apostolicis literis incipientibus »*Apostolici ministerii*« die 30. Maii anni 1723 datis ac deinde confirmatis a sanctae memoriae praedecessore pariter nostro Benedicto PP. XIII. per alias similes literas datas die 23. Septembris anni 1724, quarum initium est: »*In supremo*« aperte declaravit his verbis: *Quoties ergo regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum congregationis Cardinalium concilii Tridentini interpretum a piae memoriae Clemente VIII. praedecessore etiam nostro confirmatum die 15. Martii 1596, quo sancitur, ad Episcopum dioecesanum literas dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu, quo dioecesanus a dioecesi abesset vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio vel de praedicta Episcopi dioecesani absentia vel de illa alia causa videlicet quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad praedicta, regularibus illis, quibus per speciale privilegium a sede apostolica post concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico Antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus.*«

Porro si aliqui vigilias laboresque suos non tam in extrincandis inutilibus quaestionibus vel forte in rebus profanis et ab ecclesiastica possessione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum legum, quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, praejudicata opinio pro ratione atque in legum etiam clarissimarum interpretatione suus cuique sensus pro auctoritate esset, nec olim Nobis in nostro Bononiensi archiepiscopatu residentibus contigisset, ut regularis quidam ex ea urbe repente digressus suique superioris dimissorias ad Episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, Nos clericorum ordinationem non habituros, sacrum presbyteratus ordinem susciperet nullaque interjecta mora Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur, quam tamen intolerandam audaciam Nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere atque etiam servata pastorali mansuetudine vindicare non praetermisimus, ut videre est in monito pastorali a Nobis tunc edito inter impress. monit. 3. lib. II. Neque rursus, ex quo ad universalis ecclesiae regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium Episcoporum fratrum nostrorum quaerelae ad apostolatum nostrum delatae fuissent, qui nimirum non sine magno animi nostri dolore apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus saepe regularibus in eorum dioecesibus respective commorantibus similia perpetrare, in spretum ecclesiasticarum legum atque poenalium sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur; (siquidem in autographo supra relati Clementini decreti distincte legitur »incurrant«, non autem quod falso nonnemo asseruit, »incurrent«), dum scilicet *superiores regulares, qui subditis suis non ad praescriptum ejusdem decreti dimissorias literas concedunt, suorum officiorum ac dignitatum et vocis activae atque passivae amissione mulctantur, ordinati vero suspensionis poenam atque etiam, si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt ac denique Antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare praesumunt.* Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, quum ex usu rerum intelligere possint complures regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini Episcopi dioecesani, cujus hac in re jurisdictionem aut nimium rigorem perhorrescunt,

aliumque inveniant, qui vel nullo vel admodum levi praemisso examine ordines ipsis impertiatur; quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinae synodi decreta delinquunt. Ea siquidem *sess. 23. cap. 12. de reform. sic statuit:* »*Regulares quoque. nec in minori aetate nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.*«

Nos autem consueta Sedis apostolicae clementia uti volentes libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves Episcoporum quaerimoniae ad Nos delatae fuerunt. Quaecunque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtoris judicii inquisitione liberamus, quin imo omnes et singulos in hoc delinquentes sive superiores regulares sive regulares ad ordines promotos sive Antistites, qui eos ordinaverint, a quibuscunque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas hac de causa respective antehac incurrerint quibusque innodati forsan existant, auctoritatis nostrae plenitudine ac de apostolica benignitate tenore praesentium absolvimus et absolutos esse censeri decernimus et cum iisdem super quacunque irregularitate per eos forsan causa et occasione praemissis quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines eorumque exercitium atque ad omnia et singula eorum respective religionum munera pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De caetero tamen infrascriptas leges in posterum omnino observandas motu proprio et ex certa scientia nostra ac matura deliberatione praemissa edicimus atque statuimus.

Quaecunque nimirum hac in re a praefatis praedecessoribus nostris Gregorio XIII. et Sixto V., Clemente VIII. et Innocentio XIII. in supra citatis ipsorum literis seu decretis statuta, mandata, definita atque sancita fuerunt, ea omnia et singula, motu, scientia et potestatis plenitudine praefatis, earundem praesentium serie, confirmamus, roboramus et innovamus atque ab omnibus, ad quos spectat seu quandocumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari praecipimus et jubemus; *transgressores quoque omnibus poenis in praemissis contentis aliisque per apostolicas constitutiones et per sacros canones latis atque statutis cum effectu subjacere easque ipso facto absque aliqua declaratione incurrere decernimus; Superiores* nimirum regulares eas omnes, quas, ut praefertur, supradictus Clemens VIII. praedecessor constituit et sanxit; *Regulares* autem, qui contra illius decreti praescriptum promoti fuerint, et *Antistites* eos promoventes canonicas poenas atque censuras, quae adversus sacram ordinationem suscipientes ab Episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, necnon adversus Episcopos alienos subditos indebite ordinantes, in jure canonico et constitutionibus apostolicis statutae habentur.

Praeterea volumus atque decernimus, ut *superiorum regularium dimissoriae*, quae ideo ad alium Antistitem directae fuerint, propterea quod Episcopus dioecesanus extra dioecesim commoretur vel ordinationem non sit habiturus, *nullius sint roboris et momenti, nisi illis adjuncta fuerit authentica attestatio Vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii ejusdem Episcopi dioecesani*, ex qua constet vel ipsum a dioecesi abesse vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto: hoc enim expresse declarari opus esse ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui, quum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, quandocunque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, jam dici posset, ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. *Quod si aliquis Antistes regularem virum in sua dioecesi proprium domicilium non habentem solis ipsius superioris dimissorialibus literis contentus sine adjuncta praefata attestatione in forma probanti ad ordines promovere praesumpserit, decernimus et declaramus, hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.*

Quemadmodum vero eorum ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab apostolica sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant, *dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum concilium et ipsis ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint: ita porro omnia similia privilegia, quae aliis ordinibus ante praefatum concilium Tridentinum ab ipsa etiam apostolica Sede et sub quibuscunque tenoribus et formis indulta sint vel etiam post ipsum concilium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore nulla et irrita omnique vigore et robore ad effectum, de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus, decernentes, hujusmodi privilegia nequaquam post concilium Tridentinum indulta censeri, nisi vel post ipsius concilii confirmationem reipsa fuerint concessa vel quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes in forma specifica cum literali vestri indulti insertione factae dignoscantur;* ac declarantes, alterius generis confirmationes, quae in forma communi nuncupantur, nemini ad praemissum effectum ullo pacto suffragari.

Quod vero spectat ad eorundem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem juxta praemissa pleno jure competere dignoscuntur, ut non sine justa causa nec extra debitas circumstantias pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostentandam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem, quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab Episcopo dioecesano clericorum ordinationes publice habendae sunt, ad alterius Episcopi dioecesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere ad pristinum domicilium redeunt idque se facere ajunt, ut jurium suorum indemnitati consulant, quasi vero apostolica privilegia nonnisi cum aperto Episcopi dioecesani contemptu suam vim et robur habitura forent.

Denique tam venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, quam dilectos filios omnium regularium ordinum professores, quam maximo possumus apostolicae voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri et per charitatem sancti Spiritus hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio quam in caeteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus et sincerae dilectionis concordiam servare. Meminerint regulares quo loco Spiritus sanctus posuerit Episcopos regere ecclesiam Dei, quod ipsis a sacrosancta oeconomica Lateranensi synodo sub Leone X. habita inculcatum fuit per haec verba: »*Eosdem insuper fratres in virtute sanctae obedientiae, ut eosdem Episcopos loco sanctorum apostolorum subrogatos pro debita et nostra ac apostolicae Sedis reverentia, congruo honore et congruenti observantia venerentur.*« Neque obliviscantur Episcopi, regulares viros ipsis datos esse adjutores in dominicae vineae cultura; subdit enim eadem sancta synodus: »*Ipsos quoque Episcopos hortamur ac per viscera misericordiae Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos effectu benevolo prosequentes charitative tractent ac benigne foveant etc. et tanquam in agro dominico cooperatores eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant?* Demum et Episcopi et Regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subjicitur: »*Una est regularium et saecularium, praelatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus dominus, una fides et propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.*«

Haec profecto christianae veritatis et charitatis documenta quum utrinque servata fuerint, omnibus in rebus adeoque in hac etiam ordinationum materia importunae partium querelae penitus conticescent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus Episcopis sacram ordinationem administrare, praeterquam in temporibus ab ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; Episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelae, quod superiores regulares ad eludendam decreti Clementini observantiam, advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant; siquidem regulares hujusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse et in posterum districte coercendam fore noverint), tum a probi viri honestate et fide alienam tum etiam debitae erga sacros ecclesiarum Antistites observantiae contrariam esse ipsi per se facile cognoscent.

Praesentes vero nostras literas et in eis statuta quaecunque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo jus vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus,

ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae vel sufficienter aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcunque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari aut etiam motu pari et de apostolicae potestatis plenitudine sibi concesso vel emanato quempiam in judicio vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

Sicque et non aliter in praemissis censeri atque ita per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et apostolicae Sedis praedictae nuntios aliosve quolibet quacunque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate judicari et definire debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula, de jure quaesito non tollendo aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis, etiam in corpore juris clausis aut literis apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus etiam militaribus, congregationibus, societatibus et institutis aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscunque verborum tenoribus et formis et cum quibusvis etiam clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis et irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu simili et de apostolicae potestatis plenitudine seu consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis ac pluries confirmatis, approbatis, innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica et individua mentio seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum, plenissime et amplissime, motu pari derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Volumus insuper et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes et in eis contenta quaecunque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes seu earum transumpta ad valvas ecclesiae s. Joannis in Laterano et basilicae principis apostolorum de Urbe necnon cancellariae apostolicae curiaeque generalis Innocentinae in monte citatorio et in acie campi florae per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi sicque publicatas et affixas omnes et singulos, ad quos spectat seu spectabit in futurum, perinde afficere et arctare ac si unicuique illorum personaliter insinuatae et notificatae fuissent.

Utque earundem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 27. Febr. 1747.

D. Cardin. Passioneus.
J. Datarius.
Visa de Curia.
J. C. Boschi. J. B. Eugenius.
Loco † Plumbi.
Registrata in secretaria brevium.
Publicata die 4. Martii 1747.

Melevitana.

Laurentius N. religiosus professus magistralis obedientiae s. ordinis Hierosolimitani se Messanam contulit et a locumtenente magni Prioris Messanensis impetravit literas dimissioriales directas Episcopo oppidi in Calabria, a quo sacros ordines suscepit. Redux hinc in insula Melitae suspensus fuit ab Episcopo, qui putat ordinibus initiatum fuisse Laurentium N. contra ac s. canones praescribunt. Qua ex re implorat nunc Laurentius ab hac s. Congregatione rehabilitationem a suspensione inflicta ab Episcopo Melitensi. Auditus est uterque Episcopus Melitensis et Oppidensis. Ille ex rationibus inferius recensendis concludit: *Oratoris precibus pro petita dispensatione non annuerem, nisi peracta prius ab eodem salutari aliqua poenitentia et postquam constiterit ipsum novo vitae instituto idoneum fieri ad Sacra digne peragenda.* Episcopus vero Oppidensis multa affert, ut Laurentium a malitia et dolo abesse demonstret et ordines rite suscepisse, unde ejus precibus favet: *Cum ex literis dimissoriis licet eruere bonam vitam, famam, aetatem, scientiam ac caetera, quae s. canones requirunt ad s. ordines suscipiendos.*

Ex decreto s. Congregationis lato die 15. Maii 1596 probante sa. mem. Clemente VIII. constitutum fuit: *Superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissoriales concedere ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit, et si dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen et ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus vel nullas esset habiturus ordinationes.* Quod decretum confirmatum est in constitutione s. mem. Benedicti XIV., quae incipit: *Impositi Nobis data die 27. Februarii anni 1746,* in qua praeterea monentur ii, quibus haec privilegia pertinent: *Ut non sine justa causa et extra debitas circumstantias pro libitu ipsis utantur*: et tandem jubet, ut *eorum ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico Antistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant, dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum concilium et ipsis ordinibus nominatim, utque directe non autem per communicationem concessa fuerint.*

Hinc deducit Episcopus Melitensis, quod magnus Prior Messanae non poterat literas dimissorias Laurentio N. concedere ad Episcopum Oppidainensem, cum ipse numquam a Melita abfuert et sacras semper habuerit ordinationes. Quamquam enim ex altera posteriori constitutione sa. mem. Benedicti XIV., cujus initium: *Inter illustria,* edita die 12. Martii anni 1733, concessum sit capellanis professis in s. ordine Hierosolimitano, ut sacros ordines a quocumque catholico Antistite suscipere possint, attamen expresse cavetur, ut observandum sit decretum Clementis VIII. et constitutio: *Impositi Nobis.* Quare concludit Episcopus Melitensis, quod fraudem fecerit Laurentius his constitutionibus, cum numquam a proprio Episcopo susceptionem ordinum postulaverit et a dioecesi profectus sit, ut ordines ab externo Episcopo susciperet, quibus initiatus statim in propriam dioecesim remeavit. Ex discessu autem et reditu satis indicat Laurentius se examen pertimuisse vel etiam dubitasse, ne a sacris ordinibus depelleretur *ob vitae institutum et exteriorem personae cultum saecularium potius quam viri religiosi proprium.*

Episcopus vero Oppidensis observandum proponit, quod instante olim magno ordinis magistro sa. mem. Greg. XIII. in constitutione incipiente: *Exponi nobis nuper fecisti,* jussit ut si forte equestris Hierosolimitanus ordo ab insula Melitae demigrare cogeretur, sacerdotes et capellani, qui in ecclesia conventuali Melitensi manerent, omnino subjicerentur etiam in spiritualibus magno Messanensi Priori. Unde infert, quod occupata Melita ab exteris copiis Laurentius, qui in ecclesia inserviebat, subjectus erat magno Priori Messanensi, adeoque dolo caret, si relicto Episcopo Melitensi se contulit ad mag-

num Priorem tanquam suum Superiorem, a quo dimissorias suscipere debebat. Magnum vero Priorem dimissorias dare potuisse ad quemcumque Episcopum contendit Laurentius ex constitut. Pii IV., quae incipit: *Circumspecta*, vulgata *die 1. Julii 1560*, in qua ordini Hierosolimitano concessit *exemptionem et liberationem, ita quod magistri, Bajulicorum, Priorum, praeceptorum et dicti hospitalis fratres capellani a quocumque catholico Antistite sub romanae Sedis obedientia constituto sacros ordines etiam extra tempora a jure statuta tribus diebus festivis suscipere possint.* Quod tamen privilegium concessum fuit ante concilium Tridentinum et decretum Clementis VIII. superius relatum.

Ex his in utramque partem allegatis deliberare debent EE. PP.: bene an male Laurentius ordines susceperit ab Episcopo Oppidensi. Quandoquidem putent, quod suspensio ab Episcopo Melitensi rite inflicta sit, tum videndum erit in II. dubio: Num concedenda sit Laurentio rehabilitatio. Antistes Melitensis putat ei esse imponendam salutarem poenitentiam et quod necessaria scientia ab eo sit comparanda.

Duo proponuntur dubia:

I. An sit servanda suspensio in casu? Et quatenus affirmative,

II. An et quomodo sit concedenda rehabilitatio in casu?

S. C. resp. ad I: affirmative.

Ad II: Recurrat commendatus ab Episcopo et peracta poenitentia necnon ad mentem. Mens est, quod Episcopus referat, utrum orator post ordinationem ministraverit et celebraverit.

Die 4. Febr. 1804.

Melevitana.

Causa haec affinis est alterae, quae duobus fere abhinc annis definita fuit ab hac s. congregat. in *Melevitana suspensionis 4. Februarii 1804*, ex cujus folio (quem EE. PP. reassumere dignabuntur) quaedam excerpere praestat, quae ad praesentem controversiam maxime faciant.

Duo religiosi professi magistralis obedientiae s. ordinis Hierosolimitani *Laurentius N. et Joseph. N. Cremona* se Messanam contulerunt et a locumtenente magni Prioris Messanensis impetrarunt *dimissoriales* directas Episcopo oppidi in Calabria, a quo s. ordines susceperunt. At vix ad Melitam remearunt suspensi fuere ab Episcopo, qui ordines collatos fuisse putat contra s. canonum praescriptum. Implorante Laurentio rehabilitationem a s. congregatione duo proposita fuere dubia:

I. An sit servanda suspensio in casu etc.? Et quatenus affirmative,

II. An et quomodo sit concedenda rehabilitatio? Rescriptumque prodiit

Ad I: Affirmative.

Ad II: Recurrat commendatus ab Episcopo et peracta poenitentia necnon ad mentem. Mens est quod Episcopus referat, utrum orator post ordinationem ministraverit et celebraverit.

Iterum reclamavit Laurentius, unaque simul supplex fuit Josephus N., qui nunc primum rehabilitationem postulat. Sed preces hujusmodi scissae fuerunt. Nam *die 27. Aprilis 1805* rescriptum fuit: *Quoad Laurentium in decretis sub die 4. Febr. 1804;* quo vero ad *Josephum* rogati fuere de sua sententia Episcopi Melitensis atque Oppidensis. Ille respondit: *Quamvis Josephus N. bona fama optimisque moribus sit praeditus numquam tamen privatum examen, licet pluries a me vocatus, subire voluit ob adversam, ut advertebat, ejus valetudinem. Quamobrem cum me prorsus lateret, num orator idoneus judicari possit, pro obtinenda rehabilitatione ad declinandum fortasse privatum experimentum, a mea dioecesi ad s. Sedem se conferre petivit, cui attestationem de vita et moribus tantum consignavi.*

Episcopus vero Oppidensis haec habet: *Illud in comperto est, quod fratres capellani ordinis Hierosolimitani professi concessione apostolica gaudent sacros ordines extra tempora a quocumque catholico Episcopo recipiendi, et patet ex constitutione Benedicti XIV. edita anno 1753: Inter illustria, et ex ordinis statuto a Papa Gregorio XIII. appropato infertur jam ab ordinis demigratione ex insula jus omne ad magnum Messanensem Priorem ejusque locumtenentem esse devolutum. Legitimum postulantis Superiorem magnum ordinis magistrum Fr. Joannem Baptistam Tomassi tunc Messanae degere plane constat, quem obsecratus est Fr. Josephus et servatis servandis ex magni prioratus locumtenente, cui de jure et ordinis privilegiis intererat, literas dimissorias mihi directas obtinuit. Nec adversae rerum vicissitudines Episcopum Melitensem officiose adire sinebant, cujus nullum contemptum, nullam intercessisse fraudem aperte dignoscitur. Ubi enim quis jure suo utitur, dolus abest, neque hic aliud simulatum invenietur, aliud actum, immo et necessitati et turbatis temporum casibus ex benignitate et charitate indulgendum esse sanctae matris ecclesiae regula non abnuit, cum praesertim ex literis dimissoriis locumtenentis magni Prioris Messanensis mihi directis constet de requisitis fr. capellani Josephi N. ad praescriptum s. concilii Trident.*

Rite necne inflicta fuerit suspensio oratori ab Antistite Melitensi ex eo, quod se a proprio Episcopo diverterit et ab Episcopo Oppidensi ordines susceperit, non est amplius quaerendum postquam s. Congregatio definivit rite suspensum fuisse alterum capellanum Laurentium, qui eodem modo cum dimissoriis locumtenentis magni Prioratus Messanae ab Episcopo Oppidensi ordines suscepit, ut patet *ex Melevitana Suspensionis 4. Februar. 1804. ad I.* dub. ex cujus folio, si vacat, cognosci possunt rationum momenta, quae in hanc sententiam s. Congregationem impulerunt.

Potius erit inquirendum: num orator Josephus dignus sit, qui rehabilitationem sibi deprecetur. Se prorsus alienum esse dicit a mala fide, statim ac ad Superiorem suum confugit, ut ordines susciperet. Num vero locumtenens dare posset literas ad alienum Episcopum, quaestio erat juris, quae saltem a se dolum repellere contendit. Caeterumquae profitetur omnia peregisse ante suscipiendos ordines, quae Tridentinum praescribit. Nam examen subivit, ut testatur *Joseph Pace examinator synodalis Messanensis;* spiritualia exercitia peregit in religiosa domo patrum Augustinianorum, ut affirmat *P. Prior ejusdem domus*; sacris caeremoniis ac ritibus missae sese instituit ex testimonio *sacerdotis Nicolai Perru caeremoniarum praefecti.* De suis moribus vivendique ratione nihil sollicitus est, statim ac ipse Melitensis Episcopus affirmat eumdem esse *bona fama optimisque moribus praeditum.* Postquam vero Urbem petiit, assiduus fuit ecclesiasticis functionibus in ecclesia domus missionis, frequens accessit ad sacramenta poenitentiae et eucharistiae, incumbit studio theologiae moralis in lycaeo Gregoriano, et parochi, quibus hactenus subjectus est, bene semper de eo audivisse confirmant, quae omnia patent ex amplissimis attestationibus praefecti ecclesiae congregationis missionum, publici rectoris s. theologiae mag. collegii romani et parochorum Urbis. Hoc tantum opponit Episcopus Melevitanus, quod orator pluries a se accersitus examen adire recusavit. Verum ipse orator promptum se exhibet novum periculum de sua scientia faciendi, nisi satis sit illud, quod ante suscipiendos ordines Messanae subivit. Quo experimento si omnis de scientiae defectu dubitatio removeatur, non erit despicienda triennalis oratoris poenitentia cum constanti emendatione, quia a die 12. Aprilis 1803. ad presbyteratum promotus a celebratione se abstinuit ad aegestatem redactus et in bonis moribus perseverans.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit concedenda rehabilitatio in casu?

S. C. resp.:

Attentis peculiaribus circumstantiis constito prius de idoneitate quoad scientiam medio examine coram Emmo Urbis Vicario affirmative injuncto oratori praecepto, ut in suo accessu ad Melitam celebrare nequeat, nisi facta excusatione et petita venia ab Episcopo.

Die 25. Jan. 1806.

41) Num literas obedientiales et dimissoriales concedere potest vel debet?

Brixien.

Conquestus apud hanc sac. Congregationem est Episcopus plura ab Abbate monasterii Stambsensis ordinis Cisterciensis haud rite legitimeque fieri. Abbas inquit Leonem X. indulsisse Hispanae Congregationis Cisterciensis familiae, *ut ejus Monachi vigesimo secundo aetatis anno sacerdotes fieri possent;* Gregorium vero XIV. privilegia eidem Congregationi ab aliis Pontificibus impertita confirmasse ac denique Urbani VIII. privilegia, quibus Congregatio Hispanica potiebatur, communicasse Cisterciensi Congregationi Germaniae. Verum satis constat privilegia quaecumque abrogata quoad hoc a sacro concilio Tridentino fuisse, cum in cap. 12. sess. 23. de Ref. sic habeatur: *Regulares quoque, nec in minori aetate nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur privilegiis quibuscunque penitus exclusis.* Privilegiorum vero confirmatio generatim facta a Gregorio XIV. itidemque communicatio ab Urbano tributa non viedetur referenda ad privilegium jam abrogatum sublatumque de medio, nisi de eo peculiaris facta fuisset mentio, quae vim novae concessionis posset habere. Nullos itaque Regulares ope veterum privilegiorum posse ante aetatem a Tridentina Synodo praestitutam ad sacros Ordines promoveri, luculenter demonstrant

Passerin. de stat. hom. tom. 3. qu. 189. art. 10. inspect. 10. n. 841; *Tamburin.* de jur. Abb. disputat. 2. quaest. 15. tom. 2; *Emmus Petra* ad constit. 7. Pii II. n. 57. et seq. t. 5. Affirmat tamen Abbas Stambsensis se nunquam cum suis Monachis super hoc dispensasse.

Circa III. dubium: Clemens VIII. anno 1586. edixit, *ne Regulares quicunque ordines ab alio susciperent Episcopo, quam ab eo, in cujus dioecesi degunt, praeterquam si iste abfuerit vel ordinationes non esset habiturus,* certis tamen etiam circa id adjectis conditionibus, ut videre est in decreto, quod refertur et confirmatur in novissimo concilio romano tit. 21. cap. 2.

Respondet Abbas sibi licere ad quemcunque catholicum Antistitem dimittere Monachos sibi subjectos pro ordinibus suscipiendis ex vi bullae Leonis X., itemque alterius promulgatae a s. Pio V., quae incipit: *Et si mendicantium,* ac denique brevis pro Cisterciensibus editi a Clemente VIII. anno 1592.

At constitutio illa s. Pii V. fuit deinde a Gregorio XIII. reducta ad terminos juris et sac. concilii Tridentini, ut in bullar. tom. 2. constit. 9. ejusdem Gregorii Bulla vero Leonis X. et breve Clementis VIII. non fuerunt hactenus in medium prolata. Sed animadvertendum est, quod aliud decretum ejusdem Pontificis Clementis, quo per modum legis universalis Regulares jubentur ordines suscipere ab Episcopo dioecesano, editum fuit anno 1596. adeoque quadriennio post illud, quod prodiisse dicitur pro Cisterciensibus. Hanc itaque legem ubique esse servandam pluries rescripsit haec s. Congregatio, cujus decreta refert, materiam hanc fuse tractans, eminentissimus Petra t. 1. ad const. unic. Urbani II. n. 5. et seqq. et t. 5. ad const. 7. Pii II. num. 83. et seqq.

Denique profertur ab Episcopo transactio inita anno 1689 cum Abbate monasterii, in qua declaratum inter caetera fuit Monachos ordinibus majoribus initiandos mitti debere ad Episcopum Brixinen.

Definiendum igitur erit:

1) An liceat Abbati monasterii Stambsensis ord. Cisteriens. dispensare super aetate cum religiosis sui monasterii sibi subditis pro suscipiendis s. ordinibus? Et quatenus negative,

2) An Monachi ejusdem monasterii ad ordines promovendi praeter literas obedientiales teneantur exhibere Ordinario Brixensi fidem sui baptismatis ad docendum de legitima aetate?

3) An liceat Abbati dimittere suos Monachos ad alium Episcopum pro suscipiendis ordinibus sine literis dimissoriis dicti Ordinarii? Et quatenus negative,

4) An Monachi sic ordinati cum dispensatione Abbatis in aetate vel ab alio Episcopo cum solis literis obedientialibus et sine dimissoriis Episcopi Brixiensis sint licite ordinati? Et quatenus negative,

5) An et in quas poenas tam Abbas quam ipsi Monachi taliter ordinati inciderint?

S. C. C. resp.

Ad 1: Negative.;

Ad 2: Negative, dummodo in literis obedientialibus exprimatur aetas;

Ad 3: Servetur decr. Clem. VIII. anni 1596;

Ad 4: Negative;

Ad 5: In poenas canonicas.

Die 28. Novbr. et 12. Decbr. 1733.

42) Literas testim. conced. num non potest?

Ad dub.: An Abbati terrae Carbonis non exempto competat jus concedendi Testimoniales pro ordinandis tam super vita et moribus quam patrimonio vel titulo beneficii?

S. C. resp.: Negative.

Die 30. Jan. 1717.

43) Ordinare quando potest?

Vd. *Abbas* (benedictus, non benedictus.)

Primam suis Monachis tonsuram et minores conferre valent ordines *Cistercienses Abbates, text. in cap.: Abbates de privileg. in sexto;* sed actuale in eis requiritur abbatialis muneris exercitium, ut valide conferant. Hanc enim non habent potestatem ex ordine et charactere, qui indelebilis est, sed ex privilegio limitato ad subditos, quibus absque jurisdictione carent, ut sacrum exponentes Tridentinum concilium sess. 23. cap. 10. de reform. tradunt *Pignatell. consult. canon. 367. sub numero 2. tom. 1.; Hallier. de sacr. elect. et ordinat. sect. 5. cap. 1. art. 2. §. 2. de privil. ordin. conferen. Abb. concess. num. XVIII. et seqq.; Leurenn. For. eccles. lib. 1. lit. 2. quaest. 562. §. 4.; Rigant. ad regul. 24. cancell. §. 3. num. 306.; Rot. cor. Seraph. decis. 985. per tot.* et iterum atque iterum definivit sacra haec Congregatio diebus 20. Septembris et 29. Novembris elapsi anni 1788 in causa Congregationis Olivetanae per folium manuscriptum proposita.

Agebatur de ordinatione *Monachi* facta ab Olivetano Abbate, qui abbatiam dimiserat, alterumque ordinati monasterium ut simplex superior regebat. Quaesitum igitur fuit,

I. An constet de nullitate ordinationis, ita ut sit iteranda, Et quatenus negative?

II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate quatenus ministraverit?

Ac prima vice responderunt Emmi Patres: Constare de nullitate et ad D. Secretarium cum Sanctissimo; secundo: In decisis et Monacho esse secreto reiterandos ordines minores et ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione a suspensione ejusdem Monachi propter susceptum ordinem subdiaconatus per saltum ejusque rehabilitatione necnon pro dispensatione ab irregularitate ad cautelam, quatenus in dictis ordinibus ministraverit. Facta autem sub die 10. sequentis Decembris ad Sanctissimum relatione Sanctitas Sua rescriptum sacrae Congregationis diei 29. Novembris in omnibus benigne approbavit et annuit pro gratia absolutionis a suspensione, rehabilitationis et dispensationis ab irregularitate, quatenus ministraverit, arbitrio et conscientiae Abbatis generalis ejusdem congregationis cum facultate etiam subdelegandi.

Die 28. Novb. 1789. *Congreg. Cisterciens.*

44) Ordinare potest ex privilegio.

Vd. *Abbas* (bened.; non bened.); *Abbas* (benedictus ab Episcopo, decr. *Hispanen.*); *vd. p. 58. n. 43.*

Abbates conferunt ordines non ex potestate ordinaria, quae inest solum ordini episcopali quamque Episcopus acquirit per consecrationem, *Fagn. in cap. Statuimus sub n. 6. et Vagnerekin. lib. 5. tit. 33. cap. Abbates 3 de privileg. et excess. privilegiat. p. 918,* sed ex privilegio quod ecclesia eisdem concessit. Privilegia hujusmodi in corpore juris data sunt generatim Abbatibus praesbyteris benedictis in *canon. Quoniam distinct. 69. et in cap. Statuimus de supplend. negligen. Praelat.* Praeterea concedantur privilegia ex indulto Sedis apostolicae Abbatibus etiam non benedictis, qui eodem jure ac qui sunt benedicti utuntur, ut constans sententia est *Tamburin.* de *jure Abbatum tom. 1. disput. 11. quaest. 3. num. 3.; Barbos. Vol. 89. num. 28.; Clericat. de Sacrament. ordinis decis. 15. num. 7.* Utrisque Abbatibus non licet ex jure decretalium in *cap. Abbates de privilegiis in 6* aliis quam monasteriorum suorum conversis et qui ad illa convolaverint et in quos ecclesiasticam et quasi episcopalem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonsuram. Id quod a concilio Tridentino cohibitum est in sess. 23. cap. 10. de Reform., in quo Abbatibus et aliis quibuscumque quamtumvis exemptis non liceat imposterum intra fines alicujus dioecesis consistentibus etiamsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre.

Amplissima vero concessa sunt privilegia Abbatibus Cisterciensibus, quae sedulo investigavit *Benedictus XII.* in adnotationibus ab ipso factis (dum munus secretarii hujus sac. Congregationis fungeretur) in Uratislavien 12. Februarii 1724. Haec summa rei est: Praeter facultatem eis concessam in *cap. Statuimus de supplen. negligen. Praelat.,* ex quo eis fas est conferendi primam tonsuram, ex indulto praeterea Eugen. IV. et Julii II. fruuntur iisdem privilegiis, quibus Abbates s. Benedicti, et Innocentius et Clemens VIII. dederunt potestatem Abbati generali Cisterciensium et Vicariis Abbatibus ab eis subdelegatis, ut ceteros Abbates Cistercienses possent benedicere. Ex quibus factum est, ut in allegata Uratislavien s. Congregatio probaverit collationem ordinum minorum ab Abbate Cisterciense factam, licet ab Episcopo non benedicto, et rescripsit, quod Episcopus ordines sacros conferre teneretur. In casu vero proposito Procurator generalis Cisterciensium affirmat Abbatem s. Mariae de Auxilio, qui ordines contulit, esse unum ex benedictis seu di governo neque id Episcopus Anglonensis in dubium adducit. Quibus praemissis duo ab EE. VV. deliberanda supersunt, scilicet:

Utrum ab illo Abbate collatio facta sit ei, qui suus subditus esset, utrum collatio ordinum sit invalida quatenus comperiatur quod ordinatus subditus non sit ordinanti? Nam privilegia quaecumque Abbatibus concessa coercentur ex decreto Tridentino ad subditos regulares, ut notat *Benedict. XIV. de synodo dioecesana lib. 2. cap. 11. num. 10.*

Die 15. Maii 1802. *Anglonen.*

45) Ordinare potest solum Subditos.

Vd. *Abbas* (bened. ab Episcopo etc. p. 6; bened. non est de essent. p. 5.); vd. *sup. n. 44.*

Abbates et alii quicumque quantumvis exempti intra fines alicujus dioecesis existen-

tes, etiamsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, non possunt amplius cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, tonsuram et minores ordines conferre. Expresse *Conc. Trid. sess. 23. de ref. c. 10.*)*

Nec etiamsi alii Regulares non subditi et clerici saeculares afferant dimissorias suorum respective Superiorum, ut rescripsit Episcopo Eugubino *s. Congr. Episc. et Regul. 3. Nov. 1593.* et expresse declaravit *s. Cong. Concilii 13. Nov. 1641. Sacra Congreg. Eminentiss. Cardinalium concilii Trid. interpretum, utraque parte informante, re et scriptis ac rationibus hinc inde deductis mature examinatis, inhaerendo decisioni Rotae romanae sub die 27. Apr. 1592. coram bon. mem. Card. Seraphino de ordine fel. rec. Clementis Papae VIII. factae, nec non declarationibus ejusdem s. Congr. dictae decisioni conformibus, subsecutis censuit, improbata opinione contraria Abbates regulares Benedictini ejusdem congr. Casinensis seu alterius Congr. vel ordinis aut instituti, habentes etiam jura episcopalia usumque Mitrae et Baculi et benedicendi ac facultatem primam tonsuram et minores ordines conferendi, non posse dictam tonsuram vel minores ordines nisi suis subditis regularibus conferre, non autem regularibus alterius cong. ordinis vel instituti et etiamsi habeant literas dimissorias Superiorum suorum regular. et consensum Ordinariorum, intra quorum dioecesum fines ipsi regulares ordinandi existunt; et multo minus personis saecularibus etiam habentibus literas dimissorias a suis Ordinariis. Ac propterea inhibet Archiepiscopis, Episcopis et aliis Praelatis inferioribus tam saecularibus quam regularibus, ut in futurum concedere non audeant supradictas literas dimissorias hujusmodi Abbatibus directas nec ab istis recipi. Quod si secus fiat, tam concedentes quam ordinantes a collatione ordinum suspensi remanent, praeter alias poenas arbitrio ejusdem s. Congr. reservatas. Quam declarationem fel. rec. Urbanus VIII. die 17. Jan. 1642. ad se delatam approbavit et inviolabiliter observari jussit.* Imo talis ordinatio Abbatum conferentium ordines minores sibi non subditis licet cum dimissoriis sui superioris esset irrita et invalida, ut eminentissimo Card. Giptio referente decrevit *s. Congr. Episcop. et Regul. die 27. Junii 1631.*, in qua fuit resolutum: *Thomam Narducium Camplen. promotum ab Abbate de Corropoli ordinis Caelestinor. cum literis dimissorialibus Vicarii generalis Camplen. eidem Abbati directis, esse male promotum atque ideo indigere nova promotione,* ut testatur *Sellius in select. canon. c. 19. num. 8; Navarius in Lucerna Regular. verb. Ord. n. 2.* et cum multis aliis tenet *Barbosa de offic. et potest. Episc. part. 2. allegat. 3. n. 11. et in Concil. Trident. sess. 23. num. 5. et in collectan. decision. apostol. verb. Abbas n. 17; Pignatell. tom. 1. consult. 356 num. 2. et 3 et tom. 4. consult. 188. num. 4.* et sic etiam alias decreverat *sacra Congr. Concil. in una Gravinens. die 26. Augusti 1616.*)*

Porro minores ordines suis subditis potestatem habent Abbates conferendi (modo vere tales sint, non Commendatarii) sine Episcopi examine. Vid. *Tamb. de jure Abb. t. 2. disp. 2. q. 12. 13.* Cum istis tamen tribus conditionibus; *primo:* Esse debet sacerdos, *secundo:*

*) Verum per hanc Tridentini dispositionem facultas nequaquam sublata est apostolicae Sedi indulgendi Abbatibus quibusdam, ut tonsuram minoresque ordines suis non subditis, conferant, ut recte anima vertit *Bened. XIV. lib. 2. de synod cap. 11.* harum concessionum exempla producens. *Concilium.* inquit, *praecedentia privilegia abrogavit; sed ab iisdem in posterum concedendis non potuit apostolicam Sedem impedire, ut ad rem ponderat Fagnan. in cap.: Statuimus, de suppl. neglig. Praelat. Ejusmodi privilegium, ut alia exempla praetermittamus, ab Alex. VIII. die 8. April. 1690. concessum fuit Primicerio s. Marci Venetiarum quoad personas eidem inservientes ecclesiae.*

*) At contrarium asserit Benedict. XIV. loc. cit. Cujus haec sunt verba: *Quod autem ad alteram pertinet quaestionem de ordinationis validitate, jam plerique doctores sustineri docuerunt primam tonsuram minoresque ordines a praedictis Abbatibus collatos aut regularibus sibi non subjectis aut saecularibus in suis privilegiis non comprehensis. Ita quippe asseruerunt Suarez. de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 29; Fagnan. in cap. Statuimus de suppl. neglig. Prael. Huic vero sententiae calculum subinde adjecit S. C. Concilii, quae illicitam quidem habuit sed validam semper pronunciavit ordinationem, de qua disserimus, addidit tamen:* „Promotos ab illis indigere absolutione (a suspensione) et rehabilitatione a Sanctissimo obtinenda“, *ut habetur l. 18. et 19. Decret. ac in thesaur. resolut. t. 3. p. 288. et 296. Quare ut, quam versamus controversiam, paucis absolvamus: aut Abbas nullo fruitur privilegio conferendi recensita aut privilegio potitur eadem conferendi certo personarum generi. Si primum, nec licite nec valide potest quemquam ad primam tonsuram minoresque ordines promovere, si alterum, illicite profecto; attamen valide confert etiam aliis etc.*

ut suis conferat subditis; *tertio:* quod sit benedictus. Ob privilegia a summis data Pontificibus, ultima conditio hodie, inquit *Tambur. loc. cit.*, non est necessaria.

Gravis est quaestio de validitate tonsurae minorumque ordinum, ubi eos conferat regularis Abbas alieno subdito, ut in nostro themate. Qui ex benedictione Abbatis sacramentalem in eo admittunt potestatem, validam affirmant non subditi ordinationem, licet illicitam, ut *Fagnan. in cap. Statuimus de suplen. negligent. de praelat. num. 16; Fernusin. in cap. Cum contingat part. 2. num. 9. et seq. de aetat. et qualit.; Suar. de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 29. num. 21; Tambur. de jur. Abbat. tom. 2. disput. 2. quaest. 8. per tot.* Qui rem vero a canonicis repetunt principiis, eam ordinationem probant nullam. Potestas sane ordinandi adnexa est soli consecrationi seu ordini episcopali secundum proprietatem ex indelebili scilicet charactere, ut idem notat *Fagnan. loc. cit. sub. num. 6.*, valideque propterea Episcopus alienis etiam subditis ordines confert, quum semper innata ejus potestas quoad omnes maneat, *Hallier de sacr. elect. et ordinat. sect. 5. cap. 1. art. 1. et 2. de privileg. conferen. Abbat. num. 19.*

Abbas regularis contra, qui non accipit ex simplici benedictione characterem, ordinandi potestatem non habet ex ordine sed ex concessione ecclesiae seu privilegio; ac tantum potest quantum concessum, *Vagnerek. in lib. 5. tit. 33. cap. Abbates 3. de privileg. et excess. privilegiat. pag. 918.* Ei olim tributa erat facultas conferendi tonsuram et minores ordines alienis etiam subditis cum dimissoriis eorum Ordinariorum, *Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. §. 12.* At restricta tandem fuit ad proprios subditos regulares ex *concil. Trident. sess. 23. cap. 10 de reformat.*, ita ut denegata quoad alias censeatur. Hinc alieni subditi ordinatio fit absque privilegio et ob defectum potestatis in Abbate ordinante est nulla, secundum *Pignatell. consult. 367. sub. num. 2. tom. 1.* ibi: »Privilegium concessum Abbatibus, intra alicujus dioecesis fines existentibus, conferendi primam tonsuram et ordines minores est restrictum ad suos subditos regulares tantum. Ergo si conferatur aliis, id faciunt sine privilegio ad hoc essentialiter requisito et per consequens ordinatio nulla erit.«

(Resol. diei 24. Jan. 1795. *Collen.)*

Ex jure quidem ordines minores conferre nec Abbatibus licitum est aliis quam monasteriorum suorum conversis et qui ad illa convolaverint et in quos ecclesiasticam et quasi episcopalem jurisdictionem obtinent, nisi eis id competat ex pleno apost. Sedis indulto, ut habetur in *cap. Abbates de privilegiis in 6.* At concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 10. de Reform.* decrevit quod Abbatibus et aliis quibuscumque quantumvis exemptis non liceat in posterum intra fines alicujus dioecesis consistentibus, etiamsi Nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre. Hinc in diversam abeunt sententiam DD. Nam alii tenent, Abbates *tertiae speciei*)* in proprio territorio separato posse conferre ordines minores subditis saecularibus, cum Tridentinum hoc prohibeat tantum Abbatibus intra fines alicujus dioecesis consistentibus, ut defendit *Marga ad constit. apostolic. constit. IV. Greg. IX. num. 55.* Alii vero contendunt Abbates tertiae speciei non posse saecularibus ordines minores conferre nisi ex privilegio juxta *cit. cap. Abbates.* Aliter enim vel ordinatio illi cita secundum veterem sententiam s. Congregationis in *Catanien 23. Novembris 1641 et in Panormitana collationis ordinum 16. Martii 1644., in Conimbricen. 26. Junii 1655. et in Lucana 16. Martii 1726.*, quas refert *Benedict. XIV. de synodo dioecesana lib. 2. cap. XI. num. 13.*, vel irrita omnino est recensenda, prout recenter definitum est in una *Congregationis Olivetanae 20. Septembris et 29. Novembris 1788.* Si vero Tridentinum Abbatibus subtraxit hoc privilegium conferendi ordines minores, non idcirco ex hoc Sedes apostolica prohibetur quoniam imposterum privilegia hujusmodi elargiri queat quemadmodum observat *Fagnan. in cap.: Statuimus num. 81. de suppl. negligen. Praelator.*

Die 19. Decbr. 1801. *Parmen.*

46) Num ordinare possit ex delegatione alterius Abbatis non subditos suos?

Anglonen. et Tursien.

Postquam Aloysius Ronolii solemnem professionem emiserat in monasterio ordinis Cister-

*) Vd. *Jurisdictio Abbat.* (triplex). *Abbas exemptus* (species tripl).

ciensium s. Mariae di Sagittario Anglonensis dioecesis, cum annum ageret unum supra vigesimum, minoribus ordinibus initiatus est non ab Abbate, qui tunc monasterio s. Mariae praesidebat, seu ut vocant die governo, sed ex hujus mandato collatio ordinum facta est ab altero ejusdem ordinis Abbate s. Mariae de auxilio, qui itineris causa apud monasterium s. Mariae di Sagittario diversabatur. Ronolius vero cum ad subdiaconatum promoveri cuperet, nomen dedit Ordinario, qui scrutinio facto novit, eundem non adhuc sacramentum confirmationis suscepisse. Dubitatum hinc est de validitate collationis ordinum minorum, tum ex parte ordinati, quippe qui nondum confirmatus, tum ex parte ordinantis, quippe qui non potiebatur jurisdictione in monasterio s. Mariae di Sagittario, cui monachus professus subjectus erat. Hisce commoti tum Abbas s. Mariae dimittens tum Ronolius ordinatus deprecati sunt, ut, si forte censuris et irregularitate irretiti sint, eisdem absolutio, dispensatio et rehabilitatio concederetur.

Episcopus exposita confirmans sibi constare asserit de bona fide tum Abbatis dimittentis et ordinantis, tum Monachi ordinati. Bona eorum fides (ait) evincitur cum ex adulta aetate ipsius ordinati, qui annum vigesimum primum excesserat et facile eum confirmatum crediderunt in sua infantili aetate, tum ex ipsiusmet professi Aloysii mente, qui postquam fuit ad ordines promotus statim de sua confirmatione dubitavit et nulla interposita mora dubium ad dictum suum Abbatem aperuit. Bene igitur crederem benigne indulgeri posse pro poenarum forsan ab Abbate dimittente et professo ordinato inconsiderate incursarum absolutione et gratiam eidem Aloysio impertiri, ut ad sac. ordines, utpote omnibus requisitis per S. C. Tridentinum praescriptis est praeditus, promoveri possit.

Interrogatus est etiam Procurator generalis Cisterciensium, qui suam sententiam in haec aperuit verba: Quod attinet ad ordinum collationem ab Abbate s. Mariae de Auxilio peractam favore dicti Aloysii Ronolii ex commissione Abbatis oratoris nil reprehendendum arbitror, quia ex concessione Urbani VIII. in bulla erectionis provinciae Cisterciensis Calabriae citerioris omnes Monachos tamquam unum inter se corpus officere voluit et Monachus, qui est ex uno monasterio professus tamquam in omnibus aliis professus habetur. Quocirca omnes Monachi omnium Abbatum suae respective provinciae vel congregationis Cisterciensium subditi sunt. Ratio autem potissima, ob quam Cisterciensium Abbates jurisdictionem habent in omnes provinciae Monachos, ea est, quod ipsi quolibet elapso quinquennio regimen assumere debent alterius monasterii et sic in monasteriis omnibus jurisdictionem exercent. Cujus quidem privilegii Urbani VIII. authenticum ex autographo, quod est in secretaria brevium, monumentum exhibuit. Ex quibus concludit quod Abbas, qui ordines contulit, unus esset ex Abbatibus benedictis et de gubernio, ut dicere solemus; videtur quod EE. VV. ipsum absolvere possint a comminatis poenis. Quaeritur in I. dubio de nullitate collationis ordinum minorum, idque ex duplici capite; primum ex parte ordinati, qui ordines suscepit nondum confirmatus; secundum ex parte ordinantis, cum eos contulerit non Abbas die governo monasterii s. Mariae de Sagittario, cui ordinatus erat subditus, sed alter ejusdem ordinis Abbas s. Mariae de Auxilio. Quod attinet ad defectum confirmationis dubitandi ratio deducitur ex decreto concilii Tridentini *sess. 23. cap. 4. de Reform.* quo prohibetur, ne prima tonsura initiatur, qui sacramentum confirmationis non susceperint, atque idcirco, dum ordines minores conferri nequeunt nisi tonsuratis ex praecepto ecclesiastico, necessarium est, quod confirmatio ordines praecedat. Nam cum in ordinibus spiritualis conferatur potestas, decet laicum confirmari ante susceptionem ordinum, ut armatus chrismate contra invisibiles hostes validius commissam sibi potestatem exerceat, ut post *can. Spiritus sanctus de consecrat. distinct. 5.* observat *Fagnan. in cap. Cum contingat de cetat. et qualit. num. 96.* Quare qui ante susceptionem ordinum omittit confirmationem agit contra praeceptum ecclesiasticum et ideo invalida videri posset collatio ordinum cum irritum sit quidquid contra legum gestum est ex *regula jurisconsulti in leg. 59. ff. de R. J.*

Verum tunc est collatio ordinum invalida cum omittuntur ea, quae de jure divino ad ejus validitatem requiruntur, illicita vero cum contra ecclesiasticam disciplinam et praecepta conferantur ut tradit *Reiffenstuel. in jus canon. lib. I. Decret. tit. 2 §. 3. num. 36.* Ordines autem non requirunt caractherem confirmationis, sicut baptismi ex necessitate sacramenti, sed solum praecepti et quidem ecclesiastici ut notat *Piringh. in jus can. lib. I. tit. 2. §. 3. num. 20.* Unde confirmatio praecedere debet ordines non ex praecepto divino sed ex praecepto ecclesiastico, adeoque quamvis illicite conferantur ordines non confirmatis contra ecclesiasticam disciplinam, sunt nihilo minus validi nec reiterandi secundum doctrinam *d. Thomae in 4 distinct. 24. quaest. I. art. 2; Clericat. de sacrament. ord. cap. 3. num. 10; Piringh. loco cit. num. 20; Schmalzgrueber in jus ecclesiastic. tom. I. part. 3. tit. 11. num. 26.*

Gravior tamen est difficultas super validitate ordinationis ex eo quod expleta fuit non ab Abbate monasterii, in quo Monachus professus est, sed ab alio Abbate ejusdem ordinis de ejus mandato. Nam Abbates conferunt ordines non ex potestate ordinaria, quae inest solum ordini episcopali quaeque Episcopis quaeritur post consecrationem, *Fagnan. in cap. Statuimus sub n. 6. et Vagnerekin. lib. 5. Tit. 33. cap. Abbates 3. de priv. et excess. privilegiat. p. 918,* sed ex priviligio, quod ecclesia eisdem concessit. Privilegia hujusmodi in corpore juris data sunt generatim Abbatibus praesbyteris benedictis *in can.: Quoniam distinct. 69. et cap. Statuimus de supplend. negligen. Praelat.* Praeterea conceduntur privilegia ex indulto Sedis apostolicae Abbatibus etiam non benedictis, qui eodem jure ac qui sunt benedicti utuntur, ut constans sententia est *Tamburin. de jure Abbatum tom. I. disput. 11. quaest. 3. num. 3; Barbos. vot. 89. num. 28; Clericat. de sacrament. ordinis decis. 15. num. 7.* Utrisque Abbatibus non licet ex jure decretalium in *cap. Abbates de privilegiis in 6.* aliis quam monasterium suorum conversis et qui ad illa convolaverint et in quos ecclesiasticam et quasi episcopalem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonsuram.« Id quod a concilio Tridentino cohibitum est in *sess. 23. cap. 10. de reform.*, in quo cavetur, »Abbatibus et aliis quibuscumque quamtumvis exemptis non liceat imposterum intra fines alicujus dioecesis consistentibus etiamsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit tonsuram vel minores ordines conferre.«

Amplissima vero concessa sunt privilegia Abbatibus Cisterciensibus, quae sedulo investigavit Benedictus XIV. in adnotationibus ab ipso factis (dum munus secretarii hujus sac. Congregationis fungeretur) in *Uratislavien. 12. Februarii 1724. Haec summa rei est:* Praeter facultatem eis concessam in *cap. Statuimus de supplen. negligen. Praelat.*, ex quo eis fas est conferendi primam tonsuram, ex indulto praeterea Eugenii IV. et Julii II. fruuntur iisdem privilegiis, quibus Abbates s. Benedicti, et Innocentius et Clemens VIII. dederunt potestatem Abbati generali Cisterciensium et Vicariis Abbatibus ab eis subdelegatis, ut ceteros Abbates Cistercienses possent benedicere. Ex quibus factum est ut in allegata Uratislavien sac. Congregatio probaverit collationem ordinum minorum ab Abbate Cisterciense factam licet ab Episcopo non benedicto, et rescripsit, quod Episcopus ordines sacros conferre teneretur. In casu vero proposito Procurator generalis Cisterciensium affirmat Abbatem s. Mariae de Auxilio qui ordines contulit esse unum ex benedictis seu di governo neque id Episcopus Anglonensis in dubium adducit.

Quibus praemissis duo ab EE. VV. deliberanda supersunt, scilicet: Utrum ab illo Abbate collatio facta sit ei, qui suus subditus esset? Utrum collatio ordinum sit invalida, quatenus comperiatur quod ordinatus subditus non sit ordinanti? Nam privilegia quaecumque Abbatibus concessa coercentur ex decreto Tridentino ad subditos regulares, ut notat *Benedict. XIV .de synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. num. 10.* Ex facto vero constat, quod Aloysius Ronolius professionem emisit in monasterio s. Mariae de Sagittario. Quod si ex professione religiosa erutur subjectio *Tamburin. de jur. Abbat. disput. I. quaest. 2. num. 2.*, certe Ronolius subjiciebatur monasterio s. Mariae di Sagittario ejusque Abbati, qui regimen habebat. Id quod ex facto ipsius Abbatis declaratum est. Is enim oretenus mandavit altero Abbati s. Mariae de Auxilio, ut ordines suo Monacho subdito conferret, quare Monachus subjiciebatur Abbati s. Mariae de Sagittario, si hic eum demisit Abbati s. Mariae de Auxilio, qui non sua sed mandata jurisdictione usus, ordines contulit.

Verum Procurator generalis ex breve Urbani VIII. anni 1633 contendit, quod in provincia Cisterciensi Calabriae et Lusitaniae singuli Abbates, qui de quinquennio in quinquenium monasteria moderantur, habeant jurisdictionem supra omnes Monachos in quibuscumque monasteriis commorantes. Nam summus ille Pontifex jussit, quod omnia hujusmodi monasteria illorumque Superiores, Monachi, Religiosi, conversi, novitii, servientes, oblati, familiares aliaeque personae quaecumquenec non omnia illorum bona, res, jura, proprietates, membra adnexa et dependentia

et pertinentia sint communia et tamquam unum inter se corpus ad dictam congregationem immediate spectent. Monachusque ex uno dd. monasteriorum professus tamquam in omnibus professus habeatur. Prae sua sapientia videant EE. PP., num haec interpretari debeant, ut singuli Abbates cumulativam habeant jurisdictionem in singula monasteria seu potius distributivam, ut si Monachus a monasterio, in quo professionem emisit, ad aliud transierit, tum subjiciatur Abbati, in cujus coenobio domicilium fixit.

Quatenus vero Abbas s. Mariae de Auxilio contulisse censeatur ordines Monacho non subdito contra decretum Tridentinum, inquirendum insuper est, num ordinatio sit invalida. Inter dissidentes canonistarum sententias hanc regulam statuit *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. num. 13.*, ibi: Aut Abbas nullo fruitur privilegio conferendi primam tonsuram et minores ordines aut privilegio potitur illos conferendi certo personarum generi. Si primum, nec licite nec valide potest quemquam ad primam tonsuram minoresque ordines promovere: si alterum, illicite profecto, attamen valide primam tonsuram minoresque ordines confert etiam illis, qui caeteroquin inter personas non numerantur in privilegio designatas. Nam ut advertit *Fagnan. in cap. Statuimus de supplen. negligen. Praelat. num. 21.* in privilegio seu commissione conferendi ordines duo implicite continentur, videlicet nuda et limitata jurisdictio ad personas designatas, at ex limitatione jurisdictionis non infertur ad limitationem praedictae potestatis.

Saepe aliae controversiae hujusmodi delatae fuerunt ad sac. Congregationem, cujus resolutiones ad rem hic subjiciuntur in *Cremonen. 15. Junii 1591.* Sac. Congregatio censuit

I: Abbatem ex privilegio Pii V. facultatem habentem ea omnia faciendi, quae facere potest Abbas benedictus, qui de mandato Vicarii apostolici quibusdam saecularibus non sibi sed ipsi Vicario subditis primam tonsuram et ordines minores contulit, contravenisse consilio et constitutioni san. mem. Sixti V.

II: Charactherem tamen ordinis impressise.

III: Tam ordinantem quam ordinatum incidisse in poenas *sa. me. Sixti V. lib. 7. decrt. pag. 15. in libro 13. decret. pag. 169.* Haec recensentur sub die 11. Maii 1724. Sacra Congreg. alias censuit saecularem tonsuratum ab Abbate benedicto vel habente privilegium ut possit ea omnia quae potest Abbas benedictus, quamvis ab eo non debuerit ordinari, ob ademptam sibi a concilio saeculares ordinandi facultatem, recepisse tamen caractherem, secus si Abbas non esset benedictus vel tuto privilegium non haberet. In *Catanien. 15. Februarii 1642* decretum fuit jam ordinatos ab hujusmodi Abbatibus cum alteris dimissorialibus Ordinariorum ad primam tonsuram et ordines minores facto verbo cum SSmo. esse absolvendos a quibuscumque poenis incursis et convalidandos esse ordines eisdem collatos. Die 24. Martii 1642 facta relatione Sanctissimo Sanctitas Sua jussit edi decretum et convalidavit ordinationes hucusque factas, lib. 17. decret. pag. 1.

In *Conimbricen. 26. Junii 1655* dubium erat:

An Abbates Congregationis s. Bernardi et Benedicti conferre potuerint ordines minores regularibus sibi non subditis necnon saecularibus habentibus literas dimissorias suorum Superiorum?

Sacra vero congregatio respondit fieri id minime potuisse, sed addidit: Promotos non indigere alia collatione dictorum ordinum, sed absolutione et rehabilitatione a SSmo. obtinenda, lib. 19. decret. pag. 484. In Panormitana collationis ordinum 16. Martii 1647. cum quaesitum fuisset: *An ordines minores per Abbatem regularem non benedictum collati non suis subditis sint validi, si Abbas habeat privilegium conferendi illos suis subditis?* Responsum prodiit: Collationem ordinum supra dictis non suis subditis etiam regularibus factam, si fuerit de ordinibus etiam minoribus et dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium apostolicum, ordines collatos remanere invalidos et ordinatos indigere alia ordinatione; si vero Abbas non benedictus habeat dictum privilegium et ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, ordinatos non indigere alia ordinatione, sed solummodo absolutione et rehabilitatione a Sede apostolica, lib. 18. decret. pag. 311.

Et in Lucana 19. Martii 1726. in qua agebatur de collatione ordinum facta ab Abbate s. Barbarae civitatis Mantuae cuidam clerico, qui non comprehendebatur in privilegio eidem Abbati concesso, ad propositum dubium: *An et quomodo sit providendum in casu?* Sac. Congregatio rescripsit: Pro relaxatione suspensionis arbitrio Episcopi Lucani.

Quamquam his contrarium esse videtur dubium sac. Congregationis concilii resolutum a sac. Rota coram Seraphino decis. 985., quo declaratum est, non posse Abbates, qui privilegio fruuntur conferendi ordines minores, illud exercere super clericis saecularibus licet Ordinarii dimissoriis suffultis, attamen ex cujusmodi responso non declaratur, quod si nihilominus Abbates ordinationes in non subditos contulerint, omnino sint invalidae; pari modo s. Congregatio in una Congregationis Olivetanae 20. Septembris 1788. invalidam declaravit ordinationem ab Abbate factam in Monachum non subditum, sed agebatur de Abbate, qui abbatiam in manibus summi Pontificis resignaverat et interim regimen monasterii exercebat. Sive autem invalida sive illicita declaretur ordinatio, de qua agitur, erit statuendum ab EE. VV. quomodo consulendum sit tam ordinanti et ordinato, tum etiam Abbati dimittenti. De his quaeritur in II. dubio. Ex eo enim quod ordines collati fuerint Monacho non confirmato, non idcirco vel ordinatus vel dimittens vel ordinans in suspensionem vel irregularitatem inciderunt. Nam nullo juris loco ob omissionem confirmationis ante suscipiendos ordines interminatur poena suspensionis aut irregularitatis, ut observant DD. allegati, qui concludunt in culpa esse veniali vel lethali ordines omissa confirmatione suscipientes vel ministrantes, prout bona vel mala fides in hac omissione intercesserit, et necessariam esse rehabilitationem Sedis apostolicae, ut ordinatus ad majores ordines possit ascendere, ut docte *Fagnanus in cap.: Cum contingat num. 96. de aetate et qualitat.* Quatenus vero illicita saltem sit collatio ordinum ab Abbate non subdito facta, certe ordinans et ordinatus si ministrarunt in poenas suspensionis et irregularitatis inciderunt ex constitutione Sixti V., ut opus eis sit absolutione, dispensatione et rehabilitatione. Verum s. Congregatio veniam pronius dedit, quando aliqua adest bona fides et nulla subeat de dolo suspicio, ut videre est in superius allegatis resolutionibus, quibus addi possunt aliae et praecipue in *Papien. 8. Octobris 1598.* et in citat. Congregationis *Olivetanae 20. Septembris 1788 ad* II. dub.

Duo proponuntur dubia:

I. An constet de nullitate ordinationis, itaut sit reiteranda in casu?

II. An sit consulendum SSmo. pro absolutione, rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate quatenus ministraverint in casu?

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative quoad omnes et quoad ordinatum praevia collatione sacramenti confirmationis.

Die 15. Mai 1802.

47) Ordinarius.

Vd. *Abbas (cum jurisdictione.)*

Nomine Ordinarii non tantum Episcopus comprehenditur, verum etiam Abbas et quivis alius Superior ordinariam habens jurisdictionem ex jure vel praescriptione vel privilegio. *Zabar. Clem. quia regulares, n. 11. vers. octavo quaeres de supplen. neglig. Praelator. Panorm. cap. ut famae n. 6. de sent. excom.* Et cum in aliquo juris decreto aliquid Ordinariis committitur, ad eos omnes, nisi subjecta materia aliud exposcat, commissio dirigitur. *Gloss. in cap. Ordinar. verb. locor. de offic. ordin. 6.* Accedit, Abbatem nomine Ordinarii comprehendi in *arg. text. in cap. cum. Episc. de offic. ordin. in 6.* et tot. *tit. extr. de offic. ordin.*

48) Ordinatio gratis facienda.

Vd. *Ordinatio.* (Non pro pecuniis etc.)

49) Ordines min. num Abbas clericis saecularibus conferre possit?

Vd. *Abbas bened.* (Num Abbas bened. non ab Episcopis etc. decr. *Brixien); Abbas bened. ab Episcopo* (decr. *Hispanien* pag. 6.) *Vd. p. 46. n. 38.*

50) Quando ord. min. valide sed non licite non suis subditis conf. potest?

Vd. *Abbas* (bened. ab Episcopo etc. decr. *Hispanen* §: Ex antiqui p. 8.); *Abbas* ordinare potest solum subditos p. 59.

51) Pileolum.

Prior usum Pontifical. habens bireto parvo *nigri* et non alterius coloris omnino uti debat. N. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbates sub mitra utantur parvo biretto nigro et non alterius coloris. N. 531 die 18. Mart. 1617.

52) Pontificalia exercens.

Ad dub.: An Abbati Collegiatae de Zafra liceat celebrare in Pontificalibus extra dies in concordia per Sedem apostolicam confirmata praescriptos in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 15. Jan. 1729.

Vd. *Usus Pontifical.* (Modus etc.); *Abbas* (usus Pontif.)

Abbas cum usu Pontificalium iisdem extra limites locorum sibi subjectorum absque *indulto Sedis apostolicae* nec sine nec cum licentia Dioecesanorum uti non potest. N. 1395 die 28. Juni 1642.

Nequit Episcopus Abbatibus aliisque Praelatis inferioribus exercitium Pontificalium restrictive habentibus in suis tantum ecclesiis facultatem seu licentiam impertiri exercendi illa in ecclesiis ipsis non subjectis, sive saeculares fuerint sive regulares suae dioecesis. N. 4089 die 11. Julii 1739.

53) Praecedentia.

a) Inter se.

Ab Abbate s. Michaelis congreg. Vallisumbrosae deberi praecedentiam Abbati s. Bartholomaei Canonicorum Lateranens., dummodo iste in habitu clericali vesteque linea sine pallio ingro et sine mozzetta incedat. N. 1402. die 19. Julii 1642.

Vd. *Regulares* (praeced.)

b) Super alios.

Vd. *Abbas Casinens.* (jus).

Ad dubium: An Abbatibus ord. s. Benedicti congregat. Militensis, status Ragusini, Pontificalibus indutis, tamquam invitatis pro assistentia in solem. primis vesperis, processione et missa festivitatis s. Blasii veniat denuo assignandum stallum in presbyterio, quo usos fuisse praetendunt in antiqua Cathedrali? S. C. resp.: Archiepiscopus assignet Abbatibus locum decentem in presbyterio post Episcopos. N. 4005. ad 2. die 24. Novb. 1731.

Cum ex parte Patrum Abbatum s. Benedicti status Ragusini expositum fuerit, quod ipsi occasione processionum et absolutionum ad funeralia reverendissimorum Archiepiscoporum et Dominorum Rectorum Reipublicae Ragusinae, ad quas iidem invitati sunt simul cum Episcopis suffraganeis, nulla persona in dignitate ecclesiastica constituta interposita, pontificalibus ornamentis induti semper accesserunt, cumque modo ad effectum, ne a simili possessione a Canonicis Cathedralis Ragusinae iidem in posterum perturbari valeant, pro declaratione manutentionis hujusmodi assertae consuetudinis S. R. C. humillime supplicatum fuerit,

S. eadem R. C., visis attestationibus Episcoporum Staguen. et Mercanen. et Tribunen. et lecto voto a reverendissimo Archiepiscopo Amaseno apostolicarum caeremoniarum praefecto exarato rescribendum censuit: »Praecedentiam supra Canonicos deberi Abbatibus praedictis et solitum servari mandavit.« Et ita decrevit. N. 3972. Die 12. Julii 1727.

Abbates inter Monachos Ruthenos ord. s. Basilii, in actibus monasticis praecedere non debent Proto-Archimandritas; extra vero actus monasticos solitum servari debet, ita ut ubi usus invaluit, ut Abbas praecedat Proto-Archimandritam, in posterum etiam eadem praecedentia ad Abbates pertineat. *Bened. XIV. const. incip.: Inter plures, tom. 1. bullarii §. 16.*, quo sensu dicitur simplices Abbates aliquando Superioribus generalibus praecedere.

Abbates habentes jus mitrae et baculi etiamsi et Commendatarii sint, sive saeculares sive regulares, praecedunt in synodo Canonicis etiam Cathedralis capitulariter non intervenientibus: *Bened. XIV. de synodo dioec. lib. 3. cap. 10. n. 5.* et Caeremoniale Episcoporum *lib. 1. cap. 31.* Inter Abbates vero praecedit, qui dignitatem prior sit assecutus: Idem Pontifex *loc. cit. n. 6.* et cap. fin. *dist. 17. et cap. 2. 15. et 16. de majoritate et obedientia.*

54) Processio.

Posse Abbatem facere processionem cum suis Monachis et absque aliis religiosis dummodo non exeat limites parochiae. N. 246. ad 1. die 17. Julii 1604.

In processionibus *per civitatem* Abbas coram se deferri facere non potest mitram et baculum, quia extra suam ecclesiam et conventum non potest uti mitra et baculo. N. 246. ad 3. die 17. Julii 1604.

In processionibus ss. Corp. Chr. Abbas curatus, pluviali indutus, incedere debet cum alio presbytero antiquiori similiter pluviali induto. N. 3472. die 31. Maii 1698.

Vd. *Mitra Abbatis; Processio regular.; Processio int. et ext. claustra.*

55) Qualitas.

Vd. *Abbas* (electio etc.)

56) Reconcil. altaris et eccles.

Passavien.

Abbas monasterii Hilaricen. ordinis Cistercien. Passavien. dioecesis asserens se insignitum mitra et baculo et stante quod in loco ob incursum infidelium plures ecclesiae et altaria fuerunt profanata et polluta et ob id

cultum divinum non posse exercere prout nec commode haberi copiam Ordinariorum pro illis reconciliandis, supplicavit concedi sibi facultatem illa reconciliandi et benedicendi vestes sacras. Et sacra Congregatio attentis narratis respondit: Si ecclesiae et altaria polluta non erant consecrata, posse per oratorem reconciliari, durante triennio; si autem erant consecrata, non posse nisi per Episcopum reconciliari, quo vero ad vestes et paramenta ecclesiae concessit per triennium, dummodo non adhibeatur sacra unctio. Die 15. Decbr. 1632.

(Anal. J. P. VII. ser. p. 249. Romae 1864.)

57) Saecularis.

a) Celebrans solemniter.

Abbates ecclesiae saecularis et ab Ordinario exemptae ac Sedi apostolicae immediate subjectae usum mitra habentes, dum in sua abbatiali ecclesia sibi pleno jure subjecta divinis solemniter intersunt, possunt, absente Episcopo, suos Canonicos assumere ad sibi assistendum et eamdem in eos jurisdictionem exercere, quam Episcopus exercet in suos. S. Congr. Rit. *in una Alex. s. Petri in Broglio. 7. Febr. 1604.*

b) Non eligendus.

Vd. *Abbas* (Electio, Bened. III. diei 7. Oct. 855. p. 35.)

c) Habitus, praecedentia.

Vd. *Canonici* (habitus, praeced.)

Civitatis Castellanae.
(Sess. 24. cap. 12. de ref.)

Princeps Franciscus Maria N. dynastes Terrae Vineanelli, quae sita est intra dioecesim civitatis Castellanae, jam ab anno 1723 a fundamentis excitavit suisque sumptibus aedificavit in dicta terra ecclesiam, quae a B. Mariae V. praesentatione nomen accepit. Adveniente anno 1725 solemnibus adhibitis consecrationis ritibus eadem divino cultui dicata fuit a felic. recor. Benedicto XIII., qui ipsam Parochialis titulo antea insignitam ad Collegiatae dignitatem etiam evexit, datis ad id apostolicis bullis sub die 1. Sept. praefati anni. Ex hisce colligere est, Vineanelli capitulum decem constare Canonicis et quatuor beneficiatis, praeter duas dignitates, Abbatem videlicet, a quo prima dignitas, ac Primicerium, a quo secunda constituitur, eorumque omnium juspatronatus activum collatum esse in praefatum fundatorem ejusque successores in infinitum, dempto primiceriatu, cujus collatio libera reservatur favore Sedis apostolicae. Pro congrua canonicatuum et beneficiorum praebenda impetrata apostolica venia fundator cessit scutata annua quadringenta octingenta unum, de quibus ipse ejusque successores jus habebant nominandi quotannis novem dotandas puellas, queis eandem summam pro rata parte rependere tenebantur archisodalitium in Urbe institutum sub nuncupatione sanctissimae Virginis ab angelo salutatae vi cujusdam transactionis. Insuper adjecit scutata annua octingenta quinque ex propriis bonis ad id mancipatis. Praebendae vero abbatialis et primicerialis, quibus et cura animarum adnexa fuit, constituae fuerunt ex congrua, qua duo parochi ante Collegiatae erectionem respective fruebantur, adjectis tantum pro unaquaque dignitate scutatis duodecim annuis.

Quum de abbatia fit sermo in citatis bullis, statuitur, ut sit dignitas principalis ac de jure infrascripti patronatus laicorum pro uno clerico seu presbytero futuro in eo Abbate, qui dictae parochialis ecclesiae in saecularem et insignem Collegiatam, ut praefertur, erigendae caput existat, vel tam in choro quam in capitulo et processionibus aliisque actibus capitularibus rebusque et negotiis pro bono regimine dictae parochialis ecclesiae in saecularem et insignem Collegiatam ut praefertur erigendae et digniorem locum obtineat. Deinde choralis habitus pro singulis, qui divinis officiis interesse debebant, hisce verbis praesignatur »Ipse Abbas videlicet habitum praelatitium nigri coloris cum rocchetto et mantelletta ad instar Notariorum Protonotariorum de numero non participantium nuncupatorum. Primicerius vero et Canonici mozzettam violaceam supra coctam seu rocchettum cum strictoriis et globulis rubri seu purpurei coloris, beneficiati vero almutiam tam infra quam extra praefatam parochialem ecclesiam . . . et in choro, capitulo et aliis actibus capitularibus publicis et secretis, ac etiam in processionibus ubicumque locorum deferre et gestare illisque uti libere ac licite valeant. Quoad curam animarum vero cavetur, ut ea resideat penes Abbatem et Primicerium pro tempore, qui Abbas et Primicerius simul curam animarum . . . . pro medietate inter eos dividendam exerceant. Quorum verborum vigore proinde factum est, ut alternatim per hebdomadas Abbas et Primicerius animarum curae operam darent.

Consonant apostolicis bullis capitulares constitutiones Ordinarii approbatione robo-

ratae die 30. Sept. anni 1779, quarum in secundo capite legere est: »L'Abbate che e la prima dignita di questa insigne Collegiata vestira col rocchetto, e manteletta nera a somiglianza de 'Protonotari apostolici del numero de' non partecipanti . . . . Il detto Abbate avra il titolo di Reverendissimo, dal Capitolo e Clero sara riconosciuto come Capo di tutta l'insigne chiesa Collegiata della Terra di Vignanello, e gli sara prestato il dovuto ossequio ed obbedienza specialmente in cio, che riguarda il servizio della chiesa et il regolamente de' cosumi.« De Primicerio autem diserens caput tertium ita se habet: »Il Primicerio seconda dignita vestira in coro con mozetta Paonazza con occhietti, bottoni, e fodera rossa, e rocchetto.« Ex aliis duobus capitibus etiam patet tam Abbatem quam Primicerium pro tempore curare debere animas parochianorum.

At anno 1811 accidit, ut precibus Primorum e magistratu Vineanelli annuens S. M. Gregorius XVI. etiam Primicerio concederet usum nigri pallioli seu mantellettae eodem modo, quo Abbas fruebatur. Ita ostendunt literae apostolicae in forma brevis ad rem datae die 20. Aug. praedicti anni ac executioni deinde demandatae. »Auctoritate nostra apostolica« sunt verba brevis, facultatem perpetuo facimus atque impertimur, ut commemorati collegialis et parochialis templi oppidi Vineanelli Primicesius hoc futurisque temporibus palliolum nigrum seu mantellettam in omnibus sacris functionibus aliisque caeremoniis libere et licite gestare possit, quemadmodum Abbas ejusdem templi gestat.«

Haud arrisit novus hic primicerialis honor excellentissimo Collegiatae patrono, eumque obreptitie et subreptitie obtentum autumans adiit supplex praefatum Pontificem ut jurium suorum necnon abbatialis honorificentiae laesioni medelam afferret; at per secretariam brevium responsum tulit: *Utatur jure suo ac proinde admittitur aperitio oris.* Etenim ad avertendas litis ambages idem princeps Joannes N. preces suas sub initio volventis anni ad apostolicum Solium admovit postulans »A voler' ordinare che le cose ritorniuo secondo la mette del fondatore, oppure si degni di accordare all' Abbate e suoi successori la mantelletta paonazza, onde il Sig. Abbate sia distinto fra utti come capo del capitolo ed abbia sempre il primo posto tanto nelle funzioni capitolari, che curatali.« Summus Pontifex ex audientia diei 19. April. ejusdem anni causam remisit ad s. Congregationem cum facultatibus necessariis et opportunis et cum clausula: de aperitione oris arbitrio. Qua de re oratoris expositas preces ad Episcopum civitatis Castellanae de more ablegavi, ut partibus et transmissis documentis ad rem facientibus suum adaperiret votum. Quae ille s. Congregationis mandatis obsequens rescripsit, meum erit hic subjicere.

Parum immorandum (ita Episcopus) mihi videtur in expositione facti, a quo oritur quaestio super praeeminentia sive distinctione choralis habitus inter Abbatem et Primicerium insignis ecclesiae Collegialis Vineanelli, cum satis stricte ac veritate redactum fuit et videre est in responsione Abbatis ipsius Constantini N. et disertis verbis enucleatum a Primicerio Bernardino N., qui circa res gestas minime discriminantur.

Quod vero jus spectat nomine Abbatis instans excellentissimus patronus laesus conqueritur, quia se inaudito sex abhinc annis donatus fuerit nigro palladio Primicerius, ablata est omnis distinctio inter choralem habitum sui beneficiati, qui gerit primatum in eo capitulo, et Primicerii ejusdem, cujus praebenda reservata est Sedi apostolicae et secundum gradum obtinet: quod delatum discrimen portendit contra fundatoris praestitutum. E contra Primicerius nihil patroni interesse arguit, si praebenda ab eo indepedens honestiori signo cumulata fuerit, ut dedecus publicum corrigeretur, nimirum re videretur Abbas palliolo indutus a sinistro Primicerii incedere in hebdomadis, quibus hic stola indutus parochialia jura exercet, quam praecedentiam alternatim in parochialibus functionibus sibi sartam tectam ex fundatione ipsa capitularibus constitutionibus centenaria constantique consuetudine tueri conatur, hinc jam semel atque iterum in themate repulsos patroni quaestus nunc de novo' instauratos de novo ejiciendos esse confidit.

Haec sunt rationum momenta, quibus hinc inde utraque pars innititur. Inficiari nequit ab initio usque ad postrema tempora Abbates indumentum ab illo Primicerii fuisse distinctum et eam procul dubio ob rationem, quia ille honore uti caput praeeminet in capitulo: item nequit in dubium verti, quin patrono inaudito hujusmodi discrimen fuerit ablatum. Quod sit congruum parochis, causa alternativae praeeminentiae, dum in publicis officiis unus vel alter stola induitur, vel potius ad pristinum statum sit restituenda distinctio, summa

qua pollent sapientia decernent EEmi et RRmi Patres.

Hisce in facto praemonitis quisque videt, quadruplicem in jure disquisitionem exoptare principis oratoris petitionem videlicet: utrum intret arbitrium super oris aperitione, deinde infirmandae sint literae apostolicae ac expoliandus Primicerius nuper obtento honore nigri pallioli ad instar Protonotariorum de numero non participantium, vel saltem conveniens sit ut Abbati tanquam capituli primariae dignitati ab apostolica Sede concedatur palliolus seu manticelta coloris violacei, demum competat necne Abbati privativa praecedentia in omnibus tam capitularibus quam parochialibus sacris functionibus. Quae omnia breviter pertractabo sub dubiorum formulis in calce exscribendis ac ope allegationum, quas partes contendentes in scriptis ad s. Congregationem transmiserunt.

Ex bullis apostolicis, quibus ecclesia s. Mariae a praesentatione in Collegiatam erigebatur, liquido patere contendit excelentissimus patronus, una cum hodierno Abbate N., Abbatem praedictae Collegiatae praeeminentia decoratum fuisse supra omnes capitulares non excepto Primicerio. Atque id constitutum esse affirmat ex voluntate ipsius fundatoris, cui morem gessit Pontifex Benedictus XIII., qui honorare illum voluit, habitum distinctum in choro concedens Abbati ab ipso piissimo fundatore ejusque successoribus praesentando. Ast Primicerius N. nomine magistratus Vineanelli petens ab apostolica Sede palliolum nigri coloris, nihil horum patefecit, quinimo nonnisi per calumniam addidit Vineanelli populum detineri desiderio aspiciendi Primicerium, infectum arguit obreptionis et subreptionis labe, quae ex vulgatissima juris regula sistit in veritatis reticentia ac in falsitatis expositione *arg. ex cap.: Super literis 20. de rescript.*

Eo vel magis hoc obreptionis et subreptionis vitium detegitur in themate, si animadvertatur patronum a nemine fuisse requisitum, quod fieri tamen debebat plures ob causas, quae reticitae fuerunt. Siquidem jam ab anno 1832, quo primum adnitebatur Primicerius obtinere privilegium induendi in choro nigrum palliolum, princeps Collegiatae patronus apposuit protestationem, quam dicunt, *nihil transeat* in episcopali curia, ne ulterius hac in re procederetur cum magna jurium suorum jactura, quae tamen protestatio adhuc in pleno manebat vigore, quum anno 1841 apostolicum breve favore Primicerii fuit expeditum. Praeterea capitularibus constitutionibus, quemadmodum supra retulimus, confirmata fuit Abbatis praeeminentia inter capitulares omnes ac habitus tum Abbatis tum Primicerii aliorumque Cannoicorum praefinitur. Eaedem vero constitutiones subjectae fuerunt auctoritati et vigilantiae patroni fundatoris, adeo ut neque ipsi Capitulares aliquid immutare, corrigere aut addere possent sine illius consensu, veluti probe liquet ex earum cap. XII. in fine, ubi statuitur »Sara luito a tutto il corpo de 'capitolo, o alla parte piu sana di esso col concenso dell' illustrissimo et eccellentissimo Signor Principe D. Francesco Maria N. padrone . . . . . di accrescere o di mutare qualche capitolo delle presenti costituzione, e statuti, che si credera espediente, o necessario, quali inviolabilmente ed esattamente dovranno da tutti osservarsi.« Et si aliquando ulla mutatio in illis accidit, auctoritas intercessit ejusdem patroni, uti videre est in approbatione, quam circa eas edidit Antistes Forlani sub die 30. Sept. 1779. et in qua sic legere est: Superius exaratas constitutiones et statuta alias usque a fundatione et creatione insignis Collegiatae et parochialis ecclesiae terrae Vineanelli confectas . . . et nuper in parte et partibus ab illustrissimo et excellentissimo domino principe Francisco Maria N. moderno patrono dictae insignis terrae legitime reformatas approbamus et confirmamus etc. Quae omnia quum patefacta minime fuerint Pontifici concedenti, nemo ibit inficias, apostolicum breve obreptitie et subreptitie, posthabito legitimo contradictore, obtentum fuisse atque ideo locum esse oris aperitioni.

Neque hic reponere juvat capitulares constitutiones loqui solummodo de fundatore, minime vero de subsequentibus patronis, nam legitimus patronus est successor jurium fundatoris, *arg. ex can.: Filiis 31. caus. 16. quaest. 7. ex concilio Toletano* 18 desumpto et ex ipso jure insuper constitutum est, quod ecclesia patronata invito domino ac patrono non potest in aliquo alterari seu immutari, uti docet *Rota decis. 210. n. 24. part. 17. recent.*

Haud recte pariter objicitur a Butio in duplici libello pro obtinenda gratia porrecto manifestatum fuisse juspatronatus, quo Abbatia onerabatur, attamen Pontificem minime censuisse patronum esse audiendum. Siquidem hoc evenit ex eo quod praeter supra exposita

reticitum similiter fuit universum Vineanelli capitulum obnoxium esse jurispatronatus excellentissimae domus Ruspoli, quae illud sibi quaesivit ecclesiae aedificatione et dotatione, ex quo juspatronatus *correspectivi* naturam induens eo majori sollicitudine sartum tectumque servatur ab apostolica Sede neque unquam imminuitur, quemadmodum judicavit sacrum rom. Rotae auditorium in *Januen. Abbatiae 8. Junii 1676*, in qua ad obreptionis et subreptionis vitium avertendum non profuit simplex facta de laico patronatu mentio, quia praetermissa fuerant onera, quae patroni in jurispatronatus concessione subierant.

Post haec confidit patronus princeps haud ullam adesse posse difficultatem, quod EE. PP. decernant reportari breve ac ut Butius iterum sumere teneatur choralem habitum in bulla fundationis ac capitularibus constitutionibus ei concessum. Postulant hoc jura laesa patroni, Abbatis praeeminentia ac ordo ad nostra usque tempora jugiter servatus. Neque hic audiendus est Butius multa inde manare affirmans, quae ecclesiastico obessent decori, quod scilicet ipse hebdomada sua in sacris functionibus stola indutus supra mozzettam incedere deberet a dextris Abbatis manteletta insigniti: nam praeterquam quod hanc praecedentiam minime competere Primicerio inferius demonstrabitur, aliud exsurgit inconveniens, si aeque ac Abbas palliolum nigri coloris deferat Primicerius, qui tenetur eidem Abbati assistentiam praestare tum quum solemniores sacras absolvit in capitulari ac paroeciali ecclesia functiones.

Quod si, hisce non obstantibus, placuerit EE. Patribus approbare quidquid favore Primicerii apostolico brevi concessum est, efflagitat patronus ut Abbati tribuatur usus pallioli seu mantelettae coloris violacei, adeo ut illa servetur praeeminentia, quae pro eo in ipsa collegiatae erectione constituta fuit per apostolicas bullas, et insimul medelam recipiat laesio jurium suorum, per quae honore fruebatur nominandi Abbatem digniori habitu prae caeteris omnibus in choro decoratum. Idque eo vel magis a summo Pontifice concedendum fore sperat, si perpendatur non novum esse Protonotarios apostol. non participantes, inter quos a longissimo tempore Abbas Vineanelli adnumeratur, posse decorari palliolo coloris violacei, uti colligere est ex *Maschat. in instit. canonic. relat. a Giraldi in append. ad tit. XXXII. de majorit. et obedien. lib. I. decret. part. 2.*, ibi: Protonotarii honorarii seu titulares seu non participantes sunt, qui praecise honorem hujus nominis obtinent cum certis privilegiis, ut deferendi rocchettum et mantellettam coloris nigri vel violacei.

Tandem instat excellentissimus patronus Abbatem collegiatae ecclesiae ac parochialis Vineanelli debere omnibus praecedere, non excepto ipso Primicerio, in cunctis sacris functionibus tam capitularibus quam paroecialibus. Ita colligere fas est ex pontificiis literis, quibus ecclesia B. Mariae Virginis a praesentatione in collegiatam erecta fuit. Ait enim Pontifex Abbatem primum ac digniorem locum obtinere debere tam in choro quam in capitulo et processionibus etc., quin ullam adjecerit distinctionem inter parochiales et capitulares functiones; quare nec nos distinguere debemus, ubi lex non distinguit, juxta vulgatissimum juris axioma. Accedit juris dispositio, vi cujus prior descriptus et nominatus a summo Pontifice praecedere debet subscriptos in iisdem literis, *cap.: Mandato de praebendis in 6., cap.: Quorumdam de electione;* et magis privilegiatus minori privilegiato praefertur, *gloss. in cap.: Accusatus §. Sane de privileg. in 6.* Insuper: *Qui primam dignitatem retinet, quocumque nomine vocatur, ubique praecedit alias ejusdem ecclesiae dignitates*, uti scribit *Scarfantonius lucubrat. canonic. lib. 1. tit. 10. n. 13.* Hinc S. R. C. in Asten die 18. Nov. 1606 declaravit: In omnibus ordinem servandum esse et maxime in processionibus, ut ille Canonicus seu dignitas praeferatur, qui primum seu digniorem locum habet in capitulo; demum in fine capitis VII. supradictae constitutiones capitulares praesertim in processionibus praecedentiam tribuunt Abbati hisce verbis: *In tutte le processioni procedera la croce capitolare in mezzo a due ceroferarii dopo anderanno i chierici, poi i preti semplici, poi li benefiziati, poi li canonici col medesimo ordine, ed in ultimo l'Abbate a mano destra del Primicerio.*

Perperam autem Butius ad tuendam suam in sacris functionibus praecedentiam in ea hebdomada, qua curam animarum exercet, in medium profert observantiam, quia consuetudo tribuens praecedentiam minus dignis reputatatur abusus, quemadmodum docet *Card. de Luca b. 3. part. 2. de praeeminent. disc. 16. n. 11.*, ibi: *Quia vero de jure attenditur praerogativa ordinis seu dignitatis atque illa consuetudo, quae generaliter dat praecedentiam minus digno supra digniorem, reputatur corruptela ex deductis per Gregor. decis. 310. num. 5.*

Contra haec plura opponit Primicerius in allegatione vernaculo sermone ab advocato elaborata mihique exhibita, ut ad ipsius jura sustinenda ea fideliter referrem. Vulgatum in jure est, ipse ait, oris aperitionem contra literas apostolicas non dari, nisi aperte de obreptionis vel subreptionis vitio constet, *text. in cap.: Illud de jurep. et cap. ult. De concess. praeb.; s. Congreg.* in *Ferrarien. beneficii 22. Aug. 1840 §. Tandem; Rota Cod. Ludovic. decis. 420. n. 3.*, nec cujuscumque circumstantiae omissionem gratiam infirmare sed ejus, quae concedentis animum a gratia retraxisset. Rota in *Poparsanen. in Indiis occid. Legati 17. Junii 1847 cor. Frangipane §. final.* Hoc posito quoniam patronus obreptionis vitium in apostolico breve arguit, eo quod reticita fuit Abbatis praeeminentia ac praejudicium, quod ipse in suis juribus patiebatur, necnon ostentata populi voluntas, ut Primicerius eodem ac prima dignitas habitus honore decoraretur, utrumque commentitium esse in facto demonstratur.

Ac primum quoad reticitam praeeminentiam, sive ipsa accipiatur pro primatu in capitulo et hoc casu neutiquam suppressa in precibus fuit, in quibus distinctis verbis expositum fuit: Quantunque ambe due (nempe Abbas et Primicerius) siano dignita, prima l'Abbate, seconda il Primicerio, del capitolo; sive accipiatur pro singulari honorificentia, qua Abbas fruebatur, et pariter haec clare expressa ita fuit: Di accordarsi cioe al Primicerio l'uso della mantelletta nera, e d'incedere, come incede l'Abbate in tutte le funzioni, e processioni e non piu coll'insegna simile a quella di tutti i canonici. Quare cum Pontifex haec omnia cognoverit, palliolum concedens derogasse censendus est Abbatis honorificentiae, si aliquod praejudicium passa fuit ex concessa gratia idque Pontificem ipsum facere potuisse nemo ibit inficias.

Ast dato etiam quod Abbatis praeeminentia reticita utcumque fuerit in precibus, nihilominus sequitur, subversam esse obtentam gratiam et admittendam oris aperitionem. Etenim nunquam Abbati concessum est privativum jus utendi mantelletta, quod secus apte probandi onus ipsi incumberet; neque illud colligitur ex eo quod jam palliolo ipse solus inter capitulares fuerit decoratus auctoritate apostolica, qua pariter caeteri eodem honore donari poterant, praesertim vero Primicerius, qui secundam in eadem ecclesia obtinet dignitatem, quae Sedi apostolicae perpetuo est reservata.

Neque aliter censendum si sermo convertatur ad laesionem jurium patroni, quae reticita injuria fuisse asseritur. Equidem qualiacumque sint hujusmodi jura, quae patronus minime in propatulo ponit, si ad haec reduci velint, videlicet ad jus Abbatem nominandi, qui solus mantelletta uti possit, et ad reformandum capitulares constitutiones una cum canonicis, quemadmodum legitur in cap. XII. jam recensito, evanescunt ea prorsus, ubi perpendatur Abbatem, uti probatum supra est, haud sibi arrogare posse jus privativum deferendi palliolum ad instar Protonotariorum non participantium ac proinde neque patronum jus relativum nominandi personam ita *privative decoratam.* Et quoad jus capitulares constitutiones immutandi reponendum est, haud legitime illud existere, quia primum opponitur apostolicis erectionis Collegiatae bullis, quae hanc facultatem tantum Collegiatae capitulo tribuunt hisce verbis: *Futuris Abbati et Primicerio et Canonicis necnon Beneficiatis pro perpetuo et felici regimine, gubernio, administratione, directione et manutentione onerumque supportatione missarumque, horarum canonicarum celebratione .... quaecumque statuta, ordinationes, decreta .... ab Ordinario loci prius examinanda et adprobanda, condenda et condita pro rerum et temporum varietate, toties et quoties expediens videbitur, mutandi, moderandi, limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi seu alias etiam, ut praefertur, examinandi et probandi, de novo ac etiam ex integro edenda et per eos, ad quos spectabit, observare faciendi, plenam et liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem eadem auctoritate nostra concedas et elargiaris.* Nec Capitulares extendere poterant privilegium sibi dumtaxat concessum ad aliam personam non expressam in ipso privilegio, veluti cum aliis docet *Ferraris V. privilegium art. 2. n. 26.*

Quod si praefatis constitutionibus tribui velit privilegium in ipsis contentum reformandi constitutiones, praetergredi non debent personam Francisci Mariae N. fundatoris, de quo tantum illae loquuntur. Et quamvis illud ad successores transiisse daretur, nullimode obtentae a Primicerio gratiae obesset, tum quia in themate agitur de cho-

rali habitu, circa quem legem dicere jus pontificium est, tum quia Pontifex mantellettam illi tribuit »*non obstantibus... ejusdem ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus*, quibus derogare voluit, veluti si perspecta omnia habuisset, atque hinc est quod *Mascard. de prob. vol. 1. conclus. 282. n. 2.* cum aliis doctoribus docet: Quod clausula *non obstante* et clausula *ex certa scientia* aequiparantur.

Ex hisce patet, quid juvet asserere ob aedificationem ac dotationem sua jura acquisivisse patronum, quum ea sarta adhuc perdurent circa nominationem Abbatis, qui etiam impraesentiarum integra sua dignitate praefulget et in supradictis precibus tantum reticitum id fuerit, ex cujus reticentia nullum juribus eisdem damnum derivabat.

Fuisse autem in votis populi Vineanelli ut Primicerius non secus ac Abbas, mantelletta indutus sacras persolveret functiones, praeterquam quod colligitur ex ipso supplici libello a magistratu subscripto, confirmatum pariter fuit ab Ordinario in sua confirmatione ad id ab eo requisita ante brevis expeditionem.

Demum sciendum est patronum principem habuisse recursum penes s. memoriae Gregorium XVI. statim post gratiae concessionem atque clamasse de laesione suorum jurium. Ast Pontifex sub die 19. Junii 1842 per suum auditorem rescripsit: *Ex audientia SSmi relatum.* Quae responsio ostendit sacratissimum Principem aut jam antea novisse difficultates a patrono propositas aut sanare voluisse, quodcumque vitium in brevis expeditione incurrisset.

Post haec parum insudat Butii orator in secundi dubii explanatione, nam probato quod admittenda non sit oris aperitio, literae apostolicae tantum sibi vim vindicant, ut *habeant paratissimam executionem et vim prae se ferant executivam. De Rota de executione liter. apost. part. 1. cap. 7. n. 239 et alibi;* et omnibus perspectum est adagium: *Beneficium principis decet esse mansurum.* Accedit, quod si Primicerius palliolo nigri coloris despoliaretur, rediret inconveniens, ad quod submovendum gratia expetita atque obtenta fuit, scilicet Primicerius stolam deferret supra mozzettam in processionibus aliisque functionibus sacris et incederet a dextris Abbatis mantelletta induti; insuper scandalum apud oppidanos oriretur, si aspicerent denuo Primicerium communem cum Canonicis resumere habitum, quum variis abhinc annis mantellettam induerit; etenim *turpius ejicitur quam admittitur hospes,* et nemo expoliandus privilegio, quod longo tempore legitime jam possedit, nisi adsit gravis delictorum causa, ob quae illud amittere meritus est.

Quoad tertium dubium nihil immutandum circa inductam indumenti aequalitatem inter Primicerium ac Abbatem atque hinc violaceum habitum denegandum esse ait laudatus patrocinator, ne inconveniens illud denuo exsurgat in agendis sacris functionibus, quod nuper exposuimus, quodque, ut avertatur, servanda erit aequalitas habitus nigri coloris quantum ad utramque dignitatem. Petierat id ipsum quod impraesentiarum efflagitat patronus a s. m. Gregorio XVI. currente anno 1845, at huic placuit rescribere: *Relatum.*

Primicerii orator nil affert ad defendendam ejus praecedentiam in sacris functionibus, forsan quia Butius ipse in aliis allegationibus pariter vernacula lingua ac proprio ingenio exaratis satis abunde de ea sermonem habuit. Quae ex illis circa hanc praecedentiam colligere fas est, mei muneris duco brevi calamo referre.

Antequam ecclesia parochialis Vineanelli, ita praefatus Primicerius ait, in collegiatam erigeretur, duo exstabant parochi, qui per hebdomadam curam animarum exercebant et in ea vicissim stolam in sacris functionibus deferebant, data praecedentia parocho exercenti.

Tum cum animarum cura abbatiae et primiceriatui fuit adnexa, parochi parochialem praebendam resignabant sub conditione ut eam resumerent cum adnexis dignitatibus et sine jactura jurium suorum veluti narratur in apostolica erectionis bulla. Inde factum est, ut consuetudo alternae praecedentiae eodem, quo diximus, jugiter modo, perseveraret etiam post collegiatae erectionem et quum solus Abbas mantelletta fruebatur. Ita testatur hodiernus Antistes civitatis Castellanae ipseque Abbas Cilla fassus est quoad processiones, quae per oppidum ducuntur, antequam patronus quaerelam de praecedentia moveret; ita pariter deponit longa testium manus cujuscumque ordinis et conditionis, qui audivisse et vidisse testificantur, Primicerium hebdomadarium in exercitio curae animarum cum stola incedere a dextris

Abbatis tum in processionibus, quae cum interventu omnium canonicorum intra oppidum persolvuntur, tum in cadaverum associatione, quod idem sonat ac in functionibus capitularibus et paroecialibus.

Jam vero cum de praecedentia quaestio exoritur, consuetudo in judicio ferendo spectanda est, uti pluries docuit s. Congregatio praesertim vero in *Casertana 20. Martii 1824* §. *Jus*, quae consuetudo centenaria, immo immemorabilis in themate concurrit. Nec obstat, quod bulla erectionis ac capitulares constitutiones praecedentiam in processionibus tribuunt Abbati; nam contraria consuetudo derogat etiam ipsi juris sanctioni, sicut admonet *Scarfantonius lucubrat. canonic. lib. 1. tit. X. n. 3.* Praeterea, quum capitulares constitutiones loquantur de praecedentia Abbatis in processionibus, intelligendae sunt de iis, in quibus neutra ex dignitatibus cum stola incedit, non vero de aliis, in quibus stolam assumit Primicerius curam animarum exercens in sua hebdomada.

Hisce hinc inde adductis erit EE. VV. enodare

Dubia:

I. An intret arbitrium super aperitione oris in casu?

II. An sit locus reportationi brevis 20. Aug. 1841 in casu?

III. An et quomodo sit annuendum precibus principis N. quoad usum pallioli vulgo mantellettae favore Abbatis in casu?

IV. An et quomodo constet de jure praecedentiae in omnibus functionibus tam capitularibus quam paroecialibus favore Abbatis in casu?

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Provisum in primo.

Ad III: Negative.

Ad IV: Servetur consuetudo.

Die 7. Aug. 1847.

Ad dub.: An *Abbati collegiatae ecclesiae* villae de Zafra tam intra quam extra ecclesiam liceat deferre vestem violaceam, pileum et pectorale ad instar Episcoporum vel potius deferre debeat vestes nigras ad instar ecclesiasticorum saecularium in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad vestem violaceam tantum.

Die 15. Jan. 1729.

d) Post concil. Trid. potestne conferre ordines minores?

Vd. *Abbas* (bened. ab Episcopo etc decr. *Hispanen.* §: *Ambigi* p. 7, §: *Gravis* p. 9.) Vd. *Abbas* (ordinare potest solum subditos. p. 59.)

Lucana.

(Conc. Tr. c. 10. s. 23. de ref.)

Usque de anno 1715 Bartholomaeus Turrianus Lucanae dioecesis, praeviis literis dimissoriis sui Episcopi, ut a quocumque catholico Antistite ad primam tonsuram et quatuor ordines minores promoveri posset, primam tonsuram et ordinem ostiariatus recepit ab Episcopo Mantuano et successive alios tres minores ordines ab Abbate saeculari ecclesiae collegiatae s. Barbarae ejusdem civitatis, qui horum ordinum collationem eidem fecit tamquam addicto servitio suae ecclesiae et ad majorem abundantiam, et jura juribus addendo, in sequelam etiam dimissorialium eidem concessarum a suo originis Episcopo.

Post ordines modo praedicto receptos Bartholomaeus habuit recursum ad suum Episcopum Lucanum pro habendis novis literis dimissoriis ad effectum suscipiendi sacros ordines cumque Episcopus respondisset, se ignorare *an Abbas s. Barbarae facultatem haberet conferendi ordines minores,* et eo fortius, quia Bartholomaeus non fuerat inter clericos numerarios sed supranumerarios, qui ecclesiae s Barbarae inservierant, re delata ad hanc sacram congregationem responsum fuit: Quod exhiberetur privilegium Abbatis et quod audiretur Episcopus Mantuanus et quod etiam audiretur novus Episcopus Lucanus suffectus in locum praecedentis Episcopi hoc interim defuncti.

Abbas pluries requisitus fuit, ut suum privilegium exhiberet, sed id obtineri non potuit superventisque epistolis responsivis Episcoporum Mantuani et Lucani, cum Mantuanus retulisset ecclesiam s. Barbarae esse exemptam a sua jurisdictione et Turrianum se ejus servitio mancipasse et hac de causa tribus minoribus ordinibus fuisse ab Abbate insignitum et se noluisse eum promovere ad sacrum subdiaconatus ordinem, tum quia non erat suus subditus, tum quia noluit approbare tanquam legitimam ordinationem factam ab Abbate, et Lucanus in sua responsione dixisset, posse Turrianum absolvi a suspensione et ad sacros ordines suscipi-

endos habilitari, ex quo Abbas est in possessione immemorabili conferendi ordines minores his, qui sunt adscripti servitio suae ecclesiae, proposita fuit instantia in congr. habita die 14. Aprilis 1725, cujus folium poterit ad EE. VV. benigne reassumi et Turriano humillime instante pro opportuno remedio, ut ad sacros ordines promoveri valeret, nulla fuit capta resolutio sed rescriptum: *Ad mentem.*

De possessione Abbatis conferendi ordines minores his, qui sunt adscripti servitio suae ecclesiae, non fuit excitata controversia tum propter facti notorietatem tum propter recensitam attestationem Episcopi Lucani et demum quia Turrianus exhibuit authentica testimonia tum ecclesiasticarum tum aliarum personarum nobilium civitatis Mantuanae, qui praevio juramento asseruerunt, Abbatem s. Barbarae ex privilegiis sibi a Sede apostolica concessis minores ordines conferre adscriptis tam numerariis quam supranumerariis servitio suae ecclesiae tanquam sibi subditis idque in civitate Mantuana esse certum et notorium, quocirca punctus redactus fuit ad titulum, ad examen videlicet: *an Abbas privilegio apostolico per concilium Tridentinum nullatenus revocato potiretur conferendi tonsuram et ordines minores?*

Si etenim Abbas hoc non potitur privilegio vel quatenus illud fuerit a concilio Tridentino revocatum, ordinatio Turriani non erit illicita sed invalida nec oratori succurri poterit alio modo, quam per validam repetitionem ordinum ab Abbate nulliter receptorum.

E contra vero si Abbas memoratum habet privilegium et illud nullatenus a concilio Tridentino revocatum est, ordinatio Turriani erit valida et licita, si ipse est inter comprehensos in dicto privilegio, et si non est inter comprehensos, ordinatio erit valida sed illicita et oratori non erit succurrendum per repetitionem ordinum sed per relaxationem a suspensione et rehabilitationem ad ordines, quae non ita difficile poterit oratori concedi tum propter bonam fidem, in qua constitutus ordines recepit ab Abbate s. Barbarae, tum propter expressum consensum Episcopi Lucani, ut ex ejus responsione supramemorata plene colligitur.

Et cohaerentur ad haec, cum in praedicta congregatione habita die 14. Aprilis 1725 sub illis responsi verbis »ad mentem« mihi secretario fuerit ab EE. PP. demandatum, ut ex officio colligerem, quae mihi colligenda occurrerent circa privilegium Abbatis s. Barbarae in puncto collationis ordinum, mandatis, ea, qua decet reverentia, morem gessi, ut ex adnotationibus ad calcem folii impressis desumitur, quibus idcirco consideratis onus erit EE. VV. decernere:

An et quomodo sit providendum in casu?

Adnotationes Secretarii in causa Lucana.

Sanctae memoriae Pius Papa IV. ecclesiam s. Barbarae civitatis Mantuanae in collegiatam erexit et in ea Abbatem constituit, qui ipsius Ecclesiae caput existeret et ordinariam in ea jurisdictionem haberet et exerceret.

Praeter Abbatem Pontifex in eadem constituit Archipresbyterum, Archidiaconum, Praepositum et Decanum demandavitque, ut absente Abbate jurisdictio ab Archipresbytero exerceretur et in defectu Abbatis et Archipresbyteri ab Archidiacono et sic usque ad ultimam dignitatem. Additi fuerunt canonicatus et capellaniae et jus praesentandi tam ad dignitates quam ad canonicatus et capellanias reservatum fuit Guilelmo duci Mantuae tunc viventi et deinde ejus haeredibus et in d. ducatu Mantuae successoribus cum expressione, quod id ei non competebat ex privilegio apostolico sed ex vera fundatione et vera dotatione.

Ecclesia Mantuana tunc administrabatur a Cardinale Federico Gonzoga et Pontifex ecclesiam s. Barbarae, Abbatem, Archipresbyterum et alias dignitates et canonicos et capellanos tam praesentes quam futuros exemit ab omni superioritate, correctione, visitatione, jurisdictione, dominio et potestate tam praedicti Federici Cardinalis quam pro tempore existentis Episcopi Mantuani, dummodo ipsius Federici Cardinalis ad hoc accederet assensus reservato tantum jure Episcopo pro tempore civitatis Mantuae visitandi et corrigendi in hypothesi negligentiae Abbatis vel Archipresbyteri et sic successive aliarum dignitatum et post eis assignatum terminum duorum mensium, ut ea explerent, quae ad id ipsorum ministerium pertinebant.

Multa a Pontifice Abbati et dignitatibus concessa sunt privilegia, quae fuse legi possunt in bulla inferius alleganda, sed in eo, quod attinet ad ordinum collationem, haec in eadem habentur: *Ipsique, Abbas et alii dignitates obtinentes gradatim ut praefertur*

ejusdem ecclesiae s. Barbarae, personis ad id idoneis de Federici Cardinalis praedicti consensu primam tonsuram seu clericalem characterem ac quatuor minores ordines conferre ac quoscunque dictae suae ecclesiae clericos et beneficiatos etiam in sacris, etiam presbyteratus, ordinibus constitutas suis existentibus demeritis, quoties opus fuerit, debitis poenis juxta sanctiones canonicas punire etc. necnon sacrum chrysma ab Ordinario loci pro tempore existente vel alio quocumque catholico Antistite receptum iidem Abbas et Archipresbyter ac subsequenter alias dignitates obtinentes respective, ut praefertur, in eadem ecclesia s. Barbarae et alibi de ejusdem Federici Cardinalis consensu habere, tenere et christifidelibus distribuere et conferre, necnon ipsi servitores et clerici dictae ecclesiae alioquin idonei sub solo stipendio suo duodecim scutorum praefato ad sacros subdiaconatus et diaconatus ordines promoveri.

Haec sunt, quae continentur in bulla Pii quarti, cujus sumptum de verbo ad verbum, prout habetur in ejus originali regesto, penes me est cum authentica subscriptione Domini Jacobi Antonii Prioris de Pretis praefecti custodiae archivi secreti vaticani et ab hac bulla Abbas s. Barbarae suam desumit auctoritatem tonsuram et minores ordines conferendi necnon sacramentum confirmationis administrandi, prout a praesenti Abbate in proxime praeteritis festivitatibus Pentecostes factum fuisse non vulgares epistolae civitatis Mantuae ad notitiam hujus s. congregationis detulerunt.

His positis nonnulla ex ordine quaerenda et investiganda esse videntur.

Primum est:

An allegatum Pii quarti summi Pontificis privilegium fuerit a conc. Trid. revocatum?

Secundum:

An illud sit limitatum ad eos, qui sunt addicti servitio ecclesiae sanctae Barbarae vel sit indefinitum quoad omnes?

Tertium:

Quid statuendum sit in casu praesenti Turriani oratoris?

Et quartum denique:

An aliqua providentia sumenda sit quoad sacramentum confirmationis, quod ab Abbate s. Barbarae administratur?

Quoad primum operae pretium est perpendere:

An privilegium Pii quarti sit anterius vel posterius concilio Tridentino; si etenim fuit concessum ante concilium Trident., illud ab eodem concilio dicendum erit revocatum, cum concilium *sess. 23. cap. 10. de refor.* non praeservaverit jus conferendi tonsuram et minores ordines *nisi Abbatibus habentibus subditos regulares: quo stante idem concilium ademisse dicendum est facultatem conferendi tonsuram et minores ordines Abbatibus saecularibus, qui nullos habent, prout in casu, subditos regulares;* secus autem se habebit res, si privilegium sit concilio Tridentino posterius, cum concilium sustulerit *antecedentia* privilegia, *non futura*, uti bene ponderat *Fagnan. in cap. Statuimus n. 14. et sub num. 53. in fine de supplenda negligentia Praelatorum.*

Ad hoc ergo examen descendendo, si Tridentinum fuit sub eodem Pontifice Pio quarto conclusum et ab eodem fuit confirmatum septimo Kalendas Februarii anno 1654, uti habetur in bulla 73. praedicti Pontificis bull. tom. 2, si idem Pontifex decrevit, quod concilium Tridentinum circa reformationem et jus positivum tantummodo incipiebat obligare a Kalendis Maii ejusdem anni 1654, uti habetur in ejus bulla 80. bull. tom. 2, concludi posse videtur, bullam Pii quarti, in qua concessit Abbati s. Barbarae facultatem conferendi tonsuram et minores ordines, esse concilio posteriorem, cum data fuerit pridie Idus Octobris eodem anno et sic eam non fuisse a Tridentino sublatam et multo fortius, cum in hac bulla summus Pontifex derogaverit quibuscunque apostolicis constitutionibus in contrarium facientibus et licet non meminerit concilii Tridentini, id tamen obstare nullo modo videtur, cum statim ac summus Pontifex aliquid statuit Tridentino contrarium, eidem derogasse dicatur, etsi expressam ejusdem non faciat mentionem, uti late ostendunt *Marescot. variar. resolut. lib. 1. cap. 19. n. 11. et seqq., Gratian. discept. 940. num. 15. et 16.*

Quoad secundum, cum quidem Abbas s. Barbarae esset olim decoratus charactere Episcopi in partibus, contentiones inter ipsum et Episcopum Mantuanum exortae sunt, propositisque in hac sacra congregatione sequentibus Episcopi Mantuani querelis adversus ipsum die 12. Augusti 1679 uti habetur lib. 30. decret. fol. 381,

Primo: *Praetendit Abbas adscribere posse ad servitium ejusdem ecclesiae numerum indefinitum ac effraenatum clericorum eisque minores ordines conferre, etiamsi praedictae*

personae et clerici adscripti nobiles existant vel ex alia qualitate nunquam praedictae inserviant ecclesiae, quinimmo saepe saepius mediante eadem adscriptione ordines confert illismet, qui per ipsum Episcopum Mantuanum fuerunt rejecti et comprobati.

Secundo: *Praesumit aliis etiam quibuscumque exteris et forensibus neque sibi neque Mantuano Episcopo subjectis eosdem ordines conferre, et contingente, ut ad praesens, quod idem Abbas accidentaliter existat decoratus aliquo titulo episcopatus in partibus infidelium, praetendit pariter alienigenas posse ad omnes sacros ordines promovere.*

Tertio: *Attribuit sibi potestatem concedendi dimissorias eisdem clericis adscriptis, ut a quocumque alio catholico Antistite independenter ab Ordinario Mantuano valeant promoveri,*

cumque in congregatione habita die 16. Martii 1680 responsum fuerit

ad primum: Non licere;

ad secundum: Negative;

ad tertium: Non posse, uti habetur lib. 31. decr. pag. 60. a tergo, concludi posse videtur, Abbatis privilegium quoad tonsuram et minores ordines esse restrictum ad eos, qui sunt addicti servitio ecclesiae s. Barbarae et non esse indefinitum quoad omnes.

Quoad tertium, cum admittatur, servitium a Turriano praestitum fuisse ecclesiae s. Barbarae non inter clericos numerarios sed supernumerarios, ejus ordinatio ad minores ad summum esse poterit illicita sed non invalida; quando etenim Abbas habet privilegium concessum post concilium Tridentinum valide confert et licite primam tonsuram et minores ordines personis saecularibus in privilegio designatis, et quatenus conferat personis saecularibus in privilegio non designatis, ordinatio est valida sed illicita et ordinati remanent suspensi, uti late ostendit *Fagnan. in cap. Statuimus num. 11. et seqq. usque ad finem de supplenda negligentia Praelatorum;* in quo rerum themate, quatenus huic sacrae congregationi videatur, posset Turriano succurri per relaxationem suspensionis, et eo magis, cum ex deductis in folio non desit assensus Episcopi Lucani, qui est ejus Ordinarius.

Quoad quartum et ultimum: Admissa opinione in sacris congregationibus recepta, *quod possit summus Pontifex facere simplicem sacerdotem ministrum extraordinarium sacramenti confirmationis, chrismate ab Episcopo benedicto,* vis est in videndo, an Pius Papa quartus voluerit Abbatem sanctae Barbarae et in ejus defectu caeteras ejusdem ecclesiae dignitates ministros extraordinarios constituere sacramenti confirmationis, quando iisdem dedit facultatem habendi et retinendi in ecclesia sanctae Barbarae sacrum chrisma ab Ordinario loci aut alio catholico Antistite benedictum illudque distribuendi et conferendi christifidelibus, qua in re profecto videtur negative respondendum.

Licet etenim chrisma non sit simplex oleum sed oleum balsamo mixtum, juxta *textum in cap. Unico de sacra unctione* et balsami mixtura sit necessaria in sacramento confirmationis, sive deinde hoc sit de necessitate sacramenti sive de necessitate praecepti, juxta varias scribentium opiniones, de quibus apud eminentissimum D. meum *Cardinalem Petra tom. 3. ad constitutiones apostolicas pag. 139,* cum sacrum nihilominus chrisma in tot aliis consecrationibus, ordinationibus et benedictionibus adhibeatur, sensus idcirco privilegii Piani esse poterit, ut sacrum chrisma ab Episcopo benedictum conservetur in ecclesia s. Barbarae, ut casibus opportunis consignetur illis, qui eo uti possunt, absque ulla necessitate adstruendi quod Abbas et caeterae dignitates eodem uti valeant in conferendo confirmationis sacramento.

Adeoque cum inter caetera dubia proposita die 12. Augusti 1679 inter Episcopum Mantuanum et Abbatem s. Barbarae nonum conceptum esset sequentibus verbis: *Denique attribuit sibi facultatem ministrandi sacramentum confirmationis seu chrisma,* huic dubio die 16. Martii 1680 responsum fuit: *Non licere.*

Et in tantum tunc responsum fuit: Non licere, et non fuit responsum: *Non posse,* in quantum tunc Abbas s. Barbarae characterem habebat episcopalem; si enim Abbas fuisset, prout nunc est, simplex sacerdos, responsum fuisset: *Non posse,* juxta celebrem *textum in cap.: Quanto de consuetudine.*

Et haec sunt, quae mei muneris esse censui EE. PP. reverenter insinuare, licet de hoc ultimo puncto nulla sit mota controversia a Turriano; satis etenim est, ut factum fuerit deductum ad notitiam s. congregationis, quae invigilare debet super executione concilii Tridentini et ex officio procedere ad abusuum extirpationem in toto chri-

stiano orbe juxta constitutionem 47. Xysti V. congreg. 8. bull. tom. 2.

Die 1. Sept. 1725.

Adnotationes Secretarii in causa Lucana.

Die 17. Nov. 1725.

Poterunt EE. VV. reassumere folium congregationis habitae die prima Septembris currentis anni 1725, ad cujus calcem impressae habentur aliae ejusdem secretarii adnotationes in hac eadem causa Lucana, ex quibus, ut inutilis evitetur repetitio, sequentia inferuntur.

Primo, quod summus Pontifex Pius PP. IV. concessit Abbati s. Barbarae facultatem conferendi primam tonsuram et quatuor ordines minores illis saltem, qui sunt addicti servitio suae ecclesiae.

Secundo, quod haec Pianna concessio edita fuit pridie Idus Octobris anno 1564 et sic quod est posterior concilio Tridentino quod fuit confirmatum ab eodem Pontifice Pio IV. septimo Kalendas Februarii eodem anno 1564, ut habetur in bulla 73. praedicti Pontificis bullar. tom. 2., et quod in eo, quod attinet ad reformationem et jus positivum, obligare incoepit a Kalend. Maii ejusdem anni 1564 uti habetur in ejus bulla 80. bullar. tom. 2.

Tertio demum, non posse dici, quod privilegium Pianum concessum Abbati s. Barbarae fuerit a concilio Tridentino revocatum; cum idem concilium *sess. 23. cap. 10. de reformatione* sustulerit *antecedentia* privilegia *et non subsequentia seu futura,* uti ex mente hujus sacrae congregationis bene ponderat *Fagnan. in cap.: Statuimus num. 14. et sub num. 53. in fin. de supplen. negligent. Praelatorum.*

Quia vero 13. Kalen. Martii, hoc est die 17. Februarii anni 1564 idem Pontifex aliam edidit constitutionem, quae publicata fuit die 24. mensis Februarii anno 1565, in qua omnia et quaecumque privilegia et indulta, quae essent contraria statutis et decretis concilii Tridentini, revocavit, cassavit et annullavit et ad terminos ejusdem concilii reduxit, etiamsi non solum ab aliis romanis Pontificibus sed a se ipso concessa fuissent, uti habetur in ejus constitutione 94. bullar. tom. 2., hac de causa rationabilis dubitatio in postrema congregatione excitata fuit: *An per hanc constitutionem 94. revocata dicenda esset facultas ab eodem Pontifice concessa Abbati s. Barbarae conferendi tonsuram et minores ordines?*

Ut vis hujus objecti funditus examinaretur, operae pretium esse existimavi manum admovere ad jura, quae fuerunt in hac sacra congregatione exhibita anno 1679 occasione controversiae inter Episcopum Mantuanum et Abbatem s. Barbarae, de qua in aliis meis praecedentibus adnotationibus et in scripturis exaratis pro Episcopo inveni, quod ejus defensores strenue pugnarunt pro revocatione privilegii a Pio IV. concessi, revocationem et annullationem constituendo in allegata bulla 94. ejusdem Pii Papae IV., et quod in scripturis exhibitis pro parte Abbatis ultra privilegium citatum praedicti Pii Papae IV. haec alia jura exhibita fuerunt.

Primum constitutum fuit in literis apostolicis sancti Pii Papae V. editis die ultima Januar 1570 et directis Ascanio Majorensi Episcopo, Abbatiam sanctae Barbarae tunc obtinenti, in quibus habentur haec verba: *Hinc est, quod Nos motu proprio etc. venerabili fratri Ascanio Majorensi Episcopo Abbatiam ecclesiae sanctae Barbarae Mantuae dignitatem etc. obtinenti, ut quoscumque suos, videlicet ipsius Abbatis subditos, alios vero, literas dimissorias a suis Ordinariis habentes, et prius ab Episcopo Mantuano seu ejus deputatis examinatos idoneosque repertos, quarumcumque civitatum et dioecesum clericali charactere insignire et ad quatuor minores et sacros etiam presbyteratus ordines statutis a jure temporibus promovere etc. concedimus et indulgemus,* uti plene habetur in eisdem literis apostolicis, ad calcem harum adnotationum impressis.

Secundum fuit constitutum in literis apostolicis Gregorii XIII. expeditis die 20. Septembris 1579, in quibus, postquam idem Pontifex protestatus fuit, se privilegia Abbati concessa velle ad novam formam reducere, sic §. 4. de facultate conferendi ordines locutus est: *Ipsique Abbas et alii dignitates obtinentes gradatim, ut praefertur, ejusdem ecclesiae sanctae Barbarae personis necnon regularibus quibuscumque ad id tamen idoneis primam tonsuram seu clericalem characterem ac quatuor minores ordines conferre etc. et sacrum chrisma a quocumque catholico Antistite receptum, idem Abbas et subsequenter alii alias dignitates obtinentes, respective, ut praefertur, in eadem ecclesia sanctae Barbarae, ut alibi habere, tenere et*

christifidelibus distribuere et conferre possint: et rursus § 8.: *Et quoscumque suos, videlicet Abbati subditos, alios vero, literas dimissorias a suis Ordinariis habentes, quarumcumque civitatum et dioecesum clericali charactere insignire et ad quatuor minores ordines et sacros etiam presbyteratus ordines promovere possit* etc., quae tamen secunda concessio limitata fuit ad casum, *in quo Abbas esset insignitus charactere episcopali*, ut habetur ex principio citati §. 8., ibi: *Necnon pro tempore ejusdem ecclesiae Abbas, si Episcopus erit* etc.

Tertium deductum fuit ex libro constitutionum ecclesiae s. Barbarae, in quo hic legitur: *Ad ordines minores clerici hujus ecclesiae ordinandi a magistro suo sive ab Abbate deputatis examinati juxta concilii Tridentini decreta idonei Abbati offerantur, qui eos temporibus a jure statutis ad ordines minores promovet, ad sacros vero ordines, videlicet subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus promovendi ab eodem Abbate, si fuerit Episcopus, a jure statutis temporibus ordinantur.*

A defensoribus Episcopi responsum fuit: Revocationem facultatis concessae a Pio IV. clarissime comprobari etiam ex literis apostolicis sancti Pii V., in quibus nulla fit mentio memoratae facultatis, et quod postremae hae literae sancti Pii in eo saltem, quod attinet ad collationem ordinum, fuerunt personales, hoc est directae ad solam personam Ascanii Majorensis Episcopi et tunc Abbatis sanctae Barbarae, signanter quia in illis conceditur facultas non solum promovendi ad minores ordines sed etiam ad sacros et ad ipsum presbyteratum, quod utique simplici presbytero concedi nequit, uti colligitur *ex concilio Tridentino sess. 22. can. 2. et sess. 23. can. 7.*, et est doctrina d. *Thomae in quartum sententiarum distinct. 25. quaest. 1. art. 1. ad 3.*, ibi: *Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quae ad dignitatem episcopalem pertinent, dummodo illa non habeat immediatam relationem ad verum Corpus Christi, et ideo ex ejus commissione aliquis sacerdos simplex potest conferre minores ordines et confirmare, non autem aliquis non sacerdos, nec interim sacerdos, majores ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos.*

Et privilegium concessum Abbatibus Cisterciensibus ab Innocentio VIII. conferendi suis Monachis subdiaconatum dicitur a nonnullis, quod fuerit revocatum a concilio Tridentino, *Suarez. de Religione tom. 4. lib. 2. c. 29. num. 17. et num. 24. et 25.* et ab aliis dicitur apogryphum, *Sylvius in 3. partem divi Thomae quaest. 28. artic. 1.* et innuit *Navarr. lib. 5. consilior. conf. 13. de privileg.*

Transeundo ad literas Gregorii XIII. defensores Episcopi nonnullas in forma authentica exhibuerunt expeditas die 5. Augusti 1579, in quibus, licet directis ad Guilielmum Mantuae Ducem, et plura statuentibus de ecclesia s. Barbarae, nulla habetur mentio facultatis ordines conferendi, et sermonem habendo de aliis supra recensitis ab Abbate exhibitis et expeditis, die 20. Septembris 1579, et in quibus continentur ea, quae in superioribus dicta fuerunt de facultate ordines conferendi, dixerunt eas fuisse extractas ab archivo ecclesiae sanctae Barbarae, et ex quodem transumpto simplici, uti testatus fuit notarius, qui bullam collationavit, et authenticam attulerunt attestationem, quod perquisitis indicibus brevium Gregorii XIII. editis anno 1579. non fuit repertum nisi illud expeditum die 15. Augusti, nec ullo modo fuit repertum tandem aliud expeditum die 20. Septb. 1579. et asseruerunt, nullum momentum reponi posse in allegatis statutis ecclesiae sanctae Barbarae, cum ignoretur, qua auctoritate fuerint edita et an auctoritate apostolica fuerint reborata.

Haec sunt, quae continentur in voluminosis informationibus exhibitis sacrae congregationi anno 1679., et cum tunc Abbas s. Barbarae esset charactere episcopali decoratus, sacra haec eadem congregatio respondit: Non licere dicto Abbati adscribere ad servitium suae ecclesiae indefinitum numerum clericorum et eis minores ordines conferre, etiamsi non inserviant ecclesiae, eidem pariter non licere alienigenas ad omnes sacros ordines promovere nec posse concedere clericis adscriptis dimissorias, ut a quocumque alio catholico Antistite independenter ab Episcopo Mantuano valeant promoveri, et demum non ministrare sacramentum confirmationis seu chrisma, uti habetur in resolutionibus, quae fuerunt indicatae in meis praecedentibus adnotationibus.

Sola indago circa facultatem ordines minores conferendi satis est pro resolutione dubii respicientis Bartholomaeum Turrianum, sed cum habita fuerit etiam notitia, quod Abbas s. Barbarae administrat sacramentum confirmationis, duo videntur examinanda,

Primum: *An id ei competat ex privilegio supra recensito Pii Papae IV. edito pridie Idus Octobris anno 1564?*

Et secundum: *An in hypothesi, in qua competat, illud dicendum sit revocatum ex citata constit. 94. ejusdem bullar. Pii IV. t. 2?*

Quoad primum verba privilegii recensita in aliis adnotationibus praeseferunt facultatem sacrum chrisma a quocumque catholico Antistite recipiendi et conservandi in ecclesia et christifidelibus distribuendi et conferendi, sed illis minime obstantibus sacra congregatio die 16. Martii 1680. respondit: *Abbati non licere sacramentum confirmationis conferre, licet Abbas, uti dictum est, tunc esset Episcopus in partibus.*

Quod secundum punctus est examinandus: An concessio facta simplici presbytero conferendi sacramentum confirmationis adversetur concilio Tridentino, quod *sess. 7. can. 3.* anathema dixit adversus asserentes, ordinarium ministrum confirmationis non esse solum Episcopum, hocque articulo in s. congregatione proposito tres Cardinales fuerunt in sensu, quod dicta facultas quodamodo adversetur Tridentino, et quatuor alii in oppositam iverunt sententiam, ex quo concilium ibi loquitur de ministro ordinario et non de ministro extraordinario, ut habetur apud *Fagnan. in cap.: Cum venisset* §. *Per frontis num. 9. de sacra unctione.*

Atque haec sunt, quae in executionem muneris commissi Secretarius potuit adnotare.

Die 17. Novb. 1725.

Reproposito dubio S. C. C. resp.:

Pro relaxatione suspensionis oratoris arbitrio Episcopi Lucani.

Die 16. Mart. 1726.

Adnotationes Secretarii in eadem causa Lucana.

1) Anno 1715 Bartholomaeus Turrianus obtinuit a suo Episcopo Lucano literas dimissorias, ut a quocumque catholico Antistite ad primam tonsuram et quatuor ordines minores promoveri posset et post receptam primam tonsuram et ordinem ostiariatus ab Episcopo Mantuano tres alios minores ordines recepit ab Abbate saeculari Ecclesiae collegiatae s. Barbarae ejusdem civitatis, uti addictus servitio praedictae ecclesiae et jura juribus addendo, in sequelam etiam dimissorialium ipsi concessarum ab Episcopo originis.

2) Turrianus instetit apud Episcopum Lucanum pro dimissoriis ad effectum suscipiendi sacros ordines, exortaque usque de anno 1718 controversia circa ordines receptos a praedicto Abbate s. Barbarae, de ea pluries actum fuit in hac s. congregatione tam inter summaria precum quam in folio, nec ipsa unquam potuit terminari.

3) Protestante semper Turriano, se esse promptum et paratum ad executionem omnium, quae sibi ab hac s. congregatione demandari contigerit, vel videlicet instando apud suum Episcopum pro receptione trium minorum ordinum, quatenus Abbas s. Barbarae careat privilegio primam tonsuram et minores ordines conferendi, vel instando apud eumdem Episcopum pro relaxatione suspensionis, quatenus Abbas dictum privilegium haberet sed eodem illicite usus fuisset conferendo sibi minores ordines, utpote non adscripto inter clericos numerarios sed supranumerarios saepe memoratae ecclesiae s. Barbarae;

4) Et etiam subdente Episcopo Lucano in suis informationibus, quod attenta bona fide Turriani et attentis caeteris ejusdem requisitis suppeditandum videbatur esse ab hac s. congregatione remedium, ut idem ad 3 ordines ascenderet;

5) Hinc factum est, quod opus fuit manum admovere ad examinanda et perpendenda privilegia Abbatis s. Barbarae, eodemque non comparente, ipse pro mei incumbentia muneris binos alios exaravi super dictis privilegiis discursus impressos ad calcem fol. congregationum habitarum die prima Septembris et die 17. Novembris 1725. et quod ulterius EE. VV. tam in dictis congregationibus quam in omnibus aliis, in quibus actum fuit de ordinatione Turriani, de praedictis privilegiis verba fecerunt, et sequentes statuisse visae sunt propositiones:

6) Prima est, quod Abbati s. Barbarae fuit a summo Pontifice Pio IV. concessum privilegium conferendi personis idoneis primam tonsuram et quatuor minores ordines, juxta verba bullae Pianae relata in primo meo discursu §. »*Multa.*« (*p. 74.*)

7) Secunda est, quod huic privilegio non fuit derogatum a concilio Tridentino, *sess. 2. 3. cap. 10. de reform.*, cum illud sit concilio posterius, et concilium derogaverit antecedentibus, et non subsequentibus privilegiis, uti ad rem firmavit *Fagnan. in cap.: Statuimus num. 14. et sub. n. 53. in fine de supplenda negligentia praelatorum*« et latius habetur in allegato discursu §. »*Quoad primum.*« (*p. 75.*)

8) Tertia est, quod citata bulla Piana, cui a concilio Tridentino non fuit derogatum,

revocata et abrogata fuisse visa est a bulla 94. ejusdem Pii IV. bullarii tom. 2., in qua omnia et quaecumquae privilegia et indulta, quae essent contraria statutis et decretis concilii Tridentini, revocavit, cassavit et annullavit et ad terminos ejusdem concilii reduxit, etiamsi solum ab aliis romanis Pontificibus, sed a se ipso concessa fuissent, ut in meo secundo discursu §. »*Quia vero.*« *(p. 77.)*

9) Quarta est, quod nullum vel modicum momentum constitui potest in literis apostolicis s. Pii V. impressis ad calcem allegati secundi discursus, licet in illis perspicua detur Abbati facultas conferendi tonsuram et minores ordines, cum praedictae literae videantur fuisse personales et respicientes solam personam Ascanii Majorensis Episcopi et tunc Abbatis s. Barbarae, et sic nullo modo progressivae ad successores in praedicta abbatia, juxta ponderata in citato discursu §. »*A defensoribus.*« *(p. 78.)*

10) Ultimum est, quod verum fundamentum constitui posset in aliis literis apostolicis Gregorii XIII., in his quippe datur Abbati facultas conferendi primam tonsuram et minores ordines, quatenus sit simplex sacerdos, et conferendi etiam sacros ordines et presbyteratum, quatenus charactere episcopali decoratus esset, sed quod difficultas urgebat, quod haec bulla nunquam fuit exhibita in forma authentica, et quod perquisitis regestis vaticanis eadem nunquam fuit reperta.

11) In hoc rerum statu transmissa fuit a civitate Mantuae nomine Abbatis s. Barbarae quaedam scriptura, in qua auctor post visa ea, quae a me deducta fuerunt, in citatis binis decisionibus, docte et ingeniose suadere conatur Abbatem s. Barbarae potiri facultate conferendi primam tonsuram et minores ordines et ordinationem Turriani non solum fuisse validam sed etiam licitam, quamvis recensitas literas Gregorii non transmiserit nec earum meminerit, sed alias quasdam ejusdem Gregorii XIII. bullas exhibuerit, de quibus infra, et quae nihil habent commune cum facultate ordines conferendi, de qua in praesenti.

12) Primo, quia certa est Abbatis facultas desumpta ex prima bulla Pii IV., cui derogatum dici non potest ex citata posteriori bulla, in qua revocavit omnia indulta concilio Tridentino adversantia et concessa tam ab aliis Pontificibus quam a se ipso, tum quia primum indultum seu privilegium fuerat concessum in limine fundationis et in remuneratione meritorum et intuitu ducis Mantuae illustris ex fundatione et dotatione patroni nec defuerat Ordinarii consensus, tum quia imperceptibile est, quod in hac secunda bulla voluerit Pontifex primam revocare, cum secundam bullam ediderit die 17. Februarii 1564, licet eam publicaverit die 24. Februarii anno 1565 et primam bullam favore Abbatis s. Barbarae ediderit pridie Idus Octobris anno 1564 et alias discurrendo sequeretur absurdum quia sequeretur, quod Papa revocatoriam edidisset tunc quando privilegium concessit.

13) Secundo, quia in prima sua bulla summus Pontifex Pius PP. IV. clausulas adeo efficaces et insolitas derogatorias derogatoriarum adhibuit, ut nunquam dici possit, eidem fuisse derogatum a bulla posteriori; in prima siquidem datur facultas duci Mantuae, Abbati et capitulo pro tempore quandocunque dictae bullae datam semper posteriorem quibuscunque futuris derogationibus apponere, ibi: „*Et de novo etiam sub data per eosdem Guilielmum et pro tempore existentem Ducem ac Abbatem Archipresbyterum et alios alias dignitates obtinentes et capitulum eligenda consessas fore et censeri.*“

14) Tertio, quia observantia est optima cujuscunque constitutionis interpres et interpretatio ab eadem deducta praevalet cuicunque alii interpretationi, etiamsi haec esset de jure verior, cumque tam ex documentis a Turriano exhibitis quam ex aliis modo a civitate Mantuana transmissis et ex ipsa confessione Episcopi Mantuani habeatur, Abbatem s. Barbarae semper contulisse primam tonsuram et minores ordines, signum evidentissimum hoc est, quod ejus privilegium non fuit derogatum a posteriori bulla Pii IV.

15) Quarto, quia ex resolutionibus alias editis ab hac s. congregatione die 12. Augusti 1679 et relatis in meo primo discursu colligitur, s. hanc congregationem non negasse facultatem Abbatis conferendi primam tonsuram et minores ordines, sed tantum statuisse, ei non licere id facere in numero indefinito et effraenato clericorum et in ordine ad eos, qui suae non inserviunt ecclesiae, quo stante tantum abest, quod facultas fuerit a s. congregatione rejecta, quod potius fuit admissa, sed cum restrictione ad numerum determinatum et ad eos, qui ecclesiae inserviunt.

16) *Haec quoad validitatem ordinationis Turriani;* quo vero ad punctum: *An eadem fuerit licita,* subdit scribens, in ecclesia s. Barbarae duodecim pueros inservire, qui

mercedem accipiunt, et alios, inter quos fuit Turrianus, reperiri, qui habitu clericali incedunt et qui studiis vacant, ut ad ordines suscipiendos idonei efficiantur, quique sine stipendio in solemnioribus et toties quoties vult Abbas, eidem ecclesiae inserviunt et hujus secundi generis clericos, adhibita debita moderatione, posse ab Abbate adscribi servitio suae ecclesiae et eosdem posse insigniri prima tonsura et minoribus ordinibus, cum sub privilegio eidem Abbati concesso a. s. Pio V. absolvendi ab omnibus peccatis injuncta salutari poenitentia presbyteros sibi subditos in articulo mortis constitutos et eisdem plenariam indulgentiam impertiendi Gregorius XIII. in suis literis apostolicis in forma brevis expeditis et in forma authentica exhibitis comprehensos esse voluerit, *clericos in minoribus constitutos etc. etiamsi aliquod beneficium in dicta ecclesia non obtineant, vel salarium aliquod eis ratione servitii dictae ecclesiae constitudum non exiterit, dummodo dictae ecclesiae Abbatis jurisdictioni iidem subjecti sint.*

17) Haec sunt, quae in substantia continentur in scriptura de partibus transmissa in ordine, ad quam duo tantum videntur adnotanda.

18) Alterum quod non subsistit in facto, quod Pius PP. IV., quando primum privilegium concessit, dici valeat, quod revocatoriam edidisset, licet etenim revocatoriam ediderit die 17. Februarii anno 1564 et privilegium concesserit pridie Idus Octobris eodem anno, semper tamen privilegium fuit anterius revocatione, cum in bullis annus non computetur a nativitate sed ab incarnatione juxta tradita per *Covarr. variar. lib. 1. cap. 12. num. 1. et 2.*

19) Alterum est, quod exposita derogatoria subsistit in facto, ut colligitur ex bulla in forma authentica exhibita.

Die 16. Mart. 1726.

Die 8. Aprilis 1859.

Episcopus dioecesis N. N., quae non longe aberat a dioecesi, in qua sita est ecclesia s. Mariae a misericordia, de qua locuti sumus, penes S. C. Ep. et Reg. anno 1858 conquestus fuerat, memoratum Priorem Petrum, Abbatem nuncupatum ecclesiae praedictae, tonsuram contulisse adolescenti cuidam, qui ratione originis Episcopo exponenti subdebatur. Ajebat autem sese ignorare, an Petrus pontificio privilegio polleret conferendae tonsurae: subinde, eo etiam posito privilegio, ordinariam jurisdictionem suam ab eodem Petro, qui alienum subditum ordinaverat, violatam fuisse subjiciebat. Itaque sacer ordo a Petro ipso exquisivit, qua auctoritate fretus adolescentem eumdemque subditum alienum tonsura donare ausus fuisset. Monendum hic porro est, ea omnia, quae circa canonicam Prioratus praedicti historiam superius enarrata sunt, nondum comperta et perspecta fuisse, dum haec agebantur: ea siquidem rescivit s. Congregatio subsequenti anno, occasione, qua aliae, quas inferius referemus, causae expensae et dijudicatae sunt. Caeterum idem Petrus s. Congregationi rescribebat, sese praerogativam tonsurae conferendae obtinere ratione literarum apostolicarum Nicolai V. anni 1454, de quibus mentionem supra fecimus. Addebat insuper adolescentem illum, fortunae bonis plane destitutum ex decreto civilis auctoritatis patriam deseruisse suamque sedem in priorali illa residentia stabiliter constituisse.

Quae cum originario adolescentis Episcopo per summa capita communicata fuissent, hic renunciavit, eumdem adolescentem querimoniae causam ob quasdam voces in populo perlatas sibi praebuisse et idcirco exinde procul profectum esse. Quoniam vero apostolicas, quas Petrus jactabat, literas nequaquam norat, contendebat Petrum ipsum non potuisse eidem adolescenti clericalem tonsuram impertiri neque ratione orignis, ut patebat, neque ratione domicilii (deerat enim suorum, quae non habebat, bonorum translatio et habitatio ad decem annos producta), neque tandem ex causa triennalis cum ipso Priore familiaritatis, quae necessaria sunt, ut quis ordinationem conferre possit ex notissima constitutione Innocentii XI. incipien. *Speculatores.* Quinimo compertum esse, adolescentem in fraudem legis a patria discessisse, ut videlicet sacram tonsuram consequeretur, ac insuper neque literas dimissorias Episcopi originis (quod necesse erat) Priori ante collationem tonsurae exhibuisse. Itaque petebat, ut tonsurae collatio nulla et irrita declararetur et poenis a jure canonico constitutis fieret locus.

In hoc rerum statu sacer ordo ad Ordinarium loci, ubi ecclesia s. Mariae a misericordia exstabat, sese vertit rem enarrans unaque injungens, ut praetensum privilegium juberet a Priore sibi ostendi simulque ab eodem comprobari quod illud non fuerit per Tridentinam synodum revocatum, prouti docet *Benedictus XIV. de syn. dioec. lib. 2. cap. 11.*

n. 9.; aut saltem quod post idem concilium ab apostolica Sede denuo fuerit concessum. Laudato Ordinario respondit Prior, sese primum ab apostolica Sede (quod sui decessores haud fecerant) expostulasse, ut benedictionem ab Ordinario acciperet, juxta ea quae de Abbatibus docet *Bened. XIV. loc. cit. num. 9*; ac proinde sese primum etiam tonsuram unaque minores ordines conferendi facultatem habuisse, qua facultate usus est, dum adolescentem, de quo res erat, clericali tonsura donavit. De asserto autem privilegio altum silentium plane servabat. Haec Ordinarius cum fideliter sacro ordini renunciasset, quaestionis definitionem libero ejusdem judicio relinquebat.

Disceptatio synoptica.

Quaenam hac in quaestione ex officio prolata sunt. — Advertebatur inprimis in *cap. 10. sess. 23. de reform. conc. Trid.* statutum fuisse: Abbatibus ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiamsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre. Jamvero ad rem nostram quod attinet, *Benedictus XIV. de synod. dioec. lib. 2. cap. 9. num. 9* de allato decreto nimirum disserens ita tradit: Quoniam autem Tridentinum Abbatibus quovis modo exemptis facultatem dumtaxat reliquit primam tonsuram minoresque ordines conferendi suis subditis regularibus, et Abbates saeculares, quantacumque gaudeant exemptione, regularibus non praesunt, necessario inde consequitur, eos non posse ullum quanquam suae jurisdictioni subjectum ad primam tonsuram minoresque ordines promovere, nisi hanc potestatem a Sede apostolica post concilium Tridentinum impetraverint. Jamvero Petrus Prior ecclesiae s. Mariae a misericordia nihil aliud praeter apostolicas Nicolai V. literas idest ante concilium Tridentinum editas in medium proferebat.

Profecto ex iis, quae posita sunt, facile quisque videt de nullo Prioris Petri privilegio conferendae tonsurae constare, ideoque adolescentem illum ab ipso illicite ac invalide plane tonsura ipsa fuisse donatum, juxta doctrinam quam super hac re tradit *Benedictus XIV. l. c.*

Sed ille, qui constitutiones conscribendi munus habet, ulterius progrediebatur inquirens, quinam effectus sequerentur, si forte de asserto privilegio constare Emmi Patres respondissent. In quo afferebatur sententia ejusdem Pontificis, qui eodem loco ita docet: Si alterum, (quando nempe agatur de casu, quo Abbas privilegio fruitur conferendae tonsurae eamque tamen non conferat suis subditis) illicite profecto, attamen valide primam tonsuram minoresque ordines etiam aliis confert, qui caeteroquin inter personas non numerantur in privilegio designatas. Hanc tamen Benedicti XIV. sententiam, qua tonsurae minorumque ordinum collatio valida censetur, exceptioni obnoxiam esse monebatur ex eo quod sacra Congregatio concilii tempore insequenti retinuisse videbatur collationem ipsam nedum illicitam sed et invalidam esse, ut in una congregationis *Olivetanae 30. Septembris 1788,* et praesertim in *Collen 24. Januar. 1795.,* in qua hic articulus discutitur. Hac de re agitur etiam in opere novissime typis nostris edito de VV. SS. LL. *vol. 1. §. III. n. 30. ac 36. pag. 55. et seqq.*

Quoad poenas, quas tum Prior tum adolescens subire debuissent, recitabatur *cap. 8. sess. 23. de refor.,* ubi statuitur: Si secus fiat (si nempe ordines conferantur contra id quod ibidem decretum fuerat), ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, suspensus sit. — Animadvertebatur autem hujus capitis applicationem locum habere posse in casu, quo constitisset Priorem tonsurae conferendae privilegio praeditum esse, et subdito non suo eamdem contulisse, minime vero si Prior ipse hoc privilegio prorsus carere declararetur. Hoc enim in casu nulla (quae saltem casum peculiarem acu percuteret) a jure communi designata poena comperiebatur, ideoque pronum erat, ut poenam judicis arbitrio culpae consentaneam tum Prior tum adolescens subire debuisset, veluti argumento petito ex *cap. Significasti de off. Arc.* necnon ex citatis resolutionibus S. C. Conc. in Congreg. *Olivetanae et Collen.*

Hisce adductis proponebantur dirimenda

Dubia

I. »*An constet de privilegio conferendi tonsuram et minores ordines favore Abbatis ecclesiae s. Mariae a misericordia . . . in casu?*

Quatenus negative;

II. »*An aliqua providentia ineunda sit et qualis.*«

Die 8. Aprilis 1859 Emmi Patres rescripserunt

Ad I: Negative.

Ad II: Nullam esse collationem tonsurae ac minorum ordinum, quatenus ab Abbate collati fuerint, et cogendum esse (adolescentem) ad dimittendum habitum clericalem cura Ordinarii localis, cui ecclesia praedicta suberat, qui utrique salutarem poenitentiam suo prudenti arbitrio injungat, et resolutio notificetur Episcopo (originario), facto verbo cum SSmo.

Et facta de praemissis relatione SSmo. D. N. Pio PP. IX. in audientia habita eadem die Sanctitas Sua resolutionem S. C. approbavit et confirmavit et insuper (Ordinario locali) facultatem tribuit tam Abbatem quam adolescentem, postquam salutarem poenitentiam ab eodem (Antistite) eis injungendam expleverint, a censuris et poenis ecclesiasticis ob praemissa quomodolibet incursis absolvendi et dispensandi. Contrariis etc.

Ex his colliges:

I. Ad effectum sacrae ordinationis aliquem Episcopi subditum fieri ratione originis, beneficii, domicilii et familiaritatis.

II. Praelatis inferioribus non regularibus adempta et Abbatibus regularibus coercita ad suos subditos regulares fuisse a Tridentino concilio privilegia conferendi tonsuram ordinesque minores, quibus antea gaudebant.

III. In privilegio alicui deinde concesso obtinendi benedictionem ab Episcopo more Abbatum, imo et utendi mitra et baculo, non comprehendi peculiare privilegium conferendi tonsuram.*)

IV. Tonsuram ac minores ordines a Praelato inferiore tale privilegium non habente collatos non solum illicitos sed etiam nullos censeri.

V. Eum, qui ita tonsuram et minores ordines acceperit, cogi posse ad habitum clericalem dimittendum.

VI. Tum eum, qui tonsuram ac minores ordines contulit, tum eum, qui acceperit, per apostolicam Sedem salutari poenitentia subjici, antequam de censuris et poenis quomodolibet incursis absolvantur et dispensentur.

Continuatio.

Petrus Prior ecclesiae s. Mariae a misericordia, animo nequaquam cecidit ob adversam resolutionem, quam in praeterita causa perpeti debuerat; quinimo ansam arripere visus est, ut altius mentem suam attolleret, et exemptionem activam a jurisdictione Ordinarii localis propugnandum assumeret perinde ac Praelatus Nullius, quem vocant, habendus esset. Hanc ad rem supplici ad S. C. Ep. et Reg. oblato libello multiplices animadversiones in sui propositi confirmationem proferebat, quarum plerasque superius innuimus, alias vero utpote minoris momenti, et maxima ex parte ad effectum, de quo agitur, minus conducentes, consulto praeterivimus. Potissimum vero innitebatur apostolicis literis Nicolai V. anni 1454, quibus Priori s. Mariae a misericordia facultatem Pontifex ille concessit, ut in hospitio ecclesiae adnexo tum ipse tum sacerdotes ab eodem electi sacramenta infirmis pauperibus et laicis domui supervenientibus administrare possent. Subinde ad alias apostolicas literas Clementis VIII. anni 1600 confugiebat, quibus eidem Priori potestas facta est induendi rocchettum et habitum notariorum Sedis apostolicae proprium, gerendi mitram, annulum et baculum pastoralem in propria ecclesia, ac denique solemnem inibi supra populum benedictionem impertiendi.

Quod si Emis Patribus minime visum fuisset exemptionem istam activam eidem Priori ex stricti juris censura adjudicare, saltem deprecabatur, ut ex gratia privilegium illud ac praerogativa ecclesiae tam insigni, cujusmodi erat s. Mariae a misericordia nuncupatae, ex apost. Sedis indulgentia tribueretur.

At vero eidem refragabatur Ordinarius localis, qui plurimis iisque solidissimis rationum momentis auctoritatem suam ordinariam supra eamdem ecclesiam affirmabat, inter quae illud maximum ac potissimum erat, quod ab immemorabili Prior illius ecclesiae canonicam institutionem, antequam beneficii possesionem adiret, ab Ordinario locali accipere consuevisset, si ultimum Priorem excipias (Petrum nempe ipsum) qui extra ordinem a Pontifice ex speciali rescripto priorale bene-

*) In *Causa Frisingen.* proposita die 3. April. 1745 et definita die 17. Septembris 1746 postulabat Abbas ss. Petri et Pauli ordinis Canonicorum regularium, ut definiretur, an ipse posset primam tonsuram minoresque ordines suis subditis regularibus conferre, quod etsi ejus praedecessores (quibus facultas utendi mitra et baculo aliisque insignibus pontificalibus juxta morem Abbatum regularium, benigne data fuit ab Innocentio XII.) omnia exercuerint, quae Pontificalia dicuntur, a tonsura tamen ordinumque minorum collatione abstinuerunt. Proposito autem dubio:

„An Abbates monasterii ss. Petri et Pauli Weyaren. primam tonsuram et minores ordines suis subditis regularibus conferre valeant?“

S. Congregatio respondit: Negative et amplius. *Vd. p. 21. Frising.*

ficium consecutus fuerat. Partibus itaque auditis, quin et exquisito voto Episcopi vicinioris, ut accuratiores notitias s. Ordo adipisceretur, duplex, ut in calce legitur dubium in plenario Emmorum Patrum auditorio propositum est.

Disceptatio synoptica.

Quae doctrinae circa argumentum in primo dubio propositum exponerentur. — Inprimis communissima afferebatur distinctio trium specierum, in quas Praelati inferiores sive Abbates discriminatur.

Prima species (ita Bened. XIV. de syn. dioec. Lib. II. Cap. XI.) esteorum, qui certo praesunt generi personarum existentium intra septa alicujus ecclesiae vel monasterii cum passiva exemptione a jurisdictione Episcopi. Ejusmodi sunt Superiores regulares, qui una cum ecclesia ejusque ecclesiae clericis et administris, quibus praeficiuntur, subsunt immediate romano Pontifici.

Secunda species est Praelatorum habentium jurisdictionem activam in clerum et populum certi loci, tamen locus est intra Episcopi dioecesim, a qua undique circumscribitur et hujusmodi Praelati improprie tantum et lato quodam loquendi modo dicuntur esse nullius dioecesis.

Tertia species est Praelatorum, qui jurisdictionem activam habent in clerum et populum alicujus loci aut oppidi aut plurium locorum et oppidorum, quae omnino avulsa et separata sunt a cujuslibet Episcopi dioecesi. Quapropter dicuntur constituere quamdam quasi dioecesim, uti Praelatus, iis exceptis, quae ordinis episcopalis sunt, omnia exercet, quae caeteroquin ad episcopalem jurisdictionem pertinerent. Hujus generis Praelati inter inferiores nobilissimi sunt ac dicuntur vere et proprie Nullius et veris annumerantur Ordinariis locorum.

Post haec nonnulla deliberanda sumebantur de discrimine, quod inter exemptionem passivam et activam intercedit: quae ultima dividitur primo in semiplenam et subinde in plenariam, qualis est ea, quam describit Benedictus XIV. loco mox allato super tertia Praelatorum specie: et hanc ad se pertinere Prior s. Mariae a misericordia contendebat. Ad ipsam itaque sermone converso animadvertebatur triplicem eam esse. Haec vero divisio eo potissimum consilio paulo fusius explicabatur, ut dignosci posset, an aliqua ex iisdem Priori competeret.

Itaque prima dicitur nativa et haec orta est in primitiva dioeceseon omnium distinctione ac proinde dumtaxat Episcoporum est propria. Adeatur *Petra ad const. IV. Calixti III. sect. II. n. 2. et seqq.* Secunda vocatur dativa, quaequae a summo Pontifice ex speciali privilegio tribuitur: hoc vero privilegium manifestum et clarum omnino esse debet; vid. *Ben. XIV. const.: Apostolicae servitutis* §. *2. diei 11. Mart. 1743* et alibi; si secus sit, privilegium praesumptum et ambiguum non attenditur. Tertia species praescriptivae nomine venit, quae videlicet a praescriptione originem et efficaciam desumit. Ad hanc acquirendam (si nempe agatur de exemptione plenaria) requiritur absolute praescriptio immemorabilis omnibus conditionibus a lege praescriptis praedita et communita. Id enim, articulo ex professo discusso, declaravit et sancivit Congregatio quaedam particularis a Clemente XI. deputata die 3. Januarii 1721. Vide *Bened. XIV. De syn. dioec. lib. 13. cap. 8. n. 18.*

Tum vero ad facti speciem oratione conversa inprimis in mentem revocabatur ea circumstantia, quam peculiariter localis Ordinarius designabat, nempe quod prioratus s. Mariae de misericordia per bullas episcopales, veluti fit de aliis minoribus beneficiis, a tempore immemorabili novellis rectoribus a curia locali conferebatur. Jamvero praelaturae atque abbatiae, sive considerentur uti beneficia majora sive uti dignitates, non ab Episcopo sed ab ipso Pontifice conferuntur, vid. *Gonzalez ad reg. canc. 8. de altern. et mens. Glossa 9.* §. *1. n. 38.*

Apostolicae literae tum Nicolai V. tum Clementis VIII. nullum, quod idoneum ad rem videretur, argumentum praeseferebant. Namque facultates a Nicolao V. Prioribus concessae, aeque ac de aliis ejusmodi privilegiis factum est, derogatae ac revocatae sunt a *Conc. Trid. cap. 15. sess. 23. de Ref.* privilegiis et consuetudine etiam immemorabili non obstantibus. *S. C. Conc. apud Petram l. c. n. 51. et 52.* Neque major argumenti vis reponi poterat in aliis Clementis VIII. literis; namque privilegia illa honorifica exemptionem minime important, veluti diserte habetur apud *Bened. XIV. in const.: Causarum* §.*: Si autem, diei 15. Novem. 1747.* — Argumenta vero, quae pro admittenda exemptione activa adducebantur, quoniam levissima esse monuimus, recensere abstinemus.

Quae circa secundum dubium disserebantur. Quod si Emmi Patres de exemptione non constare respondissent, Petrus Prior exorabat, ut eadem ex gratia sibi concederetur. Quocirca ecclesiae antiquitatem nobilitatemque opportune extollebat: deinde sumptuosas refectiones ornatusque maximi pretii commonstrabat, quos ubi primum prioratum adeptus est in eadem ecclesia adnexoque aedificio peragere nunquam destitit. Hisce de rebus cum ecclesia tum ipsa oratoris persona digna videbantur, quae singulari hoc privilegio donarentur.

At vero contra perpendebatur, nonnisi parcissime hujusmodi privilegia ab apostolica Sede impertiri solere. Deinde Ordinarius localis, cujus auctoritas restrictionem perpeti debuisset, vehementer huic rei adversabatur: perniciosius id siquidem quamquod maxime disciplinae ecclesiasticae reputabat. Jamvero si omnibus in rebus, in hac profecto re potissimum apostolica Sedes rationem et respectum habet oppositionis, quae ab Episcopis fieri forte potest. Et in exemplum afferebatur *Causa Parmen Abbatiae Fontisvivi agitata penes S. C. Conc. die 19. Dec. 1801.*

His aliisque expositis proposita sunt resolvenda

Dubia:

I. »*An et quomodo constet de exemptione »Prioris Abbatis s. Mariae a misericordia a jurisdictione episcopali?* et quatenus negative;

II. »*An et quomodo supplicandum sit SSmo., »ut privilegia precibus exposita eidem conce»dere dignetur?*« Emi Patres rescripserunt

Ad I: Negative.

Ad II: Item negative et ad mentem.

Die 17. Maii 1861.

Ex iis colliges:

I. Triplicem esse speciem Praelatorum inferiorum seu Abbatum.

II. Praelatos inferiores seu Abbates tertiae speciei, utpote ordinariam auctoritatem cum populo ac territorio separato obtinentes, vere ac proprie dici *Nullius* dioeceseos.

III. Exemptionem activam a jurisdictione Episcopi dividi in nativam, dativam et praescriptivam.

IV. Exemptionis dativae privilegium esse debere clarum ac manifestum.

V. Exemptionis praescriptivae necessariam conditionem esse, ut consuetudini immemorabili innitatur, quae singulis requisitis a lege praescriptis praedita sit.

VI. Privilegia varia exemptionis ab Episcopi jurisdictione ante celebrationem conc. Tridentini concessa per Patres ejusdem concilii fuisse revocata.

VII. Privilegium gerendi mitram et induendi habitus pontificales cum aliis insignibus exemptionem activam non importare.

VIII. Privilegium exemptionis activae ab ordinaria localium Episcoporum jurisdictione nonnisi ex magnis causis ab apostolica Sede attribui solere.

e) Quis est?

Abbates alii sunt saeculares et alii sunt regulares, ut in *c. Transmissa*, ubi Gloss. *verb. Abbates, de renunc.*, et in *c.: Cum ad monasterium, de statu Monachorum.* Abbates saeculares sunt illi, qui habent beneficia ecclesiastica cum titulo abbatiae: *c. Cum de beneficio,* ubi Gloss. *in fin. de praebendis in 6.*, et isti sunt in quadruplici differentia. Quidam sunt, qui non solum jurisdictionem habent in subditos sed etiam pontificalia insignia gestant quasi Episcopi. Quidam sunt, qui licet abbatialem dignitatem habeant, non habent tamen episcopalem jurisdictionem nec utuntur insigniis episcopalibus. Quidam sunt, qui in quibusdam Cathedralibus ecclesiis in choro et in comitiis digniorem locum obtinent; ex quo, suppressis vel destructis collegialibus aut conventualibus ecclesiis, quibus praeerant, tamquam primae dignitates in Cathedrales transierunt cum titulo Abbatum et privilegio praecedentiae in choro et comitiis. Quidam ultimo sunt, qui solum habent abbatias in commendam et non in titulum, et nec isti Abbates comendatarii possunt uti habitu et insigniis episcopalibus *ex decreto sacr. Congreg. 1593. 27. Octob.* exceptis Commendatariis B. Mariae Farfensis et s. Salvatoris ex concessione Urbani VIII. const. incip.: *Romanus Pontifex, die 18. Nov. 1628.*

58) Species triplex.

Vd. *Abbas exemptus* (species tripl.); p. 84. discept.

Exemptionem, qua fruuntur Abbates a jurisdictione Episcoporum, eamdem ubique non esse, cum modo *passivam* habeant exemptionem, modo *activam* jurisdictionem in clerum et populum, et hanc vel *privative* exerceant vel *cumulative* cum Episcopis, ut tradit *Card. Petra comment. ad constit. apost. tom. 1. pag. 127. num. 3. et seqq.*

Hinc apud canonistas vulgatissima distinctio Abbatum in tres species:

Prima species (verba sunt Benedicti XIV. *de synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. num. 2.) est eorum, qui certo praesunt generi personarum existentium intra saepta alicujus ecclesiae sive monasterii cum passiva exemptione a ju-*

risdictione Episcopi, quique subsunt immediate romano Pontifici.

Secunda species est Praelatorum habentium jurisdictionem activam in clerum et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi dioecesim; et hujusmodi Praelati improprie tantum dicuntur esse Nullius.

Tertia species est Praelatorum, qui jurisdictionem habent activam in clerum et populum alicujus vel plurium locorum, quae omnino avulsa et separata sunt a cujuslibet Episcopi dioecesi. Quapropter dicuntur constituere quamdam quasi dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis, quae ordinis episcopalis sunt, omnia exercet, quae ad ordinem episcopalem pertinent. Hujus generis dicuntur vere et proprie Nullius et veris annumerantur Ordinariis locorum.

(Ex resol. diei 17. Septbr. 1814. *Nullius Ferentilli.*)

Abbates regulares, qui sunt vere Praelati et appellatione Praelatorum in sacris canonibus veniunt, ut colligitur *ex c. Decernimus, de judiciis, et c. Praesenti, de officio Ordinarii in 6., et cap.: Ut Apostolicae, de privilegiis in 6.*, sunt in triplici differentia. Quidam sunt, qui nedum habent sub se regulares subditos sed insuper habent territorium proprium, in quo episcopalem jurisdictionem et aliquando etiam temporalem exercent, ut sunt Abbates Casinenses, Abbates s. Mariae Tremitanae Insulae, congregationis Lateranensis, et alii hujusmodi. Quidam sunt, qui sub se habent tantummodo regulares subditos, quibus praesunt, juxta textum *in c. Ad monasterium vers. Abbas vero, et c.: In singulis, de stat. Monach.*, ut sunt Abbates Lateranenses, s. Benedicti et alii, qui ex privilegio utuntur pontificalibus insigniis. Quidam tandem sunt Abbates solo nomine seu titulares, qui actu nullos subditos habent, vel quia fortasse Monachi locum reliquerunt, vel quia est monasterium saeculari clerico in commendam traditum, ut advertit *Abbas consil. 101. in quaest. n. 1. vers. Nam Papa, lib. 1.*; Card. *Tusch. t. 1. lit. A. conclus. 3. n. 21.*; *Tambur. de jur: Abbat. t. 1. disput. 3. quae sit. 1. et alii.*

59) Statum suarum eccles. exhibere debet.

Vd. *Status eccles.*; *Visitat. limin. ss. Apostol.*

Abbates, Priores aliique, qui spirituali jurisdictione quasi episcopali in suis monasteriis et ecclesiis eorumque territoriis ab omni alia Episcoporum dioecesi omnimode separatis potiuntur, limina apostolorum visitare et ecclesiarum suarum statum exponere debent. Qui in Italia sunt et insulis adjacentibus, tertio anno, reliqui vero quinto ita ut illi tertio quoque anno, isti vero quinto redeunte idem institutum repetere debeant; quae annorum supputatio a tempore captae possessionis et suscepti monasteriorum et ecclesiarum regiminis et curae incipiat. Qui vero neglexerint, eos ab ingressu ecclesiae ac etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium necnon a perceptione fructuum suorum monasteriorum tamdiu suspendantur, donec ac contumacia resipiscentes relaxationem hujusmodi a sede praedicta meruerint obtinere. Benedicti XIV. const. incip.: *Quoad Sancta tom. 1. bull.*

60) Subdiaconatum conferre non potest post Tridentinum.

Vd. pag. 12. §: *Verum.*

61) Visitatio.

Vd. *Visitatio eccles. curat. regul.*

Abbatum aliorumque Praelatorum regularium jurisdictionem temporalem et spiritualem in subditos saeculares habentium residentiae exemptae sunt a visitatione et correctione Episcoporum, etiam quoad curam animarum, hoc est, nullum Episcopi exercere possunt jurisdictionis actum in parochos et parochianos, in quos Abbates et alii Superiores regulares dictam jurisdictionem habeant, nisi tamen Episcopi alia de causa et titulo sint in quasi possessione majoris juris; *Bened. XIV. const. incip.: Firmandis tom. 1. bull. n. 12. et seq.*

Possunt equidem Abbates et Praelati, quocumque nomine nuncupentur, dummodo habeant territorium nullius dioecesis plenamque in eo jurisdictionem quasi episcopalem, conferre beneficia, adhuc curata et parochus ac beneficiarios instituere, institutione etiam authorizabili. Nec valet Episcopus visitare ecclesias nec clericos ejus territorii. Possunt praeterea procedere contra quemvis concionatorem ibi absona concionantem et punire religiosum inibi extra monasterium delinquentem. *Mendo in Epitome n. 2. ex Trident. sess. 5. de reform. c. 3.*

62) Visitatio liminum.

Vd. *Visitat. liminum*; *Abbas* (statum etc.); *Status eccles.*

Abbatia.

1) Sine concursu confertur.

Sine concursu confertur dignitas abbatiae, quamvis sit ei unita parochialis ecclesia, dummodo haec unica auctoritate Sedis apostolicae ac perpetuo ac accessorie facta sit. *S. C. C. teste Nicolao Garz. de benef. p. 9. c. 2. n. 193*; *Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 5. §. 6. n. 13. et glos. 6. n. 192.*

2) Erectio abbatiae simpl.

Albinganen.

Vd. *Monaster.*

Publicis tabulis anno 1606 complura bona sua assignavit Vincentius Panizza pro praebenda canonicatus, quem erigi cupiebat in ecclesia collegiata ss. Jacobi et Philippi terrae Tabiae dioecesis Albinganen., reservato jurepatronatus tum sibi, dum viveret, tum deinde Joanni Baptistae Pastorelli ejusque haeredibus et successoribus conditione addita ut novus canonicatus ejusdem dignitatis, honoris et praeeminentiae haberetur ac caeteri collegiatae canonicatus necnon illius possessor, quem primo loco esse voluit sacerdotem Vincentium Rolandi, quotidianas distributiones perceptionesque una cum caeteris canonicis lucraretur: si secus fieret, bonorum assignationem ac caetera omnia irrita prorsus ac nullius momenti haberi voluit. Fundationem canonicatus cum adjecta conditione probavit Albinganensis Episcopus et collationis literas pro nominato sacerdote Rolandi expediri mandavit; sed obsistente capitulo et honoris ac distributionum participationem denegante omnia illico in irritum cesserunt.

Tabiensis capituli contradictionem ubi novit Vincentius Panizza, bona omnia pro erectione canonicatus assignata, irrevocabilis, quam inter vivos dicimus, donationis titulo eodem anno 1606 transtulit in Joannem Baptistam Pastorelli *aggravando tamen dictum Joan. Baptistam ad ea permutanda seu ponenda in aliud opus pium, juxta voluntatem dicti Jo. Baptistae, ita quod semper et quocumque tempore ipse juxta propriam suam voluntatem permutaverit, fecerit vel elegerit aliud pium opus, disputari nequeat de majori vel minori pietate dicti operis, sed voluntas dicti Jo. Baptistae sit et intelligatur in totum et per totum conformis voluntati dicti Vincentii, prout per hunc actum et ad cautelam declarat futuram conformem voluntati suae illamque servari mandat.* Voluit tamen, ut quocumque casu primus bonorum possessor semper esset sacerdos Rolandi eorumque fructibus ad vitam frueretur: arbitrium vero Jo. Baptistae tributum ad ejusdem quoque haeredes et successores ampliavit, ad quos bona donata *cum eadem facultate collata dicto Jo. Baptistae* pervenire jussit.

Antiquitatis caligine obvolvitur quidquid postea duorum ferme saeculorum curriculo contigit: fertur autem, concordiam inter capitulum et Vincentium Panizza initam fuisse pro erectione beneficii, loco canonicatus, beneficiatum vero sacerdotem Rolandi receptum in choro eique distributiones quotidianas indultas fuisse. Fertur pariter litem deinde exarsisse inter capitulum et beneficiatum Rolandi super executione concordiae, in qua vicit primo ac postea succubuit beneficiatus. Fertur denique Jo. Baptistam Pastorelli ab Ordinario petiisse, ut numerum statueret missarum a beneficiato celebrandarum; ipsum vero sex sacra qualibet hebdomada ac praesertim die festo offerri jussisse et in ecclesia collegiata alterae s. Margaritae dicatum assignasse: beneficiatum autem Rolandi parere atque hujusmodi onus, a fundatione extraneum, in se assumere recusasse.

Omnium, quae contigisse dicebantur, ignara prorsus Maria Antonia Pastorelli, abnepos et haeres Jo. Baptistae Pastorelli, perspicuis nixa verbis donationis anni 1606, Albinganensem Episcopum adiit anno 1803 ejusque auctoritate erigi curavit abbatiam, simplici etiam clerico conferendam, in oratorio deiparae Virgini misericordiae intra fines Tabiensis paroeciae dicato, cum reservatione jurispatronatus pro se suisque successoribus. Abbatem pro tempore gravari voluit onere celebrationis duarum missarum qualibet hebdomada ac praesertim diebus festis necnon quotidianae recitationis psalmi *Miserere mei Deus*; primum vero Abbatem nominavit canonicum dominicum a Turre, qui ab Ordinario assecutus est institutionem et abbatiam usque ad diem 7. Januarii 1820 retinuit. Eo defuncto Maria Antonia nominationem contulit in Jo. Baptistam Spinola filium suum, qui ab Ordinario institutus abbatiam nunc possidet.

Postquam duas jam nominationes expleverat Maria Antonia, rumor ad ejus aures pervenit de iis, quae antiquitus contigisse feruntur ac praesertim de *sex* missis celebrandis qualibet hebdomada ex Episcopi Albinganensis decreto: quamobrem tranquillitati propriae conscientiae necnon firmitati, si fieri poterit, eorum, quae anno 1803 gesta sunt, consulere optans, preces huic s. congregationi obtulit tum pro approbatione abbatiae bona fide et Ordinarii auctoritate erectae.

Rogatus de more Albinganensis Episcopus haec tantum in maxima rerum omnium obscuritate retulit. *Capitulum formaliter se non obstare datis ab oratrice precibus protestatum est. Minus quoque adversatur clericus Jo. Baptista Spinola oratricis filius. Bona beneficio, de quo agitur, affecta praeseferunt annuum redditum scutorum quinque supra centum ex censibus quinque terris quatuor et domo una conflatum. Porro missarum numerus olim varius, aliquando incognitus. Nam usque ad annum 1724 constat ex libris parochialibus legatorum, nonnisi duodecim annuales missas fuisse per capellanum celebratas et inde ad annum 1793 capellani alterius signatura invenitur, qui se missas sex pro quaque hebdomada pro adimplemento celebrasse asserit, et postea nihil aliud. Causa vero mutationum hujusmodi nullibi apparet ac nemo ex traditione didicit. Superest bona oratricis fides, de qua summa qua praestat et ipsa et tota ejus familia religionis et observantiae laus dubitare non sinit. Ex quibus omnibus petitam gratiam, nedum ad sanandas oratricis angustias, sed ad firmiorem beneficii soliditatem congruentissimam fore et ego judico, si EE. VV. videbitur.*

Manifesta sane voluntas est Vincentii Panizza qui, nisi canonicatus erigi conditionibus ab ipso exoptatis posset, liberam et adeo amplam Joanni Baptistae Pastorelli ejusque haeredibus et successoribus facultatem contulit ad bona *ponenda seu permutanda in aliud opus pium . . . . semper et quocumque tempore*, ut etiam *de majori vel minori seu meliori pietate* novi pii operis disputari vetuerit. Canonicatum erigi nequivisse et Mariam Antoniam abnepotem ac haeredem esse Jo. Baptistae Pastorelli in facto minime ambigitur: haeredum vero ac successorum appellatione faeminas quoque comprehendi omnino exploratum est in jure. Itaque si ex bonis a Vincentio Panizza relictis abbatiam auctoritate Episcopi erigi certis legibus curavit Maria Antonia, si nemo de qualitate hujus pii operis quaestionem excitare potest, ipsam jure suo usam dicere oportebit ac proinde minime reprehendam, quia *nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur, leg 55. ff. de reg. jur. et leg. 124. ff. eod.*

Neque obesse videntur, quae de concordia a Vincentio Panizza cum Canonicis inita deque secuta beneficii erectione narrantur: de his enim ambiguus tantum rumor adest, neque ullum reperiri potuit concordiae monumentum, quae caeteroquin solemniter stipulari publicisque consignari tabulis debuisset. Onera quoque bonorum incerta et varia fuisse missarum celebrationem testatur Episcopus, adeo ut ad conjecturarum et praesumptionum classem ableganda censeri possint omnia, quae anteactis temporibus contigisse dicuntur. Verum tanti esse nequeunt praesumptiones et conjecturae, ut vim perimant publici instrumenti donationis, ex quo facultas manat a Vincentio Panizza tum Jo. Baptistae Pastorelli tum ejus haeredibus et successoribus ideoque et Mariae Antoniae tributa: cum imo adversus publicum instrumentum luculentissimae et numeris omnibus absolutissimae probationes sint afferendae, *L. Generaliter. Cod. de non numer. pecunia*; *Rota recent. part. 17. decis. 178. num. 18. et part. 9. decis. 108. num. 7.*

Accedit optima oratricis fides, de qua dubitandum non esse monet Episcopus. Ipsa namque anno 1803, quando abbatiam erigendam curavit, omnia ignorabat, quae deinde vulgi sermonibus circumferri didicit; nihil autem inconsulto Episcopo, nihil imo nisi ipso auctorante gessit ac ubi cognovit, de legitima abbatiae erectione controversiam excitari posse sibique metuendum, ne in censuras inciderit, illico ad hanc s. congregationem confugit, ut gestorum approbationem et a censuris absolutionem consequatur. Cum itaque oratricis instantiae capitulum minime obstet eidemque faveat Episcopus, oblatis ab ipsa precibus annuendum videtur.

Adversantur tamen omnia, quae diuturno duorum ferme saeculorum spatio contigisse partim dicuntur, partim certo constat. Narrationis nullo suffultae monumento limites non egrediuntur, quae de concordia a Vincentio Panizza cum Tabiensi capitulo inita, de numero missarum instante Jo. Baptista Pastorelli ab Albinganensi Episcopo praefinito, de recusato demum a sacerdote Rolando

earundem missarum onere asseruntur. Verum in facto exploratum est, sacerdotes, qui Rolando successerunt, aliquando duodecim missas quotannis, aliquando vero sex missas qualibet hebdomada celebrasse: idque ex parochialibus legatorum libris colligitur. Patet ergo, vel capellaniam vel beneficium anteactis temporibus fuisse erectum ac beneficiato vel capellano missarum onus fuisse impositum, cujus diversitas peculiaribus circumstantiis ac pontificio indulto a capellanis forsan obtento non immerito tribui potest.

Amplam quidem facultatem Joanni Baptistae Pastorelli ejusque haeredibus et successoribus tribuit Vincentius Panizza eligendi ac statuendi pium opus *juxta propriam suam voluntatem:* nullam tamen potestatem fecit semel electum ac statutum opus immutandi, ac perpetuo variandi, quod imo ab ejus mente omnino alienum fuisse censendum est, cum absurditatis plurimum praeseferat. Erectio itaque capellaniae vel beneficii praeclare pandit oratricis Majores indicata facultate esse usos; ipsi proinde minime licuisse aliud pium opus eligere; ideoque irritam abbatiae erectionem esse renuntiandam. Ignorantia siquidem et bona oratricis fides, cui Ordinarii approbatio accessit, eam vel a censuris immunem vel absolutione dignam reddent, cum caeteraquin de bonis ecclesiasticis pro lubitu disponere nequiret. *Extravagan. Ambitiosae de reb. eccles. non alienan.;* minime tamen prodesse poterunt, ut abbatiae prorsus illegitima erectio sustineatur.

Cum autem in sua informatione retulerit Albinganensis Episcopus ex parochialibus legatorum libris constare missas *sex* usque *ad annum* 1793. qualibet hebdomada fuisse celebratas *et postea nihil aliud,* videant EE. PP.: an bona oratricis fides ejusmodi sit, ut absolutionem quoque a praeteritis omissionibus promereatur, ideoque dirimere dignentur dubia:

I. An erectio abbatiae sit confirmanda in casu?

II. An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris in casu?

III. An sit consulendum SSmo pro absotione quoad praeteritas omissiones in casu?

S. C. resp.

ad I: Affirmative;

ad II: Non indigere;

ad III: Affirmative, celebratis decem missis pro omnibus omissionibus.

Die 2. Aug. et 22. Novbr. 1823.

3) Suppressio.

Suppresio abbatiarum in dioecesi Lucana et erectio ex bonis earum duorum beneficiorum de libera collatione sanctae Sedis.

Pius (VII.) Episcopus.
Servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Humanarum rerum ea est incerta conditio, ut non raro accidere videamus, quod illa etiam, quae in ecclesiae ejusque ministrorum commoditatem fuerant constituta, gravibus identidem jacturis atque immutationibus obnoxia reperiantur. Hoc sane proxime superioribus annis evenisse intelleximus circa bina ecclesiastica beneficia seu potius monasteria, abbatias nuncupata, unum nempe sancti Hieronymi atque alterum sancti Bartholomaei in dioecesi Lucana existentia, et actu per obitum bo. mem. Prosperi, dum viveret, sanctae romanae ecclesiae diaconi Cardinalis Bottini nuncupati vacantia, quorum bona ob aerumnosas praeteritorum temporum circumstantias maxima ex parte fuerunt deperdita.

§. 2. Cum igitur bona, redditus ac proventus iusimul sumpti antedictorum duorum monasteriorum in praesentiarum annuam summam biscentum triginta circiter ducatorum auri de camera, ut accepimus, non excedant, atque onere moderno et pro tempore existenti rectori parochialis ecclesiae loci de Cantignano ejusdem dioecesis annuatim titulo congruae scuta centum et quinquaginta libere solvendi praecipue sint gravati, ideo votis etiam obsecundando charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Aloysiae Lucae ducissae Nos ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine statum, naturam et essentiam supradictorum duorum monasteriorum perpetuo supprimimus, extinguimus et annullamus eisdemque sic suppressis, extinctis et annullatis unum dumtaxat simplex beneficium sub invocatione sanctorum Hieronymi et Bartholomaei a Nobis et romanis Pontificibus successoribus Nostris semper et quandocumque, prout de praedictis monasteriis pridem disponebatur, libere conferendum in ecclesia et ad altare ab infrascripto executore designandis de novo erigimus et instituimus ipsique omnia et singula supradicta bona, redditus, et proventus nunc extantia integre ac perpetuo adsignamus et applicamus, firmis tamen oneribus tam missarum quam memoratae congruae parochialis jam antea supradictis monasteriis incumben-

tibus ac per primum, futurum et successivos dicti novi simplicis beneficii rectores fideliter adimplendis, quocirca venerabili Philippo Archiepiscopo Lucano vigore praesentium committimus et mandamus, ut sive per se sive per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, praevia supradictorum duorum monasteriorum suppressione atque exstinctione ad novi simplicis beneficii erectionem et institutionem modo ac forma supra enunciatis, et non aliter, apostolica sibi ad hoc specialiter delegata auctoritate procedat; Nos enim omnes et singulas ad hunc effectum necessarias et opportunas facultates eidem executori concedimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem 1. Maii 1819.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 209. Ed. Romae.)

Abbatissa.

1) Aetas naturalis et factae professionis.

Vd. *Abbatissa* (electio — quae et a quibus eligenda — notae.)

Nulla Monialis potest eligi Abbatissam seu Priorissam, quae non habeat annos quadraginta aetatis et annos octo saltem professionis regularis, ex *conc. Trid. sess. 25. cap. 7. de Regular. et Monialibus.*

Et annus quadragesimus debet esse completus, s. Congreg. Conc. in una *Neap. die 24. Sept. 1678.*

Si vero non reperiatur in monasterio Monialis quadragenaria, posset eligi, quae annos triginta excesserit et quinque saltem annis post professionem recte vixerit; *ex eodem concilio ibidem.*

Et quoad hanc aetatem neque Episcopus neque Nuntius vel alius Superior potest dispensare; nemo enim summo Pontifice inferior potest dispensare in lege conciliari. Et si aliqua eligatur non habens talem aetatem a concilio requisitam, electio ipso jure esset nulla, ut declaravit *S. Congreg. in una Viterbiensi 16. Maii 1623.*

Et dato quod in monasterio reperiretur una sola habens aetatem requisitam a concilio, ipsa deberet eligi, nisi esset penitus inhabilis; *ex alio capite.*

Non enim potest eligi alia si deficiat a dicta aetate aut tempore etiam per solum mensem, licet si habilior illa, quae habet requisitam aetatem et tempus; *ex s. Congr. in una Viterbien. S. Rosae 25. Martii 1623.*

Varia fuit disciplina ecclesiae circa aetatem, quae in Abbatissa concurrere debet. *Leo I. in c. Nemo, 78. distinct.* praescripsit aetatem quadraginta annorum; *Gregorius I. in c. Juvenculas, 38. q. 1.* aetatem requisivit sexaginta annorum; *Innocentius IV. in c. Indemnitatibus, 43. de elect. in 6.* contentus fuit aetate triginta annorum completorum. Hodie vero ex dispositione *conc. Trid. sess. 25. c. 7. de Reg.* necessaria est aetas 40. annorum eorumque completorum, ut relatis pluribus resolutionibus s. Congr. Conc. interpretis firmant *Garz. de benefic. par. 7. c. 4. n. 71., Matthaeucc. in official. curiae c. 1. n. 4.* Quinimo secundum concilium Tridentinum, loco mox citato, necesse insuper est ut Abbatissa octo post professionem annis in eodem monasterio vixerit.

Electionem Abbatissae, quae utraque vel alterutra mox dicta qualitate careat, irritam et quidem ipso jure esse tenet *Barbos. jur. eccles. unio. lib. 1. c. 45. n. 19., Tamburin. de jur. Abbatiss. disp. 28. p. 2. n. 7.* At eam non ipso jure irritam sed irritandam esse firmat *Pellizar. de Monial. c. 10. sect. 2. subsect. 2. n. 92.*

Quod si inter Moniales monasterii nulla sit hisce qualitatibus praedita et Superior electioni praesidens judicaverit non expedire quod eligatur Abbatissa ex alio monasterio, eligi tunc poterit aliqua Monialis ejusdem monasterii, quae annum trigesimum excesserit et quinque saltem post professionem annis in eo recte vixerit, Episcopo tamen aut Superiore Monialium consentiente. *Conc. Trid. ubi supra.*

Si duae Moniales ad abbatissatum concurrant, quarum altera sit aetatis quadraginta annorum, sed nec octo nec quinque post professionem annis eo in monasterio vixerit, altera tametsi quinque vel octo annis post professionem vixerit in illo monasterio, aetatem tamen haud habeat quadraginta annorum, primam esse praeferendam censet *Suarez*

de religion. tract. 8. lib. 2. c. 5. n. 10. Remittendum vero esse negotium hoc arbitrio Superioris, qui, pensatis aliis qualitatibus, eam praeferat quam magis idoneam existimaverit, tenet *Pellizzar. de Monial c. 10. sect. 1. subsect. 1. n. 93.*

Ad hoc ut aliqua Monialis, cujuscumque sit religionis, possit eligi in Abbatissam seu Priorissam, debet habere quadraginta annos aetatis et saltem octo professionis regularis. *Concil. Trident. sess. 25. cap. 7. de Regular. et Monialib.;* et annus quadragesimus debet esse completus ex sac. Cong. Conc. *in una Neapolitana 24. Septembris 1678.* Quod si non reperiretur in monasterio Monialis quadragenaria, possit eligi quae annos triginta excesserit et quinque saltem annis post professionem recte vixerit, ex eodem Concil. *Ibidem.* Et si aliqua eligatur non habens talem aetatem a concilio requisitam, electio ipso jure esset nulla, ut declaravit s. Congr. Concil. *in una Viterbiensi 16. Maii 1623.*

2) Annulus, baculus.

Superiorissae monasterii s. Catharinae virginis et martyris Venetiarum, ordinis s. Augustini, Abbatissae titulum, quo ex consuetudine donabatur, apostolica auctoritate perpetuo tribuit itemque baculi deferendi privilegium in solemnioribus festis et annuli benedicti digito gestandi.

Dilectae filiae Mariae Aloysiae Abbatissae aliisque sanctimonialibus monasterii s. Catharinae virginis et martyris Venetiarum.

Clemens PP. XIII.

Diletae filiae. Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Permulta sunt propter quae jamdudam vos, dilectae in Christo filiae, ac monasterium istud vestrum habemus loco rerum carissimarum: ac primum quidem intelligimus monasteria quaeque virginum, quae divina religione consecrantur, esse hortos illos conclusos fontesque signatos, Jesu Christi delicias atque amores, ut Nos, qui plane immerentes ejusdem vicem gerimus, ad hujusmodi sacra loca tuenda excolenda, ornanda studium, operam atque auctoritatem conferre omnem debeamus. Neque Nobis non vehementer probatur antiquissimum pulcherimumque vitae institutum, quod tanta cum diligentiae ac pietatis laude servatis, quodque a maximo illo ecclesiae doctore Augustino proficiscitur, cujus eximia sanctitatis, morum ac doctrinae memoria tamdiu laudabitur, quoad ecclesiae ipsius dignitas manebit, quae erit utique sempiterna.

§. 2. Accedit peculiare quoddam necessitudinis ac sanguinis vinculum, quo vobiscum, dilectae in Christo filiae, conjungimur, propterea quod in monasterio isto apud vos caste pieque educatae ac demum in religiosam familiam vestram consecratae sunt dilectae in Christo Nostri germani fratris secundum carnem filiae Mariae Aloysia et Maria Quintilia, quarum primam plenissimis suffragiis monasterio administrando praefecistis: quo delectu, si, ut speramus, egregium ac sincerum de ipsius prudentia, integritate, religione caeterisque virtutibus judicium tulistis, recens istud munus et Nobis et illi in Domino gratulamur, ac si praetera in hoc illi honore demandando erga Nos, quos divino judicio, nullis nostris meritis, in tam sublimi Pontificatus romani sede collocatos gaudetis, observantiam ac pietatem vestram declarare voluistis, etiam gratias agimus.

§. 3. Haec omnia praecipuo quodam jure a Nobis exposcere ac flagitare videbantur, ut vobis dilectae in Christo filiae non modo libenter sed etiam liberaliter quidpiam concederemus, quod ad monasterium istud vestrum praecipuis honoribus amplificandam exornandumque pertineret. Quamobrem, motu proprio, postulante nemine, ac de plenitudine Nostrae potestatis, te, dilecta in Christo filia Maria Aloysia, atque eas omnes, quae in hoc tibi munere succedent, per honorifica Abbatissae appellatione condecoramus atque ut perpetuis futuris temporibus te quidem et quae tibi substituentur, Abbatissas appellari, salutari, nominari, inscribi apostolica authoritate mandamus atque jubemus: etsi enim quae monasterio vestro regendo praeficiebatur, Abbatissae nomine consalutaretur, tamen eadem appellatio a consuetudine potius quam a legitimo apostolicae authoritatis fonte manassae dignoscebatur: praeterea tam tibi, dilecta in Christo filia, aliisque Abbatissis, quae succedent, ut baculum in supplicationibus, religiosi instituti professionibus recipiendis aliisque sacris muneribus, in diebus solemnioribus obeundis gestare et annulum rite benedictum digito semper inserere et ferre possis, eadam apostolica authoritate concedimus atque impertimur, non obstantibus quibuscumque, si quae sunt, quae pontificiae Nostrae voluntati adversari viderentur. De his omnibus per alias literas certiorem fecimus ven.

Fr. Joannem Patriarcham Venetiarum Antistitem vestrum, ut sacrae benedictioni ab eo peractae et insignia Abbatissae collata apostolicae huic benignitati novum adjicerent decus atque ornamentum.

§. 4. Sed haec religiosa insignia dignitatis, scitote, vobis dilectae in Christo filiae, data ac donata esse non tamquam incitamenta ad superbiam (quae a vobis longissime abesse debet) sed veluti quaedam indicia ac documenta virtutum pulcherrimarum, quibus prae caeteris fulgere atque majorem in modum exornari debetis. Nam honorifica Abbatissae appellatio maternam erga filias pietatem significat, baculus mansuetudine temperatam animadversionis severitatem; annulus autem beatissimam illam ac sempiternam charitatis conjunctionem, qua vos cum divino sponso Christo Jesu, ad quem omnia sunt referenda, atque inter vos ipsas copulatas esse decet. Denique, dilectae in Christo filiae, accipite ea ipsa veluti pignora pontificiae benevolentiae ac liberalitatis, sic tamen, ut a Deo Opt. Max. sanctissimaque Matre semper Virgine, quibus quidem vestras preces esse gratas et probatas arbitramur, suppliciter petatis, in hac tamen difficili ac sollicitudinis plenissima ecclesiae moderatione, Nobis ut detur ea cogitare atque perficere, quae divinae voluntati maxime sunt consentanea: quod quidem ut diligenter prolixeque faciatis, vos et hortamur singulas et amanter ac paterne rogamus atque apostolicam benedictionem vobis, dilectae in Christo filiae, peramenter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 13. Martii 1761.

(Bull. r. Contin. t. II. p. 71. Ed. Romae.)

Venetiarum Patriarchae committit executionem literarum, quibus Superiorissam monasterii s. Catharinae ejusdem civitatis Abbatissae titulo perpetuo ditaverat, addita facultate gestandi baculum solemnioribus diebus et annulum benedictum digito deferendi.

Venerabili Fratri Joanni Patriarchae Venetiarum.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater. Salutem et apostolicam benedictionem.

Illustre monasterium s. Catharinae virginis et martyris praeclarissimae Venetiarum urbis Nostraeque communis dulcissimae patriae, in qua Maria Aloysia et Maria Quintilia, Nostrae in Christo et defuncti germani fratris secundum carnem suavissimae filiae, optimis primum excultae moribus dein religioso schemate sumpto, ad praestantissimi ecclesiae doctoris sancti Augustini regulam, divinis esse manciparunt obsequiis, peculiari aliqua paternae charitatis significatione ducimus honestandum. Donavimus igitur Mariam Aloysiam, quae modo ejus monasterii regimini praeest Abbatissae nomine, quo, etsi antea veteri censuetudine uteretur, nulla tamen apostolicae authoritatis praesidio muniebatur, concessimus eidem etiam annulum, rite prius a te benedictum, digito gerendum, et baculum certis ferendum diebus, sic tamen ut Abbatissae nuncupatio et reliqua honoris insignia non personam tantum sed praecipue dignitatem afficerent atque ipsa cum dignitate ad eas, quae perpetuo futuris temporibus monasterio legitime praeficientur, transirent: Apostolicas autem literas, quas de his dedimus in forma brevis, cui potius exequendas committemus quam tibi, ven. Frater, Nobis non tam sacerdotali munere quam arctissimo amicitiae vinculo jamdiu conjuncto, ut quidquid elargiti sumus, ministerio tuo evadat illustrius. Tu ergo diligentissime custos istius floris ecclesiastici germinis, vigilantissime pastor portionis gregis Christi illustrioris, dum haec, ea qua semper consuevisti prudentia et charitate perfeceris, adnitere etiam ac sedulo cura, ut apostolicae benevolentiae Nostrae argumenta non in terrenam ostentationem et gloriam cedant sed in decus et ornamentum spiritualis gratiae, ut inde effluat in dies magis pretiosissimus odor Christi, gaudeatque, ut s. Cyprianus inquit, per illas atque in illis largiter efflorescat ecclesiae matris gloriosa foecunditas, atque interea certissimum constantissimae dilectionis Nostrae pignus sit apostolica benedictio, quam tibi, ven. Frater, peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 13. Martii 1761.

(Ibid. p. 72.)

Non licet Abbatissae in choro adhibere baculum episcopalem eundemque, cum exponantur Abbatissarum cadavera, earum manibus aptari vel prope apponi. N. 1780. die 29. Jan. 1656.

S. C. Episcopo injungit ut cum caeteris etiam (in civitate Manfredoniae) Monialibus decretum de baculo S. C. exequatur. N. 1809. die 10. Junii 1656.

3) Antiquitas.

Virginalium monasteriorum antiquitatem aequis passibus cum virorum coenobiis processisse ostendit *Mazochius ad kalend. Neap. t. 1. p. 37.* ex Magni Antonii vita, qui *teste Athanasio num. 3.* sororem suam in Parthenonem educandam tradidit circa ann. 271. At quarto mox saeculo Sanctimonialium aeque ac Monachorum instituta quaquaversum diffusa fuisse exinde constat, quod in actis SS. Sadoth Episcopi et Sociorum a. circiter 346. apud *Ruuiartium p. 576.* legimus: Missis ergo rex (Sapor) satellitibus ipsum una cum ejus clero aliisque finitimae regionis clericis necnon Monachis et MONIALIBUS 128 comprehendit. Atque hujusmodi foeminarum monasteriis aliquam fuisse praepositam nemo dubitaverit. An autem tantae antiquitatis sit Abbatissae nomen, incertum. Sunt equidem, qui Abbatissae vocem probant ex Hieronymiana regula Monacharum; scire tamen debent, monente *Vossio in etymol. v. Abbate*, eam regulam non Hieronymi esse sed hominis indocti. Primum hujus nominis, quod postea receptum fuit, probantibus etiam conciliis Aquisgranensi a. 803. et Parisiensi 829., primum inquam, hujus nominis monumentum est vetus Capuana inscriptio ab eodem Mazochio reddita et illustrata loc. cit., nempe.

Hic requiescit in somno pacis
Justina Abbatissa
Fundatrix sancti loci hujus,
Quae vixit plus minus
Annos LXXXV.
Deposita sub die kalrum Novembrium
Imp. Dn. N. Justino PP. Aug.
Ann. IIII. PC. Ejusdem.

Indictione tertia.

Annus quartus post consulatum Domini Nostri Justini Perpetui Augusti (id enim singulariae PP. Aug. significant) cum indictione III. conjunctus annum designat christianae aerae 569., quintum scilicet et vigesimum circiter ab obitu s. Scholasticae, post quam sicuti post s. Benedictum ejus fratrem latina virorum monasteria frequentiora in occidente evaserunt, sic Virginum.

4) Benedicens et aspergens Moniales.

Ad dubium: An in conclusione capituli culparum possit ex consuetudine Abbatissa benedicere sorores dicens: *Sit nomen etc.*, et: *Dominus nos benedicat et ab omni malo defendat etc.*, ut in fine Primae, et an possit de sero illas aqua benedicere seu aspergere repetens verba: *Benedictio Dei omnipotentis Patris etc., descendat super vos et maneat semper?*

Emmi et Rmi P. s. tuendis ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

»Affirmative seu servetur consuetudo.«

Atque ita rescripsere. Nr. 5148. ad 9. Die 7. Sept. 1850.

Abbatissa non potest suis Monialibus publice benedicere, sed solum eo modo, quo parentes solent benedicere propriis filiis, cum munus benedictionis proveniat ex potestate clavium, quae non competit foeminis. *Commun.*

Vd. *Benedictio Abbatissae.*

5) Benedictio.

a) Abbatissae temporalis.

Lycien.

Ritus est et antiqua consuetudo in ecclesia Liciensi, ut Abbatissis temporalibus ordinum etiam mendicantium, quoties ad id munus eliguntur, benedictio ab Episcopo ad crates clausurae juxta formam in Pontificali romano expressam post electionem imperdatur; sed cum benedictio in Pontificali contenta sit pro perpetuis et non pro temporalibus, Episcopus supplicat responderi: Num consuetudo hujusmodi toleranda sit?

S. C. mandavit oretenus insinuari Episcopo, quod, si scandalum timeatur, potest consuetudo praedicta tolerari.

Die 26. Novb. 1644.

(Anal. J. P. 1864. VII. Ser. p. 303. Ed. Romae.)

b) Ab Episcopo.

Abbatissae, quae in monasteriis, ubi est consuetudo, ab Episcopo benedicuntur juxta *Clementinam cap. Attendentes 2. de statu Monachorum*, minores annis quadraginta et quae per octo ante professae non fuerint, eligi et benedici in Abbatissas prohibentur; concil. Trident. sess. 25. c. 7. de Regularibus et Monialibus.

Et anni quadraginta debent esse completi, ex sacra Congreg. concilii in una Neapolitana 24. Septembris 1678. Abbatissae tamen temporales, illae scilicet, quae nonnisi ad triennium eliguntur, ex ordinatione Gregorii XIII. ann. 1583 die 1. Januarii non sunt de jure benedicendae, nisi sancta Sedes apostolica

aliud statuat expresse, vel servetur consuetudo contraria. *Quaranta* in summa bullarii verb. Abbatissa in fine; *Piasecius* in praxi Episcop. part. 1. cap. 2. 3; *Miranda* in Manual. Praelator. in fine t. 2. tract. 2. de sacris Monialibus quaest. 7. concl. unica.

Benedictio Abbatissae solet dici ordinatio et consecratio. *Gonzal.* in cap. 13. n. 3. de accusat. De ea vero consule, si vacat, *Tamburin.* de jure Abbatissar. disp. 29. per totum; Cellotium de eccl. hierarchia c. 11. in fine.

6) Confirmatio.

Vd. *Abbatissa* (electio p. 96. b.); *Ordinatio* (non pro pecunia conf.)

Ad dub.: An per Gregor. constitutionem in illis verbis: Possit Episcopus una cum regularibus quarumcumque Abbatissarum etc. electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere — jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur?

S. C. resp.:

Jus confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per constitutionem attributam.

Die 5. Febr. 1622.

(Bull. r. t. III. p. 453. Ed. Luxbg.

Ad dub.: An possit Episcopus interesse electioni Abbatissae?

S. C. C. resp.: Affirmative juxta formam declarationis post constitutionem Gregorianam, nempe: An per eandem constitutionem in illis verbis »Possit Episcopus una cum Superioribus regul. quarumcumque abbatissarum electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere« jus Abbatissas *confirmandi* Episcopis attributum censeatur? S. C. censuit: Jus confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per constitut. attributum.

Anno 1692.

Episcopus non jus habet confirmandi Abbatissas electas, ex s. Congr. Concil. apud *Fagnan. de priv. c.: Cum capella ad dubium 5.* eidem occasione bullae propositum, ad quod expresse respondit: Jus confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per constitutionem attributum, sed publicandae et confirmandae sunt a Praelato regulari, utpote Superiore immediato earum. Neque potest intervenire per se vel per alium confirmationibus annualibus ipsarum Abbatissarum, quae penes quosdam Regulares quotannis fiunt, *ex s. Cong. Episc. et Reg. 15. Maii 1671.*

Vd. *Abbatissa* (electio — Episcopi approb. — Episcopi vel Superior. facult. —)

Administrat. Sacram. a Regularib. (const. Greg. XV.: *Inscrutabili.)*

7) Crux pectoralis.

Facultas Abbatissae monasterii sanctae Mariae Magdalenae civitatis Pisaurensis gestandi crucem auream ante pectus appensam ad instar Abbatissae monasterii Fanensis, pro se et succeditricibus in perpetuum.

Dilectae in Christo filiae modernae Abbatissae monasterii sanctae Mariae Magdalenae ordinis sancti Benedicti civitatis Pisaurensis.

Pius PP. VII.

Dilecta in Christo filia Nostra.
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Religionis zelus, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis, Nos adducunt, ut honorificentiae tuae benigne consulamus.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilectae in Christo filiae istius monasterii sanctae Mariae Magdalenae Moniales, quod ipsae ad majorem Dei gloriam et externum abbatissatus officii splendorem augendum, te ejusdem monasterii Abbatissam aliqua per Nos et hanc apostolicam Sedem praerogativa, atque insigni honorificentia decorari summopere desiderent,

§. 3. Nos te praemissorum meritorum tuorum, ac etiam earumdem Monialium precum intuitu specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati tibi et pro tempore in perpetuum existenti Abbatissae ipsius monasterii, ut crucem auream ante pectus appensam ad instar Superiorissae similis monasterii Fanensis tam in choro et aliis monasticis functionibus quam extra eas gestare illaque uti libere et licite possis et valeas auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§. 4. Teque desuper et succeditrices tuas a quoquam impediri, molestari et perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari, decernimus.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti monasterii et ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 1. Junii 1804.

(Bull. r. Cont. t. XII. p. 170. Ed. Romae.)

8) Denominatio.

Abbatissa est praeposita regularis, seu, ut habetur *in concilio Parisiensi anni 829 s. 3. c. 18.*, quae Sanctimonialibus praeest. In Oriente Amma dicebatur praeposita, id est mater, Abbatissa syriaco idiomate. Ista vox in antiquis synodis et apud scriptores ecclesiasticos ad eam rem significandum saepe occurrit.

Vide *Thomasin. p. 1. discipl. 3. c. 43; Catalan. Pontif. rom. p. 365.*

9) Depositio.

Vd. *S. Clara* (regulae etc. *cap. 4.*; *Abbas* (depos.)

S. Gregorius I. PP. Thalassiae Abbatissae s. Mariae in urbe Augustodunensi.

Quoniam multae occasiones in deceptionem religiosarum personarum, a pravis illis, ut dicitur, hominibus exquiruntur, Abbatissam ejusdem monasterii nullo modo privandam deponendamque censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Unde necesse est, ut si qua contra eam hujusmodi querela surrexerit, non solum Episcopus civitatis Augustodunensis causam examinet, sed adhibitis sibi ex aliis Coepiscopis suis subtili hoc investigatione perquirat: quatenus cunctis concorditer judicantibus canonicae districtionis censura aut ream ferire aut innocentem possit absolvere.

Anno 603.

(Bull. r. t. I. pag. 175. n. 4. Ed. Aug. Taur. 1857.)

10) Egressus e monasterio propter juramentum Domino saecul. praestandum.

Vd. *Clausura* (egressus).

Abbatissa propter juramentum fidelitatis praestandum Domino saeculari causa feudi sui monasterii, potest licite exire, si tale juramentum per procuratorem praestare nequeat; et tunc potest secum ducere honestam societatem, dummodo accedat licentia Superioris et statim praestito juramenta revertatur, ut colligitur *ex c. 1. §. Verum, de stat. Reg. in 6.*, et tenet *Tambur. de jure Abbatis disp. 20. q. 2. n. 5.*, *Sanchez.* et multi *cum Barbosa de jur. ecclesiast. l. 1. c. 44. n. 79.* Secus tamen post bullam s. Pii V. incipien.: *Decori.*

11) Electio.

a) Dies Episcopo significanda.

Vd. *Abbatissa* (electionis tempus): *Abbatissa* (electio — Episcopi vel Super. facultas. —)

Praelati regulares tenentur significare Ordinario diem electionis Abbatissarum sibi subjectarum, ut per se vel per alium possit intervenire, si velit, et ipsum exspectare, si expresse declaraverit velle per se vel per alium intervenire; alioquin si ante tempus significatum ad electionem procederent, possent ab ipso puniri *ex constitut. Gregorii XV. incip.: Inscrutabilis,**) et s. Congr. Conc. in responsione ad dubia eidem super tali constitutione proposita.

Si autem vocatus et admonitus de tempore electionis noluerit intervenire neque per alium, tunc Superior regularis posset procedere ad electionem, quae esset canonica et valida ex declarat. *s. Congr. Concilii die 4. Maii 1675*, alias, ut perdocte defendit *Pignatell. t. 8. consult. 120.* electio penderet omnino ab ejus voluntate.

Ad dub.: An liceat Episcopo in vim constitutionis sa. mem. Greg. XV. de exemptorum privilegiis punire Regulares, qui ad Abbatissae electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum aut die electionis eidem nullatenus praenunciata?

Sacra Congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum respondit: Regulares ex eadem constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissae eumque usque ad praefinitum tempus exspectare, si antea ipse expresse declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa Abbatissarumque electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere. Post eam vero declarationem licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum aut die electionis eidem non praenunciata ad Abbatissae electionem procedunt,

Die 5. Febr. 1622.

(Bull. r. t. III. p. 454. Ed. Luxbg.)

*) Hanc constit. vd. sub art.: *Administr. Sacram. a Regularibus etc.*

b) Episcopi vel Superioris facultas et praesentia.

Vd. *Abbatissa* (elect. — Episcopi praes., decr. de anno 1692; — confirmatio).

Lucius PP. III. Isenrico Abbati monast. Admontensis.

Apostolica auctoritate statuimus, ut in monasteriis Monialium, quae vestro regimini commissa noscuntur, decedentibus Abbatissis, alia cum concilio et assensu Abbatis et fratrum, qui eis necessaria provident, communiter a sororibus eligatur aut electio celebrata Abbati repraesentetur, ut suo assensu et favore Episcopis, in quorum episcopatibus permanent, postmodum debeat praesentari confirmanda vel improbanda.

Die 22. Julii 1185.

(Bull. r. t. III. p. 27.)

Nec Episcopus nec alius Superior potest ferre suffragium in electione Abbatissae, quamvis vota Monialium essent paria et Moniales in electione non concordarent. *Sacr. Congr. Episc. et Regul. 5. Martii 1619 et s. Congr. corn. 23. Maii 1621.* Sed in casu, quo Moniales non essent concordes in eligenda Abbatissa, quia monasterium non debet manere sine capite, Episcopus sive alius Superior deberet praefigere illis certum tempus, in quo concordarent; quod si eo elapso non convenissent in eligenda, tunc Superior deberet ipse nominare eam, quam judicaret magis idoneam, et deputare in Abbatissam, ut decrevit *s. Congr. in una Cremonens. 22. Oct. 1592 et in una Assisien. 20. Nov. 1595 et in una Melphiten. 3. Augusti 1696.*

Praelati regulares tenentur significare Ordinario diem electionis Abbatissarum sibi subjectarum ut per se vel per aliam possit intervenire, si velit, et ipsum exspectare, si expresse declaraverit velle per se vel per alium intervenire, alioquin si ante tempus significatum ad electionem procederent, possent ab ipso puniri ex *constitut. Gregorii XV. incip.: Inscrutabilis**), et s. Congr conc. in responsione ad dubia eidem super tali constitutione proposita.

Si autem vocatus et admonitus de tempore electionis noluerit intervenire, neque per alium, tunc Superior regularis posset procedere ad electionem, quae est canonica et valida, ex declaratione *s. Congr. concilii die 4. Maii 1675*, alias, ut perdocte defendit *Pignatell. t. 1. consult. 120.*, electio penderet omnino ab ejus voluntate.

Episcopus seu Vicarius non potest secum ducere ad interessendum etiam notarium, ex d. declaratione *s. Congr. conc. 4. Maii 1675.*

Neque exquirere seu recipere vota Monialium, sed illa debent requiri et accipi a Superiore regulari, sciente tamen et audiente eodem Episcopo, ut expresse declaravit *s. Congr. concil. 10. Febr. 1650.*

Neque potest Moniales ante actum electionis personaliter audire et interrogare in materia ad electionem spectante, ut s. Cong. rescripsit *Episc. Anconitano 4. Oct. 1638.*

Neque potest per se vel per aliam adnotare vota Monialium, ex *s. Congr. Episc. et Regul. 10. Junii 1671.*

Neque jus habet confirmandi Abbatissas electas ex s. Congr. concil. apud *Fagnan. de privil. c.: Cum capella ad dubium 5.* eidem occasione bullae propositum, ad quod expresse respondit: Jus confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per constitut. Gregor. attributum, sed publicandae et confirmandae sunt a Praelato regulare, utpote Superiori immediato earum. Neque potest intervenire per se vel per alium confirmationibus annualibus ipsarum Abbatissarum, quae penes quosdam Regulares quotannis fiunt, ex *s. Congr. Episc. et Reg. 15. Maii 1671.*

Nec Moniales possunt electionem Abbatissae in Episcopum vel alium Superiorem vel Praelatum compromittere. Sic expresse tenet *Donatus t. 4. prax. Rer. reg. tract. 6. q. 15. n. 4.*, ubi dicit sic tenere communiter novissimos doctores. Ex plurimis classicis doctoribus et pluribus s. congr. declarationibus concludimus electionem quorumcumque Superiorum regularium non posse fieri per viam compromissi aut inspirationis, sed solum per vota secreta, ut statuit *concilium Trid. sess. 25. c. 6. de Reg.* Nec potest Monialis concurrens cum alia ad abbatissatum cedere votum suum Superiori praesidenti electioni, ut illud eimetipsi redonet ad superandam aemulam in votis, quia cum ex dictis supra nec Episcopus nec alius Superior possit ferre suffragium in electione Abbatissae, nec possit ab alio delegari ad seipsum eligendum, sicuti nec ad seipsum in beneficio instituendum, ex c.: *Cum ad nostram, 7. de institutionibus*, ibi: Custodiam ipsam recipere non potuit a se ipso cum inter dantem et accipientem debeat esse distinctio personalis

*) Hanc constit. vd. sub art.: *Administrat. Sacrament.* (a Regularib.)

sed nec ab alio, cum jus conferendi alius non haberet; hoc esset revera seipsam eligere, quod nullatenus potest, ut dicit *Glossa in c. Cumana 50. de election. in fine casus:* Vox electi non auget numerum eligentium.

Tiburtina.

(Conc. Tr. c. 6. s. 25. de Regul.)

S. concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 6. de Regul.* praescripsit, ut in electionibus Abbatissarum per vota secreta procedatur, et *cap. 7.*, quod Episcopus sive alius Superior claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat, itaut electio, quae fieret sine praedicta qualitate votorum secretorum, nulla esset, juxta literam concilii citato *cap. 6.* et resolutiones hujus sacrae congregationis apud *Sperell.* dec. 161. per totam et signanter n. 34, cum animadvertentia tamen, quod secretae electioni non officit, si eadem expleatur per vota singularum Monialium oretenus expressa coram Superiore, juxta resolutionem s. Congregationis impressam apud *Zerolam in praxi parte 1. in verb. Abbatissa ad 6*, et etiam coram duobus aut tribus aliis personis adhibitis non tanquam simplicibus testibus, sed tanquam scrutatoribus obstrictis lege secreti, uti late allegatis resolutionibus hujus sacrae Congregationis prosequuntur *Gallemart. ad cap. 6. supra citatum; Garzias de benef. 5. par. cap. 4. n. 190; Pelligar. in manual. regul. tom. 2. tract. 10. cap. 10. n. 99; Passerin. de electione c. 17. n. 6. et 7; Monacell. in formulario tom. 3. pag. 188. n. 9. et 10*, et cum additione in ordine ad ingressum, sive ad prohibitionem ingressus intra claustra monasterii, ut eadem sibi locum non vindicet, quando magna concurreret necessitas, evitandi scilicet subornationem vocalium aut alia adesset consimilis circumstantia, uti habetur apud *Gallemart. ad cap. 7.* in remissionibus et late prosequitur eminentiss. Dominus meus *Card. Petra ad constitutiones apostolicas tom. 4. pag. 478.*

Procedendo ad tramites sacri concilii Tridentini Episcopus praeesse deberet electioni Abbatissae, quae fit a Monialibus subjectis et Praelatus regularis praeesse deberet electioni, quae fit a Monialibus sibi subjectis et exemptis a jurisdictione Episcopi. Sed aliter res se habet post constitutionem 18. Gregorii XV., in qua cautum est, *ut in monasteriis exemptis Episcopus una cum Superioribus regularibus per se vel per alium interesse valeat et praesidere electionibus Abbatissarum, citra tamen ullam monasteriorum impensam*, uti habetur in *citata constitutione §. 5. tom. 4. bullarii.*

Pleraque inter Episcopos et Praelatos regulares exorta sunt dissidia occasione harum electionum, quibus tamen sacrae Congregationes occurrere non destituerunt; resolutum enim fuit primo, *quod Regulares tenerentur Episcopo significare diem electionis et eum usque ad praefinitum tempus exspectare, si declaraverit, se velle uti facultate interessendi et praesidendi per se vel per alium*; eumdemque Episcopum post dictam declarationem animadvertere posse in Regulares, qui ante tempus significatum aut die electionis ei non praenunciato procedunt ad electionem, uti habetur ex resolutione impressa ad calcem dictae constitutionis. Adduntque doctores, declarationem fieri debere ab Episcopo in synodo, et quatenus facta non sit in synodo, alio modo legitimo esse deducendam ad notitiam Regularium et electionem aliter factam esse validam, sed volente Episcopo nullam esse, uti habetur apud *Monacell. in formul. legal. tom. 3. pag. 187.*

Secundo resolutum fuit: *Non posse Episcopum in electione Abbatissae Monialium exemptarum exquirere voluntates eligentium* juxta resolutionem impressam apud *Lanthuscam in theatro regularium in verbo »Abbatissa.«*

Tertio: *Non posse ipsum exquirere seu recipere vota Monialium, sed illa esse exquirenda et recipienda a Superiore regulari sciente tamen et audiente eodem Episcopo* juxta resolutionem editam *in causa Urbanien. die 10. Septembris 1639 lib. 16. decret. pag. 258.*

Quarto: *Non posse Episcopum adnotare suffragia, cum id non pertineat ad ipsum nec ad ejus Vicarium generalem neque ad ejus cancellarium* juxta resolutionem *sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium 19. Junii 1671 apud Mattheuc. in officiali cap. 1. n. 10.*, itaut haec receptio sive adnotatio reservata videatur Praelato regulari, uti prosequitur *Pellizar. in manual. regul. tom. 2. tract. 10. cap. 10. sub n. 96.*

Quinto: *Non posse Episcopum aut Praelatum regularem suffragium dare in hisce electionibus et electionem in vim hujusmodi voti celebratam vires non obtinere*, juxta resolutionem hujus sacrae Congregationis editam anno 1621 et impressam apud *Castellin. de electione cap. 17. sub n. 28.* et apud

Tamburin. de jure Abbatiss. disput. 28. qu. 6. num. 6.

Ultimo: *Confirmationem electionis non pertinere ad Episcopum,* juxta resolutionem hujus s. Congregationis impressam post *constitutionem Gregorianam in respons. ad 5. et sic pertinere ad Superiorem regularem, tanquam ad praelatum immediatum,* uti prosequitur *Mattheuc. loco citato n. 11.*

Sola supererat difficultas de *notario* et haec sublata fuit per hanc *sacram Congregationem die 4. Maii 1675 n Neapolitana electionis Abbatissae libro 29. decret. pag. 65.* a tergo, ibi: »*Post editam constitutionem »Inscrutabili« a Gregorio XV. consuevit Archiepiscopus Neapolis pro tempore, ut narrat eminentiss. Garacciolus modernus Archiepiscopus, interesse electionibus Abbatissarum monasteriorum Regularibus subjectorum, adhibito ultra seipsum vel Vicarium etiam notario, qui gesta adnotaret ac fidem de his faceret, ne res alioquin remaneret sub dispositione Superiorum regularium, si controversia super electione et nullitas occurrisset, utque ne Ordinarii interessentia frustratoria redderetur; hoc non obstante Superior monasterii Reginae coeli ex Canonicis regularibus in electione nuper facta noluit admittere notarium, et non obstante, quod Vicarius generalis de nullitate protestaretur, ad electionem processit, allegans pro se declarationem hujus s. Congregationis tenoris sequentis:* Urbaniae 10· Sept. 1639. Sac. etc. censuit: Episcopum in electione Abbatissae monasterii Monialium regularibus subjectarum non posse exquirere seu recipere vota Monialium, sed illa exquiri et recipi debere a Superiore regulari, sciente tamen et audiente eodem Episcopo. *His stantibus eminentiss. Archiepiscopus citato P. procuratore generali in curia instat declarari:*

Primo: An in electionibus Abbatissarum una cum Vicario generali interesse possit etiam notarius archiepiscopalis?

Secundo: An dicta electio facta absque interessentia Vicarii et notarii sit contra constitutionem praedictam ac propterea nulla?

Sacra Congregatio concilii ad utrumque respondit: *Negative.*

Hisce minime obstantibus, cum Episcopus Tyburtinus in sequelam antiquae consuetudinis praetendat, electionibus Abbatissarum praeficiendarum monasteriis subjectis ordini Minorum Observantium suum cancellarium assistere debere, non quidem, ut adnotet vota vel ea audiat, sed longe a loco scrutinii et prope januam ecclesiae, eo modo, quo alii adstant fratres ultra Provincialem vel Superiorem regularem et disquisitores et huic praetensioni se opponat P. Provincialis provinciae romanae. Ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An in electionibus Abbatissarum in monasteriis sub disciplina Regularium Minorum de Observantia possit Episcopus secum conducere cancellarium? Et quatenus affirmative,

II. An liceat eidem cancellario interesse ac assistere scrutiniis ac electionibus Abbatissarum, quae fiunt in monasteriis Monialium ordinis Minorum de observantia Tyburis? Et quatenus negative,

III. An saltem dictus cancellarius durante scrutinio permanere possit intra ecclesiam in casu?

S. C. C. resp.

ad primum: Affirmative;

ad secundum: Negative;

ad tertium: Nec cancellarium nec fratres exceptis Superiore et scrutatoribus permanere posse intra ecclesiam.

Die 26. Apr. 1727.

Pharaonen.

Volens eminentissimus Pereyra Episcopus interesse electioni Antistitae in coenobio Monialium Cisterciensium, quae a religiosis ejusdem ordinis reguntur, itemque reposcere rationes administrationis bonorum ac denique examini subjicere et approbare eos, qui excipiendis ipsarum Monialium confessionibus destinati sint, contradictores expertus est praesides ejusdem Cisterciensis familiae.

Quantum attinet ad primum, exstat constitutio 18. Greorii XV., quae incipit: »*Inscrutabili« bullar. tom. 4. ubi §. 5 ita cavetur:* »Ac similiter possit Episcopus unacum Superioribus regularib. quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Praefectarum vel Praepositarum eorundem monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere absque ulla tamen ipsorum monasteriorum impensa.

Itaque in *Conimbricen. 16. Julii 1639* ad quartum dubium rescriptum fuit: »Episcopum praesidere debere ad praescriptum constitutionis S. M. Gregorii XV. de exempt. privileg. electioni Abbatissae vel Priorissae monasteriorum Monialium, etiam exemptorum a jurisdictione ipsius Episcopi,« ut *in lib. 16 Decret. pag. 235.* Atque ita etiam respondit sacra congregatio in *Hieracen. Visitationis 26. Januarii 1692 ad VIII. dubium,* ubi tamen etiam fuit declaratum: Non fuisse a Gregoriana constitutione attributam Episcopis jus confirmandi Abbatissas, quarum electioni praesidere possunt, si monasteria ab Ordinarii jurisdictione exempta sint, ut *in lib. 42. Decr. pag. 48.*

Dignabuntur EE. VV. decernere:

An Em. Episcopus interesse possit tam per se quam per alium electionibus Abbatissarum vel Priorissarum monasteriorum Monialium Regularibus ord. Cisterc. subjectorum?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 19. Septb. et 14. Novb. 1733.

Ad dub.: An Em. Ordinario competat jus interessendi et praesidendi electionibus Abbatissarum monasterii Marienmünster ordinis Cister.?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 9. Julii 1746.

Ad dub.: I. An in monasterio Monialium Carmelitarum Putignani electio Abbatissae fieri valeat sine praesidentia Episcopi Conversani sive ejus delegati? Et quatenus affirmative,

II. An illa aliter facta sine hujusmodi praesidentia, dum Episcopus declaravit juxta bullam *Inscrutabili* praesidere velle, sit nulla itaut ad novam electionem procedi valeat?

S. C. resp. ad I: Negative;

ad II: Affirmative.

Die 13. Mart. et 8. Maii 1751.

Statuit bulla Gregoriana §. 5: *Similiter possit Episcopus una cum Superioribus regularibus quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum Praefectarum vel Praepositarum eorumdem monasteriorum quocumque nomine appellantur, electionibus vel per se vel per alium interesse ac praesidere absque ulla tamen monasteriorum impensa.*

Unde in una *Conimbricen. die 16. Julii 1636.* s. Congregatio ad IV. dub. rescripsit: *Episcopum praesidere debere ad praescriptum constitutionis Gregorii XV. electioni Abbatissae vel Priorissae monasteriorum Monialium etiam exemptorum a jurisdictione ipsius Episcopi:* idemque constanter semper respondit, ut in *Hieracen. visitationis 26. Jan. 1692. ad dub. VIII., in d. Pharaonen. jurisdictionis 14. Novemb. 1733., in Vormatien. jurisdictionis 9. Julii 1746. ad II. dub., et in d. Olmucen. jurisdictionis anni 1755. ad dub. IX.*

(Die 31. Mart. 1770. *Constant.*)

d) Forma observanda in electione Abbatissarum monasteriorum Monialium congregationis Casinensis ordinis s. Benedicti.

Gregorius PP. XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Ex nostri pastoralis officii debito ad ea libenter attendimus, per quae monasteriorum quorumlibet, praesertim vero sanctimonialium, quae, relictis hujus mundi illecebris, sese earum sponso Jesu Christo Salvatori et Domino Nostro perpetuo manciparunt, prospero statui et felici directioni consulitur; quod potissimum ex animi nostri voto successurum conspicitur si in Abbatissarum ipsorum monasteriorum Monialium, dum pro tempore vacant, electionibus omnis dilatio et tergiversatio, quantum fieri possit, removeatur, et ad electionem ipsam quanto citius procedatur, ne alias monasteria ipsa diutinae vacationis Abbatissarum sentiant incommoda.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, in electionibus Abbatissarum monasteriorum Monialium, sub cura, regimine et gubernio congregationis Casinensis, alias s. Justinae de Padua ordinis s. Benedicti, existentium, dum eorum vacatio pro tempore occurrit, duae partes ex tribus partibus vocum seu votorum vel suffragiorum Monialium ipsorum monasteriorum requirantur, et ea de causa saepenumero multae difficultates et discrepantiae ac scandala oriantur, priusquam vota seu suffragia unita et concordantia usque ad dictum numerum requisitum inveniri et haberi possint,

§. 2. Nos, in praemissis opportunum remedium adhibere volentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc factae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod ex nunc deinceps, perpetuis futuris temporibus, dilecti filii nunc et pro tempore existentes dictae congregationis visitatores ac Abbates seu praelati respective, quibus Moniales ipsorum recommendatae seu sub quorum regimine, gubernio et cura, ut praefertur, existunt toties, quoties faciendarum electionum Abbatissarum hujusmodi pro tempore casus evenerit, in eventum quod dictae Moniales praedictorum monasteriorum, in electionibus ipsarum Abbatissarum faciendis, per duo scrutinia non convenerint, possint, valeant et debeant ipsorum monasteriorum Monialibus proponere duas vel tres ejusdem monasterii Moniales, quas ad regimen et gubernium aptiores esse judicaverint, gravantes in hoc

eorum conscientiam, et illa ex dictis duabus vel tribus Monialibus sic propositis, quae plura Monialium vota sive suffragia in sui favorem habuerit, sit et esse censeatur legitime et canonice electa in Abbatissam ipsius monasterii, et tamquam talis in Abbatissam monasterii hujusmodi per eos, ad quos spectat et spectabit, omnino institui seu confirmari debeat; neque de cetero electiones dictarum Abbatissarum alias, quam ut praefertur et per praesentes disponitur, fieri possint nec debeant, apostolica auctoritate tenore praetentium perpetuo statuimus et ordinamus.

§. 3. Necnon etiam visitatoribus et Abbatibus seu Praelatis praefatis, ut duas vel tres Moniales, modo et forma praemissis ac ad effectum praedictum, proponere, necnon Moniales dictorum monasteriorum ad easdem duas vel tres Moniales sic pro tempore eis propositas acceptandum, et unam ex ipsis duabus vel tribus, ut praefertur, eligendum, aliaque praemissa omnia et singula necnon per praesentes disposita observandum, etiam sub excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, etiam saepius aggravandis, ceterisque juris et facti remediis opportunis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, etiam quacumque appellatione, recursu et reclamatione postpositis penitus et semotis, auctoritate nostra cogere et compellere aliaque in praemissis et infrascriptis ac circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere et exercere libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, concedimus et indulgemus ac plenam, liberam, amplam et omnimodam desuper licentiam, potestatem, facultatem et auctoritatem impartimur; necnon etiam dictis Monialibus ipsorum monasteriorum, ut praesentibus nostris ac visitatoribus, Abbatibus et Praelatis praedictis in praemissis omnino pareant, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae necnon aliis poenis districte praecipiendo mandamus.

§. 4. Praesentes quoque de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari vel impugnari aut alias quomodolibet infringi vel retractari nullatenus unquam posse, sed eas semper validas et efficaces existere suosque plenarios effectus sortiri et obtinere necnon ab omnibus, quos praemissa concernunt et in futurum concernent, perpetuo, inviolabiliter et ad unguem observari sicque in praemissis ab omnibus censeri ac ita per quoscumque judices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

§. 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis ultra tres diaetas vigore praesentium ad judicium non trahatur, et quibusvis aliis apostolicis provincialibusque et synodalibus constitutionibus et ordinationibus necnon monasteriorum et ordinum praedictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 16. Aprilis 1574. Pontif. anno II.

(Bull. r. t. VIII. p. 64. Ed. Aug. Taur. 1863.)

e) Modus.

Vd. *Abbatissa* (electio — Episcopi etc. facultas — *quae etc. p. 102. h.) Abbas* (electio etc. p. 34. etc)

Electio Abbatissae debet fieri per vota secreta; ex *conc. Trid. sess. 25. c. 6. de Regul. et Monial.* Et proinde electio est nulla, si vota non sint secreta, *ex eodem conc. ibid.* et ex *s. Congr. in una Melphitens. Electionis Abbatissae 3. Augusti 1696.* Imo etiamsi ex ignorantia vota non exhibeantur secreta, adhuc electio est nulla, ex *s. Congr. concilii*, quae, ut refert *Sperell. decis. 161. num. 34.* decrevit sic: Electio Abbatissae facta per vota non secreta per ignorantiam hujus decreti (*nempe c. 6. sess. 25. de Regular. et Monial.)* non valet nec Episcopus potest dispensare, ut valeat. Sanctissimus tamen dispensat consideratis circumstantiis. Per hoc tamen quod praeses electionis accipiat vota oretenus exhibita, praesentibus duobus vel tribus probatis viris, qui vota audiant et notent, non tollitur secretum, et talis electio est canonica, *ex decreto s. Cong. concilii relato a Garcia de beneficiis p. 5. c. 4. n. 190.* Per disjunctivam enim audiat vel accipiat, qua utitur Concilium loco citato, datur libertas, ut electio Abbatissae fiat per schedulas, ut videtur signari per ly verbum *audiat,* et sic declaravit s. Congr., ut referunt plures doctores cum *Donato prax. rer. regul. tom. 4. tract. 6.*

Nec Moniales possunt electionem Abbatissae in Episcopum vel alium Superiorem vel Praelatum compromittere. Sic expresse tenet *Donatus t. 4. prax. rer. reg. tract. 6. q. 15. n. 4.*, ubi dicit: Sic tenere communiter novissimos doctores. Ex plurimis classicis doctoribus et pluribus s. Congr. declarationibus concludimus electionem quorumcumque Superiorum regularium non posse fieri per viam compromissi aut inspirationis, sed solum per vota secreta, ut statuit *concilium Trid. sess. 25. c. 6. de Reg.* Nec potest Monialis concurrens cum alia ad abbatissatum cedere votum suum Superiori praesidenti electioni, ut illud eimetipsi redonet ad superandam aemulam in votis, quia nec Episcopus nec alius Superior possit ferre suffragium in electione Abbatissae nec possit ab alio delegari ad seipsum eligendum sicuti nec ad seipsum in beneficio instituendum, ex *c.*: *Cum ad nostram 7. de institutionibus*, ibi: Custodiam ipsam recipere non potuit a se ipso, cum interdantem et accipientem debeat esse distinctio personalis sed, nec ab alio, cum jus conferendi alius non haberet; hoc esset revera seipsam eligere, quod nullatenus potest. Dicit enim *Glossa in c.: Cumana, 50. de electione* in fine casus: Vox electi non auget numerum eligentium. —

Plura specialia in electione Abbatissae sancita sunt *ab Innocentio IV. in c.: Indemnitatibus, de elect. in 6.*, de quibus vide *Schmier in jurisp. canon. civil. lib. 1. tract. 3. c. 1. §. 2. n. 787. et plur. sequ.*

Omittendum vero haud est quod *Rota in Leodien. Abbatissatus impress. post Tambur. de jur. Abbat. dec. 17. n. 5. et seq.* censuit speciale et hoc esse in electione Abbatissae, quod non sufficiat major pars, sed requirantur duae ex tribus partibus, nec jus eligentium inhabilem consolidetur in eligentibus habilem. At idem sacrum Tribunal mutavit postmodum sententiam definiitque sufficere ad electionem Abbatissae majorem partem et jus eligentium inhabilem consolidari in eligentibus habilem, ut videre est in *Colon. Abbatiss. cor. Carillo dec. 252. n. 6. et seq.* Et in hoc postremo sensu statuit etiam novissime *in Leodien. Prioriss. 12. Maii 1747. §. 3. cor. R. P. D. Canilliae.*

Quid agendum sit, quando Sanctimoniales discordant in electione Abbatissae, patet ex literis datis *die 14. Sept. 1830. a. S. C. Ep. et Reg.* Episcopo Platiensi ex Reg. Monial. anni illius. »E prassi quasi comune corro»borata dai decreti di questa S. C. de' VV. »e RR. che se le Monache discordano nella »elezione dell' Abbadessa, prefisso dal Prelato »de' rispetive monasterii alle Monache il »tempo congruo a concordare, il diritto di »nominarla resta devoluto allo stesso Prelato. »La S. M. di Greg. XIII. nella cost. de' 6. »Aprile 1574. ne ha determinato i modi, cioe' »che se le Monache per due scrutinii non »convengano nel fure la elezione dell' Abba»dessa, debba il Prelato proporre due o tre »Monache, che giudichera piu atte al governo »del Monastero. Quella tra le due o tre »proposte, che avra maggiori voti in suo »favore, sara la Badessa canonicamente eletta.«

Constitutio Gregorii XIII. incipiens: *Ex nostri*, edita fuit pro forma observanda in electione Abbatissarum monasteriorum Monialium Congregationis Casinensis ordinis s. Benedicti.

De hac vide: *Abbatissa* (electionis forma p. 99.)

f) Ex alio monasterio.

Vd. *Abbas* (electio etc. p. 34. etc.)

Quando in uno monasterio deest persona idonea, quae Abbatissae munus exerceat, summus Pontifex interdum ad tempus indulget, ut adhibitis necessariis cautelis Monialis ejusdem ordinis ex alio monasterio desumatur, ceu patet ex epistola s. C. Episcoporum et Regularium data Archiepiscopo Spoletino *die 31. Aug. 1830. ex Reg. Monialium* illius anni: »Riferitasi alla Santita di Nostro Signore »dall' infrascritto Segretario della S. C. nell' »udienza accordatagli la sera 27. spirante, »l' istanza di Monsignor Vescovo di Narni, »che domanda la facolta di avere una Mo»naca per eleggerla Abbadessa nel monastero »di s. Margarita, non essendovi nello stesso »un soggetto adatto, e questa Religiosa pren»derla da un monastero di Spoleto, Sua Be»atitudine ha benignamente condisceso accor»darle la grazia per un triennio soltanto, »enello stesso tempo mi ha comandato di »scrivere a V. S., affinche, qualora vi sia il »suo consenso permetta l'egresso alla Reli»giosa per l'oggetto indicato, e che venga »nel viaggio accompagnata da una onosta »Madrona, e probo ecclesiastico da eleggersi »da V. S. Illma, osservandosi tutte le cautele »prescritte.«

g) Publicatio.

Electio Abbatissae debet publicari statim ac est secuta, significando quot suffragia habuerit ipsa et quot aliae Moniales; *c.: Quia propter, 42. de election.*, ibi: Mox publicentur. *Suarez. de Rel. t. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 5. n. 22., Pellizarius de Monial. cap. 10. n. 108.* et alii passim. Et si facta publicatione Abbatissae Moniales statim opponant se elegisse non illam, quae fuit publicata, sed aliam, *Lavorius in variis lucubrationibus tit. 4. c. 24. n. 56. et ex ipso Tamburin. de jure Abbatissarum disp. 28. q. 10. n. 3., Pellizarius de Monial. c. 10. n. 109.* et alii dicunt s. Congr. in una Liciensi declarasse in tali casu Moniales omnes iterum audiri debere per personam non suspectam, ut sic de veritate constet et electio censeatur canonica.

h) Quae et a quibus eligenda?

Vd. *S. Clara* (regulae etc. cap. 4.; decr. Urbani c. 22.); *Abbatissa* (annus); *Abbas* (electio etc. p. 34. etc.)

S. Gregorius I. Respectae Abbatissae s. Cassiani in Massiensi civitate.

Constituimus ut obeunte dicti monasterii Abbatissa non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegerit, ordinetur, quam tamen, si digna hoc ministerio judicata fuerit, ejusdem loci Episcopus ordinet.

Mense Novb. 596.

(Bull. r. t. I. p. 165. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Gregorius I. PP. Thalassicae Abbatissae s. Mariae in urbe Augustodunensi.

Ita constituimus, ut obeunte Abbatissa praedicti monasterii non alia ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur *nisi quam Rex ejusdem provinciae cum consensu Monacharum* secundum Dei timorem elegerit ac providerit ordinandam.

Anno 603. Ibid. p. 175.

S. Nicolaus PP. I. Abbatissae monasterii Viceliaci.

Item constituimus, ut obeunte Abbatissa praedicti monasterii non alia ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur, nisi quam consensus Monacharum secundum timorem Dei et institutionem regulae b. Benedicti elegerit, et hujus apostolicae sedis Pontifex praeviderit ordinandam aut suggestione Monacharum consenserit ordinatam.

Anno 864. (Ibid. p. 307.)

Agapetus PP. II. Windilgradi Abbatissae monasterii Ganderesheim.

Quando Abbatissa ipsius monasterii de hoc saeculo migraverit, nulli sit licitum aliquam ibidem ordinare Abbatissam, nisi ex ipsa congregatione, si talem invenerit, quae digna Deo sit: et si fortasse ibidem inventa non fuerit, *tunc Rex habeat potestatem talem ibidem ordinare Abbatissam quae digna Deo placere possit.*

Die 3. Jan. 948. (Ibid. p. 399.)

Innocentius PP. II. Constantiae Abbatissae s. Salvatoris Brixiae.

Obeunte vero te, ipsius loci Abbatissa, vel aliqua illarum, quae tibi in eodem regimine successerint, nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quam sorores communi consensu vel sororum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam praeviderit eligendam.

Die 30. Aug. 1133. (Ibid. t. II. p. 391.)

Innocent. PP. II. Monialibus Tulbensibus.

Prohibemus, ut nulla ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia praeponatur, nisi quam sorores communi assensu vel pars sanioris consilii secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendam.

Die 18. Mart. 1141. (Ibid. p. 452.)

Eugenius PP. III. Abbatissae ss. Salvatoris et Juliae Brixiens. dioec.

Obeunte te, nunc ejusdem loci Abbatissa, vel aliqua illarum, quae tibi in eodem regimine successerint, nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quam sorores communi consensu vel sororum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendam.

Die 8. Septbr. 1148. (Ibid. p. 553.)

In electione Abbatissae de jure communi habent vocem activam omnes Moniales chorales professae ejusdem monasterii; *c.: Indemnitatibus, de elect. in 6.*)* In aliquibus

*) Hujusce decretalis verba hunc in modum sese habent: *Nulla Monialis (nisi duodecimum annum peregerit et professa fuerit tacite vel expresse) ad eligendum cum aliis admittatur. Nec in Abbatissam aut Priorissam . . . de caetero eligatur, nisi trigesimum annum compleverit et expresse professa fuerit ordinem regularem.* Qui-

tamen religionibus et monasteriis de jure speciali suarum constitutionum vocem non habent nisi post aliquot annos professionis; unde semper attendenda sunt statuta, constitutiones et consuetudines monasteriorum, quas servare jubet *concilium Trid. sess. 25. c. 7. de Regul. et Monial.*

Et si reperiretur aliqua Monialis infirma, quae nollet renuntiare juri suo, posset praeses mittere ad ipsam duas prudentes Moniales, quae ab ipsa diligenter votum exquirerent et postea ipsi praesidi referrent, aut posset ipsa mittere scriptum et sigillo munitum suum votum. Non enim infirmae debent contemni, cum jus habeant ad electionem non minus quam caeterae.

Si vero in aliquibus monasteriis vigeret consuetudo, quod etiam conversae in tali electione votarent, essent manutenendae in sua possessione votandi, ut decrevit *s. Cong. Episc. et Regul. in Barochinonens. 18. Apr. 1698. et in Illertens. 4. Decbr. 1669.*

Si electio Abbatissae fiat per schedulas, et in aperitione scrutinii reperiantur plures schedulae, quam sint vocales, adhuc electio erit valida, si demptis superfluis, remanet major pars; *s. Congr. Episc. et Regul. 17. Nov. 1628.* et *s. Congr. Conc. in Aquinatens. 23. Aug. 1692.* Unde valida et canonica est electio, quoties major pars capituli Monacharum concurrit in unam, ut statuit *Nicolaus V. 9. Mar. 1447. constit. incip.: Digna reddimur*, et *s. Cong. Episc. in Balneoregien. 17. Sept. et 24. Nov. 1690.* Exceptis tamen electionibus Abbatissarum ordinis Casinensium,*) pro quibus, ut canonica dicatur electio, duae ex tribus partibus vocalium debent concurrere, ut decrevit *s. Congr. Episc. et Reg. 3. Dec. 1676. et 20. Junii 1698.*

Nec Episcopus nec alius Superior potest ferre suffragium in electione Abbatissae, quamvis vota Monialium essent paria et Moniales in electione non concordarent. *Sac. Congr. Episc. et Regul. 5. Martii 1619. et s. Congr. Conc. 23. Maii 1621.* Sed in casu, quo Moniales non essent concordes in eligenda Abbatissa, quia monasterium non debet manere sine capite, Episcopus sive alius Superior deberet praefigere illis certum tempus, in quo concordarent; quod si eo elapso non convenissent in eligenda, tunc Superior deberet ipse nominare eam, quam judicaret magis idoneam, et deputare in Abbatissam, ut decrevit *sac. Cong. in una Cremonens. 22. Oct. 1592.* et *in una Assisien. 20. Nov. 1595.* et *in una Melphiten. 3. Augusti 1696.*

i) Quae non potest eligi?

Non potest in Abbatissam eligi illigitima, ejus enim electio facta sine apostolica dispensatione est nulla: *ex s. Congr. Conc. in una Nullius 27. Apr. 1630.* Ita etiam communior cum *Suarez. in 3. p. tom. 5. disp. 50. sect. 5. num. 5.* et aliis.

Neque corrupta, ex *s. Congr. 25. Martii 1616.* Neque quae fuit publice poenitentiata, licet ex gratia poenae remissionem obtinuisset, nisi poenitentia fuisset tantum salutaris; *ex s. Congr. in una Vicent. 1603. 3. Octob.* et *in una Januensi 1636. 14. Mart.* Neque

bus ex verbis dicrimen jus inter novum et novissimum quivis colligere poterit.

I. Puella duodennis, h. e. post completum annum duodecimum, qui anni legitimi dicebantur, ad professionem admittebatur. *Cap: Si quis, 2. de Regularib., et cap.: Indemnitatibus, laud.* Secus vero ex jure novissimo per Tridentinum sancito, quo constitutum novimus, ut in quacumque religione tam virorum quam mulierum professio emitti non possit ante decimum sextum annum expletum, adeo ut ante id temporis, si quae emissa fuerit, irrita et inanis esset habenda. Trident. *Sess. 25. de Regular. cap. 15. II.* Olim trigesimus annus completus, atque expressa professio satis erant, ut Monialis in Abbatissam vel Priorissam eligi canonice posset. *Laud. cap.: Indemnitatibus;* secus vero sese res habet ex novissima Tridentini constitutione, ubi et annus quadragesimus completus exquiritur, expressa professio et laudabile vitae institutum octo saltem annis post expressam professionem perductum; nisi aliud exposcat necessitas. Trident *Laud. Sess. 25. cap. 7. III.* Tacita Professio, quae fieri censebatur vel per delationem habitus professorum vel per exercitium actus, qui solis competeret professis, satis erat, ut quis religioni devincta remanere cogeretur; *cap.: Vidua, 4, cap.: Ad Nostrum, 16. de Regularib.* et ex *cap: Is qui, 1. tit. eod. in 6. et laud cap.: Indemnitatibus,* qua in re licet nihil innovatum per Tridentini sanctiones contendant plures juris canonici consultissimi interpretes, uti *Fagnanus in cap.: Ad Nostram, de Regularibus* et *Gonzalez. comment. in cap.: Vidua, 4. tit. eod., Barbosa* aliique; id tamen locum habere non poterit, nisi post expletum annum decimum sextum, et completo probationis anno juxta Tridentin. sanctionem, *laud. cap. 15. de Regularib.* Lege *Gonzalez. in laud. cap.: Vidua.* Professiones *tacitas,* quidquid sit tandem de illarum validitate, in judiciis admitti non posse, sed tantum *expressas,* docet *Van-Espenius part. 1. tit. 27. cap. 1. de professione et ejus effectu.*

*) Vd. *Abbatissa* (electionis forma p. 99. d).

vidua sine dispensatione apostolica; *ex s. Congr. Episc.* et *Reg. in una Cassanen. 29. Jan. 1585.* et in alia sub *die 15. Julii 1616.* Neque caeca, *ex cap.: Hinc etiam §. 5. Caecus, diect. 49.* Neque surda, *ex c. Const. 13. de verbor. significat. in 6.* Neque tertia soror viventibus aliis duabus sororibus, quia absque dispensatione ipsis adhuc viventibus caret voce activa et passiva; *ex s. Congr. 26. Aug. 1616.* Non prohibetur tamen a jure communi, quin soror possit succedere immediate sorori in officio abbatissatus; *ex sac. Congr. Episcop. et Reg. in una Ulixpon. 19. Apr. 1619.* et in *una Messanen 17. Jan. 1642.* Si vero alicubi per statutum contrarium prohiberetur, esset tale statutum observandum, nec ibi soror posset immediate ad sororem eligi in Abbatissam seu Priorissam; *ex S. Cong. in una Mediol. 21. Jun. 1600. et 11. Apr. 1645., in una Portuensi 23. Nov. 1640.* et *in una Messanens. 26. Apr. 1652.*

k) Valida quando est?

Vd. *Abbatissae* electio (— Episcopi etc. facultas etc ; modus; quae etc. p. 102.)

Electio, ut sit valida, requirit, ut in ipsam concurrat saltem major pars capituli, ita ut, si sint 40 vocales, requiritur ut electa habeat ad minus vota 21, *c.: Cumana, 50. de elect.* et *c.: Sicut, 23. eod. in 6.*, quod non verificaretur, si inter ipsa vota computaretur etiam votum seu vox electae. Sufficit autem quicumque excessus ultra medietatem, quamvis esset solum unius medii voti, ut si essent 30 vocales, 20. vota sufficerent. Cum enim jura nullibi dicant excessum ultra medietatem debere esse unius integri voti, sed solum indistincte dicant, quod ad hoc, ut sit valida, debet esse facta a majori parte capituli, debet sufficere qualiscumque excessus, quia ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus; *c.: Quia circa, 22. de privil. et l. de pretio, 8. ff. de Publiciana in rem. action.*, et expresse tenent *Abbas in cit. cap.: Cumana, n. 9., de parochis disc. 1. n. 18., Reiffenstuel lib. 1. decretal. tit. 6. n. 139., Sannig. ibid. cap. 4. num. 9., Passerin. de elect. c. 19. n. 18.* cum aliis; et docet praxis.

Electio autem ut sit valida nedum debet esse facta a majori parte capituli sed etiam a saniori ita ut debeat esse facta *copulative* et a majori et a saniori parte capituli. *Communis, textu expresso cit. c.: Quia propter, 42. de elect.*, ibi: In quem omnes vel major et sanior pars capituli consentit. In omnibus universitatibus, communitatibus et collegiis non valet nisi quod gestum est simul et a majori et saniori parte capituli, *ut cap. 1. de his quae fiunt a majori parte capituli*, cum similibus.

Unde ad validitatem electionis non sufficit quod Abbatissa (idem dic de aliis) sit electa a majori parte capituli, nisi ea major pars sit etiam sanior, ut clare habetur in *c.: Eccl. vestra, 57. de elect.*, et notat ibi *Glossa;* et *communis doctorum.* Sic etiam ad validitatem electionis non sufficit, quod Abbatissa idem dic de aliis) sit electa a saniori parte capituli, nisi ea sanior pars sit etiam major, ut clare habetur in *c.: Cumana 50. de elect.*, et nota ibi, *communis doctorum* teste *Reiffenstuel l. c. n. 146.* Dummodo tamen major pars non elegerit scienter indignam (vel indignum), quia in tali casu major pars pro illa vice privata existeret jure eligendi, et sic valida esset et remaneret electio de digna (vel de digno) facta a saniori licet minori parte, etiam ex eodem scrutinio, *textu expresso in c.: Cong. 53. de elect.*, in cujus summario sic praecise habetur: Si major pars capituli scienter eligit indignum, valet electio de digno a minori parte, etiam ex eodem scrutinio, facta. Persona autem indigna est illa, quam sacri canones, constitutiones pontificiae et statuta ordinis inhabilem declarant, ut notat *Sanctorus in compendio, verb. Electio, n. 15.*

Electio facta a minori parte capituli, non solum invalida est sed insuper per subsequentem consensum aliarum (seu aliorum) ratificari non potest, ut expresse habetur in *c.: Audistis 29. de elect.*, ibi: Cum tamen ex post facto nequiverit convalescere, quod ab initio non valebat, quoniam electio, quae fuerat irrita ipso jure, per subsequentem consensum . . . . non poterat esse rata. Et in ejus summario sic praecise dicitur: Electio per minorem partem capituli facta non tenet nec per subsequentem consensum ratificari potest. Tum quia electio debet celebrari omnibus vocalibus in unum collegialiter seu capitulariter congregatis, et non singulariter tantum, ex adductis supra juribus et doctoribus.

In dubio: an major vel minor pars sit sanior, praesumitur sanior major pars numero, ut habetur expresse in *citato cap,: Eccles. vestra, 57. de electione*, ibi: Cum, ubi major numerus est, zelus melior praesumatur; cum similibus; et tenet *communis doctorum cum Fagnano in cap.: Cum in cunctis, n. 4. de his quae fiunt a majori parte capituli.* Et in specie valere electionem Abbatissae a majore parte factam, traditur in c.: *Indemnitatibus 43. §. si vero de elect. in 6.*, et resolvit *Reiffenstuel lib. 1. decr. tit. 6. n. 150.* Hinc praesumptio stat in favorem habentis plura vota, quae eo ipso, quod sint plura, etiam saniora esse atque respectum ad digniorem habuisse censenda sunt, nisi aperte constet de oppositio, ut si habens plura vota juxta s. canones, constitutiones, pontificias aut statuta ordinis esset inhabilis, v. g. quia constaret, quod pro consequendo abbatissatu (idem dic de aliis dignitatibus) dedisset aliquod temporale munus vel a manu vel a lingua vel ab obsequio vel constaret electrices sic pacto convenisse: si tu eliges me in Abbatissam, ego te eligam in Vicariam: si tu dederis mihi vel meae amicae tuum votum, ego dabo tibi meam vel amicae tuae; si tu in hac electione suffragata fueris pro meis dependentibus, ego in alia suffragium feram pro tuis; et hujusmodi.

Quaenam autem pars capituli debeat dici sanior, variant doctores. Multi enim cum *Glossa c.: In Genesi 55. vers. ad zelum de elect.* dicunt, quod illa censetur sanior, quae est justior et majori ratione nititur et auctoritate.

Alii autem dicunt, quod illa est pars sanior, quae constat personis dignitate, aetate ac tempore officii necnon et prudentia pietateque magis conspicuis; nam praecellentes in praedictis habent voces ponderosas, ut loquitur *Abbas in c.: Ecclesia 57. de electione n. 15.* Praesumitur tamen major pars numero.

12) Evangelium non osculatur.

Exigit Abbatissa in oppido de Remiremant, ut subdiaconus deferat ipsi librum evangeliorum ad osculandum, ad quod S. C. resp.: Non licere. N. 3097 die 24. Novb. 1685.

13) Exemptio.

Vd. *Abbas* (exemptio, exemptus).

De potestate ordinaria Abbatissae consule *Pellizar. de Monial. c. 10. sect. 2. subsect. 2. per tot.* Num Abbatissa capax esse possit exemptionis tertiae speciei, affirmant *Card. Petr. in comment. ad const. ap. const. 7. Urb. IV. num. 37., P. Gaudent. a Janua de visit. t. 2. c. 2. c. 7. dub. 21. sect. 4. n 6.*

Verumtamen, ut monent mox laudati auctores, per Vicarium exercere tenetur illa, quae conditioni muliebri haud congruunt.

Inter Abbatissas, quae pollent tertiae speciei exemptione, referri solet Abbatissa monasterii s. Benedicti civitatis Cupersani.

At agitata causa in Rota succubuit Abbatissa, ut patet ex decisionibus in *Conversana jurisd. super territorio separato 27. Novembris 1750 et 14. Junii 1751 cor. bon. mem. de Vais.*

Si Abbatissa citra qualitatem exemptionis secundae vel tertiae speciei jus habet conferendi beneficia, minime jus habet destituendi et mulctandi clericos et beneficiatos. *Card. Petr. in comment. ad const. apost. 7. const. Urban. IV. n. 48.*

14) Facultas circa beneficia, beneficiatos, parochias etc.

Abbatissa potest instituere beneficia et capellanias conferre, ut deducitur ex *c.: Dilecta de majorit. et obedient.*, *et Rota part. 10. dec. 44. n. 13.*, quia hoc praestat Abbatissa quoad titulum et possessionem tantum, non autem quoad potestatem, quam habet beneficiarius quoad jurisdictionem fori externi; nam hoc accipit ab Episcopo seu Praelato, qui admittit et authorizat collationem et institutionem et tota Abbatissae institutio et collatio in nominatione consistit, *juxta c. 1. de Monach.*

Et sic Abbatissa est capax parochias conferendi, parochum nominandi et instituendi, quem Ordinarius ad regimen animarum idoneum approbaverit, ut declaravit *s. Congr. concilii in una Mediolanensi 17. Dec. 1701.*

Potest etiam Abbatissa cum legitima causa privare clericos sibi subjectos beneficiis jam illis collatis, auferendo scilicet quod illis dedit, nempe titulum et possessionem; nam posita hac ablatione censetur Pontifex auferre jus spirituale; quia sicuti beneficium confertur dependenter a designatione Abbatissae et collatione tituli et possessionis, ita etiam censetur conservari jurisdictio a summo Pontifice dependenter ab iisdem, quibus sublatis etiam reliqua alia tolluntur. *Rota p. 9. tom. 2. dec. 429. n. 19. et 20.* Non potest tamen Abbatissa ipsos clericos suspendere, prout suspensio est censura ecclesiastica sicuti neque interdicere aut excommunicare, quia caret spirituali jurisdictione, ut colligitur ex c.: *Dilecta, de majorit. et obedient.*,

et *Rota dicta par. 9. tom. 2. dec. 429. n. 17. et 18.**)

Si Abbatissa citra qualitatem exemptionis secundae vel tertiae speciei jus habet conferendi beneficia, minime jus habet destituendi et mulctandi clericos et beneficiatos. *Card. Petr. in comment. ad const. apos. 7. const. Urban. IV. n. 48.*

15) Facultas circa observantiam regul.

Abbatissa non potest cum suis Monialibus proprie dispensare in observantiis regularibus et ecclesiasticis, quia hoc proprie spectat ad jurisdictionem spiritualem, cujus foemina est incapax. *Communis.* Et si aliquando videatur in ipsis dispensare, solum facit ministerialiter ex commissione sui Praelati vel solum declarando, quod hic et nunc jejunium, v. g. praeceptum recitandi officium seu aliquod aliud praeceptum cesset obligare; et sic intelligenda sunt privilegia, quae videntur concedere Abbatissae facultatem dispensandi. *Commun.*

16) Facultas praecipiendi.

Abbatissa potest praecipere Monialibus in virtute sanctae obedientiae et in conscientia obligare, non potestate jurisdictionis, quam non obtinet, sed potestate dominative spirituali, quam ex vi voti ei tradunt Moniales, quae ideo eidem obedire tenentur, cum votum obedientiae obliget Moniales tamquam subditas ad obediendum Abbatissae tamquam legitimae Superiorissae. *Sic doctores magis communiter.*

17) Facultas circa vota.

Abbatissa quamvis non habeat facultatem commutandi ac dispensandi in votis suarum Monialium, cum hoc pertineat ad spiritualem jurisdictionem, cujus ipsa est incapax, tamen facultatem habet irritandi vota ipsarum, cum hoc spectet ad potestatem dominativam, quae competit Abbatissae in Moniales subjectas, magis quam competat parentibus in filios. Monialium enim voluntas, ratione voti obedientiae, translata est in voluntatem Abbatissae, unde si de communi possunt parentes ratione potestatis dominative vota filiorum irritare, a fortiori poterit Abbatissa irritare vota suarum Monialium subditarum. *Sic doctores communiter.*

18) Jurisdictio.

Praeeminentiam et jurisdictionem coadjutricis cessare in praesentia Abbatissae, et ideo, praesente Abbatissa, Priorissam esse coadjutrici praeferendam. Num. 253 die 16. Oct. 1604.

*) Ut colligitur ex cap *Dilecta, 12. de majorit. et obedient.* Quum in *laud. cap.* apertissime Abbatissa dicatur *clericos suae jurisdictioni subjectos propter inobedientias et culpas ipsorum ab officio et beneficio suspendere*, operae pretium duximus breviter enucleare, de qua suspensione adducta verba sint intelligenda, et assertio, immo potius communissima inter theologos et canonum interpretes, per omnia constare possit.

Quidem sciendum Abbatissam, de qua in textu loquitur Honorius III., non praefuisse Monialibus sed Canonicis quibusdam saecularibus, uti patet ex *laud. textu; loquitur enim*, ait Glossa ibid., *secundum consuetudinem theutonicorum, ubi sunt Canonicae saeculares, quae nullam faciunt professionem, nec renunciant propriis, imo quandoque contrahunt matrimonium.* Istiusmodi porro Canonissis et praebendae ecclesiarum cathedralium aliquando assignatae fuere. Habebant etiam hujusmodi Abbatissae aliquos saeculares sibi subjectos canonicatus et praebendas ibidem obtinentes ac capitulum insimul facientes. Lege *Gonzalez. in notis ad laud. cap.*

Porro sciendum, quod omnibus compertum esse arbitror, mulieribus nullam clavium potestatem sive jurisdictionem competere, uti expresse declarat *Clem. III. in c.: Nova de poenit. et remission.* Habent tamen Abbatissae *actum similem actui clavium scilicet in correptione temporali seu disciplina suarum Monialium propter periculum cohabitationis virorum inter eas*, uti docet *d. Thomas in IV. sentent. distinct. 25. qu. 2. art. 1.* Poterunt etiam beneficia conferre et clericos instituere institutione collativa non autem authorizabili atque ita institutos beneficiis privare. Quod speciatim de hujusmodi Abbatissis, de quibus antea locuti sumus, docent auctores, lege *Gonzalez. in laud. cap. Nova 10.*

Suspensio itaque, de qua *in laud cap. Dilecta* loquitur Pontifex, non erat censura ecclesiastica, quae per mulierem ferri non poterat, sed erat suspensio ab actibus temporalibus, uti loquitur Glossa, *a quibus etiam suspendit Abbatissa, quae non habet claves. In c.: Execrabilis, de praeb. et dignit. V. Suspendere. Inter extravag. commun.*, quatenus, quemadmodum poterat Abbatissa, legitima causa intercedente, privare clericos sibi subjectos beneficiis jam sibi collatis, auferendo scilicet quod illis dedit, nempe titulum et possessionem, ita et ab iisdem suspendere, prohibendo nempe, simplici quadam facti prohibitione, ne ipsi in suis beneficiis et capellaniis deservirent. Lege *Gonzalez. in laud. cap.: Dilecta, et Pontas in dictionar. cas. conscient. verb.: Abbatissa in respons. ad cas. IV.*

19) Munus.

Vd. *S. Clara* (regulae etc. decr. *Urban.* c. 22., decr. *Innocent. IV.* c. 4.)

20) Officii tempus.

Abbatissae non possunt durare in officio abbatissatus ultra triennium et eo elapso debent vacare per integrum triennium a die finiti regiminis et administrationis inchoandum. *Greg. XIII. 1. Jan. 1583 const. incip. Exposcit debitum.*

Quod de triennio a Greg. XIII. praefinito abbatissatui dictum est, id intelligendum est de monasteriis intra non item extra Italiam existentibus. *Roder. q. Regul. t. 1. qu. 16. art. 2., Tamburin. de jur. Abbatiss. disp. 31. q. 1. n. 12.* Quinimo in ipsa Italia in collegiis seu universitatibus mulierum oblatarum, quae tria vota non emittunt, locum haud habere Gregorianam constitutionem, praeter mox adductos monet *Castellin. de elect. canon. c. 5. n. 33.**)

Abbatissae non possunt durare in officio abbatissatus ultra triennium et eo elapso debent vacare per integrum triennium a die finiti regiminis et administrationis inchoandum. *Gregor. XII. 1. Jan. 1583 const. incip.: Exposcit debitum.*

Unde si intra triennium moriatur Abbatissa aut alio modo vacet officium, non poterit eligi in Abbatissam, quae immediate praecessit in officio, quia non vacavit per triennium. Neque eligi poterit in Vicariam quae gubernet monasterium in capite per aliquod considerabile tempus. Imo neque in Vicariam novae Abbatissae, nam Pontifex in cit. bulla praecipit, ut elapso triennio careant omni prorsus auctoritate ac a regimine et administratione monasterii per triennium abstineant; quae verba prohibent eam eligi ante elapsum triennium, etiam in Vicariam, cum Vicaria non careat omni prorsus auctoritate et administratione monasterii; ipsa enim debet vices Abbatissae supplere, cum Abbatissa est infirma vel quando non est praesens in actibus communitatis, cum ad hoc eligatur. Praxis tamen videtur esse contraria.

*) Excipiendae sunt etiam religiosae Moniales congregationis s. Ursulae, quae, licet tria vota emittent, tamen juxta earum constitutiones p. 3. c. n. 2. a sede apostolica non semel approbatas, earum superior seu prima potest ad secundum triennium confirmari.

Nec Abbatissa confirmata pro secundo triennio ex dispensatione sacrae congregationis potest iterum eligi a Monialibus ad tertium triennium sine nova dispensatione, quia gratia et privilegium concedit quidem id, quod de jure non potest haberi, sed non alterat naturam rei concessae; et ideo cum officium Abbatissarum de jure requirat, quod expleto triennio vacet per aliud integrum triennium juxta citatam Gregorianam, dum conceditur pro tempore, in quo non posset conferri, censetur concessum absque alteratione suae naturae et ideo, cum fuerit expletum, requirit, quod subsequatur triennalis vacatio; et sic decrevit *s. congr. deputata ab Innoc. XII. pro causis Congr. Casinensium 26. Februar. 1694* in responsione ad quintum dubium. Imo expleto triennio officium Abbatissae non potest ab Episcopo prorogari nec ea sub nomine Vicariae vel alterius tituli praefici gubernio usque ad novam electionem, quia, elapso triennio, debet ex citata constit. Gregorii XIII. statim carere omni prorsus auctoritate, regimine et administratione monasterii per aliud triennium a die finitae administrationis inchoandum; et sic declaravit *s. C. Episc. et Regular. in Andrien. 20. Febr. 1615 et in Nazariens. 18. Mart. 1700.*

21) Pax.

Exigit Abbatissa in oppido de Remiremant ut subdiaconus instrumentum pacis ipsi deferat. S. C. resp.: Non licere. N. 3097 die 24. Nov. 1685.

22) Praedicare non potest.

Abbatissa non potest praedicare nisi hortando Moniales in capitulo; nam mulier, quamvis sit docta et sancta, non debet docere, *ex c. Mulier, de consecr. dist. 4.*

23) Professionem et velum non recipit.

Non potest Abbatissa velum puellae novitiae imponere nec ejus recipere confessionem. *Pax Jord. de re sacra. L. 5. tit. 4.*

24) Qualitas.

Vd. *Abbatissa* (quae eligi et quae non eligi potest? p. 102—103; aetas etc. p. 90); *S. Clara* (regul. decr. Urbani c. 22; decr. Innocent. IV. c. 4.)

Abbatissa esse debet virgo saltem existimata, *can. 12. juvenculas, 20. q. 1.* Si esset occulte corrupta, non teneretur se infamare. Vid. *Pax. Jord. de re sacra. L. 5. tit. 4.*

Abbreviatores.

Vd. *Literae apostol.*

1) Denominatio.

Vd. *Abbreviat.* (officium; species.)

Abbreviatores sic appellantur, quia ipsi brevi compendio concipiunt impetrata a summo Pontifice in supplicationibus et postea latius in literis extendunt.

Abbreviatores *a Ferrari* dicuntur a conficiendis literarum apostolicarum breviaturis sive minutis; de *Parco* vero a loco cancellariae, qui vulgo *Parcus* dicitur.

2) Insignia.

Abbreviatoribus de Parco majori conceditur usus redimiculi galeri, vulgo cordone coloris violacei etiam dimisso officio. *Benedictus IV. tom. 1. constit. 3. incip.: Maximo.*

3) Jura et privileg.

Abbreviatores sunt Papae familiares et commensales, nobiles, comites palatini; possunt creare doctores cum privilegiis universitatis et etiam creare notarios. Possunt declarare nobiles tres personas et creare milites auratos; et multa alia privilegia eis concessit *Leo X. constit. incip.: Summi.*

4) Officium.

Vd. *Abbreviat.* (Species dupl.; denominatio.)

Abbreviatorum officium a Ferrari relatum longe differre nobis videtur ab illo, cui primum instituti Abbreviatores deputati fuerunt. Etenim, ne literae apostolicae in forma rationi congrua excederent tenorem supplicationis, abbreviatores de Parco invecti sunt, quorum erat literas apostolicas et supplicationes diligenter inspicere et curare, ut literae ad tenorem supplicationum expedirentur. *Amayden. de styl. Datar. cap. 21. n. 6. ap.*, Rigant. *Reg. X. cancell. tom. 2. p. 138. n. 17.*

5) Species duplex.

De Abbreviatorum institutione, numero et officio late disserunt *Cobell. in not. Card. cap. 22., Ciampinus de Abbreviat. de Parco major. c. 1. et seqq., Van-Espen. in jus eccles. univ. part. 1. tit. 23. c. 1. n. 9. et seq.* aliique, quos recenset *Rigant. in comment. ad reg. 1. canc. §. 4. n. 149.* Alii sunt de majori, alii de minori Parco, ita apellati a loco cancellariae, in quem conveniunt, qui vulgo Parcus dicitur, quoddam quasi tribunal constituunt et decidunt dubia, quae oriri contingit super literarum formulis vel clausulis et decretis in eis adjiciendis ac etiam supra emolumentorum solutionibus aliisque emergentibus. *Cardin. de Luca in relat. cur. roman. discurs. 44. n. 5., Van-Espen. in jus eccles. univers. part. 1. tit. 23. c. 1. n. 12.* Praelati de minori Parco id tantum curant, ut bullae ferantur et tradantur Praelatis *de majori Parco.*

6) Taxa.

Nihil ultra taxam recipere possunt Abbreviatores et si excesserint, subjacent variis poenis. *Martin. V. constit. 3. incip.: In Apostolicae.*

In collegio Abbreviatorum de Parco majori septem antiquiores majora percipiunt emolumenta.

Antianitatem ad effectum hujusmodi pinguioris participationis competere illi, qui primo inter Abbreviatores admissus fuit, licet non exercuit, nequaquam vero illi, qui postea admissus, prius tamen officii sui munus expleverit, definivit *Rota in Romana emolumentorum abbreviatoratus 26. Novemb. 1691 et 10. Martii 1692 coram Ursino.*

Abjurans.

1) Regularis.

(Poenae.)

Regulares abjurantes etiam de levi inhabiles ad omnes religionis suae gradus et officia redduntur, *ex decr. Urb. VIII. edito in Congr. s. officii inquisitionis die 1. Octobris 1626* praecisis his verbis: Sanctissimus Dominus Noster justis de causis animum suum moventibus decrevit et statuit, ut in posterum Regulares omnes cujuscumque ordinis, religionis, societatis et instituti, quibus pro delictis ad sanctae inquisitionis officium spectantibus poenitentiae genus aliquod impositum fuerit, salutaribus poenitentiis exceptis, eo ipso ad omnes religionis suae gradus et officia inhabiles censeantur. Et deinceps etiamsi poenitentiae tempus expleverint vel gratiam receperint, ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta a sanctissimo Domino nostro vel ab hac Congregatione coram Sanctitate Sua habenda, speciali et expressa rehabilitationis gratia. Alias promotio quaelibet nulla sit et promoventes ipsi privationem suorum officiorum ac praeterea vocis activae et passivae ipso facto incurrant, ad quae restitui nisi ab eodem sanctissimo Domino nostro vel ab eadem sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda non possint. Praesens autem decretum omnibus Superioribus religionum intimari mandavit idem sanctissimus Dominus noster.

2) Sacerdos saecul.

(Exercitium ordinis.)

Sacerdotes saeculares abjurantes de levi non impediuntur exercere omnec ordines et sacramenta ministrare ac fidelium confessiones audire. Secus in abjurantes de vehementi. *S. Congr. generalis inquisitionis 6. Martii 1596.*

Abjuratio.

1) Abjurare qui debent?

Ad abjurationem omnes haeretici tenentur, alias ecclesiae Dei reconciliari nequeunt, *cap.: Si quis 42., c. in ecclesia 68. 1. quaest. 1., cap.: Si quis 8., cap.: Donatum 1. qu. 7.* Plura de abjuratione collegit doctissimus *Ant. Augustinus in juris pontificii veteris epit. part. 1. lib. 11. tit. 7.*

2) Modus in priscis ecclesiae temporibus.

Priscis ecclesiae temporibus consuevisse haereticos post abjurationem suorum errorum ungi sacro chrismate in fronte, oculis, naribus, ore et auribus probat *Menardus in notis ad libr. sacram. d. Gregorii fol. 113.* Abjuratio haeresis libello oblato omnibus haereticis semper injuncta fuit. Nonnulli etiam ut Novatiani, ultra abjurationem chrisma recipiebant, *concil. Nicaen. 1. can. 9. et Nicanen. II. can. 2.* Aliis haereticis sacramentum, quod ob haeresim omissum fuerat, ministrabatur, ut eruitur *ex epistol. Siricii ad Himerium c. 1., ex conc. Arelatensi I. can. 1. Arelatensi I. can. 19., Arausican. I. can. 1., ex epist. Innoc. I. ad Vitricium. et Leonis I. ad Rusticum.* Alii vero haeretici, qui confirmationis sacramentum non spernebant, tantum per poenitentiam reconciliabantur, ut patet ex *d. Greg. Magno l. 9. regul. regest. epist. 161.*, et ex illis verbis, quae ex quadam ecclesiae Garecae canonum collectione refert *Petrus de Marca in not. ad can. 2. concilii Claramont.*

Abjuratio haeresis libello oblato omnibus haereticis semper injuncta fuit. Post abjurationem suorum errorum haeretici, qui vitiosa baptismi forma utebantur, sacro lavacro perfundebantur. *Concilium Nicaenum I. can. 14. de Paulianistis.* Ariani, Macedoniani, Sabbelliani, Novatiani . . . . et Apollinaristae, apud quos sacramentum confirmationis in usu non erat, ut ostendit *Orsius in dissertatione de baptismo p. 2.* in nomine Christi abjurata haeresi catholicae ecclesiae reconciliabantur, chrismate ungebantur in fronte, oculis, naribus, ore et auribus, quem-

admodum praescribitur in *can. 7. inter Canones concilii Constantinopolitani I.*, quem canonem refert *Hugo Menardus in not. ad lib. Sacram. d. Gregorii tom. 3. Oper. s. Gregorii edit. Paris. col. 362;* eaque unctio confirmatoria erat, ut demonstrat *Orsius in dissert. de chrismate confirmationis, cap. 5. n. 3.* Alii, qui rite baptizati fuerant et confirmati, per manus impositionem, quae poenitentiae imaginem praeferebat, si laici erant, aut per fidei professionem, si clerici, ab ecclesia suscipiebantur, ut pluribus evincunt doctissimi *Ballernii not. 25. in epist. 269. s. Leonis.* Confer *s. Gregorium Magnum lib. 11. epist. 67.* et verba, quae ex quadam ecclesiae Garecae canonum collectione profert *Petrus de Marca in not. ad can. 28. concil. Claramont.*

3) Modus qui hodie servatur.

Apostatae a fide adhuc apud infideles degentes, si ad poenitentiam reducantur, non tenentur coram infidelibus publice apostasiam abjurare. Sat est ut coram fidelibus abjurent ab infidelitatis actibus abstinentes, et habitum infidelium deponentes, quatenus religionis falsae sit protestativus; habitum retinere possunt si sit equivocus. *Maschat. inst. can. 1. tit. IX. n. 2.*

Tenentur autem abjurantes etiam cum periculo vitae curare ut infideles vel a seipsis vel ab aliis decursu temporis eorum abjurationem agnoscant. *Maschat. 16. tom. 2. p. 496.*

4) Quid est? Species quadruplex.

Abjuratio, quantum pertinet ad hunc locum, est solemnis haeresum detestatio cum assertione catholicae veritatis, et obligatione, juramento, et poena munita permanendi in fide catholica. *Communis,* ex formula abjurationis Berengarii, quam refert *Gratianus cap.: Ego Berengarius de consecr. dist. 2.* Quadruplex abjurationis species distinguitur a theologis et juris canonici peritis.

1. de haeresi formali,
2. de levi,
3. de vehementi,
4. de violenta suspicione haeresis.

Abjuratio de haeresi formali haereticis formalibus indicitur, abjuratio autem de suspicione haeresis levi aut vehementi aut violenta exigitur ab illis, qui levibus aut vehementibus aut violentis indiciis in suspicionem haeresis venerunt. *Communis.* Levia porro indicia vocantur ea, ex quibus leviter vel non frequenter sed raro infertur crimen, de quo est suspicio, ut si quis frequenter perjuret aut vitam flagitiosam ducat, leviter suspectus de fide redditur. Vehemens suspicio haeresis oritur ex verbis vel factis haeresim efficaciter et frequenter concludentibus, ut si quis vocatus, ut de fide respondeat, infra definitum tempus non compareat, *cap.: Cum contumaciam, de haereticis in 6.* Demum violenta haeresis suspicio ducitur ex verbis aut factis, quibus index adducitur ad censendum haereticum hominem, qui ea dicit vel peragit, ut si quis haereticis reverentiam eorum more exhibuerit aut consulationem vel communionem ab ipsis receperit, *ap.: Accusatus, et cap. quicumque eod. lib. et tit.*

Ablutio.

1) Corporal., pallarum etc.

(A quo et ubi faciendа?)

Quod ad corporalium aliorumque linteaminum ablutionem pertinet, illam ad diaconos proprie spectare, ex *can.: Nemo per ignorantiam, dist. 1. §. 1. de consec.* colligere est; nam haec laud. canon habet: *Pallas vero et vela* sanctuarii, si sordidata fuerint ministerio, diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lavent, non ejicientes foras a sacrario; et velamina dominicae mensae abluant, ne forte pulvis dominici corporis male decidat. Sindonem vero non foris abluent, et erit hoc operanti peccatum. Idcirco intra sanctuarium ministris praecipimus haec Sancta cum diligentia custodire. Sane pelvis nova comparetur, et praeter hoc nihil aliud tangat. Sed nec ipsa pelvis velis apponatur lavandis, nisi quae ad dominici altaris cultum pertinent; pallae altaris solum in ea laventur et in alia vela januarum.

Haec autem canonica dispositio de prima tantum corporalium, pallarum etc. lotione,

intelligenda est; post hanc enim posse etiam foeminas memorata utensilia abluere, quemadmodum solent ea reficere, communiter docent cum Cajetano et aliis *Suarez. de eucharistia disput. 81. sect. 8. versic. Quarto addendum., Reginald. prax. mor. poenit. lib. 29. num. 203.*, et *Laym. theolog. moral. lib. 5. cap. 6. n. 66.*

Ex quibus patet peccare laicos et foeminas corporalia aliaque superius memorata primum lavantes, postquam in Missae sacrificio fuerunt adhibita; quippe valde indecens est a profanis personis abstergi linteamina illa, in quibus Corpus oblatum fuit et Sanguis Christi Domini; possetque contingere, ut fragmentum aliquod Hostiae vel Sanguinis gutta in ea ceciderit.

Quapropter nec clericis in minoribus ordinibus constitutis memoratam licet peragere lotionem, cum *laud. can.* id tantum diaconis committat declaratque peccare qui huic sanctioni contradiceret.

Quae cum ita sint, excusandus a culpa non est quicumque sive laicus sive clericus ablutionem ipsam peragere auderet. Peccatum vero, quod in eo exequendo patratur, ad mortalis metam attingere asserit *Villalob. part. 1. tract. 8. difficult. 29. n. 5.*; ad veniale vero *Ludovic. a s. Joann. quaest. 2. de Eucharist. art. 19. dub. 2. diffic. 3.*, et *Quart. in rubric. missal. part. 2. tit. 1. sect. 2. dub. 6.*, qui ulterius asserunt nullum prorsus peccatum si, secluso contemptu, praedicta sacra linteamina ab indicatis personis justa et rationabili accedente causa abluerentur.

Quamvis vero per *laud. can.: Nemo*, facultas lavandi pallas et corporalia, diaconis tantum sit commissa, tamen subdiaconos etiam posse hujusmodi lotionem explere certa res est. Inter officia enim, quae ipsis in ordinatione conferuntur, illud pariter in Pontificali romano de ordinat. subdiac. legitur: Subdiaconum enim opportet . . . . pallas altaris et corporalia abluere. Et antiquitus ipsis illicitum, cum subdiaconatus ordo inter sacros non enumerabatur.

Quae autem in Utensilium abstersione servanda sunt, ex pluries *cit. can.: Nemo* colligimus, nempe, non modo opus est ut illorum lotio intra sanctuarium, non foras, hoc est in laicorum domibus exequatur, sed ulterius, ut pelvis, in qua illa peragitur, ad alios usus non adhibeatur, ac subinde, ut aqua, qua corporalia et purificatoria necnon pallae abluta sunt, in peculiarem piscinam, quae sanctuarium appellatur, sit projicienda. Quae duo postrema statuuntur etiam in *Ordin. roman. relat. a Vicecom. tom. 4. lib. 1. c. 8. observ. ecclesiast.*, his verbis: Ubi pallae, corporalia etc. lotae fuerint, nullum linteamen ibidem debet aliud lavari; sed ipsa aqua in baptisterium debet vergi. Quae profecto verba, quemadmodum et illae *canon: Nemo* etc. praeceptum important ac propterea, si quis in iis deficeret, peccati saltem venialis reus fieret, juxta firmata *per s. Antonin. 3. part. tit. 13. cap. 6. num. 5., Turnell. theolog. moral. de euch. part. 2. cap. 9. quaest. 8. §.: An autem, et Merat. ad Gavant. part. 2. tit. 1. num. 8.*, qui non adhaeret sententiae *Pasqualig. de sacrif. nov. leg. tom. 2. quaest. 795. num. 9. hoc ipsum negantis.*

2) Digitorum cum aqua tantum.

Vd. *Calix* (Purificatio.)

Sacerdos Joannes Bapista Fulise ex dioec. Tornac. summopere exoptans, ut uniformis sit praxis omnium Eccl. in exequendis singulis caeremoniis, quae in sacrosancto Missae Sacrificio locum obtinent, S. C. enixe rogavit, ut sententiam suam proferre dignaretur super sequenti dubio ab ipso proposito iis in terminis: An pro abluendis vino et aqua pollicibus et indicibus in secunda purificatione post communionem debeat sacerdos e medio Altaris versus cornu epistolae recedere? S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in ordinario coetu, audita a Secretario relatione, rescribendum censuit: »Serventur Rubricae pro diversitate Missae.« N. 5138.

Die 22. Julii 1848.

3) Manuum Episcopi.

(Laici.)

Magistratus ad ablutionem manuum Episcopi solemniter celebrantis cogi non posse, sed si invitatus id faciat laudandum. N. 1537. die 26. Aug. 1645; n. 4015. ad 3 die 9. Maii 1733. Syndaci civitatis Venafri renuentes ministrare Episcopo aquam, ut antea consueverunt in functionibus pontificalibus, hortandos esse, non compellendos. N. 2217 die 28. Apr. 1663.

Magistratus prout in Caeremoniali tum absente quam praesente Gubernatore Episcopo in lotione manuum inservire debeat. Nr. 3463. die 19. Apr. 1698.

Magistratus Comaclen. ministrans aquam

pro lotione manuum Episcopi solemniter celebrantis in eundo et redeundo ultra genuflexionem altari debitam tenetur alteram facere eidem Episcopo, et accedere ad abaccum pro accipiendis pelvibus . . . pro eadem lotione manuum; et debet uti velo serico circum spatulas extenso in praestatione ejusdem lotionis. N. 3717 ad 1—3. die 4. Apr. 1705; N. 4305. ad 2 die (21. Julii) 12. Sept. 1761.

Magistratus Brictinoriensis accedens ad lotionem manuum Episcopi pontif. parati debet in actu genuflectere et manere genuflexus. N. 4305. ad 1 die (21. Julii) 12. Sept. 1761.

Vd. *Genuflexio coram Episcopo; Lavabo.*

Abortus.

Vd. *Foetus.*

1) Absolutio a confessario.

Ille dumtaxat censetur confessarius ad hoc casum specialiter deputatus, qui in specie habet ab Episcopo facultatem absolvendi ab excommunicatione contracta propter abortum procuratum, ut clarum est compertumque ex verbis ipsius Gregorii XIV. Quare non est audiendus Bonacina relatus a *Diana p. 7. tract. 5. v. 5.*, qui existinat ejusmodi deputatum censendum esse etiam illum, qui facultatem habet ab Episcopo absolvendi ab omnibus casibus et censuris ipsi ab homine vel a jure reservatis.

Sententia Bonacinae circa reservationem casus abortus, a qua cavendum esse monent additiones Barbiellinianae, valde tamen probabilis a divo Ligorio *lib. num. 397.* demonstratur, tum quia verba praefatae bullae Gregorii »*ad hoc casus specialiter deputatus*« non referuntur ad casum abortus, sed ad confessarium, ita ut possit hunc casum absolvere specialiter deputatus ab Episcopo sive expresse ad casum abortus sive generatim ad omnes casus sibi reservatos, cum quia concessionem illam receptus usus ita interpretatus est, *et sic ipsemet*, addit s. Ligorius, *firme testor universe practicari in missionibus, pro quibus ad hunc casum abortus absolvendum contenti sunt sacerdotes missionarii, quod Episcopi generaliter eis facultatem impertiantur pro cunctis casibus ipsis reservatis.*

Multo etiam probabiliter apud ipsum Ligorium loc. cit. docet Elbel. ab hac excommunicatione posse Praelatos majores Regularium jurisdictione quasi episcopali gaudentes et absolvere per se subditos suos et pro iis alios deputare confessarios. Immo, addunt *Salm. tract. 6. c. 13. n. 52.*, accedente satis communi doctorum consensu, eamdem in foro interno competere facultatem omnibus confessariis medicantibus, quae licet in bulla Greg. XIV. confessariis denegata sit ab Episcopo specialiter non deputatis, non censetur tamen confessariis etiam privilegiatis denegata, qui possunt aliunde in casibus Pontifici reservatis absolvere.

Quod si Episcopus alicubi sibi reservaverit casum abortus, omnes consentiunt, nullum regularem posse ab eo absolvere sine Episcopi licentia. Damnata enim fuit ab Alexandro VII. haec propositio: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

2) Quando est causa irregularitatis?

Vd. *Abort.* (poenae — adnotat. ad constit. Greg. XIV.)

Procurantes abortum foetus evadunt irregulares etiam in dubio, an foetus sit animatus,*) sicut evadit irregularis et ut talis est habendus, qui dubitat: an aliquem occiderit, ut colligitur ex *cap.: Ad audientiam. 12., et cap.: Significasti 18. de homicidio.* Et haec irregularitas pro abortu foetus animati est reservata Pontifici, nec potest dispensari ab alio quam ab ipso, ex const. *Effraenatam.*

Cum quis fit irregularis ob procurationem abortus, si casus sit occultus, potest dispensationem petere a poenitentiaria. Attamen, si ipse fuerit genitor ejus foetus, tenetur hanc circumstantiam explicare, alias dispen-

*) Notandum vero est cum P. Giraldi *exposit. juris pontificii, pag. 657.*, ut foetus in dubio praesumendus sit animatus, intellige quoad effectum irregularitatis tantum, non tamen quoad alias poenas.

Quapropter, cum sciri nequeat, an foetus sit masculus vel foemina, et an citius vel tardius fuerit animatus, remanet semper dubium, an fuerit animatus necne: et sic juxta vulgata jura locum habet irregularitas, cum agatur de dubio homicidii voluntarii.

satio erit nulla, utpote subreptitia, juxta stylum ibi observatum. Majus autem peccatum committit mater aut genitor procurantes abortum, quam alii ad eum juvantes, cum circumstantia filii occisi in eo foetu mutat speciem homicidii, et sicut parricidium habet circumstantiam, quae mutat speciem, sic et filiicidium, cum sit contra virtutem pietatis et justitiae naturalis.

Verior et communior sententia negat procurantes abortum irregulares evadere, validissima innixa ratione, quod etiam in dubio: an foetus sit animatus, irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in jure, et nullibi in hoc casu invenitur expressa. Licet enim in textibus allatis irregularitas quibusdam imposita fuerit, de quibus dubitatur: an fuissent vel ne causa homicidii, homicidium tamen certe patratum fuerat. Sed cum dubia est animatio foetus, dubia quoque est patratio homicidii, hicque casus nullibi quidem est expressus in jure. Vide *s. Ligorium theol. mor. lib. III. num. 396.*, qui ibi etiam advertit idem quod de irregularitate et de excommunicatione dicendum esse.

In irregularitate tamen solus Pontifex potest dispensare, non vero Episcopus, licet abortus esset occultus, quia a Tridentino *cap. Licet 6. sess. 24.* expresse excipitur homicidium voluntarium in facultate Episcopis concessa.

S. Marci.

(Abortus, qui effectus est propter metum mulieris a sacerdote injectum.)

Cum Rosaria N. conquereretur, frugiferas quasdam herbarum plantas in proprio horto avulsas fuisse ac conculcatas, et maxime doleret, quod tale damnum a sacerdote Vincentio N. suisque villicis fuisset illatum, sacerdos, qui nonnullis antea diebus cum dicta muliere verbis rixatus fuerat et qui prope aderat et hujusmodi querelas audivit, illam conviciis et contumeliis coepit objurgare. Mulier vero a maledictis minime cessavit. Vincentius furore succensus accepta securi Rosariam fugientem insequutus est eamque deprehendit et quamvis monitus, ne quid damni eidem inferret, eo quia utero gravis esset, nihilominus dexteram in modum percutientis levavit, sed ab ictu injiciendo abstinuit.

Timore magno perculsa mulier statim trepidare, et contremiscere caepit nec multo post ita torminibus vexare se sensiit, ut sequenti die abortum ediderit, quam in tertio a conceptione mense tunc reperiri dijudicatum est. Res per Josephum N. Rosariae virum ad curiam episcopalem delata fuit, quae statim inquisivit contra sacerdotem Vincentium, cui palatium episcopale loco carceris fuit assignatum. Praeter obstetricem duo etiam medici et octo testes foetum inspexere. Recepta quoque fuit depositio Rosariae, quae prima vice minas sibi illatas easque abortui causam praebuisse narravit, ejusque assertionem duo testes, qui rixae fuerunt praesentes, reliqui vero de auditu confirmarunt; sed deinde fere post mensem eadem Rosaria in exonerationem propriae conscientiae declaravit »che la medesima in tempo della rissa, sentivasi dolori di aborto imminente, onde per puro astio di quell' atto cerco addossare la causa al sacerdote Vincenzo, essendo come publicamente si é veduto, che pochi mesi addietro si era abortita per altro cause esterne, ed interne, onde come tale è solita, sentivasi in quel giorno.«

Semel atque iterum constitutus sacerdos negavit minas nullamque abortui causam praebuisse asseruit compilatoque processu defensionibus renunciavit maluitque theologorum judicio quaestionem definiri. Tres itaque theologi a Vicario generali electi in ea fuerunt sententia, ut sacerdos Vincentius Sanctissimo Domino Nostro pro dispensatione supplicaret et interim a celebratione missae abstineret; hinc preces exhibet, ut proposita ad calcem dubia definiantur.

Juxta antiquam ecclesiae disciplinam gravissimis poenis afficiebantur, qui abortui causam dedissent. *Synodus Ancirana anno 314. celebrata in can. 21.* ad publicam per decennium poenitentiam agendam eos adegit; et s. Basilius in epistola ad Amphilochium pari poena plectendos censuit delinquentes pro quocumque abortu sive foetus esset animatus sive non. Abhaeserunt quoque leges civiles, quae gravioribus suppliciis procurantes abortum damnandos decreverunt, *Leg. Si quis aliquid §. abortionis ff. de poenis, et leg. Si mulierem §. ad leg. Cornel. de Sicariis.*

Verum canonum rigorem quodammodo temperare visus est Innocentius III. in *cap.: Sicut ex literarum I. de homicid.*, dum statuit, quod si sequutus fuisset abortus foetus animati, tunc delinquens irregularis evaderet et gravibus poenis afficeretur, mitius vero ageretur, si foetus non fuisset animatus. Sed deinde Sixtus V. in constitutione, quae incipit: *Effrenatam**) 4. Kalendas Novbr. 1588,

Vd. pag. 121.

nulla admissa inter foetum animatum et non animatum distinctione ita indefinite sancivit: »Eos vero, qui clerici fuerint, omni privilegio clericali, officiis, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis ipso facto privamus et in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus etc. Istius tamen constitutionis rigorem moderatus postea fuit Gregorius XIV. alia constitutione incipien.: *Sedes apostolica**) edita prid. Kalendas Januarii 1591, ubi §. 3. poenas contra procurantes abortum ad terminos juris et sacrorum canonum ac concilii Tridentini dispositionem reduxit.

Inter causas abortus potissimum a physicis recensetur timor, cum mulieres timidae et meticulosae procliviores sint ad abortum, *Maricon. tom. 1. cap. 25. de abortu et ejus origine; Henric. de ventre in lib.*, cui titulus: *Ars obstetricandi cap. 33.* Ponderandum itaque est: an timor a sacerdote Vincentio Rosariae incussus causare vel saltem properare potuerit abortum, in quo totum causae momentum pendet: Perpendendum insuper an foetus esset animatus vel non, qua quidem super re non una est philosophorum sententia, ut apud *Gregor. Lopez. in leg. 8. tit. 8. part. 7. gloss. 2„ Gothofred. ad leg. 3. §. fin. ff. de suis, et legitim. haered. quaest., Medicolegal. tit. 2. quaest. 9.*, et alibi. Communior tamen et recepta opinio est, quae statuit post 40 dies in masculis et in faeminis post dies 80 animam intrare in foetum conceptum, *Farinac. in oper. crimin. quaest. 122. par. 1. num. 143., Matin. Azpilcuet. ad tit. 10. de homicid. cons. 46. num. 2., Carand. de part. cap. 1. §. 2. num. 35.*

Quoad tempus, quo Rosaria abortum edidit, ipsa deposuit: »Jo ero gravida di due mesi, ed ero entrata nel terzo mese; secondo il conto, che mi ho fatto, e me ne accorgevo, e lo tenevo per certo;« cohaeret etiam quamvis dubitative obstreticis depositio: »nonne posso fare giudizio certo de tempo della gravidanza, e dell' etá dell' aborto, ma solo posso credere, come credo per l'esperienza, che ne ho, di essere tale aborto di due mesi in circa;« et alii tres testes de audito id ipsum confirmant.

Quando autem dubium est: an foetus esset animatus vel non, nonnulli existimarunt, procurantes abortum irregulares nequaquam censeri, *Gonzales. lib. 5. decretal. in comment. ad cap.: Significasti de homicidio num. 6. prope fin., Barbos. de potest. Episcop. alleg. 51. num. 114.*, et alii.

De irregularitate etiam in dubio videndae resolutiones s. Congregationis in *Caputaquen. irregularitatis 24. Martii 1725.*, in *Guattimalana irregularitatis 14. Maii 1729.*, et praecise in casu abortus in *Beneventana irregularitatis 18. Novbr. 1769. (Vd. p. 117.)*

Episcopus testatur de satisfactione patris et fisci et oratorem dignum venia ac petitae absolutionis gratia existimat. Quare EE. VV. sapientiae et eaquitati dijudicandum relinquitur:

I. An constet de irregularitate in casu?

Et quatenus affirmative,

II. An sit locus dispensationi in casu?

S. C. resp. ad I: Affirmative. Ad II: Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem. Die 8. Junii 1771.

Continuatio ejusdem causae.

In instructione autem juxta mentem sac. Congregationis exarata quaesitum ab Episcopo fuit, qua de causa processus informativus in curia episcopali coeptus suspensus interceptusque remanserit, quin sacerdos defensiones paraverit; nec super qualitate criminis et poena sententia prolata fuerit, sed solo trium theologorum voto exquisito causa in eadem episcopali curia fuerit absoluta. Illudque etiam requisitum extitit: an orator verae respicientiae et constantis emendationis signa exhibuerit. His omnibus in nova sua relatione ita Episcopus respondit.

Refero »quod fiscali informativo jam constructo statim ac sponte ante citationis expeditionem personaliter comparuit antedictus sacerdos, eidemque mandatum per palatium injunctum fuit ac ipsiusdem examen receptum, et dein suo constituto compilato defensionibus formiter renunciavit, fiscales testes pro recte ac rite repetitis habuit. Instetit postea, negotium a theologis secundum conscientiam decidendum fore illorumdemque qualecumque votum se exequi paratissimum praebens. Hujusmodi petitioni acquievi ex eo quia antedictus sacerdos nunquam mihi sui ipsius correctionis occasionem praebuit, veram atque exemplarem sacerdotalem vitam ducens, tum et ob illiusdem paupertatem, ne expensis in judicio prosequando gravaretur, ceu et ipsemet mihi exposuit hoc ultimum. Tres jam ex melioribus theologis deputavi ad quaestionem jure dirimendum, qui toto processu sedulo perpenso ac mature discusso negotio pronunciarunt, debere enunciatum

*) Vd. pag. 124.

sacerdotem, ob conscientiae suae solatium, absolutionis dispensationisque gratiam a SSmo Domino Nostro quam citius obtinere. Cui theologorum voto precibus suis ad SSmum porrectis statim acquievit: partis offensae, et querelantis remissionem et exculpationem obtinuit ipsemet sacerdos, quae in actis existit. Quibus stantibus et ob suam bonam religiosamque vitam, tum ob ipsiusmet paupertatem ulterius non molestandum esse benigniter censui, ast porrectarum precum exitum exspectandum fore.«

In eodemque sensu etiam nunc perseverat, praesertim quia *de die in diem verae poenitentiae, constantis emendationis et non fucatae resipiscentiae indubia exhibuit laudatus sacerdos signa cum communi aedificatione.* Atque haec sunt, quae juxta mandata s. Congregationis iterum refert Episcopus; cumque nihil modo addendum sit iis, quae in praeterito folio diei 8. elapsi mensis Junii perpensa sunt, rogantur idcirco Emi PP. illud resumere deindeque decernere:

An sit locus dispensationi in casu?

S. C. resp.; Negative.

Die 28. Septb. 1771.

Continuatio s. Marci.

Mandatis s. Congregationis paruit Archiepiscopus, qui retulit, sacerdotem Vincentium post absolutum super abortu informaticum processum theologorum judicio sponte se submisisse, qui rem totam pro conscientia perpenderent ac definirent, et ad ejus petitionem tres electos fuisse theologos, qui dispositionem ab apostolica Sede efflagitandam consuluerunt. Addidit, oratorem nunquam correptionis occasionem praebuisse, eo quia vitam semper duxerit ecclesiastico viro non indignam, prout patet ex relatione Archiepiscopi, quae fusius recensetur in folio *diei 31. Augusti 1771.* Verum cum in sequenti congregatione diei 28. Septembris ejusdem anni quaesitum denuo fuisset: »*An sit locus dispensationi in casu etc.?* rescriptum fuit: *Negative.*

Nunc autem pro tertia vice dispensationem humiliter efflagitat orator, qui ad illam obtinendam praemittit, juxta concilii Tridentini dispositionem eam tantum irregularitatem non esse dispensabilem, quae oritur ex homicidio perfecte voluntario, *Fagnan. in cap.: Ad audientiam num. 33. ad 57. de homicid.*; homicidium vero perfecte voluntarium causare irregularitatem non dispensabilem tantum in promovendo, secus vero in promoto. *Targn. de jurepatron. par. 1. can. 5. cap. 11. n. 68.* Praemittit etiam, poenas contra procurantes abortum non procedere nisi in casu, quo hujusmodi crimen malis artibus et ex proposito commissum fuerit.

Hisce praemissis sustinet casualem in praesenti casu dijudicare debere abortum mulieris, quam in primo tantum calore irae fuit insecutus, sed deinde in se reversus et actum turpitudinis animadvertens a persecutione abstinuit. Infert proinde, culpae tribuendum non esse subitum irae motum, ratione postea refrenatum, *d. Thom. tom. 2. quaest. 158. art. 3. ad 1.* Negat praeterea abortum a timore fuisse causatum idque patere ex posteriori mulieris declaratione. Nec satis constare, foetum non fuisse animatum, cum dubium sit, an in secundo vel tertio a conceptione mense mulier reperiretur. Quod si foetus non fuisset animatus, contendit, nullam irregularitatem contraxisse, etiamsi ex proposito abortui causam dedisset, *cap.: Sicut ex literarum 20. de homicid., can.: Consuluisti caus. 2. quaest. 5., Panimoll. dec. 89. annot. 6. num. 33.*

Addit, ignotam sibi fuisse mulieris praegnantiam, quam neque monitus in aestu iracundiae animo percipere potuit, proindeque concludit aut nullam contractam a se fuisse irregularitatem aut solum dubiam et facile dispensabilem, *Innoc. in cap.: Ad audientiam in fin. de homicid. ab. ibid. num. 3., Fagnan. ibid. num. 2. et 3.*

Caeterum in casu dispensationem non denegandam putat, post peractam per plures annos poenitentiam exhibitaque aedificationis et constantis emendationis signa. Maxime quia commendatur ab Archiepiscopo, qui de ipsius pietate bonisque moribus testatur et attenta oratoris paupertate illius favore dispensationem implorat, ut ex nota ejus relatione EE. VV. circumferenda.

De poenis contra procurantes abortum fusius actum est in primo istius causae folio diei 8. Junii 1771, quod opportune resumi poterit. Sane mulier in prima dispositione minas a sacerdote Vincentino sibi illatas abortui causam praebuisse narravit, in altero vero declaravit, *che la medesima in tempo della rissa sentivasi dolori di aborto imminente; onde per puro astio di quell'atto cercó addossare la causa al sacerdote Vincenzo, essendo come publicamente si é veduto, che pochi me, si addietro si era abortita per altre*

cause. De tempore, quo abortum ediderit, ipsa dixit: *Jo ero gravida di due mesi, ed ero entrata nel terzo mese.* Depositio vero obstetricis his verbis concepta legitur: *Posso credere, come credo per l'esperienza che ne ho, di esser tale aborto di due mesi in circa.*

Quanti haec habendi sint, viderint EE. VV., a quibus quaeritur:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

Consulendum Sanctissimo pro dispensatione.

Die 7. et 28. Aug. 1773.

Baren.

In oppido Monteronis Barensis dioecesis super contractis sponsalibus ineundi matrimonii inter Xaverium N. et Constantiam N. rumor invaluit, cujus causa fuit Vitus N., ut Constantia tum a sponsalibus tum a matrimonio se retraheret; hinc die 22. Aprilis 1770 in publica platea eumdem Vitum conviciis redarguit subdiaconus Vitus N. Xaverii sponsi frater postque convicia ad manus devenerunt. In auxilium subdiaconi supervenit idem frater Xaverius, hisque vicissim manibus pugnantibus, Subdiaconus cum cultro vulgo *bajonetta* ter ictum in humeros Viti N. injecit. Statim putarunt adstantes eumdem Vitum ex tot receptis vulneribus cito moriturum falsaque vox obitus dicti Viti statim ad Catharinam ipsius uxorem convolavit, quae jam utero gravis duorum mensium maximo timore et maerore perculsa fuit. Cum autem eadem Catharina duodecim post dies abortum passa fuerit, hujus culpa subdiacono Vito fuit imputata.

Querela delata ad Barensem curiam compilatus fuit processus contra subdiaconum Vitum. Fuit tamen recognitum ab examine peritorum, testium et ipsius Viti N. trinos ictus in irritum cessisse vixque vestem penetrasse nec ullum vel minimum vulnus corpori attulisse: probatum item fuit per medicos et chirurgos abortum Catharinae non unice ex dicto timore sed etiam aliis de causis obvenire potuisse praesertim post dies duodecim. Hoc autem nondum absoluto processu comparuit subdiaconus Vitus, qui, parte jam concordata, petiit admitti ad compositionem cum fisco ne ulteriori vexaretur inquisitione, prout revera fiscus etiam concordatus fuit ope solutionis ducatorum 18, ut constat ex criminali processu.

Parte fiscoque composito omnique delata querela haec impedimento non fuit, quominus idem subdiaconus Vitus ad diaconatum subinde promoveretur. Ast dum actum est de ipso ad presbyteratum initiando, renovata est dictae quaerelae memoria, hinc exortum fuit dubium, an causa dicti abortus ullam irregularitatis notam contraxerit. Preces ideo porrexit sacrae huic Congregationi pro cujusvis irregularitatis exclusione declaranda. Nunc itaque inquirendum est, an irregularitas fuerit vere contracta vel saltem an dispensatio sit concedenda.

Putat diaconus Vitus se nec percussisse nec unquam offendisse Catharinam uxorem Viti N. nec eidem ullum timorem vel minas intulisse, imo eamdem a loco rixae cum ejus viro penitus absentem fuisse: se insuper penitus ignorasse illius praegnantiam nullumque praevidere potuisse ex secuta rixa Catharinae abortum. Rursus habita cum Vito jurgia nunquam ordinata esse potuisse ad ullum abortum in uxore causandum, qui numquam praevideri nec vereri poterat. Injuria igitur abortum sibi imputari majorique injuria se sub illius praetextu, velut irregularem a sacerdotio arceri: *cap.: Exhibita de homicid.* Probatque demum pluribus testibus, Catharinam quatriduo ante abortum maximo timore perculsam fuisse, dum, ea adstante, repente ab equo cecidit quidam sacerdos Petrus, quocirca concludit, eo magis excludi quamlibet irregularitatis notam vel saltem deficiente proxima ac praevia causa ipsum benigne fore dispensandum.

Archiepiscopus Barensis, qui fuit pro informatione et voto requisitus acta criminalia transmisit ac post relatam facti seriem superius expositam, rem omnem judicio EE. VV. definiendam proponit. Addit tamen: *Censeo praefatum Vitum N. pietatem ecclesiae promereri ideoque dispensari ab irregularitate, si quam pro tali re incurrerit.*

Juxta sacros canones communis est distinctio, aut dans operam rei illicitae praevidere potuit futurum homicidium causamque praebuit ad illud ordinatam et tunc homicidium licet per accidens obventum eidem imputandum est et irregularitas contrahitur, quia mortaliter causa fuit hujus homicidii ad *text. in c.: Continebatur, et c..: Suscepimus de homicid., Is qui eod. tit. in 6.*, aut dans operam rei illicitae nec praevidere potuit homicidium nec ullam causam proximam vel ad illud ordinatam praebuit, et tunc licet per accidens

obvenerit homicidium, non inde irregularitas incurritur, quia tunc effectus nullo est in tali causa voluntarius, *cap.: Quaesitum de poenit. et remiss.*, late *Fagnan. in cap.: Si constiterit num. 40. de accusat.*

Hinc Honorius III. in *cap.: Exhibita 22. de homicid.* haec habet: *Exhibita Nobis clerici confessio patefacit, quod cum in puerili constitutus esset aetate cum quibusdam cooetaneis suis ludens et insequens unum ex illis lapidem pos' eum non animo laedendi sed timorem incutiendi projecit, qui licet ex projecto lapide percussus non fuerit, neque tactus, ad alium tamen lapidem corruens et caput offendens, tum propter imperitiam medicantis tum propter patris incuriam etc. expiravit. Quia vero dictus clericus, ut mitigaretur dolor patris defuncti, veniam super hoc postulavit ab ipso, Tu eum a s. ordinum susceptione repellis etc., mandamus, quatenus si Tibi constiterit ita esse, eum propter hoc a receptione sacrorum ordinum non repellas.*

Inquirendum ideo est, an cultri ictus directi in Vitum ullam causam attulerint ad abortum Catharinae uxoris, quae a loco absens erat quaeque forsan ignorabatur praegnans et cujus abortus a subdiacono ne praevideri quidem poterat. Sacra Congregatio in una *dubium irregularitatis 22. Apr. 1679*, ubi habetur: *Clericus N. orator alias cum conjugata deprehensus a marito vulnere affectus fuit: post longum temporis spatium in idem commercium reincidit, ex quo factum est, ut quadam nocte marito superveniente orator aufugerit, sed maritus de fuga animadvertit, quare uxorem interfecit. Propter hoc Ordinarius irregularitatis praetextu denegat oratori ascensum ad sacros ordines, proindeque per libellum a SSmo remissum quaeritur: An propter hoc incurrerit irregularitatem?* Sacra Congregatio etc. respondit: Negative, *ut in lib. 30. decret. pag. 295.*

Itemque Ulixbonen. 14. Aprilis 1696 haec habet: *Sacerdos Emanuel N. quadam nocte anni 1677 permanens in domo Ludovicae non sine magna difficultate et periculo ab illius manibus aufugit relicto gladio, cum quo maritus infelicem uxorem etiam praegnantem pluribus verberibus una cum foetu misere interfecit. Hac de causa orator alias condemnatus in poenam exilii et pecuniariam nunc concordata parte et fisco, supplicat pro absolutione cum rehabilitatione ad beneficia. Sacra Congregatio audita relatione Nuntii apostolici Ulissiponen. ac re mature perpensa censuit: Oratorem non incurrisse irregularitatem*, ut legitur *in lib. 46. decret. pag. 168. tergo.*

Definiendum itaque proponitur:

I. An orator irregularitatem incurrerit in casu etc.? Et quatenus affirmative,

II. An sit locus dispensationi in casu?

S. C. resp.

ad I. Negative et amplius;

ad II. Esse locum mulctae pecuniariae in scutis viginti et amplius.

Die 5. Junii et 17. Julii 1779.

Beneventana.

Mandavit anno 1767 curia archiepiscopalis Beneventana Vicario foraneo oppidi montis Sarculi, ut inquireret de inhonesta vitae consuetudine sacerdotis Raphaelis N. cum puella Antonia N. ejusdem oppidi, necnon de secuta ejusdem Antoniae praegnantia ac patrato animato abortu. Examinati primum fuerunt chirurgus et obstetrix, qui abortus tempore puellam ac natum infantem inviserant. Ille nullum novit externum signum, unde abortus violentiam argueret: haec vero ex ipsa corporis puellae inspectione certum dedit de violento abortu judicium.

Alii undecim testes de assidua sacerdotis familiaritate ac prava consuetudine primum habita cum Lucia N. dein cum Ursula N. et demum cum dicta Antonia deposuerunt: testati item sunt de publico scandalo, praesertim ex secreta et intima familiaritate cum dicta Antonia necnon de istius praegnantia ex communi opinione dicto sacerdoti attributa et de secuto abortu, qui pariter ex publica voce et fama et ex nimia illius cura et sollicitudine eidem imputabatur. Tres quoque aliae faeminae ex proprio visu patefecerunt crimen a sacerdote N. cum dicta Antonia N. in agris admissum.

Ob haec curia archiepiscopalis eidem sacerdoti imperavit, ut sub poena scutorum 50 et suspensionis a divinis a patria abiret ultra octavum lapidem ad diem usque 6. Martii 1767. Mandato primum paruit sacerdos et a patria secessit, brevi tamen, die scilicet 3. dicti mensis Martii, ad eamdem rediit ex causa adversae valetudinis et cum primum convaluit spiritualia egit exercitia. His absolutis ex praecepto ejusdem archiepiscopalis curiae promisit, se cum dicta Antonia non versaturum nec accessurum ad dictum oppidum montis Sarculi per circuitum decem millia passuum sub poena exilii a tota dioecesi et in subsidium suspensionis;

sed post brevem absentiam, ad patriam rediit, quare in ipso oppido montis Sarculi sub die 18. Maii 1768 carceribus fuit mancipatus.

Bis constitutus idem sacerdos constanter affirmavit, patriam repetiisse causa adversae valetudinis et medicorum consilio. Negavit pravam non solum cum dicta Antonia consuetudinem, sed omnem etiam familiaritatem asseruitque ignorare ejusdem praegnantiam ac abortum, testes vero fiscales pro repetitis habuit et suis defensionibus renunciavit. Hinc Vicarius generalis edita *die 30. Julii 1768* definita sententia *super diffamato concubinatu cum ingravidatione et inditiato abortu et cum diffamatione ac murmuratione abortus praedicti per dictam terram in personam Antoniae N.* censuit dictum sacerdotem Raphaelem N. *tamquam de praemissis reum repertum et de jure punibilem condemnandum fore et esse ad exulandum et exulem permanendum per decem annos continuos a terra montis Sarculi ejus patria et per quindecim milliaria circumcirca necnon ad peragendum exercitia spiritualia etiam per decem annos, scilicet per decem dies continuos quolibet anno, sicuti etiam ad consulendum conscientiae suae pro diffamatione abortus ad adeundam sanctam Sedem apostolicam pro absolutione.*

Hanc curiae archiepiscopalis sententiam sacerdos expresse acceptavit obligationemque de deservandis exilii finibus emisit, ita ut fisco plene jam satisfecerit. Ut autem ad altaris ministerium restituatur, nunc exponit, se nulla irregularitate notatum esse vel quatenus irregularis dici possit saltem implorat EE. VV. clementiam pro opportuna dispensatione. Qua de re disceptanda curavit dubia in calce transcripta.

Et ad I. inquit, non incurrit ex delicto irregularitatem, nisi haec illi inhaereat ex juris sanctione, idemque delictum concludenter fuerit probatum, *cap. 15. qui de sentent. excom., cap. ex tenore 4, et cap. ult. de temp. ordin.* Fornicationi autem ac etiam concubinatui nullibi a jure impositam esse poenam irregularitatis, *Gloss. in c.: Maximinus disc. 8., Imol. in cap.: At si clerici n. 14. extr. de judic., Farinac. de delict. carn. qu. 137. num. 16.*

Nullam autem in praesenti casu violenti abortus haberi probationem in genere, imo hanc excludi ex relatione chirurgi, qui foetu inspecto nullisque violenti abortus repertis signis ac vestigiis judicium protulit, quod naturaliter contigerit; chirurgi vero relationi magis credendum, quam fallaci, insulsae et inverosimili obstetricis opinioni, *Guazzin. ad defens. reor. defens. 4. cap. 12. num. 4.* Deesse item probationem in specie, quia tres mulieres a fisco examinatae non tam in suo dicto singulares sunt et ob muliebrem sexum spernendae, sed etiam nihil concludunt contra personam sacerdotis oratoris. Hunc autem probationum defectum perspectum quoque fuisse dicit reverendissimo Archiepiscopo, ut ex ejus relatione desumitur.

Hinc arguit nullam infamiam contractam fuisse, tum quia deest delicti probatio tum quia infamia non oritur ex dicto duarum vel trium mulierc ularum, sed tantum ex communi opinione ac fama penes probos viros et majorem populi partem, *cap.: Inquisitionis 21 §.: Quaesivisti de accusat., Pignatell. cons. 19. num. 6. tom. 7., et Rot. rec. decis. 207. num. 38. part. 17.* Nec eam evinci ex poena exilii oratori inflicta, hujusmodi poena injuncta non fuit ex causa abortus, sed ob turpem consuetudinem, de qua tantum exstat probatio. Sustinet autem, quod sicuti ex inhonesta vivendi ratione nulla irregularitas incurritur, ita nulla ex dicta poena exorta fuerit infamia, vi cujus orator ab altaris ministerio sit arcendus, *Garzias de benef. part. 11. cap. 3. et Suarez. de cens. disp. 4.*

In secundo dubio saltem postulat benignam dispensationem sibi ex gratia indulgeri. Advertit rem esse de sacerdote jam promoto, non de promovendo: probat Archiepiscopi testimonio sui resipiscentiam ac conversionem ad meliorem frugem: probat item jam fisco satisfecisse, poenitentiam egisse et in maximam paupertatem redactum esse: hinc concludit ex sacrorum canonum et ecclesiae benignitate dispensationem sibi esse elargiendam, *can. Si duo 35 quaest. 6., Fagnan. in cap.: Henricus num. 34. de cleric. pugn. in duello, et Garzias de benef. part 7. cap. 8. num. 64.*

Archiepiscopus post relata inditia procurati abortus contra sacerdotem oratorem concludit: *Pro levi itaq. inditiorum efficacia necnon satisfactione jam fisco praestita, cum aliunde abortus ex naturali causa evenire potuerit, quamvis istiusmodi diffamatio ex praefata illicita consuetudine ortum habuit, eum a petita dispensatione non indignum esse arbitror, eoque proclivius in hac sententiam descendendo, quo Raphael post sententiam facti poenitens et in meliorem reversus frugem mihi hactenus videtur: adderem etiam egestatem, qua ipse premitur, maximam, si ea ad hujusmodi beneficium impetrandum opportuna dici posset.*

Irregularitas ut incurratur ex delicto, requiritur actus externus consummatus, *can.: Si quis non iratus 15. quaest. 1.*, nec unquam contrahitur nisi sit in jure expressa, *cap.: Is qui de sent. excom. in 6.*, ubi Pontifex ita arguit: *Licet in hoc temere agat, irregularitatis tamen, (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit.* Nulla autem irregularitatis poena inflicta est clericis ac sacerdotibus impudicitiae sordibus ac etiam immundo concubinatu inquinatis, nisi servatis poenarum gradibus praescriptis a sacro *conc. Trid. sess. 25. cap. 14.*

Verum quoad abortus delictum, quiquid praescripserint antiqua Romanorum jura, illud gravissimis sane poenis puniendum esse definerant antiqui canones *conc. Ancyr. can. 21.* Receptaque postmodum-fuit in jure canonico distinctio, tradita a *Tertull. de anim. c. 37., div. Augustino in c.: Quod vero 8.*, et approbata ab Innocentio III. *in cap.: Sicut ex literarum 20. de homicid.*, inter foetum animatum vel non animatum, ut scilicet primo casu delinquens tamquam homicida puniatur et irregularis evadat, cap.: *Si aliquis 5. de homicid., cap.: Consuluisti in fin. 2. qu. 5.*, secundo vero casu mitius agendum sit, et ita quidem, ut nec irregularitatem clericus incurrat, *dicto cap. Sicut ex literarum, gloss. in dicto cap.: Si aliquis 5. de homicid.*

Hanc tamen distinctionem penitus expost abrogavit Sixtus V. in sua constitutione incip.: *Effrenatam**) *4. Kal. Nov. 1588 l. 134.*, ubi gravissimas poenas infligens procurantibus abortum foetus *tam animati quam inanimati formati vel informis*, precise contra clericos his verbis invehit: *Eos vero, qui clerici fuerint, omni privilegio clericali, officiis, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis ipso facto privamus et in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiserint, non secus atque ii, qui sua voluntate homicidium perpetraverint, juxta concilii Tridentini decreta, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum nec alia ratione publicum sed occultum fuerit, ad sacros ordines promoveri aut in susceptis ordinibus ministrare nullo modo possint, nec illis aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio perpetuo careant.*

*) Vd. pag. 121.

At rigidiorem hanc Sixti V. constitutionem in aliquibus et praesertim circa foetum non animatum moderatus fuit Gregorius XIV. in sua constitutione incip.: *Sedes apostolica prid. Kal. Jan. 1591 l. 20.*, ubi in §. 3. haec statuit: *Quo vero ad poenas procurantium abortum foetus inanimis aut exhibentium mulieribus vel sumentium venera sterilitatis aut quocumque modo auxilium vel consilium eis dantium in praedicta constitutione contentas, constitutionem praefatam, ubi de his agit, ad terminos juris communis ac sacrorum canonum et concilii Tridentini dispositionem auctoritate apostolica tenore praesentium tam quoad praeterita quam quoad futura reducimus, perinde ac si eadem constitutio in hujusmodi parte nunquam emanassct.*

Foetus, quem Antonia peperit, jam quinquemestris vel saltem quadrimestris erat, ut constat ab examine chirurgi et obstetricis. Licet autem non una sit philosophorum sententia circa praecisum tempus, quo foetus animatus dicendus sit, ut disserit *Gregor. Lopez. in leg. 8. tit. 8. part. 7. gloss. 2., Gothofred. ad leg. 3. §. fin. ff. de suis et git. haered., Zacch. quaest. med. leg. tit. 2. quaest. 9., Barbos. ff. de off. et potest Episc. part. 3. alleg. 31. cas. 9. num. 137.*, recepta tamen passim sententia est, post diem XL. in masculis et LXXX. in feminis intrare animam in foetum conceptum, eumque ab hoc tempore animatum censeri, *Farinac. in oper. crim. quaest. 122. part. 6. num. 143., Martin. Azpilovet. ad tit. 10. de homicid. cons. 46. num. 2. et Carand. de part. cap. 1. §. 2. num. 35.*

Tota hinc inspectio est: an idem abortus violentus fuerit et an ejusdem auctor, fautor vel consiliarius censeri possit sacerdos Raphael orator. Quid chirurgus et obstetrix testati fuerint, habetur ex eorumdem examine, quod inter monumenta causae conscribitur. Omnes fere alii undecim testes deponunt de publica voce et fama, quod idem abortus violentus fuerit opera, industria et consilio dicti sacerdotis. Praecipue vero Josepha N. deposuit: *Giorni prima di sortire l'aborto sudetto venuta in discorso con N. circa la gravidanza di detta Antonia N., la medesima N. mi racconto, che era stata piu volte da quella pregata ed importunata, accio l'avesse fatta obortire, protestandosi pero, che non aveva volutto farlo, ma circa otto giorni doppo che feci con detta N. detto discorso, avendo inteso che erasi la mentovata Antonia N. ab-*

ortita, subdito feci giudicio, che la riferita N. fosse stata quella, che operata avc l' aborto, cosi per esse solita commettere tali scelleraggini, come perche detto sacerdote D. Raffaele e suo confidente per avere il medesimo piu anni prima di aver pratica con la detta Antonia, avuto pratica, e attacco carnale con Lucia N. di essa N.

N. vero testata est: *Dopo detto seguito aborto, essendo un giorno venuto a discorso con detta N., dalla stessa, mi fu confidato, che per titolo di carita avea fatto il piacere alla mentovata Antonia N. per farla abortire e per detto di Antonella N. nipote di detta N. si seppe, che la cenata N. nel luogo della tora coll'intervento del detto sacerdote Rafaele avea applicata la radice della su lett N. d'onde essere seguito l'aborto, dopo del quale pur anche esso Paradiso continuo a pratticare nella sudetta casa d'Antonia.*

Et demum Antonia N. ann. 14. deposuit: *Nella settimana antecedente alla festivita di s. Giacomo nel mese di Luglio 1766 in giorno di sabbato so, e mi ricordo benissimo, che nella detta mia casa portossi il sacerdote D. Raffaele, e postossi a discorrere con Lucia del N. mia madre, e con N. mia ava, per poter con più libertà, e segretezza tra di loro discorrere, mi fece detto sacerdote uscire fuori di detta mia casa, e rimasto tutti e tre dentro la camera, per avergli intesi contrastare all'uscir che fece dalla cucina, intesi che la detta Lucia mia madre diceva a N. mia ava le seguenti parole:* via fancelo mamme per carita, *ne altro intesi, e poter comprendere. Lo sequente giorno di domenica la sudetta mia ava N. doppo mezzo giorno disse voler andare al nostro territorio nel luogo della tora, e con essa volle portar me per procurari della legna, ed appena giunte nel detto territorio, viddi mello stesso portarsi detto sacerdote D. Raffaele paradiso unitamente condetta Ant. N., e stando io accosto al Pagliaro, da cui detta N. mia ava stava aliquanto lontana, viddi che il detto sacerdote Don Raffuele gli fece segno colla mano, accio se gli fosse avvicinata come fece ed immediamente la riferita N. col detto D. Raffaele, ed Antonia si allontana rono dol detto pagliaro, e si posero a camminare per detto territorio ed allontanatisi circa meszo tiro di schioppeta, si fermarono in una vascianza di quella vicino ad un piede di pero vedere, o sapere cio, che mai facessero etc., e la seguente mattina di lamedi intesi che la detta Antonia s'era figliata senza soper come etc.*

Perpendendum hinc: An ex his satis probata sit violentia abortus et an ejusdem auctor cooperator vel consiliarius dici possit et sacerdos orator sit irregularis renunciandus. Licet enim in dubio sive juris sive facti quisque non sit irregularis censendus, diversimode tamen sentiendum est quoad homicidium ex *cap.: Ad audientiam, et cap.: Significasti de homicid.*, ubi expresse sancitur, quod dubius non debeat in sacris ministrare nec celebrare, *cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem et in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare.* Docet tamen *Giballin. de irreg. cap. 4. sect. 3. num. 17.* id recte procedere, quoties homicidium certum est dubiumque solummodo oriatur de persona quae illud commiserit, non tamen si de homicidio dubitetur, an illud commissum fuerit, cum hoc casu irregularitas minime incurratur.

Ponderandum praeterea: An idem sacerdos infamiam contraxerit vel ex publica voce et fama in dicto oppido vigente, quod ipse auctor fuerit dicti abortus, vel ex sententia curiae Beneventanae contra ipsum lata, quorum causa irregularis dijudicari debeat praesertim cum sacerdos orator eamdem sententiam acceptaverit et exequutus fuerit.

Sacra Congregatio in una *Asten. irregularitatis 3. Martii 1714*, in qua ob secutum homicidium clerici condemnatus ex meris indiciis fuerat sacerdos N. contumax ad extraordinariam poenam quinquennalis exilii, quam postmodum ope defensionum in totum revocari obtinuerat et innocens fuerat declaratus, propositis dubiis:

I. An constet de irregularitate in casu? et quatenus affirmative,

II An sit locus dispensationi in casu?

respondit *ad I: Affirmative, ad II: Negative.*

Item in una *Lavellana seu Romana 6. Julii 1726*, in qua sacerdos ex meris indiciis ex dicto correorum desumptis de nefando crimine fuerat inquisitus, quamvis illud constanter negaverit et ob suam paupertatem indefensus damnatus fuerit poena extraordinaria ad triremes per septennium, quum expleto tempore poenae, quin unquam remigraverit, preces dedisset pro facultate missam celebrandi, quaesitum fuit: *An petitis sit annuendum necne?* S. autem Congregatio respondit: *Negative.*

Similiter in *Asculana irregularitatis*, in qua sacerdos propter homicidium fuerat diffamatus, quamvis substinuisset torturam et idcirco condemnatus tantum fuisset ad exilium, cum dubitatum subinde extiterit: an esset diffamatus et dici posset irregularis, s. Congregatio *die 8. Julii 1690.* censuit: Fuisse diffamatum et non esse dispensandum.

Quandoque tamen ex levibus tantum indiciis commissi delicti credidit s. Congregatio nec irregularitatem fuisse incursam nec dispensatione opus esse nisi ad cautelam, ut prostant exempla in *Vigilien. 23. Septembris 1673, Militen. irregularitatis 1. Novembris 1674, in Tyrasonen. irregularitatis 3. Augusti 1665, in Ugentina irregularitatis 27. Martii 1677. et in Brugnaten. 11. Julii 1693.*

Dignentur ideo EE. PP. decernere quid juris in praesenti casu dijudicandum sit, et quo clementiae gradu dignus sit sacerdos orator, qui post sententiam facti poenitentis et in meliorem frugem reversus Archiepiscopo videtur; dum proponitur

I. An constet de irregularitate in casu? et quatenus affirmative,

II. An sit concedenda dispensatio in casu etc.?

S. C. resp.

Ad I: Affirmative; ad II: Negative.

Die 18. Novb. 1769.

3) Metus gravis.

Vd. Abortus, (quando causa etc., decr. s. Marci §. *Inter etc.* p. 114); *Metus gravis.*

4) Poenae.

Contra procurantes, consulentes et quomodocumque concurrentes ad abortum nedum foetus animati sed etiam inanimati rigidissimam edidit constit. Sixtus V., quae ut ab omnibus commode integraliter sciri possit hic ad literam tota adducitur.

Sixtus Episcopus.

Effrenatam perditissimorum hominum contra divinae legis praeceptum de non occidendo peccandi audaciam atque licentiam sanctissimis legibus variisque constit. saepius repressam animadvertentes cogimur Nos quoque in supremo justitiae throno a Domino constituti, justissima ratione suadente, vetera jura partim innovando partim ampliando, eorum etiam immanitatem pari poena proposita coercere, qui immaturos foetus intra materna viscera adhuc latentes crudelissime necare non verentur. Quis enim non detestetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa jactura sequitur? Quis non gravissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus Dominus noster pretiosum sanguinem fudit, aeternae capacem beatitudinis et ad consortium angelorum destinatam a beata Dei visione exclusit, reparationem coelestium sedium suae creaturae adèmit: qui liberos prius vita privavit, quam illi a natura propriam lucem accipere aut se materni custodia corporis ab efferata saevitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinosam impiorum hominum crudelitatem vel crudelem libidinem, quae eousque processit, ut etiam venena procuret ad conceptos foetus intra viscera extinguendos et fundendos, etiam suam prolem prius interire quam vivere, aut si jam vivebat, occidi, antequam nasci, nefario scelere moliendo? Quis denique non damnet gravissimis suppliciis illorum scelera, qui venenis, potionibus, ac maleficiis mulieribus sterilitatem inducunt aut ne concipiant nec pariant maleficis medicamentis impediunt? Maleficos, inquit Dominus ad Moysen, non patieris vivere: nimis enim impudenter contra Dei voluntatem se apponit, qui, (ut sanctus Hieronymus ait) dum natura recipit semen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit, dum inter ventris angustias Dei manus semper operatur; idemque corporis Creator et animae est, impie despicit bonitatem figuli, id est Dei, qui hominem plasmavit, fecit et voluit; siquidem, ut sanctus testatur Ambrosius, non mediocre munus est Dei dare liberos propagatores generis. Divinum donum est foecunditas parientis, eodemque tempore diro hoc flagitio privantur liberis parentes, qui generaverunt, vita filii qui generati sunt, matres conjugii praemiis, terra quae ab his coleretur, mundus, qui ab iisdem cognosceretur, ecclesia, quae devotae numero plebis aucta gauderet. Unde non immerito sexta synodo Constantinopolitana sancitum est, personae, quae dant abortionem facientia medicamenta et quae foetus necantia venena accipiunt, homicidae poenis subjiciantur; sed et veteri concilio Herdensi cautum est, ut qui conceptos ex adulterio foetus necare studuerint vel qui in ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, si postea poenitentes ad ecclesiae mansuetudinem recurrant, omni tempore vitae suae fle-

tibus et humilitati insistant; si vero clerici fuerint, officium ministrandi eis recuperare non licet omnesque tam ecclesiasticae quam profanae leges gravibus poenis afficiunt eos, qui in utero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant sive ut conceptos foetus ejiciant, nefarie machinantur.

§. 1. Nos igitur post repressam eorum temeritatem, qui matrimonii jura violare et quantum in ipsis est vinculum indissolubile dissolvere praesumunt, quive turpioribus quibusdam incestis se inquinare non erubescunt, hoc quoque malum, quantum viribus Nobis a Domino traditis contendere possumus, nostris potissimum temporibus exterminare volentes, omnes et quoscumque tam viros quam mulieres cujuscumque status, gradus, ordinis, etiam clericos saeculares vel cujuscumque ordinis, saeculares quavis dignitate et praeeminentia ecclesiastica vel mundana fulgentes, qui de caetero per se aut interpositas personas abortus seu foetus immaturi tam animati quam inanimati, formati vel informis ejectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus laboribusque mulieri praegnanti impositis ac aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, ita ut re ipsa abortus inde secutus fuerit, ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint, poenas tam divino quam humano jure, ac tam per canonicas sanctiones et apostolicas constitutiones, quam per civilia jura adversus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu et re ipsa patraverint, propositas et inflictas (quorum omnium tenores his nostris literis pro expressis et ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus et ordinamus ipsasque poenas, leges et constitutiones ad casus praefatos extendimus.

§. 2. Eos vero, qui clerici fuerint, omni privilegio clericali, officiis, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, quae sic vacatura nostrae et Sedis apostolicae dispositioni perpetuo reservamus, ipso facto privamus et in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiserint, non secus atque ii, qui sua voluntate homicidium perpetraverint, juxta concilii Trident. decreta, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum nec alia ratione publicum sed occultum fuerit, ad sacros ordines promoveri aut in susceptis ordinibus ministrare, nullo modo possint, nec illis aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio et officio perpetuo careant.

§. 3. Necnon et illos, qui clerici non fuerint, et talia perpetraverint, non solum poenas incurrere supra narratas, sed etiam inhabiles ad ordines et alia praedicta decernimus et declaramus.

§. 4. Volentes quod hi, qui foro ecclesiastico subjecti, ut praefertur, deliquisse comperti fuerint, per judicem ecclesiasticum depositi et degradati curiae et potestati saeculari tradantur, quae de eis illud captet supplicium, quod contra laicos vere homicidas per divinas leges ac civilia jura est dispositum.

§. 5. Praeterea eisdem poenis teneri omnino statuimus eos, qui sterilitatis potiones ac venena mulieribus propinaverint, et quominus foetum concipiant, impedimentum praestiterint, ac ea facienda et exequenda curaverint sive quocumque modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas, quae eadem pocula sponte ac scienter sumpserint.

§. 6. Quodcirca mandamus universis et singulis judicibus ordinariis et delegatis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quibus contra criminum reos etiam quoad causas hujusmodi de jure vel ratione delicti, ut personarum legitime competet jurisdictio, ita tamen ut inter eos praeventionis locus sit, ut in his delictis, quae ut plurimum in occulto perpetrantur, contra quoscumque, non solum per accusationem et delationem, verum etiam per inquisitionem ac simplicem denunciationem procedant, ac ad illa probanda testes alias de jure inhabiles, eorumdem tamen judicum arbitrio, habita ratione personarum, causarum et qualitatum illarum ac circumstantiarum quarumcumque admittant, et in eos, qui culpabiles fuerint, prout per Nos sancitum est, demum animadvertant.

§. 7. Insuper ut immanissimi hujus delicti gravitati non solum temporalibus verum etiam spiritualibus poenis prospiciamus ac provideamus, omnes et singulos cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentes, tam laicos quam clericos saeculares et cujuscumque ordinis regulares, necnon mulieres saeculares et quemcumque ordinem professas, qui vel quae vel uti principales vel ut sociae consciaeve ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem vel alia cujuscumque generis medicamenta scienter dederint ac etiam scribendo literas privatas vel apochas, vel alias verbis aut signis juverint aut consuluerint, ultra supradictas poenas ipso facto nunc prout ex tunc excommunicamus et pro excommunicatis declaramus.

§. 8. Decernentes ac declarantes, quod per quaecumque jubilaea et indulgentias, per Nos et successores nostros etiam anno jubilaei aut alio quovis tempore, etiam Cruciatae Sanctae jubilaei vel quovis alio titulo concessas et concedendas, necnon per quascumque literas apostolicas quibusvis Principibus seu ad eorum instantiam per Nos et successores nostros pariter concessas et concedendas, ac etiam vigore privilegiorum *Mare magnum* vel alias quomodolibet nuncupatorum, quibusvis congregationibus Regalarium aut Episcopis vigore conc. Trid. vel alias per Nos et praedecessores nostros quomodocumque concessorum vel in futurum concedendorum, ne personae, sicut praefertur, delinquentes et excommunicatae praeterquam in mortis articulo absolvi valeant, necnon iis clericis, qui hujusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum crimen occultum fuerit, super irregularitate praemissorum occasione contracta, nec per locorum Ordinarios nec per alios quavis auctoritate fungentes, quam per Nos et rom. Pontific. nostros successores, et tunc nonnisi urgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absolvendi quam dispensandi facultatem hujusmodi etiam quoad forum conscientiae in casibus superius expressis Nobis et successoribus Nostris dumtaxat reservamus.

§. 9. Statuentes sic in praemissis universis et singulis, per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac s. romanae ecclesiae Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia judicari et definiri debere irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis aut aliis legibus aliter forsan circa praemissa disponentibus aut in casibus praefatis distinguentibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Volumus autem etc. §. 12. Nulli ergo etc.

Datum Romae in Monte Quirinali 4. Kal. Nov. 1588.

Ex hac constitutione eruitur:

I. Clericos tale quid perpetrantes indistincte irregulares esse: laicos vero inhabiles ad ordines suscipiendos.

II. Foro ecclesiastico subjectos degradandos et curiae saeculari tradendos, ut ultimo supplicio afficiantur.

III. Easdem poenas exercendas contra eos, *qui sterilitatis potiones et venena potionibus propinaverint. et, quominus foetum concipiant, impedimentum praestiterint ac ea facienda et exequenda curaverint contra mulieres ipsas, quae eadem pocula sponte et scienter sumpserint.*

IV. Omnes in hoc reatu deprehensos ipso facto excommunicatos judicandos esse.

V. Hanc censuram a solo Pontifice et quidem speciali dispensatione solvendam esse, nec censeri remissam per quamcumque indulgentiam aut jubilaea etc.

Verba constitutionis Sixti V. a Gregorio XIV. confirmata innuunt, non proferri censuram contra foeminam procurantem abortum in se ipsa sed contra procurantem in alia foemina. Ita P. Avila contra Bonacinam apud Mend. *in Statera dissert. 13. q. 11. num. 153., Naldus in Summa* verbo: Abortus num. 1., *Machard. de perfect. confess. t. 1. lib. 2. par. 3. tr. 17. docum. 9. num. 1.* Et hoc multo magis si metu cadente in virum constantem cogeretur v. g. potionem sumere, ex qua sequatur abortus. *Mazzuchellus de casib. reserv. disp. 2. cap. 3. qu. 3. n. 48.*

An autem incidat in excommunicationem canonis: *Si quis suadente,* Monialis gravida, quae graviter se percuteret pugnis, ut abortiat, utpote persona ecclesiastica, tutior et certior est affirmativa sententia; nam esto appareat, non inferre illam sibi sed foetui injuriam, at re ipsa status ecclesiasticus in ea persona laeditur; et in eo canone fertur censura contra exercentem violentam actionem peccaminosam, quae ibi adest. Patet hoc, quia si ea foemina rogaret, quod alius eam pugnis graviter percuteret, ut sic abortiret, percutiens in eam incideret excommunicationem, licet id praestaret solo animo abortum procurandi: ergo id ipsum asserendum est, si ipsa foemina se percutiat. *Naldus in Summa* v.: Clericus *num. 4., Mendo*

in Epitome v.: Abortus *num. 6., Bordon. in consil. regular. tom. 1. resol. 28. num. 10.*, qui hanc decisionem extendit ad extraneum dantem potionem Moniali, ut sequatur abortus, effectu sequuto. Contrarium tamen sentiunt alii plures apud *Dianam p. 7. tr. 5. resol. 40. et p. 9. tr. 4. resol. 10.*

Moderatio constitutionis a Sixto V. editae contra abortum quovis modo procurantes et eorum complices.

Gregorius XIV. Episcopus. Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedes apostolica pia mater assidue sentiens ponderis sibi incumbentis in procuranda salute animarum, pretioso Christi Domini sanguine redemptarum, gravitatem et magnitudinem, in re tanti momenti, ut par est, magis in dies sollicita, eumdemque optimum finem semper ante oculos propositum habens, nihil umquam intentatum praetermittit eorum, quae ad fidelium animas in viam salutis dirigendas judicat pertinere. Quare nemini mirum videri debet, si interdum quidem contumacium fidelium audaciam poenarum severitate deterret. Rursus eisdem, si ad cor redire velint et peccati veniam humiliter exposcere, maternum aperit sinum viamque ad poenitentiam eis sternit faciliorem ac mansuetudine congrua rigorem temperat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Sixtus Papa V. praedecessor noster, justitiae zelo accensus, contra procurantes abortum foetus tam animati quam inanimis ejusque gravissimi sceleris participes et adjutores necnon contra eos, qui mulierum foecunditatem impedirent et sterilitatis potiones seu venena praeberent, constitutionem edidit sub dat. IV. Kal. Novembris, pontificatus sui anno tertio, per quam ultra diversas spirituales et temporales poenas etiam inter alia excommunicationis sententiam contra eos promulgavit sibique et successoribus suis tantum absolvendi facultatem reservavit, prout in eadem constitutione plenius continetur.

§. 2. Cum igitur postmodum experientia docuerit, ex remedio hujusmodi non eam, quae sperabatur, utilitatem et fructum provenisse, verum potius multis satanae malitia ad peccandum inductis, difficiliori ob soli Sedi apostolicae reservatam absolvendi facultatem, reddito ad poenitentiam aditu, eos a nefariis hujusmodi flagitiis perpetrandis non solum non retraxisse, sed etiam plurimorum sacrilegiorum gravissimorumque peccatorum et scelerum occasionem dedisse: Nos propterea animadvertentes, gladium ecclesiasticae disciplinae, praesertim quoad censuras et poenas spirituales, ita exercendum esse, ut ad medicinam tendat non ad perniciem animarum, aeternumque pastorem, cujus vices in terris gerimus, quantum (divina ejus gratia adjutrice) possumus, imitari volentes, qui venit animas hominum salvare non perdere neminique, quantumcumque graviter et enormiter deliquerit, viam salutis praeclusit, quin potius ad eam assequendam copiosa remedia adhibuit ac nobis reliquit, et simul utilius censentes, ubi nec de homicidio nec de animato foetu agitur, poenas non imponere duriores iis, quae per sacros canones et leges prophanas sunt inflictae, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, super negotiis et consultationibus Episcoporum deputatis, matura deliberatione, de eorum consilio constitutionem praedictam sic duximus moderandam, ut a peccato et excommunicatione contra personas ibi expressas lata tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui post nostram constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet presbyter tam saecularis quam cujusvis ordinis regularis ad christifidelium confessiones audiendas et ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus plenam et liberam in foro conscientiae tantum absolvendi habeat facultatem eamdem prorsus quam idem Sixtus praedecessor sibi ac suis successoribus reservavit.

§. 3. Quo vero ad poenas procurantium abortum foetus inanimis aut exhibentium mulieribus vel sumentium venena sterilitatis aut quocumque modo auxilium vel consilium eis dantium in praedicta constitutione contentas, constitutionem praefatam in ea parte, ubi de his agit, ad terminos juris communis ac sacrorum canonum et concilii Tridentini dispositionem auctoritate apostolica tenore praesentium tam quoad praeterita quam quoad futura perpetuo reducimus, perinde ac si eadem constitutio in hujusmodi parte nunquam emanasset.

§. 4. Non obstantibus eadem praedecessoris nostri constitutione, quam quoad reliqua omnia, praeter contenta in hac nostra constitutione in suo robore omnino permanere volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae in Monte Quirinali 31. Maii 1591.

(Bull. r. t. II. p. 766. Ed. Luxbg.)

Adnotatio.

Ex hac Gregorii XIV. constitutione aperte colligitur, quod illa Sixti V. solum sit moderata in duobus, quantum scilicet ad absolutionem ab excommunicatione, quae per Sixtum reservabatur summo Pontifici, et nunc per Gregorium potest absolvi ab Episcopo et a quolibet confessario per ipsum specialiter deputato, et quantum ad poenas procurantium abortum foetus adhuc inanimati vel praebentium mulieribus seu sumentium vel venena sterilitatis, quas Gregorius reduxit ad terminos juris communis, auferendo illas rigidas poenas a Sixto in hac sua peculiari constit. inflictas, puta excommunicationem, irregularitatem, privationem omnis privilegii clericalis, inhabilitatem ad omnia officia et beneficia, privationem ipsorum officiorum et beneficiorum jam obtentorum et degradationem cum traditione curiae saeculari talis degradati. Quae tamen omnes unacum poenis ab utroque jure contra homicidas voluntarios statutis remanent in suo robore, et adhuc hodie incurruntur a procurantibus abortum foetus jam animati quocumque modo, sive per sive per alium, sive directe sive indirecte, sive consulendo sive auxilium aut favorem praestando, ut clare patet legenti ipsas duas constitutiones ad hunc finem per extensum relatas. Ab omnibus autem supradictis poenis, excommunicatione excepta, nemo dispensare et absolvere potest, nisi summus Pontifex, cum Sixtus V. dispensandi et absolvendi ab illis facultatem sibi et successoribus suis expresse reservaverit praecisis his verbis in fine §. 8. contentis: *Ac tam absolvendi quam dispensandi facultatem hujusmodi etiam quoad forum conscientiae, in casibus superius expressis, Nobis et successoribus nostris dumtaxat reservamus.* Et Gregorius XIV. solum moderavit quantum ad absolutionem a peccato et excommunicationem, quia statuit, quod non obstante strictissima reservatione Sixti V. possit nunc in foro conscientiae absolvere Episcopus et quilibet confessarius sive saecularis sive regularis ab Episcopo specialiter deputatus, ut patet in fine §. secundi: *Quilibet presbyter .... specialiter per loci Ordinarium deputatus plenam et liberam, in foro conscientiae tantum, absolvendi habeat facultatem, eamdem prorsus, quam idem Sixtus V. praedecessor noster sibi ac suis successoribus reservavit.*

Approbantes seu ratum habentes abortum suo nomine factum omnes supra recensitas poenas incurrunt, si ratum habeant aut approbent ante factum; minime vero si solum postquam sciverint factum; quia in priori casu sunt causa influxiva, non autem in secundo; et omnes quomodocumque concurrentes seu influxum habentes ad abortum foetus animati dictas poenas incurrunt ex const. Sixti V. incip.: *Effraenatam*, et non moderata quoad illas per const. Gregorii incip.: *Sedes apostolica.*

Procurantes abortum foetus evadunt irregulares etiam in dubio: An foetus sit animatus,*) sicut evadit irregularis et ut talis est habendus, qui dubitat: an aliquem occiderit, ut colligitur ex *cap.: Ad audientiam, 12., et cap.: Significasti, 18. de homicidio.*

Et haec irregularitas pro abortu foetus animati est reservata Pontifici, nec potest dispensari ab alio quam ab ipso, ex citata const.: *Effraenatam.*

Imo procurantes abortum malis medicamentis non gaudent immunitate ecclesiastica. Sac. Congr. Conc. *3. Decembr. 1632.* In hac materia abortus duae sunt damnatae propositiones ab Innocentio XI. Prima, 34. in ordine, est ista: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella, deprehensa gravida, occidatur aut infametur.* Secunda, 35. in ordine, est haec: *Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Sic in decr. edito 2. Martii 1679.

Quoad privationem omnis privilegii clericalis et beneficiorum requiritur sententia condemnatoria vel saltem declaratoria criminis. Est enim privatio juris acquisiti. *Elbel.* num. 478.

Inhabilitas vero, quae non privat jure

*) Notandum vero est cum P. Giraldi exposit. *juris pontificii pag. 657.*, ut foetus in dubio praesumendus sit animatus, intellige quoad effectum irregularitatis tantum, non tamen quoad alias poenas.

Quapropter cum sciri nequeat: an foetus sit masculus vel foemina et an citius vel tardius fuerit animatus, remanet semper dubium: an fuerit animatus necne, et sic de dubio homicidii voluntarii.

acquisito sed acquirendo, incurritur ante omnem sententiam. S. Ligor. *lib. III. n. 397.*

Ab eaque potest Episcopus dispensare. Nam in *cap.: Nuper. 29. de sent. excomm.* legitur: *Quia tamen conditor legis canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Et ibidem subdit glossa*: Et hoc est argumentum Episcopos posse dispensare, ubi specialiter dispensatio non est inhibita, et concessum videtur quod non est prohibitum.*

5) Poenarum distinctio.

Vd. *Abortus* (quando causa irreg., decr. *Benevent.*; decr. s. Marci. § : *Juxta etc. p. 113.*)

6) Poenae quando non statuendae.

Illud non omittendum est: Si mulier, quae foetum in utero habeat, morbo aliquo laboret, cui nonnisi cum internecione embrionis medicina fieri posset et medicus abortionis poculum dederit, quo foetus abactus sit, hoc impune licere et extra poenam pronunciat medicum. *Mar. Socin. in cap.: Si aliqui, n. 8. de homicid.*, ubi sex affert rationes, licet postea cum *Felino primo vers. quod autem de muliere, dict. tit.* rem in medio relinquat.

Menochius de arb. jud. q. cas. 357. num. 19. distinguit, utrum impetrata prius facultate a magistratu poculum abortionis dederit necne? Si prius, tutum esse, in quam sententiam discessit thesaur. *dec. Pedem. dec. 12. n. 10. Viv. dec. 82. n. 11., Farinac. oper. crim. par. 5. q. 122. n. 124.* Si posterius, extraordinariam poenam vix effugere medicum docet.

Distinguunt quoque doctores inter foetum animatum et inanimatum: Illo casu extra culpam esse negant; hoc, secus; et si probabile sit utrique imminere mortem, tenent, sine culpa remedium matri adhiberi posse. Sed id etiam publica auctoritate fieri debere volunt *Covarr. ad Clement.* Furiosus §. 3. *num. 1., Zoes. ad tit. decr. homic. n. 38.*, vide *Sanch. de matr. tom. 2. disp. 20. lib. 9. num. 7. et seqq., Franc. Ranchin. in comment. ad jusjur. Hippocr. leg. 5. q. 1., Stryk. dissert. jurid. tom. 9. disp. 11. c. 11. c. 2. §. 25.**)

*) *Annotat. Cassin. ad Ferrar. dicunt:* Distinctio, quam hic adhibet auctor additionum, quemadmodum et opinio, quam hic insinuat, minime nobis probatur, quemadmodum, uti arbitramur, nec cuiquam sapienti lectori. Quare, quae probabiliora hac in re videntur sectanda, hic breviter exhibebimus.

Primo quidem in confesso apud omnes esse debet, nunquam omnino licere abortum procurare, nec etiam antequam foetus anima rationali informetur, quod quidem quamplures conciliorum auctoritates, patrum testimonia et Pontificum constitutiones collectae magna ex parte per *Cl. Pontas in suo dictionar.* verb.: *abortus cas. 1.* extra omnem dubitationis aleam reponunt. Hinc illud Basilii M. *formati vel informati* subtilitas *a nobis non attenditur; qui in industria foetu corrupit, caedis poenas luat. Ep ad Amphiloch. can. 2.*

In hypothesi vero, qua vita matris in certissimum mortis discrimen adducatur, etiamsi foetus nedum perfecte conformatus anima rationali careat, neque etiam licebit *directa intentione ita agere,* ut foetus expellatur, quo vita matris a praesenti discrimine eruatur. Etenim hujusmodi foetus expulsio, licet nedum animati, natura sua mala est, cum sit contra naturam naturalemque finem generationis, quod proinde nullo bono fine cohonestari potest

Quod si matri de vita periclitanti propter vim morbi medicina exhibenda sit, quae per se tendat ad sanitatem matri conferendam, licet per accidens inde etiam timeatur foetus expulsio, hac in hypothesi licere matri hujusmodi medicinam sumere probabilius etiam arbitramur, etiamsi foetus immaturi expulsio quamvis animati inde timeatur; modo medicorum judicio utrique certa mors imminеat. Hoc enim non esset intendere aut procurare abortum, sed tantum ex justa causa permittere; nec aliunde permissio mortis innocentis, quum justa necessitatis causa id exposcat, a rectae rationis tramite aberrat; siquidem utenti jure suo, effectus, qui per accidens sequitur, non est eidem imputandus. Ita theologi gravissimi. Hoc tamen ita intelligendum, iidem theologi docent, modo nulla spes effulgeat, quod mortua matre proles in lucem edatur et baptizetur; hanc enim in hypothesi, caritatis lege ita jubente, adstringitur mater aeternam pueruli salutem vitae corporali omnino anteferre.

At si quis hac probabiliori non contentus, tutiori via cupiat incedere, ab hisce etiam, quae hic docuimus, abstineat opus est, matris sanitatem et vitam divinae providentiae committendo, uti monet et docet *Cl. Pontas in suo dictionar. V. abortus cas. 2.* Atque huc etiam accedere videtur agendi ratio, quam servant in hisce rerum circumstantiis prudentiores ac cautiores medici.

7) Remedia mulieris laborantis

Vd. *Abort* (poenae quando non statuendae.)

Si foetus esset inanimatus, certum est apud omnes posse remedium praebere praegnanti, quae extremo morbo laboret, directe ad eam curandam, etiam cum periculo abortus. *Tourn. l. 3. p. 451. n. 2.*

Non licet vero ei pharmacum ministrare

directe ad foetum etiam inanimatum expellendum. Ita communior sententia apud s. *Ligorium lib. III. tract. IV. num. 394. qu. 1.*

Licet tamen, si foetus sit corruptus, quia tunc non est jam foetus, sed massa putrida, quae non est amplius capax animationis. *Spor. de matr. num. 506; Holzm. de quinto praecepto c. 1. num. 579.*

Cum foetus est animatus, semper illicita sunt remedia, quae directe tendunt ad occisionem foetus, ut esset dilaceratio uteri, percussio ventris etc. Non autem, quae tendunt directe ad servandam vitam matris, ut esset purgatio corporis, scissio venae, balneum etc. quando aliter certe moraliter judicatur mater cum prole moritura. *Habert. t. 7. pag. 748.; Tour. tom. 3. p. 451. v. 4.*

Quando certa est mors prolis, si mater medicinam sumat et alias est certa mors matris, si a medicina abstineat, tenetur utique mater ex ordine charitatis abstinere a medicina et praeferre suae vitae corporali vitam spiritualem prolis.

Ex eadem charitate tenetur mater a medicina abstinere quando dubitatur de salute matris simul et prolis. Nisi aequale sit periculum abortus sive medicina sumatur, sive non; quia tunc sine majori foetus periculo juste consulitur vita matris. *S. Ligorius lib. III. tract. IV. num. 394. qu. II.*

Etiamsi mors matris esset moraliter certa si non sumat remedium, nec etiam ei medicina est permittenda, si qua effulgeat rationabilis spes, quod, mortua matre proles supervivere et baptizari possit; quia nemini licet ob tuendam suam vitam temporalem positive exponere proximum in necessitate constitutum periculo mortis aeternae; secus vero si nulla spes rationabilis esset de vita prolis post mortem matris.

In hoc vero casu medici quoad pharmaca praestanda matribus non sunt scrupulose angendi, cum rarissimum sit et moraliter impossibile, quod, pereunte matre proles supervivat, ut baptismum recipere possit. Idque sibi confirmasse testatur *divus Ligor. loc. cit.* plures artis medicinae peritos; quia, matre laborante lethali morbo, humores corrumpuntur et inficiunt foetus alimentum.

Abrogatio.

1) Festorum.

Vd. *Festum.*

2) Legis.

a) Causae.

Leges non sunt abrogandae seu immutandae nisi ex gravi et justa causa; *l. 3. ff. de const. princip.* In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu aequum visum est: quia (ut expresse dicit *Benedictus XI. summus Pontifex in extravag. Inter cunctas 1. de privil. §.: Sane*) plerumque pariunt novitates discordiam, praesertim dum ab eo, quod diu aequum visum est, per novam constitutionem receditur, nec, quare recedatur, utilitas evidens vel alia causa subest. *Ita communis doctorum.*

Justa autem et gravi interveniente causa pro varietate temporum et circumstantiarum valide et licte possunt mutari leges eas vel in totum abrogando vel ipsis ex parte derogando. *Communis, textu expresso in c.: Non debet 8. consang. et affinit.*, ibi: Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque mutentur humana, praesertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quae in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. Item in *cap.: Alma mater 24. de sententia excommunicationis in 6.*, ibi: Alma mater ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulit, quae suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius et rationabilius revocat, in meliusve commutat.

Sine justa vero et gravi causa possunt quidem abrogari leges valide et non licite. *Communis.* Et quidem quod possint abrogari valide stat clarum, quia cum obligatio legum dependeat a voluntate legislatoris *in fieri* et conservari, tanquam a causa adaequata, sublata hac voluntate peribit obligatio legum et consequenter earum abrogatio erit valida: *arg. cap.: Omnis res. 1. de reg. juris,* ibi: Omnis res per quascumque causas

nascitur, per easdem dissolvitur. Quod autem nequeant abrogari licite, clare patet, quia legislator seu ejus successor vel Superior peccat agendo contra exigentiam boni publici; abrogare autem leges sine justa et gravi causa est contra exigentiam boni publici; *argm. cit. juribus sub n. 14. adeoque etc.*

b) Lex cessat per abrogationem.

Lex cessat per ejus abrogationem, cum a legislatore seu legitimo Superiore in totum tollitur. *Communis.* Hic tamen advertendum venit, quod datur differentia inter abrogationem, derogationem et irritationem legis. Abrogatio enim legis fit, cum lex in totum tollitur; derogatio vero cum lex tollitur solum ex parte, *textu expresso in l. Derogatur 102. de verb.: Signific.*, ibi: Derogatur legi, cum pars detrahitur; abrogatur legi, cum prorsus tollitur. Irritatio autem legis fit, cum lex ab inferiori statuta auctoritate Superioris irritatur seu rescinditur et nullius valoris efficitur, ut si lex ab Episcopo lata a summo Pontifice annulletur, irrita et inanis ac nullius roboris declaretur. *Communis.* Legem abrogare potest legislator qui eam tulit, *arg. cap.: Omnis res 1. de reg. juris,* ubi expresse dicitur, quod »omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.« Item legem abrogare potest legislatoris successor vel in officio vel in jurisdictione Superior, quia voluntas successoris aequivalet in jurisdictione voluntati antecessoris et voluntas Superioris etiam praevalet, adeoque, quod in jurisdictione licuit antecessori, etiam licebit successori vel utriusque Superiori. *Communis, arg. cap.: Innotuit 20. de election.* §. *Quamvis, cap. Exiit. 3. de verb.: Signific. in 6.* §. *Caeterum sanctae memoriae,* cum similibus. Inferior tamen nequit abrogare legem Superioris, cum voluntas inferioris nullum habet jus seu nullam potestatem supra voluntatem Superioris; *cap.: Inferior 4. dist. 21., c.: Cum Inferior 16. de majorit. et obed. Clement. Ne Romani de elect.*

Absentia.

1) A choro.

Vd. *Officium* (Oblig.); *Residentia; Distribut. Canon. Cath.; Substit. Canon.; Chorus* (absentia).

2) A dioecesi.

(Licentia Episcopi in quantum est necessaria.)

Vd. *Residentia* (absentia; dispensatio; causae excusantes etc., parochi); *Literae dimissorial.*

Ad dub.: An decretum Episcopi Segnen. factum in visitatione, quo prohibetur, ne clerici discedant a dioecesi sine licentia Episcopi in scriptis habenda sub poena suspensionis sustineatur? Et quatenus affirmative,

An liceat Episcopo sine justa causa discessum denegare?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem in casu, de quo agitur; negative ad secundam et amplius.

Die 13. Sept. et 22. Nov. 1749.

Nullo siquidem jure cautum est Episcopos posse cogere ad residentiam, qui beneficia *residentialia* non habent, ad tradita per *de Martinis resol. jur. lib. 1. c. 107. n. 1. et seq.* Quod si cogi non possunt ad residentiam stricto jure, qui simplicibus beneficiis fruuntur, multo minus cogi poterunt, qui ad titulum patrimonii ordines sacros susceperunt juxta eumdem *de Martinis l. c. n. 3., Pignattell. cons. 56. t. 3. n. 22., Garziam p. 3. c. 2. n. 4. et seq.*

Die 5. Sept. 1818. *Nucerina.**)

Si veniam petat sacerdos eamque Episcopus *injuste* deneget, adscriptus ad residentiam non tenetur, ex *de Martinis loc. cit. n. 8.*, in quo quidem differt adscriptio concilii Chalcedonensis ab adscriptione Tridentini, ut late disserit Bened. XIV. de *syn. dioec. lib. XI. cap. 2. num. 8. et seqq.* Nam requiritur *justa causa* denegandi discessum adscripto, cui praeterea tenetur congrue providere Episcopus, *ex Nigoglio lucubr. can. lib. 1. num. 22. num. 3.; Card. de Luca disc. 2. adnot. ad conc. Trid. num. 4.* Justa autem causa haberi non potest, ut quis dioecesi deserviat, cum adscriptio uni tantum fieri debeat ecclesiae nec necesse est sit omnino destituta et tunc cogi potest ad residentiam simplex sacerdos adscriptus, etsi residentiale non habeat beneficium; *de Martinis loc. cit. lib. 1. cap. 107. n. 4.*

Die 5. Sept. 1818. *Nucerina.*

*) Vd. p. 129 *Reatina;* p. 134 *Nucerina.*

Jam per ss. canones provisum est, ne clerici invito Episcopo e dioecesi discedant. Nam dum sacrosancta Tridentina synodus vestigiis inhaerens canonis sexti concilii Chalcedonensis demandavit clericorum adscriptionem suis ecclesiis, interdicendum esse voluit Sacrorum exercitium deserentibus ecclesiam cui erant adscripti. Haec autem poena locum sibi vindicat etiam in casu, in quo alio titulo praeterquam residentialis beneficii quis fuerit ordinatus, ut plene testatur resolutio a s. hac Congregatione in strenuo partium conflictu edita in *Nucerina residentiae et suspensionis 19. Septemb. 1818.,**) ubi substineri censuerunt EE. VV. suspensionem latam ab Episcopo Nucerino contra sacerdotem suae dioecesis ob derelictam hanc invito Ordinario, licet ad patrimonii sacri titulum fuisset ordinatus.

Animadvertere quoque praestat, poenam impositam super aliquo delicto non esse multiplicandam, ut docet *Menoc. consil. 471.* Jam vero si proposita conditio privationis patrimonii approbaretur, clericus dioecesim derelinquens pluribus poenis obnoxius evaderet. Nam primo ei posset Episcopus Sacrorum exercitium interdicere juxta Tridentinum; secundo illum quiret patrimonio privare, ad cujus titulum sacros ordines suscepit. Nec satis. Haec privatio secumferret etiam irregularitatem; cum agatur de pauperibus clericis, qui alio carent titulo, quem substituere valeant.

Die 21. Julii 1821. *Montis Politiani.*

Priscis ecclesiae temporibus per sacram ordinationem suo Episcopo et ecclesiae multiplici nexu tenebantur clerici, ac fiebat inde, ut, nisi antea Episcopus quidquam de pollicita sibi obedientia remisisset, nulla quidem de causa a dioecesi discedere possent, nec ulli Episcopo eos recipere liceret. *Si quis Episcopus,* ita concilium Chalcedonense can. 20., post hanc definitionem susceperit clericum ad alium Episcopum pertinentem, placuit et susceptum et suscipientem communione privari, donec is, qui migravit, clericus ad *propriam fuerit regressus ecclesiam.* Hanc disciplinam in pristinum instauravit *concil. Trid. sess. 23. c. 16. de reform.:*

Ac vestigiis VI. canonis concilii Chalcedonensis inhaerendo statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae vel pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, ne incertis vagetur sedibus. Quinimo ne quisquam clericorum procul sui Superioris venia abiret et in aliena dioecesi confugium sibi quaereret, profugum censuris plectendum edixit, subdens: Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur. Nullus praeterea clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii literis ab ullo Episcopo ad divina celebranda admittatur. — — —

Sacerdoti Petri non licuisse renuente proprio Ordinario dioecesim deserere, neque alteri cuiquam Episcopi fas fuisse eum recipere sine literis testimonialibus proprii Ordinarii. Igitur sacerdos Petri ad paroeciam s. Blasii, unde discessit, illico redire adigatur oportet, quemadmodum hic sacer Ordo alias respondit, lege tamen Episcopo injuncta clericis redeuntibus congruam assignandi, uti docent exempla *in Amerina 17. Julii 1756, in Nucerina et Tudertina Residentiae et Suspensionis 19. Septembris 1818, et in alia Nucerina et Fabrianen. Suspensionis eodem die et anno.*

Die 15. Mart. 1828. *Nucerina.*

Reatina.

Casparus Britius e Monte Leone Reatinae dioecesecos prima jam initiatus tonsura a suo Antistite atque inde inter alumnos congregationis s. Vincentii a Paulo Romae cooptatus minores ibidem et sacros ordines rite suscepit, patrimonio fultus a parente sibi in Reatino agro adsignato. Annos aliquot in lectissima illa familia vixit Britius: eam tamen deinceps deserendam justis ex causis censuit reversusque idcirco in patriam, erudiendae in ea juventuti suffragio municipium adlectus est, constituta salarii scutatorum octoginta conditione injectoque onere duorum in singulas hebdomadas sacrorum, adeo ut ex praesidum loci testimonio defalcato questo peso dalla suddetta somma si restringeva l'onorario a scudi sessantacinque, qual somma viere ritrata dal patrimonio del q. Francesco Scardoni lasciato nel mantenimento del publico maestro.

Hoc munere annos fere quinque in patria perfunctus Britius ad archipresbyteratum Montis Boni in Sabiensi dioecesi assequendum aleam examinis subiit factoque feliciter sui periculo pastor viduatae illi ecclesiae datus est, atque per apostolicas literas possessionem archipresbyteratus illius suscepit, auctus deinde ab Emmo et Rmo. Cardinali Episcopo Sabinensi officio Vicarii foranei.

*) Vd. p. 134.

Cum vero deserendae in eum finem Reatinae dioecesis facultatem postulasset ab Antistite, restitit ipse votis Britii, quia et in sua dioecesi praefici paroeciae poterat, nisi obfirmato animo obstitisset, et jam apud suos ex ludimagistri munere atque ex adjecta capellania annuo redditu potiebatur, quo necessaria ad victum cultumque satis commode sibi comparabat. Verum Antistitis repulsa fractus Britius nell' assertiva, uti narrat Episcopus, di esser stato ordinato sacerdote alla missione di Monte Citorio, e di avere ottenuta della s. Sede la provista apostolica della parochia di Monte Buono, e dioecesi arbitratu suo discessit, senza il permesso de Vescovo oratore, ac ad delatam sibi paroeciam nihil haesitans properavit. Graves de ea re querelas ad sacrum hunc Ordinem episcopalium jurium assertorem et vindicem attulit Episcopus reditumque Britii in suam dioecesim postulat, e qua absque Antistitis placito abire sacri juris praescripto vetabatur.

Preces ad eminentissimum et reverendissimum Cardinalem Episcopum Sabinensem transmissae sunt, ut auditis tum presbytero Britio tum episcopalis curiae promotore fiscali vellet pro sua sapientia de iisdem sensum animi sui patefacere. Misit vir Emus jura eaque rationum momenta, quae et a Britio et a curiae promotore proposita eidem fuerunt, laudibusque Britium prosequutus, utpote qui sua doctrina bonisque moribus Christi gregem alat et regat, factique veritate probata, respondit, judicium se exspectare sacri hujusce Ordinis.

Porro promotor fiscalis haec speciatim de quaestione edisserit. Al sacerdote Brizi nella sua ordinazione fu ammesso il patrimonio per titolo simpliciter, e non dispensative pro utilitate vel necessitate ecclesiae suae dioecesis, giacchè fu ordinato nella Dominante dell' orbe cattolico, allorchè era uno fra i Signori della missione; dal che ne siegue non avere alcun titolo il di lui Ordinario per costringerlo a risiedere in dioecesi; e se ha domandato una volta il discesso, cio fece per mera sua riverenza, non già per obligo alcuno.

Haec primo de libera Britii potestate discedendi e dioecesi animadvertit promotor fiscalis, qui deinceps Episcopo objicienti censum satis aptum Britio in eadem collatum, quo apprime ipsi consulebatur, respondet, certis momentis constare, che la capellania, di cui parlasi, unita al officio di maestro publico, era precaria, e non poteva essere spogliato il Brizi a piacere del consiglio di Monte Leone; quindi è che rinunziolla spontaneamente, avendo in mira di procurarsi una prebenda vitalizia. Infatti ottenne per bolla pontificia l'arcipretura di Montebono in Sabina senza condizione o riserva alcuna, che favorisca la petizione del prelodato Vescovo di Rieti. Dato adunque che questi avesse alcun diritto sul Brizi, allorchè era sacerdote semplice, non può ora piu averlo, dacchè per disposizione Sovrana trovasi stabilito arciprete inamovibile della terra di Montebono in Sabina.

Haud absimilia adducit Britius ad sua jura vindicanda. De munere enim, quod ipsum assequi potuisse in dioecesi Reatina scribit Episcopus, asserit id fuisse archipresbyteratum Oppidi del Nespolo, quem tamen se respuisse affirmat, perchè quel luogo non ero confacente nè alla sua salute, nè al suo interesse. La mia permanenza nella dioecesi Reatina, pergit Britius, per circa quinque anni in Monte Leone mia patria, è stata per motivi di mia salute, per accudire ai miei proprii interessi, e ridurre quelli sistemati, non avendo mai creduto, che con ciò il Vescovo acquistasse giurisdizione ecclesiastica sopra la mia persona, e potesse togliermi la libertà di andare in altra dioecesi a procacciarmi qualche utile maggiore di quello, che godevo in Monte Leone, che si riduceva, levati li pesi, a scudi 65, non già come capellania ecclesiastica, ma come lascita mera laicale del quondam Francesco Scardoni a quella Comune coll' obbligo di tenere il maestro di scuola, dimodochè si rende secolare, amovibile ad nutum di un publico consiglio. Haec praefatus concludit: L'avergli io richiesto il discesso per venire nella diocesi di Sabina, lo domandai per mero rispetto, come è proprio di ogni onesto ecclesiastico, tanto più che io mi trovo di essere stato ordinato in Roma in tempo che ero nella missione col patrimonio dal genitore constituitomi, che esso poteva unicamente constituirmelo per obligo paterno.

Haec ex Britii et promotoris fiscalis responsis excerpta rationem facti satis manifeste ostendunt, ut inde, quae ex juris praescriptionibus ad quaestionem definiendam conducant, facile deprehendantur. Ex simplici missarum legato, quod per ludimagistrum Montis Leonis explendum est, legem residentiae sibi injectam negat Britius. Cum porro extra dioecesim sacris fuerit ordinibus in Urbe insignitus titulo patrimonii, quando adhuc familiae missionariorum adnumerabatur, animadvertit, se Episcopo suae originis obedientiam non spopondisse nullique proinde ecclesiae adscriptum ab ipso fuisse, in qua adigeretur vel susceptorum ordinum muneribus se exercere vel procurationi sacrorum instare vel alio quovis officio in illius vigilia custodiaque permanere. Nullo autem beneficio donatus, quo lege residendi obstringatur, se putat iis clericis accensendum esse, qui sui juris sunt ac libere pro lubitu, Episcopo etiam inconsulto, possunt a dioecesi discedere ex sacri hujus Ordinis decreto, quem refert die *5. Decembris 1574 in una Ariminen.* edixisse: Clericum, qui certo loco non est adscriptus, ab Episcopo suo invitum non posse retineri, ne a sua dioecesi recedat et alibi parochialem accipiat. Quod quidem ex aliarum quoque congregationum responsis apud ecclesiasticae disciplinae interpretes asserit esse receptum, *Girald. in Thesaur. de poen. par. 2. verbo: Residentia cap. 7; Leuren. jus. can. lib. t. lit. 22. n. 92. 649.* Hinc cum ex cap. 5. de institutionibus possit quilibet clericus virtute ac doctrina commendatus beneficium assequi in aliena dioecesi, decrevit sacra haec Congregatio, teneri illum, antequam vadat ad residentiam, petere ab Episcopo proprio licentiam, quam ipse denegare non potest. *Ferrarien. 12. Jun. 1604. apud Nicol. lucubr. can. tom. 2. lib. 3. tit. 7. n. 2; S. C. Ep. et Reg. in Ep. ad Archiep. Rossan. 27. Jan. 1578., ad Ep. Imolen. 15. Septbr. 1579.*

Quinimo si clericus, qui habet simplicem adscriptionem ecclesiae alicui, docet *Antonius de Martinis lib. 1. resolut. cap. 107.*, consulto Episcopo abiret, discessus licentiam ab eo quaerendo, concilio satisfaceret (*concil. Trid. sess. 23. cap. 16. de reform.*): nec dicatur, quod in hoc casu Episcopus licentiam denegaret, cum id de jure peragere non possit, ut censuit s. Congregatio ad idem cap. 16.

At inde etiam se a Reatini Episcopi obedientia liberum existimat, quod apostolicis literis ad archipresbyteratum Montis Boni adscitus sit, cujus praeterea possessionem rite inivit. Nec vero in apostolica provisione impetranda silentio celatum est, ipsum esse e Reatina dioecesi, a qua proinde eum in Sabinensem secedere oportebat, ut ibi delata paroeciae procuratione perfungeretur, ideoque ex eo etiam capite, pontificii beneplaciti vi, tuto se omnique piaculi metu adempto acceptum locum tenere arbitratur.

His accedit, Britium e missionariorum congregatione egressum annos plus minus quinque in oppido Montis Leonis transegisse, nullo idcirco domicilii jure sibi comparato, quo potestas Reatino Episcopo facta sit ad eum ex suscepto paroeciae officio revocandum. *Fagnan. in cap.: Significavit de paroch. n. 50.*

Jam vero plura occurrunt, quibus sua jura tuetur Episcopus. Primo enim Reatinus Antistes Britium in clerum sacra tonsura cooptavit eumque hoc ipso ad ordines reliquos aditu cultui divino mancipatum ad clericalia officia in ecclesia obeunda addixit: ex suscepta autem tonsura et clericus quis nuncupatur et de foro ecclesiae constituitur. *Cap.: Duo sunt 12. qu. 1., cap.: Clerus dist. 27; Van Espen. jus eccl. lib. 1. tit. 1. de Cler. cap. 1. n. 3.* Id namque verba etiam, quibus in sacram adscribimur militiam atque in sortem recepti Dei ipsum optimam sortem esse nostram admonemur, satis luculenter evincunt. Viguit certe vel a primis temporibus disciplina, ut clericus Episcopo, a quo ordinibus initiatus erat, per omnia subesset ejusque ecclesiae ministerio, cui in ordinatione adscriptus fuisset, perpetuo jure devinctus haberetur. *Thomassin. de disciplin. eccl. par. 2. lib. 1. cap. 3. et 4.* Atque huc spectat concilii Chalcedonensis sexti constitutio, quam Tridentini Patres renovatam voluerunt de clericis universis statae cuidam ecclesiae adscribendis, cui operam assidua ita praestare debeant, ut qui locum inconsulto Episcopo deserant, sacrorum exercitio sint interdicendi. Licet vero ex Benedicti XIV. monitu adscriptio isthaec diversa sit ab illa, quam antiqui canones faciendam praescripserunt, constat tamen, clericos inde districte prohiberi, ne invito Episcopo alio secedant. Id sane et in concilio Romano comprobatum est *tit. 6. cap. 6.*, atque ita pluries ab hac sacra Congregatione et vetustis et recentioribus responsis fuit diserte sancitum, *Senogallien. 19. Aug. 1592, Civitatis Ducalis 6. Sept. 1593., Ostunen. 20. Jan. 1616., Tarruconen. 9. Febr. 1621., Amerina 8. Mai 1756.*

Imo cum complura per nonnullos auctores afferantur, quibus adversus testatissimum hoc episcopale jus asseritur, clericos, qui non habent beneficium in titulum praecisam et personalem residentiam requirens, discedere posse et ire, quo velint, neque Episcopos his literas dimissorias posse denegare, *Fagnanus* cavendum monet ab id genus collectoribus ipsorumque sententiam memorato concilii Tri-

dentini decreto prorsus adversari. *Fagnan. in cap.: Admonet. n. 15. de renunciat.; Antonellus de jure et oneribus cleric. lib. 2. par. 6. cap. 8.* Decreto sacrae hujus Congregationis id confirmat Episcopus *(Tinen. 15. Mart. 1625.)*, quo statutum est, posse Episcopos ob ecclesiae necessitatem presbyteris ordinatis ad titulum patrimonii interdicere, ne ipsam ecclesiam deserant atque alterius ecclesiae servitio se addicant absque ejus licentia.

Frustra autem Britius obtenderet memoratam sacrae Congregationis resolutionem in *Ariminen. 5. Decembr. 1574.*; ea enim de clerico edita est, qui certo loco nullatenus adscriptus fuerat: adscriptum quippe retineri posse invitum eodem decreto sacra Congregatio mandavit. Sed ex clericali tonsura, quam in dioecesi Reatina suscepit Britius, ecclesiae suae addictum ex lege idcirco Tridentini decreti omnino obstrictum agnoscit Episcopus, qui hoc inconcusse servatum memorat cum Benedicto XIV., ut quicumque ecclesiasticum aliquem ordinem susciperet certae alicujus ecclesiae servitio manciparetur, neque vero hujusmodi clerico licebat ecclesiam illam deserere, nullamque addit ordinationem haberi sine ordinati adscriptione ad alicujus ecclesiae servitium; *de Syn. dioeces. lib. 11. cap. 2. n. 48.*

Hanc porro in Britium jurisdictionem Ordinarii originis ex suscepto per ipsum missionariorum instituto suspensam fatetur Episcopus, quandoquidem privilegium hoc est perfectioris vitae, quam amplexus erat. *Conc. Tolet. IV. cap. 50. Gratian. Can. Clerici 19. qu. 1., Bened. XIV. const.: Ex quo Dilectus 1747.* Verumtamen cum cessante causa cesset effectus, ita ut suscepti instituti dimissione desiit in Britio causa, quae illum ab omni sui Episcopi potestate exemerat. Cautum quippe jure est, religiosos, qui a suo ordine recedunt, omnia, quibus gaudebant, privilegia amittere iterumque in Episcoporum ditione perstare, quod speciatim de missionariis ipsorum praesides testati sunt, *Card. Petra ad const. Urbani II.: Cum universa sect. 2. n. 24; Begnudell. V. Regulares:* idque potiori quodam jure de sacerdote Britio contendit Episcopus, quod in Reatino agro patrimonium ipsi constitutum fuit. Quod vero Britius non Reatino Episcopo sed Emmo Cardinali Urbis Vicario dumtaxat obedientiam se spopondisse animadvertit, notat Episcopus, promissionem illam erga omnes Antistites protendi, quibus legitimo jure parere ubilibet is debeat sacerdos: neque pro nuda inanique formula habendam esse monet Benedictus XIV. solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, juxta vetustissimum ecclesiae morem. *(Catalanus ad Pont. rom. tom. 1.)* Quinimo addit, presbyterum hujusmodi promissionis vigore ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi. *Haller de sacris elect. et ord. par. 1. sect. 6. §. 14.*

Quae cum ita sint, confidit Reatinus Episcopus, id decernendum esse de sacerdote Britio, quod per sacrum hunc ordinem de presbytero Leandrio, quem Nucerinus Episcopus a dioecesi Tudertina,*) in quam secesserat, revocavit, et de parocho Petri,**) qui in Nepesina dioecesi paroeciam adeptus erat, et in Nucerinam remeare adactus fuit, jam alias pronunciatum est, uti et per s. Congregationem Episcoporum et Regularium sancitum est, parendum esse Episcopo revocanti suum subditum licet paroeciam alibi assequutum. *Nucerin. 5. Sept. 1818; Nucerin. 15. Martii 1828; S. C. E. et Reg. Amerina 12. Febr. 1819.*

Videant vero EE. PP.: an in praesenti etiam themate addenda ea conditio sit, quae in hujuscemodi quaestionibus definiendis sanciri consuevit: ut nimirum ab Episcopo assignetur redeunti sacerdoti congrua pro ipsius substentatione. *S. C. C. Amerina 8. Maii 1756: Nucerina 19. Sept. 1819.*

Decernant ideirco:

An et quomodo sacerdos Casparus Britius cogi possit, ut in dioecesim Reatinam revertatur in casu?

S. C. resp.:

Affirmative, dummodo de congrua eidem ab Episcopo provideatur.

Die 26. Jan. 1833.

Canonici abesse volentes extra dioecesim tenentur semper petere licentiam ab Episcopo. Sic decisum fuisse a sacra Congreg. concil. refert *Pax Jord. elucubr. lib. 10. tit. 40. n. 73. vers. Attamen*, et testatur authenticam decisionem penes se retinuisse tenoris sequentis. Sacra Congr. concil. Trident. Interp. »tametsi declaraverit nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abesse possint in mensibus ab eodem concilio permissis, censuit tamen hanc declarationem non vindicare sibi locum,

*) Vd. p. 134.
**) Vd. p. 129 §. *Sacerdoti.*

quoties Canonici abesse volunt extra dioecesim, proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Caeterum Episc. non debere illam absque rationabili causa denegare.« Unde patet, quod concurrente honesta et rationabili causa absentiae non potest ab Episcopo denegari Canonico licentia se absentandi, alias datur recursus ad Superiorem, qui licentiam Ordinarii supplendo ipse concedat vel ut Ordinarium compellat ad illam dandam, ut docet *Abbas in cap.: Relatum, de clerico non residente num. 6.*, ubi ampliat, quod propter necessitatem subito et inopinate occurrentem possit clericus, qui residentiam habet, se absentare absque licentia Ordinarii, consideratis tamen qualitate causae, praejudicii et facilitate petendi licentiam. Canonicus absens de licentia sacrae Congregationis cum clausula: *Dimissa tertia parte fructuum,* dimittit eam tertiam, quae superest, detracta pensione. S. Congreg. concil. *3. Julii 1609.* pro Canonico s. Laurentii in Damaso Urbis, licet, ut asserebatur, in Basilicis majoribus ejusdem Urbis detractio fieret a toto praebendae fructu, nullo habito respectu ad pensiones.

Insulana.

In decursu visitationis, quam de mense Maii proxime effluxi peregit Episcopus Insulanus, comparuit coram eo promotor fiscalis illius curiae episcopalis instans condemnari sacerdotem Felicem N. ad poenas arbitrarias commutandas in pecuniarias piis usibus applicandas, ex eo, quod dictus Felix absque licentia Episcopi visitantis discesserit e dioecesi Insulana, post publicatum dictum visitationis ac propterea incurrerit in poenas arbitrarias in eodem edicto comminatas necnon in aliam poenam item arbitrariam adversus ecclesiasticos sine licentia Episcopi e dioecesi discedentes in synodalibus constitutionibus contentam, ac tandem ad aliam similem arbitrariam poenam contumacialem per eumdem Felicem incursam, ex quo personaliter citatus de mense Aprilis tunc praeterlapsi ad assistendum functionibus pontificalibus, praesertim consecrationi sacrorum oleorum in feria V. coena Domini, sub praetenso motivo, quod non ob ecclesiae necessitatem esset ad sacros ordines promotus, obedire recusaverit; etsi vero quoad hanc ultimam praetensam transgressionem dictus Felix per procuratorem appellaverit causando propriam deobligationem, quod nulli ecclesiae esset adscriptus nullumque praebendale beneficium possideret.

Ad instantiam praedictam promotoris fiscalis decrevit Episcopus summariam informationem ac reproductis per dictum promotorem edicto visitationis, partitis constitutionum synodalium necnon attestationibus quorumdam Canonicorum tam super absentia praefati Felicis quam super necessario interventu presbyterorum extra gremium capituli in functione dictae feriae V. ob paucitatem numeri capitularium, idem Episcopus visitator nulla praemissa citatione seu monitione, sub die 25. primodicti mensis Maii, in contumaciam dicti Felicis eum condemnavit ad poenam ducatorum centum piis usibus etc. et literas expediri mandavit, quas reipsa insequenti die 26. expedivit. Sub die 27. ejusdem mensis cursor episcopalis curiae cum dictis executorialibus associatus a familia armata adivit quoddam nemus, in quo erant animalia supradicti Felicis, ad effectum ea sequestrandi; atqui sequestro non facto rediit ad Episcopum haec referendo: Illmo Signore: In esecuzione del l'ordine datomi da V. S. Illma sono andato questa mattina a sequestrare le vacche del Rndo D. Felice N. per le pene da lui, in corse, in virtu delle lettere esecutoriali spedite da questa curia, con l' assistenza e compagnia del Barigello e famiglia armata di questa, cocte vescovile, ed essendo andato a spunta di sole nel luogo, dove si dice lo piano del Bosco, dove erane dette vacche, si e fatto a trovare ivi Francesco N. nepote di d. D. Felice armato di scopeto, il quale ci domandoche cosa eravamo andati a fare, ed avendogli risposto, che dovevamo sequestrare le vacche de detto D. Felice, per ordine e commissione di Monsig. Illmo, egli con la scopetta in mano, risolutamente rispose, prima restero 10 qui morto, che voi ne menerete le vacche, anzi che 10 da, tre giorni le saputo e mio zio volea che avesse, trasportato le vacche ad altra parte, ma, io non ho voluto farle partire aposta, e sono stato qui per guardarle, per lo che avendolo noi visto cosi risoluto e dubitando che avressimo potuto venire alle scopettate, per evitare ogni disordine ce ne siamo ritornati senza avere potuto fare il sequestro di dette vacche per tale impedimento, e percio son venuto a riferirlo a V. S. Illma. Post acceptam ejusmodi relationem, illico Episcopus subjecit jurato examini quinque alios de familia armata associantes cursorem, eadem fere deponentes, quae in supra recensita relatione cursoris exarantur. Quocirca Episco-

pus nulla monitione seu citatione praehabita eadem die 27. Maii excommunicavit Franciscum N. sub hac forma:

Tunc Illmus et Rmus D. Episcopus et visitator videns manifeste suam jurisdictionem contemni volensque ut debet illam spiritualibus armis tueri adversus hujusmodi temere contemnentes et vi armata suam episcopalem jurisdictionem impedientes, non uti judex sed tamquam pars vim vi repellendo et extrajudicialiter procedendo, praedictum Franciscum N. Josephi filium hujus civitatis excommunicavit et cedulones expediri mandavit omni etc. ac de facto cedulones publicari fecit. Ab his actibus respective gravati tum sacerdos Felix quam Franciscus N. recursum habuerunt ad hanc s. congr., de cujus mandato transmissa ab Episcopo copia processus, quae relatam facti seriem continet, ac citato ex adverso promotore fiscali curiae episcopalis, concordata sunt dubia infrascripta, quae partibus hinc inde monitis proponuntur, ut ex his et aliis in summario deducendis dignentur EE. VV. declarare:

1. An Felix N. sacerdos simplex sit incursus in poenam ducatorum centum ex causis contentis in decreto curiae episcopalis in casu?

2. An censurae latae contra Franciscum N. sustineantur in casu?

S. Congregatio concilii resp.

Ad 1. Pro moderatione poenae arbitrio eminentissimi Praefecti.

Ad 2. Negative et amplius.

Die 14. Novembris 1711.

(Anal. J. P. 1865. p. 1937.)

Nucerina.

Nucerinae dioecesis sacerdoti saeculari Gervasio N., dum theologiam in episcopali illius loci seminario legebat rectorisque gerebat vices, annua pensio scutorum quadraginta praeter mensam persolvebatur. Pluries ab Episcopo pensionis augmentum petiit, suas suaeque familiae exponens augustias, praesertim ut aes alienum contractum dimittere posset. Cum autem nulla ei spes affulgeret ad meliores ibidem fortunas transeundi lectoris ac rectoris munera in seminario Tudertino sibi proposita obire deliberavit. Aliquis inter ipsum et Episcopum intercessit tractatus sed sine fructu; donec ipse Episcopus vetuit die 13. Septembris anni 1816 ne a dioecesi discederet, suspensionis interminata poena ipso facto incurrendae et sibi reservata absolutione. Supplex sed frustra Gervasius Episcopum adiit ut expotatam veniam obtineret. Querelas hinc ad ss. Pontificem detulit, quas ad s. Congregationem delegatas ad Episcopum die 21. Septembris remisit pro informatione. Cum has non accepisse fuerit testatus Episcopus, informatio habita non est; expeditae iterum sunt urgentiores, et tunc, elapso jam fere anno, privatam tantum mihi dedit epistolam sub die 1. Septembris praeteriti anni. Interea, cum ineunte mense Novembris in seminario Tudertino rethoricam legere deberet, sacerdos Gervasius die 28. Octobris, theologorum adscito consilio, illuc se contulit; sequenti vero die 29. ab Episcopo Nucerino expeditae fuerunt literae, in quibus eum confirmabat vicarium foraneum Sigilli, coadjutorem parochi, praeceptum addens, ne hujusmodi munera desereret, et ne a dioecesi abiret sub canonicis poenis eo ipso incurrendis.

Praenotandum in facto est sacerdotem Gervasium, dum adolescens erat in Nucerino seminario, annuo soluto convictu studiis operam dedisse, biennio munus praefecti alumnorum obiisse, soluta pensione per sex tantum menses; quoad reliquum enim tempus eam remisit Episcopus Massajoli in praestiti officii et obedientiae praemium, vacans poenitentiarii munus, licet nondum esset sacerdos, per concursum obtinuisse, et illico ad sacerdotium promotum fuisse ad titulum patrimonii sacri.

Ast ob adversam valetudinem ea praebenda in manibus Episcopi post decennium resignata sigillum secessit, ubi ludimagister fuit, postea ad Moniales Fossati ab Episcopo tamquam extraordinarius confessor delegatus. Patriam deinde repetens Vicarii foranei munus exercuit et germanum fratrem in cura animarum coadjuvit, nullis tamen ab Episcopo pro utroque munere expeditis literis patentalibus, nisi postquam a dioecesi migraverat, quae officia deseruit cum ad theologiam in seminario legendam fuit accitus. Nulli hinc erat speciali ecclesia dioecesis addictus.

Post ejus discessum a dioecesi casum s. Poenitentiariae Nucerinus Praesul, reticito nomine, proposuit responsumque accepit, sacerdotem, de quo agebatur, incurrisse in suspensionem, si vero eam contempserit, etiam irregularitatem, et teneri Episcopo Nucerino subesse et obtemperare.

Hoc audito responso sacerdos a sacris peragendis se abstinuit, cum antea Episcopi

decretum nullam vim habiusse autumaverit et s. Poenitentiariae exposuit in casu ab Episcopo proposito reticitum fuisse recursum datum ad s. Sedem, antequam a dioecesi abiret, et discessum nulla servata forma indictum fuisse.

Hinc a s. Poenitentiaria absolutionem a censuris quomodolibet contractis obtinuit, firma remanente suspensione celebrandi in dioecesi Nucerina, usque ad rerum cum Episcopo compositionem, in finitimis dioecesibus vero private tantum celebrandi potestas facta est ad sex menses a die 11. Martii datae concessionis computandos.

Haec est facti series, quam fusius noscent EE. PP. ex memoriali facti ac juris, cujus distributionem imploravit Gervasius. Interea sub duplici dubio, quae ab hoc afferantur, cujus partes sequitur Tudertinus Antistes et quid Nucerinus Episcopus in privatis quibusdam foliis proferat, breviter perstringam. Quaeritur in primo dubio:

An praeceptum Episcopi e Nucerina dioecesi, Episcopo dissentiente, discedendi vim habere?

Nullam inprimis vim habere autumat Gervasii defensor utrumque Episcopi praescriptum, cum utrumque manifesta injustitia laboret. Nullo siquidem jure cautum est, Episcopos posse cogere ad residentiam, qui beneficia residentialia non habent, ad tradita per *De Martinis resol. jur. lib. 1, c. 107.* Quod si cogi non possunt ad residentiam stricto jure, qui simplicibus beneficiis fruntur, multo minus cogi poterunt, qui ad titulum patrimonii ordines sacros susceperunt, juxta eumdem *De Martinis loc. cit.; Pignatell. consult. 56. tom. 3., Garziam p. 3. c. 2.* Invalidum autem omnino esse contendit tum praeceptum diei 13. Septembris, quia formae ab Innocentio IV. praescriptae in concilio Lugdunensi et in *cap.: Cum monasterii de sententia Excom.* servatae non fuere, tum alterum praeceptum editum die 29. Octobris, quia jam pendebat recursus ad summum Pontificem, ut definivit sacra Congregatio in *Amalphitana 19. Augusti 1734.*

At Episcopus decretum profert concilii Tridentini, quod vestigiis VI. canonis concilii Chalcedonensis inhaerendo statuit, ut nullus inposterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur. Quod si haec adscriptio Gervasii peracta non est in actu ordinationis anno 1794 ab Episcopo Massajoli, facta posterius a se fuit anno 1804 juxta Innocentii XIII. constitutionem: *Apostolici ministerii, et concilii rom. anni 1725 titul. 6.*, cum eumdem poenitentiarii munus dimittentem dioecesi et praesertim Sigilli ecclesiae servitio adscribendi intentionem habuerit, quod consonum erat decreto sacrae visitationis diei 17. Septembris anni praecedentis 1803 a se lato, ut inposterum unusquisque in ordinatione adscriberetur servitio paroeciae vel alterius loci arbitrio Ordinarii, et in actis ordinationum per modum regulae adderetur poenarum incursus, quae a sacris canonibus servitium deserentibus comminantur.

At contra sacerdos Gervasius putat, ex eo Tridentini textu ad residentiam se cogi non posse, quia nulli ecclesiae in praebendae dimissione adscriptus fuit. Deest enim hujus adscriptionis actus, cui suppleri non poterat nec per simplicem Episcopi intentionem nec per delegationem eorum omnium munerum, quae idem sacerdos obivit. Haec enim diversas respiciebant ecclesias, nec ad ordinem proprium pertinebant, cum adscriptio uni ecclesiae in proprio ordine fieri debeat ex *Benedicto XIV., de synodo dioecesana lib. I. c. 2. num. 13.* Sed neque adscribi potuisse sustinet decreto 29. Octobris ob recursum ad s. Sedem delatum. Hinc sustinet potuisse a dioecesi discedere etiam repugnante Episcopo juxta sententiam *Pignatelli tom 3. consult. 56., Garz. de benef. p. 2. c. 5. num. 102., Gallemart. declar. ad conc. Trid. sess. 23. c. 16. de reform., et s. hujus Congregation in Eugubina seu Nullius Nonantulae Concordiae 21. Januarii 1797.*

Nec sibi obesse addit visitationis decretum, quod futuros respicit ordinandos, minime vero praeteritos, in quorum albo ipse reperiebatur.

Ulterius autem progrediens, et adscriptione etiam aliquantisper concessa, ostendit Tridentinum ibi loqui de iis, qui inconsulto Episcopo discedunt. Quod si veniam petat sacerdos eamque Episcopus injuste deneget, adscriptus ad residentiam non tenetur, ex *de Martinis loc. cit. num. 8.*, in quo quidem differt adscriptio concilii Chalcedonensis ab adscriptione Tridentini, ut late disserit *Benedictus XIV. de synodo dioecesana lib. XI. cap. 2. n. 8. et seq.* Nam requiritur justa causa denegandi discessum adscripto, cui praeterea tenetur congrue providere Episcopus

(ex Nicolio lucubr. can. lib. I. n. 22. n. 3. et Card. de Luca disc. 2. ad not. conc. Trid. num. 4.) Justa autem causa haberi non potest, ut quis dioecesi deserviat, cum adscriptio uni tantum fieri debeat ecclesiae, et necesse est, ut ecclesia, cui quis adscriptus est, sit omnino destituta, et tunc cogi potest ad residentiam simplex sacerdos adscriptus etsi residentiale non habeat beneficium. *(De Martinis loc. cit. lib. 1. cap. 107, n. 4.)* Hanc necessitatem in facto non militare pro ecclesia Sigilli deinde probat, quia quinque ad excipiendas confessiones nunc adsunt sacerdotes et ab ea pluries abfuit Gervasius. Ad emolumentum autem ab Episcopo illi propositum animadvertit, hoc, licet impar subveniendum oratoris ejusque familiae indigentiis, attamen pro muneribus non pro adscriptione ecclesiae fuisse propositum.

Quaeritur in secundo dubio:

Utrum in irregularitatem Gervasium incidisse itaut sit consulendum SSmo pro absolutione saltem ad cautelam?

Certum in jure est censuris irretitum, qui ordinem exercet, incidere in irregularitatem, *ex text. in cap. 3. de poenis.* Inquirendum ergo potius: Utrum ex eo Episcopi decreto reapse suspensus remanserit sacerdos hic, qui discesserat, ex iis, quae allata sunt in superiori dubio?

Sacra enim Congregatio in ea est sententia, non incidi in irregularitatem ex violatione manifeste injustae suspensionis, ceu definivit in *Montis Alti suspensionis et irregularitatis 15. Sept. 1800 ad 1 ad 2. dubium.* Cum tamen nonnulli adsint doctores, qui docent in ecclesia militanti ligari censuras, etsi injuste prolatas, cumque forsan obstare posset s. Poenitentiariae factum, quae absolutionem ad sex menses tantum concessit, vestrum erit decernere: num absolutioni saltem ad cautelam sit locus.

Duo igitur erunt dirimenda dubia:

1. *An praeceptum Episcopi Nucerini dierum 13. Septembris et 29. Octobris 1816 sit observandum in casu etc.?*

2. *An constet de irregularitate incursa a presbytero Gervasio seu potius sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate pro cautela tantum in casu etc.?*

S. Congregatio concilii rescripsit

Ad 1: Affirmative, dummodo Episcopus provideat Gervasium congrua pro dioecesi substentatione.

Ad 2: Affirmative ad primam partem et consulendum SSmo pro absolutione et dispensatione elargienda post reditum ad dioecesim et petitam veniam ab Episcopo.

Die 19. Septembris 1818. (Ibid. p. 1941.)

3) A loco residentiae.

Vd. *Residentia; Beneficium* (privatio propt. *non resid.*); *Absentia a dioecesi.*

Absolutio.

1) In articulo mortis.

(Formula.)

Patavina.

Monialibus s. Benedicti civitatis Patavinae supplicantibus pro licentia utendi forma absolutionis in articulo mortis prout praescribitur in rituali monastico

S. C. resp.: Quod utantur juxta rituale romano.

Die 10. Decembris 1639.

(Anal. J. P. 1854 VII. Ser. pag. 272. Ed. Romae.)

2) A casibus reservatis et censuris in articulo mortis.

In articulo mortis quilibet simplex sacerdos non approbatus, quamvis sit excommunicatus, degradatus, irregularis, apostata etc., si non adsit alius confessarius, potest quoslibet fideles a quibusvis casibus et censuris etiam quomodocumque reservatis absolvere, quia in articulo mortis nulla est reservatio; et *Tridentinum sess. 14. cap. 7.* nullum excipit sacerdotem, sed amplissime loquitur his verbis: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Quae ampla potestas extenditur etiam ad probabile periculum mortis, ut tenet communior doctorum cum *Barb. part. 2. de offic. et potest. Episc. alleg. 25. num. 81.* In jure enim quoad rem pro eodem sumuntur periculum et articulus mortis. *Cap. 29.: Si suadente, 17. q. 4., c.: Eos, qui de sent. excomm. in 6.*

Si in periculo et articulo mortis adsit confessarius approbatus, qui promptus sit ad confesssionem excipiendam, probabilius*) non potest simplex sacerdos absolvere, ut communius sentiunt doctores, quia tota ratio, propter quam conceditur simplici sacerdoti facultas tunc absolvendi, est, ut dicit Tridentin. cit., *ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, scilicet inconfessus propter defectum confessarii; ergo cessante tali motivo et necessitate propter praesentiam prompti confessarii approbati cessat facultas in sacerdote non approbato, juxta regulam, *Abbas in cap.: Cum venerabilis, de consuetudine, in fin. Cum aliquid conceditur, propter necessitatem, durat concessio, quatenus urget necessitas.* Et deducitur etiam ex *concil. Carthagin. III. relato in cap.: Presbyter 14. caus. 26. qu. 6. Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet poenitentem, nisi absente Episcopo ultima necessitas cogat:* adeoque Episcopo praesente non subsistit necessitas pro danda absolutione a presbytero et in nostro casu a simplici sacerdote in praesentia confessarii approbati. Et confirmatur ex cap.: *Excommunicamus, de sent. excommunic. inter extravagant.*, ubi sic statuitur: *Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro praedictis vel aliquo praedictorum, absque speciali mandato nostrae absolutionis beneficium valeat obtinere, nisi forsan ad Nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus.* Unde cum in nostro casu habeatur accessus, imo promptus sit praesens confessarius approbatus, sequitur quod absolutio non possit impendi a simplici sacerdote et sic declaravit s. Cong. C., ut refert *Pignatell. tom. 90. consult. 163. num. 15.* Sicque respondit *Gregorius XIII. apud Molinam tractat. 3. de just. disp. 63. n. 14.*, ubi ex aliis testatur de communi.**)

Absoluti in articulo seu periculo mortis a casibus reservatis, qui habent adnexam censuram, si convalescant, tenentur Papae vel Episcopo respective se praesentare, mandata ipsius humiliter suscepturi et parti laesae, prout justitia suaserit, satisfacturi; *c.: De caetero, c.: Ea noscitur, c.: Quamvis, et c.: Quo de his, de sentent. excomm.*, et expresse ex bulla Coenae his verbis: *Nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando ecclesiae mandatis et satisfaciendo, cautione praestita, absolvi possit, quia nonnisi sub hoc onere absolvi possunt.* Quod si elapso mortis periculo, cum commode possint, non se praesentent Papae vel Episcopo respective et parti laesae renuant, in quantum possunt satisfacere, reincidunt in excommunicationem, *ex cap.: Eos, qui de sent. excommun. in 6.* et ex decreto *s. Congr. Episc. et Regul. 7. Dec. 1646.*

Absoluti vero in tali periculo vel articulo mortis a casibus reservatis, qui nullam habent annexam censuram, si convalescant, non tenentur se praesentare Superiori, quia onus se praestandi, quod supracitata jura in illo articulo imponunt, est solum pro casibus reservatis habentibus annexam censuram et exceptio firmat regulam in contrarium. Et ratio disparitatis est, quia a peccatis reservatis non habentibus annexam censuram in articulo seu periculo mortis absolvuntur directe et pro utroque foro sine ulla alia obligatione; a peccatis vero reservatis habentibus annexam censuram absolvuntur in articulo seu periculo mortis tantum pro foro interno conscientiae cum obligatione adhuc se praesentandi Superiori pro foro externo, ut mandata ejus accipiant et se obedientes et obsequentes ostendant ecclesiae vel Superioribus, quibus fuerunt contumaces, quod non evenit in habentibus casus simpliciter reservatos sine annexa censura. Imo sic absoluti, licet non indigeant nova absolutione, ex quo prior fuerit valida, possunt tamen adhuc urgeri a Superiore, qui potest contra eos procedere, donec etiam pro foro externo absolutionem obtineant, ut pluries declaravit sacra Congregat. in *Compsan. 14. Junii 1619, in Oppiden. 8. Junii 1621* et *in Meliten. 30. Septembris 1622.*

*) In editione rom. Ferraris an. 1767 omissum fuit »*probabilius*«. Nam adversa opinio pugnat cum catheschismo romano *de sacram. poenit. num. 56.*, cum rituali armeno Pauli V. jussu edito *de sacr. poenit.* et cum declaratione s. Congregationis Concilii, *Gallemar. Giraldi exposit. juris pontificii pag. 843*, ubi affert hujus limitationis causam: si vero inceptum sit judicium seu confessio hoc certum est ab eodem terminari debere, etiamsi superveniat sacerdos approbatus.«

**) In articulo mortis si non adesset sacerdos, nisi mutus, an possit hic, imo an debeat, scripto absolvere vel signis, ut docet Jo. Pontius, eo quod non sit damnatum ab ecclesia, verba non esse de essentia sacramenti quod affirmat *Navarr.* et alii, vide *Dianam p. 11. tr. 6. res. 14.*

Licet olim dubitatum fuerit: An haeretici et excommunicati vitandi valide absolvere possent in mortis articulo, nunc tamen temporis non est dubitandum. Innocentius enim XI. praecepit non amplius dubitandum esse de sententia affirmativa. Sane omnes fere juris canonici scriptores ex *cap. 7. sess. 14. conc. Trid.* inferunt quod urgente necessitate, quivis sacerdos, etiam excommunicatus, suspensus, degradatus, haereticus, modo absit publica offensio et periculum subversionis, valide absolvere possit. Vid. *Devoti inst. canon. tom. 2. tit. 2. §. 85. not. 2.; s. Lig. l. 6. n. 560., Girald. in h. l., Blasch. dis. 2. de poenitent.*

3) A casibus reservatis Episcopo.

a) Facultas necessaria sacerdoti simplici.

Declaratio decreti quo prohibetur absolutio a casibus reservatis.

Editum fuit alias a s. Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita decretum super absolutione a casibus reservatis, ejus, qui sequitur, tenoris:

S. Congregatio S. R. E. Card. negotiis et consultationibus Ep. et Reg. praeposita justis et gravibus causis id exigentibus ac de SSmi D. N. Clementis PP. VIII. speciali mandato vivae vocis oraculo desuper habito sacerdotibus omnibus tam saecularibus quam regularibus per universam Italiam extra Urbem degentibus ad confessiones audiendas probatis quorumvis ordinum, etiam Mendicantium, militiarum aut congregationum etiam societatis Jesu et generaliter quarumcumque, quovis nomine nuncupentur, jubet et praecipit, ne quis eorum sub praetextu privilegiorum, indultorum aut facultatum generaliter vel specifice scripto aut vivae vocis oraculo vel per communicationem a Sede apostolica vel ejus auctoritate eorum ordinibus, congregationibus, collegiis vel societatibus aut archiconfraternitatibus saecularium aut singularibus personis seu alias quandocumque, sub quibusvis tenoribus, formis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cujusvis etiam imperatoris, regum aut aliorum principum instantiam concessarum seu confirmatarum, alicui cujusvis status, gradus et conditionis aut dignitatis, tam ecclesiasticae quam saecularis, etiam regiae vel imperialis, ab ullo ex casibus clare vel dubie in bulla die coenae Domini legi solita, contentis vel alias quandocumque Sedi apostolicae reservatis aut in futurum per Sanctitatem Suam ejusve successores pro tempore, in eadem bulla vel aliter reservandis, nec etiam a casibus, quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt vel in posterum sibi reservabunt, nullo casu etiam necessitatis vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum nova et speciali Sanctitatis Suae aut successorum suorum vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum revocatos, respective, impetrata in scriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, absolutionis beneficium de caetero impendere audeat vel praesumat, sed cum opus fuerit poenitentes ad superiores legitimosque judices suos accedere consulant, sub poena contrafacientibus tam Regularibus quam Saecularibus excommunicationis, privationis officiorum et dignitatum aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones et ad quaecumque officia, praelaturas, beneficia inposterum obtinenda, ipso facto, absque ulla alia declaratione incurrenda: super quibus a nemine nisi a romano Pontifice habilitatio, dispensatio aut absolutio, praeterquam in mortis articulo, possit impartiri: Sanctitas enim Sua (quatenus opus sit) facultates et concessiones ipsas in hac parte uti cassas et irritas haberi de caetero voluit et vult non obstantibus quibuscumque.

Praeterea noverint poenitentes absolutionem, si quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem esse nullam nulliusque roboris et momenti.

Et ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit, plurium quam opus sit reservatione subditis aut confessariis in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes ut paucos eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam animarumque sibi creditarum salutem pro cujusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent. In quorum fidem etc. Datum Romae die nona mensis Jan. anni 1601.

Cum autem dubia quaedam ad difficultates circa ejusdem decreti interpretationem atque observationem emersissent, eadem Congregatio, ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo ambiguitative locus relinquatur et ut clarius appareat, in quibus casibus vigore ejusdem decreti reservatis intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato ejusdem S. D. N. Clementis PP. VIII. similiter vivae

vocis oraculo super ea re habito, ipsum decretum ita moderatur ac declarat, videlicet sub ejusdem prohibitione illos tantum inposterum comprehendi casus, qui in bulla die coenae Domini legi consueta continentur, ac praeterea violationis immunitatis ecclesiasticae in terminis constitutionis felicis record. Gregorii XIV., quae incipit: *Cum alias nonnulli*, violationis clausurae Monialium ad malum finem, provocantium et pugnantium in duello juxta decretum sacri concilii Tridentini et constitutionem felicis recordationis Gregorii Papae XIII. incipientem: *Ad tollendum*; injicientium violentas manus in clericos juxta canonem: *Si quis suadente etc. XVII. quaest. 4.*, ac juris dispositionem, simoniae realis scienter contractae atque etiam confidentiae beneficialis; item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt vel imposterum reservabunt. In quibus omnibus jam enumeratis casibus dumtaxat et sublata etiam poena inhabilitatis audiendi confessiones eadem s. Congregatio vult et mandat dictum decretum in sua firmitate et pristino robore permanere: ac praeterea declarat eos quidem sacerdotes tam saeculares quam regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis et facultatibus in supradicto decreto expressis, suffulti fuerint, posse juxta eorum privilegia, indulta et facultates, usu ante idem decretum receptas, et quae sub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantum et non alias absolvere a casibus in praesenti declaratione non comprehensis: aliis vero sacerdotibus hujusmodi privilegia non habentibus nihil de novo concedi. Sed ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, eadem s. Congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat in aedificationem, non autem in destructionem cedat: ne alioquin sacramenti poenitentiae ministrorum coarctata potestate sanctae matris ecclesiae piae menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus in bulla die coenae Domini legi consueta contentos neque alios Sedi apostolicae specialiter reservatos; facultatem vero et licentiam absolvendi a casibus reservatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viva voce concedi posse declarat. Caeterum ne quis sacerdotum saecularium et regularium sub praetextu quod per primo dictum decretum non fuerit sufficienter eorum specialibus privilegiis derogatum, eidem decreto, sic ut praefertur declarato, contravenire audeat, Sanctitas Sua constitutionibus et ordinationibus apostolicis omnibus, in favorem quorumcumque ordinum seu institutorum regularium aut sacerdotum tam saecularium quam regularium editis, necnon eorumdem ordinum seu institutorum ac etiam ecclesiarum et monasteriorum et aliorum saecularium seu regularium locorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam Mari magno seu bulla aurea aut alias nuncupatis eisdem ordinibus seu institutis ac etiam ecclesiis et monasteriis et saecularibus seu regularibus locis aut personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficioribus et insolitis clausulis necnon irritantibus et aliis decretis etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro expressis habens quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogat, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae die 26. Novbr. 1602. *Alex. Card. Floren. Epis. Praenest. Hieron. Agucihius secret.*

(Anal. J. P. II. Ser. Romae 1857. p. 1537.)

b) A Regularibus Confessariis.

Regulares in dioecesi, in qua sunt approbati, possunt absolvere confluentes ex aliis dioecesibus a casibus in ipsis reservatis, nisi eosdem poenitentes noverint in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse. Ita expresse *Clem. X. in const. incip. Superna §. 6.* his verbis:

Posse autem regularem confessorem in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi, a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.

Sequentem propositionem damnavit Alexander VII.:

Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate.

Die 24. Septembr. 1665.

(Bull. r. t. VI. App. p. 1. Ed. Luxbg.)

c) Vi bullae „Cruciatae."

Vd. *Absol. a casib. etc. res. Pontif.* (vi bullae »Cruciatae« p. 146.); *Confessar.* (electio vi bullae »Cruciatae«.)

4) A casib. et censuris reserv. Pontifici.

a) Confessarii (Urbis) a quibus non possunt absolv.?

Vd. *Absol. a casib.* etc. *Pontifici* (Episcopus etc. p. 142. 144.)

Hic juvat adducere decretum Clem. XI., quo omnibus confessariis etiam poenitentiariis Basilicarum Urbis et aliis privilegiatis interdictur, ne poenitentes a quibusdam censuris et casibus apostolicae Sedi reservatis absolvant et absolutiones, si forte obtentae fuerint, nullae ac irritae declarantur.

Decretum.

»Quoniam Sanctissimus Dominus Noster Clemens XI. pro pastorali in comissum sibi gregem zelo et pro ecclesiasticae disciplinae recta ratione conservanda deputavit congreg. particularem eminentissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium sancti Clementis, Paulutii Majoris Poenitentiarii et Fabroni necnon RR. PP. Corradini, Sanctitatis Suae Auditoris, mei infrascripti sacrae Congregat. Conc. et hujus deputatae secretarii, ac RR. PP. Damasceni Consultoris sancti Officii et Alfari Consultoris Theologi sacrae Poenitentiariae. Eadem Congregatio, considerata reformatione facultatum officii sacr. poenitentiariae a fel. record. Innocent. XII. in ejus constitutione edita 3. Septemb. 1692. censuit, si Sanctissimo placuerit, praecipiendum esse omnibus et quibuscumque presbyteris tam saecularibus quam regularibus in Urbe ad confessiones audiendas deputatis, ut ne in posterum etiam in foro conscientiae absolvant extra mortis articulum quoscumque poenitentes tam incolas Urbis quam ad eam confluentes, ab infrascriptis casibus, nempe

A casu publico violatae clausurae Monialium ad malum seu inhonestum finem;

A presbytercidio publico;

A casu publico violatae immunitatis ecclesiasticae in terminis constitutionis Gregorii XIV. incip.: *Cum alias nonnulli;*

Et etiam in casu occulto dictae violationis immunitatis, si fuerit secuta auctoritate publica,

idque omnino servari ab omnibus et quibuscumque confessariis in Urbe degentibus cujuscumque religionis, instituti etiam societatis Jesu ac congregationis, quacumque speciali nota explicandis, prout explicati latius fuere in decreto sacrae Congreg. Episcoporum et Regularium die 9. Mensis Januarii 1601. sub fel. record. Clem. VIII.*) ac illius confirmatoriis et innovatoriis sub fel. record. Paulo V. die 7. Januarii 1617., Urbano VIII. die 7. Novembris 1628. editis. Ac sub praesenti prohibitione comprehendi etiam poenitentiarios Basilicarum Urbis, et ab omnibus confessariis praedictis eam observari sub iisdem poenis et censuris, eo ipso et absque ulla alia declaratione incurrendis, quae continentur in praefatis decretis. Noverintque poenitentes absolutionem, si quam inposterum obtinuerint, a praefatis casibus in praesenti decreto expressis, esse nullam nulliusque roboris et momenti, eaque omnia observari, non obstantibus quibuscumque privilegiis absolvendi a praedictis casibus, sub quibuscumque tenoribus tam ante, quam post dicta decreta, tam particularibus personis quam ratione religionis, societatis vel instituti obtentis, et juxta latam derogationis formam in iisdem decretis contentam, quae in praesenti repetita censeatur, et non obstantibus, quae iidem Clem. VIII., Paulus V. et Urbanus VIII. voluerunt non obstare. Rursus declarando, prout declaratum fuit in praefatis decretis, quod circa alios casus sanctae Sedi apostolicae reservatos, non expressos in praesenti decreto, (exceptis illis, quae continentur in bulla in die coenae Domini legi consueta) ita intelligatur reservata facultas absolvendi confessariis privilegiatis in Urbe degentibus, quatenus tamen eam habeant ex legitimis privilegiis, non revocatis et in usu existentibus ac juxta eorum tenorem tantum exequendis. Aliis vero

*) Vd. p. 138. 3. a.

in Urbe confessariis privilegia non habentibus, nihil de novo, sicut per praefata decreta, ita per praesens censeatur concessum.

Facta per me infrascriptum hac die decima tertia mensis Mai 1711. relatione praedictae resolutionis Sanctiss. Domino Nostro Sanctitas Sua eam omniaque et singula in ea contenta cum omnibus clausulis derogatoriis benigne probavit ac inviolabiliter inposterum servari praecepit ab omnibus ut supra expressis, praesensque decretum in forma solita publicari jussit atque mandavit «

Vincentius Petra Secretarius.

An impediti Pontificem adire, si impediti quoque sunt Episcopum adire, possint a quocumque absolvi, probabiliter affirmat s. Ligorius (cum onere tamen, cessante impedimento, coram Episcopo comparendi,) qui pro sua sententia plures citat auctores. *L. 7. n. 92.**)

An vero impediti Episcopum adire, a simplici confessario possint absolvi a casibus et censuris ab eodem Episcopo reservatis, *Ronc., Hortado, Diana* dicunt, quando impedimentum est perpetuum, eos posse *absolute* absolvi, id est cum obligatione, cessante impedimento, comparendi coram Episcopo.

b) Confessarii regulares a quibus cas. etc. possunt absolvere?

Vd. *Absolutio a casib. reservat. Epis.* (facultas necessar. etc. p. 138. 3. a.)

Confessarii regulares possunt in foro conscientiae absolvere saeculares ab omnibus casibus et censuris reservatis Papae, ex constitutione Pauli III. incipiente: *Cum inter cunctas, de anno 1545. 3. Julii,* exceptis tamen contentis in bulla Coenae, ut expresse excipit dicta constitutio his verbis: *Exceptis contentis in bulla, quae in die Coenae Domini solita est legi.*

Exceptis etiam casibus reservatis Episcopis in suis respective dioecesibus, ex decreto sac. Congr. Conc. *10. Sept. 1577.* ex constit. Clementis X. incipiente: *Superna,* et Alexandro VII. damnante sub die 24. Sept. 1665. hanc propositionem: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate;* et sacr. Congr. Conc. *in Andrien. 24. Novbr. 1710., in eadem 24. Januar. 1711., in Colonien. 16. Novbr. 1720.* Et denique etiam exceptis intra Italiam et extra Urbem aliis ex dictis Clementinis, ex quo de mandato expresso Clementis VIII.*) fuerint reservati a s. Congr. Episcop. et Regul. in declaratione sui decreti editi *die 9. Januarii 1601.* facta per aliud decretum editum *anno immediate sequenti 1602. 26. Novemb.,* quod est ut sequitur:

»Cum autem dubia quaedam ac difficultates circa ejusdem decreti interpretationem atque observationem emersissent, eadem sacra Congregatio, ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitative locus relinquatur et clarius appareat in quibus casibus vigore ejusdem decreti reservatis intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato ejusdem Sanct. Dom. N. Clementis Papae VIII. similiter vivae vocis oraculo super ea re habito ipsum decretum ita moderatur et declarat, videlicet sub ejusdem prohibitione illos tantum imposterum comprehendi casus, qui in bulla die Coenae Domini legi consueta continentur.

Ac praeterea

violationis immunitatis ecclesiasticae in terminis constitutionis fel. rec. Gregorii XIV. quae incipit; *Cum alias nonnulli;*

violationis clausurae Monialium ad malum finem;

provocantium et pugnantium in duello juxta decret. concil. Trid. et const. Gregorii XIII. incip.: *Ad tollendum*;

injicientium violentas manus in clericos, juxta canonem: *Si quis suadente diabolo* 17. q. 4. ac juris dispositionem;

simoniae realis scienter contractae atque etiam confidentiae beneficialis;

item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt vel in posterum reservabunt. In quibus omnibus jam enumeratis casibus dumtaxat, et sublata etiam poena inhabilitatis audiendi confessiones, eadem sacra Congregatio vult et mandat dictum decretum in sua firmitate et pristino robore permanere; ac praeterea declarat eos quidem sacerdotes tam saeculares quam regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis et facultatibus in supradicto decrecto expressis suffulti fuerint, posse juxta eorum privilegia, indulta et facultates, usu ante idem decretum receptas, et quae sub aliis revocationibus non comprehendentur, tantum et non alias absolvere a casibus in praesenti declaratione non comprehensis, aliis vero sacerdotibus hujusmodi

*) Vd. p. 142. c.

*) Vd. p. 138. 3. a.

privilegia non habentibus nihil de novo concedi.« Haec sunt verba praecisa decreti, quantum ad nostrum propositum spectat.

Unde cum sacra Congregatio de speciali mandato Clementis VIII. in hoc decreto excipiat solum a facultate absolvendi casus contentos in bulla Coenae, casus reservatos Episcopis et alios recensitos sex intra Italiam et extra Urbem, et quoad omnes alios positive et expresse confirmet facultatem omnimodam absolvendi, quam regulares et alii privilegiati habebant ante decretum incipiens: *Sacra Congreg.* emanatum de mandato ipsius Clementis VIII. die 9. Januarii 1601.*), evidentissime sequitur, posse Regulares (ex dispositione hujus decreti, quae attente est perpendenda) absolvere ab omnibus aliis casibus Papae reservatis, quia revera libere et sine contradictione hanc facultatem in usu habebant ante dictum decretum ex constit. Pauli III. emanata 3. Junii 1545. incip.: *Cum inter cunctos;* adeoque nullus remanet ambigendi locus de hac Regularium facultate.

c) Episcopus a quibus potest absolvere?

Possunt Episcopi absolvere a casibus occultis reservatis summo Pontifici extra bullam Coenae et concil. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 6.*, ubi habentur praecisa haec verba: *Liceat Episcopis ... in quibuscumque casibus occultis etiam apostolicae Sedis reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere.**)**

*) Vd. supra p. 138. 3. a.

) Facultate tamen in hoc Tridentini concilii decreto Episcopis concessa uti non possunt Episcopi illarum regionum, in quibus concilium Trident. adhuc receptum non est quoad decreta respicientia disciplinam, ut declaravit s. Congr. Concilii apud Cardinalem de Lugo laudatum a Benedicto XIV. *de synodo dioecesan. lib. 9. cap. 5. num. 2.* Quin etiam Episcopi illarum regionum, in quibus Tridentina synodus etiam quoad decreta respicientia disciplinam recepta est, vigore praedicti decreti absolvere non possunt a censuris incursis ob simoniam in ordine, ex const. Sixti V.: ***Sanctum et salutare,* in qua expresse derogatum est eidem decreto. Quamquam enim Clemens VIII. eam constitutionem redegerit ad terminos juris communis, praeservavit tamen censuras et poenas in ea latas contra simoniacos in ordine. Nec facultate Episcopis ex dicto decreto competente iidem absolvere possunt a casibus etiam occultis, quos romani Pontifices post synodum Tridentinam sibi reservarunt.

Et cum impeditos personaliter adire Pontificem vel in perpetuum vel ad longum tempus possint Episcopi directe absolvere pro utroque foro, etiam ab omnibus casibus publicis reservatis Papae a jure aut ab homine, etiam haeresis et in bulla Coenae contentis, *cap.: Mulieres, cap.: Ea noscitur, cap.: De caetero, cap.: De Monialibus titul. 39. de sentent. excomm.*, est tamen advertendum, quod si impedinentum est solum ad tempus, debent absolvi cum onere adeundi Pontificem cessante impedimento, non ad obtinendam absolutionem, cum jam sint directe et plene absoluti, sed ad obiendum mandato Papae; *c.: Ea noscitur, cap : Quamvis, 58. de sentent. excomm. in 6. cap.: De caetero, tit. 39. de sent. excomm.*)*

Quinam autem censeantur in jure legitime impediti adire Pontificem, istis sequentibus quatuor versiculis pro faciliori omnium captu ostenditur:

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Delitiosus, inops aegerque senexque, sodalis,
Janitor, adstrictus, dubius causae, levis ictus,
Debilis, absolvi sine summa Sede merentur.

Per ly *Regula* intelligentur Regulares, qui possunt absolvi a suis Praelatis generalibus et Provincialibus ex variis summorum Pontificum constitutionibus, et praecipue ex constitutione Sixti IV. incipiente: *Regimini,* Pauli III. incipiente: *Licet debitum*, et s. Pii V. incipiente: *Romani Pontificis,* et alia ejusdem incip.: *Dum ad cong.*

Per ly *Mors* intelliguntur constituti in mortis articulo: *cap.: Quamvis 58. de sent. excomm.*

Per ly *Sexus* intelliguntur mulieres, quae ob fragilitatem sexus sunt specialiter dispensatae: *cap. 13.: Ea noscitur, et cap.: Mulieres, de sentent. excomm.*

Per ly *Hostis* intelliguntur, qui propter inimicorum capitales insidias nequeunt sine periculo occisionis aut alterius gravis damni, iter assumere: *cap.: De caetero, et cap.: Quamvis, de sent. excomm.*

Per ly *Puer* intelliguntur pueri, qui ratione suae puerilis aetatis non sunt capaces longi itineris: *cap.: Pueri, de sent. excomm.*

*) Illud quoque animadvertendum cum *Cumliati de poenitent. §. 11. num. 7*, quod si impedimentum obstet dumtaxat, ne adeatur Pontifex, possit autem adiri Legatus, tenebitur quis ad hunc accedere, non ad Episcopum, nisi forte Episcopus haberet speciale privilegium a Pontifice absolvendi a praefatis casibus, quia tunc posset immediate adire ipsum.

Per ly *Officialis* intelliguntur illi qui ex officio turbam arcendo clericos percutiunt etiam aliqualiter culpabiliter: *cap.: Veniens, 16. et cap.: Cum voluntate, 54. de sentent. excomm.*

Per ly *Delitiosus* intelliguntur illi qui sunt ita delicatae complexionis, ut laborem adeundi Sedem apostolicam nequeunt sustinere: *cap.: Mulieres, de sent. excomm.*

Per ly *Inops* intelliguntur qui sunt tam pauperes, ut sua inopia impediti nequeant Pontificem adire, *cap.: Quamvis de sentent. excomm.*

Per ly *Aeger* intelliguntur infirmi et valetudinarii: *cap.: Ea noscitur, et cap.: Quamvis de sentent. excomm.*

Per ly *Senex* intelliguntur omnes, qui ratione senilis aetatis laboriosum iter nequeunt sustinere: *cap.: Ea noscitur, et cap.: Quamvis, de sentent. excomm.*

Per ly *Sodalis* intelliguntur clerici viventes in communi eodem collegio, qui, si se mutuo percutiant, possunt ab Episcopis suis absolvi, nisi forte ratione enormitatis delicti gravior poena eis debeatur, ut colligitur *ex cap.: Quoniam, de vit. et honest clericor.*

Per ly *Janitor* intelliguntur ostiarii, qui praetextu et causa sui officii clericos male percutiunt, *cap.: Veniens, 16. et cap.: Cum voluntate, 54. de sent. excomm.*

Per ly *Adstrictus* intelliguntur qui non sunt sui juris, sed subjacent alterius potestati, ut servi et filiifamilias, qui invitis dominis et parentibus nequeunt adire Pontificem, *ex cap.: Mulieres, et cap.: Relatum, de sentent. excomm.*

Per ly *Dubius* intelliguntur, qui dubitant, an revera clericos percusserint, et nequeunt se certificare, licet ab aliis pro talibus censeantur, *cap.: Cum desideres, §. 2. de sentent. excomm.*)*

Per ly *Levis ictus* intelliguntur qui leviter clericos percutiunt: isti enim possunt a suis Episcopis respective absolvi, *ex cap.: Pervenit, de sentent. excomm.*

Per ly *Debilis* intelliguntur, qui ratione debilitatis virium labores itineris sustinere non valent, *cap.: Quamvis, 58. de sentent. excomm.*

Per ly *Causae* intelliguntur omnes illi, qui habent aliquam justam causam, propter quam rationabililiter censeantur non posse adire Pontificem, *cap.: De caetero, et cap.: Ea noscitur, de sentent. excomm.*

Impediti personaliter adire Pontificem non tenentur mittere procuratorem vel scribere ad sacram poenitentiariam pro obtinenda absolutione a casibus et censuris Papae reservatis, quia jura praescribunt solum, ut rei personaliter adeant Pontificem et ubi lex non aggravat, neque nos aggravare debemus poenitentes ultra id, quod a jure exigitur. *Sic comm. doctor.*) cum Barbos. par. 2. de offic. et potest. Episc. alleg. 41. n. 7.* At si impediti adire Pontificem sint etiam impediti adire Episcopum, probabilius non possunt a casibus publicis reservatis Papae absolvi in foro conscientiae a parocho aut a confessario. Sicuti etiam impediti adire Episcopum pro casibus dioecesanis sibi reservatis publicis non possunt absolvi ab inferiori extra casum necessitatis, quia jura in dictis impedimentis pro casibus Papae reservatis concedunt recursum ad solum Episcopum, et pro casibus reservatis Episcopo, ad nullum alium inferiorem reperitur concessus pro absolutione recursus, cum non sit tam difficilis personalis accessus ad ipsum, uti communius tenent doctores cum *Leandro de censuris, tract. 2. disp. 17. qu. 62., Suarez. disp. 30. de poenit. sect. 3., Felic. Potest. tom. 1. p. 4. n. 3352 et seqq., Vasquez, Bonazina, Navarr., Mastrio, Lugo* et alii, teste patre *Viva ad propos. 3. Alexandr. VII. sub. n. 7.*, ubi dicit in praxi non esse recedendum ab hac nostra.

*) Hinc in *addit* ad theologiam moralem. P. Cuniliati *de sacr. poenit.* § *XI. num. VIII.* recte infertur nonum, decimum quintum et decimum sextum inter impedimenta summum Pontificem adeundi proprie percenseri non debere, sed in illis casibus absolvendi facultatem habere Episcopos, si percussio fuerit levis.

*) Multi cum *Navarro cap. 27. num. 90. ad 5.* et cum *Barbosa part. 2. de offic. et potest. Episcopi, allegat. 41. num. 7.* docent, quod impeditus personaliter accedere ad s. Sedem, neque teneatur mittere procuratorem nec scribere ad sacr. Poenitentiariam ad obtinendam facultatem, ut absolvatur. Rationem afferunt, quia jura ad id non obligant Ut verum fatear, circa missionem procuratoris non dissentior. Circa vero missionem epistolae, nisi nimia distantia ab Urbe aut periculum grave in mora interveniat, non acquiesco, putarem dirigendam esse epistolam ad sac. Poenitentiariam, ut pluries et ego feci, et faciendum existimo in regionibus, quae nimis non distant ab Urbe, nisi forte addiri possit Legatus Pontificis Immo P. Katzenberger testatur in Germania morem obtinuisse scribendi Romam ad sacram Poenitentiariam. *(Ferrar.)*

sententia, quamvis probabilem censeat contrariam opinionem, quam tenent *Reiffenstuel lib. 1. decr. tit. 7. n. 397. Pere. Dicastill. Bosius, Palaus, Tambur.* et alii.*)

d) Episcopus a quibus casibus etc. non potest obsolvere?

1. Episcopi non possunt absolvere a casibus et censuris publicis reservatis summo Pontifici, ex *cap.: Cum inferior. de majorit. et obed.*

2. Neque a casibus et censuris occultis in bulla Coenae contentis et maxime haeresi, ut clare deducitur ex verbis ipsius bullae Coenae §. 21., ubi expresse Episcopis est adempta facultas absolvendi a casibus in ipsa bulla reservatis, quomodocumque etiamsi per cujuscumque concilii decreta prius concessa. *Caeterum*, dicit bulla, *a praedictis sententiis nullus per alium quam per romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de standо ecclesiae mandatis et satisfaciendo, cautione praestita, absolvi possit, etiam praetextu quarumvis facultatum et indultorum quibuscumque personis saecularibus et quorumvis ordinum etiam mendicantium ac militarium Regularibus, etiam episcopali vel alia majori dignitate praeditis, ipsisque ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus et aliis locis piis, necnon laicis etiam imperiali, regali et alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos et dictam Sedem, ac cujusvis concilii decreta verbo, literis aut alia quacumque scriptura in genere vel in specie concessorum et innovatorum aut concedendorum et innovandorum.**)*

Unde cum nullum concilium nisi Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 6.* concesserit Episcopis facultatem absolvendi a reservatis occultis, manifeste patet, quod bulla Coenae, quantum ad casus in ipsa contentos, revocavit et revocat facultatem Episcopis a concilio concessam, alias superflua essent verba illa bullae: *Ac cujuscumque concilii decreta;* et sic teste *Barbosa de offic. et potest. Episcop. p. 2. allegat 4. n. 24., Pignatell. tom. 1. consult. 291., Pegna, Piasec., Fagnan.* et aliis declaratum est a Pio V., Gregorio XIII. et Clemente VIII. et pluries a sac. Congregat. Concil. praesertim *die 21. Augusti 1609. die 7. Julii 1617, die 5. Novemb. 1644.* et, ut refert *Delbene*, praecisis his verbis: *Congregatio censuit huic decreto concilii Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. non tantum in crimine haeresis sed in omnibus casibus comprehensis in bulla Coenae Domini Pii V. esse derogatum;* et clarissime ultimo constat ex decreto Alexandri VII. de anno 1665. 24. Septembris damnantis hanc propositionem tertiam in ordine: *Sententia asserens bullam Coenae solam prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Junii in consistorio sacr. Congr. eminentiss. Card. visa et tolerata est.*

Licet Episcopi de jure communi absolvere possint in foro interno *ab haeresi*, tamen id, veluti *delegati apostolici*, pro foro interno facere queunt casu, quo *haereticus notorius* haeresim renuncians poenitens ad ecclesiam redit. *Pirhing. l. V. decr. l. 7; Reiffen. l. V. t. 7.* Porro Episcopi Hiberniae et Germaniae, vi specialis facultatis, absolvere possunt ab *haeresi* aliisque bullae Coenae casibus. Habemus igitur, *(Bened. XIV. l. IX. c. 5. de synod. dioeces.)* praefatis Episcopis persuasum fuisse, virtute bullae Coenae vetitum sibi esse uti facultate Episcopis facta in Tridentino, et occultos haereticos sine speciali Pontificis venia ecclesiae restituere. Idem sentiunt aliarum nationum Episcopi. Videant nunc auctores gallicani, an tuto et sine temeritatis nota suis vindicare possunt Episcopis auctoritatem, quam sibi justis de causis prima reservavit Sedes. Praeterea bulla Coenae licite

*) Cum in decreto a sacra Congregatione Cardinalium negotiis et consultationibus Episcopor. et Regular. praeposita, Clem. VIII. mandato die 9. Jan. an. 1601. edito, quod legitur supra p. 138. 3. a., omnino caveatur, ne confessarii inferiores cujusvis status et ordinis a quovis reservato audeant absolvere *nullo casu etiam necessitatis vel impedimenti, nisi in mortis articulo,* et moneantur poenitentes *absolutionem, si quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem, esse nullam nulliusque roboris et momenti,* non video, quomodo Reiffenstuel et aliorum, qui hic indicantur, theologorum opinio probalis censeri possit.

**) Controversia ista, quae hic indicatur: num scilicet facultati concessae *in cap. Liceat* Tridentini absolvendi in casibus occultis, etiam in delicto haeresis occultae, derogatum esset per aliquam pontificiam constitutionem, olim magnopere fervuit inter theologos et canonum interpretes. Qua de re legi poterunt *Suaresius, Sanchez, Barbosa* aliique. At illam hac nostra aetate locum non habere non temere quis nunc suspicabitur. Sed hac de re alias fortasse fusius.

non potest non recipi, et contra illam nulla valet praescribere consuetudo. *Reiffentsuel loc. cit.*

3. Episcopus eum absolvere nequit, qui summum Pontificem adire legitime impeditur, quando Legatum aut alium facultatem absolvendi in casu habentem adire potest. *Barbos. de offic. et potest. Epis. Alleg. 41. n. 31.* Sed probabilius ab Episcopo in casu impedimenti reus absolvi potest, etiamsi adsit Nuncius apostolicus qui possit adiri, uti sentiunt *Ronc., Salm., Dian., Henr., Lugo, s. Ligorius* aliique.

Etiamsi extra casum impedimenti non possint Episcopi aut per se aut per alios absolvere ab ullo casu in bulla Coenae reservato, tamen in casu impedimenti valde probabile est posse Episcopos ab omnibus casibus pontificiis etiam haeresis absolvere et delegare, non solum specialiter, in casu particulari, sed etiam generaliter. Vid. *Ronc., s. Ligor. l. 7. n. 90.*

e) Facultas est necessaria sacerdoti simplici.

Vd. *Absolut. a casib. reservatis Episcopo* (facultas etc. p. 138.)

f) Impediti accedere ad Sedem apost. a quib. absolvi possunt?

Vd. *Absol. a casib. etc. res. SS. Pontifici* (Episc. a quibus cas. pot. absolv. p. 142. c. et 148. n. 10)

g) Regulares Generales et Provinciales a quibus casib. etc. possunt absolvere?

Vd. *Absol. a casib. reserv. Pontif.* (confessarii regul. p. 141.)

Per ly *Regula,**) intelliguntur Regulares, qui possunt absolvi a suis Praelatis generalibus et provincialibus ex variis summorum Pontificum constitutionibus et praecipue ex constitutione Sixti IV. incipiente: *Regimini,* Pauli III. incipiente: *Romani Pontificis*, et alia ejusdem incip.: *Dum ad Congr.*

1. Praelati regulares uti Generales et Provinciales possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, a quibus possunt Episcopi absolvere suos dioecesanos, *cap.: Abbates, de privileg. in 6.* et constit. s. Pii V. incip.: *Romani Pontificis.*

2. Imo possunt absolvere suos subditos etiam ab omnibus casibus in bulla Coenae contentis, quinque solum exceptis, scilicet schisma, haeresis cum relapso, falsificatio literarum apostolicarum, delatio prohibitorum ad infideles, et conspiratio in romanum Pontificem, ex constit. Sixti IV. incip.: *Regiminis*, Julii II. incip.: *Exponi nobis fecisti,* Pauli III. incip.: *Licet debitum; Dum ad Cong. Casinensium.* Quae s. Pii V. constitutio pro Casinensibus, cum quibus communicant caeteri alii Regulares, amplissimam facultatem concedit Praelatis regularibus in suos subditos, cum, ut eam legenti patet, complectatur etiam casus publicos pro utroque foro, et nullum alium casum excipiat nisi homicidium voluntarium commissum et mutilationem commissam post ingressum in religionem; adeoque majorem et ampliorem facultatem absolvendi et dispensandi habent Praelati regulares in suos subditos, quam Praelati saeculares in suos dioecesanos, ut refert *Sanctorius de poenis c. 18. qu. 3. in tomo typis dato Romae 1649* ex responso habito a Domino Coccino Rotae Decano et sacrae poenitentiariae regente, cum supra quibusdam casibus sibi a diversis commissis ipsum consuluisset: *Miror,* respondit ei Decanus et Regens, *miror, quod vos ad sacram poenitentiariam confugiatis, cum in vestris privilegiis majorem poenitentiaria facultatem habeatis.*

Nec potest dici, quod ista tam ampla privilegia Praelatorum regul. sint revocata quoad facultatem absolvendi saeculares, non autem quoad suos subditos, ut patebit percurrenti exacte omnes bullas derogativas privilegiorum regularium, quarum nulla revocat supradictam facultatem eis concessam pro absolutione et dispensatione suorum subditorum. Motivum enim, quo summi Pontifices concesserunt Regularibus hanc amplissimam facultatem, fuit, ut patet ex suis praecisis verbis: *Ut de ordinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio et ad Sedem apostolicam recurrendi subtrahatur pro posse necessitas* etc. Quod motivum semper subsistit et a summis Pontificibus semper intenditur, eo vel maximo cum sit desumptum ex jure communi canonico, *capit.: Cum singula, de praebend. in 6., cap.: Ut periculosa, ne clerici vel monachi in 6., et capit.: Cum illorum, de sent. excommunic. §.: Si Claustrales.*

Imo Julius II. die 27. Febr. 1510 in sua constit. incip.: *Julius II. etc. Thomae de Vio etc. Exponi Nobis fecisti,* expresse, quod non obstante bulla Coenae, quae singulis annis renovatur et legitur, possint Praelati regulares juxta sua privilegia absol-

*) Vd. p. 142.

vere licite perpetuis temporibus ab omnibus casibus in ea contentis, exceptis quinque supra recensitis, *ac si praedicta bulla in Coena Domini esset facta nec fieret.* Et ut ex *Peregrino* et *Naldo* refert *Peyrinus in constit. 6. Julii II. n. 21.* sacra Congr. Episc. et Regul. facto verbo cum s. Clemente VIII. absolute decrevit, quod omnes bullae et decreta derogatoria privilegiorum regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad suos subditos regulares. Vd. *Cuniliati de sacr. poenit. §. 12. n. 1.*

Nec officit quod de stylo curiae seu sacrae poenitentiariae soleant quandoque Regulares recurrentes ab ipsa absolvi et dispensari super aliquos ex casibus Papae reservatis, quia ut perdocte ait *Donatus tom. 1. par. 1. tract. 13. q. 17. num. 26.* vel id fit ad uberiorem cautelam, vel quia recurrentes facultatem suorum Praelatorum ignorant. Nec per hoc, quod sacra poenitentiaria absolvat et dispenset Regulares, si qui ad ipsam recurrant, sequitur, quod non sit in praelatis Regularibus potestas pro hujusmodi absolutionibus et dispensationibus in suos subditos. Sicuti nec id sequeretur, si aliquis Regularis facultatem sui Praelati ignorans recurreret ad Episcopum et Episcopus ipsum absolveret et dispensaret; unusquisque enim utitur jure suo, ut notavit *Felix Potestas tom. 1. par. 4. cap. 5. n. 3422.* et *Portellus verb. Dispensare, num. 28. Viva* tamen ad propos. 4. Alexand. VII. *num. 7.* refert ex Mendo s. Congr. Card. *17. Novembris 1628* declarasse, non posse Praelatos regulares absolvere ab haeresi occulta suos subditos. *)

3. Absolvere non potest Abbas seu Superior regularis Monachos sibi subjectos a percussione clerici regularis, ut expresse respondit *s. Congr. Concil. in Mediolanen. censurarum 2. Dec. 1719. ad 5. dubium.*

h) Vi bullae »Cruciatae«.

Vd. *Confessar.* (electio vi bullae »Cruciatae«.)

Confessarius electus ab habente bullam Cruciatae potest anno bullae durante ipsum absolvere pro foro interno ab omnibus casibus et censuris reservatis tam Episcopo quam summo Pontifici, etiam in bulla Coenae, excepta haeresi formali et externa, etiam occulta. Cum hac tamen intelligentia, quod pars laesa, si detur, sit satisfacta vel per se ab ipso poenitente, vel dato impedimento per suos haeredes aut alios, et quod ipse poenitens a casibus reservatis Episcopo absolvi possit toties quoties, sicuti etiam toties quoties a casibus reservatis Pontifici extra bullam Coenae Domini, si sint occulti, quia evadunt episcopales, cum absolvi possint ab Episcopo; a casibus autem reservatis Pontifici extra bullam Coenae si sint publici, et a casibus in bulla Coenae contentis sive sint publici sive occulti, potest absolvi semel tantum in vita et semel in articulo mortis per primam bullam, et iterum secundo, si secundam seu aliam bullam accipiat. Non vero tertio, si tertiam bullam sumeret, cum pro se non possit bulla Cruciatae accipi nisi bis singulo quoque anno.

Cruciata sancta laicis et clericis saecularibus cujuscumque status, gradus, qualitatis et conditionis, etiam speciali nota dignae, quoad casus reservatos etiam in bulla Coenae, haeresi excepta, contentos nonnisi in foro conscientiae, non autem in foro externo suffragatur, Urban. VIII. const. 105. incip.: *In specula,* Hinc etiam facultas concessa in eadem bulla Cruciatae de absolutione a censuris obtinenda valet tantummodo pro foro interno, ut patet ex cit. Urbani VIII. const.: quare constitutiones Hispaniae aliter statuentes rejiciendae sunt; *Benedictus XIV. de synodo dioecesana lib. 7. cap. 65. §. 7.*

Privilegium est, ut habens bullam Cruciatae eligere possit confessarium, qui eum bis in vita, semel in morte absolvere possit ab omnibus casibus s. Sedi reservatis.

Confessarius hic debet esse ab Ordinario approbatus et quidem ab Ordinario illius loci, in quo fit confessio. Imo confessarius approbatus ad certum locum, tempus ac personas eligi nequit extra dictum locum, tempus, ab aliis personis extra designatis, quia Cruciatae bulla non continet privilegium contra formam Trid. quoad approbationem confessariorum. §. *4. quaer. 1. 2. et 3.* — 2. Parochus ratione solius beneficii approbatus in confessarium eligi potest ex privilegio bullae tam Cruciatae quam Jubilaei ab omnibus suis ovibus non solum intra paroeciam sed etiam ubique locorum, nulla etiam petita vel obtenta Episcopi loci approbatione. Secus vero si beneficium parochiale dimisisset aut eodem fuisset per sententiam privatus aut si fuisset suspensus vel ab officio vel etiam a sola jurisdictione; *quaer. 5.* — *3.* Sacerdos pro Monialibus non approbatus a Monialibus eligi nequit; *quaer. 6.* — *4.* A poenitente eligi potest confessarius censura irretitus aut irregularis, dummodo non sit jurisdictione privatus, imo etiam id licite fiet, si adsit aliqua justa causa confessarium hunc eligendi; *quaer. 7.* — 5. Facultas per bullam Cruciatae concessa eligendi confessarium, qui eum a reservatis absolvat, suffragari nequit Regularibus ex constit. Bened. XIV.: *Indulta apost. etc.* Bene tamen suffragari potest bulla *Jubilaei.* Item suffragari nequit bulla Cruciatae vel Jubilaei pro complice in peccato turpi, nam ex constit. dicti Bened. XIV. *Sacramentum poenitentiae* confessarius complex relate ad complicem omni jurisdictione caret, excepto mortis articulo; *quaer. 8. et 9.* — *6.* Haec facultas absolvendi a casibus Sedi apostolicae reservatis complectitur etiam facultatem ab iisdem absolvendi, quando censuram habeant annexam eidem apostolicae Sedi reservatam, quia, exceptis duobus, apostolica Sedes casus sibi reservat tantum ratione censurae. §. *ult. quaer. 1.* — 7. Confessarius virtute bullae Cruciatae absolvere potest et a sex casibus Clement. VIII.*), qui dici solent extra Urbem et intra Italiam excepto casu excommunicationis per simoniam realem contractae in ordinum susceptione. Ita ex declaratione commissarii Zurolo: *quaer. 17.* Ita ex dicta declaratione abolvere potest a peccato falsae denunciationis apud judices ecclesiasticos de sollicitatione innoxii sacerdotis, sive id fiat per se sive mandando, consulendo etc.; *quaer. 18. et 19.* Item potest absolvere sive Moniales violantes clausuram per egressum a monasterii septis, sive qui praetextu facultatum ingredi monasteria Monialium ausus est contra legem clausurae, sive demum foeminas ingredientes religiosorum monasteria, etiamsi in hisce supradictis casibus clausura violata sit ad malum finem. §. *ult. in addit. quaer. 3.* Item ab excommunicatione, in quam inciderunt carbonarii vel alii ejusdem furfuris descripti in *constit. Pii VII.: Ecclesiam a. J. C. 13. Sept. 1821.* Ita ex declarat. s. poenitent. ann. 1822, dummodo tamen haeresim non sint professi. §. *ult. cit. in addit. in fin.* Demum potest absolvere a censura suspensionis et interdicti, si hae censurae habent annexa peccata, quae per absolutionem remittuntur, secus vero si hae censurae relaxari nequeant nisi per dispensationem, quia bulla Cruciatae tantum continet facultatem absolvendi a casibus apostolicae Sedi reservatis sive sine sive cum censura. Hinc confessarius privilegio bullae Cruciatae absolvere potest a suspensione, in quam incurrunt clerici suscipientes ordines ante legitimam aetatem vel sine literis dimissoriis vel extra tempora aut recipientes duos ordines sacros eodem die, aut aliquem minorem cum subdiaconatu et tandem recipientes ordines vel sine justo vel ficto titulo. Haec tamen intelliguntur, quando delinquit contra jus commune, non vero quando etiam contra jus peculiare alicujus dioecesis, in hoc enim casu absolvi nequit absque Ordinarii illius dioecesis facultate. Si vero suspensio sit lata in perpetuum vel ad certum tempus, virtute bullae Cruciatae a confessariis remitti nequit. Idem dic, si nulla additio exprimatur in jure sed ex circumstantiis colligantur fore perpetua, uti suspensio, in quam incidit clericus, qui scienter sacros ordines suscepisset ab Episcopo, qui jam dignitati episcopali renuntiasset. §. *ult. in addit. quaer. 5.* — 8. Confessarius, etiam virtute bullae Cruciatae, ex declarat. *Em. Zurolo*, absolvere nequit:

1. Ab haeresi formali et externa licet occulta. § *ult. in addit. quaer. 1.*, sed potest fautores et receptores haereticorum, item legentes et retinentes eorum libros, dummodo ipsi non se aliquo errore intellectus inquinaverint, idest dummodo eorum erroribus non adhaeserint. §. *ult. quaer. 7.*

2. Nequit tollere inhabilitatem, quam confessarius ad absolvendum suum complicem in peccato turpi contra 6. decal. praeceptum incurrit, nam quoad hoc adest privilegiis bullae Jubilaei et Cruciatae specialis derogatio ex constit. Bened. XIV. *Sacramentum poenitentiae.* Ast ut confessarius suum complicem absolvere nequeat requiritur, ut peccatum turpe a confessario admissum sit grave externum, et in suo genere perfectum, et ut complex sit formalis, nempe socius in crimine; *quaer. 22. et addit. quaer. 1.*

3. Nequit absolvere ab excomm. contracta a confessario suum complicem in peccato turpi absolvente.

4. Neque a casu simoniae realis in or-

*) In declaratione ad quam Mendo et alii provocant non agitur de Superioribus regularibus comparative ad suos subditos regulares et perspici poterit ex lectione ipsius declarationis.

*) Vd. p. 138. 3. a.

dine admissae tam ex parte promoventis quam promoti.

5. Demum ab iis casibus papalibus, in quibus habeatur privilegii bullae Cruciatae expresse derogatio per verba: *Non obstantibus privilegiis bullae Cruciatae.* §. *ult. in addit. quaer. 1. cit.*

6. Ante impletum onus denuntiationis absolvi nequit excomm. contracta ob illius omissionem: quia est contumax, bene vero post impletum tale onus. Imo ex *s. Ligor.* potest tunc a quocumque confessario absolvi etiam absque hac bulla, quia non est amplius reservata. §. *ult. quaer. 7. et 11. — 10.*

7. Quidquid sit in regnis Hispaniae, imo et in regno trans Pharum, citra Pharum tamen ex declaratione Em. Zurolo, etiam virtute bullae Cruciatae, absolvi nequeunt casus, quos Neapolitani dicere solent *ab Episcopis seu a nobis reservatos* absque eorum licentia, bene vero casus, qui dicuntur »Nobis«; *quaer. 2.—11.*

8. Per bullam Cruciatae nulla conceditur facultas quoad irregularitates; *quaer. 2.—12.*

9. Facultas haec absolvendi a censuris exerceri nequit extra sacramentum poenitentiae, uti patet ex natura concessionis et ex declaratione Bened. XIV. facta poenitentiariis occasione jubilaei; *quaer. 3.—13.*

10. Verba haec: *bis in vitae decursu atque in mortis articulo valeant seligere sibi confessarios etc.,* ex declaratione Em. Zurolo ita intelligantur scilicet quod possit bis in quolibet anno, in quo accipit bullam, et ea durante, absolvi a casibus s. Sedi reservatis, et sic in quolibet sequenti anno accipiendo bullam, dummodo id non fiat in confidentiam bullae, ideoque in vitae bullae decursu, non autem in vitae temporalis accipientis. Item quod accipiens bullam possit in anno perdurationis bullae ab iisdem casibus absolvi toties quoties inciderit in articulum vel mortis periculum. Per hanc bullam hoc est quod ceditur peculiariter, quod confessarius in mortis articulo absolvendo eum, qui habet bullam, non teneatur eidem onus imponere, ut se Papae praesentet, si convaluerit, neque poenitens ad id obligatur, quia virtute bullae poenitens a confessario ita absolvitur ac si a Superiore absolveretur et confessarius a poenitente electus ipsum absolvere potest quocumque Superiore, etiam Papa, praesente; *quaer. 4. et 5.—14.*

Confessarius, qui virtute bullae poenitentem absolvit a reservatis Papae, debet

1. Exigere satisfactionem partis laesae, si damnum alicui sit illatum et poenitens satisfacere possit, si vero satisfacere nequeat, debet exigere cautionem pignorativam aut fidejussoriam aut saltem juratoriam.

2. Si agatur de crimine enormi, ut de publica clerici percussione, crimine incendii, etc., juramentum obtemperandi mandatis ecclesiae, scilicet ne in posterum in idem crimen relabatur. Ast hoc juramentum exigi debet tantum a puberibus, non vero ab impuberibus, etiamsi absolutionis beneficium post pubertatem adeptam tantum exquirant. Ast si confessarius poenitentem absolveret non satisfacta parte vel non praestito juramento de satisfaciendo etc. et poenitens bona fide procederet, licet confessarius peccasset, absolutio a censuris valeret, quia haec non est conditio apposita sine qua non, sed praeceptum confessario impositum; *quaer. 8. et 9.—15.*

Haec absolutio a censuris concessa virtute bullae Cruciatae valet tantum pro foro conscientiae non vero pro foro exteriori et contentioso, etiamsi parti laesae sit satisfactum. Patet ex *bulla Urbani VIII.: In specula militantis ecclesiae.* Licet per invalidam confessionem, bona fide factam, tempore jubilaei, non auferatur reservatio peccati in ea confessione detecti et idcirco confessarius, nullius privilegii ope munitus, non possit postea eum absolvere, quia Pontifex facultatem hanc tribuit, ut fidelis jubilaeum lucretur, tamen per hujusmodi invalidam confessionem factam virtute bullae Cruciatae reservatio tollitur, quia jam habetur praesentatio facta apud superiorem vel delegatum. Utrum vero hoc idem dicendum sit quoad confessionem sacrilegam, quaestio est. Per confessionem factam tempore jubilaei aut intra annum durationis bullae Cruciatae, si contigerit oblivio inculpata alicujus criminis Papae reservati cum censura annexa aut sine ea, per omnes theologos tollitur reservatio et poenitens, quando recordatur peccati sic obliti, absolvi potest a quocumque confessario, dummodo tamen poenitens habuerit intentionem, saltem virtualem, gaudendi privilegiis bullae sive Jubilaei sive Cruciatae; si vero oblivio contigerit ex poenitentis culpa, scilicet ex omissione diligentis examinis etc. tunc juxta *s. Ligor., Pontas.* etc. reservatio non tollitur.

Conceditur maximum privilegium circa absolutionem a reservatis et acquisitionem indulgentiae plenariae semel in vita et semel in articulo mortis: item quo omnes et singuli praedicti purius ad Deum preces effundere et efficacius divinum auxilium implorare possint, conceditur, ut possint eligere quemcumque presbyterum saecularem vel regularem ex approbatis ab Ordinario et ab eo quorumcumque peccatorum, etiam censurarum, etiam Sedi apostolicae et in bulla Coenae Domini reservatorum plenariam indulgentiam et remissionem semel in vita et semel in articulo mortis, aliorum vero Sedi apostolicae non reservatorum aut reservatarum, toties quoties confitebuntur, absolutionem et remissionem mediante salutari poenitentia secundum culparum indigentiam obtinere, dummodo, ubi necessaria erit, per ipsos vel dato impedimento per haeredes aut alios satisfactio fiat.

Confessarius electus ab habente bullam Cruciatae potest anno bullae durante ipsum absolvere pro foro interno ab omnibus casibus et censuris reservatis tam Episcopo quam summo Pontifici, etiam in bullae Coenae, excepta haeresi formali et externa, etiam occulta, cum hac tamen intelligentia, quod pars laesa, si detur, sit satisfacta vel per se ab ipso poenitente vel dato impedimento per suos haeredes, aut alios, et quod ipse poenitens a casibus reservatis Episcopo absolvi possit toties quoties, sicuti etiam toties quoties a casibus reservatis Pontifici extra bullam Coenae Domini, si sint occulti, quia evadunt episcopales, cum absolvi possint ab Episcopo; a casibus autem reservatis Pontifici extra bullam coenae, si sint publici, et a casibus in bulla Coenae contentis, sive sint publici sive occulti, potest absolvi semel tantum in vita et semel in articulo mortis per primam bullam et iterum secundo, si secundam seu aliam bullam accipiat. Non vero tertio, si tertiam bullam sumeret, cum pro se non possit bulla Cruciatae accipi nisi bis singulo quoque anno.

Cruciata sancta laicis et clericis saecularibus cujuscumque status, gradus qualitatis, et conditionis, etiam speciali nota dignae quoad casus reservatos etiam in bulla Coenae, haeresi excepta, contentos nonnisi in foro conscientiae, non autem in foro externo suffragatur. Urban. VIII. const. 105. incip.: *In specula.* Hinc etiam facultas concessa in eadem bulla Cruciatae de absolutione a censuris obtinenda valet tantummodo pro foro interno, ut patet ex cit. Urbani VIII. const., quare constitutiones Hispanicae aliter statuentes rejiciendae sunt; *Benedict. XIV. de syn. dioeces. lib. 7. cap. 65.* §. *7.*

5) A censuris.

a) Absens absolvi potest.

Absens etiam invitus extra confessionem sacramentalem potest absolvi a censuris, quia cum valeant censurae in absentes latae, a fortiori valebit eorum absolutio absentibus. Est communis cum *Pirhing. in canon. lib. 5. tit. 39. n. 164., Anaclet. l. 5. decr. tit. 39.* §. *8. n. 207., Pax Jordan. elucubr. l. 14. tit. 2. n. 180.* Sic etiam absens potest dispensari ab irregularitate, ut s. Congr. Conc. *die 27. Febr. 1666. in una Andegavensi dispensationis* resp.: *Absentiam hujusmodi non obstare.*

b) A censuris ex causa viol. libertatis, Immunitatis et jurisd. eccles. ab audit. camerae apost.

Non potest dare absolutionem auditor camerae apost. a censuris ex causa violatae immunitatis ecclesiasticae. S. Cong. Immunit. *in Romana 4. Augusti 1626.* Imo eadem sacra Congregatio approbante Sanctissimo praecipit auditori camerae, ut revocet absolutionem concessam censurato ex causa violatae immunitatis, libertatis et jurisdictionis ecclesiasticae, nec se ingerat in hujusmodi causis; *in Rossanen. 25. Febr. 1638. lib. 3. decr. Paul. pag. 38., in Nullius Canusiae 4. Junii 1641. dict. lib. p. 146., in Alatrina 27. Januarii 1643. dict. lib. p. 149., in Neocastren. 1. Febr. 1688. lib. dec. Mart. p. 417.* Nec potest concedere inhibitiones et absolutiones a censuris in causis praedictis, etiam cum reincidentia. *In una Regni Neapolitani 27. Maii 1642. lib. 3. decr. Paul. p. 167.* Et desuper data fuerunt literae circulares omnibus Episcopis regni; *ibid. et in Melphit. 22. April. 1763. lib. 1. decr. Alt. p. 792., in Satrien. 17. et 24. April. 1694. lib. 1. decr. Valleman. p. 117., Ravellen. 30. Aug. 1698. l. 2. decret. Valleman. pag. 172.* Et ideo Episcopi non debent attendere ejus inhibitiones, sed debent procedere ad ulteriora, ut saepius fuit resolutum ab eadem sacra Congregatione, et praecipue in praefatis *Melphiten., Satrien., Ravellen.* et *in Neapolitana 29. Aug. 1671.* Notarius auditoris camerae, qui absque facultate sacrae Congregationis per

sua acta expedierat absolutionem cum reincidentia, in causa violatae immunitatis, suspenditur ab exercitio sui muneris arbitrio eminentissimi Praefecti. *In una s. Agathae Gothorum 8. Junii 1700. lib. 2. decret. Valleman. p. 294.*

c) A Poenitentiaria apost. elargienda.

Vd. *Poenitentiarius apost.* (Facult., Constit. Bened. XIV.: *Pastor bonus etc.)*

6) Circa Complices.

Vd. *Complices* (interrogationes etc.)

7) Pro Defunctis.

(Post missam.)

Ad dub.: Utrum prohibitio facta a sacra Congr. absolutionis pro defunctis post missam de die etiam extendi debeat ad casum, in quo sacerdos sacris vestibus exutus hanc functionem perageret prout omnino in ritu, indepedentem et alienam a missa? Et quatenus affirmative, pro parte Rmi Episcopi N..... supplicatur pro gratia; in hac enim dioecesi, liturgiam romanam recens amplectente, usus harum absolutionum jampridem inoleverat, et missae pro defunctis etiam in duplicibus celebrabantur. Nunc autem si ad rigorem juris redeundum esset, id forsitan aegre ferrent populi et parochi saepe pauperiores consuetis privarentur oblationibus, quod acerbe sibi traherent, obloquentes contra liturgiam nuper introductam.

Resp. Exstant quidem decreta, quibus ab hac sacra Congregatione absolutiones pro defunctis post missam de festo omnino prohibentur. Jam inde ab anno 1654, cum pro parte Civitanensis ecclesiae inter alia quaesitum fuisset num. 3.: An responsoria solemnia hujusmodi cantari debeant cum pluviali coloris festi vel nigro, die 23. Septbr. ejusdem anni respondit absolute: *Praedicta nullo modo licere et ab Ordinario esse prohibenda.* Nemo autem non videt propositum dubium includi in ea responsione, in qua edicitur id non licere quamquam ad ea decantanda sacerdos deponeret vestes adhibitas pro die festo indueretque pluviale nigrum, tamquam pro functione prout in ritu, et independenter a missa. Superest igitur instantia Rmi Episcopi pro gratia elargienda, licet obstare videatur sacrae Congregationis decretum, quo sub die 16. Martii 1833 Superiori coenobii ord. Min. s. Francisci de observantia civitatis Maceraten. prohibuit cantum responsorii: *Libera me Domine* post missam solemnem defunctorum infra octavam omnium Sanctorum, non obstante antiqua consuetudine, quae a duobus et ultra saeculis vigere dicebatur, et offensione, quae ex ejusdem consuetudinis omissione fidelium pietati forsan potuisset; tamen tum ne detur locus obloquentiae contra romanam liturgiam recens in dioecesi inductam, tum quia sacra eadem Congregatio in una sancti Severi die 7. Decembris 1844 respondit: *Licere in choro post Primam recitare psalmum:* De Profundis *cum oratione pro defunctis in communi, exceptis tamen duplicibus primae classis,* in ea essem sententia ut supplicetur SSmo pro gratia: doceatur tamen Episcopus ut prudenter et caute eum usum abolendum temporis intervallo curet. Responderem itaque supplicandum SSmo pro gratia in casu, exceptis dupl. 1. et 2. classis, et ad mentem; et mens est, ut Ordinarius ea, qua praestat, prudentia ac zelo, curet, consuetudines, de quibus in dubio, paulatim aboleri. —

S. C. resp.: Supplicandum SSmo pro gratia in casu, exceptis

dupl. 1. et 2. classis, et ad mentem. Mens est, *ut Ordinarius ea, qua praestat, prudentia et zelo, curet consuetudines, de quibus in dubio, paulatim aboleri.*

Die 2. Septbr. 1857.

(Anal. J. P. III. Ser. p. 346. Romae 1858.)

8) Facultas absolv. infra Jubilaeum.

Vd. *Jubil.* (Indulg. et facult. etc.); *Facultates,* (suspensio facult. etc.)

9) Generalis.

(Formula impertiendi fratrum B. V. M. de Mercede Redempt. captiv. et ss. Trinit. Red. capt.)

Vd. *Bened. gener.* (formula etc.)

10) Ab Haeresi a Praelatis regul.

Vd. *Absolut.* (a casib. reserv. Episcopo p. 138. a casib. etc. reserv. Pontifici p. 145. g.)

(Propositio damnata ab Alexd. VII.)

Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa.

Die 24. Septbr. 1665.

(Bull. r. t. VI. Append. p. 1. Ed. Luxbg.)

11) Ab Haeresi a Poenitentiario apost. elargienda.

Vd. *Poenitentiarius apost.* (Facult., Constit. Bened. XIV. *Pastor bonus etc.)*

12) Infirmi.

Episcopi Philippinarum possunt adstringere parochos regulares ad observandum in praxi rituale roman., quod dicit: »quodsi confitendi desiderium suum per se sive per alios ostenderit infirmus, absolvendus. Et si non est introducta observatio ritualis romani, introducatur. Vd. *p. 152. II.*

Die 2. Maii 1626.

13) Ab oneribus (missis) omissis.

Vd. *Missa omissa; Missa conv.* (omissa.)

14) A peccatis.

Vd. *p. 136—148.*

a) Actus judicialis est.

Absolutionem sacramentalem sacerdotis esse actum judicialem, et non nudum ministerium, uti docent Protestantes, pronunciandi remissa esse peccata. Totidem enim verbis definitum est in *Trid. conc. sess. XIV. can. IX. 2.*

b) Ab Archiepiscopo quoad subditos Suffraganeorum.

Archiepiscopus, dum actu visitat provinciam, potest subditorum Suffraganeorum confessiones audire, ipsos absolvere atque poenitentias injungere salutares, *cap.: Perpetuo declaramus 5. de censibus in 6.*, ubi in fine sic expresse dicitur: Potest etiam idem Archiepiscopus, dum visitat, confessiones subditorum Suffraganeorum audire ac absolvere confitentes et ipsis injungere poenitentias salutares. Immo nedum per se sed etiam per alios potest subditos Suffraganeorum absolvere etiam a casibus suis respective Episcopis reservatis, quia eo tempore, quo Archiepiscopus dioeceses Suffraganeorum visitat, quaelibet dioecesis actu visitata censetur tamquam sua et ipse habere in ea jurisdictionem quasi episcopalem Episcopo superiorem; *Suarez. tom. 4. disp. 30. sect. 3. n. 8. et tom. 5. disp. 14. sect. 2. n. 12., Barbosa lib. 1. juris eccles. univers. cap. 7. n. 89.* cum multis aliis.

Non potest statim et simpliciter absolvere illum, qui de excommunicatione appellavit ad ipsum, sed eum remittere debet ad Episcopum, qui excommunicavit; qui si noluerit ipsum absolvere, tunc solum, recepta juratoria cautione, poterit ipsum absolvere; *cap.: Ad reprimendam 8. de offic. jud. ordin.*

c) Capaces qui sunt?

I. Constituti in occasione proxima involuntaria.

Absolutio dari potest ei, qui est in occasione proxima involuntaria nec est in sui potestate eam removere, dummodo tamen vitare conetur periculum formale peccandi per actus proprios, scilicet, primo per verum et firmum dolorem de praeteritis; secundo, si sit occasio luxuriae, per intensum et solidum propositum solus cum sola non loquendi et totis viribus mulieris aspectum et illecebras vitandi; tertio per verum propositum et promissionem separationis quum primum erit possibilis physice vel moraliter; quarto per fervidam orationem et petitionem divini auxilii et frequentiam sacramentorum, maxime confessionis cum eodem prudenti confessario.*) Et ratio est, quia occasio peccandi in se non est peccatum, nisi sit voluntaria, et qui in ea est, potius dicitur eam pati quam ei se exponere; positis enim dictis propriis actibus,

*) Recta agendi ratio, quam tradunt saniores ethices adsertores, hunc in modum sese habet; nimirum ut hujusmodi hominibus hujus generis occasionibus etiam necessariis irretitis, *ordinarie loquendo,* per prudentem confessarium differatur absolutio, praesertim si occasio sit praesens et in materia turpi, donec, salutaribus adhibitis remediis, occasio proxima remota evaserit. Haec doctrinam diserte eleganterque tradidit *d. Carolus in instructione confessariorum,* et sequuntur passim probatissimi quique theologi. Quod si absolutionem differre non possit sine periculo et infamia ipsius poenitentis et confessarius talia contritionis signa in eo perspexerit debitamque ad excipienda remedia emendationi suae necessaria dispositionem observaverit, debet illi proponere, quae magis opportuna et necessaria videbuntur, v. g. illi praecipere ne solus cum tali persona colloquatur, orationes aliquas carnisque macerationes illi praescribere et frequentem inprimis confessionem, quae si poenitens in se recipiat, confessarius illum absolvere poterit. Quod si tamen, hac jam adhibita diligentia a se aut ab alio confessario, poenitens emendatus non fuerit, non absolvatur, donec illa occasio jam ablata fuerit. Ita laud. d. Carolus. Hi profecto canones atque agendi rationes sunt ab omni laxitate alienae, evangelicis dictis ac Patrum sententiis conformes, quas hac in re servari opus nobis est. Vd. *Natal. Alexand. in sua theolog. lib. 2. de sacram. poenit. art. 3. regul. X.*

censetur, pro quanto in se est, eam absolute, et efficaciter nolle, ut tradit *d. Basilius in const. monast. c. 4. fol. 489*, ubi dicit: *In hujusmodi casibus hominem non amare periculum sed illud invitum subire.* Talis occasio involuntaria contingere potest in filio familias cum famula domini; inter fratres, sorores, filios et filias ejusdem familiae et alios similes cunjunctos, qui non sunt sui juris, habitantes in eadem domo sub cura ejusdem domini seu parentis. Sic tenent communiter doctores, qui tamen monent confessarios, ut cum istis se gerant sicuti cum recidivis, differendo aliquando absolutionem, et difficiles se ostendo ad eos absolvendos, ut sic perterriti facilius emendentur et supradictos proprios actus efficacius eliciant, sine quibus nequirent absolvi, quum deficerent in adimplendis quae sunt in sua potestate, et tenentur omnes adimplere nulla suffragente excusatione ad vitandum peccatum mortale.*)

II. Moribundi.

Vd. *Absol. a casib. reservatis p. 136. 2, 151. n. 12.*

Absolutio dari potest moribundo, qui petiit confessarium, licet ipso adveniente jam obmutuerit et nulla dare possit signa poenitentiae. Habetur ex conc. Arauxicano I. *can. 12.*, ex conc. Carthagin. III. *cap.: Aegrotantes, 75 de consecr. dist. 4.*, et ex conc. Carthag. IV. can. 76. his verbis: *Is, qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat poenitentiam.* Id ita expresse statuitur a s. Leone Papa *cap.: His, qui*, causa 26. q. 6. his verbis: *Quod si aliqua aegritudine fuerint aggravati, ut, quod paulo ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium et circumstantium prodesse debebunt, ut simul et poenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur.* Sic etiam habetur ex rituali romano, auctoritate et mandato Pauli V. edito, quod titul. de sacram. poenit. sic ordinavit: *Si inter confitendum vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiat, nutibus et signis conetur sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Ubi ly *absolvendus est* intelligendum est de absolutione sacramentali absolute impertienda, et non tantum sub conditione, nisi forte de aliquo praedictorum signorum certo non constet, sed dubium sit; tunc enim esset danda absolutio solum sub conditione, ne exponeretur sacramentum periculo nullitatis.*)

Absolutio probabilius dari potest sub conditione etiam moribundo, qui nullum poenitentiae signum dedit nec dare potest, si ipse prius probe et christiane vixit et sacramenta frequentavit. Sic tenet expresse *Barbosa in collect. ad conc. Trid. sess. 14. de sacr. poenit. c. 5. n. 2*, citans pro hac sententia *Vivaldum, Antonium de Literatis, Homobonum de Bonis, Molfesium, Carolum de Bancio, Bartholomaeum de s. Fausto.* Idem docent *Marcantius, Herincx, Pontius, Bosco et Bassaeus, Anacletus, Felix Potestas, Schilder tract. 6. n. 39.* citans Gregorium XV. in suo memoriali confessariorum, quod ediderat, quando erat adhuc Archiepiscopus Bononiensis, s. *Antoninus* et sacerdotale romanum pag. 264. dicens: *Posse absolvi moribundum assuetum frequentare confessionem, quamvis repentino casu oppressus sacramentum non petierit.* Hanc sententiam vocat nunc communem *Moya q. 4.*, pro qua refert sexdecim auctores, qui eam absolute tenent, et alios longe plures, qui defendunt ut probabilem et ex praecepto caritatis in praxi tenendam; ad quos accedunt *Gobat, Tambur., Escob., Card. Aversa, Quarti, Arsdech., Sporer, Bonagratia, Gormaz* et alii. Et probatur ratione, quia vita christiana atque catholica hactenus probe et publice peracta in hujusmodi casu ac extrema necessitate talis moribundi est sufficiens accusatio sui, et confessio, cum alia major fieri nequeat; adeoque potest sub conditione absolvi. Antecedens probatur, quia ille, qui petiit confessionem vel saltem dedit signa petitae confessionis, potest in mortis articulo absolvi: sed homo christiane et catholice vivens hoc ipso petiit deditque signa confessionis pro mortis articulo petitae, adeoque etc. Minor probatur, quia per decursum to-

*) Vide Antoine de poenitentia *cap 3. art. 3. qu. 6; Cuniliati de poenit. §. 7. num. 8, et 9, Colet. in continuat. et praelect., Tournely de poenit. par. 2. cap. 7. ar. 5. sect 1. §. 2.* et alios, qui tutam confessariis se cum illis, qui in peccandi occasione versantur, gerendi rationem proponunt.

*) Sic etiam mutus absolvendus est; quamvis confessor non calleat quae peccata per signa velit ille exprimere, nec sciat per signa eum interrogare de aliquo peccato in particulari.

tius vitae christianae saepius, ac praesertim frequentando sacramenta ecclesiae vel faciendo consuetum examen conscientiae, imo et devote pluries orando *Pater noster et Ave Maria*, per ly: *dimitte nobis debita nostra*, vel: *ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae*, fatentur se peccatores petuntque omnia pro felici hora mortis necessaria et opportuna; sed inter haec est praecipue confessio et absolutio sacramentalis in mortis articulo obtinenda: ergo etc.; tum quia de tali viro probo in articulo mortis constituto prudenter dubitari potest, an prius confessionem petierit et non fuerit auditus aut aliquod signum externum dederit, quod non fuerit visum, imo dubitari potest: an etiam de facto aliquod signum externum det, quod propter ejus virium imbecilitatem non videatur aut non percipiatur, adeoque poterit sub conditione absolvi, eo quod ob probam antea peractam vitam praesumi ac sperari possit, ipsum hic et nunc petere confiteri et sacramentaliter absolvi; tum etiam quia in dubiis aut opinionibus circa necessaria ad salutem tutior pars est amplectenda; sed in casu agitur de re necessaria ad salutem et adest dubium aut opinio pro utraque parte, adeoque est sub conditione absolvendus, quum hoc tutius sit pro ejus aeterna salute: nihil enim mali fit in conferenda tali absolutione conditionata, eo enim ipso quod apponatur conditio, *si es capax, ego te absolvo etc.*, et vitatur omne periculum sacrilegii et irreverentiae sacramenti et consulitur saluti aeternae moribundi, quae in tali extrema necessitate est ab omnibus ex caritate procuranda. Sicut enim sacramentum baptismi in casu extremae necessitatis potest conferri sub conditione in materia dubia, ut in lixivio, aqua rosacea vel nivali, vel etiam in parte dubia, ut in digito, manu etc., quum in tali casu tutius consulatur saluti animae infantis quam nullo modo eum baptizando, sic a pari in casu nostro potest sub conditione dari absolutio sacramentalis tali moribundo extreme indigenti, quum tutius consulatur suae extremae saluti dando ei absolutionem conditionatam quam nullo modo eum absolvendo. Sacramenta enim quum fuerint a Christo instituta in salutem fidelium, in casu extremae necessitatis de mente legislatoris cedunt juri suo, *ne exponantur periculo nullitatis*, ut fideles non exponantur periculo damnationis, eo vel maxime quod talis conditio, ut jam dictum est, salvat reverentiam Sacramenti, quia si moribundus non sit capax absolutionis, non fit sacramentum.*)

Nota Romani theologi.

P. Daniel Concina, qui in animadversionibus ad Pontas, supradictam opinionem quae communior est, probaverat, in theologia christiana, quae ibidem scripserat, retractavit, ne eorum praejudicium afferret opinioni, qui confessionem necessariam hujus sacramenti materiam existimantes negant omnino eum absolvi posse, qui confessionis signa sensibilia non dederit, quia deficientibus actibus poenitentis necessaria materia desideratur, sine qua perfici sacramentum nequit. Sed certum omnino non est, actus poenitentis materiam hujus sacramenti esse, cum Trid. syn. non sacramenti *materiam*, sed *quasi materiam* dixerit, cumque theologi bene multi non materiam, ex qua sacr. fit, sed circa quam sacramentum versatur, actus illos constituant. Dum vero in poenitente

*) Doctrina, quae supra tradita est de absolutione impertienda sub conditione moribundis, quamque defendit Cl. adnotator ad Ferrar. adversus scrupulos P. Concinae, in praxi satis tuta videtur; quapropter haud facile ab ea se avelli patiatur discretus confessarius. quem meminisse oportet illius Julii I. Pontificis sententiae in can.: *Si Presbyter. Si quis Presbyter poenitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum.* Insuper recensitam sententiam, quam ex August. doctrina ad calcem *lib. 1. de adulterin. conjug.* recte consequi quivis dignoscere poterit, propugnant viri doctissimi ac theologi praestantissimi *Morinus, Berbesius, Iuen, Gennet* aliique non pauci. Verumtamen haec doctrina videtur non effugisse censuram academiae Parisiens, quae in libro Amadaei Guinemii ann. 1665. consimilem fere propositionem censura notavit. Hinc Natal. Alexand, Cabassutius aliique illam apertissime rejiciunt. Itaque ut omnes dubitatio circa supradictam praxim, spirituali hominum rei necessariam, exscindatur, placeat in medium proferre aequissimum ac sapientissimum judicium recentioris nec ignobilis theologi. „*Ingenue fatendum*, ait, *priorem sententiam* (scilicet huic nostrae oppositam) *si discussione scholastica esset definienda, fortassis alteri praeponderaturam; sed quoniam haec probatur viris doctissimis nec omnino caret pondere auctoritatis ac rationis et ulterius sacramentum poenitentiae pro animarum salute institutum, praesertim in mortis articulo, est summopere necessarium, et ex alia parte si adhibeatur forma conditionalis, evitatur periculum aliud de nullitate sacramenti . . . . . propterea dico, moribundo, de quo disputatum est, impendendam absolutionem hac conditione praemissa: si capax est.* Lauren. Berti *de theolog. discipl. l. 34. p. 2. cap. 8. n. 6. in fine.*

ea praecesserint, quae supra commemorata sunt, satis verisimile est et confessionis desiderium per anteactam vitam et alios actus in illo reperiri, qui ad impertiendam absolutionem dubiam saltem materiam suppeditent: ergo sub conditione absolvi poterit, eo vel magis, quia iis, qui antea confessionem petiere, si saltem per testes id sacerdoti sit notum, absolutio concedenda est, ut liquet ex allatis monumentis, et etiam ex decreto Urbani VIII., qui 24. Februarii 1632. rogatus ab inquisitore Lusitaniae: *num valide absolvi possit aegrotus, qui coram uno teste signa contritionis dedit, superveniente autem confessario nullo externo signo confitendi voluntatem ostendit,* respondit: *huic aegroto posse impertiri absolutionem, nec id repugnare decreto Clementis VIII., cum diversam contineat rationem.* Itaque si absolvendi sunt, qui antea petiere confessionem, quia actus illi praecedentes veluti praesentes haberi possunt, cur ii absolvendi non erunt, quorum vivendi ratio prudentem confessarium certum facit, voluisse in mortis articulo sacramenta recipere, ac prudenter etiam dubitare permittit confessionem antea petiisse, licet a nemine fuerint auditi? Nec audiendus Concina est, dum ait, Deum, quando vult alicujus salutem, velle etiam eadem voluntate media a Christo praescripta pro salute obtinenda. Nam absolutionem hanc medium esse praescriptum dicimus, et occurentem sacerdotem, qui probo christiano, quem confessionem petiisse praesumimus, sacerdotalem absolutionem impertiatur, beneficium quoddam esse putamus divinae misericordiae, quo Deus illi opitulari decreverit.*)

d) Capaces qui non sunt?

I. Complices in peccato carnali.

Vd. *Complices* et *p. 147. n. 2 3.*

II. Constituti in occasione proxima voluntaria.

Absolutio dari non potest ei, qui est in occasione proxima voluntaria nec vult eam, cum possit, deserere, licet sub praetextu cujuscumque utilitatis, commodi vel boni spiritualis vel temporalis sui vel proximi. Clare constat ex pluribus propositionibus damnatis, ut ex 41. in ordine damnata ab Alexandro VII. die 18. Maii 1666. his verbis: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* Regalo, *dum deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent et alia famula nimis difficile inveniretur;* et ex 61. in ordine damnata ab Innocentio XI. 2. Martii 1679: *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit:* et ex alia ejusdem Pontificis 62. in ordine: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit;* et ex altera ejusdem 63. in ordine: *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Et ostenditur ratione, quia ut quis non teneatur deserere occasionem proximam peccandi mortaliter, nulla causa est sufficiens, nisi sola impotentia physica vel moralis deserendi illam occasionem proximam; nam quoties potest quis eam derelinquere, tenetur, quia quilibet, si potest, tenetur evitare proximum periculum summi mali, quale est peccatum mortale, juxta illud Matthaei 18.: *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum et projice abs te,* aliter non esset dispositus ad obtinendam absolutionem ratione evidenti periculi, adeoque non absolvendus, ut concludit sanctus Carolus Borromaeus *par. 4. auctor. eccles. Mediol. instruct. confess. circa medium,* his verbis: *Sciant denique* (confessores) *se non posse iis impendere beneficium absolutionis, qui peccati mortalis occasionem omnem fugere serio non proposuerint.* Et sacra Thomas de Villanova *concione in feria 6. post domin. 4. Quadragesimae* ait: *Vadat et concubinam e domo pellat, pecuniam alienam restituat etc. et tunc ad confessarium redeat et absolvatur: hic rectus est ordo, hunc ordinem non transgredieris.* Accedit etiam, poenitentem, si sit rite dispositus, debere affectum peccati excludere et peccatum detestari: ergo detestari quoque debet peccandi occasionem. Quomodo vero eam detestabitur, qui non vult illam deserere?

*) Adeundus Benedictus XIV. *de synodo dioeces. lib. 7. cap 15. num. 8. et seqq.* ubi plura affert, quibus propugnata a romano theologo sententia confirmatur et illustratur.

Hinc merito Vasquez et alii quamplurimi affirmant, quod in casibus supradictis, in quibus moribundus potest absolvi, sacerdos non tantum possit sed etiam teneatur ratione caritatis illum absolvere.

III. Consuetudinarii et recidivi.

Absolutio dari non potest consuetudinario et recidivo, qui semper labitur in eadem peccata sine ulla spe emendationis nec fecit, quantum in se est, juxta monita prudentis confessarii, pro tali consuetudine peccaminosa deserenda, adhibendo scilicet serium conatum, quo tentationibus ac occasionibus resistat sed potius cupiditatibus suis semper frena relaxat; id constat clare ex propositione damnata ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. in ordine 60: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut ecclesiae, et si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.* Et ratio est, quia cum in isto nullum appareat verum signum doloris aut propositum emendandae vitae, ex quo nullum serium conatum adhibeat ad resistendum tentationibus et peccandi occasionibus, sed potius voluntarie suis cupiditatibus semper frena relaxet, absolutio nedum non ipsum solveret sedet cum ipso etiam confessarium ligaret, ut docet s. Ambrosius *lib. 2. de poenit. c. 9.* his verbis: *Nonnulli ideo poscunt poenitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint, hi non tam se solvere cupiunt quam sacerdotem ligare, suam enim conscientiam non exuunt et sacerdotis induunt, cui praeceptum est: Nolite dare Sanctum canibus.* Et quod similibus consuetudinariis seu recidivis non sit danda absolutio, donec emendentur, aperte insinuat s. Carol. Borrom. *part. 4. auctor. eccl. Mediol. tit. instructio confessorum,* his verbis: *Proroganda est adhuc absolutio his, qui licet se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separandos confessor suspicetur, ut sunt ii, et praesertim juvenes otiosi, qui solent majoris temporis parte aleis, crapulis, amoribus, peccatis carnalibus, blasphemiis, inhonestis conversationibus, dissentionibus, odiis et detractionibus vacare, ut qui a multis annis in eisdem peccatis perseverarunt nec ut emendentur laborant.*

Si vero consuetudinarius seu recidivus post ultimam suam confessionem se vel paulum emendavit*) nec tot peccata, ut ordinarie solitus erat, commisit et aliquem conatum ad se emendandum adhibuit, debet absolvi, cum sic ostendat se habere verum dolorem et firmum propositum se emendandi, quod sufficit ad veram poenitentiam, licet aliquoties sit iterum relapsus: siquidem ejusmodi aliquis relapsus non est signum falsae poenitentiae sed potius fragilitatis humanae: plurimi enim, etiam probitate conspicui, relabuntur interdum et contra bona proposita firmiter concepta denuo peccant. Cum enim recidive peccata fiunt ex sola fragilitate intrinseca, uti sit in mollitie, delectationibus morosis, odiis, blasphemiis et similibus, docent communiter doctores,*) ordinarie posse poenitentem toties absolvi, quoties confessarius judicat eum serio dolere et proponere in posterum se emendare, quia est rite dispositus, ut maxime liquet in illo, qui post ultimam confessionem non tot peccata commisit, uti antea solitus erat; unde et Matthaei 18. Petro interroganti: *Quoties peccabit in me frater meus, dimittam ei? usque septies? dixit Jesus: Non dico tibi usque septies sed usque septuagies septies,* hoc est toties quoties vere doluerit, signa emendationis dederit veniamque rogaverit: juxta quod s. Hieronymus relatus *cap.: Septies, dist. 3. de poenit.* ait: *Non solum septies sed usque septuagies septies delinquenti, si convertatur ad poenitentiam, peccata condonentur.*

Major difficultas est: An sint absolvendi necne illi consuetudinarii seu recidivi, qui in aliqua confessione minora afferunt peccata et in alia majora, et sic vicissim longo tempore sua peccata continuant, aliquoties se vincendo et aliquoties iterum relabendo ac numerum peccatorum augendo? Cum istis, dicerem, quod a confessariis non sit procedendum nec per nimiam severitatem nec per nimiam clementiam, ut nec nimia severitas terreat nec nimia clementia palpet. Habemus enim non pauca luctuosa exempla, quod nimia severitas confessariorum fuerit potius poenitentibus occasio ruinae spiritualis ac despera-

*) Editio rom. Ferraris 1767. sic habet: *Se emendavit . . . . . et conatum ad se emendandum adhibuit,* expunctis: *vel paulum*, et *aliquem.* Neque enim ut poenitens verum dolorem firmumque se emendandi propositum habere prudenter existimetur, satis est, ut se *vel paulum* emendaverit et aliquem conatum ad se emendandum adhibuerit. *(Nota Barb.)*

*) Non defuerunt quidem doctores, qui haec traderent. Verum istis probatiores theologi adversantur. Vide, ut alios omittam, Concinam *compend. theolog. lib 11. dissert. 4. c. 3. n. 23. seqq.* Neque opinionis oppositae patronis esse praesidio potest testimonium, quod ex s. Matthaei *c 18.* subjicitur, ut ostendit *Colet. de poenit. part. 2. c. 6. §. 3. n. 769.* ubi simile testimonium ex s. Lucae *c. 17.* exponit.

tionis quam salutis, cum sic deterritis sit eis odiosa confessio et plurimi a poenitentia totaliter recesserint; et per hoc s. Leo epist. 91. omnes sic admonet confessarios: *In dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam poenitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam.* Nec minora habemus exempla, quod nimia confessariorum clementia non paucos cum seipsis perdiderit poenitentes, cum nimia clementia potius foveat peccata quam minuat, juxta id, quod observat Bellarminus *concion. 8. in dominica 4. adventus* dicens: *Nec enim esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset etiam tanta facilitas absolvendi*; et ideo nimia haec indulgentia reprobatur in synodo Gebennensi *part. 4. tit. 6. cap. 9.* sub motivo, quod per hanc nimiam facilitatem absolvendi pereat *tum presbyterorum tum poenitentium multitudo infinita.* Unde cum similibus poenitentibus magna est necessaria prudentia et discretio in confessariis, ut hinc per graviora exhortationum motiva eos deterreant a relapsu et peccatis, et illinc dulciora divinae gratiae, passionis dominicae et invocationis Sanctorum linimenta proponendo, erigant in fiduciam et spem christianam, atque iteratam peccatorum destinationem, et firmius emendationis propositum; sicque cum evangelico Samaritano sciant opportune vulneribus sauciatorum oleum ac vinum infundere, ut s. Augustinus et s. Thomas *3. part. q. 80. art. 10. ad 3. ajunt*: *faciat unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum.*

IV. Ignorantes mysteria fidei ex culpa.

Vd. *n. sequ. V.*

Absolutio dari non debet sed differenda iis, qui propria culpa et negligentia ignorant principalia mysteria fidei et alia scitu necessaria ad salutem. Habetur expresse de mente Innocentii XI. damnantis sub *die 2. Martii 1679.* hanc propositionem in ordine 64.: *Absolutionis capax est homo, quamvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.* Et clare traditur etiam a sancto Carolo Borromaeo *part. 4. actor. eccles. Mediol. instruct. confessar. circa med.* praecisis his verbis: *Quicumque rationis usum attigerit, sub reatu peccati mortalis omnes symboli apostolici, quo ecclesia utitur, articulos scire tenetur, saltem quoad substantiam. Item Dei et ecclesiae praecepta, quae sub mortali peccato observanda sunt, quaecumque solent in scholis doctrinae christianae comparari. Ubi ergo poenitens haec ignorarit, si quamprimum ad ea discendum non aquieverit, absolvi non debet. Immo si ad ea discendum se dispositum significaverit, interrogandum num alias de ea negligentia a confessore, sive ipse sit sive alius aut pastor, monitus fuerit, si quidem pro modulo diligentiam ad hoc non adhibuerit, tandiu illi absolutio differatur, donec huic officio penitus satisfecerit. Quod si nondum admonitus fuerit, absolvatur quidem sed de supradictis, ut poterit, instruatur.*

Absolutio deneganda est ignorantibus mysteria fidei tenenda necessitate *medii*, *Benedictus XIV. tom. 1. constit. 42.* incip.: *Etsi* §. *12.* Ignorantibus autem sua culpa necessaria necessitate *praecepti* est absolutio rejicienda in aliquod tempus. Quandoque tamen potest talis poenitens absolvi, si dolens de sua culpabili vincibili ignorantia serio promittat confessario operam se impense daturum, qua divinae gratiae praesidio discat etiam necessaria necessitate praecepti. Idem *loc. cit.*

V. Publicus peccator et insufficienter instructus in cath. fide.

Vd. *Confessio* (qui non sunt capaces.)

Gravinen.

(Conc. Trid. c. 1. sess. 13. de ref.)

Sub obtentu, quod quidam Orontius esset publicus peccator, ex quo notorium esse dicebatur, quod falsas attestationes et falsa emisisset juramenta, demandatum fuit ejus parocho, ne ei tempore Paschatis sacratissimam administraret eucharistiam; cumque praedictus Orontius ad ecclesiam Cathedralem accessisset cum notario et testibus et parochus praedictae Cathedralis eum ad communionem, quam publice petebat, non admiserit eidemque insinuaverit, quod ad proprium parochum accederet, re ad Episcopum delata parochoque Cathedralis ulterius insinuante, quod sibi non videbatur, eum esse sufficienter instructum in mysteriis nostrae sanctissimae fidei, Episcopus die 30. Martii 1723. ejus parocho demandavit, ut eum interim non admitteret ad satisfactionem annuae communionis, donec recte instrueretur in necessariis rudimentis fidei et mysteriis sacramentorum, commisitque Francisco Gallo Abbati Collegiatae ecclesiae s. Nicolai, ut eum charitative

instrueret et in scriptis referret, et postremo curiae mandavit, ut super denunciatione facta a parocho ecclesiae Cathedralis diligens caperetur informatio.

In executionem hujusce mandati nonnulli testes examinati fuerunt, qui factum supra expositum comprobarunt; cumque Orontius pluries in curia comparuisset et instetisset pro admissione ad sacram communionem et ulterius asseruisset, se accessisse ad Abbatem Collegiatae ecclesiae s. Nicolai et ab eo non fuisse instructum in fidei mysteriis, sed sollicitatum ad exarandas nonnullas attestationes in quibusdam causis civilibus, idemque Abbas retulisset, quod Orontius ad se aliquibus vicibus accesserat, sed quod amplius non redierat, seque opinari, eum esse incapacem sanctissima sacramenta recipiendi, bina edita fuerunt a Vicario generali decreta sive provisiones, in quarum prima edita die 6. Aprilis 1723 demandavit, ut continuate se conferret ad dictum Abbatem ad effectum reportandi sufficientem instructionem, et in altera edita die 29. Aprilis ejusdem anni demandavit, ut procederetur contra ipsum ad declaratoriam censurarum. Appellatione ab Orontio interposita ad curiam metropolitanam Acheruntinam et expedita per ipsam consueta inhibitione vigore appellationis, non obstante comparatione promotoris fiscalis Gravinen., qui protestatus est, esse non posse in hisce causis locum appellationi, prolata fuit a Vicario capitulari Acheruntino sententia praecipiens, Orontium admittendum prius ad sacramentum poenitentiae et deinde ad sacramentum eucharistiae, habitoque a promotore fiscali Gravinen. recursu ad hanc sacram Congregationem ejusque instantia, ipso tantum informante, perlecta inter summaria precum, rescriptum fuit die 17. Julii 1723: Laudandum esse Episcopum Gravinen. et ejus decretum fuisse et esse exequendum, et scribendum Vicario capitulari Acheruntino, quod nec poterat nec debebat appellationem recipere, et quod omnino inposterum abstineret a similibus.

Habita ab Orontio notitia hujusce rescripti ipse petiit audiri et causam in folio describi, et in praesenti proponitur dubium ad calcem restrictus referendum.

Jura promotoris fiscalis Gravinen. ad sequentia capita reducuntur. Primum est, *quod publico peccatori eucharistiam sive publice sive privatim petenti eadem est deneganda* juxta illud Domini: *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos,* et facit textus *in canone: Pro dilectione de consecrat. dist. 2.*

Secundum est *praeceptum annuae communionis in Paschate urgere,* nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione abstinendum sit, uti legitur in *cap.: Omnio utriusque de poenitentiis et remiss.*

Tertium est, quod inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas sexagesima quarta est ea, quae sequitur: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et incarnationis D. N. Jesu Christi.*

Ultimum denique est, *quod in causis correctionis morum*, non obstante quacunque consuetudine, *appellari non potest ante definitivam sententiam ab interlocutorio vel alio quocunque gravamine,* nisi gravamen per definitivam sententiam reparari vel ab ipsa definitiva appellari non possit juxta *sess. 13. cap. 1. de reform.* et in decretis s. Congregationis Episcoporum et Regularium editis anno 1600 et impressis apud *Gallemart.* ad dicti concilii locum sic legitur: *In causis vero visitationis Ordinariorum aut correctionis morum quoad effectum devolutivum tantum admittantur, nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur.*

Jura e contra Orontii constituuntur in hoc, quod etiam in causis correctionis morum appellari potest in devolutivo, et etiam in suspensivo, quando judicialiter processum fuit, uti prosequuntur allegata decreta anni 1600 ibi: *Vel cum visitator, citata parte et adhibita causae cognitione, judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit etiam quoad effectum suspensivum.*

Additur, eandem curiam juste processisse, cum ipse per examinatores ab eo deputatos idoneus repertus fuerit et sufficienter instructus. Se ulterius esse confratrem cujusdam confraternitatis et sacramenta semper frequentasse juxta dictae societatis institutum nec impictam falsitatis notam ullo modo subsistere, cum nunquam fuerit inquisitus aut de ea processatus.

Jura circumferuntur; quocirca onus erit EE. VV. decernere:

An sententia curiae metropolitanae Acheruntinae sustineatur sive potius sit exequendum decretum curiae episcopalis Gravinen. in casu?

S. C. C. resp.:
Ad primam dubii partem negative, et ad secundam affirmative, et ad mentem.
Die 20. Junii 1724.

e) Sub conditione.

Vd. *Absol. a peccatis* (capaces qui sunt? p 151. — moribund p. 152.)

f) Dilatio.

Vd. *Absol. a peccat.* (capaces etc. — constituti in occasione pr. invol. p. 151. —)

g) Facultas delegata.

Absolvendi facultas delegata non potest subdelegari.
De off. et pot. jud. deleg. cap. et §. fin.

h) Forma.

(Quae et quo modo danda.)

Absolutionis sacramentalis verba necessaria et sufficientia sunt: *Absolvo te a peccatis tuis*, vel alia aequipollentia actum judicialem sententiae absolventis sufficienter exprimentia; sic habetur ex concil. Florent. in decreto unionis, ubi dicit: *Forma hujus sacramenti est: Ego te absolvo etc.;* et ex Trident. *sess. 14. cap. 3.*, ubi dicit: *Docet praeterea sancta synodus, sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipua ejus vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc., quibus quidem de ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae.* Licet autem ex praedictis sola illa duo verba *absolvo te* vel aequivalentia sint de essentia formae absolutionis ac necessario exprimenda necessitate sacramenti, maxime speculative loquendo, ut sustinent *d. Th. 3. part. quaest. 84. art. 3. in corp., Scotus in 4. dist. 14. quaest. 4. §.: Ex hoc sequitur, Suarez, Lugo, Gonet, Conninch., Amicus* et alii magis communiter; in praxi tamen tutius tenendum est, requiri tanquam de essentia formae sacramentalis etiam illa verba: *a peccatis tuis*, vel saltem: *a peccatis*, quia in institutione sacramenti poenitentiae facta est a Christo expressa mentio peccatorum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, Joan. 20. Ergo si quia in sacramenti baptismi institutione dictum est: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, invocatio Trinitatis dicitur essentialis, ita quia in institutione sacramenti poenitentiae dictum est: *quorum remiseritis peccata*, expressio eorundem peccatorum erit essentialis; adeoque tutius addenda sunt illa verba: *a peccatis tuis*, vel saltem: *a peccatis*, eo vel maxime, quod absolutio a peccatis debet determinate significare remissionem peccati, quia non plus efficit, quam determinate significet, cum sit forma practica et non speculativa: atqui illa verba *absolvo te* non significant determinate remissionem peccatorum, cum de se sint indifferentia ad significandam remissionem vel censurae vel peccati vel poenae adeoque etc. Tum quia concilium Florentinum in decreto unionis et Trident. *sess. 14. cap. 3.* expresse dicunt, formam sacramenti poenitentiae essse verba: *Ego absolvo te*, addita particula etc. quae ex genere suo indicat quid aliud ab enunciato in illis verbis: *Ego absolvo te;* adeoque ultra ista tutius erunt addenda etiam ista: *a peccatis tuis*, vel saltem: *a peccatis.*

Aliter confessarius peccaret mortaliter et exponeret sacramentum probabili periculo nullitatis sine necessitate et contra justissimam voluntatem poenitentis, ut dicit *Gobat. tract. 7. num. 150.*, cum aliis, et maxime post damnationem factam ab Innocent. XI. 2. Martii 1676 hujus propositionis primae in ordine: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis.*

Absolutio est valida sed illicita, si detur aliis verbis, quae tamen non mutent sensum formae ordinariae nec actum judicii; sic valide absolvitur, si dicatur: *Ego tibi remitto vel condono peccata tua; solvo te a peccatis tuis; tibi a me remittuntur peccata tua; absolvo dominationem vestram vel majestatem vestram*, si confessarius sic dicat reverentiae causa; *nos absolvimus te a peccatis tuis*, si ly *Nos* denotet dignitatem personae singularis absolventis, ut si sit Praelatus; *tu a me absolveris a peccatis*; *Franciscus vel dominatio vestra seu majestas vestra a me absolvitur a peccatis; jubeo, volo te absolutum esse a peccatis.* Omnes enim istae et consimiles formae sunt validae, quia est in istis tantum mutatio accidentalis, cum verba retineant sensum a Christo intentum: sunt tamen illicitae, quia sunt contra consuetudinem et praescriptum ecclesiae.

Absolutio autem data his verbis: *Ego te mundo a peccatis tuis*, vel aliis verbis consimilibus, a pluribus censetur insufficiens, quia non videtur significare absolutionem per modum sententiae judicialis, qualis requiritur ad sacramentum poenitentiae, utpote quod per modum judicii est a Christo institutum, adeoque qui eam daret sub similibus verbis, peccaret mortaliter, cum semper mortale sit extra casum necessitatis uti materia et forma dubia in sacramentis; sicuti secundum multos peccaret etiam mortaliter, qui extra casum necessitatis voluntarie relinqueret: *Ego*, et: *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Omissio vero aliarum precum, si fiat aliqua rationabili causa, v. gr. in magno concursu poenitentium, in frequentioribus et brevioribus confessionibus, non est nequidem peccatum veniale, cum nullimode spectent ad essentiam absolutionis sacramentalis, nec ad ipsius sacramenti administrationem sint necessariae, sed solummodo de ecclesiae sanctae more laudabiliter adjungantur, ut expresse docet *Trid. cit. sess. 14. c. 13.* verbis relatis p. 158. h.

Pro digna autem et practica usuali administratione sacramenti poenitentiae consultum est, ut laudabiliter practicatur a multis, quod confessarius dicat poenitenti, antequam incipiat confessionem: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite et competenter confitearis peccata tua, in nomine Patris* (formando signum crucis versus eum) et *Filii et Spiritus sancti. Amen.* Denique rite peracta confessione et injuncta poenitenti prius salutari poenitentia dicat, ut praescribit rituale romanum jussu Pauli V. editum: *Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.* Deinde dextera versus poenitentem elevata: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.* Postea: *Dominus Noster Jesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (hoc verbum suspensionis omittitur in laicis) *et interdicti, in quantum possum et tu indiges.* Deinde: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.* Et ultimo: *Passio Domini Nostri Jesu Christi, merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem omnium peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.* Non requiritur necessario ante verba: *Absolvo te,* addere: *auctoritate Dei*; et propositio contraria deleta est a tribunali Hispano sanctae inquisitionis in expurgatorio ann. 1640 in summa Fr. Hieronymi de Clamas. Urgente vero aliqua gravi necessitate, ut puta periculo mortis instantis, breviter confessarius dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen*, ut ad literam docet ritule romanum.

Absolutionis verba non praecise et nude indicant et declarant poenitentem esse a Deo absolutum, sed vere per modum sententiae judicialis important absolutionem poenitentis a peccatis loco Dei a confessario velut a judice pronunciatam. Et ratio est, quia in formis sacramentalibus verba id vere efficiunt quod significant; verba autem absolutionis sacramentalis vere significant absolutionem in persona propria sacerdotis et non meram declarationem absolutionis jam positae, ut clare patet ex tenore verborum, quae profert, audita confessione, ipse sacerdos; dicit enim: *Ego te absolvo a peccatis tuis*: absolvere enim non est praecise declarare adeoque confessarii vere absolvunt et non tantum indicant sed declarant poenitentes esse a Deo absolutos. Et sic habetur ex *conc. Trid. sess. 14. cap. 6.* de ministro hujus sacramenti et absolutione: *Quamvis autem absolutio sacerdotalis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium . . . . declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis ab ipso velut a judice sententia pronunciatur*, et etiam ex *can. 9. ejusdem sessionis et capitis*, his verbis: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti etc., anathema sit.*

Absolutio non est valida, si proferatur modo deprecativo,*) v. gr. *Absolvat te Deus, oro Deum, ut te absolvat,* vel similibus deprecativis verbis. *Est communis doctorum.* Et ratio est, quia sacramentum poenitentiae est a Christo institutum per modum judicii, ut habetur ex *Trident. sess. 14. cap. 2. et 6.* mox citato, ubi asserit confessarium esse judicem hocque sacramentum exerceri per modum judicii; sed non potest esse tale, nisi intercedat sententia judicis judicativa; in judiciis enim sententia non profertur deprecan-

*) Vd. *p. 160. notam rom. theol.*

do sed jubendo; adeoque etc. Tum quia Christus non dixit: *pro quorum peccatis oraveritis, sed: quorum peccata remiseritis, remittuntur.* Cum enim Christus dedit sacerdotibus potestatem remittendi peccata, eis dicens: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Joan. 20. Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Matth. 18.*, manifeste ostendit, quod in illius potestatis exercitio ea debent usurpare verba, quae hujus vim et amplitudinem certius exprimant; sed verba ista: *Ego te absolvo etc.* statuta a concilio Florentino *in decreto unionis* et a *Trident. sess. 14. cap. 3.* vim illam et amplitudinem expressius pro certo declarant, quam haec alia deprecativa: *Oro Dominum, ut te absolvat, absolvat te Deus*, et similia; adeoque etc.*)

*) Est sententia d. Thomae, qui *opuscul* 22. ad generalem sui ordinis magistrum, pluribus adductis argumentis, luculentissime ostendit formulam absolutionis *indicativam* non solum esse convenientem institutioni hujusce sacramenti poenitentiae, verum etiam omnino necessario adhibendam, inspecta natura hujus sacramenti. Quamquidem d. Thomae sententiam communiter amplexantur theologi Caeterum, si judicium nostrum hac de re exquiratur, adserere minime dubitamus angelici praeceptoris doctrinam non solum in praxi omnino servandam, (opposita enim non est practice probabilis,) verum etiam speculative loquendo de ecclesia latina, imo potius omnino certam. Atque hoc sane apprime evincunt argumenta supra prolata, quibus adjungi possunt haec alia ex laud. *d. Thomae* opusculo petita

I. In sacramentis verba habent efficaciam ex institutione divina, unde tenenda sunt verba determinate consonantia institutioni divinae. Institutioni autem dicenti: *Quodcumque solveris etc.*, ista verba conveniunt: *Ego te absolvo*, sicut institutioni dicenti: *Euntes docete omnes gentes baptizantes etc.* conveniunt ista verba: *Ego te baptizo.* Sicut ergo ista tenenda sunt in baptismo: *Ego te baptizo*, ita in poenitentia: *Ego te absolvo*

II. Sacramenta novae legis id efficiunt, quod figurant sive significant, tum ex materia tum ex forma verborum. Sed verba, quae significant interiorem solutionem a peccatorum nexibus, haec sunt, nimirum: *Ego te absolvo*, quae indicativam formam constituunt; ergo ista omnino ex necessitate sacramenti sunt adhibenda. Qui enim petit aliquid esse solvendum, non solvit: ait d. Th. *ibid.* Lege etiam laud. angelicum 3. *p. qu 84. art. 3.*

III. Rem conficere videtur Tridentinae synodi doctrina, qua decernitur formam sacramenti poenitentiae omnino repositam esse in illis verbis: *Ego te absolvo;* precesque eidem adjungi solitas pertinere ad laudabilem ecclesiae usum, minime vero ad formam. Ergo si preces hujusmodi ad rationem formae non pertinent,

Nota romani theologi.

Non adeo facile pronunciandum est validam non esse absolutionem verbis deprecativis contentam; nam licet Graeci aliique Orientales deprecante formula uterentur, etiam concilii Florentini tempore, ut ex eorumdem euchologiis constat, tamen Patres, quibus id erat apprime cognitum, nihil hac in parte mutandum censuere. Deinde Clemens VIII. et Benedictus XIV. Graecis sub latinis Episcopis degentibus praeceperunt, ut Latinos absolvendo uterentur forma indicativa sed in absolutione Graecorum deprecativam formam adhibere non prohibuerunt, etsi probe noscent hanc illos usurpare. Quorsum vero id nisi quia ratum existimavere poenitentiae sacramentum etiam deprecativa Graecorum formula collatum? Denique Orientales vel haec verba habent: *Absolvat te Deus per*

quia preces sunt, quis inde non perspiciet formam hujusce sacramenti *indicativo modo, non deprecativo* esse enuntiandum? Lege *Trident. sess. 14. cap. 3.* Postremo licet cum adversariis benignius agentes eisdem concedere velimus per integra duodecim priora saecula adhibitam fuisse in ecclesia latina in hujusce sacramenti administratione formulam *deprecativam*, uti contendunt eruditissimi viri, *Morinus, Juveninus* aliique (licet hoc ipsum in dubium vocare non temere quis poterit) iidem tamen ipsi docent nunc temporis minime valituram et sacramentum sua validitate inde cariturum, si adhiberetur. Ergo etc. Vide quae docet Cl. Juven. *comment. de sacram. dissert. 6. cap. 2. art. 2. § 2.*

Haec autem omnia, quae innuimus, satis evincunt, uti arbitror, non temere pronuntiatum esse absolutionem minime validam futuram, si proferretur *modo deprecativo*; nihilque causae erat qua meruisset ab adnotatore Ferraris in subjecta notula censura notari, quasi temere id dixisset. Neque porro quis culpandus videtur, quod in re tanti momenti tutiorem d. Thomae sectatus sententiam certa incertis praetulerit.

Dixi: *saltem in ecclesia latina.* Etenim eruditissimus Morinus, Juveninus aliique acriter contendunt apud Orientales sive Graecos *deprecativam* formulam semper usurpatam atque etiam nunc valide usurpari. Verum tantorum virorum pace dixerim, hoc ipsum non adeo exploratum videri, ut rem extra omnes dubitationis aleam repositam quis dicere possit, quemadmodum ostendit cl. Berti. Quod autem a cl. adnotatore Ferraris profertur auctoritas Clementis VIII. et Benedict. XIV. in bull.: *Etsi Pastoralis* de Graecis, hoc ipsum auctor latinus inter Latinos scribens merito non curasse videtur; aut secutus illorum sententiam, qui ex iisdem pontificiis decretis invaliditatem *formulae deprecativae* in sacramento poenitentiae colligendum arbitrantur. Lege *Laurentium Berti de theolog. disciplin. lib. 34. part. 2. cap. 7.*

me vel per humilitatem meam; vel verba illa subaudiuntur, sicut dum in baptismo ajunt: *Baptizatur servus Dei etc.*, subintelligitur: *a me.* Ergo ministerium sacerdotis deprecans forma exprimit et ipsam sacerdotis absolventis actionem ita declarat, ut ipsum veluti dei ministrum peccatores poenitentes a peccatis absolvere designet. Non est ergo irritum per hanc collatum formulam sacramentum.

Distinguendum inter illud quod necessarium est necessitate sacramenti et illud quod necessarium est necessitate praecepti ecclesiae. Omnes enim theologi in hoc conveniunt, ut affirment formam poenitentiae in illis consistere verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, quoad *sensum* spectatis. At praescindendo a positivo ecclesiae praecepto nobis perinde videtur, quoad rei substantiam, *formam* sive oratione *indicativa* sive *deprecativa* proferri. Facti argumentum est, multis saeculis in ecclesia latina obtinuisse formam deprecativam itidemque adhuc in ecclesia graeca viget. Monumenta enim quae collegit *Morinus de poenitentia l. 8. c. 8. 9.*, necnon *Marten. de ant. eccles. rit. c. 1. p. 2. 7.* nulla ratione possunt refelli. *Vd. Ferrar. t. I. p. 71.*

Viglevanen.

Sacerdos Marcellinus Nebbia episcopalis curiae Viglevanen. cancellarius quum rogatus fuerit a quodam illius dioec., ut super sequentibus dubiis S. R. C. sententiam exquireret, dubia ipsa proposuit pro opportuna declaratione, nimirum:

1. An in forma absolutionis ante verba: *Ego te absolvo ab peccatis tuis*, dicendum sit vel omittendum verbum: *Deinde:*

2. Quum in rituali rom. in eadem absolutionis forma legatur: »In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest: *Misereatur*, et satis erit dicere: *Dominus Noster Jesus Christus*, usque ad illud *Passio Domini*« quaeritur: An sit intelligendum exclusive vel inclusive? Et s. eadem C. ad Quirinale subscripta die coadunata in ordinario coetu audita relatione a me subscripto secretario facta, ac memor usque ab anno 1837 sub die 11. Mart. in una Veronen. ad dubium propositum hisce sub terminis: Utrum in forma absolutionis verbum: *Deinde*, in nonnullis editionibus rubro charactere impressum, omittendum sit? post auditam etiam s. universalis inquisitionis Cong. sancitum fuisse: *Nihil innovandum*, rescribendum censuit

Ad 1. »Detur decretum in Veronen. diei 11. Martii 1837.«

Ad 2. »Intelligendum exclusive.«

Atque ita rescribere rata est et declarare. Die 28. Febr. 1847.

Ad dubium: Utrum verbum *deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus ritualis rubro charactere impressum, omittendum sit?

Et S. eadem C.... rescribendum censuit: »Ad sacram universalem inquisitionem.« Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 27. Aug. 1836.

Veronen.

In Ordinariis S. R. C. comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis a me infrascripto secretario iterum relato dubio a Rmo Episcopo Veronen. hisce verbis proposito: Utrum verbum *deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus rubro charactere impressum omittendum sit?

Emi et Rmi P. S. tuendis ritibus praepositi, audita prius s. universalis inquisitionis Congregatione, rescribendum censuerunt: *Nihil esse innovandum.* Die 11. Mart. 1837.

i) A Laico.

Vd. *Absol. a peccat.* (a sacerdote non approb. et non habente etc. p. 163.)

k) Per literas vel nuntium nulla est.

Vd. *Confessio* (modus licitus; per literas etc.)

Absens non potest confiteri per nuntium et per literas ejusque confessio et absolutio sic a confessario absente obtenta est nulla et invalida, quia poenitente absente non potest verificari forma essentialis absolutionis, in qua dicitur, *absolvo te*, quae particula *Te* ex genere suo est demonstrativa personae praesentis, supra quam cadere debet absolutio; et colligitur ex *cap.: Quem poenitet 88. de poenitentia, dist. 1.* et expresse ex *Clementis VIII. constitut. incipient.: Sanctissimus Dominus noster Clemens emanata 20. Julii an. 1602*, in qua ex decreto Cong. sanctae romanae et universalis Inquisitionis die 20. Julii anno 1602 Clementis VIII. auctoritate et jussu edito, contrariam opinionem et assertionem damnavit ut falsam, temerariam et scandalosam et sub poena excommunicationis Papae reservatae prohibuit eam doceri et in praxim deduci.

Sic etiam invalida esset absolutio, si confessarius poenitentem praesentem audiret et

postea per literas eum absentem absolveret, quia Clemens VIII. damnavit nedum absentis confessionem sed etiam absentis absolutionem disjunctive; damnavit enim propositionem dicentem: *Licere per literas seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere;* neque enim in hoc etiam casu verificaretur forma substantialis absolunis, cum non haberetur praesens persona demonstrata ut praesens per illam particulam *Te*). Sic communiter doctores.*

SS. D. N. Clem. PP. VIII. patrum theologorum et re cum illustrissimo et reverendissimo DD. Card. contra haereticam pravitatem gener. inquisitoribus mature ac diligenter considerata hanc propositionem: *»licere per literas seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere« ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam* damnavit ac prohibuit praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur; quod si quis docuerit . . . praeter excommunicationem latae sententiae, quam ipso facto in-

*) Quam recto stet talo haec doctrina, quae traditur in hoc articulo, de damnatione propositionis facta a Clemente VIII. intelligenda non solum *conjunctive* sed etiam *disjunctive*, h. e. etiam de eo, qui confitetur praesens et postea absens absolvatur, aut contra, quivis perspiciet, cui in mentem subeat illud, quod narratur de Paulo V., qui speciali decreto anno 1605 interpretationem Francisci Suaresii de damnatione *complexiva*, uti ipse vocat, memoratae propositionis, propositae doctrinae contrariam jussit amoveri ex ejusdem libris. Cujusmodi decretum legere est apud *Juennium tractat. de sacram. dissert. 7. de poenitent. qu. 6. art. §. 6.*

Interim juvat hic observare, minime esse confundendam doctrinam, quam docet ac tuetur laud. *Suares. in 3. part. d. Th. disp. 21. sect. 4.* cum interpretatione damnationis memoratae propositionis; siquidem Paulus V. solam interpretationem damnat, uti videre est in memorato decreto.

Et re quidem vera; eo loci disserit eximius theologus de confessione facienda sacerdoti praesenti adseruitque per se loquendo esse necessarium, ut sacerdos in praesentia poenitentis confessionem audiat, imo et immediate ab ipso, si fieri potest; atque esse grave peccatum hunc modum confitendi voluntarie mutare. Verumtamen subjungit, non esse hoc ita essentiale sacramento, quin casu, in quo sacerdos veniens ad poenitentem morti proximum et inveniens illum ita privatum usu omnium sensuum, ut nullum signum peccati aut doloris ab eo possit obtinere, possit esse contentus aliorum relatione ad illum absolvendum: tunc enim confessionem non audit in praesentia et nihilominus sufficiet hujusmodi confessio, ut licite et valide detur absolutio. Haec sane doctrina unanimi theologorum consensu comprobatur et nullum adhuc theologorum discrepantem ab ea hactenus deprehendi, vel quia istiusmodi habenda sit tanquam exceptio quaedam a damnatione adductae thesis in Clementino decreto, vel quia in proposito casu non desit confessio etiam facta coram sacerdote, qualis esse potest in illis temporum angustiis, nimirum. per verba et testimonia adstantium, non quia confessio facta coram sacerdote non sit essentialis sacramento, uti opinatus est laud. *Suaresius.* Vide *Laurent. Berti de theol. discipl. lib. 34. p. 2. cap. 2. thes. 8.* Imo hujusmodi agendi ratio sive praxis in hujusmodi rerum circumstantiis sacerdotibus sive poenitentiae sacramenti administratoribus et suadetur ac praecipitur variis ecclesiae sive conciliorum canonibus, quos congerit *Gratianus in suo decret. part. 2. caus. 26. quaest 6.* et laud. theologus *Suarez.* ad memoratam doctrinam confirmandam pro se adducit. Nec id porro repugnare decreto Clement. VIII. expresse declaratum fuit per decretum Urbani VIII. anno 1632 imo et ab ipso Clemente.

Quod autem laudatus Suares. veritus ne huic communissimae doctrinae incommodum afferri posset ex decreto Clement. VIII., illud fuerit interpretatus de damnatione propositionis in sensu *complexivo* non autem *divisive*, hoc est illud, quod procul abjiciendum jussit Pontifex Paul. V. quod et nos libentissime ac perquam meritissimo rejicimus.

Illud etiam in disputationem hic vocari potest: quo nimirum jure fiat, ut absolutio data absenti (loquimur autem hic, uti patet, de sacramentali) irrita evadat. Eruditissimus Morinus, qui in ea fuit sententia, qua crederet hujusmodi absolutiones absentibus impertitas olim non infrequentes fuisse in ecclesia, censet absolutionem sacramentalem collatam absenti esse invalidam jure dumtaxat ecclesiastico Contrarium tamen alii docent ac tuentur, nec immerito. Siquidem pontificium Clement. VIII. decretum novum jus minime sancit sed tantum divinum hac de re interpretatur ac declarat; definit enim ac declarat hujusmodi propositionem edocentem: licere per literas ab absente sacerdote absolutionem obtinere, esse *falsam, scandalosam* et *temerariam*, qualis nempe fuerat ante omnem pontificiam definitionem ac proinde ex natura sua ac inspecta ratione sacramenti; atque adeo jure divino nulla atque invalida absolutio ex sententia ejusdem propositionis collata. Qua de re legi poterunt *Juenin* et *Betri* laud. in adductis locis. Quantum vero spectat ad absolutiones, quas olim absentibus collatas quibusdam ecclesiasticis monumentis productis probant contrariae sententiae patroni, nihil faciunt adversus productam sententiam; siquidem absolutiones illae sacramentales non erant, sed aut a poenitentia canonica per indulgentiam vel a censuris.

currat, et a quo non possit praeterquam in articulo mortis ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, etiam S. R. E. majori poenitentiario, nisi a rom. Pontifice absolvi.

Datum Romae die 20. Julii 1602.

Absolutio nequit dari absenti per nuntium vel per literas; *est communis* et colligitur ex *can.: Quem poenitet 88 de poenit. dist. 1.*, ubi habentur precisa verba: *Praecipit enim Dominus mundatis, ut ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali praesentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scripturam manifestanda. Dixit enim ora monstrate, et omnes, non unus pro omnibus, non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum, sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis; erubescentia enim ipsa partem habet remissionis; ex misericordia enim hoc praecepit Dominus, ut neminem poeniteret in occulto; in hoc enim quod per se ipsum dicit sacerdoti, et erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis.* Et habetur expresse ex decreto sanctae romanae et universalis inquisitionis incipien.: *Sanctissimus*, jussu Clement. VIII. emanato die 20. Julii 1602. his verbis: *Hanc propositionem, scilicet: licere per literas seu internuncium confessario absenti sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit praecipitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisque locutionibus, concionibus, congressibus doceatur, neque unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, imprimi fecerit aut de ea etiam disputative tractaverit, nisi forsan impugnando, vel ad praxim directe seu indirecte deduxerit, praeter excommunicationem latae sententiae, quam ipso facto incurrat, et a qua non possit, (praeterquam in articulo mortis) ab alio absolvi quacumque dignitate fulgente, etiam s. romanae ecclesiae majori poenitentiario, et nisi a pro tempore existente romano Pontifice absolvi, aliis etiam poenis arbitrio infligendis subjaceat.*

l) Pluribus simul dari potest.

Absolutio potest dari ab uno pluribus simul, uti de facto ab eodem confessario simul absolvuntur multi milites ante praelium, et etiam in naufragio aut in incendio vel aliis similibus casibus ab uno solo confessario multi praesentes in eodem periculo absolvuntur, dicendo: *Absolvo vos a peccatis.* Sic communiter tenent *Tambur. de confess. lib. 2. cap. 10. n. 4., Lugo dis. 13. sect. 6. n. 141., Coninch., Azor., Avers.* et alii passim. Et talis absolutio esset non quidem formaliter sed virtualiter et aequivalenter multiplex, et essent tot sacramenta, quot homines ponentes aliquam confessionem et dolorem cum proposito. *La Croix l. 6. par. 2. n. 645.* et alii communiter.

m) A sacerdote non approb. et non habente jurisdictionem, vel a laico.

Vd. *p. 136. n. 2.*

Absolutio non potest dari extra articulum mortis a sacerdote non approbato et non habente jurisdictionem, alias est nulla. *Cap.: Omnis utriusque, 12. de poenit. et remiss.; cap.: Si Episcopus, 2. eod. tit. in 6.*, et conc. Trident. *sess. 23. cap. 15. de reformat.* Et a fortiori nequit dari a laico, *lib. 3. const. apostol. cap. 10.*, Leo X. const. 40. incip.: *Exsurge.*, conc. Trid. *sess. 14. cap. 6. et canon. 10.* Unde sacramentaliter absolvens cum non sit sacerdos, fit suspectus de haeresi, et est cogendus ab inquisitoribus abjurare de vehementi; et licet esset minor 25 annorum, dummodo compleverit 20., est degradandus et brachio saeculari tradendus, ultimo supplicio afficiendus, ex *Clem. VIII.* constit. 81. incip.: *Et si alias*, et Urbani VIII. const. 79. incip.: *Apostalatus officium.*

Absolvendi facultas delegata non potest subdelegari. *De offic. et potest. judicis delegati, cap. et §. fin.*

Absolutio non potest dari a simplici sacerdote non approbato neque pro solis peccatis mortalibus dubiis, cum nullam habeat jurisdictionem. Imo simplex sacerdos non est permittendus, quod absolvat neque a solis peccatis venialibus, ut decrevit s. Congreg. romanae et universalis inquisitionis in decreto de communione quotidiana Ven. Innoc. XI. auctoritate edito *12. Febr. 1679.*, in cujus fine habentur praecisa haec verba: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo seu Ordinario.* Et nulla quoque declaratur a Benedicto XIV. constit. incip.: *Apostolica, bullar. tom. I. n. 100.*

In allegata constit. ss. Pontifex Benedictus XIV. ad eliminandas perversas quorumdam opiniones, quae irrepserant et ad praecavendum abusum indultorum apostolicorum, praesertim quoad facultatem eligendi confessa-

rium, declarat et mandat confessarios electos in vim bullae Cruciatae aut alterius privilegii, ab Ordinario ejus loci, in quo confitetur, actu approbatos esse debere.*) Subindeque statuit: *Confessiones aliter in posterum factas et respective auditas, nullas, irritas et invalidas fore.* Ideoque *confessiones et absolutiones in praemissis casibus aliter in posterum factas et respective auditas seu imperditas, irritas fore et invalidas* declarat. De absolutione a peccatis venialibus in tota illa bulla ne verbum quidem. Standum igitur primae assertioni, quae ait, simplicem sacerdotem non debere neque esse permittendum absolvere a venialibus.

n) A sacerdote gallicano et intruso.

(Ex Congreg. Cardinal. approbante Pio PP. VI.)
Vd. p. 136. n. 2.

Quaestio: Num licite fideles in articulo vel periculo mortis possint absolutionem recipere a sacerdote jurato et a parocho intruso?

Responsum fuit: Non esse improbandam rationem, quam injicerunt nonnulli gallicani praesules, qui in articulo vel periculo mortis poenitentiae sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus juratis ac etiam a parochis intrusis recipi posse permiserunt, deficiente quavis alio catholico sacerdote.

Die 28. Maii 1793.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 314. Ed. Romae.)

o) Uni a pluribus potest dari.

Potest dari absolutio uni a pluribus simul, ut tenent doctores; quamvis enim sit illicitum, quod poenitens confiteatur eadem peccata duobus vel pluribus sacerdotibus simul et ab eisdem duobus vel pluribus sacerdotibus simul absolutionem accipiat, ex quo fit contra consuetudinem ecclesiae, ut cum multis sentit *Suarez. disp.: 8. sect. 5. n. 2. de poenit.*, tamen absolutio erit valida. Imo possent dari casus, in quibus nedum esset valida sed etiam licita, ut si moribundo, qui confessionem petiit, adveniant duo sacerdotes et uterque illum sensibus destitutum absolvat; vel si in naufragio aut incendio aliquis multis sacerdotibus praesentibus confiteatur, et ab illis absolvatur; vel si poenitens bona fide id faceret existimans ita licere; in his enim, et similibus casibus, valida et licita esset utraque absolutio simul data, cum utraque concurreret ad gratiam sacramentalem, ex quo non sit major ratio de una quam de altera.

Imo, ut volunt *Cardin. de Lugo disp. 13. de sacram. poenit. sect. 7. num. 166. et 172., La Croix. lib. 6. part. 2. num. 647., Aversa q. 12. sect. 3.* et alii in illis casibus, si poenitens ita confiteretur pluribus, ut intenderet a quolibet seorsim et independenter ab altero absolutionem obtinere, per utramque absolutionem conferretur major gratia quam per unam solam; quia non est cur unum sacramentum impediatur a suo effectu producendo propter consortium alterius sacramenti. Sicut enim absolutiones illae, si non simul sed successive praestarentur, singulae darent effectum suum, et utraque conferret plus gratiae quam una sola, sic simul exhibitae dabunt eumdem effectum, quem darent successive, et essent plura judicia, et multiplicaretur absolutio, quae in recto importatur, et virtualiter multiplicaretur etiam dolor et confessio; adeoque singulis illis absolutionibus simul datis corresponderent diversae gratiae, cum quaelibet illarum deberet habere effectum diversum.

p) Valida vel licita.

Vd. *Absol. a peccatis* (forma, quae et quo modo danda p. 158. h.; a sacerdote gallicano etc. *ut supra.)*

q) Valida quoad confessarium.

Vd. *Confessarius* (approbat. necessaria est etc.) *Absolut. a peccatis* (a sacerdote non approb. etc. p. 163. m. a sacerd. gallicano etc. *ut supra.)*

r) A venialibus peccatis a sacerd. simplice.

Vd. *Absolutio a peccat.* (a sacerd. non approb. et non habente jurisdict. p. 163. et p. 136. n. 2.)

s) A Suspensione.

Vd. *Suspensio; Absol. a casib. et censuris reservatis etc.* (p. 138. 140. et p. 136. n. 2.)

*) Vd. p. 146. h.

Abstinentia.

1) Advenarum et peregrinorum.

Vd. *Jejunium advenar. et peregrinor.*

2) Aetas.

Vd. *Abstinent.* (dies).

Aetas, qua pueri et puellae obligantur ad audiendam missam et ad abstinendum a carnibus, regulariter est pariter septennium completum, quia tunc praesumuntur habere sufficientem usum rationis; septennio enim completo habent tantum usum rationis, ut sufficiat in utrisque ad contrahenda sponsalia, ex *cit. cap.: Ad dissolvendum 13. de dispensatione impuberum*, et sic tenent magis communiter doctores cum *Sanchez., Azorio, Bonazina, Torn., Bass.* et aliis multis.

3) Anticipatio.

Si vigiliae incidant in die dominica, non fit in ipsa abstinentia, sed anticipatur in sabbato, *de observat. jejun. cap.: Ex parte, et cap.: Consilium.* Sic etiam debet anticipari feria 4. vigilia s. Joannis Baptistae, si cadat in die Corporis Christi. Urbanus VIII. *in append. 2. constit. 43.: Cum evenire.* Non potest tamen anticipari vigilia s. Matthiae, etiamsi occurrat ultima die bachanalium. *S. R. Congr. 23. Januar. 1694.* Non potest, inquam, anticipari vigilia haec ex arbitrio et Episcopi auctoritate, potest vero auctoritate pontificia et Benedictus XIV. *epist. ad omnes Archiep. et Episcop. ditionis ecclesiasticae dat. 3. Januar. 1751* eam a die ultima bachanalium, in quam incidebat eo anno, in sabbatum praecedens transtulit monitis ecclesiasticis et regularibus, ne anticipatione illa illaque dispensatione uterentur.

4) A carne in sabbatis.

Vd. *Caro* (esus in sabb.)

5) Dies.

Abstinentia a carnibus est praecepta pro omnibus diebus veneris et sabbati; *de consecr. dist. 2. c. de esu carnium et dist. 5. c.: Quia dies.* Nicolaus PP. I. *ad consulta Bulgaror. cap. 5. de observat. jejunior.* Item pro toto tempore quadragesimae, *lib. 5. constitut. apostol. cap. 12.*, concilium Senonen. *cap. 7. de consecrat. dist. 5. cap.: Quadragesima;* concil. Colon. II. *part. 9. cap. 6.*, conc. Tolet. VII. *cap. 9.*, Nicolaus I. *ad consulta Bulgaror. c. 5. de observ. jejunior.*, concil. Claramont. *cap. 23.*, concil. Sabinen. cap. Item pro quatuor anni temporibus, Callist. I. *epist. 1. dist. 76. c.: Jejunium, c.: Statuimus*, concil. Sabin. *c. 1.*, Nicolaus I. *ubi supra*, concil. Oxoniens. *c. 1.*, concil. Mediolanens. I. *part. 2. tit. de jejunio.* Item pro vigiliis Natalis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. Virginis, festi omnium Sanctorum, Nativitatis s. Joannis Baptistae, sancti Laurentii et omnium Apostolorum, exceptis ss. Philippi et Jacobi et s. Joannis Evang., quoniam illorum solemnitas infra solemnitatem paschalem, istius autem infra Natalem Domini celebratur: *de observat. jejun. cap.: Consilium*; conc. Mediol. I. *part. 2. tit. de jejun.*, conc. Erfordiens. I. *c. 1.*

Quamvis de mandato ecclesiae teneantur christifideles a carne abstinere feria sexta et sabbato necnon diebus quadragesimae et vigiliis, tamen non omnes indiscriminatim ad hujusmodi abstinentiam tenentur; quapropter aliquid de istis addere lubet. Et quidem vesci carnibus in die vetito pueri et amentes non prohibentur. Pueri tamen solummodo ante septennium et rationis usu minime pollentes, quod si ante septennium usum adepti fuerint rationis, communis ac probabilior tenet sententia ad abstinendum a carnibus non teneri. *Azor. p. 1. lib. 7. cap. 17., Salmant. d. num 20. cum Suarez., Bonacina* aliisque. In dubio vero: an ante septennium attigerint necne usum rationis, possunt, si septennio incoepto, prohibentur: quia tunc possessio pro libertate, nunc autem pro rationis usu stat praesumptio. *Salm. de leg. c. 3. n. 52.* Nedum pueri et amentes a carnium abstinentia eximuntur sed et infirmi gravi morbo laborantes, modo adsit consilium utriusque medici spiritus et corporis. *Communiter.* Et pauperes etiam, cum aliud non habeant nec invenire possunt. *D. Ligor. theolog. moral. lib. III. tract. VI. n. 1008.*

6) A jejunio distinguenda.

Abstinentia distinguitur a jejunio, imo jejunii pars est. Abstinentia etenim propria est eorum, qui carnes minime comedunt, sed quavis diei parte cibum sumere valent; jejunare autem dicuntur ii, qui non modo se a carne abstinent sed etiam cibum ad certam statamque horam sumunt atque nonnisi semel in die. *Devot. institut. canonic. tom. 2. tit. 6. de jejun.*

7) Infra jubilaeum.

Episcopi illi qui expedire suae dioecesi putant ut dioecesani s. jubilaeo fruantur (literis apostolicis diei 8. Decembris 1864 concesso) in proxima quadragesima, possuntne commutare tres dies jejunii injuncti in alia pia opera, vel in locis, in quibus ex s. Sedis benignitate dispensatum est super abstinentia a carnibus, possuntne injungere hanc abstinentiam per tres dies, haud obstante dicta dispensatione et firmo manente praecepto jejunii ecclesiastici?

S. C. resp.: Per jejunium quadragesimale, etiamsi adsit necessitas utendi lacticiniis, satisfit duplici oneri.

Datum Romae in poenitentiaria die 20. Jan. 1865.

Cum itaque ad primum quaesitum ex novo indulto SSmi responsum fuisset: Per jejunium quadragesimale, etiamsi adsit necessitas utendi lacticiniis, satisfieri duplici oneri, quaesitum ulterius est:

An idem responsum applicari possit etiam in jejuniis quae locum habent extra quadragesimam, ita ut per jejunium praescriptum ex quatuor anni temporibus vel in vigilia alicujus Sancti satisfieri etiam possit jejunio injuncto ad lucrandam jubilaei indulgentiam?

Facta relatione hujus dubii per s. poenitentiariam SSmo Domino die 28. Aprilis 1865 SSmus benigne indulsit, ut cum jejunio praescripto jam ab ecclesia propter alias rationes possit satisfieri jejunio injuncto pro acquisitione jubilaei.

En verba rescripti:

Benigne annuit pro gratia adimplendi duplex praeceptum tantum.

In quo rescripto animadversione est dignum illud adverbium *tantum*, quo indicatur, SSmum non intendisse indulgere pro ejusmodi jejuniis lacticiniorum usum, sicuti indulserat tempore quadragesimae. Quare per jejunia, quae obveniunt tempore adventus, in vigiliis etc. satisfieri etiam a quolibet potest injunctis jubilaei jejuniis, attamen lacticinii usus praescribitur. Proindeque si in aliqua dioecesi necessitas exigeret lacticiniorum usum, indultum particulare postulandum esset a R. Pontifice, qui caeteroquin per s. poenitentiariam intuitu peculiarum rationum hujus generis gratias jam alias concessit.

8) Modus.

Abstinentia nimia a cibo vel potu vel somno impediens aliquem, ne postea suis possit fungi officiis, est mala et peccaminosa, *de consecr. dist. 5. c.: Non mediocriter*, ubi praecise dicitur: *Non mediocriter errant qui bono magno praeferunt mediocre bonum. Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati aut vigilias praeferat sensus integritati, ut propter abstinentiam immoderatam atque indiscretam psalmorum vel officiorum decantationem aut amentiae aut tristitiae notam incurrat?* Et sic expresse docet s. Thomas *in dist. 15. qu. 3. art. 4. quaestiuncul. 1. in corpore* his verbis: *Si vero aliquis in tantum virtutem naturae debilitet per jejunia et vigilias et alia hujusmodi, quod non sufficiat debita opera peragere, puta praedicator praedicare, doctor docere, cantor cantare et sic de aliis, procul dubio peccat:* sicut etiam peccaret vir, qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum. Et hoc divus Thomas confirmat ex istis sancti Hieronymi verbis relatis in supracit. *cap.: Non mediocriter rationabilis homo dignitatem amittit, qui jejunium charitati, vigilias sensus integritati praefert.*

Qui desiderat in hac materia esse omnimode instructus, non omittat legere Benedict. XIV. in suo opere de canon. SS. *lib. 4. part. 1. cap. 27.*, ubi tanta doctrina et sacra eruditione hoc argumentum solide pertractat, ut nihil ulterius desiderari posse videatur. Percurrenda est etiam medicorum illustrium Jacobi Bartholomaei Beccari et Matthaei Bazani Bononiensium elegantissima et doctissima dissertatio, quam in obsequium ejusdem Benedicti XIV., concinnarunt; eaque inter appendices recusa extat *tom. VII. romanae editionis operum* Benedicti XIV. *pag. 533.*

Dubia, quae proposita fuerunt s. m. Benedicto XIV. et ab eodem soluta, leguntur in literis datis ad Archiepiscopum Compostelae die 10. Junii 1745 et sunt sequentia:

I. Utrum quae in antedictis nostris literis in forma brevis de unica comestione et de epulis non praescribuntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur?

Resp.:*) Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis his adjectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis et non permiscendarum epularum; eos vero qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. »An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quae jejunantibus permittitur?«

Resp.: Non licere sed opus habere eo cibo eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectae meticulosae conscientiae.

III. »An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur et unica comessatione uti debent, horam jejunantibus praescriptam servare opus habeant.?«

Resp,: Observandam esse.

IV. »Quaenam sunt epulae licitae, quae vetantur cum interdictis iis conjungi?«

Resp.: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, ideoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicitur ii quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.

V. »An praeceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque dominicos quadragesimales complectatur?«

Resp.: Complecti.

VI. »Utrum haec lex ad eos quoque pertineat, qui ex bulla *Cruciatae* edere possunt ova et lacticinia?«

Resp.: Nihil in praenunciatis nostris apostolicis literis statutum esse, quod respiciat gratiosum *Cruciatae* diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendant ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.

VII. »Utrum memorata duo praecepta urgeant extra quadragesimam?«

Resp.: Urgere extra quadragesimam utrumque praeceptum: illud scilicet unicae comestionis, cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis: et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Sequuntur et aliae declarationes per s. poenitentiariam emissae.

1. »Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis sumendo serotinam refectiunculam infra horam X. et XI. matutinas, prandium vero differendo ad IV. et V. horam vespertinas?«

Responsum est die 19. Jan. 1834:

Si universionis supradictae rationabilis aliqua exstet causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.

2. »An patresfamilias, tum cum in ipsa sua familia adest aliqua persona dispensata super usu carnium, possint extendere dispensationem indiscriminatim ad omnes personas ejusdem familiae?«

Resp.: Infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero culam, avaritiam sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.

3. »An in quadragesima, cum patrifamilias facultas sit edendi carnes et idem non possit vel nolit duo parare prandia alterum carnium et alterum juxta abstinentiae legem (italice dicebatur di magro), filiifamilias ceterique ejusdem servitio addicti possint carnes edere?«

S. poenitentiaria 19. Januar. 1834 respondit:

Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur.

4. »An vi responsionis s. poenitentiariae hisce verbis conceptae: *Personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis etc.*, dispensato patrefamilias intelligi debeant dispensati etiam caeteri ejusdem familiae?«

Resp.: S. poenitentiaria nunquam declaravit dispensationes concessas capiti familiae extendi ad totam familiam, sed tantum dedit directiones pro confessariis in actu practico circa eos, qui sub potestate sunt et debent vesci cibis a parentibus datis.

Vd. p. 168. notam.

6) A jejunio distinguenda.

Abstinentia distinguitur a jejunio, imo jejunii pars est. Abstinentia etenim propria est eorum, qui carnes minime comedunt, sed quavis diei parte cibum sumere valent; jejunare autem dicuntur ii, qui non modo se a carne abstinent sed etiam cibum ad certam statamque horam sumunt atque nonnisi semel in die. *Devot. institut. canonic. tom. 2. tit. 6. de jejun.*

7) Infra jubilaeum.

Episcopi illi qui expedire suae dioecesi putant ut dioecesani s. jubilaeo fruantur (literis apostolicis diei 8. Decembris 1864 concesso) in proxima quadragesima, possuntne commutare tres dies jejunii injuncti in alia pia opera, vel in locis, in quibus ex s. Sedis benignitate dispensatum est super abstinentia a carnibus, possuntne injungere hanc abstinentiam per tres dies, haud obstante dicta dispensatione et firmo manente praecepto jejunii ecclesiastici?

S. C. resp.: Per jejunium quadragesimale, etiamsi adsit necessitas utendi lacticiniis, satisfit duplici oneri.

Datum Romae in poenitentiaria die 20. Jan. 1865.

Cum itaque ad primum quaesitum ex novo indulto SSmi responsum fuisset: Per jejunium quadragesimale, etiamsi adsit necessitas utendi lacticiniis, satisfieri duplici oneri, quaesitum ulterius est:

An idem responsum applicari possit etiam in jejuniis quae locum habent extra quadragesimam, ita ut per jejunium praescriptum ex quatuor anni temporibus vel in vigilia alicujus Sancti satisfieri etiam possit jejunio injuncto ad lucrandam jubilaei indulgentiam?

Facta relatione hujus dubii per s. poenitentiariam SSmo Domino die 28. Aprilis 1865 SSmus benigne indulsit, ut cum jejunio praescripto jam ab ecclesia propter alias rationes possit satisfieri jejunio injuncto pro acquisitione jubilaei.

En verba rescripti:

Benigne annuit pro gratia adimplendi duplex praeceptum tantum.

In quo rescripto animadversione est dignum illud adverbium *tantum*, quo indicatur, SSmum non intendisse indulgere pro ejusmodi jejuniis lacticiniorum usum, sicuti indulserat tempore quadragesimae. Quare per jejunia, quae obveniunt tempore adventus, in vigiliis etc. satisfieri etiam a quolibet potest injunctis jubilaei jejuniis, attamen lacticinii usus praescribitur. Proindeque si in aliqua dioecesi necessitas exigeret lacticiniorum usum, indultum particulare postulandum esset a R. Pontifice, qui caeteroquin per s. poenitentiariam intuitu peculiarum rationum hujus generis gratias jam alias concessit.

8) Modus.

Abstinentia nimia a cibo vel potu vel somno impediens aliquem, ne postea suis possit fungi officiis, est mala et peccaminosa, *de consecr. dist. 5. c.: Non mediocriter*, ubi praecise dicitur: *Non mediocriter errant qui bono magno praeferunt mediocre bonum. Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati aut vigilias praeferat sensus integritati, ut propter abstinentiam immoderatam atque indiscretam psalmorum vel officiorum decantationem aut amentiae aut tristitiae notam incurrat?* Et sic expresse docet s. Thomas *in dist. 15. qu. 3. art. 4. quaestiuncul. 1. in corpore* his verbis: *Si vero aliquis in tantum virtutem naturae debilitet per jejunia et vigilias et alia hujusmodi, quod non sufficiat debita opera peragere, puta praedicator praedicare, doctor docere, cantor cantare et sic de aliis, procul dubio peccat:* sicut etiam peccaret vir, qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum. Et hoc divus Thomas confirmat ex istis sancti Hieronymi verbis relatis in supracit. *cap.: Non mediocriter rationabilis homo dignitatem amittit, qui jejunium charitati, vigilias sensus integritati praefert.*

Qui desiderat in hac materia esse omnimode instructus, non omittat legere Benedict. XIV. in suo opere de canon. SS. *lib. 4. part. 1. cap. 27.*, ubi tanta doctrina et sacra eruditione hoc argumentum solide pertractat, ut nihil ulterius desiderari posse videatur. Percurrenda est etiam medicorum illustrium Jacobi Bartholomaei Beccari et Matthaei Bazani Bononiensium elegantissima et doctissima dissertatio, quam in obsequium ejusdem Benedicti XIV., concinnarunt; eaque inter appendices recusa extat *tom. VII. romanae editionis operum* Benedicti XIV. *pag. 533.*

Dubia, quae proposita fuerunt s. m. Benedicto XIV. et ab eodem soluta, leguntur in literis datis ad Archiepiscopum Compostelae die 10. Junii 1745 et sunt sequentia:

I. Utrum quae in antedictis nostris literis in forma brevis de unica comestione et de epulis non praescribuntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur?

Resp.:*) Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis his adjectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis et non permiscendarum epularum; eos vero qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. »An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quae jejunantibus permittitur?«

Resp.: Non licere sed opus habere eo cibo eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectae meticulosae conscientiae.

III. »An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur et unica comessatione uti debent, horam jejunantibus praescriptam servare opus habeant.?«

Resp,: Observandam esse.

IV. »Quaenam sunt epulae licitae, quae vetantur cum interdictis iis conjungi?«

Resp.: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, ideoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicitur ii quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.

V. »An praeceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque dominicos quadragesimales complectatur?«

Resp.: Complecti.

VI. »Utrum haec lex ad eos quoque pertineat, qui ex bulla *Cruciatae* edere possunt ova et lacticinia?«

Resp.: Nihil in praenunciatis nostris apostolicis literis statutum esse, quod respiciat gratiosum *Cruciatae* diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendant ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.

VII. »Utrum memorata duo praecepta urgeant extra quadragesimam?«

Resp.: Urgere extra quadragesimam utrumque praeceptum: illud scilicet unicae comestionis, cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis: et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Sequuntur et aliae declarationes per s. poenitentiariam emissae.

1. »Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis sumendo serotinam refectiunculam infra horam X. et XI. matutinas, prandium vero differendo ad IV. et V. horam vespertinas?«

Responsum est die 19. Jan. 1834:

Si universionis supradictae rationabilis aliqua exstet causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.

2. »An patresfamilias, tum cum in ipsa sua familia adest aliqua persona dispensata super usu carnium, possint extendere dispensationem indiscriminatim ad omnes personas ejusdem familiae?«

Resp.: Infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero culam, avaritiam sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.

3. »An in quadragesima, cum patrifamilias facultas sit edendi carnes et idem non possit vel nolit duo parare prandia alterum carnium et alterum juxta abstinentiae legem (italice dicebatur di magro), filiifamilias ceterique ejusdem servitio addicti possint carnes edere?«

S. poenitentiaria 19. Januar. 1834 respondit:

Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur.

4. »An vi responsionis s. poenitentiariae hisce verbis conceptae: *Personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis etc.*, dispensato patrefamilias intelligi debeant dispensati etiam caeteri ejusdem familiae?«

Resp.: S. poenitentiaria nunquam declaravit dispensationes concessas capiti familiae extendi ad totam familiam, sed tantum dedit directiones pro confessariis in actu practico circa eos, qui sub potestate sunt et debent vesci cibis a parentibus datis.

Vd. p. 168. notam.

5. »An ratio, propter quam filiifamilias uti possunt cibis vetitis a patrefamilias exhibitis, sit eorum impotentia physica sive moralis observandi praeceptum seu potius indultum, quo gaudet paterfamilias?«

Resp.: Ratio permissionis, de qua in quaesitu proposito sermo, non est indultum patrisfamilias sed impotentia, in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum.

6. »Possuntne filiifamilias edere carnes tempore vetito praesupposita ejusmodi facultate in ipsis parentibus vel in horum uno; et in casu affirmativo possuntne filii edere carnes sine offensione conscientiae, cum reperiantur in circumstantia duo prandia parandi?«

Responsum est die 20. Aprilis 1865:

Negative, loquendo speculative, practice vero confessarius dijudicare tenetur.

7. »An illi, qui dispensantur super observantia jejunii ob exercitium laboriosae artis in quadragesima, cum indultum concessum est vescendi carnibus et lacticiniis (pro unica comestione), possint uti carnibus et lacticiniis, quoties per diem edunt, sicut diebus dominicis, quibus jejunium praecipitur?«

S. poenitentiaria de mandato felicis recordationis Pii Papae VII. respondit:

Fideles, qui, ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt. Datum Romae in s. poenitentiaria die 16. Jan. 1834.

8. Eminentissime Princeps.

Quidam sacerdotes regnorum Belgii et Hollandiae ad tranquillitatem conscientiae suae et ad certam fidelium directionem instanter petunt ab Eminentia Vestra solutionem sequentium dubiorum:

Gury, Scavini et alii referunt tanquam responsa sacrae poenitentiariae data die 16. Januarii 1834: Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis et de unica comestione in die iis qui jejunare tenentur.

Igitur quaeritur:

I. »An haec resolutio valeat ubique terrarum?«

II. »Dum dicitur *permitti posse*, petitur: A quo ista permissio danda sit et an suffi-

ciat permissio data a simplici confessario?«

Altera resolutio: Fideles, qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis, per idem indultum permissis quoties per diem edunt.«

Dubitatur igitur: An haec resolutio valeat in dioecesi, cujus Episcopus, auctoritate apostolica, concedit fidelibus, ut feria II., III. et V. temporis quadragesimae possint semel in die vesci carnibus et ovis, iis vero qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, permittit ut ovis saepius in die utantur?

Quaeritur itaque:

I. »An, non obstantibus memorata phrasi« ovis saepius in die utantur »et tenore concessionis possint, ii qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, vi dictae resolutionis vesci carnibus, quoties per diem edunt?«

II. »An iis, qui jejunare non tenentur ratione aetatis vel laboris, aequiparandi sint, qui ratione infirmae valetudinis a jejunio excusantur, adeo ut istis quoque pluries in die vesci carnibus liceat?«

S. poenitentiaria mature consideratis propositis dubiis dilecto in Christo oratori in primis respondet transmittendo declarationem ab ipsa s. poenitentiaria alias datam, scilicet: Ratio permissionis, de qua in resolutione data a s. poenitentiaria 16. Januarii 1834, non est indultum patrifamilias concessum sed impotentia, in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum.«

»Deinde ad duo priora dubia respondet quoad primum: Affirmative; quoad secundum: Sufficere permissionem factam a simplici confessario.«

»Ad duo posteriora dubia respondet, quoad primum: Negative;*)

*) Vd. p. 166. 8. I.

Haec responsio est peculiari observatione digna. Benedictus XIV. in responsione ad primum dubium propositum ab Archiepiscopo Compostellae respondit: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis adjectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis et non permiscendarum epularum. Eos vero qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones obligari. Supposita itaque concessione hujus indulti, cui nova limitatio facta non sit, locum habet s. poenitentiariae responsio data die 16. Januarii 1834, de qua supra. At vero si nova limitatione indultum circumscriptum sit, ut in praesenti casu, in quo Episcopus auctoritate apostolica, permisit tantum, ut, qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, ovis saepius in die utantur, locum dicta responsio non habet pro ea parte, quae iisdem permittit usum carnium, quoties per diem edunt.

*) Rationes cur non aequiparentur, sunt sequentes: Qui a jejunio excusantur ratione aetatis vel laboris uti possunt cibis vetitis solummodo vi indulti, quod subjici potest majori vel minori limitationi; dum e contra infirmi possunt uti cibis vestis juxta statum propriae valetudinis et medici judicium. — Ita ex. gr. aliquibus diebus indultum posset non extendi ad condimenta; hoc in casu qui super jejunio dispensatur ratione aetatis vel laboris abstinere debet a condimentis in indulto exceptis, at infirmus potest carnibus vesci, si ita exigat ejusdem valetudo. — Ejusmodi rationes consulta s. poenitentiaria reddidit Emus Card. Barnabo ad Episcopum Suthwarsensem per literas datas die 8. Martii 1864. His sunt consona, quae in antecedenti nota diximus.

Quoad secundum: Non aequiparari.*)

Datum Romae in s. poenitentiaria die 27. Maii 1863.

9. »Utrum ii, qui ratione aetatis vel laboris (addunt paritate rationis et infirmitatis) jejunare non tenentur, subjiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per indultum carnes permittuntur?«

Resp. die 13. Februarii 1834: Consulat probatos auctores.

10. »Confessarius petit a Sanctitate Vestra: An illis, quibus indulgetur esus carnium diebus veneris et sabbati per annum, in quibus obligatio jejunii non habetur, permissa sit permixtio ciborum, non obstante responsione Benedicti XIV. ad Archiepiscopum Syracusanum per secretariam Memorialium emissa, die 7. Januarii 1755?«

»S. poenitentiaria 15. Febr. 1834 praeposito dubio diligenter perpenso factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI. de Ipsius Sanctitatis Suae mandato respondit: Permitti.«

11. »Utrum in diebus jejunii tempore adventus a Pio VI. praescripti, permissis tamen lacticiniis, cui propter infirmationem licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium?«

Resp. 8. Januarii 1834: Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem.

12. »Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati (vulgo salumi id est acciuphe mosciame, caviale, arinza, tarantella aliaque his similia) an potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi?«

Resp. 16. Januarii 1834: Pisces sale siccatos . . . vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.

13. »Utrum tempore jejunii, cui licitus est usus carnium, liceat miscere testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur (id est ostriche, telline, patelle canolicche, cappe, granchi etc.?)«

Resp. die 16. Januarii 1834: Testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.

14. »Illi, quibus licita est cibi qualitas, possuntne diebus jejunii vesci solviusculo carnis, ut suae prospiciant valetudini, ac praeterea uti cibis esurialibus, ut obtemperent, quantum fieri possit, ciborum praecepto?«

Resp. die 8. Februarii 1828: Affirmative.

15. »Utrum tempore jejunii liceat mixtio carnis cum leguminibus?«

Resp. Carnes cum quibuscumque leguminum speciebus misceri posse extra dubium est.

16. »An illi, quibus licitus est esus carnium diebus, quibus utuntur tantum lacticiniis, possint uti condimento laridi liquefacti?«

17. »Utrum, quum sive per bullam *Cruciatae**) sive aliam ob causam conceditur indultum pro usu laridi liquefacti (vulgo structo) solo titulo condimenti, ii, qui ad jejunium tenentur, eo condimento licite uti possint in serotina etiam refectione?«

»S. poenitentiaria 16. Januarii 1834 de expresso sanctae memoriae Papae Leonis XII. oracula respondit: Quod ii, qui ad jejunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectione condimentis in indulto permissis, quia illa, vi indulti, olei locum tenent, dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione.«

18. »An in concessione condimentorum (vulgo di grasso) intelligatur concessus usus condimenti ex adipe cujuscumque animalis?«

Resp.: Utendum tantum condimento suino.

19. »An diebus veneris et sabbati, qui-

*) Vd. Bulla *Cruciatae* (privil. quae in jejun. etc.)

bus indulgentur condimenta (vulgo di grasso) possit jusculum carnis adhiberi?«

Resp.: Sub terminis condimenti die grasso, non comprehendi jusculum carnis coctae.

Nota. Mirum esse non debet si reperiantur nonnulla s. poenitentiariae responsa sine die datae, praesertim si sint antiqua. — In regestis enim s. poenitentiariae decisiones distribuuntur juxta ordinem materiae, et satis est ut ibi reperiatur responsio inscripta, ut authentica sit. Quinimo responsa, quae datum habent, plerumque antiquiora sunt data illa, quam gerunt; sunt enim saepe repetitiones responsorum, quae in regestis sine data reperiuntur. — Neque, cum agitur de foro interno, magna solicitudo de datis est habenda, quae datae suppressio secretum, quod servari debet, coadjuvat; et multa in s. poenitentiariae officio ratione dicti secreti nullimode in regestis recensentur. —

9) In Nativit. D., si venerit in fer. VI.

Si Nativitas Domini N. J. C. accidat in die veneris, dispensantur omnes ab abstinentia carnis, exceptis iis, qui tenentur voto vel regulari observantia. *Nicolaus I. ad consult. Bulgaror. cap. 5. de observat. jejuniorum, Honorius III. cap.: Explicari, de observat. jejunior.*, qui Episcopo Pragensi super hoc puncto interroganti respondit: *Explicari per Sedem apostolicam postulasti etc. Respondemus, quod illi, qui nec voto nec regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis Dominicae die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem ecclesiae generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.* Idem etiam statuendum, si praefata Nativitas Domini incidat in sabbato, ut eruitur ex decret. Gregorii VII. *cap.: Quia dies, de consecrat. dist. 5.* Vide *Card. Cozza de jejunio p. 2. art. 15. num. 18.*

10) Personae, quae dispensantur.

Vd. *Abstinent.* (dies; modus.)

Abusus.

(Sustineri nequit.)

Abusus nequit sustineri vetustatis argumento, dum rectae rationi, decentiae atque honestati adversatur. *Benedict. XIV. de synod. dioccesan. lib. 11. cap. 3.* Et quantocius praecidendus est abusus ille sub specie severitatis et sanctioris disciplinae eam labefactans *(ibid. lib. 6. c. 21.)*; quemadmodum et ille eliminandus est, quo clerici Episcoporum auctoritati resistentes Congregationem rescriptis brevibusque apostolicis se muniunt, itaut Episcopi ad recti normam eos revocare minime valeant. *Bened. XIV. ibid. l. 13. c. 9.* In illis autem extirpandis cavendum praecipue est, ne alia remedia quam canonica adhibeantur et an revera adsit abusus; quia aliter injuriosum foret subditis, putantes se infamari quasi reos criminis non admissi; *ibid. lib. 6. cap. 11*; nec ad illis omnibus occurrendum semper novae promulgandae sunt leges, quia revera non omnes abusus tales sunt, ut his opus habeant. *Idem Benedictus XIV. in suo opere citato.*

Acceptio Personae.

1) Non habenda in electionibus ad benef. et dignit.

Acceptio personarum est vitium justitiae distributivae oppositum, quo sive in jure dicendo sive in bonorum communium aut honorum distributione, id quod alicui ex debito justitiae est conferendum, datur et attribuitur alteri, non ob justam causam et meritum ejus ad ipsam rem sed potius ob conditionem et qualitatem ipsius personae ad talem rem

non pertinentem; sic sentiunt doctores communiter. Unde qui in judiciis, concursibus, communium bonorum et honorum distributionibus seu beneficiorum collationibus personam divitem, potentem, nobilem, parentem, amicam et commendatitiis munitam anteponit personae pauperi, commendatiis et dictis conditionibus destitutae, conferendo illi ob tales conditiones et qualitates id, quod isti pauperi ex merito justitiae debetur, committit grave peccatum acceptionis personarum contra expressam prohibitionem *Levit. 19: Non consideres personam pauperis nec honores vultum potentis; recte judica proximo tuo.* In judiciis enim et causis non est habenda acceptio personarum: *de regulis juris in 6. regul. 12.* juxta id, quod habetur expresse Ecclesiast. 12: *Ne accipias personam, ut delinquas*, et Jacobi 2. explicite declaratur: *Si accipitis personam, peccatum operamini.* Unde sanctus Augustinus relatus a divo Thoma 2. *quaest. 63. artic. 2.* in corpore dicit: *Nec sane, quantum arbitror, putandum est leve esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini Nostri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi ad honores ecclesiasticos referamus: Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris ecclesiae, contempto paupere instructiore atque sanctiore?*

Acceptio personarum brevius definitur ab *Espenio jur. eccles. univ. part. 2. tit. 31. c. 1. num. 1: Injustitia, qua praefertur persona personae propter causam indebitam.*

Contra acceptiones personarum in beneficiis ecclesiasticis conferendis exstant querelae Bracharensis Archiepiscopi coram patribus concilii Tridentini apud Pallavicinum in *hist. concilii Trident. lib. 23. cap. 7. n. 7.*

Omnia jura clamant, ut meliores et sanctiores eligantur et ideo peccant contra justitiam distributivam, qui omisso digniore eligunt dignum, ut notant doctores in *cap.: Constitutis decretal. de appell., Covarruv. in relect. cap.: Peccatum, de R. J. in 6. §. 7. num. 4., Fagnan. in cap.: Cum dilectus, decretal. de consuet. n. 19.*)*

*) Distinguendum esse videtur beneficia simplicia inter et duplicia. Equidem contra justitiam distributivam agitur et mortale peccatum patratur, cum in beneficiis duplicibus, omisso digniore minus dignus eligitur. *Trid. sess. 7. cap. 3. de reform.* Non autem idem dicendum de simplicibus beneficiis. *Reiffenst. lib. 1. tit. VI. §. X., Lugo disput. 35. de justit. et jure sect. 2. n. 20., Lesius lib. 2. de just. et jure cap. 34. dub. 14., Garcias, Navarrus* et alii

Patroni etiam laici eligere tenentur digniorem, ut contra Lambertinum probat Covarruv. *loc. cit. n. 5.*, sed ad evitandas lites et discordias praesentatio patroni de digno, omisso digniore, in foro externo irritari nequit, ut notant canonistae *ad cap. 3. decret. de jur. patron.*

Unde desumenda major capacitas et quomodo de ea inquirendum et quam grave delictum sit accipere personam in collatione beneficiorum, consule *Espenium in jus eccles. univ. p. 2. tit. 31. c. 3. et 4.*

In hac materia personarum acceptionis adest propositio ab Innocentio XI. damnata *n. 47*, quae sic effertur: *Cum dicit concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, quia nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint ad ecclesias promovent, concilium vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundo, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Ex quibus perspicue colligere est, sub gravi obligatione digniorem praeficiendum esse prae minus digno, cum id aperte declaret Tridentinum concilium, neque ibi *positivum* pro *comparativo* usurpatur, nec patres leguntur *impropria* locutione, neque de *concursis* agitur. Accedit s. Hieronymi auctoritas *(in can. 15. licet 8. q. 1.)* dicentis eligendum esse sacerdotem seu Episcopum, *qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior.* Et ratio est, quia ut loquitur Tridentinum *sess. 6. c. 1. de reform.* ecclesiasticum regimen est onus angelicis humeris formidandum, ergo digniores ad illud sunt eligendi et quantum fieri potest dignissimi; tum quia eligendo minus dignum prae digniore ecclesia multum patitur detrimenti, ambitionibus sternitur via, periculum inducitur eligendi indignum, dum hoc ipso,

quamplures; quia tunc parum damni infertur ecclesiae, modo praetermittatur dignior semel vel bis. *Lug. c. n. 21., Lessius, Navar., Azor., Eisl. Croax d. n. 588;* modo beneficium parvi sit momenti parvusque excessus dignitatis Quinimo *Lugo, Lessius, Sanchez, Garzias, Navarrus, Sotus, Sylvester* et alii et apud *Reiffenst. l. 1. VII.* §. X. notant etiam in electione ad beneficia duplicia non adesse mortale peccatum, quando excessus dignitatis in eo, qui praetermittitur, modicus est ac dumtaxat parvus super eum, qui eligitur.

quod quis non appareat indignus simpliciter, judicatur dignus; denique *acceptio personarum* committitur, quae ex genere lethale peccatum est contra justitiam distributivam, cum aliquid attribuatur personae praeter proportionem dignitatis suae. Vide *s. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2.* et *seq.* et *quaest. 185. art. 8.*

Ad hoc autem dignoscendum, quis indignus, quis simpliciter dignus vel dignior sit, haec sunt perpendenda, ut facilius a personarum acceptione caveatur. Dicitur *simpliciter dignus,* qui praeditus est omnibus qualitatibus a jure requisitis; et qui in his excellit, dicitur *dignior*; qui vero harum qualitatum aliqua caret, vocatur *indignus.* Est autem major dignitas desumenda non praecise ex majori pietate vel scientia vel nobilitate sed ex omnibus animi et corporis dotibus, ita ut praeficiendus melior et qui utilior ecclesiae credatur futurus. Hoc autem procedit in praeficiendis Episcopis, Praelatis saecularibus et regularibus, curatis animarum, necnon simplicibus beneficiatis. *C. un. ut eccl. benefic.*

Qui vero relicto digniore ecclesiae praefert minus dignum et acceptionis crimen perpatravit, tenetur ad restitutionem et reparationem omnium damnorum, quae ex tali provisione obvenerunt; nam laesit justitiam commutativam, cum ex quasi contractu obligatus fuerit ad majus ecclesiae bonum procurandum. Si autem digniori omisso, saltem extra concursum, et si dolo malo non eum a beneficii consequutione prohibuit, probabilius non tenetur ad ullam restitutionem, tum quia dignior non habuit ullum jus actu quaesitum, tum quia illius respectu solummodo justitia distributiva fuit laesa, restitutio autem est actus justitiae cummutativae. D. Thom. 2. 2. *quaest. 62. art. 1.* Si autem minus dignus electus ad beneficium simplex sine concursu, eligens a quacumque excusatur restitutione. Sic communius censent *Canus, Nav., Tol., Loss., Sanchez, Lugo, Castrop., Croix.* Vide autem de tota hac materia d. Ligor. in sua *theolog. moral. lib. 4. de praec. particul. cap. 2. de statu cleric. dub. 1.*

Non praeternittendum vero putamus hic adnotare, quod si amicus praeferatur vel consanguineus, meritis aequalibus, non habetur acceptio personarum. *Benedictus XIV. inst. eccles. inst. 12. ad 8.*

2) Non habenda in administrat. Sacram.

Quam maxime personarum acceptione abhorrendum est, praecipue vero in sacramentorum administratione, ut ex his colligitur quae habentur in *Benedicto XIV. constitut. 107. p. 401. et 417. tom. 1. bullar.*

Et hoc rectissime quidem; cum enim personarum acceptio divinae legi adversatur in omnibus, in quibus ipsa committitur, peculiari quodam modo videtur eidem adversari in sacramentorum administratione. Et revera Christus Dominus indiscriminatim nulla exceptione facta ea instituit atque omnibus conferri mandavit. En quomodo ipse *Matth. XXVIII. 19.* loquitur: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*: ex illis autem verbis *omnes gentes* omnem acceptionem excludi unicuique pro comperto est. Quae cum ita sint, quam horrendum sit in sacramentorum administratione personarum acceptionem committere patet, quum quae ad animarum sanctificationem sunt instituta ad humanam amicitiam fovendam convertantur.

3) Peccatum quando est?

Vd. *Acceptio pers.* (non habenda etc. p. 170.)

Ad peccatum acceptionis personarum necessarium est, quod res uni potius quam alteri debeatur qualicumque justitiae debito. Si enim neutri nullo modo debeatur sed mere liberaliter donetur, etiam spectata charitatis obligatione, tunc nullum committitur pecatum acceptionis personarum, juxta illud *Matthaei 20.: An non licet mihi quod volo, facere?* Et circa hoc docet d. Thom. *2. 2. quaest. 63. art. 1.* in corpore, quod *duplex est datio, una quidem pertinens ad justitiam, qua scilicet aliquis dat alicui, quod ei debetur, et circa tales dationes attenditur personarum acceptio; alia est datio ad liberalitatem pertinens, qua scilicet gratis datur alicui, quod ei non debetur et in hac datione non habet locum personarum acceptio, quia quilibet absque injustitia potest de suo dare quantum vult et cui vult.* Et sic etiam s. Antoninus *2. parte summae theolog. tit. 1. c. 20.: In his, quae dantur mere ex liberalitate, non ex debito, non habet locum acceptio personarum, si datur magis uni personae quam alteri, quia suum est quod dat et nemini debet et in re sua unusquisque est moderator et vindex.*

Accessorium.

1) Quando sequitur principale?

Accessorium naturam sequi congruit principalis, *de regulis juris in 6. regul. 42.* Accessorii idem est judicium, quod principalis. *Rota romana par. 2. dec. 97. num. 2.* Non alterat principalem dispositionem sed illi omnino famulatur, *Rota par. 11. dec. 147. n. 15. et 16.* Videtur concessum cui est concessum principale. *Rota part. 5. tom. 2. dec. 432. num. 3.* Accessorium non tenet, si non tenet principale, ad quod sequitur: *de fide instrumentor. cap. inter dilectos in fine.* Corruit principali deficiente. *Rota part. 7. decis. 261. n. 10. et 11.*

Regula illa equidem famosa juris: *Accessorium naturam sequi congruit principalis,* desumpta habetur ex *l. Nihil dolo, 129. ff. de reg. jur.,* ubi: *Cum principalis causa non consistit, nec ea quidem, quae sequuntur, locum habent.* Item 6. *Cum princip. 178. ff. eodem. Cum principalis causa non consistat, plerumque nec ea quidem, quae sequuntur, locum habent,* et *l. 2. ff. de Pecul. legat.: Nam quae accessionum locum habent, extinquuntur, cum principales res peremptae fuerint,*

2) Quando non sequitur principale?

Sunt casus, quibus accessorium principalis naturam non sequitur. Et quidem

I. Quando in principali et in accessorio diversa reperitur ratio. *Abbas in c.: Debitores. de jurejur. n. 2; Sanch. l. 7. de matrim. disp. 29. n. 11.*

II. Quoad pia legata inserta testamento ad causas profanas nulliter facto ratione religionis.

III. Quando accessorium a se consistere valet, independenter a principali, quo casu, quando conceditur principalis et accessorium conceditur; attamen illo sublato accessorium non tollitur.

IV. In casibus, in quibus aliter a jure disponitur, ut *Reiffenst. jus can. c. 2. Reg. 42. ad 5.*

Procedit tamen regula quando accessorium melius quid nobiliusve aut pretiosius est principali. *L. cum aurum 19. §. 13. ff. de auro et argent.*

3) Quod est?

In argumento *principalis* et *accessorii* illud inprimis spectare oportet, quodnam principalis, quodnam alterius accessorii loco habendum sit. Generatim autem nihil certi in jure definitum est; cum saepe eadem res modo pro principali modo pro accessoria accepta reperiatur. Sic quandoque fundus villae accessio est licet regulariter villa pro fundi accessione habeatur; *l. 8. et in princ. ff. quib. mod. usufr. amitt.*

In universum sic habeto: Pro *principali* non quod pretiosius est sed quod *praevalet* aestimandum erit. Saepe namque, id, quod spectato ejus pretio minus est, pro principali habetur: hinc habere pro principali oportet aurum, non gemmam illo inclusam: *leg. cum. aurum 19. §. 13. de aur. argen. etc. legat.,* vestimentum, non subsutum, *l. tigni 7. §. 2. ad exhiben. et §. 26. lib. 2. tit. 1. instit. 1.,* solum, non aedificium *d. l. 7. §. 10. et 12.*

Verum et hoc perpetuum neque esse videtur; cum, ut caetera taceam, in *l. 20. ff. de aur. arg. tec. legat.* diserte sanciatur, aurum inclusis gemmis cedere debere: at ibi non aurum sed gemmae sunt principale.

In dubio vero rei *praevalentia* aestimanda est vel ex usu rei vel ex consuetudine patrisfamilias, aut etiam ex rei visu aspectuve; *l. 26. l. 29. et l. 32. §. 5. eodem tit.*

Porro circa hoc idem argumentum *accessorii* scilicet et *principalis* duae occurrunt regulae in *tit. ff. de reg. jur.,* puta regula CXXIX. et CLXXVIII., quae iisdem prorsus conceptae sunt verbis; nisi quod in posteriori lege voce *plerumque* temperatur, quod in priori generaliter fuerat prolatum.

At his in regulis, quid pro principali, quid pro accessorio habendum, sit magna cura non est; cum inibi pro principali aestimetur causa illa, quae princeps est, primumque, ut ita dicam, *mobile* in aliquo negotio, quod principaliter instituitur agiturve, ut monet *Jac. Gothofred. in comm. ad dd. ll.* Accessoria vero dicuntur ea, quae licet a praefata principali causa secreta ac divisa sunt, eandem tamen tamquam *παρακολουθήματα* i. e. consectaria sequuntur sive ex conventione partium sive ex natura negotii sive ex consuetudine.

Definitur autem in dd. regulis, quod ea omnia, quae accessionum locum obtinent, omnino extinguantur, ubi principalis causa vel *ab initio* vel *ex post facto* non consistit. Quod ut planum faciam, unum aut alterum in medium afferam exemplum; etsi ob materiae vastitatem plures fingi possint species, de quibus consule *Pet. Fabr. in comm. ad tit. de reg. jur. dd. ll. 129. et 179. et citat. Jacob. Gothof. eod.* Ab initio igitur, si principale non consistit, nec accessorium locum habere potest: sic dos esse non potest, si nuptiae consistere nequeant, *l. 3. ff. de jur. dot.;* nihil sine haeredis institutione in testamento scriptum valet, ut pupillaris substitutio; *l. 1. in fin ff. de vulg. et pupil. substit.*

Ex post facto pariter, si principalis causa extinguitur, neque iis quae sequuntur locus esse potest. Ita debitore liberato per consequentias fidejussor quoque dimittitur; *l. 47. l. 69. in fin. l. 38. ff. de fidejussor.* Insuper crediti obligatione deficiente, pignorum quoque persecutio perempta est; *l. 6. ff. de nat. foenor.*

At hae eaedem regulae non ita perpetuae censeri debent, ut nullam recipere queant limitationem. Quandoque enim, etsi principale infirmetur, accessorium nihilominus consistit. Sic in re testamentaria, inducta haeredis institutione, quae testamenti fundamentum est, liberalitates tamen et caetera legata nonnunquam valent; *l. proxime 3. in fin. ff. de his quae in test. delen.* Et hodie quando ex praeteritionis causa haeredis institutio infirmatur, legata caeteraque in testamento scripta consistere indulsit *Justinus auth. ex causa 6. de lib. praet.* In materia pariter pignoris, personali obligatione submota, pignoris vincula durare dicuntur; *lib. 2. c. de luit. pignor.* Et si quis pro parte haeres extitit, nisi totum debitum exolvat, suam portionem ex pignioribus recipere non potest; *l. 1. c. eod. tit.* Caeteras exceptiones ad alias materias pertinentes vide apud citatos auctores.

Accessus.

1) Ad altare.

Vd. *Chorus* (accessus).

2) Ad beneficia?

(Quid est? Summus Pontifex concedit)

Vd. *Canonicatus* (aetas); *Beneficatus* (sacerdotio nondum etc.)

Accessus dicitur quaedam collatio beneficiorum, praesertim episcopatus, quae summus Pontifex concedere potest aetate minoribus, qui ob aetatis defectum, quamquam ad haec beneficia consequenda sint inhabiles, postquam tamen ad legitimam pervenerint aetatem, ad ea propria auctoritate possunt accedere. Vide *Card. Paris. cons. 76. vol. 5.*, alter *Paris. de resignat. lib. 6. quaest. 5. t. III. et seq., Redeon. de simon. cap. 17. n. 5. et 6*; *Grat. tit. de regres. et access.*

Regressus differt ab accessu ad beneficium, quia accessus nullum supponit jus de praeterito, secus vero regressus. *Cass. dec. n. de pacto; Marescot. lib. 2. var. res. cap. 71.*

Accessus et regressus aliaque jura super beneficio antea reservata per contractum matrimonii amittuntur, nec quisquam iis, dissoluto matrimonio per obitum uxoris, potest amplius uti, cum per matrimonium nedum beneficia sed omnia jura ad illa competentia pro derelictis habeantur. *Argumento tex. in Clement.* Gratiae 4. *de rescript., Pirhing., Wagnarec. lib. 3. decret. tit. 3. cap. 1. vers.* nota tertio Ricciull. *dict. cap. 1. n. 14.*

Sacra synodus Tridentina accessum et regressum etiam favore Cardinalium prohibuit. *Cap. 7. sess. 25. de reformat.;* et successive s. Pius V. in sua constitutione CXXXVI. incipiens: *Romani Pontificis providentia.* Et longe antea per concilium Londinense celebratum anno 1266. damnata fuerat eorum fraus qui vacante Cathedrali, ut facilius eligerentur, resignabant beneficia cum collusione, ut ea spe frustrati beneficia ipsa iterum reassumerent. *Thomassin. tom. lib. 3. cap. 5. n. 9., Natal. Alexand. histor. eccles. saecul. 13. et 14. part. 1. p. 720.*

Summus vero Pontifex ex justa rationabilique causa, quando nempe necessitas ecclesiarumve utilitas expostulet, accessum et regressum potest concedere, propter plenam potestatem quam habet in Beneficialibus, in quibus moderator est et arbiter, ut advertunt *Fagnan. in cap.: Nulla n. 84. et seq. de conces. praeben., Paris de resignat. lib. 6. cap. 5.*

3) Quoad electionem Papae.

De accessu quoad electiones notandum est in electione summi Pontificis, in qua plura habentur specialia, posse Cardinales post publicatum scrutinium alium in Pontificem per *accessum* nominare, dummodo in praecedenti scrutinio in neminem duae tertiae partes praesentium Cardinalium convenerint, et in eo ille, ad quem acceditur, unum saltem votum reportaverit. Const. XIII.: *Aeterni: Patris et constitutio XIX.: Decet Romanum* Gregorii XV.

Acolythatus.

Vd. *Ordo Acolythatus.*

Acolythi.

1) Accedunt ad cantandas orationes.

Vd. Ceroferarii.

a) In benedictionibus.

Finita distributione palmarum accedunt ad Episcopum duo acolythi ceroferarii cum candelabris ac cereis accensis, qui cantat orationem. *Caer. Ep.* l. II. c. XXI. n. 7.

Finita distributione candelarum Episcopus cantat orationem accedentibus acolythis cum candelabris. Ibid. c. XVI. n. 13.

b) In Matutinis, Laud., Vesperis etc.

Vd. *Vesperae* (ritus).

Interea (finito capitulo *ad Tertiam)* accedunt duo acolythi acceptis duobus candelabris cum cereis accensis, versis invicem faciebus, dummodo nec altari nec Episcopo renes vertant. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 17.

Finito hymno *Te Deum in (Matut. Nativ. Dom.)* accedunt duo acolythi cum candelabris et accensis cereis ad Episcopum, qui versus populum cantat: Dominus vobiscum, et orationem. Ibid. c. XIV. n. 9.

2) Epistolam cantare non possunt.

Acolythi sive alii clerici in minoribus non sunt assumendi ad cantandam epistolam vel evangelium, etiamsi penuria diaconorum et subdiaconorum sit *Sacr. Rituum Congreg. in una Alexandrina 15. Martii 1606.* Et contrafacientes debent puniri sed non poena valde rigorosa, si cantaverint sine stola vel manipulo respective. *Sacr. Rituum Congreg. in una Lucan. 9. Jan. 1601.*

Acolythus seu alius clericus, qui solemniter cantat epistolam cum tunicella, et reliquis sacris vestibus, sed absque manipulo, debet petere dispensationem irregularitatis ad cautelam et simile est dicendum de clerico non diacono, ubi cantat evangelium sine stola. *Sacr. Congreg. Conc. 23. April 1603.* apud *Nicol. lucubrationes utriusque juris canonic. et civilis par. 2. fol. 220.*)*

3) Munus.

Acolythus idem est ac ceroferarius, *dist. 21. cap.: Clericos.* Acolythi officium est, lumina accendere et deferre, urceolos vini et aquae ad missae sacrificium praeparare, *dist. 25. cap.: Perlectis concil. Mediolan. 1. part. 2. tit. de Acolythis.* Acolythus non potest dispensare eucharistiam, *dist. 24. c.: Nullus.*

---

*) Advertendum tamen est, quod s. Congregatio in *Collen* 5. Julii 1698 decrevit, quod deficiente subdiacono pro missa solemni, data necessitate, potest permitti per Superiores, ut substituatur constitutus in minoribus ordinibus ad cantandam epistolam paratus sint manipulo.

Actus.

1) Facultativus.

a) Consuetudinem non inducit.

Actus facultativi nullam potuerunt invehere consuetudinem suisque juribus privare animarum curatorem illaque in capitulum transferre, *s. Rot. cor. Carillo decis. 61. n. 3. et s. Congr. in Viterbien. Jurium parochialium 26. Augusti 1826. §. Et re,* nisi appareat praeivisse prohibitionem ac subsequutam fuisse acquiescentiam per tempus ad praescribendum idoneum, *Rota coram Ludovis. decis. 162. numer. 157., s. Cong. in Reatina 21. Julii 1827.*

Die 30. Jan. 1830. *Marsorum.*

b) Quando obligationem inducit?

Etsi ex actibus facultativis vel diuturno tempore exercitis nulla per se inducatur obligatio, *Rot. cor. Ratta decis. 259. n. 12., et s. Congr. in Nucerina Legati pii 27. Jan. 1872.* §: *Multoque,* eos tamen, si de cultu agatur divino, ex longaeva consuetudine in obligationem transire et necessitatem parere, tradunt *Abbas in cap.: Suam nobis n. 8.,* et *s. Congr. in Urbanien. Anniversarii 24. Jan. 1795.* §: quasi.

Die 24. Mart. 1832. *Ferentina.*

Omnes actus, qui ab arbitrio et a libera hominum voluntate pendent, nullum inducunt jus coactivum, nisi aperte pateat, agentes fuisse antea coactos, simulque tempore ad praescribendum idoneo acquievisse coactioni, *Rot. cor. Falconer. tit. de jurepatron. decis. 30. num. 18. cor. Emerix decis. 212. num. 4. et s. Congr. in Reatina 21. Julii 1837.* §: *Itaque.* (Ibid.)

Actus facultativi nec necessitatem nec obligationem inducunt, *Prosper. de territ. separat. quaest. 28. num. 4.* atque tum *ex constant. cit. vot. 832. num. 29. et 30.,* tum *ex s. Rot. cor. Emerix. dec. 1236. num. 5.,* qui libertatem Episcopi tuentur quoad locum residentiae Vicarii generalis, quae non tollitur ex praecedentibus deputationibus et residentia in uno loco factis, cum sint actus facultativi. Tum enim hi obligunt nec amplius sunt facultativi, si concurrant mandatum superioris, necessitas aut coactio, ad *text. in cap.: Cum eccl. de causis possessionis etc., Prosper. dis. eccles. quaest. 8. n. 13.*

Die 15. Septbr. 1821. *Terracinen.*

Actus facultativi ex religione et pietate exerciti nequeunt inducere obligationem in exercente *L. solent.* §. *final. de offic. proconsul., L. Cum in rem verso C. de usur., Rot. cor. Oblivat. dec. 589. num. 4. tom. 5.*

Die 18. Septbr. 1819. *Praenestina.*

Porro ex actibus facultativis quamvis longissimo tempore exercitis nulla unquam in exercente inducitur obligatio, *Rot. cor. Ratto decis. 259. n. 12., s. Congregatio in Nucerina legati pii 29. Januarii 1827.* §. *Multoque.*

Die 22. Novbr. 1828. *Ferentina.*

Ex actibus facultativis per quodcumque temporis spatium exercitis nec jus nec obligatio inducatur. *S. Congreg. in Brictinorien. paroeciarum 8. Maii 1824.* §. *Parochi, et in Fulginaten. Fontis baptismalis 20. Novemb. ejusdem anni* §. *Nihil.*

Die 26. Aug. 1826. *Viterbien.*

c) Quando praescriptionem inducit?

Per actus mere facultativos per longum licet temporis spatium exercitos nullam invehi praescriptionem tradit *Zallinger leg. 2. decret.* §. *350. n. 4., Rot. cor. Ratto decis. 259. n. 12. et s. Congr. in Viterbien. Jurium 26. Augusti 1826.* §. *Et re sane, et in Ferentina aggregationis et juris eligendi 21. Julii 1828.* §. *Nec quidquam.*

Die 26. Mart. 1831. *Nepesina.*

2) Irritus.

Praescriptae formae omissio irritat actum, *ex cap.: Cum dilecta, de referen., et cap.: Venerabilis de offic. delegat.*

Die 20. Jan. 1798. *Catanien.*

3) Reciprocus.

(In Beneficialibus.)

In beneficialibus actus reciproci, videlicet »facio ut facias« inducunt simoniam, ut in haec verba monet *Redoan. de simon. part. 2. cap. 11. num. 16.* Recessus vero a lite licitum forsan reddit pactum, ipsomet teste *Redoano loc. cit. cap. 2. n. 14.*

Die 20. Mart. 1790. *Tolentina.*

Accusatio.

1) Accusari qui non possunt?

Accusari non possunt

I. Infantes, furiosi et mente capti, istis enim ob defectum rationis delicta non imputantur; *l. Infans 12. ff. ad l. Corn. de siccariis l. Divus 14. ff. de officio praesidis.* Minores tamen, quia jam doli capaces sunt, accusari et puniri possunt, poena tamen mitiori habita ratione aetatis et imprudentiae; *cap. de delictis pueror. l. auxilium 37. ff. de minoribus: l. fere in omnibus 108. ff. de R. I.*

II. Accusari non possunt nec pueri, qui ante plures annos delictum commiserunt et illud jam praescripserunt. Sic delicta carnis praescribuntur et abolentur lapsu quinquennii, post quod nec accusari nec puniri possunt; *l. Mariti, 29. ff. ad l. Jud. d. adult. et l. Adult. cod. cod.* Excipitur tamen stuprum per vim illatum; *l. Mariti, ff. ad l. Jul. de odult.* §. *fin.* et adulterium cum incestu; *l. vim passa,* §. *praescriptione, ff. eod.* et etiam raptus; *l. qui coetu, ff. ad l. Jul. de vi publica,* quia ista delicta, sicuti caetera alia, quae delicta carnis non sunt, ad sui abolitionem et praescriptionem 20 annorum spatium requirunt; *l. Quaerela falsi, cod. ad l. Corn. de falsis,* ubi habetur: *Quaerela falsi temporalibus praescriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum praescriptione, sicuti caetera quoque fere crimina.*

III. Semel accusati et jam absoluti iterum accusari non possunt de eodem crimine, *cap. de his 6. de accusat. et l. licet 6.* §. *ult. ff. Nautae, Caupones etc.* Si tamen secundus accusator suam vel suorum injuriam persequatur et doceat primam accusationem ignorasse vel primum accusatorem non fideliter egisse sed praevaricatum fuisse, adhuc audiri debebit; *l. si quis 11. cod. de accusat.,* quoniam, ut ibi dicitur, *res inter alios judicatae aliis non praejudicant.*

IV. Absentes non possunt accusari et sententiari; *cap. 1. caus. 2. qu. 8. et leg. Absentem 6. cod. de accusat.;* possunt tamen absentes accusari, ut a judice legitime citentur; *leg. 1.* §. *2. ff. de requir. vel absent. damn.;* qui si intra praefixum terminum non comparent, describuntur et arrestantur eorum bona et elapso anno eis ad se defendendos concesso a *l. 1. ff. et cod. de requirend. reis* bona eorum arrestata fisco remanent, *l. fin. de requir. et absent. damnat.,* nisi probaverint, fuisse legitime impeditos, *arg. leg. succurritur, 9. ff. Ex quibus causis.*

V. Accusari non possunt magistratus temporales vel praesides aut legati provinciarum durante eorum officio, nisi delinquant circa officium vel crimen notorium sit, *leg. hos accusare, 12. ff. de accusat.* In reliquis autem differtur accusatio usque ad terminum officii, data interim ab eis cautione de judicio fisci; *leg. si adul. 33.* §. *ult. ff. ad leg. Jul. de adult.*

VI. Accusari non possunt christiani ab infidelibus, haereticis et judaeis, *cap.: Pagani causa 2. q. 7.*

VII. Accusari non possunt omnes, qui Superiorem se non agnoscunt, ut Papa,*) Imperator, Rex etc., *cap.: Nemo 13. caus. 9. c. Aliorum 14., c.: Facta, 15. caus. 9. q. 3.*

VIII. Accusatio contra Praelatos seu Superiores non est de facili admittenda ex concilio Lateranensi IV. *cap. 4.,* ubi reddens rationem habet praecisa verba: »Quia, dicit concilium, non possunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non solum arguere sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt et insidias patiuntur. Ideo sancti Patres provide statuerunt, ut accusatio Praelatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat aedificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsae sed etiam malignae criminationi janua praecludatur.« *Ita concilium ad literam.*

IX. Inter eos, qui accusari non possunt, *mortui* recensentur; *extinguitur enim crimen mortalitate (l. fin. ff. ad leg. Jul. Majestat.)* Et licet accusatio, jam inchoata fuerit et contestata, nec accusatio nec poena ad haeredes transit. Id de criminibus *(l. Ex judiciorum 20. ff. t. de accusationibus.)* Attamen excipiendum crimen laesae Majestatis, nam nisi successores eo purgentur, fisco vindicatur

*) Pontifex uti Vicarius Christi in terris et uti Princeps laicalis accusari non potest. *Bull. de rom. Pon tif. lib. 2. cap. XXVI.*
De Imperatoribus et Regibus distinguendum. Si democratico vel aristocratico jure monarchia attemperetur, possunt in civilibus accusari. Consule *bullam auream* c. 5. §. 3 *de Imper.*

haereditas *cit. l. fin. ff. ad leg. Jul. Majest. et cit. l. 20. ff. h. t.*

2) Desisti quando non potest?

Accusator, oblato jam libello, non potest amplius desistere ab accusatione, quia interest reipublicae, ne deseratur accusatio jam inchoata, sive sit vera sive sit falsa. Si enim est vera, eam prosequi oportet, ne delicta maneant impunita; si vero falsa, eam prosequi expedit, ut calumniator debite puniatur; *l. in senatus consultum, 10. §. 5. ff. ad S. C. Turp. et Auct. qui semel, Cod. Quomodo, et quando, l. Vides. 11. §. 3 ad l. Jul. de adult.* Potest tamen desistere impune ante libellum oblatum, etiam si publice et coram judice prius dixerit se accusatorem: *cap. Licet 14. de accusat.* Si accusator desistat ab accusatione, dicitur tergiversator ac in eo non peccat, dum id absque scandalo praestet, et delictum non sit ex iis, ad quae accusanda quisque teneatur. Praevaricator autem erit, si juvat secreto accusatum, quem publice impugnat. *D. Thom. 22. qu. 68. art. 2.*.

3) Desistere quando quis tenetur?

Accusator, qui falso accusavit vel bona quidem fide, deprehendit tamen, se errasse accusando et accusatum esse innocentem, vel incipiat dubitare, si diligenti facta inquisitione dubium perseverat, in foro interno non tantum potest verum etiam ab accusatione tenetur desistere. *Communis et certa ex tit. de calum.* Desistens vero punitur in foro externo poenis juris.

4) Modus.

Accusator nedum in scriptis tenetur dare accusationem juxta *caus. 2. qu. 8. cap.: Accusatorem*, sed praeter scripta debet in persona se conferre ad judicem, *caus. 5. qu. 2. cap.: Relatum, et qu. 8. cap. ult.*

5) Poenae.

Vd. *Accusator* (ad quas expensas etc.).

Poena accusatoris, oblato jam libello, ab accusatione desistentis ex S. C. Turpilliano Neronis temporibus edito, haec est:

1. Punitur extra ordinem mulcta quinque librarum auri fisco applicandarum; *L. 3. ff. de praevaricat.*

2. Ab instituta accusatione, si persequi eam velit, repellitur; *L. 2. et 3. ff. ad Turpillian.*

3. Infamia notatur et ad expensas et damna condemnatur; *L. 3. c. qui accusare; L. Spurii 6. §. qui judicis, ff. de accusat.*

Excipias tamen ab iisdem poenis foeminam atque minorem, nisi tamen pacto aut pretio accepto ab accusatione desistant; *L. 1. §. accusat. 10. ff. ad Turpillian., Gonzalez. cap. 14. num. 5. de accusat.*

6) Probatio a quo facienda?

Probandi onus accusatori incumbit. Quibus autem modis crimen accusati probandum sit, patet ex *L. ult. cap. de probat.* Tres ibi afferuntur probationis species. Tabulae et indicia sive argumenta, quae tamen extent luce clariora. Quare falli manifesto eos, qui in criminali judicio tabulis et argumentis probandi vim negant esse, evincit more suo nervose et docte *Antonius Matthaei de probat. c. 1. n. 3. et c. 5. per tot.*

Accusator alterum accusans de crimine, quod probare nequit, hoc ipso calumniator censetur. *Communis, arg. t. 2. h. t.* juncto *can. Calumniator.* 2. q. 3. Qui enim alium accusare vel denunciare vult, quod paret probationes, necesse habet; *l. qui accusare c. de edendo*, hinc si in probatione deficit, falso et dolose sicque calumniose litem movisse censetur. Glossa in *c. h. t. V. Calumniari.*

Accusator.

1) Ad expensas et poenas quando tenetur?

D. Thom. *2. 2. qu. 68. ort. 2.*: Accusator tenetur ad expensas, si accusatus se purgat, *de accusat. cap.: Accedens, l. Qui crimen, 3. Cod. de his, qui accus.*, et incurrit infamiam, *l. Si pro, 2. Cod. de his, qui accus.* Accusator accusans ob pecuniam puniendus est exilio vel durius et tenetur restituere nec unquam potest esse judex aut testis, *caus. 1. qu. 1. cap. ult.* Accusans clericum, si non probat per tres vel saltem

duos testes, excommunicatur; *caus. 3. qu. 4. cap.: Placuit.*

Accusator, utpote calumniator praesumptus, calumniatoris poenas luere debet; quapropter

I. Refundere tenetur impensas litis; *Farinacius in praxi criminal. qu. 16. o num. 10.*

II. Incurrit infamiam juris; *can. 1. can. 2. qu. 3. L. 1.* et *L. 4. ff. de his qui notantur infamia.*

III. Incurrit poenam talionis; *can.: Calumniator, in can. 2. qu. 3.* Et si accusator incapax sit poena talionis, ex arbitrio judicis commutari in aliam proportionatam potest; *arg. C. 1. h. t.*

IV. Si accusator, qui calumniator praesumitur, clericus fuerit, clericum alium accusans, praeter has poenas privari potest beneficio suo officio necnon verberibus castigatus in exilium mitti; *C. l. h. t. Subdiaconatus etc.* Hoc de jure; praxis autem non ubique locorum eadem est.

2) Ad expensas et poenas quando non tenetur?

Sunt causae accusatorem in probatione deficientem a praesumpta calumnia ejusque poenis excusantes. Hae autem causae sunt:

I. Quandoque justa causa vel errore probabili quis ductus accusat vel denunciat. *Communis et certa; arg. L. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpill.*

II. Quando quis accusat ex officio, nisi scienter falso accusaret; *arg. L. C. 2. de his qui accusant*, et *L. 2. C. de delat.*

III. Infirmitas, secus si mulier accusat vel denunciat; *cit. L. 1. §. 10. ff. ad S. C. Turpill.*

IV. Si accusat semiplene, v. g. per unum testem omni exceptione majorem, delictum probavit. *Farinac., Menoch., Felinus,*

V. Si quis immenso dolore incitatus accusat; *L. 2. C. h. t. et L. Quamvis 30. C. ad Legem de Cedul.*

VI. Si infamia jam praecessit vel alia indicia ad inquirendum de delicto contra accusatum sufficientia. *Farinac. in praxi crim. n. 61. 62., Pirching.*

VII. Si accusator probat se a viris fide dignis audivisse crimen a reo fuisse commissum vel si fuit deceptus a testibus, qui sibi promiserant se plenum daturos testimonium, postea vero in judicio fluctuantibus vel negantibus. *Farinac. c. 1. cit. Abbas* et alii.

VIII. Si accusator probare vult per testes, qui ob testificandi inhabilitatem, eidem prius ignotam, rejiciuntur; *Farinac., Menochius in arbitr. judic. cas. 321. n. 31.*

IX. Quando accusatur talis, quem lethalem percussorem fuisse ante mortem suam dixit lethaliter vulneratus et postea mortuus; *Farinac., Glossa in C. Mater C. h. t.*

X. Si accusatio fit de crimine in damnum et grave periculum boni communis vergente. *Abbas, Farinac., Felinus, Menoc.*

Adeps.

(Licentia in diebus vetitis coquendi.)

Facultas Episcopo Aveirensi dispensandi cum populis suae dioecesis super condimento adipis porcinae diebus per ecclesiam vetitis in perpetuum.

Venerabili fratri
Episcopo Aveirensi
Pius Papa VII.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Pastoralis fraternitatis tuae in concreditum tibi populum cura Nostram qua universum Domini gregem complectimur sollicitudinem pulsat, ut tibi ultra occurramus in iis, quae magis videri possunt ad bona animarum salubriter expedire.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod in magna tuae istius dioecesis parte jam usus invaluit escas suilla adipe condiendi diebus per ecclesiam vetitis: in altera vero, quae forsan major pars est, usus idem hic illuc serpere incoepit, sed ita crescit in dies, ut non immerito timeatur, ne

brevi fore universae dioecesi communis. Quum enim dioeceses finitimae sive ex pervetusta consuetudine sive ex apostolico indulto tali passim in cibis adipe utantur, facile fit, ut populis inter se invicem communicantibus alii blandiantur sibi sub aliorum exemplo, alii vero etsi cum formidine agunt tamen quod agere non auderent, nisi ad ipsum audacter ab aliis fieri conspicerent. Huc accedit penuria olei qua istis in partibus communiter laboratur, quin diutinae temporum calamitates viam illud comparandi aliunde facilem praebeant. Adipis e contra pene supereffluit copia, qum nec inter pauperes nemo inveniatur, qui non suillos enutriat et in domus suae annonam cibariam recondat, quapropter de dubietate conscientiarum et periculo animarum sollicitus, ut omnis petra scandali tuo de populo penitus amoveatur, Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis providere, opportune ac ut infra infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur te ac populos tuae dioecesis specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes ac eos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes comittimus et mandamus, ut attentis superenarratis cum populis tuae istius dioecesis tam incolis quam advenis ad hoc, ut ipsi intra ejusdem dioecesis limites tantum diebus per ecclesiam prohibitis, nempe quadragesimae et quatuor temporum aliarumque vigiliarum de praecepto necnon sextarum feriarum ac sabbatorum in anno cunctisque annis adipe et pinguedine porcina seu ut vulgo isthic *ajunt unto* vel *pingo de porco*, adversata ea tamen lege jejunii, a qua nullo modo intendimus dispensare, suas condire dapes easque sic conditas comedere libere, licite tutaque conscientia possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio et conscientia gratis dispenses.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 9. Septembris 1803.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 56. Ed. Romae.)

Declaratoria extensiva ad Regulares super facultate sibi nuper concessa dispensandi, ut sui dioecesani pro oleo adipe suino uterentur in condiendis epulis in diebus prohibitis pro moderno Episcopo Aveirensi.

Venerabili fratri
moderno Episcopo Aveirensi
Pius PP. VII.
Venerabilis frater.
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod dudum fraternitati tuae sub certis modo et forma tunc expressis, auctoritate apostolica facultas tributa fuit dispensandi cum populis tuae civitatis et dioecesis in quadragesimae et aliis prohibitis temporibus, ut ipsi loco olei in epulis condiendis adipe porcino uti possent et valerent ac alias, prout in Nostris desuper in simili forma brevis die 9. Septembris anni superioris expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, fusius continetur. Verum quia, sicut in eadem expositione additum erat, in dictis Nostris literis nulla specialis mentio de utriusque sexus regularibus facta fuit ac praeterea pro meliori concientiae tuae securitate rem omnem melius super alia quaedam, quae tunc obiter iisdem literis obrepsere, per Nos declarari et extendi summopere desideres, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur integritatem tuam maxime in Domino commendantes te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati eidem fraternitati tuae, ut, etiamsi tanta porcorum copia in ista dioecesi non existat, quanta in dictis literis significata reperitur, nihilominus cum omnibus et singulis dioecesanis tuis saecularibus et ecclesiasticis ac etiam cum utriusque sexus regularibus (illis tantum exceptis, qui ex voto solemni ab escis carnalibus se abstinere tenentur) ac tandem cum personis universis in ista tua dioecesi commorantibus tam privatim quam publice super

condimentis praedictis dispensandi, ita ut ipsi non modo in quadragesimae et aliis singulis diebus ab ecclesia prohibitis sed etiam in reliquis vigiliis aliisque abstinentiae diebus immemorabili ex locorum consuetudine aut respectivis dictorum ordinum et monasteriorum statutis servari solitis seu praescriptis, in epulis quibuscumque condiendis pro oleo suino adipe uti sicque conditis vesci libere et licite possint et valeant et quilibet eorum possit et valeat servata in reliquis dictarum literarum forma et dispositione, plenam et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem 3. Januarii 1804.

(Ibid. pag. 113.)

Aditus.

(E domo in ecclesiam.)

Vd. *Fenestra.*

Bituntina.

Cajetanus Alburpuerque presbyter et canonicus Bituntinus exposuit sacrae Congregationi, quod ob sui devotionem suaeque familiae commodum magnopere exoptat aedificare ecclesiam suis propriis sumptibus eamque competenter dotare ac insuper inibi fundare beneficium ecclesiasticum pro rectore, cui incumbat onus celebrandi missam in eadem ecclesia, ea tamen conditione, ut possit in ipsa ecclesia, praeter publicas fores, habere aliam portam in sacrario respicientem viridarium ipsius oratoris, per quam possit a praedicta sua familia haberi aditus pro audienda missa et custodiendis suppellectilibus dictae ecclesiae. Ideoque supplicavit eidem s. Congregationi, ut petitam gratiam sibi concedere dignaretur. Et eadem s. Congrepatio (attentis narratis et audita relatione Episcopi dictae civitatis, cui pro informatione scriptum fuit) instantiam praedictam arbitrio ejusdem Ordinarii remittendam censuit.

Die 19. Decembris 1693.

(Anal. J. P. 1866 p. 1339. Ed. Romae.)

Nucerinaa Paganorum.

Edito ab Episcopo Nucerino edicto, cujus vigore capellae habentes duplicem ingressum, publicum scilicet et absque indulto apostolico alterum privatum, qui saecularibus particularium in aedibus pateret, interdicebantur, Franciscus Salimani civitatis Nucerinae praedictae sacrae Congregationi exposuit, prope suam domum reperiri quamdam capellam sub titulo s. Mariae gratiarum habentem duas portas, unam nempe in via publica, alteram vero in curtile suae domus et ob malam valetudinem, imbecillitatem visus et senectutem suae matris et materterae supplicavit pro facultate continuandi, prout hactenus consuevit, in usu portae praedictae. Et s. Congregatio, perlectis literis informativis Fpiscopi et attentis narratis, ad relationem Emi Costaguti, gratiam petitam arbitrio ejusdem Episcopi remittendam censuit. Die 19. Decembris 1693.

(Ibid.)

Adjunctus.

1) Absens a choro.

Adjuncti, si propter officium sine fraude tempore divinorum officiorum absint, privandi non sunt quotidianis distributionibus, uti solite resolvit *Moneta de distrib. quot. par. 2. q. 8. n. 19., Aloys. Ricc. part. 4. suae praxis rerum fori eccl. resolut. 591., Barbosa de offic. et potest. Episc. par. 3. alleg. 73. in 6.* et in *conc. Trid. sess. 25. cap. 6. n. 8.* et alii passim. Ipsi enim absunt propter ecclesiae utilitatem ex officio sibi attributo.

2) Cathedralium unitarum.

Episcopus duarum Cathedralium conjunctarum potest, in qualibet ipsarum maluerit, tribunal erigere ibique in causis Capitularium procedere cum suis respective adjunctis non obstante consuetudine immemorabili in contrarium; per concilium enim est sublata immemorabilis consuetudo quoad locum tribunalis, processus et carceris, cum *sess. 25. de refor. cap. 6.* statuat, quod Episcopus procedere teneatur *in ejus domo* etc., quae non de materiali sed de formali, ubi scilicet Episcopus cum sua familia eligit residere, intelligitur *ad leg. Lex Cornelia §. domum, de injur. et famos. libell.;* datur enim optio Episcopo vel Vicario, quo magis in loco velint, procedant contra Capitulares et Episcopus potest sedere pro tribunali, in quocumque loco suae dioecesis maluerit, ex s. Cong. Conc. his verbis: In causa Calvaten. ad instantiam Rotae dubitatum fuit:

An conc. c. 6. sess. 25. sustulerit immemorabilem consuetudinem circa locum tractandi causas cum adjunctis et retinendi carcerem, quando, ut in illa causa, sunt duae Cathedrales unitae et Episcopus praetendit habere Canonicum alterius civitatis in ea, in qua residet, carceratum et ibidem tractari causam cum adjunctis civitatis, de qua est carceratus Canonicus?

S. Congr. Conc. 7. Sept. 1630 censuit: Sublatam esse immemorabilem per concilium in casu et ad effectum, de quo agitur.

3) Electio.

(Quis eligit? Quot?)

Vd. *p. 184. n. 8.*

Pro adjunctis concil. Trident. sess. 25. de ref. cap. 6. statuit, ut capitulum initio cujuslibet anni eligat e capitulo duos, de quorum consilio et assensu Episcopus vel ejus Vicarius tam in formando processum quam in caeteris omnibus actibus usque ad finem causae inclusive coram notario tamen ipsius Episcopi et in ejus domo aut consueto tribunali procedere teneatur. Unum tantum sit utriusque votum, et possit alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu seu interlocutoria vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant. Et si in electione tertii discordent, ad viciniorem Fpiscopum electio devolvatur et juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur, alias processus et inde secuta nulla sint nullosque producant juris effectus. Hucusque concilium. Privilegio tamen hujus decreti non gaudet ecclesia in Cathedralem erecta post Tridentinum, quae prius non erat exempta, sed in omnibus Episcopo subjecta; et sic talis ecclesiae capitulum nequit habere adjunctos seu conjudices, sed in omnibus ut prius subjacet absolute Ordinario, ut declaravit *s. Congr. Concil. teste Armendar. titul. 6. de visit. n. 67. et lib. 7. de Episc. in una Viennen. 6. Febr. 1700.*

De mandato igitur sacri concilii tenetur capitulum initio cujuslibet anni duos eligere, qui cum Episcopo contra Capitulares procedere debeant.

Si capitulum in principio anni illos duos non elegerit, potest Episcopus procedere per se solum, dummodo illud moneat prius; sic resolutum fuisse a *s. Congr. Concil. testatur Piasec. in praxi Episc. part. 2. c. 2. n. 9.*

4) Episcopi facultas procedendi sine eo.

Si capitulum in principio adjunctos duos non elegerit, potest Episcopus procedere per se solum, dummodo illud moneat prius; sic resolutum fuisse a s. Congr. Conc. testatur *Piasec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 2. n. 9.* Episcopo nolente vel non valente contra Capitulares delinquentes procedere non devolvitur jurisdictio ad adjunctos, ut resolvit s. Congr. Conc. *teste Ludov. a Saravia in speciali tract. de jurisdict. adjunctos quaest. 5.* Nec nolentibus aut non valentibus adjunctis seu conjudicibus contra Capitularem procedere jurisdictio non devolvitur ad Episcopum sed semper ad Superiorem, sic decrevit s. Congreg. Conc. ut refert *Armendar. leg. 7. de Episcop. n. 89.*, additque ipsa s. Congr. Conc. teste *Pignatell. tom. 9. consult. 129. n. 15.*, quod, ut valeant sententiae et decreta in casibus hujusmodi, sint exprimenda et pronuncianda sub nomine simultaneo Episcopi et adjunctorum, v. gr.: Ego N. Episcopus de consilio et assensu N. et N. adjunctorum ita pronuntio; alias processus et inde secuta nulla, ex ead. s. Congr. in *una Hispalen. 1. Sept. 1590.*

Solus autem Episcopus sine adjunctis poterit in principio ad informationem summariam et necessariam detentionem rei procedere in criminalibus ex incontinentia provenientibus et in aliis atrocioribus delictis, quando de fuga timetur. Habetur expresse

ex ipso cit. conc. sess. 25. cap. 6., ibi: In criminalibus tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in decreto de concubinariis et atrocioribus delictis depositionem aut degrationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur et ideo opus sit personali intentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem et necessariam detentionem procedere, servato tamen in reliquis ordine praemisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta qualitatem delicti ac personarum delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. Et tunc ratione fugae, quae timetur, potest Episcopus procedere etiam absque monitione et alia forma, ut decrevit s. Congr. Conc. teste *Nicol. Garc. de beneficiis part. 11. cap. 10. n. 186. declarat. 7* et *Armend. leg. unic. n. 7. et 8.*

Solus Fpiscopus sine adjunctis potest procedere contra Capitulares, quando totum capitulum deliquit; sic decisum fuit a s. Cong. Conc. teste *Seraphin. decis. 1050. n. 6., Ludovic. a Saravia tract. de jurisdict. quaest. 5. n. 4. et quaest. 6. per tot.*, ubi n. 8. asserit, quod si reperiatur unus in capitulo, qui non deliquerit, iste procedet simul cum Episcopo, dummodo tamen delictum non sit in personam Episcopi vel in contemptu ejus vel ubi Episcopus habeat interesse, quia tunc facultas procedendi contra Capitulares devolvitur ad proximum Superiorem, ut decisum fuisse a s. Congr. Conc. refert *Armend. l. 7. de Episc. n. 90., et Ludovic. a Saravia d. quaest. 6. n. 5. et 6.*

Potest Episcopus sine adjunctis visitare corpus ecclesiae cathedralis et sacramentum, reliquias, vestes, ornamenta caeteraque ad cultum divinum destinata, capellas, dotationes, anniversariorum institutiones, memorias defunctorum, pia opera et bona fabricae seu ecclesiae, ut decrevit s. Congr. Conc. teste *Armend. in addit. ad recompil. legum Navarrae lib. 1. tit. 6. de visit. n. 123.*

Potest etiam visitando sine adjunctis peccata, et excessus Capitularium, quos correctione et punitione dignos repererit, corrigere, punire et emendare, non tamen poena ordinaria sed ea, quae ad morum magis emendationem quam punitionem respiciat, sic decisit s. Congr. Conc. in *Gerunden. 19. Dec. 1739.*

Potest etiam sine adjunctis procedere in personam capitularem delinquentem in exercitio curae animarum, quam obtinet extra ecclesiam capitularem, quia tunc non punitur ut Canonicus sed uti Curatus. Ita *Seraphim dec. 1058. per tot.; Lotter. de re benef. l. 1. q. 26. n. 61. in fin.*

Potest etiam sine adjunctis procedere ad privationem Canonicorum ex causa, quod ordines suis praebendis annexos non susceperint. Sic decisum fuisse a s. Congr. Conc. referunt *Aloys. Ric. in praxi rerum fori eccles. resol. 448. n. 2. et 3., Ludov. a Saravia tract. de jurisd. adjunctor. qu. 18. per tot.*

Potest sine adjunctis exigere rationem administrationum operum piorum ad curam capituli spectantium, dummodo non procedat ad privationem vel alias criminaliter in forma judicii; S. C. C. in *Oriolen. 27. Martii 1732 in respons. ad 7.*

Episcopus potest sine adjunctis procedere contra Capitulares ob non residentiam, dummodo non procedat ad privationem sed ad poenas a s. conc. Trid. praescriptas; S. Cong. Conc. 27. Martii 1632 *in Oriolens. in respons. ad 11.*

Potest etiam Episcopus sine adjunctis procedere ad subtractionem fructuum et multas ab eo impositas contra Canonicos habentes capitulum eo tempore, quo divina officia celebrari debent, nisi aliqua urgens causa in aliud tempus differri non patiatur, s. Cong. Conc. *27. Martii 1632 in dict. Oriolens. in respons. ad 11.*

Potest etiam Episcopus sine adjunctis procedere contra pensionarios habentes vocem in capitulo, quia licet admittantur in capitulo, ut in eo habeant vocem, non possunt tamen dici de capitulo, *Rota rom. part. 1. recent. decis. 416. n. 6.* et decisum fuit a s. Congr. Conc. ut refert *Armend. cit. tit. de visitat. n. 6. lib. 7. de Episc. num. 91.*

Potest sine adjunctis rationes exigere ab officialibus e gremio capituli constitutis sede vacante, nisi velit criminaliter ad eorum privationem et correctionem procedere. Sic decrevit s. Congr. Conc. ut refert *Nicol. Garc. de benef. part. 5. c. 7. n. 23.* et in *Gresnens. 14. April. 1725 ad 1. dub.*

Potest sine adjunctis procedere ad poenas contra Capitulares non observantes festum s. Augustini ab eo indictum, ut censuit s. Congr. Conc. in *Hispalens. 7. Sept. 1630.*

5) Episcopi facultas procedendi cum eo.

Potest Episcopus procedere cum adjunctis non obstante contrario statuto tum contraria consuetudine, *Scarfanton. ad Ceccoper. addit. 41. num. 19.*, ubi refert hanc sacri

concilii resolutionem in *Corduben. 2. Martii 1595* ad secundum dubium: Si hujusmodi statutum vel concordia revera non fuerit confirmata a Sede apostolica, ex certa conscientia et cum causae cognitione esse sublatam ex decreto *cap. 6. sess. 25.*, ideoque Episcopum, dicto statuto vel concordia non obstante, posse contra Capitulares procedere cum adjunctis juxta formam a concilio d. cap. 6. traditam.

Nequit Episcopus sine adjunctis procedere contra coadjutores Canonicorum Cathedralis, si ex forma coadjutoriae colligatur ipsi coadjutori concessa fuisse omnia privilegia, quae habent Canonici. S. Congr. Conc. in *Barbast.*, ubi praeposito dubio:

An Episcopus possit per se sine adjunctis procedere contra coadjutores Cathedralis? Die 9. Nov. 1630 censuit: Episcopum non posse procedere contra hujusmodi coadjutores absque adjunctis, quatenus ex forma coadjutoriae ipsi concessa fuerant omnia privilegia, quae habent Canonici.

Nequit Episcopus sine adjunctis avocare ad se causas pendentes contra Capitulares exemptos coram Vicario foraneo procedente cum adjunctis a capitulo deputatis. S. Congr. Conc. *in Burgens.*, ubi quaesitum fuit:

I. An Archiepiscopus possit ad se advocare causas pendentes contra Capitulares exemptos coram suo Vicario foraneo procedente cum adjunctis a capitulo deputatis?

II. An appellatio in talibus casibus post latam sententiam detur ad ipsum Archiepiscopum?

Die 18. Sept. 1627 resp.

Ad I. Non posse Archiepiscopum avocare, ut cognoscat solus, sed bene cum adjunctis.

Ad II. Non dari appellationem a Vicario ad Archiepiscopum, sed causam devolvi ad Sedem apostolicam.

Nequit Episcopus procedere contra adjunctos jurisdictionem suam perturbantes, nisi adhibeat in dicto judicio alios conjudices a capitulo eligendos. S. Congr. Conc. *in Oriolens. 5. April. 1631.*

Nequit Episcopus, si justis motivis allegetur suspectus, cognoscere de causis, nisi procedat cum adjunctis. S. Congr. Episcopor. in *Nuscana Gravaminis 16. Novemb. 1699* et in *Sulmon. Redditionis rationis 5. Sept. 1692.*

6) De gremio capituli esse debet.

Vd. *Adjunct.* (qui potest esse? electio.)

Adjuncti duo debent necessario esse de gremio capituli, ex praecisis verbis concilii: *Eligat ex capitulo duos,* sicut et tertius electus in casu discordiae, ut declaravit sacra Congreg. Concil. semel *in Palentina* et bis *in Concten. teste Card. de Lugo respons. moral. lib. 5. dub. 13. n. 13.*

Addenda hic sunt:

An discordantibus ab Episcopo tertius debeat necessario ex eodem capitulo esse, an possit aliquis eligi, qui de capitulo minime sit? Discordes sunt hac in quaestione doctores. Argumenta utriusque sententiae affert *Cardinalis de Lugo responsorum moralium lib. 5. dubitat. 23. n. 2.* et plur. sequent. Sed ipse tenet quod tertius hic esse debeat de capitulo, quod inprimis ita ait n. 5: »Colligi videtur e contextu verborum concilii, ubi, postquam dictum est debere eligi duos ex capitulo, qui simul cum Episcopo cognoscant de criminibus Capitularium, subditur immediate: si non concordent cum Episcopo, debere a capitulo cum Episcopo tertium eligi etc., ubi particula *tertium* videtur omnino relativa, sicut particula *alium* atque adeo afferre et repraesentare omnes qualitates positas in aliis duobus praecedentibus.« Vide alias rationes quas affert idem *Cardinalis de Lugo sequentibus numeris.* Adde *Scarfantonium ad Ceccoper. addit. 11. n. 18. et sequen.*

7) Juramentum.

Adjuncti omnes tenentur praestare juramentum in loco capitulari in manibus ipsius capituli statim secuta electione: ex s. Congr. Concil. in *Majoricens. 16. Martii 1654.*

8) Qui potest esse?

Vd. *Adjunct.* (de gremio capit. etc.)

Adjuncti possunt esse omnes, qui sunt de capitulo, ut statuit expresse concilium: *Eligat ex capitulo duos;* et etiam dignitates obtinentes in eadem ecclesia, licet Capitulares non sint, ut colligitur ex eodem concilio, quod, cum dicat: »qui vero non obtinent dignitates nec sunt de capitulo,« videtur insinuare, quod qui obtinent dignitates, licet Capitulares non sint, adjunctorum praerogativa gaudere possint, ut solide resolvit *Ludovic. a Saravia tract. de adjunct. jurisdict. q. 21. n. 8.; Barbos. in conc. sess. 25. c. 6. n. 51.* Et deducitur clare ex sacr. Congr., quae de mense Sept. 1618 pro tertio adjuncto in casu discordiae inter Episcopum et duos adjunctos statuit sic: Sac. Congr. Cardinalium conc. Trident. interpretum censuit tertium, qui eligitur in causa discordiae inter Episcopum et capitulum ex praescripto *cap. 6. sess. 25. ejusdem conc.*, debere canonicatum vel dignitatem in eadem ecclesia obtinere.

9) Vicarii capitul. et gener. facult. procedendi cum eo.

Cum duobus adjunctis a concilio praescriptis nedum Episcopus sed etiam ejus Vicarius procedere potest contra Capitulares, ut habetur expresse ex verbis concilii »*vel ejus Vicarius.*« Et etiam Vicarius capitularis sede vacante, cum, quantum ad hanc jurisdictionem, plene succedat Episcopo, ut cum adjunctis vel sine illis possit procedere Episcopus, ut decisum fuisse a sac. Congr. Conc. refert *Ludov. a Saravia tract. de jurisd. adjunct. quest. 17. n. 35.* et cum aliis tenet *Barbosa in conc. Trident. sess. 25 de ref. cap. 6. n. 14.*

Administratio.

1) Bonorum confraternit.

a) Independens a parocho.

Confraternitates possunt propria bona administrare ac de illis disponere absque ulla dependentia a parocho.

Die 12. Jan. 1704.

b) Libera.

Vd. *Administ. bonor. confr.* (ratio redd. Episcopo, decr. *Juvenacen.* p. 186.)

Liberam sodalibus competere administrationem bonorum societatis nec eisdem auferri posse nisi de abusu et dissipatione constiterit. In hac autem administratione nullo modo posse Episcopum se ingerere, ut pluries declaravit sac. Congregatio Episcoporum et Regularium apud *Pignatel. consult. 11. n. 5. tom. 6. et consult. 15. n. 32. tom. 7.; Monacell. in formul. legal, tit. 6. n. 16. tom. 1. et tit. 14.*

Inutile haud est praenotare, posse quidem Episcopum ad tollendos abusus edictis praecavere, ut bona locorum piorum fideliter administrentur, non tamen in administratione se posse miscere sed illam officialibus ad id electis relinquere debere. *Nicol. in floscul. verb.: Elecmosyna n. 32.*, et resolvit s. Congregatio Episcop. et Regul. in *Castellanaten. 14. Novembris 1603,* solumque ex dispositione *concilii Tridentini sess. 22. cap. 8. et 9. de reform.* jus illi competit confirmandi oeconomos et administratores, ab eisque rationes exigendi, ut pluries declararit eadem s. Congregatio Episcop. et Regul. apud *Monacell. in formul. legal. tit. 14. formul. 8. n. 1. tom. 2. et apud Pignatell. consult. 71. n. 5. tom. 6. et consult. 15. n. 32. tom. 7.*

c) Ratio reddenda Episcopo.

Vd. *Visitatio ecclesiae confr.* (decr. *Firmana* diei 7. Julii et 4. Aug. 1714; Congregatio perag.)

Ad dub.: An et quomodo teneantur ministri confraternitatis ss. Annunciatae Trojanae dioecesis reddere rationem administrationis?

S. C. resp.: Ad formam concilii.

Die 24. Aug. 1709.

Comen.

Ad dub.: An confratribus ecclesiae s. Joannis Baptistae in Atrio liceat administrare bona et redditus eorum confraternitatis et ecclesiae cum sola dependentia ab Episcopo?

II. An et cui de bonis ac redditibus administratis necnon de oblationibus dictae ecclesiae confratres teneantur reddere rationem?

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative;

ad 2: Solum teneri rationem reddere soli Episcopo.

Die 27. Juli 1737.

Ad dub. 1: An Episcopus seu ejus Vicar. gener. possit exigere redditionem rationis bonorum confraternitatis ss. Rosarii Ripanae privative quoad Priorem conventus PP. s. Dominici?

2. An id agere valeat revidendo libros

administrationis in ipso oratorio confraternitatis?

S. C. C. resp. ad 1 et 2: Affirmative.

Die 16. et 30. Mart. 1715.

Ad dub. 1: An officiales disciplinatorum Roncilionis teneantur Episcopo rationem reddere eorum administrationis? et quatenus affirmative;

2. An sit facienda ratio quolibet anno seu in actu visitationis tantum?

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative;

ad *2:* Quolibet anno et amplius.

Die 7. Decb. 1715.

Juvenacen.

Authumans Episcopus non posse administratores confraternitatum, quae in oppido Terlitii erectae reperiuntur, absque ejus scientia et consensu proventus ad easdem confraternitates spectantes in pios usus erogare, in pastorali visitatione peracta eos condemnavit in ea pecuniarum summa, quae in missarum celebrationem, in eleemosynas pauperibus distributas atque in defensionem jurium suarum ecclesiarum ab ipsis impensa asserebatur.

Ab hoc decreto reclamant memorati administratores et triplici nomine contendunt, se posse libere controversam bonorum administrationem et curam gerere.

Primo, quia in jure receptum est administratores seu officiales confraternitatum aliorumve piorum locorum obstringi quidem bonorum fructus in pios usus a testatoribus praescriptos impendere gestaequae administrationis rationem Episcopo reddere, nequaquam vero ejus praevium consensum pro dictis fructibus erogandis expetere, uti tradunt *Nicol. in flos. verb.*: *Eleemosyna n. 32., Pignatell. consult. 50. n. 5. tom. 6. et consult. 15. n. 32. tom. 7., Monacell. part. 1. tit. 6. form. 11. n. 16.* et resolvit sacra Congregatio in *Caesaraugustana 22. Novembris 1588, in Urbinaten. 10. Martii 1663. ad XVII. dub., in Ferentina jurisdictionis 15. Martii 1704., in Laviacen. Confraternitatis 20. Novembr. 1710. et in Firmana jurisdictionis 4. Augusti 1714.*

Secundo, quia altera ex dictis confraternitatibus sub invocatione sanctissimi Corporis Christi hac lege erecta fuit:· »nelle quali robbe, edoti di detta capella non ci abbia da fare Prelato, ne il Coro e capitolo, ne persona alcuna, ma solum tutto si abbia da dispensare per li Procuratori di detta confrateria, e confrati di essa nel modo sopradetto, tutto in lode di Nostro Signore Iddio, riverenza, ed onore de santissimo Sagramento, e sollevazione de poveri, e persone miserabili, siccome essi procuratori e confrati dello Spirito santo sarano spirati, eguidatti.«

Tertio demum, quia in horum omnium confirmationem concurrit longaeva consuetudo, juxta quam proventus dictarum confraternitatum in missarum celebrationem, eleemosynas aliosque pios usus ab officialibus distribui consueverunt eorumque distributio subinde fuit ab Episcopis in actu visitationis approbata.

Haec est summa jurium, quae pro dictis officialibus circumferentur, nomine autem Episcopi nihil hactenus deductum est. Onus igitur erit Eminentiarum VV. decernere:

An administratio proventuum spectantium ad confraternitates et loca pia Terlitii pertineat ad confratres et officiales cum omnimoda indepedentia ab Episcopo vel potius erogatio dictorum proventuum facienda sit a dictis confratribus et officialibus cum scientia et approbatione Episcopi in casu?

S. C. C. resp.: Negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam ad formam decretorum b. m. Episcopi Chiurlia.

Die 2. Junii et 7. Julii 1736.

2) Bonor. ecclesiast.

a) A Beneficiatis.

Docent doctores, quod »*dominium rerum ecclesiae est penes ipsam ecclesiam, administratio autem penes praelatum* (scilicet beneficiatum), *qui statim ac nanciscitur possessionem beneficii, censetur acquisivisse possessionem omnium illorum bonorum*« *Corrad. prax. benef. lib. 4. c. 8. n. 40.* Quare cum mansionarii praebendarum legitimam possessionem sint consequuti, ipsam quoque bonorum possessionem ac administrationem necessario acquisivisse videntur.

Haec tamen generalis regula limitari quandoque contigit ex iis conditionibus, quas piis fundatoribus adjicere placuit et quibus vetitum minime est generalem juris communis dispositionem moderari, ut tradunt *Card. de Luca de beneficiis disc. 95. n. 10; Fagnanus cap.: Tum in cunctis num. 72. et 73. de election.; Reiffenstuel. lib. III. decr. tit. 4. de praeb. et dignit. §. 5. de erect. benefic. num. 110.* et s. m. *Benedictus XIV. de syn. dioec. lib. 12. cap. 1.*

Die 2. Junii 1821. *Gallien.*

b) Olim Episcopo competebat.

Ex historia ecclesiastica compertum exploratumque est, beneficiorum et praebendarum nomina, quibus in praesenti disciplina utimur, incognita fuisse prioribus ecclesiae saeculis, cum bonorum et reddituum omnium ecclesiasticorum cura et administratio ad solos pertineret Episcopos, a quibus statis temporibus juxta praescriptam a ss. canonibus mensuram inter clericos dividebantur, uti notat *Benedictus XIV. de syn. dioec. lib. IV. cap. IV.* At postquam IX. saeculo omnis ruralis ecclesia suas proprias decimas et fundos obtinuit, *can. 25. c. 23. q. 8.*, urbanae *quoque parochiae*, ut loquitur cl. Archiepiscopus Devoti, *eamdem disciplinam postea acceperunt et tunc potissimum inducta partitione bonorum certa clericis data sunt praedia, quae ipsi administrarent, et ex quibus ad vitam necessaria perciperent. Just. can. tom. 2. tit. 14. in not. 1. ad §. 2.*

Die 2. Junii 1821. *Gallien.*

3) Bonorum plurium capellaniarum in eadem ecclesia ab ipsis capellanis.

Aquinaten.

Vd. *Capellani Cathedr.* (jura decr. *Pisana.*)

Praenobilis vir Marchio Felix Amati omisso primaevo consilio parochialem ecclesiam sub titulo s. Margaritae civitatis Arcissivae dioecesis Aquitanensis in Collegiatam receptitiam erigendi, ejus loco octo laicales capellanias iisdem oneribus, quae in receptitiis apponi solent, obnoxias sub die 15. Majas anni 1838 fundandas curavit. Hinc nonnullis Demanii bonis redditus ann. duc. 137, quae ipsemet a regia munificentia impetraverat, duc. 200. e patrimonio suo adjiciens dotis nomine 36. duc. annua singulis capellaniis adsignavit. Voluit etiam ut Abbas Curatus ejusdem ecclesiae pro tempore una ex his octo capellaniis frueretur, quo et facilius de diligenti onerum praescriptorum exequutione caveret.

Licet vero in fundationis limine omnia documenta ac scripturae ad praedictas capellanias spectantes apud parochum, qui tunc temporis s. Margaritae ecclesiam regebat, asservari caeteraque quoad administrationem ab eodem geri viderentur, volventibus tamen annis factum est, ut tam scripturarum custodia quam administrationis cura ad caeteros capellanos migraret, qui rem totam expediendam uni ex eorum gremio ad hoc accito demandarunt.

Id aegre ferens hodiernus s. Margaritae Abbas recursum habuit ad episcopalem curiam Aquini et exponens quod »non trovando in questa chiesa abbaziale l'archivio né carte appartenenti alla stessa, e sanendo che queste si conservaro da diversi sacerdoti capellani della medesima, volendo che si adempia alla disposizione sinodale, ove dicesi che in ogni chiesa vi sia l' archivio« ursit ut mandaretur »che subito si presenti in sacristia qualunque rapporto, si faccia l'archivio, e si consegni la chiave all' Abate parroco e rettore, come capo e solo responsabile di ogni inconvemente.« Reque vera eadem curia consonum edidit decretum die 13. Aug. an. 1842, quo edixit »praedictas scripturas non debere retineri penes singulos sacerdotes ad dictam ecclesiam (s. Margaritae) adscriptos nec in privatis aedibus sed recensitis et summatis cum suo indice in archivo communito clavi, quod penes ecclesiae rectorem sit, debere reponi. Porro capellani nullam esse Episcopi jurisdictionem in laicalibus capellaniis existimantes haud hujus decreti dispositioni cedere paratos esse exhibuere, rati praesertim ex ejus exequutione se una cum scripturis administrationem amissuros. Quam ob rem ad s. H. O. effugium habuere ut decretum saltem ea in parte, quae eorum petitioni adversatur, uullum ac irritum declaretur.

Precibus ad Episcopum ablegatis pro informatione et voto suam Episcopus Abbati propitiam sententiam pandit simulque partium deductiones transmisit, quas mei muneris est breviter referre et sapientissimo EE. VV. judicio subjicere.

Primo autem Abbas suam hac in re agendi rationem contra praetensam capellanorum ab jurisdictione Episcopi exemptionem pro viribus tuetur, cum apprime consona sit Tridentini dispositioni *sess. 22. cap. 8. de ref.*, qua Episcopi omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos exequutores declarantur, quae Episcoporum potestas experitur maxime in administrationis cura, *ad text. in cap.: Tua nobis de testam.*, et s. Cong. in *Civitatis Plebis 10. dec. 1695.* et *Camerinen. Capellaniae 6. Maji 1797.* Nec officere ait capellanias laicales esse, ut enim rem perbelle notat *Piton. disc. 32. num. 3. tom. 1.* »Capellania dicitur laicalis quoad hoc ne sit beneficium ecclesiasticum et re requiratur ulla Episcopi institutio, sed non dicitur laicalis respectu materiae, quae est ecclesiastica, cum omne legatum pium sit

negotium ecclesiasticum et foro ecclesiae subjicitur« et ita passim auctores, quos inter caeteros *Barbosa de jure ecclesiast. disc. 7. c. 27. n. 42.* et *Monacell. tit. 1. form. 14. n. 7.*

Ad rem inde conficiendam Abbas ab origine suae paroeciae exordium ducens ostendit, ecclesiam s. Margaritae unum semper habuisse rectorem, qui Abbatis titulo insignitus curam animarum exerceret; ad ipsum bonorum ecclesiae administrationem et archivi custodiam continuo spectasse ac sub ejus dependentia sacerdotes ejusdem loci, quos sibi ministerii adjutores adlegere solebat, parochiali ecclesiae inservisse. Hoc juxta paroeciae statuta et majorum traditionem in more positum erat, cum ad capellaniarum institutionem deventum est.

Quam quidem institutionem nullam juribus parochialibus immutationem attulisse existimat. Nam pius fundator videns ecclesiam s. Margaritae ob impares redditus inopia laborare, commiseratione erga illam ductus ad divini cultus augmentum favore ac intuitu potissimum ejusdem ecclesiae nonnullorum bonorum cessionem fecit, quorum dominium in eam transtulit, licet sub modo, ut ajunt, cum onere scilicet octo laicales capellanias manutenendi. Atqui si bonorum assignatio favore ecclesiae facta fuit, administrationem etiam eorum ad illius rectorem utpote ecclesiae jura repraesentantem pertinere indubii juris est. *Rota decis. 203. n. 13. cor. Peutingero.* Colligit inde Abbas ex capellaniarum erectione haud imminutam suam jurisdictionem sed potius firmatam atque auctam fuisse, cum sartis tectisque suis pristinis juribus novae administrationis cura sibi utpote ecclesiae rectori fuerit commissa, aliosque habuerit indictos sacerdotes, qui ex officio ipsi in curae exercitio atque ecclesiastico ministerio opitularentur.

Et hanc fuisse iustitutoris voluntatem clarius eruit ex eo, quod ipse disertis verbis capellanias ecclesiae parochiali perpetuo addictas censuerit, ex quo accessorii naturam iuduentes ab eodem administrandae veniunt, a quo ecclesia ipsa regitur et administratur. Scitissimum enim in jure est accessorium sequi naturam sui principalis;*) *Leg. etiam C. de jure dotium. Leg. accessorium de reg. juris. lib. 5.* Quod quidem omnino conforme est juris principiis, capellaniarum nempe administrationem ad Ordinarium et Superiorem ecclesiae pertinere, ut aperte *docet Innoc. in cap.: Lateranen. n. 3. de praeben., Abb. in cap.: Requisisti de testam.* et latissime *Guttier. in repet. leg. nemo potest n. 444. et seqq. de legat. 1.*, necnon *Rota in Lucana bonorum cor. Marquemontio 13. Marti 1609.*

Quapropter nil habent capellani, unde conquerantur, cum annuam 36 duc. pensionem receperint, quin in admiuistrationis gestione aliisque secumvenientibus juribus sese immisceant; haud enim ultra eorum jus extenditur, spe etiam destituti cum sint, fore ut melior eorum reddatur conditio, quandoquidem ex fundatoris jussu deductis capellanorum pensionibus id quod superest non ipsis adrescit sed in vectigalibus exsolvendis rebus ecclesiae usui destinatis comparandis aliisque necessariis expensis omnimode impendendum est.

Haec autem ex circumstantiis, quae solemnem institutionis actum concomitatae sunt, confirmari autumat; cum enim contractus donationis solemniter *peragerctur*, Abbas Felix Mosconi, qui per id temporis s. Margaritae ecclesiam regebat stipulationi praesens adfuit, ut nomine ecclesiae donatariae (non capellanorum) accepta ferret et quod longe majus est hoc idem obtinuit, jam capellaniis institutis, cum locum regia habuit donatio. Compertum namque est die 22. Junii an. 1838. legalem capellanorum nominationem fuisse perfectam, ast nondum Demanii bona regio habito rescripto fuerant consignata: ad hoc itaque die 31. Maii an. 1839. solemnes confectae sunt tabulae, in quibus »Il Sig. Principe di Frasso (qui regiam vicem obtinebat) con questo atto cede e rilascia in piena proprieta ed usufrutto a benefizio della suindicata chiesa di s. Margarita i fondi donati da sua haerta per la causa ampiamente espressa di sopra, facendone la consegna all' Abbate curato D. Felice Mosconi«; et inferius: »J titoli dei fitti . . . . riconosciuti ed accettati . . . sono stati al medesimo consegnati.« Porro jam ab anno capellanorum corpus existebat, attamen Princeps ecclesiae donator ad donationem accepto habendam nomine ecclesiae solus Abbas vocatur, ipsi consignanter bona, tituli et documenta traduntur, quin verbum fiat de capellanis aut de aliquo alio, qui eorum vice fungatur. Manifestam igitur esse arguit donatorum voluntatem, ut parochus, seclusis capellanis, tum scripturarum custodiae tum administrationis curae praeficiatur.

*) Vd. p. 173.

Quod quidem si ex dictis adhuc haud satis aperte constaret, nullam profecto superesse dubitandi rationem, postquam ipsemet Marchio epistolis saepissime ad praedictum Mosconi missis (de quorum genuitate dubitare haud fas est) hoc idem centies declaraverit: in his enim passim apparet ei vel cappellaniarum administrationem tribuisse »desidererei sapere (sic fundator ad parochum) cosa avete convenuto per li due affitti che finirono nel passato mese . . . . . .« et alibi: »ho fatto scrivere al ricevitore di notificare tutti ii reddenti che paghino alla chiesa, e per esca nelle lostre mani tutte le rendite . . . . Quando avrete fatto v'esagione vi prego ec., et documenta eidem commisisse: »Voi (ad eundem parochum) sarete a ciascuno una partecipazione della sua nomina, e l'originale lo couserverete assieme com l'istromente . . . . A ciascun capellano sarete trascrivere gli articoli dell'istromente che contengono li loro obblighi . . . .« Plurimi vero faciendas esse scripturas etiam privatas, quipqe quae plene probant intentionem scribentis, admonet *Rota in Melevitana expensarum coram Ghislerio 31. Junii 1631*, praesertim si percutiant tempus, de quo agitur; *Rota in Aconitana bonorum coram Bevilacqua 14. Maii 1668.* Nullus ergo quaestioni locus esse potest ubi tam clara voluntas fundatoris explicatur; capellaniarum siquidem bona administranda sunt ab eo, quem fundator designavit. *S. Congr. in Viterbien. capellaniae 30. Maii 1766*, quemadmodum et administratori incumbit librorum custodia, *Gratian. discept. forens. tom. 1. cap. 11. n. 1.*

Quibus omnibus accedit tandem observantia plurium annorum, in quibus tum Abbas Mosconi, tum qui ei successit oeconomus curatus rem proprio facto comprobarunt, qui capellani unquam de hoc conquesti fuerint aut jus aliquod in contrarium afferrent, quod plane, si habuissent eo temporis, sospite scilicet adhuc institutore, silentio praeteriisse putandum non est. Maximam porro inesse observantiae vim, vel praescriptive vel interpretative sumatur, compertum in jure est eaque optima et fidelis cujuscumque dispositionis interpres est omnemque aufert dubitationem. *Rota in Gerunden. jurisdictionis cor. Urbino 6. Dec. 1635, S. Cong. in Ripana canonicatus quoad dispensationem 9. Julii 1840* atque *Oritana participationis 25. April. 1842.* Atque eo magis est attendenda, quo est fundationi proximior. *Card. de Luca de jure patron. disc. 13. n. 19.* Liquet autem ex Abbatis Mosconi depositione, nec ipsi inficiantur capellani, ab hujus institutionis exordio per plures annos hunc semper viguisse morem cui nemo adversari usque adhuc ausus fuerat.

Coronidis gratia ad omnem praecavendam difficultatem Abbas animadvertit capellanos, quamquam nimium ratione officiorum, ad quae obeunda vocantur, speciem collegii praeseferre videantur, reapse tamen haud collegium efformare: praeterquam quod enim collegium privata erigi nequit auctoritate, *Rot. dec. rec. 122. n. 9. part. 7.*, nec caeteroquin personarum numerus absque signis ac praerogativis collegialitatem nec universitatem per se inducere valet, *Rota in Vicen. collegii coram Coccino 10. Martii 1636. n. 2. et 12. relat. in part. 7. recent. decis. 112.*; certiores de hoc nos facit ipsa institutoris dispositio, qui cum antea de collegio erigendo cogitasset, re maturius perpensa sententiam omnino deseruit, octo laicalium capellaniarum institutione contentus. Nec inferri collegialitatem ex eo quod juxta normam traditam nonnullis in casibus, prout ad nominationes faciendas, vacationibus contingentibus capellani congregarentur, cum hujusmodi congregationes soleant fieri etiam in ecclesiis non collegiatis teste eadem *Rota in Placentina praepositurae coram Pirovano 16. Aprilis 1617.*

Rem contra pro capellanis expendens jurisconsultus, dum controversiam quoad Episcopi jurisdictionem silentio omnino praeterit, totus est in suis accuratis animadversionibus, et quaestionem ad voluntatis interpretationem coercet; nimirum id unum quaerendum urget, num fundator noluerit, ut scripturae seu libri continuo penes unum parochum manerent vel potius penes ipsum capellanorum coetum, quum pro lubitu hoc super articulo disponere ipse valuisset. Atqui, sic ipse, ubi fundationis actus duce ratione ac jure sedulo expendatur, duo procul dubia statuenda exsurgunt,

1. Quod fundator voluerit ex octo capellaniis verum collegium seu universitatem constitui et proinde penes ipsum cumulative manere administrandi jus vel ut per eosdem capellanos vel repraesentantem inter ipsos electum necessario libri ac scripturae ipsam administrationem respicientes asservari necessario debeant.

2. Quod seposita etiam universitatis vel

collegii praerogativa ipse fundator saltem crediderit bonorum curam una cum secumvenientibus juribus ac privilegiis omnibus indiscriminatim capellanis.

Primum assumptum pluribus facti adminiculis substentare nititur: quod nimirum fundator unicam pro omnibus simul capellanis communem dotem seu massam communem assignaverit sub art. 4., ubi legitur »gli annui ducati 200 di rendita . . . una co' ducati 137 . . . . . formante in uno annui ducati 337 costituiranno il fondo e la dotazione di numero otto capellanie. . . . . A ciascuno capellania o capellano nominato saranno attribuiti anuui ducati 36,« quod insuper omnibus saepe capellanis eadem communia munera ac onera choralis officiaturae imposuerit ceu statuitur sub art. 6: quod demum in art. 4. quaestorem seu exactorem constituerit, qui in reddituum exactione omnes simul capellanos repraesentaret.

Porro ex hisce omnibus induci ex jure qualitatem verae universitatis seu collegii probat ex *text. in leg. 1. ff. §.: Quibus tit. Quod cujuscumque universitatis*, ibi: Quod cujuscunque universitatis est . . . . . habere res communes, arcam communem et actorem sive syndicum, et ad rem *Vinnius instit. par. 1. lib. 2. tit. 1. de reb. univers.* »Universitatis appellatio latior est quam civitatis, nam et collegia et societates aliaque hujusmodi corpora continet, quibus permissum est habere res communes et arcem communem,« cui resonant *Fagnan. lib. 5. decr. cap.: Respons. de sent. excomm. n. 35. et seq.*, signanter vero *Card. de Luca de canonic. p. 2. disc. 19. n. 4.* argumentans super casu haud dissimili, quamvis ob apostolicae sanctionis defectum excluderet qualitatem verae collegialitatis, admisit tamen alteram universitatis seu communiae, ibi: Religiosi vero presbyteri quamvis aeque cum canonicis vel dignitatibus participantes de massa communi . . . . . non constituunt collegium seu legitimum ac verum capitulum utpote nullum titulum collativum habentes, sed potius quandam congregationem seu communiam clericorum.

Generalibus peculiaria addit argumenta ad adstruendam qualitatem verae universitatis seu communiae a fundatore volitam. Reque vera nec vola nec verbum in fundatione occurrit, quod unum parochum respiciat eumque aliis potiorem constituat, sed continuo de omnibus aeque capellanis ratio habetur unaque lex omnes moderatur. Communis siquidem usurpatur locutio vel quando agitur de constituenda dote caeterisque emolumentis, oneribus, juribus ac jurisdictione, quae omnibus aequaliter attributa sunt, vel quando de capellanorum nominatione res est, quae nominatio parocho quidem tribuitur, sed »d'unita a due capellani piu anziani esistenti,« universitatem repraesentantibus explenda omnino est vel quando caducitatis poena negligentibus aut indignis infligenda, ubi subrogandi jus non parocho tribuitur sed generice iis, qui nominandi jus habent, nempe parocho et duobus senioribus universitatis. Demum luculentius id fieri, ex quo quod fundator vocationis alicujus capellaniae casum praevidens mandavit ut »durante il tempo di tale vacanza li capellani esistenti si ripartiranno i pesi . . . . . ripartendosi fra essi l'assegnamento spettante alla capellania vacante,« ubi notatu digna animadvertit verba »si ripartiranno,« nimirum non a parocho, sed communiter ab omnibus insimul, quin potius eadem divisionis regula infra servanda edicitur etiam quoad capellaniam a parocho possessam ipsius obitu eveniente.

Aliud volitae a fundatore universitatis seu collegii argumentum desumit scribens pro capellanis ex eo quod in votis vel ab initio ipsi fundatori fuerit erigendi collegiatam receptitiam, unde evidens fieri arguit, ipsum voluisse ex octo capellaniis veram realemque universitatem efformari, propterea quod omnes receptitiae illius regni sunt verae universitates, quae in communi possident bona, quae per procuratorem de gremio administrant absque ullo respectu ad parochos penes ipsas existentes, ita disponente sub art. 2. statuto pro receptitiis ab Episcoporum commissione edito, ibi: Il clero (d'ogni Ricettizia) amministrera in massa commune e non gia divisamente le rendite di qualunque natura esse sieno per mezzo d'un partecipante eletto dal clero stesso, che assumera le funzioni di procuratore e ne assumera il titolo.« Articulo autem 70. disponitur, quod »oltre il procuratore vi sara un partecipante col titolo di cancelliere eletto dal clero . . . . costui avra la cura di custodire tutte le carte appartenenti giudizio in un archivio.«

Atqui dum fundator loco collegiatae receptitiae octo constituit capellanias, expresse addidit, »che ora lasciandosi la ricettizia si fossero costituite otto capellanie semplici da proseguirsi nel modo stesso che si era progettato per le partecipazione della ricettizia e co' medesimi obblighi, e condizioni che per quella erano stati propositi.« Ex hoc ipso itaque planum fieri fundatorem indolem tantum immutasse praebendis, quas loco canonicatuum vel portionum in capellanias convertit, in reliquis jam disposita firma manere voluit. Hinc si ad primae propositionis tramites vera universitas erat in ipsa ecclesia constituenda, id ipsum volitum fuisse urget in negotii conclusione, cum, si excipias indolis praebendae discrimen, caetera integra atque firma servata fuisse constet.

Perperam contra haec objici vel acceptationem donationis ab uno parocho factam vel ejusdem privativam interessentiam traditioni bonorum cum receptione titulorum ac scripturarum, quamvis capellani jam per annum existerent, vel varias epistolas parocho Masconi a fundatore scriptas, in quibus sermo habetur de instrumentis et chartis, quae ad ipsum parochum nitebantur. Nam quoad primum, ut ipse pro ecclesia acceptaret, merae necessitatis fuit, cum nondum nominatis capellanis is unus ecclesiam repraesentare valeret; et quemadmodum primae stipulationi interfuerat, obvium quoque videbatur, ut ad alteram super bonorum traditione accederet, quae erat primi actus complementum ac perfectio; quamvis inficiari etiam merito possit utrum tunc capellanorum corpus existeret, praesumendum non sit ut universitatis erectio ante bonorum traditionem fieret. Perperam enim parochus ad commoditatem confunderet sacerdotes, qui jam sponte ac liberaliter ecclesiae tunc temporis deserviebant, ceu narrat ipse fundator in libello regi porrecto, cum collegio inde instituto. Idipsum sentiendum dicit de epistolis ac documentis, quae caeteroquin laciniatim et absque die productae vel referuntur ad tempus dotationi antecedens vel immediate subsequens: et in primo casu nihil relevant; in altero vero ex necessitate erat ut ad unum parochum de omnibus instructum et scriberentur et mitterentur.

Porro si ex dictis liquido patet octo capellanias verum collegium vel universitatem efformare, haud ambigi pariter nequit, quin administratio, ad quam certo certius spectant libri, scripturae seu archivum, non penes parochum sed penes integrum coetum vel ejusdem repraesentantem manere debeat, quoniam juxta *Franchium tract. de soc. part. 1. cap. 7. n. 15.* »omnes communiter possidentes dicuntur habere partem in qualibet rei communis gleba atque particula.« Hinc de capitulis loquens *Card. de Luca de canonic. disc. 7. n. 5. ait:* Capitulum est dominus bonorum capitularium et deputat administratorem remanente ad ipsum dominio.« Et quod de capitulo dicitur, valere ex paritate rationis pro quavis etiam universitate vel collegio docet *Ferraris biblioth. in addit. ad verb.: Collegium n. 11. et seq.:* »Ab ecclesia collegiata differt ecclesia communitativa, quod in ecclesia communitativa nequeunt esse dignitates . . . . Verum quoad ea, quae natura sua requirit unaquaque communitas, non differt ecclesia communitativa ab ecclesia collegiata. Sigillum, stallum, communis massa, communis arca, archivum commune, locus certus, tum signum sese congregandi . . . . . et alia id genus utpote propria uniuscujusque communitatis, non solum conveniunt ecclesiae collegiatae, sed et ecclesiae communitativae. *Rota in Celsonen. admissionis 5. Julii 1751 §. 4 cor. Migazzi.*

In deteriori autem hypothesi, qua excludi in themate velit universitatis seu collegii praerogativa, firmum nihilominus manere, quod administratio in casu ad omnes capellanos spectare tum ex aperta fundatoris voluntate tum juris ministerio debeat. Ex disceptatis siquidem duo emergere palam est: primo quod emolumentum dotis constitutae ad omnes instincte et aequaliter protenditur capellanias, quippe ad omnes capellanos parocho comprehenso identica redditus quota duc. 36 constituitur et in instrumenti narrativa edicitur per ejusmodi dotationem utilitatem tum parocho »che appena aveva la sua congrua a norma del concordato,« tum caeteris loci presbyteris, qui gratis sacra explebant, afferre in animo fuisse; secundo quod dum parocho nulla prorsus distinctio vel juris potioritas tribuitur, omnibus caeteroquin capellanis directe et aequaliter eadem officia, jura, onera ac praerogativae conferuntur. At vero hisce concurrentibus extremis administrationem etiam manere penes omnes in solitum debere testis est *Rota decis. 2. n. 2. part. 2. decis. 124. n. 2. par. 5. et decis. 276. n. 2. part. 15. recent.*

Jure autem contrarium evinci ex observantia, quam imo unice capellanis adstipulari contendit. Ait siquidem rem facti esse quod administratio semper penes omnes indistincte capellanos mansit absque ullo spe-

ciali respectu ad parochum omniaque sese ad capellanias referentia collegialiter discussa atque constituta fuere; quae inter procuratoris nominatio necnon honorarium ipsi assignandum, auctorisatio eidem facta ad summas extraordinarias impendendas, electio capellanorum ad computa prorevidenda, idque non semel sed quotannis absque interruptione factum, permutatio domus, mulcta infligenda capellano in suo muneri socordi, gratificatio sacristae elargienda, legati authentica documenta. Quae omnia, nemine contradicente, patrata sunt tum sub oculis parochi tunc temporis Mosconi, qui probe mentem fundatoris noverat, tum sub hodierno parocho, qui jam inter capellanos recensitus anno 1846 collegialiter electus mansit ratiocinator quique et ipse acta nuperius memorata assensu suo obfirmavit. Quare si observantia validior interpres habetur cujuscumque dispositionis, quisque facile percipit potiori ratione maximi faciendam in casu, quo tot peculiaribus suffulcitur adminiculis, potissimum vero quia tacite ratihabita ac probata fuit ab eo, cui maxima fuit pars in erectione necnon ab hodierno parocho contradictore, ita ut incivile prorsus habeatur ipsum hodie in proprium factum insurgere.

Caeterum praesto etiam esse specificam observantiam super retentione librorum ac scripturarum penes collegium seu ab eodem electum procuratorem facile probare putat. Res enim facti est ab erectionis tempore usque ad praesens scripturas ac documenta capellanias respicientia ab uno capellano procuratore asservatas fuisse atque asservari, quin unquam eas habuerit parochus, de quo fidem perhibent unanimiter capellani omnes, nec contradicitur, imo implicite saltem admittitur ab eodem parocho, qui hodie primum clamat contra veluti illegalem scripturarum retentionem easque sibi condicere pertentat.

Haec EE. PP. liberabunt, ut sueta maturitate dirimant dubium:

An administratio capellaniarum una cum assertione scripturarum et documentorum easdem capellanias respicientium spectet privative ad Abbatem parochum seu potius ad caeteros cumulative capellanos in casu?

S. C. resp.:

Dilata et distribuantur documenta praesertim fundatio.

Die 5. Aprilis 1851.

4) Ratio reddenda a Vicario capitulari etc.

Episcopus per se exigere potest rationem administrationis a Vicario capitulari et ab omnibus officialibus seu administratoribus sede vacante a capitulo deputatis ac illos in aliquo delicto culpabiles repertos punire: habetur expresse a *conc. Trid. sess. 24. de ref. cap. 16.* his verbis: Episcopus vero ad eamdem ecclesiam vacantem promotus ex eis, quae ad eam spectant, ab eisdem oeconomo, Vicario et aliis quibuscumque officialibus aut administratoribus, qui sede vacante fuerunt a capitulo vel aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis aut cujuscumque eorum oneris, possit eos punire, qui in eorum officiis seu administratione deliquerint, etiamsi praedicti officiales redditis rationibus a capitulo vel deputatis ab eodem absolutionem aut liberationem obtinuerint.

Imo nedum Episcopus potest sed etiam debet syndicatum facere Vicario et aliis officialibus capituli, quia concilium non consulit aut hortatur Episcopum, ut recipiat rationem administrationis officii a Vicario et aliis officialibus seu administratoribus a capitulo deputatis, sed ei praecipit et imperat, ut patet ex illis verbis: »rationem exigat.«

Et per consequens secundum multos Episcopus scienter et negligenter omittens hanc rationem administrationis exigere contra praeceptum concilii non est immunis a culpa, etiam gravi ex textu satis claro in *cap.: Nulli fas dist. 19.*, et aliis juribus hoc probandum adductis a *Fagnan. in cap.: Quoniam n. 22. de const.* et *in cap. A Crapula n. 11. de vita et honestate clericorum* et *a Monacell. tom. 3. tit. 1. formul. 41. num. 1.*

5) Pro revisione et visitat. administrationis Episcopus mercedem exigere non potest.

Pro labore revisionis computorum locorum piorum nequeunt Episcopi aliquam mercedem seu propinam exigere, sed hoc munus gratis tenentur implere non obstante quacumque contraria consuetudine, prout mandat taxa Innocentiana. Et ratio est, quia Ordinarius habet redditus mensae, ut onera officii sustineat: *cap.: Statutum de rescript. in 6. et S. Congr. Conc. in Panormitana 4. Martii 1690.*

6) SS. Sacramentorum.

a) Acceptio Personae non habenda.

Quam maxime personarum acceptione abhorrendum est, praecipue vero in sacramentorum administratione, ut ex his colligitur quae habentur in *Benedicto XIV. constitut. 107. p. 401. et 417. tom. 1. bullar.*

Et hoc rectissime quidem; cum enim personarum acceptio divinae legi adversatur in omnibus, in quibus ipsa committitur, peculiari quodam modo videtur eidem adversari in sacramentorum administratione. Et revera Christus Dominus indiscriminatim nulla exceptione facta ea instituit atque omnibus conferri mandavit. En quomodo ipse *Matth. XXVIII. 19.* loquitur: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*: ex illis autem verbis *omnes gentes* omnem acceptionem excludi unicuique pro comperto est. Quae cum ita sint, quam horrendum sit in sacramentorum administratione personarum acceptionem committere patet, quum quae ad animarum sanctificationem sunt instituta ad humanam amicitiam fovendam convertantur.

b) A Canonicis.

Vd. *Canonici Cath.* (administratio etc.)

c) Canonicis quis administrat?

Vd. *SS. Viaticum* (portand. ad Canonicos)

d) Censuris obstrictis.

Vd. *Function. eccles.* (sub gubernio etc. n. 20.)

e) A Coadjutore.

Urbis. S. Eustachii.

R. D. Vittorius Seranus perpetuus Vicarius collegiatae ecclesiae s. Eustachii, cui in coadjutorem a capitulo datus fuit D. Bernardus Barlus et certa mercede ad nutum capituli amovibilis, cumque dictus coadjutor ausus fuerit exercere et administrare sacramenta in praesentia ipsius Vicarii nolentis et renuentis necnon intendat sibi retinere emolumenta et obventiones ipsi Vicario debitas quotiescumque ipse actum aliquem curae exerceat in absentia dicti Vicarii, supplicavit ad tollendas contentiones definiri per hanc sacram Congregationem infrascripta dubia:

I. An coadjutor praedictus possit exercere et administrare sacramenta dicto Vicario perpetuo praesente et per se ipsum exercere volente?

II. An dicto Vicario impedito vel permittente exercitium alicujus actus dicto coadjutori possit dictus coadjutor emolumenta et obventiones dicto Vicario quoquo modo debitas sibi retinere vel potius illa teneatur Vicario praedicto consignare?

Et audito dicto s. Bernardo coadjutore, referente Illmo D. Cardinale de Torres, cui causa erat commissa, sacra Congregatio decrevit: Dicto Vicario perpetuo exercere volente actus curae ipsum coadjutorem abstinere debere. Quo vero ad secundum: Emolumenta et obventiones praedictas spectare et pertinere ad ipsum Vicarium perpetuum eique omnino consignandas esse. Die 12. Martii 1627.

(Anal. J. P. VII. Ser. p. 191. Romae 1864.)

f) A Confessario Monialium.

Vd. *Confessar. Monial.* et p. 202. i; 203. k.

Non licere confessario Monialium sacramenta administrare ministris monasterii, praesertim degentibus sejunctim ab ecclesia; privative id spectare ad praepositum. Die 1. Apr. 1662.

g) A Criminosis et Haereticis.

Vd. *Baptismus* (ab haereticis collat.)

Urbanus PP. II. Lucio Praeposito ecclesiae s. Juventii apud Ticinum.

Ad hoc, quod subjungitur in epistola, id est: Utrum sit utendum ordinationibus et reliquis sacramentis a criminosis exhibitis ut ab adulteris et a sanctimonialium violatoribus vel hujusmodi; ad hoc, inquam, ita respondemus: Si shismate vel haeresi ab ecclesia non separantur, eorumdem ordinationes et reliqua sacramenta sancta et veneranda non negamus sequentes beatum Augustinum, qui super Johannem de hujusmodi tam copiose quam veraciter disseruit; ait enim: Baptizet vos servus bonus sive servus malus, non sciat se ille, qui baptizatur, baptizari non ab eo, qui sibi tenuit baptizandi potestatem; et paulo post: Non horreat columba ministerium malorum, respiciat domini potestatem; si fuerit superbus minister, cum Zabulo computatur; sed per illum Christi sacramentum non contaminatur. Quod per illum fluit, purum est. Quod per illum transit, liquidum est. Idem: Spiritualis vero virtus sacramenti ita est, ut lux, quae ab illuminandis pura excipitur, et si

per immunda transeat, non inquinatur. Quos baptizat ebriosus, quos baptizat homicida, quos baptizat adulter, Christus baptizat; et caetera hujusmodi. Attamen decessores nostri Nicolaus et Gregorius a missis sacerdotum, quos tales revera esse constiterit, fideles abstinere decreverant, et ut peccandi licentiam caeteris auferrent et hujusmodi ad dignae poenitentiae lamenta revocarent. Scribit hoc praedecessor noster Gregorius Rudolpho et Bertholdo ducibus inter caetera: Officium simoniacorum et in fornicatione jacentium scientes nullo modo accipiatis et quantum potestis, tales sanctis deservire mysteriis vi, si oportuerit, prohibeatis etc.

Porro ad haec, quae tibi sylogistice in eadem epistola objiciuntur, id est, si corpus et sanquis Christi non sunt, et alia quae praediximus, proprias non habent virtutis dignitates, quid agentibus obsunt; quod si habent, cur spernuntur, sicubi ab indigno praesumuntur?

Ad haec, inquam, ita respondemus: Proprias quidem habent virtutis dignitates, ut praefatus Augustinus ait super Johannem contra Donatistas, sed agentibus vel suscipientibus eadem sacramenta contra praefatorum pontificum instituta, nisi forte sola morte interveniente, utpote ne sine baptismate vel communione quilibet humanis rebus excedat, eis, inquam, in tantum obsunt, ut veri idolatrae sint, cum talibus et ordinationum et sacramentorum confectio et aliter, quam praemissum est, scienter susceptio vehementer a sanctis canonibus prohibeatur; ait namque Samuel propheta: Quoniam peccatum Ariolandi est repugnare, et quasi scelus idolatriae nolle acquiescere. Haec de malis catholicis, qui intra ecclesiam sunt; caeterorum schismaticorum et haereticorum sacramenta, quoniam extra ecclesiam sunt, juxta sanctorum patrum traditiones, sicut Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi, formam quidem sacramentorum non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi vel eorum sacramentis initiati per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem. Anno 1099.

(Bull. r. t. II. p. 205. Ed. Aug. Taur. 1859.)

h) Habitus.

Vd. *Usus Pontifical.* (decr. n. 4696 ad 3); *Canonici* (administ. sacram.); *Stola. SS. Sacrament. euchar.; Parochus; Episcopus aegrotus; Rocchettum* (quibus vetitum, decr. 4591); *SS. Viaticum.*

g) Infirmis etc. in Hospitalibus.

Lauden.

Intra fines paroeciae ssmi Salvatoris civitatis Laudensis erectum jam inde fuit ab anno 1457 hospitale majus s. Spiritus cum sacello ab Episcopo Pallavicino praevia suppressione. Illius capellano pro tempore indultum fuit, ut omnium singulorum pauperum et infirmorum . . . . ac personarum servientium in eodem hospitali confessiones audire . . . . necnon etiam omnia sacramenta ecclesiastica ministrare libere valeret hac tamen reservatione adjecta in apostolicis literis Pauli II. ad id datis, ut fieret *sine cujusquam praejudicio et jure parochialis ecclesiae et cujuslibet alterius semper salvo.* Quod et repetitum fuit in bulla Sixti IV. emanata anno 1479, ut nempe »agentes et deputati praedicti hospitalis . . . aliquem presbyterum saecularem vel cujusvis ordinis regularem ad eorum nutum amovibilem ad deserviendum in capella praefata deputare possint, qui omnium et singulorum utriusque sexus infirmorum ad ipsum hospitale pro tempore confluentium vel in eo deservientium confessiones audire etc. necnon ipsis quoties opus fuerit ecclesiastica sacramenta ministrare ac in eodem hospitali pro tempore descendentium corpora in capella praedicta ecclesiasticae sepulturae tradere libere et licite valeat, jure tamen parochialis ecclesiae et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo.«

Attamen uti ex actis s. visitationis paroeciae anni 1584 eruitur, intercessisse videtur inter praepositum et deputatos novi hospitalis conventio quaedam de libellis tribus imperialibus solvendis favore ejusdem praepositi ssmi Salvatoris pro honorantia concessa praefato hospitali seu agentibus suis pro cura animarum et eorum sepultura in d. hospitali. Haud semel autem quaestiones obortae circa jura parochialia vel a priscis ipsis temporibus fuerunt ac sententiis diremptae. Cum nempe anno 1588 capellanus ac deputati hospitalis conarentur praepositum ssmi Salvatoris excludere ab omni jure circa hospitale ejusque sacellum curia Laudensis insequenti anno 1581 decrevit: Dictum praepositum et parochum fuisse et esse manutenendum in quasi possessione celebrandi missas magnas, ut dicitur cantatas, cum Diacono et Subdiacono et alia divina officia diebus, in quibus in dicto hospitali celebrantur solemnitates ac etiam levandi cadavera

personarum decedentium in d. hospitali, quae extra ad sepeliendum deferuntur et ea quoque, quae sepeliuntur in eodem hospitali dum interveniunt alii sacerdotes ultra dictum capellanum, et publicandi matrimonia, quae contrahuntur cum puellis nubilibus in d. hospitali degentibus; in eaque quasi possessione manutenendum fuisse et esse, in eaque non fuisse et esse molestandum.« Interea anno 1626 Priores et deputati nosocomii obtinuerunt ab Ordinario facultatem ibi doctrinae christianae scholam exercendi.

Cumque anno 1661 altera concordia inita fuerit absque legitima, uti apparet, Superiorum approbatione, a praeposito cum deputatis hospitalis, ut nempe in sacello fieri et exerceri possint omnes quaeque functiones parochiales cujuslibet generis, salvis tamen praeposito caeteris juribus parochialibus, nihilominus patres anno 1677 pro excitatis iterum controversiis compromissorium proprium Episcopum elegerunt, qui arbitramentalem hanc edidit sententiam: »Item, qui vidimus libros exhibitos a R. Angelo Maria Marano moderno praeposito ssmi Salvatoris tam status animarum suae paroeciae quam matrimoniorum in eadem per longum et continuatum tempus contractorum, ex quibus apparet praepositos et parochos parochiae ssmi Salvatoris pro tempore existentes ministrasse sacramenta paschalia tam ministris degentibus in eodem hospitali, quam vinculo matrimoniali junxisse expositos et alias personas ibi commorantes, ... decernimus videlicet »quod respectu sacramentorum paschalium, matrimoniorum et sepulturae extra dictum hospitale salvum et reservatum sit jus praeposito, adeo ut dictus praepositus continuando etiam possessionem, in qua reperitur, tam ex persona propria quam suorum antecessorum, valeat impertiri ministris et deservientibus degentibus in eodem hospitali sacramenta parochialia in propria ecclesia ssmi Salvatoris; ad quam proinde teneantur praefata ministri et deservientes tempore paschali accedere, necnon jungere, servatis servandis et signanter forma a sacr. concil. Trid. praescripta, vinculo matrimoniali expositos et alias personas degentes in hospitali tempore earum nuptus, prout etiam elevare cadavera personarum et associare, quae in dicto hospitali moriuntur et deinde extra hospitale ad alias ecclesias sepulturae causa deferuntur. Quo vero ad alias functiones parochiales liceat capellano hospitalis exercere videlicet respectu contentarum in indulto seu indultis apostolicis d. ven. hospitali concessis, jure proprio, respectu aliarum jure permissivo parochi, continuando tamen solutionem annui canonis librarum quinque praestari soliti per hospitale praeposito et hoc in recognitione juris parochialis.

Neque hic controversiarum finis, nam iterum anno 1688 disceptatum fuit de juribus parochialibus et quaestio concinnatis trium dubiorum formulis ad s. hanc Congregationem adducta est:

I. An parocho ecclesiae ssmi Salvatoris jus competat celebrandi missam solemnem et divina officia in d. hospitali in diebus solemnibus et festivis dicti hospitalis?

II. An inservientes et alumni dicti hospitalis teneantur recipere in ecclesia parochiali ss. Eucharistiae sacramentum tempore paschali?

III. An capellano liceat associare cum stola et cruce una cum parocho cadavera defunctorum in hospitali extra illud tumulanda?

Die 27. Nov. 1688 s. Congregatio S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum respondit

ad I. et II.: Affirmative;

ad III.: Negative.

Factum est autem anno 1732, ut oratorii hospitalis novo ostio reservato versus aliam paroeciam s. Nicolai hujus praepositus et ipse praetenderet jus in eodem oratorio functiones explendi, quare cum eo a deputatis hospitalis fuit solemniter inita concordia, ut eidem praetermittenti etiam nomine successorum in dicta praepositura s. Nicolai per capellanos hospitalis solemnes functiones ibi recensitas fieri teneretur hospitale respective solvere titulo annuae recognitionis libellas septem et candelam ceream unius librae quotannis in festo Purificationis B. M. V. Verum cum anno 1789 praefata paroecia s. Nicolai unita fuerit atque incorporata alteri paroeciae ssmi Salvatoris, hinc in hujus praepositum cum caeteris juribus etiam illa annua praestatio transiit. Post haec iterum exarserunt quaestiones capellanos inter et praepositos ss. Salvatoris, praesertim nuperrimis temporibus, cum praefata parochi jura in discrimen revocarentur. Capellani enim ac deputati hospitalis institerunt apud gubernativam aeque ac ecclesiasticam auctoritatem, ut nosocomium a parochi ss. Salvatoris jurisdictione subduceretur; et dum adhuc propositio erectionis parochialitatis apud guber-

nativam auctoritatem penderet, ab Episcopo apposito decreto diei 19. Febr. 1852 nosocomium exemptum fuit declaratum a parociali jurisdictione praepositi ss. Salvatoris. Quod decretum cum minime approbatum fuerit a gubernativa auctoritate, idem Episcopus sub die 23. Junii 1852 notificavit praeposito quod »Non avendo l'ecclesia J. R. luogotenenza di Milano approvato che la chiesa di s. Spirito di questo ospitale maggiore venisse eretta in parocchia. Noi colla presente conferiamo ancora a lei Signor Prevasto tutti diritti e gli oneri che per lo passato hanno sempre avuto i parrochi pro tempore di ss. Salvatore sopra la chiesa e l'ospitale sudetto.«

Nihilominus praepositus parochus ssmi Salvatoris anno 1855 supplicem sacratissimo Principi porrexit libellum, quo lamentatus ab hospitali se fuisse omni jure spoliatum. »Viengli cioe negato (ut ait) di far lo stato d'anime delle persone non comprese nel breve apostolico, e se alcuna di queste come gia è accaduto si ammala e muore, gli s' interdice l'amministrazione del viatico e dell' olio santo e i funerali i figli degl' impiegato sono battezzati, istruiti, e ammessi alla prima communione dal capellano, senza alcuna dipendenza del parroco. Nella chiesa dell' ospitale si tiene funzione che nel giorno festivo coincide quasi coll' ora dell' omelia e messa parrochiale: innovazione che reca non leggiero danno alle anime, che le allontona per questo modo dalla parola di Dio. Ivi pure si fanno officii e solennità grandi in suffragio dei morti, mediante una società non approvata; ai quali emolumenti sono partecipi altri sacerdoti estranei, e niente il parroco e suoi coadjutori: il che è una intollerabile ingiustizia; mentre il parroco, e i coadjutori debbano tenere registro dei morti nell' ospitalè per la parte civile, e spedire le lettere al tribunale; per la immutazione nuovamente indotta nella disciplina, la qual vieta che si seppelliscano i morti nelle chiese, son venuti a perdere tante temporalità sulli funerali che godevano e percepivano gli antecessori. Ivi finalmente si permette, ch' entrino a predicare, e confessare, e funcionare chiunque dei sacerdoti che piaccia al capellano, non sempre di tutta buona fama, e si pretende che il parroco non vi vade che col permesso medesimo quando anche è ricercato solamente da qualche suo parrochiano per la confessione; dovendo cosi talvolta sapere e conoscere disordini a cui non puo rimediare. Per queste cose l' Esponete vedendo che l' esser parroco anche dall' ospitale, ormai non è che di nome soltanto; e che a nulla quindi si riducono i diritti che lo stesso Monsig. Vescovo gli attribuiva e confermava con sua lettera eo . . . . . supplica Sua Santita, perchè si compiaccia di ordinare che l' esponente venga restituito nel pieno possesso e libero esercizio dei proprii diritti, facendo d'ora innanzi che ad evitare qualsivoglia futura contessa, che tanto il P. S., come la chiesa che gli appartiene, e il capellano, salve le facoltà che gli attribuisce il privilegio apostolico, si riconoscano di ragione, e di fatto dipendenti dal parroco del ssmo Salvatore; che le prestazioni che questi oro riceve dal P. S., una cioè di otto, e l' altra di sette lire, valgano per quel tanto a cui sono originalmente radicate, e non abbiano un valore amplo, assoluto che sia, come vorrebbesi dalla parte avversario; cosicchè non sia più in arbitrio del capellano di fare qualunque sorta di funzione da vivo e da requiem senza partecipazione, e corrispettiva tangente al parroco e ai suoi coadjutori: firmo manente jure quoad functiones diebus solemnibus et festivis eidem attributo ex cit. resolutione S. O. anni 1688. Quibus quaestionum capitibus respondent dubia ad calcem videnda.

Causa vero hujusmodi ad h. s. Ordinem delata audivi de more Ordinarium, qui tramissis capellani hospitalis deductionibus retulit, exaggerata fuisse a parocho scandala, quae in hospitali eveniunt; nam si quae extiterint ab ipso statim remota fuere, quo vero ad jurium declarationem per parochum stetisse, quominus incepta per Ordinarium conciliatio terminaretur, quia praemature in effugium habuit ad s. Congregationem. In ecclesia hospitali parochum nullum jus habere quia censet eam esse jurispatronatus hospitalis ex fundatione, aedificatione ac dodatione ab eo facta; quod sufficere autumat ad excludendam parochi jurisdictionem per ea quae tradit *Emmanuel de Averedo in ex citat. 39. de divino officio*, quae appendicis loco ad opera Benedict. XIV. haberi potest. Quod praeterea confirmatur a responsione sibi data anno 1852 a gubernativa auctoritate ideo se opponente erectioni hospitalis in paroeciam, quod trovava inutile questa erezione giacchè in forza del decreto Vicereale 10. Marzo 1808 la chiesa dell' ospitale non ha altra dipendenza dalla parrochia, che quella di dovere

al bisogno prestarsi per la dottrina cristiana, e per levarsi il s. viatico per gl' infermi giacchè la cura delle anime respetto agl' infermi, ed ai ricoverati nel pio luogo, ella è senza contradizione esercitata dai capellani assisienti. Neque capellanos a parrocho ulla in re pendere existimat ac se concludit in ea esse sententia, che non si arrivèra mai a dar fine a queste dissenzioni quando non si distacchi intieramente l' ospitale dalla giurisdizione parrocchiale, la quale attualmente nell' eserzicio, per la consuetudine si può dire ridotta ad un ombra; e non sussiste che nella riserva pontificia salvis juris parochialibus, e nel capo del parroco reclamante. L' Arcivescovo di Milano ha dovuto erigere in parrocchia interna l' opitale di Milano per toglieri i continui litigi tra l' ospitale e il parroco; così a Como, Bergamo, Monsa, Crema, e in altre città di Lombardia gli ospitali si reggono da religiosi, o sacerdoti deputati dai Vescovi con tute le facoltà parrocchiali.

Hospitalis capellanus in suis deductionibus primum ab omni imputatione se defendit fretus honorifico Episcopi testimonio relato in s. visitationis actis anni 1854; deinde ex quibusdam patriae historiae fragmentis relevat hospitalis originem ab anno usque 1202 repetendam esse a quibusdam fratribus charitatis, qui domunculas intra paroeciae fines sitas in nosocomium cum sacello erexerunt, sub immediata Episcopi jurisdictione, cui jusjurandum fidelitatis atque obedientiae praestabant. Quoad fratrum consortium, ita nuncupatum cum esset laicalis coetus, Episcopus eis aliquem presbyterum sua auctoritate praeficiebat pro missae celebratione ac sacramentorum administratione. Atque in hospitali sui haerede nuncupando quidem Gambara d' Isella capellanum onere gravatum voluit quotidianam missam celebrandi ad aegrotantium commodum et ad defunctorum levamen, qui in hospitalis coemeterio dormitionem accepe-rant. De praepositi vero vel parochi ssmi Salvatoris jurisdictione nec verbum nec volam esse, inquit, in praefata historia. Porro ad nobilium civitatis decurionum preces memorat, Episcopum Pallavicinum, mediante suppresione atque unione hospitalium indulsisse applicationem et erectionem novi nosocomii cum capella, turri campanaria ac coemeterio, illius administrationem conferendo civitati tanquam patronae. Neque capellanos ab alio fore eligendos ex fundationis lege nisi a deputatis novi hospitalis cum Episcopi approbatione pro facultate in spiritualibus, videlicet sacramenta administrandi, defunctorum cadavera in praefato coemeterio sepeliendi ac sacras functiones agendi juxta Viennense concilium ac pontificias constitutiones per ea verba: *Omnia sacramenta ecclesiastica administrare (capellanus) libere valeat.*

Hinc inepte a praeposito obtrudi, parochum ssmi Salvatoris priorem fuisse capellanis in sacramentorum administratione atque eos eidem fuisse in hospitali suffectos, cum necessitas ob adauctam multitudinem aegrotantium id postulasset; quandoquidem ex hactenus expositis palam est parochum nullam jurisdictionem exercuisse in hospitali neque quoad functiones in ecclesia neque quoad sacramentorum administrationem. Deteriori concilio contendi, facultatem sacramenta administrandi a Sixto IV. tributam capellanis cohiberi tantum ad aegrotos ac deservientes, volgo »infermieri«, non item ad quascumque personas in nosocomio comprehensas, nam verba ejusdem bullae intelligenda veniunt ex precibus a deputatis porrectis, quae bullam praecesserunt, sive pro omnibus personis, quae in hospitali infirmis opem impenderent eo vel magis, quod dictio *deservientium* in praefata bulla adhibita hunc sensum praeseferat. Huic interpretationi robur adjicit ex indulto doctrinae christianae explicandae anni 1626, quod pariter ad omnes se extendit personas in hospitali commorantes. Quin absint quaestiones subinde motae a parochis; nam illae numquam directae fuerunt ad cohibendam sacramentorum administrationem in nosocomio, sed dumtaxat ad cadaverum adsportationem extra muros dicti magni hospitalis cum laesione jurium parochialium. Atque id ipsum respicere autumat clausulam in bulla Sixti IV. appositam »Jure tamen parochialis ecclesiae et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo«, quin valeat etiam extendi ad functiones et exequias quae intra hospitale celebrantur.

Quod si ex jure communi pauperes hospitalium recipere debeant sacramenta a rectore parochialis ecclesiae, tamen advertunt ss. canonum interpretes, plura existere nosocomia, quae ad sacramenta administranda speciales presbyteros habent, quod Episcopi aut Pontifices privilegio primum inductum est. Nec in themate deesse conventiones, quarum vi a parochis ssmi Salvatoris, depacto annuo canone, propriae jurisdictioni pro sacramen-

torum administratione favore hospitalis nuntium missum fuit. Primam conventionem contigisse indigitat ex instrumentb anni 1514, ubi, adstante presbytero Quinterdio procuratorio nomine propositi ssmi Salvatoris legitur: »Mihi notario stipulanti nomine spectabilium dominorum deputatorum hospitalis novi et magni Laudae de libris tribus imperialibus pro conventione alias facta cum ea praepositura et hoc pro anno praesenti promittentes, obligantes, renuntiantes etc.« Alteram conventionem factam anno 1515 deducit ex dati acceptique syngrapha anno 1845, ubi haec habentur: »Ha pagato alla casa di quaesto Imper. Rg. archivio il Signor Corciolani avvocato Alessandro segretario dell' ospedale maggiore . . . . lire una e centi trentadue come dalla classificazione a tergo della presente per ostenzione dell' istromento di confesso fatto dal parroco di san Salvatore Don Giacomo Simonetta verso i deputati dell' ospedale maggiore di Lodi per lire tre imperiali, come da convenzio ne rogata dal fu notajo di Lodi Giovanni Antonio Mairani il 23. Oct. 1515. giusta sua verbale domanda.« Tertiam conventionem factam anno 1657 ostendit ex libro provisionum etc., ubi praepositus Bovio a prioribus deputatis libellas biscentum pro praeteritis annis non solutas solvendas sibi esse contendebat pro recognitione librarum trium solvi conventarum cum hoc ven. hospitali majori et Rev. D. praeposito ssmi Salvatoris, per eos factae favore ven. hospitalis juris et facultatis exercendi per capellanos hujus ven. hospitalis munia parochialia in hoc ven. hospitale intuitu infirmorum, infantium expositorum et aliorum necessariorum juxta solitum etc.

Novam praeterea conventionem meminit fuisse initam anno 1661. quodam Tuzaghi mediatore inter hospitale ac praepositum, ut nempe in oratorio nosocomii fierent »omnes quaeque functiones parochiales cujuslibet generis salvo jure impertiendi ministris degentibus in eodem hospitali salubre pabulum Corporis D. N. J. C. in quolibet festo paschalis resurrectionis et matrimonii vinculo jungendi expositas et alias personas degentes in ipso hospitale tempore assensuum nuptus et elevandi associandique cadavera eorum, qui in d. ven. hospitale et ad alias ecclesias ad tumulandum deferuntur etc. . . . ., itaque illa recognitio lib. trium, quae illi quotannis praestari solebat, augeantur ad libras quinque in anno in totum et ubi opus sit obtineri debeantur nomine et expensis hospitalis approbatis a s. Sede; quamvis in bullis jam alias impetratis haec facultas concessa non reperiatur.» Perperam hanc conventionem utpote legitima approbatione destitutam ex adverso redargui; quippe approbatione apostolica haud indiguisse autumat cum non novi fuerit generis conventio, sed caeterarum ampliatio. De reliquo hospitale semper in annui canonis praestatione perseverasse, etiam post dirutam ecclesiam s. Matthiae, in qua nunquam praepositus jurisdictionem exercuit. Ab altero vero parocho s. Nicolai, cujus jura ex unione transierunt in ecclesiam ssmi Salvatoris, jam inde ab anno 1732 renunciatum fuisse praetensae jurisdictioni ob apertum sacelli ostium suam versus paroeciam mediante solutione annua ab hospitali facienda libellarum septem uniusque candelae Episcopo auctorante.

Perpendit inde ecclesiam hospitalis nunquam paroeciis ssmi Salvatoris vel s. Nicolai succursalem extitisse sed jurispatronatus civitatis vel hospitalis ob aedificationem ac dotationem. Jam vero in ecclesiis juris patronatus parochos haud posse functiones peragere sine patronorum consensu docet ex *Francisci Nardi elementis juris canonici* §. *209.* Quod magis adurget in themate ex conventionibus, ex immemorabile consuetudine, ex annuis praestationibus a parochis recognitis pro jurium cessione, necnon ex actis ss. visitationum hospitalis, in quibus nunquam parochi intervenere. Quibus inspectis haud dubitasse Ordinarium anno 1852. hospitalis ecclesiam paroecialem declarare licet decretum executioni demandari haud potuerit renitente gubernativa auctoritate.

Ceterum haud suffragari praeposito baptismum in sua paroeciali ecclesia collatum anno 1834 cuidam infanti in hospitali nato, nam id praeterquam insciis capellanis acciderit, unum tantum praeseferat actum, qui nequit constantem hospitalis praxim evertere. Huic accedere, in more fuisse capellanorum libros status animarum conficere, uti patet ex regestris hospitalis. Imo eos fuisse auctoritate episcopali munitos, cum hodiernus Ordinarius in s. visitatione approbaverit regestrum ecclesiasticum »Stato delle anime di moranti nello spedale maggiore di Lodi.« Functiones vero ecclesiasticas, quae hodie fiunt in hospitalis ecclesia, fuisse et antea fieri solitas usque ab anno 1659, imo majori in numero anno 1756 fuisse celebratas ob

aggregationem eidem ecclesiae factam confraternitatis s. Annae, neque eas hodie diversis horis quam consuetis ut semper antea asserit celebrari.

Nec melius sua parochialia jura praepositum tueri ex gubernativo decreto anni 1816, quo jubebatur in libro mortuario referre etiam vita functos in hospitali, nam et id capellani factitarunt in suo funerum codice. Tandem fundationis esse legi contrariam, quam a se praedendit praepositus, capellanorum dependentiam. Neque proinde restituendum esse in juribus, quae, etsi parochialia habeantur, ab hospitalium etiam capellanis exerceri privative possent ob antiquam consuetudinem, excepta, si videatur, assistentia matrimoniis, de quo se dubitare fatetur.

E converso praepositi ssmi Salvatoris defensor adstruit, eidem parochialem jurisdictionem privative competere in hospitali tum quoad sacramentorum administrationem, si ea excipias, quae ex bullis Pauli II. et Sixti IV. cumulative cum praeposito capellanus tamquam ejus coadjutor administrare valet infirmis et deservientibus, tum quoad solemnes hospitalis functiones tum denique quoad caetera munia parochorum, quae in praefatis bullis sarta tectaque relinquuntur, atque passim per sententias vim nactas rei judicatae declarata fuere. Facti enim rem esse, ait, hospitale numquam in paroeciam fuisse erectum; imo a fundationis limine reservata in illud fuisse parochi ssmi Salvatoris omnia jura, plenissimam videlicet jurisdictionem. Exinde neminem arguit praedicti hospitalis parochum existere quam praepositum illius paroeciae, cujus intra limites nosocomium erectum fuit, cautum cum sit in jure ecclesiam curatam duos parochos habere non posse ex sac. Congreg. *in Nullius Orbetelli jurium paroch. 14. April 1827.* §: *Habemus.*

Porro inter munera mere parochialia, quae a nemine nisi de ipsius parochi licentia exerceri valent, recenseri potissimum solemnem collationem baptismi, communionem infirmorum, communionem paschalem parochianorum, administrationem extremae unctionis et matrimonialem benedictionem, ex traditis per *Berardi comment. in jus eccl. univ. vol. 1. dissert. 6. cap. 2.* Atque ad parochi jurisdictionem pertinere pueros ad primam communionem admittere, *ex cathec. roman. part. 2. cap. 4. n. 62.* et *Bened. XIV. constit.: Etsi minime 42.* §. *9.* et *synod. dioec. lib. 7. c. 11.*, necnon libros conficere status animarum baptizatorum, matrimoniorum ac mortuorum, *s. Congreg. in Andrien. 11. Septemb. 1762.* §: *Reprehendit*, et *in Ipporegien. librorum paroch. 19. Maii 1832.* §: *Verumtamen.* Praeterea ad parochum spectare exequias conficere funerumque emolumenta percipere, ex *Berardi loc. cit.* et ex *Trid. synod. sess. 25. cap. 13. de reform.*, ubi expresse decernitur, ut quibuscumque in locis jam ante annos eadem quarta, quae funeralium dicitur, Cathedrali, ac postea fuerit ex quocumque privilegio aliis monasteriis, hospitalibus aut quibuscumque locis concessa, eadem posthac integro jure et eadem portione, quae ante solebat, cathedrali seu parochiali ecclesiae persolvatur non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis etiam Mari magno nuncupatis aut aliis quibuscumque.«

Jura vero haec singula in praefato hospitali quovis tempore exercuisse praepositos, imo ante recensitas pontificias constitutiones exclusive infirmorum confessiones ex ipsa bulla Sixti IV. anni 1479 indigitat, ubi agentes et deputati hospitalis eidem Pontifici exponebant, quod capellanus ipse pauperum et infirmorum confessiones audiendi et eis sacramenta ecclesiastica ministrandi potestatem non haberet atque rector parochialis ecclesiae interdum de facili haberi non posset. Ob idque Pontificem rogabant pro facultate sacramento administrandi capellano impertienda. Sixtum IV. vero indulsisse capellano solummodo »infirmorum ad ipsum hospitale pro tempore confluentium vel in eo deservientium confessiones audire . . . . . necnon ipsis, quoties opus fuerit, ecclesiastica sacramenta ministrare ac in eodem hospitali pro tempore decedentium corpora in capella praedictae ecclesiae sepulturae tradere;« praeterea nihil. Ex hisce patet ordinarium sacramentorum administratorem etiam quoad infirmos esse praepositum neque esse hospitalis capellanum, nisi simplicem illius coadjutorem ideo ad audiendas confessiones admissum, quod praepositus interdum de facili haberi non potest. Quocirca haud fuisse paroeciali jurisdictioni per Pontificem derogatum, eo vel magis quod clausulam suae bullae adjecerit: »Jure tamen parochialis ecclesiae . . . . . in omnibus semper salvo.« Injuria idcirco capellanum agere, qui sine sui expressa venia prohibet, quominus praepositus nosocomium ingrediatur ad confessiones infirmorum excipiendas in casu, quod ab eis sit requisitus.

De reliquo facultatem capellano a Sixto IV. datam restringi tantum ad infirmos eisque deservientes, quin valeat ad alias familias caeterasque personas in hospitali degentes extendi. Privilegium hoc personale esse quod utpote odiosum, praesertim cum jurisdictioni praepositi praejudicet, nequit ad alios quam ad personas nominatas protendi, licet in aliis vel par vel major esset ratio, ex *cap.: Sane. 9. de privil.* et *cap.: Privilegia de reg. jur. in 6.* Ac proinde praepositi jurisdictionem omnimode fuisse servatam quoad personas in bulla non expressas, nempe quoad officialium familias atque expositos caeterosque in hospitale existentes. Ita resolutum refert a sac. Congregatione in simili casu quoad inquilinos commendae s. ord. theuthonici civitatis Viennensis, in Vienen. jur. paroch. 13. Julii 1725. ad 2. dub., et quoad famulos famulasque inservientes monasteriis monalium licet exemptarum in una *Leodien. 14. April 1675.* et in *Spoletana 19. April. 1691.*

Verum in themate adesse antiquissimam praepositorum praxim, qui, uti eruitur ex sententia Episcopi anni 1677, administrarunt semper sacramenta paschalia tam ministris degentibus in eodem hospitale, quam vinculo matrimoniali junxerunt expositas et alias personas ibi commorantes, baptismum quoque contulere natis in hospitali, quippe in regestris legitur: come il Signor rettore Bronello di s. Nicolo in assenza del preposto del ss. Salvatore ando a battezzare una esposta del ven. ospidale; quod certe constantem hanc fuisse praepositorum praxim ostendit, vel si tanquam unicus actus haberi velit, eundem sufficere ad vindicandum parochorum jurisdictionem, cum unicus actus suffragetur pro jurisdictione universali ob juris assistentiam, ceu ex *s. Rota in Brixien jurisdictionis 5. Junii 1688. coram Caprara,* et *sac. Congregatione in Ariminen. jur. paroch. 18. Junii 1835.* §: *Sed supposito.* Quin objici valeat praepositos haud fuisse praesentes sac. visitationibus hospitalis; nam id Episcoporum consilio contigisse pandit ad evitanda capellanorum jurgia; anno enim 1654 Episcopus epistolio ad praepositum misso ajebat: »Pro buono pacis io la pregherei ad astenersi dall' intervenire alla mia visita pastorale che domani intendo di fare all 'ospedale medesimo. Le dichiaro poi con questa mia, che questo atto non potra mai in verun tempo pregiudicare alli suoi diritti, meno poi addursi di dái bappresentanti l' ospidale in prova d' indipendenza della giurisdizione parocchiale, che le potesse competere.«

Perperam sed regeri capellanos semper fuisse in pacifica possessione quoad sacramentorum omnium administrationem relate ad quascumque personas in hospitali degentes; quandoquidem eos in continua potius parochialium jurium usurpatione fuisse revincit, cum ex passim editis sententiis favore praepositi, tum ex assiduis ob id habitis reclamationibus. Ex sententiis enim Laudensis curiae anni 1581 et 1677, inspectis libris status animarum a praeposito exhibitis declaratam fuisse ejusdem privativam jurisdictionem quoad matrimonia, quoad sacramenta paschalia, jura funerum, levandi nempe cadavera non modo eorum, qui extra hospitale sepeliuntur, sed etiam qui in eodem hospitali, dum interveniunt alii sacerdotes ultra dictum capellanum; idipsum dicendum quoad functiones solemnes hospitalis; quae omnia ad retundendam iterum capellanorum audaciam decreta ac sancita rursus resistere a s. hoc Ordine anno 1688. Neque defuisse praepositorum reclamationes anno 1834, 1837 et 1845 contra renovatas a capellanis usurpationes.

Conventiones vero, quibus capellanus innititur, anni 1514, 1515, 1557 exaggeratas esse vel falsas, imo potius unam eandemque esse conventionem pluries in actis repetitam censet, neque respicere, uti praepositus Bovio declaravit anno 1656, nisi administrationem, agl' infermi della confessione, communione, estrema unzione e sepoltura privata in d. luogo, e questo anche colla riserva sempre delle ragioni parochiali, in riguardo delle quali e tenuto l'ospitale ad un' annua ricognitione di lire 3 alla detta prepositura. Quin ergo libellarum illa praestatio evertat praepositi jurisdictionem, potius confirmat etiam quoad sacramenta, quae infirmis administrantur, cum non sit nisi annua recognitio jurium parochialium. Conventionem vero anni 1661 haud esse attendendam, uti omni destitutam Superiorum approbatione neque a successoribus recognitam, imo a sententia anni 1677 et a resolutionibus sac. hujus congregationis anni 1688 omnino posthabitam. Addi insuper auctorem illius conventionis praepositum Miroja veniam petiisse a Vicario generali eumque rogasse ne ob id ad punitionem procederet, uti probat ex documentis. Neque in facultate fuisse antecessorum in successorum damnum parochiali

juri cedendi, per ea, quae docet s. Congregatio in *Placentina jur. paroch. 25. Maji 1816.* §.: *Transactis.*

Quod vero attinet ad juspatronatus hospitalis, illud haud comprobari posse subsumit ex praetensis causis fundationis aedificationis ac dotationis, cum indubium sit hospitale hujusmodi erectum fuisse ex aliorum hospitalium suppressione atque unione. Neque ex illis causis juspatronatus semper praesumi, nisi etiam constet fuisse expresse in fundatione reservatum. *Piton. de controvers. patron. allegat. 54, num. 50,* praesertim quando agitur de communitatibus vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet ac plenior et exactior probatio ad dicendum verum titulum requiritur, uti loquitur *Tridentinum in sess. 25. cap. 5. de reform.* Illud accedere in themate, quod nunquam hospitalis administratores sub nuncupatione patronorum veniant, bene vero, »priorum, agentium ac ministrorum«. Quod etsi probaretur hujusmodi juspatronatus, haud certe valeret parochi jurisdictionem excludere tradit ex *Piton. cit. loco alleg. 75. num. 63,* et praesertim ex s. Congregatione in *Comen. functionuum 17. Maji 1749,* ubi etiam agebatur de publico oratorio jurispatronatus cujusdam patricii erecto cum clausula, »sine praejudicio jurium parochialium *).

Quod tandem attinet ad solemnes functiones in ecclesia hospitalis, praeter relatam s. Congreg. resolutionem anni 1688 innititur etiam documento anni 1650, in quo tunc temporis parochus testatur »che le funzioni parochiali nell' oratorio di esso venerab. ospidale sono sempre state fatte dal preposto, o da altra persona die suo ordine. Essendosi poi nella solennità seguente della Pentecoste esposte l'orazione delle Quarantore vel medesimo oratorio, le funzioni furono fatte da me Camillo Bovio proposto coll' infrascritti ch. D. Carlo Galbignano mio coadjutore, e D . . . . . li quali furono assistenti colle loro cotte a quel ministro.« Pariter inquit constare de praepositi jure accedendi ad exequias defunctorum, dum interveniunt alii sacerdotes ultra dictum capellanum, uti declaratum fuit a sententia curiae anno 1851. Omnino demum expedire ut in ecclesia hospitalis non celebrentur functiones eadem hora, qua praepositus in sua ecclesia concionem habet et missam parochialem celebrat. Caeterum hospitalis praetensiones haud esse legitimas causas, illud eximendi a paroeciali jurisdictione, cum nulli Ordinario liceat curam, quae antea erat libera, in servitutum redigere; esset enim illud facere quod prohibet *Trid. sess. 25 cap. 9,* ita s. Congregatio in *Nullius Orbitelli jur. paroch. 14. Apr. 1821* §.: *Habemus.*

Quod tandem in variis illius regionis civitatibus aliqua nosocomia fuerint a parochi jurisdictione exempta, id monet procedere de iis tantum, quae assentientibus parochis fuerunt curae regularium commissa; non item de aliis, quibus suffecti in capellanos sacerdotes saeculares inveniuntur: nam hos prorsus a parochis dependere contendit. Proponuntur dubia:

I. An privative spectat ad praepositum ssmi Salvatoris exercitium omnium jurium parochialium quoad personas in hospitali degentes exceptis infirmis eisque deservientibus in casu?

II. An eidem praeposito competat cumulative cum capellano jus administrandi sacramenta etiam infirmis et deservientibus in casu?

III. An et quod jus spectet ad praepositum circa functiones in ecclesia hospitalis peragendas et respectivam emolumentorum participationem in casu?

IV. An liceat capellano peragere functiones in ecclesia hospitalis eadem hora qua explicatur evangelium et celebratur missa parochialis in ecclesia ssmi Salvatoris in casu?

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative exceptis juribus capellano tributis in bulla Sixti IV. anni 1479 et in sententia arbitramentali Episcopi anno 1677.

Ad II.: Negative excepto casu, quo praepositus ab infirmis vocetur.

Ad III.: Affirmative et jus esse praeposito peragendi functiones solemnes diebus festivis hospitalis ac participandi pro rata de eleemosynis in caeteris functionibus, quibus alii sacerdotes interveniunt.

Ad IV.: Prudenti arbitrio Episcopi.

Die 28. Mart. et 2. Maji 1857.

Ad dub.: An et cui liceat administrare ss. sacram. viatici et extr. unctionis quibuscumque sive ratione domicilii sive servitii degentibus in hospitali s. Mariae de crucibus?

S. C. resp.: Licere capellanis hospitalis.

Die 13. et 17. Junii 1789.

*) Vd. verb.: *Clausula* »sine praejudicio«.

De reliquo facultatem capellano a Sixto IV. datam restringi tantum ad infirmos eisque deservientes, quin valeat ad alias familias caeterasque personas in hospitali degentes extendi. Privilegium hoc personale esse quod utpote odiosum, praesertim cum jurisdictioni praepositi praejudicet, nequit ad alios quam ad personas nominatas protendi, licet in aliis vel par vel major esset ratio, ex *cap.: Sane. 9. de privil.* et *cap.: Privilegia de reg. jur. in 6.* Ac proinde praepositi jurisdictionem omnimode fuisse servatam quoad personas in bulla non expressas, nempe quoad officialium familias atque expositos caeterosque in hospitale existentes. Ita resolutum refert a sac. Congregatione in simili casu quoad inquilinos commendae s. ord. theuthonici civitatis Viennensis, in Vienen. jur. paroch. 13. Julii 1725. ad 2. dub., et quoad famulos famulasque inservientes monasteriis monalium licet exemptarum in una *Leodien. 14. April 1675.* et in *Spoletana 19. April. 1691.*

Verum in themate adesse antiquissimam praepositorum praxim, qui, uti eruitur ex sententia Episcopi anni 1677, administrarunt semper sacramenta paschalia tam ministris degentibus in eodem hospitale, quam vinculo matrimoniali junxerunt expositas et alias personas ibi commorantes, baptismum quoque contulere natis in hospitali, quippe in regestris legitur: come il Signor rettore Bronello di s. Nicolo in assenza del preposto del ss. Salvatore ando a battezzare una esposta del ven. ospidale; quod certe constantem hanc fuisse praepositorum praxim ostendit, vel si tanquam unicus actus haberi velit, eundem sufficere ad vindicandum parochorum jurisdictionem, cum unicus actus suffragetur pro jurisdictione universali ob juris assistentiam, ceu ex *s. Rota in Brixien jurisdictionis 5. Junii 1688. coram Caprara,* et *sac. Congregatione in Ariminen. jur. paroch. 18. Junii 1835.* §: *Sed supposito.* Quin objici valeat praepositos haud fuisse praesentes sac. visitationibus hospitalis; nam id Episcoporum consilio contigisse pandit ad evitanda capellanorum jurgia; anno enim 1654 Episcopus epistolio ad praepositum misso ajebat: »Pro buono pacis io la pregherei ad astenersi dall' intervenire alla mia visita pastorale che domani intendo di fare all 'ospedale medesimo. Le dichiaro poi con questa mia, che questo atto non potra mai in verun tempo pregiudicare alli suoi diritti, meno poi addursi di dái bappresentanti l' ospidale in prova d' indipendenza della giurisdizione parocchiale, che le potesse competere.«

Perperam sed regeri capellanos semper fuisse in pacifica possessione quoad sacramentorum omnium administrationem relate ad quascumque personas in hospitali degentes; quandoquidem eos in continua potius parochialium jurium usurpatione fuisse revincit, cum ex passim editis sententiis favore praepositi, tum ex assiduis ob id habitis reclamationibus. Ex sententiis enim Laudensis curiae anni 1581 et 1677, inspectis libris status animarum a praeposito exhibitis declaratam fuisse ejusdem privativam jurisdictionem quoad matrimonia, quoad sacramenta paschalia, jura funerum, levandi nempe cadavera non modo eorum, qui extra hospitale sepeliuntur, sed etiam qui in eodem hospitali, dum interveniunt alii sacerdotes ultra dictum capellanum; idipsum dicendum quoad functiones solemnes hospitalis; quae omnia ad retundendam iterum capellanorum audaciam decreta ac sancita rursus resistere a s. hoc Ordine anno 1688. Neque defuisse praepositorum reclamationes anno 1834, 1837 et 1845 contra renovatas a capellanis usurpationes.

Conventiones vero, quibus capellanus innititur, anni 1514, 1515, 1557 exaggeratas esse vel falsas, imo potius unam eandemque esse conventionem pluries in actis repetitam censet, neque respicere, uti praepositus Bovio declaravit anno 1656, nisi administrationem, agl' infermi della confessione, communione, estrema unzione e sepoltura privata in d. luogo, e questo anche colla riserva sempre delle ragioni parochiali, in riguardo delle quali e tenuto l'ospitale ad un' annua ricognitione di lire 3 alla detta prepositura. Quin ergo libellarum illa praestatio evertat praepositi jurisdictionem, potius confirmat etiam quoad sacramenta, quae infirmis administrantur, cum non sit nisi annua recognitio jurium parochialium. Conventionem vero anni 1661 haud esse attendendam, uti omni destitutam Superiorum approbatione neque a successoribus recognitam, imo a sententia anni 1677 et a resolutionibus sac. hujus congregationis anni 1688 omnino posthabitam. Addi insuper auctorem illius conventionis praepositum Miroja veniam petiisse a Vicario generali eumque rogasse ne ob id ad punitionem procederet, uti probat ex documentis. Neque in facultate fuisse antecessorum in successorum damnum parochiali

juri cedendi, per ea, quae docet s. Congregatio in *Placentina jur. paroch. 25. Maji 1816.* §.: *Transactis.*

Quod vero attinet ad juspatronatus hospitalis, illud haud comprobari posse subsumit ex praetensis causis fundationis aedificationis ac dotationis, cum indubium sit hospitale hujusmodi erectum fuisse ex aliorum hospitalium suppressione atque unione. Neque ex illis causis juspatronatus semper praesumi, nisi etiam constet fuisse expresse in fundatione reservatum. *Piton. de controvers. patron. allegat. 54, num. 50,* praesertim quando agitur de communitatibus vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet ac plenior et exactior probatio ad dicendum verum titulum requiritur, uti loquitur *Tridentinum in sess. 25. cap. 5. de reform.* Illud accedere in themate, quod nunquam hospitalis administratores sub nuncupatione patronorum veniant, bene vero, »priorum, agentium ac ministrorum«. Quod etsi probaretur hujusmodi juspatronatus, haud certe valeret parochi jurisdictionem excludere tradit ex *Piton. cit. loco alleg. 75. num. 63,* et praesertim ex s. Congregatione in *Comen. functionum 17. Maji 1749,* ubi etiam agebatur de publico oratorio jurispatronatus cujusdam patricii erecto cum clausula, »sine praejudicio jurium parochialium *).

Quod tandem attinet ad solemnes functiones in ecclesia hospitalis, praeter relatam s. Congreg. resolutionem anni 1688 innititur etiam documento anni 1650, in quo tunc temporis parochus testatur »che le funzioni parochiali nell' oratorio di esso venerab. ospidale sono sempre state fatte dal preposto, o da altra persona die suo ordine. Essendosi poi nella solennità seguente della Pentecoste esposte l'orazione delle Quarantore vel medesimo oratorio, le funzioni furono fatte da me Camillo Bovio proposto coll' infrascritti ch. D. Carlo Galbignano mio coadjutore, e D . . . . . li quali furono assistenti colle loro cotte a quel ministro.« Pariter inquit constare de praepositi jure accedendi ad exequias defunctorum, dum interveniunt alii sacerdotes ultra dictum capellanum, uti declaratum fuit a sententia curiae anno 1851. Omnino demum expedire ut in ecclesia hospitalis non celebrentur functiones eadem hora, qua praepositus in sua ecclesia concionem habet et missam parochialem celebrat. Caeterum hospitalis praetensiones haud esse legitimas causas, illud eximendi a paroeciali jurisdictione, cum nulli Ordinario liceat curam, quae antea erat libera, in servitutum redigere; esset enim illud facere quod prohibet *Trid. sess. 25 cap. 9,* ita s. Congregatio in *Nullius Orbitelli jur. paroch. 14. Apr. 1821* §.: *Habemus.*

Quod tandem in variis illius regionis civitatibus aliqua nosocomia fuerint a parochi jurisdictione exempta, id monet procedere de iis tantum, quae assentientibus parochis fuerunt curae regularium commissa; non item de aliis, quibus suffecti in capellanos sacerdotes saeculares inveniuntur: nam hos prorsus a parochis dependere contendit. Proponuntur dubia:

I. An privative spectat ad praepositum ssmi Salvatoris exercitium omnium jurium parochialium quoad personas in hospitali degentes exceptis infirmis eisque deservientibus in casu?

II. An eidem praeposito competat cumulative cum capellano jus administrandi sacramenta etiam infirmis et deservientibus in casu?

III. An et quod jus spectet ad praepositum circa functiones in ecclesia hospitalis peragendas et respectivam emolumentorum participationem in casu?

IV. An liceat capellano peragere functiones in ecclesia hospitalis eadem hora qua explicatur evangelium et celebratur missa parochialis in ecclesia ssmi Salvatoris in casu?

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative exceptis juribus capellano tributis in bulla Sixti IV. anni 1479 et in sententia arbitramentali Episcopi anno 1677.

Ad II.: Negative excepto casu, quo praepositus ab infirmis vocetur.

Ad III.: Affirmative et jus esse praeposito peragendi functiones solemnes diebus festivis hospitalis ac participandi pro rata de eleemosynis in caeteris functionibus, quibus alii sacerdotes interveniunt.

Ad IV.: Prudenti arbitrio Episcopi.

Die 28. Mart. et 2. Maji 1857.

Ad dub.: An et cui liceat administrare ss. sacram. viatici et extr. unctionis quibuscumque sive ratione domicilii sive servitii degentibus in hospitali s. Mariae de crucibus?

S. C. resp.: Licere capellanis hospitalis.

Die 13. et 17. Junii 1789.

*) Vd. verb.: *Clausula* »sine praejudicio«.

h) Laicis vetita.

Vd. *Conventicula relig. Laicor.*

i) In Monasteriis Regularium habentibus saeculares deservientes.

Uratislavien.

Vd. *Cura animar.* (exercenda a Regul.); *Visitatio eccles. paroch. et curat regul.; Administratio sacram.* (a Regular. p. 207, a parocho — oblig. p. 204.)

(Conc. Tr. c. 4. ss. 24. de reform.)

Cum episcopalis curia Uratislaviae sub annum 1733 inhibuisset Abbati monasterii s. Vincentii ordinis Praemonstratensis in ea civitate pridem erecti, ne parochialia jura super saecularibus personis ejusdem monasterii servitio addictis, sive intra monasterii septa sive extra illa degentibus, multoque minus super earum familiis in posterum exerceret, id aegre ferens praefatus Abbas querelas suas sacrae huic detulit congregationi, a qua modo postulat decidi dubium inferius describendum.

Praecipuum momentum, cui nititur memoratus Abbas, est vetustissima et pacifica possessio, juxta quam asserit, tum suos antecessores tum se ipsum usque ad annum 1733 omnimodam jurisdictionem parochialem super enunciatis personis earumque familiis exercuisse; ab hac enim contendit quemcumque potiorem titulum, quo jus explendi etiam imposterum eosdem actus parochiales sibi arroget, legitime derivari.

Contra vero eminentissimus Episcopus ad refellendam magnificatam possessionem nomine Abbatis propositam folium literis suis adnexum sacrae huic congregationi transmisit, in quo cum peculiares facti circumstantiae exponantur ad causae decisionem plurimum conferentes, praestat hic illius tenorem majori ex parte transcribere:

»Fuit quondam celebre et vetustum monasterium fratrum ordinis Praemonstratensium sub titulo et invocatione s. Vincentii extra muros Uratislavienses in Elbino, quod a senatu et civibus Uratislaviensibus per causationem ingruentium bellorum, quae tunc temporis ex Turcico imminebant, e fundamentis demolitum et solo aequatum est; et quando quidem celsissimus et reverendissimus D. Jacobus tunc temporis Episcopus Uratislaviensis ut commissarius Sedis apostolicae cum serenissimo duce Carolo principe Monasterbergensi et Olsnensi inferioris Silesiae capitaneo etiam ut commissario inter admodum reverendissimum D. Abbatem Joannem ac conventum diruti monasterii et ipsum senatum Uratislaviensem habiti pro priori variis tractatibus differentias demolitionis taliter composuit, ut ipsi D. Abbati et fratribus ejus pro priori eorumdem loco et coenobio aliud monasterium fratrum ordinis Minorum s. Francisci de observantia domus s. Jacobi nuncupata, intra muros Uratislavienses situm, ab Uratislaviensibus evacuatum, attributum fuerit. Ad quod se etiam D. Abbas cum fratribus suis anno Domini 1540 contulit, facta eidem D. Abbati a D. commissario Sedis apostolicae in instrumento publico facultate et assecuratione, quod cum universis et singulis bonis, possessionibus, redditibus et proventibus, juribus, obventionibus et privilegiis ex primo ad secundum locum transferantur, cum hac tamen clausula, quatenus in loco diruti prioris monasterii s. Vincentii aliqua divini cultus memoria relinquatur nec totaliter ad profanos usus convertatur. Et quoniam ex post parochianis Elbingensibus sacramenta administranda erant, forisque in Elbing nulla ecclesia neque sacerdos seu parochus existeret, dictis parochianis Elbingensibus a religiosis e monasterio novo s. Vincentii intra muros Uratislavienses sacramenta administrari necesse fuit et ob hanc publicam necessitatem saepefati parochiani usum sacramentorum in ecclesia s. Vincentii intra muros tamdiu habuerunt, donec ex post facto anno 1592 templum foris in Elbing aedificaretur ibique sacramenta parochianis Elbingensibus administrarentur et tametsi constituto in suo templo in Elbing adhuc sacramenta familiaribus et domesticis a D. Abbate seu alio ab ipso delegato in ecclesia novi monasterii intra muros administrarentur, quia tamen eo tempore violente invaluit Lutheri error, ita quidem, ut in tota civitate Uratislavena nec parochus nec curatus e clero saeculari curam animarum exercere valuerit, idcirco religiosis tam Mendicantibus quam non Mendicantibus isthaec cura animarum dictae civitatis commissa et in quovis monasterio curatus constitutus est, in quorum curatorum numero etiam unus fuit ex conventu et coenobio s. Vincentii intra muros, quin tamen districtus parochiarum in civitate Uratislaviensi ob catholicorum paucitatem accurate divisus et cuilibet parochiae assignatus fuerit, verum quilibet curatorum ex religiosorum conventibus parochialia exercentibus promiscue in territorio civitatis parochialia exercuerunt usque ad annum 1707, quo curatus ad s. Vincentium visitatus et matriculam copulatorum et baptizatorum visitatori exhibere compulsus, eandem curatiam resignarunt in manus Episcopi et absolute noluerunt districtum quemdam pro parochia acceptare, itaut in districtu, quem alias Episcopus illis assignare cupiebat, PP. Dominicani ad s. Adalbertum et Crucigeri ad s. Matthiam promiscue parochialia exercuerint usque ad annum 1733, quo districtus iste auctoritate Ordinarii, designatis certis limitibus, inter praedictos PP. Dominicanos et Crucigeros divisum fuit. Quocirca ipsum s. Vincentii monasterium intra civitatem parochialia amplius exercendi potestatem ab illo tempore non habuit.«

Post haec, recensitis pluribus excessibus, qui a praefato Abbate, spreta etiam inhibitione episcopalis curiae, dicuntur patrati, in haec verba concluditur: »Ea propter, cum pauci actus claudestini et subreptitii legitimam possessionem non pariant et praedictus Abbas et religiosi pro possessoribus minime habendi sunt, Episcopus Uratislavien. minime opus habuit, ut adversus illos tanquam possessores coram sacra congregatione intentaret aut in litem se immitteret, verum, si dictus Abbas et religiosi intra praescriptum tempus Episcopo non satis fecerint, contra eosdem authoritate ordinaria juxta sacrorum canonum praescriptum procedet. Idcirco neque suo agenti Romae commoranti in commissis unquam dedit aut eum sufficienti mandato munivit, ad intentandam litem coram sacra Congregatione contra dictum Abbatem et religiosos, sed ipsi dumtaxat commisit, ut sacram Congregationem de excessibus praedictis cum debita reverentia informaret simul ac supplicaret, ne petituro fortassis Abbati aliquam declarationem, decisionem, privilegium aut indultum in id, non audito Episcopo Uratislaviensi, annuere quocunque modo velit, sed causam ad cursum juris ordinarium remittere placeat«; — hactenus folium ab Eminentissimo transmissum.

Ad illustrandam vero quaestionem sub infrascripto dubio decidendam, praeter ea, quae generaliter tradunt *Nicol. in floscul. verb.: Regularis; Tamburin. de sacrif. miss. disp. 5; Passerin. de stat. hom. tom. 2. qu. 187. art. 1. n. 982. et seq.; Monacell. part. 2. tit. 16. fol. 10. n. 22; Pellizar. in manual. regular. tom. 2. tract. 8. cap. 8. sect. 1. n. 7;* eminentiss. *Petra ad constit. 9. Innoc. III. sect. unic. n. 43. tom. 2,* non abs re est adnotare, quod in una *Mediolanen.* discusso inter caetera hoc dubio:

»*An laicis, qui intra claustra Regularium habitant et illis actu serviunt, possint Regulares sacramentum eucharistiae et tempore Paschae, ac extremae unctionis ministrare necnon in eorum ecclesiis eisdem laicis sepulturam dare?*«

Sacra Congregatio sub mensem Junii 1587 rescripsit: Posse, ut in lib. 4. Dec. pag. 267 et seqq.

Omnibus itaque perpensis deliberandum erit:

An patri Abbati monasterii s. Vincentii ordinis Praemonstratensis in civitate Uratislaviae sive religiosis ab eo deputatis competat exercitium omnimodae jurisdictionis parochialis quoad personas inservientium eidem monasterio eorumque familias, tam degentium infra quam extra illius septa in casu?

S. C. C. resp.:

Negative, et Abbatem sive religiosos ab ipso deputatos posse tantum laicis degentibus intra septa monasterii eique actu inservientibus ministrare sacramenta eucharistiae etiam tempore Paschatis, ac extremae unctionis, necnon sepulturam dare in propria ecclesia juxta decretum editum in Mediolanen.

Die 25. Jan. 1738.

k) Monialibus a capellano peragenda.

Vd. *S. Clara* (decr. Urb. c. 7.); *Moniales* (regulae etc.); *Confessarius Monialium; Capellanus Monial.*

Capellanus saecularis de licentia confessoris Monialium potest eucharistiae sacramentum ministrare; sicut enim cum licentia sacristae potest in monasteriis Mendicantium simplex sacerdos saecularis dictum sacramentum administrare, id ipsum poterit in ecclesiis Monialium de licentia confessoris earumdem, stante communicatione privilegiorum. *Tamburin. de jure abbatissar. disput. 15. q. 3. num. 2.*

Capellanus Monialium exemptorum, excluso parocho, omnia sacramenta etiam in articulo mortis ipsis administrat, ita ut loco parochi habeatur. *Tamburin. de jure abbatiss. disput. 36. quaesit. 4. per tot.; Pellizar. de Monial. c. 7. quaesit. 8. n. 15.*

Num idem obtineat quoad Moniales non exemptas? Tenet *Tamburin.* loco mox citato, quod Episcopus Monialibus sibi subjectis soleat etiam destinare capellanum, qui vice pa-

rochi fungatur. Verum non aliter admittenda est haec Tamburini opinio, quam si consuetudo, eaque jam praescripta, Episcopo adstipuletur. Seclusa namque consuetudine non est cur Episcopus in praejudicium parochi possit destinare hunc capellanum, qui parochi vice fungatur. Moniales enim non exemptae de jure communi sunt parochis subjectae, ut non diffitetur ipse *Tamburinus* et tradunt *Abbas in c.: Dilectus n. 17. de statu monachorum; Azor. instit. moral. p. 1. l. 13. c. 9. qu. 4.*

Neapolitana.

(Conc. Tr. c. 6. sess. 13. de asserv. sacr. Euch.; c. 1. 14 s. 23. de refor.)

Intra districtum parochiae s. Januarii ad Ulmum constitutum reperitur conservatorium mulierum sub invocatione s. Philippi et Jacobi, quod regitur a consulibus laicis et deputatis artis serici, in cujus ecclesia cum asservari consueverit sacra synaxis, necnon sacramenta administrari personis ibidem existentibus, Alexander Guidellus modernus parochus recursum habuit ad hanc S. C. exquisitaque de more Ordinarii informatione Vicarius generalis Neapolitanus absente eminentissimo Archiepiscopo retulit dudum se mandatum de manutenendo concessisse capellanis antedicti conservatorii in possessione seu quasi faciendi consuetas functiones et benedictiones ecclesiasticas necnon personis in eo degentibus administrandi sacram communionem, tam tempore paschali quam extra ex causa devotionis, excepta tamen administratione sanctissimi viatici et extremae unctionis, in qua se manutenuisse subdit Informans parochum, uti latius in decreto, quod datur in summario. Subindeque perurgente eodem parocho in hacmet S. Congregatione pro declaratione, nentiquam in praefata ecclesia asservari posse sanctissimum eucharistiae sacramentum sub die 2. Julii 1707 parte citata et non comparente resolutum fuit: *Non posse et detur decreta:* quae signanter sunt in *Salernitana 19. Augusti 1702*, nempe;

An caedem oblatae possint in earum ecclesia asservare sanctissimum sacramentum et sacrum oleum infirmorum, sine licentia sac. Congregationis et consensu parochi?

Sac. etc. respondit: *Non posse sine licentia sac. Congregationis.*

Concordatis itaque infrascriptis dubiis EE. VV. decidendum proponitur:

1) An sit standum vel recedendum a decisis sub die 2. Juli 1807?

2) An confessarius conservatorii ss. Philippi et Jacobi valeat administrare omnia ss. sacramenta Monialibus, privative quoad parochum?

S. C. C. resp. *ad 1.* In decisis et supplicent SSmo;

ad 2: Exhibeatur Breve Sixti V., quod hoc indultum retinere refertur.

Die 28. Juli 1708.

l) In Oratoriis.

Vd. *Orator. priv.* (missae in variis etc. decr. Bened. XIV.); *Orat. publ* (functiones etc.); *Confessionale in oratoriis.*

Ad dub.: An liceat capellano sanctissimae eucharistiae sacramentum ministrare tam inter missarum celebrationes quam in intervallo missarum?

S. C. resp.: Affirmative inter missarum celebrationem excepta die Paschatis et communione paschali.

Die 13. et 17. Juni 1744.

m) A Parocho Cathedralis.

Vd. *SS. Viaticum port. Canonicis.*

Sacramenta administrare non licet parocho Cathedralis in aliena parochia. S. C. C. in Eugubina 20. Septembris 1628.

Neque etiam licet parocho Cathedralis ministrare sacramenta infirmis Canonicis ejusdem Cathedralis, sed hoc spectat ad parochum domicilii. S. Sacr. Congr. Episc. et Regul. in Tiburtina 12. Maii 1685.

Et sic censuit etiam Sacra Congr. Concil. in Novarien. 17. Sept. 1695 et in Narnien. 27. Sept. 1699 apud Monacell. tom. 1. tit. 10. formul. 18. sub N. 4.

n) A Parocho facienda.

I. Obligatio.

Vd. *SS. Viaticum.; Extrema unctio.*

Balneoregien.

In ecclesiae suae relatione aliud addit postolatum Episcopus:

Quid decernendum erit circa unum ex duobus Balneoregiensibus parochis, qui agrestium curam in spiritualibus agit. Hic enim ubi sacramenta aegrotantibus ministraverit, nisi urgeat mortis periculum, in urbem regreditur neque ad eos redit, nisi iterum vocetur equo vehendus; quod cum omittant persaepe agricolae, ne vecturae dispendium subeant, non raro contigit infirmos omni destitutos in extrema periodo subsidio e vita decedere.

Jam alias simile huic postulatum porrexerat Episcopus decessor, quod propositum reperi sub die 14. Aprilis 1821: quo dubio:

An et quomodo teneatur Canonicus curatus aegrotus ruricolas visitare eisque assistentiam praebere cum morti proximi reperiuntur?

Responsum est: »*Affirmative ad formam ritualis romani et Episcopus curet providere paroeciae capellanum curatum ne ruricolae vel civitatis incolae spirituali assistentia careant*«.

Quare dum literas hodierno Antistiti ablegavi pro informatione et voto, illud in primis efflagitavi, ut audito capitulo et parochis, praesertim ruricolarum referret utrum ad formam resolutionis s. Congr. die 14. Aprilis 1821 provisus fuerit capellanus curatus, sin minus, media proponeret ad formam s. concilii Tridentini, quibus succurri possit praesertim necessitatibus spiritualibus infirmorum in agro commorantium, indicato annuo redditu et oneribus praebendarum parochialium, comprehensis incertis stolae.

Episcopus haec retulit: Capitulum et parochus unanimiter asseverant extare antiquam consuetudinem vel potius abusum, qua parochus aegrotis ruricolis post sacramenta rite administrata in extrema vitae periodo adesse non tenetur, nisi ad eos iterum vocetur et equo feratur. Addunt insuper numquam provisum fuisse capellanum curatum, quod exhibita ipsis non fuerit resolutio s. Congregationis diei 14. Aprilis 1821.

»Quod vero ejusmodi consuetudo nec parochiale munus decere neque animarum saluti satis prospicere videretur, asserit capitulum eidem parocho idcirco assignatam fuisse majorem praebendam, quo singula eidem praebendae imposita onera substinere atque adimplere posset, semperque censuisse, infirmos etiam agrestes omni religionis subsidio muniendos eamdemque spiritualem assistentiam ipsis praestandam esse, quae a romano rituali praescribitur.

Parochus vero contendit se nullo pacto teneri ad haec extrema subsidia ruricolis suppeditanda vigore praefatae antiquae consuetudinis, dummodo non vocetur equo vehendus. Secus enim non mediocri incommodo vel dispendio esset obnoxius propter itineris longitudinem. Profitetur tamen se sapientissima consilia, quae hac super re Congregationi capienda videbuntur, libenter amplexurum.

Interim quotidie ferme contingit, agricolas praesertim pauperes, ne vecturae dispendium subeant, omni destitutos subsidio e vita decedere nec pastoralis officio sollicitudo nec animarum salutis studium nec in re tanti momenti silere patiuntur. Hinc quoniam me de sententia rogare placuit, hanc in medium afferam. Sentirem itaque a s. Congr. esse decernendum:

§. 1. Parochum, etiamsi equus ad eum non mittatur ab infirmis agrestibus, teneri tamen ad ea subsidia in extrema vitae periodo ipsis adhibenda, quae a rituali romano assignantur.

§. 2. Si vero parochus aliquo laboret impedimento, quo id praestare nequeat, ab ipso providendum esse capellanum curatum, qui eodem munere fungi valeat. Neque onus providendum esse capellanum grave eidem videri potest cum parochiales praebendae annui redditus (comprehensis stolae incertis) sint scutatorum centum sexaginta quatuor et obolorum octaginta.«

Haud novae rationes sunt, quae hodie in medium afferuntur; haud novae parochi animadversiones; ne itaque actum agere videar, EE. VV. precor, ut folium recolant sub die 24. Martii 1821 exaratum, quod adnexum denuo distribuendum curavi, ut decernere valeant, num a decisis recedere opus sit, num alias decreta urgere aut saltem juxta Antistitis sententiam reformare. Juvat tantum hac super re aureum illud referre Tridentinorum PP. sess. 23. capit. 1 de reform.: »*Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sucrificium offerre verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere et in caetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta synodus eos admonet et hortatur ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis in judicio et veritate pascant et regant.*«

Dubium:

An et quomodo sit standum vel receden-

dum a decisis sub die 14. Aprilis 1821 in casu?

S. C. resp.:

In decisis et Ordinarius omnibus juris et facti remediis cogat parochum ad obtemperandum resolutioni s. Congregationis diei 14. Aprilis 1821 et doceat de fideli et prompta executione.

Die 4. Apr. et 9. Maji 1840.

Ad parochum spectat ministrare sacramenta famulis et famulabus inservientibus monasteriis Monialium, quamvis exemptarum, non autem ad confessarium earumdem Monialium. S. C. C. in *una Lodien. 14. Apr. 1685* et in alia *Spoletana 19. Aprilis 1691* inter famulos Monialium s. Matthaei congregationis Lateranens., quae habitabant in domo exstructa intra cortile sive atrium monasterii, et parochum s. Martini, intra cujus parochiae limites monasterium existit, apud *Monacell. tom. 1. tit XI. formul. 20. n. 2;* et iterum *in Ulixbonen. Occidentalis 19. Sept. 1622 apud Ursayam in miscellan. sacro et profano lit. M. num. 160.*

Observandum est, quod Tridentinum in *allegat. sess. 24. cap. 13. de reform.* jubet inter caetera, ut unicuique paroeciae proprium assignetur pastor, a quo solo licita sacramenta suscipiant et prorsus abrogat omnia privilegia et consuetudines non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Quae clausula cum in fine capitis apposita sit, profecto complecti videtur omnia, quae in illo decreta jussaque fuere, maxime cum agitur de consuetudine introducta post Tridentinum, cujus sanctionis confirmavit san. mem. Pius IV. in bulla *Benedictus Deus* lata anno 1563, quae decretum irritans et clausulam *Sublata* praesefert.

Die 10. Septb. 1803. *Amerina.*

Non debet Ordinarius sine causa valde gravi et relevanti auferre a propriis curatis celebrationem baptismi ac matrimoniorum eaque ipse ministrare vel aliis delegare. Sacra Congr. Episcop. et Regul. in Neapolit. 17. Sept. 1604.

II. Tempore pestis.

Parochus tempore pestis et eo morbo infectis tenetur ministrare sacramenta baptismi et poenitentiae, imo et viaticum, ne tanto bono in illa necessitate parochiani priventur nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset sacerdos vel parochus, ex quo fieret, ut post administratum sacramentum poenitentiae uni non superesset spatium, ut aliis morituris poenitentiae sacramentum administraretur; vel si eo sacro administrando mortem vitare non posset et sic populus destitueretur sacerdotibus. *Bened. XIV. De sgnodo dioeces. lib. 3. c. 18. 19. nov. edit.*

In ordine ad extremam unctionem tenetur parochus illam administrare, quatenus valeat absque morali periculo. *Ibid.*

III. Parochianis alterius parochiae non potest.

Sacrosancta Tridentina synodus *sess. 24. cap. 13. de reform.*, expresso mandat ut christifideles a solo proprio parocho sacramenta suscipiant, ibi: *Mandat sacra synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eos cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta suscipiant;* utque unus parochus alterius paraeciae parochianis sacramenta ministrare non praesumat aperte vetuit *epistola relata in can.: Ecclesias 13. quaest 1.*, ibi: *Nullus alterius parochiae terminos aut jus invadat; sit unusquisque terminis suis contentus et taliter ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat ut ante tribunal aeterni judicii de omnibus sibi commissis rationem reddat;* idemque firmant *Anacl. in jus canon. lib. 3. tit. 29. num. 3. in fin.; Franch. de eccles. Cathedr. cap. 19. num. 118, Scarfant. ad Ceccoper. tom. s. Addit. 39. num. 56, et Ricciardel. in licaeo eccles. cap. 13. §. 2. num. 88. in fin.*, ubi etiam refert resolutionem sacrae Congregationis Rituum in *Novarien. 12. Junii 1627.*

Die 30. Aug. 1777 *Faventina.*

Parocho vetitum est, ne sacramenta ministrare praesumat parochianis alterius paroeciae, *ex can.: Ecclesias 13. quaest. 1,* cui cohaeret *Anaclet. in jus canon. lib. 3. tit. 29. num. 3. in fin.; Franch. de eccles. Cathedr. cap. 19, num. 118; Scarfant. ad Ceccoper. tom. 3. addit. 39. n. 56; Ricciardel. in licaeo eccles. cap. 13. §. 2. num. 88. in fin.*, ubi etiam refert resolutionem sacrae Congregationis Rituum in *Novarien. 12. Junii 1627.*

Die 16. Mart. 1782. *Cervien.*

Archipresbyter s. Petri nullo modo ministrare valeat sacramenta suis parochianis extra propriam parochiam.

Die 6. Sept. 1636.

IV. Parocho invito.

Munia parochialia exerceri (matrimonium, baptismum) non posse invito parocho nisi per ipsum parochum.

Die 22. Mart. 1631 et die 13. Apr. 1631.

V. A parocho Protonotario.

Non licere parocho . . . . Protonotario apostolico in administratione sacramentorum adhibere habitum praelatitium.

Die 3. Sept. 1661; et die 23. December 1662.

Parochus Protonotarius apostolicus vel alii sacerdotes de licentia parochi etiam protonotarii apostolici non possunt supra mantellettum ponere stolam, sicut ponitur supra superpelliceum et albam ac etiam super rocchettum solum.

Die 17. Novembr. 1674.

o) A Regularibus.

Vd. *Administr. ss. Sacram.* (in monaster. p. 202.)

Reductio ad terminos juris communis et concilii Tridentini trium constitutionum a Pio V. pro ordinibus Mendicantium aliisque editarum.

Gregorius XIII. Episcopus. Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

In tanta rerum et negotiorum mole, qua romanus Pontifex ex omnibus mundi partibus assidue premitur, vix vitari potest ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis necesse est moderationis remedium adhibere.

§. 1. Cum itaque alias felicis recordationis Pius Papa V., praedecessor noster, auditis gravaminibus, quae fratribus ordinum mendicantium ab Ordinariis locorum et parochialium ecclesiarum rectoribus multis modis inferri dicebantur super sacris concionibus et lectionibus habendis, confessionibus audiendis, poenitentiis injungendis, fratribus ad ordines promovendis, celebratione missarum, cura animarum, sacramentorum ministratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus aliisque hujusmodi juribus necnon decimis et diversis oneribus ac etiam super statu et regimine Sanctimonialium ipsis fratribus subjectarum, formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, praecedentia, locorum acquisitione certisque aliis rebus tunc expressis, multa per quasdam suas literas pro dictis fratribus non modo statuerit, sed et quae jam in concilio Tridentino decreta fuerant, ad haec pertinentia, declaraverit multaque praeterea privilegia eisdem decimoseptimo Kalendas Junii pontificatus sui anno secundo

§. 2. Et deinde ea omnia diversis aliis ordinibus et congregationibus Regularium non Mendicantium, etiam per modum communicationis, concesserit,

§. 3. Postea per quamdam suam constitutionem de vicariis perpetuis parochialibus ecclesiis unitis, per Ordinarios locorum instituendis, et portione illarum vicariis assignanda editam alia super constitutione fratrum eorumdem ad exercitium curae animarum in eis parochialibus ecclesiis, quae domibus et locis suis unita sunt, decreverit,

§. 4. Demum, animadverso quod ea omnia multis dubitationibus involuta magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasque dissensiones, altercationes et lites inter praedictos locorum Ordinarios et fratrum ipsorum ordines, non sine gravi divini cultus et animarum detrimento ac populorum scandalo, concitaverant, contra ac ipse sperabat et praeter suam exspectationem ut qui interdum conqueretur multa aliter alioque sensu a se prolata fuisse quam literis expressa essent, cupiens his mederi incommodis, primum illa omnia, quae Regularibus aliorum ordinum quam Mendicantium communicaverat et secundum praemissa concesserat, motu proprio restrixerit, deinde plenius providere volens, prioribus literis a se, quoad ipsos Mendicantes, magna in parte moderatis, omnes et quascumque alias literas, quae de aliis ordinibus et congregationibus extra Mendicantium ordines de observantia nuncupatos emanaverunt, omnino aboleverit, causas omnes jam de his etiam in romana curia pendentes ad se advocando, lites exstinguendo ac formatos super illis processus latasque sententias annullando, quemadmodum aliis suis literis in registro proxime compertis, nunquam tamen publicatis, plenius continetur,

§. 5. Postremo circa confessariorum regularium etiam Mendicantium approbationem juxta concilii praedicti decretum faciendam

etiam lectores in theologia graduatos et certos alios tunc expressos comprehendi debere declaraverit,

§. 6. Nos hac tanta varietate cognita, quae etiam ex multiplici literarum et constitutionum editione procedit, praesentibus et futuris discriminibus occurrere volentes de Nobis attributae potestatis plenitudine statuimus et ordinamus de praedictis et aliis omnibus literis et constitutionibus, quae ab eodem praedecessore, eisdem de rebus, pro quorumcumque Regularium, etiam Mendicantium, ordinibus et congregationibus quomodolibet emanarunt ac omnibns et quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subjecta materia futuram esse, quae sive ex jure veteri sive ex sacris dicti concilii decretis sive alias legitime ante dictarum literarum et constitutionum editionem erat, et si ipsae non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem et decisionem suumque pristinum et integrum statum ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus et abrogamus omnia irritantia et alia decreta necnon prohibitiones, declarationes, mandata et quaecumque alia ipsis literis et constitutionibus apposita et alias eorum occasione vel causa facta his nostris statuto, ordinationi et redactioni adversantia quibuscumque illa sint concepta formulis ac praeservationibus, declarationibus, modificationibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis aliisque fortissimis, efficacissimis et inviolabilibus clausulis, etiam motu proprio et ex certa scientia, etiam pro conservatione status regularis et ex quibuscumque aliis urgentissimis causis quotiescumque roborata. Decernentes illa omnia pro nullis et infectis haberi omnesque supradictos illarum usu, commodo et effectu carere.

§. 7. Ac omnes lites et controversias, quae coram quibusvis judicibus sive ordinariis sive commissariis etiam causarum palatii apostolici auditoribus et S. R. E. Cardinalibus etiam de latere Legatis praedictarum literarum et constitutionum occasione, super praemissis jam motae sunt necdum decisae aut finitae vel etiam quae jam decisae sunt, si modo tractum habent successivum, easque rursus et inter quoscumque excitari in posterum contingat, secundum praedictam dispositionem nec aliter decidendas.

§. 8. Futura vero dubia et difficultates, quandocumque et ubicumque orientur ad Nos et Sedem apostolicam, ubi et caetera, quae ad decreta dicti concilii pertinent, quotidie declarantur, omnino referenda esse.

§. 9. Necnon irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Mandantes itaque in virtute sanctae obedientiae, praesentes ab omnibus ubique Episcopis et locorum Ordinariis necnon ecclesiarum praelatis, rectoribus fratribusque praedictis ac caeteris, ad quos pertinet, semper inviolata observari.

§. 11. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, domorum, locorum et ordinum quorumcumque juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis, etiam Mare magnum et bulla aurea nuncupatis dictis ecclesiis, ordinibus et congregationibus quomodolibet concessis et confirmatis; quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa, individua et ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 1. Martii 1573 pontif. anno I.

(Bull. r. t. VIII. p. 39. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Gregorius XV. Episcopus. Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabili Dei providentia universalis ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, praesidentes pastoralis nostrae sollicitudinis partes esse dignoscimus in eam curam praecipue incumbere ut a dignis et probatis tantum sacerdotibus sancte administrentur ecclesiastica sacramenta, atque ut virginum Deo sacrarum monasteria diligentissime custodiantur et viri assumantur idonei ad praedicationis officium salubriter exequendum.

§. 1. Sane Tridentinae synodi decretis

proinde cautum est, nullum presbyterum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur et approbationem, quae gratis detur, obtineat.

§. 2. Necnon ut in monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares quam saeculares ejusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi sunt sita. Itemque ut Episcopi universi sub obtestatione divini judicii et in terminatione maledictionis aeternae in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis apostolicae authoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes.

§. 3. Atque ut regulares in ecclesiis suorum ordinum praedicare volentes se coram Episcopis praesentare et ab eis benedictionem petere teneantur; in ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, nullo modo praedicare possint sine Episcopi licentia; contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum ordinum ecclesiis, praedicare praesumant.

§. 4. Verum quia experientia compertum est, ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungatur, matura deliberatione nostra et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine hac generali ac perpetuo valitura constitutione decernimus, statuimus et declaramus, ut deinceps tam regulares quam saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasterii seu domibus regularibus aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis sive regularibus sive saecularibus incumbentem exerceant sive alias ecclesiastica sacramenta aut unum ex illis ministrent, praevia Episcopi licentia et approbatione, sive quoquomodo in dictae curae exercitio aut in eorumdem sacramentorum vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant: in his, quae ejusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani Episcopi, tamquam Sedis apostolicae Delegati, plene in omnibus subjiciantur. Ad haec tam regulares quam saeculares hujusmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes aut circa clausuram vel circa bonorum administrationem monasteriorum Monialium, etiam regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis apostolicae Delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant.

§. 5. Confessores vero sive saeculares quomodocumque exempti, etiam ordinarii, ad confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant nisi prius ab Episcopo dioecesano idonei judicentur et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant. Sed et administrantes bona ad ejusdem monasteria Sanctimonialium, ut praefertur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sive saeculares extiterint sive regulares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur ad idque juris remediis cogi et compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores, regulares admonere, ut ejusmodi confessores atque administratores amoveant iisque Superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus habeat Episcopus facultatem praedictos confessores et administratores amovendi, quoties et quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus una cum Superioribus regularibus quarumque Abbatissarum, Priorissarum, Praefectarum vel Praepositarum eorumdem monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere absque ulla tamen ipsorum monasteriorum impensa.

§. 6. Ac demum habeat Episcopus tamquam dictae Sedis Delegatus auctoritatem coercendi ac puniendi quoscumque exemptos tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis aut quae suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum ordinum, non petita illius benedictione aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint. Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus in praenominatas personas in praemissis omnibus et singulis aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties et quan-

do opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, uti ejusdem Sedis Delegati, procedere omnemque jurisdictionem exercere libere et licite valeant.

Dat. Romae die 5. Febr. 1622.

(Bull. r. t. III. p. 452 Ed. Luxbg.)

Omnes Regulares etiam ordinis Cisterciensis in regno Lusitaniae tenentur observare constitutiones Gregorii XV. et Clementis X. circa Parochialium usum et sacramentorum administrationem.

Clemens Papa XII.

Ad futuram rei memoriam.

Admonet Nos apostolici muneris ratio ad ea serio intendere, per quae provide statuta a praedecessoribus nostris, praesertim ad ecclesiasticam disciplinam tuendam ac pacem et tranquilitatem inter villicos et operarios agri dominici firmandam spectantia inviolabiliter custodiantur atque observentur.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Patriarcha Ulyxbonen., quod Regulares regnorum Portugalliae et Algarbiorum diversis temporibus adnixi fuerint sese ab observatione constitutionis fel recor. Gregorii PP. XV. praedecessoris Nostri, quae incipit: *Inscrutabili Dei providentia*, subducere ac eximere, freti quibusdam in simili forma brevis literis rec. me. Urbani PP VIII. praedecessoris etiam Nostri die 3. Martii 1625. expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Dilecto Filio Magistro Joanni Baptistae Pollottae in utraque Signatura nostra Referendario, jurium et spoliorum Camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum Collectori generali.

Urbanus PP. VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Alias a fel. rec. Gregorio PP. XV. praedecessore Nostro emanarunt literae tenoris subsequentis, videlicet: *Gregorius Episcopus. Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inscrutabili Dei providentia . . ., ut supra p. 208.*

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, suspensio dictae constitutionis Gregorii praedecessoris vigore praeinsertarum Urbani itidem praedecessoris literarum, donec aliter ab ipso Urbano praedecessore seu romanis Pontificibus successoribus suis provisum fuisset, sicut praemittitur, facta jamdiu cessaverit ac e medio sublata fuerit per posteriores ordinationes a Sede apostolica identidem emanatas, potissimum vero per alteram constitutionem similis mem. Clementis PP. X. praedecessoris quoque Nostri, cujus initium est: *Superna magni Patrisfamilias*, usque ab anno 1670. per viam legis universalis promulgatam, ad removenda scilicet dubia et contentiones, quae occasione recensitae constitutionis Gregorii praedecessoris excitata fuerant, quemadmodum novissime etiam a congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum s. romanae ecclesiae Cardinalium concilii Tridentini interpretum, re discussa expensisque Urbani praedecessoris literis praeinsertis, resolutum et declaratum fuit, nihilominus nonnulli Regulares regnorum praefatorum et praesertim ordinis Cistercien. executioni ejusdem constitutionis Gregorii et alterius Clementis praedecessorum necnon decretorum, quae ad illarum tramites a dicta congregatione Cardinalium prodierunt, adhuc obsistere ac refragari pergant obtendentes ultra dd. literas Urbani praedecessoris se in neutra ex emanatis constitutionibus comprehensos esse, eo quod in illis expresse nominati minime reperiantur, sicut juxta asserta eorum privilegia opus fuisse ajunt. Nobis propterea praedictus Patriarcha humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsius Patriarchae votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati omnes et singulos Regulares praefatorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum etiam dicti Cisterciensis et cujuscumque alterius ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam necessario specialiter ac in individuo nominandi et exprimendi, ad exactam et plenariam constitutionum memoratorum Gregorii et Clementis praedecessorum observationem, prout eos concernunt, omnino teneri et obligatos existere et fore et ad id sub censuris ecclesiasticis et aliis in iisdem constitutionibus contentis poenis cogi et compelli posse, auctoritate apostolica harum serie statuimus et declaramus.

§. 4. Decernentes sic et non aliter per

quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores ac sanctae romanae ecclesiae praefatae Cardinales, etiam de latere Legatos, dictaeque Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere, ac iritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 11. Aug. 1735. (Bull. r. t. XV. p. 33. 35. Ed. Luxbg.)

Non posse Religiosos administrare sacramenta in domibus Tertiariorum seu Centuratorum, praeterquam sacramentum poenitentiae; administrationem vero caeterorum sacramentorum pertinere ad curatum.

Die 20. Junii 1609.

Asten.

(Conc. Tr. c. 5. ss. 14; c. 11. ss. 24; c. 13. ss. 25. de ref.)

Comes Eustachius Pallio defuncta conjuge ab oppido Rinco, in quo degebat, in conventum fratrum eremitarum ordinis s. Augustini situm in urbe Astensi die 15. Martii anni 1715 se contulit in eoque solutis conventui menstruis alimentis vitam habitu saeculari ducebat. In principio labentis anni cum idem comes laethali morbo correptus fuisset, Prior parochialis ecclesiae s. Pauli, intra cujus limites conventum esse ex testium fidibus et ipsamet fratrum dicti ordinis confessione praetendit, ab Ordinario inhiberi curavit dd. Regularibus, ne praefato comiti sanctissimae eucharistiae viaticum et sacrosanctum infirmorum oleum administrarent et successive etiam, ne cadaver absque ejus praesentia et interventu tumularent, cumque omnia nihilominus peregerint, incursos esse contendit in censuras *Clementinae primae de privilegiis*, eo quia comes neque oblatus esset religioni neque ejus servitio cum necessariis conditionibus addictus. Fratres autem exhibent literas patentes Prioris generalis eorum ordinis, quibus comes ejusque affines et consanguinei usque ad tertium gradum inter confratres et consorores assumuntur, ut priorum operum et indulgentiarum ordinis participent, necnon electionem sepulturae in eorum ecclesia a dicto comite factam producunt. Praeterea nonnullas testium fides adducunt ad probandum, nobiliorem conventus portam sitam esse in parochia insignis collegiatae s. Secundi seque exemptos praetendunt a solutione cujuscumque quartae funeralis, eo quia eorum conventus fundatio ultra quadraginta annos concilium praecesserit, cum in eo usque ab anno 1415 capitulum generale celebratum fuerit et privilegium exemptionis deducunt a *bulla Nicolai V.: Regimini* etc., impressa inter collectas ad d. ordinem s. Augustini spectantes a frat. Laurentio Empoli fol. 269, in qua tamen nulla derogatio »*Clementinae: Dudum de sepulturis,*« habetur, et an potius hujusmodi bulla exemptionem concedat a praestatione canonicae portionis de piis oblationibus et legatis quam quartae funeralis, EE. VV. dignoscent, quorum summae sapientiae sequentia dubia proponuntur:

I. *An PP. s. Augustini licite potuerint, irrequisito parocho, sacramenta administrare et corpus tumulare in casu?* Et quatenus negative;

II. *An sit locus exhumationi cadaveris et restitutioni omnium emolumentorum funeralium?*

S. C. C. resp. ad 1: Negative;

ad 2: Negative quoad primam partem et quoad secundam teneri ad quartam funeralem tantum et amplius.

Die 13. et 27. Novb. 1717.

Praenestina.

In oppido Jenazzani Praenestinae dioecesis adest hospitale s. Crucis, cujus spiritualis cura a remotis temporibus concredita fuit fratribus eremitis ordinis s. Augustini, qui nunc conventum B. M. Virginis boni consilii incolunt. At quum hoc hospitale intra limites parochiae s. Pauli situm sit, frequentes ortae sunt quaestiones et quaerelae circa sacramentorum administrationem inter parochum s. Pauli et fratres Augustinianos. Super hac re plura ss. visitationum decreta habentur, quorum cognitio necessaria est ad quaestionem hanc rite recteque definiendam. Primum sit decretum in s. visitatione anni 1754 latum a cl. me. Cardinalis Spinelli. Adnexa (sunt decreti verba) hospitali est ecclesia s. Crucis juxta portam romanam... Fuit ecclesia haec a s. m. Martino V. cum beneficio eidem adnexo cum omnibus juribus, jurisdictionibus, actionibus RR. PP. s. Mariae de Jenazzano ordinis s. Augustini concessa ac tradita anno 1727 die 19. Maii . . . In hujus altari omnibus diebus festis celebrare

tenentur missae sacrificium dicti PP. s. Augustini . . . Tenentur etiam curam habere infirmorum pauperum et peregrinorum eisque morientibus assistere atque eos mortuos sepulturae tradere in sepulchro ejusdem ecclesiae, quod amussim exequendum mandavit Emus Dominus, quamvis administratio sacramenti matrimonii et baptismi occurrens forsan in hospitali et benedictio in sabbatho s. fieri debeat ab archipresbytero s. Pauli, in cujus parochiae districtu situm est hospitale, prout observatur. Declarat quoque Episcopus in eodem decreto hospitale a jurisdictione Vicarii foranei non esse exemptum; addendum etiam eam (ecclesiam s. Crucis) esse partem districtus parochialis ecclesiae s. Pauli et curam non fugere parochi adeoque neque Vicarii foranei. —

Dissidiis vero dein exortis controversia ad tribunal A. C. fuit delata et locumtenens anno 1721. decrevit: Non competisse neque competere praedictis RR. PP. sancti Augustini assistere sacramentis matrimonii neque caeteros actus parochiales exercere in dicto hospitali, praeterquam infirmis ibi existentibus ssmae eucharistiae et poenitentiae sacramenta ministrare ibique mortuos sepelire, in caeteris vero quibuscumque actibus parochialibus parochum praedictum . . . manutenendum fore et esse. Decretum hoc exequutioni mandatum fuisse videtur. Quam plurimi quoque faciendum est decretum alterius s. visitationis a cl. m. Cardinali Columna habitae anno 1787, in quo habetur: Visitatio anni 1614 refert, Religiosos s. Augustini teneri in hac ecclesia (s. Crucis hospitali adnexa) singulis festis Sacrum peragere, nunc vero nisi recurrente festivitate s. Crucis missam solemnem celebrant et cum occurrat aliquem infirmum in hospitali degentem ssmo viatico refici, unus ex Religiosis missam lectam celebrat et infirmo ssmae eucharistiae sacramentum ministrat, morientibus in agone assistit et mortuos in sepulchro hujus ecclesiae reponit, quamvis occurrens administratio sacramenti matrimonii et baptismi in hospitali et benedictio in sabbatho sancto expleri debeat ab archipresbytero s. Pauli, in cujus parochiae districtu situm est hospitale.

Ex hoc decreto praesertim controversiae exortae sunt. Contendebant enim Religiosi jus sibi competere sacramentum eucharistiae aliaque semper administrandi infirmis; et contrario parochus asserebat, tunc tantum hoc Religiosis licere, quum missam in ecclesia s. Crucis celebrant et in hoc sacrificio Eucharistiam conficiant, ut infirmis praebeant. Ad has praecavendas controversias cl. me. Card. Matthaejus in s. visitatione anni 1807 decrevit: Praecisa nobis voluntas est uni tantum parocho s. Mariae boni consilii PP. eremit. s. Augustini committere integram administrationem sacramentorum. Quare absque praejudicio et laesione jurium ambarum partium jubemus parochum praedictum s. Mariae omnia ibi infirmis sacramenta administrare eosque extremo agone adjuvare, donec aut dicti hospitalis translatio (quam in altera visitatione jussit) suum effectum sortiatur aut eadem controversia declarata juridice sit.

Hoc freti decreto Regulares solemniori quadam pompa per fines parochiae s. Pauli transeuntes ss. Eucharistiam ad infirmos detulere, quod aegre ferens parochus s. Pauli capta occasione sacramentum extremae unctionis infirmae cuidam administravit et alteri ss. Eucharistiam dedit. Hinc Prior et PP. eremitae ordinis s. Augustini praedicti coenobii asserentes ab immemorabili jus habere infirmis in hospitali degentibus sacramenta administrare, etiam transeundo per parochiam s. Pauli, postularunt, ut confirmaretur decretum a cl. m. Card. Matthaejo latum. Hujusmodi preces Emo Episcopo remissae fuerunt, qui fuit rogatus ut audito praesertim parocho ecclesiae s. Pauli eidemque praefixo termino ad deducendum jura sua in sac. congregatione et interim veris existentibus narratis juris et facti remediis mandaret exequi decretum sacrae visitationis usque ad exitum causae in s. congregatione, et sententiam suam aperiret. Absente Emo Episcopo Pro-Vicarius generalis munere suo functus est, ut in sua informatione retulit: Remotissimis temporibus in oppido Jenazzani juxta portam nomine romanam et intra limina parochiae s. Pauli existit, ut exstat, ecclesia s. Crucis, quae cum beneficio eidem adnexo suis juribus, jurisdictionibus et actionibus fuit concessa a s. m. Martino V. RR. Patribus s. Mariae de dicto oppido ordinis s. Augustini, tradita vero eisdem Patribus anno 1427, uti ex instrumento, quod in brevi Xisti IV. anno 1475 confirmatum legitur et asservatur in archivo illius conventus.

Ad contactum dictae ecclesiae adnexum est parvum hospitale. Hoc inter omnes constat, confratres sodalitatis Confalonis anno 1575 re-

xisse xenodochium cum onere perpetuo illius manutentionis et cura gerendi omnia ad ipsum spectantia necnon adjuncta lege, ut societas eadem propriis expensis praefatum xenodochium de omnibus providere, lectulis, straminibus, supellectilibus, stipendiis hospitalario contribuendis et aliis id genus cogeretur.

Religiosis autem Augustinianis incumbit in eodem hospitali cura administrandi sacramentum Eucharistiae infirmis hisque morientibus assistendi ibique mortuos sepulturae in sepulchro ejusdem ecclesiae s. Crucis tradendi, interdicta tamen eis administratione sacramentorum baptismi et matrimonii, si in dicto hospitali aliqua daretur occasio, et benedictione in sabbatho sancto, dum haec et omnes alii actus parochiales sunt reservati et addicti archipresbytero s. Pauli.

Quoad ecclesiam s. Crucis spectat ad eosdem Religiosos onus illius manutentionis et celebrationis unius missae in ejus altari, olim credo, quotidie, deinde certo singulis diebus festis et tandem in solemnitatibus. Omnia haec nobis locupletius aperit s. visitatio Emi Episcopi Spinelli anno 1754. Brevius praeannuit idem anno 1660 in sua visitatione Archiepiscopus Severola uti Delegatus apostolicus, in qua narrat de ecclesia s. Crucis: Patres dicti conventus habent onus celebrandi missam in diebus festivis. Ministrant etiam infirmis sacramenta in hospitali.

De hac sacramentorum administratione in genere peragenda a Patribus ordinis s. Augustini pro infirmis in hospitali degentibus fuit in specie contentio anno 1721 coram tribunali A. C. adversus parochum s. Pauli, eo tempore Ferocium. Discussa quaestione sanxit locumtenens, administrationem duorum tantummodo sacramentorum nempe poenitentiae et eucharistiae et curamse peliendi mortuos in hospitali Patribus conventus competere, archipresbytero autem parochiae s. Pauli exercitium liberum omnium aliorum actuum parochialium et jurium in dicto hospitali, in quibus foret manutenendus, et haec sententia judicis cernitur uniformis actis dictae s. visitationis 1754.

A romana sic demissi Religiosi curia videntur aliam submovisse quaestionem penes Emos Episcopos Praenestinos circa modum administrandi infirmis in hospitali sacramentum Eucharistiae, dum in s. visitatione Emi Episcopi Columna 1787. in cap.: *De hospitali et ecclesia adnexa s. Crucis* haec legun-

tur verba: Cum occurrat aliquem infirmum in hospitali degentem ss. viatico refici, unus ex Religiosis missam lectam celebrat et infirmo ss. Eucharistiae sacramentum ministrat, morientibus in agone assistit et mortuos in sepulchro hujus ecclesiae reponit. Subjungit Emus Antistes de aliis sacramentis in casu infirmis ministrandis etiam peregrinis: Quamvis recurrens administratio sacramenti matrimonii et baptismi in hospitali et benedictio in sabbatho sancto expleri debeat ab archipresbytero s. Pauli, in cujus parochiae districtu situm est hospitale, prout asservatur. Quamvis autem constabilita et asservata methodo et lege dicti Patres Augustiniani in hospitali deberent infirmos sacro reficere viatico, tamen constantes animo in re et studiosissimi erga Emum Episcopum Mattei non retulerunt ab eo, sed extorserunt decretum in actu s. visitationis anni 1807, quo ipsis commissa fuit integra administratio sacramentorum in hospitali cum clausula: *Donec aut hospitalis translatio suum effectum sortiatur aut eadem controversia declarata juridice sit.*

Decretum hoc patet non consentaneum sententiae A. C., quam suspicor ignotam Emo visitatori, ut ignota praecedentia decreta sacrarum visitationum; imo adverto his non derogatorium (nam in illo derogationis clausula erat apponenda) sed inopinate benevisum voluntati et animis Religiosorum, qui statim ac editum fuit, primo infirmo in hospitali sacra reficiendo synaxi ab eorum ecclesia ss. viaticum detulerunt non juxta praescriptum ritualis romani consuetum, sed modo solemniori id est processione transitando per parochiam s. Pauli. Rei novitas, omnes fere dicunt, quamdam obtulisse admirationem et animum parochi s. Pauli et capitularium ad recursum penes Emum Episcopum impulisse creditur.

Modo resurgebat eadem quaestio, quae peperit ultimum decretum visitationis, pro cujus observantia Religiosi in fine elapsi Julii penes me oeconomice insteterunt adversus archipresbyterum s. Pauli impugnantem illud utpote nec publicatum nec affixum. Sibi errore detecto ita per literas egi cum eo, ut dum teneretur servare decretum interim sua jura converteret ad meum tribunal hinc inde experienda, et pariter sic egi cum dictis Religiosis eo fortius quod facultas juridice agendi declarata fuerat in eodem decreto.

Ad quid? Utraque pars despecta pandita via, concitata animorum suorum motione, vicarium praestitit obsequium, parochus in jure administrandi ut antea sacramenta infirmis in hospitali et Religiosi in recursu adversus parochum penes EE. VV. Rmas istius s. congregationis integerrimos interpretes ac judices. Lecto a me in fronte precum rescripto Jenazzanum petii. Ibique observatis Religiosorum libris mortuorum reperi duabus tantum vicibus sese ad infirmos in hospitali nempe anno 1807 et praeterito mense Julio currentis anni sanctissimum detulisse viaticum transitando per parochiam s. Pauli, pluries vero descripta nomina infirmorum in dicto hospitali mortuorum cum assistentia parochi s. Mariae et administratione etiam sacramenti extremae unctionis, praeter aliud eucharistiae, sine tamen transitu per dictam parochiam s. Pauli. In libris vero dicti archipresbyteri s. Pauli pluries pluriesque administrata fuisse per ipsum parochum infirmis sacramenta in eodem hospitali. Credendum est transactis temporibus inter Religiosos et parochos s. Pauli rigorem jurium abiisse et contentionem, nemine interdicente, quis morientibus assisteret et quis deberet ibi sacramenta infirmis administrare. Nihilominus exhortando jussi custodiri ultimum decretum anni 1807. usque ad exitum causae et archipresbyterum s. Pauli monui ad sua deducenda jura penes istam sac. congregationem et credo gessisse morem. Nulla inde alia inter parochum et Religiosos contentio, eo quod nullus usque occurrerit infirmus sac. viatico in hospitali reficiendus. Post laudatum rescriptum morbi infirmorum evanuerunt et eorum facta est sanitas. Quid autem de expositione causarum ac rerum in precibus porrectis ex parte parochi s. Mariae et Patrum Religiosorum dicam, ut dicunt narrata, falsa aliqua exposuisse; falsum est enim sese fuisse in possessione ab immemorabili dicti hospitalis, falsum, dictum hospitale fuisse antiquum conventum Augustinianorum, falsum, sese fuisse in possessione et in jure deferendi ss. viaticum ab eorum ecclesia, transitando per parochiam s. Pauli ad infirmos in eodem hospitali degentes, quin hic parochus obstaret unquam, falsum tandem sese plenam et integram exercuisse administrationem sacramentorum in hospitali. Huic expositioni resistunt ea, quae relata sunt in sacris visitationibus et decreta in allata sententia A. C. Verum tamen est, parochum s. Mariae sive Religiosos administrasse solemniter sacramentum Eucharistiae deferendo ss. viaticum ab eorum ecclesia ad infirmos in hospitali et transitando per parochiam s. Pauli; ast haec solemnis administratio duabus vicibus accidit, una post decretum anni 1801 sub defuncto parocho, et altera elapso mense Julio inconsulto parocho actuali, qui postea facto proprio restitit illi decreto sub obtutu quod nec publicatum nec affixum esset, uti revera praecesserat illius publicatio et affixio, licet acta illius s. visitationis deficiant utpote ad librum non redacta canonice; fateor dictum parochum se male gessisse, e contra bene, si quaestio juridice per me declarata fuisset. Caetera in precibus exposita veritatem ambiunt.

Plura in jure militant pro archipresbytero s. Pauli et primo quidem omnibus compertum est singulis presbyteris singulas datas esse paroecias ac jurisdictionum fines inter eas divisos, adeo ut unus alterius jura invadere nequeat. Vetustioribus hisce canonibus adhaesit s. Tridentina synodus *sess. 24. c. 13. de reform.*, quae mandavit Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. In specie autem, de qua agimus, cum quaestio sit de Regularibus, magis urget favore archipresbyteri juris dispositio, quae vetat Regularibus sub poena excommunicationis latae sententiae, ne sine speciali parochi licentia sacramenta eucharistiae, extremae unctionis ac matrimonii administrent. *Clement. I. de privilegiis.*

Cum igitur a jure exorbitet, quod Regulares contendunt ministrare scilicet Eucharistiam aliaque sacramenta infirmis in hospitali degentibus, opus est ut ostendant titulum seu longam observantiam, qua suffulti jura parochialia ibi exerceant. At parochus s. Pauli longam observantiam seu consuetudinem probare conatur, qua sibi competere jus sacramenta administrandi infirmis ostendere vult. Affert ideo depositionem novem testium provectae aetatis, qui asserunt, come il Sig. arciprete di s. Paolo ha sempre esercitato dall' uso di nostra ragione fino alla nostra et à avanzata il diritto di amministrare il sagramento dell 'olio santo agl' infermi dell' ospedale detto di s. Croce, e di portar

loro dalla chiesa parochiale di s. Paolo publicamente il ss. viatico ad eccezione soltanto di poche volte di mattina, in cui celebrando la s. messa i Religiosi Agostiniani di s. Maria nella chiesa contigua al detto ospedale portavano il ss. viatico a quegli infermi.

Id ipsum probare vult archipresbyter per particulas ex libris parochialibus ab anno 1772 usque ad annum 1820 depromptas, unde patet parochum s. Pauli consuevisse sacramenta eucharistiae et extremae unctionis, quin et aliquando poenitentiae, infirmis in hospitali degentibus ministrare; verum quum in omnibus s. visitationibus Religiosis s. Augustini jus competere dicatur ministrare infirmis ss. Eucharistiam, parochus contendit hoc exercere jus posse Religiosos tunc tantum, quum sacrificium in adnexa s. Crucis ecclesia offerant. Praesertim parochus hoc jus contendit sibi competere, quum hospitale non sit exemptum, prout habetur in decreto s. visitationis Card. Spinelli superius relato.

At non desunt quoque argumenta Religiosorum favore. Certum enim in facto est, his spiritualem infirmorum curam concreditam fuisse ab immemorabili. Exstat decretum Spinelli, quod parocho s. Pauli administrationem matrimonii et baptismi sacramentorum necnon benedictionem in sabbatho sancto praeservat. Si igitur hoc tantum ei reliquit, nullimode dubitari posse videtur, quin eucharistiae et olei sancti administratio ad Religiosos pertineat, qui curam habere debent infirmorum eisque morientibus assistere onus est: exceptio enim firmat regulam in contrarium; clarius vero habetur in re judicata A. C., ubi decretum fuit manutenendos esse Religiosos in jure administrandi sacramenta eucharistiae et extremae unctionis infirmis. At res judicata pro veritate accipitur, *L. 208. ff. de regul. juris.*

Ab Episcopis Columna et Matthaejo confirmatum hoc quoque fuit, ideo omnino Religiosis competere videtur hoc jus. At si Augustiniani administrare debent haec sacramenta infirmis, quin asservetur sacramentum in ecclesia s. Crucis, quomodo illud post meridiem vel nocturno tempore administrabunt, nisi transeant per paroeciam s. Pauli, intra cujus limites situm est hospitale? Qui vult finem, media quoque permittit, nec huic juri obstat relatum decretum conc. Tridentini. Namque ibi Episcopis onus impositum est animarum saluti providere per paroeciarum divisionem aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit.

Dicendum igitur est, Episcopos censuisse infirmis utilius esse eorum curam spiritualem Religiosis relinquere quam parocho, ideo decretum illud fratribus non obstare videtur. Consuetudo vero, si exstat pro parocho, nec longa nec legitime introducta dicenda est. Namque adversus eam habentur plura ss. visitationum decreta, quae executioni mandanda sunt, nec adversus illa appellatio suspensiva conceditur: omnis igitur consuetudo adversus haec decreta abusus dicenda est.

Vestrum EE. PP. erit dirimere, quae proponuntur dubia:

I. *An et quomodo spectet administratio sacramentorum eucharistiae et extremae unctionis ad fratres eremitas s. Augustini in hospitali s. Crucis in casu?*

Et quatenus affirmative;

II. *An et quomodo liceat Religiosis infirmis deferre eucharistiam transeundo per paroeciam s. Pauli in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative quoad eucharistiam ad formam sententiae an. 1721, quo vero ad extremam unctionem negative, nisi de licentia parochi.

Ad II. Negative.

Die 22. Febr. et 22. Mart. 1823.

p) A Regularibus Missionariis in Oriente.

Die 19. Septembris 1630.

Fuit congregatio particularis in Quirinali in habitationibus Emi Domini Cardinalis s. Honuphrii super missionibus patrum Capucinorum Syriae, Palestinae et Egypti, cui interfuerunt tres Cardinales, videlicet, ipsemet Cardinalis s. Honuphrii, s. Sixti et Barberinus et Rmus Azzolinus Episcopus Ripanus et admodum reverendus Pater Franziscus de Nigro, procurator generalis Capucinorum et SSmi D. Nostri concionator.

In ea relatis petitionibus regis christianissimi circa praefatas missiones congregatio ad tollendas omnes controversias exortas et quae in futurum oriri possent inter Guardianum Hyerosolymitanum et ejus fratres ex una et PP. Capucinos praedictos ex altera partibus, decernendum esse censuit, prout sequitur, videlicet: Licere missionariis praedictis, salvis infra dicendis de sacramentis parochialibus etiam petita et non obtenta a praedicto Guardiano vel ejus vicariis licentia,

omnia sacramenta praeter confirmationem et ordinem, quibuscumque fidelibus dicta loca incolentibus vel ibi repertis aut reperiendis, qui illa ab eis recipere voluerint, administrare: facultatibus jam concessis et concedendis in eorumdem fidelium profectum et utilitatem spiritualem, uti:

1) Verbum Dei in domibus, ecclesiis et oratoriis propriis et in alienis (de rectorum tamen licentia) fidelibus et infidelibus, haereticis et schismaticis, in eisdem locis degentibus et qui in eisdem locis reperientur, praedicare aliaque omnia pro salute animarum facere, gerere et exequi, quae ad missionarii munus et officium ac fidei propagationem spectant et pertinent.

2. Eisdem missionariis licere petita, ut supra, licet non obtenta licentia a Guardiano et vicariis praedictis, omnibus fidelibus sacramenta parochialia administrare, hoc est communionem in Paschate conferre, matrimoniis celebrandis assistere, extremam unctionem et viaticum infirmis praebere, in omnibus et singulis locis praedictorum regnorum et provinciarum, in quibus non erunt fratres Minores de observantia ad curam animarum a Guardiano praedicto deputati.

Quod si post praesentium decretorum publicationem Guardianus ad loca, in quibus Capucini hospitia interim receperunt, fratres suos ad curam animarum deputare voluerit, eo casu liceat PP. Capucinis praedictis per annum integrum sacramenta etiam paschalia administrare, etiam petita et non obtenta ut supra licentia, ea tamen conditione, ut iidem PP. Capucini de adventu fratrum Minorum de observantia ad loca illa admonere s. Congregationem de propaganda fide teneantur, quae postmodum decernet, penes quos, elapso anno, jus administrandi sacramenta parochialia esse debebit.

3. Censuit non licere missionariis praedictis salvis infra dicendis de viatico sacramenta parochialia fidelibus administrare in locis praedictorum regnorum et provinciarum, ubi Minores de observantia habent conventus vel capellanias cum animarum cura, nisi de Guardiani praedicti vel fratrum ab eo in praefatis locis deputatorum licentia.

4. Praecipiendum esse censuit, prout praesenti decreto praecipit, Guardianis Hierosolymitanis, pro tempore, ut petentibus missionariis licentiam praebendi viaticum infirmis, qui illud ab eis reciperere voluerint, omnino concedant; alioqui etiam eadem licentia non obtenta id eisdem missionariis intelligatur concessum, ea tamen conditione, ut missionarii, qui viaticum contulerint, schedam collati infirmo viatici quamprimum fratribus ad curam animarum deputatis in utroque concessae licentiae casu tradere debeant et teneantur.

5. Ne imposterum antedictis missionariis difficultates circa literarum patentium recognitionem a Guardiano et fratribus praedictis fieri possint, s. congregatio declaravit praefatas patentes legitimas et legales tunc esse concedendas, cum illae per testimoniales literas a superioribus missionum praedictarum fuerint approbatae.

6. Declaravit per instructionem praefati Guardiani nullam penitus illi fuisse aut esse per s. congregationem de propaganda fide concessam auctoritatem, potestatem aut jurisdictionem in saepememoratos missionarios, sed solum ei impositum, ut quae de vita et moribus ac progressibus eorumdem missionariorum extrajudicialiter a personis fide dignis cognoverit, certiorem faciat s. congregationem de propaganda fide.

7. Confirmavit decretum editum die 25. Septembris 1628 ad favorem consulum Gallorum, ut scilicet, si voluerint, possint (parochialibus sacramentis exceptis, cum declaratione tamen, de qua supra, quoad viaticum) in suis capellaniis uti opera praedictorum missionariorum, non obstante quod in illis locis existant fratres Minores de observantia.

8. Ne missionarii sibi invicem neve Guardianus vel ejus fratres missionariis aut e contra missionarii Guardiano aut ejus fratribus in iis peragendis, quae ad eorum munia et officia seu ad fidei propagationem pertinent, mutua praebeant impedimenta aut difficultates interponant, s. congregatio generaliter omnibus et singulis eorum distincte praecipiendum esse censuit, prout praesenti decreto praecipit, ne alter alterum mediate vel immediate per se vel per alios ac praecipue infideles, haereticos vel schismaticos quovis modo, via, praetextu aut quaesito colore, directe vel indirecte, ut praefertur, impediat aut molestias inferat aut denique difficultates injiciat, sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto et absque aliqua declaratione incurrenda aliisque arbitrio ejusdem sacrae congregationis de propaganda fide.

9. Censuit instructiones praedicti Guardiani esse diligenter ab omnibus, ad quos

spectat, observandas juxta decreta circa illas edita, exceptis tamen quoad praedictos PP. Capucinos iis, in quibus per supradicta aliquo modo corriguntur et declarantur.

10. Et postremo declaravit, quod, ubi de licentiae petitione sit mentio, intelligendum est, quod unusquisque PP. Capucinorum praedictorum eorumque singuli, cum primum ad loca suarum missionum pervenerint, illam semel tantum petere debeant ac teneantur et postea, sive illa obtenta sive non, munia sua exercere ac facultatibus suis uti juxta superiora decreta.

(Anal. J. P. 1866. p. 1526. *Ed. Romae.*)

Decretum s. Congregationis de propaganda fide die 23. Martii 1651.

Fuit congressus coram D. Cardinale Cecchino vigore decreti s. Congregationis de propaganda fide super jurisdictione et jure patris Guardiani Hierosolymitani et missionariorum apostolicorum in partibus orientalibus, in quo congressu adfuerunt Rmus pater Daniel a Dongo ordinis Minorum et strictioris observantiae s. Franzisci Vicarius generalis et fr. Picavilla Gallus, Procurator patris Guardiani Hierosolymitani ex una, necnon pater Marcus Antonius a Carpinedulo Procurator generalis ordinis Capucinorum et fr. Britius et Rennes Procurator missionariorum ex altera ex auditis ab Eminentia sua in contradictorio partibus, praesente D. secretario praelibatae s. Congregationis de propaganda fide, ut quilibet possit ad omnipotentis Dei gloriam, fidei catholicae propagationem et populorum aedificationem ac salutem in vinea Domini laborare et proprio officio satisfacere, fuit a dicto Emo Dno sancitum, prout infra, ad effectum, quod facta relatione Emis et Rmis Patribus s. Congregationis de propaganda fide Cardinalibus et approbatis per ipsos et per S. D. N. si opus fuerit capitulis et decretis infra dicendis, omnimode et inviolabiliter sub poenis infra praescribendis ab omnibus et singulis supradictis et ab eorum successoribus in perpetuum observentur et executioni respective mandentur.

1. Primo confirmando decreta alias edita sub die 19. Septembris 1630 et praecipue illud, in quo cautum est nullam fuisse vel esse per s. Congregationem de propaganda fide datam aut concessam auctoritatem seu jurisdictionem P. Guardiano Hierosolymitano aut ejus vicariis et officialibus seu alicui ex confratribus aliquo modo, causa vel titulo inquirendi de iis, quae ad vitam et mores missionariorum progressus spectant sine expresso mandato dictae Congregationis de propaganda fide. Poterit tamen pater Guardianus sive ejus officialis eamdem s. Congregationem in casibus particularibus consulere eamque certiorem reddere, si missionarii in aliquod delinquant et maxime si praesentium decretorum observationi per inobedientiam aliquod praejudicium per eosdem inferatur, ut opportuna possint desuper praeberi remedia.

2. Quod in locis, in quibus actualiter et cum effectu non erunt patres Minores de observantia, quando missionarii illuc pervenerint, prout statutum est die supradicta 19. Septembris 1630, possint iidem missionarii, post productionem coram patre Guardiano aut ejus officialibus vel missionem literarum patentalium ad unum vel ad alterum supradictorum absque impedimento aut ulla contradictione munia parochialia libere administrare, advertendo quod ante dictam productionem vel missionem dictarum literarum nullo modo officium missionariorum valeant exercere et propterea productio debeat fieri coram testibus et missio per impositam et certam personam, ut nec unum vel aliud possit in dubium revocari. Loca autem, quae usque nunc petierunt missionarii, ubi non sunt patres Minores supradicti, sunt Tripolis, Baruti et Abaii, et similiter cautum est, quod in posterum non liceat missionariis ad nova loca se conferre vel alio quovis modo missionem extendere, nisi certiorata prius s. Congregatione de propaganda fide, et obtenta licentia, de qua certiorem reddere teneantur praedictum patrem Guardianum aut ejus officiales modo et forma, qua supra. Insuper etiam sancitum est, quod si fratres Minores de observantia loca ab ipsis jam derelicta vel ubi nunquam extiterunt intra jurisdictionem memorati P. Guardiani Hierosolymitani petant ibique missionarii extent, nulla prorsus praevia innovatione in jurisdictionalibus eamdem s. Congregationem certiorem statim reddere teneantur, ut desuper quod magis erit expediens pro populorum aedificatione et animarum salute fiat et exequatur.

3. Quod ad favorem Consulum, qui proprias habent capellas, sit licitum eorum capellanis in propriis capellaniis omnibus et singulis ex familia dictorum Consulum sacrosanctam Eucharistiam in Paschate administrare, petita etiamsi non obtenta a parocho

licentia, declarando, quod de familia tantum intelligantur uxor, filii et consanguinei, qui cohabitant in eadem domo, ac famuli domestici actuales ipsorum Consulum, cum ea tamen conditione, quod quilibet capellanus teneatur infra mensem schedulam seu notulam eorum, qui communionem receperunt, parocho loci tradere, penitus interdicta viatici aliorumque sacramentorum omnium ac functionum parochialium administratione, ubi sunt memorati PP. de observantia uti veri parochi.

4. Quod eleemosynae, quae erogari solent et erogantur a capitaneis seu ductoribus navium pro bono itinere, ut ajunt de 3 piastre, in futurum intelligantur et reputentur in utilitatem cedere et ad beneficium datae s. Montis Sion juxta antiquam et laudabilem consuetudinem sub poenis contentis in constitutionibus apostolicis.

5. Quod in locis, ubi sunt vel erunt Episcopi seu Administratores aut Vicarii apostolici personaliter in propria dioecesi residentes, eorum tantum teneantur missionarii et non aliam recognoscere jurisdictionem, ne alicui in his, quae de jure eis competunt, aliquod praejudicium inferatur. In aliis vero locis jurisdictionis saepe memorati P. Guardiani, ubi supradicti personaliter in propria dioecesi non resident, jurisdictionem Guardiani recognoscant.

6. Quod in omnibus locis a parochis vel ab his, qui parochi seu missionarii officium exercent, publicentur dies festi juxta formam et dispositionem bullae Urbani VIII. fel. rec. et non aliter aut alio quovis modo sub poenis in eadem bulla contentis aliisque arbitrio s. Congregationis infligendis.

Caeterum quod missionarii non mittantur ad loca sancta, videlicet Hierusalem, Bethlehem et Nazareth nec iisdem in locis possint permanere nisi uti peregrini et devotionis causa. Item quod literas patentales suorum superiorum, cum primum ad loca missionum venerint, producere vel mittere teneantur, ut supra. Item quod in casibus alicujus difficultatis, controversiae, seu declarationis praeteritorum, praesentium et futurorum decretorum et in quibuscumque aliis occasionibus et causis ad solam s. Sedem apostolicam et s. Congregationem de propaganda fide privative quoad alios quoscumque sit recurrendum et quod omnibus et singulis aliis decretis de anno 1630 die supradicta 19. Septembris editis et publicatis stantibus et obedientibus, exceptis his quae nunc in praesentibus statuuntur.

Iterum fuit sancitum et decretum sub poenis alias inflictis aliisque pro arbitrio et juxta inobedientiam et praevaricationem a SSmo D. N. vel a s. Congregatione de propaganda fide infligendis.

(Ibid. p. 1529.)

q) A Sacerdote non approb.

Vd. *Confessar. non approb.*; *Confessar. regul. non approb.*; *p. 136. n. 2.*

Veneten.

Presbyter capellanus navalis communitus erat facultate excipiendi sacramentales confessiones intra navigium tantum; accidit, ut naufragio jactatus ad quamdam insulam ex orientalibus Americae oris appellere coactus fuerit, ubi deficientibus missionariis nulloque existente Episcopo, qui approbaret, gubernium unius aut plurium quasi parochialium ecclesiarum, uti ferunt, curam suscepit ac exercuit biennio ac triennio, nedum tempore Paschalis verum etiam reliquis anni temporibus extra mortis periculum, sacramentum poenitentiae administrando, quin et praesentibus missionariis ipsis idem peragere continuavit.

Cum autem presbyter quidam Veneten. dubitans de facultatibus praefati capellani desuper habuerit recursum ad sacram congregationem de propaganda fide, unde preces huic sacrae congregationi fuerunt remissae; hinc reverenter quaeritur ab EE. VV. declarari:

I. *An praefatus capellanus valide administraverit sacramentum poenitentiae absentibus missionariis?*

II. *An pariter idem sacramentum valide administrare potuerit et in futurum valeat praesentibus missionariis in casu?*

Sacra Congregatio die 21. Maji 1707 respondit ad I: Affirmative, ad II: Negative, ut in lib. 57. decret. pag. 182.

r) A Sacerdote, qui non creditur baptizatus.

Vd. *Baptism.* (probatio, decr. *Fesulana.*)

Quos actus gessit presbyter non baptizatus ab Ordine dependentes, isti prorsus sunt irriti. Ut enim nequit ecclesia sacramentorum substantialia immutare ut ex Tridentino *sess. 21. cap. 2. de communione etc.*, ita non potest supplere ea, quae de jure divino necessaria sunt ad perficiendum sacramentum. Cum autem a jure divino sit, ut minister poenitentiae et eucharistiae sit presbyter cum impresso ab Ordine charactere, sequitur, ut irrita sint ea sacramenta confecta a non baptizato, in quo character Ordinis imprimi non potuit. *Abbas con. apostolic. 7. de presbyt. non baptiz. ad. num. 1., Decius in cap. final. constit. num. 64., Schmalzgrueber. jus ecclesiastic. part. 8. titul. 45. num. 7. 8.*

Quod si irrita sunt sacramenta eucharistiae et poenitentiae a non baptizato administrata, duo supersunt inquirenda: Alterum scilicet: num, qui ab illo ea susceperunt, satisfecerint tum divino praecepto illa suscipiendi, cum mortis periculum imminet, tum ecclesiastico, quo omnes adstringuntur semel saltem in anno tempore paschali ea sacramenta consequi ex *concil. Lateranen. in cap. 12. de poenitentiis et remission.* et ex *Tridentin. sess. 12. cap. 9. de eucharistia*; alterum: num teneantur ad iterandas confessiones peccatorum, quae in praeteritum fecerunt presbytero non baptizato nec ordinato?

Animadvertendum sane est quod sacramenta hujusmodi in casu irritantur ex parte ministri, cui deficit ordo et jurisdictio ad ea sacramenta perficienda. Quare dum ille, qui sacramenta suscipit, est in bona fide, ut fecerit, quae per se erant necessaria ad utrumque praeceptum adimplendum, eidem certe satisfecisse videtur; quoad vera confessiones iterandas communis et probabilior opinio moralistarum fert, eos non teneri, quoties defectus oritur ex parte confessarii, quem defectum ignorabat poenitens ita, ut haud ignorantiam per se vincere nequibat, etiamsi maxime vellet, ut tradunt autores, quos colligit *Ligorius in theologia morali lib. 6. tractat. 1. cap. 1. dub. 3. art. 4. num. 502.*

Prospici autem posse videtur iis, qui sacramenta a parocho Milanesi susceperunt, si moneantur ab Episcopo caeteri illius loci confessarii, ne eosdem cogant ad iterandas confessiones, sed hortentur ad peccata praeteritae vitae generatim confitendum et ut perfectam excitent contritionem et deinde absolutione sacramentali dimittant. Satis enim hoc modo iisdem consultum videtur cum constet apud omnes moralistas, ut ait Ligor. loc. citat. num. 503. quod in confessione poenitens etiam absolvitur ab iis, a quibus se antea bona fide absolutum putabat.

Die 12. Septbr. 1801. *Fesulana.*

s) A Sacerdote simplici.

Parochus potest simplici sacerdoti licentiam concedere administrandi sacramenta in sua parochia excepta poenitentia. *Sacr. Congr. Episc. et Regul. in Castellaneten. 20. Augusti 1602.*

Administrator.

1) Amotio.

Vd. *Administ. bonor. Monial.* (remotio p. 220).

Si reperti fuissent administratores, quod in administratione male se gessissent, possunt ab Episcopo amoveri, etiamsi essent dati a testatore, cum prohibitione, ne rationes reddere tenerentur Episcopo; colligitur ex *cap.: Tua nobis 17. de testam.*, ubi habetur: »licet etiam a testatoribus id contigeret,« et ex *Clement. unic. in fine de testament.*, ubi habetur: »quocumque non obstante.« Sic tenet *Pignatell. com. 8. consult. 17. n. 6., Monacell. part. 1. tit. 1. form. 14. n. 6 et 42.*

2) Bonorum Monialium.

Vd. *Administrator monast. Monial. p. 227.*

a) Ratio reddenda Episcopo.

Cautum est in bulla Gregoriana §. 5: *Sed et administrantes bona et ejusmodi monasteria Sanctimonialium etiam Regularibus subjectarum pertinentia, sive saeculares exiterint sive Regulares, quomodolibet exempti,*

Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis gratis tamen exigendas reddere teneantur ad idque juris remediis cogi et compelli queant.

Hinc sac. Congregatio in una *Neapolitana exactionis rationum 11. Martii 1673* proposito dubio: *An non obstante praetenso usu liceat Emo Archiepiscopo ad formam const. Gregorii XV. exigere rationes administrationis bonorum Monialium Regularibus subjectarum?*

Respondit: *Affirmative.*

Et in terminis Regularium ordinis Cisterciensis in una *Pharaonen. jurisdictionis 14. Novemb. 1733*, in qua proposito dubio:

An liceat eidem Emo Ordinario petere rationes administrationis bonorum ipsorum monasteriorum?

Prodiit responsum: *Affirmative.*

Et in Papien. 16. Martii 1743, in Vormatien. jurisdictionis 9. Julii 1746 ad III. dub., et in Olmucen. anni 1735 ad X. dub.

Necesse tamen est ad formam dictae bullae Gregorianae interpellare Superiores monasterii, ut declaravit sac. Congreg. in *Hieracen. visitationis 26. Jan. 1692*, in qua disceptato dubio:

An possit Episcopus administratores redituum monasterii exempti ad redditionem rationis compellere non vocatis Superioribus monasterii eosque administratores amovere, quatenus iidem Superiores interpellati id renuant facere?

Responsum fuit: *Quoad primam partem: negative, quo vero ad secundam: affirmative, lib. 42. decret. pag. 46.*

Die 31. Mart. 1770 *Constant.*

b) Remotio.

Statutum fuit a Gregorio XV. in constitutione *Inscrutabili* *) §. *5.: Liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut ejusmodi confessores atque administratores amoveant iisque Superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus habeat Episcopus facultatem, praedictos confessores et administratores amovendi, quoties et quando opus esse judicavit.*

Verum post hanc bullam Gregorianam variis exortis quaestionibus propositum fuit dubium: »*Cum in eadem constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut amoveant confessores Monialium atque administratores bonorum ad earumdem Monialium monasteria pertinentium, an hujusmodi causam Episcopus significare teneatur?* Sacra Congregatio respondit: *Non teneri hujusmodi causam significari Superioribus regularibus, sed hoc relinqui arbitrio et prudentiae Episcoporum, quorum conscientias sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi in hac parte tributa quoquemodo abutantur, ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri. Tambur. de Monial. disp. 26. quaest. 6.*

Die 31. Mart. 1770 *Constantien.*

3) Beneficiatus vel Capellanus ipse.

Quamvis Capellanus administrationem pro se suisque successoribus postulasset, eam tamen, sacra Congregatio ipsi dumtaxat concessit nulla facta mentione successorum, quos idcirco comprehendere noluisse censetur, *juxta cap. 40. de offic. judic. delegat.*

Die 20. Sept. 1794. *Urbevetana.*

Ambigi non posse existimat Episcopus, quin illi in eam Tridentinae synodi poenam inciderint, qua patroni ecclesiae bona fructusve usurpantes merito plectuntur. *Sess. 22. cap. 11. de reformat.* Verumtamen heic etiam meminisse juvabit Tridentinam sanctionem non ad quamlibet bonorum administrationem fructuumque perceptionem sese protrahere, sed ad dolosam dumtaxat ac violentam, sicuti interpretantur cum communi *Fagnan. in cap. Extirpandae de praeb. n. 10; Card. de Luca adnot. ad conc. Trid. disc. 23. num. 3; Girald. de poenis eccl. p. 11. cap. 1. n. 1. verb.: Nota primo, Fargna de jurep. p. 5. canon. 5. caus. 11. n. 6.*

Die 6. Aug. 1841. *Reatina.*

Super dubio proposito circa inventarium et rationum redditionem bonorum beneficialium.

Die 1. Septemb. 1865 et 9. Martii 1866.

Triennio circiter postquam causa super exemptione penes s. Ordinem Ep. et Reg. acta fuerat, Petrus Prior ecclesiae a s. Maria de Misericordia universae carnis viam gravis annis ingressus est. Eo tamen deficiente, minime defecerunt nova controversiarum capita, quae singula recensere hic locus non est; ea tantum curabimus et referemus, quae aliquo cum lectorum fructu referri possunt. Ubi primum itaque beneficium priorale vacavit, nobiles patroni pro tempore publica monitione competitores invitaverunt, ut praescriptarum qualitatum testimonia exhiberent.

*) Vd. Administr. ss. Sacram. (a. Regular. p. 208)

Quibus formalem nominationis actum favore cujusdam personae pluribus de causis meritissimae ediderunt, simulque nonnullas conditiones adjecerunt, quibus persona nominata adhaerere ac subscribere non dubitavit.

At curia ecclesiastica in harum conditionum acceptatione quasdam irregularitates deprehendit, quae eidem pontificia sanatione indigere visae sunt. Sed haec res non ita magni ponderis erat prae duobus aliis dubiis, quae, antequam nominato viro canonicam institutionem Ordinarius dare posset, ab apostolica Sede resolvenda esse consultissime arbitrabatur; ideoque opportunam resolutionem a sacra Congregatione Episc. et Reg. exorabat. Horum porro dubiorum alterum in eo consistebat:

Num ipse Ordinarius substantiae beneficialis statum cognoscendi jus haberet.

Alterum vero erat:

An a patronis de prioralis beneficii administratione tempore vacationis exercita ut rationem sibi redderent exigere posset?

Quae duo aliis verbis eo redigebantur ut quaereretur:

An curia ecclesiastica bonorum beneficialium inventarium et rationum redditionem posset exquirere?

Utrumque dubium levioris momenti videri fortasse poterit: haud ita tamen censebitur, cum ambo ad juris trutinam revocentur. Hanc itaque ad rem necessarium est in facto cognoscere quod, quamvis a saeculo decimo quinto usque ad totum saeculum decimum octavum non interrupta serie (quemadmodum ex actis cancellariae ostendebatur) Priores a curia ecclesiastica institutionis canonicae et investiturae bullas consequi et praeterea in possessionem beneficii a patronis immitti consuevissent, nihilominus neque hi neque Priores ipsi eidem curiae inventarium bonorum, quae beneficii dotem constituunt, ullo unquam tempore tradiderant, ita ut nullum documentum, nulla notitia hac de re ibidem extaret. Praeterea ab immemorabili consuetudine hic mos pacifice servabatur, ut quo tempore beneficium vacaret, vacantis beneficii bona ab ipsis patronis administrarentur fructusque in onerum beneficialium adimplementum potissimum erogarentur. Merito itaque Ordinarius anceps haerebat: An ista consuetudo utroque in capite sustineretur. Singulatim primo de uno capite deinde de altero in consultatione conscribi solita disceptabatur.

Disceptatio synoptica.

Quae circa bonorum beneficialium inventarium afferebantur.

Ante omnia ponebatur, quod Sixtus V. in suo motu proprio incipien.: *Provida Romani* diei 29. Aprilis 1587 providerat, ut per totam Italiam atque insulis adjacentibus in singulis dioecesibus peculiare tabularium construeretur, in quo omnium bonorum, quae ad pia loca propriae jurisdictioni subdita pertinerent, inventaria rite confecta asservarentur. Porro Sixtina isthaec dispositio duas habet partes; prima pars curias afficit aliaque instituta, quibus onus injungitur hoc tabularium construendi; altera vero pars personas attingit, quae ad idem tabularium inventaria bonorum ecclesiasticorum mittere obstringuntur: quas inter praecipuum habent locum beneficiorum possessores. Animadvertendum etiam est, ab hac lege non excusari eos, qui ab episcopali jurisdictione exempti sunt, et immediate apostolicae Sedi subduntur. Tam salubris haec Sixti V. constitutio confirmationem quodam modo accepit a Benedicto XIII. in constit. incipien.: *Maxima vigilantia* mensis Junii anni 1727. De utraque constitutione loquitur *Angelus Lucidi Auctor novissimi operis de VV. SS. LL. vol. I. pag. 233. n. 244*, quinimo ambas per extensum exhibet *vol. III. pag. 129 ac pag. 146.*

Hisce positis pro excludenda obligatione exhibendi inventarii in curia episcopali, de qua res erat, observatur, quod prioratus s. Mariae a Misericordia per literas Nicolai V. anni 1454 supra memoratas uti praesulatus seu abbatia *Nullius* quodammodo declarata fuerat; quamvis enim per concilium Tridentinum aliquae determinatae facultates ablatae fuissent, nihilominus sartum tectumque relictum fuerat quidquid Tridentini Patres expresse nequaquam nominaverant. Itaque id omne, quod alios jurisdictionis actus complecteretur, Priori s. Mariae ereptum non fuerat: et reipsa curia ecclesiastica tam diuturno tempore jus hoc exercere minime ausa fuerat, neque in sacra visitatione, quam nunquam in ecclesia ipsa absolvere attentaverat Ordinarius. Praeterea hujusmodi exhibitio inutilis ac superflua existimabatur, quandoquidem apud ecclesiam s. Mariae a Misericordia priorale archivum extabat, in quo singula acta scripturaeque ad eamdem pertinentes fideliter custodiebantur.

E contra vero reponebatur conceptis ver-

bis in Sixtino motu proprio ad inventarium praesentandum obstringi eos etiam, qui ab episcopali jurisdictione exempti sunt et immediate apostolicae Sedi subduntur. Quamvis de hoc prioratu s. Mariae dici haud poterat, sicut apparet ex superiore resolutione, deinde ex eo, quod curia jus habebat canonicae institutionis impertiendae, illud consequebatur ut inventarium bonorum eorum exigere posset, quorum in possessionem Priorem immittebat; quin obstaret, quod ecclesia s. Mariae suum proprium tabularium haberet; hoc enim et capitula Canonicorum aliaque instituta sacra obtinent et nihilominus inventarii exhibendi lege afficiuntur.

Quae circa rationum redditionem subderentur.

Praemittebatur, quod ex antiquiori ecclesiae disciplina patroni jus habere potuissent sese immiscendi in administrandis bonis beneficiorum patronalium, veluti colligitur ex *cap.: Cum vos 4 de offic. Ord., Fagnan. in hoc cap.* At vero concilium Tridentinum cum aliis tum praecipue *cap. 9. sess. 25. de ref.* gravissime patronis iisdem prohibuit, ne in perceptione fructuum beneficialium eorumque erogatione, non obstante quacunque consuetudine, se ingerant, idoneis poenis contra hujusce sanctionis violatores constitutis.

Hisce praelibatis consequi videbatur, ut consuetudo, licet antiquissima, quae ferebat, ut patroni prioratus s. Mariae vacationis tempore prioralia bona administrare possent, Tridentinae dispositioni contrairet atque ideo aboleri deberet.

At vero viceversa animadvertebatur, Tridentinos Patres in *cap. 3. sess. 24 de ref.*, ubi pariter prohibetur patronis, ne in beneficiis patronalibus sese immisceant, hanc limitationem apposuisse: — nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat. — Jamvero licet primitivum fundationis decretum in themate desideraretur, tamen ab immemorabili tempore servabatur consuetudo ut, vocatione durante, patroni prioralia bona administrarent. Indubitatum est autem, quod consuetudo immemorabilis in concilii Tridentini decretis nullatenus sublata censeatur, nisi expressis verbis eidem derogatum fuerit, *Panimoll. decis. 1. annot. 10 a num. 23 et sequ.; s. Rota decis. 585. n. 2. coram Seraphino*, et passim doctores.

Quod si Emmis Patribus visum fuisset consuetudinem hujusmodi posse sustineri, quaerendum supererat: An saltem de prioralium bonorum administratione reddere rationem tenerentur. Jamvero in celebrato *cap. 9. sess. 22. de ref.* statutum est, ut omnes administratores bonorum ecclesiasticorum Ordinario rationem reddere obstringantur. Docent vero communiter interpretes, per hujusmodi decretum sublatas fuisse quaslibet contrarias consuetudines etiam immemorabiles. Vid. *Fagnan. ad cap. de Xenod. c. 3. de rel. dom. n. 4 et 5*, ubi referuntur ad rem nonnullae S. C. Conc. declarationes.

Attamen Tridentini Patres huic dispositioni hunc limitem posuerunt, videlicet: nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset: — intelligendum cum clausula, — *salvo jure Ordinarii* in casu negligentiae administratorum in adimplenda testatoris voluntate. — S. C. Conc. in *Bononien. Reddit. ration. dici 2. Martii 1839.* Illud etiam cavendum, quod si ex privilegio, consuetudine vel alia constitutione alicui coetui vel personae ratio esset reddenda, tum idem Ordinarius adhibendus est cum hoc coetu vel persona in rationum redditione peragenda. Vid. *Pignat. consult. 15. tom. 7. n. 36.* De hac materia redditionis rationum fuso calamo agit citatus auctor *de VV. SS. LL. vol. 2 in art. 2 vol. II. pag. 459 et seq.*

Monendum est, quod pendente causae propositione Ordinario ex rescripto summi Pontificis, suas in id preces iteranti, auctoritas data est, ut novum electum ad priorale beneficium instituere posset et quemcumque defectum sanare; licet (quod postmodo scitum est) Ordinarius hac facultate minime uti censuisset. Cum interea caput hoc veluti confectum haberetur, judicio patrum emin. suppositum non fuit; ideoque controversia coercita est ad obligationem exhibendi inventarii et rationum administrationis reddendarum per generalem, quae sequitur, dubii formulam.

Dubium.

»*An et quomodo respondendum sit quaestioni Ordinarii?* Emmi Patres die 1. Sept. 1865 causa discussa rescripserunt: Firmo remanente jure curiae . . . dandi canonicam institutionem in reliquis servetur consuetudo.

Continuatio. — Hac emissa resolutione Ordinarius sese denuo audiri postulavit et obtinuit. Cum novas deductiones s. Congr. detulisset, cognitum est, eumdem rescripto summi Pontificis, cujus mentionem fecimus, exsecutioni non mandasse, quod ex hac re jura sua laedi arbitraretur. Hinc res una cum iterata dubii jam resoluti propositione Emmorum Patrum judicio fideli et accurata rerum omnium addita relatione subjecta est, prout in calce legitur.

Neque etiam omittendum quod Prior nuper electus insimulabatur, quod sese in prioralium bonorum administrationem instruxisset, antequam a curia canonicam institutionem consecutus esset. In quo memoriae revocabantur ea, quae in jure canonico statuta sunt contra illos, qui nondum institutione canonica acceptata in beneficium sese immittere non reformidant *cap. 5. Avaritiae caecitas de elect. et elec. potes. in 6, Ferraris v. Beneficium art. VII. num. 19.* Quamvis e contra videretur id non posse de persona nuper electi Prioris asservari, quippe qui, admisto etiam quod in aliquem actum administrationis sese ingessisset, id (prouti ex actis colligi posse videbatur) ea de causa certa fecerat, quod eam in rem facultas sibi facta fuisset a patronis, qui ab immemorabili consuetudine versabantur in possessione administrandi beneficii bona ideoque licite hanc potestatem alteri delegare non prohibebantur.

Dubiorum expositio.

I. »*An et quomodo recedendum sit a resolutione diei 1. Septembris 1865 in casu?*

II. *An et quae determinatio capienda sit super delegatione impertita Ordinario et super ingerentia neglectae personae ad prioratum in casu?*«

Die 9. Martii 1866. Emmi Patres re de more discussa respondendum censuerunt

Ad I. In decisis juxta modum firmo nempe remanente jure curiae . . . dandi canonicam institutionem, relate ad administrationem, quam prioratu vacante patroni habere consueverunt, servetur consuetudo, ita tamen ut quilibet novus Beneficiatus curiae . . . inventarium tradere teneatur, et Ordinarius in casu negligentiae administratorum possit ab eis rationum redditionem exigere, et amplius.

Ad II. Affirmative et supplicandum SSmo pro sanatione favore presbyteri, ut ei canonica institutio detur, ad quam Ordinarius ordinaria sua auctoritate procedere possit.

Ex his colliges:

I. Singulas curias Italiae et insularum adjacentium ex motu proprio Sixti V. habere debere tabularium, in quo inventaria bonorum ad ecclesias beneficias, loca pia aliaque instituta pertinentium asserventur.*)

II. Ex jure novissimo patronos sese non posse immiscere in administratione bonorum ad patronalia beneficia pertinentium.

4) Confraternitatis.

Assisiensis Episcopus edicto mandaverat, ne administratores societatum suae dioecesis expensas cujuscumque generis usque ad scuta 3 facerent sine collegiali consensu in pluralitate suffragiorum praestito. Repetebant sodales, administratores ordinarios sumptus impendendi facultatem habere et impossibile prorsus esse asserebant toties evocare comitia, quoties ordinariae faciendae sunt expensae. Agebant ulterius, quod si administratores arbitrio abuterentur, in redditione rationum id erant emendaturi. Proposito hinc dubio: Num edictum Episcopi sustineretur? responsio prodiit: Sustineri quoad expensas extraordinarias tantum. *Assisiens. 21. Jan. 1786 dub. 3.*

Quaesitum quoque fuit: An si expensae cujuscumque generis excedant scuta 3 praeter approbationem majoris partis confratrum, impetrari Episcopi venia deberet? Rescriptum est: Affirmative ad formam synodi Episcopi Sermattei. *Ibid. dub. 2.*

*) Sixtus V. romanus Pontifex meditabatur archivum generale ecclesiasticum erigere, in quo omnia inventaria rerum, bonorum ac jurium et scripturarum pertinentium ad ecclesias et pia loca per universam Italiam constituta in palatio apostolico reconderentur et asservarentur. Verum ab ejusmodi proposito discessit ob graves difficultates et gravia incommoda, quae inde oriri cognita sunt. At praeconcepto consilio Pontifex non omnino valedixit, sed alia ratione providit ut videre est in supra citato motu proprio, quod legitur in appendice *concilii romani coll. cum cap. I. tit. XII et seq. ejusdem concilii.*

Absoluto autem romano concilio Benedictus XIII. apprime noscens detrimenta, quae ecclesiis locisque piis provenirent ex neglectu archivorum et inventariorum, solemni constitutione, quae incipit: *Maxima vigilantia.*[1]) XVIII. Kal. Julias 1727 accurate prospexit huic inventariorum et archivorum negotio et sub poenarum sanctione ea quae praescripsit servari mandavit. Vid. eiam *Augelum Lucidi in opere locisque citatis.*

[1]) Hanc const. vide sub art.: *Archivum eccles.* (constit et disp)

5) Ecclesiae Cathedr. vacantis.

Vd. p. 192. n. 4.

a) Ab apost. Sede deputandus.

Designato ab apostolica Sede in futurum ecclesiae Praesule, eidem administrator tam in spiritualibus, quam in temporalibus deputatur; spectat vero haec deputatio ad apostolicam Sedem; *cap.: Eccles. Cathedral. de supplen. neglig. Praelat. in cap. cui 42. de elect. in 6; Rebuff. tract. de nominat. quaest. 8. n. 29.* Adsignaturque administratori congrua ex redditibus ecclesiae. *Rigant. in reg. cancell. 8. §. 2. n. 39. tom. 2.*

Aliquando permittit Sedes apostolica capitulis vel Nuntiis apostolicis, ut dictos administratores deputent, a se tamen confirmandos suo arbitrio, *Rigant. in reg. cancell. 7. n. 40. tom. 2.*

Administratoribus deputatis a Sede apostolica ad Cathedrales ecclesias, donec minores Episcopi ad aetatem legitimam pervenerint, demandare solet Pontifex beneficiorum collationem, sed si curata sint, non aliter quam per concursum conferendi ipsis obligationem imponit. *Doct. de Sanctis examin. consistor. cap. 7. n. 99. et 122. apud Rigan. reg. cancell. XXIV. §. II. n. 45.*

Si administrator sit Episcopus et dioecesim nimis amplam (quae solita sit suffraganeum habere) nequeat per seipsum regere, potest pro deputatione suffraganei supplicare. Quod si antequam gratiam obtineat, minor Episcopus ad legitimam aetatem perveniat, et plenam ecclesiae administrationem adipiscatur, et pro eadem gratia supplicetur, administratoris supplicatio est praeferenda, *Rigant. ibi n. 47.* Si vero administrator non sit Episcopus et pendentea dministratione vacet suffraganeatus, consuevit apostolica Sedes illum in titularem episcopatum promovere et deputare ecclesiae Suffraganeum. Id patet ex *actis consistorialibus ad diem 3. Sept. 1716 et 9. April. 1717. apud Rigant. ibi n. 49.*

b) Facultates.

Vd. *supra l. a.*

Quaenam sint facultates administratoris exponit Bonifacius VIII. in *cap.: Is cui. 42. de elect. in 6.* Possunt beneficia conferre, eorum permutationes percipere, *Paris de resignat. lib. 7. qu. 24. n. 7.; Leuren. de potest. Vic. in re benef., Rota decis. 424. tom. 4. coram Ansaldo.* Item possunt administratores in spiritualibus Vicarios generales in propria dioecesi constituere. *Sbroz. de Vic. Episc. lib. 1. qu. 18. n. 7., Rigant. in reg. cancell. 8. tom. 2. n. 46,* quem plura de administratore ecclesiae Cathedralis vel Metropolitanae disserentem ibidem consulas.

6) Liber rationis reddendae.

Ad finem reddendi fideliter quotannis suos computus et rationes tenentur omnes administratores conficere librum rationum, *l. 1. §. offic. ff. de tutor. et rat. distrib., Rota rom. part. 1. recent. dec. 540. n. 4.* Qui liber debet continere data et accepta, ex qua causa nominatim et qua die, aliter non dicitur legitime conscriptus nec legitime reddita ratio; *l.: Cum Servus ff. de condit. et demonstr., Rota rom. part. 1. recent. decis. 590. n. 5.* Nec sufficit, si loco libri exhibeantur paginae quaedam manu administratoris conscriptae, nam folia et listae non sufficiunt pro ratione reddenda. *Rota part. 1. recens. dec. 540. n. 4.* Nec possunt ipsi administratores exhibitionem librorum et redditionem rationum faciendam Episcopo affugere praetextu, quod soliti fuerint ipsos computus et rationes reddere aliis, quia vigore conc. Trid. principaliter in ipsis est adhibendus Episcopus et specialiter ipsi est sic reddenda ratio. Sac. Congr. in *Conversan. 2. Martii 1697* et in *Melevitan. 20. Martii 1700.*

7) Juramentum.

Ordinarii locorum possunt exigere juramentum de fidelitate administrandi ab omnibus administratoribus locorum et legatorum piorum. Sac. Congr. Concil. in *Aliphana 18. Julii 1705 et 8. Martii 1706.*

8) Jus non habet ad rem administratam.

Administratio jus administratori non tribuit ad id, quod administrat. *Rota in Romana Distributionis dotium 9. Martii 1761. §. 8. coram Emmo Zelada.* Die 20. Mart. 1790. *Romana.*

9) Laicus.

Vid. *Administrator* (quis etc. p. 228.)

(S. C. Episcop. et Regul. decreta.)

Si in limine erectionis alicujus loci pii pro fundamentali lege fuerit stabilitum, ut temporalis ejusdem praesidentia atque oeconomica administratio deputatis laicis in perpetuum demandetur, hujusmodi dispositio ab

Ordinario est omnino custodienda ad formam concilii Tridentini.

Lex autem uti fundamentalis ac perpetua habenda videtur, si hujusmodi munera personis de aliquo coetu concedantur cum facultate deputatis facta alium in demortui locum subrogandi, et addita clausula *salva jurisdictione Ordinarii pro tempore.*

Id liquido patet ex facti specie, quae sequitur.

Pius VI. Pontifex fel. rec. orphanotrophium in quadam urbe erigendum mandaverat idemque dotaverat pluribus bonis undequaque collectis, praesertim ex quorundam institutorum redditionibus, quae ad municipium pertinebant. Ad hanc rem apostolicas dedit literas in forma brevis, quas (Ordinario perpetuo morbo laborante) Episcopo viciniori exequendas commiserat.

In iisdem prope finem legitur: Volumus denique, ut tres cives nobiles .... prudentia, zelo et patriae amore spectabiles auctoritate praedicta (nempe delegati apostolici) designes, quibus eidem conservatorio praesse ac suorum bonorum administrationem salva tamen semper jurisdictione Episcopi pro tempore existentis concedas; quorum altero deficiente ut duo superstites sufficiendum in locum defuncti designare possint dicta auctoritate concedas.

Plenissimum effectum consecutae sunt hujusmodi literae atque hinc tres Patricii temporali orphanotrophii praesidentiae atque oeconomicae administrationi praepositi fuerunt. Quinimo hujusmodi munera non reliquerunt, licet anno 1797 illius urbis Episcopo jam defuncto ejusdem successor apostolico delegato fuerit subrogatus cum jurisdictione privativo exercibili a deputatis authorizatis in alicujus deficientia eligendi successores prout latius in dictis literis.

Cum tempore gallicae irruptionis orphanotrophium abrogatum fuisset, pace restituta Pius VII. rescripto fel. rec. Pii VI. necnon literis in forma brevis ipsiusmet Sanctitatis innaerens Ordinario alias apostolicas literas dedit, ut quantocius hujusmodi institutum restauraretur. Itaque Vicarius capitularis illius temporis easdem executioni mandavit omniaque ut in pristino restituit nec excepta Patriciorum praesidentia atque oeconomica administratione.

Anno 1839 Episcopus pro tempore, licet eatenus tacuisset, decretum edidit, quo tres Nobiles a praesidentia et administratione memorata removit, arbitratus haec munera non ex fundamentali et perpetua lege sed ex precaria nempe pro tempore tantum, esse quo Episcopus anno 1787 perpetuo morbo detinebatur. Hinc edixit memoratum locum suae jurisdictioni tam circa praesidentiam quam administrationem obnoxium esse.

Id aegre ferentes Patricii deputati a loco amoti ad s. Congregationem Episcoporum et Regularium confugerunt ac pro causae opportunitate concordata sunt dubia.

1. Se, e come abbia più vigore il breve della s. m. di Pio VI. de' 27. Marzo 1787 riguardo alla presidenza de' quattro deputati per l'amministrazione dell' orfanotrofio? Et quatenus negative,

2. Se, e come sia espediente stabilire una nuovo deputazione?

3. Se in seguito della relazione di Monsignor Vescovo di NN. sia luogo a prendere qualche espediente?

Emmi PP. in congregatione particulari diei 22. Sept. 1839 in causa orphanotrophii licet convenirent, jus praesidendi et administrandi ex lege fundationis Patriciis inhaerere adeoque nisi per expressam mentionem eidem censeri abrogatum, tamen, ne Episcopo seni et assumptam causam bona fide propugnante moeror afferretur, rescripserunt: Supplicandum Sanctissimo, ut dignetur literas apostolicas s. m. Pii VI. diei 27. Martii 1787 confirmare juxta modum, nempe quod Episcopus NN. exerceat in conservatorio jurisdictionem, firma tamen remanente forma deputatorum juxta memoratas literas apostolicas, ac etiam servato jure caeteris deputatis eligendi successores: et novus quisque deputatus electionis suae confirmationem impetrare debeat ab Episcopo, antequam munus administrationis gerendum suscipiat, ac deputatos semel electos et confirmatos Episcopus ab officio removere nequeat nisi justa intercedente causa et de consensu s. C. et ad mentem; mens est, ut deputati ab Episcopo amoti ad officium restituantur.

Sanctitas Sua hanc resolutionem approbavit et statim datae sunt literae pro executione.

Cum Eleonora Morrone Firmana in suo testamento sex distinctas primogenituras instituisset et ad eas sex distinctas familias vocasset, voluit, ut omnium censuum suorum fructus in dotalia subsidia erogarentur, quorum activam nominationem reliquit eisdem familiis, passivam vero puellis exinde descen-

dentibus. Administratores perpetuos nominavit duos parochos s. Petri et s. Zenonis cum emolumento scutorum trium in singula centena et onere deponendi censuum pensiones in arca monasterii s. Clarae et rationem quotannis Firmanae curiae reddendi.

Post gallicam tempestatem ab Ordinario plures administratores successive deputati fuerunt, quos inter Aemilius Guerrieri et Joseph Sabbioni et Gaspar Riccardi, administratorum emolumentum autem ad scutata quinque adauctum est. Illi tamen in solvendis pensionibus retractis diu se morosos praebuerunt adeoque anno 1818 Archiepiscopus sententiam syndacatoriam protulit, qua contra eosdem pia causa creditrix declarata est scut. 3677. 816. et sex memoratae familiae responsabiles datae sunt pro scut. 2581. Parochi interpellati renuntiationem emiserunt.

In hoc rerum statu res est ad s. C. Ep. et Reg. exposita dubiaque proposita sunt:

1. Qual metodo abbia da tenersi per la esigenza delle partite arrestate, e chi abbia ad averne l'incarico nel caso?

2. Se tutti i primogeniti delle sei famiglie chiamate in primo grado sieno tenuti a sorvegliare l'amministrazione, e possano dirsi responsabili de' danni provenuti all' opera pia Morrone nel caso?

3. Se sia attendibile la preghiera del parroco di s. Pietro e di s. Zenone, e nel caso affermativo a chi spetti nominare l'amministratore dell' opera pia nel caso?

4. Il premio per la esigenza dovrà regolarsi a forma del testamento di Eleonora Morrone, ovvero dovrà ritenersi quello già assegnato al Conte Gasparo Riccardi, che costituisce due scudi di più per la riscossione di ogni centinajo?

5. Dovrà osservarsi la legge del deposito prescritta da Eleonora Morrone nella casa di questo monasterio di s. Chiara nel caso?

Eadem S. C. Ep. et Reg. in *Firmana Administrationis legati pii diei 2. Sept. 1842 resolvit*

Ad 1. Quoad primam partem: Liquidatis prius singulis summis tam debitis ab administratoribus Paulo Aemilio Guerrieri, sive ab ejus haeredibus, a comite Sabbioni, comite Riccardi, quam a caeteris debitoribus, praesertim fructuum censuum pii operis, omnes monitos cogendos esse, si non solvant, per viam juris et modis omnibus legalibus ad solutionem summarum debitarum, ad effectum eas investiendi cum solitis cautelis; quoad secundam vero: Curam agendi et obtinendi solutionem habendam esse ab administratoribus ab Ordinario deputandis.

Ad 2. Negative, nisi aliquis in primogenitis familiarum administraverit bona vel partem bonorum vel se immiscuerit administrationi.

Ad 3. Ad primam partem: Affirmative, ad secundam partem: Nominationem administratoris spectare ad Ordinarium.

Ad 4. et 5. Ut supra.

In qua resolutione notandum est

1. Fructus pii operis in usum a testatrice praescriptum non erogatos s. Congregationis jussu favore ejusdem pii operis cum solitis cautelis investitos fuisse.

2. Nominantes ad subsidia dotalia sese non posse in administratione immiscere.

3. Renuntiantibus administratoribus a testatore nominatis jus eos subrogandi Ordinario devolvi.

4. Etenim post edictales Gregorii XVI. leges in pontificia ditione liberum esse Ordinariis rationum redditionem a laicis administratoribus exigere et sententiam syndacatoriam, quae verae sententiae vim obtineat, emanare ad formam decreti *conc. Trid. sess. 22. cap. 9. de ref.*

Id ipsum patet ex declaratoria secretariae status pro negotiis internis diei 15. Dec. 1839 occasionem praebente Archiepisc. Camerinensi, qui a laico cujusdam monasterii administratore rationum redditionem repetiverat, quae sic se habet: La sentenza sindacatoria proferita da cotesto Monsignor Arcivescovo sui conti relativi all' amministrazione del monasterio di s. Elisabetta è basata sul disposto del sagrosanto concilio Tridentino *cap. 9. sess. 22. de ref.* Debbono adunque i Giudici o tribunali laici limitarsi ad ordinare la esecuzione contro il laico, che apparisce debitore, e chiamarsi nel resto incompetenti, riservando a questi la facoltà di provvedersi innanzi la S. C. de' VV. et RR. se e come di ragione. Tanto mi occorre significarle in risposta al di Sei foglio dopo averne inteso l'oracolo del s. Padre.

Quinimo licet administratores a municipio eligantur, non apostolicis delegatis sed locorum Ordinariis subjacent circa rationum redditionem et sententiam syndacatoriam. Nam memorata secretaria status alias declaravit »che per le facoltà del buon governo passate nelle congregazioni governative intendevansi quelle sole, che essa esercitova sopra i laici negli affari amministravi, non già quelle, che essa per la sua essenziale qualità di tribunale misto godeva in rapporto alle persone ed alli beni ecclesiastici.«

Quod eruitur etiam a *Camerinen. Praestationis suppellectilium et redditionis rationum dici 19. Febr. 1842.* Municipium etiam s. Ginesii, reservato sibi jurepatronatus, in ecclesia Collegiata capellam erexit, quam postea capitulo cedens cum altari majori commutavit retentis hinc inde omnibus honoribus et oneribus. In erectionis decreto lato a Vic. generale Orselli die 11. Mart. 1486 praeter alia sancitum est, ut quinque conservatores, inter quos ecclesiae parochus, a municipio eligerentur, quique coram civibus ab eodem electis rationem quotannis redderent, ut officium defunctorum cum missa et alia missa cum litaniis quolibet mense statis diebus celebrarentur, ut oblationes omnes in pios usus et miseras personas erogarentur, ut concionatori adventus honorarium praeberetur, ut tandem nullum onus per hoc canonicis supperadditum intelligeretur. Identidem vero consuetudo vere bisaccularis inolevit ut ex capellae redditibus concionatori quadragesimali, aedituo, organorum pulsatori honorarium solveretur, necnon expensae praestarentur pro expositione 40 horarum aliisque festivitatibus ac precibus necessariae. Anno 1832, cum apud apostolicum delegatum reclamatum fuisset, capellae redditus in usus alienos male converti, idem praeses rationum redditionem ab administratoribus exegit edixitque sententia sua eosdem aere proprio teneri ad solvenda scuta 515. 38. nisi absolutionem impetrassent. Conservatores autem prohibitionem ejusdem praesidis allegantes renuerunt etiam ea praestare, quae tam ex lege fundationis quam ex consuetudine praestare consueverant; insuper arbitrati sunt conservatorum munus cum magistratu insimul exerceri. Super his itaque Canonici ad C. Ep. et Reg. suas preces porrexerunt, ideoque sequentia dubia proposita sunt:

1. Se, e come i conservatori della capella debbano aderire in tutto, ovvero in parte alle richieste de' Canonici nel caso?

2. Se la congregazione governativa di Macerata possa esercitare la sua autorità sull' amministrazione di detta capella, ed esigerne il rendiconto, ed emanare la sentenza sindacatoria nel caso?

3. Se, e come l'Ordinario possa esigere il rendiconto, emanare la sentenza sindacatoria; come ancora, se possa fare la sagra visita nel suddetto pio luogo nel caso? Et quatenus negative ad secundum dubium,

4. Se, e quale provedimento convenga prendere per conoscere, se i conservatori abbiano in realità a rimettere in cassa la detta somma di sc. 515. 98?

5. Se, e come i magistrati di s. Ginnesio possano contemporaneamente ricoprire ancora l'ufficio di conservatori nel caso?

S. C. resp.

Ad 1: Affirmative juxta decretum Vicarii Orselli diei 11. Martii 1486.

Ad 2: Negative in omnibus.

Ad 3: Affirmative in omnibus ad formam conc. Trid. c. 9. sess. 22. de ref.

Ad 4: Affirmative facta nova redditione rationis Archiepiscopo adhibitis revisoribus juxta provisum in 3., aliisque pro arbitrio et prudentia sua.

Ad 5: Negative in omnibus.

Quod supra dictum est de sententia syndacatoria ab Ordinario non delegato proferenda, alias etiam declaravit S. C. et praesertim in *Ripana Erectionis hospitalis diei 18. Maji 1841,* in qua proposito dubio: Se, e come possa la delegazione esigerne il rendiconto? respondit: Negative, licet ageretur de hospitali domo, quam administrabat congregatio a municipio deputanda, et municipium ipsum pecuniariam praestationem eidem conferret.

10) Monasteriorum Monialium.

(Ratio reddenda.)

Vd. *Administrator* (Ratio redd. p. 229; Regularis p. 234; bonor. Monial. p. 219.)

Ordinarii possunt compellere syndicos et ministros monasterii Monialium Regularibus subjecti ad exhibendos libros receptorum et expensorum dicti monasterii pro redditione rationis administrationis bonorum illius, etiam sine praesentia ministri provincialis, cui subest dictum monasterium, quatenus interpellatus recuset interesse. Sic sacra Congr. Conc. in *Forosempron. 11. Martii 1662* et in *Urbinaten. 10. Martii 1663 ad cap. 8 sess. 22 de ref.* Et sic etiam statuerat Gregor. XV. constitut. incip. »*Inscrutabili*«*) tribuens facultatem Episcopis, ut adhibitis etiam Superi-

*) Vd.: *Administratio Sacram.* (a Regularibus p. 208.)

oribus regularibus possent compellere tales administratores ad reddendam rationem singulis annis suae administrationis et ex rationabili causa eos amovere, si Superiores regulares prius admoniti id facere detrectaverint vel neglexerint, et non teneri ejusmodi causam significare Superioribus regularibus, sed hoc reliqui arbitrio et prudentiae Episcoporum, quorum conscientiam sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi in hac parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri, ut declaravit sac. Cong. Concil. *1623. in respons. ad 22.*

11) Obligatio ejus cessat.

Ad perfectam sane rationis redditionem pertinet librorum et scripturarum exhibitio; eaque expleta quaelibet cessat administratoris obligatio, ad *text. in Leg.: Cum servus ff. de condit.* et demonstrat *Escobar. de ratiocin. cap. 2. num. 5 et 6.*

Die 21. Junii 1788. *Asculana.*

12) Num portionem stipendiorum missarum pro utensilibus retinere possit?

Vd. *Utensil.* (subministrat.). *Stipend. missar.*

De administratoribus ecclessiarum quaeri solet: num iisdem permissum sit retinere aliquam portionem eleemosynarum missarum pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium omniumque utensilium? Urbanus VIII. decreto sancivit, permittendum non esse, ut ecclesiae aut loca pia seu illorum administratores eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione. Ac paulo post: Nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habeant redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint, et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere valorem expensarum excedere, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae. Et tertio subjicit: Et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

In hanc sententiam edictum quoque tulit *Clemens XI. die 23. Dec. 1706.* Exstat etiam decretum *sac. Congr. die 14. Maji 1729.* Consule *Bened. XIV. instit. eccles. inst. 56 n. 13.*

Ex eleemosynis missarum nec minima par retineri potest ratione expensarum, quae fiunt in celebratione, nisi cum ecclesiae alios non habent redditus, quos in usu earumdem expensarum erogare licite possint. Quae portio nullatenus excedere debet valorem praedictarum expensarum. Tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas. *S. C. C. in Nullius Provinciae Ravennat. 15. Sept. 1619.*

Ad dub: An permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium?

S. C. Card. Concilii Trid. interp. resp.: Permittendum non esse, ut ecclesiae ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint, et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae; et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Die 5. Julii 1664.

Confirm. ab Innoc. XIII. constit.: *Nuper a Congreg.*, quae est sub art.: *Stipend.* (num accept. licita sit etc. decr. Urb. VIII. *Declarat.* n. 7).

13) Quis esse debet?

Indubium est, quod bona ecclesiastica clericorum sit administrare, cum canones omnium conciliorum ad conservationem et justam dispensationem eorum semper Episcopis vel aliis clericis dirigantur, non laicis. *Conc. Carth. V. c. 31 et Nicen. II. c. 12.* quod et natura ipsa illorum bonorum confirmat. Solum notatu digna putamus verba Basileensis concilii: »Ipsa bona ecclesiae ab his, quibus administratio canonica est commissa, usurpari sine privilegio non possunt.« *Tom. VIII. concil. edit. Paris. 1714 pag. 1469.* Quomodo et quando laici in eorum administrationem irrepserint et quomodo Pontificum indulgenti

prudentia in concordatis expressa in ipsa velut novissimo jure protecti se habeant, non est hic locus dicendi.

14) Ratio

a) Cui reddere debeat?

Satis suo muneri facere videretur administrator, si iis rationem redderet, a quibus deputatus fuit, per *cit. Leg.: Cum servus ff. de condit. et demonstr.*

Die 23. Jan. 1790.

b) Episcopo rationem reddere debet.

Episcopo Nepesino administrationis rationem ab haereditatis Chiatti administratoribus omnino esse reddendam. Hoc enim jus inesse Episcopo probatur *ex textu in cap.: Tua nobis de testament.; s. Congr. in Liparen. Exemptionis hospitalis 11. Julii 1750,* atque ex *chirographo Ssmi diei 4. Decembris 1818,* quo cautum est, ut administratores Episcopo redderent *un' esatto conto tanto della detta amministrazione che della erogazione judicata.*

Die 26. Mart. 1831. *Nepesina.*

Vd. *Administrator (bonor. Monial p. 219; monaster. Monialium p. 227).*

Possunt Episcopi ab ipsis administratoribus rationes et computa administrationis exigere tam in visitatione quam extra, etiam per suum delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis; *Conc. Trid. sess. 22. c. 8. et 9. de reform;* sacra Congr. Conc. in *Hispalen. 11. Jan. 1596* et in *Terentina 15. Martii 1674; sacra Congr. Episcoporum in Caesaraugustan. 29. Nov. 1588, et sacra Congr. Immunit. 4. Sept. 1668 in Carinolen.* Ordinarii, non obstante quod a testatore et lege fundationis excludantur expresse a revisione computorum administrationis, possunt supplere negligentiam executorum et administratorum et illos removere, si male administrent, et ab illis possunt rationem exigere, etiamsi defunctus disposuisset, quod legatum esset nullum, quando re immisceret Episcopus et rationem requireret ab executore et administratore, quem voluit et vult a nemine posse cogi ad reddendam rationem. Sic deducitur *ex cap.: Tua nobis de testam.*, ubi *Fagnan. n. 16* ita decisum fuisse testatur his verbis: Et rursus cum quaesitum esset: An Episcopus in fundatione exclusus a visitatione hospitalis, quia in fundatione sit cautum ne se administrationi, visitationi aut correctioni immisceat, possit se immiscere in casu negligentiae administratorum? Sacra Congr. censuit: *Posse juxta cap.: Tua nobis, de testam.* Et haec decisio fuit iterum confirmata a *sac. Congr. Conc in una Civitatis Plebis 10. Dec. 1695,* in qua bis resolvit: Episcopum tamquam executorem omnium legatorum piorum posse ad formam dicti capitis: *Tua nobis, de testam.*, cogere administratores ad exequendam et adimplendam testatoris voluntatem, non obstante quod expresse excluderetur in testamento. Et ratio est, quia actio computorum administrationis est munus publicae potestatis introductum ad bonum commune, unde a privato testatore impedire nequit, privata enim testatoris dispositio non potest generalem constitutionem legis vel canonis immutare et ideo voluntati defuncti irrationabili standum non est, licet expresse et absolute disposuisset, ut dicebamus, quod alias legatum irritum esset et in diversam causam bona ejus expenderentur, ut solide defendunt *Molina disp. 251. n. 8.; Pirhing. de testament. ad finem; Passerin in cap.: Religionis §. Sane n. 106. cum seq. de testament. in 6; Piasec. praxis Episcop. part. 1. cap. 3. art. 5 de visitat. benefic. simpl. n. 9; Silvester verb. testament. 2. quaest. 8. circa finem. arg. Clem. unic. hoc tit. et authent. Licet, eod. de Episcop. et Clericis,* et cum multis aliis *Barbosa juris eccles. univers. tom. 2. lib. 3. c. 27. n. 41 et 42; Reifenstuel lib. 3. decretal. lit. 26. n. 821.*

Ab Ordinariis potest ordinari, quod administratores piorum locorum singulis annis rationem reddere teneantur. Sac. Congr. Conc. in *Mediolanen. 9. Aug. 1569. apud Pignatell. c. 7. cons. 15. n. 29.* Item administratores locorum piorum privatorum, qui secundum juris communis dispositionem visitari non possunt, ad redditionem rationis per Ordinarium cogi possunt juxta terminos *Trid. cap. 9. sess. 22. de ref.*, quod loquitur absolute et absolute debet intelligi, nulla habita ratione juris communis. Sacra Congr. Concil. in *dicta Mediolanen 9. Aug. 1569.* Administratores piorum locorum etiam exemptorum nullam rationem reddentes Episcopo posthac eam reddere tenentur. Quod si aliis eam reddere consueverunt, cum illis adhibendus erit etiam Episcopus principaliter; et non solum in ratione reddenda adhibendus est Episcopus, verum etiam in deliberatione facienda, nec satis erit deliberatio facienda a deputatis. *Sic in dicta Mediolanen. 23. Aug. 1576.*

Redditio rationis administrationis danda est Ordinariis etiam a locis, quae sunt sub immediata Regum protectione. Et ratio est, quia exceptio locorum, quae sunt sub immediata regum protectione, non legitur nisi *in c. 8. sess. 22. de reform.*, in quo capite, uti legenti patet, agitur tantum de jure visitandi, non autem *in cap. 9.* ejusdem sessionis, ubi agitur de rationibus Ordinario reddendis. Caput enim 8. restringit se ad dispositionem juris communis, dicens »in casibus a jure communi concessis«, sed cap. 9. loquitur indistincte et generaliter »etiam in casibus a jure jam non concessis«, ut pluries declaravit sacra Congr. Conc. et expresse *in Gravinen. 9. Aug. 1569.* Et ideo, ut refert *Pignatell. tom. I. consult. 45. n. 46 et 47.*, sacra Congr. saepius respondit et signanter *in Neapolitana*, ut sequitur: Sac. Cong. etc. censuit c. 8. sess. 22. de reform. Conc. Trident. intelligi et habere locum in casibus a jure communi permissis. Licere tamen Ordinario ab eis rationem administrationis exigere ex decreto cap. 9. ejusd. sess. nulla habita ratione juris communis. Ex quo patet, dicit citatus doctor, concilium ampliorem facultatem tribuisse Episcopis in rationibus exigendis, quam in visitatione piorum locorum, ideo non mirum, si quoad visitationem excipit loca sub regum protectione existentia, secus vero quoad reddendas rationes, ut etiam notavit *Barbosa collect. 13. apostolicar. decisionum, verb. Administrator,* ubi offert decretum supradictae Congregat. Concil. 11. Aug. 1618.

Et circa haec pia loca existentia sub immediata protectione Regum advertendum est, quod ad hoc etiam, ut sint immunia a visitatione Ordinariorum, debent esse talia a primaeva sua fundatione, cum haec protectio non concedatur nisi a Sede apostolica et in ipso actu fundationis dumtaxat: si enim alia pia loca aut ecclesiae et hospitalia accipiantur ex post a Rege sub immediata sua protectione, non eximuntur a jurisdictione Ordinarii, ut patet in responsionibus datis ad sequentia dubia. In *una Messan.* fuit dubitatum:

1. An hospitale, alias non exemptum, si accipiatur a Rege sub immediata sua protectione, eximatur a jurisdictione Ordinarii, ita ut ab eo visitari non possit juxta sacri conc. Trident. dispositionem sess. 22. c. 8. de ref.?

2. An hospitale, in quo Rex habet jus patronatus, si alias exemptum non fuerit, visitari possit ab Ordinario?

3. An per immemorabilem consuetudinem non visitandi aliquod hospitale excludatur Ordinarius a jure illud imposterum visitandi?

Die 11. Dec. 1621. S. C. C. resp.

ad 1: Hospitale alias non exemptum non ideo esse immune ab Ordinarii jurisdictione, etiamsi acceptum fuerit a Rege sub immediata ejus protectione, ac propterea hoc non obstare, quominus ab Archiepiscopo visitari non valeat.

Ad 2: Hospitale, in quo Rex habet jus patronatus, si alias exemptum non fuerit, utique posse ab Ordinario visitari.

Ad 3: Ejusmodi consuetudinem etiam immemorabilem esse sublatam decreto capitis 8. sess. 22. de reform. ac proinde per eam nequaquam excludi Ordinarium a jure hospitalia visitandi. Et ratio est, quia concilium cap. 8. sess. 22. de ref., in quo excipiuntur loca, quae sub protectione Regum existunt, nequaquam jurisdictioni Ordinarii in aliquo derogavit aut detraxit respectu talium locorum, ut respondit *sacra Congr. Conc. 12. Dec. 1601 in una Neapolitana;* nec tribuit aliquam novam exceptionem praedictis locis, sed tantum praeservat, si quam prius habebant, ut saepius declaravit sac. Congr. et signanter, re diligenter examinata, *die 12. Decem. 1601. in eadem Neapolitana.*

Interprete quidem non indiget sacrum concil. Trid. sess. 22. cap. 9. de reform. Expresse enim cogit locorum piorum administratores et praesertim fabricae cujuscumque ecclesiae etiam Cathedralis ad reddendam singulis annis Ordinario rationem. Idque etiam ex jure canonico probant *Card. Petra ad constit.* I. *Anastasii V. sect. 2. num. 35. tom. 6; Fermosin. ad tit. et cap. unic. de corpore vitiat. quaest. 4. num. 22. tom. 3.* et sac. haec Congregatio in *Neritonen. Reddit. rationis. 1. Martii 1738.* et in *Piscien. 21. Julii 1753. ad I. dub.*

Die 21. Junii 1788. *Asculana.*

Luce clarius esse urget defensor Episcopos a jure designari veluti omnium piarum voluntatum exequutores (conc. Trid. c. 8. sess. 22. de reform.), adeoque »Fabricae cujusvis ecclesiae, etiam Cathedralis, hospitalis . . . et quorumcumque locorum piorum administratores tam ecclesiasticos quam laicos singulis annis teneri reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis« *(Idem Trid. cap. 9.)* Quinimo Episcopum utpote judicem causarum piarum compellere sane posse exequutores testamentarios ad demandatum minus implendum statuit *Greg. IX. in cap. 17. de test.*, etiamsi a testatore id contingeret interdici.

Die 18. Julii 1835. *Arboren.*

c) Episcopo rationem reddere non debet.

Bononien.

Ditissimum, quod Bononiae exstat, pium opus a laicis curatoribus perpetuo moderatum, nec ulla, quod constet, ecclesiastica auctoritate erectum, cui praecipua cura est pauperibus verecundis (vulgo vergognosi) opem suppeditare, haereditate sua donavit paucis abhinc annis supremo elogio suo ad diem 8. Junii anni 1830 recluso Franciscus Pisarri Bononiensis. Postquam enim usufructuariam dixerit uxorem suam Gertrudem hanc de universis bonis suis legem edixit: In tutti poi i miei beni, azioni, ragioni e diritti presenti e futuri, e cosi pure nell' usufrutto della mia eredità allorchè si consoliderà colla proprietà, cessando di vivere detta mia Signora consorte, istituisco, e scrivo eredi universali i Signori procuratori, e governatori pro tempore dell' opera de' poveri vergognosi di questa città di Bologna, coll' obligo di erogare senza render conto a chicchesia, benchè tale fosse di cui dovesse nominatamente farsi mensione, tutte la rendite della mia eredità come inferiormente prescriverò.

Dichiaro, e voglio, che tale erogazione da farsi pei suddetti Signori procuratori e governatori pro tempore sia indipendente affatto da chicchessia, a modo che se per cosa non credibile qualunque siasi autorità ecclesiastica e secolare ed anche Sovrana volesse direttamente od indirettamente metter mano, sopravvegliare, ingerirsi, o prender parte nella mia eredità nell amministrazione della medesima, nella distribuzione ed applicazione delle sue rendite, o chiedere rendiconto ai suddetti Signori procuratori e governatori in ciascuno di questi od altri consimili casi, adesso, e per allora, quando si avverasse qualunque de' casi stessi, istituisco, e scrivo miei liberi eredi universali i medesimi Signori procuratori e governatori della stessa opera de' poveri vergognosi, o i loro successori in detta rappresentanza . . . . Allorchè poi colle rendite saranno estinti i qualunque debiti, che si fossero incontrati, e saranno in florido stato i beni e bestiami, e sarà sufficiente cassa, ed in somma allorchè crederanno detti Signori procuratori e governatori, i quali anche in avvenire potranno sospendere la detta ed infrascritta erogazione tante volte, quante essi il reputeranno, nel caso le rendite della mia eredità verranno erogate ed impiegate nel provvedere di patrimonii ecclesiastici, da stabilirsi nell' annua somma, che verrà di tempo in tempo prescritta dall' Ordinario di questa città e diocesi, a Giovani bisognosi, i quali diano speranza di riuscire buoni ed eccellenti operatori nella Vigna di Gesù Cristo . . . .

Concedo ai Signori procuratori, e governatori pro tempore della ridetta opera de' poveri vergognosi il diritto in perpetuo di nominare a detti patrimonii.

Quum novissime vita functa sit vidua Pisarri, adeoque testamentariae dispositioni favore pii operis verecundorum locus factus fuerit, hodiernus Emmus Archiepiscopus, ne muneri suo deesse forte videatur vel alienam ingredi provinciam, duo EE. VV. definitioni dubia proponit:

1. Se nei termini dell' enunciata disposizione in forza delle facoltà attribuite ai Vescovi dal s. concilio di Trento possa l'Arcivescovo oratore chiedere ragione, e conoscere l'entità dell' asse ereditario Pisarri, e consecutivamente la nomina dei patrimoniandi.

2. Se privo del beneplacito apostolico si possa dagli amministratori di detto stabilimento devenire alla vendita dei fondi lasciati dal defonto Pisarri per dote di patrimonii sacri, la quale s'intende eseguire, come si è potuto rilevare, mediante asta publica.

Super quibus rogatus de more idem Emmus Archiepiscopus remisit suas animadversiones necnon votum promotoris fiscalis ac administratorum pii operis commenta, quae omnia praestat paucis referre. Cum pastoralis Episcoporum sollicitudo in eo praecipue versari debeat, ut pia decedentium voluntas non fraudetur eorumque dispositio adamussim adimpleatur (S. Gregorius Magnus in cap.: Nos quidem de testam., et in cap.: Tua nobis eodem tit. Trid. syn. sess. 22. cap. 8 de ref.) hinc Emmo Archiepiscopo sollicitudo ac dubitandi causa super ejus quoad legatum, quo de agitur, jurisdictione. Et jure ut ait meritoque. Enimvero ad primum dubium quod attinet super redditione rationum a pii operis curatoribus exigenda aperta est dispositio Tridentini sess. 22. cap. 9., cujus praestat verba referre, ibi: »Administratores tam ecclesiastici quam laici et fabricae cujusvis ecclesiae, etiam Cathedralis et hospitalis et confraternitatis, eleemosynae Montis pietatis et

quorumque locorum piorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum sit. Quod si ex consuetudine aut privilegio aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius: et aliter factae liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.« In his vero cum et laici administratores, etiam locorum simpliciter piorum, expresse comprehendantur et neque privilegia suffragari administratoribus neque consuetudines oppido tradatur, nullum effugium in casu pii operis verecundorum curatoribus arbitratur Emmus Archiepiscopus superesse, ad formam etiam resol. *s. C. in Forolivien. 21. Aug. 1784* §. *Quod respicit*, et in *Asculana Commut. volunt. 20. Januarii 1776.* §: Alterum, et in *Civitatis Castellanae Hospitalis 13. Feb. 1773.*

Excipitur quidem in praedicta sessione Trid. »nisi secus forte in institutione et fundatione . . . expresse cautum sit.« Ast nihil in hujus pii operis fundatione deprehendere est, quod Episcopum excludat: quinimo facta adsunt in contrarium probantia. Profecto die decima quarta Decembris anni 1773 decessor Archiepiscopus Card. Malvezzi decretum edidit, quod praefert hujusmet loci pii administratores reddita Archiepiscopo plena ratione adimplementi onerum et legatorum piorum taxative eidem operi adnexorum per totum annum 1771, ac amplissima super inde obtenta absolutione, sponte petisse velle etiam eos reddere rationem administrationis caeterorum reddituum bonorum dictae operae affectorum per decennium ab anno 1762 inclusive ad et per totum annum 1771 ad hoc, ut etiam super eadem absolutionem ab Archiepiscopo assequerentur, et revera assecutos fuisse: quibus positis Archiepiscopum haec sanxisse: »Declaramus dictos gubernatores, utpote administratores, in hac parte ad fines tantum suos teneri tantummodo in posterum rationem reddere dictae administrationis nobis et successoribus nostris, quoties fuerunt requisiti.« Ex quibus postremis decreti verbis hodiernus Emmus Archiepiscopus arbitratur decessorem suum jus suum exigendae rationis, quod jam possidebat, confirmas seac sartum tectumque successoribus suis voluisse transmittere: atque hoc ex eo etiam roborari videtur, quod (ut Emmus Archiepiscopus asserit nemine contradicente) »detti amministratori esibiscono all' Ordinario il bilancio dello stato del conservatorio di s. Marta per zitelle da essi loro dirette, non che di alcuni legati specialmente di doti alla sudetta amministrazione uniti.« Neque pariter prodesse administratoribus testatoris voluntatem Episcopum excludentis Emmus Archiepiscopus contendit. Etsi enim unicuique liberum sit quamlibet de rebus suis legem dicere, id tamen non valere in prohibitis et de jure illicitis, ut per jura canonica reprobatis et ecclesiasticae honestati adversantibus, tradunt *Barbosa de pot. Episcop. alleg. 72. n. 187; Piton. discept. eccles. 16. n. 11. et de controv. patron. alleg, 31. n. 37; Rota coram Coccino decis. 1944. n. 14 et sqq.*, adeoque hujusmodi conditiones appositas ipso jure vitiari et pro non adjectis haberi, cum nemo facere possit, quominus leges in suo testamento locum habeant neque jus publicum privatorum voluntatibus immutari valeat *ad tex. in L. 1. nemo potest ff. Leg. 1. et in authent. eccles. tit. 1. Si quis testator cod. de Ep. et cleric.*; *Monaccll. formul. legal. part. 1. tit. 1. formul. XIV. n. 1. 3. 4.* Quinimo sacra Congregatio (referente Fagnano ad cap.: *Tua nobis de testam.)* die 10. Decembris anni 1695 resolvit Episcopum tamquam executorem omnium legatorum piorum posse cogere administratores ad exequendam et adimplendam testatoris voluntatem non obstante, quod excluderetur in testamento his verbis: »Che non possa ingerirsi in alcun modo, nè sotto qualsoglia pretesto o causa, nè ad effetto di eseguire, esortare, persuadere, nè ad altro effetto.« Quid plura? Etiam si ulterius procederet testator disponendo, quod alias legatum irritum sit et in diversam causam bona ejus expendantur. *Piasec. prax. Episcop. par. 2. cap. 3. art. 5. tit. de visit. benef. simplic. n. 9; Passerin. in cap.: Religiosus §.: Sane n. 106 cum seqq. de test. in sexto, Monacell. d. loco.*

Quoad secundum dubium ambigit Emmus Archiepiscopus: An bona, de quibus in casu, beneplacito apostolico, ut rite ac legitime alienari possint, indigeant, ex eo, quod cum ad usum sacrum id est ad sacra patrimonia destinata sint, ecclesiasticorum bonorum naturam videantur induere. Et sane bona assignata pro patrimonio clericorum de laicorum catastro delenda et inter ecclesiastica bona describenda; *S. C. Immunitatis in Squillacen. 21. Jan. 1676. lib. 1. decret. Altov. pag. 1202*; et exempta sunt ab impositionibus sicut caetera bona ecclesiastica; *eadem Cong. Immunit. in Albanen. 14. Septembr. 1626. lib. 1. decret. Paul. p. 15.* Pressius porro tradit *Amostaz. de caus. piis l. 4. c. 11. n. 30.*, etiam hospitalia tantum pia absque Episcopi auctoritate fundata juris solemnitatibus ad alienanda bona ecclesiae requisitis indigere in bonorum suorum alienatione, *ad auth. de non alienand.* §. *Nos igitur*, allegatque *Afflictis decis. 67. in fin.; Ric. collect. 1086. vers.: Quod quartam t. 1. resol. 37; Novar. q. 54. n. 4; Naldum in summa verbo: Hospitale n. 5. Vid. S. Cong. in Vicen. assig. 20. Novemb. 1762.* §: *Et a defens.* Hinc etiam de locatione ultra triennium bonorum, quae ad confraternitates laicales pertineant, loquens *Pacion. de locat. conduct. cap. 14.* §. *6. n. 26:* »quoad istas, ait, quatenus exerceant opera pietatis, requiri beneplacitum apostolicum, etiamsi non sint fundatae cum auctoritate Episcopi,« *ac Rodoan. de reb. eccl. non alienan. rubr.: an in materia alienation. n. 9; Riccius res. 45. n. 6. v. tertio sit conclusio p. 1*, et ideo tutius esse illud requirere, licet de rigore non sit necessarium.

Contra haec vero paucis sese expedit curatorum pii operis defensor. Quidquid namque jure communi constitutum sit, standum esse in themate testatoris voluntati condendit, quod executio pii relicti non alias ad Episcopum devolvatur, quam si nullos testator dederit exequutores vel hi negligentes inveniantur et moniti fuerint. Id autem ostendit tum ex ratione ipsa, quippe irrationabile illi est, hodie executioni tradi non posse pii testantis voluntatem, quam vivens eidem exequi omnino licuisset, tum ex legibus caesareis (*Novel. 131. cap. 11. In cap.: Nos quidem de testam. et gloss. ad ipsum caput.)*, et ex sanctionibus canonicis (*Trident. cit. sess. 22. cap. 9.* cum canonistis *Reiffenst. in decret. lib. 3. tit. 26. n. 774. et seq.; Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. 3. cap. ult. in princip.; Fagnan. in cit. cap.: Tua nobis; Girald. jur. pontif. part. 2. sess. 82. pag. 922.)*, tum ex tribunalium sententia, *s. Rota in Necen. decis. 260. part. 7. n. 10. et seq. decis. 13. n. 2. et seq. cor. Ratto*, maxime vero *S. H. Congregat. in una Civit. Plebis 1696 ex libr. 45. decret.*, ubi Episcopum utpote exequutorem piorum legatorum dicitur uti posse jure suo »non obstante expressa lege testatorum, quod Episcopus nullo pacto se ingerat in eorum legatis, data tamen suspicione negligentiae administratorum et exequutorum in adimplenda testatorum voluntate, quod repetitur in *Lipar. Exempt. hospit. 9. Maji 1750, in Senogallien. 18. Martii 1726.* §: *Denique*, et in *Nepesina Legati pii 24. Martii 1831.* §: *At si.* Nec movere sustinet decretum Card. Malvezzi; etenim sponte eam reddere voluisse rationem, qua de inibi agitur, administratores oppido legere est, nec profecto eorumdem tunc praestitus consensus ad legatum Pisarri sexaginta fere post annos sequutum protrahi valuit. Quidquid vero Ordinarius in ima cera adjecerit, nequivit sane legis sanctionem tollere et immutare, quae onus rationem reddendi remittit, quoties aliter in fundatione cautum est. *Trid. sess. 22. cap. 9. de reform.*

Quod ad beneplacitum porro apostolicum, de quo secundo in dubio quaeritur, illud necessarium minime esse in bonorum Pisarri alienatione inde tenet, quod hic agatur de pio opere mere laicali, nulla Episcopi vel Pontificis auctoritate erecto, sed a laicis continuo gubernato et laicorum pietate sensim aucto. Atqui ad pia hujus generis loca minime protendi *Extravag. Ambitiosae censuram* tradunt expresse *Pichler jus canon. lib. 3. tit. 13. de reb. eccl. non alienand. n. 3; Rota in recen. part. 11. decis. 248. n. 18. et seq. et in decis. 313. part. 10.* §: *Siquidem 9*, nec ad bona, quae in simplices usus pios sunt destinata ac laicalem retinent qualitatem, legere est apud *Card. de Luca de alienat. disc. 1. num. 15.* et *s. Cong. in Anagnina Redintegr.* §: *Capellania* et in *Ferrar. 16. Febr. 1788.* §. *1.*

His utrimque disputatis remanet, ut enodentur dubia:

I. *An et quomodo administratores pii operis verecundorum teneantur rationem reddere haereditatis Pisarri Bononiensi Archiepiscopo in casu?*

II. *An iidem administratores alienare possint bona ejusdem haereditatis Pisarri absque apostolico beneplacito in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Negative, salvo jure Emmi Archiepiscopi in casu indigentiae administratorum in adimplenda voluntate.

Ad II. Affirmative, attento testamento.

Die 2. Mart. 1839.

d) Rationis reddendae locus.

Ordinarii possunt cogere quoscumque administratores piorum locorum et ecclesiarum, imo etiam Canonicos Cathedralis ad exhibendos et asportandos libros administrationis etiam ad palatium episcopale, si sint in loco residentiae et permanentiae Episcopi. *Sacra Congr. Conc. in Narn. 8. Aug. 1693, in Montis Falisci 27. Aug. 1695, in Hispal. 18. Aug. et in Calaguritana Visitationis 18. Junii 1701.* Et si valde longe distent ipsi administratores a civitate seu a loco residentiae Episcopi, non debent cum nimio incommodo accessire ad civitatem, sed in eo loco debet aliquis deputari ad ipsos computus recipiendos. *Sac. Congr. Conc. in Cajetan. 12. Julii 1599* et *s. Agathae Gothor. 27. Sept. 1687.*

e) Num Regularis esse possit?

Vd. *Administrator* (monast. Monial p. 227; bonor. Monial. p. 219.)

Regulares, quamvis ex constitut. Gregorii XV. incip. »*Inscrutabili*«*) supponantur posse esse administratores bonorum temporalium monasteriorum Monialium sibi subjectarum, his verbis §. 6. expressis: Administrantes bona ad hujusmodi monasteria Sanctimonialium etiam Regularibus subjectarum pertinentia, sive saeculares extiterint sive Regulares, tamen nullimode videtur expedire, quod ad tales administrationes monasteriorum et aliorum exterorum locorum piorum procuratorias et factorias deputentur, cum tales administrationes et factoriae ipsos nimis distrahant a regulari disciplina et monastica observantia. Imo *Sellius in select. canonic. cap. 20. n. 3, Gavant. in manual. Episc. ver. Monialium cura in temporalibus, Joannes Maria Novarius in lucerna Regular. verb. Administratores n. 3, Barbosa in collect. decision. apostolicarum collect. 13. verb.: Administrator*, dicunt a s. Congr. Conc. fuisse decisum, non posse Regulares quoscumque, cujuscumque gradus et praeeminentiae, etiamsi Superiores fuerint, deputari pro administratoribus bonorum temporalium Monialium. Et fratribus Minoribus est expresse prohibitum ab Innocentio IV., qui statuit, quod in monasterio Monialium, in quibus praediicti fratres Minores deputati fuerint servitio Monialium, in spiritualibus dumtaxat deserviant. Et sub gravissimis poenis fuit eis interdictum a Cardinali Matthaeo ordinis protectore in suo decreto incip.: *Hieronymus tituli sancti Pancratii*, confirmato ad literam a Clemente VIII. in sua constitutione incip.: *Romanum Pontificem decet.* Et generaliter loquendo administratio temporalium non solet concedi Regularibus a Pontifice, et si aliquando adducatur concessa, praesumitur falsa, *ex. c.: Ad nostram, de confirmatione utili* etc., ubi habentur praecisa verba: Quidam Canonici Neman. ecclesiae a nobis literas confirmationis super administrationibus suis obtinere laborant, religionis suae conditione suppressa. Cum igitur regularibus personis non consueverit apostolica Sedes aliqua personaliter confirmare: mandamus, quatenus confirmationes, quas ab ipsis Canonicis (cum Regulares existant) noveritis taliter impetratas, denuntietis irritas et inanes.

*) Vd. *Administrat. Sacram.* (a Regular. p. 208.)

f) Remotio.

(Causae.)

Ad removendum profecto administratorem nedum levis et levissima negligentia sed simplex etiam sufficit suspicio, ut in similibus terminis tutoris statuit *text. in Leg. cum quem cod. de suspect. tutor. et Leg. 3. §. fin. ff. eod., Montan. c. 36. regul. 3. num. 5.*

Die 23. Jan. 1790. *Narnien.*

Adoptio.

1) Adoptare quis potest?

Vd. *Adoptio* (definitio).

2) Definitio.

»Adoptio est extraneae personae in filium vel filiam, nepotem vel deinceps legitima assumptio.« *Est in re communis.*

Per ly *personae extraneae* intelligitur ea, quae est extra potestatem adoptantis et a jure, ad quod assumitur, aliena, sive alioquin sit ejus consanguinea, sive non. Per ly *in filium vel filiam, nepotem vel deinceps* denotatur, quod non potest quis adoptari in fratrem vel parentem, quia, cum adoptio ex genere suo sit superioris ad inferiorem et per illam adoptatus constituatur sub potestate adoptantis, non potest esse in fratrem vel parentem, quia isti de genere suo non sunt inferiores, sed vel aequales vel superiores; et hoc habetur expresse in leg.: *Nec apud, Cod. de haered. instit.*

Per ly *legitima assumptio* denotatur, quod ad hoc, ut adoptio sit valida, debet fieri secundum formam a lege seu jure praescriptam, scilicet, ut adoptio fiat inter praesentes et non per procuratorem; *l. Neque;* et *l. Post mortem §. Neque ff. de adoption.*; ut adoptans sit masculus; nam femina adoptare non potest, nisi ex speciali concessione principis; §*: Femina 10. Instit. de adopt ;* ut 18 annis praecedat adoptatum, §. *4. Institut. de adoption.*; ut natura sit potens ad generandum; unde castrati adoptare non possunt; §. *9. Instit. de adoption.*; possunt tamen adoptare sacerdotes, quia isti non a natura seu physice sed per accidens et moraliter tantum inhabiles sunt ad generandum. *Abbas in cit. cap.: Si qui 1. de cognatione legali n. 4; Hostiens. ibid. n. 4* et alii passim; ut adoptans sit sui juris et major 25 annis, quia alias nondum habet administrationem suorum bonorum; quae omnia et alia habentur *tot. titut. ff. et Cod. de adopt. et Instit. eod.*

3) Duplex est. Differentia.

Adoptio est duplex, una propria et perfecta, quae *adrogatio* dicitur et alia impropria et imperfecta, quae *adoptio simplex et in specie* vocatur; *l. 1. ff. de adoption.*

Adoptio perfecta seu *adrogatio* est illa, per quam adoptatus sui juris existens principis rescripto transit in potestatem adoptantis sitque haeres necessarius ex testamento in quarta bonorum parte, ut filius legitimus et naturalis, *arg. §. 1. Instit. de adopt. et l. 2. cod. eod.*

Adoptio imperfecta seu *adoptio simplex et in specie* est illa, per quam adoptatus nondum sui juris existens auctoritate cujuscumque judicis competentis ita assumitur in filium aut nepotem, ut non transeat in potestatem et familiam adoptantis sed adhuc maneat sub sui patris naturalis aut avi potestate nec fiat adoptantis haeres necessarius ex testamento, sed solum ei succedere possit ab intestato, *arg. §. Adoptio, Instit. de adoption. leg. Generalis, ff. de adoption.*

In multis differunt inter se adoptio perfecta et imperfecta.

Primo, adoptio perfecta seu adrogatio non potest fieri nisi auctoritate supremi principis et adoptio imperfecta seu simplex et in specie potest fieri auctoritate cujuslibet judicis seu magistratus competentis, *leg. Generalis 2 ff. de adoptionibus §. Adoptio, Inst. eod. tit.*

Secundo, adoptio perfecta seu adrogatio transfert jus in adrogatum, ut non solum succedat ab intestato sed etiam ex testamento in quarta parte bonorum adrogantis, unde adrogans non potest penitus privare adrogatum per testamentum omnibus suis bonis sed tenetur eidem servare quartam partem bonorum pro legitima; §.*: Sed hodie, Instit. de adopt.* Adoptio autem imperfecta transfert solum jus in adoptatum, ut succedat ab intestato, non vero, ut sit haeres necessarius ex testamento, unde adoptans potest per testamentum de bonis suis disponere in favorem alterius sine laesione et injuria adoptati, *cit. §. Sed hodie, Instit. de adoption.*

Tertio, adoptio perfecta seu adrogatio petit, ut adrogatus ante sui assumptionem seu electionem sit sui juris, cum per adrogationem transeat in potestatem adrogantis; adoptio vero imperfecta non requirit, quod adoptatus sit sui juris, cum per adoptionem imperfectam adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, adeoque nullum jus laedatur illius, sub cujus potestate est, *l. 2. §. ultim. ff. de adoption.* Sunt adhuc aliae differentiae, quae ut minus principales, relinquuntur videndae apud Legistas in *Instit. §. et Cod. de adoption.*

4) Valida quando est?

Vd. *Adoptio* (definitio).

Adoratio.

1) Crucis.

a) Associatio Episcopi.

Feria VI. in Parasceve, Episcopo non celebraturo, procedendo ad crucis adorationem et osculum Canonici assistentes tenentur tum in genuflexionibus tum etiam in ipso osculi actu eundem associare ibique exspectare quoadusque idem crucis adorationem et osculum complevit. *Goditana 24. Septemb. 1788. dub. 1.*

Episcopus absoluta adoratione et osculo non debet ibi permanere, donec a Canonicis assistentibus par cruci obsequium exhibitum fuerit, sed immediate Canonici assistentes debent Episcopum ad cathedram pontificalem associare ac subinde idem officium adorationis crucis et oscula cum aliis Canonicis in ordine suo complere tenentur. *Ibid. dub. 2.*

b) Diaconorum assistentium Episcopo.

Episcopus absoluta adoratione et osculo non debet ibi permanere, donec a Canonicis assistentibus par cruci obsequium exhibitum fuerit, sed immediate Canonici assistentes debent Episcopum ad cathedram pontificalem associare ac subinde idem officium adorationis crucis et oscula cum aliis Canonicis in ordine suo complere tenentur. *Coditana 24. Sept. 1788. dub. 2.*

2) SS. Sacramenti Eucharistiae

a) Confraternitas.

De monasteriis Monialium adorationis perpetuae SS. Sacramenti in Gallia, vd.: *Bullam Innocent. XI. IV. Id. Decbr. 1676.* (Bull. r. t. XI. p. 202.)

Clemens PP. XIII.

§. 1. Dudum exponi fecit Nobis Ven. Frater Carolus Episcopus Laodiensis non sua modo pietate se impulsum sed Cleri etiam et populi totiusque suae dioecesis in augustissimum Eucharistiae Sacramentum eximio cultu et praeclara devotione excitatum, novam quamdam utriusque sexus christifidelium confraternitatem sub titulo adorationis perpetuae et orationis SSmi Sacramenti canonice erexisse; supplices Nobis preces exhibuit, ut, quo foveatur in suo populo et amplificetur ejusmodi perpetuae adorationis et orationis SSmae Eucharistiae non satis laudanda devotio promoveaturque hoc etiam adjumento salus animarum, auctoritate Nostra confraternitatem praedictam pro civitate, patria et dioecesi Laodiensi omnibusque in ea adscribi volentibus confirmari atque eadem alteri confraternitati SSmi Sacramenti in Collegiata insigni s. Martini civitatis Laodiensis, quae archiconfraternitati SSmi Sacramenti Urbis est aggregata, unire ipsiusque confratribus et consororibus easdem indulgentias, quibus eaedem illae confraternitates SSmi Sacramenti fruuntur, clargiri apostolica benignitate dignaremur.

§. 2. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Nobis a Domino tradita, confraternitatem a praedicto Ven. Fratre Carolo Episcopo Laodiensi erectam pro oratione perpetua in qualibet diei hora ad Eucharistiae Sacramentum pro civitate, patria et dioecesi Laodiensi omnibusque in ea adscribi volentibus confirmamus eamque motu proprio alteri confraternitati Sacramenti in Collegiata insigni sancti Martini ejusdem civitatis Laodiensis ab anno 1575 erectae et archiconfraternitati SS. Sacramenti Urbis aggregatae unimus et omnes et singulas indulgentias, quibus archiconfraternitas praedicta Urbis gaudet, communicamus. Ac insuper easdem omnes et singulas indulgentias, quibus aliae confraternitates pro perpetua SSmi Eucharistiae Sacramenti adoratione institutae fruuntur, clementer elargimur; omnibus vero dictae confraternitatis, ut supra erectae, confratribus et consororibus per integram horam ante SS. Eucharistiae Sacramentum pie orantibus indulgentiam plenariam semel in mense concedimus.

§. 3. Item ex speciali gratia eisdem confratribus et consororibus vere poenitentibus confessis ac sacra communione refectis et juxta mentem Nostram per aliquod temporis spatium orantibus *indulgentiam plenariam in dominica infra octavam SSmi Corporis Christi, in dominica infra octavam omnium Sanctorum et in festo Epiphaniae, in prima dominica Quadragesimae et prima dominica Maji et in quatuor festivitatibus infra annum ab eodem Fratre Episcopo Laodiensi designandis impertimur* atque omnes et singulas indulgentias, quas valere volumus perpetuis futuris temporibus, *animabus fidelium defunctorum applicari posse concedimus et indulgemus.* Non obstantibus Nostra et cancellariae Nostrae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae die 4. Septembris 1765.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 127 Ed. Romae. 1841).

Confirmatio indulgentiarum concessarum sodalitati ecclesiae s. Martini civitatis Laodiensis et extensio privilegii ad universas confraternitates adorationis perpetuae sanctissimi Sacramenti in Belgio canonice erectas.

Gregorius PP. XVI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Expositum Nobis nuper est nomine Belgii Episcoporum se nonnullos perspexisse irreptos abusus circa adorationem perpetuam sanctissimi Eucharistiae Sacramenti et indulgentias a fel. rec. Clemente XIII. praedecessore Nostro suis apostolicis literis annulo piscatoris expeditis ac datis die quarta Septembris anno millesimo septingentesimo sexagesimo quinto concessas sodalitati collegiatae ecclesiae s. Martini in civitate Laodiensi, praecipue vero animadvertisse, quod, extincto Canonicorum collegio s. Martini, aliqui ex eadem sodalitate absque legitima delegatione concesserint indulgentias pluribus ecclesiis tam in Laodiensi quam in aliis dioecesibus et adoratio perpetua cum indulgentiis ab hac apostolica Sede per easdem literas sodalitati dumtaxat s. Martini impertitis cum aliis ecclesiis pariter communicaretur. Cum vero de hujusmodi facultate nullum exstet monumentum, censent idcirco christianum gregem concessas indulgentias illis in ecclesiis etiam bona fide lucrari non potuisse. Ut autem hujuscemodi abusui plane occurratur, ipsi Belgii Episcopi humiliter a Nobis petiendum curarunt, ut adorationem perpetuam, de qua agitur, in variis dioecesibus, a qualibet potestate hucusque erectam, una cum indulgentiis sibi conjunctis, benigne confirmare velimus itemque facultatem faciamus singulis eorum quibusque in sua dioecesi dumtaxat, adorationem perpetuam cum iisdem indulgentiis erigendi.

§. 2. Nos igitur omnes, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica sodalitates seu confraternitates adorationis perpetuae sanctissimi Eucharistiae Sacramenti in Belgio constitutas, etiam si legitima auctoritate haud fuerint erectae, ratos habemus et declaramus eisque indulgentias in apostolicis literis commemorati Pontificis sodalitati ecclesiae sancti Martini civitatis Laodiensis tributas confirmamus et quatenus opus sit omnino concedimus, ita ut quilibet in eas jam adscriptus vel inposterum adscribendus iisdem ipsis indulgentiis, dummodo praescripta adimpleat, perfrui libere ac licite possit. Praeterea eadem auctoritate Nostra apostolica hodiernis Belgii Episcopis concedimus et indulgemus, ut posthac ad eorum vitam, servatis iis, quae servari opus est, praefatas sodalitates seu confraternitates perpetuae adorationis sanctissimi Eucharistiae Sacramenti pro sua quisque dioecesi instituere seu erigere possint itemque indulgentias, de quibus habita est mentio, conferre. Quapropter mandamus, ut sodalitas ecclesiae s. Martini Laodiensis civitatis se abstineat inposterum a communicandis indulgentiis sibi solummodo impertitis, eaque de re inquirendi Laodiensis Episcopi conscientiae onus imponimus.

§. 3. Haec volumus atque indulgemus non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 6. Maji 1831.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 13. Ed. Romae).

b) Habitus et modus adorantium.

Ad dubium: Utrum servari queat inducta consuetudo, ex qua, dum sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi expositum est, continuo duo clerici superpelliceo induti, diaconi autem et sacerdotes etiam stolam albam habentes, ut in Coena Domini, flexis genibus intra presbyterium assistunt, quisque per horae spatium? S. C. resp.:

Affirmative juxta instructionem Clementis Papae XI. die 1. Septembris 1736. n. 4714 ad 2 die 17. Aug. 1833.

Ex decr. Conc. Pragens. diei 29. Sept. 1860.

Quandocumque SS. Eucharistia publice adoranda exponitur, accendantur ad minimum duodecim candelae, quae continuo ardeant, fiatque debita incensatio, atque si longiori tempore exposita remaneat, ecclesiae rector curabit, ut semper adsint aliqui Clerici, qui illam flexis genibus adorent. Quodsi sodales

confraternitatum in suis vel etiam in alienis ecclesiis id facere velint, scamnum ab ecclesiasticis sejunctum illis tribuatur, ut Deum precentur.

Animarum pastores, dum populum de significatione caeremoniarum et omnium, quae in sacra liturgia fiunt, edocent, eum etiam de modo instruant, quo domum Dei ingredi ibique honeste sese gerere oporteat. Etenim pietas interna corporis quoque habitu externo testatam se facit; unde fideles, quum reverentiam sanctissimo mysterio et ipsi sacro loco debitam numquam non exhibere debeant, praesertim in sacrificio missae, maxime ab elevatione usque ad communionem sacerdotis, Jesum Christum super altari praesentem summa humilitate et vel ideo *flexis etiam genibus* adorare non intermittant. Multo magis indecentem strepitum, indignam confabulationem vel somnolentiam, ubi coram facie aeterni Regis comparent, plane abhorreant. Parochi idcirco de istis rebus fideles quandoque ex professo edoceant, vigilentque sedulo, ne quis tempore officii deambulare, nugas agere, Sanctissimo aversus sedere, altaribus vel fonti baptismali insidere audeat. (Tit. III. cap. II.)

Colonien.

Ad dub. I: An Beneficiati Kempensis, nuncupati Vicarii, cogendi sint bini orare per horam, dum sanctissimum Sacramentum exponitur in summis ecclesiae solemnitatibus et diebus precum publicarum? Et quatenus affirmative;

II: An et a quo sit conficienda tabella designationis et distributionis horarum in casu?

S. C. resp. ad I: Affirmat. comprehenso parocho et sacellanis et amplius;

ad II: Conficiendam esse a parocho et amplius. Die 14. Mart. 1767.

c) Signa externa.

Vd: *Euchologium.* (§. 33 etc. 38 etc.)

Adrogatio.

Vd.: *Adoptio* (Duplex est.)

Adulterinus.

(Clerus fierine possit?)

Vir conjugatus uxore posthabita extraneam mulierem cognovit ex eaque tres filios suscepit. Extremum diem quum obiit uxor, scandalis ac malis omnibus occurrens, cum illa muliere caeteroquin honesta matrimonium iniit ac vehementer adlaboravit, ut regali decreto suscepta adulterina proees pro omni effectu legitima evaderet. Voti compos factus et nimia dilectione prosequens filios eosdem supplex petiit, ut in seminarium clericorum illi coaptarentur ad hoc, ut a teneris annis benigniori cultura possent ad pietatem morumque candorem informari. Verumtamen huic petitioni refragari Tridentinum concilium quum senserit Episcopus, quin in oratoris vota concederet, supremum adiit ecclesiae universae Pontificem Maximum ab eoque sollicite expetivit, ut dispensationis veniam elargiretur.

Summus tum Pontifex exhibitas preces sacro vestro ordini remisit, ut iis mature perpensis valeant EE. VV. hac in re plenam concilii ac sapientiae sententiam proferre, quoniam haud parvi momenti esse videtur. Ex Tridentinae namque synodi sanctione (*sess. 23. cap. 18 de reform.)* ii tantum pueri in seminarium recipi debent, qui ex legitimo matrimonio nati sunt; oratoris autem filii in adulterio nati sunt; nequeunt ipsi idcirco in seminarium admitti, nisi apertissime pessumdetur hac in re Tridentini concilii dispositio. Clarissimae autem et undequaque obviae huic juris dispositioni consona omnino est doctrina canonistarum omnium. *Crispin. de visit. pastor. par. 2, §. 31. num. 12; Zerola, in prax. Episcop. p. 1. verb.: Seminarium, vers.: Ad secundum; Gavant. in manual. Episc. verb. Seminarium, num. 2,* et aliorum, qui tradunt non sufficere ut admittantur in seminarium, quod illegitimi fuerint per subsequens matrimonium legitimati, ut *Frances de eccles. Cathed. cap. 28 num. 85* inquiens: Ad effectum, de quo agimus, certe credo non proficere hujusmodi legitimationem. Nam concilium requirit non solum esse legitimos, verum etiam ex legitimo matrimonio natos esse, licet verum sit hos esse legitimos, non tamen verum est affirmare eos ex legitimo matrimonio esse natos. Si porro id obtinet in legitimatis per subsequens matrimonium, quidnam erit dicendum de liberis in adulterio natis? Tantus profecto est hac in re juris rigor, ut illegitimi, quamvis ad canonicatus et dignitates dispensati sint, haud tamen possunt ab Episcopo in seminarium admitti, ut probat *Pignatell. consul. 81, tom. 9; Pascucc. tom. 2 tit. de seminariis pag. 388,* et idipsum in terminis spuriorum quamvis legitimatorum tradit *Gallemart. declarat. ad concil. Trid. sess. 23 cap. 18. num. 5.,* et ita fertur a sacra Congregatione declaratum fuisse, ut refert *Pax Jordanus, var. elucubrat. tom. 2. lib. 7. tit. 4. num. 9.* inquiens: Spurii vero admittendi minime sunt, etiamsi legitimati, id enim declarasse fertur eamdem s. Congregationem.

Ratio autem potissima, ob quam nequeunt illegitimi in seminarium recipi, ea esse videtur, quod ex Tridentinae synodi dispositione in dicta *sess. 23. cap. 18. de reform.* ii tantum pueri in seminarium admitti debent, quorum indoles et voluntates spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros fore. Atque illegitimi omnes tum ab ordine tum a beneficiis ex apertissima juris dispositione arcentur; ergo isthaec prohibet, quominus iidem in seminarium recipiantur. Ab ordinibus autem et beneficiis sive nothi sive spurii sive reliqui omnes illegitimi arcentur praeprimis propter ordinis dignitatem et praestantiam, quae turpibus et infamibus committi non debet, ut statuitur in *cap.: Inter delictos, de excess. Praelat. leg.,* neque famosis, *cod. de dignit.* Ob detestationem deinde criminis paterni ipsi ab ecclesia excluduntur, ut per id puniatur pater, ut dicitur in *cap.: Vergentes, de haeretic. leg.: Si quis cum militibus, ff. ad leg. rub. de adult.* Arcentur praeterea ob metum paternae incontinentiae, cum soleant filii parentum imitatores esse, juxta illud: »Saepe solent filii similes esse patri: *Cap.: Si gens Anglorum, dist. 36. quaest. 1.* Tandem ab ecclesiasticis ordinibus et beneficiis ipsi arcentur propter scandalum eorum, inter quos promoventur, ut tradit *Gloss. in cap. 1 §. fin. de fil. presbyter.; Pax Jordan. var. elucubr. tom. 2. lib. 10. tit. 18. num. 16 et seq.* Jamvero quum spurii omnes infames sint ex traditis *a Bald. in leg. bonae fidei num. 1. in fin. cod. de reb. cred. et jurejur., Alexand. in leg. 3 col. 3 ff. de liber.* et post *Mastrill. de magistr. lib. 2. cap. 12. num. 37; de Nigris de nomin. lib. 1. quaest. 37. num. 23, Marches. de commiss, appellat. in causaa liment. num. 68,* Oratoris filii, qui ex adulterio nati sunt, haud possent in seminarium admitti, quum ad ecclesiasticos ordines et beneficia ipsi promoveri prohibeantur. In iis praeterea cadit vehemens paternae incontinentiae metus, nam omnis macula, quae est in patre, regulariter descendit in filium, *leg. quod si nolit §.: Si mancipia de aedilit. edict. leg. quisquis cod. ad leg. Jul. Majest. leg. divo cod. de quaest. Glos. 4. in leg. fin. Cod. de natur. liber.; de Nigris de vacat. benef. lib. 2. cap. 6. n. 12.*

Et quamvis oratoris filii a principe legitimati fuerint, non ideo ab irregularitate dispensati censentur: nam princeps saecularis tali non fruitur potestate, ut ait Innocent. III. in *cap.: Per venerabilem, qui filii sint legitimi; Rodriqu. in addit. ad summ. verb. legitimare, conclus. 1. part. 1. cap. 214; Marches. de commiss. part. 1. tit. de signat. grat. divers. cap. 2. num. 373; Reifenst. lib. 4. decretal. tit. 17. n. 59.* Imo tam a lege mosaica quam canonica ita ipsi detestantur et oduntur, ut usque ad decimam generationem ingredi ad ecclesiam ipsis sit nefas, ut tradit idem *Innocent. in laudatum cap.: Per venerab. qui legit., cap.: Innotuit de elect.; Marches. de commiss. appell. in caus. alim. n. 73.*

Namque apud Deum neque amabiles neque apud homines honorabiles sunt, ut dicitur in *cap.: Conjunctiones, 35. quaest. 2, cap.: Cum in multis, 15. qu. 8, cap.: Nisi cum pridem §.: Non tamen de renunc., cap.: Si gens anglorum, dist. 36; Novar. Lucan. de elect. et variat. cor. dec. 43; Marches. de commiss. tit. de avocat. c. ausar part. 2. §. 2. num. 113; de Nigris de vacat. benefic. lib. 2. cap. 4.*

n. 4, quibus de causis nequit iisdem petita dispensatio elargiri; nam prohibita censetur contra concilium dispensatio, eo ipso quod nunquam reperitur concessa, ut ait *Fagnan. in lib. 4. decret. cap.: Super eo de bigam. non ordin. n. 35.*

Haec vero licet gravia sint, haud tamen tanti facienda sunt, ut non debeat oratori petita dispensatio concedi. Quamvis enim possit summus Pontifex dispensationem tribuere absque eo quod sibi a canone concedatur potestas, cum de jure sit supra jus, *cap.: Proposuit de conc. praebendae; S. Thom. quodlibet. 4. art. 13; Fagnan. in lib. 1. decret. cap.: Nimis, de fil. presbyter. n. 15; Pax Jordanus var. elucubrat. tom. 2. lib. 9. tit. 1. n. 71,* attamen talis dispensandi facultas summo Pontifici in jure tributa invenitur et talia in themate concurrunt, queis dispensatio ab eodem elargienda venit. Praeprimis enim, quum culpa filiorum non fuerit, si de adulterio nati sunt, digni ipsi venia videntur, ut tradit *Gloss. in reg. Non debet, 22. de regulis juris in 6.* In rigore enim nasci de adulterio non est culpa ejus, qui nascitur, sed tantum ejus, qui generat, ut optime animadvertit s. *Hieronymus in ep. ad Pamachium contra errores Joannis Hierosolymitani,* et sancitur in *cap.: Nasci, dist. 56,* ubi Jephte inter viros sanctos Apostoli voce numeratus meretricis erat filius, et scriptum praeterea invenimus in sacris canonibus, quod »filius non portabit iniquitatem patris« *can.: Non imputantur filio peccata parent. 10. quaest. 4.*

Caeterum pia mater ecclesia non imputat filiis parentum vitia, sed illos admittit praevia dispensatione in ecclesiam, quatenus morum honestas eos commendabiles reddiderit et meruerint ut ecclesia cum iis legitime dispenset, ut patet *ex can. Cenomanensem, dist. 56, cap.: Presbyter; Marches. appell. in caus. alim. part. 1. §. 1. num. 76; Joann. Andr. in lib. 1. decret. de fil. presbyt. in princip. n. 2. p. 173; Rota in nuperrim. tom. 4. decis. 42. n. 5.*

Quandoquidem ob qualitatem et probitatem personae receditur saepe a communibus juris regulis, ut ait *glossa in leg. Titio fundus ff. de condit. et demonstrat.*

Quamobrem spurii bonae vitae et famae funguntur ex jure civili muneribus et honoribus et ad decurionatum admittantur non minus quam legitimi, ut patet ex *leg. Generaliter, §.: Spurii ff. de decur. leg. honore §. cod. Afflict. Dec. 195. num. 9.* Spurios enim haud esse infames multis demonstrant eruditissimi jurisconsulti; *Paleot. in tract. de noth. spuriisque filiis cap. 55.*

Quoniam itaque oratoris filii honestate morumque candore praefulgent, digni reapse inveniuntur ut in seminarium admittantur. Ubi enim (juvenes) a teneris annis ceu plantae novellae benigniori cultura educentur, hoc est ad pietatem, morum candorem literarumque scientiam in seminariis informentur, postea ecclesiarum regimini populorumque saluti maxime fructuosos ac utiles evadere plurium annorum experientia edoctus declaravit sapientissimus Pontifex Benedictus XIII. in constitutione: *Creditae,* super erectione seminariorum, edita anno 1725. Bonum siquidem est viro, ut dicitur *Jerem. cap. 3.*, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. — Adolescens enim juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. *Proverb. cap. 11. v. 7.* Cumque adolescentium aetas prona sit ad malum, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei auxilio in ecclesiastica disciplina perseverabit, ut optime ratiocinatur *Tridentinum concilium sess. 23. cap ult. de reform.* Ut igitur possint oratoris filii adhuc a teneris annis ad pietatem morumque candorem informari, in seminarium admitti posse videntur. Ibi enim ad religionem informantur, iis occasio magis removetur a teneris annis mundi voluptates ac vitiorum illecebras sequendi; quod certe non obtinerent si in patria domo conversarentur.

Legitimae porro accedunt in themate dispensationis causae. Eaedem enim, ut docet *s. Thom. 2. 2, quaest. 63. art. 2. et quaest. 67, art. 4.* ad tria capita rediguntur, nimirum primo ad publicam sive privatam utilitatem, secundo ad communem sive particularem necessitatem, tertio ad pietatem. Jamvero in themate privata adest puerorum utilitas, particularis necessitas et pietas. Dispensatio itaque absque difficultate iisdem tribuenda venit. Dispensatio namque, ut tradit *Pax Jordanus var. elucubrat. tom. 2. tit. 1. num. 9,* debita censetur, quotiescumque occurrit justa causa dispensandi, nimirum qualitas personae, aetas, locus, tempus. pietas, necessitas, religio, utilitas ecclesiae,

scandalum, futurum bonum, majus bonum, eventus rei, discretio, misericordia et his similia.

Hisce accedit, quod praefati pueri per principis legitimationem ad primaevum jus naturae jure positivo sublato restituti sunt, et ita legitime natis sunt aequiparati. *Dec. cons. 276; Math. de afflict. decis. 193. n. 1. et 3.* Quandoquidem legitimatio adeo spurii nomen cessare facit, ut talis amplius dici non possit, *leg. imperialis, §. Itaque,* ubi *Bald. de Salye: cod. de nupt.; Novar. Lucan. de elect. et variat. For. decis. 43. num. 12.* Ex vulgatissima porro regula, quod odia restringi, favores convenit ampliari; *cap.: Renovantes dist. 22; cap.: Odia de reg. jur. in 6; cap.: Statutum 21. de elect. in 6. leg. Cum quidam 19. de liberis et posthum.* Iisdem dispensatio tribui debet eo vel magis, quod ipsi pro adulterinis considerari nequeunt; quandoquidem conjugatus, qui carnaliter mulierem solutam cognoscit, adulterium nequaquam committit, ut docet *Roland. cons. 74. vol. 1. num. 12.* Et dari fortassis potuit, quod mulier, quae rem habuit cum viro conjugato, omnino ignoraverit illum fuisse alteri mulieri alligatum, quod si ita esset, quum sequutae nuptiae fuerint, suscepti filii in universum legitimi facti essent, ut *arg. cap.: Ex tenore qui fil. sint legit.; Covarruv. var. resolut. p. 2. cap. 8. num. 16,* et tunc minime opus esset pontificia dispensatione, sed posset ipse Episcopus dispensare, juxta ea, quae tradunt *Alex. cons. 60. num. 8. et segg. vol. 2; March. de commiss. tit. de commiss. apell. in caus. alim. n. 78.* Nullum porro scandalum exinde timetur, si pueri illi in seminarium recipiantur; seminarii namque moderatores, cum perspectam habuerint oratoris petitionem, oppido solemniter fassi sunt: »Considerando, che abbia il detto adempito tutte le formalità richieste per lo stato civile ed ecclesiastico, tanto pel matrimonio, che per la prole, e che quindi non vi sia, nè scandalo, nè diceria, siamo d'avviso, che si ammettano i detti giovanetti in questo ecclesiastico seminario. Quibus concinit Episcopus inquiens: Satis liquet periculum aliquod non adesse nec timeri, ut caeteri seminarii adolescentes mirabundi pueros inspiciant. Etenim serio haec inquirere curavi, priusquam supplex summo Pontifici sisterem ideoque eadem nunc confirmare non desino.

Erit proinde in re maximi momenti EE. VV. definire, quod dirimendum proponitur dubium:

An sit consulendum SSmo pro gratia dispensationis in casu etc.?

Sacra Congregatio rescripsit: Negative.

Die 13. Augusti 1836.

(Anal. J. P. 1865 p. 1973.)

Syracusana.

Salvator N. oppidanus Ragusae quatuor supra viginti annos natus ecclesiasticae militiae nomen dare cupit.

Quominus vero ejus votis fiat satis, illud obstare Archiepiscopo videtur, quod, licet ipse tum ex libris paroecialibus cum ex civili, ut vocant, statu legitimo ortus conjugio appareat, attamen parentes ejus fatentur ac publica fama fert, eumdem esse adulterinum, natum scilicet ex patre libero et matre conjugata. Itaque ut tuta conscientia et sine scandali periculo statui clericali adscribi et sacerdotio initiari possit, Archiepiscopus ipse supplici oblato libello dispensationem pro eo postulat ab irregularitate ob enunciatum defectum natalium, motus egregia juvenis indole, probatissimis moribus ac scientia, unde illius promotionem ob parvum etiam ac imparem sacerdotum numerum, qui Ragusae exstant, valde utilem ecclesiae bono existimat.

Antequam de dispensatione quaestio instituatur, operae pretium erit primo inquirere:

An de irregularitate reapse constet in themate?

Porro adulterina origo N. non satis probata videtur, imo legitimos ejus natales publica monumenta vindicant; legitimus enim in paroecialibus ac status civilis libris enunciatur; vindicat etiam legis favor. Nam si ex doctrina *Pauli in leg. 2. eff. de voc.* pater is est, quem nuptiae demonstrant, et si *Ulpianus in leg. 6. ff. de iis, qui sui,* filium definit, qui ex viro et uxore ejus nascitur, patet, legitimum praesumi N., qui constante legitimo suae matris conjugio natus est; quae quidem praesumptio in paternitate legitima eousque obtinet, ut contraria quaelibet excludatur probatio, citra casus physicae impossibilitatis, nimirum nisi evidenter constet, praegnantem ex viro suo fieri uxorem nequivisse ob physicum obstaculum absentiae, impotentiae, infirmitatis et similium, uti argumento citat. *Legis 6. ff. de his, qui sui,* communis est doctorum et tribunalium sententia ceu caeteris missis videre est in celeberrima *s. Rotae decisione Romana Filiationis super 1. dubio 10. Januarii, et in Confirmatoria 5. Maji 1835 coram D. Avella.* Hinc in themate nec matris ac praetensi patris confessionem in praejudicium legitimae

filiationis attendi posse ibidem pluribus allegatis juribus traditur*); eoque minus publicam vocem ad famam, quae plane ab ipsa confessione parentum ortum habuit, ceu monet Archiepiscopus. De quo quidem ubi etiam aliqua superesset dubitandi ratio, compertum est juxta sententiam magis receptam, quam prae caeteris tuetur *s. Alphonsus de Ligorio theol. moral. lib. 7. num. 347,* in dubio, nisi agatur de irregularitate ex homicidio injusto, neminem censeri irregularem. Hinc abesse ex Salvatoris N. promotione continget scandali periculum, quo maxime movetur Archiepiscopus, si quidem s. Congregationis judicio ejus legitimam filiationem comprobatam fuisse ac eumdem dispensatione non indigere constiterit.

Quatenus vero aliter censuerint EE. PP., perpendendum est: An dispensationem concedere expediat necne? Favent quidem dispensationi causae, quas affert Archiepiscopus, evidens scilicet ecclesiae utilitas ac probati mores, ex qua quidem postrema causa praesertim ratio cessat, ob quam irregularitas haec praecipue constituta est, *Fagnan. in cap. 1. de filiis presbyt.*

At e contra non levem dispensationi praebet impedimentum sive publici scandali periculum sive ipsa sacrorum ordinum dignitas, maxime vero ubi, ceu in casu, cum eo dispensandum sit, qui a personis progenitus est, inter quas matrimonium consistere jure non poterat. Optime sane suo more *d. Thomas in 4. sent. dist. 25. quaest. 2. art. 2. quaest. 3.* rem explicat: Ordinati in quadam dignitate prae aliis constituuntur.

Ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quaedam non de necessitate sacramenti sed de necessitate praecepti, ut scilicet sint bonae famae, bonis moribus ornati, non publice poenitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: et tanto est difficilior dispensatio, quanto eorum origo est turpior. — Caeterum hujusmodi dispensationum exempla praesertim quoad illegitimos, quorum turpior origo est, nulla, quod sciam, pro Italia saltem, occurrunt.

Quare etc.

Sacra Congregatio Concilii rescripsit: Non indigere.

Die 27. Junii 1857.

(Ibid. p. 1978.)

Adulterium.

1) Adultera poenitens.

Adultera post poenitentiam a viro recipienda est, *cap.: Quod autem. 7. caus. 32,* ubi expresse dicitur: Nunc autem, postquam Christus ait adulterae: Nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare: quis non intelligat debere maritum ignoscere, quod videt ignovisse Dominum amborum? Nec jam se debere adulteram dicere, cujus poenitentis crimen divina credit misericordia deletum.

Vd. *p. 248. §.: Generale etc.*

2) Adultera prolem spuriam cum periculo vitae et infamiae debetne manifestare?

Adultera non tenetur cum periculo vitae et magnae infamiae manifestare prolem spuriam ad reparanda damna legitimorum, colligitur *ex c. Officii, de poenitentiis et remissionibus l. 5. tit. 38,* ubi Innocent. III. consultus de quadam muliere, quae partum sibi insigni artificio supposuerat, essetne absolvenda, cum crimen suum timeret marito detegere, sic respondit: Quoniam igitur postulas edoceri, utrum ei, hac fraude durante, sit poenitentia injungenda, respondemus, quod, sicuti mulieri, quae ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est poenitentia deneganda, ita nec illi debet poenitentia denegari; ex qua pontificia responsione manifeste sequitur, quod non peccet non detegendo crimen, nam si peccaret, non esset admittenda ad poenitentiam. Et ratio est, quia plura contingerent damna in detectione proprii criminis ad excludendam prolem spuriam ab haereditate, quam in taciturnitate ejusdem cum praejudicio prolis legitimae, cum ex duobus malis majus sit evitandum, debebit uxor potius tacere quam propalare de-

*) Vd. *p. 243. §.: Confirmatur.*

lictum; antecedens est clarum, quia, ut supponitur, in detectione adulterii adesset periculum propriae vitae et magnae suae infamiae ultra scandalum mariti et aliorum et in taciturnitate esset solum jactura haereditatis, quae deberet dividi cum prole spuria; nemo autem tenetur indemnitati alterius consulere cum majori detrimento proprio in rebus superioris ordinis; vita autem est longe superioris ordinis quam omnes res temporales, cum nullo pretio sit aestimabilis; et de fama habetur *Prov. 22. 1:* Melius est bonum nomen quam divitiae multae, et *cap.: Deteriores, 15. caus. 6. q. 1. de mente Anacleti Papae**) habetur, quod majus malum sit ablatio famae quam bonorum temporalium: Deteriores sunt, qui doctorum vitam moresque bonos corrumpunt his qui substantias aliorum praediaque diripiunt.

Confirmatur, quia, dato etiam quod adultera detegeret suum adulterium, non propterea hoc redundaret in commodum et utilitatem prolis legitimae vel aliorum, qui de jure deberent succedere, quia nec ipsa adultera esset credenda, cum ex regulis juris alleganti suam turpitudinem nulla debeatur fides, praesertim cum praejudicio alterius, ut in praesenti casu; eo vel maxime, quod ingenium mulierum saepe saepius est alios praeter modum amare et alios odisse. Nec proles spuria teneretur ei credere, ut fatentur omnes canonistae in *cap.: Per tuos, 10. de probationibus,* et jurisperiti *in l. si posthumus, 14. ff. de liber. et posthumis.* Ab omnibus enim receptum est, quod nequidem pro foro conscientiae detur obligatio habendi fidem uni homini, etiam omni exceptione majori, si ideo grave damnum esset subeundum, quia sic daretur occasio multis fraudibus, mendaciis, perjuriis et injustitiis, ut colligitur ex *cap.: Licet univers., c.: Veniens, cap.: Cum a Nobis de testibus et attestationibus.* Tum quia, cum ipse filius et sua et publica opinione sit legitimus, non tenetur cum tanto suo incommodo se putare illegitimum, nisi convincatur, obstante praesumptione, quae habetur ex matrimonio, quod natus sit ex nuptiis, ut dicit *Glossa in cap.: Officii, de poenitentiis et remissionibus verb.: Deneganda,* praecisis his verbis: Ipsa non potest detegere suppositionem, quia ei non crederetur obstante praesumptione, quae habetur ex matrimonio, quod filius natus sit ex nuptiis. Cum igitur in ordine ad prolem legitimam illa detectio non possit prodesse, nulla adest ratio, cur debeat fieri, maxime cum periculo propriae vitae et famae: sic docet *Scotus in 4. dist. 10. qu. 2 sub fin.; s. Antonin. 3. par. tit. 2. c. 7 §. 4; Covarruvius, Innocent., Panormit., Cajetan., Medina* et alii satis communiter.

*) Vd. *Berardi opus inscriptum: Gratian. canones etc. part. 2. cap. 2.*

Adultera, quae ad evitandam mortem et magnam infamiam non tenetur manifestare suum adulterium, cum nihil sperat profuturum, tenetur tamen, quantum in se, procurare omni meliore modo, ut illatum damnum legitimis compensetur v. g. de ornatu corporis et aliis sumptibus detrahendo et, si habeat bona paraphernalia et alia, quae ultra consueta obsequia debita marito et familiae suis viribus et industriis potuit acquirere, plus proli legitimae quam spuriae relinquendo. Et si talibus modis vel aliis consimilibus damnum compensari non possit, tenetur proli spuriae persuadere, si aliunde idonea sit, ut statum ecclesiasticum vel religiosum amplectatur vel vitam coelibem ducat, ad sic, quantum possibile est, compensandum damnum illatum proli legitimae, colligitur *cit. cap.: Officii de poenitentiis et remissionibus, et tenent doctores communiter.*

Circa quaestionem: An adultera sciens prolem non esse legitimam, teneatur ad mariti et filiorum legitimorum damnum vitandum, semetipsam providere, vera et communis sententia, quam *d. Ligorius lib. III. tract. V. n. 655.* omnino sequendam insinuat, ita distinguit: Si damno mariti et filiorum non multum praeponderet damnum amissionis famae, utique tenetur se prodere adultera, secus vero non tenetur.

Itaque si mater sit tam perditae famae ut alii vulgo de ea non suspicentur modo, sed male sentiant, vel sit foemina vilis, cujus fama non longe magis aestimanda sit quam aliorum damnum, tenetur suum crimen manifestare. *Roncaglia de VII. praecep. cap. 2. quaest. 4; Lugo d. 13. n. 67.* aliique. Et idem dicendum est, si filius spurius perditis moribus imbutus regno vel principatui succedere debeat; tunc enim publicum damnum ageretur.

Licet filius non teneatur matri credere, etiamsi juramento asserat eum esse ex adulterio genitum, non posset tamen ei fidem denegare, si adsint indicia ita vehementia, ut filius in foro externo condemnaretur; ex.

gr.: si mater demonstraret viri impotentiam vel absentiam tempore procreationis.

Nam quisque tenetur se confirmare in conscientia foro externo, ubi forum non nititur falsa praesumptione. *D. Ligor. lib. III. n. 654; Lugo, Holzm., Salm. etc.*

3) Adulteri si sunt ambo conjuges.

Vd. *Adulterium* (commissum etc. n. 5.).

Si conjuges sint ambo adulteri, sed unus publice et alter occulte, conjux adulter occulte, licet posset in foro exteriori facere divortium et dimittere conjugem adulterum publice et juridice sic probatum, tamen in foro conscientiae tenetur omnino debitum ei reddere et in gratiam et unionem conjugalem retinere; colligitur aperte ex *c.: Nihil iniquius, caus. 32. quaest. 3*, ubi adducuntur haec praecisa verba s. Augustini: Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari; occurrit enim illud apostoli *ad Rom. 2. 1:* In quo enim alterum judicas, teipsum condemnas, eadem enim agis, quae judicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus. Et sic defendit *s. Bonaventura in 4. dist. 35. in exposit. lit. dub. 1.* his verbis: Quaeritur: Utrum vir, qui fornicatur in occulto, possit dimittere uxorem, quae fornicatur in aperto? Respondeo: Dicendum, quod talis fornicans non debet eam dimittere nec potest sine peccato in conspectu ecclesiae, pro eo, quod uxori non defuit jus excipiendi, quamvis desit probatio. Et sic expresse docet *s. Thomas in 4. dist. 35. quaest. unic. art. 6. ad 5.* Si adulterium viri sit occultum, per hoc non aufertur jus excipiendi contra accusationem viri uxori adulterae, quamvis desit sibi probatio et ideo peccat vir divortium petens, et si post sententiam de divortio uxor petat'debitum vel conciliationem, vir tenetur ad utrumque.

Maritum adulterum non posse ob adulterium uxoris eam dimittere docuit jampridem *sanctus Augustinus lib. 1. de sermon. in Monte. cap. 28.* E quo sumptus videtur *can. 1. caus. 32. q. 5.* Nihil iniquius, ait, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari. Occurrit etiam illud ad *Rom. cap. 2. V. 1:* In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quae judicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus. Quod similiter et de foemina dixerim.

Nequit fieri divortium propter commissum adulterium, si uterque conjugum illud commiserit, *cap. fin. de adult., et cap.: Tua Fraternitas 7. de adult. et stupr. lib. 5. lit. 116*, ubi Innocentius III. habet haec praecisa verba: Tua Fraternitas requisivit, utrum aliquo denegante uxori suae in adulterio deprehensae debitum conjugale, si ipse postmodum cum alia perpetret adulterium, manifeste cogi debeat, ut eandem maritali affectione pertractet. Super quo tibi respondemus, quod, cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vi hujusmodi fornicationis obtentu suae uxoris nequit consortium declinare. Et idem *cap.: Intelleximus, eod. titulo* suae decisionis hanc adducit rationem: Cum, inquit, matrimonii jus in utroque laesum consistat, paria delicta mutua compensatione tollantur, et *s. Augustinus in capite: Nihil, 32. q. 6.* dicit nihil iniquius esse quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari, occurrit enim illud apostoli *ad Rom. c. 2. n. 1:* In quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas, eadem enim agis, quae judicas. Et expresse *s. Thom. in pri. dist. 35. V. unic. art. I. ad secun.:* Quando uterque fornicatur, divortium celebrari non potest.

4) Causa separationis thori quando est?

Vd. *Adulterium* (Divortium ob adult. quando licitum est? p. 247.)

5) Commissum ab una parte matrimonium contrahentium cum subseq. matrimonio.

Vd. *Affinitas ex copula illicita cum matre sponsae cum subseq. matr.* (decr. *Reatina*); *Adulterium* (adulteri si ambo conjuges, ut supra n. 3.)

Bituntina.

(Conc. Tr. sess. 24. de ref. matr.)

Postquam medicus Januarius N. et vidua Theresia N. die 26. Decembris anni 1715 clandestine sed incassum, cum parochus se ab eorum oculis opportune subtraxerit, matrimonium contrahere tentarunt, subsequenti die 28. dicti mensis Dominicus dicti Januarii pater in curia episcopali denunciavit impedimentum criminis ex adulterio cum promissione matrimonii inita vivente primo viro dictae Theresiae et ejus sequuta morte ex propinato veneno a Theresia. Absoluto jam processu et publicato super impedimento die 26. Martii 1716 Theresia praetextu gravis morbi advocato parocho coram eo et

testibus matrimonium cum Januario contrahere praesumpsit; sed curia episcopalis die 22. Aprilis sequentis per sententiam pronunciavit: Obstare impedimentum canonicum criminis ob adulteria commissa et mortem machinatam cum veneno quondam Nicolao Angelo viro Theresiae, et matrimonium inter eos, Januarium scilicet et Theresiam, non esse contrahendum nisi praevia dispensatione apostolica, utroque machinante, cum expressione tamen, in ea se temere contraxisse matrimonium et incidisse in *cap. 5. sess. 24. de reform. matrim.* Ab hujusmodi sententia Januarius et Theresia appellarunt, sed Rmus Auditor Sanctissimi causae cognitionem EE. VV. delegavit. Processus offensivi haec sunt praecipua capita. Testes duodecim deponunt de adulterio, quod arguunt ex continua et inhonesta conversatione, et septem ex dictis testibus adulterium fuisse commissum addunt cum promissione matrimonii, idque de auditu post sequutam mortem primi viri testantur. De machinata morte et propinato veneno in quadam medicina potione, itaut nocte sequenti infirmus decesserit, testes octo de auditu deponunt, unus de extrajudiciali confessione sibi facta ab ipsamet Theresia et alter de impedimento praestito, ne praecedenter alia vice paratum ab uxore venenum defunctus ebiberet. Contra dicta et personas testium rei plures exceptiones proponunt et ulterius fides producunt quatuor mulierum viciniae affirmantium nunquam audivisse relatam matrimonii promissionem; duo medici et chirurgus, qui infirmum curarunt, in formali examine deponunt non ex veneno propinato sed ex ingenito potius infirmum decessisse, cui consoni sunt alii testes negantes etiam assertam famam propinati veneni, quam praetendunt exortam, postquam prima vice oratores matrimonium contrahere procurarunt, et post denunciatum a patre Januarii impedimentum criminis, ne matrimonium sibi invisum sequeretur. Demum exhibetur fides notarii curiae laicalis testantis, nullam adesse in ejus tribunali inquisitionem contra oratores. Ex quibus aliisque in summario referendis monito promotore fiscali summa EE. VV. sapientia definiet:

An matrimonium contractum inter Theresiam et Januarium Vitum Franciscum sit validum et sustineatur in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative et amplius.

Die 15. Jan. et 2. Julii 1718.

6) Committit, qui accedit ad suam uxorem putans se accedere ad aliam.

Qui accedit ad suam uxorem putans se accedere ad aliam, committit adulterium, non quidem realiter sed objective, *Burghaber. centur. 1. caus. 70; La Croix lib. 6. p. 2. n. 1052.* et alii passim. Sicuti si conjux in actu conjugii cum sua se morose delectet in alia velut praesente etiam, addit speciem adulterii in confessione explicandam. *Burghaber loco c.; La Croix l. c.* et alii passim.

7) Per concupiscentiam committitur.

Adulterium etiam concupiscentia committitur, *caus. 32. qu. 5. cap.: Qui vident,* et sic tenet *Sanchez de matrim. lib. 9. d. 17. n. 6; Burghaber. centur. 1. casu 70; Claudius, La Croix, Vasquez, Castropalaus, Mendo* et alii magis communiter, quia fides matrimonii exiget, ut conjux ne quidem mentem sive cogitationem simplicem ponat in alia; mutuo enim sibi tradunt non tantum corpora sed etiam animos.*)

8) Consentiente marito.

Vd: *Adulterium* (divort. quando non inducit. etc. p. 257.)

Qui concumbit cum conjugata, etiam consentiente marito, committit adulterium, quia adhuc irrogat magnam injuriam fidei conjugali et sacramento matrimonii; et ideo *ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679* fuit merito damnata sequens propositio 50. in ordine: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

Non liberantur adulteri a malitia adulterii, licet alter conjux ad copulam consentiat; nam si ex una parte volenti et consentienti nulla fit injuria, ex alia tamen non sufficit talis consensus ad tollendam injustitiam contra matrimonium, cujus intrinsecae injustitiae conjux renuntiare non potest. Quo in casu ab Innocentio XI. damnata est haec propositio: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium ideoque*

*) Hinc peccat non solum contra castitatem sed etiam contra justitiam conjugatus, qui delectatur ex copula cogitata et imaginaria cum uxore aliena, eo quod uxor per matrimonium non solum sibi obligavit maritum quoad corpus sed etiam quoad affectus tendentes ad rem veneream. Quod verum est adhuc si in delectatione illa sistat, quin progrediatur ad desiderium.

sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

Nequit fieri divortium propter adulterium, si ipse maritus prostituat uxorem vel uxor cum consensu mariti adulterium committat, *cap.. Discretionem de eo qui cognovit consanguineam uxoris suae lib. 4 tit. 13,* ubi Innocent. III. scribens ad praepositum Magdeburgensem jubet, quod vir prior cogatur redire ad ipsam et maritali eam affectione tractare, cum adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, praesertim invitam, et, ut inquit lex, non potest improbare maritus mores, quos ipse aut ante corrupit aut postea probavit, *l. cum mulier 46. ff. soluto matrimonio.* Et sic expresse tenet *s. Thom. in 4 dist. 35. qu. unic. art. 1 in corpore*, ubi excipiens casus, in quibus nequit fieri divortium propter adulterium, dicit, quod secundus casus exceptus est: *Si ipse uxorem prostituerit.*

9) Definitio.

Adulterium est illicitus concubinatus cum persona conjugata, *caus. 32. quaest. 4 cap.: Nemo blandiatur.*

Adulterium, ut nonnulli voluerunt, inde dictum, quod adulter uterum alterius tereat. *Pudicius Alciatus Parerg. 5.* tradidit, quod sit ad alterius thorum vel, ut alii brevius, ad alterum ire. Est ergo adulterium, ut innuunt, vitiatio ejus, quae alteri nupta est.

10) Non dissolvit matrimonium quoad vinculum.

(Conc. Tr. c. 1. sess. 24. de matrim.)

Georgius N., Graecus et catholicus, matrimonium contraxit cum muliere lutherana coram duobus testibus et praedicante lutherano in civitate di Wiburgo, quae est sita in Einonia, quae olim regnum fuit et nunc est pars regni Suevici; cumque Georgius militem agens captivus factus fuerit ab hostibus et post reditum a captivitate tres filios se absente a sua uxore progenitos invenerit, eam in judicium vocavit; cumque ipsa triplicatum confessa fuerit adulterium, prolata est in synodo sententia super dissolutione matrimonii quoad vinculum et libertate Georgii ad alias nuptias transeundi, juxta Graecorum praxim et sic intellectam a Graecis s. Basilii doctrinam, in qua potissimum synodus suae sententiae reposuit fundamentum; cumque in praedictae sententiae executionem Georgius velit matrimonium contrahere cum alia foemina, cui dicitur suam fidem dedisse, et pater Apollinaris Capucinus missionarius in Moscovia et degens in civitate Petresburgo, inducias a Georgio obtinuerit, ut sanctae Sedis judicium exquireret, re delata ad sacram Congregationem de propaganda fide et facta ejus remissione ad hanc sacram Congregationem, quaeritur in praesenti, quid sit statuendum?

Quoad punctum matrimonii contracti inter catholicum et haereticam constans est assertio illud esse validum sed illicitum, juxta textum in canone: Cave, et in *can.: Non oportet 28. quaest. 1.*, et in *cap.: Decrevit de haereticis in 6*, quocirca in eo, quod attinet ad hoc caput, non potest impugnari validitas matrimonii cum muliere lutherana contracti.

Quoad ejus deinde dissolutionem etiam quoad vinculum ratione adulterii ab uxore commissi tres tantum ex theologis enumerantur, qui dissolutionem approbarunt, *Erasmus videlicet art. 6, cap. 1. ad Corinthios, Cajetanus in comment. ad caput 19. Matthaei,* et *Ambrosius Catherinus lib. adnotat. in Cajetani commentaria;* caeteri autem omnes sentiunt, matrimonium quoad vinculum non dissolvi propter adulterium et neutri conjugi licere, altero superstite, ad alias nuptias transire, uti conciliorum et Patrum auctoritatibus fuse cumulatis late prosequuntur *Cardinalis Bellarminus in suis controversiis lib. I. de matrim. cap. 15 et duob. seq.; Valentia lib. unico de indissolubilitate matrimonii cap. 3 et duplici sequenti; Sanchez de matrim. lib. 10. disput. 2. per totam; Pontius eodem tractatu de matrim. lib. 9. cap. 16; Perez de matrim. discut. 55. sect. 3 per totam;* novissime *Juvenin. in suo tractatu de sacramentis dissert. 10. quaest. 4. §. 2. per totam.*

Et in eo, quod attinet ad Graecos, Petrus Arcudius in suo tractatu *de concordia ecclesiae orientalis et occidentalis lib. 7 per totum* petitis undique argumentis impugnat Graecorum praxim solvendi matrimonium quoad vinculum propter adulterium, et *cap. 13.* fuse examinat oppositam s. Basilii auctoritatem, itaut sensus ejus sit, verum haberi matrimonium viri ab uxore dimissi cum altera, juxta praejudicatam hominum opinionem, sed rem aliter se habere secundum sententiam Salvatoris Nostri; quocirca idem Sanctus peccatum in dicto viro agnoscit, sed non ita grave, propter insolitam consuetudinem;

et post haec sermonem transferendo ad statuta conciliorum et romanorum Pontificum constitutiones Eugenius Papa quartus in synodo Florentina *sess. 25.* sic Graecos allocutus est: *Primo dico omnes conqueri de separatione matrimonii, idque correptione indiget*, et post pacificum Graecorum discessum idem Eugenius in decreto pro instructione Armenorum sic edixit: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.*

In concilio Tridentino paratus erat canon edendus, in quo anathema proferebatur adversus asserentes, matrimonium solvi quoad vinculum ex causa adulterii, sed exponentibus Venetis oratoribus satis constare in more positum apud Graecos, ut uxorem adulteram deserant et aliam ducant, plures etiam ex eis degere in insulis reipublicae subjectis, Cretae videlicet, Cipri, Corcirae, Zacinthi et Cephaloniae, et canonem praedictum esse dictos Graecos provocaturum ad tumultum et ad integram a Sede apostolica secessionem, sic res accommodata fuit, ut anathema non respiceret contendentes matrimonium dissolvi quoad vinculum adveniente casu adulterii, sed asserentes ecclesiam errare, cum docet, matrimonium quoad vinculum non solvi ex causa adulterii, uti colligitur *ex canone 7. sess. 24. de sacramento matrim.*, ibi: *Si quis dixerit ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit, anathema sit;* et late instantiam Venetorum oratorum exponendo prosequuntur *Card. Pallavic. in hist. Concil. Trident. lib. 22. cap. 4. num. 27., Juvenin. de sacram. dissert. 10. quaest. 5. §. 2., Vanespen. juris eccles. univers. tom. 1. parte 2. tit. 15. cap. 1. num. 22,* et post concilium Tridentinum in instructione Clementis octavi super aliquibus ritibus Graecorum ad Episcopos latinos, in quorum civitatibus Graeci vel Albanenses graeco ritu viventes degunt, haec habentur; *Matrimonia inter conjuges graecos dirimi seu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant aut patiantur et si quae de facto processerunt, nulla et irrita declarent,* quae Clementina instructio est inter dicti Pontificis constitutiones 34. *bullar. tom. 3.*

Demum quoad punctum matrimonii contracti coram praedicante lutherano et duobus testibus, cum ex epistola missionarii habeatur, quod concilium Tridentinum non fuit publicatum in loco contracti matrimonii et quod solum in civitate Petresburgo, quae, uti dictum est, centum distat milliariis a praedicto loco, sacerdotes aderant catholici, quorum unus advocari poterat ut matrimonium coram ipso contraheretur, non videtur dici posse matrimonium ex dicto capite nullum, cum lex Tridentina praescribens interventum parochi et duorum testium pro validitate matrimonii non obliget nisi post triginta dies numerandos a die primae publicationis factae in parochia *juxta caput prim. sess. 24. de reform. matrimon.*, et in citata instructione Clementina injungitur Ordinariis locorum, ut curent, memoratum decretum verti in linguam graecam et publicari in parochiis Graecorum.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: *Quid sit in exposito casu respondendum?*

S. C. C. resp.:

Scribatur, oratorem non posse aliud matrimonium contrahere.

Die 15. Jan. 1724.

11) Divortium ob adulterium quando licitum est?

Vd. *Adulter.* (probatio; p. 266; p. 244 §. *Nequit*; p. 246 §. *Nequit.*) *p. 259* §. *Quoad; p. 262. n. 21; p. 263* §. *Adulterans.*

Indubium est, licitum esse divortium ob adulterium parilique jure posse conjuges adulterii causa separari a noxia parte. Jus diviuum permittit *Matth. 19.: Quicumque dimiserit uxorem, nisi propter fornicationem, moechatur;* et ecclesiasticum jus *cap.: Significasti 4. cap.: Ex literis 5, cap.: Gaudemus 8 de divort.* Insuper addendum, non solum fieri posse divortium ob accessionem ad alienum thorum, sed etiam ob crimen sodomiae inter conjuges vel bestialitatis *arg. can.: Meretrices, 32, q. 4* et *can.; Dixit Dominus 10. q. 1; et communiter.*

Paulum immorandum est circa causas sufficienter expetendi divortium a judice. Non quodlibet peccatum contra fidem matrimonii importat, posse partem laesam expetere divortium, sed solummodo illa, quae

important divisionem carnis. Sic oscula, tactus impudici sine proprii et alieni corporis pollutione non concedunt jus divortii. *Sanchez l. 10. d. 4. a. n. 9; Laym. lib. 10. p. 3. cap. 7. n. 7.*

Suspicio de conjugis adulterio non est sufficiens causa ad divortium instituendum. Licet enim d. Hieronymus adfirmet: *Ubicumque est fornicatio vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor*, et legatur suspicionem sufficientem esse in *cap.: Dixit Dominus*, tamen non de simplici suspicione agitur, sed de violenta, illa nempe, quae moralem fundet certitudinem et in foro externo provocare possit condemnationem sontis conjugis. Puta si conjux sola cum solo colloquens, nuda cum nudo reperta fuerit, *arg. cap. literis 22. de praesumpt.* Id communiter duce *d. Thoma in 4. d. 35. q. un. a. 3 ad 4.*

Quoad vero circumstantias probabilem violentam suspicionem producentes et ad divortium sive interno sive externo foro faciendum adeat lector *Palaum d. 6. §. 4. n. 8; Sanchez. n. 47, Pontium l. 9. cap. 16. n. 5.* et *alios.*

Copulam cum aliena sine seminis effusione non esse sufficientem divortii causam probabiliter tenent bonae notae theologi *Sanchez. lib. 10. d. 4. n. 13, Salmant c. 16. n. 10* et alii, quorum sententiae subscribit *d. Ligorius*, hac ratione innixus, nempe sine seminis effusione fornicationem imperfectam esse nec veram adesse carnis divisionem.

Generale principium statui potest, non teneri virum conjugem dimittere, ut bene *August.: Dominus .... permisit, non jussit*, et *d. Thom. suppl. q. 62 a. 2.* Nam obligatio non faveret innocenti.

Attamen tenetur vir ad divortium ratione correptionis fraternae et scandali vitandi. *s. Thom. loc. cit.; Salmant. cap. 16. num. 5.* Nam, uxore manente in fornicatione et renuente poenitentiam agere, si vir cum illa vixerit, reus erit et ejus peccati particeps, *cap.: Si vir, de adult.* Notant tamen theologi hac obligatione virum liberari, si alia via possit uxorem ad meliorem frugem reducere, si ex divortio domestica vel publica mala sibi devenirent; cum firmum sit praeceptum correptionis non obligari cum gravi incommodo. Ita *d. Thom., s. Anton., s. Bonav., Salmant. et communiter.*

Haec de praecepto correptionis. De praecepto vero scandali vitandi, licet multi strictius incedant circa obligationem viro imponendam expellendi uxorem adulteram, tamen probabiliter tenendum cum d. *Ligorio*, quod si vir vel inopia, morbo, spe resipiscentiae uxoris, expensis faciendis ratione judicii etc. uxorem retineat, et uxoris culpam aegre ferre demonstrat, satis erit ad scandalo occurrendum. *S. Lig. theol. mor. l. 6 tr. 6. de matr. n. 963. qu. IV.*

Gravior exsurgit controversia circa obligationem, quae aliquando pellit uxorem ad separationem a viro adultero. Sed ne longius abeamus theologorum placita recensentes, communiorem sententiam proferamus, nempe teneri aliquando uxorem a viro recedere correptionis causa, cum etiam subditus, modo quo possit, teneatur superiorem corrigere. Attamen oportet ut emendationis spes intercedat, aliter ubi nulla spes probabilis effulgeat et correctio inutilis foret, nulla obligatione divortii uxor implicatur. *Salmant. in tr. 21. de corr. frat. c. 7, n. 56; Suar. et alii.*

Facto divortio per sententiam judicis non amittit conjux innocens jus cogendi uxorem ut ad se redeat. Clare *divus Thom.*: Cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus revocandi uxorem; unde uxor tenetur ei reddere et ad eum redire, si fuerit revocata, nisi de licentia ejus votum continentiae emiserit, *in 4. dist. 35. quaest. un. art. 6. ad 3.*

Posnanien.

Cum adhuc impubes esset Marianna N., nata enim erat mense Februarii anni 1726, nupsit Theophilo N., contracto et consumato matrimonio die 22. mensis Julii anno 1763. Post novem menses Mathias N. sponsae patruus conjuges in jus vocavit nullum dicens matrimonium tum defectu legitimae aetatis puellae tum defectu ejusdem consensus. Sed conjuges et ipsa praesertim Marianna praesens coram officiali Posnaniensi matrimonii validitatem defenderunt: officialis autem ob impubertatem sponsae pronunciavit nullum fuisse matrimonium indicta utrisque mulcta pecuniaria ob stuprum illatum acceptumque, verum quia ex medici sententia viri potens judicabatur puella *et amore constanti adhaerendo Theophilo et non alteri, tantum eundem in vitae socium elocandum deliberato animo exposcebat et cum eodem matrimonium de praesenti inire appromittebat et assensum perfectum extra omnem metum posita fortiter libere reiterabat*, verba sunt ejusdem judicis,

hinc, licet aliquot etiam menses ad implendum *annum duodecimum* deessent, potestatem tamen iisdem fecit, ut sive in Cathedrali ecclesia Posnaniensi sive in propria parochia iterum matrimonium contraherent. Ab hac sententia, quae, dum ob impubertatem matrimonium nullum declarabat, contrahi permittebat, impubertate non obstante, patruus sponsae appellavit, sed officialis appellationem constanter rejecit et matrimonium die 7. Apr. anno 1737 in ecclesia Cathedrali renovatum fuit. Individuam vitae consuetudinem annis duodecim perpetuis conjuges servarunt, susceptis novem liberis, quorum quatuor aut quinque vitae usura fruuntur. Repente tamen rerum facies versa est, et quae *fortiter, libere et amore constanti adhaeserat Theophilo et perfectum assensum reiteraverat*, levitate illa, quae a sexu disjungi non potest, voluntatem mutavit.

Igitur cum forte vir abesset, rhedam ascendit, viri domum deseruit, tres filias abduxit; domum armati homines invaserunt, direptis auro, argento, gemmis pretiosaque omni suppellectile, summa omnis direptarum rerum ad sc. 5 mil. et amplius ascendit. Re perfecta postulavit Marianna coram officiali Posnaniensi, ut nullum declararet matrimonium, postulavit alimentorum subministrationem; Theophilus contra: purgari spolium vi armata illatum, res abactas restitui, reduci filias in domum patris, cogi Mariannam, ut cum viro rediret. Officialis, posthabita restitutione spoliati, decrevit summam florenorum scut. 4 mil. annuorum in causam alimentorum a Theophilo praestandam esse. His impetratis articulos edidit Marianna, quibus intendebat tam primi quam secundi matrimonii nullitatem probare ex causa impubertatis et metus illati: novem testes his articulis responderunt. Judex, Theophilo contumace, nullum pronunciavit matrimonium, prolem, uti bona fide susceptam, legitimam declaravit, ali atque educari jussit impensis utriusque parentis. Ab hac sententia appellavit defensor matrimonii ad curiam metropolitanam Gnesnensem. Theophilus vero aliam viam ingressus est, expedita citatione coram tribunali signaturae justitiae, quae exequuta fuit contra procuratorem Mariannae contra actuarium curiae metropolitanae et contra ipsum consistorium Posnaniense. Sed, his spretis, Marianna judicium prosequuta est in curia metropolitana. Theophilus protestationem emisit de attentatis purgandis et metuens, ne citatio coram tribunali signaturae sperneretur a judice metropolitano, quod causam nullitatis matrimonii non respiceret, usus est alia coram tribunali Nunciaturae, quae contra Mariannam et contra actuarium curiae exequuta fuit, sed, his omnibus posthabitis, officialis Gnesnensis sententiam tulit, qua primam Posnaniensem confirmavit et licet ab ea Theophilus appellasset, Marianna tamen die 15. Februarii anno 1753 aliud matrimonium cum Joanne N. contraxit.

Delata ex decreto tribunalis signaturae causae hujus cognitione ad hoc sacrum tribunal provisum fuit pluries, ut Marianna rediret, frustra tamen; causata semper se utero gravem a Joanne noluit obtemperare decreto. Partum denique enixa in eadem cohabitatione perseveravit, itaut necesse fuerit nova relaxare mandata; quibus an adhuc obtemperavit, ignoramus. Causa nunc tandem urgente infelicissimo Theophilo bis victo rationibus suis non auditis proponitur ab eminentissimis Patribus definienda. Disputat autem neque ex defectu consensus potuisse a judicibus Posnaniensi et Gnesnensi nullum declarari matrimonium a Marianna contractum die 22. Julii 1736 et renovatum die 7. Aprilis anno 1737, *non equidem defectu aetatis*, cum enim Marianna corporis habitudine, medici judicio et ipso experimento docente, viri potens esset, dubitandum non sit validum fuisse matrimonium, ad quod contrahendum certa aetas praesumptive tantum, non vero taxative praefinita fuit, itaut si ex habitu corporis dignoscatur capacitas contrahendi, firmum validumque sit matrimonium ante pubertatem contractum, ut sunt cognitissima jura in *cap.: Puberes de despons. impub., et in cap.: Juvenes de sponsal. et matrimon.*; non vero *defectu consensus*; hunc enim defectum excludit factum Mariannae, quae contra patrem hunc defectum urgentem venit in jus et praesens coram officiali *amore constanti adhaesit Theophilo, non alteri, et assensum perfectum extra omnem metum posita fortiter libere reiteravit*, itaut contra hunc defectum pugnet confessio judicialis ipsius Mariannae, res judicata et factum renovationis matrimonii cum successiva per annos duodecim individua vitae consuetudine sine ulla reclamatione, postquam ad plenam pubertatem pervenit.

In his igitur rerum circumstantiis despiciendos esse contendit Theophilus testes, qui articulis a Marianna editis responderunt, tum

ob exceptiones personales, quas patiuntur, tum quia, etiamsi uno consensu omnes dicerent vera esse, quae in articulis sunt, non tamen evinceretur Mariannam vi metuque ab avia illatis coactam fuisse matrimonium contrahere cum Theophilo, nam et tenera aetas puellae et persuasiones aviae ad matrimonium cum Theophilo contrahendum et inanis suggestio ejusdem aviae, ut, nisi matrimonium Marianna contraheret, patruus tutelam suscepisset et eam perpetuo reclusisset in monasterio, eam vim non habent, quae, satis esse possint ad irritandum matrimonium tamquam ex vi et metus causa contractum: sed neque facta haec ab avia probantur dictis testium et satis evincitur nihil horum egisse aviam ex facto ipsius Mariannae, quae, si vere adacta fuisset ab avia ad contrahendum matrimonium cum Theophilo, non praetermisisset oblatam a patruo occasionem dicendae nullitatis ejusdem matrimonii, ut ipsa contra matrimonii validitatem praesens in judicio defendit et licet dicatur instructam fuisse ab avia de his, quae judici interroganti respondere debuisset, non tamen adstabat lateri ejus avia in judicio, ut non posset respondere secus ac avia dictaverat, si consensum suum matrimonio non praetitisset, judici interroganti longe alia respondisset ab iis, quae avia scripserat in instructione.

Haec sunt in libello Theophili, neque a defensore matrimonii neque a Marianna et Joanne N. aliquid adhuc habuimus. Dubium est:

An constet de nullitate matrimonii in usu?

S. C. resp.: Negative.

Die 4. Maii 1754.

Continuatio Posnanien.

Marianna N., nupta Theophilo N., post novem susceptos liberos in duodecim fere annorum consuetudine, viri domum improvida levitate deseruit et tribus abductis filiabus direptaque pretiosa suppellectili, matrimonii nullitatem proposuit coram officiali Posnaniae, quod in aetate impubera annorum decem et mensium quinque ab initio contractum, successive nonnisi in aetate annos undecim mensem unum cum dimidio non excedente solemni ritu iterato consensu coram parocho revalidatum esset, quodque per vim et metum ab avia illatum, cum Theophilo esset celebratum. In contumaciam Theophili judex sententiam tulit pro nullitate matrimonii, quae confirmata est in curia metropolitana Gnesnensi; et non obstante appellatione ad sanctam Sedem per Theophilum interposita novum conjugium die 15. Februarii 1752 iniivit Marianna cum Joanne N.

Delata hujus causae cognitione ad hoc sacrum tribunal plura edita sunt decreta, ut Marianna recederet a novo conjuge et monasterium ingrederetur; sed renuit illa et prius causata est se utero gravem a Joanne: et partum enixa in eadem cohabitatione perseveravit nec perterrita est novis mandatis et comminatione censurarum. Causa denique proposita est in Congregat. habita die 4. Maii 1754, accurate expositis omnibus illius circumstantiis in folio tunc distributo, et dubio, quod erat:

An constet de nullitate matrimonii?

rescripserunt eminentissimi Patres: Negative —, ac in alia Congregatione habita die 24. seq. mensis Augusti steterunt in *decisis* et hujusmodi causam amplius non proponi mandarunt judicio sacrae Congr.; non acquievit Marianna et decretum die 24. Sept. ejusdem anni impetravit cl. mem. Card. Argenvilliers tunc proauditore Sanctissimi, quo remissa fuit causa ad eamdem sacram Congregationem, quae procederet cum voto Rotae, sub conditione tamen, quod Marianna doceret »infra tres menses de recessu a domo et cohabitatione Joannis N. et sui collocatione in monasterio, juxta ordines et decreta sacrae Congregationis Concilii, in quibus etiam providetur de alimentis«. Post longas moras tandem proposita est causa in Rota die 2. Martii 1759 et disputato dubio:

An constet de nullitate matrimonii?

in strenuo partium conflictu prodiit rescriptum: Negative, ut pandit egregia decisio Emmi D. Card. Bussii tunc sacrae Rotae Decani, quae circumfertur.

Urget itaque Theophilus causam rursus definiri juxta votum rotale, quod cohaeret praecedentibus resolutionibus hujus s. Congr., nec multis rationibus diffunditur, quippe quae disertissime recensentur in praedicta decisione eminentissimi Domini Cardinalis Bussii. Simulque postulat separationem thori et collocationem Mariannae in monasterio clausuram servante ad formam decreti editi die 16. Septbr. 1755, non obstante asserta transactione vi metuque innita anno 1756. Contendit porro indignam esse maritali consortio Mariannam, quae non paucis annis notarie vixit in adulterio cum Joanne N., ut sunt notissima jura in cap.: *Significasti 4;*

in cap.: ex literis 5, de divort., cum aliis relatis per Rotam in *Cracovien. separationis thori 30. Junii 1749.* §. *9. coram eminentissimo D. Card. Elephantutio;* nec adulterium excusari posse ob matrimonium cum eod. Joanne attentatum post sententiam curiae metropolitanae super nullitate prioris conjugii celebrati cum Theophilo, tum quia exulata novo matrimonio bona fides tamquam inito pendente appellatione, tum insuper, quia contumaci pertinacia renuit Marianna obtemperare decretis sacrae Congregationis et adulteri cohabitationem deserere, etiam post definitionem causae.

Addit quoque insidias et calumnias a Marianna praeparatas, quum anno 1754 ea instigante vel consentiente adulteri frater armatorum cohortem duxerit in villam N., ut Theophilum ibidem commorantem interficeret; et quamquam Theophilus arrepta fuga necem evaserit, passus est tamen ingentem jacturam rerum direptarum ab aggressoribus. Et ipsa Marianna in judiciis generalibus tribunalis regni eodem anno 1754 Theophilum accusavit de adulterio et propinato veneno, cujus accusationis falsitatem agnoscentes judices accusatricem damnarunt poena relegationis et emendationis damnorum. Hinc inimicitias exortas et odia defendit, ut fiat locus separationi thori ex adductis per Rotam in *Majoricen. divortii 13. Januarii 1749 et* §. *5. coram eminentissimo D. Card. Bussio*; et infidelem conjugem collocandam esse in aliquo ex monasteriis clausuram servantibus civitatis Posnaniae, ne plus debito libertati indulgeat in dedecus familiae, juxta firmata per Rotam *in d. Cracovien. separationis thori super reservatis 29. Apr. 1750.* §. *2. et 7 cor. Emmo D. Card. Elephantutio.*

Nec fidendum esse contendit reconciliationi simulatae in transactione anni 1756, imo certat de illius nullitate, ex quo fuerit per vim et metum inita et summopere laesiva, nec ad effectum perducta, itaut ea non obstante debeantur Mariannae sola alimenta in quantitate taxata per decretum diei 16. Septembris 1755, nimirum in aureis ungaricalibus octo pro quolibet trimestre, post ejusdem ingressum in monasterium.

Quapropter definiendum erit ab EE. VV.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 4. Maii et 24. Augusti 1754 in casu?* Et quatenus affirmative quoad primam partem,

II. *An sit locus separationi thori, itaut Marianna sit collocanda in aliquo monasterio civitatis Posnaniae clausuram servante, in casu?* Et quatenus affirmative in omnibus,

III. *An servandum sit decretum R. P. D. secretarii dici 16. Septembris 1755 quoad alimenta, seu potius obstet transactio anni 1756 in casu?*

S. C. C. resp. ad I: In decisis. Ad II: Affirmative. Ad III: Affirmative ad primam partem et negative ad secundam.

Die 21. Junii 1760.

Imolen.

Brevis fuit inter conjuges Joannem Baptistam P. ac Mariannam B. concordia. Sese invicem copularunt die 11. Julii 1784; sed cum vir paulo post vix aegrotare coepisset, die 20. dicti mensis accessitus fuit chirurgus, qui lue celtica infectum eum esse putans remedia ad eam depellendam opportuna paravit. Convaluit vir post quadraginta et ultra dies; sed nihilominus uxor ad maritalia redire obsequia detrectavit cum viro, quem violati conjugalis foederis reum postulabat. Orta igitur quaestio est super separatione thori, quae a SSmo D. N. attento partium consensu ad hanc s. Congregationem ablegata fuit.

Notissimum est adulterium alterutrius conjugis legitimam praebere causam parti innocenti petendi separationem a connubiali thoro. Praeivit Christus Dominus *Matthaei 5* et consonant canonicae leges, quae nullam inter virum et mulierem distinctionem agnoscunt, *cap.: Ex literis 5, et cap.: Porro 3. de divort., cap.: Si quis uxorem 32. quaest. 1.*

Difficultas esse solet in adulterii probatione: Haec utique bene desumitur ab ea celtica lue, quae matrimonium subsequatur quaeve vere talis et venerea sit, non ad illius similitudinem et ab innocuis progenita causis, puta nimia sanguinis acrimonia incauto vel nimio conjugii usu sub ipsa praesertim matrimonii exordia et aliis, quae considerat *Zacch. quaest. medic. legal. t. 3. caus. 28. n. 14; Baglions de morbo venereo c. 10.*

Ait porro Joannes Baptista P. totam sui criminis probationem in ore residere chirurgi, cui tamquam unico et extrajudiciali in re gravissima fidendum non sit, *cap.: Licet de testibus leg. jurisjurandi cod. de testibus;* eo autem securius, quia inverisimilia deponat. Vix enim post paucas a contracto matrimonio horas ad impermissos amplexus orator convolasset, quod credibile non esse docet

Rota in Romana Separationis thori 6. Junii 1777. cor. Emmo Riminaldo, imo neque tempus praetensi venerei morbi definire potuit, quae tamen circumstantia momentosissima est in praesenti definienda quaestione. Scitum namquam esse ait non statim a contracto miasmate in hujus generis morbis pravi humoris signa apparere et erumpere sed ad plures quandoque dies rem protrahi; hinc nil vetare quod, si noxia esset morbi qualitas, matrimonium morbi causa antecessisset, cum post novem a matrimonio dies accessitus fuerit chirurgus P., quod ideo dictum profitetur Joannes Baptista P., non quod sibi etiam ante matrimonium conscius hujus criminis sit, sed ut ostendat quam longe a necessariis probationibus distet Marianna B., cum ad separandum conjugale foedus demonstrare oporteat violatum illud pendente matrimonio fuisse, *Rota in Placentina Separationis thori 5. Junii 1752. §. 5. cor. clar. mem. Card. Bussi.*

Quo autem uberius contrarias exhibeat probationes, affert Joannes Baptista P. locupletes testes de sua honestate ingenuisque moribus; addit et alios de machinationibus materterae uxoris suae, ut illam a suo complexu divelleret, et demum judicium plurium illustriumque tum in chirurgia tum in medicina professorum exhibet, qui hallucinari potuisse vel hallucinatum revera fuisse chirurgum P. testantur.

Horum alii perdifficile admodum esse dicunt, imo sine infirmi confessione distingui vix posse inter venereum luem celticam et eam, quae fere analoga in effectibus ab innocuis nihilominus causis proficisci potuit, judicium sequuti tum *Baglini de morbo venereo cap. 10.* tum *Francisci de Sauvagus in sua methodica vagalogia.* Alii ipsammet paraphymosim, cui tantopere innititur chirurgus P., vel aequivocam admodum esse docent, frequentique deceptioni suppositam, vel stare omnino non posse hujusce morbi veritatem cum iis, de quibus chirurgus P. infirmum ipsum, postquam convaluerat, interrogavit, corporeis namque oculis rem ipsam videre et animadvertere omnino debuisset, ut ante ipsos etiam dixerat *Heistoreus instit. chirurg. part. 2. cap. 131.* Est demum, qui ex brevitate morbi fortasse etiam per muta adhibita antivenerea remedia ampliati noxiam illius et venereum qualitatem excludit. Ex quibus omnibus concludit Joannes Baptista P., quod, si rejicienda esset Mariannae B. pro separatione instantia, quandocumque ipsa evidentissimas non affert violatae fidei probationes, multo magis repellenda sit, cum eae, quas in medium profert, ineptae omnino, inverisimiles aut falsae deprehenduntur, ut concludit *Rota in Romana Separationis thori 22. Martii 1779. §. 2. cor. Emmo Riminaldo.*

Pertinent haec ad primam ex infrascriptis dubiis. Disceptationi secundi causam dedit improvidus Mariannae B. discessus una cum matertera sub emendicato curandae valetudinis colore in exteram ditionem. Ea res in fraudem judicii propediem ab hac s. Congregatione ferendi, ut videtur, acta Joannem Baptistam P. excitavit, ut ad Emmum Episcopum confugeret. Hic autem laudatissimus Antistes, tum ut fugientes reduceret tum ut harum mulierum dicteria confunderet, quae eorum fugae assensum fuisse Emmum Episcopum jactitabant, sub sequestro posuit Mariannae B. mobilia, illa scilicet, quae eadem secum non adsportaverat. Et confestim literas dedit ad hanc. s. Congregationem, quibus eam reddidit tum de facto sequestro certiorem cum de causis, quae illum ad consultissimum hoc decretum impulerunt. Respondit S. C. laudando Emmi Episcopi concilium et gesta eumdemque impense hortata est, ne ullo modo haec sequestra adeo sapienter decreta elabi aut violari permitteret. Dubia sunt:

I. *An sit locus separationi thori in casu?*
II. *An sit servanda sequestra in casu?*

S. C. resp. ad I. Negative; ad II: Affirmative.

Die 11. Martii 1786.

Iterato dubio S. C. resp.

Ad I. In decisis et amplius et ad mentem.

Ad II. Sequestra esse removenda a die reditus in statum ecclesiasticum et amplius.

Die 9. Septbr. 1786.

Continuatio Imolen.

Aliud die 16. Decembris prodiit rescriptum: Praefigatur ab Emmo Archiepiscopo Bononiae post extrajudicialia officia terminus duorum mensium ad effectum redeundi ad obsequia matrimonialia, quo elapso collocetur in aliquo conservatorio aut monasterio ab eodem Emmo Archiepiscopo eligendo. Ac reversa tandem Magdalena C. in statum ecclesiasticum decreverunt EE. Vestrae die 5. Aprilis 1788 remotionem sequestri ab ejus bonis in executionem rescripti 9. Septembris 1786.

Una in proposito permansit Marianna B. neque ulla induci potuit ratione, ut ad virum rediret. Ad eam igitur eximendam a periculis liberioris vitae, in quibus Emmus Episcopus Imolensis versari refert, satius duxit ipsius vir rem componere per transactionem redditaque sub diversis pactis dote convenit, quod sin tanto che non rimangano le prefate odiosità, ire, e rancori fra essi estinti e dimenticati affatto, e fino a che non piacerà al Signor Iddio di estinguere e onninamente distruggere qualunque loro odio interno e di riunirli, viveranno e vogliono vivere l'uno e l'altra separatamente tanto rispetto all'abitazione, quanto al toro. Hac inita concordia EE. Vestris supplicat mulier pro facultate redeundi ad patriam, ut libere ad illius formam apud suos vivat. Timet enim, quin ex rescripto 16. Decembris 1786 in monasterium detrudatur. Eique favet Emmus Episcopus in haec verba: Auditis interesse habentibus in eam sententiam devenio, fidem ac securitatem, quam oratrix postulat, esse concedendam, ut ipsi tuto huc venire et in hac urbe apud parentes suos commorari liceat, quin quidquam ab ecclesiastico foro vereri debeat, dummodo christianis moribus vitae institutum accommodet. Nulla quippe alia jam superest ratio illam subtrahendi a tot tantisque periculis liberioris vitae, in quibus eamdem versari mihi satis superque constat. Petita siquidem facultas implicite approbationem continet conventualis divortii, in quo ob periculum incontinentiae et deficientis prolis damnum caute procedendum monet *Zypeus consult. 3. de sentent. et rejudic.; Bielfed. inst. politic. cap. 5. §. 4. tom. 1.*

Proponitur:

An sit standum vel recedendum a decisis sub die 16. Decbr. 1786 in casu?

S. C. resp.: Scribatur Episcopo, quod provideat juxta suum votum etiam cum facultatibus S. C.

Die 21. Julii 1792.

Celebratis nuptiis anno 1842 inter Titium et Cajam nobilem puellam in urbe A., quae est patria mulieris, conjuges longe profecti sunt in urbem B. exterae nationis, in qua publico munere Titius fungebatur. Decem et octo menses non sine dissentionibus individuam vitae consuetudinem in ea urbe B. conjuges duxerunt. Primus, quem habuerunt infantem, lethali morbo correptus est; ad ejus vitam recuperandam patriam Cajae conjuges remigrarunt. Vir uxorem in domo parentum praegnantem reliquit et in propriam urbem B. rediit suo munere perfuncturus. Mortuo interea infante et nova filiola nata vir anno 1845 in uxoris urbem reversus uxorem cum filiola secum transferre velle visus est, at repulsus a Cajae parentibus fuisse dicitur: quem repulsum ipsimet parentes intervenisse sub juramento deinde denegarunt. Reverso Titio ad suum officium missis vicissim epistolis vir uxorem in urbem B. vocare videbatur, uxor e contra proficisci detrectabat jugiter manens cum sua filiola in domo parentum, a quibus alebantur. In votis erat Cajae, ut Titius a gubernio obtinere studeret translationem sui officii in provinciam, in qua ipsa Caja cum parentibus degebat, eidemque suggerebat media opportuna, quibus hoc facile esset consecuturus.

At praetereundum non est, anno 1851 Cajam rescripsisse viro suo se velle redintegrare maritale consortium, cui Titius respondit, hoc sibi esse perjucundum et ex eo temporis momento se in acceptis habere Cajae determinationem, ac si statuta esset definitiva unio: nihilominus plures difficultates in ea epistola interserebat, ob quas propositum executioni mandari non poterat. Inquiebat enim inter caetera, se nescire determinare tempus ad unionem exequendam: ob quasdam rationes eam unionem exigere maturam animi reflexionem, ut difficultates etiam leves facile possent superari, ne decepti deinde reperirentur in promovendo eo gradu, qui faciendus non erat, quique proinde viles eos redderet: se nullimodo redire posse in domum parentum, a quibus fuerat rejectus: opus esse, ut primus amor revivisceret: haec omnia exigere maturam animi reflexionem proindeque tempus non posse determinari unionis executioni mandandae. Aliae insuper habebantur expressiones, quae sub verborum involucro significare videbantur, se velle et nolle dictam exsequi unionem. Conquerebatur insuper de filiola, quam ad balnea valetudinaria mittere uxor non poterat ratione expensarum, quas tamen nec se facere posse Titius ajebat. Compatiebatur uxori, quod plures expensas impendere deberet in sua valetudine curanda: amorem praegrandem significabat erga filiolam, cujus memoria jugiter excitabatur praesentia alterius infantulae ejusdem aetatis in quadam familia, quam ipse frequentabat: epistolam autem claudebat verbis, quibus optabat vitae consuetudinem

cum uxore instaurare. Qua epistola accepta Caja laeta rescripsit se in ipsa ad evidentiam usque cognovisse maxime cordi viro esse unionem, de qua sermo erat.

Anno 1853 Caja viro spopondit se profecturam esse in urbem B. proximo vere anni insequentis, quae tamen promissio suum effectum non habuit. Contigit denique, ut vir novo munere ornatus in provinciam Cajae missus fuerit: at maritale consortium redintegratum non est.

Caeterum ex pluribus epistolis a muliere Titio scriptis, quas ipsemet Titius sui favore coram s. C. produxit, haec satis clare eruebantur, videlicet

I. Mulierem non dubium amorem viro ostendisse a tempore separationis ab anno scilicet 1844 usque ad annum saltem 1858;

II. Eruebatur ex indiciis minime spernendis virum vices non rependere, prout exigebat amor a muliere significatus;

III. Quinimo non deerant epistolae, quibus mulier virum redarguebat, quod solicitudines suas erga uxorem, factis saltem, nunquam ostendisse;

IV. Subvidebatur mulier in quadam animi anxietate et persaepe mansisse de vera viri voluntate redintegrandi maritale consortium;

V. Neque deerat epistola, qua uxor Titio exprobrabat vexationes, quas exercuerat cum uxore ab ipso matrimonii initio.

E contra e viri epistolis ad mulierem missis, quarum tres tantum in medium proferebantur, clarius apparebat:

I. Virum maxime optasse apud se habere filiolam suam;

II. Non idem sincerum desiderium ostendisse habendi apud se uxorem;

III. Quinimo unio, de qua instauranda jugiter sermo erat in epistolis, ex parte viri ita considerari videbatur (si ad substantiam spectes) ac si de novo matrimonio ineundo ageretur vel de consortio iterum instaurando, quod fuisset dissociatum ope judicialis sententiae ex culpa mulieris;

IV. Virum per plures saltem annos denegasse uxori et filiae congruam sustentationem et fructus dotis, quamvis mulier pecunias optare eidem urbano modo significaret, praesertim pro suae filiae valetudine curanda. Caeterum in iis epistolis non deerant expressiones, quibus vir conquerebatur de mulieris absentia, quam in culpam mulieris vertebat. Haec omnia eruuntur sive ex aperta ratione dicendi sive ex sententia sub verborum involucro abscondita.

Circa annum 1860 mores Cajae suspicionem et quidem gravem de sua vitae honestate induxerunt, quas suspiciones ipsimet Cajae parentes Titio patefecerunt. Nescimus quid Titius responderit, nihil tamen agere ipse visus est.

Res deinde in pejus prolabi coeperunt, ita ut Caja anno 1860 inopinato nocturnam arripuerit fugam et extra urbem sola cum auriga currum agente discesserit et in urbem rediens numquam domum paternam regressa est sed quamdam malae famae domum habitare incoepit. Sufficit audire testimonium matris, quae in judicium vocata deponere non dubitavit ea, quae sequuntur, nempe: Filiam suam quatuordecim annis, quibus sejuncta a viro in sua domo habitavit, bene satis se gessisse; postremis duobus annis se exacerbatam jugiter esse ob quosdam malae famae rumores, qui diffundebantur: in cognitionem deinde venisse res male procedere et in pejus prolabi: rubore suffusam se fateri debere inter caetera quamdam filiae scandalosam consuetudinem, quin complicem nominaret, praeter alias externas consuetudines cum militibus. Ita mulier inter meretrices recensebatur et scandalum viciniae esse dicebatur.

Hac vivendi ratione animos omnium alienavit, donec egestate pressa libellum porrexit curiae episcopali, in qua Titius degebat, ut declararetur divortium ob saevitias et desertionem thalami a Titio factam, ita ut compelleretur Titius, qui percipiebat fructus collatae dotis, ad suppeditanda alimenta. Vir e contra reconvenit mulierem petens et ipse separationem et simul declarari postulavit separationem ob mulieris culpam evenisse.

Auditis itaque partibus in regulari judicio tribunal sententiam definitivam emisit favore viri decernens scilicet separationem conjugum adjecta clausula: *Ex culpa dumtaxat Cajae.*

Mulier ad s. C. appellavit et caeteris de more servatis disputatum est: *An sententia isthaec esset confirmanda vel infirmanda?*

Defensio viri.

Pluribus allegationibus Titius causam suam defendit per oratorem, quem in urbe constituit, ex quibus nonnulla tantum decerpimus. Ex triplici causa defensor contendebat sententiam praefatam esse confirmandam, nempe: ob mulieris adulterium, ob malitiosam thori desertionem et ob damna, quae essent honori civili Titii eventura, si separatio non decerneretur.

Ad adulterium quod attinet, animadvertebat Titii defensor in praesenti judicio non agi ad criminis punitionem sed ad thori separationem obtinendam. Jam vero sufficientes ad hunc effectum reputantur leviores etiam suspiciones, ut adulterium adfuisse decernatur, *Sanchez de matr. l. 10. disp. 12. n. 44; Cosci de separ. thori p. 2. c. 14. n. 1. et seqq.*; quin num. 7. scripsit: »Quod multo magis procedit, quando non agitur criminaliter ad poenam sed ad effectum separationis thori, *Rot. dec. 818. n. 3. par. 18. tom. 2. recen.* ibi: Ubi non agitur de adulteriis criminaliter ad effectum infligendi poenam adultero sed solum civiliter ad separationem, licet materia dicatur gravis et ardua, nihilominus omnes doctores conveniunt, quod leviores probationes sufficiunt, quodque ad istum effectum lex adulterii probationes admittit per conjecturas, praesumptiones et adminicula, ut ponderat *Farinac.* etc.«

Porro in praesenti casu non solum leves sed gravissimae concurrebant conjecturae et indicia, quae cuilibet adulterium intervenisse persuadebant. Adnumerabatur enim Caja inter meretrices, dicebatur a testibus scandalum viciniae, indulgebat consuetudinibus cum militibus, quae omnia ipsamet Cajae mater in judicio confirmare non dubitavit.

Ad malitiosam thori desertionem ostendendam procedens orator ostendit ex epistolari commercio, virum omnia adhibuisse media, ut uxore induceretur ad maritale consortium instaurandum; contendebat enim demonstrare non solum pluries virum suam uxorem vocasse ad redintegrandam unionem, sed etiam descendisse ad facta, quae dignitatem suam dedecebant, ut obtineri haec unio posset, mulierem e contra semper restitisse, uno alteroque praetextu unionem modo promisisse modo distulisse.

Denique contendebat non esse amplius permittendum inter conjuges maritale consortium. Hoc enim cederet in maximum detrimentum honoris civilis viri ex pessima mulieris agendi ratione, maxime cum, prosequebatur defensor, filiola, quae ad patrem rediit, lamentaretur et lugeret matris agendi rationem: adolescentulae autem corruptio maxime erat pertimescenda, si mater ad domum esset reditura, quod etiam ethnici intellexerunt. Habemus enim titulos in pandectis et in codice de educatione pupilli, qui sollicite disponunt in adolescentulorum moribus maximam curam esse adhibendam et omnes illos esse arcendos ab educatione docent, qui pupilli moribus possent insidiari. Ita *in L. 5. ff.*, ubi pupillus statuitur: Si disceptetur, ubi morari vel educari pupillum oporteat, causa cognita id praesidem statuere oportebit. In causae cognitione evitandi sunt, qui pudicitiae impuberis possunt insidiari. Cui doctrinae concinunt auctores: *Surdus de alimentis tit. 4. quaest. 13. scripsit:* »Quae vero dicta sunt in matre ad secunda vota transeunte, procedunt etiam in ea, quae, etsi vidualem servet vitam, tamen est vilis, improba, impudica vel imprudens, nam ei quoque denegabitur filii educatio et alia eligetur persona idonea. Paria enim sunt, quod mater nubat vel inhoneste vivat . . . quod poenae mulieri impositae secundo nubenti locum habent quoque in muliere impudicam vitam agente.« Item *Montanus de tutelis leg. 39. n. 236:* »Quando pupillus habeat matrem vilem ac turpem, quae vitae, religioni, moribus vel bonis pupilli insidiari praesumeretur, apud quam judex non arbitrabitur pupillum esse educandum, etiamsi pro illis exstaret patris voluntas.«

Post haec prosequebatur defensor ostendens non esse a viro praestanda alimenta uxori, quae absque viri culpa, propria temeritate, ab ejus consortio recesserit. Sic enim docuit *Sanchez de matrimonio lib. 9. dis. 4. n. 19. et seqq.* »Vir tenetur alere uxorem . . . . Intellige tamen quando uxor cohabitat cum viro. Si enim absque viri culpa, propria temeritate, ab ejus consortio recedat, minime est alenda, quia uxor debet esse in viri obsequio; *c. Haec imago 33. quaes. 5;* ac proinde: Si obsequium debitum minime praestare velit, receptura non est alimenta sibi debita, qui enim non facit quod debit, non recipit quod oportet. *Schmalzgrueber de sponsalibus num. 351* pariter scribit: Addi potest quartus (effectus), scilicet jus alimentorum, quae ipsi et familiae subministare maritus debet. Excipitur, si uxor sine culpa viri et absque causa necessitatis a marito discedat, hinc enim, quamvis dotem ab ea maritus acceperit, ad eam alendam non obligatur, quia uxor debet esse in obsequio viri, *can. 13. caus. 33. q. 5*; ac proinde: Si non velit praestare obsequium debitum, non recipit alimenta alias sibi debita, qui enim non facit quod debet, non recipit quod oportet. Quibus consonat

Ferraris biblioth. can. verbo: Alimenta; S. Rota in Romana alimentorum coram de Retz 14. Januarii 1833.

Quare cum defensor contenderet mulierem propria auctoritate et sine culpa viri maritalem domum deseruisse, accedente etiam impudica agendi ratione, concludebat rejiciendam esse Cajae instantiam et plene confirmandam esse curiae episcopalis sententiam.

Defensio mulieris.

Mulier e contra defensionem sui non suscepit; quare ex officio adducebantur ea, quae in priori judicio mulier contra viri exceptiones fassa fuerat. Dixerat enim virum a nuptiarum primordio ostendisse erga uxorem antipathiam; exinde pessimae vexationes, humiliationes, quae non cessarunt nisi malitiosa desertione.

»Uxor contenta sit vexatione (ita Caja se improperatam fuisse a viro inquiebat); quod si antea eam vexaverim, idem ulterius in futurum faciam; hisce conditionibus uxor mecum maneat.« Haec autem omnia suum effectum habuerunt, prosequebatur Caja, cum plus quam sexdecim annos uxor deserta manserit, quin Titius uxori et filiae prospicere cogitaverit. Quod si ipse interdum epistolas uxori scripserit, id simulatione fecit, ita ut, quando uxor semet paratam exhibebat ad vitae consortium ineundum, ipse veluti perterritus respondebat: Fieri hoc non posse sine longa maturaque animi ponderatione. Quod si anno 1845 Titius in uxoris urbem redierit, id non fecit ut uxorem secum ferret, et argumento est ipsum difficillimum iter, quod aggrediendum erat hiemali tempore cum infantula nutrici concredita. Hac circumstantia ortae sunt in familia dissentiones, ita ut Titius a parentibus fuerit repulsus. Quae de fuga arrepta deque ratione scandalose vivendi proferebantur, mulier ajebat, fugam quidem fuisse actam, inconsulto gestam, quin tamen ex ea argui posset quod Titius arguebat; caeteras vero accusationes nimis vagas esse inquiebat, utpote quae nihil in concreto determinabant.

In aliis autem literis ad s. C. missis Caja factum recolebat, quo Titius uxori denegaverat alimenta et fructus dotis, ita ut, etiamsi vera essent, quae contra mores objiciebantur, prima causa in virum refundi deberet, qui post tot annos absentiae alimentis denegatis ad incitas uxorem redegit.

His aliisque adductis propositum est resolvendum dubium:

»*An et quomodo sententia curiae sit confirmanda vel infirmanda in casu?*«

S. Congregatio Concilii re mature discussa in congregatione habita die 18. Februarii 1865 respondere censuit: Sententiam esse confirmandam dempta clausula.

Vir non acquiescens huic sententiae novam audientiam postulavit et obtinuit novaque distributa allegatione ad dubium:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. Congregatio die 6. Maji 1865 re denuo discussa respondit: Dilata et ad mentem. Distulit scilicet responsionem simul mentem suam patefaciens, quae fuit, ut curia episcopalis iterum moneret Cajam de propositione controversiae coram s. C. eum in finem, ut, si vellet, ulteriora jura sua deduceret. Et die 12. Augusti 1865 denuo proposita causa s. Congregatio respondit: *In decisis et amplius.*

Ex iis colliges:

I. Graves requiri causas ad decernendam dissociationem conjugum quoad thorum et habitationem.

II. Inter ejusmodi dissociationis causas praecipuum locum obtinere alterutrius conjugis adulterium.

III. Adulterium ad hunc dissociationis effectum demonstratum censeri, si concurrant graves conjecturae, quae adulterium commissum fuisse suadeant: quamvis eaedem non satis essent ad adulterii crimen puniendum.

IV. Inter temporaneae dissociationis causas recenseri generatim desertionem uxoris sine causa in viro factam.

V. In praesenti casu utramque divortii causam intervenisse: desertionem quamdam uxoris ex parte viri et gravem saltem adulterii suspicionem ex parte mulieris.

VI. Has divortii causas ea relatione se excepisse, ut indicatum mulieris adulterium, culpae etiam viro ex desertione imputandum.

VII. Quare, licet neuter conjugum audiendus esse videretur in petitione judicialis dissociationis: tamen jus aliquod favore mulieris militabat hanc judicialem dissociationem obtinendi.

VIII. Hoc jure pro muliere militante teneri virum eidem alimenta suppeditare seu dotem restituere vel fructus dotis, prout de jure.

IX. Non esse tradendam prolem educandam illi parti, interveniente judicio, quae

posset bonis moribus religiosaeque prolis educationi insidiari.

X. Denique colliges, tribunal, coram quo vir legitime a muliere convenitur, competens esse judicandi super reconventione mulieris in eodem judicio a viro facta, quamvis ratione domicilii eidem tribunali mulier subjecta non censeretur.

Die 18. Febr. et 6. Maji et 12. Aug. 1865.

12) Divortium quando propter adult. non inducitur?

Primo nequit fieri divortium propter commissum adulterium, si uterque conjugum illud commiserit;*) *cap. fin. de adult., et cap.: Tua Fraternitas 7. de adult. et stupr. lib. 5. tit. 16,* ubi Innocentius III. habet haec praecisa verba: *Tua Fraternitas requisivit, utrum aliquo denegante uxori suae in adulterio deprehensae debitum conjugale, si ipse postmodum cum alia perpetret adulterium, manifeste cogi debeat, ut eandem maritali affectione pertractet. Super hoc tibi respondemus, quod cum paria crimina compensatione mutua deleantur,**) vir hujusmodi fornicationis obtentu suae uxoris nequit consortium declinare;* et idem *cap.: Intelleximus, eod. titulo* suae decisionis hanc adducit rationem: Cum, inquit, matrimonii jus in utroque laesum consistat, paria delicta mutua compensatione tollantur, et *s. Augustin. in capite: Nihil 32. q. 6.* dicit, nihil iniquius esse quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari; occurrit enim illud Apostoli *ad Rom. c. 2. n. 1:* In quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas, eadem enim agis, quae judicas. Et expresse *s. Th. in pri. dist. 35. q. unica art. 1. ad secun.:* Quando uterque fornicatur, divortium celebrari non potest.

Secundo nequit fieri divortium propter adulterium, si ipse maritus prostituat uxorem vel uxor cum consensu mariti adulterium committat,***) *cap.: Discretionem, de eo qui cognovit consanguineam uxoris suae, lib. 4. tit. 13,* ubi Innocent. III. scribens ad praepositum Magdeburgensem jubet, quod vir prior cogatur redire ad ipsam et maritali eam affectione tractare, cum adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, praesertim invitam et, ut inquit lex, non potest improbare maritus mores, quos ipse aut ante corrupit aut postea probavit, *l. cum mulier 46. ff. soluto matrimonio.* Et sic expresse tenet *s. Thom. in 4. dist. 35. q. unic. art. 1. in corpore,* ubi excipiens casus, in quibus nequit fieri divortium propter adulterium, dicit, quod secundus casus exceptus est: *Si ipse uxorem prostituat.*

Tertio nequit fieri divortium propter adulterium, si mulier nupsit alteri, ex quo vere credidit maritum suum fuisse mortuum,*) *cap.: Cum per bellicam cladem. 1. caus. 34. quaest. 1,* ubi Leo Papa scribens Nicetae Aquilejensi Episcopo epist. 77. cap. 1. et seq. praecipit, ut mulieres, quae aliis viris nupserant, ex quo putaverint et crediderint maritos suos in bellica clade mortuos esse, cogat ad ipsos redeuntes redire, et si aliquae ita posteriorum virorum amore sint captae, ut malint his cohaerere quam in legitimum redire consortium, jubet eas excommunicationis vinculo innodari, donec redeant. Et sic expresse *d. Thomas in 4. dist. 35. q. unica art. 1. in corpore,* ubi inter casus exceptos a jure faciendi divortium propter adulterium, enumerat istum per haec praecisa verba: *Si uxor virum suum mortuum probabiliter credens propter longam ejus absentiam alteri nupserit.*

Quarto nequit fieri divortium propter adulterium, si uxor ex errore concubuit cum altero viro latenter in ejus lectum ingresso, putans esse suum verum maritum,**) colligitur ex *cap.: In lectum mariti, caus. 34. quaest. 1. et 2,* et ex *cap.: Si virgo nesciens, causa pariter 34. quaest. 1. et 2.* Adulterium enim sine dolo non committitur, *ff. de adult. l. penult.,* et qui cognovit conjugatam ignoranter, non committit adulterium; *arg. Exter. de sentent. excommunic. Si vero aliquis.* Et expresse sic docet *d. Thomas in 4. dist. 35. q. unica art. 1. in corp.,* ubi dicit non posse dimitti uxorem fornicantem, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante.

Quinto nequit fieri divortium propter adulterium commissum a muliere vi oppressa et omnino involuntarie, colligitur ex *cap.: Tolerabilius caus. 32. q. 5,* ubi dicitur, quod virgo prostitui potest, id est per vim, adulterari non potest, id est, ita ut sit rea adulterii, nisi consentiat. Ut enim inquit *s. Hieronymus in cap.: De pudicitia 6. 35. q. 9.*: Non potest fieri, ut, nisi quis moechetur prius in corde, moechari possit in corpore, et per hoc *s. Augustinus lib. 3. de civit. Dei c. 19. in*

*) Vd. p. 244. n. 3; p. 244. §. *Nequit.*
**) Vd. p. 268. *Nota.*
***) Vd. p. 245. n. 8; p. 246. §. *Nequit.*

*) Vd. p. 262. n. 20.
**) Cfr. p. 269. n. 24.

cap.: Proposito caus. 32. q. 5. dicit, quod Lucretia a Tarquinio vi oppressa non commisit adulterium. Mirabile dictu, ait s. doctor, duo fuerunt et adulterium unus admisit. Corpus enim mulieris, ut prosequitur s. Hier. loco mox citato, non vis maculat sed voluntas, et a violento stupratore eripi nec ipsa potest pudicitia. Imo quamvis corpus violenter corrumpatur, si pudicitia mentis servetur illaesa, castitas duplicatur; sicut b. Lucia, ut patet in ejus festi lectione 6., intrepide respondit Paschasio: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Et ideo *s. Thom. in 4. dist. 35. quaest. unic. art. 1. in corpore,* inter casus, in quibus nequit maritus dimittere uxorem, enumerat istum expresse dicens: *Si fuerit vi oppressa.*

Sexto nequit fieri divortium propter adulterium, si post adulterium vir sibi reconciliavit uxorem vel uxor virum, ad invicem petendo et reddendo debitum conjugale. Colligitur ex *cap.: Si illic 29. caus 23. quaest. 4,* ubi Gelasius Papa scribit Geruntio, Joanni, Germano et Petro Episcopis sic: Si illic, ubi haec acta sunt, praesentibus utrisque constiterit et satisfecisse Stephanum et suplicatione suscepta eum, qui male tractatus est, ignovisse, semel in ablatione remissa punitio recidivo dolore non debet interari. Divinae scilicet imitatione clementiae, quae dimissa peccata in ultionem redire non patitur. Et auctor Glossae in decretalem Clementis III. *cap.: Plerumque, de donat. inter virum et mulierem, verb.: Nec reconciliata,* expresse dicit, quod si reconciliata fuerit, postea illam fornicationem objicere non poterit; quia ei remisit hoc, quod ipsi licet secundum evangelicam veritatem; et hoc aperte habetur etiam ex *l. crimen. 11. cod. de adult. et stupr. leg. 9. tit. 9,* ubi Alexander Imperator ait: *Crimen adulterii maritum, retenta in matrimonio uxore, inferre non posse nemini dubium est.* Ex quo enim conjux innocens post cognitum adulterium conjugis rei adhuc reddit et petit debitum, censetur ei condonasse et se spoliasse sponte jure suo ad divortium, adeoque non potest amplius conjugem reum dimittere, nisi iterum aliud adulterium committat, quia dicit *s. Antoninus 3. part. tit. 2. c. 21. §. 5:* Tunc enim eum videtur sibi reconciliasse, unde non potest innocens amplius denegare debitum adultero, nisi recidivaret. Et sic jam docuerat *s. Thomas loc. cit. n. 4. dist. 35. quaest. unic. art. 1. in corpore,* ubi loquens de casibus, in quibus maritus innocens nequit dimittere uxorem adulteram, hunc inter alios adducit, nempe: *Si reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum carnaliter eam cognoscens.*

An autem in casu, quo maritus male et injuste tractet uxorem, negando ei alimenta et debitum conjugale eamque e domo expellendo et tunc ipsa adulterium committat, possit ipse maritus divortium facere?

Affirmative respondet contra varios alios negative sustinentes *Sanchez., Dicastell. et Burghaber apud La Croix lib. 6. par. 3. n. 433; Rosignol. de affectibus matrimonii contract. 15. de matrim. VI. praenot. 11. sect. 9. n. 5; Reiffenstuel lib. 4. decretal. tit. 19. n. 70; Pirhing ibid. n. 12; Coning. disput. 35. de divort. n. 8.,* et alii plures per clarum textum in *cap.: Significasti 4. de divortiis,* ubi maritus non tenetur uxorem reciperc, quamvis ipsa allegaverit et exceperit, quod ille causa fuerit, ipsam injuste expellendo, ubi *Glossa verb.: Materiam,* rationem dat, quia uxor nulla ratione induci debet ad adulterium, *arg. cap.: Ita ne, 3. caus. 32. q. 5, et cap.: Sacris, 5. de His, quae vi metuve,* et in *cap.: Ex literis 5. de divortiis.* Non auditur uxor allegans se adulterasse, eo quia maritus ei necessaria alimenta denegavit, quia, ut ait *Glossa ibid. verb. Compulsas,* non est ignoscendum ei, quae praetextu seu obtentu paupertatis turpissimam vitam egit, ut expresse dicitur in *leg. Palam, 43. §. 5. ff.* de ritu nuptiarum. Deberet enim uxor potius omnia mala sustinere, quam adulterium committere, *arg. citat. cap.: Ita ne, 3. caus. 32. q. 5,* ibi: Potius quaelibet mala tolerare decernat, quam malo consentire, et citat. *cap.: Sacris. 5. de his quae vi metuve,* ibi: Cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere. Tum quia maritus per hoc, quod supradictam causam adeo remotam adulterii dederit, non censetur in illud consensisse vel intendisse, secus autem esset dicendum, si maritus injuste expulisset uxorem a domo vel debitum conjugale aut necessaria alimenta denegasset ea intentione, ut ob necessitatem adulterium perpetraret, tunc enim perinde esset ac si in adulterium consentiret, *per text in cap.: Si tu 24. caus. 27. q. 2,* ubi expresse dicitur: Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, et peccatum illius tuae imputabitur abstinentiae. Et *s. Thom. in prima ad Corinth. 7. lect. 2,* ubi enumerans casus, in quibus maritus non potest ob

causam fornicationis uxorem dimittere, dicit: Tertius est, quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, ut, quia non vult reddere debitum, maxime si ob id prudenter praevidere potuerit adulterium uxoris. Sic recte conciliant utramque sententiam ac interpretantur jura supra adducta *La Croix loc. cit. n. 433, Ferdinandus Krimer et Raphael Aversa* apud ipsum. Item *Rosignol. loc. cit. cum Cajetano et Sanchez de matrim. lib. 10. disp. 5. n. 6.* et alii passim tum ex supra citatis, tum ex aliis.

Quamvis ecclesia teneat matrimonium fidelium ratum et consummatum non posse quacumque ex causa, etiam adulterii, dissolvi quoad vinculum, fatetur tamen ipsum dissolvi posse quoad thorum et cohabitationem.

Hujus dissolutionis sive separationis causam legitimam esse uxoris adulterium indubitatum est.

Ratio separationis ob adulterium assignatur a *divo Thoma in IV. sentent. dist. 25. quaest. 1. art. 1:* »Dominus, inquit, dimittere uxorem concessit propter fornicationem in poenam illius, qui fidem fregit, et in favorem ejus, qui servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei, qui non servavit fidem.

Quoad divortium sive separationem ex adulterio utriusque conjugis par conditio est. Ecclesia enim in hac causa non cognoscit differentiam inter virum et uxorem. Proinde aequale est jus mariti et uxoris ad dimittendam compartem adulteram multis auctoritatibus probari posset.

Maritus uxori injuriam remisisse videtur, si post adulterium commissum et a se cognitum eam cognoverit, uti post sanctum Thomam probat cum theologis et canonistis *Sanchez lib. 10. de matrimonio disp. 14.*

Similiter neque maritum adulterum posse ob adulterium uxoris eam dimittere,*) docuit jam pridem *sanctus Augustinus lib. 1. de sermon. in monte cap. 28.* E quo sumptus videtur *can. 1. caus. 32. q. 5.* »Nihil iniquius, ait, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari.« Occurrit etiam illud ad *Rom. cap. 2. v. 1.:* »In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis, quae judicas.«

»Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus. Quod similiter et de foemina dixerim.«

*) Vd. p. 244. n. 3.

13) Divortium ab auctoritate competente declarandum.

Vd. *Adulter.* (poenae Urbis p. 264. §. 2; p. 262. n. 21.)

Divortium sive separatio ob adulterium sine auctoritate judicis fieri nequit.

Causa proinde hujus separationis ipsi legitime probanda est, neque sufficit eam alteri conjugi esse certam, nisi ipsi judici talis probetur; quod de adulterio intelligendum esse manifestum est.

Sed facta etiam separatione quoad thorum et cohabitationem, judicis est providere, ut, quantum possibile est, incontinentiae periculum adimatur neque publico cum scandalo vivant, quemadmodum deciditur in *can. 5. caus. 32. quaest. 2, et in cap. 19. tit. de convers. conjug.*

14) Duplex.

Adulterium est illicitus concubitus cum persona conjugata, *caus. 32. quaest. 4. cap.: Nemo blandiatur.* Adulterium aliud est simplex et aliud est duplex. Adulterium simplex est, cum solutus concumbit cum conjugata vel conjugatus cum soluta.

Adulterium duplex est, cum conjugatus concumbit cum conjugata. Et hoc secundum est necessario in confessione aperiendum, quia tunc duae injuriae committuntur in utriusque conjugem innocentem ac fidem duplicem conjugalem duplexque sacramentum matrimonii. Sic passim *doctores cum Azorio, Lessio, Felincio, Bonacina, Lugo, Dicastill. et La Croix lib. 6. p. 2 n. 1055.*

Jure romano adulterium in nuptam tantum committebatur, *l. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.,* et dicebatur adulter, qui corrumpebat alienam matremfamilias, *leg. 225. ff. de V. S.; Stuprator,* qui virginem viduamve, *d. l. 6. §. 1. l. 34. ad leg. Jul. de adult.* Id vero perpetuum non fuit, utroque enim verbo lex Julia promiscue et *καταχρησιχοτερον* utitur. *leg. 101. ff. de V. S.*

Ecclesiae vero Patres recte constituerunt a marito quoque adulterium in innuptam committi, quia in novo foedere summa matrimoniorum esset sanctimonia et monogamiae repugnaret fidem uxori praestitam violare vago concubitu. Vide *Tertulianum de monogam. c. 9; Lactantium lib. 6. div. instit. cap. 23, d. Augustinum sermon. 51. p. 294. tom. 5. oper. edit. Paris. et in lib. de bono conjug. cap. 4. tom. 6. pag. 321.* Unde enata distinctio inter adulterium simplex et adulterium duplex. Haec tamen distinctio in

foro, ut loquuntur, poli, non fori procedit: coram caelesti tribunali adulter erit, qui sua non contentus in aliis rumpit latus; non tamen in tribunali saeculi poenam adulterii patietur, nisi libidinem expleverit cum aliena matrefamilias. Consule *Clarum lib. 5. sent. §. adulterium n. 2, Caccialupum in repet. leg.: Si qua illustris n. 58, Cod. ad S. C. Orfic., Farinacium qu. 141. n. 66 et seq., Ant. Matthaeum de crimin. lib. 48 tit. 3. cap. 1 num. 12.*

Dividitur etiam adulterium in verum et praesumptum, sed de divisione vide: *Divortium.*

15) Ab Episcopo patratum.

Episcopus Monialem Deo sacratam stupravit, praegnantem reddidit et cum ea habuit filium, qui vix baptizatus vita migravit; alioquin ex apostolo perditionis filius appellaretur, ut ex concilio Arelatensi dixit *textus in c. Sciendum 27, qu. 7.* Veh! ille commisit scelus detestabilius omnium, si credimus *textui in cap.: Adulterii 22, qu. 7,* ex eo quia virgines Deo sacratae sunt templum et vasa D. N. Jesu Christi ac sacrarium Spiritus sancti, *c.: Decernimus, 28. dist.*, tum etiam quia ex hoc uno quatuor oriuntur crimina, sacrilegium scilicet, adulterium, incestum et stuprum. De tribus, scilicet incestu, adulterio et sacrilegio loquitur *Abbas in cap.: Dilectus, de purgatione canonica n. 2, Decian. lib. 8, tract. crim. c. 20. n. 1.*, et *Menoch. de arbitr. cas. 389.* Annectunt quarto stuprum.

Ego tamen non omittam *Sperellum dec. 137*, qui dixit committi etiam crimen laesae majestatis, et talis delinquens dicitur praecursor Antichristi. Quid in praelato, Episcopo et pastore, qui gregem sibi commissam devoravit, quando gentiles et ethnici vestales adeo venerati sunt, ut ipsarum violatores ultimo donarent supplicio, ut memoriae proditum est a *Suetonio in Domitiani vita cap. 8*, et est *text. in 7: Si quis non dicam rapere, cap.: De Episc. et cler.*

De hoc execrando crimine non potest dubitari reperiri convictum, saltem ex indiciis indubitatis, quae in istis delictis suae naturae occultis verae, legitimae et concludentes sunt probationes. Modo supplicatur pro parte fisci et adhaerentis primo Episcopum tanti criminis authorem restringi et carceribus detrudi, cum qualitas sceleris commissi aliter eum esse audiendum et examinandum non suggerat, maxime attento scandalo, quod in toto regno hujus facti conscio conceptum est. Infelix regnum! Romae olim cum hoc eveniebat flagitium, magnarum calamitatum praesagium erat: *Tacit. lib. 2 et 4; Liv. lib. 8 et 12*, cujus verba adscribere libet: Qui terrores tamen eo evasere, ut Opima virgo vestalis damnata incesti poenas daret; *et lib. 12:* Territi etiam super tantas clades, cum caeteris prodigiis, tum quod duae vestales eo anno, Opima atque Florentina, stupri compertae, et altera sub terra, ut mos est, ad portam Collinam necata fuerat, altera sibimet ipsa mortem consciverat. Quid mirum ergo, si regnum incendia, excidia, ruinae ac mala humani generis omnia undique obsident, cum virgines Deo vero sacratae, non falsis gentilium Diis, corrumpantur, sed ab ipsismet pastoribus, qui eas custodire debent et tamquam lupi rapaces devorant. Proh dolor! Ad rem redeundo ipse Episcopus vocatus ordine SSmi accedens debet statim examinari, ut docet *Faler. in sua praxi crim., verbo: Et si compareant ante contumaciam examinantur n. 13.*

Supplicatur pro remotione Vicarii Episcopi et transmissione Vicarii apostolici, cum pendente inquisitione et causae expeditione non aequum nec justum sit in administratione existere et continuare *(cap. Licet. §. Quia vero, de simonia c. Venerabiles, de officio et potestat. judicis deleg. in 6.)* Trina adducitur per doctores ratio hujus suspensionis ab administratione:

Prima, ratione infamiae.

Secunda, ne officialis persistens in officio terreat testes, qui in formali deponunt, prout experientia constat in casu praesenti, quando quidem testes, qui probabiliter informati de delicto in opere suo evasere et ad fisci favorem deposuere, hodie persequitur Vicarius episcopalis.

Tertia, ad evitanda scandala, ut notat *Franch. decis. 8*, qui aliam adducit rationem, nempe quia ipso, quod quis male incipit se gerere in publicae rei administratione, debet statim interdici ab illa, ne respublica novum damnum sentiat.

Supplicatur pro reintegratione viaticorum et expensarum, quae fisci adhaerens pro demonstrando eodem accusato tanti facinoris coactus fuit persolvere et expendere, cum, licet accusator teneatur suis sumptibus et expensis processum fabricari facere contra reum accusatum, ipso tamen reo demonstrato, reintegrari debet; ita est observantia S. C. et testatur *Nicolius verbo: Reus n. 2*, et est juris determinatio, dicit *Carleval. de judic. disp. 5, tom. 1; Guazzin. defens. 13, cap. 1,* ubi ex resolutione signaturae necessaria sunt indicia ad torturam, ut reus reintegrare debeat accusatorem de viaticis, et confirmatur ex communi doctorum conclusione, quod promittens verificare delictum et delinquentes, qui occulti sunt curiae, dummodo ei indultum concedatur, indultum consequitur et verificasse dicitur promissa, si indicia suggerat ad torturam sufficientia, ut videre est apud *Abbatem in cap.: Cum inter de jurg. can. Quamvis; Guazzin. defens. 13., cap. 1.*

Quare etc.

Reducto Episcopo in aliquo monasterio in Urbe deputetur Metropolitanus vel alter in judicem pro inpingnatione processus juxta instructionem faciendam, et interdicto suspendatur jurisdictio Ordinarii arbitrio s. Congregationis, per quam deputetur Vicarius, et quoad viatica habebitur ratio tempore opportuno.

Die 17. Decembris 1680.

(Anal. J. P. 1865 p. 1888.)

16) Ex fornicatione.

Fornicatio cum alterius uxore ante matrimonium consumatum verum constituit adulterium; non vero fornicatio cum desponsata per verbum de futuro. *Ronc. tractus XII. de sexto praecepto, et commun. doctor.*

17) Cum homicidio matrimon. dirimit.

Adulterium cum homicidio est impedimentum dirimens, quando solus adulter, commisso adulterio, occidit suam uxorem, aut sola adultera suum maritum, etiam absque conspiratione cum complice adulterii; *Communis, arg. cap.: Significavit Nobis 2., et cap.: Super hoc 3 de eo, qui duxit in matrimonium, et cap.: Si quis vivente, 5. caus. 31, q. 1.*

Ut tale adulterium cum homicidio causet impedimentum, requiruntur tres conditiones:

I. Ut unus complicum adulterii sit vera causa physica aut moralis caedis conjugis innocentis; sola enim ratihabitio caedis jam factae aut approbatio non sufficit. *Communis, arg. cit. cap.: Si quis vivente, 5. caus. 31; q. 1; c. Significasti 6. de eo, qui duxit in matrimonium.* Nec requiritur, quod uterque concurrat, sed sufficit, si unus solus eorum, etiam altero inscio, id faciat; *arg. cit. cap. 2: Si quis vivente,* ibi: Nisi forte vir aut mulier; *et cit. cap.: Significasti,* ibi: »Nisi alter eorum in mortem fuerit machinatus.«

II. Ut mors ex tali machinatione realiter et in effectu sequatur. Non enim sufficit sola machinatio, si revera mors non sequatur. *Communis, arg. cit. cap.: Si quis, vivente, 5. caus. 31, q. 1., et cap.: Laudabilem 1. de convers. infidel.*

III. Ut machinatio in mortem conjugis innocentis fiat ab alterutro eo fine et animo contrahendi matrimonium cum complice adulterii: Non enim sufficit, si fiat ex alio fine aut motivo, v. g. ex odio, vindicta et hujusmodi; *arg. cit. cap.: Laudabilem 1 de convers. infidel., et cit. c.: Si quis vivente, 5. caus. 31. q. 1,* ibi: *Occidisse notetur, ut conjungeretur,* ut notat ibi Glossa.

18) Legitimatio prolis ex adult. procreatae.

Vd.: *Legitimatio filiorum ex adult.*

19) Cum matrimonii tantum promissione.

Adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro est impedimentum dirimens, quando adulter et adultera sive ante sive post adulterium commissum promittunt et fidem dant de matrimonio post mortem conjugis contrahendo, etiamsi ipsi in talem mortem non conspiraverint. *Communis, arg. cap.: Relatum est 4, caus. 31, q. 1; cap.: Propositum 1, cap.: Ex literarum tuarum 4; cap.: Significasti 6, et cap.: Veniens 7 de eo qui duxit in matrimonium.*

Ut tale adulterium solum cum promissione matrimonii causet impedimentum, requiruntur quatuor conditiones:

I. Ut intercedat seria et acceptata ab altera parte promissio de futuro matrimonio, non enim sufficit adulterium sine tali acceptata promissione. *Communis, argum. cap.: Significasti 6; cap.: Veniens 7 et cap.: Si quis 8. de eo, qui duxit in matrimonium.* Nec refert, an adulterium praecedat vel subsequatur talem promissionem, textu expresso in *cit. cap.: Si quis 8 de eo, qui duxit in matrimonium, ibi:* Si prius vel postea . . . . illam adulterio polluisset.

II. Ut promissio et adulterium facta sint vivente eodem conjuge, non enim sufficit, si fiant post mortem ipsius. *Communis, arg. cap.: Significasti 6; cap.: Veniens 7, et cap.: Si quis 8. de eo qui duxit in matrimonium,* ubi semper dicitur: *Si vivente uxore.*

III. Ut uterque adulterans sciat alterum esse conjugatum: Non enim sufficit, si neutra vel altera pars nesciat, se committere adulterium. *Communis, arg. cap.: Propositum 1. de eo, qui duxit in matrimonium,* ibi: Quia tamen mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem; et *cap.: 7. Veniens 7 eodem.*

IV. Ut adulterium sit perfectum et consummatum: non enim sufficit copula solum attentata. *Communis cum Glossa in cap.: Si quis 9 de eo, qui duxit in matrimonium verb. Cognovit; Joann. Andr. ib. n. 4; Abbate ib. n. 6; Barbosa ib. n. 4.* Et ratio est, quia non obest conatus, ubi injuria non habuit effectum; arg. *cap.: Adolescens §. 2. de sponsalibus.*

20) Mulieris viri capti vel alias absentis.

Si maritus ab hostibus captus sit aut suae publicae rei causa diu abfuerit et interim cum aliis uxor se commiscuit, non erit immunis a legum poena, *leg. 13. §: Si quis plane ff. ad leg. Jul. de adult.* Maxime de jure canonico; vetat enim jus canonicum uxorem absentis alii nubere, quantocumque tempore abfuerit, antequam certum de morte mariti nuntium acceperit, *cap. In praesentia de sponsal., cap.: Dominus de secund. nupt.*

21) Poenae.

Adulterium cum gravissimum sit peccatum, *caus. 22. quaest. 5. c. Nemo blandiatur*, semper fuit punitum gravissimis poenis. Jure divino puniebatur lapidatione, *Levit. 20. n. 10, Deuter. 22. n. 22; Daniel. 13. 42 et Joan. 8. 5.* Jure civili legis Juliae poena erat ultimum supplicium, *l. quamvis 3. §. fin. Cod. ad leg. Juliam de adult. instit. de public. judic.* Jure canonico dabatur publice clerico adultero poenitentia decem annorum, et laico septem annorum, *cap. Presbyter dist. 83, cap.: Devotam 27, quaest. 1.* Clericus adulter deponebatur et laicus excommunicabatur, *cap.: Si quis Episcopus 27, quaest. 1.* Et approbata est poena ab Imperatore Justiniano. *Nov. 134* statuit, ut adulter vel adultera detrudatur in monasterium ad agendam perpetuo poenitentiam, *c.: Intelleximus 6. de adulteriis, cap.: Gaudemus, de convers. conjug., cap.: Consuluit de appellationibus.* Et jure canonico adhuc aufertur adultero jus exigendi debitum conjugale et conceditur, quod innocens possit facere divortium quoad thorum et habitationem; *cap.: Ex literis 5. de divort.*, dummodo fiat auctoritate judicis ecclesiastici, *cap.: Porro de divort.*

Et quoad hanc facultatem faciendi divortium maritus et uxor sunt paris conditionis, ut possit tam mulier innocens divertere a reo marito, quam maritus innocens a rea uxore; *cap.: Si quis uxorem 32. quaest. 1.*

Et propter adulterium adhuc uxor privatur dote et maritus adulter donatione propter nuptias sive dotalitio: *cap.: Plerumque 4. de donatione inter virum et uxorem*).*

Hodie per totam Italiam ac pene per universam Europam ex consuetudine leviores poenae introductae sunt, nempe pecuniariae aliaeque leviores. *Menochius de arbitr. jud. qu. lib 2. Centur. 5. cas. 149 n. 64 et seq.* cum aliis apud *Harprectum de publ. jud. §. Item Lex Julia lib. 4. Instit.; Sorge jurisp. forens. tit. 9. cap. 40. num. 19; de Franchis decis. 240 n. 9 et seq.*, ubi *de Luca in observ. n. 5, de Marin. divers. allegat. 100. num. 16.*

Adulter accusatus de adulterio lite pendente non est privandus possessione, *L. lite etc. cap. Laudabilem.* Adulter si lite non contestata est contumax, potest excommunicari: *Ut lite non contestata non procedatur. cap. 1*).*

*) Quaerunt aliqui, utrum uxor teneatur pecunias per adulterium partas marito aut alteri v. g. pauperibus vel ei qui dedit restituere? Respondit *negative Bonacina de contr. disp. 1. quaest. 3. punct. n. 12; Megala part. 2. lib. 2. cap. 32. quaest. num. 24; Graffius tom. consiliorum lib. 5. de furtis cons. 2,* quia damnum per adulterium illatum non est pecunia aestimabile aut reparabile neque leges adulterium prohibentes reddunt irritam illam acquisitionem pecuniarum ex tali causa; nec faciunt inhabilem accipientem ad comparandum earum dominium. Sed *contrarium* docent non pauci cum *Molina de justit. et jure tom. 1. tract. 1. disp. 94; Reginaldo in praxi tom. 1. lib. 10. cap. 13. num. 193; Bannez. in 2. 2. quaest. 62, art. 5, dub. 5* et aliis, qui fundantur in eo, quod maritus sit dominus corporis uxoris quoad actus conjugales. Unde concludunt, uxorem teneri omne pretium per adulterium acquisitum reddere marito, sicut alia quaevis, quae aliter laborando acquirit.

Adulter tenens concubinam, pulsa uxore vel ea retenta, si monitus eam non pellat sed adhuc cum ea adultere vivat, debet excommunicari. *Conc. Ravennat. 1. sub. Clement. V. c. 29.* Adulter, qui, ut suam libidinem libere et sine obice expleat, procurat carcerari maritum alicujus vel consanguineos mulieris, est ultimo supplicio puniendus. *Sixt. V. const. 46 incip.: Ad compescendam.* **)

Adulterans cum judaea vel gentili excommunicatur, *conc. Eliberit. c. 78.* Adulter emendatus potest negare debitum et dimittere uxorem, quae perseverat in adulterio et non vult se emendare, colligitur ex *cap.. Dixit Dominus,* et ex *c.: Si quis, caus. 32. q. 1.* Sic tenet *s. Bonaventura in 4. dist. 35 resp. ad dubium 12; s. Antoninus 3. part. summae tit. 1. cap. 2. §. 6; cum communi.* Imo adulter emendatus et a fortiori maritus nunquam adulter tenetur in conscientia dimittere uxorem, si nolit se ab adulterio emendare et in illo cum scandalo perseveret. Habetur *c.: Si vir 3. de adulteriis et stupro,* his verbis: Si vir, sciens uxorem suam deliquisse, quae non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, et ejus peccati particeps. Sic habetur etiam *c.: Sicut caus. 32. quaest. 1.* his verbis: Sicut crudelis est et iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus et injustus est, qui retinet meretricem, nam turpitudinis patronus est, qui crimen celat uxoris; et expresse etiam *c.: Dixit Dominus caus. 32, quaest. 1,* ubi adducuntur haec verba praecisa s. Hieronymi: Cum illa unam carnem diviserit et se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura, *proverb. 18. n. 13,* qui adulteram tenet, stultus et impius est. Sic tenet *divus Augustinus l. 2. retract. cap. 19; sanctus Thom. in 4. dist. quaest. unic. art. 2, s. Bonaventura in 4. dist. 39 art. lit.* et alii passim.

Adultera separata a viro propter adulterium perdit dotem et dotalitium, *c.: Plerumque 4. de donationibus, quae fiunt etc.*

22) Poenae Urbis.

Sixtus PP. V. Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad compescendam, quantum in Nobis est, carnis in lasciviam prolabentis petulantiam, praecipue vero continendos in officio sanctissimis pudicitiae et honestatis legibus subditos nostros, libenter omnem curam et sollicitudinem adhibemus. Nam et hoc ipsum arbitramur paternae caritatis et providentiae proprium maximeque congruum munus, exquisita quadam diligentia nova quotidie remedia et subsidia comparare, quibus a christifidelibus peccati et scandali occasionem Domino adjuvante submoveamus; et occurrendum est vehementiori studio, ut nequaquam inolescant in publicae honestatis dedecus, pudoris et christianae disciplinae detrimentum ac animarum perniciem graviorum quorumdam flagitiorum corruptelae, quale est adulterium divinis humanisque legibus damnatum, praesertim si publico scandalo impudenter committatur, per quod sanctum matrimonii foedus, Deo auctore junctum, sacrilege violatur, cum tamen illud oporteat caste et religiose custodiri, dicente Apostolo: *Honorabile connubium in omnibus et thorus immaculatus,* ac conjuges mutua se debeant charitate diligere eodem Apostolo monente: Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea. Et iterum: Mulieres subditae estote viris, sicut oportet in Domino; Viri, diligite uxores vestras et nolite amari esse ad illas.

*) Ut huic doctrinae debita lux effundatur, sententia sive casus *cap.: Ut lite etc.* est proponendus. Mulier quaedam virum suum accusarat de adulterio, ut separationem thori et dotem sive etiam donationem propter nuptias obtineret. Procurator viri hujusmodi libello uxoris noluit respondere et alia atque alia allegando pluries inducias postulabat. Tandem die statuta quum crederetur responsurus libello restitutionem uxoris primo fieri postulavit, ne secus fieret, appellando. Verum quia mulier dicebat se virum habere suspectum et idem procurator nec de mulieris impunitate cavere et judicum conspectui se praesentare non curabat, testes mulieris recepti sunt; dubitabatur: An etiam ad definitivam sententiam esset procedendum. Respondet Innocent. III.: Quia lite non contestata testes fuerant recepti et attestationes etiam publicatae, non esse ad definitivam sententiam procedendum; potuit tamen vir propter suam contumaciam excommunicari. Porro quando lis dicenda sit contestata, patet ex *cap. 1 de litis contestat.*, nimirum per petitionem ab actore in jure propositam et subsecutam ipsius rei responsionem. Item quando quis dicendus sit contumax, ut possit excommunicari sive aliis affici poenis, latius disserit *Gonzalez. comment. in cap.: Tuae fraternitatis 3. tit. laud. Ut lite non contestata.*

**) Vd. *infra n. 22.*

§. 1. Invigilandum quoque Nobis est, ut avertamus a christifidelibus divinae Majestatis iram, indignationem atque flagella, quae propter hujusmodi foeda carnis peccata et scelera in filios diffidentiae, *praesertim vero in violatores alieni thori*, gravissima divinitus immitti solent, quemadmodum sacrarum testimonio scripturarum, tum variis successibus permultisque exemplis comprobatur, tum vel maxime ex iis, quae Pharaoni Aegypti regi et Abimelech regi Gerarae, quod Saram Abrahae uxorem abduxissent, signis clarioribus evenerunt, praeter aeternae damnationis poenam, quam iidem miserabiliter incurrunt. Nam, sicut idem pronunciat Apostolus: *adulteros et fornicatores judicabit Deus*, et si ulla unquam tempora fuerunt, quae judiciorum et legum severitatem requirerent, certe haec ipsa temporum conditio, qua nos Deus ad ecclesiae suae gubernacula vocavit, hoc vel maxime exposcit. Nam, ut est fragilis et fluxa mortalium natura et ad malum prona, nisi divina bonitas adjuvet et eorum, qui praesunt, fraenum cohibeat, ita plurimis ab hinc annis propter nimiam ipsorum malitiam depravatamque peccandi consuetudinem et effraenatam audaciam vitiorumque licentiam improbi homines tantum sibi sumpserunt, ut sperarent, quicquid eis libitum esset, id se impune perpetrare posse. Igitur post repressam sceleratorum audaciam, qui caedibus et latrociniis ditionem ecclesiasticam atque adeo suburbana loca vexabant, nunc etiam in Urbe, ut, quod aeque necessarium est, inde sumamus initium, corroboranda fides connubialis, comprimendae publicae praesertim moechantium libidines et alienis conjugiis insidiantium impudens nequitia coercenda, legitimae sobolis honestae propagationi consulendum, et si qua dissoluta aut dilapsa fluxerunt, severis legibus vincienda sunt, praecipueque curandum, ne qui cives aut incolae sanctae hujus et sacerdotalis civitatis flagitiorum turpitudine, per varias machinationes et fraudes diabolico astu adinventas, polluantur, sed ab eorum commercio pravi abusus et publicae ignominiae labes nostris potissimum temporibus exterminentur et perpetuo exulent ac potius haec alma Urbs nostra, omni virtutum genere florens, pura et immaculata luceat splendore et munditia honestatis suae, omnesque externas gentes ad sui imitationem convertat. Id enim postulat ipsius Urbis sanitas et religio, quae sanctorum apostolorum et innumerabilium martyrum sanguine consecrata atque adeo perfusa est, ut, quoquo pedem quis ponat, credere possit se venerandos eorum cineres calcare. Id praeterea requirit dignitas ipsius civitatis, quae nostra propria Sedes, caput orbis et religionis effecta benigne excipit gremio suo, quasi communis patria, omnes undique nationes ex remotissimis regionibus et ultimis terris ad eam confluentes. Id denique exigit communis utilitas universi populi christiani, ut, obstructo ore impiorum, advenae petentes huc disciplinam, mores, regulam normamque vivendi, spiritualis aedificii non minus quam materialium operum structuram admirentur urbanisque exemplis meliores effecti ad suos revertantur. Proinde ad servandam invicem inter conjuges perpetua fide et concordia societatem et ad publicae honestatis pudorem illibate tuendum, super infrascriptis capitibus praesenti nostra in eadem Urbe dumtaxat perpetuo valitura constitutione duximus providendum.

§. 2. Primum igitur, cum matrimonium individuam vitae consuetudinem continere debeat idque non solum naturali jure sed etiam divino manifestius comprobetur, dum dicitur: *Relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una;* et Christus Dominus noster in evangelio subjungat: *Itaque jam non sunt duo sed una caro, quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;* ac denique testetur Apostolus sacramentum hoc magnum esse in Christo et in ecclesia, et propterea nefas sit conjuges fideles se propria voluntate aut arbitrio a conjugali thoro separare, nisi ex causa a sacris canonibus permissa et auctoritate ac judicio ecclesiae cognita et probata, idcirco, ne quis in posterum hujusmodi facinus impune committat vel attentare audeat, apostolica auctoritate *statuimus et ordinamus, ut conjuges, qui quaeve indissolubilem matrimonii nexum divina lege copulatum contemnentes sine ecclesiae judicio seu ecclesiastici judicis sententia propria temeritate a communi cohabitatione discesserint aut se a conjugali thoro separare praesumpserint, arbitrio judicum pro excessuum gravitate puniantur.*

§. 3. Sed, etsi per sententiam judicis ecclesiastici separatio facta fuerit, ne ipsi conjuges, sacrorum canonum et publica judicum auctoritate abutentes deliquendi et adulteria committendi occasionem sumant, *statuimus et decernimus, maritum, qui dolo aut fraude sive alia quavis occasione vel causa, ctiam secundum juris canonici dispositionem, separationem thori ab uxore sua affectaverit, procuraverit et obtinuerit, seque a cohabitatione uxoris, cum effectu separaverit, ac, post a se abjectam vel amotam uxorem, pellicem vel concubinam palam induxerit et retinuerit,* aut cum scortis et meretricibus et aliis mulieribus impuram vitam duxerit adeoque impudenter se volutaverit in coeno luxuriae et adulteriis, ut vel ex eo satis constet ipsum ad exercendam liberius libidinem suam se ab honestissimo matrimonii jugo exsolvendi causam de industria quaesivisse, poena ultimi supplicii plectendum esse.

§. 4. *Similiter uxorem*, quae, instigante antiquo pacis et pudicitiae hoste, sub praetextu morum, saevitiae, furoris vel insaniae, impotentiae coeundi, maleficii aut alterius canonici impedimenti vel alicujus delicti marito suo objecti aut alias quoquomodo suscitatis contra maritum discordiis ac dissidiis, etiam ad id via juris procedendo, supterfugium obedientiae maritalis improbe exquisierit et fraenum ac jugum viri sui excutere seque ab illo eximere procuraverit, aut certe culpa sua marito petendae separationis causam praebuerit, et posteaquam a connubiali thoro judicio ecclesiae separata extiterit, quasi auctoritate legum et judiciorum suae luxuriae explendae occasionem nacta, se scandalosae et impudicae vitae dederit et complura ac cum diversis personis adulteria perpetraverit, aut se in praedam adulterorum turpiter commaculandam publice exposuerit sive palam quaestum fecerit, eadem poena ultimi supplicii puniri volumus.

§. 5. Quod si, pendentibus hujusmodi litibus et controversiis super separatione vel divortio aut subsecuta, ut praemittitur, thori separatione, *uxor ipsa arbitrio judicis*, ad quem spectaverit, in monasterio aliquo Monialium aut certe in aliquo tuto et honesto loco sive apud aliquas probas, honestas et non suspectas personas deposita et collocata fuerit (super quo etiam, ut id magna adhibita cautione et sine aliquo periculo aut suspicione circumspecte fiat, judicis ipsius conscientiam oneramus), statuimus, ut ipsa uxor sic deposita et collocata, si e monasterio, sine licentia sui judicis, violata clausura, exiverit, sive a custodia et cura vel alio honesto loco sibi per judicem assignato *temerario ausu aufugerit et vitam impudicam et inhonestam duxerit, eadem etiam poena plectatur.*

§. 6. *Praeterea cum, qui, ut virginem aliquam aut alienam uxorem stupro sive adulterio corrumpat aut polluat, ejus patrem aut matrem, fratrem sive sororem aut maritum aliamve personam, sub cujus cura, tutela, custodia vel potestate illa existit*, praetextu cujusvis causae civilis, criminalis aut mixtae, etiam ad procuratoris fisci instantiam, in carcerem detrudi directe vel indirecte procuraverit et ea occasione deinde virginem illam sive uxorem alienam stupraverit aut adulteraverit, cum et is quoque, suae pravae concupiscentiae explendae causa, publica legum et magistratuum potestate impudenter abutatur et sub colore judicii innocentes atque incautos opprimat, dicta quoque poena statuimus puniendum.

§. 7. *Ac postremo etiam in patrem, matrem aut virum, qui quaeve suae filiae virginis pudorem aut propriam uxorem in praedam alienae libidinis tradiderit* et re ipsa prostituerit aut induxerit, ut, contra jus et fas, stupra et adulteria, quaestus aut alia quavis causa, palam exerceat, poena eadem volumus animadverti.

§. 8. Antiquis tamen juribus contra caeteros adulteros et adulteras, leones et lenas ac stupra et hujusmodi facinora perpetrantes promulgatis alias in suo robore permansuris.

§. 9. Caeterum, quemadmodum hac nostra constitutione in Nobis propositum est, ut si quos homines inposterum honestatis ac divinae legis interdum oblivio coeperit, eos saltem supplicii metus a flagitiis sceleribusque deterreat, ita hodie tales nullos esse vehementer optamus. *Quod si quae forte sint conjugatae, quae palam impudice ac turpiter vivant, iis novem dumtaxat dierum spatium post hujus constitutionis publicationem* ad resipiscendum damus, intra quod tempus, si velint redire ad cor, venerabilem fratrem nostrum Jacobum Episcopum Portuensem Cardinalem Sabellum, nostrum in praedicta Urbe vicarium vel ejus vices gerentem adire debeant eisque polliceri se deinceps pudicam vitam acturas et aut cum suis viris cohabitaturas aut honesto in loco, ubi ab ipsis judicibus, ut supra dictum est, collocatae seu depositae fuerint, permansuras. Quo termino elapso, contra sic ut supra delinquentes, ad poenas praedictas omnino procedi mandamus.

§. 10. Decernentes sic per quoscumque judicari debere irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 11. Et nihilominus mandamus universis et singulis dictae Urbis judicibus ordinariis pro tempore existentibus, quibus contra reos talium criminum aut quoad causas hujusmodi jurisdictio competit vel in futurum competet, ut curent praemissa omnia, juxta praesentium literarum continentiam et tenorem, firmiter et inviolate perpetuis futuris temporibus observari et contra criminosos ac delinquentes praedictos utriusque sexus inquirant et procedant ac in eos juxta praemissa culpabiles repertos praedictis poenis, ut supra dispositum est, animadvertant, contumaces, rebelles et inobedientes eisque auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestantes per opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ac adhibito, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictae Urbis statutis, reformationibus et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis.

Die 30. Oct. 1586.

(Bull. r. t. VIII. p. 789. Ed. Aug. Taur. 1863.)

22) Praecedens.

Adulterium praecedens, reclusa machinatione et fide futuri matrimonii, non est impedimentum dirimens matrimonium. *Bened. XIV. tom. 1. constit. 113. incip.: Redditae n. 22.*

23) Probatio.

Vd. *Adulter.* (divort. ob adult. quando licitum p. 247.)

Difficultas esse solet in adulterii probatione: Haec utique bene desumitur ab ea celtica lue, quae matrimonium subsequatur, quae vere talis et venerea sit, non ad illius similitudinem et ab innocuis progenita causis, puta nimia sanguinis acrimonia, incauto vel nimio conjugii usu ab ipso praesertim matrimonii exordio et aliis, quae considerat *Zacch. quaest. medic. legal. tom. 3. caus. 28. num. 14; Baglions de morbo venereo cap. 10.*

Die 11. Mart. 1786 *Imolen. (Vd. p. 251.)*

Post pacificam duodecim annorum vitae conjugalis consuetudinem, quinque susceptis filiis, perturbari coepit domestica quies inter conjuges Livium et Cajam. Vir enim Livius parochum adiit uxorem Cajam insimulans adulterii crimine thorique separationem postulans. Summo studio parochus, ut par erat, pacem et concordiam fovere conatus est; cum autem neque per se neque per alios quidquam proficeret, rem detulit ad ecclesiasticam curiam.

Hinc institui coeperunt ad normam juris acta processualia et coram judice se sistens vir fassus est: Ab anno circiter uno se in uxoris agendi ratione detegisse notabilem mutationem, se in officina inter alios operarios quemdam Titium habere sexdecim abhinc annis, qui molitus est relationem inhonestam cum Caja sua uxore, quam relationem hoc facto se cognovisse enarravit: »Horis vespertinis cujusdam diei ego ingressus domum fenestram quamdam aperui ac vidi Titium fugientem juxta murum . . .; regressus sum ac meam uxorem offendi, quae ne verbum quidem mihi dixit. E domo egressus ad uxorem rescripsi in hanc sententiam: Discede e domo, si vis, ut aliquando facultatem tibi faciam osculandi filios tuos. Post duas horas domum ductus in meam uxorem haec verba protuli: Nefanda mulier . . . . Ipsa nihil respondit et surgens e domo fugit. Postridie mane dimisi ex officina Titium, qui tantum haec verba potulit: Id praevidebam. Vocata in judicium uxor judici interroganti respondit: Adeo de mea innocentia in causa honestatis certa sum, ut optem quam maxime causam omni juris rigore ventitari, ut mea innocentia comprobetur.«

Ad factum vero, quod vir enarrarat, coram judice respondit: »Animadverto Titium domum meam quotidie quam saepissime frequentare et solitum fuisse e scrinio ephemerides tollere ac legere, quemadmodum ea die fecerat . . .«

Ad probandam uxoris infidelitatem vir primo quatuor, deinde octo alios testes designavit, qui, exceptis duobus, quorum ignotum erat domicilium, sub juramento examinati fuerunt. Attamen eorum testimonia simul collecta in has sententias conveniebant: Mulierem esse domi assiduam educationi filiorum et negotiis domesticis sedulo intentam; se quidem vidisse Titium domum saepe intrantem praesente vel absente viro, sed nihil inde mali suspicatos esse, quia Titius inter praedilectos viri operarios ita recensebatur, ut ejusdem frater esse videretur, nunquam vero vel signum aequivocum vel factum indecens se conspexisse aut aliquid audivisse, quod minus honestum reputari posset.

Unica testis a caeteris dissentiens nonnulla enarravit, quae nimiam innuere videban-

tur familiaritatem uxoris cum Titio; haec tamen testis ex parochi testimonio concubina erat cujusdam militis.

Dum haec acta processualia conficerentur, Livius alimenta, pendente lite, uxori assignata denegavit, donec muliebria quaedam ornamenta, quae e domo fugiens mulier secum tulerat, redderet; ac idem vir sub specioso titulo educatricis filiorum saltatricem quamdam mulierculam domum introduxit, quod tam ingens scandalum vicinis creavit, ut ipsa civilis auctoritas mulierculam expulerit, sed vigilantiam magistratus Livius eludens eamdem apud se iterum advocavit.

Praeterea cum suis amicis gloriari Livius non erubuit de sua turpi cum ea muliercula consuetudine; idque judici interroganti negare ausus non est.

Hucusque perductis actis vir actor petiit ulterius, ut alii testes super infidelitate uxoris sub juramento in judicio examinarentur; at curia, rejecta ejusmodi viri instantia, sequentem edidit sententiam: »Viso, quod unica accusatio, qua actor impetit uxorem, est, adserta conjugalis fides a Caja violata cum Titio, quod factum, cui innititur accusatio, est deprehensio Titii in remoto quodam cubiculo domus, dum tamen in altero reperiretur Caja:«

»Considerato, quod actor factum admittit, quod usque ad illam diem tutus de uxoris honore fuerat, quod injuria suspiciones de Titio haberentur, qui a multis annis sibi subjectus suam frequentaverit familiam, se praesente, quin unquam ex hoc in mentem actoris subierit suspicio verae relationis amoris cum uxore:«

»Considerato, quod adjuncta loci et temporis, quibus Titius deprehensus est, nullum praebeant motivum suspicandi adversus eum, qui a multis annis actoris domum jugiter frequentabat ipso actore sciente, eo vel magis, quod actor his in adjunctis ea ipsa die et occasione, qua Titium domi deprehendit, plene tranquillus, ut ipse fatebatur, mansit tum de illo tum de uxore sua, quinimo paullo post per tractum quemdam viae Titium comitem habuit, eumdemque ut antea excepit:«

»Considerato, quod testes ab actore adducti ad probandam praehabitam amoris consuetudinem nullimodo actorem juvant; quinimo ex quatuor testium depositionibus resultat, rationem agendi uxoris erga Titium ne indicium quidem ejusdem consuetudinis praeseferre: quod unica testis, quae non suffragatur uxori, factum adducit, quod impar est ad rationabilem suspicionem inducendam; quod factum cum hac vi destituatur, opus non est, ut judicetur: an haec testis possit in judicio admitti ob suam rationem vivendi:«

»Viso e contrario, quod actor fassus est, qua relatione se habeat cum muliercula saltatrice: quod tandem ex habitis notitiis resultat, rationem vivendi actoris cum dicta muliercula praeseferre characterem adulterae consuetudinis:«

»Hoc tribunal decrevit et pronunciavit sicut decernit et pronunciat: Rejiciendam esse, quemadmodum rejicit tamquam fundamento destitutam, instantiam viri contra propriam uxorem ipsumque eam recipere teneri.

Hac edita sententia querebatur Livius ob neglectum aliorum testium examen, quos nominaverat; ideoque nullitatem latae sententiae declarari postulavit. Causa deveniente per appellationem ad S. C. transmissa sunt acta processualia. Facta autem facultate partibus deducendi, quatenus velint, ulteriora jura sua coram S. C., Livius uxorem insimulabat, quod coram parocho culpam fassa esset, quodque nunc apud malae vitae foeminam commoraretur; adducebat praeterea quasdam testium extrajudicialium depositiones: uxor e contra nihil ulterius deduxit monens dumtaxat, modo mulierculam saltatricem dimissam fuisse, ne Livius eam in sua domo parientem haberet. Audito itaque de more iterum Ordinario causa disceptata est sub dubiis, quae infra habentur.

Favore Livii dicebatur ex officio, super productione novorum testium, ipsum, licet una alteraque vice testes in causa produxerit, tamen ex jure non prohiberi tertiam facere testium productionem *juxta cap.: In causis 15. de testibus*, et *cap.: Ultra 55. eod. tit.*, ex quibus admittitur etiam quarta testium productio, si praescriptae solemnitates adhibeantur: sic enim legitur in dicto capite *Ultra:* Ultra tertiam productionem non debent testes ulterius produci in causa, nisi praestito ab eo, qui hoc postulat, juramento, quod neque per se neque per alium testificata subtraxerit vel fuerit percunctatus, neque per dolum aut artem aliquam quartam productionem exposcat, sed quia, quos desi-

derat de novo producere, prius habere nequivit.«

At contra observabatur novum non esse in jure, ut denegentur ulteriores testium productiones, quae necessariae non sint, tum quia effraenata testium multitudo cohibenda est, tum ne sub optatae probationis praetextu lites nimium protrahantur, *cap.: Significaverunt 36. cod. tit.,* in quo capite quartam productionem testium Pontifex litigantibus permittens adhibita solemnitate legali hanc limitationem adjecit: Nisi forte judices quartam productionem negaverint pro eo, quod voluerint effraenatam multitudinem testium refraenare, ubi *Glossa,* adductis juribus, ait: »Ex eadem causa posset judex denegare tertiam et etiam secundam . . ., ex quo eadem subest causa in secunda sive in tertia et quarta.« Cui consonat jus civile *Lege 1. ff. de testibus* §. *quamquam;* ibi enim statuitur: Quamquam quibusdam legibus amplissimus numerus testium definitus est, tamen ex constitutionibus principum haec licentia ad sufficientem numerum testium, quem necessarium esse putaverint, evocari patiantur, ne effraenata potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium protrahatur.

Ea quae adnotata sunt circa causae meritum.

Considerata in merito causa Livius dicebatur actionem suam seu instantiam non probasse ideoque planum esse principium: *Actore non probante reus absolvitur.*

Sed hypothesi facta, qua potuisset Livius suam sustentare actionem, haec ad rem observabantur. Licet adulterium unius conjugis praebeat alteri divortii perpetui jus, hoc tamen jus amittitur, si alter conjux ejusdem criminis sit reus, *cap.: Significasti 4. de divortiis,* in quo Alexander III. rescripsisse legitur: »Quod si notorium est mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.« Cujus dispositionis rationem addit Innocentius III. in *cap. 6. et 7. de adulteriis,* scilicet: Paria crimina mutua compensatione delentur, cui consonat *lex viro et uxor. 39. ff. soluto matr.*

Neque interest, an unus prius aut saepius aut gravius quam alter deliquerit, *Sanchez lib. 10. disp. 6; Pirhing. in lib. 6. tit. 19. n. 8; Reiffenstuel ibidem num. 80, 59.* Imo delictum post rem judicatam superveniens praejudicare illi conjugi, cujus favore lata est sententia docet *Fagnanus in cap.: Ea liter. 5. de divort. n. 9.*

Quare concludebatur, si igitur conjux, qui innocens judicatur et cui facultas sit separatam vitam agendi, ad cohabitandum tamen compellitur propter adulterium, quod deinde committat, multo magis in praesenti themate juri conformem videri debere sententiam curiae, de qua agimus, quae Livio, indulgenti adulterinis amoribus, prospera, ex defectu probationis, non accidit.

Dubia.

I. *An sit locus examini novorum testium in casu seu potius*

II. *An sententia curiae sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

S. Congregatio Concilii causa cognita die 27. Januarii 1866 respondit

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et amplius.

Ex his colliges:

I. Productionem multorum testium in judiciali processu posse a judice rejici, si ea productio effraenata videatur vel ad causam definiendam prorsus inutilis.

II. Neque interesse, an id accidat in tertia vel etiam secunda testium productione, sufficit enim earum rationum existentia, ut prudens judicis arbitrium nimiam productionem repellat.

III. In praesenti casu tertiam novorum testium productionem ad probandam divortii instantiam rite fuisse rejectam tanquam inutilem.

IV. Plures enim testes ab ipso actore primo et secundo loco producti non solum de uxoris adulterio non testabantur, sed ipsas actoris suspiciones fundamento destitutas comprobabant.

V. Maxime cum ex notorio facto ostenderetur potius, pendente lite, actoris adulterium; quo exstante, si ipsa uxor adulterii rea comprobata esset, cogendi erant conjuges ad individuam vitae consuetudinem.

VI. Paria enim crimina mutua compensatione delentur.

Nota.

Ejusmodi principium aures quorundam auctorum offendere videtur, inter quos reperitur eruditus jurisconsultus *Carolus Berardi,* qui in *comm. ad jus eccles. vol. 2. dissert. 7. de dissociatione conjugum c. 2.* scripsit: »Exceptio est, si uterque conjux simili delicto

inquinatus fuerit, *can. 1. et 2. caus. 32. q. 6, c. 4. et 3. de divor. c. 6. et 7. de adult.,* non quidem quod, ut nonnulli perperam scripsere, paria delicta mutua compensatione abolita censeantur, sed quod non mereatur audiri in judicio accusator illius criminis, quo et accusator ipse inquinatur, quemadmodum habetur in rescripto Imperatoris Antonini apud s. *Augustinum in lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 18.*«

Sed si hoc principium est verum, illud non videtur esse falsum, dummodo rite intelligatur. Haec duo enim principia non modo opposita non sunt sed quadam mutua relatione ad invicem consociantur. Quod scriptum reperitur in *leg. 39. ff. soluto matr.,* ibi: Viro atque uxore mores invicem accusantibus causam repudii dedisse utrumque pronuntiatum est, — ita accipi debet, ut ea lege, quam ambo contempserunt, neuter vindicetur: paria enim debita mutua pensatione dissolvuntur.

Paria autem delicta ad invicem facta mutua compensatione dissolvi aut aboleri non dicuntur, quia publicae legis vindictae sive humanae sive divinae subjacere non debeant, sed quia censetur »Iniquum esse, communem malitiam petitori quidem praemio esse, ei vero, cum quo agatur, poenae esse, cum longe aequius sit, ex eo, quod perfide gestum est, actorem nihil consequi«, *leg. 10. ff. de compensat.* Neuter itaque ex sua petitione quidquam consequi debet; compensari enim censentur ad invicem ex malitia communi et injuriae et detrimenta.

Quod principium videtur ortum ex compensatione, quam fieri contingit inter debitum et creditum, namque ex *leg. 1. ff. de comp.:* Compensatio est debiti et crediti inter se contributio. Quae compensatio ad negligentiam facile protensa est, unde legitur in *leg. 10. ff. de compens.:* »Si ambo socii parem negligentiam societati adhibuimus, dicendum est desinere nos invicem esse obligatos, ipso jure compensatione negligentiae facta. Simili modo probatur, si alter ex re communi aliquid perceperit, alter tantam negligentiam exhibuerit, quae eadem quantitate aestimetur, compensationem factam videri et ipso jure invicem liberationem.« Quod principium in usu est penes theologiae moralis auctores.

Protensa insuper est haec de compensatione doctrina ad facta dolosa; *in leg. 36. ff. de dolo* legitur: »Si duo dolo malo fecerint, invicem de dolo non agent,« atque ideo ad mutua delicta vel potius ad injurias mutuas mutuaque detrimenta, ex paribus delictis: unde principium: Paria delicta mutua pensatione dissolvantur: adeo sapientia et aequitate praestabant veteres romanae leges!

Compensari ergo dicebantur mutua delicta spectato delictorum effectu et ideo veteres romanae leges actionem denegabant. Ex altera praeterea causa actio denegabatur, ex contemptu scilicet legis; quia aequum esse videbatur, ut ea lege, quam ambo contempsissent, neuter vindicaretur. Quibus principiis quadam altiori ratione usus est tum Apostolus *ad Rom. II. 1.:* In quo judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis quae judicas; tum Magister divinus, Joan. c. VIII. 3. adversus accusantes mulierem in adulterio deprehensam, legem invocantes, dicens: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

Vd. p. 244. n. 3.

24) Estne cum putativa soluta?

Cf. p. 257. §.: *Quarto.*

Si quis se conjunxerit cum ea, quam bona fide putabat solutam esse, cum vere nupta esset, stupri, non adulterii tenetur, *argum. l. haec verba 12. et l. penul. ff. ad leg. Jul. de adult.* Confer *Farinac. q. 141. n. 82. et seq.*

E converso si adulterare volens praeter spem stupraverit, tanquam adulterium puniendum esse voluit *Farinacius d. q. 141. n. 101,* a qua sententia divortium facit *Antonius Matthaeus de crim. lib. 48. tit. 3. cap. 2. n. 6.*

25) Solum adult. cum alio matrim. contracto.

Adulterium solum cum alio matrimonio contracto est impedimentum dirimens, quando adulter vivente legitima sua uxore cum altera adultera contrahit per verba de praesenti, vel adultera vivente legitimo suo marito cum alio adultero per verba de praesenti contrahit; tunc enim, etiam mortua uxore adulteri vel marito adulterae contrahere numquam possunt. *Communis, arg. c.: Propositum 1; c.: Cum haberet 5; c.: Veniens 7; c.: Si quis 8. de eo, qui duxit in matrimonium.*

Ut tale adulterium solum cum alio matrimonio contracto causet impedimentum dirimens, requiruntur duo conditiones:

I. Ut matrimonium cum primo conjuge sit validum: non enim sufficit matrimonium ex aliqua ratione invalidum. *Communis, arg. cap: Significavit 2 de eo, qui duxit in matrimonium.*

II. Ut matrimonium cum primo conjuge contractum sit notum secundo conjugi: non enim sufficit primum contractum matrimonium, si secundus conjux ipsum penitus ignoraverit. *Communis, arg. cap.: Propositum 1, et c.: Veniens 7 de eo, qui duxit in matrimonium.*

26) Num cum sponsa committitur?

Vd. *Stuprum.*

An cum sponsa adulterium committatur? Frequentiori calculo interpretes probavernnt committi, teste *Farinacio qu. 141. num. 52.* Confer *Harprestum ad inst. lib. 4, tit. 18. §. Item lex Julia 4. n. 24. et seq.*; *Brunemannum com. in Pand. lib. 48. tit. 5. ad leg. 3. n. 7.* Non defecerunt, quibus placuit adulterium committi dumtaxat cum sponsa de praesenti, non de futuro. *Clarus ad leg. 80.; Taur. n. 7,* quorum sententiam impense defendere conatus est *Covarruvias part. 1. de sponsal. et matrim. cap. 1. num. 6. cum seq.*, notatus a *Franc. Sarmiento select. interpr. lib. 1. cap. 4. num. 1. et seq.* et ab *Ant. Matthaeo de crimin. l. 48. t. 3. c. 1. n. 6.* In alia omnia discessit *Jo. Voet comment. in Pand. lib. 48. tit. 5. num. 9.*, qui voluit cum aliena quoque sponsa non adulterium in specie sed potius stuprum proprie dictum committi.

Advenae.

1) Quando lex eos obligat?

Vd. *Jejunium* (advenar. et peregrin.); *Lex* (oblig. quoad vagos, *nota.*)

Peregrini et advenae existentes extra territorium suum non obligantur ad leges speciales sui territorii. *Communis, per textum in l. ult. de jurisdict. omn. judic.*, ibi: »Extra territorium jus dicenti non paretur impune« et *cap.: Ut animarum 2. de constitutionibus in 6,* ibi; »Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune«. Leges enim non feruntur in personas absolute sed dependenter a territorio, *l. Omnes populi, ff. de justitia et jure.* Imo peregrini et advenae existentes extra suum territorium non solum non obligantur ad leges speciales sui territorii sed nec ad leges communes in suo territorio vigentes, si istae non vigeant in loco, ubi per modum hospitii reperiuntur aut morantur. *Communis; arg. cap.: Ille autem 11. dist. 12.* Tunc enim quilibet potest se accommodare rationabilibus consuetudinibus locorum, in quibus existit, cum privilegio locali frui possint omnes in eo loco existentes. Hinc Itali, dum hospitantur aut morantur in Germania, possunt licite vesci lacticiniis diebus jejunii, quamvis haec in Italia pro talibus diebus non liceant; et sic de similibus.

Peregrini et advenae exeuntes e suo territorio et nacti domicilium in alio loco cum animo ibidem permanendi, illico adstringuntur legibus illius loci tam communibus quam specialibus. *Communis, arg. l. domicilium ff. Ad municipalem, l. Cives, cod. de incolis lib. 10., cap.: Ex parte 15, et cap.: Licet 20. de foro competent.* cum similibus.

Porro certum est, legibus communibus totius ecclesiae ubique locorum teneri peregrinos et advenas christianos, cum semper subsint jurisdictioni ecclesiae, ubicunque existant. Sic quilibet peregrinus tenetur ad jejunia quadragesimae et vigiliarum atque ad audiendam missam diebus dominicis festivisque, quia haec sunt de praecepto totius ecclesiae.

»Certum insuper est illum, qui migrat aliorsum, fixurus ibidem domicilium, mox teneri legibus illius loci, cum primum incipit ibidem degere; nam ex tunc incipit esse incola illius loci.« *Reiffenst. de legib. qu. 3, n. 20 et 21.*

Ille vero acquirit quasi domicilium, qui manet in aliquo loco per majorem partem anni vel qui ibi moratur per aliquod notabile tempus, cum animo ibi manendi majori parte anni, ut recte ajunt *Roncaglia, Layman* et summus Pontifex *Benedictus XIV. inst. eccl. 33. num. 6;* et communis sententia docet, quod talis contrahens quasi domicilium teneatur legibus loci, ubi est.

Non tenentur absentes ad leges patriae, ut communissimum est, ex *cap.: Ut animarum de constit. in 6,* etiamsi lex sit de jure communi, quando peregrinus est in loco, ubi illa abrogata est . . . et hoc, etiamsi discederet a patria ad eximendum se a lege. Hinc docet Paulaus cum Basilio posse peregrinum, qui nolit peccata reservata proprio parocho confiteri, alio discedere, ut ab alio absolvatur, quia tunc utitur jure suo. Et hoc etiam valet, si ille maneat in sua patria, sed in loco exempto . . . .

An vero pro locis exemptis intelligantur etiam conventus Regularium? Negant *Suarez, Con. apud Salmat.*; sed dicunt intelligi tantum oppida et ecclesias intra dioecesim, alienae tamen jurisdictioni subjectas. Sed affirmant Salmaticenses . . . quia tam loca quam personas Tridentinum exemptas appellat, *sess. 14. cap. 5. de reform. in fin.*, et valde probabile est.

Unde resolves: Si Episcopus sub poena excommunicationis vetet usum aleae, non obligantur clerici ludentes in loco exempto a jurisdictione Episcopi; *Bona; Laymann.*

Si quis die jejunii aut festo sit in loco alio, non sui territorii aut exempto, ubi tunc non est jejunium aut festum, potest ibi comedere, exercere servitia, *Laymann, Bona.*

Id etiam habet locum in praeceptis juris communis, si in loco isto sint usu abrogata vel non recepta vel habeatur privilegium. Quare potes v. g. Mediolani primis quatuor diebus quadragesimae vesci carnibus; item in loco, ubi Tridentinum non est receptum, valide (etsi non licite) inire matrimonium clandestinum. *Suarez, Sanchez, Less.*

Hic magna quaestio occurrit disceptanda: An peregrini possint dispensari ab Episcopo loci, ubi sunt, tam in legibus communibus (puta jejunii vel abstinentiae ab opere servili) quam in votis et juramentis? Adsunt quatuor sententiae. Prima affirmat universe tam pro legibus quam pro votis . . . . Secunda sententia prorsus opposita dicit, quod peregrinus, quoad usque acquirat alicubi verum domicilium, nunquam subditus est censendus et ideo nec tenetur ad leges loci nec potest dispensari in legibus communibus neque in votis aut juramentis ab illius Episcopo. Tertia sententia censet, peregrinum adhuc transeuntem bene posse dispensari ab Ordinario loci in legibus etiam communibus, quia ipse quoad leges bene subditur jurisdictioni illius Superioris, non autem quoad vota et juramenta . . . Quarta sententia communissima . . . . tenet posse peregrinum dispensari ab Episcopo loci, non solum in legibus sed etiam in votis et juramentis, modo ibi sit animo permanendi per majorem anni partem. Ratio, quia ex illa diuturna habitatione contrahitus quasi domicilium . . . . Et idem sentit *Sanchez* . . quoad dispensationem facultatum concessarum Episcopis a Tridentino in *cap. 6. liceat sess. 24. de reformat.* Ex *d. Ligorio de natur. et obligat. legis n. 156 et 57.*

2) Missam audientes.

An peregrini et advenae exeuntes e loco, ubi est festum de praecepto, transituri ad alium locum, ubi non est festum, teneantur ante discessum audire missam?

Variant doctores; auctores enim 18 apud *Pasqualigum de sacrificio qu. 1296. teste La Croix l. 1. tr. 2. cap. 2. dub. 2. num. 684* tenent partem affirmativam. Alii autem undecim, apud eundem Pasqualigum, Busemb. et varii alii tenent absolute partem negativam. At placeat distinctio, quam multi alii afferunt; vel enim, antequam discedant e suo territorio, nullum ibi celebratur Sacrum et tunc non tenentur exspectare sed possunt discedere et non audire sacrum, vel antequam discedant, celebratur Sacrum, quod sit unicum in tali loco et tunc ante discessum tenentur illud audire, quia pro tali differentia temporis tenebantur illa die audire Sacrum, quod, cum ibi supponatur esse unicum, non poterat ibi audiri alia hora adeoque tenebantur illud audire ante suum discessum, cum ante suum discessum eos urgeret praeceptum audiendi illud unicum Sacrum tali tempore celebratum, vel tandem in

loco, a quo discedunt, celebrantur plura Sacra, et tunc, quamvis unum vel duo Sacra celebrantur ante suum discessum, si alia Sacra remaneant celebranda, postquam discesserint, non tenentur Sacrum audire, antequam discedant, quia, si ibi mansissent, potuissent licite exspectare aliud Sacrum et etiam ultimum ibi celebrandum, adeoque cum ante elapsum tempus illius sint deobligandi, eo quod migraturi sint in aliud territorium, in quo non est talis obligatio, etiam non tenebuntur praevenire. Et ratio est, quia, quando praecipitur auditio Sacri, subintelligitur tacita conditio, si toto illo tempore, quo Sacra celebrantur, permanserit quis in loco diei festi et consequenter subditur praecepto; in supposito autem nostro casu tales peregrini et advenae non remanent in loco festi pro toto tempore, quo Sacra celebrantur, sed eodemmet mane, antequam omnia Sacra celebrentur, exeunt fines illius loci et perveniunt ad alium locum, ubi non currit festum de praecepto adeoque etc. Sic *Sanchez, Lessius, Castropalaus, Bonacina, Henriquez, Praepositus, Amicus, Reiffenstuel, Delbene, Moza, Illsung* aliique multi apud *La Croix loco cit. num. 684.*

Tenentur tamen tales peregrini et advenae ante discessum a territorio, ubi currit festum, toto illo tempore, quo permanent, ibi abstinere a labore servili, quia hoc praeceptum obligat divisibiliter pro qualibet parte notabili totius dici. *Paulus Mezger tract. 8. dic. 33. art. 5. §. 4. num. 28.* et alii passim. Cum autem pervenerint ad locum, ubi non est festum, dummodo illuc non se contulerint in fraudem legis, possunt laborare, quamvis in loco sui domicilii, propter peculiare festum ibi currens, debeant ex praecepto abstinere a labore servili; statuta enim et consuetudines locales sunt veluti loco affixae adeoque tale peculiare festum sui domicilii non ligat ipsos, dum existunt sine fraude legis extra districtum dicti sui domicilii. *Lessius lib. 4. de justitia et jure cap. 2. n. 55; Navarr. cap. 13. manualis n. 5; Reiffenstuel theol. moral. tractat. 2. de legibus dist. 3. quaest. 4. n. 33.* et alii passim.

3) Quando et ubi vacare debent ab operibus servilibus?

Vd. *Advenae* (missam etc. §.: *Tenentur*).

Advocatus.

1) Causarum dilatio.

Peccat advocatus plures causas accipiens quam supra vires expedire possit, nisi clientes de hoc moniti, attenta eximia advocati peritia, sint contenti. Et graviter peccat et ad restitutionem tenetur, si cum praejudicio clientum causarum expeditiones notabiliter ipsis invitis differat vel falsis cavillationibus innixus quaerat superfluas et non necessarias dilationes in gravamen partis. *Leg. Quisquis vult, cod. de advocat. et leg. Properandum §.: Ille procul dubio, cod. de judic.* Imo in causa matrimoniali advocatus procurans, ut causa malitiose differatur vel ut matrimonium non sortiatur effectum, excommunicatur, *Concil. Oxon. cap. 4.*

2) Causa justa vel injusta.

Advocatus non potest suscipere patrocinium causae, quam cognoscit esse injustam, *l. Rem novam §.: Advocati, cod. de judiciis.* Et si eam suscipit, graviter peccat et tenetur ad restitutionem pecuniae acceptae a suo cliente et damni contra justitiam causati parti adversae. Et ratio est clara, quia agit contra conscientiam patrocinando causam injustam, quam si talem sciret cliens, non produceret nec pars adversa injuste gravaretur adeoque, cum totius utriusque partis damni causa sit ejus aviditas lucri temporalis, sequitur manifeste eum tenere ad integram restitutionem. Et sic expresse tenet *s. Augustinus epist. 153. alias 54. n. 25,* in qua

advocatum alloquens ait: *Redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitate adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti. Sic s. Thomas 2. 2. q. 71. art. 3. in corpore; s. Antonin.* et alii communiter. Si autem causa clientis a principio videbatur advocato justa vel saltem probabilis aut dubia, et in progressu cognoscat esse injustam, tenetur statim eam deserere et clientem suum inducere, ut a lite desistat aut cum parte adversa componat absque tamen ejus damno. *Leg. Rem non novam, §.: Patroni, cod. de judiciis.* Et sic tenet expresse *s. Thomas 2. 2. quaest. 71. art. 3. ad 2; s. Raymundus in sum. lib. 2. tit. 5. §. 39; s. Joannes Capistranus tit. 1. tract. speculum conscientiae intitulat. §.: Restat ultimum num. 29; s. Antoninus* cum communi signanter, absque tamen ejus damno, quia advocatus non potest suadere compositionem cum damno partis adversae, quando certe cognoscit causam esse injustam; compositio enim habet locum, quando res est dubia; aliter peccaret et ad restitutionem teneretur, quia daret causam damno, quod ex tali compositione seu transactione alteri parti justam causam defendenti emergeret; compositio enim vel transactio non fit nisi aliquo dato et retento vel remisso, quod datum et retentum seu remissum in tali compositione consulta ab advocato suo clienti causam injustam foventi esset poenitus injuste ablatum ab alia parte causam justam tuenti, adeoque restituendum.

In causis probabilibus et dubiis potest etiam minus probabilem causam advocatus tueri, admonens clientem sive actorem sive reum de minori probabilitate. Licet contrariam sententiam Salmanticenses satis probabilem autument, huic tamen adhaerent et ipsis consentit *d. Ligorius lib. IV. v. 3. dub. III. num. 222, et communius theologi.* Id de causis civilibus. In causis vero criminalibus dubiis non licet advocato tueri partes actoris, eo quod agens argumento minus probabili graviter peccaret in reum. *Fill. lib. 40. c. 1.*

3) A causa quando recedere debet?

Advocatus praevidens certo argumento causam semper dubiam mansuram seque nihil posse evincere, tenetur a causa recedere, ne injuste possessorem vexet et actor inaniter rem suam profundat. *C. De Lugo de just. d. 41; Salm. in t. 1. sect. ult. num. 108.*

Vd. *Advocat.* (causa justa etc. p. 272.)

4) Clericus quando esse potest?

Vd. *Sacerdos* (judex).

Clerici in sacris constituti aut beneficium ecclesiasticum habentes nequeunt in foro saeculari advocatum agere, nisi in causa propria vel propria ecclesiae vel in causa etiam consanguineorum intra quartum gradum, quando alium aeque bonum advocatum illi habere non possunt, vel in causa personarum miserabilium, *cap.: Clerici, et cap.: Cum sacerdotis, de postulat.*

Item Monachi et Religiosi omnes, etiam Canonici regulares, nisi pro utilitate sui monasterii et accedente simul mandato proprii Praelati regularis: *lib. 1. decretal. tit. 37. c. 2. de postulando.*

Item Episcopi et Superiores, *cap.: Te quidem, 11. quaest. 1.* In foro autem ecclesiastico possunt advocatum agere clerici in sacris et beneficiati, etiam pro laicis, ut colligitur *ex cap.: Per venerabilem, qui filii sint legit.*, et cum aliis tenet *Fagnan. in c. 1. n. 7. tit. 36. de postuland.* Nullus autem clericus potest contra ecclesiam, a qua beneficium obtinet, existere advocatus vel procurator pro extraneis, *cap. ultimo §. Clericus, de postulando.*

Clerici, qui contra ecclesiam, a qua beneficium tenent, postulaverint, tanquam ingrati, ipso facto censentur privati beneficio, ut post alios tenet *Fagnanus ad cap.: Cum sacerdotis, postul. num. 14,* quod ex moribus Feudorum ductum videtur, quorum naturam habent beneficia ecclesiastica, *Bohemerus ad lib. 1. decretal. tit. 37. §. 10.*

Num vero clericus contra ecclesiam advocare prohibitus nihilominus causae litigatorum consiliis et scriptis inservire poterit? Extra judicium ei permissum censet *Pignatellus to. 4. consul. 191. num. 3,* nam poenae strictissime sunt accipiendae, *cap.: Poenae d. 1, Wesemb. in paratitol. ff. tit. de postul. n. 5;* in judicio non item: *Perinde enim est,* sunt verba Pignatelli loco mox citato, *scriptis, an absque scriptis aliquis in judicio advocat.*

Deinde ecclesiasticis legibus arcentur ab advocationis munere clerici, tam in majoribus quam in minoribus ordinibus constituti; cujus tamen prohibitionis non una est ex-

ceptio, ut in *cap. 1. et ult. de postulando* notatur.

Verum licet clericis postulare inhibeatur pro aliis coram judice saeculari, posse eos tamen coram ecclesiastico judice super saeculari negotio advocatorum officium obire. communiter tradunt *Abbas*, *Martha*, *Velascus et Barbosa.*

Casus, quibus clerici etiam coram judice saeculari postulare possunt, sunt sequentes:

Primus est, quoties in causa propria aut ecclesiae suae miserabiliumque personarum patrocinium praestant, ut docent *Majolus, Salcedo*, *Barbosa*, *Garzias* et alii plurimi.

Secundus casus est, quum patrocinantur pro conjunctis personis vel ratione sanguinis vel spirituali cognatione vel pro Canonicis suis, ut tenent *Barbosa et Garzias* praedicti.

Tertius, dum non coram judice saeculari pro tribunali sedente sed domi suae conficiendo juris allegationes alicui ex partibus patrocinantur, ut resolvit *Thomas Sanchez lib. 6. summ. cap. 3. num. 32.* His casibus alium adjungunt *Barbosa et Fragosus*, dum clerici in uno negotio patrocinium praestant et eo negotio finito in alio, quia clericis prohibitum est non uni sed pluribus negotiis saecularibus se immiscere. Illud etiam apud omnes liquet, clericos etiam in minoribus ordinibus constitutos beneficia non habentes posse etiam coram judice saeculari postulare, ut sic propriae necessitati consulant.

Circa clericos vero in minoribus ordinibus constitutos, licet primis ecclesiae temporibus nulla prohibitio in eis postulandi reperiatur, imo, dum *can. 6. et 83* Apostolorum et in aliis ecclesiae sanctionibus a Gratiano compilatis in *dist. 88.* prohibetur clericis negotiis saecularibus se immiscere, specialiter caveatur de presbyteris et diaconis, ad caeteros vero inferioribus gradibus initiatos non protrahebatur, tamen a temporibus concilii Constantinop. idem de sacerdotibus ac de clericis in minoribus constitutis ordinibus statutum fuit. Videatur *canon. II. ejusdem concilii;* cui accedit decisio Alexandri III., ex qua deducit hujusmodi prohibitionem coram judice saeculari procedere, dummodo clerici minores ecclesiae stipendiis sustentantur, ut pluribus relatis resolvisse videtur *Vela dissert. 42. num. 29.*

Licet clerici possint etiam in foro saeculari advocati munere fungi, quoties agatur de causa *miserabilium personarum*, tamen animadvertendum, quinam veniant nomine *personae miserabilis.* Legitur in *textu. c. t. XXXVII:* Miserabiles intelligi, qui *proprias causas administrare* non possunt. Quae verba Abbas et Fagnanus *ib. n. 18.* explicant: miserabiles, pro quibus postulare possit clericus in foro saeculari, illos esse, qui non habitu sed actu sunt tales, quique vel ob paupertatem vel ob quodlibet impedimentum causam promovere nequeant. Quapropter clerici postulare non possunt in foro saeculari pro viduis et pupillis divitibus ad propriam causam promovendam sufficientibus.

Excipiuntur causae sanguinis vel mutilationis, in quibus clericus advocare non potest ob periculum irregularitatis; *c. q. ne clerici vel monach.* Licet autem nulla adsit prohibitio, quin clericus advocet pro eo in causis sanguinis, attamen tutius abstineri potest, ne ob suam imperitiam vel defectu practicae judicialis ideoque propria culpa reus innocens morti vel mutilationi addicatur. *Abb. in c. 1. n. 5.* t. *XXXVI.*

Nunquam Mendicantes etiam pro utilitate proprii monasterii et licentia proprii Praelati possunt advocare. Imo nec possunt personaliter assistere advocatis et procuratoribus, cum in curiis eorum temporalia negotia agitantur, ad eosdem instigandos; ex *Clement.: Exivi §.: Proinde de verb. signif.* Rationes hujus exceptionis legi possunt ibi.

Si clericus esset in una ecclesia Praelatus, potest postulare adversus aliam ecclesiam, in qua beneficium simplex obtinet, quin amittat beneficium; quin videtur ratione Praelaturae, posse contra aliam advocare, *arg. can. Infames. §.: Item si contra paerem.* 2. 9. 7. Idem habet *textus et glossa: Si qui presbyteri 1.* 9. 7.

Prohibentur clerici praesertim beneficiati aut in sacris constituti agere officium procuratoris et advocati in saeculari judicio seu foro, apud quem postulare non possunt, nisi pro seipsis, pro ecclesia aut, si necessitas immineat, pro miserabilibus personis; textus sunt clari et aperti in corpore juris civilis, *Autent. de Sacr. Episcop. §.: Deo autem. vers. alium;* et in corpore juris canonici *in cap.: Quia Episcopus 5. quaest. 3; cap.: Nullus 11. q. 1; cap.: Credo et seq. 21. q. 3; cap.: Clerici 1. de postulando*, ubi sic expresse dicitur: *Clerici in subdiaconatu et supra in ordinibus quoque minoribus, si stipendiis ecclesiasticis sustententur, coram saecular judice advocati in negotiis saecularibus fieri non praesumant, nisi propriam causam vel ecclesiae suae fuerint prosecuti aut pro miserabilibus forte personis, quae proprias causas administrare non possunt.* Concordat *cap.: Cum sacerdotis sit officium 3. eodem titulo*, ubi additur: Posse etiam postulare necessitate imminente pro personis conjunctis, ibi: *Non nisi pro seipso vel ecclesia sua vel (si necessitas immineat) pro personis conjunctis aut miserabilibus sibi licitum esse postulare; cap.: Cum multa sunt negotia 1. Ne clerici vel Monachi; cap.: Sacerdotibus 2. eod. tit.*, ibi: *Sacerdotibus et clericis tuis denuncies publice, ne ministri laicorum fiant, ne in rebus eorum procuratores existant.* Quod est intelligendum, etiamsi laici essent principes aut alii magni domini; *cap.: Sed nec 4. Ne clerici vel Monachi*, ibi: *Sed nec procuratores villarum aut jurisdictiones etiam saeculares sub aliquibus principibus et saecularibus viris, ut justitiarius eorum fiat, clericorum quispiam exercere praesumat.*)*

5) Consistorialis.

Advocatorum consistorialium privilegia et jura in unum colliguntur; eorum collegii antiquitas et decus asseritur; eorum duodenarius numerus, ex quibus constare debeat, declaratur, munus advocati consistorialis quomodo vacet, demonstratur, eorum collegio reservatur jus praesentandi tres advocatos summo Pontifici in casu vacationis; de eorum praecedentiis et habitu ac antianitate et de jure optandi ad decanatum statuitur a *Benedicto XIV. tom. 1. constitut. 106. incip.: Inter conspicuos §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.*

Advocati consistoriales sunt veri Papae familiares. Ad eos pertinet causas consistoriales pertractare. In causis beatificationis et canonisationis scribere in jure easdemque causas in consistorio perorare. In solemniis canonizationum instantias proponere. Pallium petere pro Archiepiscopis aliisque. Ad ipsos spectat regimen Archigymnasii Urbis. Privativa facultas in Urbe doctorandi in utroque vel altero jure ipsis tribuitur, cum extinctione litis inter eosdem et protonotarios apostolicos. Eorum collegio perpetuo addicta sunt munera promotoris fidei, advocati pauperum, advocati fisci et camerae apostolicae, advocati fabricae s. Petri, advocati S. P. C. R., commissarii conclavis Sede apostolica vacante. Eisdem conceditur oratorium domesticum et facultas condendi statuta ac removendi officiales collegii. Idem in *cit. constit. incip.: Inter conspicuos, a §. 9. ad 35.*

Advocatorum consistorialium decanus in actibus collegialibus praecedit omnibus de collegio, etiam personali dignitate praestantibus. *Idem tom. 1. constit. 98. incip.: Inter plures §. 16.*

Advocati fisci et camerae apostolicae officium incompatibile in posterum decernitur cum officio promotoris fidei; *Jtem in cit. constit.: Inter conspicuos §. 32.* Advocatus fisci et camerae apostolicae et advocatus pauperum abstinere debent a patrocinandis alterius generis causis. *Idem ibid. §. 33.*

Super advocatorum consistorialium origine non una omnium est opinio: aliqui enim putant Benedicto X. tribuendam esse eorum originem; alii vero eam a Gregorio Magno repetunt, qui sua auctoritate pauperum aliarumque personarum, quae essent oppressae, septem instituit defensores et istos, lapsu temporis, nomine mutato, vocatos fuisse advocatos consistoriales tenent. Sane ante Bened. X. plures ista qualitate praeditos esse novimus, uti Bonifacius VIII., s. Raymundus aliique apud *Rubeum in opuscula* advocatorum consistorialium et *Scannarol. de Visit. carcer.*

Gravissimum Romae est collegium advocatorum consistorialium et amplissimis donatum fuit privilegiis, quae tamen ob varias causas in desuetudinem abierunt; at Benedictus XIV. *const.: Inter conspicuos* illa renovat atque confirmat.

Habent privilegium missam faciendi ante auroram hora una et una hora post Nonam.

*) Rescripta et brevia pro exercendo advocati munere saecularibus clericis etiam beneficiatis tum et sacris ordinibus initiatis concedi, ut advocaturam exerceant in tribunalibus ecclesiasticis, in laicalibus et coram judice saeculari, cum agitatur causa propria ipsorum vel ecclesiae suae vel miserabilium personarum. Quamquam in brevibus conceditur sacerdoti saeculari pauperi, ut libere causas civiles et criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur, quin et tamdiu munus illud exercere permittitur, donec certos ecclesiasticos redditus ad congruam sustentationem sufficientes vel beneficium residentiale obtineat. *Benedict. XIV. de syn. dioeces. lib. 13. cap. 19. §. 12. nov edit.*

6) Contractus cum cliente non contrahendi.

Vd. *Advocatus* (taxa).

Advocato non licet cum cliente aliquem contractum inire, *leg. quisquis vult, cod. de advocat., et cap.: Infames. 3.* §. *praeterea 3. q. 7,* quia cliens durante lite contrahens cum advocato contractum v. g. emptionis vel venditionis facile cogeretur contrahere cum suo praejudicio propter timorem litis perdendae, sicuti aegrotus cogeretur cum suo damno contrahere cum medico propter timorem perdendae vitae, si in casu repulsae a medico sibi irato relinqueretur, *argument. leg. Medicus, ff. de variis et extraordin. cognit.*

7) Falsarius et praevaricator.

Advocatus aperiens adversario secretas scripturas et alia secreta causae sui clientis dicitur falsarius; *leg. 1.* §.*: Is qui deposita, ff. ad leg. Cornel. de falsis;* et ut falsarius est puniendus; *c. Si quis aliquid* §.*: Si quis instrumentum, ff. de poenis.* Sic graviter peccat advocatus utrique parti simul et semel inserviens pro eadem causa, quia repugnat, ut utramque partem aeque defendat; necesse enim esset, ut vel secreta unius partis alteri revelaret illamque ex propiis suis secretis documentis impugnaret, vel neutri parti specialiter assistendo causam malitiose protraheret contra *l. Quisquis vult, cod. de advocat.* Imo talis advocatus haberetur ut praevaricator. *Leg. 1. cod. de advocat. diversor. judicior. et lege 1. de praevaricatoribus.* Cum praevaricator sit, qui ex utraque parte consistit. Caeterum advocatus non proprie *praevaricator* dicitur, *l. 1. D. de praevaric.,* ut animadvertit P. Philip. *Vicat. in suo vocabular. utr. juris verb.: Praevaricator.*

8) Interpres legum etc.

Advocatus peccat graviter adducens scienter falsas leges vel abrogatas vel leges bonas malitiose in falsos sensus detorquens, falsas scripturas aut falsos testes producens, imo scienter utens falsis pro veris falsi crimen incurrit, *cap.: Dura saepe, et sequent. de crimine falsi, et leg. 1.* §. *ad legem Corneliam de falsis.*

Vd. *Interpret. legis.*

9) Judex ejusd. causae esse non potest.

Peccat advocatus si in eadem causa velit esse advocatus et judex, quia debet inter utrumque esse differentia personalis, cum duo officia contraria in eadem causa eidem exercere non liceat, *leg. Quisquis vult, cod. de advocatis.*

10) Laureatusne esse debet?

Advocatus non tenetur esse Laureatus; advocati enim officium requirit solum doctrinam, non doctoratum. *Rota rom. part. 18. tom. 1. decis. 357. n. 10. et 11.*

11) Pauperum.

Advocatus tenetur egenis in extrema vel gravi necessitate gratis patrocinari, alias si requisitus recuset, graviter peccat, ratione legis debitae charitatis. *Est communis doctorum.* Imo ad hoc potest a judice compelli sub poena pecuniaria et etiam privationis officii, *per textum in l. Providendum 7. cod. hoc tit.* et in statu ecclesiastico est hoc expresse praeceptum a Paulo V. constit. 71. incipiente: *Universis.* Et hoc intellige, ubi non reperitur deputatus et stipendiatus proprius advocatus pauperum, quia, ubi adest iste, non tenentur alii, cum ipse teneatur ex justitia et officio ratione stipendii et privilegiorum, et maxime privilegii fori, quo gaudet, etiamsi sit laicus, ut declaravit *sacra Congregatio Immunitatis in Beneventana 20. Julii 1655.* Non tenetur tamen advocatus pauperum patrocinium praestare gratis viduis et pupillis, si sint divites, quia censetur deputatus et stipendiatus solum pro pauperibus, ut tenet *Pirhing. in jus canon. tom. 1. lib. 1. tit. 37.* §. *1. assert. 3; Sporell. dec. 256. n. 31,* et alii passim.

12) Ad restitutionem quando tenetur?

Vd. *Advocatus* (causa justa etc. p. 272.).

Advocatus, qui propter negligentiam, suam ignorantiam vel imprudentiam causam a se susceptam male defendit, tenetur etiam ad restitutionem, quia causae patrocinium suscipere non debet, nisi sit ad id idoneus et debitam tali causae curam afferat, ut expresse habetur *in cap.: Si culpa fin. de injuriis et damno dato lib. 5. tit. 36, ubi Gregorius IX. habet praecise haec verba: Si culpa tua datum est damnum vel injuria irrogata... aut haec imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere vel jacturam.* Sic tenet *s. Thomas* 2. *2. q. 71. art. 3; s. Raymundus in summ. lib. 2. tit. 5.* §. *39; s. Bernardinus Senensis serm. 34. in Domin. 4. Quadr. cap. 4. tom. 1.* et alii communiter. Ipse enim advocatus mortaliter peccat, si, cum non sit idoneus, officium advocati exerceat; *leg. Nemini, ff. de advocat.* Sicuti etiam mortaliter peccat et ad restitutionem tenetur, si causam sui clientis pro viribus non defendat et omittat negligenter aut malitiose adducere jura et fundamenta ad causam facientia et necessaria, cum ad hoc ex justitia sit stricte obligatus vi sui officii et recepti solarii. *Leg. properandum* §.*: Illo procul dubio, cod. de judiciis, et leg. advoc. cod. de advoc. diver. judicior. et canone Irreligiosum d. 87,* ubi Gelasius Papa similia sic habet: *Irreligiosum prorsus et execrabile judicamus, si quisquam vel extraneos in sua tuitione susceptos non omni fide et tota animi sui advocaverit sanctitate*).*

Advocatus, qui contra debitam fidelitatem detegit adversario secreta et fundamenta causae sui clientis, peccat mortaliter et tenetur ad restitutionem, si propter hoc cliens perdidit causam, quam sine tali detectione fuisset victurus, *cap.: Si quis, de clericis 12. quaest. 2.*

*) Advocatum tamen in foro conscientiae non teneri de culpa levi atque adeo, si contingat cum causa cadere, eo quod non praestiterit quod doctissimus et diligentissimus quisque praestitisset, dummodo praestiterit, quae solent diligentes et docti in similibus causis, non teneri ad restitutionem affirmat *Lessius lib. 2 cap. 7. n 81. et 32; Azor p. 3. lib. 13. c. 29. dub. 5; Malderus in 2. 2. tr. 6. 3. c. dub. 10; Fernand. in exam. theol. mor. lib. 4. q. 44. num. 2; Graff. dec. p. 1. lib. 3. c. 8. n. 4; Navarr. in manual. 25. num. 28; Rodriq. in summ. t. 1. c. 6 num. 6; Ortiz. in summ. c. 8. num 3; Turrian tom. 2. in 2. 2. disp. 11. dub. 4. n. 3. et 5,* et alii. Multi contrarium docent; sed si eorum sententia esset tenenda, *vae, vae advocatis!* exclamat *P. Diana part. 2. tr. 15. resol. 59.*

13) Taxa.

Vd. *Advocatus* (contractus etc.; pauperum).

Advocato non licet pacisci cum suo cliente de quota litis, idest de dimidia, tertia vel quarta parte ejus sibi attribuenda, si causam reportaverit aut vicerit, quia propter malas artes, quibus uti posset advocatus ad reportandam causam spe aliquotae conventae illectus, sic pacisci gravissime prohibetur, *leg.: Si quis advocatorum, cod. de postulando, et canon. Infames* §.*: Arceantur 3. q. 7.**)

Advocato non licet pacisci cum cliente de pretio post inchoatam litem sed vel ante coeptam vel post finitam, quia postquam suas scripturas et fundamenta ipsi aperuit, cogetur quolibet pretio stare, ne prodatur, *cap.: Infames 3. quaest. 7.*

Advocato non licet pro arbitrio pretium exorbitans a cliente exigere sed solum moderatum prout a lege taxatum, vel si non est taxatum a lege, juxta praxim fori et regionis, attenta magnitudine vel parvitate causae et laboris: *Leg. Quisquis vult, cod. hoc tit., et canon. Infames* §.*: Apud urbem, 3. q. 7.*

*) Diana *part. 2. tract. 16. resol. 49.* haec subjungit: *Dico igitur, communem opinionem negantem procedere in foro exteriori, non autem in foro conscientiae, ubi Deus est ille, qui videt veritatem et non respicit praesumptionem, super quam fundantur leges prohibentes pactum inter advocatum et clientem de quota lite. Ergo quoties deficit praesumptio fraudis et injustitiae, leges istae non obligabunt.* Idem sentiunt *Victorellus in manual.; Nav. c. 25. n. 30; Jo. Valerius in differ. utr. fori, v. contractus differ. 3; Homob. de Bonis, de statibus p. 2. c. 4. n. 5,* et hanc opinionem probabilem putat *Zanardus in direct. confess. p. 2. praecept. 3. c. 34. q. 8,* ubi contrariam sententiam, quam ipse tenet, vocat tantum tutiorem. Sed cum lex illa justa sit et leges humanae justae conscientiam obligent, Dianae et aliorum, qui Dianam sequuntur, opinio tuta mihi censeri nullo modo videtur

Aetas.

1) Ad beneficia requisita.

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio nondum insignitus etc.); *Missa fundata* (celebranda per ipsum beneficiatum etc.).

Conc. Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de reform.* sanxit: *Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.* Antonius autem Bonavita praesentationis tempore octavum annum vix excesserat ac proinde adhuc aetate carebat, quam Tridentinum exigit. Haec vero legis ratio in beneficiis etiam laicis juris patronatus servanda est, quemadmodum docent *Ventrigl. in prax. rer. notab. par. 2. an. 6. §. 1. n. 6; Barbosa jus eccles. unio. l. 3. cap. 12. n. 157; Rota cor. Crispo dec. 2. n. 7. et s. Cong. in Viterbien. Concursus 21. Julii 1742. §.: Porro.*

Die 21. Novbr. 1829. *Melevitana.*

Oratoris precibus quamplura propitia sunt dispensationum exempla, quas haec sacra Congregatio impertiendas censuit patronorum filiis vel ex genere vocatorum descendentibus, ut ecclesiasticum beneficium vel etiam canonicatum in ecclesiis Cathedralibus assequerentur, etiamsi pubertatis annos nondum attigissent, quemadmodum videre est in *Monasterien. Canonicatus 7. Aprilis 1753. §.: Vacarunt, et in Gallien. et Pergulana 22. Februarii 1823. §. Favet.*

Die 30. Maji 1829. *Platen.*

Pueri ante decennium incapaces sunt beneficiorum, *concil. Lateranense III. in appendice tit.: Quibus et quando, cap. 1; concil. Senonense in decretis morum cap. 8. et 9; conc. Lateranense IV. cap. 30; concil. Ravenat. II. sub Clement. V. cap. 16; cap.: Super inordinata 35. de praebendis.* Sed ex conc. Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformat.* quilibet clericus est incapax beneficii ante annum 14.

Nihil antiqui canones de aetate statuisse videntur, sed eam prudenti Episcoporum arbitrio reliquerunt, quum Apostolus *1. ad Timotheum cap. 4.* scripserit: Nemo adolescentiam tuam contemnat. Quo factum est, ut primis saeculis ecclesiae summi Pontifices, ut imprimis *Siricius in can.: Quicumque*, et *Zosimus in can.: In singulis dist. 77* pueros ab infantia in ecclesiasticis ministeriis ante pubertatem in lectores etiam et exorcistas adscriptos probaverint. Ex quo vero tempore certa aetas praefinita fuit in ecclesia ad beneficia, tum de varia in hoc aetatis requisito disciplina consule *Gagliar. de benefic. d. cap. 9. a num. 17. ad num. 20.*

Norunt EE. VV. Tridentinos Patres *sess. 23. cap. 6.* decrevisse, ut *nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium obtinere possit.*

Die 22. Maji 1841. *Derthonen.*

Alexander III. scribens Archiepiscopo Cantauriensi ejusque Suffraganeis mandavit: *Ut nemini infra annum quartum decimum constituto personatum cujuslibet ecclesiae concedere praesumatis. Sciturі pro certo, quod inde feceritis, irritabimus et inobedientiam vestram graviter puniemus*, prout habetur in *cap.: Indecorum 3. de aetate et qualit. praeficiend.* Hanc disciplinam renovavit s. concilium Trid. *sess. 23. cap. 6. de reform.*, in quo statuitur: *Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.*

Sustinent *Corrad. prax. dispens. lib. 4. cap. 2. num. 8, Piton. discept. eccles. 13*, quod a regula receditur, si agitur de persona passive vocata et unica ex contemplata familia. Sac. Congregatio concurrentibus relatis circumstantiis et accedente consensu patronorum quandoque indulsit, ut ecclesiastica beneficia obtinerentur a personis, licet nondum decimum quartum annum expleverint. *In Lucana Beneficii seu Capellaniae 17. Maji 1749.* Dispensavit cum puero quadriennii. *In Monasterien. seu Osnaburgen. Canonicatuum 1. Julii 1753* eamdem dispensationem concessit puero quinquennii et in *Beneventana Dispensationis* patronus nominavit ad capellaniam institutam in ecclesia sub invocatione ss. Nominis Jesu cum onere celebrationis missae quotidianae proprium filium in sexto aetatis anno constitutum sub spe obtinendae dispensationis, et proposito dubio:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu? Die 28. Augusti 1779 rescriptum fuit:

Affirmative usque quo orator ad legitimam aetatem pervenerit pro suscipiendo sacerdotio, adimpletis oneribus.

Die 11. Jan. 1783. *Bononien.*

Congregatio benignam se praebere solet erga beneficiorum patronos et bene de ecclesia meritos, praesertim si subsidio indigeant ad vitae exhibitionem aut ad studiorum curriculum absolvendum. Quamobrem nonnumquam indulsit, ut pueri ad beneficia nominarentur vel saltem, ut interim suspensa collatione, donec legitimam ipsi attingerent aetatem, redditus in proprium levamem aut in studiorum causam insumerent, ut videre licet *in Vercellen. 19. Julii 1766, in Asculana Dispensationis 20. Maji 1786 et in Sutrina Canonicatus 20. Junii superioris anni.*

Die 30. Jan. 1830. *Hortana.*

2) Ad beneficia simplicia.

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio etc.)

Aetas requisita ad beneficium simplex obtinendum est aetas quatuordecim annorum. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformat.* his verbis: *Nullus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere;* et annus quatuordecimus sufficit, quod sit incoeptus, ex declaratione sac. Congr. Concil. teste *Armend. in addit. ad recomp. legum*; *Navarr. lib. 1. tit. 20. l. 1. de aetatibus num. 5; Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 5. in princip. n. 90.* et alii. Si vero in fundatione beneficii sit statutum, ut illud etiam conferri possit minori quatuordecim annorum, seu fundator expresse voluerit sufficere, quod praesentatus esset clericus primae tonsurae, tunc non requiritur aetas quatuordecim annorum. Sic decrevit sacra Congregat. Concil., ut testatur sac. Rota rom. *in Monopolitana Beneficii seu Capellaniae 6. Junii 1622. coram Merlino, et in Cordubense Capellaniae 5. Decemb. 1629. coram Coccino Decano.* Similibus autem fundationibus non fuit derogatum per concilium Tridentin. loco citato, ut fuit decisum a sac. Congr. ejusdem concilii teste *Gonzalez ad regul. 8. cancel. gloss. 5. in princip. n. 91.*; *Ricc., Navarr.* et alii. Tunc enim standum est juris communis dispositioni, secundum quam etiam clericus primae tonsurae et in septimo anno constitutus erat capax simplicis beneficii, *cap.: Si eo tempore, de rescriptis*, et *Rota rom. part. 2. in Granaten. Capellaniae decis. 194. n. 2. 12. Jan. 1606. coram reverendissimo Lugdunensi.* Et haec aetas septem annorum sufficit ad pensionem obtinendam nec ad eam exigitur aetas quatuordecim annorum requisita per Tridentinum ad beneficia ecclesiastica. Sic decisum fuisse a. sac. Congreg. Conc. refert *Gonzalez ad regul. 8. cancell. gloss. 5. n. 26; Lezana, Barbosa* et alii.

De aetate requisita ad simplicia beneficia fundata ante concilium Tridentinum non levis quaestio est. Sunt qui tenent, non requiri aetatem quatuordecim annorum ab ipso Conc. Trid. statutam pro ipsis beneficiis simplicibus assequendis, sed sufficere aetatem septem annorum de jure antiquo requisitam, cui fundator se conformasse praesumitur. Vide *Navar. quaest. forens. part. 1. quaest. 71. num. 5. et sequent; Lauren. for. beneficial. part. 2. sect. 1. cap. 2. §. 3. quaest. 160; Rota in recent. decis. 403. n. 17. et sequen. part. 4. tom. 2. cor. Merlin. decis. 40. a num. 13. ad plur. sequent., et in Valentina Beneficii 8. Maji 1747. §. 15. cor. bon. mem. Vicecom.* At eidem supremo tribunali alias placuit haec distinctio, quod aut constat fundatorem vel expresse vel tacite indicium aliquod dedisse, quod contentus erat aetate impuberi, et in hoc casu nova dispositio concilii Tridentini non afficit hoc beneficium ex ratione illa, quod concilium Tridentinum voluntati fundatorum minime derogavit; aut vero non constat, fundatorem vel expresse vel tacite significasse, quod dicta aetate contentus erat, et in disparatissimo hoc casu nova dispositio concilii Tridentini afficit hoc beneficium quamvis antea fundatum. Vide *Rota in Gerunden. Beneficii 25. Juni 1723. §.: Nec evitari, et sequenti cor. bon. mem. Cerr.. et in Thelesina seu Cerretana Beneficii 26. Junii 1754. §. 17. cor. R. P. D. Elephantut.*

3) Ad canonicatus requisita.

I. In Cathedralibus.

Vd. *Substitut. Canonici non presbyteri; Canonicus* (sacerdotio nondum insignitus).

Vd. *Aetas* (ad canon. in eccles. colleg. p. 280; ad dignit. in eccles. colleg. p. 312.).

Clemens V. in Clementina: *Ut ii, de aetat. et qualit. praeficiendorum* ita disponit: *Ut ii, qui divinis in Cathedralibus vel Collegiatis saecularibus vel regularibus ecclesiis*

sunt mancipati officiis vel mancipabuntur inposterum, ad suscipiendos sacros ordines propensius inducantur, statuimus, ut nullus de caetero in hujusmodi ecclesiis vocem in capitulo habeat (etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur), nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerit constitutus. Quod a Clemente V. sancitum est, confirmavit postea concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 4. de reform.* Advertit *Barbosa ad dictum caput concil. Trident. num. 5*, quod Canonici in ecclesiis Collegiatis, licet possint recipi in aetate quatuordecim annorum, vocem tamen in capitulo non habent, quousque ad annum vigesimum secundum non pervenerint et sacrum subdiaconatus ordinem non susceperint.

Die 31. Maji 1783. *Sabinen.*

Aetas requisita et sufficiens ad canonicatus Cathedralis, ubi est facta distributio sacrorum ordinum, est illa, quam exigit ordo canonicatus, id est ad canonicatum subdiaconalem aetas 21 annorum, diaconalem aetas 22 annorum, et sacerdotalem aetas 24 annorum, cum omnes respective sint sic in tali aetate, ut infra annum possint ascendere ad ordinem a suo canonicatu requisitum; sic expresse Tridentinum cit. *sess. 24. de reformat. c. 14,* ibi: Neminem etiam deinceps ad dignitatem et canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda aut portio requirit, aut in tali aetate sit, uti infra tempus a jure et ab hac sancta synodo statutum initiari valeat. Ad canonicatus autem Cathedralis, ubi non est facta distributio sacrorum ordinum, requiritur aetas annorum 22 incoeptorum. Sic sac. Congreg. Concil. in *una Algarb.*, ubi, sicuti refert *Nicolaus Garcias de benef. par. 7. cap. 4. n. 29*, censuit quod etiam in ecclesia, ubi non fuit facta distributio sacrorum ordinum, requiritur, quod provisus de canonicatu ad minus attingat 22 annorum aetatem et quod collatio facta habenti 20 tantum non valeat. Sed ad minus debet esse constitutus in vigesimo primo anno, ita quod possit infra annum ad sacrum subdiaconatus ordinem promoveri, ut declaravit sacra Congregatio Concil. die 4. Augusti 1654.

De varia ecclesiae disciplina circa aetatem Canonicorum Cathedr. et Colleg. ecclesiarum agit *Laur. de aetat. ad beneficia requisita, cap. 9. et 12.* In praesens autem, in ecclesiis Cathedralibus, in quibus non est facta distributio ordinum, aetas in Canonicis requisita est annorum 22, ut firmavit *Rota in Cracovien. Canonicatus 28. Junii 1743. coram bon. mem. de Vais.*

Ad canonicatus Cathedralis, ubi est facta distributio sacrorum ordinum, requiritur illa aetas, quam exigit ordo canonicatus, idest ad canonicatus subdiaconalem aetas 21 annorum, diaconalem aetas 22 annorum, et sacerdotalem aetas 24 annorum; cum respective omnes sint sic in tali aetate, ut infra annum possint ascendere ad ordinem a suo canonicatu requisitum. Sic expresse Tridentinum *cit. sess. 24. de reform. cap. 14: Neminem, etiam deinceps, ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda aut portio requirit, aut in tali aetate, ut infra tempus a jure et ab hac sancta synodo statutum initiari valeat.* Ad canonicatus autem Cathedralis, ubi non est facta distributio sacrorum ordinum, requiritur aetas annorum 22 incoeptorum, sic sac. Congr. Concil. *in una Algarb:*, ubi, sicuti refert *Nicolaus Garcias de benefic. part. 7. c. 4. num. 29.* censuit, quod etiam in ecclesia, ubi non fuit facta distributio sacrorum ordinum, requiritur, quod provisus de canonicatu ad minus attingat 22. annum et quod collatio facta habenti 20. tantum non valeat; sed ad minus debet esse constitutus in vigesimo primo anno, ita ut possit infra annum ad sacrum subdiaconatus ordinem promoveri, ut declaravit eadem *sacra Congreg. Concil. die 4. Augusti 1654.*

II. In Collegiata.

Vd. *Aetas ad canonic. in Cathedr. p. 279.*

Ad assequendos ac rite possidendos canonicatus ecclesiae Collegiatae etiam insignis ex juris communis sanctione, quam haud immutandam arbitrata est Tridentina synodus, satis habetur clericalis tonsura ac aetas quatuordecim annorum, *Garzias part. 7. de benef. cap. 4. num. 6; s. Congr. in Senogallien. Canonicatus 11. Maji 1793 ad II. dub.*, licet eorumdem possessores vocem in capitulo non habeant, donec subdiaconatus ordine fuerint insigniti, *Clement. Ut ii, de aetat. et qualit. praefic.; concil. Trid. sess. 22. cap. 4. de reform.*

Die 22. Maji 1830. *Firmana.*

Aetas requisita et sufficiens ad obtinendum canonicatum in ecclesia Collegiata est aetas 14

annorum. Super his enim canonicatibus nihil innovavit concilium Tridentinum, ut censuit s. Congregatio concilii, teste *Gallet in margarita casuum conscientiae verb.: Canonicus 3. pag. 29. cum Gonzalez ad regul. 8. cancellariae gloss. 5. n. 29; Piasec. in praxi nova Episcop. cap. 5 n. 21. pag. 350; Armendar. lib. 1. de aetate n. 8*; *Aloysio Ric.* et alii passim, ideoque standum est pro his canonicatibus juris communis dispositioni, secundum quam sufficit aetas 14 annorum pro his obtinendis; *cap.: Nuper inordinata 35. juxta glossa verb.: Pueri, de praebend.* Et hoc est intelligendum, si talis canonicatus ecclesiae Collegiatae ex sua fundatione vel statuto aut consuetudine nullum requirat sacrum ordinem, alias deberet de illo providendus esse constitutus in illis sacris ordinibus, quos requireret talis canonicatus, vel in ea aetate, qua intra annum a jure statutum posset ad illos ordines promoveri, ut cum Communi sentit *Aloysius Riccius in praxi aurea resolut. 239. n. 3.* Et haec aetas 14 annorum sufficit etiam in Collegiata, in qua spectat cura animarum Canonicis non uti singulis, sed uti unitis. Sic decisum fuisse a sacra Congregat. Concil. refert *Gonzal. ad regul. 8. cancell. in princip. num. 92*; *Riccius, Piasec.*, *Barbosa* et tenet *Rota part. 10. decis. 31. n. 33.* Si vero cura animarum totaliter spectet ad aliquem Canonicum vel Dignitatem particularem, requiritur aetas 25 annorum saltem incoeptorum, *cap.: Cum in cunctis 7. §. inferiora de election., cap.: Licet canon. 14. de election. in 6*, ubi sic praecise statuitur: Decernentes, collationes de parochialibus ecclesiis his, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de caetero faciendas viribus omnino carere; et concil. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 12,* ubi dicit: Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suae aetatis annum attigerit.

In Collegiatis ecclesiis, in quibus consuetudo vel statutum ordinem sacrum canonicatibus haud adnexuit, sufficit in Canonicis aetas 14 annorum, ut respondit idem sacrum Tribunal in *Nepesina Canonicatus 3. Julii 1750. cor. bon. mem. Vicecom.*

Agitur de Collegiata ecclesia, in qua, licet dignitates viginti annorum aetatem requirant ex decreto conc. Trid. *cap. 12. sess. 24. §. ad cacter.*, Fagnan. *lib. 1. decret. de aetat. et qualitat. cap.: Ut Abbates n. 40,* attamen in canonicatibus nonnisi aetas quatuordecim annorum cum sacra tonsura desideratur.

Die 18. Sept. 1811. *Regien.*

Aetas sufficiens ad obtinendum canonicatum in ecclesia Collegiata est aetas quatuordecim annorum; super his enim canonicatibus nihil innovavit concilium Tridentinum, ut censuit sac. Cong. Conc. teste *Gallet. in margarita casuum conscientiae verb.: Canonicus 3. p. 29.* cum *Gonzalez ad regul. 8. cancell. gloss. 5. n. 29; Piasec. in praxi nova Episcop. cap. 5. n. 21. pag. 350; Armendar. lib. 1. de aetate num. 8*; Aloysio Ricc. et aliis; adeoque standum est pro his canonicatibus juris communis dispositioni, secundum quam sufficit aetas 14 annorum pro his obtinendis, *cap.: Super inordinata 35.* juxta *Gloss. verb.: Pueri de praebenda.* Et hoc est intelligendum, si talis canonicatus ecclesiae Collegiatae ex sua fundatione vel statu aut consuetudine nullum requirat sacrum ordinem; alias deberet providendus esse constitutus in illis sacris ordinibus, quos requiret talis canonicatus, vel in ea aetate, qua infra annum a jure statutum posset ad illos ordines promoveri, ut cum communi sentit *Aloysius Ricc. in praxi aurea resolut. 139. n. 3.* Et haec aetas quatuordecim annorum sufficit etiam in Collegiata, in qua spectat cura animarum Canonicis non uti singulis sed uti unitis. Sic decisum a sac. Congr. Conc. referunt *Gonzalez ad reg. 8. cancell. in princip. n. 92. Ricc., Piasec., Barbos.* et tenet *Rota rom. part. 10. decis. 31.* Et adhuc haec aetas quatuordecim annorum sufficit etiam ad obtinendam dimidiam portionem in ecclesia Cathedrali; concilium enim Trident. *sess. 24. de reform. c. 12,* ubi requirit aetatem necessariam ad ordines sacros pro canonicatibus et portionibus in Cathedralibus, non loquitur de dimidiis portionibus, ut ipsum legenti patet: nec ejus verba extendi ad dimidias portiones in iisdem Cathedralibus, pro quibus dimidiis portionibus nec requiruntur ordines sacri nec aetas requisita ad illos ordines, prout decisum fuisse a sacra Cong. Concil. referunt *Gonzalez ad regul. 8.*

cancell. Gloss. 5. n. 93; Didac. Narbona tract. de aetate ad omnes humanos actus requisita anno quatuordecimo, qu. 57. n. 5; Campan. et alii.

Profecto ambigendum non est, quin ad tramites juris communis pro canonicali assequendo beneficio satis olim fuerit aetas quatuordecim annorum sive in Collegiata sive in Cathedrali ecclesia, ad *text. in cap.: Nuper in ordin. 35; Pirrhing. lib. 1. tit. 14. n. 12.*

Die 19. Maji 1832. *S. Miniatis.*

Monstruosum nimis fore, si in Canonicorum coetu puer recenseatur, *cap.: Super inordinata 25, gloss. verb.: Pueri de praeben.*, proindeque nonnisi ex urgentissima causa dispensationem impertiri debere, *cap.: Tali, et cap.: Innotuit* §.*: Multa de elect.* Et hanc causam, dum de canonicatu agitur, vel respicere debere publicum bonum vel magnam ecclesiae utilitatem vel maximam personae dignitatem, *Sperell. decis. 109. num. 25.*

Die 20. Aug. 1774. *Aretina.*

Canonicatum a puero occupari est monstruosum; per *text. in cap.: Super inordinata 35. de praeben.*, et decretum sac. Congregationis in *Aretina Canonicatus 18. Martii 1775*, et in *Nullius Guastallae Canonicatus 31. Maji 1794.*

Die 24. Jan. 1801. *Seduncn.*

III. Ad canonicatus, beneficia et dignitates cum cura animarum.

Aetas requisita ad dignitates quascumque, quibus subest cura animarum, seu ad beneficia curata et regimen ecclesiae parochialis est aetas viginti quinque annorum saltem incoeptorum, *cap.: Cum in cunctis 7.* §.*: Inferiora, de election. juncto, cap.: Licet canon. 14. eodem titulo 6*, ubi habentur praecisa verba: *Decernentes, collationes de parochialibus ecclesiis his, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de caetero faciendas viribus omnino carere*, et concil. Trident. *sess. 24. de refor. cap. 12*, ubi habet: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suae aetatis annum attigerit.* Et haec aetas 25 annorum incoeptorum requiritur etiam ad dignitatem ecclesiae Cathedralis, cui sit distributio missae cantatae per turnum infra hebdomadam, cum habeat onus annexum, ac proinde tenetur per se adimplere, sac. Cong. Conc. in *Crotoniens. 4. Decemb. 1627.* Haec autem aetas 25 annorum incoeptorum requisita ad obtinendas ecclesias parochiales seu dignitates, quibus subest cura animarum, non exigitur nec est necessaria, quando dignitati vel canonicatui cura animarum non subest principaliter, sed solum accessorie est ipsis unita. Sic decrevit sacra Congr. Conc. his verbis: *Si aliqua Parochialis esset unita alicui canonicatui ecclesiae Cathedralis accessorie, sufficiunt viginti duo anni.* Ita refert *Gonzalez ad regul. 8. cancell. gloss. 9. n. 4; Gallet in margarita casuum conscientiae verb.: Canonicatus 5. et verb.: Parochus; Aloysius Ricc., Garcias* et alii et ita fuisse in Rota decisum refert *Seraphinus decis. 1138.*

Si cura animarum totaliter spectet ad aliquem Canonicum vel dignitatem particularem, requiritur aetas 25 annorum saltem incoeptorum, *cap.; Cum cunctis 7.* §. *inferiora de election., cap.: Licet canon. 14. de election. in 6*, ubi sic praecise statuitur: Decernentes, collationes de parochialibus ecclesiis his, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de caetero faciendas viribus omnino carere; et Concil. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 12*, ubi dicit: Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suae aetatis annum attigerit. Haec tamen aetas 25 annorum incoeptorum requisita ad obtinendos canonicatus seu dignitates, quibus subest cura animarum, non exigitur nec est necessaria, quando canonicatui vel dignitati cura animarum non subest principaliter, sed solum accessorie est ipsis unita. Sic decrevit sac. Cong. Concil. his verbis: Si aliqua Parochialis esset unita alicui canonicatui ecclesiae Cathedralis accessorie, sufficiunt viginti duo anni. Ita refert *Gorzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 9. num. 4; Gallet. in margarita casuum conscientiae verb.: Canonicatus 51. et verb.: Parochus; Riccius, Garcias* et alii et ita fuisse in Rota decisum refert *Seraphin. decis. 1138.* Circa aetatem requisitam ad dignitates sine cura in Collegiatis variant doctores.

Aetas requisita ad dignitates seu canonicatus, quibus subest cura animarum seu regimen parochiale, est aetas 25 annorum

saltem incoeptorum; *cap.: Cum in cunctis 7.* §. *inferiora, de election., cap.: Licet canon. 14. de election. in 6*, et Tridentinum *citat. sess. 24. de reform. cap. 12*, ibi: Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suae aetatis annum attigerit. Et haec aetas 25 annorum incoeptorum requiritur etiam ad dignitatem ecclesiae Cathedralis, cui fit distributio missae cantatae, cum habeat onus annexum, ac proinde tenetur per se adimplere: Sacra Congregat. Concil. in *Crotonien. 4. Decembris 1627.* Canonici supranumerarii possunt recipi in anno 14., sed adveniente tempore praebendae debent esse in aetate integra. Sic praecise decrevit *sacra Cong. Concil. in Venafren. 13. Martii 1603.*

IV. Ad beneficia, canonicatus et dignitates sine cura animarum.

Vd. p. 280. II. §. *Aetas*; p. 312. n. 10.

Aetas requisita ad dignitates vel personatus, quibus nulla subest cura animarum in Cathedralibus, est aetas 22 annorum. Concil. Trid. *sess. 24. de reform. c. 12.* praecisis his verbis: *Ad caeteras autem dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei et viginti duobus annis non minores adsciscantur.* Qui anni viginti duo debent esse completi taliter, quod neque Episcopus possit in hoc dispensare, ut censuit sac. Congr. Conc. *20. Septemb. 1631.* dicens: *Dignitatem in ecclesia Cathedrali non habentem animarum curam non posse conferri, nisi ei, qui habuerit 22 annos completos, et Episcopum non posse dispensare.*

V. Defectus aetatis ad obtinendum canonicatum et dignitatem.

a. Dispensatio concessa.

Vd. *Canonicus* (sacerdotio etc.).

Ariminen.

Joannes Baptista Mediolani anno 1715 mansionariam fundavit in Cathedrali ecclesia Ariminensi sub invocatione D. N. Jesu crucifixi et jus nominandi tribuit Praeposito Cathedralis, parocho s. Gregorii, praesidibus coenobiorum s. Augustini et servorum B. M. Virginis ac publici Ariminis tabularii custodi; onus mansionario imposuit, ut quotidie tum choro interesset tum Sacrum faceret; quae tamen quotidianae missae celebratio ad quatuor tantum Sacra in singulas hebdomadas est cohibita. Patronis haec praecepit in testamentariis tabulis: »Quando li toccherà, o spetterà di nominare il mansionario, sia sempre un sacerdote nato in Rimini.« In codicillo addidit: »In caso che si dovesse nominare il cappellano o il mansionario, e che vi fosse qualcuno dei discendenti del detto Signor Giovanni Draghi, che volesse attendere alla chierica, in tale caso intendo e voglio, che tale discendente sia preferito ad ogni altro nell' essere nominato, come difatti adesso lo preferisco e nomino in forma tale, che tale legato debba durare in perpetuo, finchè durerà la linea dell detto Signor Giovanni Draghi, a condizione che tale nominato ed eletto faccia adempire tutto quel tanto da me disposto nel testamento, finchè non sarà capace di esercitare da se tal mansionariato o capellania. Hanc mansionariam possidebat sacerdos Cajetanus Draghi, cui subiit eam evehere ad honorem ac insignia canonicatus. Re cum iis, quorum intererat, communicata spopondit se collaturum tot bona, quot satis essent ad redditus aliorum canonicatuum, ac servaturum conditiones omnes a Mediolanio imperatas; hoc unum petiit, ut ipse novo canonicatu augeretur atque facultas ei daretur nominandi successorem. Probatum id a capitulo et patronis obtentaque Sedis apostolicae venia Vicarius apostolicus Ariminensis, tunc temporis praesul Joannes Marchethi Archiepiscopus Ancyranus, sacerdoti Draghio canonicatus possessionem tribuit. Hic in ipsis tabulis, quibus dotem novae praebendae assignavit, sibi successorem dixit sacerdotem Ariminensem Aurelium Massazzani, qui tamen hujus nominationis compendium nancisci non potuit, quia alio canonicatu fuit honestatus: hinc die prima Februarii labentis anni nominavit nobilem adolescentem Ulixem Travagli vix duodennem. Quapropter dispensationem aetatis a summo Pontifice imploravit.

Episcopus a pronuncianda sententia maluit supersedere; omnes tamen interesse habentes accivit eaque ad s. Congregationem misit, quae ad rem penitus dignoscendam essent necessaria.

Verum antequam de petita dispensatione sermo instituatur, perpendendum: num haec mansionariae in canonicatum commutatio rite facta fuerit, num facultatem nominandi successorem sibi jure reservaverit Draghius.

Commutationis nullitatem arguere videtur defectus consensus eorum omnium, quibus patronatum concessit Mediolanius, dum Draghius summo Pontifici asseruit a patronis assensum praestitum fuisse. Hunc enim dederunt tantum Praepositus ecclesiae Cathedralis et custos archivi at praeter hosce patronatu fruebantur praesides coenobiorum s. Augustini et servorum B. M. Virginis, necnon parochus s. Gregorii. Enimvero certum est ea coenobia et paroeciam s. Gregorii fuisse suppressam, at aeque certum est hanc paroeciam alii iunitam fuisse ea lege a summo Pontifice statuta: Che i parrochi, le cui parrochie verranno soppresse, continuino a godere le rendite la vita loro durante, e che passino in seguito coi respettivi pesi alle parrochie, alle quali ne sarà stata unita la cura. Quod si in novam paroeciam onera omnia translata fuerunt, correspectivitatis ratio jubet, ut omnia etiam emolumenta in eam transferantur. Hinc saltem hujus parochi assensus exquirendus necessario videbatur, quum ipse sit patronus eodem jure, quo Praepositus Cathedralis et custos archivi. Non potuisse autem sacerdotem Draghium sibi reservare jus nominandi successorem ex eo colligi videtur, quia fundator Mediolanius expresse mandavit mansionaria augeri sacerdotem Ariminensem, ac si inter descendentes Joannis Draghi aliquis censeretur, qui militiae ecclesiasticae nomen dare vellet. Che volesse attendere alla chierica, hunc caeteris omnibus praeferri jussit in codicillo. Dum ergo successoris pro lubitu nominandi sibi facultatem tribuit Draghius, fundationis legi derogavit ac jus alii quaesitum pessumdedit. Quin a pontificio rescripto ullum sibi adjumentum praestolari possit. Etenim neque in precibus a Draghio oblatis summo Pontifici neque in literis Vicarii apostolici Ariminensis ad s. Congregationem Episcoporum et Regularium negotiis praepositam datis, neque in ipso rescripto verbum excidit de hac lege in fundationis tabulis constituta. Dici ergo potest ei derogatum non fuisse a summo Pontifice, qui ceteroquin ex regula decima octava concellariae nunquam aliorum juri quaesito praejudicium inferre praesumitur.

Animadvertendum nihilominus videtur commutationem mansionariae, de qua agitur, nullitatis insimulari non posse ob defectum dissensus coenobitarum et parochi s. Gregorii. Nam est theorema juris compertissimum, ubi plures habentur patroni ac aliqui ex iis aut non possunt aut nolunt nominare, eorum jus non decrescendi, ut advertit *Cardinalis de Luca de benefic. dis. 13. num. 9, et disc. 28. num. 17, de jurepatronat. dis. 31. num. 3; s. Rota cor. Molines. dec. 434. num. 32.*

Jam vero post anteactam praeteriti temporis calamitatem nullum neque eremitarum s. Augustini neque servorum coenobium eo in loco exstare res est in comperto. Paroeciam s. Gregorii non alii unitam sed extinctam et suppressam dixit summus Pontifex: Le parrochie che saranno soppresse. At Sempronio (ait *Mascat. lib. 3. de praeb. et dignit. num. 10.)* est totalis extinctio omnium jurium ei cohaerentium. Quapropter quum hi patroni amplius non exstarent, eorum assensus neque peti neque haberi poterat, ac merito dixit Draghius patronos consensisse, quamvis coenobitarum et parochi dessent consensus: non entis enim nullae sunt qualitates.

Nominatio autem successoris sibi a Draghio reservata defendi ex eo posse videtur, quia ipse pro alio fundatore existimari potest, dum dotatione et erectione canonicatus magnum ecclesiae Cathedrali decus adjunxit, *Cardinalis de Luca juripatron. dis. 18. num. 4.* Hinc in ipso actu, quo mansionariam ad canonicatum evexit, hanc conditionem apponere potuit.

Accedit: quamvis Draghius in supplici libello dispensationem non postulaverit a lege in testamento Mediolani scripta, id tamen implicite colligi posse ex literis Vicarii apostolici dicentis: Che il mansionario Draghi si riserva per la prima volta la nomina del successore, lasciandola in seguito ai patroni della mansionaria. Dum Draghius desiderium erigendi canonicatum pandidit patronis, iis expresse declaravit: Che lo faceva ogni qualvolta fosse loro piacinto, e volessero acconsentire che il medesimo potesse aver diritto alla nomina del solo suo successore, Patroni hanc conditionem accensu suo probarunt e si obligarono di nominare in successore del Draghi il sogetto che verrà ai medesinii dallo stesso presentato. Summus Pontifex auditis informatione et voto R. P. Archiepiscopi Ancyrani Vicarii apostolici Ariminensis, attento quoque consensu capituli et patronorum, denique annuit precibus Draghi; nefas ergo videtur facultatem nominandi successorem ei denegare, non petita prius venia obloquendi adversus pontificium rescriptum jam executioni demandatum, atque insuper tacite probatum ab iis omnibus, quibus potestas

foret ejusdem vires periclitandi. Neque enim aut ullus Ariminensis sacerdos aut aliquis ex descendentibus Joannis Draghi quidquam contra illud obmussitarunt, sed non levis momenti utilitatem sibi etiam allatam animo recolentes hoc quodcumque compendium sacerdoti Draghio non inviderunt. Dum ergo ad hanc nominationem labefactandam nemo eorum insurgit, quibus jus est illam in discrimen vocare, profecto supervacaneum videtur de ejus validitate disputationem instituere, sed ea in implicito statu validitatis esse censenda est post pontificium rescriptum ab Ordinario, re plane cognita, suae executioni commissum.

Quod si jus nominandi successorem sacerdoti Draghio praepeditum non esse aut saltem de eo controversiam in praesentia excitari non posse existiment EE. VV., illud erit videndum, num adolescens Ulyxes Travagli rite nominatus dici possit isque postulatam aetatis dispensationem consequi mereatur. Nonnulla ejus instantiae videntur obstare. Ac revera Draghius pro prima tantum vice sibi successoris nominationem tributam voluit: Riservandosi per la prima volta la nomina del suo successore. At nominavit sacerdotem Aurelium Marazzani: functus ergo est facultate sibi reservata ac nequit eam amplius exercere. Deinde nominatio adolescentis Travagli opponitur legi fundationis mansionariae, quam integram esse reservandam nemo negat, et consensui a patronis praestito. Mediolanius in mansionaria constituenda voluit ad eam nominari non posse nisi sacerdotem, exceptis descendentibus Joannis Draghi; patroni assensum dederunt huic reservationi juris nominandi his verbis: Possa nominare solo uno successore in persona degna. Adolescens autem in duodecimo aetatis anno constitutus dici nequit persona digna pro consequendo canonicatu, cui sacerdotalis qualitas inhaeret; praesertim quum neque clericali tonsura sit insignitus, neque certo judicari possit eundem sacerdotio auctum iri.

Nihilominus gratiam suadere posse videtur animadversio, post nominationem Aurelii Marazzani, quae effectu vacua fuit, illaesum fuisse jus Draghio alium nominandi; prima enim haberi debet ac si facta non fuisset, non enim praestat impedimentum quod de jure non sortitur effectum ex *reg. 52. juris in 6. cap.: Si electio 26. de elect.; Gratian. discept. foren. cap. 58. n. 3.* Quum igitur nominatio Aurelii Marazzani inutilis evaserit, sarta in Draghio videtur servata facultas alium nominandi.

Quod si Ulyxes Travagli longe nunc abest ab aetate ad canonicatum in Cathedrali ecclesia obtinendum requisita ex praescripto Tridentini *sess. 24. cap. 12. de reform.*, patriciis viris suae civitatis accensetur ejusque pater praeest cum laude copiis pontificiis in Ariminensi statione collocatis; ipse insuper Ulyxes a moribus et ab ingenio commendatur estque affinis familiae Draghii, quam fundator Mediolani plurimum dilexit; hoc sane in casu saepe s. Congregatio dispensationem aetatis praesentato benigne concessit, ut in *Laurctana dispensationis 6. Junii ac 5. Septembris 1705; Vercellen 9. Junii 1766; Asculana 20. Maji 1786.* Accedit fieri posse, ut, quando Ulyxes canonicatus possessionem sit initurus, in aetate a Tridentino volita constitutus reperiatur, quum tanto tempore vivere possit Canonicus Draghius, qui sibi, dum vivat, canonicatum reservavit.

Praestat post haec omnia concludere cum ipsis Episcopi verbis: Per me, quum apertissime non constet ex bulla erectionis hujus canonicatus aliisque, quae illam comitantur, jus in patrono nominandi successorem praeter illum, de quo in ipso instrumento verba fiunt, et nominatio ipsa haud arridere capitulo videatur: aliunde quum non sit conveniens in patrono, qui proprio aere ferme penitus beneficium illud fundaverat, jus nominandi, quod saltem in mente habuit, contendi, sileam, bonum existimans praestolari cum silentio sententiam Vestram omni semper veneratione dignissimam.

Hinc dirimenda ab EE. VV. sequentia

Dubia.

I. *An Canonico Cajetano Draghi competat jus nominandi successorem in canonicatu in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro dispensatione aetatis favore Ulyxis Travagli in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Affirmative per breve, facta obligatione in forma juris valida ab Electore Travagli patre adimplendi in casu obitus

Cajetani Draghi per alium missarum onera, donec clericus Ulyxes ad sacerdotium pervenerit, et sub conditione, ut idem clericus suscipiat singulos sacros ordines sub poena caducitatis, quum ad canonicalem aetatem pervenerit.

Die 20. Dec. 1834.

Sutrina.

Ex testamento Pauli Menichelli in Collegiata ecclesia Roncilionis, dioecesis Sutrinae, anno 1704 cum onere trium Sacrorum hebdomadalium ac trium quolibet anno officiorum erectus fuit canonicatus, hisce tum quoad activum tum quoad passivum patronatum legibus constitutus. Il qual canonicato sia, e debba essere jus patronato del Signor Canonico Don Pompilio Piccioloni, e suoi eredi, e successori in perpetuo, etiam estranei . . . i quali siano tenuti di nominare tante volte, quante volte occorrerà il caso dello vacanza di detto canonicato uno della famiglia, e degli discendenti del Signor Francesco Piccioloni, e degli altri loro discendenti in perpetuo de linea ad lineam . . . In deficienza poi di detta discendenza voglio che quelli, ai quali in virtù di questa mia disposizione competerà il detto jus nominandi, debbano eleggere, e nominare, quando vi sia, uno degli figliuoli delle Signore Caterina, Cecilia, e Margarita, figliuole del quondam Daniele Danieli, mie Nipoti, al presente maritate, ed alla linea, e discendenza delle medesime parimenti in perpetuo, preferendo sempre il più idoneo ed abile, l' idoneità ed abilità del quale dovranno sempre giudicare li nominanti pro tempore, e non altrimenti la dataria apostolica, Monsignor Vescovo, nè qualsivoglia altro Superiore. Descendentia Piccioloni defecisse videtur post tres elicitas nominationes, quarum ultima apparet de anno 1748. In subsequentibus enim nominationibus ab anno 1770 ad 1817, quae postremo loco facta est, jus activum pacifice exercuit familia Scalmani e cognatione fundatoris, et primo quidem loco Andreas junior, qui ab Andrea seniore Scalmani ac Caecilia Danieli descendebat, Ursula nupta Carolo Felici Frisiani, quae a Josepho Scalmani et Catharina Danieli originem trahebat, ac deinde descendentes ab illis. Dignum vero notatu videtur nec Caeciliam, nuptam Constantino Politi, germanam Andreae junioris sororem, nec ejus descendentes usque ad praesens ullam, quantum constat, in praefatis nominationibus partem habuisse. Item non liquet qua ratione e familia Piccioloni ad familiam Scalmani activum transierit jus-patronatus.

Data ob mortem Cajetani Ricciotti, quae accidit mense Junii anni 1844, canonicatus vacatione, Galganus Ceccherini adolescens undecim vix annos natus et licet clericalibus vestibus incedens, tonsura tamen adhuc destitutus, praesentatus fuit Episcopo, ut in canonicatum institueretur, a decem ex patronis, quorum novem e linea Andreae, ac alter e linea Ursulae superius memoratae descendebant. At cum Episcopus exceperit aetatis defectum praesentati, hujus pater, exhibitis praedictarum nominationum exemplaribus, Principi sacratissimo preces admovit, affinchè voglia al nominato Galgano concedere o la dispensa di quella età mancante al conferimento del canonicato, o un amministratore, affinchè, detratte le spese per gli obblighi, che secondo il testamento si possono da altri adempire, possa percepire per adesso, attesa la sua indigenza, almeno per ragione di alimenti, di quella eredità destinata dal pio testatore per noi discendenti. Preces jam fuerant Episcopo remissae, quando editas sui favore nominationes per quinque alios compatronos, quorum quatuor e linea Ursulae praefatae et alter ex linea saepe memorati Andreae, necnon per alios decem e linea Caeciliae, quae, ut innuimus, nunquam fuit in possessione nominandi, tempore habili exhibuit curiae episcopali sacerdos Augustinus Jacopini, illius Collegiatae Canonicus: qui ob appositum: nihil transeat ab oratore Ceccherini, attentis precibus s. Congregationi oblatis, et ipse ad eamdem confugit pro jure suo vindicando, quod idemmet adstruit Episcopus in transmissa relatione, quam, post assignatum redditum canonicatus in scut. 40. et enumeratas patronorum vices, quae in Canonicum Jacopini coaluerunt (nam ne unum quidem illarum exemplar mihi traditum fuit), necnon alia relata, quae jam superius enunciata sunt, ita concludit: »Itaque hic non est inspiciendum de jure tantum Galgani Ceccherini, pro quo Anna mater efflagitat, cum potius sit videndum, num danda sit institutio Augustino Jacopini a patronorum majoritate legitime nominato ac praesentato, vel potius sit indulgendum Galgano pro petita administratione. Nemini dubium Galganum gaudere materiali vocationi passiva, cum descendat a linea Catharinae Danieli Scalmani, cujus successores testator semper praeferri jussit. Attamen frustra non dixi, gaudere materiali vocatione; siquidem cum ipsi desit non aetas tantum, sed (quod est magis necessarium) clericatus, videtur idem esse ac praedictam vocationem non habere. Fundator enim mandans praeferri filios ac descendentes a neptibus suis intellexit conditionem, quatenus habeantur idonei, eo quod, si plures concurrerent, voluit uti justitia distributiva, praeferendo sempre il più idoneo, ed abile. Quare cum puer laicus non sit idoneus neque habilis, hunc fundatorem haud vocasse dicendum omnino est. Igitur, quemadmodum haud exstantibus idoneis et habilibus de descendentia ex fundatoris lege clericus extraneus, requisitis instructus, est praesentandus et instituendus, ratio suadet in praesenti thesi potius instituendum sacerdotem Jacobini, qui jam habet jus quaesitum ad praebendam adipiscendam ex patronorum nominationibus. — Administratio vero petita proindeque canonicatus suspensio praeterquam quod dicto juri quaesito Augustini Jacopini prae justitia opponitur, nulla intervenit ratio cur sit concedenda. Habetur puer dubiae quidem vocationis ad ecclesiasticam militiam, dissensus majoritatis patronorum, certum ecclesiae praejudicium, cum deficeret una vox in choro. Nec eorumdem Galgani parentum paupertas tanta est, quanta in precibus amplificatur. Divites equidem non sunt, ast nec pauperes dici possunt, maxime ut indigeant auxilio ecclesiae pro familia educanda, cum ipsis non desit, unde sufficienter vivant juxta propriam conditionem. Eaque propter preces respuendas institutionemque canonicatus dandam legitime praesentato Augustino Jacopini pro fide reo.

In praesenti quaestione minime disquirendum esse videtur de natura jurispatronatus. Nam cum ex instrumento fundationis ejus qualitas haereditaria apertissime renuncietur, cumque praeterea nullimode constet, qua ratione e familia Piccioloni in geminas, Andreae nimirum et Ursulae Scalmani, lineas transierit, titulo haereditario potius quam gentilitio id accidisse retinendum est: eo vel maxime, quod, cum ex transmisso nominationum indice nullo modo pateat, utrum descendentes ex memoratis lineis Scalmani jure haereditatis vel familiae in stirpes vel in capita nominaverint, universo jure docemur, haereditarium, dum in dubiis versamur, renunciandum esse juspatronatus.

Quibus positis haec sunt rationum momenta, quibus Jacopinius preces Ceccherini conatur excludere simulque jura sua vindicare, Et quoad dispensationem observat primum, cum per eam semper legi vulnus infligatur, odiosam omnino reputari ac proinde non esse adeo facile concedendam, quod eo fortius attendendum clamat, ubi ex illa juri alterius quaesito praejudicium inferatur: hoc enim casu s. Sedem non dispensare referunt *Monacell. in form. leg. in suppl. ad tit. 4. num 109; Reiffenstuel. in jus canon. tit. 1. in lib. 1 decret. tit. 11. §. 18. num. 53. et S. C. in Verulana 10. Junii 1768 et in Pisauren. Legati et Patrim. sacri 26. Martii 1836.* Jus autem a se quaesitum nullo modo controverti posse tuetur. Cum enim praesentatus sit per compatronos, qui nominandi jure gaudent, ex tunc jus sibi obvenisse urget, quod auferri non licet per *text. in cap.: Cum omnes de constit. Decius in cap.: Cum accessissent num. 3. eod. tit., Lambert. de jurep. art. 5. quaest. 5. part. 2. lib. 2. n. 1.*

Nec sibi prorsus obstare subsumit qualitas descendentalis in Ceccherinio; nam explorata res est, quod si patroni nullum reperiant habilem in genere vocatorum, pateat illis libertas quemlibet extraneum nominandi nec obstricti sint praestolari, ut habilis sive ex natura sive ex gratia aliquis ex vocatis efficiatur. Ex quo et aliud infert, praesentationem nimirum Galgani Ceccherini, utpote inhabilis, nullius momenti habendam esse, ac propriam insuper numeris omnibus completam et absolutam. Nam, etsi ex hypothesi se praesentatum dici posset a minori patronorum parte, quia tamen major pars inhabilem praesentasset, in se uno universum patronorum jus coaluisset, uti juxta *Palm. all. 135. num. 1. tom. 2, Rota in Mediolanen. Praepositurae 3. Martii 1704 coram Ansaldo* monet *Fargnan. de jurepatr. part. 2. can. 3. cas. 6. num. 4. et Passerin. de elect. cap. 31. num. 3.*

Neque hic opponere juvabit, ait, quod Ceccherinius praesentatus fuerit sub conditione obtinendae dispensationis. Nam, praeterquam quod hoc non subsistit, cum ne vola quidem de hujusmodi conditione legatur in exemplaribus nominationum, haec insuper cautela quolibet defectu destituta remansisset, ex eo quod intra quadrimestre minime obtenta fuerit ab apostolica Sede aetatis dispensatio, uti *tradit*

Card. de Luca de jurep. disc. 45. num. 7. et seq. discurs. 70. num. 17. et seq. et disc. 82. num. 5, et exinde optimo jure usos fuisse illos compatronos, qui se extraneum nominaverunt.

Post haec ostendit, se majori patronorum suffragio cumulari, cum quindecim, si gentilitio modo, duplici vero polleat voce, descendentium nimirum Ursulae ac Caeciliae Scalmani, necnon quartae vocis quota, quae ab Andrea derivat, si haereditario placeat patronatus jus dimetiri: Ceccherinius e contra nonnisi decem vocibus, si in capita numerentur, sin vero in stirpes, unica tantum et non integra voce ex linea Andrea potiri, et quarta ad summum symbola ex voce ad Ursulae descendentes pertinente. Quod facit, ut maximam deteget injuriam, qua ipse afficeretur, si dispensatio Ceccherinio concederetur, quem non solum uti inhabilem sed insuper uti a minori patronorum parte nominatum merito repellendum esse clamat, in comparatione non solum habilis et jam sacerdos (canonicatu exigui redditus alioquin provisus), sed praeterea a majori compatronorum parte praesentatus; ex quo sibi maximum et inexpugnabile jus derivare contendit.

Addit insuper, Ceccherinium ex aliis quoque rationibus rejiciendum esse. Primum quia ejus preces ad sac. Congregationem porrectae insanabili vitio obreptionis laborant, dum narravit — che quelli che hanno diritto alla nomina . . . tutti lo hanno nominato — quod falsum, ait, patere ex superius enucleatis; deinde ex fraude, qua, ut asserit, nominationem quorumdam excerpsit, — i quali, incapaci di riflettere sull' esercizio del loro diritto, si sono lasciati sorprendere da terza persona, che gli ha voluto malamente mostrare, con malamente interpretare la mente del testatore, non esser loro liberi nel dare tal nomina, ma vincolati dal detto testatore, come potrà mostrare col mezzo di loro proprie lettere —; quae fraus et dolus cum violentia omnino acquiparentur, consequens est, nominationes inde secutas, uti extortas, nullius momenti habendas esse; pariter ex assumptione vestium clericalium fere in pervigilio mortis ultimi possessoris canonicatus, ex quo satis declaratum fuit, non sponte puerum ecclesiasticae vitae amore eas suscepisse, sed ex mero patris arbitrio, qui ecclesiae fructibus manus injicere pertentabat: demum ex deficientia clericatus, quae alterum constituit obstaculum, peculiari dispensatione removendum, ac proinde non una sed duplici Pontificis gratia indigere proclamat.

Quoad alteram vero petitionis partem, quae administrationem respicit titulo alimentorum, animadvertit, quod, cum legitimo paupertatis fundamento ea destituatur, uti apertissime eruitur ex Episcopi relatione, nulla profecto adsit causa canonica, cur juri suo ex hoc titulo possit praejudicium inferri. Galgano autem Ceccherinio satis est demonstrare, quod nullum sit Jacopinio jus quaesitum, quod laedi possit, ut nullo amplius teneatur impedimento, quominus imploratam obtineat dispensationem. Et sane ex causa inhabilitatis alterius praesentati nullum aliud jus compraesentato quaesitum dicitur, nisi conditionatum et in potentia, quatenus nimirum illius inhabilitas firma remaneat ex Superioris reprobatione, ita *docet Piton. discept. eccl. 13. num. 58. et seqq.* Hinc in casu, quo habilitas tempore praesentationis, non autem vocationis, requiratur, negat ibidem idem auctor, consanguineum aeque vocatum, qui sit habilis, sub obtentu praejudicii suo juri ex habilitate quaesito sese opponere posse dispensationi alterius vocati, qui sit inhabilis, ea ratione, quia durante termino ad praesentandum nullum jus quaesitum, sed tantum spem ac potentiam habet alter ex vocatis, et cum patronus non cogatur praesentare habilem in principio quadrimestris, sed in ejus arbitrio sit usque ad ejusdem postremum diem praesentationem differre, fas est citra alterius injuriam intra dictum terminum habilitatem procurare. Consonant in id resolutiones sac. Congregationis, uti videre est *in una Monasterien. seu Osnabrugen. Canonicatuum 7. Aprilis 1753, in Senogallien. Canonicatus 14. Maji 1768,* et nuperrime *in una Tiburtina Canonicatus 22. Julii 1839; et in Faventina Dispensationis 4. Febr. 1843.*

At in meliori causa se versari subsumit Ceccherinius, cum contradictorem experiatur hominem, qui a vocatorum genere est prorsus extraneus, quique insuper pene caret patronorum nominatione. Nam, demptis vocibus ex Caeciliae linea, quae ex defectu possessionis ac vi ultimi status in possessorio judicio institutionis repellatur necesse est, perpaucas Jacopinio superesse voces observat, vix medietatem constituentes et de quibus valde se dicit dubitare, cum nominationum acta non exhibeantur. Quapropter cum ipse sit passive vocatus et majores vel saltem aequales habeat patronorum nominationes,

omnis ratio postulat, ut sibi ex praesumpta testatoris voluntate dispensatio concedatur, despecta prorsus extranei oppositione, quae eo vel magis molesta judicanda est, ex quo in eum paupertate laborantem excitetur ab homine, qui praeter canonicatum alia duo possidet simplicia beneficia; quorum redditus ab omni onere puri ad scutata circiter 40 pertingunt, uti Canonicus a secretis capituli testatur.

Diluit post haec, quae ex adverso afferuntur, objecta: Difficultatem non obtenti intra quadrimestre apostolici indulti evanescere, ait, ubi primo advertatur, quod sufficiat, ut intra illud tempus efflagitetur, ut tradit *Fargna de jurep. par. 6. can. 9. cas. 1. num. 45; Corrad. prax. benef. lib. 4. cap. 6. n. 4; Piton. dis. eccl. 13. num. 13;* deinde quod per se non stetit, imo ex ipsius Jacopinii oppositione factum est, ut illud nondum assequutus sit; quod sibi obesse non debere, urget ad *text. in leg. quibus diebus ff. de cond. et demonst.,* et *Piton. loc. cit.:* Expressam conditionem »si Papa dispenset« nullo modo necessariam edicit, ubi nominationes ipsae exhibentur veluti fundamentum gratiae obtinendae; et quia hae fere omnes a feminis expletae sunt, quae absque subtili aliqua indagine de effectu assequendo dumtaxat sollicitae censendae sunt, et quia in nominatione ejus, qui certo inhabilis est, videtur clausula illa subintelligenda, ni absurdum fingi velit: qualibet vero in hypothesi, addit, cum nominantes de inhabilitate certiores facti ac de expetita dispensatione adhuc in sua voluntate persistant, hoc consensu vel peractam praesentationem confirmare vel saltem novam explere dicendi sunt ad tradita per *Rotam dec. 16. num. 3. in antiq.; Lotter de re benef. lib. 3. qu. 6. num. 20: Piton. de cont. pat. alleg. 2. n. 16.* Clericatus defectum nil sibi nocere autumat, quia, ubi dispensatione donetur, eum merito consequi potest, uti arctatus, ante institutionem, ad quam dumtaxat et non ad praesentationem ille requiritur. *Card. de Luca de jurep. dis. 70. num. 16. et 17; Piton. de cont. pat. alleg. 100. num. 39.* Tandem, aliis objectis praetermissis, quae vel non subsistere vel nil referre ait, ea omnia, quae de jure a Jacopinio disseruntur, tunc locum sibi vindicare concludit, quando agitur de duobus extraneis a genere vocatorum. Tunc enim totum cujusque jus dimetiendum est a sola patronorum praesentatione et, cum in eo casu concurrat inhabilis, nullum jus habens, cum habili, cui vere est jus quaesitum, hoc Pontifex laedere non solet, ac proinde denegat fortasse dispensationem. Quamvis, cum patroni non prohibeantur praesentare inhabilem sub spe dispensationis, ex *Corrad. prax. dispen. lib. 4. cap. 2. num. 14. et 15; Piton. discept. eccl. 13. num. 40,* et rationabile exstante causa Pontifex dispensando utatur jure suo, nemini umquam praejudicium inferri proprie dici debeat, uti erui potest ex causa *Civitatis Castelli 21. Jan. 1786 et citatis Monasterien. et Faventina.*

Excluso tali pacto jure Jacopinii legitimas adesse causas ostendit ad dispensationem sui favore concedendam. Et primo profert consanguinitatem cum patronis atque etiam cum ipso fundatore, quae, si una semper legitima ac rationabilis reputata est, ut refert *Vivian. lib. 6. cap. 6. num. 9,* multo magis, ubi conjuncta sit cum paupertate, ceu passim demonstrant resolutiones hujus s. Congregationis, quae semper benigna se praebuit in donanda aetatis dispensatione fundatoris sanguine junctis et paupertate laborantibus, etiamsi in puerili aetate essent constituti, seu videre est *in Verulana dispensationis 10. Maii 1785, in Mazzarien. 2. Jun. 1821 et in Pisauren. 26. Mart. 1836;* insuper proximitatem legitimae aetati annorum 14 (agitur enim de canonicatu in Collegiata ecclesia erecto), cum modo jam duodecimum excesserit, quam inter causas dispensandi numeraudam, *Pirrh., Corrad. in praxi disp. lib. 4. c. 1. num. 22;* necnon optima tam morum quam studiorum testimonia, quibus tum parochus tum collegii rector eum commendant: tandem consensus patronorum ac capitularium, qui insuper referunt nullum exinde obvenire chorali servitio praejudicium, cum satis frequens capitulum sit, quod Canonicis viginti et uno constat, cum servitium non sit quotidianum, cum denique unus ex Canonicis, patruus nempe oratoris, paratus sit subire onera proprie inhaerentia canonicatui.

Quod si, hisce omnibus posthabitis, dispensationem denegandam esse judicaverint EE. PP., tunc sui favore postulat Ceccherinius canonicatus administrationem, usquedum ad legitimam pervenerit aetatem. Cum enim, inquit, ipse sit e familia patronorum et insuper ex sanguine fundatoris, postulat canonica aequitas, ut, probata ejus paupertate, sibi fructus beneficiales decernantur titulo alimentorum. Paupertas autem in eo

ita verificari contendit, ut, nisi dici velit extrema juxta ordinem naturae, talis profecto dicenda sit secundum congruentiae et convenientiae leges, seu spectata ejus familiae origine ac conditione: at s. Congr., inspecta etiam relativa paupertate, quam saepissime necessitati patronorum, beneficiorum tributa administratione, consuluit, ita ut supervacaneum sit hac in re exempla cumulare.

Paupertatem vero adversus Antistitis relationem comprobat tum testimonio vexilliferi perhibentis »appartengono ambedue (conjuges Ceccherini) a civili ed oneste famiglie, per circostanze però avverse di fortuna vivono in ristrettezza, non corrispondente al loro grado, ed abbisognano de' mezzi necessarii per la educazione conveniente della famiglia«, tum proprii parochi (cujus fidei magis adhaerendum, ait, cum ejus sit, proprias oves suas cognoscere) affirmantis — quantum honestate vitae et morum spectabilem esse (Ceccherinium nempe), tantundem familiaris rei angustia et inopia pressum; tenues enim possessiones, quas a suo olim patruo accepit, necnon exigua dos matris iis gravantur oneribus ac debitis, quae totum censum absorbeant: ejusdem vero pater neque ullis fruitur fortunae bonis, neque alia potest ratione quam industria et arte, quae sunt necessaria ad vitam, comparare. Consonum quoque est testimonium loci gubernatoris, in quo de dote matris oratoris, hypothecis gravata, loquens hoc adjicit »per cui vi ho dovuto fare dei decreti di volontaria giurisdizione per prenderci danari, onde venire campando.«

Ubi expetitam canonicatus administrationem decernere placuerit EE. VV., videant: an magis expediat ecclesiasticum administratorem deputare, qui, impletis oneribus, reddit us superextantes in oratoris alimoniam institutionemque impendat, uti fert frequens s. ordinis praxis, an potius consultius sit, eandem administrationem familiae oratoris concredere, ne caeteris oneribus et illud expensarum pro gestione curanda adcrescat. Interim proponimus

Dubia:

I. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione aetatis favore Galgani Ceccherini in casu etc.?*

Seu potius,

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro canonicatus suspensione et administratione favore ejusdem Galgani Ceccherini in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo.

Die 10. et 24. Jan. 1846.

Verulana.

Thomas Jaboni die 7. Maji 1744, dum adhuc in vivis ageret, publicis exaratis tabulis tres canonicatus, praeter archidiaconatus dignitatem, in Cathedrali Verulana ecclesia, reservato sibi ad quoscumque transmisibile jure patronatus, instituit. Pro prima vice ipsemet ad primum canonicatum nominavit Ignatium Fiorini, ad alterum Paulum Cocchi, ad tertium Antonium Mattei sacerdotes. Pro futuris autem vacationibus constituit, ut, qui nominandi forent praeter qualitates a jure requisitas »abbiano almeno anche actu una competente abilità di canto Gregoriano.«

E vita excessit pius institutor volvente anno 1748 et supremo condito elogio peractas nominationes confirmavit et designatis immediatis successoribus in proxima vacatione cujuscumque canonicatus haec pro futuro tempore quoad juspatronatus passivum tantum disposuit; »Ad uno dei tre canonicati secondo l'ordine delle nomine da me come sopra confermate con perpetuo juspatronato passivo nomino e presento in infinito quel soggetto che nel tempo della istituzione si troverà idoneo nella discendenza mascolina del Signor Francesco Carlo Melloni. All' altro secondo l'istesso ordine, juspatronato passivo e perpetuità, quello della discendenza mascolina della Signora Francesca moglie del Sigor Evangelista Torti mia parente, e non avendo detta Signora Francersca Torti successione moscolina, sostituisco la discendenza mascolina per linea femminina. E al terzo secondo l'istesso ordine etc. quello della discendenza mascolina del Signor Demetrio Perciballi mio parente; con dichiarazione, che, non essendo soggetto idoneo in una delle tre linee, s'intenda nominato sempre quello delle altre due linee con reciproca e perpetua sostituzione de' soggetti di una linea agli altri che vi saranno.«

Casum autem praevidens, quo una alterave ex his lineis extingueretur, vel quod idoneus,

qui institueretur, non adesset, substituit descendentes plurium patriciarum ejusdem civitatis familiarum, quas inter familiae Campanari, Spani et Cocchi. In defectu demum idonei ex familiis vocatis liberum nominandi jus reliquit Archidiacono et Canonicis superstitibus, statuens ceteroquin, che in luogo di presentata serva sempre in perpetuo la particola della presente disposizione.

Die 20. Junii 1854 per obitum sacerdotis Gregorii Meschini alter ex hisce canonicatibus, qui secundus in ordine erectionis est, vacavit. Ac primus Carolus Spani adolescens quindecim annos natus a Francisca Torti (quae masculina progenie coruit) per medium feminae descendens supplicem obtulit libellum sacratissimo Principi pro obtinenda dispensatione super defectu aetatis, ut ad vacantem canonicatum posset institui. Easdem inde dederunt preces adolescentes Thomas Paolini a Francisca Torti pariter descendens et in pari gradu cum Spanio ei conjunctus, Paulus Melloni, Vincentius Campanari, qui duo postremi postea petitioni valedixerunt, et Michael Angelus Cocchi ad alteram ex substitutis familiis pertinens.

Singulorum precibus ad s. Congregationem subinde remissis ad informationem ac votum, auditis interesse habentibus et capitulo, rogavi primo Vicarium capitularem, cum eo temporis pastore suo viduata esset Verulana ecclesia. Hic porro transmissa arbore genealogica descendentiae familiae Torti retulit, Canonicos secundae erectionis Jaboni a se auditos jure suo inpraesenti vacatione uti nolle et indifferentes manere. Animadvertebat, Canonicatum, de quo agitur, eum esse, ad quem testator Jaboni, dum in vivis ageret, Paulum Cocchi nominaverat et cujus proinde passivum juspatronatus reliquit Franciscae Torti descentibus. De Carolo Spani notabat »adolescentem hunc esse bonis moribus praeditum, humaniorum literarum studiis incumbentem, pluribus abhinc annis clericali tonsura insignitum habituque clericali incedentem, ita ut ex actuali ejus vita ac moribus ad statum ecclesiasticum dispositus videatur.«

Alteram sequiori tempore super precibus a Nicolao Paolinio sui filii nomine exhibitis informationem accepi ab Episcopo, in quo haec habentur: »Il figlio del Riccorente Naolini è nato il dì 14. Luglio 1840. Fù tonsurato il 23. Luglio 1849. Dal Regnante Pontefice poi fù favorito con rescritto del 6. Febbraja 1850 di conseguire due cappellanie, non ostante il difetto di età, avendo allora meno di dieci anni. Malgrado il possesso di queste cappellanie, conseguite colla canonica istituzione, egli nè anco incede in abito chiericale, non dà alcun segno di vocazione allo stato ecclesiastico, nè per talenti, nè per inclinazione a funzioni di chiesa od altro. Sebbene pertanto sia uno dei chiamati al vacante canonicato, non saprei trovare ragione per raccomandare la memoria di lui alla bontà di sua Beatitudine.

Quoad Spani elogia eidem a Vicario capitulari tributa confirmat. Quoad Cocchi autem observat, quod hic non è nè anco chierico, la sua famiglia non v'avrebbe diritto, che estinte le linee dei primi contemplati, oppure non vi essendo soggetto idoneo, ed esso è cosi infelice e per ingegno, e per stadii, che niuna speranza può averci la chiesa e ritengo che nell' anno futuro i suoi non penseranno più a tenerlo quasi inutilmente in Seminario.«

Monet etiam se de sententia rogasse interesse habentes et capitulum Cathedralis; ex habitis autem responsis dignosci, caeteris in incoepto manentibus, contendentes Campanari et Melloni praesenti quaestioni nuncium misisse; capitulum vero erga Spani sese propensum exhibuisse, quamvis a suo disserte promendo voto abstinuerit. Idem denique Episcopus Spanio favet, cujus petitionem commendat.

Quaestio igitur inter Carolum Spani, Thomam Paolini et Michaelem Angelum Cocchi agitur, quis in dispensationem praeferendus sit. Qui partes agit Caroli Spani, haec in allegatione distribuenda edisserit. Praemisso agi in casu de canonicatu secundo in ordine institutionis a fundatore peractae, ceu probat ex testimonio Vicarii generalis nomina singulorum recensentis, qui post primum institutum Paulum Cocchi usque ad postremam vacationem illum retinuerunt; ad quem proinde vocata fuit la discendenza mascolina di Francesca Torti, ac in hujus defectu, la discendenza mascolina per linea feminina; contendit, Carolum Spani in dispensatione caeteris praeferendum esse, sive spectata vocatione, qua fruitur passiva, sive majori qua pollet idoneitate. De vocatione ejus passiva dubitari non posse, quippe qui, licet per medium feminae, a Francisca Torti descendit, uti ex arbore genealogica patet. Atqui praeterquam quod, vocata generatim descen-

dentia masculina, non solum masculi ex masculis, sed masculi etiam ex feminis intelligendi forent vocati, juxta *s. Rotae doctrinam uti in Cingulana Immissionis 29. April. 1785 cor. Strasoldo* §. *4, et in Firmana seu Matelisen. Fideicommissi 19. Junii 1807. q. 2. coram Rusconi;* accedit in casu, vel ipsam dispositionis literam jus ejus vocationis manifesto adstruere, quae, masculina descendentia deficiente, uti reapse defecit, passivum jus tribuit descendentiae masculinae per linea feminina.

Qua quidem in re minus deferendum censet unicae, quae a Paolinio objicitur, difficultati, quod nimirum Spanius ad descendentiam masculinam ex linea feminina vere non pertineat, quippe non a Rosa (Francisca Torti filia) per medium masculinum descendit, sed ab ejus filia Clotilde nupta Josepho Spani, scilicet per medium femininum ortum habet; unde Paolinius exclusivum sibi jus vindicat, utpote qui a masculo, nempe Vincentio Campanari, ejusdem Rosae filio, mediatam habet originem. Contra enim, praetermisso vel ipsum Paolinium Vincentio Campanari ac proinde Rosae Torti per medium feminae conjunctum esse, observat defensor, testatorem non cohibuisse vocationem ad descendentiam masculinam filiae, quae a Francisca Torti nasceretur, sed vocasse generatim nulla limitatione adjecta la discendenza mascolina per linea feminina, ut adeo excludi nequeant masculi, qui pluribus mediantibus feminis a Francisca Torti descendant, ceu in terminis firmant *Ant. de Luca de lin. legal. lib. 1. art. 10. num. 14; s. Rota in Recineten. Primogeniturae 6. Martii 1807.* §. *10. coram Piccolomini,* cum omnes aeque sint cognati et eadem polleant descendentiae qualitate.

Cum itaque de passiva Spani vocatione constet, pro implorata dispensatione instat orator. Nam etsi fundator canonicam idoneitatem in clericis instituendis diserte voluerit et agatur de canonicatu in Cathedrali ecclesia obtinendo, quo in casu difficilius dispensari solet, attamen plura monet concurrere in themate, quae dispensationem sui clientis favere suadent, scilicet passivam vocationem, consanguinitatem cum fundatore, paupertatem saltem relativam, probatissimos mores, diligentiam et assiduitatem in studiis excolendis, peritiam in Gregoriano cantu a testatore expresse requisitam, dispositionem ad statum ecclesiasticum, capituli et Episcopi votum; quae quidem rerum adjuncta plurimi semper fecit s. Congregatio in dispensatione super aetatis defectu elargienda, etiamsi de canonicatu ageretur, ceu testantur causae *Monasterien. Canonicatus 7. Aprilis 1757.* §.*: Vacarunt, Gallien. et Pergulana 22. Februarii 1823.* §.*: Oratoris.*

Nemini autem ex dispensatione fieri injuriam; non superstitibus Canonicis, qui in hac vocatione jure suo uti se nolle declararunt; non caeteris contendentibus, quippe jus neutiquam quaesitum sit praesentatis sub conditione, sed spes tantum et potentia, *Piton. discept. eccles. 13. num. 38. et seqq.*, et isti enim dispensatione indigent. Sed quod magis est, iis pollet qualitatibus Carolus Spani, ut comparatione instituta competitoribus suis longe praecellat. Praestat enim Paolinio, qui aetate minor ille est, duabus jam potitur capellaniis, nullum ecclesiasticae vocationis signum praebet, in habitu clericali non incedit, nec studiis et ingenio cum Spanio ullo pacto comparandus est. Praestat eo magis Cocchio, qui nedum inhabilis et ipse est, quippe clericali qualitate caret, sed nec passiva vocatione frui potest, nisi aut lineis primo vocatis deficientibus, aut nemine ex iisdem lineis idoneo exstante; quorum nec primum consistit, uti palam est, nec alterum, ubi Spanio dispensatio concedatur, quam substitutus etsi habilis praepedire non posset, quando utili tempore petita fuerit, juxta ea quae tradunt *Card. de Luca de jurepatr. disc. 70. num. 16; Piton. disc. eccl. 12. num. 32. et disc. 69. num. 23*, aliique communiter.

Ex parte Paolini et Cocchi nihil deductum est; ex iis autem, quae hucusque dispentata sunt, facile norint EE. PP., quo jure illorum preces nitantur.

Sit itaque

Dubium:

An et cujus favore annuendum sit precibus pro dispensatione aetatis et cui sit danda institutio in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus favore Clerici Spani, facto verbo cum SSmo, et amplius.

Die 15. Maji 1856.

b) Dispensatio non concessa.

Montis Falisci.

Pia femina Maria Fetti de oppido Martae in dioecesi Montisfalisci, condito ultimae voluntatis elogio die 14. Novembris anni 1659 haeredem scripsit pro certa summa scutatorum quinquaginta tantum Christophorum Christophori, avunculum suum, eique jussit, ut de caeteris haereditatis suae bonis canonicatum erigendum curaret in Collegiata dicti oppidi cum onere celebrandi qualibet hebdomada sex missas, adjecta reservatione jurispatronatus favore in perpetuum ejusdem D. Capitanei Christophori, suorum et familiae ipsius, nempe ut dicitur della linea e casata de' Christofori tanto maschi quanto femine, et post ejus mortem haeredis vel haeredum in ejus ultimo testamento per eum instituendi seu instituendorum; quo decedente ab intestato, juspatronatus praedictum cujus vel quorum in haereditate praedicta D. Capitanei Christophori de jure etc. cum titulo ad dictum presbyterum sive Canonicum eligendum, nominandum et praesentandum coram D. Ordinario, seu quocumque alio a jure praefixo.

Mense Martio subsequentis anni 1660 canonicam beneficii erectionem adamussim expletam fuisse constat, si non ex decreto episcopali, cujus exemplar in acta nunquam productum est, at ex uno et altero nominationis actibus, qui proxime subsecuti sunt. In primis namque die 23. Julii ejusdem anni Christophorus ipse exposuit coram curia Montisfalisci erectum fuisse canonicatum »de jure patronatus ipsius familiae D. comparentis reservata sibi et haereditatibus in perpetuum facultate et auctoritate nominandi Canonicum pro tempore ad dictum ecclesiasticum beneficium, et vigore facultatis sibi concessae in dicto testamento et reservatione et concessione jurispatronatus in erectione hujusmodi beneficii sibi factae nominavit et praesentavit Illum et Rum Aegidium Fontana presbyterum.« Deinde die 9. Aprilis 1692, sequuta semel iterumque beneficii vacatione, nominationi iterum locus factus est et per acta notarii Aloysii Andreani, perillustris C. Camilla filia et haeres quondam D. Capitanei Christophori . . . . . nominavit et nominat Canonicum in dicto canonicatu R. D. Josephum Mallano.«

Christophorus morti proximus absque ulla masculina prole die 12. Junii anni 1685 testamentum scripsit, in eoque circa omnia bona »come anche (sunt ejus verba) nel juspatronatus del canonicato eretto dalla Signora Maria Fetti sua nipote cernale nella Collegiata di S. Marta, sua erede universale usufruttuaria istituisce, e vuole che sia, e colla sua bocca nomina . . . . la Signora Camilla Cristophori sua figliuola legitima e naturale, e morendo detta Signora Camilla Cristofori senza figlioli legittimi e naturali, in detta sua eredità, e beni come anoo nel juspatronato sostituisce li Signori Odoardo e Francesco Maria Fontana di Coriano suoi Nipoti per egual porzione »qui videlicet nati erant e Placidia, altera Christophori filia nupta Leonidae Fontana loci Soriani Hortanae dioecesis. Praedicta Camilla scripsit et ipsa suum ultimum elogium die 14. Aug. anni 1696 et universales haeredes instituit eosdem suos nepotes Odoardum et Franciscum Mariam. Nullos reliquit filios Odoardus. Francisco plures obtigisse liberos colligitur ex arbore genealogica; sed sive quod unus Silverius statui matrimoniali sese mancipaverit, sive qualibet alia de causa, ille unus praesignatur, in quo totum juspatronatus coaluit et pacifice inter partes veluti stipes communis agnoscitur.

Ex hoc Silverio seniore nati sunt Rochus, Aloysius, ambo sacerdotes, necnon Laurentius et Dominicus senior, in quos juspatronatus aequis partibus transitum fecit. Laurentius tres nactus est filios, Silverium juniorem, Josephum et Jacobum absque prole defunctum. Dominicus autem inprimis filium habuit Dominicum postumum, ex quo ortus est Nicolaus, pater pueruli Orestis loci Soriani Hortanae dioecesis, qui in hodierna controversia super aetatis defectu dispensationem petit. Dominico seniori insuper filia obvenit nomine Theresia, quae cum Dominico Fiammetta matrimonio juncta est, ex eoque suscepit Josepham, nuptam Aloysio Valeri Montisfaliscodunensis, matrem adolescentuli Francisci civitatis Montisfalisci, in eo seminario degentis, qui petitam dispensationem impugnat.

Pacifice semper processerant res inter patronos, si ultimam ac penultimam vacationem excipias. Quoniam vero haec, quae accidit ante annum 1850, viam sternat quaestioni dirimendae, quae proxime suborta est in vacatione anni 1855, de qua hodie erit agendum, operae pretium duco, heic de ipsa accuratam facti speciem retexere. Vacante canonicatu anno 1844 ex obitu Caesa-

ris Fontana fratres Silverius junior et Joseph Fontana praesentarunt clericum Josephum Ferruzzi tresdecim annos natum sub spe dispensationis, quam praesentatus a secretaria brevium illico postulavit at non obtinuit. Paulo post Dominicus postumus nominavit filium suum, Nicolaum, hodie Orestis patrem, qui tum forte sine uxore inter milites vulgo Carabinieri recensebatur. Hic sacram hanc Congregationem pro dispensatione supplex adiit, sed frustra, namque non expedire rescriptum fuit. Intera Rosa, Antonio Valeri nupta, nominavit memoratum filium suum Franciscum tunc puerulum septennem, unaquaque a dataria veniam dispensationis petivit. Dataria rem ad S. C. remisit, ut super pertinentia patronatus et majoritate vocum sententiam ferret. Ex instituto sacri ordinis Episcopo Montisfalisci literae missae sunt, ut omnes eos, quorum interesse ea de re poterat, interrogaret suamque animum aperiret. Idem Ordinarius suis literis, quae in positione prostant, datis die 2. Aprilis 1848, rennunciabat, quod »tam Rosae Fiammeta Valeri, quam Joseph et fratribus Fontana et Dominico Fontana notum feci sub die 8. Febr., remissam esse causam s. Vestrae Congregationi super pertinentia jurispatronatus et vocum majoritate . . . . ut omnes jura sua coram eadem S. C. deducere valeant.« Licet haec Dominico denunciata fuissent, post illud temporis causam deseruisse visus est; nam, cum causae propositio duobus annis protelata fuisset neque Nicolaus filius (Dominicus enim interim mortuus fuisse dicitur), neque alius ejus nomine penes hanc s. Congregationem comparuit. Itaque disceptatio coercita est ex una parte ad Fratres Fontana, qui jus-patronatus de quo agebatur esse mixtum ex gentilitio et haereditario una cum Josepho Ferruzzi propugnabant proindeque huic vocum potioritatem suffragari subjiciebant, ab altera vero parte ad Rosam Fiammetta Valeri, quae pro jure patronatus mere gentilitio acriter dimicabat. Quocirca duo proposita fuere dubia:

I. *An constet de jurepatronatus activo favore Rosae Fiammetta Valeri ad canonicatum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione favore Francisci Valeri seu potius danda sit institutio Josepho Ferruzzi in casu?*

Emi Patres die 27. Julii anno 1850 rescripsere

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.«

Continuatio.

Huic resolutioni partes plane aequieverunt atque adeo resolutio suum habuit effectum; namque Joseph Ferruzzi, Francisco Valeri posthabito, libere canonicatus possessionem adiit, in eaque mansit usque ad diem 3. Januarii anni 1855, quo die nuncium canonicatui misit, itaque alteri vacationi via patefacta est. Ubi primum id accidit, Fratres Fontana simulque Nicolaus Fontana nominaverunt Orestem, hujus filiolum, quibus postea alio in actu diei 15. Junii sese addidernnt Francisca, Clara, Theresia ac Bernardina Fontana, Nicolai sorores, necnon Caecilia filia Silverii junioris. Itaque preces ad hanc S. C. delatae sunt, ut Oresti venia tum ab aetate tum a clericatu concedatur, seu potius canonicalis praebenda in ejus utilitatem administrationi demandetur, donec canonicam attigerit aetatem. At e contra Rosa Fiammetta Valeri die 4. Junii Franciscum filium suum hac etiam vice nominavit non solum nomine proprio, sed etiam a nome de' Signori sese extitisse dicebat et insuper a nome de' quattro miei figli minori Tezesa, Gaspera, Cesira e Domenico. Franciscus nominationem etiam obtinuit a Josepha, ejusdem amita, quae itidem eademque de causa nominationem elicuit nedum nomine proprio, sed etiam ut haeres sacerdotum Aloysii et Rochi, necnon filiorum ipsius Josephi, nempe Francisci, Annae, Raphaelis et Mathildis. Hinc Franciscus nominatus nulla interposita mora penes hanc S. C. contra Orestis preces impedimentum, quod audit: *Nihil transeat,* interjecit.

Ordinarius de more rogatus respondit suis literis diei 4. Maji 1855, Orestem annos natum esse quinque, menses quinque, dies viginti; ait insuper: »Equidem juvenculus Orestes optimam exhibet indolem, sacris functionibus libenter assistit et bene de se sperandi causam praebet. His accedit Oratorem (Orestem), illustri licet genere ortum, rerum tamen familiarum angustiis premi, quam ob causam caeteri fere omnes patroni ejus votis suffragantur.

Canonici tamen ecclesiae Collegiatae s. Marthae in capitulum collecti desuper

requisiti favere precibus renuerunt. Et quod majus est, adversatur petitioni, contra eamque protestatur Rosa Fiammetta vidua Antonii Valeri, quae sibi etiam asserit tale jus-patronatus nominatque ad beneficium clericum Franciscum Mariam Valeri suum filium in aetate annorum tresdecim, mensium novem et dierum viginti sex constitutum, in hoc seminario alumnum et latinae linguae operam dantem. His stantibus (nempe resolutione hujus S. C. diei 27. Julii 1850, qua Episcopus jura Rosae inniti heic addebat) nescio, an oratoris (Orestis) preces benigne excipi queant; licet enim S. C. cum patronorum filiis dispensare eisque extraordinariis remediis opitulari pro casuum contingentia suevit, attamen indulgentiae hujusmodi locus esse non videtur favore inhabilis praesentati, ubi habilis aliquis nominatus appareat. Sed judicium hac super re praeclarissimae sapientiae vestrae reservatur. Id unum superaddam, beneficium, de quo in precibus, redditum quotannis dare scutorum fere centum et adnexum habere onus praedictarum missarum sex per hebdomadam et interessentiae choro festivis diebus.«

Rebus ad hunc statum adductis jam causa in eo erat, ut vestro judicio submitteretur, cum Orestes restitutionem in integrum seu revisionem resolutionis primi dubii editae die 27. Julii 1850 efflagitavit, cujus postulationi annuere in mea facultate non esse antumavi. Igitur Orestes preces suas ad Emum sacrae Congregationis praefectum vertit, qui, rebus cognitis die 26. Februarii labentis anni rescripsit: »*Lectum*«. Precibus instantius penes eumdem iteratis, ab eodemque, ut par erat, expensis, iterum rescriptum prodiit die 12. Julii: »*Lectum et acquiescant*«. Quamobrem rata firmaque retenta resolutione anni 1850 super pertinentia jurispatronatus favore Rosae Fiammetta Valeri, adeoque etiam sororis Josephae Fiammetta Valeri, tota hodie controversiae vis in eo vertitur, an Oresti petita dispensationis venia elargienda sit seu potius institutio Francisco Mariae Valeri adjudicari debeat.

Ex parte Orestis petitur, ut ea rationum momenta, quae ipsi pro obtinenda restitutione in integrum minime valuerunt, saltem eidem prosint, ut animos Eminentiarum Vestrarum ad dispensationem impertiendam inducant. Itaque animadvertit praeprimis inimicam diei 27. Julii 1850, resolutionem minus sibi obstare, vel ex eo, quod invia contentiosa edita non est, non ulla defensio nedum in via oeconomica producta neque rite ex judicis mandato executioni commissa.

Deinde controversia inter fratres Fontana et Dominicum postumum agebatur, eaque personarum nominatarum capacitatem ad beneficium assequendum respiciebat, minime vero pertinentiam jurispatronatus. Huic enim secundae quaestioni disceptandae causam dedit Rosa Fiammetta Valeri; at vero testatur ipsum folium a S. C. enaratum, neque Dominicum neque Nicolaum, neque alium quemquam eorum nomine amplius comparuisse; ideoque ibidem monebatur quaestionem in ea disceptationis sede coerceri ad fratres Fontana et Rosam Valeri. Quocirca Dominicus tam extraneus a causa erat, ut merito dubitari possit, an ex adverso jactata res judicata ipsum afficiat. Quod si etiam idipsum concedatur, nemo non videt hic agi de re judicata impropria, utpote quae prodiit in Dominici contumacia. Quid, quod Dominicus in dementiam misere delapsus fuerat et anno 1849 diem clauserat extremum?

Praeterea ex liberali dispositione Mariae Fetti ad juspatronatus vocati sunt omnes della linea e casato maschi e femine, et post mortem Christophori omnes ejusdem Christophori haeredes: ex quo clare patet, quod ille, qui patronatum sibi velit arrogare, demonstare debeat sese non solum esse de linea et casata, sed etiam haeredem Christophori, licet mediatum, teste *Fargna de jur. patr. p. 2. can. 1. et 2. cas. 17. num. 13; Rota decis. 185. num. 7. p. 9. tom. 1, decis. 254. num. 16. par. 11, decis. 434. num. 16. par. 19. tom. 1. Recent.* Jam vero Christophorus omnia bona sua Odoardo et Francisco Fontana reliquit, neutiquam vero Placidiae horum matri et testatoris filiae. Camillae vero, alteri filiae, usumfructum tantummodo haereditatis attribuit, sublata de haereditate testandi facultate; quippe proprietas Odoardo et Francisco debebatur. Inde luculenter elicitur Christophorum filiis masculis haereditatem et nominandi facultatem unice reservasse. Cum itaque Rosa Fiammetta qualitatem haereditariam non praeseferat, conditione substantiali ac necessaria caret, ut juspatronatus exercere possit.

Ulterius prosequitur Orestes propugnans Rosam et Josepham Fiammetta Valeri neque in jure neque in facto haereditariam qualitatem jactare posse: non in jure, quia, quo tempore mortuus est Dominicus senior, nempe

anno 1799, in Hortana dioecesi vigebat statutaria lex, quae feminas ab haereditate repellebat: neque in facto, quia tres sacerdotes octuagenarii testantur Dominicum ipsum sine testamento obiisse omniaque ejus bona ad Dominicum postumum utpote haeredem legitimum devoluta fuisse. Quod confirmatur fide emortuali, ubi legitur Dominicum annorum 32 violento morbo correptum, sensibus destitutum, cum sola absolutione sub conditione vitam exhalasse. Proinde inquisitionibus peractis ex tabulario notarii Sorianensis compertum est a viginti annis ante Dominici mortem nullas testamenti tabulas neque postea ullos aditae haereditatis actus inveniri potuisse. Insuper sciendum est, quod Bernardinae, alteri Dominici filiae (quam sine prole decesisse ex actis apparet) nuptae Dominico Carsi, dos constituta fuerit a matre Porta vidua Dominici, ceu Corsius ipse testatur, non vero a patre seu ejus haerede Dominico postumo. Si igitur Bernardina neque haereditatem neque dotem a patre accepit, idipsum Theresiae alteri Dominici senioris filiae, a qua utpote matre causam habeat Rosa et Josepha Fiammetta Valeri, contigisse plane probabilis conjectura suadet.

Neque vero quidquam momenti habere testimonia a Rosa producta, ubi declaratur, Rosam ejusque sororem Josepham partem haereditariam in sacerdotum Aloysii et Rochi haereditate consecutas esse, ideoque etiam partem jurispatronatus, quod sibi expresse reservasse in acceptatione ab iisdem subscripta perhibetur. Constat enim ex instrumento matrimonii, quod anno 1790 Dominicus senior cum Clara Porta celebravit, sacerdotes Aloysium et Rochum obligationem in se recepisse solvendi Dominico fratri quamdam opimam pecuniae vim; quam cum ipsi, dum viverent, nunquam re ipsa solvissent, vix vita functi sunt, statim sorores Fiammetta Valeri hujusmodi creditum persecutae sunt. Quocirca manifestum fit, easdem ex peculiari crediti titulo non vero ex haereditaria causa in sacerdotum defunctorum haereditate dumtaxat quidquam obtinuisse; adeoque praetensa jurispatronatus pars, quam ex dictis sacerdotibus sibi ipsae arrogant, in auras omnino evanescit. Neque vero hujusmodi reservatio argumento esse potest, quod sororibus Fiammetta qualitas haereditaria inhaereret: ipsae enim id sibi reservant, quod non habent, aut probare debent ad se pervenisse per haereditatem antecendentium aliarum feminarum, quas et haeredes fuisse et transmittendorum jurium potestatem habuisse ostendatur. Praeterea nihil inde praesidii obtineri posset, quia Camilla, Christophori filia, haeredem instituere prohibebatur a parente suo, qui, ea sine prole decedente, nepotes Odoardum et Franciscum haeredes scripserat, quique solus ex Maria Fetti voluntate jus obtinebat haeredum vocationem determinare.

Oresti favere etiam observantiam, quae quantum ponderis habeat sive in linea praescriptiva sive interpretativa, nemo est qui non videat. *Piton. de contr. patr. alleg. 23. n. 8; Rota coram Dunozet. dec. 966. n. 17, coram Ludovisio dec. 284. n. 8.* Jamvero idem Orestes seriem vocationum omnium ab anno 1682 ad haec usque tempora sine ulla interruptione deductam in medium profert, in qua videre est solos masculos e casato Fontana jus nominandi exercuisse, exclusis feminis, licet eae, ut plurimum, nequaquam deessent, quemadmodum in genealogico schemate inspicitur, ne exceptis quidem sororum Fiammetta Valeri majoribus. Quo argumento nihil optius fingi potest, ut inde confirmetur solos masculos e casato, qui simul qualitatem haereditariam praeseferrent, jus nominationis exercendae in themate obtinere, ac proinde nihil de hac re sibi praesumere posse feminas, tametsi alioquin aliis conditionibus non destituantur.

Hisce rerum momentis contra resolutionem anni 1850 allatis concludit Orestes, vix esse quod de juris adversario quaesiti laesione pertimescendum sit, ubi imploratam a se in praesenti judicio super aetatis et clericatus defectu dispensationem consequi detur, pro qua ita directe ratiocinatur. Ex iis, quae hactenus statuta sunt, liquido elucet agi in themate de jurepatronatus mixto, in quo voces non in capita sed in stirpes computantur. *Rota decis. 99. n. 4. pag. 17. coram Buratto; dec. 647. n. 4. cor. Benincasa, dec. 90. n. 9. et seq.* Porro ipse (Orestes) adeptus est totum semisse, quod Laurentio Silverii senioris filio obtigit, nominatus est enim a Silverio ejusque filia Caecilia et Josepho Laurentii filiis, deinde assecutus est dimidium etiam alterius semissis, ad Dominicum alterum Silverii senioris filium pertinentis, nominatus enim etiam est a Nicolao patre suo ejusque sororibus. Francisco vero Valeri nihil aliud reliquum est, quam secunda hujusce semissis medietas, quae illi obvenit ex matre et amita Theresiae filiis. Jam vero

hac tam praeponderanti posita vocum praecellentia, si petita dispensationis venia sibi impertiatur, Valerius licet habilis queri non potest. Namque, ait *Fargna de jur. patr. p. 11. can. 3. cas. 6. n. 7. et 8*, nec praesentatus a minori parte patronorum habilis potest se opponere et impedire, quod praesentatus a majori parte patronorum inhabilis sub conditione capacitatis intra terminum juris se habilitet . . .«, et paucis interjectis subsequitur: Ratio autem est, quia summus Pontifex gratiam dispensationis concedendo super defectu aetatis praesentato a majori parte patronorum vere et proprie nullum praejudicium infert praesentato a minori parte. Concinit doctrina hujus S. C., ut in *Ariminen. Capellaniae 11. Aug. 1755. §.: Addit.*

Super haec Orestes optimam indolem exhibet, sacris functionibus libenter assistit beneque de se sperandi causam praebet. Deinde illustri licet genere progenitus rerum familiarium premitur angustiis, prout ipse testatur Episcopus. Enucleatius tristem familiae conditionem describit et confirmat parochus Sorianensis: ait enim de Nicolao Orestis patre, qui licet una volta apparteneva alle primarie famiglie del luogo, oggi è povero affatto di beni di fortuna, ammogliato, con tre piccoli figli, la vedova Madre e due sorelle. »Jamvero nihil est aequitati canonicae magis consentaneum, quam quod patronorum filiis liberaliter succurratur omnibus remediis, quae in ecclesiae potestate sunt etiam extraordinaria, ex *cap.: Tua nobis de jur. patr.*, et suadent innumera exempla, quae superfluum esset heic afferre.

At vero ex adversa parte Valerius firmiter inhaerendum esse statuit resolutioni anni 1850, in qua Rosae matri suae jus patronatus solemniter adjudicatum est; nullus alioquin est rerum judicialium tam imperitus qui nesciat: rem judicatam pro veritate haberi et, ceu forenses ajunt, facere de albo nigrum, de nigro album. Nihilominus, dum hac in re juri suo nullo pacto detrimentum sese afferre velle contendit, ita etiam de suo bono jure confidit, ut ad abundantiam hanc iterum agere quaestionem non refugiat.

In primis Dominicus posthumus (Valerius inquit) in descriptione anni 1850 non erat extraneus; et si non comparuit sive ipse sive Nicolaus, qui eo mortuo ejusdem personam repraesentabat, sibi imputet. Caeterum ex positionis actis eruitur, hanc S. C. die 8. Jan. 1848 Ordinario significasse, causam ex Datariae commissione apud hanc S. C. agendam esse eodemque tempore eidem mandatum dedisse, ut singulos interesse habentes moneret. Quo vero Dominicus reapse monitus fuerit, testabatur ipse Ordinarius suis literis 2. Aprilis ejusdem anni. In quo notandum est, quod interea temporis, nempe die 10. Martii, Dominicus penes S. C. instabat »perchè sia preferito il nominato da lui o almeno ch' egli abbia il diritto di nominare alla vocante prebenda, ut legitur in folio causae §.: *Quibus.* Quae verba per se ipsa indicant, Dominicum satis superque cavisse, ut juris pertinentia sibi non adimeretur. Post haec superfluum putat superaddere, quod causa proposita fuit per folium ex officio exaratum, ubi habita ratione jurium ac deductionum, quas utraque pars in scriptis exhibuerat, momenta rationum utrinque diligenter expendebantur. Perpendit quoque, quod agatur de causa status, in qua tritum vulgatumque in jure est, rem judicatam emissam in contradictione partium jus facere quoad caeteros omnesque afficere eodem jure venientes, tametsi antea non fuissent citati, ut juxta communem docet S. C. *in Verulana Jurisp. 26. Mar. 1836. §.: Apertissime.* Injuriam vero poenam sapere quod sibi adversarius suadebat, sacri vestri concilii resolutionem perfecti judicii vim non obtinere, cum praesertim res per ea tempora amplius integra non esset; quandoquidem vi nimirum illius resolutionis et Ferruccius tum ad possessionem libere immissus est et Rosa eo judicio innixa nominationem in hac vacatione exercuit.

Perperam vero ex adverso propugnari, prosequitur Valerius, matri amitaeque suae qualitatem haereditariam deesse. Quamvis enim in hac judicii sede pro gentilitia jurispatronatus qualitate tuenda insistere non censeat, ceu in propositione causae anni 1850 praestitit, idque conficere posset multis de causis, inter quas ea prima est, quia verbum haeres non raro meram sanguinis successorem in foro innuat, nihilominus in hodierna concertatione, dato, quod jus patronatus mixtum haberi debeat, non idcirco consequi Rosam et Josepham haereditaria veste exutas dici posse. Quod antequam ex professo demonstret, objectionem de jurepatronatus lineali masculino superius institutam in antecessum evertere necessarium ducit, perpensis verbis ipsius testamenti, ubi eodem gradu eodemque temporis momento

tanto maschi quanto femine disertissime vocatae sunt. Confirmat ex eo, quod Christophorus, cum testamentum conderet, licet adessent masculi ex filia Placidia, juspatronatus Camillae alteri filiae suae testamento reliquit, quae hoc jure suo anno 1692 ad canonicatum cum effectu sacerdotem Josephum Malla nominavit.

Si igitur nullum haec objectio sororibus Fiammetta Valeri impedimentum parit, multo minus obesse ait jactatum haereditariae qualitatis defectum. Namque in jurepatronatus mixto ad adstruendam qualitatem haereditariam satis, si eamdem adfuisse probetur in persona primi acquirentis et ultimi defuncti, *Fargna de jur. patr. p. 11. cap. 1. 11. cas. 8. n. 13. 14; Piton. discept. eccl. 4. n. 16; Rota decis. 64. n. 16. p. 13, dec. 117. n. 20. p. 6. Rec.* Deinde ea est praesumptio juris, ut ex eo, quod quis alicujus filius sit, idem et haeres esse habearis, juxta illud »filius ergo haeres«. Sic enim docet *Rota coram Marco dec. 92. n. 4, decis. 122. n. 7. coram eodem.* Multoque magis, si de lucro a filiis captando damnoque fugiendo res sit.

Jamvero ex schemate genealogico patet, Rosam et Josepham immediate per Theresiam, mediate per Dominicum seniorem causam habere a Silverio seniore, qui communis stipitis locum tenet, cumque immediata et mediata sit derivatio per filiationem evenit, easdem sorores pro haeredibus tum Silverii tum Theresiae esse prorsus habendas. Quoniam vero super hoc articulo in paritate rationis cum patronis adversariis et multo propius cum Nicolao, Theresiae fratre, eaedem sorores versantur, consequens plane esse, ut, quemadmodum hae ab illis positivam aditae haereditatis probationem non praetendunt, ita nec hi vicisim ab illis praetendant.

Neque vero hujusmodi conclusionem infringi objiciendo, sorores praedictas haereditatis incapaces esse, praesertim ex statuti lege aut alia quacumque de causa. Qua in re animadvertendum censet, jus patronatus minime affixum esse rebus haereditariis, bene vero ipsi juri haereditario, quod est incorporeum et personae haeredis inhaeret, etiamsi haeres singula haereditatis bona distrahat. Neque satis est; communissima sententia docet, qualitatem haereditariam non requiri in actu sed in potentia et habitu, *Rota in Imolen. Jurisp. 20. Junii 1777. §.: Caeterum coram Flangini, in Civitatis Castellanae 4. Julii 1783. §. 3. cor. Soderino, S. C. in Montefalisci Jurisp. 27. Julii 1850. §.: In jure.* Quapropter quando quis de caetero sanguinis qualitate pollet, sufficit, quod, ut ait *Piton. de contr. patron. alleg. 69. num. 21.«* fuerit capax succedendi, si testator eum haeredem instituisset, nec attenditur, quod alium fecerit haeredem seu, quemadmodum repetit *Alleg. 37. n. 26*, sufficit, quod quis fuerit capax succedendi, si ultimus alium haeredem non instituisset, id est ab intestato si obiisset. Idem docet *de Luca de jur. patr. disc. 30. n. 4; Rota coram Kaunitz dec. 140. n. 15. coram Gamberini decis. 15. n. 8.*

Hinc infert, hac in re nullam posse vim exserere statutarias leges, quae feminis haereditates paternas interdicunt. Hanc enim doctrinam specifice tradunt statuuntque *Surd. cons. 572. n. 72. et seq.; Brun. de stat. femin. exclus. art. 8. n. 104; Gratian. disc. 843. n. 32; Torr. de success. in prim. p. 1. c. 15. n. 74; Rota coram Ursinio in Mantuana beneficii 3. Jun. 1689;* eamque pluribus argumentis et auctoritatibus ibidem firmat *§: Etenim.* Novissime vero *coram Malvasia dec. 2. n. 13*; ibi: Hinc statuti exclusio repellit utique feminas a jurepatronatus haereditario, quod actualem exigit successorem et nonnisi cum haereditate transferri potest. Jam diu tamen receptum est, ut iisdem non obsit in patronatu mixto, qui ex fundatoris providentia ad sanguinis haeredes deferri debet. Etsi enim statutum certis in casibus impediat feminis ne actu successionem adipiscantur, non iis tamen habitum adimit et insitam jure sanguinis potentiam succedendi. Et tenet haec S. C. in *Benevent. Instit. diei 16. Decbr. 1854. §.: Deinceps.*

Nec quidquam officere in femina dotem recipiendo, si nuncium paternae haereditati misisset; namque generatim receptum est in renunciatione omnium jurium et actionum super bonis paternis non comprehendi jus patronatus haereditarium. *Schmalzgrueber jus eccl. univ. p. 1. tit. 38. n. 158; Vivian. cap. 1. lib. 4. n. 11; Gagliard. de jur. patr. c. 14. n. 11;* ideoque multo minus mixtum, nominatim quando agitur de renunciatione paternae haereditatis a feminis cum aliis juribus elicita. *Piton. dict. alleg. 69. n. 29; Rota coram Ursinio in praedicta Mantuana §.: Nec subsistit, necnon haec S. C. in dicta Beneventana Inst. loco citato.* Tandem nihil etiam detrimenti obveniret, etiamsi quis in

sola legitima vel in re certa a testatore vocatus fuisset, quemadmodum videre est in *decis. 63. p. 19. tom. 2. Rec.*, ubi, articulo formiter discusso, ea doctrina confirmatur, refutatis doctoribus, qui aliter sentire videbantur.

Nec majori haberi posse in pretio argumentum ab observantia deductum; quandoquidem primo ruit in facto, nam femina fuit, id est Camilla, quae anno 1692 nominavit, ut superius monitum est; et femina item fuit, quae in ultimo statu nominationis actum explevit, nempe Rosa, licet aliis vocibus victa succubuerit. Ruit etiam in jure, cum enim agatur hic de patronatu, cui inhaeret gentilitia qualitas, singuli, qui vocati sunt, veniunt nomine proprio, idque antecessores per suam negligentiam nequeunt successoribus praejudicium inferre. Deinde nominatio adnumeratur inter actus facultativos, contra quos non datur praescriptio, nisi concurrat contradictio cum patientia, ceu perbelle explicat *Gagliardi de jurep. tom. 1. cap. 7. n. 9. et seq.*

Post haec addit Valerius sese in evertendis adversariorum difficultatibus, plusquam necessitas exigeret, consulto immoratum fuisse, ut videant Emmtiae Vestrae, quanta maturitate justitiaque Emmus praefectus eorumdem preces super revidenda resolutione anni 1850 iterum iterumque rejecerit.

Transitum deinde faciens ad ea, quae directe in medium affert adversarius, ut petitae gratiae compos fiat, Valerius inprimis statuit, sese vocum numero competitorem vincere. Ait enim, jus patronatus, Silverio seniore defuncto, in quatuor partes divisum esse, quot erant ejusdem filii, nempe Rochus, Aloysius, Laurentius, Dominicus. Jamvero Valerius non solum habet dimidium quadrantis, quod Dominico seniori contigit, sed etiam unum et alterum quadrans, quod sacerdotibus Rocho et Aloysio singulatim competebat. Constat enim in facto hosce ab intestato mortem obivisse, adeoque ex jure repraesentationis duas patronatus partes eorumdem proprias ad legitimos haeredes, quales ipsae sunt, delatas fuisse, eisque sorores Fiammetta Valeri in actu nominationis conceptis verbis usas esse superius indigitatum est, quod non praestiterunt patroni adversarii, quippe qui proprio dumtaxat nomine puerulum Orestem nominaverunt. Jamvero indubitatum est, quod ad effectum institutionis non addendantur patronorum nominationes, nisi actualiter in casibus singularibus elicitae sunt, *dec. Cons. 127. n. 4; Durand. decis. 199. n. 10. decis. 230. n. 5.* Nihili vero faciendae sunt feminarum voces, quas depromit Orestes; nam de sororibus Nicolai animadvertit, quod sive nominant. sive secus, idem sit: medietas enim, Nicolao competens ex Laurentio seniore, in praesenti casu nec minuitur nec augescit: de filia vero Silverii, cum nominaverit Silverius ipse, ejus nominatio non est attendenda. Nam in jurepatronatus mixto voces computantur per stirpes et non per capita, nec filius potest concurrere cum patre. *Fargna loc. cit. n. 14.*

Futilem autem esse aliam difficultatem, quod sorores Fiammetta Valeri sacerdotum Rochi et Aloysii creditrices fuerint; nec enim implicat, quod et haeredes una foreni idemque creditum duplici ex jure persequerentur. Quod vero juri haereditario circa sacerdotum haereditatem renunciare non intelligerent, manifesto ostendit aperta jurispatronatus reservatio, quam in acceptatione inseruerunt.

Hinc consequi, quod Valerius vocum numero Orestem vincat, quodque hic sibi ratiocinium texit, Valerius solidiore jure sibi vindicet. Sed etsi concederetur, quod Valerius inferior vocum numero sit, attamen, cum ipse jam canonicam attigisset aetatem, cum beneficium vacavit, nominationem personae inhabilis nullam esse subdit et alteri habili licet minori vocum quantitate pollenti accrescere, seu, quod idem est, totum juspatronatus in habili consolidatur pro ea vice ad textum in *cap.: Dudum 22, et cap.: Congregato 53. de elect.; Rota in Mellevit. benef. 10. Jun. 1711. coram Aldovrando §.: Omissa,* et S. C. in *folio propositionis causae anni 1850. §.: Praeter,* eadem jura statuit; quae quidem si tunc Valerio nocuerunt, ut cladem et exitium eidem afferrent, justitia et aequitas, ait, hodie postulat, ut victoriam et commodum omne sibi pariant. Quapropter ipse concludit, Orestis petitionem in evidentissimam juris tertii laesionem redundaturam, si optatum exitum sortiretur.

Valerius et ipse canonicam aequitatem invocat, quae ab ecclesia cum piorum testatorum consanguineis adhibetur, idque potissimum, quod in anteactis vacationibus familia Fontana, ut plurimum, hac praebenda perfrui potuerit. Insuper Valerius patre orbatus est, quo non caret Orestes: habet proinde matrem viduam eamque quatuor aliis

parvulis filiis gravatam, quibus tenue patrimonium, olim licet opimum, avus paterque reliquerunt. Testimonia deinde profert rectoris seminarii, ubi degit, qui perhibet, ipsum Valerium »bonis esse moribus imbutum et disciplinae regulis ita se addictum exhibuisse, ut non modo nullam reprehendendi occasionem mihi praebuerit, sed praeclaram ejus indolem et morum integritatem laude dignam semper habuerim«. Addit etiam »eam semper vitae rationem habuisse, ut ejus non solum in disciplina observanda docilitatem ac praeclaram pietatis indolem summopere commendandam esse putem.« Nihil plane differt bonum, quod de eo testimonium reddit spiritualis seminarii director. At vero de ejus ingenio et in studiis profectu fidem faciunt omnes praeceptores, quorum sub ductu latinae linguae elementa gradatim percurrit.

Tandem Valerius sese refert ad preces a Collegiali terrae Marthae capitulo huic sacrae congregationi datas, quibus Canonici exorant, ut, puerulo posthabito, Valerio praebenda adjudicetur, quem ajunt di ottima indole, di bell' ingegno, di esemplare condotta e di chiara decisa vocazione allo stato ecclesiastico. Huc addit, quod ipse Montisfalisci degit urbe Marthae vicinissima, Orestes autem Sorianum incolit, oppidum extra dioecesim et triginta miliaria a Martha dissitum. Ecclesia interim Marthana sacerdotum penuria maxima laborat et si Valerium in suum Canonici recipiant sinum, spe substentantur fore, ut dignum suo tempore sortiantur operarium.

Haec ab utraque parte disseruntur; meum nunc est sapientissimo judicio vestro rem dijudicandam submittere ac proponere

Dubium.

An consulendum sit SSmo pro dispensatione super defectu aetatis et clericatus favore Orestis Fontana seu potius danda sit institutio clerico Valeri in casu?

S. C. resp.: Dilata.

Die 2. Aug. 1856.

Continuatio Montis Falisci.

Hodie adscitis ex utraque parte patronis causa formiter utrimque disceptatur. Meum erit utriusque partis momenta rationum breviter, ut moris est, deliberare.

Favore clerici Valeri praeprimis sustinetur, juspatronatus in casu esse mere gentilitium proindeque tam masculos quam feminas comprehendere. Momentum reponit defensor in tabularum testamenti litera, cujus vi canonicatus erectus est et in qua cautum juspatronatus esse debere in perpetuum ejusdem D. capitani Cristophori, suorum et familiae ipsius, nempe, ut dicitur, della linea, e casata de' Christophori, tanto maschi quanto femine. Et jura volunt, mulieres nedum in jurepatronatus venire, quum de ipsis expresse mentio facta fuerit, sed ulterius, quando etiam vocantur generice descendentes cippi vel domus alicujus familiae. *S. Rota in nuper. tom. 9. dec. 229. §. 2 et sequ., decis. 333 §. 3 ad 6.*

Insuper cum agatur in themate de fundatione beneficii a muliere peracta, praesumi non potest, ipsam abhoriusse a proprio sexu, atque a jurepatronatus excludere voluisse descendentes a foeminis, eo magis, quia, cum Christophori agnatio penitus extincta sit, cognatos inter nulla ratio suadet, quare foeminae sint repellendae. *S. Rota in nuper. tom. 9 dec. 223 §. 14.*

Nil autem refert, subsumunt, fundatricem post expressam vocationem ad juspatronatus masculorum et foeminarum adjunxisse: »Et post ejus mortem haeredis vel haeredum ejus testamento per eum instit. sive instituendorum; quo decente ab intestato juspatronatus praedictum cujus vel quorum in haereditate praedicti D. capitanei Christophori de jure etc.« Haec postrema institutionis verba non detrahuntur ad ea, quae praecedunt, cum illa disponantur quoad perpetuitatem. Et est insuper addendum, quod in vocatione masculorum et foeminarum vernaculus sermo adhibitus fuit: quare non datur suspicandum, mulierem fundatricem non intellexisse quidnam ageret, ceu credi potest de reliquis institutionis verbis.

Praeterea, ad tutamen primae partis institutionis, favore masculorum et foeminarum in perpetuum patrocinatur quoque juris regula, quod, dum in eodem contextu contradictoriae inveniuntur dispositiones quoad personas ad juspatronatus vocatas, illa venit praeferenda, quae primitus exarata est, tum veluti originalis alterius, quae sequitur, tum quia praesumi nullatenus potest, hominem sui compotem eodem momento mutare voluntatem. *Gratian. Discept. 548 n. 7 et 8, Rota cor. Molines. dec. 192 §. 8.*

Prosequitur orator clerici Valeri abstrahendo a prima patronorum vocatione favore masculorum et feminarum et concludit, in casu etiam, quo fingatur, testatricem plane dereliquisse capitaneo Christophori, ut ipse arbitraretur in suo testamento, quos ad juspatronatus vocare vellet, nihilosecius foeminas venire in jure nominandi, quod probat in novissimis tabulis testamentariis ejusdem Christophori, in quibus disposuit: come anche nell' juspatronato del canonicato eretto dalla Signora Maria Fetti sua nipote carnale nella Collegiata di s. Marta; sua erede universale usufruttuaria istituisse . . . . la Signora Cammilla Cristofori, e sua figlia legittima e naturale: e morendo detta Sig. Cammilla Cristofori senza figliuoli legittimi e naturali, in detta sua eredità, e beni, come anco nel juspatronato, sostituisce li Signori Odoardo, e Francesco Maria Fontana da Loriano suoi nepoti per egual porzione.

Et relatis verbis: si Camilla nata Christophori filium aliquem genuisset sive foeminam, hic ad juspatronatus profecto successisset: quandoquidem ad illud Camillae liberi indistincte vocati fuerunt et nomine filiorum filiae quoque veniunt, *L. 16 ff. in princ. de testament. tut.* Quia tamen Camilla nullos filios nacta fuit, qui praeprimis instituebantur ad juspatronatus, locus factus est substitutioni fratrum Fontana, sed cum substituti per omnia succedant institutis, *L. 24. ff. de vulg. et pupil. substit., Rota in Spoletana successionis 2. Junii 1804. §. 9. cor. de Retz, dec. 638 n. 18 par. 10 tom. 1. rec. Soc. vol. 3 cons. 66. n. reg. 4,* sequitur filios fatrum Fontana sive mares sive foeminas jurepatronatus donatos esse. Et quatenus in casu non opitularetur patronis recensita substitutionis lex, juspatronatus devolutum esset Episcopo Montifalisci, quum de descendentibus sive successoribus fatrum Fontana nulla in fundationis litera mentio fiat. Haec de jurepatronatus mere gentilitio, a quo prorsus abest quaecumque haereditatis qualitas.

At vero, etiamsi juspatronatus mixtum et gentilitio et haereditario renunciari velit, id haud sane satis est ad evellendum a mulieribus, ab haereditate actualiter exclusis, jus nominandi, ea ratione, quod patronatui mixto adipiscendo actuali qualitate haereditaria nullatenus opus est sed una sufficit habitualis qualitas, id est, satis est, quem esse haeredem sanguinis, absque eo, quod quicquam referat, utrum ille vi humanae legis sive communis sive statuariae ab haereditate materialiter delibanda arceatur: quinimo idem est et si ille haeres non sit ex facto proprio, utpote primae haereditati nuncium miserit. *Rota cor. Kaunitz. dec. 140. n. 15; cor. Gamberini dec. 15. n. 8, cor. Ansaldo dec. 430 n. 25; Card. de Luca de jurepat. disc. 30. n. 4; Piton. de controv. patron. alleg. 69 n. 21. et alleg. 37 n. 26.* Demum mulieres toties a jure nominandi non repelluntur, quoties expresse exclusae non fuerint, *Rota cor. Rovarella dec. 12 n. 12. dec. 697. n. 1 par. 3.*

Quae non officit exceptio, juspatronatus in casu constitutum esse favore habentium masculinitatis qualitatem, cum nulla ex parte id vel minimum appareat. Sciendum, quandoque super fideicommissis dubitatum fuisse, utrum masculinitatis qualitas expresse in prima vocatorum sede jussa repetita censenda esset in reliquis descendentibus, ubi eadem memorata non fuit: ac resolutum fuit: Haud quaquam illam repetitam censeri. *Card. de Luca. de fideicom. disc. 13. n. 4.* Verumtamen, cum fideicommissa ad agnationem conservandam plerumque instituantur, hinc repetitum fuit, ex circumstantiis et factis repetitionem masculinitatis posse quoque depromi: quod tamen non admittitur cessante ratione conservationis agnationis. *Idem Card. de Luca. de fideicom. disc. 233. n. 9.* Verum istiusmodi quaestio prorsus abest a themate, cum heic agatur de re indifferenti, id est de beneficiaria. Addit orator contra mulieres observantiam in nominando invocari incassum, cum illae de annis 1692 et 1850 praesentaverint: et insuper, quod ad convellendum a mulieribus jus nominandi satis non est ostendere, illas per antecessum non nominasse; sed ulterius requiritur, in anteactis vocationibus easdem et exstitisse et nominare voluisse et nihilominus fuisse rejectas. *Rota cor. Ansaldo tom. 5. dec. 56. n. 33, dec. 82 n. 5 par. 19. tom. 1. rec.* At super facti specie e contra in *S. O. die 27. Julii 1850* resolutum fuit, constare de jurepatronatus activo favore foeminarum: qua resolutione in rem judicatam transacta de tali negotio satis durum est, ut jura loquuntur, iterum loqui, ne in infinitum causae retractentur. *L. 21. Cod. fid. instrument.*

In disceptatione autem anni 1850, ubi sancitum fuit, foeminas jure nominandi esse, minime renunciari potest, Dominicum posthumum ejusque filium Nicolaum (patrem

Orestis, qui dispensationem in praesentiarum flagitat) fuisse extraneos; sive quia Episcopus Montisfalisci testatur, tam Rosae Fiammetta Valeri quam Joseph et fratribus Fontana et Dominico Fontana notum feci *sub die 8. Febr.* remissam esse causam sac. vestrae Cong. super pertinentia jurispatronatus . . . . et vocum majoritate, ut omnes sua jura coram eadem S. C. deducere valeant, sive quia praefatus Dominicus reapse aderat in causa: instabat enim, perchi sia preferito il nominato da lui; o almeno che egli abbia diritto di nominare alla vacante prebenda. Caeterum, etiamsi memorati Dominicus et Nicolaus extranei fuissent neque ullimodo citati in illa causae propositione, nihilosecius, cum sententia fuerit lata super articulo formiter discusso, aliquibus contradicentibus, facit jus quoad omnes contrarium praetendentes, etiam non citatos, sub obtentu potissimum, quod sermo est de statu juris patronatus et ne alias pro litium immoralitate quotidie idem contra quemcumque probare gravemur. *Rota dec. 333. n. 5. par. 17, dec. 245. n. 2. et seqq. par. 9 tom. 1 rec.; Garzias de benef. par. 5. cap. 9. sub n. 94.*

Post haec demonstrat orator, dispensationem super defectibus aetatis et clericatus haud esse indulgendam Oresti Fontana cum detrimento clerici Valeri. Rationum momenta in eo reponit, quod juxta regulam, quam communiter tradunt doctores et quam sectatur haec S. C., in casu etiam, quo agatur de jurepatronatus passivo favore plurium coaequaliter et simultanee vocatorum, jure praesentatus habilis resistit, ne inhabili concedatur dispensatio. *Sac. Cong. in Perusina. Capellaniae 14. Maji 1774.* §.: *Praesentis.* Eoque fortius id erit in casu renunciandum, in quo nulla adest passiva vocatio: et de facto ex DD. et sac. Congregationis doctrina numquam aetatis defectus solet dispensari in praejudicium habilis: *Fargna de jurep. par. 2. cap. cas. 6. n. 3; sac. Cong. in Pisauren. Legati et Patrimonii sacri 26. Martii 1836.* §. *fin.* Et si talis dispensatio ab inhabili referatur, quin in supplici libello circumstantiam competitoris habilis ennarraverit, et etiamsi id fieri contingat ex ignorantia inculpabili, utut bona fide, gratia obtenta nullitatis vitio laborat. *Fargna ibid. par. 2. cap. 3. cas. 6. n. 2.*

Postremo propugnat, nominationes favore Orestis Fontana irritas prorsus fuisse ea de causa, quod illae collatae fuerunt simpliciter et absolute, absque ulla clausula reportandi dispensationem super defectu aetatis et clericatus: et ex hoc factum est, ut patroni pro hac vice deciderint a jure nominandi, cum indignum praesentaverint et eorum voces illico accreverunt clerico Valeri, juxta ea quae docet *s. Rota cor. Crispo in Vaterrana beneficii 7. Dec. 1708; Pitonius de contr. patr. alleg. 2. n. 16; Vivian. de jurep. part. 2 lib. 6. cap. 6. n. 19.*

Clerici Valerii defensor ultimo loco in medium profert testimonia sive seminarii moderatoris sive praeceptorum, ex quibus eruitur tum docilis atque morigera ejusdem agendi ratio, tum maximus in scholis profectus et optima quam praebet spes, quod ipse gnavus futurus sit ecclesiae operarius. Subinde statum ostendit miseratione dignum, tum si spectetur patris orbatio, tum si delapsa fortuna consideretur; si enim praesto non esset patruus, jam deficeret pene, quo viveret.

Defensores ex altera parte Orestis Fontana prae primis admonent ex innumeris S. C. resolutionibus probari, quod semper gratia dispensationis aetatis et clericatus concessa fuerit, cum justae adessent causae, quas inter maxima est paupertas, quae Orestis gravissima est. Nihilominus fidem episcopalem producunt, quae testatur, Orestem tonsura fuisse donatum *die 25. Nov. 1855.* Quoad paupertatem vero alia testimonia afferunt, quibus ea, qua de quaeritur, Orestis pauperies ac defecta conditio indubie comprobatur. Et incassum hujusmodi petitioni Orestis Fontana acerrime resistit Franciscus Valeri, cum non sit legitimus contradictor, Rosa enim Fiammetta Valeri, quae eum praesentavit, haud quaquam jure nominandi potitur. Neque favore memoratae Rosae facit resolutio *S. C. diei 27. Julii 1850.* Talis enim resolutio minime lata fuit in via contentiosa; et quia litigantes nullam tunc temporis exhibuere defensionem, non fuit illa munita clausula »et amplius«; et quod magis est nullimode potuit in rem judicatam transire; quandoquidem rescripta S. C. tunc proprie rei judicatae vires adquirunt, cum judicis mandato executioni committuntur juxta §. *372 judic. Codicis,* quod de resolutione anni 1850 nondum factum est.

Sed maximi faciendum illud est, quod Nicolaus Fontana, qui in praesentiarum filium suum Orestem praesentavit, extraneus fuit a disceptatione anni 1850, ut literae

Episcopi Montisfalisci diei 2. Aprilis 1848 patule ostendunt et caeteroquin Dominicus, (cui praefatae literae denunciatae fuere) Nicolai pater, a judicio abfuit; in dementiam enim ceciderat, uti enarrat folium *die 27. Julii 1850* §. *Quibus.* Et absente Dominico vocari prorsus debebat Nicolaus ex patronis unus annorum triginta; eoque magis arcessendus ille erat, qui ad vacantem praebendam optabat. Sed cum hoc factum non fuerit, res inter alios acta Nicolaum nequit afficere, *ad text. leg. 10. ff. de except. rei judic. 1. 2. Cod. quib. res. judic. non nocet. 13. Cod.*

Excipitur, quod juris principium, nimirum »sententiam in causa status, prout agitur in themate, cum legitimo contradictore latam, jus facere quoad omnes etiam non citatos«, haud respicit patronos actuales coaequale jus habentes, qui omnes citandi sunt, sed tantum tangit illos, qui successivum jus habent et ab eo quodammodo repraesentantur, quocum causa acta fuit. *Scaccia de sent. et re judic. gloss. 14 quaest. 12. n. 2. 3; Rota dec. 367. n. 6 coram Celso; decis. 79. n. 24 cor. Richio; dec. 19 n. 17 par. 8, dec. 8. n. 16 per. 12. rec.* Quibus superaccedit sacrae Congreg. expressa voluntas, quae jussit, ut omnes, quorum interesse poterat, judicio adstarent. Haec in medium afferunt defensores ad labefactandam rem judicatam contra Nicolaum.

Deinde demonstrant, juspatronatus non esse gentilitium neque mixtum ex gentilitio et haereditario, sed prorsus haereditarium. Etenim, quamvis in testamento legatur, canonicatum futurum esse »jurispatronatus D. capitanei Christophori, suorum et familiae ipsius, nempe, ut dicitur, della linea e casata de' Cristofori, tanto maschi, quanto femmine,« id intelligatur oportet, quoad usque Christophorus ejusque filii in humanis essent: quandoquidem ad memorata verba, nulla interjecta periodo, adjicitur: et post ejus mortem, haeredis vel haeredum in ejus ultimo testamento per eum instituendorum, quo decedente ab intestato, cujus vel quorum in haereditate praedicta domini capitanei Christophori de jure etc. Quin obstet verbusculum »in perpetuum«; illud enim vel ad universam dispositionem referendum est, videlicet: tam vivente Christophoro quam post ejus decessum, vel ad juspatronatus, id est beneficium conferendum esse in perpetuum ad praesentationem patronorum.

Et licet erectionis actus in latebris manet, qui potens esset omnem ambagem de medio auferre, mirifice tamen ipsum supplet prima episcopalis bulla, quae luculentissime comprobat, quod de institutione a Maria Fetti peracta dictum est. »Cum itaque (sunt verba bullae praedictae) pia et multum laudanda Maria de Fettis etc. in suo ultimo testamento . . . dotaverit beneficium ecclesiasticum perpetuum canonicatus habens nomen etc. et juspatronatus sive nominandi sive praesentandi reliquerit D. capitaneo Christophori de Marta ejus avunculo, ejus vita durante, et post ejus mortem ad favorem haeredis vel haeredum in ejus ultimo testamento instituendi sive instituendorum, de decedente dicto capitaneo ab intestato ad favorem succedentium in ejus haereditate tam ex linea masculina quam foeminina in perpetuum, nosque dictum beneficium perpetuum canonicatum nuncupandum esse . . . et cum reservatione jurispatronatus et nominandi et praesentandi ad favorem dicti D. capitanei Christophori ejus vita durante et post ejus mortem ad favorem suorum haeredum et successorum vel a testato vel ab intestato jure supra patronatus nostra auctoritate ordinaria erexim us.«

Ex relata bulla patet primaevam jurispatronatus qualitatem fuisse haereditariam. Quo posito recolendum principium, quo nullum firmius in jure canonico, nempe haereditarium delatum juspatronatus in gentilitium seu familiare commutare liberum omnino esse. *Card. de Luca de jurepatronat. disc. 60. n. 22; disc. 18. n. 4; Rota dec. 277. n. 16 et seqq. coram Bichio. In Compostellana Parochialis de Pardenova 2. Junii 1710.* §. *Serotinum coram Falconerio; in Hyporegin. Beneficii 25. April. 1760.* §. *8 coram Frangipanè.* Et mutationem juspatronatus de haereditario in agnatitium Fontana confectam fuisse a capitaneo Christophori; litera postremi qua decessit elogii luculentissime demonstrat, ibi: »e morendo detta Signora Camilla senza figlinoli legitimi e naturali, in detta sua eredità e beni, come anche in detto juspatronato, sostituisce i Sigg. Odoardo e Francesco Maria Fontana. Improles revera diem vidit supremum Camilla et per consequens juspatronatus in familiare transiisse evidenter quoque edocet observantia, ab anno enim 1698 ad annum 1850 constanter praesentarunt descendentes masculi Fontana.

Observantia autem praesertim centenaria

quanti valeat neminem latet: ea enim, ut in foro audit, est melior titulus et perquam potens jurispatronatus qualitatem evertere ab haereditaria in gentilitiam vel familiarem, *Rota dec. 6. num. 16 de union. cor. Falconerio; Verulana Immissionis 11. Dec. 1843. §. 13. coram Alberghini; Fargna de jurepatron. p. 2. cas. 5. n. 6; Piton. de controvers. patron. alleg. 92. n. 73. et seqq.; Vivian. de jur. patron. lib. 7. cap. 9. n. 39.*

Quod etiamsi jus patronatus mixtum fingi vellet, nihilosecius qualitas haereditaria in habitu nequaquam sufficeret, sed eandem qualitatem in actu omnino requiri contendit defensor, cum ipsa requisita fuerit a testatrice haeredes vocando vel ex testamento vel ab intestato. Insuper, ut quis in patronatu mixto succedat, ad minus oportet, ut sit haeres mediatus patroni primitus honorati. Et Rosa Fiammetta Valeri dubio procul haeres mediata Christophori renunciari nequit; quandoquidem ejus mater Theresia vi statuti Lorianensis (quod foeminas a successionibus repellebat) nullam retulit parentis Dominici senioris haereditatis unicam et e contra universum nactus fuit haereditarium jus Dominicus filius posthumus, a quo procedit Nicolaus Orestis pater. Et sidos, quae a praefato statuto assignabitur, vult aequiparari legitimae, hoc nil Rosae opitulatur, quoniam ad legitimarios jura patronatus non transeunt, nisi haereditatis unicam praeterea referant. *Rota dec. 973. num. 15. cor. Lancetta; dec. 345 n. 2. cor. Riminaldo.*

Ast si contendit Rosa mediata haereditaria qualitate ipsam praeditam esse per sacerdotes Aloysium et Rochum Fontana, quos asserit ad plures ivisse intestatos, ejusque matrem Theresiam ad eos succesisse; ejusdem matris vel expressa vel saltem tacita additio ei probanda erit; aliter jure merito omne denegatur illi haereditarium jus. *Textus in leg. quoniam l. de jure delib. et L. unica §. novissime C. de caduc. toll.; Donnel. commentar. jur. civ. lib. 7 cap. 4 §. 12.* Quod Rosa causa recuperandi creditum contra sacerdotes Aloysium et Rochum jus suum super eorundem haereditatibus servaverit: id enim minime satis est ad jura patronalia ab haereditatibus promanentia capessenda.

Demum quoad vocum majoritatem contendit, Orestem antecedere suum aemulum Valerium. Etenim, quatenus statutum Larionense, a quo mulieres ab haereditatibus rejiciuntur, prae oculis habeatur, nominationes universae in Orestem confluunt. Caeterum et si detur, Rosam ejusque sororem Josepham penitus non extitisse exclusas ab haereditatibus sacerdotum, de quibus mentio facta est, nihilominus ex quatuor vocibus, prout patronatus in casu partitur, tribus fulcitur Orestes; una videlicet ex parte Joseph et Silverii junioris; altera ex binis, quibus potiebantur sacerdotes Aloysius et Rochus; et tertio ex parte Nicolai. Quare, utcumque rem consideras, nonnisi levissimam partem suffragiorum pro Valerio invenies.

Hisce praehabitis iterum proponitur dubium:

An consulendum SSmo pro dispensatione super defectu aetatis et clericatus favore Orestis Fontana seu potius danda institutio clerico Valeri in casu?

S. C. resp.:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, salvo jure disputandi in petitorio super qualitate juris patronatus.

Die 28. Mart. 1857.

Continuatio.

Orestes Fontana, qui instat pro dispensatione, novam impetravit audientiam: quapropter quaestio redit denuo dirimenda.

Pro clerico Valeri, qui partes agit in allegatione distribuenda, contendit praeprimis, judicium, quod agitur, omnino esse possessorium; quandoquidem disceptatio inter unos fit praesentatos, patronis procul absentibus. Subdit hinc mulierum praesentationes, quibus fulcitur Valerius, haud hodie in dubium revocandas esse quoad earum validitatem; quippe mulieres in quasi possessione nominandi inveniuntur vi resolutionis s. Congregationis diei 27. Julii 1850, ubi ad I. dubium:

An constat de jure patronatus actio favore Rosae Fiammetta Valeri ad canonicatum?

respondit sacer Ordo: Affirmative.

Continuatio.

Quibus praehabitis concludit, clerici Valeri ad canonicatum institutionem nullatenus memorandam, ob praetensam vocum, quibus ipse potitur, nullitatem, cum quaestio hujusmodi altioris sit indaginis super petitorio, patronos proprie afficiens et minime perpendenda inter praesentatos in possessorio, ex s. *Rota dec. 140. §. 2; dec. 193. §. 8. coram Crispo; Garzias de beneficiis par. 5.*

num. 1 et seq.; Gratian. discept. forens. cap. 577 §. fin.

Caetera, quae in defensione afferuntur, ut plurimum in folio *diei 28. Martii p. p.* habentur exarata, per summa heic capita attingere praestat. Sustinet itaque Orator juxta doctrinam sive sacrae Congregationis sive doctorum omnium dispensationem inhabili ad beneficium assequendum haud concedi in habilis concursu solere; quinimo gratiam una cum institutione obtentam, quin in supplici libello de competitore habili mentio facta fuerit, nullitatis vitio laborare. Atque insuper in themate cum inhabili Oreste dispensandum non esse, vel ex eo quod nominationes, quibus fulcitur, sint prorsus nullae, utpote quae peractae absque clausula praeservativa, ut habilis fieret. Neque opitulatur ei, quod iidem patroni ipsum rursus praesentaverint die 5. Junii ejusdem anni: nam ab jure nominandi jam illi ceciderant a praefata die 3. Jan., quando inhabilem absque conditione ut idoneus fieret nominarunt; praeterquam quod, mense Junio, tempus utile jam illis defecerat, ipsi enim vacationem beneficii certo noverant die 3. Jan., quamobrem dies tertia Maji eisdem fatilis erat. Nominationes e contra urget, pro clerico Valerio, licet die 4. Junii d. anni fuerint expletae et Ferrutius, qui canonicatum possidebat, nuntium illi miserit die 3. Jan.; nihilosecius pro hisce patronis tempus utile nondum absolutum fuerat, quandoquidem beneficii vacatio publicata fuit die 17. Febr. et prout in jure elementare est; tempus ad praesentandum labi incipit a die scientiae non genericae vel praesumtivae, sed certae et in specie, *s. Rota in dec. 140. §. 73 et seq. cor. Ansaldo; Vivian. prax. jurisp. par. 2. lib. 5. cap. 2. num 19. et 20.* Praetereaque cum Episcopus exceperit nominationem pro clerico Valerio, tempus patronis prorogavit, quatenus rerum necessitas id flagitasset, cum protelare praesentationis terminum integrum sit Episcopo ad semestre, cui favore a jure constitutum, *Vivian. prax. jurisp. par. 2. lib. 7. cap, 6. num. 8. et seq.; Card. de Luca de jurepatronat. dis. 64. num. 16.*

In petitorio autem disserit mulieres jurepatronatus potitas esse in casu, seu praeprimis depromit ex fundationis litera, in qua aperte renunciatur, quod ad illud succedere debeant omnes della linea e casata de' Christofori, tanto maschi quanto femine. Et caeteroquin jura volunt, foeminas in patronatu venire, etiamsi in genere relictum sit descendentibus cippi vel domus alicujus familiae. Et insuper illud quoque occurrit in casu, praesumi haud posse mulierem fundatricem a proprio abhoruisse sexu. Ac demum, cum contentio, nullis exstantibus agnatis, inter unos fiat cognatos, non est, cur cognati ex foeminis a cognatis ex masculis submoveantur.

Re enim vera post relata institutionis verba super jurepatronatus favore descendentium capitanei Christophori, sive ex maribus, sive ex foeminis, fundatrix prosequitur: Et post ejus mortem (capitanei Christophori) haeredis vel haeredum, in ejus ultimo testamento instituendi vel instituend., quo decedente ab intestato juspatronatus cujus vel quorum in haereditate praedict. d. capitanei Christophori. Hujusmodi autem verba nihili facienda censet, quatenus ad extraneos haeredes praesumantur referri utpote praecedenti dispositioni repugnantia, in qua consulitur in perpetuum alla linea e casata de' Christofori tanto maschi, quanto femine. Sed insuper eadem verba, cum post expressam nuncupationem descendentium a Christophoro prolata fuerint, in quonam modo in pretio haberi velint, nonnisi de haeredibus sanguinis intelligi possent, juxta ea quae docet *sacra Rota in dec. 217. num. 11. p. 6. rec., dec. 45. num. 7. de jurepat. cor. Falcon., dec. 513. num. 7. cor. Cerro.* Atque ad hujusmodi intellectum urget juris regula, quamcumque interpretationem capiendam esse, quamvis verba in propriam torqueri deberent significationem, ne praecedentia corrigantur. *Gratian. discept. forens. cap. 648. num 8; sacra Rota dec. 59. num. 15. de fidecom. cor. Falconer., dec. 1135. §. 18. coram Molines.* Demum cum hujusmodi interpretatione omnes actus in causa colliment, nempe primaeva institutio Mariae de Fettis, prima ad canonicatum nominatio, primaque provisionis bulla: in quibus insimul mentio fit de familia Christophori ejusque haeredibus.

Praeter primaevam canonicatus institutionem expendit elogium, quo decessit capitaneus Christophori ad patronatum praeprimis vocatus, atque etiam ex hujus sanctione concludit foeminas jurepatronatus donatas esse, quia nimirum Odoardus et Franciscus fratres Fontana, ad quos Christophorus edi-

xit patronatum transiturum, filiis Camillae Christophori, sexus utriusque, (uti filii nomen audit) substituti fuerunt et in jure tralatitium est substitutionem iisdem institutionis legibus regi ac moderari oportere ac praeterea mulieres ad patronatus jura succedere, nisi disertis verbis exclusae fuerint.

Observantiam vero, quae contra mulieres objecta est, non obstare, sive quia certo constat foeminas praesentasse annis 1692 et 1845, et in ancipiti est, an ipsae pariter nominaverint annis 1682 — 1698 et 1783; sive quia observantia contra jura ex fundatoris providentia in aliquem derivata nullo pacto obest, etsi centenaria sit. Pro patronatu demum favore mulierum invocat quoque anni 1850 resolutionem sacrae Congregationis in rem judicatam, ut inquit, transactam.

Qui causam pro Oreste dicunt, in exhibito mihi memoriali satis superque a se probatam ajunt in superiori certamine pertinentiam jurispatronatus favore masculorum e familia Fontana exclusive, siquidem per annos centum quinquaginta circiter, etsi complures a Christophoro et de Christophoris descendentes foeminae exstarent, soli tamen masculi e gente Fontana jugiter et pacifice in jurispatronatus exercitio versati sunt. Quidquid proinde lubeat ex primaeva fundatione conjectare, id inane prorsus ac e conspectu tam diuturnae observantiae despiciendum esse. Quandoquidem ab ipsa testatricis voluntate constat juspatronatus naturam induere debuisse ex iis verbis: »Et post ejus mortem, haeredum in ejus ultimo testamento per eum instituendorum, quo decedente ab intestato, cujus vel quorum de jure in haereditate praedicta D. capitanei Christophori etc. Quibus cohaeret prima bulla institutionis Canonici a Christophoro ipso praesentati (quaeque idcirco maximo est in pretio habenda), in qua narratur canonicatum fuisse paulo ante erectum jurispatronatus D. capitanei Christophori de Christophoris ejus vita durante et post ejus mortem ad favorem suorum haeredum et successorum vel a testato vel ab intestato. Atqui nihil in jure canonico tam vulgatum est quam jurispatronatus haereditarii statum ac pertinentiam per longaevam observantiam, maxime vero centenariam, quae meliorem (ut forenses ajunt) de mundo titulum supponit, funditus immutari, itaut possit in juspatronatus stricte gentilitium converti, seu tradit *Fargna de jurepatr. par. 2. cap. 5. num. 6; Piton. contr. patr. alleg. 92. n. 73. et seqq.*, ac firmat *Rota* passim et praecipue *in recen. dec. 204. n. 13. p. 12., dec. 679. num. 12. p. 18. t. 2, dec. 88. n. 7. p. 11.* Cum igitur foeminarum exclusio tam evidenter demonstretur, opus non esse subdunt, ut in judicio petitoris de qualitate jurispatronatus disceptetur. Si enim petitorium est clarum atque in continenti probatum, ab eo absorberi possessorium in judiciis super institutione tradit recepta jurisprudentia. *De Luca disc. 85. num. 4., Gagliard. de jure patronat. par. 2. cap. 19 num. 38, ac Rota post Vivian. dec. 42.* Multoque minus id opus esse ad evertendam sac. hujus Congregationis resolutionem die 27. Julii anni 1850 editam, qua tantum inititur Valerius: eam namque Oresti non posse utiliter opponi probatum est in praeterito restrictu, quem ut hodie resumant EE. VV. defensores deprecantur. Remotis igitur foeminis concludunt, dispensationis gratiam non esse denegendam Oresti, cum legitimus ei contradictor desit.

Quod si tamen ex hisce rerum adjunctis sac. Congregatio recedendum a priori resolutione non censeat, sed foeminas quoque inter patronos putet recensendas, experturos se subjungunt in congruo judicio jura, pro quibus reservationem in eadem resolutione addidit sac. Congregatio. Verumtamen cum Orestis pater, ut suae ac familiae egestati consuleret, nuper imploraverit supplici porrecto libello, ut hac ipsa die de alimentariae praestationis jure disceptaretur idque obtinuerit per rescriptum: »Habebitur ratio«, in eo cunctas intendunt vires, ut, quatenus institutionem Valerio esse concedendam, iterum definiant EE. VV., saltem alimentariam praestationem super canonicatus redditibus familiae Orestis decernant.

Propterea in jure praemonent exploratissimum esse axioma illud, quo traditur, patroni pauperis familiae jus esse ad alimenta super beneficii redditibus a beneficiato obtinenda, uti post *text. in cap.: Quicumque 16. q. 7.* docent *de Luca de benef. disc. 37. num. 15; Lambert. de jurep. lib. 3. quaest. 3 art. 7; Gagliard. de jurepatr. par. 1. c. 2. n. 12., et Rota in Salernitana alimentorum. 7. Jun. 1751. §. 13 coram Amadeo, ac in Perusina Capellaniae 26. Jan. 1835. §. 7. cor. Emmo Marini.* Atque ajunt in facto, Orestis familiam in extrema paupertate versari. Primo enim Ordinarius sacrae huic Congregationi respondens suis literis die 4. Maji 1855 retulit: His accedit oratorem, illustri licet genere ortum rerum tamen familiarium angustiis premi. Rursus testatur parochus locianensis de Nicolao Orestis patre »una volta apparteneva elle primariae famiglie del luogo; oggi è povero affato di beni di fortuna, ammogliato, contre piccoli figli, la Vedova madre, e due sorelle«. Tandem testatur ecclesiastica curia Hortana, »che il Signor Nicola Fontana di Loriano e sua famiglia di civilissima condizione non pio sostenere la spesa necessaria per il mantenimento dell' educazione del proprio figlio (Oreste videlicet) essendo nell' estrema miseria.

Quoad redditus porro canonicatus, omni onere subducto, falso insinuatum fuisse ajunt Episcopo ad annua scut. centum circiter assurgere, ut idem sacrae Congregationi retulit memoratis literis diei 5. Maji 1855. Contrarium enim demonstrare satagunt ex inventario apud acta proferendo, e quo apparere inquiunt canonicatus bona constare non modo pluribus censibus et aliquo urbano fundo, sed praeterea, quod magis est tenimento »dell' estensione di rubbia quaranta».

Idipsum probant attestatione Silverii et Josephi Fontana de facto proprio deponentium, quippe »vivendo in communione (ajunt) amministrammo i beni del canonicato medesimo allorchè fù nell' anno 1841. nominato ed istituito al canonicato stesso il nostro figlio e nipote respettivo Cesare Eontana. Ipsi jam vero referunt »pronti anche ad attestarlo con giuramento, che la rendita annua del canonicato Fetti di Marta, e della somma di scudi 210. liberi da ogni peso di messe, dativa ec. incirca, e che la tenuta Quidozzo della estensione di rubbia quaranta frutta un anne per t'altro rubbia venti di grano certe«. Denique Joseph Ferruzzi, qui canonicatum novissime resignavit ejusque redditibus per multos annos gavisus est, ibidem testatur: »con giuramento, che la rendita annua del canonicato Fetti di Marta è della somma di scudi 210 incirca liberi da ogni peso di messe, dativa ec.; la qual rendita si ritira nella maggior parte dalla tenuta Quidozzo dall' estensione di rubbia quarante, la quale frutta un anno per l'altro venti rubbia di grano certe«.

Hisce positis oratores subjungunt haud gravem videri posse annuam alimentariam praestationem scut. 150, quam postulant. Cum enim Valerius quindecim annos natus (ut a praedicta Ordinarii relatione eruitur) jam satis ad suam sustentationem per plures annos habeat, tum quia alumnus in ven. seminario Montisfalisci est, tum quia bonis fortunae ejus familia minime caret, cumque vicissim Nicolai Fontana familia, nempe, vidua mater, duae sorores, uxor, tres filioli necnon ipse quolibet ad Orestis educationem adjumento careat, haud sane ab aequitate devium censeri posse, quod singulis hisce alimentaria praestatio in obul. quinque circiter pro quoque die assignetur, quantum videlicet ab expetita scut. 150 praestatione retrahi posset. Atque eo vel magis, quod ejusmodi alimenta non tam respectu habito ad beneficii fructus, quam ad patroni ejusque familiae indigentiam soleant taxari, teste *Rota in Saleritana Alimentorum 7. Junii 1751 §. cor. Amadeo et in eadem super augmento 11. Maji 1753. §. cor. Bussi.* Caeterum quid consilii capiendum sit definient EE. VV. Interim proponitur dubium:

An sit standum vel recedendum in decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius, soluta tamen annua alimentaria praestatione scutorum triginta sex favore Orestis Fontana usque ad expletum annum vigesimum quintum suae aetatis, facto verbo cum SSmo.

Die 18. Julii 1857.

Melevitana.

Antonius N. Hierosolymitanus eques per nepotem Joannem N. sibi mandatarium adlectum die 26. Aprilis 1792 in perinsigni Collegiata ecclesia s. Pauli naufragi civitatis Valletae Melitensis dioeceseos attributis viginta milia scutatis erigendam curavit dignitatem tum Decani tum Primicerii necnon binas canonicales praebendas, itemque duas capellanias ac beneficium. Quae quidem omnia renunciavit di juspatronato laicale coll' ingiunto perpetuo onere della officiatura, ac praeterea memorato Decano tribuit jus capellanos deligendi eidemque injecit onus universa fundationis bona statis legi-

bus diligenter administrandi rigidasque rationes exhibendi. — Paucos post menses nimirum die 28. Septembris ejusdem anni laudatus nepos amplissimis praeditus facultatibus in perpetuum donavit: »Ai Signori Giuseppe N. vedova del Signor Antonio N., Maria N., e Gaetano fratello e sorelle del fu Gioachino Ferrugia, il jnspatronato e facoltà di presentare in ogni futura vacanza del Decanato . . . qualsiasi persona ad essi benevisa . . sotto bensì le infrascritte leggi. — E primieramente che se in tempo delle presentazioni vi saramo uno o più figli dei detti Signori quattro donatori ed in loro difetto de' rispettivi discendenti, in tal caso si dovra coll' ordine infrascritto eleggere e presentare uno di essi, se sarà in età legitima oppure dispensato dalla s. Sede per succedere nella dignità, e non altimenti«. —

Ad tramites harum tabularum decanatus honore imprimis ornatus fuit sacerdos Philippus N. Huic vita functo die 8. Sept. 1746 successit clericus Joannes N., qui demisso clericali habitu die 30. Octobris 1854 locum dedit suo fratri Alexandro. — Uterque germanus ex familia N. originem ducebat ac uterque in clericali statu constitutus dispensationis indultum ab apostolica Sede impetraverat. —

Ineunte anno 1860 in vulgus percrebuit et Alexandrum ecclesiasticam militiam deserturum. — Hinc nomine Joannis Caroli Borg Olivier annos quatnor et menses tres nati preces huic S. O. porrectae sunt, quibus aetatis dispensatio postulabatur ad assequendam decanalem dignitatem mox vacaturam. — Juxta morem sciscitatur Episcopum, qui reposuit, »nullam in casu existere veram et legitimam causam ad dispensationem, eo quod neque numerus annorum aetati canonicae proximus esset, neque paupertas vel inopia illius mereretur gratiam nec unicus esset ex descendentibus«. — Post haec oratori rescriptum est: »Recurrat in casu vacationis«. —

Tandem die 10. Aprilis anni proxime elapsi Alexander clericatui et decanali dignitati reapse valedixit. — Hinc patroni neminem invenientes in linea passivo jure vocatorum, qui gerendo huic muneri juxta canonicas sanctiones foret idoneus, posthabito infante Joanne Carolo, nominarunt canonicum Nicolaum Borg sacerdotali charactere insignitum. Illico restitit Joannes Carolus, seu qui ejus nomine agit, ad H. S. O. suas querelas proponens ac simul ad rem explanandam expostulans: »Che gli si accordi la dispensa per quando sarà arrivato all' età di anni dieci compiti, e che intanto la suddetta dignità decanale rimanga sospesa sino a tal epoca e venga amministrata da persona appartenente alla medesima e ben vista all' autorità ecclesiastica« in aliquod pium opus impensis redditibus. — Episcopo iterum literas dedi, ut terminum ad deducenda jura litigantibus statueret, canonica institutione suspensa, usquedum definiretur controversia, quae hodiernis comitiis proponitur. —

Qui sacerdotis Nicolai partes agit infantis preces omnino rejiciendas acriter contendit. — Siquidem Tridentina lege sancitum est, ut ad ecclesiasticas dignitates assequendas ea requiratur aetas, quae ad sacros ordines suscipiendos par videatur. — Atqui Joannes Carolus nondum infantiam excessit. — Rursus canonicis sanctionibus edictum est, ut laici ab ecclesiasticis beneficiis vel simplicibus veluti inhabiles perpetuo removerentur. — Hinc ipsos ne patroni quidem valida ratione possunt nominare, seu luculenter tradunt *Garzais de benef. p. 2. c. 1. n. 24; Vivian de jure patr. p. 2. l. 6. c. 1.* Atqui Joannes Carolus adhuc in laicali statu versatur. —

Nullam praeterea causam existere animadvertit ad petitam dispensationem indulgendam. — Nulla enim imprimis urget utilitas ecclesiae, quae potius haud leve persentiret detrimentum, si insequentibus annis chorale servitium haud praestaret Decanus. Nec ulla in themate occurrit privata utilitas, quae sit attendenda. Orator siquidem nulla videtur inopia laborare, quod testatur Episcopus, et Joannes aperte demonstrat in alteris precibus proponeus suspensionem institutionis et distributionem reddituum in aliquod pium opus, donec ipse decimum aetatis annum attigerit. —

Frustra autem ob Nicolai nominationem de spretu Joannem queri perpendit ostendens, patronos jure suo fuisse usos ac proinde neminem injuria affecisse. — Fundator enim tribuit quidem passivum vocationis jus descendentibus e patronorum familia, attamen sub lege, qua scilicet illi constituti reperirentur »in età legitima o dispensati dalla s. Sede per succedere alla dignità di decano. — Secus fiebat patronis facultas designandi qualsiasi persona ad essi benevisa. — Hinc ipsi, quinquenni Joanne spreto, suo freti jure delegerunt sacerdotem Nicolaum N. canonicali ejusdem fundationis praebenda jampridem gaudentem, quem patronorum sanguine prognatum renunciat. — Quamvis autem fundator ad decanalem dignitatem vocaverit, — et qui apostolicum dispensationis indultum impetrassent, nihilominus eam fuisse ipsius mentem contendit, ut dispensatio concederetur non quidem laicis ac infantili in statu constitutis, bene vero iis, qui aetatem sacris ordinibus proximam praesetulissent. — Id inprimis patet ex eo, quod fundator hujusmodi dignitate investiendos expresse sanciverit »i chierici o sacerdoti«, ac praesertim elucet, si gravissima tantisper perpendantur officia decano solemniter imposita ab infante profecto non exercenda, de quibus superius in facti specie enucleanda mentionem injecimus. Hinc nulla prorsus ratione obstringi poterant patroni ad exspectandum tempus, quo infans Joannes idoneus fieret, seu aperte traditur in *Aretina dispensationis 20. Augusti 1774. §. Advertit.* — Proinde dispensatio, de qua impraesentiarum controversia movetur, quaesito Nicolai juri detrimentum inferret. —

Irrito demum conatu adversarium confugere praesentit ad varias dispensationes ab hac s. Congregatione concessas, quarum praecipua exempla habentur in *Hortana Canonicatus 30. Januarii et 30. Martii 1830, in Fabrianen Canonicatus 3. Decembr. 1831.* In hisce autem resolutionibus haud unquam agitur de inalphabeta, de laico ac de puero quinquenni perinsigni dignitate decorando. Hinc memorata exempla Joanni Carolo non prodesse sed potius obesse videntur. Quinimo nec eum juvant dispensationes germanis Joanni et Alexandro Chapelle ab apostolica Sede concessae. Etenim ipsi clericali militiae jam erant addicti ac fere in decimoquarto aetatis anno constituti, nec praeterea tum temporis ullus existebat, qui pollens quaesito nominationis jure eisdem contradiceret. — Quapropter, ne canonica decanatus institutio, Nicolai detrimento, longius suspendatur, concludit petitam aetatis dispensationem Joanni abscisse fore denegandam. —

A procuratore Joannis Caroli nullas adhuc deductiones accepi. Proponam itaque dirimendum dubium:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super aetatis defectu favore Joannis Caroli Borg Olivier in casu etc.?

S. C. resp.: Negative.

Die 27. Apr. 1861.

Continuatio Melevitana.

Iterum audiri impetravit procurator oratoris Joannis Caroli N. et ope libelli citationis ab altero procuratore Canonici Nicolai N. porrecti comitia mensis Novembris pro iterata causae propositione destinata fuere; cum vero graviores urgerent causae definiendae, illius propositionem ad hodiernam congregationem differe necesse fuit, quamvis ulteriorem dilationem Joannis Caroli procurator efflagitaret, cujus tamen instantiam altera contradicente parte EE. VV. judicio remittendam censui.

Inter citatos fuit etiam procurator in Urbe constitutus Canonici Ludovici N., qui ob assertam nominationem a feminis familiarum patronarum relatam interventum in causam in pervigilio alterius propositionis causae petierat; attamen praedictus procurator nuper mihi significavit nihil se deducturum, mallens praesentis judicii, quod inter duos illos contendentes agitur, exitum exspectare, antequam sua jura experiatur.

Paucis demum abhinc diebus apud acta exhibitus fuit supplex libellus nomine Leandri N. laici cum protestatione, ne ad ulteriora procedatur, nisi prius citato eodem Leandro ob jus, quod ad controversum decanatum et ipse praetendit. De hoc autem scire praestat, eumdem germanum esse fratrem natu minorem Joannis et Alexandri, quorum uterque, utpote descendentes ex familia Ferruggia vocata, decanatum ope dispensationis apostolicae obtinuere eique jamdiu relicta clericali militia valedixerunt. Sed vero Leander iste per suum procuratorem in tabulario s. Congregationis actum exhibuerat jam a mense Junii anni 1860, quo abdicare se declaravit jus suum in favorem Joannis Caroli, ut hujus votis annueretur super implorata dispensatione, addito tamen: »riservando i suoi diritti per la pregraduazione a tutti altri pretendenti, nel caso che non fosse esaudito il detto Gio. Carlo N.« Quid itaque consilii super hujusmodi petitione capiendum sit, viderint Emmi Patres.

Ad quaestionem vero, quae redit, utrum dispensationi super defectu aetatis locus fieri debeat necne pro Joanne Carolo N., per summa heic capita recolam, quae in anteactae propositionis allegatione disserebat illius defensor, quaeque ob serotinam distributionem in praeterito folio praeterii. Principio statuebat orator Joannem Carolum unicum in praesens seposito Leandro N. adesse vocatum ac praedilectum ex lege fundationis, ita ut jure merito pro dispensatione obtinenda institerit, quin extranei nominati obstaculum eidem parare possent. Constat enim ipsum descendere a familia Feruggia, in quam juspatronatus decanatus collatum fuit. Atqui jussit testator praesentationem hoc ordine peragendam esse, ut, si descendentes hujusce familiae adessent, hoc in casu »Si dovrà eleggere e presentare uno di essi, se sarà in età legitima oppure dispensato dalla santa Sede«. Item quod patroni non tenerentur eligere »il più prossimo, o maggiore di età, ma sibbine di praeferire pria alcuno de discendenti di detto Signor Giuseppe N. etc.«

Exinde enim in comperto esse ajebat fundatoris voluntatem, ut dispensatio a s. Sede posset impetrari, tum etiam ut non aetatis sed descendentiae a patronis ratio habenda foret. Idemque observatum monebat in casibus vacationis canonicatus cum dignitate cantoratus in eadem ecclesia Collegiata s. Pauli naufragi; nam cum passive vocatis, qui ad legitimam aetatem nondum pervenerant, non semel dispensatum fuit.

Nec objiciendum, quod, cum de canonicatu agatur cum dignitate decanatus conjuncto, fundator dispensari eos tantummodo voluerit, qui prope essent, ut canonicam attingerent aetatem, minime vero cum pueris, qualis Joannes Carolus. Ubi enim lata sunt verba fundatoris, nequeunt stricte interpretari in praejudicium praesertim legitime vocatorum, maximeque in themate, quo agitur de dignitate potius nominis quam honoris.

Nec meliori consilio obtrudi jus Canonico Nicolao quaesitum, priusquam aetatis dispensationi locus fiat. Nam antequam quadrimestre elabatur, utile tempus censetur ad dispensationis veniam impetrandam pro praesentato inhabili, cui durante hoc termino jus quaesitum dici nequit pro institutione, teste *Piton. de contr. patr. alleg. 2. n. 17; s. Rota in Melevitana beneficii 10. Junii 1712. §. ult. coram Aldorando.* Atqui constat, Joannem Carolum paucos post dies a vacatione beneficii preces pro obtinenda dispensatione obtulisse. Quinimo si non potest habilis de linea seu familia per posterius vocata intra terminum quadrimestris impedire dispensationem alterius vocati per prius et praedilecti, ceu inquit *Piton. loc. cit. alleg. 1. n. 23,* eo minus obstaculum parare poterit Canonicus adversarius extraneus dispensationi impertiendae oratori, qui ex genere vocatorum est.

Sed quod nullum jus eidem Canonico Nicolao suppetat, arguebat orator ex eo, quod nedum sit extraneus ipse a genere vocatorum, verum etiam, quia simoniae labe se infecerit, quippe qui pecunia interveniente Alexandri N. ultimi possessoris renunciationem comparavit, quo beneficium sibi ex patronorum nominatione perveniret, ceu constat ab jurata attestatione ejusdem Alexandri, qui incaute et ignoranter ex Nicolai machinationibus in simoniae laqueos incidit; necnon ab altero testimonio Joannis Chapelle illius germani fratris. Neminem autem latet beneficii renunciationem cum pacto aliquid recipiendi simoniae vitium redolere; praesertim si resignatio eo animo aut spe inducta fuerit, ut beneficium alter assequeretur. *Redoan de simonia part. 2. cap. 12. num. 11. et part. 3. cap. 9. n. 6; Garzias de benef. part. 2. cap. 3. de remunt. num. 161.* Quamobrem consequi, Canonicum Nicolaum utpote simoniacum assequendo beneficio incapacem evasisse, *de Nigris de vacat. benef. cap. 30. num. 1; Garzias de benef. cap. 1. num. 62. part. 8; Rodoan. loc. cit. part. 3. cap. 13. num. 9. ad 12.*

Quoad sacerdotem Ludovicum N. observabat orator, hunc pariter extraneum esse adeoque neque nominari potuisse existente passive vocato Joanne Carolo, qui intra utile tempus pro dispensatione institit, neque, si valide fuisset nominatus, praeferendum esse eidem Joanni Carolo, juxta ea, quae superius expensa sunt.

Qui partes agit Canonici Nicolai N., in nova allegatione ea praeprimis summatim recolit, quae alias disseruit, ut probaret, nullam canonicam adesse causam, ut dispensatio Joanni Carolo impertiri jure queat; a quibus ideo iterum persequendis obtineo. Deinde vero contrariis objectis occurrens quoad nullitatem nominationis Nicolai ex praetenso simoniae vitio, nihil id, etsi consisteret, ad praesentem causam referre monet, in qua non de jure clientis sui, sed de dispensatione Joanni Carolo impertienda agitur, ceu dubii formula se habet. Sed vero imputationem hanc meram redolere calumniam pluribus demonstrat; primo nempe, quia non probatur praecedens conventio, ceu ad rem docet *s. Rota in Leodien. Canonicatus s. Joannis 11. Martii 1619. coram Ubaldo.* quae est in *Rec. part. 4. tom. 2. decis. 93;* consilium enim mutuum a Canonico Nicolao datum fuisse Alexandro die 17. Aprilis 1860 longe post resignationem et quum jam is fuerat a patronis praesentatus et depacta restitutione cum interessurio apud Melitenses legitimo; deinde quia praesumi nequit conventio haec praeambula cum resignante, qui jamdiu sibi quaesito officio civili et paratis vestibus laicalibus consilium resignandi panderat, quique nec jure nominandi frueretur nec in successivam nominationem quidquam officio suo conferre potuisset penes patronos, spectatissimos viros et de resignantis mente ac consilio penitus ignaros, ut ex jurata illorum declaratione constat; praeterea quia imputationem ex odio et aemulatione atque ad vexationem creandam excogitatam fuisse constat, ut Nicolaus a causa prosequenda deterreretur resque in votis Joannis Caroli cederet, prout testatur alter ex patronis comes Seraphinus Ciantar Chapelliis patruus; denique quia agitur de sacerdote moribus probatissimo variisque ecclesiasticis muneribus sancte usque perfuncto et amplissimis laudibus a Melitensi Episcopo aliisque gravissimis viris cumulato, ut adeo tantum in eo crimen praesumere nefas sit.

Posthabendum ultimo loco censet orator sacerdotem Ludovicum N. ex eo, quod ipse a feminis familiae vocatae nominatus fuerit, quas quidem ex lege fundationis jure patronatus non potiri monet, quousque masculi existant, a quibus Canonicus Nicolaus suffragium nominationis retulit.

Fusius haec habentur pertractata in allegatione distribuenda; reliquum igitur est ut proponatur resolvendum dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis.

Die 25. Jan. 1862.

Continuatio.

Novae deinde audientiae facultas facta est succumbenti Joanni Carolo iterum tentandi judicii aleam, a qua tamen recedere videtur, cum statuta novae propositionis die nil mihi exhibuerit. Novas tamen allegationes distribuet procurator Canonici Nicolai N., quae mihi traditae sunt, cum folium jam sub praelo erat. Inter citatos pro novae causae propositione aderant etiam procuratores Leandri N. et Canonici Ludovici N., sed nec ii unquam comparuere.

Iterum ergo proponam

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 10. Maji 1862.

4) Pro Cardinalatu.

Pro cardinalatu ex Trident. *sess. 24. de reform. c. 1.* requiritur eadem aetas, quae requiritur pro episcopatu (anni triginta completi), etiamsi essent Cardinales Diaconi. E Sixti V. tamen constit. incip.: *Postquam verus,* in Diaconum Cardinalem assumi potest, qui saltem in 22. suae aetatis anno fuerit constitutus.

Aetas pro Cardinalibus *Presbyteris et Episcopis* requisita est triginta annorum; quamvis enim in constitutione incipiente: *Postquam,* non sit a Pontifice statuta certa aetas pro ipsis, tamen, quia a *concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 1.* decretum est, ut ea omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum doctrina, aetate et caeteris qualitatibus sunt, in creatione S. R. E. Cardinalium observanda sint, ideo illa erit, quae requiritur pro praeficiendis Episcopis, scilicet triginta annorum, ut cum plurimis resolvit *Barbosa lib. 1. juris eccl. univers. c. 3. n. 33.*

Pro Cardinalibus autem Diaconis sufficit aetas 22 annorum, ut expresse statuit *Sixtus V. in constit.* incip.: *Postquam* §. 6,*) cum hoc

*) De Cardinale impubere exstat Georgii Estor Diatriba Augustae Vindelicorum edita 1729 occasione Ludovici filii Regis Hispaniarum a Clemente XII. Cardinalis creati.

tamen, quod intra annum teneantur ordinem diaconatus accipere, alias carent voce activa et passiva, tum in consistoriis et congregationibus aliisque omnibus actibus, quam in electione summi Pontificis; ibi: Neque posthac quisquam in Diaconum Cardinalem assummi possit, nisi saltem in vigesimo secundo suae aetatis anno fuerit constitutus, ita ut omnino intra annum ad sacrum diaconatus ordinem valeat et debeat promoveri; alioquin, si anno elapso ad ipsum diaconatus ordinem promotus non fuerit, eo ipso tam in consistorialibus ac omnibus aliis actibus et negotiis cardinalitiis, quam etiam juxta constitutionem fel. record. Pii IV. praedecessoris nostri super reform. conclavis editam in electione romani Pontificis, voce activa et passiva omnino careat ac privatus existat.

5) Ad Censuram contrahendam.

Aetas requisita et sufficiens ad incurrendam censuram, licet aliqui credant, quod sit aetas duodecim saltem annorum, tamen tenendum est de rigore juris, sufficere illam aetatem, in qua pueri sunt doli capaces, etiam ante annos pubertatis, ut clare supponitur *c. ult. de sent. excomm.*

6) Pro Coadjutoria Canonicatus.

Tenetur coadjutor habere qualitates requisitas ad obtinendam praebendam. Adeoque debet esse constitutus in illa aetate, quae ad obtinendum illud beneficium requiritur. *Garzias, de benefic. part. 7. cap. 4. in fine; Gonzal. ad regul. 8. cancel. gloss. 5. §. 9. num. 6. et 90; Squilant. de privil. clericor. c. 4. num. 97; Machado lib. 4. p. 4. tract. 7. docum. 2; Barbosa* in Conc. Trid. *sess. 25. de reform. cap. 7. n. 38. et de Canon. cap. 29. n. 48.* Et per hoc debet promoveri infra annum, ex quo residet et inservit ad ordinem suae praebendae adnexum. *Garzias d. c. 6, in addit. sub num. 130. dub. 23. vers: Modo; Barbosa loc. cit. in Trid. num. 39. et de Canon. num. 49.* Non tenetur tamen se promoveri facere intra annum ad ordinem requisitum, si nunquam resedit seu inserviit, quia Coadjutus non vult ex quo non habet exercitium coadjutoriae, sicuti habens curam habitu, et non actu, non tenetur ad sacerdotium promoveri infra annum. *Garzias in d. addit. sub num. 23. vers: Modo; Barbosa loc. cit. in Trident. n. 29. et de Canon. n. 38.* Quamvis autem Coadjutor non sit in sacris constitutus, potest omnia et singula facere et exercere, quae sine paramentis sacris cum cappa et cotta facere posset Coadjutus, si praesens esset. Sac. Rit. Congreg. *in Bononiensi 19. Decemb. 1615.*

7) Ad s. Communionem sumendam.

Aetas sufficiens ad peccatum mortale regulariter est septennium, in ipso enim septennio regulariter dicitur quisque perventus ad annos discretionis, a quibus incipit obligatio confessionis sacramentalis, *cap. Omnis utriusque, de poenit. et remiss.*, ubi habentur praecisa verba: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua peccata semel in anno confiteatur proprio sacerdoti.* Ad communionem autem, quamvis sufficiat aetas discretionis seu usus rationis in iis, qui in tali aetate sunt capaces concipiendi debitam devotionem circa hoc sacramentum, tamen regulariter loquendo non est cencedenda communio eucharistica, nisi habentibus aetatem undecim vel duodecim annorum, nisi in aliquibus anticipetur propter eorum singularem prae aliis de hoc sacramento devotionem et pleniorem de eo cognitionem.

8) Ad Confessionem peragendam.

Aetas sufficiens ad peccatum mortale regulariter est septennium, in ipso enim septennio regulariter dicitur quisque perventus ad annos discretionis, a quibus incipit obligatio confessionis sacramentalis; *cap.: Omnis utriusque, de poenit. et remiss.*, ubi habentur praecisa verba: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua peccata semel in anno confiteatur proprio sacerdoti.*

9) Conversorum recipiendor.

Conversi nequeunt recipi ante vigesimum aetatis suae annum, Clemens VIII. constit. incip.: *Cum ad regularem disciplinam,* ubi in fine §. 3. habet praecisa verba: *Ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum.*

10) Pro Dignitat. et Personatus eccles. collegiat.

Aetas requisita ad dignitates et personatus in ecclesiis Collegiatis, secundum multos,

est aetas etiam 22 annorum, sicuti in Cathedralibus; sic tenent et decisum fuisse a sacra Congr. Conc. referunt *Nicolaus Garzias de benefic. part. 7. cap. 4. n. 59. et 62; Armendar, Didacus de Narbona, Filliucius, Castropalaus* et *Fagnan. in cap.: Cum in cunctis n. 48. et seqq. de election.*; et eorum ratio est, quia Trident. *loc. cit. cap. 12.* in principio dicit: *In ecclesiis praesertim Cathedralibus*, ubi illa particula *praesertim* videtur includere alias praeter Cathedrales. At secundum multos alios ad dignitates et personatus in Collegiatis non requiritur aetas 22 annorum, sed sufficit aetas annorum 14 juxta dispositionem juris communis, *cap.: Super inordinata* juncta *Glossa verb.: Pueri de praebend.* Et ratio istorum est, quia concil. *loc. cit. cap. 12.* loquitur solum de ecclesiis Cathedralibus at non de Collegiatis; dicit enim: *Cum dignitates in ecclesiis praesertim Cathedralibus*, adeoque non extendendum ad alias Collegiatas; nec illa particula *praesertim* videtur includere alias praeter Cathedrales, sed solum videtur innuere, quod haec aetas quodam speciali jure requiritur ad dignitates in Cathedralibus, cum istae quodam speciali fine sint institutae, ut Episcopos in ministerio et officio prae aliis immediatius adjuvarent et tamquam lucernae super candelabro in Cathedralibus prae aliis ecclesiis eminentioribus omnibus aliis praluceret exemplo virtutum, »*ut qui eas*, dicit ibi concilium, *obtinerent, pietate praecellerent aliisque exemplo essent atque Episcopos opera et officio juvarent*; et pro hac sententia stant et sic decisum fuisse a Congr. Conc. referunt *Gonzalez ad reg. 8. cancell. Gloss. 9. n. 82; Piasec., Aloysius Ricci, Novarr., Sqilant., Zerol., de Luca de Canonicis d. 5. n. 2; Barbosa in Trident. sess. 24. cap. 12. n. 13. part. 3. de offic. et potest. Episcopi alleg. 60. n. 67; Alzed. et Fr. Emanuel qq. reg. tom. 1. q. 11. art. 2. addit. ad bullam compositionis num. 4,* ubi ait Christophorum Vellam Archiepiscopum Burgensem contulisse dignitatem scholasticae Collegiatae ecclesiae de Aquilar de Campo cuidam scholari, qui non habebat majorem aetatem 17 annorum, et cum litigaretur super hoc, fuisse judicatum: Collationem esse canonicam et juridicam.

11) Pro Episcopatu suscipiendo.

Pro episcopatu sunt necessarii anni triginta completi, *c. 1. 2. et 4. dist. 68.* et Trident. *sess. 7. c. 1. de reform. ex cap.: Cum in cunctis, de elect.* In regno tamen Galliae ex concordatis cum Leone X. sufficit, ut Episcopus eligendus inchoarit 27. annum.

In supputanda ordinandorum aetate dies anni bissextilis non potest excludi juxta communiorem et veraciorem sententiam. *Bon. d. 8. q. unic. p. 5. n. 14; Sanch. de matr. d. 24. n. 22; Escobar., Diana* aliique plures cum Alphons. Etenim anni ad ordinis cujuscunque susceptionem requisiti supputandi juxta consuetudinem ecclesiae statuentis, de quatuor in quatuor annos propter horas in quolibet anno superextantes diem unum addi.

Lex ordinandorum aetatem praescribens aequo pollet vigore in latina et in graeca ecclesia *(Bened. XIV. constit.: Etsi pastoralis §. 7.).*

12) Ad jejunium servandum a laicis.

Aetas, qua adolescentes incipiunt obligari ad legem jejunii, est aetas 21 annorum completorum, quia ecclesia illos solum obligat, qui incipiunt corpore consistere; communiter autem crescunt omnes et firmantur saltem usque ad annum vigesimum primum completum.

13) Ad jejunium servand. a Regularibus.

Regulares, licet nedum annum vigesimum primum expleverint, tenentur a die emissae professionis ad omnia jejunia praecepta in sua religione, quia per votum renunciarunt privilegio aetatis et obligatio regulae est distincta ab obligatione temperantiae, quam intendit lex ecclesiae. Ad jejunia vero mere ecclesiastica, quae nullo modo praecipiuntur in sua regula, non obligantur, antequam annum vigesimum primum expleverint, sicut alii fideles, quia ecclesia nullo praecepto obstringit magis eos quam alios fideles; nec regula, ut supponitur, aliquid disponit de istis jejuniis mere ecclesiasticis. Et sic tenent *Sylvester, Azorius, Sa, Fagundez, Tabiena, Silvius et alii magis communiter.*

14) Ad matrimonium contrahendum.

a) Aetatis defectus non impedit absolute matrimonium contrah.

Vd. *Aetas ad Matrim. contrah.* — Matrim. non constat., decr.: *Continuatio Theatina* §.: *Atque haec* etc. p. 327.)

I. Matrimonium constat.

Rossanen.

(Conc. Tr. c. 3. 5. sess. 24 de ref. Matr.)

Initis sponsalibus cum Francisco N. opi pidi Coriolani dioecesis Rossanensis Victor-

gravi morbo languere coepit in aetate annorum novem cum dimidio circiter; idcirco Franciscus ad tollendam quamcumque hominum suspicionem, forsan commotam ex familiari conversatione, conjugium coram parocho et testibus contraxit cum ipsa sponsa in lecto decumbente, praevia dispensatione super denunciationibus in curia archiepiscopali Rossanensi expedita; subindeque eadem mulier post biduum, ut asseritur, intacta decessit. Modo vero desiderio flagrans praelibatus Franciscus in uxorem ducere Hieronymam defunctae sponsae sororem supplici addiit S. S. D. N. pro benigna dispensatione super impedimento publicae honestatis, quam obtinuit directam Vicario generali Bisinianensi sede archiepiscopali Rossanensi vacante. At quia mox dictus Vicarius plures desuper excitavit difficultates, orator praesidium imploravit sac. Congregationis, quo praevia declaratione nullitatis asserti matrimonii contracti expeditio dispensationis benigniter comprobetur. Hisce remissis precibus Vicario generali pro consueta informatione idem ipse expositum facti thema recensendo inquit, Victoriam ortum habuisse sub die 17. Decembris 1696, matrimonium graviter infirmam contraxisse sub die 8. Augusti 1706 ac vitam cum morte commutasse post biduum, ex quibus liquet, matrimonium ejusmodi initum fuisse sponsa adhuc in aetate impuberi existente. Deinde idem relator rationes dubitandi recensendo subtexit, quod, licet pro certo habeat, matrimonium ratum ab impubere contractum (malitia defectum aetatis non supplente) esse nullum ac in sponsalia resolvi posse, ex quibus sponsalibus, non vero ex matrimonio nullo impedimentum publicae honestatis exsurgat. Nihilominus, ut inquit, obstare videtur matrimonium, donec sententia declaratoria nullitatis non exhibeatur; praeterea addit, oratorem nudam facti veritatem SS. D. N. non exposuisse, videlicet, quod matrimonium ratum cum impubere intercesserit, cum tantum ipse exposuerit, sponsalia de futuro cum ipsa celebrasse, quibus adductis relator exspectat sapiens EE. VV. oraculum; proponitur itaque dubium sapienter resolvendum, in obsequium oraculi sacrae hujusce congregationis, quo jussum fuit, ut causa describeretur in folio:

I *An matrimonium contractum inter Franciscum N. et Victoriam N. terrae Coriolani Rossanen. dioecesis, fuerit validum?* Et quatenus negative.

II *An literae apostolicae dispensationis obtentae a supradicto Francisco N. et Hieronyma N. sorore dictae Victoriae super impedimento primi gradus publicae honestatis proveniente ex sponsalibus sint exequendae?*

S. C. C. resp. *ad 1:* Esse coadjuvandas probationes juxta instructionem; *ad 2:* Dilata.

Die 24. Aug., 20. Sept. et 16. Nov. 1715.

Continuatio.

Proposita cum infrascriptis dubiis haec causa diebus 24. Augusti, 20. Septembris et 16. Novembris anni 1715 in ultima ejus propositione rescriptum fuit ad I: *Esse coadjuvandas probationes juxta instructionem;* ad II. *Dilata.* Facti species in foliis tunc distributis enarrata brevissime recensetur. Franciscus N. matrimonium contraxit die 8. Augusti 1706 cum Victoria N. impuberi, ut nata die 17. Decembris anni 1696 et tam mala valetudine oppressa, ut post biduum decesserit; successive dictus N. pro matrimonio contrahendo cum Hieronyma dictae Victoriae sorore dispensationem apostolicam ab impedimento publicae honestatis ratione sponsalium tantum obtinuit. Hinc ante exequutionem dictae dispensationis, ut dignosci posset ex certis documentis, an validum fuisset matrimonium cum dicta Victoria contractum, ex mandato EE. VV. per judicem subdelegatum facta fuit confrontatio fidum baptismatis, matrimonii et obitus dictae Victoriae sub die 24. mensis Martii superioris anni cum libris, a quibus fuerant extractae; et quamvis dictae fides a die 4. dicti mensis Martii productae appareant in processu remissoriali, nihilominus extractae a suis originalibus sub die 5. subsequentis mensis Septembris semel, iterum et tertium enunciantur, cumque secretarius mensibus elapsis hanc facti incompatibilitatem procuratori N. demonstraverit, exhibita fuit alia extractio dictarum fidum novissime facta per Vicarium capitularem non citato defensore pro matrimonio praecedenter deputato: praeterea fides matrimonii primo loco producta et data in summario praeteritae propositionis num. 3. est in omnibus partibus quoad verba et eorum formulas diversa ab illa in processu existente; et tertia novissime producta cum prima concordat et a secunda omnino discrepat. Insuper in prima duo tantum adsunt testes ultra sacerdotem loco parochi, qui ante examen decesserunt; in secunda vero et tertia adest novus et tertius testis, qui in processu remissoriali examinatus fuit una cum sacerdote, qui matrimonio interfuit, cum expresse in instructione injunctum fuerit, ut testes matrimoniales examinarentur. Demum decretum curiae archiepiscopalis remittentis denunciationes enunciatum in fide matrimonii et requisitum in instructione non reperitur. Verum plures testes formaliter examinati et in summario EE. VV. exhibendi comprobant exposita per N. oratorem, nempe Victoriam non fuisse tunc temporis viri potentem omnemque consummati matrimonii suspicionem abesse ratione aetatis et gravis morbi, quo tempore contracti matrimonii laborabat. Quare iterum ab EE. PP. exquiritur

I: *An matrimonium contractum inter Franciscum N. et Victoriam N. terrae Coriolani Rossanen. dioecesis fuerit validum?* Et quatenus negative,

II: *An literae apostolicae dispensationis obtentae a supradicto Francisco N. et Hieronyma N. sorore dictae Victoriae super impedimento primi gradus publicae honestatis proveniente ex sponsalibus sint exequendae?*

S. C. C. resp. *ad 1:* Non constare de nullitate matrimonii;

ad 2: Negative.

Die 24. Apr. 1717.

Angren.

Adhuc in impuberi conversabantur aetate Joannes filius Joannis N. & Marianna N. filia Francisci insulae Terceira Angren. dioecesis in Lusitaniae regno, quum eorum matres anno 1829 die 12. Februarii per publicum instrumentum ac servatis solemniis pro filiis sponsalia contraxerunt, ut hi, quamprimum ad legitimam pervenissent aetatem, matrimonium de praesenti contraherent adjecta poena di crociati tre mila a parte resiliente solvenda. Vix decimum quartum annum compleverunt Joannes & Charlotta, nuptias celebrarunt, dispensatis publicationibus de more faciendis die 28. Julii 1831, atque exinde eamdem habuerunt cohabitationem penes domum matris sponsae. Mox dissociatis animis vir paternam repetiit domum, et mulier institit, ut matrimonium civiliter rescindetur: vir autem apud ecclesiasticam curiam recursum habuit, ut etiam sacramenti nullitas declararetur et reapse judex processualibus confectis tabulis sententiam die 23. Novembris anni 1835 protulit, ubi plurimis congestis rationibus pro rescindendo matrimonio haec habet: Dichiaro irrito e nullo il matrimonio dell' attore colla rea, come se mai non avesse esistito rimanendo ciascheduno libero proseguire quello stato, che meglio loro converrà.

Verumtamen *die 25. Februarii anni 1836 rem iterum Rota coram Gregorio dec. 326. num. 13 et 14. tractavit.* Atqui a genitoribus ipsis contrahentium, qui impuberem agebant aetatem, preces ac minas adhibitas fuisse in themate profitentur examini subjecti testes, jurejurando confirmat parochus, testantur ipsi contrahentes necnon eorum matres, quae religionis sanctitate permotae id demum fassae sunt.

Neque obstat anno 1835 noviter celebratum matrimonium, quinimo ex hoc magis magisque prioris nullitas confirmatur et ipsum nullius valoris erit reputandum eo, quia contrahentes vi metuque iterum ad contrahendum impulsi fuerunt, quemadmodum clare ostenditur ex altero processu post petitam matrimonii rati dispensationem confecto.

Nuptiarum nullitate demonstrata totis insistit viribus in secundo defensionis capite, quod Joannis et Charlottae unanimi voto expresso in supplici libello ad Sedem apostolicam porrecto apprime respondet. Rem autem ita conficit. Romanus Pontifex ad dispensationem concedendam super matrimonio rato duo extrema prae oculis habet, id est matrimonium non fuisse consummatum ac justam subesse causam ad illud dissolvendum. *De Justis de dispens. matrim. lib. 2. cap. 10. num. 12 et seqq.; Pignat. consult. canonic. 148. num. 15 et seqq.*, ac pluries S. H. O. Atqui utrumque evenit in casu. Ad primum demonstrandum sufficere utriusque conjugis juramentum, sancitur in *cap. Laudabilem de frigid. et maleficiat.*, concinit *Conscia de separat. tom. 1. cap. 10. num. 295*, *Ursaya discept. eccles. tom. 3. part. 4, disc. 71. num. 137*, usuque receptum fuisse a s. Poenitentiaria ante constitutionem; *Romanus Pontifex Innocentii XII.* testatur *Corradus in praxi discept. apost. lib. 3. cap. 7. num. 25.* Praeterea huic soli fundamento innixi extraordinarii a Clemente VIII. adlecti judices de non consummato matrimonio sententiam tulerunt inter Mariam Austriacam et Sigismundum Principem Transilvaniae, ut refert *Cardin. de Ossat in suis epistolis tom. 2. pag. 371. epist. 189*, et sac. Cong. *in Januen. Dispens. matrim. 23. Maji 1719.*

Jam vero, si expendantur actus processuales, solemni interposito juramento, post alia multa affirmavit vir: Che non mai volle, o ebbe disposizione a consumarlo, rimanendo perciò sempre mai nel solo atto celebrato in chiesa; mulier vero: Che mai si unirono, nè lo consumarono. Accedit, quod ad omnem tollendam dubitationem, praestito juramento, conjugum parentes, qui matrimonii fuerunt auctores, post enarratas artes a se adhibitas pro illius exequutione confirmarunt, matrimonium inter Joannem et Charlottam nunquam consummatum fuisse; hisce addendi sunt quatuor parochi necnon quindecim et ultra conspicui testes.

Admisso, matrimonium rati conditionem non fuisse praetergressum, ad hujus dispensationem obtinendam non requiri gravem publicamque causam docent canonistae, inter quos *Pignattel. consult. 148. num. 7; Conscia de separat. thori lib. 1. cap. 16. n. 66 et seq.* Multo autem facilius concedi solet, si gravis intercedat causa, veluti magni scandali timor, qui ferme necessariam requirit praedictam dispensationem, teste *Felin. cons. 26. num. 19.* cum pluribus aliis, vel si legitimanda sit ex alio suscepta proles; nam si Pontifex justam dispensandi matrimonii rati causam sumit ex altero matrimonio posteriori tempore contracto et consummato, ut monet *de Just. dispensat. lib. 2. cap. 10. num. 32,* potiori ratione concedenda erit hujusmodi dispensatio, si filii habiti sint ex illicito concubitu, a quo matrimonium secundo loco contractum, ut dictum est, nihil differt utpote nullum. Imo pro dispensatione stetisse s. Ordinem *die 16. Maji 1714* refert *Ursaya discept. eccles. tom. 2. par. 1. discept. 3. num. 55.* Tandem ad annuendum pro matrimonii rati dissolutione impelli solet apostolica Sedes ob adversum inter sese conjugum ingenium, quod nullam spem relinquit, ut ii individuam vitae consuetudinem imposterum ducant, sicuti habetur ex *de Just. loc. cit. num. 28*; *Sanchez. de matrim. lib. 2. disput. 16. num. 3 et 4* aliisque.

Quod vero ex dispensatione matrimonii rati in themate publicum impediretur scandalum, quod mulier susceperit liberos ex altero viro soluto, qui ad prolem legitimandam cum ea nuptias contrahere cupit, quod demum odium ex averso inter conjuges animo vigeat, patet ex supracitatis actibus processualibus.

Qui vero ex officio vindicias assumit matrimonii, ut ejusdem valorem firmitatemque tueatur, argumenta ex adverso congesta hac ratione refellit. Et primum quoad adsertam impubertatem ob defectum potentiae ita disserit. Post exhibitam nativitatis fidem ambigi nullatenus potest utrumque conjugem, quum matrimonio sese copulavit, pubertatem excessisse. Joannes namque duos menses supra decimum quartum aetatis annum habebat; Maria Charlotta autem duos annos supra duodecimum attigerat. Atqui ea est civilium canonicarumque legum dispositio, ut ad rite contrahendum matrimonium sufficiat ad pubertatem pervenisse, illius itaque validitatem ex hoc ipso satis in propatulo esse colligitur. Et male cum sententia Angrensis curiae argumentaretur, si pubertas non tam ex annorum numero quam ex potentia ad maritale opus desumi vellet. Neminem namque latet, quod exploso jamdiu per civiles leges indecoro argumento habilitatis ad contrahendum ex corporis adspectu, firmiter etiam s. canones eisdem inhaerentes statuerunt, pubertatem ex annorum potius numero esse judicandam, hac tamen generali regulae limitatione adjecta, nisi malitia suppleat aetatem, ceu deprehenditur ex toto *tit. 11. de impub. desponsat. lib. IV. decretal.*, alterutram sed pubertatem, aut legalem scilicet, quae ex aetate, aut naturalem, quae ex malitia desumitur, sufficere ad matrimonii validitatem docet cum universa canonistarum schola *Zallinger jus ecclesiast. inst. lib. 4. tit. 2. §. 53; Ferrar. verb.: Matrim. art. 2. num. 34; Reiffenst. lib. 4. decret. tit. 2. num. 6,* ubi etiam animadvertit, quod, si quis post pubertatis annos nondum statim sit potens ad generandum, valet nihilominus matrimonium, quia impotentia coeundi post pubertatem adhuc existens non causat nullitatem, nisi sit perpetua. Habent igitur contra se adversarii juris praesumptionem idoneitatis et potentiae, quam ad vincendam opus esset contrarium facto concludenter in judicio probare. Constat sed etiam de pubertate naturali, idque ex firma corporis regularique partium praesertim genitalium structura depromitur, ideoque carentia cujuslibet vitii vel morbi, quemadmodum ipsi testes inducti nullum indigitare valuerunt; insuper ex judicio in antecessum a parentibus occasione sponsalium pandito; si quidem in iis ne verbum quidem excidit de exspectanda pubertate naturali, sed potius »che non essendovi ancora l'età, matrimonium celebrandum

erat »tostochè giugueranno all' età della pubertà.« Quin fassit impotentiae probationem desumere ex depositione septem testium, quos inter etiam parochi, qui matrimonio benedixit. Cum enim variis exceptionibus obnoxii fiant, nullius momenti habendas esse monet recta ratio. Et re quidem vera exceptionem patiuntur tum ob formam examinis, quippe in eo despecta fuit forma a Benedictina constitutione: *Dei miseratione,* sub nullitatis poena servanda; nam inter alios defectus et ille substantialis accedit, quod sine praesentia, citatione ac interpellatione defensoris matrimonii expletum fuit; neque id sane suppleri potuisset servando judiciales ordinationes Angriae nunc vigentes.

Altera insuper exceptio est tum ex persona testium tum ex parte rei, quippe eorum tres sunt foeminae, omnes autem habentur tantum negativi, deponentes scilicet, se non vidisse in corpore viri pubertatis signa, caeteroquin judicium, quod tulerunt, versabatur in re valde dubia et fallaci, uti testatur *Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 104,* ubi ita concludit: Nec omnes pilosi sunt potentes, nec omnes non pilosi impotentes, et firmat *Zacchia quaest. medico legal. lib. 1. tit. 1 quaest. 6. de pupert. num. 16.* Nec insuper pondus ullum meretur parochi dictum, tum quia praesumptioni potius quam veritati innixum videtur, tum quia de auditu refert, »sà, per averglielo detto la madre dell'uomo, che non erano i medesimi capaci di unirsi.« Eoque minus audiendus, quia, si reapse id sibi innotuisset, rem pandere Episcopo tenebatur, qui procul dubio dispensationem a publicationibus denegasset. Sed dato etiam, quod impotentia satis probata foret, nihilominus, cum ea accidentalis sit, ubi de pubertate legali constet, matrimonium nullatenus dirimere valet, ceu apte monet idem *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 104. num. 15.* Quando potentia praevenit aetatem in puero, opus fuit illi consulere, concesso matrimonio, ut incontinentiae periculum caveret. At quando adest sola aetas, ea ad matrimonii valorem satis est: nec curant canones, ad decretum variandum, de raro pueri casu, cui in ea aetate nondum adest potentia, sed solum attendunt, ut in ea aetate matrimonium firmum sit, communiter tunc advenire potentiam. Ea enim legis natura est, ut sola communiter accidentia spectet.

Alterum nullitatis caput ex adserto defectu consensus duobus argumentis laudatus defensor cludit; primo quia de metu haud constat, deinde quia, etsi constaret, nullatenus tamen characteres a s. canonibus requisitos ad nullitatem matrimonii inducendam exhibet. Et sane, licet sponsalia contracta inter parentes fuerint, tamen filios quoque in iis consensisse ex ipsis sponsalitiis tabulis patet; ibi enim celebrata dicuntur »colla volontà di ambedue i contraenti«, quibus etiam intercessit curator ad hoc petitus ac datus a judice, quia sua auctoritate rata ea habuit ac confirmavit. Sponsos autem intermedio ultra duorum annorum tempore siluisse constat, etiam postquam pubertatem attigerant, sed imo adventante statuto matrimonii tempore dispensationem a publicationibus petiisse compertum est, ac demum libere in faciem ecclesiae »col mutuo consenso« matrimonio copulati sunt. Jam vero haec omnia metum in genere eliminare nemo non videt. In specie vero nullatenus ille probatur; nam ex processu haud clare patet, cuinam fuerit incussus, an scilicet alterutri vel potius utrique; nec pariter constat de loco, tempore et modo incussionis, nec de qualitate et specie malorum incussorum: ad hoc parochus, cui procul dubio perspecta esse debebant cuncta matrimonii adjuncta, quoad metum se nihil scire interrogatus respondit.

Praeterea metus, de quo testes loquuntur, vel levis fuisse videtur, vel si gravis, id tantum propter aetatem, ita ut emensa impubertate ille evanescere potuerit.

Hanc de metu tulisse etiam testes opinionem innuunt satis eorum depositiones; nam primus authumavit metum fuisse gravem »attesochè aveva poca età«, alter censuit »come creatura non poteva lasciare di ubbipirla«, cui et tertius consentit. Quartus et quintus testis pariter asserunt adactum fuisse sponsum a matre, ideoque metum »attesa la sua poca età lo suppone grave«. Ex quibus omnibus colligitur, reverentiam potius quam metum in viri animo inditum erga matrem fuisse, quae reverentia eo pronior erat in viro, quo minorem tunc agebat aetatem et quo mitiori commendabatur ingenii docilitate. Atqui ex *cap.: Consultationi de sponsal. et matrim.* ut causa metus matrimonium irritum declaretur, tria haec concurrant oportet, nempe sollicita fuga, reclamatio ante carnis copulam subsequuta celebrationi nuptiarum et metus cadens in

constantem virum. Sed haec omnia prorsus desiderantur in themate; imo transmigratio viri in domum sponsae ibique per aliquod tempus pacifica commoratio, quae etiam ex lege praesumere facit matrimonii consummationem, diuturnum silentium per quadriennium servatum et reclamatio post id temporis de nullitate ad defectum tantum aetatis cohibita contrarium potius evincunt. Sed nec metus, qui cadit in constantem virum, argumenta adsunt; nam, quod fuerit ille reverentialis, parum relevat, cum juxta doctrinam *Sanchez. de matrim. lib. 4. cap. 6. num. 7; Perez. cod. tit. disput. 7. sect. 4. num. 3*; *Piringhius in jus canon. lib. 4. tit. 1. sect. 4* §. *5.*, ut effectum, de quo agitur, operetur, requiritur quod adjungatur ira patris ex. gr. ejusque indignatio diuturna vel verbera vel minae vere a patre solito illas exequi. Verumtamen in casu sola mater tempore suspecto fatetur verberibus etiam terruisse filium, proinde censet sacra Rota in nuperr. *decis. 453. tom. 5. par. 2. num. 5.* tanti esse haud posse, ut matrimonium a viro contractum infringere valeat, quia, uti optime monet eadem Rota in alia *decis. 315. nuperr. tom. 6. num. 10,* feminae, quae minus timentur, cum sint minus audaces et imbecilliores, non incutiunt tantum timorem cadentem in constantem virum, ut illius libertatem intervertere potuerit.

Caeterum et duo peremptoria accedunt, quae, ubi etiam ob gravem metum consensus libertas defuisset, nihilominus matrimonium firmum fore suadent. Nam primum a nemine negatur, conjuges post celebratum matrimonium in unam eamdemque domum convenisse simulque cohabitasse. Porro id talem ac tantam secumferre ratihabitionem, ut, qui demumcumque fuerint liberi consensus defectus, per illam sanatus penitusque convalidatus censendus sit, monemur ex *cap.: Ad id 21. de sponsal. et matrim.* Insuger momentosum illud accedit, quod, ubi per sententiam anni 1835 proclamata fuit nullitas matrimonii, illud subsequenti anno 1836 de novo contrahere coram ecclesia, praevia dispensatione a publicationibus, conjuges non dubitarunt, quod sane satis existimandum ad quamlibet dubietatem de matrimonii insubsistentia delendam.

Post haec alterum pariter dubium super dispensatione negativo responso esse dimittendum laudatus defensor contendit. Nam, ipse ait, nisi clare ac certo constet, matrimonium non fuisse consummatum, nulla in terra potestas est, quae valeat ab eo dispensare. Atqui de hoc utriusque conjugis probationes deficiunt: siquidem ex causae processu constat, virum nullo ex vitiis laborare, quae impedimentum impotentiae constituunt. Quoad mulieris vero virginitatem nec habetur nec haberi amplius posset probatio juxta sacrorum canonum disciplinam, cum ab alio compressa viro filios quinque ediderit. Aliunde constat eos diu invicem cohabitasse et nimis sero dispensationem petiisse, scilicet nonnisi quam in ha ctertia judicii sede. Jamvero hisce intercedentibus circumstantiis, ex cohabitatione praesertim, vehementissimam praesumptionem juris et de jure exoriri matrimonium fuisse consummatum, docuit inter alias s. haec Congregatio in *Comen. Matrimonii 17. Decembris 1768.*

Quin enervari haec valeat vel juramento conjugum, qui numquam consumasse matrimonium ajunt, vel testium fide hac super re deponentium; nam praeterquam illud collusionis suspicione non caret, cum nunc, inito veluti foedere, instent pro dispensatione iidem conjuges, qui in primo vel altero judicii gradu dissidebant, multum quoque fidei detrahit sera reclamatio, maxime cum deficiat probatio physica virginitatis mulieris, *Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 109; Card. de Luca lib. 14. tom. 2. decis. 11.,* necnon fides septimae manus ex parte utriusque conjugis. Neque hinc acquiescere fas esset matrum depositioni, utpote quae conspirando dissolutioni matrimonii, quod initio ipsae conciliaverant, nimis suspectae habendae sunt. Testes vero eo minus audiendi, quia vel ex auditu vel ex opinione vel ex fama non esse consummatum matrimonium deposuerunt.

Supervacaneum post haec existimat citatus adsertor obloqui de causis, graves necne urgeant ad dispensandum matrimonium, quod validum firmumque fore hucusque defendit. Unum nihilominus animadvertit, ob adulterium scilicet, pendente matrimonio, non licere vinculi solutionem petere cautum fuisse *canone VII. sac. Conc. Trident. sess. 24. de reform. matrim.*

Sed haec fusior oratione in allegationibus distribuendis perlegent EE. PP., ut dirimant, quae proponimus,

Dubia

I: *An constet de nullitate matrimonii in casu* etc.?

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* etc.?

S. C. resp.

Ad I. Negative.

Ad II. Ex deductis non constare de non consummatione matrimonii.

Die 6. Febr. 1847.

Continuatio Angren.

Nunc vero partes nuncio remisso primo dubio super nullitate matrimonii, pro gratiosa dumtaxat dispensatione novis non secutae consummationis probationibus adductis instant.

Quas quidem antequam eorum orator exponat, omnes defensionis suae nervos eo intendit, ut probet, falso prorsus defensorem ex officio in anteacta propositione justum non sequutae consummationis judicium in una reposuisse oculari inspectione virginitatis mulieris, ac in probata viri impotentia. Aliter sane statuendum sibi videtur tum ex ss. canonum lege tum ex more jugiter in hujusmodi dispensationibus elargiendis servato, tum denique ab exemplis hujus s. Congregationis.

Ad canonicas leges quod attinet, recolit *cap.*: *Laudabilem de frigidis et maleficiatis,* ubi non consummationis probatio a conjugum juramento, una cum septimae manus testimonio constituitur, quae satis sunt ad moralem certitudinem gignendam, quin physica opus sit, quae ab inspectione mulieris, ac probata viri impotentia dimanat. SS. autem canonum praescriptum consuetudine confirmatur. Certum enim est, hujusmodi dispensationes in foro etiam poenitentiali concedi solere, teste *Clericat. de sacram. matr. dec. 15. num 36,* et *Corrado in praxi dispens. apostolic. lib. 8. cap. 7. num. 36.*

Atqui norunt omnes, in foro poenitentiali non admodum urgentes requiri non consummati matrimonii probationes, cum nullus instruatur actorum processus, atque una sufficiat jurata supplicantium depositio, ceu plura probant dispensationum exempla apud s. poenitentiariam, de quibus a citatis auctoribus fit mentio. Nec eadem exempla deesse penes s. hanc congregationem, quae saepe dispensationem concedendam censuit, quamvis nec de integritate mulieris neque de viri impotentia constaret, ceu factum dicit *in Melevitana Dispensationis 7. Februarii 1789*; *in Hyspalen. Dispensationis 6. Septembris 1741,* et *in Burdigalen. Dispensationis 26. Februarii 1823,* in qua ultima, licet inspectio mulieris, quae rem cum extraneo habuerat liberosque ab eo susceperat, utiliter institui non potuisset, attamen sacer Ordo, qui in prima causae propositione dispensationem denegaverat ac in secunda anceps haeserat remque in medio reliquerat, in postrema tandem diei 16. Aprilis ejusdem anni rescripsit: »Praevio recessu a decisis, consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati,« . . Quinimo vel leviores sufficere probationes urget, uti in citata *Burdigalen.* traditur ac docent *Ursaya tom. 4. part. 2. disc. 21;* et *Card. de Luca disc. 7. num. 7. de matrim.*

Atqui plures in themate non sequutae consummationis subesse probationes, quae moralem pariunt certitudinem omnemque de opposito formidinem excludunt. Cum enim prodesse amplius nequeat mulieris inspectio, quae ex commercio cum alio viro habito statum integritatis amisit pluresque enixa est liberos, aliunde vero nullum subsit argumentum dubitandi de potentia viri, necesse plane est aequipollentibus uti probationibus, quae ex juramento conjugum, testium examine aliisque facti adminiculis scatent. Praesto autem sunt in themate jurata conjugum depositio ac septimae manus aliorumque probatissimorum virorum testimonia. Quibus accedit, paucis exceptis mensibus, in quibus conjuges in eadem domo, sed in separatis diaetis vixere, communem eos habitationem non habuisse atque alterum ab altera disjunctum duxisse vitam, ita ut incredibile pene sit, eos aliquando rei uxoriae operam dedisse, qui brevi tempore sub eodem tecto manentes distinctas habitarunt diaetas et communi thoro sese abstinuere, ac paulo post separatas etiam domos habitatum concessere; praesertim vero, quia hujusmodi vitae rationem non parentum imperio, queis imo cordi erat firmiores consummatione fieri nuptias, sed proprio consilio ac libera voluntatis arbitrio susceperint atque institerint.

Praeterea et illud consideratione dignum existimat, non in ea conjuges fuisse aetate, qua libidinis acti stimulis ad venerem exercendam coeco impetu ferrentur; cum potius ex testium relatione constet, eos vel incapaces adhuc et ignaros prorsus operis maritalis compertos fuisse. Sed quominus consummationi operam darent, praeter puerilem aetatem atque naturalem imbecillitatem virium,

impedimento insuper erat aversum mutuo ingenium, quod quidem efficit, ut communem habitationem libenter desererent et causam nullitatis matrimonii agerent tantaque constantia et consensione prosequerentur. Sed momentosum aliud accedit, quod tum conjuges ipsi cum eorum parentes, in suspecto tempore, antequam scilicet institueretur judicium nullitatis vel dispensationis matrimonii, pluries fassi matrimonium non fuisse consummatum, ceu praeter parochum alii spectatissimi testes referunt. Hisce tandem extremum adjici calculum a pervagata in civitate Angriae opinione, quod hi conjuges nunquam se carnaliter cognoverint, de qua iidem eorum parochi et Angrensis curia fidem indubiam faciunt.

Haec porro omnia rerum adjuncta, quae singula satis ponderis habent ad consummationis probabilitatem eliminandam, simul sumpta ejus efficaciae habenda esse, quae vel ipsam physicam certitudinem exaequare videantur. Hinc sane factum esse, ut ex tribunalis civilis sententia omni vinculo soluti fuerint supplicantes eosque inter jus mutuae successionis sublatum, quod Lusitantiae legibus inter conjuges viget. Unde novum erumpit credibilitatis momentum, quo certo certius putandum est, eos haud pejerare voluisse ac falso affirmare, se matrimonium non consummasse, cum in hac petenda dispensatione nil aliud voluerint, quam ut conscientiae tranquillitati consulerent. Atqui ubi falsum esset id, quod asserunt ac jurisjurandi religione confirmant, nulla esset dispensatio, quae dumtaxat prodest, si preces veritate nitantur. Gradum exinde faciens orator ad causas dispensationis, tres eas enumerat, timorem gravis scandali, susceptam ab illicito concubitu sobolem, mutuam conjugum aversionem. Quod enim gravis scandali timor justa sit dispensationis concedendae causa, tum ob privatum tum etiam ob publicum bonum, omnes tradunt doctores, ceu *Felin. cons. 26. num. 19; Menoch. de praesumpt. lib. 1 praesumpt. 10. num. 2, et cons. 385. num. 7; de Justis lib. 2. cap. 10. num. 21 et 22; Sanchez de matrim. disp. 16 lib. 2. num. 13.* Ex integro autem actorum processu patet impossibilem evasisse in praesens supplicantium conjunctionem absque gravis scandali periculo. Hinc alter ex parochis merito censet »che per carità saria cosa buona l'ottenersi la grazia della dispensa per il bene delle anime degl' impetranti, per la legittimatà della prole ed ovviare lo scaudalo publico, che in realtà si rende assai sensibile attesa la condizione nobile degl' impetranti e della terza persona, con cui ha contratto relazione la impetrante«. Sed non leviorem suppeditare dispensationis causam susceptam ac exstantem ex concubinatu sobolem, ceu ad rem docet *Just. dispens. lib. 2. cap. 10. n. 32.* atque a s. Congregatione decisum fuisse in casu huic simillimo refert *Ursaya disc. eccles. tom. 1. disc. 3. num. 55.* Tandem, mutuam animorum aversionem, quae inter conjuges numquam non extitit atque jugiter perseveravit auctaque est praesertim in viro ob turpem mulieris cum alio viro consuetudinem liberosque susceptos, gravissimam constituere causam dispensationis, ac eam unam per se sufficere pronat cum *Just. loc. citat. num. 28; Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 16. num. 3 et 4; Trullench. tom. 3. lib. 7. cap. 4. tom. 2. num. 8*, et s. Ordine in *Melevitana dispens. 7. Febr. 1789.*

Defensor matrimonii expendens praeprimis contrarias allatas auctoritates, ex quibus summi Pontificis vindicatur potestas dispensandi a matrimonio rato et non consummato, ex his arguit, non aliter id licite aut valide posse summum Pontificem, quam si justa et gravis causa intervenerit. Nullas at vero subesse in themate causas, quae dispensationem suadeant. Nihili enim faciendam esse assertam conjugum aversionem, quae nec subsistit, quandoquidem mutuo consensu matrimonium celebrarunt, per quatuor annos communem egerunt vitam ac liberrime matrimonii solemnitatem renovarunt; nec, si subsisteret, aliquid prodesset ad vinculi solutionem sed ad summum ad separationem quoad thorum et habitationem valeret. Quod vero ex commercio mulieris cum altero viro hujusmodi aversio enata vel aucta fuerit, falsum deprehendi ex ipsius viri facto, qui liberos ex illicito concubitu natos baptismatis suscipiendi causa ad parochum deferens ac uti suos agnoscens non se mulieris vitiis repugnantem sed conniventem potius prodidit. Sed nec illicitum hocce mulieris commercium justam dispensandi causam praebere post censuram Tridentini in *cap. 7. sess. 23. de matrim.* docent doctores, ceu *Sanchez de matrim. lib. 10. disput. 2*, et *Schmalzgrueber in jus ecclesiast. tom. 4. lib. 18. num. 87*, ob id potissimum, ne ex delicto suo delinquens commodum persentiat, quod sane contingeret, si innocente ad alia vota transeunte et

matrimonii vinculo soluto etiam adulter aliud matrimonium inire posset.

Ast non solum dispensationis causae desunt, sed alterum quoque, subsumit, deficeret non consummationis extremum, quod concludentissimis atque omni exceptione majoribus argumentis esset probandum ad monitum *Pignatell. consult. 149. n. 21* et s. Congregationis *in Valentina matrimonii 24. Mart. 1764.*

Jam vero ipsa una cohabitatio in eadem domo, quamvis in separatis diaetis per annos quatuor protracta, ab anno scilicet 1831, quo contractum fuit matrimonium, usque ad annum 1835, quo incoeptum judicium juris praesumptionem inducit, consummatum fuisse matrimonium. In themate autem praesumptio etiam juris de jure habetur, ex quo conjuges non in eodem cubiculo tantum sed in eodem lecto cubaverint. *Pignatell. consult. 148. num. 21;* s. Congregatio *in Comen. matrim. 17. Decbr. 1768.* Id manifesto erui ex his, quae quatuor testes coram judice conciliationis deposuere, quod scilicet »nel tempo, in cui l'attore (vir) si accasò colla rea, di già era atto al matrimonio, e che lo contrasse di molto libera sua volontá senza alcuna coazione della sua madre . . . . che dopo essersi sposati, andaudo a dimorare in casa del fratello della rea, quivi vissero più mesi, dormendo nella stessa sala, ma in letti separati: e che recatisi poscia a stare in casa della madre della rea, colà si riunirono per alcuni giorni nello stesso letto.«

Perperam hinc ex adverso objici vel animorum aversionem vel liberi consensus defectum vel testium depositiones vel tandem conjugum juramentum ac septimae manus testimonium. Nullum enim jactatae aversionis satis firmum argumentum haberi, de qua nec causae nec effectus indigitantur, probatum est. Nullo item in pretio habita est in superiori certamine exceptio altera circa libertatis defectum in contrahendo matrimonio, quae pro ipsius matrimonii nullitate in medium allata est. Nec ullam pariter facessere difficultatem testium dicta, quorum nonnulli non consummationis causas tribuunt aversioni, alii coactioni, alii etiam impuberi aetati, quod quidem falsitate laborat, quas omnes causas nullo pacto s. Congregatio probavit, cum pro matrimonii nullitate allatae sunt; omnes denique sunt de auditu, ne exceptis quidem conjugum parentibus. Quibus omnibus exceptionibus vel ipsi noviter inducti septimae manus testes subduntur, qui easdem proferunt causas ad propriae credibilitatis testimonium suffulciendum. Ex eo insuper eos posthabendos esse censet defensor, quod in eorum examine servatum non fuerit praescriptum Benedictinae constitutionis. Atqui declarat constitutio, omnia nulla et irrita habenda esse, quaecumque defensore matrimonii non legitime citato aut intimato in judicio peracta fuerint. Utrum vero in praedicto examine citatus fuerit aut praesens extiterit defensor matrimonii atque interrogatoria testibus dederit, nullibi colligere datum est.

Nec melius juramenti religione juvari conjuges contendit. SS. enim canones tunc tantum conjugum juramento ac septimae manus testimonio deferendum esse jubent pro matrimonii dissolutione, cum causa non consummationis petitur a frigitate viri, ceu patet ex *cap.: Laudabilem de frigid. et malefic., et ex cap.: Proposuisti de probat. ex adverso citatis;* ad rem autem non facere exempla resolutionum s. hujus congregationis, queis utitur conjugum defensor, quippe in iis non moralis dumtaxat sed physica etiam aderat certitudo non sequutae consummationis. Siquidem in Hispalen. mulieris absentia, in Melevitana infima valetudo, in Burdigalen. impotentia coeundi consummationem impediverant.

Iterum itaque in disceptationem venit dubium:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 27. Aug. 1853.

Posnanien.

Cum adhuc impubes esset Marianna N., nata enim erat mense Februarii anni 1726, nupsit Theophilo N. contracto et consummato matrimonio die 22. mensis Julii anno 1736. Post novem menses Mathias N. sponsae patruus conjuges in jus vocavit, nullum dicens matrimonium tum defectu legitimae aetatis puellae tum defectu ejusdem consensus. Sed conjnges et ipsa praesertim Marianna praesens coram officiali Posnaniensi matrimonii validitatem defenderunt: Officialis autem ob impubertatem sponsae pronunciavit nullum fuisse matrimonium, indicta utrisque mulcta pecuniaria ob stuprum illatum acceptumque, verum quia ex medici sententia viri potens judicabatur puella *et amore constanti adhaerendo Theophilo et non alteri, tantum*

eundem in vita socium elocandum deliberato animo exposcebat et cum eodem matrimonium de praesenti inire appromittebat et assensum perfectum extra omnem metum posita fortiter et libere reiterabat, verba sunt ejusdem judicis; hinc, licet aliquot etiam menses ad implendum *annum duodecimum* deessent, potestatem tamen iisdem fecit, ut sive in Cathedrali ecclesia Posnaniensi sive in propria parochia iterum matrimonium contraherent. Ab hac sententia, quae, dum ob impubertatem matrimonium nullum declarabat; contrahi permittebat impubertate non obstante, patruus sponsae appellavit, sed officialis appellationem constanter rejecit et matrimonium die 7. Aprilis 1737 in ecclesia Cathedrali renovatum fuit. Individuam vitae consuetudinem annis duodecim perpetuis conjuges servarunt susceptis novem liberis, quorum quatuor aut quinque vitae usura fruuntur. Repente tamen rerum facies versa est, et quae *fortiter, libere et amore constanti adhaeserat Theophilo et perfectum assensum reiteraverat*, levitate illa, quae a sexu disjungi non potest, voluntatem mutavit.

Igitur cum forte vir abesset, rhedam ascendit, viri domum deseruit, tres filias abduxit; domum armati homines invaserunt, direptis auro, argento, gemmis pretiosaque omni supellectile, summa omnis direptarum rerum ad scut. 5 mil. et amplius ascendit. Re perfecta postulavit Marianna coram officiali Posnaniensi, ut nullum declararet matrimonium, postulavit alimentorum subministrationem; Theophilus contra: purgari spolium vi armata illatum, res abactas restitui, reduci filias in domum patris, cogi Mariannam, ut cum viro rediret. Officialis posthabita restitutione spoliati decrevit summam florenorum scut. 4 mil. annuorum in causam alimentorum a Theophilo praestandam esse. His impetratis articulos edidit Marianna, quibus intendebat tam primi quam secundi matrimonii nullitatem probare ex causa impubertatis et metus illati: novem testes his articulis responderunt.

Judex, Theophilo contumace, nullum pronunciavit matrimonium, prolem, uti bona fide susceptam, legitimam declaravit, ali atque educari jussit impensis utriusque parentis. Ab hac sententia appellavit defensor matrimonii ad curiam metropolitanam Gnesnensem. Theophilus vero aliam viam ingressus est, expedita citatione coram tribunali signaturae justitiae, quae exequuta fuit contra procuratorem Mariannae, contra actuarium curiae metropolitanae et contra ipsum consistorium Posnaniense. Sed, his spretis, Marianna judicium prosequuta est in curia metropolitana. Theophilus protestationem emisit de attentatis purgandis et metuens, ne citatio coram tribunali signaturae sperneretur a judice metropolitano, quod causam nullitatis matrimonii non respiceret, usus est alia coram tribunali nunciaturae, quae contra Mariannam et contra actuarium curiae exequuta fuit, sed his omnibus posthabitis officialis Gnesnensis sententiam tulit, qua primam Posnaniensem confirmavit et, licet ab ea Theophilus appellasset, Marianna tamen die 15. Februarii anno 1753 aliud matrimonium cum Joanne N. contraxit.

Delata ex decreto tribunalis signaturae causae hujus cognitione ad hoc sacrum tribunal provisum fuit pluries, ut Marianna rediret, frustra tamen; causata semper se utero gravem a Joanne noluit obtemperare decreto. Partum denique enixa in eadem cohabitatione perseveravit, itaut necesse fuerit nova relaxare maudata; quibus an adhuc obtemperaverit, ignoramus. Causa nunc tandem urgente infelicissimo Theophilo bis victo rationibus suis non auditis proponitur ab eminentissimis Patribus definienda. Disputat autem neque ex defectu aetatis neque ex defectu consensus potuisse a judicibus Posnaniensi et Gnesnensi nullum declarari matrimonium a Marianna contractum die 25. Julii 1736 et renovatum die 7. Aprilis anno 1737; *non equidem defectu aetatis*, cum enim Marianna corporis habitudine medici judicio et ipso experimento docente viri potens esset, dubitandum non sit validum fuisse matrimonium; ad quod contrahendum certa aetas praesumptive tantum, non vero taxative, praefinita fuit, itaut, si ex habitu corporis dignoscatur capacitas contrahendi, firmum validumque sit matrimonium ante pubertatem contractum, ut sunt cognitissima jura in *cap.: Puberes de despons. impub., et in cap.: Juvenes de sponsal. et matrimon.; non vero defectu consensus:* hunc enim defectum excludit factum Mariannae, quae contra patrem hunc defectum urgentem venit in jus et praesens coram officiali *amore constanti adhaesit Theophilo, non alteri, et assensum perfectum extra omnem metum posita fortiter et libere reiteravit,* itaut contra hunc defectum pugnet confessio judicialis ipsius Mariannae, res judicata et factum renovationis matrimonii cum successiva per annos duodecim individua vitae consuetudine sine ulla reclamatione, postquam ad plenam pubertatem pervenit.

In his igitur rerum circumstantiis despiciendos esse contendit Theophilus testes, qui articulis a Marianna editis responderunt, tum ob exceptiones personales, quas patiuntur, tum quia, etiamsi uno consensu omnes dicerent vera esse, quae in articulis sunt, non tamen evinceretur Marianuam vi metuque ab avia illatis coactam fuisse matrimonium contrahere cum Theophilo, nam et tenera aetas puellae et persuasiones aviae ad matrimonium cum Theophilo contrahendum et inanis suggestio ejusdem aviae, ut, nisi matrimonium Marianna contraheret, patruus tutelam suscepisset et eam perpetuo reclusisset in monasterio, eam vim non habent, quae satis esse possit ad irritandum matrimonium tamquam ex vi et metus causa contractum: sed neque facta haec ab avia probantur dictis testium et satis evincitur nihil horum egisse aviam ex facto ipsius Mariannae, quae, si vere adacta fuisset ab avia ad contrahendum matrimonium cum Theoqhilo, non praetermisisset oblatam a patruo occasionem dicendae nullitatis ejusdem matrimonii, ut ipsa contra matrimonii validitatem praesens in judicio defendit; et licet dicatur instructam fuisse ab avia de his, quae judici interroganti respondere debuisset, non tamen adstabat lateri ejus avia in judicio, ut non posset respondere secus ac avia dictaverat; si consensum suum matrimonio non praestitisset, judici interroganti longe alia respondisset ab iis, quae avia scripserat in instructione.

Haec sunt in libello Theophili; neque a defensore matrimonii neque a Marianna et Joanne N. aliquid adhuc habuimus. Dubium est:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 4. Maji 1754.

Continuatio Posnanien.

Marianna N. nupta Theophilo N. post novem susceptos liberos in duodecim fere annorum consuetudine viri domum improvida levitate deseruit et tribus abductis filiabus direptaque pretiosa supellectili matrimonii nullitatem proposuit coram officiali Posnaniae, quod in aetate impubera annorum decem et mensium quinque ab initio contractum, successive nonnisi in aetate annos undecim, mensem unum cum dimidio non excedente solemni ritu iterato consensu coram parocho revalidatum esset, quodque per vim et metum ab avia illatum cum Theophilo esset celebratum. In contumaciam Theophili judex sententiam tulit pro nullitate matrimonii, quae confirmata est in curia metropolitana Gnesnensi; et non obstante appellatione ad sanctam Sedem per Theophilum interposita novum conjugium die 15. Februarii 1752. inivit Marianna cum Joanne N.

Delata hujus causae cognitione ad hoc sacrum tribunal, plura edita sunt decreta, ut Marianna recederet a novo conjuge et monasterium ingrederetur, sed renuit illa et prius causata est, se utero gravem a Joanne, et partum enixa in eadem cohabitatione perseveravit, nec perterrita est novis mandatis et comminatione censurarum. Causa denique proposita est in Cong. habita die 4. Maji 1754, accurate expositis omnibus illius circumstantiis in folio tunc distributo et dubio, quod erat:

An constet de nullitate matrimonii?

rescripserunt eminentissimi Patres: Negative — ac in alia Congregatione habita die 24. seq. mensis Augusti steterunt *in decisis* et hujusmodi causam amplius non proponi mandarunt sacrae Congr. Non acquievit Marianna et decretum diei 24. Sept. ejusdem anni impetravit a cl. mem. Card. Argenvilliers tunc proauditore Sanctissimi, quo remissa fuit causa ad eandem sacram Congregationem, quae procederet cum voto Rotae, sub conditione tamen, quod Marianna doceret »infra tres menses de recessu a domo et cohabitatione Joannis N. et sui collocatione in monasterio, juxta ordines et decreta sacrae congregationis Concilii, in quibus etiam providetur de alimentis.« Post longas moras tandem proposita est causa in Rota die 2. Martii 1759 et disputato dubio:

An constet de nullitate matrimonii?

in strenuo partium conflictu prodiit rescriptum: Negative, ut pandit egregia decisio Emmi Dni Card. Bussii tunc sacrae Rotae decani, quae circumfertur.

Urget itaque Theophilus causam rursus definiri juxta votum rotale, quod cohaeret praecedentibus resolutionibus hujus s. Congr. nec multis rationibus diffunditur, quippe quae disertissime recensentur in praedicta decisi-

one eminentissimi Domini Cardinalis Bussii. Simulque postulat separationem thori et collocationem Mariannae in monasterio clausuram servante ad formam decreti editi die 16. Septbr. 1755, non obstante asserta transactione vi metuque inita anno 1756. Contendit porro indignam esse maritali consortio Mariannam, quae non paucis annis notarie vixit in adulterio cum Joanne N., ut sunt notissima jura in cap.: *Significasti 4., in cap.: Ex literis 5, de divort.*, cum aliis relatis per Rotam in *Cracovien. separationis thori 30. Junii 1749.* §. *9. coram eminentissimo D. Card. Elephantutio;* nec adulterium excusari posse ob matrimonium cum eod. Joanne attentatum post sententiam curiae metropolitanae super nullitate prioris conjugii celebrati cum Theophilo, tum quia exulata novo matrimonio bona fides tamquam inito pendente appellatione, tum insuper, quia contumaci pertinacia renuit Marianna obtemperare decretis sacrae Congregationis et adulteri cohabitationem deserere, etiam post definitionem causae.

Addit quoque insidias et calumnias a Marianna praeparatas, quum anno 1754 ea instigante vel consentiente adulteri frater armatorum cohortem duxerit in villam N., ut Theophilum ibidem commorantem interficeret; et quamquam Theophilus arrepta fuga necem evaserit, passus est tamen ingentem jacturam rerum direptarum ab aggressoribus. Et ipsa Marianna in judiciis generalibus tribunalis regni eodem anno 1754 Theophilum accusavit de adulterio et propinato veneno, cujus accusationis falsitatem agnoscentes judices accusatricem damnarunt poena relegationis et emendationis damnorum. Hinc inimicitias exortas et odia defendit, ut fiat locus separationi thori ex adductis per Rotam in *Majoricen. divortii 13. Januarii 1749 et §. 5. coram eminentissimo D. Card. Bussio*; et infidelem conjugem collocandam esse in aliquo ex monasteriis clausuram servantibus civitatis Posnaniae, ne plus debito libertati indulgeat in dedecus familiae, juxta firmata per Rotam *in d. Cracovien. separationis thori super reservatis 9. Apr. 1750., §. 2. et 7 cor. Emmo D. Card. Elephantutio.*

Nec fidendum esse contendit reconciliationi simulatae in transactione anni 1756, imo certat de illius nullitate, ex quo fuerit per vim et metum inita et summopere laesiva, nec ad effectum perducta, itaut ea non obstante debeantur Mariannae sola alimenta in quantitate taxata per decretum diei 16. Septembris 1755, nimirum in aureis ungaricalibus octo pro quolibet trimestre, post ejusdem ingressum in monasterium.

Quapropter definiendum erit ab EE. VV.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 4. Maji et 24. Augusti 1754 in casu?* Et quatenus affirmative quoad primam partem,

II. *An sit locus separationi thori, itaut Marianna sit collocanda in aliquo monasterio civitatis Posnaniae clausuram servante, in casu?* Et quatenus affirmative in omnibus,

III. *An servandum sit decretum R. P. D. secretarii diei 16. Septembris 1755 quoad alimenta seu potius obstet transactio anni 1756 in casu?*

S. C. C. resp. ad I: In decisis. Ad II: Affirmative. Ad III: Affirmative ad primam partem et negative ad secundam.

Die 21. Junii 1760.

II. Matrimonium non constat.

Theatina.

Ex triplici capite nobilis actrix Anna Maria N. nullitatis accusavit suum matrimonium cum Ignatio de N., ex eo nimirum, quia pater ejus N. compluribus minis ad illud contrahendum ipsam adegit invitam, ex defectu insuper suae legitimae aetatis, tunc non excedentis annos undecim, mensem novem et dies viginti quinque, et demum ex deficientia proprii parochi, quum matrimonio interfuerit solus Archipresbyter oppidi Gattiniani, qui neutrius ex contrahentibus parochus erat. Hac re proposita in Congregatione die 16. Martii anni elapsi visum fuit, aliquid deesse probationibus allatis, qua de re ampliata resolutione demandare placuit, ut eae coadjuvarentur et interim Archiepiscopo Theatino scriberetur, ut formali examini subjiceret Ducissam N. puellae matrem, Archipresbyterum Cattiniani reliquosque testes et jura a defensore matrimonii in partibus exhibenda reciperet.

Omnibus ab Archiepiscopo adimpletis, excepto examine Archipresbyteri, quia mors eum e vita antea eripuerat, remissoque processu, defensor Annae Mariae tria, quae proposuerat, nullitatis capita jam plenissime probata contendit. Denuo proinde repetit,

Ducem N. patrem omnes adhibuisse minas et violentias, ut renuentem filiam ad invisas nuptias compelleret eamque pluries etiam comminatum fuisse exhaeredationem ac relegationem in monasterium, ac devenisse etiam ad actum proximum illam percutiendi, ita ut filia timore percita contremiscens et lacrymis madefacta apud matrem sese receperit, ut furentis patris indignationem effugeret.

Haec omnia resultare ex jurata matris depositione asserit, eamque inutiliter officia interposuisse, ut vehementes Ducis N. motus atque iram compesceret. Addit, in ipso actu celebrati matrimonii adstitisse patrem minaci vultu et trucibus oculis filiam intuentem, ne dissentiret; cumque post matrimonium porrexit Anna Maria suam aversionem et repugnantiam patefacere et a viro aufugerit, imo matrimonii nullitatem deducere professa fuerit, nihilominus a minis, ab objurgationibus et a saevitiis non destitisse patrem, qui eo devenit, ut feudum Cattiniani Duci de N. vendiderit. De his autem dubitari non posse affirmat, quia tam a testibus in priori causae propositione adductis tum ab aliis in novo processu relatis, tum etiam a matris depositione probata noscuntur et accedit etiam ipsius Ducis N. patris testimonium, qui morti proximus ac conscientiae stimulis percitus juramento fassus est violentias filiae illatas, ut eam ad invitum matrimonium adigeret.

Neque amplius opponi posse existimat vel quod Dux N. pater, dum declarationem emisit, non esset compos sui, vel quod testes utpote familiares et consanguinei attendi minime debeant. Primum enim objectum eliminatum dicit ex medicorum judicio et ex depositione confessarii, qui omnes de perfecta Ducis N. cognitione rectaque intelligentia et discretione testantur. Ad alterum vero respondet, testes etiam consanguineos et familiares admitti ad eruendas coactiones et saevitias, quae non palam sed inter domesticos parietes adhiberi solent. Caeterum advertit, quemcumque defectum ex testium numero et qualitate abunde suppleri; nec deesse plures testes ad instantiam defensoris matrimonii nuper in partibus examinatos, qui aliorum testium dicta confirmarunt.

Atque haec quoad vim et metum a Duce N. patre Annae Mariae incussum. Quod vero ad alterum nullitatis caput desumptum ex imbecilli Annae Mariae aetate ejusque ad copulam inhabilitate, praeter testes jam praecedenter adductos alii modo cumulantur examini nuper subjecti et ex his assertur praecipue matris testimonium asserentis, filiam nec corporis habitu nec mentis cognitione aptam fuisse ad matrimonium, cum inter pueriles nugas quotidie versaretur.

Denique, quod attinet ad tertium nullitatis caput, contendit, matrimonium fuisse contractum coram Archipresbytero Cattiniani de licentia Abbatis Muronensis, qui nullius ex contrahentibus parochus, idque satis erat probatum, dicit ex particula extracta a libro parochiali archipresbyteralis ecclesiae Cattiniani ex attestatione memorati archipresbyteri ex epistola ab eo scripta Ducissae matri atque e conspectu despiciendam dicit postremam supradicti archipresbyteri depositionem, quum falsa deprehendatur tum ex ipsius archipresbyteri declaratione, qui ad priorem attestationem emittendam coactum se dixit a parocho Cathedralis, tum ex jurato alterius testis et Ducissae matris testimonio, quod in novo processu exhibetur.

Ex his ergo satis constare sustinet de nullitate matrimonii, quod tamen nunquam consummatum fuisse contendit, idque resultare affirmat ex juramento septimae manus propinquorum, tum ex parte viri tum ex parte mulieris, necnon ex inspectione corporis mulieris ab obstetricibus facta et ex depositione matris asserentis, Ducem de N. nunquam valuisse renuentem atque immaturam puellam comprimere. Hinc arguit, matrimonium, etiamsi validum esset, nihilominus auctoritate summi Pontificis fore dirimendum, ad evadendas dissensiones, odia et scandala, quae oriri possent, neque in his circumstantiis dispensationem denegari consuevisse, *Corrad. in prax. dispens. lib. 8. cap. 7. num. 33. in fin. et num. 35, Card. de Luca de matrimon. discur. 9. num. 7. et 15, Ursaya disceptat. eccles. tom. 2. part. 1. et disceptat. 3. num. 4.*

Defensor vero matrimonii ex officio iterum animadvertendum proponit, quod, cum res sit de causa gravissima, scilicet matrimonio in faciem ecclesiae contracto, in quo adest periculum dissolvendi vinculum divina institutione prorsus indissolubile, probationes requiruntur omnino concludentes et testes omni exceptione majores, *cap.: In literis de testib. et attestat., cap.: Super eo, qui cogn. consanguin., cap. 5. de consanguinit. et affinit.* Rejiciendos proinde testes, qui adducti fuerunt ad probandam coactionem et ad demon-

strandam puellae inhabilitatem, vel quia extrajudiciales et informes, constit. *san. mem. Benedicti XIV.: Dei miseratione**) §.: *Quoad officium, et* §.. *Et demum,* vel etiam quia consanguinei, affines et intrinseci familiares, citat. *cap.: In literis de testib. et lege 2. cod. tit.; Rota in recent. decis. 129. num. 16. part. 18. tom. 1, et decis. 37. num. 6. part. 19. tom. 1.* Rejiciendas pariter postremas tum Ducissae matris tum aliorum testium depositiones, quia praesumitur matrem obsecundare voluisse filiae voluntati, testes vero fere omnes de auditu deponere; atque inverosimile prorsus esse, patrem amantissimum unicam filiam, quam diligebat, ad invitas nuptias compellere voluisse.

Omnem autem testibus fidem sublatam dicti ex testimonio Archiepiscopi Theatini ejusque Vicarii generalis, qui puellae voluntatem exploravit, nam uterque affirmat Annam Mariam non minis, non violentiis, non blanditiis sed sponte sua consensum in matrimonium praestitisse. Siquidem Archiepiscopus ait, ipsam plane instructam agnovisse de oneribus status conjugalis, in eaque deprehendisse »la di lei giusta capacità e malizia conveniente su tal proposito, coll' inclinazione di passare all' ultimazione del matrimonio.« Vicarius autem generalis, qui puellam interrogavit, responsum accepit »che sapeva benissimo, che cosa era matrimonio, e che era pronta a conjungersi in matrimonio col detto Signor Duca de N.« In decernendo autem: an puella esset viri potens et an malitia suppleret aetatem, sustinet, standum esse judicio Ordinarii, *Fagnan. in cap.: De illis de desponsat., impuber. num 47.*

Objicit post haec, haud attendendas esse depositiones medici N. et alterius medicinae professoris Nicolai N., quia uterque deponit de auditu ab ipsa Anna Maria vel ab ejus matre et eorum depositiones matrimonii tempus non respiciunt. Nullam similiter habendam esse rationem de iteratis corporis puellae inspectionibus ab obstetricibus factis, cum hujusmodi recognitiones nihil ad excludendam pubertatem aut malitiam conferre possint. Ad dignoscendam denique puellae capacitatem necessarios non fuisse dicit testes aut peritos, cum idoneitatis cognitio ad Ordinarium pertineat idque ejus prudentiae ac judicio committatur, *Sanchez de matrim. disput. 37. sect. 12. num. 7*; *Covarruv. de sponsal. par. 2. cap. 5. num. 5*, alias indecorum esset, honestas puellas derisionibus et ludibrio per confectionem processus exponere, maxime quia Archiepiscopus et Vicarius nihil omnino praetermiserunt, quod ad detegendam puellae capacitatem et malitiam conferre posse existimarunt.

Transit deinde ad alteram nullitatem desumptam ex deficientia proprii parochi, quam nullimodo subsistere affirmat, cum Archipresbyter Cattiniani, licet non fuisset proprius contrahentium parochus, nihilominus matrimonio adstitit vigore facultatis eidem tributae a Vicario generali et a parocho hebdomadario Cathedralis Theathae. Sustinet autem, jure potuisse parochum hebdomadarium eumdem Archipresbyterum delegare, *Clericat. de sacramen. matrimon. decis. 35. num. 12; Guttier. de matrimon. cap. 62. num. 10.* Perperamque objici, quod Archipresbytero Cattiniani non innotuerit licentia eidem tributa a parocho hebdomadario, ut matrimonio adstaret, cum oppositum resultet ex illius depositione, quae plurimum debet attendi, *Gratian. disceptat. foren. cap. 481. num. 8, Rota cor. Cerro decis. 751. num. 13. et in Romana matrimonii 3. Julii 1719.* §.: *Caeterum cor. Corio.*

Et quamvis ex libro matrimoniorum archipresbyteralis ecclesiae Cattiniani resultet, matrimonium praevia licentia Vicarii Murronensis fuisse celebratum, censet nihilominus, id evenire potuisse ex oscitantia vel etiam ex eo, quod Archipresbyter Cattiniani existimaverit, necessarium non fuisse licentiam parochi hebdomadarii Cathedralis Theatinae in suis libris referre. Idque eo magis existimandum esse, quia praesumi non debet, Archipresbyterum Cattiniani personas sibi non subditas matrimonio jungere voluisse nec alia ratione puellae pater licentiam Vicarii generalis Theatini et parochi hebdomadarii requisivit, nisi ut matrimonium coram eodem Archipresbytero rite posset celebrari.

Caeterum, quatenus etiam Archipresbytero Cattiniani non innotuisset delegationis licentia, non ideo tamen ex hoc capite matrimonium irritum esse concludit, cum defectus scientiae delegationis sit quid extrinsecum, quod actus nullitatem non inducit, *Piton. discep. eccles. 71. n. 3. et seq. part. 3; Card. de Luca in oper. de pension. impress. post tract. de statut. success. cap. 17. n. 9.* Denique observat, Archipresbyterum Cattiniani obiisse absque

*) Vd. *Causae matrimonial.* (judicii modus).

eo, quod priorem depositionem datam parocho hebdomadario Cathedralis Theatinae retractaverit; atque ex hoc illius veritatem magis magisque desumi.

De dispensatione super matrimonio rato et non consummato nihil agendum censet matrimonii defensor, cum hujusmodi inspectio sit a proposito dubio prorsus aliena.

Plura sane hac de causa relata fuerunt in folio diei 19. Martii anni praeteriti, quod opportune resumi poterit. In eo autem, quidquid deductum ab utraque parte fuerat, fusius recensetur, et nonnulla etiam pro munere meo animadverti, quae ad rem conferre posse existimavi. Nil itaque addendum censeo, ut eminentissimi patres, perpensis juribus hinc inde adductis, sapientissimum edant de matrimonio judicium. Archiepiscopus Theatinus, qui mandata sacrae Congregationis adamussim fuit exequutus, his verbis suam relationem concludit: »Candide fateor, majoris ponderis videri momenta adducta pro nullitate quam pro matrimonii validitate. Nihilominus tutissimam censeo in re tam gravi inire viam, consulendum scilicet Sanctissimo Domino Nostro pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, attentis praesertim gravissimis sponsos inter subortis inimicitiis.« Post haec definiendum erit:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 8. et 29. Aug. 1772.

Continuatio Theatina.

Hujusce resolutionis confirmationem efflagitat Ducisa Anna Maria iisdem innixa rationibus et documentis, quae semel atque iterum deduxit. Verum matrimonii defensor denuo animadvertit, coactionem metumque non aliunde desumi, quam ex testibus, quorum aliqui tanquam consanguinei vel affines aut intrinseci familiares non merentur attendi, *cap.: Literis testib. quaest. 6. num. 160*, alii vero tamquam infimae conditionis despiciendi sunt in re gravissima, quae testes requirit omni exceptione majores, *cap.: Super eo qui cognov. consang.*; praesertim quia inverisimilia deponunt, cum praesumi non possit, amantissimum patrem ad invitas nuptias cogere voluisse unicam filiam, quam summopere diligebat. Atque insuper, quia testium dictis adversantur geminae voluntatis explorationes factae ab Archiepiscopo et Vicario generali Theatino, qui retulerunt, invenisse Ducissam Annam Mariam paratam ad contrahendum sponte propriaque electione matrimonium cum Duce de N., non autem vel minis et violentiis aut blanditiis commotam.

Atque haec quoad coactionem. Quo vero ad defectum legitimae aetatis observat, hujusmodi defectum non inducere impedimentum simplex et absolutum sed conditionatum, quatenus scilicet malitia non suppleat aetatem, *cap.: De illis desponsat. Impuber.* In praesenti autem casu Ducissae Annae Mariae aetatem malitia seu disertione suppletam deprehendi tum ex relatione Archiepiscopi, qui ait: »Oltre gl' altri obblighi conjugali, lo che tutto intende e conosce pienamente, rilevasi la di lei giusta capacità e malizia conveniente sù tal proposito, coll' inclinazione di passare all' ultimazione del matrimonio«, tum ex relatione Vicarii generalis, qui testatus est: »Sapeva benissimo, che cosa era matrimonio, e che era pronta a congiungersi in matimonio col detto Signor Duca de N.« Sustinet autem, hac in re standum esse judicio Ordinarii, *Fagnan. in citat. cap.: De illis desponsat. impuber. n. 47; Peret. de matrim. disp. 37. sect. 12. n. 7; Covarr. de sponsat. par. 2. cap. 5. n. 5.* E conspectu itaque relationis Archiepiscopi Theatini ejusque Vicarii generalis rejiciendos esse dicit testes, qui Ducissam Annam Mariam inhabilem ad matrimonium asseruerunt, cum eorum aliqui de auditu deposuerint vel ab ipsa Ducissa vel ab ejus matre, nec matrimonii tempus percutiant, alii vero nullam sibi vindicent fidem, vel quia affines ac familiares, vel quia fassi sunt matrimonii dissolutionem summopere optare, *Rota decis. 179. num. 10. coram Peutinger, et in recent. dec. 118. num. 1. par. 16., et dec. 395. num. 17. par. 17,* alii demum sunt omnino posthabendi, tum quia de mendacio convincuntur, tum etiam, quia mulier apta esse potest ad matrimonium, etiamsi consueta sexus incommoda non patiatur, *Vansuiten. commentar. in aphor. Boeravii tom. 2.* §. *1284*, cum sufficiat, ut membra ad venerationem destinata sint rite constructa partesque ordinatim dispositae, *Astrucc. de morb. mulier. tom. 2. cap. 6; Marinell. in comment. ad libros Hipocratis. comment. 3.*

Quamvis autem ad dignoscendam mulieris capacitatem adhibiti non fuerunt periti,

contendit nihilominus nullimodo ad id requiri testium ac peritorum depositiones, quod inverecundum foret et in maximum puellarum ludibrium vergeret, sed Ordinarii testimonium sufficere, maxime quia Ordinarius non de rudimentis fidei Ducissam interrogavit, sed semper de matrimonii essentia et obligationibus illam exploravit; idque peregit etiam Vicarius generalis, quia ab ea requisivit *se sapeva, cosa era matrimonio, ed altro*: quae quidem verba ad cognitionem substantiae matrimonii referri debent.

Progreditur tandem ad tertium nullitatis caput a deficientia proprii parochi desumptum ac praemittit, ex dispositione *concilii Tridentini sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* licere cuique parocho multoque magis Episcopo aut Vicario generali facultatem alteri sacerdoti concedere assistendi matrimonio, *Pax Jordan. elucubr. canon. tom. 1. lib. 3. tit. de matrimon. num. 67; Panimoll. decis. 19. annot. 1. num. 23. et seq.; Rota decis. 269. num. 45. et seq. coram san. mem. Clemente XIII.* Et hanc facultatem concedi posse, etiamsi matrimonium ineundum sit extra limites propriae jurisdictionis, *Barbos. de offic. et potest. Episcop. allegat. 32. num. 114, et de potest. paroch. part. 2. cap. 4. num. 31. et 60*, cum jus concedendi hujusmodi facultatem sit actus jurisdictionis voluntariae, qui ubique potest exerceri, *Clericat. de sacram. matrimon. decis. 35. num. 12; Guttier. de matrim. cap. 62. num. 16.* Ex his infert, matrimonium fuisse rite contractum coram Archipresbytero Cattiniani, qui matrimonio adstitit vigore facultatis eidem tributae a Vicario generali et parocho hebdomadali Cathedralis ecclesiae Theatinae. Inverosimile autem omnino esse dicit, quod hujusmodi licentia eidem Archipresbytero exhibita non fuerit, cum praesumi non possit ipsum matrimonio assistere voluisse absque eo, quod de facultate sibi tributa constitisset, idque excludi prorsus affirmat ex testimonio ejusdem Archipresbyteri, qui matrimonio adstitisse testatus est vigore delegationis a Duce de N. ipsi exhibitae et a curia archiepiscopali expeditae. Caeterum sustinet ad matrimonii validitatem necessariam non fuisse licentiae exhibitionem, *Zoes. in decret. lib. 4. de sponsal. et matrim. cap. 3. §. 62. num. 303; Capon. disceptat. forens. 159. num. 13*, cum satis sit, ut de veritate mandati aliunde constet. Atque hinc nihil officere, quod memoratus Archipresbyter tantummodo in suo parochiali codice retulerit licentiam sibi tributam ab Abbate Marronenii, cui suberat, nam quoties de matrimonii validitate constat, nil refert, licentiam Vicarii generalis Theatini et parochi hebdomadalis in parochialibus libris transscriptam non reperiri.

Haec sunt, quae matrimonii defensor iterum pro suo munere animadvertenda proponit. Si quae vero notatu digna visa fuerint, jam alias exposita comperiuntur in istius causae foliis, dierum scilicet *die 16. Martii 1771 et 8. Augusti 1772*, quae ab Emis PP. opportune resumi nunc poterunt, ut definiant:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 23. Jan. 1775.

b) Aetas ad matrim. contrah. ex parte viri.

Vd. Aetas ad matrim. contr. ex parte mulieris, § *Quam etc. p. 329; ibid. n. e.*

c) Aetas ad matr. contrah. ex parte mulieris.

Vd. *p. 329. n. e. et f.*

Mulier annorum duodecim completorum esse debet, ex dispositione tum juris civilis, *L. In sponsalibus 14. despons., L. Falsus 11. §. 3.*, tum juris canonici, *cap. Continebatur, cap.: Attestationes, cap.: Ex literis*, et *cap.: Ubi non est de desponsat. impuber.*, cum ea requiratur aetas, quae secum ferat discretionem ad consensum explicandum et aptitudinem ad generandum, *Gonzalez in cap. 2. n. 7. de despons. impub..; Barbosa in cap. fin. n. 3. et 5. eod. tit.; Reiffenst. lib. 4. tit. 2. eod. tit. sub n. 6.*

Defuisse asserit procurator in Anna Maria legitimam aetatem, quae debet esse completa, *Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 104. n. 11.; Pont. eod. tract. lib. 7. quaest. 65. n. 1; Leuren. in jus eccles. lib. 4. tit. 2. quaest. 137.* Defuisse discretionem quoque et cognitionem, cum inter pueriles nugas tam ante quam post matrimonium versaretur. Defuisse etiam aptitudinem corporis, quod erat admodum exile ac delicatum. Ex his putat aperte excludi aptitudinem ad matrimonium; nam ea ob aetatis defectum praesumi non potest, sed concludenter probari debet, *Fagnan. in cap.: De illis 2. n. 20. et seq. de despons. impuber.; Leuren. loc. cit. n. 3; Strich. jurid. dissert. disputat. 6. cap. 2. n. 10.* Maxime

quia praematurum matrimonium nunquam fuit consummatum, idque deprehendi ex utriusque conjugis juramento et confirmatione septimae manus propinquorum atque ex iterata corporis inspectione anni 1761 et 1769 ab obstetricibus facta.

Die 16. Martii 1771. *Theatina.*

Tam in jure canonico *cap.: Continebatur, cap.: Attestationes, cap.: Ex illis de desponsat. impuber.*, quam in jure civili, *Leg. in sponsalibus 14. ff. de spons. Leg. Falsus. 11. §. 3. ff. quod falso tut.* constituta est aetas pro nuptiis celebrandis eaque in faeminis annorum duodecim completorum, in maribus vero annorum quatuordecim est praestituta, quia in ea aetate pubertas praesumitur; certum tamen est, quandoque contingere, ut etiam ante hanc aetatem naturalis pubertas superacedat, pro qua non aliud requiritur, quam mentis discretio, aptitudo ad copulam. *In cap.: Puberes 3. de desponsat. impuber.* legitur: »Quidam autem ex annis pubertatem existimant, idest, eum puberem esse, qui quatuordecim annos explevit, quamvis tardissime pubescat; certum tamen est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit ut generare jam possit.« *Et in cap.: De illis autem eod. tit.* Alexander III. sic respondit Januensi Archiepiscopo: »De illis autem, qui in minori aetate despensantur, traduntur et conjuguntur et processu temporis divortium postulant, minorem allegantes aetatem . . . respondemus, quod, si ita fuerint aetati proximi, quod potuerint copula carnali conjugi, minoris aetatis intuitu non debent invicem separari, si unus in alium visus fuerit consensisse, cum aetatem videatur supplevisse malitia.« Hinc egregie monet *doctor angelicus in 4. distinct. 27. quaest. 2. art. 2. ad 3:* »Tempore contractus matrimonii non solum requiri dispositionem ex parte corporis, ut sit tempus aptum generationi.«

(Ex resol. eadem.)

Vd. *Matrimonium* (*nullitas constat* defectus libertatis etc., decr.: *Continuatio Theatina §.: E conspectus etc.*)

d) Cognitio Episcopi.

Ad dignoscendam pubertatem necessarios esse testes, medicorum relationes et confectiones processus, cum ejus cognitio et verificatio ab uno Ordinarii judicio et relatione pendere debet; *Sanchez de matrim. lib. 6. disputat. 104. n. 29; Perez de matrim. lib. 6. disputat. 37. sect. 137, sect. 12. n. 7; Covaruv. de sponsal. par. 2. cap. 5. n. 5.*

Die 16. Mart. 1771. *Theatina.*

e) Quae?

Vd. *p. 328. c.*

Aetas requisita et sufficiens ad matrimonium est aetas pubertatis, scilicet aetas 12 annorum in foeminis, et 14 in masculis, nisi malitia suppleat aetatem, *princ. Instit. de nupt. et leg. 4. ff. de actu nupt., cap.: Puberes 3, cap. Attestationes 10. et cap. fin. de desponsat. impuber.* Et haec aetas debet esse completa in utrisque, *cap.: Ex literis de desponsat. impub.*

Pubertatem pro matrimonio contrahendo consistere in aptitudine ad generandum et in discretione, *cap.: De illis 9. de desponsat. impuber.*, ibique *Fagnan. num. 2. 19. 42 et 47; Ursaya disceptat. eccles. num. 5. part. 2. discept. 17. num. 7.*

Die 16. Mart. 1771. *Theatina.*

f) Vetita.

Bened. PP. XIV. de ritibus etc. in regnis Madurensi etc.

Indiar. Oriental.

Cum moris hujus regionis sit, ut infantes sex vel septem annorum, interdum etiam in teneriori aetate, ex genitorum consensu, matrimonium indissolubile de praesenti contrahant per impositionem Tally seu aurea tesserae nuptialis, uxoris collo pensilis, missionariis mandamus, ne hujusmodi irrita matrimonia inter christianos fieri permittant. nec sponsos sic conjunctos cohabitare sinant, donec completa legitima aetate et explorato eorum consensu in faciem ecclesia, juxta formam a sacro concilio Tridentino praescriptam, verum et canonicum matrimonium contraxerint. Et quoniam apud peritiores impiae illius religionis sectatores Tally praesefert imaginem, licet informem, Pulleyaris sive Pyllajaris, idoli nuptialibus caeremoniis praepositi, cumque dedeceat christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum matrimonii, districte prohibemus, ne inposterum audeant Tally cum hac effigie collo appendere; et ne uxores innuptae videantur, poterunt uti alio Tally vel sanctissimae crucis vel Domini Nostri Jesu Christi vel bea-

tissimae Virginis vel alia quavis religiosa imagine ornato, et cum superstitione non careat funiculus centum et octo filis compositus et croceo succo delinitus, quo plerique dictum Tally appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum et unctionem.

Die 12. Sept. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 400.)

Ad dub. Episcoporum Madurensium etc. *An et quomodo praedictum decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis: »Cum moris hujusmodi regionis sit.«?*

Eminentissimi dixerunt: »Exequendum esse decretum eminentissimi de Tournon, cum declaratione tamen: Servandam esse formam pro matrimoniis a sac. concilio Tridentino praescriptam in locis, in quibus decretum dicti concilii in *cap. I. sess. 24 de reform.* matrim. publicatum est et imposterum publicabitur neque ejus observantia sit impossibilis, et missionarii curent, quantum fieri potest, ut in omnibus locis missionum illarum partium dictum decretum concilii publicetur.«

Die ut supra.

14) Ad Missam audiendam.

Aetas, qua pueri et puellae obligantur ad audiendam missam et ad abstinendum a carnibus, regulariter est pariter septennium completum, quia tunc praesumuntur habere sufficientem usum rationis, septennio enim completo habent tantum usum rationis, ut sufficiat in utrisque ad contrahenda sponsalia, *ex cit. cap.: Literas 4, cap.: Accessit 5. et cap.: Ad dissolvendum 13. de desponsatione impuberum*, et sic tenent magis communiter doctores cum *Sanchez, Azorio, Bonacina, Torn., Bass. et* aliis multis.

15) Ad Ordinationem.

Vd. *Poenitentiaria ap.* (facult. et except. — constit. Pii IV. diei 4. Maji 1563 §. 23); *Aetas pro Canonicatu* etc. p. 219; *Beneficiatus* (sacerdotio nondum etc.); *Aetas* (pro tonsura etc. *p. 332. n. 24.*)

Pro *subdiaconatu* sunt anni 22, pro diaconatu 23, pro *presbyteratu* 25 ex *Tridentino sess. 23. de reformat. c. 12*, ubi habet praecisa haec verba: *Nullus inposterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur.* Qui anni requisiti a Tridentino pro his tribus ss. ordinibus sufficiunt incoepti, ut tenet communis doctorum et in praxi receptum est cum *Glossa in Clement. ult. hoc titulo.*

Cum annus designatus ad susceptionem cujuscumque ordinis incoeptus habetur pro completo, non licet ordinem suscipere in mane diei, in cujus vespere quis complet aetatem requisitam, quia non dicitur annum attigisse sequentem, qui antecedentem etiam unius horae spatio nondum compleverit. Id probabilius adfirmat *La Croix n. 2309; Navar., Vill., Marchad., Pasqual.* et *Narbona*, quibus accedit *d. Alphons. 1. 6. n. 800.*

In supputanda ordinandorum aetate dies anni bissextilis non potest excludi juxta communiorem et veraciorem sententiam. *Bon. d. 8. q. unic. p. 5. n. 14; Sanch. de matr. d. 24. n. 22; Escobar., Diana* aliique plures cum *d. Alphonso.* Etenim anni ad ordinis cujuscumque susceptionem requisiti supputandi juxta consuetudinem ecclesiae statuentis, de quatuor in quatuor annos propter horas in quolibet anno superextantes, diem unum addi.

Lex ordinandorum aetatem praescribens aequo pollet vigore in latina et in graeca ecclesia. *(Bened. XIV. constit. Etsi pastoralis §. 7.)*

16) Novitiorum recipiendor.

Ad receptionem novitiorum non est aliqua aetas jure communi requisita, imo *ex cap.: Nullius, de temp. in ord. 6.* colligitur etiam in infantili aetate posse novitios ad habitum admitti. Ex decreto tamen sac. Congr. Episcopor. et Regular. *1. Martii 1608* novitia recipi non potest causa induendi habitum professionis in religione, nisi duodecim annis sit major, sicuti nec etiam novitius recipi potest, nisi habeat saltem annos duodecim, ex decreto sac. Cong. Conc. *20. Martii 1621.*

Vide verb.: *Moniales, Novitii* et verb.: *Annus probationis seu novitiatus*, ubi afferuntur decreta, quibus aetas pro recipiendis in novitios et novitias definitur.

17) Pro Papatu.

Pro Papatu nulla certa aetas reperitur constituta, cum etiam adolescentas et juvenes fuerint interdum ad pontificatum assumpti, ut Benedictus IX. decem annorum puer, uti testantur Graveson *histor. ecclesiast. tom. 4. fol. 89.* primae impressionis romanae, *Vincentius Fuga notitiae orbis sacri et profani fol. 187* et alii. Joannes XI. tertio et vigesimo anno vix expleto, uti refert dict. *Vincentius Fuga loc. cit. fol. 180*, seu viginti quatuor annos natus, ut scribit *Berninus in historia omnium haeresum tom. 2. saeculo X. cap. unic. fol. 187.* et alii; Joannes XII. vix natus annos duodeviginti, uti tradunt dict. *Graveson. loc. cit. fol. 71; dict. Vincentius Fuga loc. cit. n. 180.* et alii. Vide verb. *Papa.* Ex cap. tamen: *»Indecorum 3. de aetate et qualitate praefiendor,«* potest deduci, quod sicut in aliis eligendis, ita, imo a fortiori, in ipso requiratur aetatis maturitas, quia dixit canon.: *Indecorum est, ut hi debeant ecclesias regere, qui non noverunt gubernare se ipsos, cum ad ecclesiarum regimen tales personae sint admittendae, quae discretione praeemineant et morum fulgeant honestate.*

18) Pro Patrinis.

Aetas requisita et sufficiens pro patrinis baptismi et confirmationis est aetas usus rationis septennii; nec refert, an patrinus sit minoris aetatis quam baptizatus et confirmatus, quia nullo praecepto seu canone requiritur, ut sit majoris aetatis, ut tenet *Barbosa de offic. et potest. Episcop. alligat. 30. num. 39; Ledesma, Sayr, Gobat* et alii passim.

19) Ad Peccatum mortale committend.

Vd. *p. 312. n. 8.*

Aetas sufficiens ad peccatum mortale regulariter est septennium, in ipso enim septennio regulariter dicitur quisque perventus ad annos discretionis, a quibus incipit obligatio confessionis sacramentalis; *cap.: Omnis utriusque, de poenit. et remiss.*, ubi habentur praecisa verba: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua peccata semel in anno confiteatur proprio sacerdoti.*

20) Probatio.

Aliquando multum interest probare diem nativitatis alicujus. De eo autem quaeritur: an is probari possit ex libris baptismi, in quibus adnotatus sit. Multi in ea sunt sententia probari posse. At contrarium tenet *Bohemer. in decretal. lib. 3. tit. 22. §. 2. in jure parochial. sect. 4. cap. 1. §. 30; et rursus in animadvers. ad instit.; Fleur. part. 2. cap. 6. §. 10. lit. I., Capyc. Latro decis. 166. num. 52;* Rota *in Tullen. Coadjutoriae 13. Junii 1630, §. secundo idem objectum coram Normann. impressa apud Alphons. de Leon. de offic. capellan. q. 4. s. 6.* Idemque videtur fuisse sensus sac. Cong. Conc. interpretis *in Perusina Restitutionis in integrum 1. Augusti 1750*, in qua petita nullitate professionis eo sub motivo, quod perpensis die natali adnotato in libro baptismorum et die professionis adnotato in regestis ejusdem deficiebant aliquot horae ad justam aetatem professi, sac. Congregatio censuit defectum paucarum horarum utique sufficere ad nullitatem professionis, at non probari diem natalem ex libro baptismorum. Libri enim baptismorum, ubi ad praescriptum concil. Trident. *sess. 24. cap. 2. de reform.* conscripti et conservati sunt, probant utique baptismum, compaternitatem et alia, quae coram parochis vi proprii officii geruntur; nequaquam vero attendi possunt circa aetatem et similia, quae parochi ex aliorum relatione habent et quorum cognitio ad officium ipsorum parochorum minime pertinet.

Aetas probatur testimonio parentum, consanguineorum et aliorum domesticorum *(Mascard. de probat. concl 668. vol. 2.)* Patris solummodo vel matris testimonium semiplenam faciunt probationem *(Barbos. in cap.: Super eo 2. de testibus; Cyriac. contr. 371; Innoc. in cap.: In literis de testib.)*, quae probatio fit plena, si pleno parentum testimonio quodvis accedat argumentum, *(Socin. Sen. cons. 19. n. 17. lib. 1; Soci. jur. cons. 3. lib. 2. 10.)* excepto casu, in quo pater vel mater litem in filium inferat, quia susceptum parentum testimonium evadit *(Bald. cons. 19. lib. 5; Mascard. d. cons. 668. n. 16.* apud *Menoc. de praesumpt. lib. 2. n. 26. et 27.)* et excepto casu, quando agatur de gravi praejudicio tertii, tunc praeter parentum testimonium et quodvis aliud adminiculum majora requiruntur argumenta ad probationem plenam aetatis, *(Bal. in L. un. col. 3 in secunda oppositione C. de confessis; Abb. in cap. 2; Felin. in cap. literas col. 3. vers.* primus est de praesumptione).

Probatur aetas ex libro parochi *(Mascard. de prob. concl. 672. n. 18; Gratian. discept. for. c. 155. n. 14.)*

Si denique desit testimonium parentum et libri parochialis, probari potest aetas indiciis, conjecturis et per testes de auditu *(Mascar. loc. cit. concl. 675; Cyriac. contr. for. contr. 371; Antonell.* aliique).

21) Ad Profession. regul. emittend.

Vd.: *Votum.*

Aetas requisita ad professionem regularem est aetas sexdecim annorum completorum tam virorum quam mulierum in quacumque religione, conc. Trid. *sess. 25. de Regular. et Monial. cap. 75,* ubi habet praecisa verba: *In quacumque religione tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum.*

22) Ad Sponsalia contrahendum.

Aetas requisita et sufficiens ad sponsalia est septennium completum tam in masculis quam in foeminis, *cap.: Literas 4, cap. accessit. 5. et cap.: Ad dissolvendum 13. de dispens. impub.*

23) Superiorum regular.

Aetas requisita ad generalatum, provincialatum, abbatiatum caeterasque similes dignitates jurisdictione quasi episcopali gaudentes de jure communi est aetas 30 annorum completorum, colligitur *ex cap.: Cum in cunctis de election.*, et sic decisum fuisse a sacra Cong. Conc. referunt *Riccius in praxi fori ecclesiastici resolut. 56. part. 4; Joann. Maria Novarius in lucerna regular. verb.: Actas,* et alii. De jure autem particulari et municipali attendendae sunt constitutiones cujusque religionis, cum variae varia disponant de aetate requisita ad omnes respective praelaturas, dignitates et officia ordinis.

24) Pro Tonsura et minoribus ordinib. suscipiendis.

Vd. *p. 330. n. 15.*

Aetas requisita pro tonsura et primis tribus minoribus, ostiariatu scilicet, lectoratu et exorcistatu, sunt anni septem completi, *cap.: In singulis dist. 77;* pro acolythatu sunt anni 12 completi, *ex cit. cap.: In singulis,* et colligitur *ex text. et Gloss. in cap. de iis dist. 28., et cap.: Cum nullus, de temporib. ordin. l. 6.*

Cum annus designatus ad susceptionem cujuscumque ordinis incoeptus habetur pro completo, non licet ordinem suscipere in mane diei, in cujus vespere quis complet aetatem requisitam, quia non dicitur annum attigisse sequentem, qui antecedentem etiam unius horae spatio nondum compleverit. Id probabilius adfirmat *La Croix n. 2309, Navar., Vill., Marchad., Pasqual.* et *Narbona,* quibus accedit *d. Alphons. 1. 6. n. 800.*

In supputanda ordinandorum aetate dies anni bissextilis non potest excludi juxta communiorem et veraciorem sententiam, *Bon. d. 8. q. unic. p. 5. n. 14; Sanch. de matr. d. 24. n. 22; Escobar., Diana* aliique plures cum *d. Alphonso.* Etenim anni ad ordinis cujuscumque susceptionem requisiti supputandi juxta consuetudinem ecclesiae statuentis de quatuor in quatuor annos propter horas in quolibet anno superextantes diem unum addi.

Lex ordinandorum aetatem praescribens aequo pollet vigore in latina et in graeca ecclesia. *(Bened. XIV. constit. Etsi pastoralis* §. *7.)*

Affectio Beneficii.

Vd.: *Beneficium* (reserv. a Papa per appos. manus; reservat. et affect. differentia); *Beneficium affectum.*

Affiliatio.

1) Fratrum minorum et reformatorum.

Quoad fratres minores de observantia et reformatos, qui non habent filiationes conventuales, pro incorporatione eorundem in aliena provincia diversa ab illa, in qua professionem emiserunt, habetur in suis generalibus constitutionibus statutum, ut sequitur: »Nemini liceat in aliena incorporari provincia nisi nativus fuerit ejusdem et tunc de utriusque provinciae capitulari consensu et postquam incorporandus in illa provincia biennio saltem commoratus fuerit, incorporetur, nisi Superiori generali aliter visum fuerit, declarantes, quod corporatus locum et praecedentiam non a die habitus sed a die incorporationis obtineat.

Ordinatur, quod nullus inferior Generalibus valeat incorporare quempiam fratrum in aliena provincia, nisi conformiter ad ea, quae in statutis generalibus sunt ordinata, sed neque ad hunc effectum incorporandi sufficiat auctoritas, quae visitatoribus datur, quamvis in forma data sit amplissima et cum potestatis plenitudine.

Tollitur auctoritas ministri Poloniae incorporandi fratres unius illarum provinciarum in aliam sub poena privationis mandantibus et recipientibus. Sic ad literam in *compilatione statutorum Sambucae cap. 2.* §. *8. n. 31, 32 et 33.*

Pro provincia Albanae in Congregatione generali celebrata Romae die 20. Mart. 1679 statutum fuit, ut infra: Si quis frater ejusdem provinciae in alia incorporetur, perpetuo privatus sit actibus legitimis; nec possit institui lector aut praedicator. De his vero, qui in alienis provinciis jam incorporati sunt, reverendis. Pater commissarius generalis informationem capiat de modo, quo fuerunt incorporati, et si ipsos non legitime incorporatos inveniat, statim excorporatos declaret et ad propriam provinciam remittat. Rogat autem definitorium generale reverendissimos patres ministrum et commissarium generalem, ne inposterum aliquem praefatae provinciae religiosorum auctoritate propria in alia incorporent, cum adeo in propria pro ejusdem conservatione et animarum salute necessarii sint.

In capitulo septuagesimo tertio generali celebrato Romae 1. Junii 1664 habetur provisum, ut infra, quoad revertentes ad propriam provinciam, postquam fuerunt incorporati in alia; *ibi n. 14.* statuitur, quod de novo revertentes ad propriam provinciam in aliena incorporati non gaudeant praecedentia, nisi a die novae receptionis et incorporationis subeantque taxatam per constitutionem generalem Segoviensem, videlicet:

Quicumque in alia provincia incorporatus ad suam reverti impetraverat, in suae mobilitatis poenam non recipiatur, nisi per bimestre caparonem portaverit, si autem de mandato praelatorum pro utilitate suae provinciae ad instantiam maxime patrum ejusdem provinciae reverterit, nulla afficiatur poena. *Chronolog. Ordin. tit. de incorpor. p. 662. col. 2; Theatrum Regul. verb.: Incorporatio.*

Pro aliis autem religionibus seu congregationibus non habentibus filiationes conventuales attendendae sunt quoad hoc propriae cujusque constitutiones.

2) Religiosi.

a) Causae.

S. Congr. Episc. et Regul. in causis affiliationum solet prae oculis habere bonas qualitates religiosi affiliati, quo casu, etiamsi aliqua concurrat nullitas vel solemnitatis defectus, solet illas sanare vel per se ipsam, quando illius facultates ad id se extendunt, vel rescribere ad D. secretarium cum Sanctissimo pro sanatione, quando agitur de defectu, qui summi Pontificis auctoritate sanari et suppleri debet, ut practitavit ead. s. Congr. in *Quiten. 24. April. 1693* ponente eminentissimo Nigrono mediante rescripto: Cum Sanctissimo pro sanatione capituli cum omnibus inde secutis, confirmato die 21. Aug. ejusdem anni ad relationem eminentissimi Mariscotti. Nec solet s. Congr. attendere praetensas et objectas violentias et metus, quibus ab adversariis interdum asseritur procurata affiliatio, ut practicavit in *Neapolitana Affiliationis 11. April. 1704,* in qua ead. s. Congr. nedum attendere noluit affectatas attestationes et depositiones aliquorum religiosorum, sed nec etiam relationem patris procuratoris generalis circa praetensas violentias

et metum, quibus asserebatur procurata affiliatio.

b) Dispensatio a Requisitis.

Quamvis juxta affiliationis naturam concurrere semper debeat consensus conventus, a quo et ad quem, ex particularibus tamen facti circumstantiis s. Congr. Episc. et Reg. aliquando dispensavit *die 24. April. 1705* cum quatuor religiosis conventualibus, qui affiliati fuerunt conventui s. Mariae Gratiarum Albani, cum sequenti tamen clausula: Ita tamen, ut omnia bona et eleemosynae ab omnibus quomodocumque acquisitae primo conventui incorporatae intelligantur. Et die *20. Jan. 1719 in una Neapolitana* favore Baccalaurei Anselmi Viani conventualis respondit: Pro gratia affiliationis cum derogatione consensus religiosorum conventus a quo et ad quem, ut patet ex decreto sequentis tenoris:

Sacra Congregatio etc. attentis relationibus P. Vicarii generalis ordinis, ac itidem attentis specialibus circumstantiis et rationibus benigne remisit arbitrio ejusdem Vicarii generalis, ut oratorem affiliet in praefato conventu, non obstante defectu consensuum conventus a quo et ad quem, ita tamen, ut jura quaesita primo dicto conventui integra et illabata remaneant, non obstante etc. Romae 20. Jan. 1719.

Attenta facultate nobis concessa aggregamus in filium conventus nostri s. Antonii extra portam Medinam Neapolis patrem Baccalaureum Anselmum Viani sacerdotem non obstante defectu consensus amborum conventuum, a quo scilicet et ad quem, remanente tamen integro ac illibato jure acquisito omnium bonorum conventui a quo juxta decretum ejusdem s. Congregationis, non obstantibus etc. Fr. Joseph Baldrati Vicarius generalis.

Non acquiescentibus autem oppositoribus reposita causa die 12. Martii 1719 rescriptum fuit: Pro omnimoda executione decreti Vicarii generalis et amplius causa non proponatur. Idemque practicatum fuit ab ead. s. Congregat. Episc. et Regular. *anno 1687 in una Florentina* ad instantiam conventus sanctae crucis Florentinae; quae resolutio in publica forma adducta fuit in dicta *Neapolitana anno 1719.*

Advertendum tamen hic est, quod similes resolutiones s. Congr. ex particularibus facti circumstantiis in uno vel altero casu editae non sunt generaliter servandae nec faciunt statum pro omnibus aliis casibus, in quibus eaedem circumstantiae non concurrant, ut distinguendo observat *Rota in Hispalens. Juris votandi 4. Febr. 1697 §. distinguentes, coram Cardin. Caprara*, ibi: Declaratio ipsa sacrae Congregationis facit legem generalem ubique servandam, nisi super specialitate alicujus casus fuerit consulta: *Sic Ursaya t. 3. part. 2. disp. 16. num. 306 et lib. 1. tit. 10. §. 4 instit. crim. n. 149. et seq.* cum multis aliis ibi citatis.

c) Religiosi votantes.

Vd. p. 335. e.

An affiliationes fieri debeant votantibus etiam illis religiosis, veris quidem filiis illius conventus, in quo fiunt, sed in aliis conventibus religionis a Superioribus legitime collocatis, vel a solis religiosis commorantibus de familia in conventu, in quo fiunt, sive sint illius filii, sive non, variant doctores et varie saepius respondit s. Congr. Episc. et Regul. juxta diversas circumstantias personarum, locorum, temporum et hujusmodi. *In Eugubina enim 29. Martii et 27. April. 1703* ponente Emin. Tanara nedum admissa fuit pro valida aggregatio Patris Pagnini Lucensis ad monasterium s. Petri Eugubii congregationis Olivetanae, sed ulterius in concursu verorum filiorum ejusdem monasterii praelationem obtinuit ob abbatiam tunc vacantem, non obstante, quod aggregatio facta fuisset cum solo consensu et praesentia duorum ex 14 religiosis veris filiis ejusdem monasterii, quorum 12 tempore aggregationis moram faciebant in aliis monasteriis religionis. Et in *Neapolit. Affiliationis 11. April. 1704* ad relationem eminentissimi Gabrieli, in cujus terminis major pars religiosorum conventus s. Antonii extra portam Medinam Neapolis ordinis minorum Conventualium S. P. N. Francisci, cui facta fuit affiliatio P. Magistri Bonaventurae de Nicolao, moram faciebat in diversis conventibus religionibus.

d) Religiosorum singulorum.

Vd. supra b.

Quando conventus ex filiatione acquisivit solam spem ad bona professi, professus eam secum transfert in secundum conventum, cujus de novo efficitur filius. *Bordon. resolut. 79. num. 21. Glossa cap. unic. caus. 18. quaest. 1.* Si in religione probatus adsit usus, ut professus de licentia Superiorum habeat aliquot redditus, pensiones, libellos, eos secum transferet quoad usum usque ad suam mortem. *Hurtad. resolut. mor. de resid. sac. lib. 4. resol. 6. subres 4. n. 1 et 2.* Generalem, conventu resistente, non posse bona acquisita professi transferre in secundum conventum tradit *Bordonus loc. cit. n. 26.*

Non idem procedit de transitu ab una religione ad aliam ac de uno conventu in alium, in quo de novo adfiliatur; nam in primo casu, ut quis secum transferat ea, quae habet, ad religionem ad quam transiit, non sufficit consensus religionis *a qua,* sed requiritur beneplacitum apostolicum: in transitu vero de uno conventu in alium sufficit consensus capituli conventus, a quo, cum licentia aut Generalis aut Provincialis. *Hurtad. de congreg. eccles. resol. 2.*

e) Valida quando est?

Vd. p. 334 c.

Affiliatio religiosorum solet frequenter fieri, cum saepe saepius reperiantur religiosi, qui justis de causis eorum Superioribus benevisis affiliantur conventibus seu monasteriis aut provinciis diversis ab illis, in quibus professionem emiserunt, quae professio operatur veram religiosam filiationem. Ad hoc ut hujusmodi affiliatio sit valida, tria concurrere debent, scilicet licentia Superioris, consensus religiosorum illius conventus, cujus erat filius, et similis consensus religiosorum alterius conventus, in quo fit affiliatio, ut notat *Fontan. ad const. ord. praed. verb. affiliationes num. 4; Ursaya Instit. crim. l. 4. tit. 7. num. 93.*

In una Dominicanorum die 26. Nov. 1706 s. Congr. Episc. et Regular. ad validitatem affiliationis per viam legis demandavit, ut infra: In causa provinciae Lombardiae pro Dominicanis. Filiationes et transfiliationes respectu utriusque conventus a quo et ad quem faciendas esse in capitulis conventualibus per secreta suffragia cum interventu duarum ex tribus partibus omnium filiorum, computatis tam praesentibus quam absentibus; absentes vero, quatenus numerus praesentium non ascendat ad duas integras partes respectu omnium, esse omnino exspectandos usque ad complementum dictarum duarum partium ex tribus, sub poena nullitatis quarumcumque affiliationum et transfiliationum hujusmodi. Pro cujus rescripti executione respondit die 13. Martii 1710 pro ejusdem Dominicanis, ibi: Dominicani de Lombardia transfiliationem non sustineri et recedendum esse ad novam propositionem Fr. Campolini, servata forma postremi decreti generalis.

Affinitas.

1) Adestne?

Valentina.

N. vult ducere N., quae nupsit viro, consanguineo N., uxore vivente.

Captus amore Mariae N. honestae formosaeque puellae Josephus N., uxorem licet haberet, liberum tamen se dicens Mariam decepit et cum ea matrimonium contraxit, quod, inde agnita fraude, nullum irritumque declaratum fuit. Decepta vitiataque mulier sese praebuit Francisco N., qui cum Josepho N. secundo et tertio consanguinitatis gradibus conjunctus est: cupiens Franciscus Mariam uxorem ducere preces obtulit sacratissimo principi nostro, quibus postulavit dispensationem ad cauthelam, si forte aliquo detinerentur impedimento, quo matrimonium contrahi non posset. Re delata ad amplissimos patres auditus fuit Archiepiscopus, qui censuit huic matrimonio obstare impedimentum publicae honestatis in secundo et tertio gradu ortum ex matrimonio cum Josepho N. praecedenter a Maria contracto, quod nullum irritumque declaratum fuit non defectu consensus, quo casu nullum contractum fuisset impedimentum, sed ratione vinculi, idque ea ratione probat Archiepiscopus, quod Josephus N. affectum et voluntatem contrahendi matrimonium habere potuerit, quamvis impedimentum dirimens, quo detinebatur, optime sciret, argumento educto ex *cap. 1 de spons in VI. et Clement. unic. de consang.*

Causa nunc proponitur et disputant Maria et Franciscus matrimonium sine ulla dispensatione contrahi posse, cum nullum adsit sive affinitatis sive publicae honestatis impedimentum ex matrimonio contracto inter Mariam et Josephum N., nam illud nullum et irritum fuisse dicendum est non solum ra-

tione vinculi sed etiam defectu consensus, cum Josephus, qui sciebat conjugem suam legitimam vivere, ficte solum et simulate animoque tantum decipiendi Mariam consensum praestitisse dicendum sit; eoque amplius, quod, etsi voluisset secundo matrimonio cum Maria consensum praestare, ne potuisset quidem, cum viva uxore non esset dominus neque facultatem haberet hunc consensum praestandi; cessare vero difficultatem omnem defectu consensus Mariae, sine quo matrimonium consistere non potuit, quod requirebat consensum utriusque contrahentis: defecisse consensum Mariae inficiari non posse; illa enim matrimonium contraxit reputans Josephum esse liberum, neque matrimonium contraxisset, si scivisset uxorem habere: erravit igitur in conditione viri et hic error adimit consensum ab actu ideoque matrimonium defectu consensus Mariae nullum fuit. Haec habent Maria et Franciscus. Spectat ad eminentissimos Patres, quod sequitur, dubium expediri:

An Franciscus et Maria possint absque dispensatione apostolica invicem matrimonium contrahere in casu?

S. C. resp.: Negative et amplius.
Die 15. Apr. 1752.

2) Affinitatem non parit.

Vd. *Affinitas* (genus etc.)

Affinitas non parit affinitatem. Est definitum in conc. generali Lateranensi V. sub Innocentio III. et habetur *cap.: Non debet de consanguinitate et affinitate;* carnaliter enim se cognoscentes contrahunt quidem affinitatem cum alterius respective consanguineis, non autem cum affinibus. Hinc est, quod unus potest successive ducere duas foeminas, quae nupserunt duobus fratribus, duo fratres possunt ducere duas sorores et unus eorum potest ducere matrem et alter filiam, pater et filius possunt ducere matrem et filiam et sic de aliis similibus affinibus, quia ex carnali commixtione fit quidem vir affinis cum consanguineis foeminae et e contra, non tamen consanguinei ipsius viri affines cum consanguineis foeminae et e contra, ut expresse definivit Innocentius III. in *cap.: Quod super, de consanguinitate et affinitate:* »Super eo igitur, quod pater et filius, cum mater et filia, avunculus et nepos cum duabus sororibus contrahunt matrimonium, taliter tibi duximus respondendum, quod licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris et omnes consanguinei uxoris sint viri affines, inter consanguineos tamen uxoris et viri ex eorumdem scilicet viri et uxoris conjugio nulla prorsus est affinitas contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri.

3) Ascendens.

Vd. *Affinitas* (nomina).

Ascendentes dicuntur primo omnes conjugis consanguinei, qui sunt alterius conjugis affines ascendentes, exempli gratia, affines ascendentes sunt uxoris pater, mater, qui vocantur socer et socrus, *l. 4. §. 4. et 6. ff. de gradib.;* uxoris avus et avia, qui dicuntur prosocer sive socer magnus et prosocrus sive socrus magna.

Interdum hi simpliciter socer et socrus nominantur *l. 14. §. 4. de tit. nuptiar.* Reliqui uxoris ascendentes, nimirum illius abavus et abavia, atavus, atavia, tritavus et tritavia in jure specialia nomina neququam, habent, nihilominus ad exemplum cognatorum vocantur absocer et absocrus.

Dicuntur secundo affines ascendentes omnium cognatorum ascendentium conjuges, a quibus quis natus sive procreatus non est, ex. gr., patris uxor secunda ratione liberorum primi matrimonii, quae illis dicitur noverca, *l. 4. ff. de gradib.;* matris secundus maritus ratione liberorum primi matrimoni, a quibus vocatur vitricus, *l. 4. §. 6. ff. de gradib.* Item avi sui uxor, a qua per generationem non descendit, et aviae maritus, a quo quis non descendit per generationem.

4) Causae contrahendi.

Vd. *Affinit* (ex copula illicita).

Ut contrahatur affinitas, debet copula esse perfecta ad generationem prolis sufficiens per seminum commixtionem, taliter, quod, licet virginitatis claustrum frangatur seu penetretur, si tamen extra vas muliebre effunditur, non contrahitur affinitas, *cap.: Lex divina 18. caus. 27. quaest. 2,* ubi Benedictus primus sic ait: Sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit seminis commixtionem; et sic deducitur ex *cap.: Extraordinaria pollutio 11. caus. 35. quaest. 10, et cap.: Porro 3. caus. 35. quaest. 5,* et in praecisis terminis sic habet *s. Thomas in 4. distinct. 41. quaest. unic. art. 1. quaestiun-*

cula 4. ad 2. Quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas. Imo ita dependet affinitas ex seminum commixtione, ut ipsa nec contrahatur ex matrimonio rato nondum consummato, licet ex eodem oriatur impedimentum publicae honestatis, sic *Glossa in cap.: Si quis desponsaverit 27. qu. 2. in fin. cum communi,* et ratio est, quia conjuges per matrimonium ratum et non consummatum non fiunt duo in carne una, cum tales solummodo fiant per carnalem commixtionem et perfectam consummationem, ut expresse habet *s. Thomas in 4. dist. 42. quaest. unica. art. 1. quaestiunc. 4. ad 2.* his verbis: Vir et mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum.

Affinitas contrahitur ex copula perfecte habita cum foemina prorsus invita et renitente et etiam dormiente aut ebria et e contra cum simili viro dormiente, ebrio etc., *cap.: Discretionem 6. de eo, qui cognovit consanguineam;* et ratio est, quia ille coitus, altero autem invito vel dormiente aut ebrio, aptus est secundum se ad generationem, ut in dies experientia demonstrat et clare constat ex facto filiarum *Loth, Genes. c. 19. n. 33. et seqq.,* ubi scriptura testatur duas filias Loth concepisse de patre suo ebrio, licet ille non senserit, nec quando filiae accubuerunt nec quando surrexerunt. Tum quia ad contrahendam affinitatem non requiritur voluntas personarum se invicem carnaliter cognoscentium sed sufficit ipsa carnalis cognitio etiam personae invitae et quantum ex se nolentis, *textu expresso in cit. cap. Discretionem;* sicuti tali ex carnali cognitione vel seminum commixtione oritur unitas inter personas et carnaliter commiscentes, juxta illud *Genes. 2: Erunt duo in carne una; et 1. ad Corinth. 6:* Qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur, ita ex ipsa inter consanguineos foeminae carnaliter cognitae et virum carnaliter cognoscentem, et inter consanguineos viri carnaliter cognoscentis et foeminam carnaliter cognitam oritur affinitas seu impedimentum affinitatis.

5) Collateralis sive transversalis.

Collaterales sive tranversales affines sunt collateralium cognatorum conjuges et conjugum cognati collaterales, v. gr. uxoris affines collaterales sunt mariti sui frater, qui vocatur levir, ejusdem soror, quae vocatur glos, *l. 4. §. 6. ff. de gradib.* et reliqui mariti cognati collaterales, qui specialia nomina in jure non habent. Mariti affines collaterales sunt uxoris fratres et sorores et reliqui cognati collaterales, quibus peculiaria haud sunt nomina. Vicissim uxor est affinis collateralis fratri mariti sui, cui dicitur fratris et fratrissa et omnibus ejus cognatis collateralibus. Item maritus est affinis collateralis uxoris fratribus, quibus dicitur sororius.

6) Ex copula illicita.

(Gradus. Impedim.)

Vd. p. 344. n. 13; p. 353. n. 25.

Dispositionem juris praestat in memoriam EE. PP. revocare. Jus antiquum, quod dirimens impedimentum affinitatis sive ex copula licita, ut *ex cap.: Non debet de consang. et affin.*, ita ex illicita, ut *ex cap.: Discretionem de eo, qui cognov.*, ad quartum gradum extendebat, moderatum fuit a s. concilio Tridentino *sess. 22. cap. 4. de reform. matrim.*, in quo impedimentum hujusmodi ex fornicatione descendens ad primum et secundum gradum tantum cohibuit. Ad contrahendum vero hoc impedimentum affinitatis copula debet esse omnino perfecta, ut definivit Pontifex *Benedict. I. in can. Lex divina 18. caus. 27. quaest. 2*, et docuit *d. Thomas in 4. distinct. quaest. unic. art. 1. quaestiuncul. 4. ad 2.* Super modo vero probandi impedimentum hujusmodi Alexander III. haec sancivit *in cap.: Super eo 22. de test.: Respondemus, quod, si non est firmatum matrimonium esse inter consanguineos, non debent conjungi, si vero est firmatum matrimonium, non debet sine plurium juramento dissolvi, et in cap. 3.: De eo, qui cognov. cons.: De illo, qui uxorem fratris, antequam in matrimonium jungeretur, se proposuit cognovisse, respondemus, quod, nisi hoc publicum et notorium fuerit aut idoneis testibus comprobatum, praedictum matrimonium occasione illa ipsum impetere non permittas.*

Die 17. Aug. 1805. *Senogallien.*

7) Ex copula illicita publica matris sponsae cum subsequenti matrimonio sponsae.

Vd. *Affinit.* (ex fornicat.)

Dispensatio concessa.

Reatina.

(Conc. Tr c. 1. sess 24. de ref.)

Cum die 11. Novembris 1710 ex hac vita migrasset Catharina uxor Amici de N. idem-

que exoptasset ad alia vota transire cum Beatrice de N. terrae s. Anatoliae dioecesis Reatinae, recursum habuit ad sacram Poenitentiariam pro obtinenda dispensatione super impedimento affinitatis ex copula illicita, ex quo antecedenter rem habuerat cum matre praedictae Beatricis, obtentoque consueto brevi non potuit illud executioni demandari propter consuetam clausulam: *Si occultum*, quae apponitur in brevibus dicti tribunalis, copula quippe cum matre Beatricis erat publica et notoria.

Denegata praedicto brevi executione Amicus summo Pontifici pro dispensatione supplicavit per organum Datariae, uti fieri debet, quando impedimentum est publicum, et breve dispensationis obtinuit expeditum die 13. Aprilis 1711, sed nec istud potuit executioni demandari, cum tempore intermedio habita fuerit notitia aliorum duorum impedimentorum impedientium et dirimentium, adulterii videlicet ab ipso commissi cum Beatrice tempore, quo Catharina prima uxor vivebat, cum promissione*) eam ducendi in uxorem post hujus obitum et etiam veneni praedictae primae uxori propinati, ut matrimonium cum memorata Beatrice contrahere posset.

Pertaesus Amicus longioris morae matrimonium de facto contraxit cum Beatrice coram parocho et testibus et cum ea cohabitavit et ab ea tres liberos habuit; cumque admonitus a sacerdote Gregorio della Pezza congregationis piorum operariorum, qui missionem faciebat annis praeteritis in castro s. Anatoliae, de necessaria separatione et de infelici statu animae suae recursum habuerit ad sacram Congregationem Episcoporum et Regularium et ab eadem facta fuerit remissio ad hanc sac. Congregationem, juxta morem datae fuerunt literae ad Episcopum Reatinum pro informatione eidemque fuit etiam injunctum, ut processum compilatum transmitteret; cumque ageretur de homine pauperrimo, qui sumptus suppeditare non poterat pro componendis et exemplandis scripturis et inopportunum et insolvens esse videretur, sacerdotem Gregorium della Pezza pium hujusce negotii sollicitatorem ad aliquid expendendum adigere, operae pretium esse existimatum fuit processum consignare D. Dominico Florello locum tenenti criminalis auditoris camerae, ut ejus restrictum efformaret et suum etiam subderet votum pro veritate.

Transmissa Episcopi relatio et D. Florelli restrictus *in eo, quod attinet ad impedimentum proveniens ex adulterio cum promissione ducendi adulteram in uxorem post obitum verae conjugis tunc viventis*, concordant in hoc, nullam videlicet adesse difficultatem de adulterio commisso, cum Amicus illud ingenue fateatur, *sed difficultatem consistere in promissione ducendi adulteram in uxorem;* promissio haec etenim non innititur nisi cuidam relevationi, quam parochus sibi factam fuisse dixit a Victoria adulterae matre, se videlicet fuisse ab Amico adhuc cum Catharina uxorato requisitam de assensu pro contrahendis ab ipso sponsalibus cum Beatrice filia, sibique reluctanti assensum praestare fuisse ab Amico dictum: *avemo fatto senza di voi, stantechè ci avemo promesso; crepate, e schiappate, noi avemo fatto senza di voi:* cumque eadem Beatricis mater ad examen formale subinde vocata etiam juramento interposito dixerit, se nihil scire de promissione, nec umquam eam parocho revelasse, hinc tam ab Episcopo in sua relatione quam a D. Florello in suo restrictu dicitur, sufficientem non adesse hujusce impedimenti probationem.

Transeundo ad aliud impedimentum propinati videlicet veneni Catharinae uxori, ejus prima probatio constituitur in quatuor testibus, qui testantur, Catharinam mense Maji anno 1710 et sic per sex menses ante suum obitum quamdam portionem farris coxisse eamque comedendam tradidisse Petronillae nepti et aliis consanguineis, qui doloribus statim et vomitu correpti sunt, eumdemque farrem subinde datum fuisse gallinis ad comedendum, quae paulo post mortuae sunt, et quia factum hoc nihil conduceret ad probandum, venenum fuisse ab Amico Catharine propinatum, alii duo superadduntur testes, qui dicunt, se audivisse a Petronilla, quod Amicus nescio quid albi in farre cocto miscuerat et quod Catharina existimabat, ex ea causa vomitum processisse, sed cum Petronilla non potuerit examinari utpote mortua ante compilatum processum, infirma admodum haec exhibiti veneni probatio existimatur tam ab Episcopo in sua relatione quam a D. Florello in suo restrictu.

Subsequitur secunda probatio, quae in duorum testium dicto reponitur referentium, die omnium Sanctorum et sic paulo ante obitum Catharinae fuisse ipsi ab Amico ma-

*) Vd. *p. 261. n. 17. et 19.*

rito exhibitum quemdam panem unacum uvis ad comedendum et quemdam liquorem ad bibendum, quem in nonnullis vasculis retinebat et Catharinam post comestionem et potum acrius fuisse morbo vexatam, quo deinde occubuit die 11. mensis Novembris; sed cum omnes alii testes examinati concordent, praedictam Catharinam fuisse delicatae naturae et pati consuevisse quolibet anno dolores colicos et febres, iisdemque fuisse vexatam in ultima aegritudine, et parochus s. Anatoliae et alius sacerdos ejusdem loci non solum in hoc concordent, sed etiam superaddant, nullum contigisse in cadavere Catharinae mutationem, nec ullum in eo apparuisse veneni signum, hisce de causis concludit Episcopus in sua informatione, probationes propinati veneni esse debiles et aequivocas et sic sibi videri, annuendum petitis, facultati videlicet contrahendi matrimonium, ut etiam consulatur honori Beatricis et Amici incolumitati, cujus vita dicitur insidiis exposita propter inimicitiam ipsi indictam a fratribus Beatricis, si matrimonium non sequatur: neque discordat D. Florellus, qui suam relationem sequentibus verbis absolvit: *Onde io sarei di sentimento, che vi fosse luogo alla grazia, non solo in riguardo dell' onore della giovane, la quale già hà partorito tre figli, ma ancora per la sicurezza del suddetto curatore, al quale i fratelli della suddetta Beatrice minacciano la vita, quando non ripari col matrimonio all' onore della sorella.*

Impedimentum impediens et dirimens matrimonium, quod dicitur impedimentum criminis quodque ex solo adulterio vivente prima conjuge patrato non coalescit, coalescit ex adulterio unacum promissione adulteram ducendi in uxorem post obitum conjugis, nunc viventis, juxta *textum in cap.: Significasti, in cap.: Veniens, et in cap. finali de eo, qui duxit in matrimonium*, sive adulterium praecedat promissionem sive promissio praecedat adulterium, dummodo promissio sit vera et seria et ab altera parte acceptata, uti late prosequuntur *Pirching. ad dictum tit. decretal. §. 2. num. 14. et 15; Anaclet. ad eundem tit. pariter decretal. n. 4. et n. 15. et seqq.; Rosignol. in novissima praxi tom. 6. de matrim. praenot. 13. n. 19. et seqq.*

Item relatum criminis impedimentum impediens et dirimens matrimonium ex machinatione mortis conjugis coalescens ad terminos citati *text. in cap.: Significasti de eo, qui duxit in matrimonium, et canonis: Si quis vivente 31. quaest. 1,* adulterium exposcit, si mortis machinatio ab altero tantum processit, et etiam sibi vindicat locum sine adulterio, sed dummodo uterque ad caedem seu mortem conjugis cooperatus sit, uti probat *textus in cap. 1. et in cap.: Super hoc, in saepe citato titulo de eo, qui duxit in matrimonium,* et prosequuntur *Pirching. loco citato §. 3. num. 23; Rosignol. loco pariter citato num. 10; Anaclet. ubi supra num. 18. et seq.,* in quo rerum themate non videtur in hypothesi dubitandum de hoc impedimento in eo, quod attinet ad jus, sed in eo solum, quod spectare potest ad probationem facti.

Adeoque ad probationem descendendo supponendum esse videtur, quod versamur non in matrimonio contracto sed in contrahendo, licet enim illud de facto fuerit contractum, perinde tamen se habere debet ac si contractum non fuisset, ad partes quippe posito criminis impedimento, super quo praesens quaestio versatur, aliud supererat impedimentum affinitatis ex copula illicita, cum dispensatio per organum Datariae expedita non fuisset executioni mandata, quando illud de facto contractum est; sacri autem canones distinguunt inter matrimonium contractum et contrahendum et quando agitur de contrahendo, non exposcunt claras et concludentes impedimenti oppositi probationes, statuunt etenim, unicum testem sufficere, ex quo agitur de vitando peccato, uti habetur in *cap.: Praeterea, il primo de sponsalibus,* et in *cap.: Super eo, il secondo de testib.,* et latissime prosequitur *Ciarlin. lib. 3. controvers. cap. 235,* dummodo tamen testis sit bonae famae et non patiatur exceptionem in persona aut in dicto, *Tondut. quaest. benef. parte 3. cap. 165. num. 5; Monacell. in formul. legal. pract. parte 1. pag. 183. num. 1. et 2; Ursaya tom. 5. parte 2. discept. 22. num. 13. et seqq.,* et dummodo testis asserat cum juramento, se certe scire impedimentum. *Sanchez. de matrim. lib. 1. disput. 71. num. 11,* ubi *num. 16. et seqq.* ait, non sufficere famam ad impediendum matrimonium, si clariores adsint probationes de fama contraria et simplicem rumorem non posse matrimonium impedire.

Quatenus probationes impedimenti criminis insufficientes esse videantur ad rem, de qua nunc agitur, itaut, iisdem minime obstantibus, sacra haec Congregatio sit in sensu, quod possit esse locus executioni dispensationis super alio impedimento ex copula illicita, discutiendum remanebit:

An necessaria sit renovatio consensus coram parocho et testibus, quando etenim impedimentum, prout hic, ex copula illicita est publicum?

Consensus renovatio dicitur necessaria coram parocho et testibus, etiamsi durante impedimento matrimonium fuisset contractum in facie ecclesiae et coram testibus et parocho, ad differentiam casus, in quo haec facta fuissent, sed in terminis impedimenti occulti, juxta praxim sac. Poenitentiariae, de qua *Navar. consil. 4. de sponsal.*, et resolutiones hujus sac. Congregationis apud *Fagnan. in cap.: Is, qui fidem n. 14. de sponsal. et matrim.*, et concordantem *Rotae decis. 900. cor. Seraphino.* Dignabuntur itaque EE. VV. ex his, quae hucusque deducta sunt, sequentibus dubiis respondere:

1. An sit procedendum ad executionem brevis Datariae super impedimento affinitatis ex copula illicita in casu? Et quatenus affirmative,

2. An consensus a contrahentibus sit renovandus cum parocho et testibus in casu?

S. C. C. resp.

ad I.: Affirmative, obtenta dispensatione per secretariam a Sanctissimo super falsa imputatione praetensorum impedimentorum, de quibus agitur;

ad II.: Affirmative.

Die 13. Julii 1725.

Gravinen.

(Conc. Trid. c. 1. 4. sess. 25. de ref. matr.)

(Adulterium cum matre sponsae peractum cum subsequenti matrimonio coram parocho alieno)

Jam longe ante et usque ad annum 1697 in adulterii coeno per diutinum tempus versantibus Leonardo N. viro soluto et Dominica N. uxore Caroli N. palardi civitatis Gravinae praeceptum injunctum fuit per curiam episcopalem ejusdem civitatis sub anathematis poena, ne invicem conversarentur. Atqui Leonardus effraenatae suae intemperantiae cohibendae impar, ut liberius et citra suspicionem in domo ipsius Dominicae usum haberet, meditatus est matrimonio sibi copulare Rosam filiam Caroli et Dominicae conjugum praedictorum. Erat Rosa puella infensa valetudine affecta, in toto corpore ulceribus redundans, ut frequens in lecto languere cogeretur. Unde parentes desperatis remediis adhibitis Gravinae rationem inierunt deducendi Rosam ad vicinum oppidum Altamurae curandam a physicis peritioribus, latente tempore hujus accessus a testibus non explicati. Verum ingravescente morbo ex nova curatione coeperat Rosa ad interitum declinare. Id vero agnoscens Leonardus, qui comitem se dederat Rosae ejusque genitoribus Altamuram, volens inibi praecogitatum conjugium ad finem perducere ex asserto praevio decreto curiae archipresbyteralis Altamuranae et de ordine ejusdem curiae Vicarii (uti asseritur) sub die 26. Februarii 1697 idem Leonardus et Rosa in lecto jacens mutuo eorum consensu pandito matrimonium contraxerunt coram parocho majoris ecclesiae dicti oppidi Altamurae ac aliis testibus. Post matrimonium sic contractum novi sponsi associati a parentibus Rosae Gravinam remigrarunt, ubi Rosa paucis inde horis deterior facta mortem obivit, neutiquam (ut dicitur) consummato conjugio. Perrexerunt exinde Leonardus et Dominica in proboso adulterio volutari usque ad obitum Caroli viri Dominicae sequuti abhinc triennio; volens autem idem Leonardus detractam existimationem Dominicae restituere animum nuper intendit cum eadem matrimonium inire, non obstante praecedenti conjugio inito cum Rosa filia ipsius Dominicae attenta illius nullitate tamquam facti coram parocho alieno oppidi Altamurae, nocnon intercedente impedimento dirimente, ob praemissam illicitam ejus copulam habitam cum eadem Dominica, quapropter recursum habuit ad hanc S. C. pro declaratione nullitatis matrimonii praedicti.

Requisita et habita super praemissis relatione Vicarii capitularis Gravinen. injunctum subinde eidem fuit, ut processum desuper conficeret et ad S. C. transmitteret et interim mandaret oratori, ut cum muliere, cum qua matrimonium contrahere intendit, non conversetur. Itaque Vicarius injuncto praecepto de non conversando devenit ad constructionem processus jam constructi, nullo dato defensore matrimonii nec audito promotore fiscali. In eo itaque examinati sunt ipsi principales Leonardus et Dominica ac alii testes jurati, qui scandalosam inter eos conversationem ante initum matrimonium praetensum de auditu, ut plurimum, deponunt, eosdemque propterea accepisse praeceptum a curia episcopali de non conversando, necnon testantur de accessu Rosae filiae Dominicae Altamuram curationis gratia, haud tamen

expresso tempore dicti accessus nec ejus morae ibidem, ac insuper de matrimonio cum forma supralibata Altamurae contracto ac de morali impossibilitate illius consummationis ob imminentem mortem Rosae insequenti nocte sequutam, aliisque additis circumstantiis. Demum vero iidem principales Leonardus et Dominica asseverarunt nullam unquam praecessisse inter eos sponsionem seu pactum de invicem contrahendo post obitum Caroli ac nulla inter Leonardum et Rosam interposita fuisse sponsalia de futuro, quae tamen contracta fuisse testatur parochus Gravinen. in exhibita attestatione. Denique tandem super matrimonio Altamurae contracto exhibita fuit fides illius parochi in summario danda una cum relatione Vicarii capitularis ac aliis in processu contentis. Quibus sic stantibus contingit hodie causam proponi, ut ex deducendis dignentur EE. VV. resolvere:

An constet de nullitate matrimonii inter Leonardum N. et Rosam de N. in casu etc.?

S. C. resp.: Negative et Ordinarius omnino procedat ad separationem juris remediis.

Die 30. Jan. et 5. Mart. 1712.

8) Ex copula illicita quoad impedim. matrimonii attenditur.

Vd. *Affinit.* (causae etc. p. 366. n. 4.; ex fornicat.)

Affinitas oriens ex copula illicita quoad impedimentum matrimonii, non item quoad alia jura affinibus inter se tributa attenditur, *c. 6. et 10. de eo, qui cognovit consang. uxor. suae*; *Lautterbach. de jur. affinit. cap. 3. §. 2*; *Farinac. de testib. q. 54. n. 74.*

Quo fit, ut in statutis nomine affinium regulariter haud veniant hi, inter quos ex illicita copula orta est affinitas, quum minime conveniat, ut stuprator consanguineos stupratae affines nominet et viceversa, *Lauterbach. loc. cit. n. 74.*

9) Ex copula illicita, non irritat matrimon. de jure naturae.

Vd. *n. 342 n. 11; p. 344 n. 13.*

Affinitas orta ex copula illicita in nullo gradu cujuscumque lineae irritat matrimonium de jure naturae adeoque in omni gradu etiam lineae rectae est dispensabilis a summo Pontifice, sic *Sanchez lib. 7. de impedimentis disp. 65. n. 9*; *Layman. lib. 5. tract. 10. part. 4. c. 6. n. 6 et 8, et Navarrus* et alii magis communiter cum *Castropalao d. 4. punct. 8. n. 10*, ubi dicit certum esse, quod affinitas orta ex copula illicita sit juris positivi tantum, quia in illa dispensat sacra Poenitentiaria, quod alias non posset, si esset de jure naturali, imo cum hic agatur de valore sacramenti, non esset licitum agere secundum hanc sententiam, si opposita censeretur vere probabilis. Et quod sancta Sedes pluries dispensaverit in affinitate orta ex copula illicita, testantur passim canonistae et doctores et signanter *8. Aug. 1607 et 20. Jul. 1628*, et ratio est, quia talis affinitas est solius juris canonici et ecclesiastici, in quo nemine contradicente potest dispensare, ut in dies de facto dispensat sancta Sedes; non enim potest dici, quod sit juris naturalis, quia filius non inclinatur ad exhibendam reverentiam mulieri, quam pater cognovit extra matrimonium, neque nascuntur ex fornicationibus amicitiae, sed odia. Nec valet objicere, quod ex divo Gregorio relato in cap.: *Nec eam, caus. 35. q. 3*: Incestuosus sit et abominabilis Deo et cunctis hominibus coitus, quo quis ducit in uxorem eam, quae fuit uxor proprii consanguinei, vel ab eo illicite est cognita — adeoque esse contra jus naturae, alias non esset coitus ille incestuosus et abominabilis cunctis hominibus; non valet, inquam, quia textus ille Gregorii divi est intelligendus stante definitione ecclesiae prohibentis hujusmodi matrimonia, non autem quod sint prohibita jure naturae; ipse enim non dicit, quod sit abominabilis talis coitus omnibus hominibus etiam extra ecclesiam christianam, cum prohibitio ecclesiae non possit extendi ad eos, qui sunt extra ecclesiam, sed loquitur aperte de omnibus solis hominibus christianis, cum dicat christianos non posse tale matrimonium inire, quia apud bonos homines esset incestus, ut egregie exponit *Sanchez lib. 7 disp. 65 n. 14. in fine.*

10) Ex copula licita quoad impediment. matrimonii.

Vd. *Affinitas* (causae etc. p. 336 n. 4.)

Ipsa affinitas, proveniens ex copula licita, videlicet matrimonio, eo soluto, durare intelligitur pro impediendo dumtaxat novo matrimonio, non item pro aliis effectibus, *Fontanell. decis. Catalon. 13, n. 4*; *Rot. cor. Tanar. decis. 272. n. 4.* Sed quaestionis est, utrum id sibi locum vindicet, ubi nullae su-

persunt matrimonii reliquiae, puta liberi, an itidem iis superstitibus. Consule *Alexandr. concil. 207. lib. 6.; Tiraquell. in tract. cessan. caus. in princip. n. 27 et 29. Sess. decis. Aragon. 414. n. 2.; Fontanell. d. dec. 13. n. 5.*

11) Ex copula licita, utrum dirimit matrimonium jure ecclesiastico vel naturae?

Vd. *p. 341. n. 9.*

Affinitas orta ex copula licita seu conjugali in nullo gradu lineae transversalis dirimit matrimonium jure naturae, sed solum jure ecclesiastico, adeoque in omni gradu est dispensabilis a summo Pontifice. Sic tenent *s. Thom., Scotus* et alii communiter, ut colligitur *ex cap. final. de divortiis lib. 4. tit. 9*, ubi Innocentius III. concedit conversis ad fidem, ut desponsatas viduas relictas a suis fratribus possint sibi tanquam legitimas uxores retinere.

»Propter infirmitatem gentis ejusdem, inquit Pontifex, concedimus, ut matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur.« Et sic cum affinibus in primo gradu lineae transversalis dispensarunt pluries summi Pontifices, ut Alexander VI. cum Emmanuele Lusitaniae rege, ut successive duceret in matrimonium duas sorores; Julius II. cum Henrico VIII. Angliae rege, ut nuberet Catharinae Aragoniae viduae fratris sui Arturi; quae dispensatio, consultis prius celeberrimis Europae universitatibus, fuit confirmata etiam a Clemente VII., Clemens VIII. cum rege Poloniae, ut nuberet sorori suae defunctae uxoris. Et aliae plurimae habentur consimiles pontificiae dispensationes, ut de Ludovica Maria Gonzaga Clivensi, quae nupsit successive duobus fratribus Ladislao Sigismundo et Joanne Casimiro Poloniae regibus; de Dorothea Sophia de Neoburg, quae nupsit successive duobus fratribus Odoardo et Francisco Parmae Ducibus; de Comite Starembergensi et aliis, quos minus operosum esset omnes adducere. Sic in lege veteri Jacob sanctissimus duxit Liam et Rachelem, sorores, *Genes. 29*, et Judas *Genes. 38.* dedit eidem mulieri duos fratres in maritos; et *Deuteron. 27* jubebat lex mosaica, ut frater duceret uxorem fratris sine liberis defuncti; ex quibus aperte deducitur affinitatem non esse impedimentum irritans de jure naturae in primo gradu lineae transversalis, alias supradicta omnia fieri non potuissent.

Affinitas orta ex copula licita seu conjugali probabilius non dirimit matrimonium de jure naturae neque in primo gradu lineae rectae ascendentium et descendentium, adeoque etiam ista est dispensabilis a summo Pontifice cum gravissimis et justis causis inter vitricum et privignam, novercam et privignum, socerum et nurum, socrum et generum. Sic *divus Thomas 2. 2. q. 154. art. 7. in solut. ad 3*, ubi inter solos parentes et filios clare videtur prohiberi jure naturae matrimonium. *Scotus in 4. dist. 41. §. ad. quaest., Alensis, Cajetanus, Abulensis, Hurtavus, Caspensis, Sanchez, Henriq., Tancred., Poncius. Merat., Bonac., Diana, Guttierez, Villalobos, Aversa, Brancatius, Vera Crux, Sa, Rebellus, Albertus Pichius, Joannes Praepositus, Armilla, Petrus Sedesma, Vega, Navarr., Castropal., Dicastill. Pignatell., Krimer, Kugler, Mastrius, Rosignol.*, et alii recentiores passim. Et probatur, quia, si talis affinitas dirimeret matrimonium de jure naturae, tale matrimonium fuisset semper interdictum apud omnes gentes, cum jus naturae omnes aeque afficiat; sed hoc non, quia certum est fuisse consuetudinem apud Persas, ut filius mortuo patre uxorem ipsius, id est, suam novercam duceret: et ex relatione *Valerii Maximi lib. 5. cap. 7 et Plutarchi in vita Demetrii* habemus exemplum apud Graecos novercae concessae privigno, Seleucus rex tradidit filio suo Antiocho Stratonicam propriam uxorem et tale factum laudat ipse Valerius Maximus: Et *3. Regum. cap. 2.* Adonias filius David petiit in uxorem Abisag Sunamitidem, quae erat uxor patris sui David*), ut constat ex *3. Reg. c. prim.*, ergo affinitas orta ex copula licita non dirimit matrimonium jure naturae neque in primo gradu lineae rectae, tum quia non est sic forte vinculum affinitatis, sicut vinculum consanguinitatis, ut etiam ipsum dirimat matrimonium de jure naturae in primo gradu lineae rectae, quia inter ipsos affines nulla reperitur superioritas, contra cujus reverentiam sit usus matrimonii, sicuti reperitur inter consanguineos in primo gradu lineae rectae; nam relatio naturalis superioritatis, ex qua oritur naturalis reverentia superiori debita, fundatur solum inter

*) Hoc exemplum non est ad rem. Nam *lib. 3. Reg. cap. 1. ver. 4.* de Abisag dicitur: »Erat autem puella pulchra nimis dormiebatque cum rege et ministrabat ei; rex vero non cognovit eam.

eas personas, quae dant et accipiunt esse naturale per naturalem generationem, quales sunt parentes et filii, non autem affines in primo gradu lineae rectae, ut de se patet adeoque etc.

Nec valet objicere illud *Apostoli I. ad Corinth. c. 6.*: Omnino auditur inter vos fornicatio et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat; et illud *Genes. 49*, ubi Jacob maledixit Ruben primogenito suo, eo quod dormierat cum Bala noverca sua, et illud *Amos. 2*, ubi refertur tanquam magnum scelus, quod pater et filius eandem foeminam cognoverint. Non valet, inquam, nam, ut explicat sanctus Anselmus, Cajetanus, Sedulius et alii passim doctores, Apostolus tam acriter reprehendit illam fornicationem, quia adhuc vivebat pater, cujus uxorem filius invaserat ipso invito et renitente, et etiam colligitur ex *2. ad Corinth. 7. vers. 12*, ubi pater dicitur injuriam passus, ut recte advertit *Tirinus in prima ad Corinth. c. 5.* Et eadem de causa maledictus fuit Ruben, quia patris adhuc viventis thorum violaverat cum magna irreverentia et impietate, et sic etiam *Amos. 2.* illa foemina erat alterius uxor, qua ratione haec erant atrocissima adulteria adeoque acerrima increpatione digna.

Nec valet etiam objicere, quod ex *cap. 1. De consang., cap. Aequaliter, et cap.: De propinquis caus. 35. qu. 3.* eodem modo abstinendum sit a conjugio cum affinibus ac cum consanguineis, quod videtur etiam aequaliter vetari *Levit. 18.*: Turpitudinem matris tuae et uxoris patris tui non discooperis: ubi per *ly turpitudinem matris tuae* importatur primus gradus consanguinitatis in linea recta, et per *ly uxoris patris tui* importatur primus gradus affinitatis etiam in linea recta, cum talis sit gradus privigni respectu novercae, uti supponitur ista, adeoque cum ex scriptura et ex sacris canonibus eodem modo prohibeatur conjugium cum propria matre et cum noverca, evidenter sequitur, quod, sicuti de jure naturae est prohibitum conjugium cum propria matre, ita eodem jure naturae est prohibitum etiam cum noverca. Non valet, inquam, quia canones, qui loquuntur de aequalitate consanguinitatis et affinitatis, non declarant, ut legenti patet, quae sint de jure naturae, sed solum vetant jure ecclesiastico conjugia in illis gradibus rectae lineae, quoad affinitatem, in quibus jure naturae vetantur conjugia lineae rectae, quoad consanguinitatem; adeoque Pontifex potest in illis dispensare, utpote de novo jure ecclesiastico juxta id, quod scripsit Innocent. III. Praeposito et Capitulo Cameracensi in *cap. Proposuit 4. de concession. praebend.* his verbis:

»Secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.« Ad illud *Levit. 18.* respondetur, quod simul ibi ponuntur gradus consanguinitatis et affinitatis propter quandam, quam inter se habent, similitudinem, non tamen quia in iis gradibus eodem modo seu eodem jure naturae sit interdictum matrimonium, cum inter affines in primo gradu lineae rectae nulla reperiatur superioritas, contra cujus reverentiam sit usus matrimonii, sicuti reperitur inter consanguineos in primo gradu lineae rectae: ipsa enim naturalis superioritas, ex qua oritur naturalis reverentia debita superiori, fundatur solum inter parentes, qui dant, et filios, qui accipiunt esse naturale per naturalem generationem. Scriptura *enim loc. cit.* cum dicit »turpitudinem matris tuae non discooperies«, subdit immediate: *Mater tua est*, volens innuere, me judice, strictam naturalem reverentiam debitam genetrici, a qua accipit esse naturale: cum autem ibi dicit »turpitudinem uxoris patris tui non discooperies« subdit solum: *Turpitudo* enim *patris tui est*, volens sic innuere, ni fallor, non tam strictam et naturalem, sicuti propriae matri, deberi reverentiam novercae, a qua non accepit esse naturale, sed reverentiam ei debitam esse solummodo, ne maculetur et violetur thorus patris, cum quo facta est una caro; quod non irritat matrimonium de jure naturae, sicuti de facto non irritat cum uxore fratris, licet ipsa jam facta fuerit una caro cum fratre per matrimonium; unde, sicuti non obstante, quod inter fratrem et sororem de jure naturae irritum sit matrimonium et uxor fratris facta sit una caro cum ipso, potest adhuc ipsa fratria ex dispensatione Pontificis justa de causa deduci a leviro, ita non obstante, quod inter parentes et filios de jure naturae irritum sit matrimonium et noverca facta sit una caro cum patre, poterit adhuc ipsa noverca ex dispensatione justa de causa duci a privigno.

12) Definitio.

Affinitas est propinquitas quarundam personarum, orta ex copula carnali licita vel illicita unius cum consanguineo vel consan-

guinea alterius. *Est Communis inter doctores,* et colligitur ex *l. Non facile* §. *sed quoniam, ff. de grad. affinitatis, glossa in decr. arboris affinit. caus. 35. qu. 5. etc. Est autem,* ubi dicitur, quod affinitas est personarum proximitas ex coitu proveniens, omni carens parentela.

Affinitas est necessitudo sive conjunctio inter conjugem et alterius conjugis cognatos sive consanguineos per nuptias contracta: *l. 4. §. 3. ff. de gradibus.*

13) In quibus gradibus dirimit matrimonium?

Vd. *p. 337. n. 6.*

Affinitas jure antiquo dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum, *cap.: Nullum, et cap.: Aequaliter caus. 35. quaest. 3;* at novo et hodierno jure affinitas ex copula licita, idest conjugali, dirimit matrimonium tantum usque ad quartum gradum, ut expresse habetur *cap.: Non debet. 8. de consanguinitate et affinitate* praecisis his verbis: Prohibitio copulae conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de caetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. Et affinitas orta ex copula illicita, id est fornicaria vel adulterina, dirimit matrimonium solum usque ad secundum gradum, ut expresse statuit *concil. Trident. sess. 24 de reform. cap. 4.* his verbis: Praeterea sancta synodus gravissimis de causis adducta impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu conjunguntur, restringit, in ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere. Et latius declaravit s. Pius V. in constit. incipiente: *Ad Romanum,* edita 18. Nov. 1566 his praecisis verbis: Nos omnem ambiguitatem tollere et animarum tranquillitati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes declaramus et auctoritate apostolica decernimus nullum hodie impedimentum remanere, quo in ulterioribus hujusmodi libere et licite matrimonium contrahi possit.

14) Descendens.

Vd. *Affinitas* (nomina.)

Descendentes affines primo dicuntur unius conjugis cognati descendentes ex alio conjuge, v. gr. mariti consanguinei descendentes ex alia uxore sunt ejusdem uxoris secundae affines descendentes. Vocantur autem filii et filiae unius conjugis ex alio conjuge privigni et privignae *l. 4. §. 6. ff. de gradib.*

Nepotes et neptes ex alia conjuge, sive privigni et privignae filii et filiae dicuntur proprivigni et proprivignae. Reliquos etiam ad exemplum cognatorum appellari solere a doctoribus vel privignos vel privignas etc.

Secundo affines descendentes sunt cognatorum descendentium conjuges. Sic omnium cognatorum descendentium conjuges mariti sive uxoris mei sunt affines ascendentes et filii mei uxor dicitur nurus, quae non aliter est reputanda quam filia filiae maritus gener.

15) Dispens. affinitatis ex copula illicita et licita.

Vd. *Affinit.* (ex copula illicita non irrit. matr. de jure naturae etc. p. 341. n. 9); *p. 342. n. 11*

Potestas dispensandi super nuptiis affinium inde dependet, utrum nuptiae inter ipsos affines prohibitae sint de jure dumtaxat positivo an itidem de jure naturali; nam nulla est potestas dispensandi in nuptiis prohibitis de jure naturali. In linea autem transversa prohibitas esse inter affines nuptias de jure tantum positivo concors fere sententia est. Magna autem quaestio est: Utrum inter affines in linea recta prohibitae nuptiae etiam sint de jure solummodo positivo, an de jure quoque naturali? Qui quaestiones de jure naturali decidebant ex jure romano, antequam sententia juris naturalis coli coepisset, ii ut plurimum tenebant prohibitas etiam esse de jure naturali, argumento *legis ultimae ff. de condict. sine caus.* At ex quo post Hug. Grotium scientia juris naturalis coli coepit, prohibitio haec non juri naturali sed juri positivo tributa est. Vide *Puffendorf. ff. de jure natur. et gen. lib. 6. cap. 4. et seq. duob.* Quid autem sentiendum sit de opinione *Grotii de jure belli et pacis lib. 2. cap. 5. §. 13,* qui prohibitionem hanc adscribit juri divino voluntario universali, consule *Coccejum ad d. §. 13 verb. Gradibus affinitatis.*

Multo ante Hugonem Grotium non pauci iique probatissimi theologi, a quorum familia scientia juris naturalis longe accuratius exculta fuit quam a Grotio ejusque symmistis protestantibus, docuerunt affinitatem ex matrimonio ortam in nullo gradu lineae rectae ita prohibere jure naturae matrimonium, ut

illud irritum reddat. Vide *Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 66. n. 7,* qui eos recenset eorumque opinioni tamquam probabiliori adhaeret. *Confer Benedictum XIV. de synod. dioeces. lib. 9. cap. 13. n. 6.*

16) Dispensatio elargienda a Poenitentiaria apost.

Vd.: *Poenitentiaria apost.* (Facult., constit. Benedict. XIV. *Pastor bonus* §. 39—45).

17) Dispensatio concessa.

(I. Gradus.)

Vd. *Affinitas* (quae est impedimentum p. 356. n. 33.)

Gadicen.

Petrus N., natione Gallus, urbis Gadicensis incola die 26. Novembris 1755 matrimonium contraxit cum Joanna N., quae mox carcinomate et phtisi absumpta mortem obiit die 6. Maji 1756. Ut novas iniret nuptias cum Clara defunctae uxoris sorore, Sanctissimo Domino Nostro supplicavit Petrus pro dispensatione super impedimento publicae honestatis, quod solum ortum affirmabat ex primo conjugio rato et non consummato. Remissis precibus ad hanc sacram Congregationem auditus fuit Episcopus, qui retulit Petrum jurejurando fuisse testatum, quod prima initi conjugii nocte matrimonium nisus consummare mulieris claustrum penetravit, sed foedi tumoris contactu in ejus pectore et vehementi illius thusi commotus recessit absque seminis effusione perfecta, nec amplius copulam cum illa tentavit. Sed veritus Episcopus, ne Petrus, caeteroquin fide dignus, sua opinione decipi posset, censuit »Non sufficere (sunt ejus verba) ad matrimonium contrahendum cum sorore praedefunctae Joannae publicam tantum honestatem dispensari, nisi dispensetur affinitas«. Quare preces rejectae fuerunt rescripto: *Lectum.*

Interea Petrus N., cui nunciatum fuerat, optatam dispensationem facili negotio se fore obtenturum, rem habuit cum Clara, quae utero concepit et abortum passa est. Gravi ergo et immani dolore ipse et Clara affecti sunt, cum audierunt denegatam dispensationem et supplices steterunt apud Episcopum, ut communi honori et orituris scandalis occurreret. Episcopus datis literis ad Sanctissimum Dominum nostrum deprecatus est, ut paterna clementia consuleret oratorum angustiis petitamque indulgeret dispensationem super impedimento publicae honestatis et super affinitate ad *summum ad cautelam tantum,* cum Petrus novo subjectus examini testaretur, nunquam sequutam fuisse seminum commixtionem cum defuncta uxore, quod minus clare in praecedenti examine narraverat, ex quo minus scite intellexit vim verborum, quibus hispanice fuerat interrogatus. Placuit Sanctissimo petitionem eandem delegare huic sacrae Congregationi *pro voto;* et oratores prolixo libello disserunt, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione, cum eidem liberum sit supremum arbitrium omne tollendi impedimentum, quo matrimonii contractus positivo canonum jure prohibetur, *Fagnan. in cap.: Nimis n. 15. de fil. presbyt.;* et *Rigant. ad reg. 49. cancellar. num. 1. et 2. tom. 4.*

Et autumant irregularem et exorbitantem non esse gratiam dispensationis super impedimento publicae honestatis, quod inter minima numeratur, ut inquit *Reiffenstuel. in jus canon. tom. 4. append. super impediment. §. 3. de caus. n. 135,* et quod solum oritur ex matrimonio rato et non consummato, juxta constitutionem: *Ad Romanum* 62. s. Pii V., et resolutiones hujus sacrae Congregationis relatas *a Corrad. prax. dispens. lib. 8. cap. 7. num. 15 et 20,* et arbitrantur, ratum et non consummatum reputandum esse matrimonium non obstante penetratione claustri, sine seminum commixtione, ut explicant *divus Thomas 4 distinct. 41. quaest. 1. art. 1. quaestiuncul. 4. ad 1, et in supplem. 3. part. quaest. 55. artic. 4 ad 2, Sanchez de matrim. lib. 2. disput. 21. num. 3., Reiffenstuel. ad jus canon. lib. 4. decret. §. 2. de affinit. num. 39,* et *Rota cor. Arguelles decis. num. 19.*

Probationem autem non sequutae consummationis sufficientem erui contendunt ex juramento Petri, cui plene deferendum est in subjecto casu, *per textum in can.: Extraordinaria 36. quaest. 3. ibique Gloss. in figur. casus et verb. Sacr.,* cum agatur de solo praejudicio animae confitentis et aliunde haberi non possint meliores probationes, ut inquit *Butr. in cap. Significasti num. 24. de homicid.,* praesertim cum Petri juramentum corroboratum sit opinione testium et infirmitate mulieris, quae verisimiliorem reddunt non sequutam consummationem, juxta firmata per *Rotam in decis. 519. num. 6. part. 2. Recentiorum relat. post Zacch. quaest. medic. legal. decis. 38. num. 15 et 16.*

Et quatenus dubium aliquod superesset circa relevantiam probationum, haec ipsa du-

bietas, quae certitudinem impedimenti affinitatis excludit, sufficiens ipsis videtur ad faciliorem reddendam gratiam, ut monet *Pichler in jus conon. lib. 1. tit. 2. de rescript. num. 86*, cum non desint exempla dispensationum etiam in primo et secundo gradu affinitatis, imo etiam consanguinitatis et propterea facilius concedenda sit super impedimento in primo publicae honestatis gradu ex matrimonio rato et non consummato resultante, quemadmodum indulgendam esse censuit haec sacra Congregatio in *Caven. 17. Novembris 1692. lib. 14. decr. pag. 174.*, et refert *Ursaya discept. eccles. 12. num. 13. tom. 4. part. 1;* praesertim quia dispensatio petitur a viro pro secunda sorore desponsanda, quod facilius permittitur, quam si mulier ducere vellet alterum fratrem, ut relato *versic. 18. cap. 18. Levitici* notat *Rigant. ad reg. 49. cancell. num. 43;* et quia graves non desunt causae: ob sequutam copulam, quae inter urgentiores dispensationis causas numeratur, *Reiffenstuel. in jus canon. tom. 4. in append. de dispens. super impedim. §. 3 de caus. num. 49.:* ob scandala facile oritura, quae expedit removere, *Conrad. in prax. disp. lib. 8. cap. 7. num. 21;* ob periculum animae et corporis oratorum ab Episcopo relatum, cui occurrendum esse monet *de Justis de dispens. matrim. lib. 3. cap. 8. num. 7. et seq.*, et demum ob votum Episcopi, quod plurimi in hac re faciendum est.

Nec putant officere decreta hujus sacrae Congregationis, quae similem dispensationem denegandum esse censuit in *Leodien. dispensationis 10. Maji 1755, in Pinnen. dispensationis 29. Maji 1756*, et in altera *Leodien. dispensationis 22. Maji proxime praeteriti;* quia in prima Leodien. agebatur de dispensatione petita a muliere, ut duceret alterum sui viri fratrem, quod exorbitantius erat; in Pinnen deerat concludens probatio non sequutae consummationis, et in altera Leodien probationes consummati matrimonii a contradictore offerebantur; et ex his inferunt oratores, non esse eadem rescripta in exemplum adducenda indulgendamque esse dispensationem ab impedimento publicae honestatis ac relaxandum impedimentum affinitatis ad cautelam.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.:

Attentis peculiaribus circumstantiis consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione super impedimento publicae honestatis et etiam affinitatis.

Die 12. Junii 1762.

Animadversiones Secretarii in causa Gadicen. dispensationis.

Fatetur Petrus N., se prima initi conjugii nocte, dum nitebatur matrimonium consummare, uxoris claustrum penetrasse; verum contendit »numquam penitus ad aliqualem seminis effusionem in matricem devenisse«, ut retulit Ordinarius, inferens exinde, consummatum nequaquam fuisse matrimonium opere non perfecto, juxta sententiam *divi Thomae in 4. distinct. 41. art. 1. quaestiunc. 4. §. 2. et in supplem. 3. part. quaest. 55. art. 4. ad 2.*

Duplex tamen hinc oritur quaestio:

Prima de incerto rei eventu; cum N., qui cognovit sororem defunctae uxoris, ea non videatur pollere honestate, quae ejus assertioni fidem conciliet, et quatenus fide dignus reputari velit, juxta opinionem Episcopi et testium deferendum plene non esset illius testimonio, quia potuit ipse decipi in concubitus aestu, praesertim »quia apud omnes opinio invaluerat de matrimonio non solum rato sed etiam consummato«, ut legitur in relatione Episcopi, nec proinde excluditur consummationis praesumptio, quemadmodum requiritur de stylo Datariae, ubi de supplicationibus porrigendis pro dispensatione super impedimento publicae honestatis facienda est expressio, quod mulier »ab oratore in nullo penitus attentata remanente decessit«, ut refert *Conrad. in prax. dispens. lib. 8. cap. 7. sub num. 20 et 22.*

Altera quaestio est de qualitate impedimenti producti ex matrimonio etiam rato et non consummato, cum affinitatem inde oriri defendat *d. Thomas in d. suppl. 3. part. quaest. 55. art. 4 ad 2.* Nec adversatur constitutio: *Ad Romanum*, 62. s. Pii V., nam illa reprobata sententia eorum, qui opinati fuerant impedimentum ex matrimonio rato procedens, uti solius justitiae publicae honestatis, primum gradum non excedere, juxta decretum *concilii sess. 24. cap. 3 de reform. matr.*, declaravit praefatum concilii decretum esse intelligendum de solis sponsalibus de futuro, non etiam de matrimonio rato, cum (sunt verba constitutionis) »longe majorem

rationem prohibitionis in matrimonio, per verba de praesenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere, a nemine dubitetur.« Et licet aliorum opinionem sequutus *Corradus in prax. disp. lib. 8. cap. 7. num. 15.* teneat solum publicae honestatis impedimentum oriri ex matrimonio rato, attamen fatetur *sub num. 16*, affinitatem quoque illud vocari saltem *initiative*, si non perfecte et consummate, et sub *num. 18. et 20.* testatur, illud a Dataria appellari impedimentum affinitatis »ad retrahendos oratores omnesque alios a petitione similium dispensationum, cum perinde sit, ac si esset impedimentum primi vel secundi vel alterius gradus affinitatis quoad dispensationes super eo impetrandas.«

Utramque difficultatem ponderasse videntur EE. PP. in antecedenti propositione, rescribendo: pro dispensatione super impedimento publicae honestatis *et etiam affinitatis* ad cautelam. Verum super impedimento affinitatis in primo gradu, sive affinitas sit initiative sive perfecte et consummate, non ea facilitate dispensatur, sicut in impedimento publicae honestatis proveniente ex sponsalibus de futuro, ut tradit idem *Conrad. loco citato num. 17. in fin* . . . Satis enim perspicua est censura sac. concilii Tridentini *in sess. 24. cap. 5. de reform. matrimonii*, ubi nulla facta distinctione inter impedimentum consanguinitatis et affinitatis generaliter statuitur, quod in gradibus prohibitis nonnisi raro et ex causa dispensationes concedantur, quodque »in secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes et ob publicam causam«; quamobrem eo magis prohibita videri potest dispensatio in primo gradu affinitatis, quoties postuletur a privatis personis et ex privata causa illarum utilitatis.

Et licet ambigi nequeat de summi Pontificis potestate, attamen, cum ab eo consulta fuerit sac. Congregatio, inopportunum non videtur inquirere: an expediat dispensationem concedere privatis, sine publica causa, super impedimento primi gradus affinitatis. Cardinalis de Lugo consultus a san. mem. Urbano VIII. circa dispensationem petitam a Mantuae Duce super impedimento primi gradus affinitatis lineae rectae respondit, posse quidem hujusmodi dispensationem concedi a summo Pontifice »sed non expedire«, ob maximam illius conjunctionis turpitudinem, et ejusdem sententiae fuit sac. Congregatio ssmae Inquisitionis, ut refert *Rigant. ad regul. 49. cancell. num. 25.* Maxima quidem est conjunctionis turpitudo in primo gradu affinitatis lineae rectae; sed non levis est turpitudo conjunctionis in primo gradu affinitatis lineae transversalis, cum uxoris soror sororia appelletur respectu viri, quasi ejus soror, *Mastr. in 4. sent. disput. 7. num. 482. tom. 4.*, et matrimonium inter eos contractum speciem quamdam praesefert turpitudinis, quam gigneret matrimonium contractum inter fratrem et sororem.

Nec sane dispensationes super primo affinitatis gradu in linea transversali admodum antiquae sunt in ecclesia primusque omnium Martinus V. anno 1418 illam concessit Comiti Tuxensi pro ducenda vidua sui fratris filia Ducis Bavariae, et successores Pontifices, usque ad sa. mem. Clementem XI. rarissime illas concesserunt; atque in fine XVI. saeculi, ne scandalum oriretur in populo, fuit a Clemente VIII. denegata regi Poloniae dispensatio contrahendi matrimonium cum defunctae uxoris sorore Archiducissa Austriae, licet illam postea concesserit san. mem. Paulus V. in consistorio habito die 2. Septembris 1605. teste *Rigant. loco supracitato n. 33. et seq.*

Nec refert, successivis temporibus concessas aliquando fuisse similes dispensationes etiam privatis. Poterant enim in iis casibus adeo graves circumstantiae concurrere, ut recte moveri summus Pontifex potuerit ad dispensandum; nec ideo hujusmodi dispensationes videntur in exemplum adducendae: »Cum frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud sit, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire«, ut inquit sacrum concilium Trident. *sess. 25. cap. 18. de refor.* Non ejus est qualitatis Petrus N. Gadicensis negotiator, ut in gratiam personae illi concedatur dispensatio alias denegata regibus: et allegata ab eo causa commercii habiti cum uxoris sorore, potius eum indignum reddit ad nuptias contrahendas, *cap.: Transmissae 4*, et *cap.: Tuae fraternitati 10. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae.*

Et revera sacra haec Congregatio in *Leodien. Dispensationis 10. Maji 1755* denegandam esse censuit dispensationem mulieri pro ineundo matrimonio cum defuncti viri fratre, a quo fuerat praegnans reddita, licet

certior esset defectus consummationis cum viro defuncto, ut *in lib. 105. Decret. p. 156;* nec obstat, quod tunc ageretur de matrimonio ineundo cum viri defuncti fratre, per legem etiam mosaycam prohibito in *Levit. cap. 18. versic. 16*; nam sicuti ex defuncto viro filios non susceperat, ideo prohibitum non erat lege mosayca tale conjugium, ut in *Deuter. cap. 25. vers. 5 et seq.*, et etiam lege nova toleratur in neophitis, juxta *textum in cap. fin. de divort.;* verumtamen in lege evangelica, ex instituto ecclesiae, eadem est turpitudo conjugii cum defuncti viri fratre, quae cum defunctae uxoris sorore, ex firmatis per *Rigant. ad regul. 49. cancell. n. 44.* Eandemque dispensationem denegavit sacra Congregatio in *Pinnen. Dispens. 29. Maji 1756* pro matrimonio contrahendo cum defunctae uxoris sorore, licet praeter viri juramentum de non sequuta copula, quod contra rei veritatem negatum fuit in libello N., plures adducerentur probationes exclusivae condormitionis et conversationis inter conjuges, *ut in lib. 106. Decret. pag. 108.* . . . Et eandem sententiam novissime amplexa est sacra Congregatio, denegando dispensationem pro contrahendo matrimonio cum defunctae uxoris sorore, cum qua commercium post uxoris obitum vir habuerat, *in Leodien. Dispensationis 22. Maji currentis anni.*

Die 1. Sept. 1762.

Iterum proposito dubio:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 25. Sept. 1762.

18) Dispensatio non concessa.

(I. Gradus.)

Vd. *Affinit.* (quae est imped.)

Leodien.

Joannes Henricus N. matrimonium inivit die 17. Octobris 1752 cum Barbara Josepha N., quae paucis elapsis mensibus mortua est die 12. Februarii 1753. Post uxoris obitum insani aestuans libidine rem habuit cum Maria Anna N. defunctae uxoris sorore, quae utero gravis reddita est. Damnum autem huic puellae illatum cupiens legitimis nuptiis reparare supplicavit sanctissimo Domino Nostro pro dispensatione a publicae honestatis impedimento, quod illis dumtaxat obstare autumabat, ex quo Barbaram Josepham uxorem hectico morbo, ut etiam duo medici testantur, affectam se haud unquam cognovisse jurejurando affirmabat, inde inferens, ex matrimonio cum ea rato et non consummato impedimentum subortum fuisse non affinitatis sed tantum publicae honestatis, juxta constitutionem: *Ad Romanum, 62.* s. Pii V., et declarationes hujus sacrae Congregationis relatas a *Corrad. prax. dispensat. lib. 8. c. 7. n. 15. et 20.*

Preces a Dataria remissae fuerunt ad hanc sacram Congregationem *pro voto.* Et auditus de more officialis Leodiensis narratorum veritatem sua relatione comprobavit, advertit tamen, medicos haud declarasse, quod talis fuerit febris hectica Josephae Barbarae N., ut matrimonium cum ea consummari non potuerit; transmisit etiam alias eorumdem oratorum preces a parocho loci subscriptas, quibus narratur, pauperes quidem et miserabiles esse oratores sua industria suarumque manuum labore viventes, sed catholicos atque orthodoxae fidei cultores vere existere, sub obedientia sanctae romanae ecclesiae vitam mortemque obire paratos ac optare invicem matrimonii vinculo jungi ad legitimandam sobolem et ne mulier diffamata et innupta remaneat neve gravia exinde oriantur scandala, quae verisimiliter timeri possunt: eosque tandem praestito in manibus parochi juramento affirmasse patratam nequaquam fuisse copulam animo facilius obtinendi dispensationem.

Causa nunc proponitur et disputant oratores, deferendum esse viri juramento de numquam sequuta consummatione, cum mortuae uxoris corpus inspici amplius non possit, ut definivit Rota, ad effectum tamen excludendi bigamiam *in decis. 38. num. 14. et seq. post Zacch. quaest. medic. legal. tom. 2;* ac proinde locum esse dispensationi ab impedimento publicae honestatis, quod solum oritur ex matrimonio rato et non consummato, ut legitimata sobole et reintegrata mulieris fama evitentur scandala alias oritura, juxta firmata per *Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 24. num. 16.* et *Corrad. prax. dispensat. lib. 8. cap. 7. num. 21.* Perpendendum tamen, quod haec sacra Congregatio in alia causa pariter *Leodien. Dispensationis,* postquam rescripserat: Instent post obtentam sententiam ab Ordinario, super matrimonio rato et consummato die 10. Maji 1755 dispensationem denegavit non obstante simili juramento non secutae consummationis praestito per conjugem superstitem, cui deferri posse Ordinarius pronunciaverat, *ut in l. 105. decret. p. 156*, et concordat rescriptum in *Pennen. Dispensat. 29. Maji 1856. l. 106. decret. p. 178.*

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 8. et 22. Maji 1762.

Neapolitana.

(l. Gradus.)

(Conc. Tr. c 3. 4. 5. sess. 24. de ref. matr.)

Hyacinthus N., ut inhonestam consuetudinem, quam habebat cum Caecilia N. uxore, specie affinitatis commodius faciliusque continuaret, simulavit prius amorem cum Elisabeth, Caeciliae filia et cum illa sive aliquo metu a Nicolao patre incusso sive tantum pravo animi motu ductus matrimonium et contraxit et consummavit; defuncto autem Nicolao viro et patre respective dd. Caeciliae et Elisabeth Hyacinthus instetit et obtinuit matrimonium initum cum Elisabeth declarari nullum; haec tamen clausula in sententia fuit apposita: *Quatenus matrimonium praedictum dispensatione apostolica reconvalidare noluerint;* sed Hyacinthus et Elisabeth, ut ostenderent, qua mente matrimonium per sententiam dissolutum iniverant, statim mutuo et jurato consensu declararunt, nolle matrimonium contrahere et paucos post dies Elisabeth Nicolao Francisco N. nupsit. Successive Hyacinthus et Caecilia continuantes, ut ipsimet exponunt, improbam consuetudinem procreant filiam et fugientes, ut supponunt, iram fratrum Caeciliae vindicem laesi honoris seu poenam curiae ecclesiasticae pervenerunt ad Urbem et Sanctitati Suae supplicarunt pro dispensatione a primo publicae honestatis et affinitatis gradu; eorumque preces remissae fuerunt EE. VV. pro voto. Eminentissimus Archiepiscopus Neapolis suam relationem ita concludit:

»Hyacinthus et Caecilia cum dispensatione apostolica matrimonium simul contrahere summopere procurarunt sub praetextu restaurandi laesum honorem Caeciliae. Certum tamen est, quod, si hujusmodi dispensatio permitteretur, grave scandalum horroremque exinde oriturum, cum tam horrendum et detestabile facinus in hac civitate sit publicum et communiter detestatum, maxime tamen, cum post decretum a curia nostra datum rumor invaluerit, quod testes falsum in judicio dixerint, et orator, quando contraxit matrimonium cum Elisabeth, dispensationem obtinuerit a suprema Poenitentiaria; propterea existimarem ad evitandum evitanda ac ne talis aditus aperiretur peccantibus, minime oratorum precibus esse deferendum.«

His omnibus accedit, quod Elisabeth in examine deposuit: »*Il padre spirituale mi aveva consultato, che avessi fatto d. matrimonio stante mia madre faceva venire la dispensa dalla s. penitenziaria*«; demum in informatione oratorum legitur: »*Omnes cum Hyacintho unum continet cubiculum unumque angustum cubile, nempe Caeciliam, Hyacinthum, filiam pubertati nimis proximam*«; hinc a summa EE. VV. sapientia votum exquiritur:

An sit concedenda dispensatio?

S. C. C. resp.: Negative et ad dominum secretarium juxta mentem.

Die 18. Martii 1716.

19) Dispensatio conditionata.

Conimbricen.

(Matrimon. constat conditione attamen non impleta.)

(Conc. Tr. c. 5. sess. 23. de ref. matrim.)

Antonius Joannes, ut matrimonium iniret cum Francisca N. pontificiam impetravit dispensationem super impedimentum primi gradus affinitatis jam ante contractae ob illicitam consuetudinem cum sorore ejusdem Franciscae. In ipsis autem literis apostolicis ad summovendam deinceps periculi occasionem adjectum de more fuit hoc decretum: »Injuncto eisdem oratoribus sub gravissimis poenis, ne in civitate, oppido seu loco, in qua seu quo praedictae oratricis sororem pro tempore commorari contigerit, habitent; et si mandato hujusmodi non paruerint, praesentes literae eis quoad forum conscientiae nullatenus suffragentur.«

Paritum huic praecepto non fuit, nam post initum matrimonium conjuges in eodem loco domicilium habuere pluribus annis, suscepta etiam interea sobole. Itaque curia episcopalis quaestionem instituit in memoratos conjuges censuitque matrimonium esse invalidum ex vi illius clausulae in literis apostolicae dispensationis appositae.

Pronunciavit etiam Ordinarius Antonium esse mulctandum poena carceris per annum deindeque exilio per quinquennium. Cum sex jam anni praeterlapsi fuerint, in quorum intervallo Antonius et Francisca seorsum vixerunt jamque etiam e vivis excesserit ejusdem Franciscae soror, ob quam clausula illa in pontificia dispensatione fuerat adjecta, supplex hodie postulat praedictus Antonius, ut declaretur: an matrimonium fuerit nullum: si autem validum esse visum fuerit, rogat absolvi a poenis, quas ab eo subeundas decrevit curia episcopalis, ut conjuges libere simul in posterum vivere possint.

Quod igitur spectat ad matrimonii validitatem, perpendi oportet, quaenam esse possit significatio et virtus clausulae superius exscriptae. Duo enim in similibus dispensationibus praescribi solent: alterum scilicet, quod prius omnis occasio recidivae conversationis cum faemina consanguinea futura uxoris tollatur: alterum vero, quod iis, qui matrimonium contracturi sunt, denuncietur praeceptum non habitandi in eodem loco, in quo commorari contigerit eamdem faeminam consanguineam uxoris, ut videre et apud *Corrad. de dispensat. lib. 7. cap. 3. n. 25.* At vero prima pars ejus legis, sub qua dispensationis impertiendae facultas tribuitur, respicit tempus praecedens celebrationem matrimonii, ideoque cavere debet executor dispensationis, ut prius relabendi occasio removeatur, cujus remotionis modum explicat *Leo prax. poenit. par. 2. cap. 5. n. 4.* Ita quidem, ut, si executor literarum apostolicarum processerit ad earum executionem, omissa occasionis remotione, matrimonium videri possit nullum, ob non servatam formam commissionis et mandati de dispensando, ut notat *de Just. dispensat. lib. 1. cap. 8. n. 202. cum duobus seqq.*

Sed major difficultas versatur in altera parte impositae legis. Praescriptum quippe, ne conjuges habitent in eo loco, in quo pro tempore degere contigerit sororem uxoris, debet quidem praecedere executionem dispensationis et celebrationem matrimonii quoad denunciationem illius praecepti faciendam ab executore, sed paritio et praecepti observatio, quae ad conjuges pertinet, respicit tempus subsequens matrimonium. Si ergo deinde hujusmodi praecepto non paruerint, non videtur per hoc inferri posse nullatis matrimonii jam ante valide contracti, quia in matrimonio, tametsi dari possit conditio suspensiva ejus validitatis, non tamen ei convenit conditio resolutiva ob indissolubilitatem matrimonii divino jure constitutam, quae non patitur, quod matrimonium ab initio validum ex futuro eventu reddatur dissolutioni obnoxium, ut habetur in *cap.: Cum sis de convers. conjugat.*, et in *cap.: Quicumque de condit. apposit.; Fagnan. in cap.: Cum in ecclesiis de majorit. et obed.* Et sane, si aliter diceretur, sequeretur etiam dicendum, quod in arbitrio conjugum esset positum matrimonii vinculum dirimere irritumque facere, cum ab eorum voluntate et arbitrio pendeat habitare vel non habitare eo in loco, in quo sedem habeat alia persona, cum qua conversandi occasio arceri debuit.

Quamvis itaque verba illa »*Literae quoad forum conscientiae nullatenus suffragentur*,« vim habeant irritandi actum ipso jure, ut advertit *de Just. loc. cit. n. 200*, nihilominus considerari oportet: an in subjecta materia haec verba possint habere sensum tollendi omnino de medio dispensationem, perinde quasi matrimonium ea non impetrata fuisset non contractum adeoque invalidum, an vero potius sic eam clausulam explicari oporteat, ut salva validitate matrimonii conjuges obtemperantes injuncto praecepto subjecti reddantur peccato, cujus seclusa dispensatione essent obnoxii, proindeque matrimonium dumtaxat reddatur illicitum, ut hanc interpretationem fovere videntur voces illae: *in foro conscientiae.*

Erit igitur ab EE. VV. definiendum:

1. An constet de nullitate matrimonii in casu, de quo agitur?

2. An sit concedenda Antonio absolutio a poena carceris et exilii ob non servatum praeceptum imposita in casu?

S. C. resp. ad primum: Negative. Ad secundum: Affirmative.

Die 3. Apr. 1734.

20) Dispensatio apostol. in I. gradu.

Vd. p. 345. n. 17; p. 348. n. 18; p. 351. n. 22.

In primo affinitatis gradu summus Pontifex non solet nisi in rarissimis quibusdam casibus dispensare; nullius momenti dicenda est promissio. Ubi enim conditio impleri nequit, nihil valet stipulatio; *leg. inter stipulatorem 11. §. 5. leg. continuus 137. §. 6. ff. de verb. oblig.*

(Ex res. diei 21. Febr. 1835. *Acheruntina.*)

21) Dispensatio a Vicario capitul.

Vd. *Matrim.* (dispensatio.); *Consanguinitas.*

(Conc. Trid. c. 6. sess. 25. de refor.)

Ad dub. 1. An Provisores et Vicarii a capitulis sede vacante deputati valeant dispensare in gradibus prohibitis ad matrim. contrahenda? et quatenus negative;

2. Quando consulendum in matrimoniis jam contractis cum hujusmodi dispensationibus?

S. C. C. resp. *Ad 1*: Negative; *ad 2*: Dilata.

Die 28. Jan. 1708.

22) Dispensationis causae et executio.

Vd. *Dispensat. apostol. p. 345. §. Et quatenus.*

Dispensationum matrimonialium causas veraciter exponendas et ab executoribus omnino verificandas esse statuitur.

Benedictus XIV. Episcopus. Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad apostolicae servitutis nostrae ministerium pertinet sedula invigilare cura, ut dispensationes super gradibus affinitatis seu consanguinitatis, intra quos matrimonia contrahi prohibentur vel super aliis a sacris canonibus statutis impedimentis nisi ex debitis causis non concedantur et omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini ac decori romanae ecclesiae, cui, licet immerito, divina benignitate praesidemus.

§. 1. Sane quidem ad dispensationes obtinendas ab iis, qui eas postulant, in supplici libello, causae pro illis consequendis exprimi solent; quae si ejusmodi fuerint, ut juxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet ejusque executio Ordinario ut plurimum committi, cui onus incumbit diligenter inquirere: an causae expositae veritate nitantur, ut veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, secus vero, si causae nullatenus veritati consentaneae sint. Si autem contingat, ob causas minime veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur, qui eam impetrarunt, apud negotiorum gestores seu literarum apostolicarum expeditores conquerantur; a quibus nonnunquam responderi solet, executionem perperam et injuria denegatam fuisse, quia expressio causarum earumque verificatio in dispensationibus non est aliquid substantiale sed formalitas quaedam et forensis stili consuetudo: quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem ac modum bene ac prudenter constitutum subvertit; cum expressio causarum earumque verificatio ad substantiam et validitatem dispensationis pertineat illisque deficientibus gratia nulla ac irrita sit nullamque executionem mereatur.

§. 2. Id autem, ut plurimum evenit in dispensationibus, in quibus apponi solet clausula: »*et oratoribus vitae periculum immineret*«, quae cum saepe in dispensationibus in primo et secundo vel in secundo gradu et in nonnullis aliis canonicis impedimentis, sine ulla ratione, causa et veritate expressa reperiatur, Ordinarii locorum, qui cautius et accuratius se gerunt, nisi vitae periculum immineat, dispensationem exequi recusant, alii vero, fortasse falso rumore inducti, quod hujusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentius, quam necesse est, procedentes periculo vitae neque argumentis probabilibus verificato eoque oratoribus saltem verisimiliter imminere comperto gratiam dispensationis exequuntur.

§. 3. S. M. praedecessor noster Pius PP. V. in sua constitutione per viam motus proprii expedita et publicata sub die 5. Decembris anno 1566, cujus initium est: »*Sicut accepimus*«, decrevit, omnes et singulos procuratores tam officii sacrae Poenitentiariae seu contradictarum quam alios quoscumque sollicitatores et scriptores, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt quoad substantialia et qualitates necessario exprimendas, diversam faciunt seu quoquomodo intervertunt aut immutant aut depravant aut per subreptionem et obreptionem gratias a romanis Pontificibus extorquent, poenam falsi incurrere et ea puniri omnino debere.

§. 4. Hujusmodi autem constitutio quamquam videatur pertinere dumtaxat ad procuratores, sollicitatores et scriptores officii sacrae Poenitentiariae, ubi per id temporis matrimoniales dispensationes etiam in foro ex-

terno concedi solebant, nihilominus pro pastorali nostra et paterna cura ex Alto Nobis commissa, hortamur, monemus ac praecipimus omnibus et singulis negotiorum gestoribus, procuratoribus et expeditoribus literarum apostolicarum etiam Datariae nostrae, ut, cum simplices preces pro aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sunt, id primum ante omnia agant, ut plenam atque exactam facti notitiam assequi curent, sciscitantes ab ipsis oratoribus: an hae et illae causae adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc vel illo gradu, deinde in supplici libello facti speciem nitide ac sincere exponant caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed stricte adhaereant iis, quae ab oratoribus sibi exposita fuerunt, et multo magis abstineant, ne quid falsi et ficti proprio ingenio inventum vel excogitatum, ad gratiam dispensationis facilius obtinendam, in precibus obtrudant: demum prae oculis habentes, se operam suam in ecclesiasticis negotiis in hac alma urbe exhibere, ubi cathedra veritatis est, ipsam solam ament et sectentur veritatem non lucrum aut gratiam et favorem supplicantium, diligenterque videant, ne mendacii aut erroris merito argui, cum animae suae detrimento, possint, falso et perperam asserentes, causas earumque verificationes ex provida nostrorum praedecessorum dispositione in hujusmodi gratiis ad ecclesiasticae disciplinae vigorem et canonicarum legum et apostolicarum constitutionum voluntatem servandam apponi et respective demandari solitas, vanas et superfluas esse et tanquam inanes curiae formalitates parvi aut nihili esse faciendas.

§. 5. Praeterea hujusmodi graves abusus, quibus honor et decus hujus almae urbis dehonestatur et Sedis apostolicae splendori ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes motu proprio, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine praefatam constitutionem s. m. Pii V. praedecessoris nostri extendimus, dilatamus ac producimus ad omnes praedictos negotiorum gestores, procuratores et expeditores literarum apostolicarum, cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis et quocumque indulto, privilegio et dignitate munitos et, quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus et innovamus, volentes ac decernentes, ut in omnibus superius expressis casibus poena falsi contra delinquentes locum habeat, sine tamen praejudicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui ob illorum culpam ejusmodi dispensationes, quae executioni demandari nequeunt, obtinuerunt.

§. 6. Denique omnes et singulos venerabiles fratres, Archiepiscopos, Episcopos et locorum Ordinarios caeterosque executores literarum apostolicarum, quibus hujusmodi dispensationum executio committi solet, enixe rogamus et obsecramus, ut sedulo ac diligenter attendant priusquam dispensationis gratiam exequantur, an causae in apostolicis literis expressae, et quarum verificatio eorum curae et vigilantiae a Sede apostolica commissa est, veraene an secus existant, an potius Sedi apostolicae falsum expositum et veritas reticita fuerit, qua super re eorum conscientiam oneramus.

§. 7. Et quoniam in iisdem apostolicis literis super dispensationibus in gradibus prohibitis aliisque praefatis impedimentis nonnulla observata sunt, quae negotium executoribus quandoque exhibere et scrupulos eorum animis ingerere solent, apostolicae Nostrae sollicitudinis erit, ea dilucidius et apertius in iisdem dispensationum literis apostolicis exponere ac declarare, ut omni dubitatione sublata et causis coram executore hujusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, apostolicae literae matrimonialium dispensationum sine ulla haesitatione ad debitam executionem deduci possint.

§. 8. Mandamus quoque et injungimus dilecto filio nostro Pompejo tituli s. Eusebii S. R. C. Presbytero Cardinali Aldrovando nuncupato Prodatario nostro ejusque successoribus Datariae apostolicae prodatariis seu datariis pro tempore existentibus, ut in praemissis reos et culpabiles repertos poena falsi, ut praefertur, puniant, cum potestate citandi etiam per edictum, constito summarie de non tuto accessu, aliaque dicendi et faciendi in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus et quibusvis indultis et privilegiis, quibuscumque personis etiam speciali mentione dignis, datis et concessis caeterisque contrariis quibuscumque.

Die 25. Febr. 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 127.)

23) Duplex.

Affinitas est veluti finium unitas eaque duplex, canonica et legalis: haec tantum ex maritali, illa etiam ex vetita conjunctione affinitatem repetit.

24) Extinctio.

Pauca de modis, quibus affinitas extinguitur.

Affinitas legitima extinguitur:

Primo: morte affinium. Sublato enim subjecto tollitur ejus accidens seu qualitas, quae sine subjecto existere nequit, et uno correlatorum sublato tollitur et alterum. Atque hoc modo etiam extinguitur affinitas illegitima, imperfecta et legalis primi, secundi ac tertii generis.

Secundo: affinitas legitima proprie data morte cognati sive conjugis solvitur, quo mediante ipsa est contracta.

Tertio: affinitas solvitur divortio illorum, quorum nuptiis est contracta.

Quarto demum affinitas solvitur maxima capitis diminutione.

25) Ex fornicatione.

(Declaratio conc. Trident.)

Vd.: *Affinitas* (ex copula illicita p. 337 n. 6).

Declarationes concilii Tridentini sess. XXIV. cap. II. et IV. circa impedimenta affinitatis ex fornicatione quoad matrimonia post confirmationem concilii contracta et decaetero contrahenda.

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus Noster Pius divina providentia Papa V.

Ad cujus notitiam pervenit, quod, cum in decretis sacri concilii Tridentini certae tantum personae enumerentur, inter quas dumtaxat cognatio spiritualis deinceps contrahatur, ab aliquibus revocatur in dubium: an, qui ultra personas in dictis decretis enumeratas, quoquomodo cognatione spirituali, ante confirmationem dicti concilii, conjuncti erant, absque dispensatione apostolica, matrimonium post dictam confirmationem contrahere potuerint ac hodie et de caetero contrahere possint, cum ante praedictam confirmationem id facere de jure minime liceret.

§. 1. Et insuper, cum in eisdem decretis statuatur affinitatem, quae ex fornicatione contrahitur, in illis solummodo attendi debere, qui primo vel secundo affinitatis gradu conjunguntur, ab aliquibus pariter dubitetur: An matrimonia inter personas, quae ante confirmationem dicti concilii, absque dispensatione apostolica, contracta et quae deinceps contrahi contigerit, dirimi debeant.

§. 2. Sanctitas Sua ad tollendum omne dubium, eos, qui ante confirmationem praedicti concilii cognationem spiritualem contraxerunt, dummodo non sint ex personis in dictis decretis enumeratis et inter quas tantum concilium voluit deinceps contrahi hanc cognationem spiritualem, matrimonii vinculo inter se, absque dispensatione aliqua, libere et licite copulari posse ac matrimonia, etiam post confirmationem hujusmodi, absque dispensatione Sedis apostolicae, inter eas jam contracta valere plenamque roboris firmitatem obtinere.

§. 3. Et similiter matrimonia, post confirmationem concilii, absque dispensatione apostolica sequuta et quae de caetero sequentur inter personas, quae, ante dictam confirmationem, affinitatem (infra tamen secundum gradum ex fornicatione provenientem) contraxerant, propter hujusmodi affinitatem dirimi non debere, sed valida et efficacia existere declaravit.

§. 4. Sicque per quoscumque judices et commissarios, etiam sanctae ecclesiae Cardinales, sublata eis quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decrevit.

Placet, publicetur et describatur. Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae in cancellaria apostolica, anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, die vero Martis vigesima mensis Augusti, pontificatus praefati sanctissimi domini nostri Papae anno I.

A. Lomellinus Custos.

Publ. die 20. Augusti 1566. pontif. anno I.

Stephanus de Olea. Magister cursorum.

Sequitur alia declaratio circa impedimentum affinitatis et fornicationis.

Pius V. Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Ad romanum Pontificem spectat canonicas sanctiones, quae expressiorem sensum postulare videntur, re diligenter perspecta, ita declarare et alias providere, ut omnis dubietas de piis christifidelium mentibus evellatur.

§. 1. Sane, postquam ex eo, quod Tridentina synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens, per quod non solum matrimonium contrahi prohibetur, sed etiam postea factum dirimitur, ad eos tantum restrinxit, qui primo et secundo gradu conjunguntur, in ulterioribus vero gradibus statuit matrimonium postea factum non dirimi, a pluribus christifidelibus, ut accepimus, est dubitatum: An licet in ulterioribus gradibus hujusmodi matrimonium contractum non dirimetur, adhuc tamen, juxta antiquos canones, contrahi prohibeatur.

§. 2. Et propterea, Nos omnem ambiguitatem tollere et animarum tranquillitati ac matrimonii libertati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes declaramus et apostolica auctoritate decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi libere et licite matrimonium contrahi possit.

§. 3. Et ita ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus decernentes irritum et inane, si quid secus a quoquam, quacumque dignitate, auctoritate et potestate praedito, contigerit judicari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis aliisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, quod praesentes literae in cancellaria nostra apostolica et in acie campi Florae de more publicentur et inter constitutiones perpetuo valituras describantur; et quia difficile foret, eas ad singula quaeque loca deferri, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii subscriptis ac sigillo alicujus praelati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis do inicae millesi o quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Kalendas Decembris pontificatus nostri anno I.

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexages io sexto, die vero decima nona mensis Dece bris, pontificatus sanctissimi domini nostri Pii divina providentia Papae V. anno ejus I. retroscriptae fuerunt Romae in valvis cancellariae apostolicae et in acie campi Florae, ut moris est, per nos Joannem Andream Rogerium et Camillum Cherubinum cursores.

Stephanus de Olea. Magister cursorum.

Dat. die 28. Nov. 1566.

(Bull. r. t. VII. p. 476 Ed. Aug. Taur.)

26) Genus unum.

Vd. *Affinit.* (affinitat. non parit etc. p. 336 n. 2.)

Licet antiquo jure tria fuerint genera affinitatis, novo tamen et hodierno jure est unicum tantum genus affinitatis scilicet inter virum cognoscentem et consanguineos foeminae cognitae et e contra inter foeminam cognitam et consanguineos viri cognoscentis; et hoc genus erat primum inter tria dicta genera, quorum secundum et tertium est modo penitus sublatum *ab Innocentio III. capit.: Non debet 8 de consanguinit. et affinit. in concil. general. Lateranens. IV.* praecisis his verbis: Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo et tertio affinitatis genere minime contrahendo et de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, et difficultates frequenter inducant et aliquando pericula pariant animarum, cum cessante prohibitione esset effectus, constitutiones super hoc editas sacri approbatione concilii revocantes praesenti constitutione decernimus, ut sic contrahentes libere copulentur.

27) Gradus dignoscendi.

Vd. *Affinitas* (nomina); *Consanguinitas* (nomina).

Ad dignoscendos gradus affinitatis sufficit cognitio arboris consanguinitatis, cum juxta gradus consanguinitatis computentur etiam gradus affinitatis, idest, quot gradibus consanguinitatis aliquae personae conjunctae sunt viro cognoscenti, totidem etiam gradibus affinitatis conjunguntur mulieri cognitae, et e contra, quot gradibus consanguinitatis aliquae personae conjunctae sunt mulieri cognitae, totidem etiam gradibus affinitatis conjunguntur viro cognoscenti; sic, quia soror v. g. mulieris cognitae est ipsi mulieri consanguinea in primo gradu, erit etiam in primo gradu affinis viro cognoscenti, et sic contra, quia frater v. g. mariti seu viri cognoscentis est ipsi viro cognoscenti consanguineus in primo gradu, erit etiam in primo gradu affinis uxori seu mulieri cognitae; et sic dicendum est proportionaliter et gradatim de reliquis aliis, *cap.: Porro. 3. caus. 35. q. 5.*

28) Gradus primus.

Non adest.

Surrentina.

A diuturna inhonestae vitae consuetudine cupientes Valerius N. et Lucia de N. civi-

tatis Surrenti divelli sponsalia de futuro inierunt coram parocho et testibus, quin et dictus Valerius ad illorum observantiam in illa curia laicali fidejussionem juramento firmatam adhibuit.

Cum autem consuetae denunciationes peragerent pro matrimonii celebratione, insurrexit Dominicus Antonius N., frater germanus praedicti Valeri objecitque sponsis in illa curia archiepiscopali affinitatis impedimentum proveniens ex asserta copula illicita habita inter ipsum et dictam Luciam. Hinc de ordine Archiepiscopi, suspensis denunciationibus antedictis, praefixus fuit praefato Dominico Antonio competens terminus ad objecta probandum. Unde constructo processu sex pro parte dicti Dominici Antonii inducti et examinati fuere testes, qui jurati deponunt, dictam Luciam alias turpem duxisse vitam, praecipue commercio habito cum dicto Valerio publice et scandalose vixisse, sed crebro sese vidisse testantur Dominicum Antonium N. dumtaxat alloquentem ipsam Luciam tum in ejusdem aedibus tum extra, quae omnia comprobat eadem Lucia uti principalis examinata, prout haec et alia perleguntur in dicto processu ad urbem transmisso.

Plures quoque testes per saepedictam Luciam inducti ac jurati haec omnia haud inficiantes contestantur, dictum Dominicum Antonium olim fuisse usum opera ejusdem ad esculenta quaedam transmittenda Catharinae Reali existenti in templo pietatis dictae civitatis, cujus germanam sororem sibi despondere cupiebat, propterea illum cum Lucia frequentes sermones conferentem aspexisse referant.

Quibus attentis Vicarius generalis Surrentinus sententiam protulit favore sponsorum pro ulteriori celebratione matrimonii. A qua tamen, interposita appellatione ad A. C. per saepedictum Dominicum Antonium, causa, praevia avocatione, tandem de mandato R. P. D. auditoris Sanctissimi remissa fuit ad hanc sac. congregationem. Quare concordato inter partes infrascripto dubio, ac procuratore ex adverso monito, sponsi oratores ex his et aliis deductis in summario humillime expetunt ab EE. VV. decerni:

An constet de impedimento primi gradus affinitatis in casu?

S. C. die 23. Julii 1707 respondit:

Negative et amplius.

29) Gradus quartus.

(Matrimon. contractum non constat.)

Nullius S. Benigni.

Secundas nuptias contraxerunt bona fide et coram ecclesia duo vidui Joseph N. et Joanna Catharina N., sed post paucos a contracto matrimonio dies rumor ortus est in oppido Montanarii utriusque conjugis patria, eos affinitate conjunctos esse, ideoque promotor fiscalis curiae abbatialis postulavit, ut conjuges subjicerentur fiscalibus interrogationibus, et ex eorum responsis compertum fuit conjunctos esse in quarto gradu affinitatis. Verum, quia facile apparuit eos ignoranter et bona fide matrimonium contraxisse, remissa fuit poena et ipse fiscus assensum praestitit, ut civile judicium nullitatis matrimonii instrueretur. Eminentissimus igitur Abbas illud legitimari mandavit, citato auditoque defensore matrimonii, qui excepit conjugum confessiones, utpote de collusione suspectas non esse spectandas. Joseph N. apostolica dispensatione matrimonium validari volebat, sed obstitit Joanna Catharina, quae ad probandum impedimentum dirimens edidit testes et fides matrimoniorum et baptismatum ascendentium. Collatis igitur fidibus cum libris parochialibus et examinatis duobus testibus sacerdotibus longaevis, et quorum alter affinis etiam est, de impedimento dirimente plenissime constitit, ideoque eminentissimus Abbas sententiam tulit nullitatis matrimonii contracti et libertatis utriusque contrahendi alias nuptias.

Appellavit defensor matrimonii, sed inopia contrahentium obstabat, ne prosequeretur appellatio, frustra ipsis petentibus, ut causae notio alteri in partibus per breve committeretur. Promotor itaque fiscalis curiae abbatialis, ut exorta scandala removeret, re egit sumptibus curiae obtulitque preces sacratissimo Principi Nostro, a quo causae cognitio data fuit s. huic tribunali. Actorum exemplar transmissum fuit, auditus eminentissimus Abbas, praefixus terminus viro et mulieri ad jura sua deducenda; necquicquam tamen, obstante semper inopia, ex qua fit, ut causam susceperit defendatque idem promotor fiscalis, qui urget dubitandum non esse de nullitate matrimonii contracti inter affines in quarto gradu ex aperta sanctione Innocentii III. in *cap.: Non debet de consang. et affin.;* dubitandum quoque non esse de affinitate in eo gradu, cum constet non

solum ex confessione conjugum sed ex testibus et ex fidibus matrimoniorum et baptismatum ascendentium, neque excipiebat defensor matrimonii paucos esse duos testes, quia in quacumque re satis sint testes duo, praesertim sacerdotes, quique confirmantur a matrimoniorum et baptismatum fidibus. Haec promotor fiscalis curiae abbatialis. A defensore matrimonii nihil habuimus. Dubium est:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative.

Die 14. Jan. et 22. Julii 1758.

30) Gradus secundus.

(Raro dispensandum.)

Vd.: *Affinit.* (ex copula illicita publ. matris etc. decr.: *Reatina* p. 337; non dispens. p. 348.)

Conciliaris dispositio *sess. 24. cap. 5. de reform. matrim.*, nulla facta distinctione inter impedimentum consanguinitatis et affinitatis, generaliter praescribit, quod in gradibus prohibitis nonnisi raro et ex causa dispensationes concedantur, quodque *in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes et ob publicam causam.*

Die 7. Juni 1777. *Utrina.*

31) Gradus varii.

Ad exemplum cognatorum dividuntur affines in affines primi, secundi, tertii et ulterioris gradus; proprie vero nulli sunt affinium et affinitatis gradus *l. 4. §. 5. ff. de gradib.*, ubi Modestinus ait gradus affinitatis nulli sunt. At quia etiam in affinibus est aliquis ordo, ut est socer, socrus, prosocrus etc. est gener, nurus, progener et pronurus et proinde, ad exemplum cognatorum et ex generationibus illorum, etiam affinium quidam numerantur gradus. Nascitur enim affinitas ex unione viri et uxoris, qui cum matrimonio juncti unum quoque modo fiant, necesse est vinculo isto utrinque cum iis connecti ipsorum cognatos, eodemque gradu quo quis cognatus est marito, fieri uxori affinem, et e contrario, quo gradu quis uxori cognatus est, eodem fieri affinem marito; *canon. 30. quaest. 5. Vinn. ad §.: Affinitatis 5. §. 1. de nuptiis n. 3.*

Constituit jus canonicum tria affinitatis et affinium genera, *cap. penult. de consanguin. et affinit.*, de quibus vide *Carpzov. de arbore consanguin. disput. 1. thes. 17. n. 13.* Sunt et aliae affinium divisiones, ut sexta, septima et octava. Sed necesse haudquaquam est de ipsis disserere.

32) Impedimentum ex quo tempore?

Affinitatis impedimentum jure canonico constitutum legitur *in conc. Neocaesariensis can. 2 apud Lub. T. 1. col. 1511., in con. Eliberitano. anno 305 habito apud Lub. T. 1. col. 999.* Hinc falsitatis arguuntur ii, qui ejus originem reputant a jure *civili a L. 2. Cod. Theodos. de Incest. nupt. anno 355. lata.*

33) Impediment. matrimonii estne ex matrim. rato et non consummato?

Vd.: *Affinitas* (non est impediment., decr. *Balneoregien §.: Ad inducendam.) Affinitas* (ex copula illicita p. 337 etc.; ex copula licita p. 341 etc.; dispensatur; non dispensatur.)

(Ex matrim. rato et non consummato.)

Non dispensatur.

Acheruntina.

Contractis sponsalibus per verba de futuro inter Josephum Joannem N. et Annam Catharinam N., antequam matrimonium iniretur, accidit, ut Josephus C. vulnere saucius jamjam esset moriturus. Interrogatus autem a sacerdote adstante eique extrema pietatis officia persolvente: utrum vellet cum Anna copulari, annuit Josephus et matrimonium juxta ritum ecclesiae contraxit; et paulo post occubuit absque eo, quod illud consummaverit. Defuncto Josepho cogitavit Sabinus N. illius frater de desponsanda sibi Anna N., et hac de causa familiariter cum ipsa conversatus est.

Verum animadvertens obstare impedimentum, quod *publicae honestatis* appellant, proveniens ex matrimonio cum praedefuncto fratre rato et non consummato, supplex adiit eminentissimum prodatarium pro obtinenda dispensatione deduxitque causam evitandi scandalum et infamiam, quae ex mutua viri et mulieris consuetudine oriri potuissent. Censuit autem laudatus eminentissimus prodatarius in re tanti momenti votum exquirere sac. hujus Congregationis, cui hujusmodi inspectio discutienda hodie proponitur.

Praestat itaque hic recensere ea omnia, quae resultant ex processu jussu sac. Cong. exarato quaeque ad decisionem praesentis quaestionis conferre potuerunt. Sex testes praeter Sabinum N. et Annam N. fuerunt

examini subjecti omnesque matrimonii consummationem uno ore excludunt. Imo sacerdos Angelus Volpicelli, postquam retulit, Josephum sclopi ictu vulneratum remansisse, addit: *A tutta fretta fui io chiamato per confessarlo, ed in fatti portatomi alla medisima sua casa, trovai detto quondam Giuseppe Giovanni N. semivivo, e considerandosi, che difficilmente poteva vivere, si pensò, e risolse esplorare la di lui volontà, se intendeva prendersi per Moglie la detta N., ed in fatti dimonstratosi prontissimo coll' esplorazione della di lui volontà da me fatta, in presenza mia il suddetti quondam Giuseppe Giovanni N. ed Anna Caterina N. furono congiunti in matrimonio dall' economo D. Giuseppe N. e dopo un quarto d' ora in circa volle da me confessari detto quondam Giuseppe Giovanni N., come già fece, e subito rese l' anima a Dio in mia presenza e di altri, dal che apparisce, esser seguito soltanto il matrimonio rato e non consumato.*

Praeterea testatur Sabinus N., nil quidquam aut minus caste aut honeste Josephum fratrem cum Anna tentasse, semperque innoxie et absque culpa se fuisse conversatum, animo tamen matrimonium cum ea ineundi. Anna vero Catharina affirmat, nullam ipsam inter et Josephum sive post inita sponsalia sive post matrimonii celebrationem carnalem copulam intercessisse.

Ait sacerdos Joseph Piarulli ex conversatione inter Josephum et Annam murmur quidem in loco fuisse evulgatum sed carnalem actum excludit. Existimat autem graviora scandala eventura majoremque infamiam subituram mulierem, nisi cum N. matrimonio fidem, *credo, che ci saranno stati degli accessi familiari in casa di detta Anna Caterina per parte di detto N.*

Convenit cum sententia Piarulli sacerdos Volpicelli asserens, ideo Sabinum de contrahendo cum Anna matrimonio cogitasse, *unicamente per reintegrare la medesima nella stima ad oggetto, che secondo intesi dire tra detto quondam Giuseppe Giovanni ed Anna Caterina si framezzò qualche prattica, mentre scambievolmente si portavano nelle rispettive Case, per il che ne nacque susurro nel paese.* Ex hac autem mutua Sabinum inter et Annam protracta consuetudine scandalum in populo exortum fuisse, quod magis augeretur, nisi invicem matrimonio copularentur. Illudque etiam mali accederet, quod mulier diffamata non amplius nubere posset.

Alter testis sacerdos Sabinus Romanelli nescire profitetur: an Sabinum inter et Annam carnalis copula intercesserit. Confirmat quae dicta sunt a sacerdote Piarulli de infamia mulieri obventa; et demum defunctum Josephum honestis probisque moribus praeditum commendat nullamque suspicionis aut scandali occasionem praebuisse dicit, quo tempore cum Anna post inita sponsalia conversatus est.

Tres autem mulieres deponunt, defunctum Josephum nonnisi raro ad domum Annae accessisse proindeque scandala oriri nequaquam potuisse asseverant. Asserunt tamen diffamationem coactam fuisse ex familiari ejusdem Annae cum Sabino consuetudine, quam quidem ab omni culpa immunem duae ex dictis mulieribus existimant, sed tertia de malo dubitat, dum ait: *Per quali accessi io dubito, siccome anche da altri si sospetta, che vi siano stati confidenziali e forse prattica carnale fra loro.*

Archiepiscopus judicio EE. VV. relinquit indaginem: an expediat dispensationem in praesenti casu concedere. Caeterum confirmat, quae hucusque relata sunt, praesertim quoad oratorum infamiam ex mutua familiaritate contractam. Testatur etiam de ipsorum paupertate, de qua alii quoque testes uno excepto sacerdote Volpicelli deponunt.

Non una est doctorum sententia:*) an ex matrimonio rato et non consummato impedimentum affinitatis vel publicae honestatis contrahatur. Affinitatem inde contrahi tradit *d. Thomas in supplement. ff. quaest. 55. num. 4. his verbis: Matrimonium affinitatem causat non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis conjugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. Unde et afffinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonii per verba de praesenti ante carnalem copulam.* Hanc sententiam sequntur nonnulli, quos refert *Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 64. num. 24,* ea innixi ratione quod per vinculum conjugale cum potestate ad copulam vir et uxor inveniuntur in ratione unius principii ad generationem.

Alii vero tenent ex matrimonio rato et non consummato affinitatem oriri non proprie sed initiative et lato modo sumptam. Alii demum sutinent impedimentum contrahi tantum publicae honestatis non autem affinitatis, quia haec non intercedit nisi ex co-

*) Vd. *p. 336. n. 4.*

pula perfecta et consummata, qua vir et uxor una caro efficiuntur, ut ait *Corrad. in praxi dispensat. l. 8. c. 7. a n. 15*, aliique relati a *Sanchez de matrimon. loc. cit. n. 25.*

Quidquid autem sit de difformi doctorum opinione, certum est, hujusmodi impedimentum non fuisse per concilium Tridentinum coercitum ad primum gradum vel protrahi ad omnes gradus, ad quos ante concilium protrahebatur. Ita declaravit s. Pius V. constitut: *Ad romanum,**) dicens: *Ad aures nostras pervenit, multos esse, qui dubitent: An decretum oecumenici concilii Tridentini sess. 24. de reformat. matrimon. cap. 3, quo cavetur, impedimentum publicae honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli, ubi vere valida fuerint, excedere primum gradum.. de sponsalibus per verba (ut ajunt) de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba de praesenti contracta, non tantum consummata, comprehendat, ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit . . ., declaramus et definimus, decretum concilii hujusmodi omnino intelligendum esse et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de jure veteri ante praedictum decretum concilii introductum erat.*

De potestate summi Pontificis dispensandi super hujusmodi impedimento dubitare non licet, quoniam illud neque ex naturali neque ex divino jure descendit, prout academiae omnes catholici orbis responderunt in celebri causa inter Henricum VIII. et Catharinam defuncti Arturi fratris viduam. Maximum in veteri mosayca lege erat discrimen inter casum, quo frater cum filiis, et casum, quo sine filiis discessisset. Siquidem *in cap. 18. et 20. Levitic.* reprobata omnino erant conjugia cum uxore defuncti fratris, qui relictis filiis obiisset, licita erant imo demandata hujusmodi connubia, ad resuscitandum demortui fratris semen, ut ex *Deuteronom. cap. 25.* In nova vero lege tollerantur haec matrimonia et praevia apostolica dispensatione permittuntur in neophitis, *si tamen fratres sine prole decessissent*, quemadmodum resultat ex *text. in cap. final. de divortiis*, ubi legitur, quod Innocentius III. potestatem fecerit Livoniensibus ad fidem conversis, ut cum vidua defuncti fratris, qui sine prole obiisset, matrimonio jungerentur.

Verum cum matrimonia, de quibus agitur, redoleant turpitudinem, idcirco nonnisi ex urgentibus causis dispensatio concedi concilium *Trid. sess. 24. cap. 5. de reform.* haec statuit: In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio vel raro, idque ex causa concedatur. *In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob publicam causam. Corradus in praxi dispensat. lib. 8. cap. 7. n. 21.* Dispensationem hujusmodi tunc solum concedi, quando afferuntur causae, quae allegari solent in dispensationibus super impedimento consanguinitatis seu affinitatis in proximioribus gradibus, vel quando intercesserit copula aut ex ipsius suspicione oriretur infamia vel aliae hujus generis justae et graves causae deducantur.

Non desunt, quamvis raro inveniantur, hujusmodi dispensationum exempla. Julius III., ut supra narratum est, dispensavit cum Henrico III., ut desponsaret sibi Catharinam Austriacam post mortem Arturi fratris, qui matrimonium cum ea inierat, sed non consummaverat. Similiter Innocentius X. dispensationem concessit cuidam nobili Pragensi, qui Imperatori a consiliis erat, ut matrimonio jungeretur cum vidua defuncti fratris, quamvis filios reliquisset, ut melius isti educari possent apud matrem, quae in domo ejusdem nobilis a multis annis permanserat. Tria prostant in familia Farnesia istarum dispensationum exempla, ut testatur *Rigant. ad regul. 49. cancellar. n. 45.*

In hujusmodi dispensationibus concedendis non adeo facilem se praebuit s. Congregatio, quae juxta casuum circumstantias illas quandoque concessit, aliquando tamen denegavit; in *Caven. 17. Novembris 1629* illam concessit, quia certum erat matrimonium a praedefuncto viro non fuisse consummatum sed in *Leodien. Dispensationis 10. Maji 1755* rejecit preces pro dispensatione, quia dubium de sequuta consummatione oriebatur. Praestat ante oculos habere votum hac super re exaratum in *causa Gadicen. Dispensationis, relatum supra p. 345.*

Quibus omnibus rite perpensis expendendum erit:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 16. Junii 1770.

*) Vd. *p. 353.*

Continuatio Acheruntina.

Itaque praeter ea, quae animadversa fuerunt in praecedenti istius causae folio, quod opportune nunc resumere EE. PP. rogantur, reticitam fuisse dicunt carnalem copulam, quae inter eos intercessit, sub spe obtinendae dispensationis ab impedimento publicae honestatis, quam spem effectu haud carituram pollicebantur epistolae ad Sabinum missae. Id insuper accedere, quod post notitiam denegatae a sacra Congregatione dispensationis, pandita per Annam Catharinam ejus cum Sabino illicita consuetudine parentibus ac fratribus, hi furose et ira abrepti mortem ipsi et Sabino minantur, nisi speratum sequatur conjugium, ex quo factum, ut ille ad evadendam necem profugus cum Gervasio fratre patrios lares deserere fuerit adactus.

His itaque praemissis repetunt, matrimonium cum Joanne Josepho praedefuncto Sabini fratre ratum tantummodo fuisse et non consummatum, prout deprehenditur tum ex tempore, quo initum fuit, nempe tunc cum lethali morbo correptus et sacramentis ecclesiae munitis jam esset moriturus, tum etiam ex testimonio Archiepiscopi aliorumque testium necnon Annae Catharinae, quae id ipsum jurejurando confirmavit. Inferunt idcirco adesse tantummodo impedimentum publicae honestatis, non autem affinitatis, quae nonnisi quam ex matrimonii consummatione contrahitur. *D. Thom. 4. distinct. 41. quaest. 1. artic. 1. quaestiunc. 4. ad 1; Reifenst. ad jus canon. lib. 4. §. 2. de affinitat. num. 39; Rota coram Arguel. decis. 8. num. 19.* Nec nisi improprie latoque modo vocari impedimentum affinitatis, quod ex matrimonio tantum rato oritur. *Sanchez de matrim. lib. 7. de impedim. matrim. discept. 64. num. 24. et 25; Corrad. in prax. dispens. lib. 8. cap. 7. num. 13 et seq.* Et hanc fuisse sac. hujus Congregationis sententiam apud eumdem *Corrad. n. 13.*

Advertunt autem, dispensationem a publicae honestatis impedimento haud raro concedi, quando aliqua gravis causa concurrat, prout in praesenti casu esset copula inter oratores, infamia ex ipsius copulae suspicione, scandalum et imminens ipsorum vitae periculum, *Corrad. loc. citat. num. 21*; *Reifenst. in append. ad lib. 4. de dispensat. super impediment. §. 3. de causis num. 49. De Justis de dispensat. matrimon. lib. 3. cap. 6. n. 22. et cap. 8. n. 7.*

Nec obesse putant sacrae hujus Congregationis decreta, quibus dispensatio denegata fuit in *Leodien. Dispensationis 10. Maji 1755, in Pinnen. Dispensationis 29. Maji 1756, et in altera Leodien. Dispensationis 22. Maji 1762.* Etenim in primo casu sustinet actum fuisse de dispensatione petita a muliere, ut duceret alterum sui viri fratrem, quod exorbitantius erat, maxime quia dubium de sequuta consummatione oriebatur. In secundo vero defuisse dicunt concludentem probationem non sequutae consummationis, praesertim ex defectu juramenti viri. Ac in tertio, probationes consummati matrimonii allatas fuisse contendunt. His itaque sepositis rationem potius habendam esse existimant resolutionis sac. hujus Congregationis editae in causa *Gadicen. Dispensationis 12. Junii et 25. Septembr. 1762,* in qua, licet ageretur de duriori casu, nec suspicio consummationis omnino deesset: nihilominus impertita fuit dispensatio ab impedimento publicae honestatis atque etiam ad cautelam ab impedimento affinitatis.

In praeterito istius causae folio relata fuit doctorum opinio: An ex matrimonio rato et non consummato impedimentum affinitatis vel publicae honestatis contrahatur, ac perpensae fuerunt circumstantiae, quibus dispensatio ab hujusmodi impedimento concedi consueverit. Ad ea proinde habenda relatio est, atque id unum modo expendendum superest: an scilicet exclusa prorsus videatur quaelibet carnalis copulae suspicio non quidem post matrimonium, sed antequam illud contraheretur. Qua super re animadvertendum est, quatuor ex testibus in formali examine affirmasse, matrimonium cum Anna Catharina in mortis articulo initum fuisse *per reintegrarla nella fama,* insuper *per rimetter detta Anna nella primiera sua stima,* ulterius *per non farla restar lesa nella stima,* ac demum *per risarcire la stima a detta Anna.*

Aliunde vero constat, gravissimas adesse causas, ob quas dispensatio ab impedimento publicae honestatis atque etiam ad cautelam ab impedimento affinitatis concedi consuevit, ut in citata *Gadicen. anni 1762.* Adest scilicet copula notoria necnon perpetua infamia Annae Catharinae illata ac imminens vitae periculum, quemadmodum aperte asserunt duodecim testes atque ipsemet Archi-

episcopus, qui suam relationem ita concludit: »In tale circostanza di un affare reso publico, la copula notoria, l' infamia della donna, le minaccie, ed evidenti pericoli della vita di esso Sabino e d' Anna, l' accensione degli animi dei congiunti della donna alterati ed offesi, e la qualità della gente, prova al sangue anche per cause meno rilevanti, mi hanno posto nell' obligazione come pastore di quelle anime alla mia curia commesse, e per potersi togliere li scandali, e gli inconvenienti inevitabili, umiliare il tutto all' EE. VV. Rme non solo con questa mia riverente rappressentanza, ma anche con unire l' originale processo compilato, affinchè passando per sotto gli occhi sacratissimi di codesta s. Congregazione, e dal medesimo ravvisando la serie de' fatti occorsi in quel prospetto, che essi sono, a tutto il di più, che viene deposto e certificato, possono con l' alto loro sapere e coll' autorità di codesta Sede Apostolica porgere il remedio a mali imminenti degli oratori, degnandosi di quella grazia della dispensa, che stimeranno opportuna.«

In his ergo circumstantiis, quid prudentia et aequitas suggerat, dijudicabunt Emi PP., dum quaeritur:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.: In decisis.

Die 8. Junii 1771.

34) De impedimento affinitatis non constat.

(Conc. Tr. c. 2 et 3. sess. 24. de ref. matr.)

Bobien.

Carolus N., civis Bobiensis, sacrae huic Congregationi supplex exposuit, post contracta de futuro sponsalia inter se ac Hieronymam N. ejusdem civitatis puellam indeque peractam unam ex tribus denunciationibus a sacro concilio Tridentino praescriptis quoddam fuisse ad episcopalem curiam ejusmodi nuptiarum delatum impedimentum; quod tamen quale esset, Episcopus, licet ab ipso exoratus, significare sibi noluerit inquiens ea de re exspectare se velle sanctae Sedis oraculum.

Super hisce precibus auditus primum fuit Episcopus, cui referenti momenta, ob quae ambigebat de impedimento sibi denunciato, datae sunt literae, ut in hac causa secundum juris normam procederet, quibus is morem gerens judiciariam, quam antea coeperat, super ejusdem impedimenti veritate disquisitionem prosequi aggressus est; at quum interea audiverit Carolum N. una cum sponsa ejusque matre aliquandiu simul cohabitasse (quod dioecesanae synodi constitutione sub excommunicationis poena ipso jure lata interdictum est sponsis antequam nuptias inierint) ejus quoque rei explorandae causa varios testes et Carolum ipsum subjecit examini, ex quo compertum habens, revera praefatos sponsos in eadem domo pernoctasse, sed ignorationis causa veniam posse promereri, levem quamdam cum iisdem sponsis tum sponsae matri poenitentiam indixit omnesque ad cautelam absolvit; de opposito tamen impedimento nihil adhuc a se definiendum tunc esse censuit, quamvis pro sententiae prolatione vehementer instaret Carolus.

Novas itaque obtulit iste sacro huic consessui preces, quibus de justitia sibi a suo praesule denegata quum valde coquerertur, oportuit iterum excitare Episcopum, ut ab impicta nota se vindicaret. Is autem sub diem 22. Septembris anni mox elapsi transmisit processum eousque confectum ac in literis eadem die datis varias congessit causas, ob quas inquit abstinuisse a ferenda sententia, primo nempe, quod in priore supplici oratoris libello allegatus ipse fuerit suspectus, secundo quod bini adhuc testes extra suam degentes dioecesim forent examinandi, tertio quod recognosci nondum juridice potuisset epistola quaedam ad hanc rem plurimum conferens Canonici Augustini Ulmi, et quarto demum, quod curia sua fisci procuratore careret, nec nisi aegre nimis posset ullus reperiri, qui eo munere vellet in hoc negocio defungi ob furentes Ulmorum animos unicuique sibi utcumque adversanti metum terroremque incutientes, ac praeterea se libentissime inquit in eam abiisse sententiam deferendi appellationi per Carolum N. interjectae rogans enixe eminentissimos PP., ut onus pronunciandi in hac causa sibi amplius non delegetur.

Rebus igitur in hoc statu manentibus urget modo Carolus N. decisionem dubii inferius subnectendi, quo disceptatur: num satis constet de impedimento consanguinitatis vel affinitatis in finem vetandi, ne memorati sponsi sese matrimonio conjungant. Scilicet dubitationis occasio oritur ex suspicione, quod Hieronyma sponsa genita fuerit ex adulterio

per ejus matrem cum Augustino N. fratre sponsi commisso, quamvis in libro parochiali baptismatum adnotatum legatur eamdem Hieronymam die 31. Octobris 1727 ex Carolo Ghiliano et Angela conjugibus natam esse.

Quod autem ex damnato coitu suscepta fuerit Hieronyma, conjici posse contendebatur ex nonnullis testibus in episcopali curia examinatis, qui deposuerunt satis vulgatam hujusmet rei famam ac pravam consuetudinem a dicto sponsi fratre, vivente adhuc ejusdem Angelae viro, cum ipsa habitam, praetereaque recensuerunt tum epistolam quamdam verbis amatoriis plenam ab eodem conscriptam, Angelae atque in episcopali curia exhibitum, in qua suam is nuncupat Hieronymam, tum plures ejus jactationes, quibus se patrem Hieronymae dictitabat. Verum haec omnia, num recte probata dici queant, eminentissimi patres dispicient ex integro processu in summario Caroli exhibendo.

Quatenus vero satis probata videri possent ea, quae de fama aliisque impedimenti conjecturis feruntur, dubium quidem non est ipsam impedimenti famam sicuti etiam unius testis asseverationem ex certa scientia satis esse, ne spe is amplius liceat matrimonium inire, ut colligitur *ex cap.: Super eo de consanguin. et affinit.*, et *cap.: Praeterea 12. de sponsalib.*, lateque probant cum aliis *Gonzal. in d. cap.: Praeterea num. 2; Uvagnerech. commentar. exeget. in cit. cap.: Praeterea de sponsal., et in cap.: Super eo de consang. et affin. in 1 et 2. not.; Sanchez. de matrim. lib. 1. disput. 71; de Justis de dispens. l. 1. cap. 6. a num. 412 ad 438.*

At vero perpendendum erit: num fama isthaec cum aliis etiam adminiculis juncta aeque sufficiat ad probandum illud, de quo agitur, impedimentum, consanguinitatis scilicet sponsi cum sponsa veluti concepta ex adulterino concubitu fratris ipsius sponsi: constans enim est juris praesumptio (nisi contrarium doceatur per manifesta vel diuturnae absentiae aut impotentiae viri vel alterius similis causae argumenta) sobolem ex conjugio potius quam ex adulterio esse procreatam, quamvis certo constet matrem saepius pollutam fuisse nefariis amplexibus, ut apertum est *Papiniani responsum in l. miles 11. §. Quae propter 9. ff. ad. l. Juliam de adulter.*, atque alterum *Ulpiani in l. filium 6. ff. de his qui sui vel alien.* et communiter docent *Barbosa in cap.: Per tuas de probat. num 3; Menoch. de arbitr. cas. 89; Guttier. can. quaest. lib. 1. cap. 38. num. 30; Zoes. in jus can. lib. 4. tit. 17. num. 2; Reiffenstuel. num. 10; Schmalzgrueb. num. 39.* ac latissime *Sperel. decis. 174. n. 5 et seqq.*

Idque adeo verum est, ut neque, si mater ipsa vel uterque etiam parens in mortis articulo adseverent quempiam ex filiis natum esse extra legitimum conjugii usum, ullatenus eis credi oporteat,*) ut monent *Abb. in cap.: Per tuas 10. de probat. num. 4.*, et cum aliis *Covarruv. de sponsalib. part. 2. cap. 8. §. 3. n. 10; Menoch. praesumpt. 53. n. 11. et 13; Sperel. in cit. dec. 174. n. 26 et 27; Gail. lib. 1. observat. 97. n. 8; Card. Paleot. de noth. cap. 24; Pont. de matrim. lib. 11. cap. 9. num. 3; Castropal. theol. moral. tr. 13. disp. 4. part. 1. §. 1. n. 7; Gobat. theol. moral. tom. 1. tract. 8. num. 432. et seqq.; Pontas dictionar. cas. conscient. tom. 2. in verb. illegitimus cas. 7; Anaclet. reit. in jus can. lib. 4 tit. 17. §. 1. sub num. 11. et 12; Schmalzgrueb. in cumd. tit. §. 1. num. 39.* Id quod praesertim obtinet, si aliae quaedam legitimitati prolis faveant praesumptiones, quarum praecipua est adnotatio in libro parochiali baptismatum, ex adductis per *Sperel. decis. 174. num. 28, et Rot. coram Coccin. dec. 7*, ubi ex hac adnotatione cum probatione matrimonii conjuncta rejectae fuerunt plurimae contrariae praesumptiones depromtae ex adulteri nominatione, educatione, institutione aliisque ejusmodi actionibus.

Ad hanc speciem non parum conferre videtur resolutio edita in *Pientina Matrimonii 20. Martii 1734*, ubi agebatur de impedimento consanguinitatis per matrem opposito, ne filia nuptias contraheret cum Francisco N, ex cujus avunculo mater ipsa per adulterium filiam genuisse adfirmabat: verum quum constaret matrem cum ejus viro cohabitasse per id tempus, quo sequi poterat filiae conceptio, ad propositum dubium:

An Francisco et Lucretiae permitti possit contrahere matrimonium in casu?

S. C. resp.: Affirmative et amplius, quamvis in eo casu concurrant et inhonesta consuetudo matris cum avunculo sponsi et nuncupatio filiae per oppidum fieri solita tamquam illegitimae.

Perpensis itaque omnibus decidendum erit:

An satis constet de impedimento consanguinitatis seu affinitatis ad effectum impedi-

*) Vd. *p. 242 n. 2; p. 241. Causa Syracusana.*

endi matrimonium inter Carolum N. et Hieronymam N. in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 16. Febr. 1743.

Balneoregien.

Mutua de ineundo matrimonio data acceptaque fide Magdalena N. passa est, ut fieret utero gravis a Dominico Antonio N. Hoc tamen in curia episcopali poscente veniam et proclamata matrimonio contradixit Carolus N., ejus frater, impedimentum affinitatis opponens ob illicitam copulam, quam retroactis temporibus intercessisse dixit inter eumdem Dominicum ejus fratrem et Mariam Annam dictae Magdalenae matrem, cum haec esset adhuc innupta. Hac de re a curia episcopali post interrogatos aliquot testes denegatis publicationibus confugit Dominicus a sacram hanc Congregationem, in qua dubium in calce transcriptum postulat definiendum.

Inquit autem, duo requiri ad impedimentum affinitatis constituendum, videlicet copulam undequaque completam*), *Leg. non facile ff. de gradib. affinit., et cap.: Fraternitas 35. quaest. 10,* et concludentem legitimamque illius probationem**), ut declaravit *s. Congregatio in Tudertina 24. Jan. 1632 apud Monacell. formul. legal. tit. 16. formul. 2. num. 30.* Utrumque vero in praesenti casu desiderari, cum neutrum eruatur ex duobus a curia episcopali auditis testibus, quorum alter de visu, alter de auditu deponit.

Etenim quoad foeminam testam de visu observat, ipsam non affirmasse, vidisse virum et mulierem invicem complexos, sed solum Mariam Annam eo modo ac loco stantem conspexisse, ut proximum accessum Dominici prope eam e conspectu manentis significaret. Addit eam foeminam vilis esse conditionis sibimet ipsi contrariam, insuperque tanquam unicum et singularem testem nullam probationem constituere, *Leg. Jurisjurandi Cod. de testib., cap.: Licet, cap.: Veniens, et cap.: In omni negotio de testibus.*

Quoad vero alterum testem de auditu ait, ex ejus dicto non deprehendi, a quo impedimenti scientiam habuerit, cum solum asseruit vocem de copula audivisse ab octo circiter vel novem mensibus ante ejus examen, quo tempore nondum rumor de sponsalibus vulgatus erat. Ait praeterea hunc testem affirmasse nihil inhonesti aut vidisse aut audivisse sequutum inter Dominicum et Mariam N., dum a 25 vel 30 retro annis eos inter amoris aestus ferebat, cum tamen, si quid mali accidisset, in parvo oppido et in publica apotheca, ubi factum contigisse narrat dicta mulier impudens et garrula, latere sane non potuisset.

Perperamque objici dicit inter Mariam N. et Petrum N. post assertum factum matrimonii foedere junctos exorta jurgia ob amicitiam, quam eadem Maria Anna cum Dominico Antonio servavit. Advertit enim ex solo amicitiae vinculo vel ex concepta a viro zelotypia copulam inferri non posse. Negat deinde hujusmodi jurgia exhibetque testimonium parochi terrae Lubriani asserentis, inter plures amasios, cum quibus Maria Anna suspectam fovebat amicitiam et quorum causa illam saepius admonuerat, non numerari Dominicum N. deque istius cum eadem muliere familiaritate nihil unquam audivisse.

Contendit denique copulam satis excludi ex jurata tum Mariae Annae tum Dominici depositione; atque hinc concludit, nullum eos inter adesse affinitatis impedimentum, proindeque ad removenda scandala legitimandamque prolem illegitime conceptam fas sibi esse matrimonium cum praedicta Magdalena contrahere.

Ad inducendam affinitatem, ex qua matrimonii impedimentum oriatur, requiritur copula sive conjugalis sive fornicaria perfecta et sufficiens ad generationem prolis, *cap.: Nec eam 35. quaest. 13, cap.: Transmissae, cap.: Discretionem,* cum per hujusmodi copulam fiat, ut vir et foemina una caro efficiuntur et affinitatem contrahant.

Quae autem requirantur ad rite probandum impedimentum, quod dissolvat sponsalia et matrimonium contrahendum impediat, passim tradunt doctores. Inter caetera vero communis fere apud omnes opinio invaluit, unicum etiam testem sufficere. Nam in *cap.: Praeterea 12. de sponsalibus* disponitur: *Praeterea de muliere, quae a viro impeditur, cujus consanguineus cum ea deliquisse proponit, sed hoc publice confiteri recusat propter metum et potentiam mulieris, providentiae tuae duximus respondendum, ut matrimonium ipsum fieri, nisi juramentum intervenisset, districte prohibeas, ne deterius inde contingat. Et in cap.: Super eo 22 de testibus* Alexander III. respondit: *Super illa vero quaestione, quam fecisti: an filia conjugenda non sit viro, eo quod sola mater alterutrius eos esse consanguineos confitetur, discretioni tuae aliter respondemus, quod si matrimonium inter eos non est consummatum, matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjugi, quia praesumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingat, cum mater id confiteatur.* Idque ideo receptum est, quia agitur de impediendo peccato et animae periculo et *ne deterius inde contingat,* ut habetur *in citat. cap.: Praeterea, de sponsalibus.*

Ut tamen unicus testis ad probationem constituendum admittatur, necesse est medio juramento et ex certa scientia testetur et non sit persona vilis, nisi factum ita clandestinum fuerit, ut nonnisi per vilem personam probari possit. Hinc admonentur judices, ut qualitatem personae testificantis omnesque circumstantias diligenter inquirant atque perpendant, quemadmodum advertit *Pamimoll. dec. 29. adnot. 3. num. 25,* aliique ab eo relati.

His in jure praemissis ponderanda sedulo est utriusque testis depositio et an ex ea desumi valida saltem praesumptio copulae perfectae inter Dominicum Antonium et Mariam Annam Magdalenae matrem. Habenda quoque ratio est qualitatis personae de visu testantis: nec demum praetereunda est tum dicti Dominici Antonii et Mariae Annae jurata declaratio carnalem copulam excludens, tum etiam testimonium parochi Lubriani de Dominico Antonio affirmantis: *Non ho mai sentito, nè mi è stato riferito, che con detta Maria Anna abbia avuto amicizia, o corrispondenza.*

Episcopus Balneoregien. constare putat de impedimento, quod ex allatis testium depositionibus satis resultare censet proindeque dispensationem in praesenti casu omniuo requiri concludit. Quaeritur, quae sit EE. PP. sententia, a quibus definiendum erit:

An constet de impedimento affinitatis in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 12. Maji et 16. Junii 1770.

*) Vd. *p. 336. n. 4; p. 357. §. Non una.*
**) Vd. *p. 380. n. 42.*

Senogallien.

Antonius N. ex oppido Ripis conflictabatur eo morbo, quo tradante urina illam arte extrahere oportebat. Ad hoc e proxima civitate Senogalliae accessitus fuit litotemus Joseph Mascioni ibique mansit diu noctuque infirmo assidens *a die 16. Maji 1803* ad *diem 13. Januarii 1804*, quo Antonius N. occubuit nuncupata haerede uxore sua Christina N., et exequutore testamentario ipso Josepho Mascioni. Defuncto N., ejus vidua et haeres in jurgium venit ex causa haereditatis cum leviris suis fratribus N. Relicto itaque oppido Ripis Senogalliam venit et cum Carolo filio Josephi Mascioni sponsalia de futuro contraxit et propediem erat matrimonium celebratura. Sed factis proclamationibus unus adfuit testis *Silvius Silvi*, qui suspicionem quandam ingessit, ne Christina vivente adhuc viro cum Josepho Mascioni Caroli patre rem habuisset. Subverens curia ecclesiastica Senogalliae, ne sponsi impedimento affinitatis tenereutur, instante promotore fiscali tum Silvium Silvi tum alios erogavit testes legitimisque quaestionibus subjecit, ut, quae scirent de vitae consuetudine inter Christinam et Josephum, accurate patefacerent.

Reclamavit Christina et Carolus N. ad s. hanc Congregationem postulantes, ut sibi matrimonium contrahi liceret. Commissum est Emmo Episcopo, ut examini subjiceret Christinam et Josephum aliosque testes super asserto impedimento actaque remitteret. Ex transmisso processu, qui manu transcriptus (ne typis vulgentur, quae pudore obtegenda sunt) EE. PP. distribuitur, haec habentur: Sex sunt testes auditi, Silvius Silvi et ejus uxor Camilla, famula in domo N., *Dianora Silvi, Dominicus Daniconi, Bartholomaeus Catalani,* qui omnes infirmo Antonio N. adjutrices operas praestiterunt, et tandem *sacerdos Hippolitus Lucilla.* Affirmant primi quinque testes, alii de visu alii de auditu, post adventum Joseph N. suos Christinam, ut antea, austeros non retinuisse mores sed aut turpia, quae dictitabat Joseph, in risum vertere aut ipsa minus honesta loqui coepisse. Addunt plus justo familiarem secum Christinam et Josephum habuisse consuetudinem, ut illa huic procurationem rei familiaris concrederet. Saepe secessisse in secretioribus locis, saepe Christinam vel in proximo cubiculo dormi-

entem ad eum accessisse, et in multam noctem cum eo mansisse vel subucula tantum amictam inter lintea jacuisse, dum Joseph vestitus quidem, sed proxime super eumdem lectum cubans stertebat. Nemo tamen ex his testibus congressus vidit, sed ex his, quae narrarunt aut ex rumore vulgi aliquid mali suspicantur. Sacerdos vero Lucilla cum una die convenisset Josephum eumque in stabulo manere accepisset, illuc suspenso incedens pede se contulit et narrat se vidisse Josephum stantem, complectentem Christinam, quemadmodum in citato processu exprimitur.

Praeterea in processu parochus Ripis testatur: *In seguito di una mormorazione quasiche generale in questa mia parrochia fui obbligato di avvertire per due volte e più la Signora Christina, affine si fosse astenuta di trattare con tanta familiarità e di continuo Giuseppe N.* Rogati vero tum Christina tum Joseph N. jurati affirmant se numquam habuisse *niun commercia e copula maritale.* Sed conqueruntur se in hoc discrimen esse adductos odio fratrum N., qui haereditatem fratris invident Christinae et Joseph persequuntur, qui tamquam exequutor testamentarius jura Christinae defendit, hinc impulisse, ajunt, testes sibi addictos, ut falsa narrarent et praecipue sacerdotem Lucilla, quem pluribus criminibus arguunt, ut ab eo fidem subtrahant.

Verum haec, quae Christina et Joseph opponunt, eminentissimus Episcopus in sua *informatione* refutat. *Quid juris,* ait, *fratres N. praedicti ex nuptiarum impedimento adipiscantur quidve damni ex nuptiarum successu sentiant, satis clare non video; ideoque nemo mihi persuadere poterit, quod fratres huic matrimonio sese opposuerint multoque minus, quod falso testes induxerint, qui huic matrimonio adversarentur. Et re quidem vera nemo eorum ante meum tribunal ea de causa comparuit. Tribuere id oportet cuidam Silvio Silvi, qui in termino trium denunciationum in curia se se stitit impedimentumque dirimens in actis deduxit. Neque mirum videri debet, quod servi, assecla, coloni ad familiam Lenci spectantes examinati fuerint, quippe non alios quam contubernales, cum de domesticis tantum rebus agatur, interrogare oportebat. Quamvis vero sacerdos Lucilla ingenio causticus, multiloquens et manu promptus missarumque malus adnotator habeatur propterea aliquando usque ad poenam carceris eum animadvertere necesse fuit: nihilominus mentitionis probrum est illi objicere perperamque accusatur, quod simul cum foemina aufugerit, quod incredulus, quod haereticales propositiones protulerit et quidquid dicitur super literarum apostolicarum falsificatione, nil aliud est, quam unius verbi ab eo in precibus facta immutatio, neutiquam tamen pontificio rescripto immutato, super quo sub judice lis est. Nihil modo dicam de moribus Caroli filii et Josephi patris N. et de moribus Christinae, qui ex actorum integro processu liquido resultabunt.*

Primum igitur dispositionem juris praestat in memoriam EE. PP. revocare. Jus antiquum, quod dirimens impedimentum affinitatis sive ex copula licita, ut *ex cap.: Non debet de consang. et affin.*, ita ex illicita, ut *ex cap.: Discretionem, de eo qui cognov.*, ad quartum gradum extendebat, moderatum fuit a s. concilio Tridentino *sess. 23. cap. 4. de reform. matrim.*, in quo impedimentum hujusmodi ex fornicatione descendens ad primum et secundum gradum tantum cohibuit*). Ad contrahendum vero hoc impedimentum affinitatis copula debet esse omnino perfecta**), ut definivit Pontifex *Benedict. I. in can. Lex divina 18. caus. 27. quaest. 2.*, et docuit *d. Thomas in 4. distinct. quaest. unic. artic. 1. quaestiuncul. 4. ad 2.* Super modo vero probandi***) impedimentum hujusmodi Alexander III. haec sancivit *in cap.: Super eo 22. de testib.: Respondemus, quod si non est firmatum matrimonium inter eos matre asserente ipsos esse consanguineos non debent conjungi: si vero est firmatum matrimonium, non debet sine plurium juramento dissolvi;* et in *cap. 3: De eo, qui cognov. cons.: De illo, qui uxorem fratris, antequam in matrimonium jungeretur, se proposuit cognovisse, respondemus, quod, nisi hoc publicum et notorium fuerit aut idoneis testibus comprobatum, praedictum matrimonium occasione illa ipsum impetere non permittas.*

Hinc receptissima obtinet distinctio: Aut enim agitur de matrimonio nondum contracto et tunc levis sufficit affinitatis probatio, aut agitur de matrimonio contracto, et tunc requiritur plenissima probatio, ut summa consensione tradunt *Sanchez de matrim. lib. 1. disput. 71. num 11.; Ursaya*

*) Vd. *p. 337. n. 6.*
**) Vd. *p. 336. n. 4; p. 357.* §. *Non una.*
***) Vd. *p. 380. n. 42.*

discept. eccles. 22. tom. 5. part. 2. num. 13.; Schmalzgrueb. jus eccles. unic. lib. 4. part. 3. tit. 13. num. 30. Hanc distinctionem sequuta est sacra Congregatio *in Surentina Matrimonii 23. Julii 1721, in Ravennaten Matrimonii 23. Augusti 1725, in Meliten. Nullitatis matrim. 15. Julii 1768.* Hisce enim casibus parvi fecit testes minus idoneos et dubios, ac etiam juramentum conjugum, quia agebatur de matrimonio jam contracto dirimendo. Quando vero agitur de matrimonio contrahendo, unicus etiam testis sufficit, ut *ex cap.: Praeterea 12. de sponsal.* Sed necesse est, ut testis de certa scientia loquatur, ut tradunt *Reiffenstuel. in decretal. lib. 2. tit. 20. num. 317; Sanchez. de matrim. lib. 1. disput. 71. num. 11.* Juramentum vero eorum, qui impedimento tenentur, nil sane relevat, ubi matrimonium contractum sit, ne matrimonium ex eorum juramento colludatur, ut inquit Coelestinus III. in *cap.; Super eo, de eo, qui cognov.* Sed ubi matrimonium sit adhuc contrahendum, juramentum attenditur, ut *ex Gloss. in citat. cap.: Super eo verb. confess.*

Sane in re nostra quinque testes dubitativi sunt et potius, quam de certa scientia impedimenti deponant, ex dictis et factis Christinae et Joseph de impedimento conjecturam faciunt. Unicus testis Lucilla narrat complexus utriusque, numquam vero fornicationis actum. Videant EE. PP, cum agatur de re difficilis probationis et de matrimonio contrahendo, num sufficiant conjecturae ad probandum impedimentum, vel potius deferendum sit juramento Christinae et Josephi, qui negant sese unquam cognovisse. Prae oculis quoque habeant resolutionem hujus s. Congregationis *in Balneoregien*) *Impedimenti* proposita in folio *diei 12. Maji 1770.* In illa causae specie agebatur de matrimonio contrahendo inter Magdalenam N. et Dominicum Antonium N. Unica muliercula deponebat se conspexisse Annam Mariam sororem germanam sponsae complexam cum Dominico Antonio, *ut proximum accessum prope eam e conspectu manentis significaret.* Aderat alter testis, qui de copula audierat. Sed jurata Dominici Antonii et Annae Mariae declaratio carnalem copulam excludebat. Nihilominus proposito dubio:

An constet de impedimento affinitatis?

*) Vd. *p. 362.*

responsum fuit in sequenti Congregatione 16. Junii: *Negative.*

Impressum memoriale distribuunt Christina N. et Carolus N., in cujus summario plures adducunt testes, ut probent exceptiones in persona, quoad contrarios testes, simulque, ut defendatur honestas ipsius Christinae.

Dubium proponitur:

An constet de impedimento affinitatis in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 17. Aug. 1805.

35) Injusta et illegitima.

Vd. *Affinitas* (justa etc.)

Affinitas injusta sive illegitima dicitur, quae secundum canones per illegitimum et injustum contrahitur coitum.

Conjunctio illegitima affinitatem de jure civili minime producit. Sed eam producit de jure canonice sed usque ad secundum. Vide *Pontium de matrim. lib. 7. cap. 33. n. 4.* Adde *Georg. Schulz de arbitr. consanguinit. cap. 7. n. 7.*

36) Justa seu legitima.

Vd. *p. 337. n. 6; p. 341. n. 8.*

Justa seu legitima est affnitas, quae per justas nuptias contracta est, ex hac affinitate rejuncti affines dicuntur justi sive legitimi, *Coppen. lib. 1. observat. 39. n. 5.*

Jus civile justam tantum agnoscit affinitatem, et per illicitam copulam sive illegitima affinitate junctos honorifico affinium nomine ac titulo indignos judicat. Sciendum est ita, respondet *Modestinus in l. 4. §. 8. ff. de gradib.*, neque cognationem neque affinitatem esse posse, nisi nuptiae non interdictae sint, ex quibus affinitas conjungitur. Quapropter jus civile quandocumque affinitatis et affinium facit mentionem et de illis aliquid disponit tantum legitimam et affines intelligit legitimos, neque regulariter affinitati illegitimae jus et effectum aliquem tribuit.

Sed jus canonicum agnoscit etiam illegitimam affinitatem et in illa conjunctos appellat affines, sed in causis solum matrimonialibus, tum etiam in aliis, in quibus sanguinis habetur ratio et pudor inspicitur naturalis, in quibus jus quoque hanc conjunctionem et quasi affinitatem, uti eamdem

appellat, non negligit, *l. 14. §. 2. 3 et l. 54 ff. de rit. nuptiar. l. 4. C. de nupt.* In aliis vero materiis observatur jus civile, ita ut affinitatis et affinium appellatione veniant affines legitimi proprie dicti. *Neander de arbit. consanguin. part. 2. quaest. 3,* quamvis affines contra affines inviti testimonium dicere non compellantur, *l. 4. ff. de testib. l. 10 princip. de gradib.;* hoc tamen privilegio neutiquam gaudent affines injusti seu illegitimi. *Rev. 64 de testib. part. 2. n. 176. et seqq.* In statutis pariter appellatione affinitatis et affinium comprehenduntur tantum legitimi et affinitas per nuptias legitimas contracta, non vero illegitimi et injusti, *Gaspan. in statut. mediol. volum. 1. c. 115. n. 107.*

Et demum, si testator ad legatum vel fideicommissum suos vocaverit affines, vocati neutiquam intelliguntur injusti seu illegitimi. *Confer Fusar. de substitut. quaest. 320. n. 4.*

Agendum nunc de causa eaque vera verae ac legitimae affinitatis et affinium proprie dictorum. Haec non est generatio, uti cognationis, sed matrimonium sive justae nuptiae, *l. 4. §. 3 ac 8. ff. de gradibus.* Sed cum matrimonium non concubitus sed consensus faciat, *l. ff. de Regul. jur.*, quaeritur: an concubitus requiritur. Secundum jus civile consensu contrahitur affinitas. At jus canonicum quantum ad causas matrimoniales desiderat amplius consummationem matrimonii.*) *Sithman. de arbor. consanguinitat. cap. 4. n. 21; Valens. lib. 4. tit. 4. §. 3. n. 1.*

At hinc communiter canonistae docent ex matrimonio rato et nondum perfecte consummato non nasci veram et perfectam affinitatem, sed tantum ratione matrimonii impedimentum publicae honestatis, *Guttierez. de matrimon. cap. 99. n. 7; Perez pariter de matrimon. disputat. 31. sect. 5. n. 4.*

Ex quibus sponte sua sequitur neque de jure civili neque de jure canonico perfectam affinitatem ex sponsalibus nasci.

37) Legalis.

Affinitas legalis est cognatio inter adoptantem et inter uxorem adoptati et vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis. *Est in re communis; arg. l. Adoptivus 14. ff. de ritu nuptiar.* Haec cognatio semper durat et dirimit etiam soluta adoptione. *Communis, textu expresso in cit. l. Adoptivus,* ibi: »Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quae patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia novercae locum habet.« Ratio autem differentiae, cur cognatio legalis in linea recta descendentium et affinitatis duret semper et dirimat matrimonium, etiam soluta per emancipationem adoptione, non autem cognatio transversalis, seu fraternitas legalis, est, quia cognatio in linea recta descendentium et affinitatis trahit secum majorem reverentiam inter cognatos debitam, quae semper perseverat; cognatio autem in linea transversali non trahit secum tantam reverentiam, unde soluta per emancipationem adoptione cessat ipsa cognatio et prohibitio de contrahendo matrimonio in tali linea. *Sanchez. lib. 7. de matrimonio disp. 63. n. 24. in fine; Rosignol. controv. 15. de matrim. 11. praenot. 10. sect. 5. n. 15.* et alii passim.

*) Vd. *p. 336. n. 4; p. 357. §. Non una.*

38) Matrimonium contract. in I. gradu affin. non constat.

Neapolitana.

(Copula anteacta inter Sponsos.)

(Conc. Tr. c. 1. sess. 24 de ref. matrim.)

Vd. *p. 345. n. 17. p. 348. n. 18.*

Post contractam a Francisco de N. matrimonium cum Josepha N. praeviis denunciationibus et coram parocho et testibus comparuit in curia archiepiscopali Neapolitana Ferdinandus Francisci pater et exposuit, matrimonium esse nullum, primo, quia memoratus Franciscus filius commercium carnale habuerat cum Lucia sorore Josephae, secundo, quia Ignatius Francisci frater Josepham ipsam cognoverat, tertio, quia Joannes alter Francisci frater copulam pariter pluries habuerat cum eadem Josepha; testibus in praedicta curia examinatis et causa subinde ad hanc s. Cong. delata in praesenti disputari contingit de validitate matrimonii.

Porro in eo, quod attinet ad copulam cum Lucia sorore Josephae, inquit idem Franciscus nullam de hac re adesse probationem, cum nullus testis de eadem deponat et cum Lucia, ad examen vocata, fuerit constanter negativa.

In eoque, quod spectat ad commercium carnale inter Ignatium fratrem et dictam Josepham subdit idem Franciscus, totum probationis pondus constitui in ipsius Ignatii depositione, cui fides non est praestanda, non solum quia propriam revelat turpitudinem, sed etiam quia se professus est magnam habuisse displicentiam propter matrimonium a fratre cum recensita Josepha contractum.

Cumque tota controversia sit redacta ad copulam, quae frequenter habita supponitur a Joanne altero fratre cum eadem Josepha, pro qua stare videtur magnus numerus testium, Franciscus ait, non esse illis fidendum propter exceptiones, quas patiuntur in personis et in dictis, de quibus late in sua informatione per manus circumferenda.

Addit, quod quidam Hieronymus Pinto, qui prius pro copula testatus fuerat, se retractavit et confessus est, se fuisse subornatum ad sic deponendum ab Archangela ipsius Francisci matre, quam etiam refert hoc ipsum praestitisse erga nonnullas alias testes in hac eadem causa examinatas, iisdem subministrando pecunias et munera, quasi quod ab hujus testis retractatione inferri possit, quanta fides sit caeteris testibus adhibenda.

His positis dignabuntur EE. VV. decernere: *An constet de validitate matrimonii in casu?*

S. C. C. resp.: Non constare de validitate matrimonii et amplius.

Die 10. Maji et 17. Junii 1719.

39) Matrimonium contractum in III. affinit. gradu.

Melevitana.

Quod justis adhibitis solemniis contractum fuerat in faciem ecclesiae matrimonium sub die quinta Februarii 1831 inter Victoriam N. ex pago Musta et Michaelem N. ex pago Lia Melitensis insula, mox in dubium revocatum est actrice muliere ejusque validitas inde impetita, quod ipsa tertio affinitatis gradu cum viro conjungeretur, cui altera primum nupserat faemina Vincentia N., tertio consanguinitatis gradu Victoriae conjuncta. Actum est ineunte mense Septembri ejusdem anni, scilicet consummata jam inter contrahentes copula, ea de re coram Melevitana curia episcopali; expletaque quaestione prodiit dies 5. Aprilis 1835 sententia, qua pronunciatur:

Matrimonium ut supra initum inter praedictos Michaelem N. viduum Vincentiae Grech, et Victoriam N. viduam Stephani Fenech fuisse et esse nullum atque irritum necnon utrumque ideoque in omnimoda libertate esse ac fore ad alia vota, quatenus aliud non obstet canonicum impedimentum, libere ac licite transeundi.

Interposita ab hac sententia appellatione a Sacramenti vindice causa ad s. hunc Ordinem delata est, jussu SS. Principis proponenda »*oeconomice cum votis theologi et canonistae, et cum animadversionibus defensoris matrimonii scripto tantum exarandis.*« His itaque sacratissimis praeceptis obsecuti damus ad calcem vota theologi et canonistae, ad id operis adlectorum, ubi ea, qua praestant, rei ecclesiasticae doctrina quaestionem universam describrant enucleantque; addimus defensoris diligentes animadversiones, quibus aequa lance libratis valeant EE. VV. dirimere

Dubium:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

S. C. resp.: Dilata et scribatur Episcopo, qui servata forma constit. s. m. Benedicti XIV. *Dei miseratione* arborem genealogicam conferat cum libris baptizatorum et respectivas fides parochorum transmittat ad s. Congregationem.

Die 3. Decbr. 1842.

Continuatio.

Votum Theologi.

Die 5. Februarii 1831 Michael N. nuptias celebravit cum Victoria N. terrae Musta Melitensis dioecesis juxta ritum romanae ecclesiae.

Attamen post initas hujusmodi nuptias ac sequuta consummatione matrimonii innotuit intercedere inter conjuges dirimens affinitatis impedimentum in tertio gradu lineae obliquae aequalis. Cognito vix impedimento ex arbore genealogica mulier sejuncta fuit a putativo viro et adhuc in eodem statu permanet. Hinc causa deducta fuit ad curiam episcopalem Melitensem, et ab ista prolata fuit sententia de vera nullitate hujus matrimonii ob dictum dirimens impedimentum; sed juxta praescriptum a s. m. Benedicto XIV. constit. *Dei miseratione**) appellatum fuit a dicta emissa sententia ad hanc s. congregationem concilii.

Ad hanc causam examinandam sacra eadem congregatio me deputavit ut theologum, quod obsequii causa meliori, quo possum, modo exequi conabor atque

*) Vd. hanc constitut. sub art.: *Matrimoniales causae* (judicii modus).

1. An omnia rite exequutioni mandata fuerint, quae praecipit dicta constitutio Benedictina, examinabo.

2. An evidenter probatum fuerit existere et extitisse assertum dirimens impedimentum, in casu perpendam.

3. Tandem meam sententiam exponam.

Quoad primum. Laudatus Pontifex dicta constitutione praecipit (§. 4), ut in futurum causarum matrimonialium cognitio non committatur nisi Episcopis, praesertim vicinioribus: haec autem causa delata fuit ad curiam episcopalem Melitensem, ad quam dioecesim pertinent suppositi conjuges, de quibus loquimur.

Ibidem (§. 5) decrevit summus Pontifex, ut a locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, juris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabitur. In hoc casu ab Episcopo Melitensi deputatus fuit sacerdos Aloysius Fernandes juris utriusque doctor in defensorem matrimonii, persona nempe ex ecclesiastico coetu probitate et scientia praedita.

Sequitur (§. 6.) eadem constitutio enumerans defensoris praedicti officia, scilicet, in judicium venire, quotiescumque contingerit, matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari eumque in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit. (§. 7.) Cum ei munus ejusmodi committeretur, juramentum praestabit fideliter officium suum obeundi. Quod autem haec omnia rite et scrupulose peracta sint, sufficit legere parvum processum, ut clare pateat adamussim fuisse exequutioni mandata; imo in causa hac tam sterili pro exercenda defensoris matrimonii parte, mirum est, quomodo iste ad trutinam posuerit proprium intellectum, ut aliqua apparenter valida inveniret in matrimonii defensionem et quam fideliter singulis actibus interfuerit, ut suum munus bene gereret, sicuti tacto pectore juraverat.

Jubet item Pontifex (§. 8), quod si contra validitatem matrimonii feratur sententia, defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti, quæ pro validitate agebat, cum autem in judicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate insistat (ut in praesenti casu), ipse ex officio ad Superiorem judicium provocabit. Noster autem defensor, cum nemo pro validitate comparuerit, ex officio appellavit ad hanc s. Congregationem die sequenti post promulgationem sententiae a curia episcopali emissae.

Patet ergo, omnia rite et fideliter exequutioni mandata fuisse, quae in constit. Benedicti XIV. *Dei miseratione* praescripta sunt ad validam reddendam sententiam a curia episcopali in prima instantia emissam.

Nunc ad secundum propositum punctum ejusque examen deveniamus: an scilicet evidenter probatum fuerit existere et extitisse adsertum dirimens impedimentum in hoc casu?

Attamen, antequam de casu nostro in concreto loquar, aliqua praemittenda puto ad impedimentum dirimens *affinitatis* pertinentia, cum ex hoc capite tantum nullum et irritum judicatum fuerit hoc matrimonium in prima instantia.

Affinitas, quae importat propinquitatem duarum personarum ratione tertiae matrimonio junctae *(Ansoldi de re sacramentaria dissert. 9. cap. 10.)* a theologis definitur: Propinquitas personarum, orta ex copula conjugali, extenditur usque ad quartum gradum inclusive, ita ut maritus non possit amplius contrahere cum consanguineis uxoris usque ad dictum gradum.

Eodem gradu, quo consanguineus aliquis est uni conjugum conjunctus, eodem gradu est affinis alteri conjugi*), proinde consanguineus mulieris in primo, secundo, tertio gradu. *Cuniliati theol. mor. de matrimonio tract. 14. §. 25.)* Affinitas autem et impedimentum dirimens non desinit, si moriatur persona, ratione cujus contracta fuit, affinitas enim causatur ex hoc, quod aliqui sint conjuncti, quod autem semel est conjunctum, nunquam desinit fuisse conjunctum, unde haec conjunctio sequitur etiam post mortem consanguineae, quae fuit causa affinitatis inter suum virum et suam consanguineam *(Billuard. Sum. de matrim. dissert. 6. art. 5.)* Positis hisce inconcussis principiis facile erit probare adesse impedimentum dirimens affinitatis inter praetensos conjuges, de quibus loquimur, nempe impedimentum hujusmodi inter Michaelem N. et Victoriam N.

*) Vd. *p. 356 n. 31; p. 354. n. 27.*

Et sane Michael N., antequam secundas nuptias celebraret cum Victoria N., erat matrimonio junctus cum defuncta Vincentia N. Dicta Vincentia autem, prior uxor Michaelis, et Victoria putata secunda uxor Michaelis erant inter se consanguineae in tertio gradu, ergo Victoria est cum Michaele ipso affinis eodem gradu. Hoc patet ex genealogica arbore, in qua clare videtur, Vincentiam N. fuisse filiam Josephi N. et Victoriam filiam Salvatoris N., Salvatorem vero et Josephum fuisse consobrinos, cum Joseph ex Anna N., et Salvator ex Paulo N., fratre et sorore, ex Josephi N. filiis nati sint.

Idem constat ex testium depositionibus, in quibus absque ulla differentia eidem cum juramento omnes affirmarunt. Idem etiam constat ex parochorum attestationibus matrimonialibus omnium supra enumeratorum consanguineorum.

Si ergo nullo modo dubitari possit de veritate consanguinitatis inter primam et secundam putatam uxorem Michaelis, certum est inter hanc et Michaelem adesse affinitatem et esse inter se nunc affines in tertio gradu, cum erant consanguineae Vincentia Michaelis prima et vera uxor et Victoria, cum qua matrimonium secundum Michael celebravit.

Sed matrimonii defensor conatur probare oppositum ac pro defensione suae thesis in medio ponit auctoritatem *Anacleti Reiffenstuel* asserentis (ipse ait) attestationes parochorum probare aetates, celebrationes matrimoniorum, diem mortis suorum parochianorum, genealogiam tamen non recte probare. *(Id. de filiae instrum. §. 4. n. 127.)*

Ast defensor noster caecutire videtur; nam in eodem loco et numero ab ipso citato sic habet *Reiffenstuel:* Libri parochiales*) de quorumdam baptismo, matrimonio vel morte attestantes, et contenta in ipsis ad parochi officium pertinentia, *plene probant;* ... subjungit: Et sufficienter probari mortem alicujus ex libro parochi, in quo mortui adnotantur; quod a pari dicendum de baptismo, confirmatione, matrimonio et similibus.

Ratio est, quia, licet liber parochialis non sit publicus, id est manu publici notarii cum debitis solemnitatibus juris conscriptus, nihilominus auctoritate sacri concilii Tridentini industria et fides parochi est electa ad conscribendum talem librum: ergo indubitanter fides tali libro est adhibenda. Alioquin enim frustra a generali concilio fuisset parocho impositum onus registrandi talia in suo libro, nisi fidem apud omnes publice faceret et plene probaret. Ex quibus futilis redditur ratio a defensore adducta in favorem hujus matrimonii; et dicti auctoris textus allatus et ab ipso compositus nihili aestimandus.

Et revera in libris parochorum non inscribuntur tantum nomina et cognomina baptizati, confirmati, in matrimonio juncti, sed etiam nomina et cognomina genitorum, patrinorum etc., ex quo sequitur, quod per plures attestationes parochorum dignoscitur facillime, inter quos adsit vel consanguinitas vel affinitas vel cognatio spiritualis parochiani cum aliis, ut in casu nostro per septem attestationes parochorum et matrimoniis celebratis a Joseph N. et Elisabeth N., progrediendo per sequentia matrimonia celebrata a filiis, nepotibus, pronepotibus eorum oritur cognitio certissima de affinitate inter Michaelem et Victoriam, de quibus est sermo.

Sed non tacet matrimonii defensor et, postquam objecerat contra attestationes parochorum, insurgit contra depositiones testium asserens, nihil has in favorem nullitatis hujus matrimonii concludere, quia, ait ipse, non sunt omni exceptione majores, ut requiritur, utpote faeminae debiles et senes ob aetatem vacillantes.

Quantum tamen a veritate aberrat defensor noster, clare patet ex jure canonico et ex auctoritate patris *Reiffenstuel* ab ipso citati. Ait iste *(libr. 4. tit. 18.):* Si impugnatur matrimonium ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis etc., primo omnium audiuntur parentes et his deficientibus fratres et *sorores* ac alii consanguinei propinquiores; quibus omnibus deficientibus etiam extranei *antiquiores* et veraciores praesertim e vicina; textu expresso *(can. 1. caus. 35. q. 6.)*... et causa alligatur illis verbis: Ideo maxime parentes et si defuerunt parentes proximiores admittuntur, quoniam unusquisque suam genealogiam cum testibus et chartis tum etiam ex recitatione majorum scire laborat; uno verbo, omnes, qui habiles sunt ad accusandum matrimonium, sunt etiam habiles ad testificandum contra illud, praesertim illi, qui majorem habent notitiam et fidei minus suspectae esse dignoscuntur, nullo modo exclusis faeminis, ut patet ex supra allatis, ne-

Vd.: *Libri parochiales*

que exceptis, imo quaesitis senioribus et antiquioribus: hi autem debent esse saltem duo et debent esse jurati. In hoc processu habemus duos testes consanguineos Victoriae, de qua loquimur, juratos, non in decrepita aetate constitutos, et sanae mentis, qui agnosci possunt esse omni exceptione majores ob signa pietatis, quae de ipsis in eorum examinibus leguntur, et quia eorum attestationes et depositiones versantur circa facta historica respicientia exponentis genealogiam, et quorum dicta omnino concordant cum attestationibus parochorum, unde eorum veritas elucet.

Ex rationibus ergo adductis positive probantibus existentiam verae affinitatis inter hos putatos conjuges; ex attestationibus parochorum comprobantibus veritatem arboris genealogicae expositae; ex depositionibus duorum testium omni exceptione majorum; necnon ex demonstrata invaliditate rationum a defensore allatarum contra impedimenti hujus adsertionem et existentiam, et ex clara cognitione rectae et fidelis executionis omnium, quae a citata Benedictina constitutione praecipiuntur, appertissime constat, hoc matrimonium fuisse irritum et nullum ob impedimentum affinitatis inter praetensos conjuges existens, antequam matrimonium idem celebraretur, quod probandum proposueram.

Cum tamen tale sit hoc impedimentum, ut Papa possit in eo dispensare, posset dispensatio peti, sed cum hoc a voluntate dependeat putatorum conjugum, abstineo a suggerenda petitione hujus gratiae. Nam ex una parte video virum negative omnino se habere et numquam comparuisse, mulierem urgere pro declaratione nullitatis matrimonii sic celebrati; ex altera deest ratio sufficiens ad dispensationem concedendam, cum nulla gravis causa id exigat, ut esset praesertim bonum prolium ex hoc matrimonio progenitarum, cum nulla extra existat; unde magis expediens puto declarare nullitatem et inexistentiam hujusmodi matrimonialis vinculi inter eos.

Concludam ergo cum citato Benedicto XIV. *(ibidem §. 11.)*: Instructo in hunc modum judicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium judicatum fuerit, potestate et arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere. Ex quo sequitur, quod, cum prima sententia a curia episcopali emissa sit pro nullitate hujus matrimonii et haec sententia nunc juxta meam opinionem sit confirmanda, puto esse rescribendum: Matrimonium, de quo in casu, nullum et irritum fuisse ob antecedens impedimentum affinitatis in tertio gradu lineae collateralis existens inter putatos conjuges Michaelem N. et Victoriam N. ideoque confirmandam esse sententiam prolatam a curia episcopali Melitensi et utrique concedendum esse documentum libertatis.

Sic sentio salvo semper sapientiori Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum judicio, cui me humillime subjicio.

Die 10. Maji 1842.

Aloysius Tagni ex CC. RR. Minist. Infirmorum.

Die 3. Decembris 1842.

Votum Canonistae.

Emi et Rmi Dni.

Ea, qua par erat, sedulitate adnexum actorum exemplar expendi, ut mandatis vestris obediens, quid de matrimonio ab actrice Victoria N. cum Michaele N. initum sentirem, ex animi sententia aperiam. Enucleatis igitur tum facti tum juris rationibus, mihi facile persuasum fuit, matrimonium, de quo in themate, nullitatis vitio laborare ex antecedenti impedimento affinitatis tertii gradus.

Certum est enim in jure omnibusque notissimum, impedimentum dirimens consanguinitatis vel affinitatis, quod ad septimum usque gradum protendebatur, ab Innocentio III. in oecumenico concilio Lateranensi IV. ad quartum gradum fuisse cohibitum, ideoque hoc jure nos vivere, quo intra illos limites matrimonium sistere non sinitur, uti videre est *in cap. 1. et 8. de consanguinitate et affinitate.*

In facto autem probatum est actricem Victoriam N. cum Vincentia N. in tertio aequali gradu consanguinitatis fuisse conjunctam ideoque eodem tertio gradu affinitatis cum ipsius viro ligatam ex canonum censura tenendum est. Ast ille idem vir Michael N., qui Vincentiam N. duxerat uxorem, secundis nuptiis actricem ipsam matrimonio sibi copulavit; clarum itaque est Victoriam N. viro nupsisse, cum quo tertio affinitatis gradu conjungebatur.

Neque in supputandis consanguinitatis gradibus errorem aliquem irrepsisse timendum est; in judicio enim coram Melitensi curia peracto ad formam Benedictinae constitutionis, cujus initium: *Dei miseratione,* adstante matrimonii defensore ex officio arbor genealogica exhibita est, autenticis ex parochorum libris expertis adnotationibus roborata; quippe quae a persona publica ex officio conscripta maximam sibi vindicant fidem, uti uno ore docent canonistae ac tribunalium praxis testatur. Ne nimius sim in re notissima *Anacletum commemorabo in lib. 2. tit. 21. de fide inst. n. 127,* qui ita se habet: Libri parochiales, de quorumdam baptismo, matrimonio vel morte attestantes et contenta in ipsis ad parochi officium pertinentia plene probant. Ratio est, quia, licet liber parochialis non sit publicus, idest manu notarii cum debitis solemnitatibus juris conscriptus, nihilominus auctoritate sacri concilii Tridentini industria et fides parochi est electa ad conscribendum talem librum, ergo indubitanter fides tali libro est adhibenda. Alioquin enim frustra a generali concilio fuisset parocho impositum onus registrandi talia in suo libro, nisi fidem apud omnes publice faceret et plene probaret. Cui consonant *Pax Jordanus tom. 3. tit. de fide inst. num. 48: Mascard. de probat. concl. 673 et seq.; Monacell. form. tit. 10. n. 2; Decoti inst. can. tom. 3. tit. de prob.* §. XX., aliique innumeri.

Ex summa etiam matrimonii defensoris diligentia magnum praesidium causa est consequuta, ex alia probationis qualitate, nempe ex testium dictis, quae per se et conjugum affinitatem in tertio gradu et matrimonii nullitatem demonstrant. Duo enim testes in curia Melevitana jurejurando deponunt, actricem Victoriam N. cum Vincentia N. prima uxore Michaelis N. in tertio consanguinitatis gradu fuisse conjunctam; optimam scientiae causam proferunt, quia personas in arbore descriptas viventes conspexere; singulos consanguinitatis gradus perbelle distinguunt et suum pro ligamine proferunt judicium. Ii etiam, rogante matrimonii defensore, omnem de identitate personae dubium repellunt, cum nullus adsit, qui eodem nomine inter illius loci incolas vocetur. Et, si duo testes ex praescripto *cap. 23 de testibus* ad plenam probationem constituendam sufficiunt, si ex decreto Innocentii III. in concilio Lateranensi IV., quo prostat in *cap.: Licet ex quadam 47, de testim. et att.* in hac causa, datis sub legibus, et testes tantum de auditu admittantur, quid in casu, ubi testes habemus de visu, qui personas sanguine conjunctas viderunt, ex quibus consanguinitatis ligamen dimanat publicisque monumentis plene et probationes superabundare dicendum est?

Ut autem omni difficultati aditus praecludatur, advertendum est, mulierem ad testificandum adhibitam non bene personarum cognomina pernoscere et in nomine uxoris Josephi N. stipitis consanguinitatis errasse, dum eam Margaritam appellat, quam Isabellam vocant adnotationes paraeciales, nam tanti error faciendus non est, ut confusionem inducat, cum Annam et Paulum N. germanos fratrem et sororem constituat, eisque Josephum patrem assignet; neque de cognominum ignorantia quaerendum, cum satis aperte personas describat, cum laudatus Pontifex in citato capite a testibus adhibendis tantum requirat, *ut personas expressis nominibus vel demonstratione vel circumlocutione sufficienti designent et ab utroque latere singulos gradus clara computatione distinguant et in suo nihilominus juramento concludant, se accepisse a suis majoribus, quae deponunt, et credere ita esse.* Nec immorandum in exceptione, quod testes sint sanguine conjuncti, cum ex hac qualitate ipsorum scientiae causa roboretur, neque mulier a testimonio ferendo repellenda, quod novum esset in jure.

Haec omnia me in eam sententiam adducunt, plene constare de impedimento dirimenti affinitatis in tertio gradu aequali, ideoque nullum irritumque matrimonium esse pronunciandum, ut in Melitensi curia factum est, atque ex Benedictina constitutione putativis conjugibus potestatem indulgendam esse ad alia vota transeundi.

Haec ita dicta sint, si sapientiori judicio probabuntur EE. VV., quorum purpurae fimbrias summa animi demissione deosculor, dum me subscribo.

EE. VV.

Dabam hac die 15. Julii 1841.

Humillimus, devotissimus et obsequentissimus famulus.

Joannes Baptista Canonicus Cannella.

Die 3. Decembris 1842.

Continuatio.

Animadversiones Defensoris Matrimonii.

Eminentissimi et Rmi Domini.

Venit in quaestionem, validum necne sit matrimonium, quod Victoria N. ex pago *Musta* insulae Melitensis die 5. Febr. 1831 coram ecclesia contraxerat cum Michaele N. Melitensi ex pago *Lia*. Neque solum contraxerat per verba de praesenti, sed etiam deinde consummaverat. Actoris partes agit Victoria, et ex eo nullum et irritum fuisse contendit matrimonium, quia se inter et virum Michaelem impedimentum affinitatis intercedebat in tertio gradu aequali eo, quod Vincentia N., quam Michael in matrimonio antea habuerat, consanguinea esset in tertio gradu cum Victoria. Id quod clarius patet ex schemate genealogico, quod hic, claritatis gratia, subjicitur.

Joseph N.
Isabella N.

Anna	Paulus
Salvator Grech	Maria Fenech
Joseph	Salvator
Maria Berg	Rosa Ganci
Vincentia	Victoria cum
Michael Frendo	Stephano Fenech
	Michael Frendo.

Actionem de nullitate Victoria proposuit die nona sequentis Septembris, hoc est post septem ab inito et consummato matrimonio menses: et dolendum sane est valde serotinam fuisse ejus actionem: nam confessa est contractis nuptiis impedimentum statim innotuisse: *Appena seguito tale matrimonio, si palesó tra i conjugi l'impedimento di affinità*: Eccur ergo cito non reclamavit? Cur cito non venit ad Episcopum, qui parvo in tempore providere potuisset?

Actionis verba fuerunt haec: Initis nuptiis secutaque consummatione matrimonii innotuit intercredere inter conjuges dirimens affinitatis impedimentum in tertio gradu lineae obliquae aequalis. Hinc comparens producendo arborem genealogicam instat declarari, matrimonium nullum originaliter fuisse ob impedimentum dirimens affinitatis ac proinde licitum ei esse uti liberae a quovis nexu cum quavis persona ulteriores nuptias inire.

Defensor, ex officio deputatus ad tuenda validitatem matrimonii, haud contentum sese tulit de probatione affinitatis per arborem genealogicam, a muliere productam; sed insuper petiit, ut testium quoque eadem de re fieret examen. Et factum fuit; sed post intervallum unius et amplius anni videlicet die 19. Novembris 1832 examinati fuerunt *Salvator Sammut et Margarita Formosa*, testes per actricem inducti, qui dixerunt, se esse ejus consanguineos, et confirmarunt affinitatis impedimentum.

Causa posthac in suspenso mansit per duos annos et per dimidium alterius anni, donec, die 6. Aprilis 1835, Episcopus sententiam tulit in haec verba: *Dicimus, decernimus et declaramus, matrimonium initum inter Michaelem Frendo viduum Vincentiae Grech et Victoriam N. viduam Stephani Fenech fuisse et esse nullum atque irritum: necnon utrumque ideo in omnimoda libertate esse ac fore ad alia vota, quatenus aliud non obstet canonicum impedimentum, libere ac licite transeundi.*

Appellavit a sententia defensor matrimonii: qua interposita appellatione mulier processum causae huc in Urbem deferri curavit. Deinde instetit, ut causa remitteretur ad sacram inquisitionem atque ita mulier eximeretur a sumptibus pro defensione causae, quibus, propter paupertatem suam, se imparem esse dicit. At SSmus D. N. die 29. Martii 1840 rescripsit: *Quoad remissionem ad sac. Congreg. supremae inquisitionis, non expedire, sed tantum pro gratia, ut causa in gradu appellationis proponatur oeconomice in sac. Congreg. concilii, cum votis theologi et canonistae et cum animadversionibus defensoris matrimonii scripto tantum exarandis ac secretario sac. Congreg. tradendis.* Canonista et theologus ediderunt in scriptis votum, ille die 15. Juli 1841, hic die 10. Maji 1842. Et mirum alicui forte erit, tantum

insumptum fuisse temporis ad duo illa vota proferenda: quorum haec est summa: Constare de impedimento affinitatis ex libris parochialibus et ex duobus testibus; et ideo sententiam Episcopi esse confirmandam. Duo illa vota deinde die 13. ejusdem Maji transmissa sunt ad me infrascriptum defensorem matrimonii ad hoc, ut super iis et super universa quaestione animadversiones concinnarem.

Itaque primum genus probationes ad probandam suam cum viro Michaele affinitatem mulier deduxit a libris parochialibus, fidem facientibus de matrimoniis inter illos initis, qui in praedicta arbore genealogica describuntur. Sed libri illi parum aut nihil valere ad hoc possunt:

Primo, quia libri privati, non sunt libri publici, tum, quia eorumdem librorum testimonium valet ad probandam rei substantiam, hoc est, matrimonium contractum necne sit: Atque haec fuit mens sacri concilii Tridentini, cum in *sess. 24. cap. 1. de reformat.* libros ordinaret: *Habeat parochus librum, in quo conjugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.* Non autem valet ad ea, quae matrimonio sunt accidentalia, e. g. familiae genealogiam, aetatem, descendentiam, consanguinitatem, affinitatem et similia. Receptum in praxi habemus, ait *Card. de Luca de judicis disc. 30. nnm. 7.*, in libris, qui per parochos fiunt, ut adnotentur baptismata et matrimonia, cum restrictione tamen ad ea, quae proprium officium concernunt et sic circa administrationem illius sacramenti, non autem quoad alia extrinseca seu accidentalia, ut ex. gr. agendo de libro matrimoniorum illi defertur super ipso actu matrimonii, quod ad formam concilii celebratum est coram proprio parocho et duobus testibus, in eodem libro adnotatis; sed non defertur circa alia, quae non concernunt factum seu officium ipsius parochi, puta circa dotem vel pacta, cum quibus matrimonium contractum sit; quinimo neque circa ea, quae ad ipsam matrimonii validitatem tendunt, aliunde justificanda, puta super statu libero contrahentium aut super non existentia impedimentorum sive circa libertatem consensus.

Ad hoc mulieri, si quid ex libris parochialibus probare volebat, opus vel maxime erat, non tam fides matrimoniorum exhibere quem fides baptismatum. Nam, etsi laudatus *Cardinalis de Luca loco citato* doceat, quod *liber baptismatum probat quidem, quod illa persona sit baptizata, ac etiam probat, qui fuerint, pro effectibus inde resultantibus, illo praesertim cognationis vel affinitatis spiritualis, non autem circa filiationem et alia, quae ab eo actu extranea sunt, quoniam est loqui extra id, quod ad ejus officium pertinet*: tamen fides baptismatum et fides matrimoniorum, simul conjunctae, si non plenam ac legitimam, saltem semiplenam conficerent probationem.

Dixi, quod probatio, ex libris parochialibus deducta, haud est legitima. Et jure ac merito id dictum videtur. Nam, ubi quaestio movetur, qui in matrimonium se conjungere intendunt, impedimento necne teneantur consanguinitatis vel affinitatis, ad id investigandum et decidendum in *cap. 47. de testibus* praescribitur, quodnam probationis*) genus sit assummendum: et assumi oportet probationem ex fide testium: et hos testes duodecim oportet requisitis pollere, quae ibi enumerantur: quod, si in aliquo deficerent, eos a ferendo testimonio repellendos esse ordinatur et firmum manere matrimonium, quia *tolerabilius* est, ita ibidem concludit Alexander PP. III., *aliquos, contra statuta hominum, dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare.*

An duodecim illae qualitates concurrant in duobus testibus, per mulierem inductis, non possum ego definire; quia me, a longe hic stantem, latent eorum personae, obscurae sane et infimi generis, eorumque qualitates, tum, quia Melitensis defensor matrimonii, post auditos illos testes, ad hoc unum suas cohibuit animadversiones, videlicet Margaritam Formosa esse *mulierem sine sensu;* et Salvatorem Sammut esse *senem ob aetatem forsan vacillantem septuaginta septem annorum.* Causae matrimoniales sunt ex eo genere causarum, quae *graviores* dicuntur, uti eas definivit sa. me. Benedictus XIV. in constitutione: *Justitiae et pacis*, et naturam habent mixtam, de civili et criminali. Quare, si in levissimis quibusque causis saltem et ad minimum duo testes requiruntur, in hac sane vel maxime ob judicii gravitatem plus quam duo sint oportet. Eo vel magis, quia de matrimonio agitur non contrahendo, sed contracto. Nam, quantum ad impediendum, ne illud contrahatur, satis ali-

*) Vd. *Affinit.* (probatio p. 380.)

quando est vel solius matris dictum; tantum ad hoc, ubi contractum sit in facie ecclesiae, dirimendum, plurium opus est testimonio et superabundanti probatione. Accedit, quod, ubi matrimonium contenditur esse nullum ex impedimento impotentiae, sacri canones in titulo *de frigidis et maleficiatis*, septem testes requirunt, seu, uti vocant, septimam manum ex parte viri totidemque testes ex parte mulieris, hoc est, quatuordecim. Et in hac causa, quae pariter matrimonialis est et aeque gravissima, satis nobis erunt testes duo, quot satis forte non essent in triobolari causa? Et fidem dabimus *mulieri sine sensu et vacillanti seni?*

Quod vero gravius est, hi duo testes sunt de jure *suspecti* et ideo eorum testimonium nihili est faciendum. Nam ii, si voluissent constituere se in accusatores et accusare matrimonium de nullitate, profecto jura jubent quod ab accusatione repellendi fuissent. Et ratio est haec, quod confessi sunt, notum sibi antea fuisse affinitatis impedimentum, quam matrimonium contraheretur, et nihilominus tacuisse, etiamsi scirent, idem matrimonium in ecclesia jam fuisse publicatum et mox contractum iri. Ita testis *Sammut.* in resp. ad 12 interrog.: *Avevo inteso dire prima del seguito matrimonio, che esso Michele Frendo era sposo colla già nominata Vittoria N. la quale abitava colla di lei madre, morta ultimamente, di cui ignoro il nome, in contrada denominata di s. Martino ne' limiti della parocchia della Musta, et intesi dirsi, che qui si stavano facendo le publicazioni in detto casale ed incasale Lia; ma siccome io non mi trovai mai in chiesa in tale atto, non posso dire, se i respettivi parochi abbiano qualificato il detto Michele N. come vedovo di Vincenza Gvech.* Ita *Margarita Formosa: Siccome io seppi per relazione di altri, aver preceduto al loro matrimonio le solite denuncie nella chiesa della Musta, parochia di essa Vittoria e di quella di Lia, parochia dello sposo Michele; e non essendo io stata mai presente a tale atto, non posso assicurare, se i respettivi parochi, o alcuno di loro, abbiano nelle fatte pubblicazioni qualificato lo sposo Michele come vedovo di Vincenza; nè mi ricordo di essermi stata riferita da alcuno tale particolarità.* Vana est eorum excusatio, se haud praesentes fuisse in ecclesia, cum ibi matrimonium publicaretur. Satis enim est, quod publicationes ad eorum pervenerint notitiam: neque enim pro solis praesentibus eae fiunt, sed pro omnibus, ad quorum aures fama pertingere potest. Item vana est accusatio, in dubio se fuisse: an Michael in publicationibus qualificatus esset uti viduus Vincentiae Grech: nam supervacaneum erat quoad eos, quibus jam satis constabat, Michaelem esse viduum Vincentiae.

Hisce vero positis hi duo testes per sacros canones declarantur *suspecti:* et idcirco, si matrimonium accusare voluissent, ab accusatione, ut *suspecti,* repulsi fuissent, *cap. ultimo tit. de iis, qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testari: Si vero post contractum matrimonium aliquis appareat accusator, cum non prodierit in publicum, quando banna secundum consuetudinem in ecclesiis edebantur, utrum vox debeat suae accusationis admitti, merito quaeri potest. Super quo sic duximus distinguendum: quodsi tempore denunciationis praemissae is, qui jam conjunctos impetit, extra dioecesim existebat vel alias denunciatio non potuit ad ejus notitiam pervenire, ut quia si nimiae infirmitatis fervore laborans, sanae mentis patiebatur exilium, vel in annis tam teneris constitutus, quod ad comprehensionem talium ejus aetas sufficere non valebat, seu alia causa legitima fuerit impeditus, ejus accusatio debet audiri. Alioquin, cum rationabiliter praesumatur, quod denunciationem publice factam idem existens in ipsa dioecesi minime ignoravit, tamquam suspectus est procul dubio repellendus, Reiffenstuel in comment. ad dictum titulum num. 10.*: Repellitur ab accusando matrimonium, qui, post factas denunciationes, matrimonii impedimentum non manifestavit, sed tacuit, nisi probabile esset, tales denunciationes factas ignorasse; v. g. tunc absens aut infirmus aut insufficientis et rem non satis intelligentis aetatis fuit, vel etiam, si juret, quod, etsi denunciationes factas sciverit, tamen post matrimonium jam contractum in notitiam impedimenti primum venit. Ita tota conclusio cum suis limitationibus habetur capite finali hujus tituli. Et sequuntur omnes doctores. Ratio ibidem additur: quia alias, si non aliqua ex positis limitationibus adsit, tacens impedimentum tempore denunciationum videtur suspectus, et ideo procul dubio repellendus. *Gonzalez in comment. ad cap. fin. dicti tituli:* Ab accusatione etiam tamquam suspecti repelluntur, qui jam conjunctos impetunt ex causa impedimenti, quod tacuerunt, cum banna seu denunciationes matrimonii in ecclesia le-

gerentur, *cap. Cum in tua, cap. 8. de testis.* Quodsi illos tempore conjunctionis hoc scivisse et siluisse constiterit, de caetero grave est, eos audire: *Tollerabilius est enim aliquos contra statuta hominum copulatos relinquere, quam conjunctos quoslibet legitime contra statuta Domini separare.*

Quodsi duo illi, uti suspecti, repellerentur ab accusatione, quae est quid minus: multo magis repelli eos oportet a testimonio ferendo, quod majus est. Nam, qui sunt *suspecti,* eos in testes adhiberi jura omnia prohibent, uti omnes sciunt. Tum in specie definitum in jure habemus, quod, qui in causa matrimoniali accusatores esse non possunt, iidem testes esse prohibentur. *Reiffenstuel loco citato:* Quaeritur: Quinam possint esse testes contra matrimonium? *R.* Omnes, qui habiles sunt ad accusandum matrimonium, sunt etiam habiles ad testificandum contra illud. Ad hoc textum habemus expressum in *cap. 1. de consanguin. et affinit.*, quod testes, qui in hoc judicio producuntur, sint oportet *omni* (sunt verba canonis) *exceptione majores.*

In hac prima parte animadversionum demonstratum est, probationes per mulierem productas vel satis non esse vel non esse legitimas: et idcirco impedimentum affinitatis, unde nullitatem matrimonii ea deducit, non esse legitime probatum. Transitum nunc facio ad alteram animadversionum partem, de qua ne verbum quidem fecerunt vel defensor matrimonii et Episcopus, sententiam ferens in prima instantia, vel canonista et theologus, de voto, pro veritate, hic rogati in secunda instantia. Sed id impedire me non potest, quin, pro munere meo, verba faciam. Dico mulierem, etsi impedimentum affinitatis bene ac legitime probaret, tamen repellendam esse a limine judicii et non esse omnino audiendam. Sacri canones triplicem pro triplici differentia impedimentorum seriem constituerunt eorum, qui matrimonium accusare possent. Si nullitas matrimonii proveniret vel ex frigiditate seu impotentia vel ex impedimento, cui conjuges renuntiare possent, ex. g. ex defectu consensus, tunc soli ad accusandum conjuges admitterentur: si proveniret ex impedimento consanguinitatis seu affinitatis, accusare posseut consanguinei, et inter hos, qui proximiores essent: si ex impedimento proveniret, cui renuntiare conjugibus nefas esset, ex. gr. vel ex clandestinitate vel ex voto, omnes admitterentur ad accusandum, consanguinei, extranei, etiam conjuges.

Doctrinam hanc, ex sacris canonibus haustam, clare exponit *Reiffenstuel* dicto titulo: Quaeritur: Quinam et quando matrimonium jam contractum accusare aut impugnare possint et debeant? *Resp.* Primo: si accusatur aut impugnatur matrimonium tanquam nulliter contractum ob impotentiam alterius conjugis, ex. g. ob frigiditatem viri aut arctitudinem faeminae, soli ad accusandum admittuntur conjuges. Ratio est, quia horum solummodo interest, et ipsi possunt, si vellint, non obstante tali impedimento, suo juri, quod ad accusandum habent, cedere, invicem cohabitare, non quidem ut conjuges ad accusandum casu, quo matrimonium est nullum ex tali impedimento, cui conjuges possunt renuntiare, ut puta, ex impedimento gravis metus circa ipsam personam: ratio est, quia hoc ipso, quo ipsi juri suo renuntiare et tale impedimentum tollere novoque consensu matrimonium rectificare valeant, idque reipsa facere praesumantur, si conscii impedimenti praecedentis cohabitent, frustranea foret aliorum accusatio.

Secundo, si impugnatur matrimonium ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis aut publicae honestatis, primo omnium accusare possunt et audiuntur parentes, et, his deficientibus, fratres et sorores ac alii consanguinei propinquiores. Quibus omnibus deficientibus etiam extranei antiquiores et veraciores, praesertim e vicinia. Communis ac certa: textu expresso *can. 35. q. 6.: Consanguineos extraneorum nullus accuset vel consanguinitatem computet: sed propinqui, ad quorum notitiam pertinet, id est pater, mater, soror, patruus, amita materna et eorum procreatio. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus et veracioribus, quibus eadem propinquitas nota est, Episcopus canonice perquirat.*

Tertio, si matrimonium ex alio impedimento, cui conjuges renuntiare non possunt, ex. gr. ex religione, est nullum, omnes tam extranei quam consanguinei, etiam conjuges ad accusandum admittuntur, praesertim vero, quorum interest.

Ita cum impedimentum, ex quo in hac causa matrimonium contenditur esse nullum, ab affinitate proveniat, opus erat, ut *pater et mater primo* (sunt verba citati canonis),

his deficientibus frater et soror, et in horum quoque defectu, qui successive proximiores essent, proponerent accusationem. Quare cum proposita fuerat a muliere, cui in hac impedimenti specie nullum ad accusandum canones dant locum, accusatio ejus perinde haberi debet ac si introducta nunquam esset. Idcirco dixi mulierem repellendam esse a limine judicii. Multa quoque accedunt, quae magis magisque ponunt in propatulo, quantum justa et legitima sit mulieris repulsio. *Appena seguito il matrimonio,* ita ea dixit in primis precibus Episcopo porrectis, *si palesò tra conjugi l' impedimento di affinità.* Cito innotuit impedimentum: Cito ergo et sine mora recursum ferre tenebatur ad Episcopum. Eccur septem menses fuit in mora? Eccur post septem menses agere demum coepit in judicio? Haec sane mora plurimum suspicionis de fraude ingerere debet in animos judicum. Neque prodesset ei excusatio, si diceret id, quod dixit in primis praedictis precibus Episcopo, scilicet, cito, vix cognoverat impedimentum, separasse se a viro et per septem illos menses separatam vixisse: *Palesatosi tale impedimento, venni separata da detto Michele, da cui fin oggi vivo sempre lontana.* Nam in *cap. 3. de divortiis* Alexander PP. III. distincte prohibuit viro, ne dimitteret uxorem sine judicio ecclesiae, etiamsi impedimentum parentelae esset notorium. *Porro de comite Pontini* (ita ille rescripsit Ambianensi Episcopo), *qui uxorem suam absque judicio ecclesiae, dimisit, quia eam cognatam fuisse uxoris defunctae proponit, prudentia tua cognoscat, quodsi etiam parentela esset publica et notoria, absque judicio ecclesiae ab ea separari non potuit: quare ipsum ad eam recipiendam, quae petit restitutionem ipsius, districte compellas: quam si recipere noluerit, eum et super inductam vinculo excommunicationis adstringas.* Multo ergo minus locus separationi esse poterat in hoc casu, in quo affinitas non in primo gradu erat, ut in comite Pontini, sed in tertio, non inter nobiles personas, sed inter ignobiles, non inter primo nubentes, sed inter viduos, non publica et notoria, sed probationibus indigens.

Alter ex duobus testibus scilicet *Margarita Formosa* in *resp. ad 8. art. proc. p. 20.* dixit separationem factam fuisse a parocho Mustae: *Immediatamente seguito il matrimonio tra i nominati Vittoria e Michele, e condotta da questo la sposa Vittoria da Musta, ove si celebrò il matrimonio, a Lia, il parroco della Musta immediatamente richiamò nella sua parochia la sposa Vittoria e la consegnò a Rosa di lei madre, da poco tempo a questa parte defonta.* At cum conjuges separantur a parocho, idem perinde erat, ac separatio sine judicio ecclesiae contingeret, propria auctoritate: non enim judex in ecclesiae est parochus, sed Episcopus, cui et non alii jus competit judicandi de causis matrimonialibus.

Atque hic dolere oportet de Melitensi defensore matrimonii, qui neminem ad examen vocavit: non praedictum parochum, et hunc necessario ad examen vocari oportebat ad hoc, ut palam fieret, (id quod scire maxime intererat), quandonam et quomodo compertum esset affinitatis impedimentum, utrum ante seu potius post matrimonium: et si postea, quis notum illud fecisset: non eos, qui matrimonio, cum celebraretur in facie ecclesiae, testes praesentes fuerunt: non eos, qui inter conjugum consanguineos essent proximiores: non ipsos conjuges, a quibus, per accuratam explorationem, universa facti series resciri certo poterat. Neque audeat quis hic respondere, parochi, consanguineorum, conjugum examen vel inutile vel supervacaneum fuisse, quia, ubi dirimens cognosceretur affinitatis impedimentum, id satis ecclesiae seu Episcopo erat ad judicium tuto ferendum. Nam leges nostrae ex opposito efflagitant, ut, quotquot participes rei quoquo modo fuerunt, ii omnes ad examinis trutinam vocentur; idque cum ad caeteros juris effectus tum potissimum ad detegendum, an intercesserit collusio, quae inter conjuges, in hisce causis, serpere plerumque solet. Bene haec omnia noverat sa. me. Benedictus XIV., qui ex eo se edere dixit constitutionem: *Dei miseratione,* qui noverat, *litigantes conjuges in specie quidem discordes, revera inter se concordes et invicem colludentes, tentare matrimonii dissolutionem: Et indicata sunt nobis exempla nonnullorum virorum, qui post primam et secundam ac tertiam, quam duxerunt, uxorem ob nimiam judicum praecipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc primis illis uxoribus superstitibus ad quartas contrahendas nuptias devenerunt. Et similiter foeminarum, quae post primum, secundum et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se junxerunt,* non sine pusillorum scandalo et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni et temere perfringi dolebant.

Itaque conjugum examen erat omnino necessarium, cum ipsi et actores et rei et partes essent essentiales judicii, atque ita erat de substantia judicii, ut, eo praetermisso, nefas esse videretur procedere in causa. Neque quidquam prodesset hic dicere, quod cursor, seu, uti ibi dicitur, alarius, *retulit se ad instantiam mulieris notificasse Michaelem Frendo de scriptis, praesentatis ab eadem muliere, cum termino dierum duorum ad respondendum.* Nam id non importabat veram ac formalem citationem. Tum virum citari et ad examen vocari ex officio oportebat ad instantiam defensoris matrimonii: id quod maxime doleo fuisse praetermissum. Imprimis vero exquirendum erat a muliere, quanam de causa, cunctis silentibus proximioribus conjugum, quibus, et non aliis, quando de consanguinitate vel affinitate res sit, aditum dant leges ad accusandum, silente quoque viro et non comparente, ipsa sola proposuisset accusationem. Nam eam, si ex indirecta aliqua causa et non vel ex veritate vel ex necessitate rei accessisset ad accusandum, profecto, ob id quoque solum, a judicio oportet repelli. Expressum habemus canonem *in cap. 5. de iis, qui matrimonium accusare,* ut Innocentius PP. III. mandavit repelli mulierem, quae accusabat matrimonium propter quaestum: *Nostro est apostolatui declaratum, quod, cum N. duxisset legitime in uxorem N., mater ipsius nisa est matrimonium accusare, ut ab eo pecuniam extorqueret etc. Et licet intellectui suo prava non possint opera respondere, nihilominus vult habere pecuniam, ut ab accusatione desistat. Cum igitur non sit malitiis hominum indulgendum, mandamus, quatenus, si ita est, ipsam ab accusatione matrimonii repellentes, eidem super hoc silentium imponatis.* Quem quidem canonem commentans *Gonzalez* haec addit: *Neque enim quandocumque libuerit, patere debet via impetendi matrimonium accusatoribus: quo modo accipiendi sunt textus in cap. significamus* cum sequent. 35. *quaest. 6., praecipue cum saepius confingatur affinitas ad solvendum matrimonium, ut ait Petrus Damianus de contemptu saeculi cap. 29., ibi: Si quis uxoriae calamitatis incommoditate percellatur, ipseque vir falso consanguinitatis lineam texit et inaudita proavorum nomina per multa argumenta confinget, ac simul quosdam in hujusmodi allegationis testimonium advocat.*

Tum exploranda erat accusatrix ad hoc, ut cognosceretur (atque id rei caput est), an bona seu potius mala fide contraxerat matrimonium. Nam dilemmate hic res tota conficitur. Aut bona fide illud contraxit aut mala: si bona, et ita, ut impedimentum ignoraret, et in hoc casu petat humiliter dispensationem ab ecclesia, quae cum sit mater pietatis, firma ac tuta spes est, fore, ut dispensationem sit ei datura, vel cum *conditione renovandi consensus* vel, si verendum esset, ne vir, ex malitia sua, consensum renovaret, *in radice,* ad removenda scandala et ne Sacramentum contemptui habeatur, uti docet *sa. me. Benedictus XIV. de synodo dioec. lib. 3. cap. 21.;* aut mala fide contraxit et cum scientia de impedimento, et in hoc detestabili casu, quia fraus et dolus nemini patrocinari debent, separandi quidem sunt conjuges, sed haud facultas eis danda est transeundi ad alias nuptias. Imo congrua poena conjuges plectendi essent, quod tamen facinus patraverint, ut fornicariam copulam, sub tegmine ecclesiae, secum haberent. Atque id est consentaneum sacri concilii Tridentini ordinationibus in *cap. 5. de refor. matr. sess. 24., ubi,* cum *separatio* in hoc casu ordinetur, non autem dissolutio matrimonii per sententiam, hoc ipso indicatur, conjuges remanere debere sine spe transeundi ad alia vota. *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separatur et spe dispensationis consequendae careat. Idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere sed etiam consummare ausus fuerit. Quodsi ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates, requisitas in contrahendo matrimonio, neglexerit, eisdem subjiciatur poenis. Non enim dignus est, qui ecclesiae benignitatem facile experiatur, cujus salubria praecepta temere contempserit. Si vero, solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit: tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit.*

Hoc, in hac causa, firmum in jure et in facto tenere debemus, scilicet, matrimonium esse validum, ex jure tam naturali quam divino: tum nullitatem, de qua mulier illud accusat, esse de jure mere ecclesiastico, cum proveniat ex affinitate in tertio gradu obliquo. Ad hoc conjuges, quantum ad ipsos

pertinebat, obstitisse eidem nullitati; nam eorum intentio mens et voluntas erat, cum contraherent matrimonium in facie ecclesiae, ut actum facerent ex se validum, ut sacramentum susciperent ex se firmum, ut firmiter ac perpetuo mansuri essent in hoc indissolubili matrimonii vinculo: sed jus ecclesiasticum parere eamdem nullitatem ex eo, quod, statuens id impedimentum, irritat matrimonium cum eo contractum. Apposite *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 5. num. 1.*: Caetera sacramenta habent, jure divino, praescriptam materiam et formam certam ac determinatam et solam sacramenti rationem subeunt: ac proinde materia et forma non possunt adhiberi, quin sint ex se materia ac forma sacramenti: quare, si sit indebitus usus, ita, ut sacramentum irritetur, esset sacrilegium. At matrimonium, ultra sacramenti rationem, est contractus quidam naturalis nec habet praescriptam materiam et formam determinatam, sed consensus contrahentium legitimos verbis, nutibus aut literis aut per procuratorem expressos: unde cum ecclesia aut jure naturali irritante consensus inter aliquos ii matrimonio copulantur, non ipsi irritum sacramentum efficiunt: quantum enim ex se est, valide contrahunt; sed jus ecclesiasticum aut naturale statuens id impedimentum illud irritat. Hisce positis convenitne, in hoc casu, ut ecclesia, per sententiam suam declaret, matrimonium illud fuisse et esse irritum? Convenitne ut illud irritum declaret, ad instantiam solius mulieris viro silente et non comparente? Convenitne, cum certum sit, hunc aeque ac illam per consensum libere in faciem ecclesiae praestitum, cuncta gessisse ad hoc, ut matrimonium perpetuo maneret? Profecto, si conjugum proximiores vel iis deficientibus viciniores, quibus accusationis jus sacri canones tribuunt, accusationem legitime proposuissent, audiri eos oporteret. At cum, cunctis silentibus, eam proposuerit mulier, et quodammodo seipsam accusaverit in spretum matrimonii, ea sane audienda haud esse videtur, ea repellenda a limine judicii.

Idem rei respondere oportet, quod *in cap. 2. de iis, qui matrim. accusare possunt, in 1. collect.* respondisse refertur Alexandrum PP. III. Burdigalensi Episcopo: *Consulit nos tua fraternitas, quid tibi faciendum sit de quodam milite, qui, cum mulierem quandam duxerit in uxorem et eam tempore longo tenuerit et prolem ex ea susceperit, nunc matrimonium ipsum accusat dicens se in quarto gradu consanguinitatis esse. Ad quod utique consultationi tuae taliter respondemus, quod si praefatus miles mulierem ipsam in facie ecclesiae duxerit et longo tempore tenuerit, non debet vox accusationis admitti, nisi aliae personae idoneae apparerent, et merito suspicione carentes, quae matrimonium ipsum velint legitime et possent accusare.* Neque quis dicat, ideo militem illum fuisse prohibitum, ne proponeret accusationem, quia et longo tempore uxorem matrimonio habuerat et prolem inde susceperat: quae facti circumstantiae desunt in hoc casu. Nam multa hic respondenda occurrunt.

Primum, certum ergo est ex hoc canone fieri aliquando ex jure posse, ut quis, quando matrimonium suum accusat esse nullum, non audiatur, repellatur a limine judicii, silentium ei imponatur: Id quod satis est in hac causa.

Tum, ut silentium alicui imponatur, ne matrimonium accuset, ultra diuturnitatem ejusdem matrimonii, ultra prolem exinde susceptam, aliae possunt concurrere causae, quemadmodum docet, commentans canonem illum, *Gonzalez in cap. VI. tit. de his, qui matrim. accusare possunt: Si propter aliquod impedimentum perpetuum et cui conjuges ipsi renunciare non possunt, matrimonium nullum sit, aeque ad accusandum omnes admittuntur, quia ita publice interest, propter peccatum, simili matrimonio implicitum, nisi forte diuturna cohabitatio, numerus liberorum aliusve similis favor matrimonium turbarum omnino vetet.* Praetera altera ex causis ad id sufficientibus potest esse publicum scandalum, quod oritur ex dissolutione matrimonii, etiam simpliciter rati, multo magis, prout hic est, consummati; et aliunde eadem dissolutio evitari facile posset per dispensationem, cujus impetratio facillima esset in tertio gradu affinitatis obliquae; a qua tamen petenda conjuges abhorrent, nescio qua de causa. Nonne hac ratione conjuges, quod coram ecclesia jam contraxerant quodque ex eorum parte firmum ac validum est, idem nunc sacramentum ludibrio quodammodo haberent, et perinde, ac si per jocum contraxissent illud? Ad hoc, in milite bona fides fuisse videtur, qui statim ac novit impedimentum consanguinitatis, recursum habuit ad Episcopum pro remedio: at in his conjugibus valde dubitandum est, bonane, an mala fides fuerit: et gravis urget suspicio ab hac potius foedatos, quam illa fuisse ornatos.

Insuper vir, hoc est miles, proposuerat accusationem: quare minor ab illo culpa erat, quia vir est caput mulieris. quam in hac muliere, quae prima et in primis ausa est venire in judicium viro tacente et non comparente.

Sed si ita res cesset (audire aliquem mihi videor hic mihi objicientem), plurima inde sequerentur absurda, videlicet, firmum haberetur matrimonium, quod sacri canones irritum fuisse et esse declarant. Rursus ecclesia permitteret in fornicaria conjuges conjunctione manere contra id, quod leges imponunt Episcopo, scilicet, quod, ubi impedimentum notorium est ac certum, etiam ex officio matrimonium dissolvat. Uti Papa in *cap. 3. de divortiis* respondit Episcopo Ambiensi, *quod non apparentibus accusatoribus et parentela manifesta et publica existente tui officii interest matrimonia illa, adhibita gravitate, dissolvere.* Pro responsione huic ultimae objectioni satis esset considerare, quod haec omnia, quae dicuntur mala et absurda, cognita et perpetua naturaliter fuerunt sive *Alexandro III.* in causa militis, sive *Caelestino III.* in causa alterius matrimonii, cujus accusationem mulier proposuerat ob quaestum; et tamen tam hoc quam illud summi illi Pontifices stare firmum voluerunt, tam mulieri quam militi silentium imponentes, ne contra matrimonium obloqui quidquam auderent. Atque id satis pro responsione esset. Nihilominus alia addam. Aliud est matrimonium declarari nullum ex jure, aliud per sententiam. Forte praesens matrimonium erit nullum ex jure, quia forte in facto subsistit impedimentum affinitatis in tertio gradu: et ego neque juri obsisto neque obsistere possum. Sed dico abstinendum pro nunc ecclesiae esse a declaranda nullitate per sententiam. Quas enim mulier probationes adduxit pro nullitate, eas visum est in prima quarta harum animadversionum procul esse a norma per sacros canones praescripta: et interim dico ordinandam esse ab ecclesia separationem conjugum, prout eam in hisce casibus ordinat sacrum concilium Tridentinum. Et quoniam separatio duplex est neque eam concilium ibi distinguit et eam idcirco judicum discretioni et prudentiae distinguendam relinquit, pro nunc ordinanda esse videtur separatio thori: et ulteriores, ex benignitate ecclesiae, induciae conjugibus dandae ad hoc, ut petant, si velint, dispensationem ab apostolicae Sedis clementia: Id quod palam faciet, an fuerint, necne in bona fide: quod si deinde videbitur eos in mala fide fuisse, quia neque dispensationem postulabunt neque mulier ab accusatione matrimonii parata sit discedere, tunc, si vel impedimentum publicum erit notorium et certum vel aliae personae *merito suspicione carentes* ad accusandum accedent, procedendum erit ad separationem conjugum etiam quoad vinculum, sed ita, ut in poenam patratae fraudis praeclusus perpetuo iis futurus sit aditus ad alia saecularia vota transeundi.

Atque ita etc. Salvo etc.

Die 16. Julii 1842,

(Die 3. Decbr. 1842.)

40) Nomina

Nomina affinitatis sunt haec: Socer, id est pater uxoris vel mariti. Socrus, idest mater mariti vel uxoris. Consocer, idest frater patris uxoris vel mariti. Consocrus, idest soror matris uxoris vel mariti. Prosocer seu socer magnus, idest pater soceri seu avus mariti vel uxoris. Prosocrus seu socrus magna, idest mater socrus seu avia uxoris vel mariti. Gener, idest maritus meae filiae. Congener, idest maritus alterius meae filiae. Progener, idest gener mei filii et filiae. Nurus, idest uxor mei filii. Connurus, idest uxor alterius mei filii. Pronurus, idest nurus mei filii aut filiae. Levir, idest frater mariti aut uxoris. Glos, idest soror mariti aut uxoris. Fratria, idest uxor fratris. Sororius, idest maritus sororis. Janitrices, idest uxores duorum fratrum sic dictae, quasi eandem januam terentes vel per eandem januam intrantes. Sororum mariti, idest mariti duarum sororum. Vitricus, idest alius maritus meae matris. Noverca, idest alia uxor mei patris. Privignus, idest filius mei mariti ex alia priori uxore, vel filius meae uxoris ex alio priori marito. Privigna, idest filia mei mariti ex alia priori uxore vel filia meae uxoris ex alio priori marito. Vide *cap.: Quod autem. 5, et cap.: Primo gradu. 6. caus. 35. q. 5.*, ubi multa ad rem.

41) Perpetua est.

Die 25. Junii 1756 coram Elephantutio definitum est: Consanguinitatem atque affinitatem perpetuam esse, cum natura nullis est circumscripta limitibus.

Die 21. Novbr. 1835. *Romana.*

42) Probatio.

Vd. *p. 364 §. Hinc; p. 373 §. Dixi; p. 375 §. In hac etc.*

Si agitur de matrimonio nondum contracto, levis sufficit affinitatis probatio. Si agitur de matrimonio contracto, tunc requiritur plenissima probatio, ut summa consensione tradunt *Sanchez de matrim. lib. 1. disput. 71. num. 11., Ursaya discept. eccles. 22. tom. 5. part. 2. num. 13., Schmalzgrueb. jus eccles. univ. lib. 4. part. 3. tit. 13. num. 30.* Hanc distinctionem sequuta est sacra Congregatio *in Surrentina Matrimonii 23. Julii 1721, in Ravennaten. Matrimonii 23. Augusti 1725, in Meliten. Nullitatis Matrim. 15. Julii 1760.* Hisce enim casibus parvi fecit testes minus idoneos et dubios ac etiam juramentum conjugum, quia agebatur de matrimonio jam contracto dirimendo. Quando vero agitur de matrimonio contrahendo unicus etiam testis sufficit, ut *ex cap.: Praeterea 12. de sponsal.* Sed necesse est, ut testis de certa scientia loquatur, ut tradunt *Reiffenstuel in decretal. lib. 2. tit 20. num. 317., Sanchez de matrim. lib. 1. disput. 71. num. 11.* Juramentum vero eorum, qui impedimento tenentur, nil sane relevat, ubi matrimonium contractum sit, ne matrimonium ex eorum juramento colludatur, ut inquit Coelestinus III. *in cap.: Super eo, qui cognov.* Sed ubi matrimonium sit adhuc contrahendum juramentum attenditur, ut *ex gloss. in citat. cap. super eo verb. confess.*

Sane in re nostra quinque testes dubitativi sunt, et potius quam de certa scientia impedimenti deponant ex dictis et factis Christinae et Mascioni de impedimento conjecturam faciunt. Unicus testis Lucilla narrat complexus utriusque, numquam vero fornicationis actum. Videant EE. PP., cum agatur de re difficilis probationis et de matrimonio contrahendo, num sufficiant conjecturae ad probandum impedimentum, vel potius deferendum sit juramento Christinae et Josephi, qui negant sese unquam cognovisse. Prae oculis quoque habeant resolutionem hujus s. Congregationis *in Balneoregien Impedimenti* proposita in folio *diei 12. Maji 1770.* In illa causae specie agebatur de matrimonio contrahendo inter Magdalenam Barberini et Dominicum Antonium Fiani. Unica muliercula deponebat se conspexisse Annam Mariam sororem germanam sponsae complexam cum Dominico Antonio, *ut proximum accessum prope eam e conspectu manentis significant.* Aderat alter testis, qui de copula audierat. Sed jurata Dominici Antonii et Annae Mariae declaratio carnalem copulam excludebat.

Nihilominus proposito dubio:

An constet de impedimento affinitatis

responsum fuit in sequenti congregatione 16. Junii: *Negative.*

Die 17. Aug. 1805. *Senogallien.*

43) Quae est?

Vd. *p. 343 n. 12.*

Affinitatem esse *propinquitatem ortam ex nuptiis cum sanguineo vel consanguinea; ita lex non facile §. sed quoniam ff. de grad. affinit.*

Die 28. Jan. 1837. *Anconitana.*

44) Spiritualis.

a) Quae est?

Spiritualis affinitas nihil aliud est, quam spiritualis proximitas, quae secundum canones nascitur inter susceptos ex sacro baptismate et susceptores aliasque personas, et alias vocatur spiritualis cognatio. Vide *cap.: Ita diligere 3. quaest. 3. cap. 1. ac tot. tituli de cognat. spiritual. in 6.*

b) Matrimonium non contrahendum.

Vd.: *Cognatio spirit.*

Leo VII. Episcopis, Abbatibus etc. Galliae, Germaniae, Bavariae etc.

Interrogatum est de eo, qui matrem et filiam spirituales in conjugio ducit, quod ne fiat sacri canones per omnia vetant. In canonibus Zachariae ita habetur: Ut presbytera, diacona, monacha vel etiam spirituali filia nullus utatur. Nam qui hujusmodi opus perpetravit, sciat se anathematis vinculo innodatum et Dei judicio condemnatum atque a sacro corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienum: et quicumque sacerdotum ejus communicare praesumpserit, eorum judicio condemnatus, sacerdotii sui honore privetur.

Anno 938. (Bull. r. t. I. p. 393. Ed. Aug. Taur. 1857.)

45) Inter Sponsum et Sponsam, quae prius fuit uxor privigni*) Sponsi.

Bojanen.

(Conc. Tr. c. 4. sess. 25. de ref. matrim.)

Cum Dominicus N. de Terra Cantalupi dioecesis Bojanen. intenderet contrahere matrimonium cum Samaritana, quae fuit uxor Marci Antonii seu privigni jam defuncti, Episcopus operae pretium esse censuit sacram hanc consulere congregationem: An dictum matrimonium valide et licite contrahi posset. Cumque proposita fuisset haec instantia die 8. Junii 1720, nulla fuit capta resolutio, sed dictum est, quod scriberent theologi.

*) Vd. *p. 379 n. 40.*

Quatuor theologi scripserunt et eorum suffragia unacum nonnullis meis adnotationibus fuerunt impressa in folio congregationis habitae die 3. Augusti 1720, quod ab EE. VV. poterit de more reassumi. Cumque in congregatione habita praedicta die fuisset haec eadem causa iterum proposita, nulla pariter fuit capta resolutio, sed rescriptum est: *Ad mentem, et mens fuit, quod per literas admoneretur Episcopus Bojanensis, ut videret, an, dum adhuc res est in fieri, cum simus in matrimonio non contracto sed contrahendo, Dominicum et Samaritanam suasionibus a contrahendo matrimonio avertere posset.*

In executionem hujus rescripti datae fuerunt literae ad dictum Episcopum, qui respondit se omnem operam, sed incassum, navasse, tum quia, licet matrimonium non sit contractum, sponsalia tamen jam praecesserunt, tum quia inter Dominicum et Samaritanam post sponsalia intercessit diuturna conversatio et consequenter aliqualis diffamatio, itaut praescindendo ab hoc matrimonio Samaritana remaneret innupta, et tandem, quia lis est pendens in magna curia Vicariae, a qua si Dominicus caderet, mendicare cogeretur, quaeque suspensa remansit post contracta sponsalia et sub spe futuri inter litigantes matrimonii.

Cum pro adaequata hujusce causae resolutione habita die 3. Augusti 1720 nonnulla ab EE. DD. fuerint accurate de more perpensa, necessarium existimavi ad calcem hujusce folii ea inserere, unacum nonnullis auctoritatibus, quae in hoc non ita obvio articulo non sine labore fuerunt a me perquisitae et inventae, quibus perlectis et ponderatis ponderandis onus erit EE. VV. decernere:

An matrimonium contrahi possit inter Dominicum et Samaritanam in casu?

S. C. C. resp.: Ad D. Secretarium juxta mentem.

Die 8. Martii 1721.

Adnotationes
circa quaestionem, de qua in causa Bojanen.

An Vitricus) absque ullo impedimento vel affinitatis vel publicae honestatis ducere possit in uxorem eam, quae fuit uxor privigni sui?*

In Congregatione habita die 3. Augusti 1720, in qua haec eadem quaestio proposita fuit, ponderatum est ab aliquibus, quod matrimonio inter vitricum et uxorem privigni obstabat literalis textus *in l. Uxorem 15. ff. de ritu nuptiarum,* ibi: *Uxorem quandam privigni conjungi matrimonio vitrici non oporte'*, et sic, quod illud propter impedimentum publicae honestatis nullo modo contrahi poterat, uti diserte docet *Faber in sua jurisprud. Papinianea tit. 11. de nuptiis princ. 6. illat. 12.*, ubi ad mentem Papiniani, quam tantum in dicto opere exponit, haec habet: *Inhonestum autem palam est, eam, quae aliquando uxor fuerit illius, qui mihi aut filii aut parentis loco fuerit, uxorem a me duci, siquidem individua illa vitae societas, quae per matrimonium contrahitur, efficit, ut, qui mihi parentis et filii loco est, ejus quoque uxor parentis et filii loco esse videatur;* et sequitur *Arnoldus Vinnius auctor etherodoxus ad tit. Instit. de nuptiis sub num. 2. pag. 63. edit. Venetae,* ibi: *Non obstat, quod Papinianus respondet in l. 15. uxorem quondam privigni conjungi matrimonio vitrici non oportere, hoc enim non eam rationem habet, quod affines sunt, sed quod honestas et pudor naturalis non patiatur mecum matrimonio jungi uxorem ejus, qui mihi aliquando filius seu loco filii fuit propter matrem, quam in matrimonio habui.*

Addi possunt ad hujus assumpti comprobationem: *Joannes Schneidevuinus professor Academiae Witebergensis in comment. ad instit. civil. lib. 1. de nuptiis tit. 10. pag. mihi 50.*, ibi: *Et quia in hoc casu jus civile expresse non reperitur correctum a jure canonico, in consistoriis nostris sequimur in pronunciando dispositionem juris civilis, quae maximam publicae honestatis habet rationem, prout scilicet semper in conjunctionibus non solum, id quod licet, sed et quod honestum est, considerari debet;*

Bruneman antecessor in Academia Viadrina, et J. C. Electoris Brandeburg. comment. ad pandectas ad l. Uxorem 15. ff. de ritu nuptiarum, ibi: *Sed an hic casus sit dispen-*

*) Vid. *p. 379 n. 40.*

sabilis? Affirmatur per jus canonicum, quia est in secundo genere affinitatis conjunctio etc., tamen re integra non facile concedendum esse arbitror hoc matrimonium ob scandalum;

Benedictus Carpzovius J. C. Electoris Saxonici lib. 2. jurisprud. consist. tit. 7. de dispensat. matrim. in gradu prohibito definit. 119. pag. mihi 182, ibi: *Privignus a vitrici et hic rursus a privigni vidua abstinere debet, non solum ob rationem honestatis, quae in matrimonio multum attenditur, sed etiam propter expressam juris civilis dispositionem in l. Uxorem ff. de ritu nuptiarum.*

Responsum econtra fuit in dicta Congregatione et ponderatum ab aliis, non obstare matrimonio inter vitricum et uxorem privigni textum supra citatum *in l. Uxorem ff. de ritu nuptiarum;* cum enim vitricus et uxor privigni sint in secundo genere affinitatis constituti et impedimentum secundi et tertii generis affinitatis fuerit a jure canonico unacum impedimento publicae honestatis annexo dictis secundo et tertio generi affinitatis sublatum, uti habetur in cap.: *Non debet, ibique Glossa in verbo in secundo et tertio, ibique Abbas num. 11. de consanguin. et affin.*, constituenda idcirco non videtur vis in allegato textu civili, cum fuerit idem correctus a jure canonico in decretali mox allegata, uti ponderat *Cujacius ad tit. 14. de consang. et affinit. oper. postumorum tom. 3. edit. Parisiensis anni 1648 pag. mihi 316.*, ibi: *At hodie ex capitulo penultimo sive concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. in secundo genere affinitatis nuptiae vetitae non sunt et abrogata est lex 15. ff. de ritu nuptiarum*, quod ipsum fusius repetit in *comment. ad allegatam l. Uxorem 15. oper. tom. 1. pag. 153.*, ibi: *At haec Papiniani sententia hodie abrogata est decreto Innocentii in cap.: Non debet de consang. et affinit., quo in primo tantum genere affinitatis nuptiae prohibentur, non in secundo vel tertio, et personae, de quibus in hac lege agitur, sunt in secundo genere affinitatis, non in primo.*

Addi possunt: *Henricus Zoesius in Academia Lovaniensi antecessor ad tit. decretalium de consang. et affinit. num. 9.*, ibi: *Vitricum privigni sui uxorem sibi conjungere olim nequidem jure civili licitum erat, l. Uxorem ff. de ritu nuptiarum. Verum ea lex abrogata est per dictum caput 8., cum jus civile cedat dispositioni canonicae in causis spiritualibus;*

Robertus Konig ordinis s. Benedicti ad eundem titulum decret. de consang. et affin. par. 2. pag. mihi 150., ibi: *Verum hodie secundum et tertium genus affinitatis penitus sublatum est, in cap. 8. hoc titulo, quamobrem ducere licet novercam*) uxoris suae defunctae vel ejus privignam utpote in secundo genere affinitatis conjunctam, quidquid olim tum leges civiles tum antiqui canones in contrarium disposuerint;*

Engel ordinis pariter s. Benedicti ad eundem tit. decretal. de consang. et affinit. §. 2. num. 6., ibi: *Si quis ducere vellet privignam vel novercam suae uxoris defunctae, negant nonnulli inter tales personas consistere posse matrimonium propter textum in l. Uxorem ff. de ritu nuptiarum, melius tamen dicitur, quidquid leges civiles vel antiqui canones circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per concilium Lateranen. in cap. »Non debet« generaliter abrogatum est;*

Franciscus Schmalzgrueber e Societate Jesu canonum professor in universitate Ingolstadiana a *tit. pariter de consang. et affin. §. 2. num. 76. et 77.*, ibi: *Excipiunt nonnulli eos, qui constituti sunt in secundo affinitatis genere in linea recta et se habent per modum parentum et liberorum, ut, si quis vellet ducere privignam vel novercam suae uxoris defunctae. Ratio est, quia ita expresse disponitur in l. Uxorem ff. de ritu nuptiarum, sed dicendum est leges illas civiles per cap. »Non debet« abrogatas esse etc. Poterit igitur aliquis ducere privignam vel novercam suae uxoris defunctae.*

In congregatione pariter habita die 3. Augusti 1720 fuit a nonnullis docte et subtiliter de more ponderatum, quod capitulum: *Non debet de consang. et affinit.* revocat impedimentum secundi et tertii generis affinitatis, sed non revocat impedimentum secundi generis affinitatis in linea recta ad tramites juris antiqui, de quo in can.: *De propinquis, in can.: Porro, aliisque a Gratiano collectis 35. qu. 3.*, hinc inferendo, quod cum vitricus et uxor privigni conjuncti quidem sint in secundo genere affinitatis, sed uxor privigni sit in linea recta respectu ad vitricum, matrimonium idcirco inter eosdem contrahi non valeat.

Pro hujus assumpti comprobatione pugnat *Joannes Oinotomus ad lib. 1. instit. tit. de nuptiis de arbore affinit. num. 14. pag. mihi 45.*, ibi: *Nec obstat dictum caput »Non debet«, quia illud tantum de collateralibus consanguineis et affinibus loquitur, non autem de ascendentibus consanguineis et affinibus,*

*) Vd. *p. 379 n. 40.*

et jura juribus sunt concordanda, hoc est caput »Non debet« cum l. Uxorem de ritu nuptiarum supra allegata, ut vitetur jurium correctio.

Addi potest *Abbas*, quem alii sequuntur in citato cap.: *Non debet* num. 8. de consang. et affinit., ibi: *Sed quaero numquid inter ascendentes et descendentes possit esse matrimonium ultra quartum gradum, quod est quaerere numquid dispositio hujus §. concernat omnes consanguineos tam collaterales quam ascendentes et descendentes, ut ultra quartum gradum prohibitio non extendatur. Vide Gofredum, qui dicit, quod sic, unde intelligit istum textum generaliter, sed contrarium tenuit Joannes Andreas etc., et hanc opinionem credo verissimam, cum textus juris civilis indistincte prohibeat matrimonium inter ascendentes et descendentes in infinitum, ut in l.: Nuptiae ff. de ritu nuptiarum, unde Glossa ibi colligit, quod, si Adam hodie viveret, non reperiret uxorem, quia omnes descendimus ab eo, et cum jus civile non reperiatur expresse correctum et sit fundatum super honestate maxima, non debemus per generalem dispositionem canonicam dicere contrarium, haec tamen quaestio propter brevem hominum vitam raro practicatur;* at in eo ad Abbatem caeterosque eodem modo loquentes examinare opus est, an faciant ad rem, cum loquantur de consanguineis et de veris descendentibus, uti desumitur ab exemplo Adami, et praesens quaestio est de *Affinibus.*

Conferunt res judicatae apud *Antonium Mornacium* in senatu Parisiensi patronum in observat. ad 24 *priores libros ff. lib. 23. ad l. 42. de ritu nuptiarum pag. 862.*, ibi: *Tertium exemplum est in l. Uxorem quondam privigni hoc titulo; huic enim cum fraudem facere conatus fuisset Neustrinus quidam ex gratia legis, quam romana potestas fecerat, appellarunt tamquam ab abusu cognati mulieris ab executione pontificii decreti, vetitumque est utrique, ne copulari auderent matrimonio, poenae capitalis comminatione adjecta, si secus fieret. Supplicavit adversus hoc curiae Rothomagensis placitum Neustrinus et, ut evaderet, quod futurum prospiciebat, causam auctore Principe a Rothomagensi curia transtulit in consistorium, ex quo, cum amandatus esset vir clarissimus ad senatus Parisiensis triumviros, de peritia triumviralis sententiae latum fuit postea in consistorio Principis augustum immotumque judicium, quo Rothomagensis convaluit auctoritas anno 1610.*

E contra in citata congregatione habita die 3. Augusti 1720 ab aliis ponderatum fuit, quod, sicuti caput: *Non debet de sanguinitate et affinitate* indistincte aufert impedimentum secundi et tertii generis affinitatis, sic auffere dicendum est impedimentum secundi generis affinitatis etiam in linea recta.

Faciunt deducta per *divum Thomam in supplemento tertia parte quaest. 55. art. 5.*, ubi loquens de secundo et tertio genere affinitatis inquit, quod *solum* remanet sub prohibitione primum genus affinitatis, in quo est *vera affinitas;* per *Barbos. in collect. ad l. 4. pag. 550.*, ubi inquit, tam secundum quam tertium genus affinitatis *omnino* sublatum esse; per *Martinum Perez de matrim. disput. 31. §. 6.*, ubi firmat *solum* primum genus affinitatis vim habere; per *Corradum lib. 7. dispens. matrim. cap. 1. a num. 7.*, ubi firmat primum genus affinitatis *solum* hodie inducere impedimentum post capitulum *»Non debet«*, et tam tertium quam secundum affinitatis genus esse hodie *prorsus* sublatum, ita quod *nullo modo* impediat matrimonium, *quod impetitur tantum a primo genere.*

Verum praeter citatos auctores sic, uti visum est, loquentes alii adduntur expresse impugnantes distinctionem inter lineam rectam et collateralem in secundo genere affinitatis. *Engel ad tit. decretal. de consang. et affinit. §. 2. num. 6.*, ibi: *Sed quid si in secundo genere affinitatis constituti sint in linea recta et se habeant per modum parentum et liberorum, v. g., si quis ducere vellet privignam vel novercam suae uxoris defunctae. Negant nonnulli inter tales personas consistere posse matrimonium propter textum in l. Uxorem ff. de ritu nuptiarum; melius tamen dicitur, quidquid leges civiles vel antiqui canones circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per concilium Lateranense et capitulum »Non debet« generaliter abrogatum est.*

Franciscus Schmalzgrueber ad tit. decretal. de consang. et affinit. §. 2. num. 77., ibi: *Neque verum est textum capituli »Non debet« loqui de affinitate affinitatis in linea transversa, nam textus universalis est et canonistae passim eum universaliter intelligunt. Neque dicas juxta multorum sententiam, quam ego num. 37. amplexus sum, caput citatum, dum consanguinitatis et affinitatis impedimentum reducit a septimo gradu ad quartum, loqui solum de linea obliqua ac proinde de hac solum*

etiam loqui tunc, quando aufert impedimentum, quod olim oriebatur ex affinitate affinitatis, negatur enim sequela, rationem, cur in priori casu loquatur solum de linea obliqua, dedi numero citato, illa autem ratio non pugnat in casu, ut consideranti patebit.

Cumque ratio a dicto auctore ponderata in num. 37. ad effectum demonstrandi et probandi, *quod capitulum »Non debet« de consang. et affinit.* restringens prohibitionem matrimonii ad quartum gradum sibi vindicat locum in collateralibus et non in ascendentibus, inter quos vigere dicit impedimentum illimitatum et indefinitum, sita sit in hoc, quod dispendia et animarum pericula, quibus concilium Lateranense voluit obviare, verificari tantum poterunt in collateralibus et non in ascendentibus et descendentibus, inter quos moraliter erat impossibile propter brevem hominum vitam, quod matrimonium contrahi posset ultra quartum gradum, sensus ejus est, quod, cum animarum pericula dari et contingere possint, si sublato impedimento secundi generis affinitatis illud in totum sublatum non sit, hoc est, tam in linea recta quam in linea obliqua, restringenda idcirco non sit sublatio dicti impedimenti secundi generis affinitatis ad lineam obliquam, sed extendenda veniat ad lineam rectam, non obstante, quod in linea recta inter sanguineos impedimentum adhuc vigeat perpetuum et illimitatum.

Corroborantur hucusque deducta ex his, quae habemus in *t. 7. theologiae dogmaticae et moralis ad usum seminarii Catalaunensis de matrim. pag. mihi 853.*, ubi post exposita ea, quae supra ex Mornacio relata fuerunt, interfertur haec consequentia: *Ergo concilium Lateranense in cap. »Non debet« supra laudato loquitur dumtaxat de affinitate inter collaterales, nullatenus vero inter ascendentes et descendentes;* cui consequentiae sic auctor respondet: *Nego consequentiam, haec enim distinctio gratis excogitata est, cum nulla fulciatur auctoritate sive concilii posterioris sive theologorum sive canonistarum, qui in laudatum caput scripserunt.*

Ad antecedens vero respondeo, primo merito in dubium revocari, quod scribunt laudati jurisperiti, primo, quia non conveniunt circa annum scriptum seu datam, et ajunt, alter enim annotat annum 1607, alter 1610, alter 1617; secundo, quia referunt cum Neustrio dispensatum fuisse a summo Pontifice; atqui in Romana non agnoscitur affinitas, de qua est sermo, sed sublata habetur per concilium Lateranense; tertio, quia narrant senatum Rothomagensem judicasse ex consilio theologorum Parisiensium, quod verisimile non est, cum constantissimum sit apud omnes theologos ejusmodi affinitatem sublatam fuisse per concilium Lateranense; idemque auctor deinde refert tam anno 1670 in causa ejusdem Andreae Huillin fuisse pronuntiatum pro validitate consimilis matrimonii in senatu Rothomagensi, quam anno 1676 in privato regis consilio.

Addi potest interrogatum fuisse officialem praepositum dispensationibus matrimonialibus, ut scire posset: An umquam petita et an umquam concessa fuerit dispensatio inter vitricum et uxorem privigni; eumque post perquisita diligenter regesta respondisse talem dispensationem nec petitam nec concessam fuisse. Porro id probare videtur non subsistere in facto allegatam Neustrii dispensationem. Caeterum judicium erit EE. PP. statuere: An universalis haec consimilis dispensationis carentia prosit vel obstet matrimonio inter vitricum et uxorem privigni, et quatenus obesse dicatur, dicendum etiam erit, quod numquam in alicujus vitrici mentem, excepto solo casu praesenti, venerit desiderium ducendi in uxorem eam, quae fuit uxor privigni sui, quod est difficile captu, cum ex originalibus documentis habeatur, quod anno Domini 1697 praevia dispensatione Vicarii generalis super denunciationibus archipresbyter et parochus collegiatae et parochialis ecclesiae sancti Joannis apostoli terrae Valentani dioecesis Montis Falisci in matrimonium conjunxit Jacobum Fantinum cum Virginia vid. relicta Joannis Baptistae de Franzis, qui erat privignus dicti Jacobi Fantini.

Atque haec sunt, quae pro facilitando causae studio secretarius operae pretium esse censuit adnotare.

Die 8. Martii 1721.

Affrancatio.

1) Est.

Pius homo quidam de ecclesiastico coetu in ultimo, quo decessit, elogio haeredes fiduciarios nominaverat, qui testatoris fiduciam explicantes inter alia legata pia legatum ab eo relictum fuisse declaraverunt hisce nimirum verbis: »Ab haeredibus persolvetur summa annua scutatorum viginti, quae summa erogari debebit in funus, quod in ecclesia collegiata N. celebrabitur die recurrente anniversario obitus defuncti.« Ecclesiae legatariae capitulum et Ordinarius legatum rite acceptum habuerunt et in ejus securitatem Canonici inscriptionem supra vinea quadam haereditaria capere non retardarunt.

Universum porro assem haereditarium constituebat isthaec una vinea, cujus dominium directum testator obtinebat cum canone a domino utili persolvendo scutatorum 34 : 92 in singulos annos. In ea vinea domuncula aderat, quae ruinam proxime minitabatur; insuper dominus utilis contra dominum directum quaedam jura in eo fundo actitabat, ad quae persequenda litem judicialem instruere jam parabat. Ad haec itaque declinanda damna haeredes fiduciarii cum domino utili amice convenerunt, ut vineam illam huic liberam et immunem ab omni canone relinquerent sub hac conditione, quod dominus utilis tot schedulas publici debiti, quod vulgo penes nos audit consolidato, quot redditui scutatorum quinquaginta in singulos annos responderent.

Utilissima conventio haec haereditati accidebat, nam praeterquam quod expensae pro domuncula reficienda ac pro judiciali jam parata lite necessariae evitabantur, canon scutatorum 34 et ob. 92 in redditum annuum convertebatur scutatorum quinquaginta. Quapropter cum ageretur de haereditate ad causam piam pertinente dominus utilis a s. C. Conc. beneplacitum apostolicum deprecatus est, ut conventionem inter partes constitutam auctoritate sua ratam habere dignaretur. Precibus annuit s. Congr. per rescriptum diei 17. Juni 1861 addita clausula: »Si quae pia onera canoni ut supra affrancando infixa reperiantur, in et super novo investimento transferantur ac translata esse intelligantur.« Rescriptum rite secuta est executio ab Ordinarii decreto sancita et dein solemnis instrumenti celebratio.

Non multo post haeredes fiduciarii juxta obligationem, quam susceperant, a s. C. Episcoporum et Regularium supplices petiverunt, ut capitulo ecclesiae legatariae schedulas debiti publici pro redditu scutatorum viginti tradere possent, ita ut, hac effecta probataque assignatione ac traditione, hypothecam in vinea inscriptam delere et liberam plane relinquere possent. Cum supplex libellus offeretur, tum sequenti tempore, penes s. C. Ep. et Reg. nullum omnino verbum ab oratoribus factum est de rescripto, quod a s. C. Conc. impetraverant ac tantummodo in medium prolatum est, cum in eo res erat, ut in plenis comitiis s. C. Ep. et Reg. causa proponeretur. Quocirca haec S. C. huic negotio pertractando manum apponere non dubitavit, licet fortasse jure praeventionis ad s. C. Conc. spectare dici posset. Itaque auditus est Ordinarius, qui per accidens unus erat ex duobus haeredibus fiduciariis; hic profecto una cum suo cohaerede preces excipiendas esse non solum assentiebatur, quinimo enixe contendebat. At vero capitulum legatarium, quamvis inscriptionis hypothecariae deletioni absolute non abnueret, nihilominus schedularum pro edditu viginti scutatorum assignationi mordicus refragabatur ac tot sibi dari schedulas propugnabat, quot conficiendo reali scutatorum 400 valori satis essent. Cardinalis capituli legatarii protector adhibita quadam immutatione accidentali in capituli ipsius sententiam convenerat. Cum igitur hujusmodi capituli propositio haeredibus fiduciariis minime arrideret, ad judicium plenarii auditorii s. C. Ep. et Reg. diei 1. Sept. 1865 res deducta est cum ea, quae suo loco legitur, dubii formula.

Disceptatio synoptica.

Quae rationum momenta afferunt Oratores.

Haeredes fiduciarii statuebant inprimis, sese inspecta utilitate ac bono haereditatis abstinere non potuisse, quominus vineam a canone liberarent per contractum, quem vocant affrancationis. Urgebat enim necessitas reficiendae domunculae, quae aderat in vinea jamjam collapsura; urgebat necessitas per-

ferendi sumptus, qui in tuenda lite, quae parabatur, necessarii plane fuissent; at vero vires haereditariae huic impensarum moli sustinendae satis esse non potuissent.

Ceteroquin liberatio vineae in domini utilis commoditatem haereditatis conditionem nedum non imminuisset, sed et multo meliorem effecisset: redditus enim, qui quotannis percipiendus erat, non amplius scutatorum triginta quatuor, sed et quinquaginta summam attigisset; hinc est, quod s. C. Conc. facillimam sese praebuit, in beneplacito, quod ad rem petitum fuerat, confestim elargiendo. Qua posita necessitate illud sequebatur, ut, si eidem submittere sese debuerant haeredes alienando vineam, eadem de causa fasces subjicere debeat ecclesia legataria, consensum deletionis hypothecae non denegando.

Addebant insuper eam fuisse mentem testatoris, ut capitulo scutata viginti in singulos annos salva certaque forent. Simul ac igitur haeredes redditui scutatorum viginti quotannis respondentes sumptus capitulo legatario assignassent atque tradidissent, omni obligatione per testatorem imposita exonerabantur, quin aliud ulterius ab haereditate exigere legatario liceret.

Denique juxta commune axioma — quod tibi non nocet alteri prodest, hoc faciendum est — inadvertebant, nihil obesse capitulo, si schedulas oblatas exciperet, scutata viginti ab aerario publico assequeretur; sive enim sortis sive fructus securitas inspiceretur, nihil tutius ac solidius occurrisset, quippe nullum adest gubernium, cui major debeatur fides, quam civilis apostolicae Sedis principatus. Deinde quolibet expirante semestri dimidia fructuum debitorum pars absque ulla tergiversatione ab aerario solvitur et a creditore percipitur.

Quid respondit capitulum legatarium.

Monebat ante omnia nullum sese verbum facere contra celebratum affrancationis contractum: hac enim in re suo ipsi haeredes fiduciarii jure usi fuerant, eoque magis quod beneplacitum sanctae Sedis accesserat. Quin etiam, tametsi stricto jure, quod ad hypothecariam inscriptionem attinet, eidem contractui oppositionem facere potuissent ac possent, nihilominus non ea capitulo mens erat, hanc ipsis ingerere difficultatem, hoc inextricabile facessere negotium. Id tantummodo pro eo, quo tenentur, officio tuendae causae piae, idest ecclesiae, sibi proponebant, ut nullum eidem detrimentum afferri paterentur, adeoque se insistere ajebant, ut alia aequipollenti ratione ecclesiae indemnitati consuleretur.

Perperam vero (subjiciebat) haeredes inquiunt sese omni obligatione solutos, cum schedulas publici debiti pro redditu scutatorum viginti capitulo legatario tradidissent: ita enim gerentes absque dubitatione minus persolverent, quam quod testator eisdem injunxisset. Duplicem porro habet partem beneficium, quod in legato relinquendo testator ecclesiae attulit, unam explicitam, aliam implicitam. Explicite porro scutata viginti ecclesiae designaverat. Jamvero, si rei substantia penitus inspiciatur, schedularum illarum traditio valorem quidem nominalem scutatorum viginti praeseferebat, minime vero realem; si enim haeredes eas schedulas venui exponerent, nemo profecto eas pro respondente summa scutatorum viginti redditus in pecunia numerata acceptavisset. Ut igitur ad aequalitatem res adduceretur, nihil aliud in promptu erat, quam ut haeredes tot schedulas traderent, quot, habita ratione valoris realis, scutata quadraginta reipsa exaequarent.

Implicite vero testator hac ratione juverat legatarium, ut jus percipiendi scutata viginti non alicui haereditatis parti sed universo assi haereditario infigeret: hinc est, quod, si pars haereditatis deficeret, jus exigendi scutata viginti perstabat in reliquis haereditatis partibus. At quando schedulas oblatas Canonici acceptassent, si forte quacunque demum de causa imminutionem aut jacturam totalem eae paterentur, jam actum esset de causae piae legato, quin ullum subesset immutationis vel jacturae reparandae remedium. Neque diffiteri quisquam jure poterit, magnum huic difficultati momentum inesse, prouti fusius in appendice XXI. ad causam praesentem cernere erit. Merito igitur concludebat capitulum, sese dixisse, quod haeredes per eam schedularum oblationem solvissent minus, quam a testatore ipsis fuerat impositum.

Post haec per se evanescebat ultima exceptio ex superius allato juris axiomate desumpta: si enim praestatio consensus pro delenda hypotheca haereditati proderat, legatario non solum oberat, sed et in discrimen rem suam conjiciebat, veluti ex his quae posuimus, loculentissime colligitur.

Animadvertebat extremo loco capitulum haud posse se schedulas recipere absque auctoritate S. C.; nam schedularum debiti publici acquisitio non est verum investimentum, ut quotidiana docet experientia, quae fert in hujusmodi casibus, ut ab apostolica Sede beneplacitum passim imploraretur. Quinimo, cum agatur de legato missarum, neque census impositio, quae alioquin investimento in fundis stabilibus aequivalet, suffragatur, prouti pluries s. C. Conc. apertissime declaravit, et expresse *in Burgi s. Dominici 30. Apr. 1729,* ac *Firmana Oner. Miss. 23. Jun. 1764.* Vide etiam *Ferrar. V. Missae Sacrificium art. 2. n. 24.*

Post haec sequens proponebatur dubium:

An et quomodo SSmo supplicandum sit pro gratia implorata in casu?

Emi Patres in plenario conventu s. C. Ep. et Reg. diei 1. Septembris 1865 rescripserunt:

Affirmative pro annuo redditu scutatorum 25 in schedis debiti publici vulgo — consolidato.

Continuatio.

Hujusmodi resolutio votis non respondit haeredum, qui confestim a s. C. deprecati sunt et impetrarunt, ut causa novo examini iterum subjiceretur. In secunda causae propositione, sive quod in prima minus clare quam debuerant postulatum suum expressissent, sive quod diffiteri non possent capituli difficultatem solido et inexpugnabili fundamento fulciri (quandoquidem acceptando schedulas debiti publici scutatorum viginti fructui respondentes capitulum jure excidebat persequendi alias triginta schedulas, quae cum praedictis viginti conjunctae id temporis totum assem haereditarium scutatorum quinquaginta redditus ejusdem debiti efformabant), iidem oratores declaraverunt, sese in deferendis sacro Ordini precibus nihil aliud voluisse, quam ut capitulum ad excipiendas schedulas oblatas obligaretur ac proinde ad consensum suum pro hypothecae deletione praebendum, quin tamen eidem jus auferretur, ut quoties viginti illae schedulae summam viginti scutatorum amplius non repraesentarent aut quocunque demum casu in discrimen vocarentur, actionem suam contra alias triginta, quae supererant, schedulas, non secus ac in rescripto S. C. C. diei 7. Junii 1861, de quo supra mentionem fecimus, experiri valide ac libere possent.

Qua semota difficultate in generalibus comitiis diei 2. Martii currentis anni proposito dubio:

An recedendum sit a resolutione dici 1. Sept. 1865 in casu?

Emi Patres rescripserunt:

Recedendum a decisis et legatum esse praestandum in annuo redditu scutatorum viginti in tesseris debiti publici vulgo — consolidato — in favorem pii legati inscribendo, firmo remanente vinculo super residuo redditu scutatorum triginta, data facultate delendi hypothecariam inscriptionem.

Ex his colliges:

I. Illud faciendam esse, quod tibi non nocet, alteri prodest.

II. Haeredes non liberari solvendo minus, quam a testatore praescriptum est.

III. Census impositionem investimento ordinario aequiparari.

IV. Limitandum vero, si agitur de legato missarum, pro quo fundorum stabilium frugiferorum acquisitio requiritur.

V. Schedularum debiti publici acquisitionem investimento nunquam aequiparari.

2) Non est.

Romana.

Inter ecclesias cum cura animarum filiales Basilicae s. Marci Urbis ea recensebatur olim, quam ss. quadraginta martyrum nuncupabant, in regione *Pigna* eodem in loco sita, ubi nunc extat ecclesia sacris s. Francisci stigmatibus dicata, literis aposolicis in forma *Brevis* die 27. Martii 1597 datis s. m. Clemens VIII. hanc ecclesiam, suppressa ibi animarum cura, archisodalitio sacrorum stigmatum concessit in usum divini cultus una cum sacra supellectili et adnexa domo rectorali, diserte cavens, ut in signum subjectionis, honorificentiae ac vinculi filiationis idem sodalitium annuum tributum quatuor librarum cerae albae elaboratae capitulo et ecclesiae s. Marci die festo s. Marci Evangelistae perpetuo rependere teneretur. En verba Brevis: »Propterea ecclesiam ipsam ss. 40 martyrum una cum ejus domibus a cura animarum liberam et exemptam praedictae confraternitati stigmatum, ita ut ejus confratres illam reparare et restaurare in eaque oratorium exstruere . . . libere et licite possint, perpetuo concedimus et assignamus ac donamus et elargimur ipsamque confraternitatem in possessionem ecclesiae et domorum et nunc auctoritate prae-

sentium inducimus etc. Volumus autem, ut dicta confraternitas in signum, quod dicta ecclesia ss. quadraginta martyrum sit filialis collegiatae ecclesiae s. Marci de Urbe et in illius recognitionem, singulis annis in festo s. Marci Evangelistae quatuor libras cerae albae elaboratae eidem collegiatae ecclesiae s. Marci omnino dare et praestare perpetuo teneatur.«

Itaque ad annum usque 1847 praestationem hanc obtulere confratres, quamvis ab anno 1600 in annua pecuniae summa scutati unius et obolorum viginti eam repraesentatam fuisse ex regestis archisodalitii deprehendatur. At vero cum die 9. Martii 1848 rev. cam. apostolicae thesaurarius legem edictalem tulisset, in qua edicebatur: »E autorizzata l'affrancazione dei canoni, livelli, decime prediali, nonchè delle prestazioni annue, e pensioni locatizie e perpetue o stabili per un tempo maggiore di anni 99, come ancora la redenzione de' censi e dei capitali risultanti da vendite; o alienazioni a frutti compensativi appartenenti a luoghi pii, non esclusi i capitoli, parrocchie, seminarii, con l' espressa deroga ai patti proibitivi d' affrancazione, quali patti anche muniti con giuramento s' intenderanno come non stipulati«, datam sibi exinde facultatem sodales rati sunt memoratam praestationem, oblato in aere publico pretio redimendi, uti reapse, contradicente licet capitulo s. Marci, factum est, s. Sedis et rev. camerae ap. nomine redemptione admissa atque die 21. Augusti in stipulationem deducta. Quamvis vero Capitulares annuam praestationem ab eo tempore in praesens usque ab aerario publico exequerint, nihilominus exeunte anno 1849 supplices sacratissimum Principem adiere rogatum *»o che dichiari come non avvenuta e nulla l' affrancazione, o in ogni caso la revochi come arbitraria ed ingiusta commessone l' esame alla s. Congregazione del concilio.«*

Cum SSmus oratorum precibus benigne annuens causae cognitionem s. huic Ordini demandasset, informationem ac votum rogavi tum Emos s. Marci titularem et confraternitatis protectorem, tum R. C. A. administrum. Horum primus favore capituli animi sui sensum aperuit; alter nonnullas exhibens sodalitii deductiones a sua promenda sententia abstinuit; tertius praemissa affrancationis peractae narratione in Emi s. Marci titularis sententiam concedit.

Jam vero his omissis, quae pro secundi dubii exclusione aut inclusione hinc inde disputantur, quae in allegationibus circumferendis recolere rogantur EE. PP., ad causae meritum quod attinet, nullam declarandam esse affrancationem ex eo potissimum evincit capituli defensor, quia affrancatio haec continet alienationem et venditionem rei spiritualis ac ideo ab hominum exemptae commercio, uti est jus *matricitatis* (in cujus signum tributum solvebatur) seu spiritualis illa relatio et sacrum vinculum, quo ecclesia filialis tenetur erga matrem exhibere recognitionem honoris, dignitatis ac subjectionis, idque ex jure divino, naturali et humano seu positivo, quia agitur de ecclesia erecta postea intra fines antiquioris ecclesiae juxta casum, de quo *de Luca de paroch. disc. 40.*, eadem nimirum ratione, qua parentibus, a quibus progeniti sumus atque nostrum recognoscimus esse, obsequium, obedientiam et subjectionem profiteri debemus. Porro jus matricitatis aeque ac patronatum et caetera jurisdictionalia jura ecclesiae res inter spirituales ac sacras recenseri diserte tradit *Amostaz. de caus. piis lib. 5. cap. 4.*, pluribus ibi cit. auctoribus.

Nihil autem contra facere edictalem legem affrancationem annuarum praestationum permisisse genericis verbis et auctoritate summi Pontificis. Nam mens legislatoris, ut ex ipsa ratione arguit et votum ministeriale confirmat, comprehendere tantum voluit canones, census, praestationes in rebus immobilibus aut temporales ex titulo quovis profano; de jure autem spirituali vendendo Pontificem Maximum ne cogitasse quidem: imo nec absque ejus injuria praesumi posse, obstante jure nedum ecclesiastico sed naturali ac divino, ex quo praestationem canonis in signum matricitatis seu juris sacri debiti sub hasta ponere simoniam involveret. Posse quidem summum Pontificem de sacro facere non sacrum, posse matricitatem annihilare, ast directe sub hasta ponere nec velle nec posse, ut communi edocent calculo canonistae, ceu apud *Fagnan. cap.: Cum pridem de pactis num. 26. et seqq.* Idque eo vel magis, quia matricitas, uti in casu, inhaeret tamquam spiritualis servitus ecclesiae consecratae, a qua, uti accessorium a suo principali, divelli nequit ejusque naturam sequitur et conditionem. *)

Atqui ecclesias directe alienabiles esse nemo ignorat, *Fulgin. de jure emph. var.*

*) Vd. *p. 173.*

quaest. 27., Carocci de loc. cond. quaest. 2. n. 35., Piton. de contr. patr. alleg. 67. n. 5.

Nihil deinde officere, quod sodales loco cerae pecuniam solverint, cum constet tributum titulo cerae ac jure matricitatis solutum fuisse, vel quod veteri disjecta ecclesia in eodem solo licet ampliato praesentem sacris stigmatibus sacram reaedificaverint: primo quia res pacti est solum ecclesiae ss. 40 martyrum inclusum fuisse in eadem ecclesia ampliata, deinde quia titulus primaevus immutatus non fuit, sed ex pietate confratrum voce fidelium a stigmatibus nuncupatur; tertio, quia, dum in brevi potestas dabatur restaurandi ac magnificentius exstruendi ecclesiam, contextim jura matricis servabantur; demum, quia sodales a saeculis duobus post reaedificationem perpetuo tributum quotannis solverunt. Quae quidem confirmat ex nuperrima resolutione S. C. EE. et RR. *in Romana jurium 1852* in casu simillimo edita, ac ex doctrina *Decian. cons. 93., Fargnae de jure patr. part. 1. can. 4. cas. 4.* et *s. Rotae cor. Ludovisi dec. 463.*

Caetera pariter concidere objecta, sive quod lex generalis sit, ideoque *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus,* juxta vulgatum axioma; nam lex intelligenda est in subjecta materia ac in latitudine, quam comprehendit, non in ea, quae legis materiam mentemque legislatoris transcendit; sive quod permissa affrancatione de decimis praedialibus etiam de jurisdictionalibus et spiritualibus permissa censenda sit. Monet enim defensor affrancationem taxative permissam fuisse de decimis realibus; probe autem distinguendum inter decimas, quae jure divino ratione sacramentorum rependuntur, et sunt personales, ac illas, quae ex servitutibus praediorum propter reservationem dominii debentur. Jam vero has vigere jure contractus ecclesiastico et civili ideoque de iis consulto legislatorem affrancandi potestatem fecisse; illas vero deberi titulo spirituali, eadem ratione ac praestationes jurisdictionales ecclesiarum, quas ideo affrancationi subjici legislator nec voluit nec potuit, juxta doctrinam superius expositam de inalienabilitate *) jurium spiritualium vel spiritualibus inhaerentium, quam firmat *Card. Petra ad const. Pauli II. sec. 2. num. 34.*

Haec quoad primum dubium. In abnormi autem, ut inquit, hypothesi, quod nullitas affrancationis non decernatur, eam saltem irritandam esse in secundo dubio contendit; quandoquidem tralatitium in jure sit, ecclesiae, quae fuit laesa, subveniendum esse beneficio restitutionis in integrum, eoque magis in casu, qui praetensae affrancationi jus divinum obsistit, juxta ea, quae tradunt *Reiff. lib. 3. de reb. eccl. non alien. tit. 13. §. 3. num. 3.* ac *Filliucci tract. de alien. rer. eccl. tit. 44. num. 61. 72. et seqq.*

Qui archisodalitii vindicias agit, praemittit vel ab judicii limine repellendos esse contradictores, utpote qui agendi contra archisodalitium jus nullum habent; quandoquidem R. C. A. suas auctoritate sibi a summo Pontifice tributa res in stipulationem deducendas asseruit atque uti domina in stipulantem atque *affrancantem* transtulit recepto pretio promissaque manutentione ac defensione. Quamobrem ubi capitulo mens sit contra affrancationem insurgendi profecto in R. C. A. actionem suam intentare ac experiri deberet.

Sed posthabita hac praejudiciali exceptione haud renuit defensor causae meritum aggredi sibique demonstrandum assumit, nullo pacto consistere, quod a capitulo ad nullitatem affrancationis evincendam in supplici libello asseritur, nimirum quod *»i termini delle facoltà attribuite in proposito* (ab edictali lege anni 1848) *non si estesero oltre la materia di canoni, pesi, censi, e prestazioni annue pecuniarie, che rappreseutassero il dominio diretto«* dum in themate agebatur de praestatione, *»in signum, quod dicta ecclesia ss. quadraginta martyrum sit filialis collegiatae ecclesiae s. Marci de Urbe et in illius recognitionem.«* Assumptum conficit primo ex eo, quod lex generalibus utitur verbis ac vocabulum *praestationis* adhibet post specialia nomina rerum, quod quidem ad ampliandos, non autem ad imminuendos affrancationum limites factum existimat. Quocirca distinctionem a capitulo invectam extra legem esse, ut enim arguit cum archisodalitii jurisconsulto in voto ab eo exarato, cum haec eadem quaestio acta est anno 1848 apud R. C. A.: »Oltre che non è affatto provato che la prestazione in discorso derivi da titolo di giurisdizione, potendo una chiesa dirsi filiale in rapporto ad un altra in ragione di dominio, toglie ogni difficoltà il coniderare

1. che come si disse la legge è generale e non ammette distinzione« ubi lex non distinguit etc.

2. »Ch' essa legge permettendo l' affrancazione anche delle decime prediali è chiaro

*) Vd. *Alienatio bonorum ecclesiast.*

non limitarsi ai soli titoli di dominio, giacchè il paroco non come padrone esige le decime.«

Conficit secundo ex eo, qnod, ubi dubia esset lex, ab ipsomet legislatore declarata fuerit. Constat imo post auditam capituli oppositionem et archisodalitii responsionem rebus mature perpensis solemnem intercepisse stipulationem. Atqui nil antiquius in jure, quam quod dubium exortum in interpretatione legis juxta proferentis mentem solvendum sit, juxta *text. in lege 9. C. de leg. et in lege 96 ff. de div. reg. jur.* Conficit demum ab ipsa capituli facto, quod ab aerario publico ab eo temporis usque in praesens praestationem exegit, quamobrem affrancationem firmam ratamque habuisse censendum sit, neque amplius ei liceat in proprium factum insurgere.

Demum non praeterit aemulatione potius quam rationabili causa capitulum hanc agere litem, cum eamdem pecuniae quotam, quam loco cerae ab archisodalitio quotannis exigebat, a R. C. A. modo percipiat, ut ideo frustra, quod intus habet, petere videatur.

Ad alterum quod attinet dubium perperam urgeri contendit affrancationis revocationem: nam ubi stipulatio suis consistet viribus, rescindi nequit nisi omnium partium consensu. In casu autem archisodalitium nedum non assentitus rescissioni, sed imo, quantum in ipso est, quominus impleatur, obsistit.

Hisce utrinque perpensis supersunt diluenda dubia:

I. *An constet de nullitate affrancationis, ita ut ab archiconfraternitate sacrorum stigmatum de Urbe debeatur favore ecclesiae et capituli s. Marci annua praestatio quatuor librarum cerae albae elaboratae ad formam constitutionis Clementis VIII. in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An eadem affrancatio sit revocanda in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative et amplius.

Ad II. Provisum in primo.

Die 27. Jan. 1855.

Romana.

Templum s. Pantaleonis in Urbe, quod ex bulla s. m. Leonis X. incipien.: *Ex iuncta nobis*« anni 1518 insigni Collegiatae s. Eustachii erat unitum et in quo curam animarum exercebat Vicarius a Canonicis ejusdem Collegiatae deputatus, Paulus V. Pontifex primo concessit anno 1640 patribus scholarum piarum ad usum tantum, ut scilicet ipsorum institutum erudiendi pueros in literis ac pietate feliciter prosequerentur. Postea anno 1623 Gregorius XV., bulla, cui initium »*Regimini universalis ecclesiae*« praedictam concessionem nedum confirmavit sed, quo liberius instituti sui officiis patres incumberent, vicariam ipsam cum animarum cura, quam ad ecclesiam s. Eustachii transtulit, omnino suppressit ipsamque ecclesiam s. Pantaleonis aedesque parochiales eidem contiguas, quoad liberum usum dumtaxat, praedictis patribus perpetuo concessit et assignavit data iisdem facultate ecclesiam instaurandi, ampliandi et in quamcumque aliam formam immutandi et a fundamentis denuo construendi pro ipsorum libera et absoluta voluntate et arbitrio, prout fuisse jam a fundamentis excitatam vel in ampliorem formam redactam in facto constat.

Jussit autem, ut iisdem patres »in signum recognitionis praesentis concessionis quotannis in perpetuum capitulo et Canonicis praedictis in die festo s. Eustachii viginti libras cerae venetae et duodecim scuta monetae solvere« tenerentur.

Itidem mandavit, ut »quotiescumque capitulum et Canonici praedicti in die festo ipsius s. Pantaleonis primis vesperis et missae solemni in dicta ecclesia s. Pantaleonis decantandis, ut illis mos est, intervenerint, clerici dictae congregationis pro tempore existentes illos honorifice recipere et tamquam dominos recognoscere teneantur. Praeterea dominium et jurisdictionem dictae ecclesiae, quam ad praesens dicti capitulum et Canonici habent, eisdem capitulo et Canonicis etiam una cum omnibus redditibus, proventibus et emolumentis, quae Vicarius ipsius ecclesiae s. Pantaleonis percipit, et aliis juribus quibuscumque praesentibus et futuris, quae ad ipsos capitulum et Canonicos spectant, firma et continuata remanere censeantur. Et si dictam ecclesiam s. Pantaleonis in toto vel in parte fabricari contigerit, etiamsi facies ejus immutetur, in ea tamen insignia seu arma s. Eustachii in lapide marmoreo collocari. Et reliquiae, quae de praesenti in dicta ecclesia s. Pantaleonis reperiuntur, apud eamdem de caetero remanere et in ea bene et decenter sub duabus clavibus, quarum unam clerici dictae congregationis, alteram vero capitulum et Canonici praedicti habeant, custodire et asservare debeant. Praescripsit etiam, ut omnes expensae, quas in aptando dictam ecclesiam fieri contingeret, ad praedictos patres pertinerent; quibus insuper vetuit, ne capellas, altaria aut vel minimum situm ejusdem ecclesiae quibuslibet sine capituli licentia concedere nec quidquam aliud, quod ullo unquam tempore jurisdictioni et directo dominio capituli et Canonicorum directe vel indirecte praejudicare vel obesse possit, facere queant.« Eisdemque capitulo et Canonicis jus sepeliendi mortuos in dicta ecclesia competere edixit, reservato tamen etiam patribus jure suas ibidem sepulturas habendi in eisque corpora tam suorum pro tempore defunctorum, quam eorum, qui ibi sepulturam elegerint, condendi. Tandem statuit, ut, si patres ab ecclesia s. Pantaleonis aliquando recessissent illamque ex quacumque causa reliquissent, tunc illa etiam quoad usum et jura, una cum omnibus accessionibus et meliorationibus factis, capitulo ipsi denuo unita et incorporata ut antea censeretur ac foret, quin patres quidquam illarum ratione praetendere et petere possent.

Quamvis tractu temporis nonnullae excitarentur capitulum inter eustachianum et patres scholarum piarum quaestiones, praesertim quoad jura funerandi, nihilominus in eo, quod pertinet ad annuam praestationem caeterosque jurisdictionales actus capitulo reservatos, res pacifice usque processerunt. Sed quum sa. me. Gregorius XVI. chirographo diei 28. Julii et sequenti ordinatione (regolamento) diei 12. Augusti anni 1832 affrancationem permiserit de' canoni e Livelli spettanti ai luoghi pii e pubblici stabilimenti di Roma e Comarca, hinc patres scholarum piarum datam sibi facultatem existimantes memoratam praestationem in publicum aerarium oblato pretio redimendi, instrumento per acta secretarii R. C. A. diei 11. Januarii 1833 absque capituli interventu rogato, in praedictae praestationis redemptionem scuta 385 eadem R. C. A. acceptante solverunt.

Ab eo itaque temporis nedum ab hujusmodi praestatione vacuos ac solutos sese reputarunt, verum caetera jura et jurisdictionales actus super ecclesia s. Pantaleonis capitulo reservatos una simul peremptos fuisse rati capitulo ipsi ne illos exerceret obstiterunt.

Non omisit quidem capitulum illico et pluries sequentibus annis contra praetensam affrancationem protestari, quamvis annuam praestationem ab eo temporis usque in praesens a publico aerario exegerit. Sed in irritum protestationibus cessis e re sua tandem censuit ad s. hanc Congregationem confugere supplici oblato libello postulans, ut nullitas affrancationis, de qua agitur, declaretur, sin minus, ut jura super ecclesia s. Pantaleonis in bulla Gregorii XV. recensita ei sarcta tectaque praeservata esse decernatur.

Capituli preces remissae pro informatione et voto fuere tum Emo Cardinali Diacono Collegiatae s. Eustachii tum Emo protectori congregationis scholarum piarum necnon R. P. D. praefecto publici aerarii. Quid hi super capituli petitione sentiant, colligent EE. VV. ex eorum distinctis relationibus, quae heic exscribuntur.

Emus Cardinalis Diaconus haec secundum capitulum edisserit: »Factorum seriem, quam exponunt preces huic s. Congregationi oblatae a capitulo s. Eustachii, veritate niti eisdem precibus adjuncta documenta demonstrant. Praecipue vero ejusdem capituli jura in ecclesia s. Pantaleonis clare exsurgunt ex constitutione Gregorii XV. diei 24. Februarii 1623, quae inserta in vulgus editis bullariis legitur.«

»Iis itaque in facto stantibus pro meo sensu puto capitulum juste conqueri, per clericos regulares scholarum piarum intercepta ac denegata fuisse jura, quae eisdem capitulo memorata constitutio Gregoriana adferebat.«

»Neque hac in re clericos regulares sese defendere posse puto opposito liberationis seu, ut vulgo dicitur, affrancationis instrumento, quod confici posse ipsi autumarunt in vim chirographi Gregorii XVI. mensis Julii anni 1832. Si enim perpendatur, quaenam sit natura jurium capituli, patet ad haec porrigi non posse, quae Gregorius XVI. in relato chirographo disponebat de redemptione emphyteuticarum praestationum.«

»Quod enim ad jura haec, de quibus agitur relate ad clericos regulares, ii neque jure emphyteutico neque jure libellatico ecclesiam adnexamque domum habent, sed data ea eis-

dem fuerunt ad usum, dominio, jurisdictione aliisque juribus quibuscumque praesentibus et futuris firme et continuate penes capitulum remanentibus (§. 16 dictae constitutionis).

Et re quidem vera relate ad capitulum annua praestatio eidem data fuit non titulo canonis, sed in signum jurisdictionis. Neque una haec praestatio, verum etiam expressa ac specifice reservata est receptio honorifica per clericos regulares capitulo accedenti ad vesperas et missam solemniter decantandam. Item reservata fuit custodia sacrarum reliquiarum ac jus in eadem ecclesia sepeliendi mortuorum cadavera. Imposita itidem fuit obligatio clericis regularibus retinendi in fronte ecclesiae lapidem cum insignibus s. Eustachii. Et si itaque jura capituli subjici possent redemptioni permissae in chirographo anni 1832, tamen haec non ablata capitulo fuisse merito dici potest per instrumentum affrancationis anni 1833. Actum enim tunc fuit, quasi unice capitulo annua solutio Canonicis debita foret, atque a clericis regularibus loco et nomine pretii soluta sunt scutata tercentum octoginta quinque computatis fere scutatis centum in singulis scutatis quinque annuae praestationis. At in casu jura capituli principaliter erant in jurisdictione et praeeminentia, quae, etsi indefinitam habeant aestimationem, tamen nullum pro iis datum est pretium. Attamen clerici regulares autumarunt sese solutos esse non solum ab obligatione solvendi annuam praestationem, verum etiam liberatos esse a jurisdictione et praeeminentia capituli, ita ut ipsa insignia et arma s. Eustachii a superliminari ecclesiae s. Pantaleonis deleverint.«

»Verum illud quidem in hoc casu minime valeat, agi hic de juribus spiritualibus ac spirituali adnexis, quae cum in commercio non sint, redemptioni vel affrancationi per solutionem pretii nullatenus subjacere poterant. Recolendum quippe est antiquitus ecclesiae tunc parochialis s. Pantaleonis provisionem et collationem pertinuisse ad Cardinalem Diaconum s. Eustachii, prout narrat bulla Leonis X., atque vetustum hoc vinculum arctius extitisse per unionem ejusdem ecclesiae ab hoc Pontifice concessam ecclesiae et capitulo s. Eustachii. Praestatio itaque, de qua agitur, constituta fuit non tam intuitu materialitatis ecclesiae ac domus adnexae, sed praecise ob matricitatem ac ob ecclesiasticam jurisdictionem; quae cum neque in hominum commercio sint, neque pretio redimi poterant.«

»Fusius haec prosequi supervacaneum est post exemplarem hujus sacrae Congregationis resolutionem *diei 27. Januarii 1855*) in causa Romana Affrancationis* inter archiconfraternitatem sacrorum stigmatum et capitulum s. Marci, in qua proposito dubio:

An constet de nullitate affrancationis, ita ut ab archiconfraternitate sacrorum stigmatum Urbis debeantur favore ecclesiae et capituli s. Marci quatuor librae cerae elaboratae ad formam constitutionis Clementis VIII?

Responsum fuit:

»Affirmative et amplius«.

Ex relatione seu folio R. P. D. secretarii tunc distributo species facti ac decidendi rationes hauriri possunt.«

»Unum tantum hac in re addam, capitulo s. Marci in concessione facta archiconfraternitati non ita expresse specifice atque ample fuisse jure reservata, prout capitulo s. Eustachii constituta fuisse patet in recitata bulla Gregorii XV.«

Nec aliter judicandum proponit Emus Cardinalis protector in sua relatione, quae ita se habet:

»Adjunctae preces capituli et Canonicorum insignis ecclesiae collegiatae et parochialis s. Eustachii, in quibus de juribus agitur ejusdem ecclesiae et capituli aut interceptis aut negatis in ecclesia s. Pantaleonis a clericis R. R. scholarum piarum, mihi in sacra EE. Vestrarum Congregatione uti protectori eorumdem clericorum RR. remissae die 7. mensis Januarii ineuntis hujus anni nescio, an ulla indigeant enarratione. Nam facti species, quod equidem sciam, eadem ac ipsa est, quam refert capitulum, quin ungue a veritate discedat. De jure autem quid attinet dicere?«

»Adeo conspicua est constitutio in vulgus edita Gregorii XV., quae incipit »*Regimini universalis ecclesiae*«, sub datum Romae die 23. Februarii anno 1623, ut vel enunciata tantum capituli oratoris vindicias agat juraque ejus omnia ex adverso impetita tueatur. Nam per eam constitutionem apostolicam in primis et ante omnia suppressio veteris paroeciae s. Pantaleonis et ejus in ecclesiam s. Eustachii translatio cum omnibus

*) Vd. *supra p. 387.*

oneribus et officiis asseritur tamquam tessera et fundamentum jurium ex hoc sponte sua in eamdem s. Eustachii ecclesiam manantibus: perinde ac si ecclesia utraque simul conjuncta per id fuerit et incorporata sic ut per fictionem quandam juris ecclesia s. Eustachii propter spiritualem relationem et sacrum vinculum, quo ecclesia filialis matri suae conjungitur. Deinde dominium et jurisdictio ecclesiae et capituli s. Eustachii perpetua per ipsam constitutionem adstruitur: postremo denique matricitas et praeeminentia et caetera, quae in precibus exposita sunt, in Gregoriana ipsa constitutione omnimodis argumentis firmantur et constabiliuntur, ita ut minimum forte omnium videri posset, si reliqua simul rite conferantur, jus ecclesiae s. Eustachii seu capitulo constitutum percipiendi scutata duodecim et libras viginti cerae venetae quotannis a clericis scholarum piarum rependendas propter usum, qui dumtaxat eis tributus esse dignoscitur ecclesiae et domus s. Pantaleonis, tamquam tributum matri debitum, tamquam signum obsequii ac subjectionis, quam filialis ecclesia praefert ei, quae matricitatis jure potitur«.

»Ea propter tantum abest ut affrancatio annuae hujusmodi praestationis seu pecuniae seu cerae venetae, quae in medium allata est et quam tamquam res omnium praecipua in factorum serie dominatur capituli oratoris jura omnia evertat et vincula, quibus perpetuo tenetur, utraque ecclesia dissolvat, quin potius dicendum aut invalidam omnino affrancationem illam esse aut partialem tantum, scilicet eo loco habendam aut praestatione dumtaxat annuae pecuniae et cerae venetae hujusmodi per ipsam cessante, reliqua ecclesiae et capituli jura omnia integra perseverent, eadem ac ipsa post affrancationem omnia futura, quae ante fuerant. Non enim de canone agitur, quo praedium et domus afficitur, sed de obsequio, nec de responsione annua, quae ad jus emphyteuticum aut libellaticum attineat, sed de subjectione, quam filialis ecclesia s. Pantaleonis matri suae annua, pecuniae et cerae datione profitetur. Proinde capituli jura ejusmodi se habent, ut jurisdictionem, praeeminentiam, matricitatem et id genus audiant, quae cum spirituales res sint et spiritualibus adnexae, ut omnes tradunt doctores *(Amostaz. de caus. piis lib. 5. cap. 4; Fulgin. de jure emph.)*, nec in commercium hominum veniunt, nec limitibus praefiniuntur ullis, ut aestimationem aliquam capiant, quae pretio possit comparari. Quomodo igitur potuerint haec jura capituli in casu, de quo agitur, redimi, si caeteris omissis nec aestimatio se praefert, nec pretium aliquod solutum apparet affrancationis contractu, quem exhibent tabulae a clericis regularibus conditae anno 1833? Vi si enim valide affrancationem hanc peractam fuisse, profecto patet vires suas latius exercere nullatenus potuisse, quam quo aestimatio rei tulerit et solutum pretium docet. Atqui pretium a clericis regularibus in eo contractu solutum summam tantum aequat scutatorum tercentum octuaginta quinque, quibus adamussim respondet valor annuae praestationis scutatorum duodecim et librarum viginti cerae. Quomodo igitur non partialis haec affrancatio sit valida? Quomodo per illam resoluta jura omnia capituli s. Eustachii dicantur, quae Gregorius XV. constituit, matricitas, praeeminentia, dominium et jurisdictio, perpetua ss. reliquiarum et sepulchrorum possessio, honorifica capituli receptio, si ad s. Pantaleonis ecclesiam accedat, quorum nec aestimatio habetur ulla nec pretium?«

»Ne itaque id perperam morer, satis est recolam exemplarem s. Ordinis vestri resolutionem diei 27. Januarii 1855 editam in *Romana affrancationis* sodalibus sacrorum stigmatum Urbis et capitulo s. Marci ex adverso contendentibus, in qua rei judicatae auctoritatem nacta est sententia, quam retuli, invalidam omnino dicendam affrancationem a clericis regularibus in casu peractam. Proposito enim in dubio in praefata causa:

»*An constet de nullitate affrancationis a sodalibus sacrorum stigmatum peractae?*«

S. Congregatio respondit eleganter:

»Affirmative et amplius.«*)

»Licet autem ex praemissis habeant EE. VV., quae mea pro veritate sententia in themate sit, tamen quod protectorem decet, eaedem EE. VV. sinant, non omittam, ut nempe clericorum eorumdem enarrationes omnes, quibus se tueri confidunt et initum ab eis affrancationis contractum licitum ac validum habitum iri pollicentur, oculis EE. VV. subjiciam, rogans praeterea ut ea, quae praestant EE. VV., benignitate praefatas enarrationes velint excipere et juribus, si quae eisdem clericis favent, praesto esse.«

Vd. p. 387.

Denique haec pro sua parte adnotanda proponit R. P. D. publici aerarii praefectus.

»L'istanza, di cui è parola, tende a far dichiarare nulla l'affrancazione seguita sin dal Gennaro 1833 dai RR. PP. delle scuole pie in s. Pantaleo dell' annua prestazione, che questi erano tenuti corrispondere al prefato capitolo, parte in cera e parte in contanti, e ciò pel motivo che tale affrancazione abbia potuto ledere i diritti di giurisdizione o patronato, ed anche di onorificenza dovuti alla chiesa matrice e suo capitolo da quella figliale di s. Pantaleo e RR. PP. scolopii, in forza della bolla di Gregorio XV. dei 23. Febbrajo 1623.

»Si permette in prima luogo lo scrivente fare presente all' Eminenza Vostra, che ove una tale querela potesse aver luogo, non sarebbe proponibile innanzi una congregazione ecclesiastica tuttoche di ordine eminente; giacchè per le cause d'interesse fiscale sono costituiti appositi magistrati contenziosi amministrativi, cui è privativamente riservata la conoscenza ed il giudicarne.«

»Discendendo poi al merito intrinseco non gli sembrerebbero sufficienti le addotte ragioni per richiamare a nullità un' atto autorizzato e compito sotta l'egide di Pootificio chirografo della sa. me. di Gregorio XVI. degli 8. Luglio 1832, il quale rendeva affrancabili non solo li canoni decisivamente enfiteutici, ma eziandio le annue praestazioni o livelli perpetui dovuti ai luoghi pii, corporazioni ecclesiastiche o religiose di questa Dominante e sua Comarca, tanto più che trovandosi adempite tutte le formalità stabilite dall' analogo regolamento comprensivamente all' interpellazione del capitolo in precedenza del verbale di affrancazione.«

»Posta per altro la validità di un tale atto non crederebbe lo scrivente che ne derivino quelle consequenze, che ne vorrebbero trarre li RR. PP. Scolopii affrancati, e che lamentano li ricorrenti Canonici. Se è vero, come non è a dubitarsi, che le cose sagre non sono in commercio, ne discende necessariamente, che la praestazione o livello affrancato non poteva mai percuotere la chiesa di s. Pantaleo e quanto ad essa di sagro ed al culto divino poteva riferirsi, ma solo quel tanto, che di uso e di comodità particulare ed individuale quei religiosi andavano a risentire dalla fattagli concessione; per cui l'affrancazione non ha potuto perimere quei diritti nascenti dalla natura delle case religiose e li quali venivano espresssamente riservati al capitolo e canonici nelle succitate lettere apostoliche indipendentemente dalla prestazione in discorso.«

»Non si appartiene però allo scrivente il trattare siffatta questione riservata al sommo giudizio della sacra congregazione, cui l'Emmza Vostra meritamenta presiede e se si è arbitrato darne un cenno, si è unicamente per corrispondere alla meglio alle interpellanze di cui nell ossequiato foglio 7. Gennaro.«

Patres scholarum piarum seu illorum procurator generalis in suis mihi exhibitis animadversionibus nullo in pretio praeprimis habendum censet, quod objicitur: Tabulas scilicet affrancationis absque capituli interventu rogatas fuisse; sive quia rogatae nomine s. Sedis, sive quia coacta quum esset affrancatio quoad dominos directos, haud plane opus erat ipsorum consensu et interventu, sed ex officio ad stipulationem deveniri poterat ab eadem R. C. A., ut lex pontificia executioni committeretur.

Sed ratam renunciandam affrancationem sustinet, ex quo in casu reapse de canone a patribus praestando adeoque de mero contractu emphyteutico ageretur. Rem confict auctoritate *s. Rotae in decis. Romana quartae funeris 26. Januarii 1722 coram Falconerio*, quae prodiit in causa super quarta funeraria, acta inter patres scholarum piarum et capitulum s. Eustachii; ibi enim §. 2 haec ad rem habentur: »Singulis perpensis nihil est, cum in patres non transierit utile dominium ecclesiae, quod inprimis probatur ex reservatione perpetui canonis favore capituli, quae est pars essentialis contractus emphyteutici; tum ex clausula pariter adjecta, quod recedentes patres et ecclesiam deserentes non possent melioramenta repetere, quod est proprium emphyteusis.

Sed adhuc expressius habetur in eadem constitutione §. 20, ubi prohibentur patres aliquid attentare, quo jurisdictioni et directo dominio capituli praejudicetur, unde recte sequitur dominium utile non esse penes capitulum sed apud patres, cum dominium directum supponat utile separatum in alia persona consistens. Usus vero expressio nequidquam officit, quia Pontifex hoc dixit ad separandum proprietatem seu directum dominium capitulo reservatum, ut patet ex contextu concesionis; ac demum quia Pontifex non usum templi simpliciter, sed templum

in usum perpetuum concessit, unde patres dicuntur perpetuarii, nihil differentes ab emphyteutis, et consequenter habent utile dominium. Unde corruit assumptum capituli, quod ecclesia remanserit in statu et qualitate saeculari, quando tot mediis probatur eam transiisse in utile dominium dd. patrum regularium, quibus concessa fuit ad eum expressum finem, ut ibi sine perturbatione et molesta suam regulam et institutum exequerentur tam in scholis quam in functionibus ecclesiasticis. Id quod etiam agnovit s. Congregatio, quae de anno 1715, contradicente capitulo, decrevit jus porrigendi aspersorium Cardinali titulari aliisque Cardinalibus ad ipsam ecclesiam accedentibus in festo principali s. Pantaleonis, quando capitulum etiam interest vesperis et missae solemni, non ad capitulum spectare sed ad PP. scholarum piarum.«

Nec obstare perpendit, ut emphyteutica excludatur concessio, canonis tenuitatem, quia ex eo adamussim emphyteutici contractus natura discernitur, quum nimirum quid minimum pro recognitione praestetur, ceu monet *Clarus lib. 3. sententiar. §. Emphyteusis quaest. 1. vers.*: *Et Adverte*, aliique DD. communiter conveniunt. Sed hisce cumulum imponi observat ex eo quod ipsum capitulum non alio appellare nomine praestationem hanc assueverit quam canonis, et quod tamquam si ageretur de contractu emphyteutico quindennia perpetuo exegerit.

Quamobrem, cum concessio Gregorii XV. germanam emphyteutici contractus indolem praesetulerit, consequi concludit orator, ipsam in pontificiam affrancationis legem procul dubio incidisse, quae lex profecto omnes hujusmodi emphyteuticas concessiones, quae ad pia loca pertinerent, affecit et complexa est.

Post haec nemini in mentem venire posse propugnat, quod extincto ob affrancationem canonis directo dominio, quo capitulum super ecclesia s. Pantaleonis pollebat, integra nihilominus honorifica ei jura permanserint, quae tanquam accessoria et consectatoria dominii hujusce capitulo ipsi in Gregoriana constitutione constituta fuere. Regula enim juris praesefert, quod *»ubi principalis causa non consistit, non ea quae sequuntur locum habent«* nec non quod *»accessorium naturam sequi congruit principalis«*) ceu in cap. 42 de reg. in 6.* Cujus quidem rei exemplum in jurepatronatus reali habetur, quod una cum fundo aut cum fundi dominio directo aut utili, cui inhaeret, vel acquiritur vel transmittitur ac transit, ita ut amisso hac ratione jurepatronatus patronus jura etiam honorifica quae consequuntur amittat.

Momenta rationum, quibus capitulum innititur, ad ea recidunt, quae in suis relationibus edisserunt Emi Domini Cardinales Diaconus et Protector scilicet, nullam esse declarandam affrancationem istiusmodi, utpote quae nullimode comprehensa censeri queat in edictali lege anni 1822. Legem enim hanc ad illas tantummodo referri oportere praestationes et canones, qui ex titulo mere profano, minime vero qui in spiritualis cujuslibet juris recognitionem et signum deberentur, obstante jure ecclesiastico et divino, ceu in consimili specie perpendebatur in folio s. Congregationis §. *Nihil*) in Romana Affrancationis 27. Januarii 1855.* Quod vero praestationis expers omnino foret, arguit capitulum tum ex causa ipsa immediata ac proxima, ob quam principaliter decreta fuit, ob usum nempe rei sacrae seu utilis dominii ecclesiae s. Pantaleonis patribus scholarum piarum attributi, tum maxime ex finali causa ac ratione, quam praestatio ipsa praeseferebat, recognitionem scilicet dominii, jurisdictionis et matricitatis ecclesiae s. Eustachii super eadem ecclesia s. Pantaleonis, illius videlicet sacri vinculi, quo vi primaevae unionis altera cum ecclesia connexa erat et spirituali quadam cognitione conjuncta. Hinc enim est, quod Pontifex in concessione hujusmodi praefinienda nedum praestationem annuam, sed alia una simul honorifica jura capitulo seu ecclesiae collegiatae praeservata voluit, ut essent tamquam spiritualis illius dominii, jurisdictionis et vinculi perenne monumentum et index. Uti igitur rei sacrae usus pretio non aestimari poterat, ita profecto rei sacrae dominium, jurisdictionem et jus matricitatis pretio redimi nefas erat, juxta punctualem resolutionem s. Congregationis *in cit. Romana Affrancationis.*

Hinc extra rem objici s. Rotae auctoritatem perpendit capitulum; nam praeter quam quod diversa prorsus tunc causa acta fuit et adducta in rotali decisione momenta eo

*) Vd. *Accessorium* p. 173.

*) Vd. p 388.

tantum spectabant, ut plenus templi usus patribus adjudicatus probaretur, nihil deinde ad affrancationem refert, quod concessio, de qua agitur, ad instar contractus emphyteutici facta et praestatio annua ad instar canonis decreta censeretur; quia nempe recurrit usque et praestationem deberi ex titulo spirituali vel quasi, deberi etiam in signum et recognitionem spiritualis jurisdictionis et dominii, ita ut affrancatio praestationis hujusmodi alienationem saperet rerum, quae inter spirituales vel spirituali adnexas adeoque ab hominum exemptas commercio recensentur.

Sed in absurda hypothesi, quod uti rata habenda sit affrancatio quoad praestationem sarta tectaque nihilominus contendit manere caetera, jura quae in constitutione Gregoriana praeter praestationem sibi reservata fuerunt et pro quibus redimendis nullum datum fuit nec dari poterat pretium. Quo quidem loci rem dilemmate capitulum perstringit. Aut enim praestatio debita erat in signum recognitionis dominii, jurisdictionis et matricitatis, qua ecclesia s. Eustachii super ecclesia s. Pantaleonis absque dubio pollebat, vel non: si primum, affrancatio vetita censenda erit, juxta articulum a s. Congregatione jam ex professo decisum *in cit. Romana Affrancationis;* si alterum, integra plane minime obstante praestationis affrancatione maneant, necesse est ea jura, quae nihil cum praestatione ipsa hac in hypothesi commune haberent, nempe dominium, jurisdictio et matricitas adeoque consectaria honorifica jura, quae in bulla concessionis praeservata Pontifex voluit.

Hisce utrimque mature perpensis rogantur EE. PP. definire, quae subjiciuntur, dubia:

I. *An constet de nullitate affrancationis in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An integra capitulo Collegiatae ecclesiae s. Eustachii servanda sint honorifica jura super ecclesia s. Pantaleonis ad tramites constitutionis sa. me. Gregorii XV. in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative et amplius.

Ad II. Provisum in primo.

Die 25. Jan. 1862.

Agapae.

1) Christianorum gestus.

Quales essent agapae et quomodo se gererent christiani, romanum senatum Tertullianus edocet in *apologet. cap. 39.* his verbis: Coena nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim ἀγαπη, id quod est penes graecos dilectio. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus . . . Nihil utilitatis, nihil immodestiae admittit, non prius discumbitur, quam oratio ad Denm praegustetur. Editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse; ita fabulantur, ut qui sciant Deum audire. Oratio convivium dirimit.

2) Definitio.

Agapae, a graeca voce ἀγαπη id est amor et charitas, sacra erant convivia, quae in primitiva ecclesia fiebant quaeque amoris et charitatis gratia frequentabantur. *Du Cang. Glossar med. et infim. Latinit.* ad verbum.

3) Festivitates, in quibus fiebant.

Agapae non una vice vel occasione sed diversimode diversisque fiebant occasionibus et hinc variis nominibus insignitae fuerunt, quas omnes Nazianzenus commemorat in carmine de diversis vitae generibus hoc celebri distich.:

Non epulum natale adiens cum pluribus, aut quod
Funereum est, vel quod connubiale petens.

Agapae natalitiae dicebantur convivia in ss. martyrum festivitatibus fieri solita, quaeque in ecclesia fideles peragebant. Ad quos referenda sunt, quae de agapis in dedicatione ecclesiarum habitis d. Gregorius M. scribit *lib. 1 epist.* ad Petrum subdiaconum, cui necessaria pro hujusmodi conviviis ad dedicationem cujusdam oratorii committit. Ad eas nonnisi qui ecclesiastica communione gaudebant admittebantur. Zaccar. *onomastic. rituale* ad verb. Agapae connubiales erant, quae nuptiarum occasione fiebant, quibus ipsemet Episcopus interessebat. Agapae demum erant funerales, quae in exequiis praebebantur. Hinc autor const. apost.: *Qui in exequiis mortuorum* (ait) *ad convivium funebre invitati estis, ordine et timore Dei epulamini, ut possitis preces pro defunctis exhibere; lib. 8. const. apost. cap. 44.*

Ex quo testimonio, quod agapa peracta fideles Deo pro defuncto preces offerrent, nitide colligere est. Istis vero agapis invitabantur nedum clerici sed et pauperes et affines et amici defuncti; *Origen. in Job. lib. 10.*

Praeter numeratas has agapas occasione funeris, connubii et natalis sanctorum martyrum et aliae celebrabantur agapae singulis dominicis diebus atque festivis, quibus omnes intererant et in privatam domum conveniebatur, ubi post fusas ad Deum preces simul coenabant. De hisce agapis sic Oecumenius in Paul. epistol. disserit: *Praecipuis diebus sive festis post sacrorum mysteriorum participationem agebantur communes coenae,* praeparantibus illas divitibus ac pauperes invitantibus. Vide etiam Gab. Albaspineus Aurelian. Episcop. *dissertat. de agapis.*

4) Institutio.

Agapas Apostoli instituerant et ea fuerunt ratione ducti, ut singuli fideles panem et vinum aliaque etiam ad ecclesiam offerrent, e quibus, panis et vini parte consecrata, quod reliquum erat, in commune illud convivium consumebatur. Atque huc referendum illud apostoli *I. ad Corinth. XI. 21: Unusquisque suam coenam praesumit ad manducandum et alius quidem esurit, alius ebrius est.* Johan. Cabassut. *de agapis dissert.;* Joan. Devoti *institut. canonic.*

5) Tempus.

Agapae nonnisi vespere et nocturno tempore fideles peragebant; testis est Tertullianus in *Apologetico, cap. 34*, ubi de agapis loquens dicit: *Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse.* Et inferius: *Inde disceditur non in catervas caesionum, neque in classes discursationum nec in eruptiones lasciviarum.* Quae omnia de die non fieri solent sed sunt nocturnae ebriorum ac temulentorum grassationes. *Albasp.*

6) Prohibitio.

Abusionibus ex hisce conviviis deinde in ecclesiis exortis prohibitae agapae fuere a ss. praesulibus praecipue in *concilio Sardicensi, cap. 28.* his verbis: *Non oportet ministros altaris vel quoslibet clericos ad agapem vocatos partes tollere propter injuriam, quae ex hac occasione ecclesiastico ordini poterit deputari.* In decreto Gratian. *dist. 42. c. 3.* Et Augustino suadente Aurelio Carthaginensi Primati sic conc. Carthaginense III. *can. 30.* definivit: *Ut nulli Episcopi vel clerici in ecclesia conviventur nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficientur. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.* Idem habet conc. Aurelianense II. *can. 12: Ne quis in ecclesia votum suum cantando, bibendo vel lasciviendo exsolvat, quia Deus talibus votis irritatur potius quam placatur.*

Agapae tamen omnino sublatae non fuere nisi post saeculum ecclesiae V., et quidem VII. saeculo adhuc agapae perdurabant; hinc in Gelasii codice sacramentorum ecclesiae romanae *lib. 3. cap. 48* tres habentur orationes pro his, qui agapas faciunt.

Quamvis agapae prohibitae fuissent, quaedam tamen eorum vestigia remanserunt et ita abrogari consuetudo illa non potuit, ut privatis saltem in domibus festi sanctorum dies templorumque dedicationes conviviis opiparis non celebrarentur. Sidonius Apollinaris *lib. 4. epist. 15;* Gregorius Turonensis *lib. 2. cap. 16. de mirac. s. Martini.* Murator. *dissert. de agapis sublatis.*

Anglis recenter ad fidem conversis d. Gregorius magnus agapas peragere concessit. De quibus ille ad Mellitum Benedictin. Abbatem *epist. 71. lib. 9* sic disserit: *Quia boves solent* (Angli) *in sacrificiis daemonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis vel natalitio sanctorum martyrum, quorum illic reliquiae ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant et religionis conviviis solemnitatem celebrent et donatori omnium de societate gratias referant.*

7) Post sumptam ss. Eucharistiam.

Agapae post sumptam a fidelibus Eucharistiam fiebant et quamvis nonnulli etiam ex

catholicis senserint illas, antequam Christi Corpus fideles sumerent, celebrari, attamen verior et communior altera est sententia. Hanc Hieronymus, Chrysostomus, Oecumenius, Tertullianus, Augustinus, Pamelius aliique quamplures ex PP. et DD. tuentur. Et quidem Hieronymus *commentar. in epist. 1. ad Corinth. cap. 2.* haec habet: *In ecclesia convenientes oblationes suas separatim offerebant, et post communionem quaecumque eis de sacrificiis superfuissent illic in ecclesia communem coenam comedentes pariter consumebant.* Caeterorum testimonia auctoritatesque omittendo tantum post Hieronymi verba illa Chrysostomi commemoramus. Igitur d. doctor sic in eandem epistolam *tom. 27.* loquitur: *Statis diebus mensas faciebant communes et peracta synaxi post sacramentorum communionem omnes commune inibant convivium, divitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, et qui nihil habebant, etiam vocatis et omnibus communiter vescentibus.* Insuper hoc idem suadet ratio, nam quamvis nonnulli admittere possint Corinthiorum exemplo, ipso Apostolorum aevo, consuetudinem invaluisse communicandi post cibum et potum, tamen nihil obstat, quin ipsis adhuc viventibus Apostolis eadem consuetudo obliterata fuerit ob majorem erga sacramentum reverentiam; et re quidem vera ipsis Corinthiis abusum hunc Paulum increpasse in sua ad Corinthios epistola legere est. Quod vero Corinthii adhuc in sua perstiterint voluntate contra Apostoli monitum vel quod ipsis gentium doctor indulserit, ut Eucharistiam inter epulas cum ebrietatis periculo sumerent, credendum non est. Et si procul dubio certissimum est, apostolicam fuisse traditionem, ne quis ad divina mysteria non jejunus auderet accedere, ut Tertulianus, Cyprianus, Basilius, Augustinus, Ambrosius et antiquissimi Patrum affirmant (vide *Card. Bona rerum liturgicarum lib. 1. cap. 21. §. 1. 3.)*, equidem Apostolorum discipuli eorumque primi successores id negligere minime potuerunt, ut post agapas sacram sumerent Eucharistiam. Consule *Robert. Sala in adnotationibus ad Card. Bon. rer. liturgic. lib. 1. cap. 1.*

Ex dictis, quod agapa omnino a missa differat, perspicue patet; hinc perperam senserunt illam cum missa confundentes, ex quorum numero etiam ex catholicis fuerunt nonnulli, inter quos Joseph. *Vicecomes lib. 1. de ritibus missae cap. 2.*, quem egregie confutat *Cajetanus Merati in commentariis ad Gavantum Praelimin. n. 10. tom. 1.*

Aggregatio.

1) Confraternitatum.

Vd. *Confraternit.* (aggreg.)

2) Religiosorum.

Vd. *Affiliatio Religios.*

Agnati.

(Veniuntne sub nomine familiae?)

Nomine familiae nequaquam comprehendi cognatos, sed illos dumtaxat de agnatione, et ejusdem cognominis; *Card. de Luc. de dot. disc. 2. num. 1.; Rot. decis. 586. num. 3. part. 19. tom. 1. Recen.*

Die 18. Novbr. 1769.

Agnus Dei.

1) Asservatio et tractatio.

(Concilium Mediolanense anno D. N. 1579.)

Vd.: *Agnus Dei* (veneratio).

Sanctissimi veterisque instituti est a summo Pontifice formas illas cereas, quas *Agnus Dei* a figura impressa vocamus, solemnis benedictionis ritu multisque religiosis caeremoniis non solum primo sed septimo quoque Pontificatus anno consecrari.

In quo consecrationis munere sicut ille Christi Vicarius (cujus oratio tanto majoris est momenti quanto ejus officium in ecclesia sublimius et cum eodem Christo Domino conjunctius) multa sancta precetur a Deo illis concedi, qui animo pio devotoque eos agnos apud se habuerint: ita a fidelibus magna devotione iidem gestandi sunt ad eosque usus religiose adhibendi, ad quos sacrae preces ecclesiae instituto referuntur.

Quare decreto concilii provinc. tertii haec etiam adjungenda censuimus.

Primo cum illi domi asservantur, ut piae consuetudinis est, loculo decenti recondantur; cum autem collo appensi gestantur, in thecam auream, argenteam, eburneam cristallinamve aut alterius generis decentis recte inclusi sint, ita ut tactu violari non possint.

Nec vero ad ornatum habeant quidquam quod profanum sit, quodque minime deceat.

Thecarum fabri ne ullo modo eos tangant attrectentve, ne chyrothecis quidem, forcipe aut ullo alio instrumento, sed ad eos thecis includendos clericus in Sacris constitutus adhibeatur.

Ne minimam item particulam sacrae illius cerae, e qua agni imago effecta est, in eis includant, quo pluris opus suum vendant, sed ab eo accipiant, qui thecam agni causa faciendam locarint.

Neque autem quisquam sacrum illum agnum annulo gestet, cum ita parum religiose gestetur, ut aliqua foeditate turpive tactu violari facile queat.

Qui sacros agnos gestant, haec religiosius caveant, ne quid impure turpiterve agant aut a sacra ejusmodi re alienum.

Nec praeterea in agri campum hi agni projiciantur nec vero cuiquam arbori affigantur neque e ramis suspendantur, sed, quod antiqui est instituti, eorum cera adoleatur ad suffumigationem in agris vineisque ob imminentem tempestatem aliasve diabolicas illusiones depellendas.*)

(Anal. J. P. 1866. p. 1509. Ed. Romae.)

Agnos Dei tangere seu contrectare, licet per se et absolute non videatur, licere nisi clericis in Sacris constitutis, ex quo ipsi agni Dei non solum sint sacri et benedicti, sed etiam oleo sacro et chrismate consecrati, et ut etiam colligitur ex *cap.: Sacratas, dist. 23,* tamen, ut recte advertunt *Sanch. in decalog. lib. 2. cap. 43. num. 27., Diana* et alii passim, nunc usus obtinuit, ut etiam laicis et faeminis liceat attingere eo vel maxime, si hoc fiat ex pietate et devotione vel ut imponantur in aliqua capsula aut thecis aureis et argenteis vel hujusmodi ligentur et ornentur, ut decentius custodiantur.

2) Consecratio a Pontifice facienda.

(Ex Caeremoniale romano.)

§. 1.

Agnus Dei soliti sunt benedici a summo Pontifice primo anno sui pontificatus et deinde septimo quoque anno, dum vivit.

§. 2.

Qui olim efformarent cereos Dei agnos et quibus demum eorundem conficiendorum data est provincia.

Sed antiquitus cera alba munda pro illis formandis per magistrum cerae palatii apostolici et per illos, qui volebant pro se fieri agnus Dei, ponebatur super altare beati Petri, quam subdiaconus apostolicus de altari accipiebat et in aliqua camera capaci et idonea in palatio ipse cum aliis subdiaconis et acolythis Papae manibus propriis formabant agnus Dei cum magna devotione, reverentia et munditia: habebant aliquos servitores, qui necessaria ministrabant, et omnia fiebant impensis camerae; ceram albam mollificabant cum oleo sancto chrismatis, quod superfuerat de anno praeterito. Deinde, cum facta erat tota quantitas, praesentabantur capsae plenae agnus Dei et benedicebantur per Papam.

*) Concil. V. Mediolanen. ann. 1579 apud acta eccles. Mediolanen. t. 1. p. 176—177.

Hodie autem sacrista cum suis capellanis et clericis capellae format ipsos agnos Dei.

§. 3.

De materia et ritibus, quibus agni Dei conficiuntur et a Pontifice consecrantur et primum de benedictione aquae.

Ceram ipsam sumit vel ex cereo benedicto in sabbato sancto anni praeteriti vel aliunde expensis Papae. Non miscentur oleo sancto aut sacro chrismate, sed puri et mundi praesentantur in capsis sanctissimo Domino nostro in camera sua. Pontifex aliquo die post Pascha ante sabbatum in albis, dicta vel audita missa in sua privata capella, indutus amictu, alba, cingulo et mitra simplici benedicit aquam benedictione communi, sicut fit in dominicis diebus a sacerdotibus in aliquo vase ibi praeparato, et si magis placet, potest illa aqua prius benedici ab aliquo Episcopo domestico Papae. Deinde Pontifex accedit ad vas praedictum, deposita mitra stans dicit ℣.:

Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. *Qui fecit coelum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, statutor elementorum omnium et conservator humani generis datorque gratiae spiritualis et largitor salutis aeternae, qui aquas ex paradisi fonte manantes totam terram irrigare jussisti, super quas Unigenitus tuus siccis pedibus ambulavit et in eis baptizari dignatus est, quae una cum suo sanguine de latere sacratissimo perfluxerunt, et baptizare in ipsis praecepit discipulis omnes gentes: adesto benignus et clemens et nobis tua haec magnalia recolentibus gratia tuae benedictionis adveniat, ut ea, quae in hoc aquarum vasculo ad gloriam nominis tui praeparato infundere decrevimus et immergere, bene†dicas et benedicta sancti†fices, quatenus ipsorum veneratione et honore nobis famulis tuis crimina diluantur, abstergantur maculae peccatorum, impetrentur veniae, gratiae conferantur et tandem una cum Sanctis et Electis tuis vitam percipere mereamur aeternam.

Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

§. 4.

De balsami et chrismatis in ipsam aquam benedictam infusione.

Resumit deinde mitram Pontifex et infundit balsamum ex ampulla in aquam in modum crucis dicens:

Consecrare et sanctificare digneris Domine aquas istas per istam unctionem balsami et nostram benedictionem. In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen. Et ter signat. Deinde ex alia ampulla infundit in eandem aquam et in modum crucis dicens: *Consecrare et sanctificare digneris Domine aquas istas per istam unctionem sacri chrismatis et nostram benedictionem. In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen.*

§. 5.

De variis orationibus ad cereos Dei agnos consecrandos.

Benedicta aqua vertit se ad capsas, ubi sunt agnus Dei, et sine mitra stans dicit:

℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus omnium sanctificationum dominator, Dominus, cujus pietas sine fine sentitur: qui Abraham patrem fidei nostrae praecepto tuo filium Isaac immolare disponentem in figuram redentionis nostrae per arietem vepribus inhaerentem, ejus sacrificium consummare voluisti, quique Moysi famulo tuo legifero juge holocaustam praecepisti in agnis immaculatis offerri: te suppliciter deprecamur, ut nostrae vocis exoratus officio has cereas formas innocentissimi agni imagine figuratas bene†dicere et per invocationem tui sancti nominis sanctificare digneris, ut per ejus tactum et visum fideles invitentur ad laudes, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies, infesta tonitrua temperentur; fugiant atque tremiscant maligni spiritus ante sanctae crucis vexillum, quod in illis exculptum est, cui flectitur omne genu et omnis lingua confitetur, quia absorpta morte per crucis patibulum Jesus Christus regnat in gloria Dei Patris. Ipse enim tanquam ovis ad occisionem ductus in morte tibi Patri sanctum sui Corporis obtulit sacrificium, ut ovem perditam diabolica fraude seductam reduceret et ductam suis humeris ad coelestis patriae gregem reportaret. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Deinde dicit aliam orationem:

Omnipotens sempiterne Deus, qui legalium hostiarum et cacremoniarum es institutor, et quae pro restauratione humani generis fieri

instituisti, ut plasmatio tua, quae suggestione diabolica decepta, tuae Majestatis imperium contemnendo, indignationem tuam incurrit, et his hostiis atque sacrificiis obediendo placari voluisti, sicut in sacrificio agni primitiarum instituisti Abel, et in oblatione Melchisedech sacerdotis tui, atque in immolatione hostiarum, agnorum, arietum et taurorum pinguium, Abrahae, Moysi et Aaron, famulis tuis, quae omnia illis in figuram continebant, quia cum tua sancta benedictione sancta erant atque salutifera humiliter offerentibus; et sicut ille agnus, de cujus sanguine postes et superlimina domus immolatus, populum tuum a persecutione aegyptiaca media nocte liberavit; et quemadmodum ille agnus innocens tua voluntate immolatus in ara crucis Jesus Christus Filius tuus protoplastum nostrum de diabolica potestate eripuit: sic isti agni immaculati virtutem illam accipiant, quos consecrandos offerimus in conspectu divinae Majestatis tuae. Tu eos bene†dicere, sancti†ficare et conse†crare digneris, ut tua larga benedictione sanctificati eandem virtutem accipiant contra omnes diabolicas versutias et fraudes maligni spiritus, ut illos devote super se ferentibus nulla tempestas eisdem praevaleat, nulla adversitas dominetur, nulla aura pestilens, neque aeris corruptio nullusque morbus caducus, nulla maris procella et tempestas, nullum incendium neque ulla iniquitas dominetur eis neque praevaleat. Homo partus cum matre incolumis conservetur per intercessionem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus etc.

Oramus tuam clementiam, omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creasti et post Adae lapsum Noe et filiis ejus benedixisti, qui justi coram Majestate tua comparuerunt atque tua miseratione ab aquis diluvii salvi facti sunt; sic istos agnos bene†dicere, sancti†ficare et conse†crare digneris, quatenus eos devote deferentes ob reverentiam et honorem nominis tui liberentur ab omni inundatione aquarum et ab omni fluctuatione diabolicae tempestatis, et a morte subitanea per virtutem passionis Jesu Christi Filii tui benedicti, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

§. 6.

De immersione agnorum cereorum in aquam benedictam et aliis pontificiis orationibus.

His finitis accingitur linteo Pontifex et sumpta mitra sedet apud vas aquae et cubicularii ad eum portant agnus Dei in pelvibus argenteis, quos Pontifex immergit in aquam et Praelati adstantes eos extrahunt et in pelvibus portant super mensas cum mappis mundis praeparatas, ut siccentur; et omnibus baptizatis per Pontificem vel per ejus Praelatos surgens Pontifex et stans sine mitra dicit super eos has orationes:

Oremus.

O alme Spiritus, qui aquas fecundas et cuncta vivificas et in aquarum substantia maxima quaeque sacramenta constituisti, quae a te sanctificante amaritudine dimissa in dulcedinem sunt conversae, et tuo flatu sanctificatae atque imperante lavacri susceptione a sanctae Trinitatis nomine invocato omnia peccata diluunt: quaesumus Domine, ut hi agni sacra et perenni unda balsamoque sacri chrismatis perfusi, tu illos bene†dicere, sancti†ficare et conse†crare digneris, quatenus a te benedicti virtutem accipiant contra omnia diabolica tentamenta, et omnes portantes tuti esse possint inter adversa et prospera, ut tua consolatione accepta nullum periculum timeant nullamque formident umbram, nulla saevitia diabolica aut versutia humana eis noceat, sed fortitudine tuae virtutis roborati tua consolatione glorientur, qui vere Paraclitus diceris et in Trinitate perfecta vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Filii Dei vivi, qui vere es agnus innocens, sacerdos et hostia, qui prophetica voce vitis et lapis angularis praedicaris, qui mundi peccata abstulisti, qui occisus nos redemisti Domine Deus in sanguine tuo, atque postes pectoris et frontis nostrae tuo cruore linivisti, ne diabolica nocturna versutia et meridiani incursus et populus saeviens et super domos nostras transiens vires in nos exercerent, Tu vere es agnus immaculatus pro nostra reconciliatione, et jugis voluisti a tuis fidelibus in tui memoriam immolari, et in agnum paschalem sumi sub speciebus panis et vini in sacramento in salutem et remedium animarum nostrarum, ut mari et praesenti saeculo transacto, ad resurrectionis et aeternitatis gloriam venire possimus. Rogamus ergo clementiam tuam, ut hos agnos immaculatos bene†dicere sancti†ficare et conse†crare digneris, quos de cera virginea in tuum honorem formavimus per opera crucis, et sacra unda balsamoque et sacri chrismatis liquore confectas in sanctificationem tuae conceptionis, quae absque contagione ac propagine

humana sola divina virtute suscepisti, sic eos deferentes tuearis, protegas et defendas ab omni periculo incendii, fulguris, procellae et tempestatis, et ab omni adversitate custodias per mysterium passionis tuae, et sic eos liberare digneris ab omnibus periculis, et in puerperio laborantes, sicut matrem tuam ab omni periculo liberasti, et Susannam de falso crimine et beatam Teclam virginem et martyrem tuam ab incendiis, et Petrum a vinculis absolutum illaesum abire feceris, ita nos ab hoc saeculo illaesos abire facias, ut tecum sine fine vivere valeamus. Qui vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

§. 7.

De agnorum Dei distributione et versibus Urbani Papae V. eorum virtutem docentibus.

His finitis reponuntur agni Dei in suis capsis et deinde sabbato in Albis post agnus Dei in missa dantur, ut in caeremonia illius diei plenius dicitur. Legimus, Urbanum quintum Pontificem Maximum misisse ad imperatorem Graecorum tres agnos Dei cum versibus infrascriptis:

Balsamus et munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellit et omne malignum,
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, et angit,
Praegnans servatur, simul et partus liberatur.
Munera fert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus munde de fluctibus eripit undae.
Morte repentina servat satanaeque ruina.
Si quis honorat eum retinet super hoste trophaeum
Parsque minor tantum tota valet integra quantum.
Agnus Dei miserere mei,
Qui crimina tollis, miserere nobis.

(Anal. J. P. 1866 p. 1495. Ed. Romae.)

Salve, nostra salus, agnus mitissime, salve,
Sanguine qui tollis crimina nostra tuo.
Salve, quem sacra confecit chrismatis unda
Ceraque condidior balsameusque liquor.
Salve, quem sacro quasi natum e fonte levavit
Romanae Antistes Maximus Ecclesiae.
Salve, sancte agnus, subitis qui mortibus obstas,
Qui premis inferno quidquid ab hoste ruit,
Qui nos e flammae servas undaeque periclis
Quique fugas fulgur daemoniumque fugas
Qui nos tutaris vitiis, virtutibus ornas,
Qui partum pariter cum pariente juvas,
Qui confers laetos infesto ex hoste triumphos
Et reddis ductu prospera cuncta tuo.
O Salvatoris monumentum nobile nostri!
O magni salve mystica forma Dei!

(Ibid. p. 1520.)

Analecta J. P. Ser. VIII. p. 1489. Ed. Romae 1865

sequentem habent ritum:

Benedictio aquae agni novelli.

Pontifex stans sine mitra, dicit:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit coelum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, conditor elementorum omnium datorque gratiae spiritualis, de cujus Unigeniti latere sanctissimo una cum sanguine aquae profluxerunt, quique per eundem Unigenitum tuum aquas in Jordane sanctificasti et in ipsis omnes gentes baptizari voluisti et denique in aquarum substantia maxima sacramenta constituisti, adesto benignus et clemens, et hoc elementum aquae bene†dicere et sanctifi†care digneris, ut famulis tuis orbes cereos in ea immersos pie venerantibus crimina abluantur et gratiae conferantur, ut cum electis tuis vitam percipere mereantur aeternam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Completa oratione Pontifex assumit mitram et ministrante Cardinali antiquiore balsami ampullam, quam sacrista porrigit Cardinali, Pontifex infundit balsamum ex ampulla in aquam per modum crucis dicens:

Consecrare et sanctificare digneris, Domine, aquas istas per istam sanctam balsami infusionem et nostram benedictionem.

Hic ter manu signat dicens:

In nomine † Patris et Filii † et Spiritus † sancti. Amen.

Deinde ex alia ampulla chrismatis, ministrante antiquiore Cardinali, ut supra, Pontifex infundit in eamdem aquam sanctum chrisma per modum crucis dicens:

Consecrare et sanctificare digneris, aquas istas per istam sanctam unctionem chrismatis et nostram benedictionem.

Hic ter manu signat dicens:

In nomine † Patris et Filii † et Spiritus † sancti. Amen.

Benedicta aqua Pontifex cum ligula sive cochleari argenteo accipit de illa aqua et infundit in alias aquae conchas in modum crucis nihil dicens.

Deinde vertit se ad capsas, in quibus sunt agnus Dei, et stans prope eas, deposita mitra, dicit:

℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, omnium sanctificationum auctor, qui ad agnum sacrificii Abel respexisti, qui pro Isaac immolando in figuram redemptionis nostrae arietem vepribus haerentem sacrificari voluisti et juge sacrificium in agnis offerri Moysi praecepisti, te suppliciter deprecamur, ut has cereas formas innocentissimi agni imagine figuratas bene†dicere et sancti†ficare digneris, ut ad earum praesentiam fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies, infesta tonitrua dissipentur, et sicut ad conspectum sanguinis, quo populus superliminaria et postes asperserat, angelus percutiens sine domorum sic aspersarum laesione transivit, ita harum imaginum conspectum fugiant atque tremiscant maligni spiritus et illas devote gestantibus mors improvisa non officiat, non praevaleat inimicus homo, nulla adversitas dominetur, nulla umbra timorem incutiat, nulla aura pestilens aut aeris corruptio, non epilepticus neque alius violentus morbus, non maris procella et tempestas, non fluminum aut aquarum inundatio, non ignium incendium noceat: per invocationem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

Oremus.

Domine, Jesu Christe, qui es verus agnus innocens pro mundi salute in ara crucis immolatus, cujus morte genus humanum a morte aeterna et diabolica potestate ereptum et ad vitam revocatum est, benedi†cere, sancti†ficare et consecra†re digneris has cereas agni imagines, ut eas devote deferentes ob reverentiam et honorem nominis tui a morte subitanea et ab omni versutia et nequitia infernae fraudis liberentur et matrum parturientium dolores ita leniantur, ut partus cum matre incolumis servetur per virtutem passionis tuae. Qui vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

Oremus.

O alme Spiritus, qui aquas foecundas et tuo flamine sanctificas et earum amaritiem in dulcedinem vertis, hos cereos agnos aqua et sacro chrismate perfundendos bene†dicere, sanctificare † et consecra†re digneris, ut omnes gestantes fortitudine tuae virtutis roborati tua consolatione laetentur, qui vere Paraclitus diceris et cum Patre et Filio vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

Orationibus completis, Pontifex ponit incensum in thuribulo, ministrante naviculam Cardinale presbytero, benedicens illud more solito dicendo:

Ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis. Amen.

Postea incensat agnus Dei ter ducto thuribulo. Deinde assumit mitram, accingitur linteo et accipit epilogium, quod vulgo dicitur bavarola, sedens medius inter duos Cardinales. Cardinales quoque linteo accincti sedent hinc inde ad extrema latera ejusdem conchae versis vultibus. Cubicularii vero et alii in mundis lancibus argenteis deferunt agnus Dei ad conchas aquae, ubi immerguntur. Pontifex et Cardinales ei assistentes eosdem cum cochlearibus argenteis ex aquis extrahunt ac reponunt in eisdem lancibus, in quibus fuerunt delati, vel in aliis, eosdem recipientibus cubiculariis et reportantibus ad locum ad id praeparatum, quos deponunt super mensas cum mappis mundis ad id praeparatas, ut, humiditate deposita, detergantur. Cardinales quoque reliqui hac de causa vocati accinctis linteis apud reliquas aquae benedictae conchas sedent et delatos a cubiculariis agnus Dei immergunt et extrahunt cum cochlearibus argenteis eo modo, quo supra, et reportantur ad locum jam dictum.

Ablutis jam per Pontificem et Cardinales agnus Dei Pontifex ad cameram, in qua supra mensas existunt, accedens et stans sine mitra dicit:

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Rogamus immensam clementiam tuam, omnipotens Deus, ut deferentes hos agnos immaculatos, quos de cera virginea formatos in significationem conceptionis Unigeniti Domini nostri, quae absque contagione humana virtute divina peracta est, per opera crucis, sacra unda sacroque chrismate consecravimus, ab omnibus malignorum spirituum terroribus necnon incendiis, inundationum, fulguris, tempestatis, adversi puerperii caeterisque periculis ac morbis liberati ab hoc saeculo illaesi evadant et tecum in futuro sine fine laetentur, qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

His finitis, reponentur agnus Dei in capsis et sabbatho in Albis cantato agnus Dei in missa distribuuntur.

Conficiendi, benedicendi et consecrandi agnus Dei vulgariter nuncupatos romano dumtaxat Pontifici potestatem reservat

Paulus II. Episcopus. Servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Immoderata perversorum cupiditas, nesciens abstinere a vetitis et inordinatis affectibus, legem imponere rationis digne praesidentis officium ad executionem justitiae excitat, ut praesumptorum cohibeatur audacia et ipsorum cohertio cedat religionis in exemplum.

§. 1. Horum igitur consideratione inducti et ne de rebus sacris aut Deo dicatis, ad devotionem et salutem credentium, sanctorum patrum ordinatione provida, institutis et pro impetranda venia ac peccatorum macula abstergenda inventis, lucri causa fiat commercium aut passim ut prophane tractentur, universis et singulis, cujuscumque status vel conditionis fuerint, ecclesiasticis saecularibusque personis auctoritate apostolica tenore praesentium districtius inhibemus, ne aliquas cereas formas innocentissima agni imagine figuratas, quas agnus Dei communis usus appellat et romano tantum Pontifici pro supremae potestatis arbitrio illas conficere, benedicere, consecrare et cum devotione poscentibus, pro remissione peccaminum elargiri licet, ut christifideles, per ejus tactum et usum, inter caetera, invitentur ad Dei laudes, ab incendio atque naufragio liberentur, procella quoque turbinum, fulgura, grandines, tempestates et omne malignum molimen procul ab eis pellantur, praegnantes absque partus periculo conserventur quovis modo, etiam auro, argento vel aliis thecis inclusas, consecratas aut temeritate propria confectas per se vel alium seu alios, publice vel occulte, vendere aut distrahere seu permutare praesumant.

§. 2. Si quis autem contra inhibitionem nostram hujusmodi temere venire praesumpserit, sententiam excommunicationis incurrat et si clericus fuerit, omnibus, quae obtinuerit, beneficiis et officiis ecclesiasticis privatus existat et nihilominus laicus, quoties id fecerit, per annum carceri mancipetur ob tanti facinoris ultionem.

§. 3. Volumus autem, quod ii, qui cereas imagines sive agnos Dei confectos hujusmodi apud se habuerint, infra octo dierum spatium a prohibitione praesentium computandum, illos venerabili fratri nostro Nicolao Episcopo Pharensi consignare teneantur, recepturi pro cera aequivalentem compensam vel satisfactionem condignam, alioquin sententias et poenas praedictas, ipso termino elapso, incurrant.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis et voluntatis infringere etc.

Datum Romae apud s. Petrum.

Die 21. Martii 1740.

(Bull. r. t. V. p. 199. Ed. Aug. Taur. 1860; Anal. J. P. Ser. VIII. p. 1485. Ed. Romae 1865.)

3) Definitio.

Agni Dei sic dicti et nominati a figura agni, quae super tali cera a Papa benedicta imprimitur. Solet a summo Pontifice pontificaliter induto variis sacris caeremoniis solemniter benedici primo anno et septimo Pontificatus infra octavam Paschae.

4) Distribut. absente Papa.

Occasione consecrationis sacrarum cerearum seu Agnus Dei singulis septeniis a summis Pontificibus fieri solitae, cum hac ratione contingeret hoc anno et SSmus D. N. ob adversam valetudinem non possit praesens interesse distributioni illorum, quae post consecrationem fieri solet in capella pontificia sabbato in Albis dubitatum fuit:

An quando quidem caeremoniale romanum nihil disponit de hac caeremonia Papa absente, deberent Emi et Rmi D. Cardinales intervenire cum paramentis sacris, an vero in cappis; et omnes unanimi consensu fuerunt: In voto, quod debeant intervenire in paramentis sacris, primo, quia cum caeremoniale hoc disponat Papa praesente, idem intelligi debet etiam absente; secundo, quia id observatur et statuitur in distributione candelarum atque palmarum, quod tanto magis faciendum videtur, ubi agitur de materia sacramentali, ut sunt agnus Dei, qui conficiuntur cum chrismate. Die 31. Martii 1644.

(Anal. J. P. 1864. VII. Ser. p. 299. Ed. Romae.)

5) Distributio praesente Papa.

Vd. *Agnus Dei* (consecrat. p. 402. §. 7.)

Consueverunt summi Pontifices annis primo, septimo, deinceps singulis septeniis benedicere agnus Dei post festa paschalia in camera sua . . . . in sabbato in Albis; in capella publica distribuunt hoc ordine . . . . Die sabbati in Albis, quando agnus Dei distribui debent, celebrat missam aliquis presbyterorum Cardinalium in paramentis albis more consueto. Post orationem diei dicitur oratio contra paganos et alia pro Pontifice et non fit sermo. Alia omnia sicut more consueto usque ad agnus Dei. Quo dicto Cardinalis assistens accedit solito more ad altare, accipit pacem et eam defert ad Pontificem et distribuitur ut alias. Post acceptam pacem Cardinales et Praelati omnes capiunt paramenta alba ordinibus suis convenientia: Cardinales in locis suis, praelati vero et officiales extra cancellum capellae. Celebrans facta communione lavat manus et dicit postcommunionem more solito: deinde vadit ad faldistorium sedensque accipit mitram ministranteque presbytero Cardinale naviculam Papa ponit incensum more consueto. Tum praecedente subdiacono capellae cum cruce inter ceroferarios, ante quos thuriferarius incedit cum thuribulo fumigante, subdiaconus apostolicus, indutus sacris vestibus ac si epistolam solemniter lecturus esset, una cum clerico caeremoniarum, sequentibus ipsum duobus aliis capellanis celebrantis superpelliceis indutis, vadit ad locum, ubi sacrista lancem unam magnam agnus Dei in bombice indutis plenam mapula pulchra serica coopertam ornavit et lancem cum agnus Dei accipiens, praecedente thuriferario, ordine, quo iverat, revertitur ad Pontificem. Cum fuerint intra ostium capellae, genuflectunt omnes et subdiaconus cantat competenti voce, ita ut ab omnibus audiatur, dicens:

Pater sancte, isti sunt agni novelli, qui annunciaverunt Vobis alleluja, modo veniunt ad fontes, repleti sunt claritate, alleluja.

Cantores respondent ea voce: *Deo gratias, alleluja.*

Quod secundo facit subdiaconus, Pontifex interim semper cum mitra sedet, nisi quod intrante cruce a principio omnes surgunt et statim sedent. Deinde ascendit ad dextram Pontificis, ubi genuflexus dictam lancem tenet usque ad finem distributionis. Thuriferarius autem cum aliis omnibus ad sua loca divertunt; accedunt autem ad Pontificem duo auditores cum mantili, quod diaconi Cardinales assistentes gremio Pontificis superponunt, ipsis auditoribus illud hinc et inde genuflexis tenentibus. Tum veniunt ante Pontificem per ordinem omnes Cardinales, unus post alium a seniore ad juniorem et factis debitis ac consuetis reverentiis porrigunt mitras suas, cornua mitrae deorsum retinentes, et Papa imponit eis tot agnus Dei, quot ei placet . . . . Cardinales osculantur ejus manum primo, deinde genu dextrum. Cardinalis celebrans venit de faldistorio solus suo tempore et in ordine suo juxta scamnum, capit agnus Dei, ut alii, et revertitur ad faldistorium, ubi sedet cum mitra usque ad finem distributionis. Praelati simili modo sicut Cardinales, sed genuflexi agnus Dei in mitras accipiunt et osculantur genu dextrum Papae, non manum. Protonotarii et omnes alii capiunt agnus Dei in manus, genuflexi osculantur pedem Papae. Finita distributione Papa lavat manus more consueto. Cardinales et omnes alii deponunt paramenta. Celebrans revertitur ad altare, dicit in medio: *Dominus vobiscum,* et apud librum: *Oremus,* et orationes more consueto. *Ite Missa est* dicitur cum duplici *alleluja.*

Papa dat benedictionem et indulgentias, quas pronunciat celebrans.

(Anal. J. P. 1866 p. 1492. Ed. Romae.)

6) Forma et sensus mysticus.

Vd. *Agnus Dei (Consecratio a Pontifice facienda pag. 399 etc.)*

De ritu et usu cerearum formarum, quae benedici et consecrari solent a romano Pontifice.

Formula impressa de mandato Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIV. anno MDCCLII.

Pervetustus in ecclesia romana ritus est ille, quo summi pontifices benedicere et consecrare solent cereas formas, quae »*agnus Dei*«, vulgo appellantur. In ordine romano, qui eruditorum judicio antiquior est saeculo octavo, innuitur praefatus ritus. In caeremoniali vero ejusdem romanae ecclesiae designantur materia, forma et preces in hujusmodi consecratione adhibendae, quae sacras continent mysticasque significationes.

Conficiuntur hi »*agnus Dei*« ex cera alba, pura, virginea, quo humana denotatur natura a Christo, virtute divina, sine ulla mixtione aut contagione culpae, in purissimo Mariae ac virginis utero assumpta. Agni imago in illis imprimitur, agni illius immaculati symbolum, qui pro humana reparatione in ara crucis immolatus est. Adhibetur aqua benedicta, quo nimirum elemento cum in veteri tum in novo foedere praeclara sacramenta et prodigia a Deo effecta sunt. Miscetur in ea balsamum, quo bonus Christi odor significetur, quem in omni actu et conversatione redolere debent christifideles. Superinfunditur chrisma, quo res aliae divino cultui specialiter addictae veluti templa, altaria, sacerdotes praeparari solent ac consecrari, atque in eo praestantissima virtutum omnium charitas figuratur:

In aqua igitur prius benedicta ac balsamo et chrismate mixta cerei illi »*agnus Dei*« immerguntur et summus Pontifex tam ante quam post mersionem sanctissimis precibus Deum exorat, ut eas formas benedicere, sanctificare et consecrare dignetur, iisque tantam impertiat virtutem, ut quicunque recta fide ac vera pietate iisdem usus fuerit haec dona ac beneficia consequatur:

1) Ut aspectu vel contactu agni in cereis illis formis impressi excitentur fideles ad memoranda sub eo symbolo redemptionis nostrae mysteria conceptisque grati animi sensibus divinam in nos bonitatem benedicant, venerentur ac diligant, fidentes fore, ut per eam peccatorum veniam obtineant et maculas omnes abstergant.

2) Ut ad vivificae crucis signum in iisdem cereis impressum maligni spiritus contremiscant et fugiant, facessant grandines, subsidant venti, dissipentur tonitrua, abigantur turbines, fulgura et tempestates.

3) Ut divinae benedictionis virtute non praevaleant diabolicae fraudes, insidiae et tentationes.

4) Ut parturientes cum foetu incolumes serventur eumque feliciter in lucem emittant.

5) Ut iisdem devote utenti nulla dominetur adversitas, nulla noceat pestilentia aërisve corruptio, nullus comitialis morbus eum corripiat; nulla maris tempestas, nullum incendium, nulla adversus eum praevaleat malignitas.

6) Ut in prosperis adversisque casibus divina protectione muniatur; ab humanis vel diabolicis insidiis, a subitanea et improvisa morte, a cunctis denique malis et periculis liberetur, per vitae ac passionis Jesu Christi mysteria.

Mirabiles hujus Agni virtutes explicatae jam olim fuere atque his versibus comprehensae:

»*Pellitur hoc signo tentatio daemonis atri*
Et pietas animo surgit abitque tepor.
Hoc aconita fugat, subitaeque pericula mortis
Hoc et ab insidiis vindice, tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne sacva tonitrua laedant,
Ne mala tempestas obruat, istud habe
Undarum discrimen idem propulsat et ignis
Ullaque ne noceat vis inimica valet.
Hoc facilem partum tribuente puerpera foetum
Incolumen mundo proferet atque Deo.
Unde rogas uni tam magna potentia signo?
Ex agni meritis, haud aliunde fluit?«

Quae quidem beneficia et gratiarum dona a bonorum omnium largitore Deo fidelibus tribui ac concedi, virtute hisce sacris communicata per benedictionem ac precationes in primis, quas Christi Vicarius romanus Pontifex universae ecclesiae nomine in eorum consecratione fundere solet, res est firmiter omnino credenda ac variis eximiisque miraculis saepissime confirmata. Quod si optatus non semper obtineatur effectus, id non defectui virtutis rei sacrae sed vel infirmae exiguaeque utentium fidei ac devotioni vel alteri occultae causae Deo compertae ac probatae tribuendum est.

(Bull. Bened. XIV. t. III. p. 565; Anal. J. P. VI. Ser. 1863 p. 1684).

Heliano Spinulae.

Pontifex Paulus muneri ad te mittit hunc agnum Dei circumclusum auro et ornatum unionibus tredecim. Sacratus est manibus suis et ex illo munere sumptus, ex quo munerari Reges est solitus: donum pretiosum, non magnum sed virtute et gratia maximum. Id agit videlicet sancta ejus dignatio, ut memor sis ejus, ut pignus in sacrario teneas, sui in te animi testem et custodem denique maximum habeas vitae et rerum tuarum. Recipiendus est osculo, cum devotione servandus, virtuti ejus credendum et in comitatu habendus, si quando terra peregrinaris vel mari. Linitus est sacramentali liguore, benedictus voce et manu Vicarii Jesu Christi mysterioque magno verborum sacer identidem factus. Si credis, in omnem casum fidum praesidium tenes. Age, Pontifici gratias pro reddito filio et pro suo dono. In utroque es illi debitor, quia in utroque te aestimavit. Non cuivis ambo haec contigissent. Vale et me ama.

(Anal. J. P. 1866. p. 1495. Ed. Romae.)

Dilecto Filio nobili viro Paschali Ciconiae duci Venetiarum.

Sixtus PP. V.

Dilecte Fili. Nobilis vir.

Salutem et apostolicam benedictionem. Sancta romana ecclesia Christi Domini Nostri sponsa nullam habens maculam neque rugam, ecclesiarum omnium caput ac vere pia et sollicita cunctarum gentium mater atque magistra, pro ea cura, quam in visceribus charitatis de filiorum suorum salute gerit, nullo umquam tempore cessavit, quin optimus legibus et institutis praeceptisque salutaribus, omni denique opportuna ratione rem totam ecclesiasticam constituere et stabilire ac universum Dei populum fidei suae commissum in officio continere et per rectas justitiae ac probitatis semitas ducere conaretur atque etiam considerata humanae naturae imbecillitate ac satanae astutia et fraudibus populum ipsum variis benedictionibus, gratiis atque muneribus spiritualibus fovere ac roborare studeret, ut scilicet illis tamquam scalarum gradibus ascendere et facilius ad coelestem patriam pervenire posset.

Enimvero inter spiritualia haec dona longe praeclarum obtinet locum forma illa benedicta, quae *agnus Dei* vocatur, cujus benedictio et consecratio ex antiquissimo ecclesiae more et instituto paschali tempore a solo romano Pontifice solemni ritu ac caeremonia et summa cum religione fieri et celebrari solet. At quam eximio cultu quantaque veneratione digna sit haec sacra res, quicumque illius materiam, formam, consecrationis modum, preces ac mysteria, quae in ea continentur, noverit et attente consideraverit, facile intelliget.

Hi enim *agnus Dei* ex cera alba, pura, virginea conficiuntur, ad denotandam Christi humanitatem ex sanctissimo Virginis utero, absque ulla contagione et sola Dei virtute sumptam. Imago agni, quae in illis est, agnum illum immaculatum repraesentat, qui pro humani generis reparatione in ligno crucis est immolatus. Adhibetur aqua benedicta, cujus substantia ad maxima quaeque sacramenta in veteri et novo testamento usus est Deus. Aquae miscetur balsamum, ungentorum omnium praestantissimum, ad designandam famam optimam, quam christianus, veluti suavissimi odoris fragrantiam, in sua conversatione debet redolere. Postremo superinfunditur chrisma, quo charitas virtutum omnium maxima figuratur, et quo eodem templa, altaria, vasa et ipsi homines Dei cultui praeparantur et consecrantur. In hac vero aqua benedicta balsamo et chrismate mixta hi agnus Dei ab ipsomet Pontifice merguntur et baptizantur et tam ante quam post mersionem sanctissimis precibus et orationibus idem Pontifex Deum obsecrat, ut easdem illas formas cereas imagine agni impressas benedicere, sanctificare, consecrare eisque virtutem coelestem infundere dignetur, ita, ut qui illas pie et devote et cum fide habuerint et detulerint, eorum crimina deleantur, maculae peccatorum abstergantur, veniae impetrentur, gratiae conferantur, praeterea ut fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies et infesta tonitrua temperentur, fugiant et contremiscant maligni spiritus, nulla hic adversitas dominetur, nulla aeris corruptio, nullus morbus caducus, nulla maris tempestas, nullum incendium nullave iniquitas noceat, parturientes cum partu incolumes conserventur, omnes denique ab aquarum inundatione, a morte subitanea et a cunctis adversis liberentur. Haec sane propitiationis et gratiarum dona a Deo misericordiarum patre et bonorum omnium largitore tribui atque concedi his cereis formulis sic benedictis et baptizatis, praesertim summo sacerdote ipsius Christi in terris Vicario tam pie

orante ac supplicante, firmiter credendum est, sicuti idipsum saepissime magnis et variis miraculis, quae diversis temporibus divina bonitas per haec sacra operari dignata est, fuit saepius comprobatum. Nec mirum esse debet, si non semper idem contingat effectus, quoniam id ex infirma utentis fide vel ex alia occulta causa, non ex defectu virtutis rei sacrae, accidere certum est.

De hujus sacri praestantia atque virtutibus extat inter caetera luculentissimum testimonium Urbani Papae V., qui magni muneris loco tres agnus Dei ad Graecorum imperatorem cum his verbis misit:

Balsamus et munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt agnum quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura decursum depellit et omne malignum,
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, et angit,
Praegnans servatur simul et partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis.
Portatus munde de fluctibus eripit undae.

Cum igitur Nos his diebus paschalibus ecclesiae et praedecessorum nostrorum rom. Pontificum probatissimum morem secuti, quod nostri fuit muneris, peregimus, huic solemni sacro operam dantes, visum fuit Nobis, sicuti in caeteris rebus, ita in hoc eximiam dilectionem charitatemque nostram erga inclytam istam rempublicam et nobilitatem tuam, qui in ea principem locum tenes, ostendere ac declarare. Itaque mittimus tibi capsam unam harum formarum cerearum plenam, ut senatoribus omnibus et aliis quibus visum fuerit ex eis largiter impertiri possis.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 20. Aprilis 1586 pontificatus nostri anno primo.

Antonius Baccapadulius.

(Ibid. *p. 1496.*)

7) Indulgentiae deferentium „agnos Dei".

Dilecto filio, nobili viro Thaddaeo Barberino, nostro secundum carnem ex fratre nepoti.

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili. Nobilis vir.

Salutem et apostolicam benedictionem.

Quae sit paterna nostra erga charissimam in Christo filiam nostram Mariam Hungariae et Bohemiae reginam illustrem charitas et dilectio, ex hoc vel maxime ab omnibus cognosci posse arbitramur, quod nullam occasionem paterna studia et officia nostra eidem exhibendi, quantum cum Domino possumus, praeterlabi nullo modo patiamur.

Cum itaque, sicut ex insinuatione a Nobilitate tua Nobis facta accepimus, Nobilitas tua quamdam agnum Dei cereum a felic. recordat. Pio Papa V. praedecessore nostro benedictum, et quamdam imaginem ab utraque parte depictam Adae scilicet et Evae in paradiso terrestri ac transitus Moysis et filiorum Israel in medio mari per siccum, necnon duo sacris sanctorum et sanctarum reliquiis decorata reliquiaria eidem reginae Mariae donare intendat,

Non spirituali ejusdem Mariae reginae consolationi et animae saluti per amplius consultum esse cupientes eidem Mariae, ut quamdiu agnum Dei sive imaginem aut unum ex reliquiariis hujusmodi apud se habuerit, quotiescumque officium divinum ordinarium aut beatissimae virginis Mariae vel defunctorum aut septem psalmos poenitentiales seu graduales vel coronam Domini aut tertiam partem rosarii recitaverit, aut infirmos alicujus hospitalis visitaverit vel pauperibus Christi subvenerit, quoties aliquod praestiterit ex operibus hujusmodi ac vere poenitens et confessa sacerdoti ab Ordinario approbato, in aliquo ex dominicis aut festis diebus de praecepto sacram communionem sumpserit piasque ad Deum preces fuderit pro haeresum et schismatum extirpatione, pro fidei catholicae propugnatione, christianorum principum concordia aliisque sanctae matris ecclesiae necessitatibus semel in hebdomada omnium peccatorum suorum indulgentiam consequatur et deinceps alias indulgentias condonamus.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 4. Januarii 1630, pontificatus nostri anno octavo.

M. A. Maraldus.

(Anal. J. P. 1866. p. 1498. Ed. Romae.)

8) Miraculosus.

Vd *Agnus Dei* (virtus).

Antequam ad officium fidei promotoris assumptus fuissem (Benedictus postea PP. XIV.) et munere tantum sacrae consistorialis aulae advocati fungerer, actum fuit in sacrorum Rituum Congregatione de miraculis s. Pii V., ut ad ejus solemnem canonizationem deveniri posset, et Joannes Baptista Bottinius, fisci et camerae apostolicae advocatus et specialiter a Clemente Papa XI. deputatus ad supplendas vices Prosperi Bottinii, Archiepiscopi Myrensis, fidei promotoris, aetate et laboribus attriti, inter caeteras, quas docte proposuit, animadversiones, hanc quoad nonnulla miracula proposuit, eorum videlicet non esse habendam rationem, cum facta fuissent per applicationem cerearum formarum, vulgo *agnus Dei,* quae ab eodem s. Pio V. fuerant benedictae, ostendendo prodigiosos effectus non ejus intercessioni sed virtuti sacrarum cerearum formarum esse adscribendos; et ipse postea promotor hac eadem animadversione usus in causa ven. servi Dei Innocentii XI., dum ageretur de eadem introducenda; opposui quippe famam miraculorum non esse comprobatam, cum miracula facta essent, applicatis sacris cereis formis ab eodem Dei servo benedictis.

Postulatores causae ven. Innocentii XI. facili negotio a proposita animadversione evaserunt: dixerunt etenim famam miraculorum esse probatam eamque cum fama virtutum in gradu heroico sufficere pro causa introducenda; utrum autem ea forent Dei servo an virtuti sacrarum cerearum formarum adscribenda, id esse discutiendum, cum de approbatione miraculorum legitima quaestio institueretur. Sed cum haec responsio locum sibi vindicare non posset in causa s. Pii V., in qua de miraculorum approbatione (uti dictum est) agebatur, mihi tunc more advocati scribendi necesse fuit aliis inniti fundamentis et alias rationes et argumenta afferre.

In sacrificio missae distinguitur opus operantis ab opere operato; quocirca admittitur fructuosiorem esse missam boni sacerdotis quam mali, juxta doctrinam *d. Thomae 3. part. quaest. 82. art. 6.* Hoc ipsum procedit etiam quoad sacratos *agnos cereos*, cum plus inesse virtutis dicatur in illis, si ab optimo quam si a bono Pontifice benedicantur. Res hoc modo explicatur a *Theophilo Raynaldo, oper. tom. 10., tract. de agno cereo, sub num. 4. p. 373.*, ubi loquendo de agnis cereis benedictis a s. Pio V. haec habet: Additque alibi eodem opere (sermo est de Gabutio) sanctissimi illius vereque pii Pontificis exemplo increbuisse mirum in modum religionem harum sacrarum plaguncularum, earum praesertim, quas ipse consecrasset: quod tametsi omnium sacrorum agnorum, a quocumque demum consecrati fuerint, insignis debeat esse religio, tamen, ut pii sacerdotis sacrificium ex opere operantis fructuosius est, quam quod offertur a minus pio sacerdote, ita accessu precum tanti tamque sancti Pontificis ad communes ecclesiae preces omnibus aeque sacris agnis conclusas accessionem fieri efficacitatis ad fructuum speratorum assecutionem persuasum esset fidelibus.

His itaque fundamentis innixus ostendere conatus sum non virtuti cerei agni, sed intercessioni s. Pii V. adscribendum esse miraculum, de quo quaestio erat, cum de ejus canonizatione ageretur. Absolutum enim fuerat et conclusum judicium de ejus heroicis virtutibus; alia miracula ejus intercessione patrata ante formalem beatificationem jam fuerant admissa; in eo de quo disputabatur invocatio non deerat; fidelium consensus ex supra relatis historiis desumebatur, miracula adscribens non virtuti cereorum agnorum sed precibus s. Pontificis. Illud insuper insinuavi mira quaedam, utilia multa et gratias, non autem vera miracula, inter virtutes cereorum agnorum enumerari, cum ceteroquin credentibus in Christum et sanctis ejus pro temporum opportunitate a Christo promissa fuerit miraculorum patratio, majorum quae ipse patraverat.

Omnia haec simul juncta pro eo, de quo agebatur, fuerunt a sacra Congregatione admissa, quae, Clemente XI. approbante, pro canonizatione s. Pii V. miraculum recensuit et admisit, licet sanatio subitanea facta fuisset, applicato mulieri aegrotanti cereo agno ab eodem s. Pontifice benedicto: et eo magis quod novum hoc non erat, sed aliud simile praecesserat exemplum, de quo in relatione rotae auditorum exarata in causa s. Cajetani, miraculo septimo, ubi sic legitur: Franzisca Berta Veneta linea veste in oculum impacta, magnis per aliquot dies doloribus divexata, sanguine suffuso lacrymisque exundantibus ac nebula lumen offuscante. Allatus est a matre. ut vocant, agnus Dei, in quo beati Cajetani reliquiae contineri dicebantur. Invocavit ergo Cajetani opem cumque ter oculum praedicto signo signasset, dolore statim depulso ac lacrymarum sanguinisque fluxu cessante pristinae sanitati restituta est. In codice bibliothecae Vaticanae num. 3933.

fol. 218. a tergo extant nonnullae epistolae Julii Poggiani Navariensis scriptae tempore pontificatus s. Pii V., ubi post multa exposita de ejus laudabilibus et heroicis gestis haec de agnis cereis ab ipso benedictis habentur: »Nulla hic aetas, nullus ordo, nullus sexus non gestat cereas divini agni imagines ab hoc Pontifice consecratas. Nam etsi vim illam salutarem cereis imaginibus divinitus adjunctam a pontificia potestate proficisci intelligunt, tamen propter singularem Pii V. Pontificis maximi integritatem ac religionem, nescio quomodo his divini agni simulacris ab hoc quam a ceteris Pontificibus confectis se in periculis tutiores fore arbitrantur.« *)

(Anal. J. P. 1866. p. 1518. Ed. Romae.)

9) Mixtio ejus cerae cum alia.

Non est licitum cereos agnos Dei liquefacere una cum alia cera, ut possint sic multiplicari, nisi habeatur speciale privilegium, quia, ut dicit *Gobat in Eper. tract. 3. num. 332.*, illa liquefactio est profana nimis actio repugnans menti Pontificum sibi tam rigide et constanter reservantium potestatem benedicendi seu sacrandi ceram; non est igitur eorum mens, ut per commixtionem data opera factam profana vertatur in sacram. Et colligitur ex mente Pauli V., qui in constitut. 43. incipiente: *Romanum***), concedit Monachis sanctae Mariae Tuliensis, ut ipsi soli et non alii possint renovare agnos Dei factos.

10) Pinctura, Venditio, Ornatus.

Prohibitio depingendi sive miniandi aut venales proponendi agnos Dei a romano Pontifice benedictos.

Gregorius XIII. Episcopus. Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omni certe studio et opera a Nobis procurandum est ut ea tollantur, quae non conveniunt ac Nostrum et aliorum bonorum piorumque christifidelium animos offendunt. Itaque, provide considerantes certas formas innocentissimi agni imagine figuratas et per romanos Pontifices statutis temporibus consecrari solitas, sicut agni puri et mundi a summo Pontifice benedicuntur, ita ab omnibus postmodum immaculatas, non autem auro et coloribus ullis depictas sed in sua albedinis munditie sanctificatas congruenti cum reverentia teneri et reservari debere.

§. 1. Statuimus et ordinamus ac sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda prohibemus et interdicimus, ne quisquam, sive vir sive mulier, saecularis aut ecclesiasticus, etiam regularis ordinis, ille sit et quocumque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate et honore praecellat, posthac in perpetuum agnus Dei per romanum Pontificem pro tempore existentem benedictos depingere, inficere, minio notare vel aurum et colorem aliquem illis imponere aut quidquam aliud super inducere neque depingi aut miniari facere nec illos venales proponere seu tenere quovis praetextu qualibetve de causa audeat. Verum eos albos et mundos agnum illum purum et innocentem repraesentantes, qui occisus pretiosissimo sanguine suo nos redemit, decenter ac reverenter a cunctis haberi, deferri et custodiri praecipimus et ita ab omnibus fieri et censeri debere decernimus.

§. 2. Mandantes omnibus et singulis locorum Ordinariis per universum christianum orbem constitutis eorumque vicariis in spiritualibus generalibus, ut praesentem nostram constitutionem et prohibitionem in suis quisque civitatibus et dioecesibus statim publicare procurent, ita ut ad omnium notitiam quamprimum pervenire possit.

§. 3. Quicumque vero inobedientes fuerint, praeter excommunicationis poenam, quam, ut praefertur, incurrent, etiam aliis poenis, ipsorum Ordinariorum seu vicariorum arbitrio plecti et mulctari volumus et jubemus.

Datum Romae apud s. Petrum, die 25. Maji 1572, pontif. anno I.

(Bull. r. t. VIII. p. 10. Ed. Aug. Taur. 1863; Anal. J. P. Ser. VIII. p. 1507. Ed. Romae 1865.)

Gregorius XIII. edidit constitutionem incipientem: *Omni certe*, in qua sub poena excommunicationis nemini reservatae omnes cujuscumque gradus et conditionis afficientis prohibet, ne similes agni Dei inaurentur aut ullo colore pingantur et nullo modo venales fiant. Unde per hanc constitutionem est expresse prohibitum ipsos agnos Dei pingere, inficere, minio notare aut colorem aliquem illis imponere aut quidquam aliud super-

*) Benedictus XIV. p. 71 — 75.

**) Vd. p. 411. n. 11.

inducere et ipsos venales proponere aut tenere, ut vendantur simoniaco pretio, id est, ut vendantur ratione benedictionis, aut carius, quia benedicti sunt; est enim vera et realis simonia pretio temporali aestimare sacram benedictionem. Non videtur tamen per hanc constitutionem prohibitum tales agnos Dei thecis aureis, argenteis, sericis, cristallinis aut vitreis in gyrum circumornare aut coronare, uti de facto videmus in dies fieri a religiosis et probis saecularibus, etiam Magnatibus, ut priori devotioni custodiantur; Pontifex solum prohibet ea, quibus albedo et munditia illorum veluti intrinsece inficitur, ut constat ex istis praecisis verbis suis: *Verum eos albos et mundos, agnum illum purum et innocentem repraesentantes, qui occisus pretiosissimo sanguine suo nos redemit, decenter ac reverenter a cunctis haberi, deferri et custodiri praecipimus.* Nec videtur prohibitum, si jam antecedenter depicti sint, eos sic retinere, dummodo non retineantur ad vendendum; *Sanchez in decalog. lib. 2. c. 43. num. 28.; Diana, Lezana* et alii.

Qui plura cupit, adeat Augustini Cardin. Valerii opusculum de benedictione *agnorum Dei* a clarissimo praesule Stephano Borgia sac. Congreg. de propaganda fide a secretis illustratum et sanctissimo Domino Nostro Pio sexto Pontif. Maxim. dicatum Romae 1775. Nec pariter videtur prohibitum eos vendere ratione solius materiae, cera scilicet, ex qua conficiuntur, aut auri et argenti vel hujusmodi, quibus ornantur, et impensarum in eis conficiendis, et de uno loco ad alium portandis, uti de facto videmus quotidie sic vendi patenas et calices, licet consecratos, absque labe simoniae. Sic *Sanchez de praeceptis decalogi lib. 2. c. 43. n. 29.; Bonacina, Diana, Lezana* et alii.

Vigore specialis edicti eminentissimi Card. Urbis Vicarii, licet agni Dei ante acceptam pontificalem benedictionem possint sine scrupulo vendi, tamen, postquam sunt benedicti, vendi non possunt, etiam ratione materiae, ad tollendas fraudes, quae fieri poterant, et scandala, quae in dies oriebantur.

Ad scrupulos rejiciendos mos inolevit in Urbe, ut artifices cupientes agnus Dei in thecis includere licentiam id faciendi petant ab eminentissimo Domino Cardinali Vicario seu ejus Vicesgerente, qui eam dare consuevit viris probatis ad tempus sibi benevisum et gratis.

In Urbe extat specialis prohibitio vendendi hujusmodi agnos et cum hujusmodi prohibitio facta sit ad vitandum simoniae periculum, dicendum est vendentem hujusmodi agnos reum esse simoniacae labis jure humano vetitae, etiamsi eos vendat solum ratione materiae nec plus exigat ratione consecrationis.

(Anal. J. P. 1866. p. 1510. Ed. Romae.)

11) Praeparatio etc. ab Ord. Cisterciens.

Quod sacrum opus, agnus Dei in cera signandi et fractum renovandi, perpetuo spectat ad Monachos dumtaxat Congregationis beatae Mariae Fuliensis in Urbe, Cisterciensis ordinis s. Benedicti.

Paulus Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet Pontificem in supremo Sedis apostolicae solio divina dispositione constitutum, ad ea munera, in quibus sacra et sancta ex catholicae religionis ritu tractanda sunt, viros ex delectu peculiari cura et sollicitudine assumere, qui aeque vitae integritate, ornatu ac usu et peritia praediti, in muneribus hujusmodi hinc cum utilitate et fide, illinc cum rerum dignitate, versari possint et velint.

§. 1. Quod prudenti consilio a felicis recordationis Clemente Papa VIII. praedecessore nostro factum fuit; nam cum animo destinasset, ad opus sacrum, agnus Dei in cera signandi et fractum renovandi, certas et idoneas personas deputare, quae ad hoc pium et devotum munus deligerentur, religiosos congregationis beatae Mariae Fuliensis dignos et idoneos judicavit ac etiam pro insigni sua pietate toto suo pontificatus tempore delegit.

§. 2. Religiosi autem ipsi, delatum munus aggressi, exspectationi dicti Clementis praedecessoris abunde responderunt.

§. 3. Quod permovit piae memoriae Leonem Papam XI. etiam praedecessorem nostrum, ut ipsos religiosos in eo munere confirmaret.

§. 4. Cujus vestigiis nos inhaerentes ac existimantes, ipsos religiosos in praedicto munere retinendos ac speciali aliquo Sedis apostolicae privilegio et decreto in eam sententiam conhonestandos, motu proprio, non ad ipsorum religiosorum vel alicujus alterius

Nobis pro eis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine dictae congregationi illiusque religiosis nunc et pro tempore existentibus nunus et officium sacrum, agnus Dei in cera signandi et fractum renovandi, in monasterio s. Pudentianae et prioratus s. Bernardi de Urbe dictae congregationis ac quolibet eorum vel alibi (si ita Nobis et romano Pontifici pro tempore existenti visum fuerit) per religiosos ad id a moderno et pro tempore existente ejusdem congregationis Generali deputandos debitis temporibus obeundum et exercendum auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo committimus et mandamus ac etiam concedimus et assignamus ipsosque religiosos ad opus, munus et officium hujusmodi, ab illis modo et forma praemissis obeundum et exercendum, cum plena, libera et omnimoda facultate et auctoritate omnia et singula circa illud necessaria faciendi et exequendi, perpetuo constituimus et deputamus.

Datum Romae apud sanctum Petrum.

Die 18. Martii 1608.

(Bull. r. t. III. p. 261. Ed. Luxbg.; Anal. J. P. Ser. VIII. p. 1486. Ed. Romae 1865.)

12) Veneratio.

Vd. *Agnus Dei* (asservatio etc.)

Edictum,
Quo sacrarum reliquiarum sacrarumque cerarum agnus Dei nuncupatarum venerationi consulitur.

Niccolò per la misericordia divina Arcivescovo di Capua, del titolo de' ss. Silvestro, e Martino a' Monti, della S. R. C. Prete Cardinale Caracciolo della Santità di N. S. Pro-Vicario generale etc.

»La Santità di Nostre Signore volendo col suo apostolico zelo provvedere, che alle sacre reliquie de' Santi, le quali furono vive membra di Cristo e tempio dello Spirito santo come ancora alle cere benedette, e consecrate col sacro crisma da' sommi Pontefici, chiamate comunemente *agnus Dei*, si conservi la dovuta riverenza, ed onore, e che si levino affatto tutti gli abusi, inerendo alla dispositione de' sacri canoni e del' concilio di Trento nella *s. 25. de invocatione et veneratione et reliquiis sanctorum,* alle constituzione apostoliche ed agli editti speciali altre volte emanati d'ordine de' summi Pontefici suoi predecessori, particolarmente di s. Pio V. et della santa memoria di Clemente VIII. quelli confermando e rispettivamente rinnovando e ampliando.«

»Parimente ordina ed espressamente comanda, che nessuna persona ardisca, nè presuma dipingere o miniare, o pur far dipingere, o miniare in oro o alcuna sorte di colore gli *agnus Dei* benedetti, ne in tal modo venderli, o ritenerli per farne vendita, sotto pena di scomunica *ipso facto* imposta nella bolla della s. mem. di Gregorio XIII. *) ed altre pene riservate a nostro arbitrio, volendo che da tutti si debbano decentemente tenere, portare, e custodire bianchi e mondi, come rappresentanti quell' innocentissimo, e divino agnello, di cui portano impressa l'immagine.«

»E perchè la santa mem. di Paolo V. nella sua bolla che comincia *Romanum decet Pontificem* **) destimò solamente gli RR. Monaci di s. Bernardo e di s. Pudenziana di Roma al sacro officio di fare detti agnus Dei e di rinnovare li rotti colle stampe, che si conservano nel palazzo apostolico; quindi se alcuno ardisse di tenere, e fare stampe false de' medesimi, o fabbricare agnus Dei falsi, o in qualsivoglia modo formare la cera in forma d' agnus Dei, incorrerà nella pena della gallera per dieci anni, o frusta rispetto alle donne.«

»Nella qual pena incorrerà ancora chiunque distribuirà scientemente detti *agnus Dei* falsi; come se fossero veri o benedetti, o scientemente spaccerà reliquie false, o commeterà furto sacrilego di sacre reliquie e di agnus Dei benedetti, o muterà ed altererà maliziosamente il nome, o il numero del sommo Pontefice impresso in ciascheduno agnus Dei benedetto.«

»Similmente la Santità Sua in materia tanto sacra e religiosa, rinnovando le pene imposte da' sacri canoni contro li simoniaci, oltre le pene infrascritte, vuole, e comanda che nessun orefice, coronaro, tornitore artefice de' reliquiari, o di qualunque arte, o professione, rigattiere, o rivenditore, ovvero altra persona di qualsivoglia stato, grado e condizione ardisca pubblicamente, né privatamente vendere, far vendere o tenere per vendere in casa, bottega, o in mostra di detta bottega,

*) Vd. *supra p. 410.*
**) Vd. *supra p. 411.*

o altrove, qualsivoglia sorte di sacre reliquie o agnus Dei, nè pure piccole parti di esse ancorchè fossero congegnate, e comesse dentro croci, immagini, statue, urne, corone, reliquiarj, o altri simili ornamenti di qualunque sorta, e molto meno esporle venali nelle strade, piazze, fiere, mercati, camere locande, portici delle chiese, o conventi, ed altri luoghi pubblici, nè anche con altre robe vendibili; permettendosi solamente di ritenere nelle loro case e botteghe, o mostra di esse, e nei luoghi suddeti, li semplici ornamenti, collo spazio, o circolo di essi vuoto senza reliquie, ed agnus Dei, ad effeto di vendere semplicemente li suddeti ornamenti.

»Per publica comodità de' fedeli, e conservazione di dette cose sacre, si permetterà con nostra licenza da concedersi gratis a quelli artefici de' reliquiarj, che saranno cogniti all'infrascritto custode delle sacre reliquie, ad approvati da Noi, o da Monsignor Vicegerente, collocare in ornamenti decenti quell reliquie, che verranno dispensate parimente gratis dalla nostra custodia, o da Monsignor sacrista del palazzo apostolico, e vendere il puro valore di detti ornamenti, come di sopra; come anche accomodare quelle reliquie, ed agnus Dei, che saranno portati da particolari per loro uso, e ritenerli in bottega, sin tanto che saranno accomodati e restituiti à medesimi padroni senza poterli giammai tenere in mostra, nè guarniti, nè sguarniti, come si è ordinato.«

Ed affinchè non possa dubitarsi dell' identità e verità delle sacre reliquie, la cui ricognizione, ed approvazione deve assolutamente farsi dal Vescovo del luogo, secondo la forma del detto concilio Tridentino; parimente d'ordine espresso della Sanctita Sua, si proibisce a qualunque persona di qualsivoglia stato, grado, e condizione di far fede alcuna, istromento, e scrittura pubblica, o privata di estrazione, donazione, consegna, translazione, a altro contratto in questa materia di reliquie senza nostra licenza in iscritto (fuorchè a tergo dell'autentiche, possa scriversi la donazione della stessa reliquia autenticata), nè li stampatori di stamparla ma debbano riconoscersi, ed autenticarsi da Noi, o da Monsignor Vicegerente nostro, e rogarsene gratis il detto custode delle sacre reliquie o li notari del nostro tribunale, altrimenti oltre le pene infrascritte, le reliquie dispensate in altra forma non si avranno per autentiche.«

»Siccome per il medesimo fine, e sotto le stesse pene si proibisce ad ogni artefice, o qualsisia persona, ancorchè ecclesiastica, di aprire senza la nostra licenza, o senza la presenza di Monsignor Vicegerente, o dell' infrascritto custode le scatole di reliquie sigillate col nostro sigillo, o di Monsignor sacrista, e li reliquiarj autentici di chiese, anche a fine di accomodarle nelli medesimi, o altri reliquiari, nè servirsi di dette scatole, per usi profani, e similmente ad altri rettori, o ministri delle chiese di concedere veruna reliquia delle medesime, o parte di esse, senza legittima facolta, ne di esporre qualsisia reliquia alla pubblica venerazione senza la nostra autentica ricognizione, ed approvazione.«

»Finalmente per l'esatta osservanza del presento editto, la Santità Sua comanda, che sia inviolabilmente eseguito da tutti di qualsisia stato, grado, condizione, e sesso ancorchè ecclesiastici, secolari, o regolari, ovvero Aegui di special menzione, sotto la pena di scudi duecento d'oro da applicarsi ad usi pii, e la quarta parte all'accusatore, il qualle sarà tenuto segreto, e della carcerazione, e dell'esilio, ed anco della gallera, secondo la qualità delle trasgressioni, e delle persone ed alli regolari sotto pena della privazione di voce attiva e passiva, ed altre pene corporali a nostro arbitrio, oltre la perdita delle reliquie, agnus Dei e loro ornamenti. E si procederà ancoro per inquisizione, o in altro modo più proficuo alla corte in ciascuno de' capi suddeti. E pubblicato ed affisso ne' luoghi soliti dopo tre giorni comprenderà tutti, come se fosse a ciascuno personalmente intimato. Dato in Roma dalla nostra solita residenza questo di 14. Ottobre 1716.«

N. Card. Caracciolo Pro-Vicario.
M. A. Canonico Boldetti Custode delle sacre reliquie.
N. A. Canonico Cuggio. Secret.

13) Virtus.

Vd. *Agnus Dei* (Asservatio etc.; consecratio; forma et sensus myst.; miraculos.)

Agnorum Dei virtutem non parvum esse pro beneficio et utilitate fidelium testatur *Durandus in rationali divin. offic. lib. c. 79,* ubi dicit vim habere contra fulgura, fulmina

grandinem, incendia et tempestates, ventos vel imbres. *Martinus Delrius* addit, habere virtutem magnam contra daemonem, a cujus potestate plures vi talium agnorum Dei fuerunt liberati et praecipue nobilis vir in Austria 1591 et foemina obsessa in Bavaria et etiam alia consimilis eodem tempore, ut testatur ipse *l. 6. c. 2. sect. 3. qu. 3. disquisition. variar.* Multa de eorum effectibus scripsit *Vincentius Bonardus et Petras Matthaeus in 7 decretal.* dicit, quod, cum consecrantur a Pontifice, postulatur a Deo, ut eos devote gestantibus tribuat, quae breviter sequentibus versibus complexus est Frusius, ut adducit Delrius loco citato:

Postulat in primis sacrati aspectus ut Agni
Agnum ad coelestem concita corda levet,
Utque salutiferae memores vitaeque necisque,
Criminis et vitii noxia vincla terant.
Hostis, ut insidias stygii ac certamina vincant,
Decipulas mundi, carnis et illecebras.
Corporeos nobis morbos casusque repelli
Praesertim horriferos mortificosque petit.

Alios autem versus virtutem et efficaciam agnorum Dei exprimentes adducit *Quaranta* verb.: *Agnus Dei* et dicit ab Urbano V. fuisse missos ad Graecorum Imperatorem cum tribus agnus Dei; et sunt sequentes:

Balsamus et munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum pellit et omne malignum.
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, et angit.
Praegnans servatur, simul et partus liberatur.
Munera fert dignis, virtutem destruit ignis.
Portatus munde de fluctibus eripit undae.
Morte repentina servat Satanaeque ruina.
Si quis honorat eum, retinet super hoste trophaeum.
Parsque minor tantum, tota valet integra quantum.
Agnus Dei miserere mei,
Qui crimina tollis, miserere nobis.

De hujusmodi agnorum virtute multa exposuit Sixtus V. an. 1586 in apostolicis literis, quibus eosdem agnos misit ad Venetae reipublicae Ducem Paschalem Giconiam *). Eas vero Clem., cum an. 1714 secundo agnos cereos solemni benedictione consecraret, ut eorum mysteria virtutesque christiano populo patefaceret typis evulgari jussit. Peculiaria quaedam de virtute agnorum s. Pii V. ex Joan. Antonio Gabutio, qui de sanctissimi Pontificis vita commentarium edidit, profert laudatus Praesul *Borgia p. 37.* tum *pag. 41;* extare monet librum Fulginei a doctore Hieronymo Bertondellio vulgatum an. 1691 hoc titulo: *Miracoli operati dall'omnipotenza divina per mezzo degli agnus papali benedetti dalla s. m. d'Innocenzo XI.*

*) Vd. *p. 407.*

Agonia D. N. J. Ch.

(Confraternitas.)

Concessio indulgentiarum assequendarum ab eis, qui nomen dederint confraternitati agoniae D. N. J. Ch. erecta in ecclesiis parochialibus civitatis et dioecesis Monacensis.

Gregorius PP. XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri et parochi civitatis et dioecesis Monacensis, quod ipsi ad augendam fovendamque christifidelium pietatem nonnullas confraternitates seu congregationes sub titulo agoniae Domini Nostri Jesu Christi in suis parochialibus ecclesiis erigi vel erigendas curarunt. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut, quantum Nobis ex alto conceditur, coelestium munerum thesauros, quorum Dei misericordia dispensatores sumus in terris, libenter erogare studeamus.

§. 2. Nos igitur piis eorumdem exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati auctoritate Nobis a Domino tradita deque omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus et singulis christifidelibus confratribus et consoribus in dictis confraternitatibus adscriptis quam pro tempore adscribendis indulgentias tum plenarias tum partiales archiconfraternitati Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi agonizantium nuncupatae de Urbe ab apostolica Sede jam alias impertitas, dummodo injuncta pro illis consequendis adimpleverint, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo communicamus, tribuimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 25. Februarii 1831.

(Bull. r. Contin. tom. XIX. pag. 2. Ed. Romae.)

Agonizantes.

(Oratio.)

Romana.

Sub memoriali. De oratione pro agonizantibus. Referente illmo Muto. Fiat mentio in memento missae. Componatur oratio inserenda in litaniis; quam si in litaniis christifideles recitare velint, vel ejus loco Pater noster cum Ave Maria, consequantur indulgentiam postea statuendam.

De missa propria agatur in proxima. Die 7. Junii 1625.

(Anal. J. P. VII. Ser. pag. 170. Romae 1864).

Romana.

Sub memoriali. De oratione pro agonizantibus. Referente illmo Muto. Approbatur haec oratio: *Deus, qui non vis mortem morientis, sed etc.* Die 13. Septembris 1625.

(Ibid. p. 170.)

Panormitana.

Confratres congregationis agonizantium civitatis Panormitanae asserentes alias hanc sacram Congregationem concessisse posse fieri mentionem in canone pro agonizantibus supplicarunt pro duplicato et sacra Congregatio respondit: Non licere facere mentionem in canone pro agonizantibus:

Die 28. Septembris 1630.

(Ibid. p. 223.)

Decretum Urbis.

Archiconfraternitatis ssmae Nativitatis D. N. J. Ch. agonizantium. Archiconfraternitatis ssmae Nativitatis D. N. J. Ch. extremo agone luctantium Urbis praecipuum institutum est Deum enixe instanterque precari, ut felicem exitum ex hoc mundo indulgeat iis, qui extremo mortis discrimine tenentur. Hinc moderatores et confratres supradictae archiconfraternitatis utilitati proximorum animam agentium semper intendentes humillimas ssmo Dno Nostro Leoni XII. Pontifici Maximo preces porrexerunt postulantes, ut in missis, quae in eorum ecclesiis celebrabuntur, addi possit in posterum oratio votiva pro agonizantibus. Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia additionis orationis votivae pro agonizantibus in missis a rubrica non impeditis, etiam in occursu officii ritus dup. min. dumtaxat, contrariis non obstantibus. Die 27. Julii 1824.

(Anal. J. P. 1860. p. 2021).

Alchimia.

Constitutio Joannis PP. XXII.

»Spondent, quas non exhibent, divitias pauperes alchimistae, pariter qui se sapientes existimant, in foveam incidunt, quam fecerunt. Nam haud dubie hujus artis alchimiae, alterutrum se professores ludificant, cum suae ignorantiae conscii, eos, qui supra ipsos aliquid hujusmodi dixerint, admirentur, quibus cum veritas quaesita non suppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt iidemque verbis dissimulant falsitatem, ut tandem, quod non est in rerum natura, esse verum aurum vel argentum sophistica transmutatione confingant; eoque interdum eorum temeritas damnata et damnanda progreditur, ut fictis metallis cudant publice monetae

characteres fidis oculis, et non alias alchimicum fornacis ignem, vulgum ignorantem eludant. Haec itaque perpetuis volentes exsulare temporibus, hac edictali constitutione sancimus, ut quicumque hujusmodi aurum vel argentum fecerint vel fieri secuto facto mandaverint vel ad hoc scienter, dum id fieret, facientibus ministraverint aut scienter vel auro vel argento usi fuerint vendendo vel dando in solutum, verum tanti ponderis aurum vel argentum poenae nomine inferre cogantur in publicum pauperibus erogandum, quanti alchimicum existet, circa quod eos aliquo praedictorum modorum legitime constiterit deliquisse, facientibus nihilominus aurum vel argentum alchimicum, aut ipso (ut praemittitur) scienter utentibus perpetua infamiae nota respersis. Quod si ad praefatam poenam pecuniariam exsolvendam delinquentium ipsorum facultates non sufficiant, poterit discreti moderatio judicis poenam hanc in aliam (puta carceris vel saltem juxta qualitatem negotii, personarum differentiam aliasque attendendo circumstantias) commutare. Illos vero, qui in tantae ignorantiam infelicitatis proruperint, ut nedum nummos vendant sed naturalia juris praecepta contemnant, artis excedant metas legumque violent interdicta, scienter videlicet adulterinam ex auro et argento alchimico cudendo seu fundendo, cudi seu fundi faciendo monetam, hac animadversione percelli jubemus, ut ipsorum bona deferantur carceri ipsique perpetuo sint infames. Et si clerici fuerint delinquentes, ipsi ultra praedictas poenas priventur beneficiis habitis et prorsus reddantur inhabiles ad alia habenda.«

Ex hac constitutione deducitur, quod etiam utentes scienter tali moneta aut auro vel argento alchimico in damnum tertii teneantur tantundem de vero et bono auro pauperibus erogare, si facta debita diligentia damnificati remaneant adhuc ignoti. Si vero ipsis damnificatis vel eorum haeredibus restitui potest, delinquens tenetur restituere eisdem per ea, quae habentur *in cap.: Cum te de usur.*, ibique doctores, et a Lessio *lib. 1. c. 14. n. 49.; Molina tom. 2. disp. 746.* et ab aliis passim. Et licet haec poena erogationis tantundem auri et argenti in pauperes vel restitutionis propriis personis damnificatis seu eorum haeredibus videatur indigere ministerio judicis, et sic videatur sententia ferenda, tamen in foro conscientiae obligat ante sententiam judicis jure naturali, in quantum sit sequutum damnum tertii, cui absque alia sententia est facienda restitutio, quam primum fieri potest, ut habet *Pignatell. tom. 9. consult. 2. num. 72,* et alii passim.

Per hanc Extravagantem Joannis XXII. supra allatam tenent multi doctores non damnari absolute artem chimicam faciendi aurum vel argentum; quum autem haec ars faciendi verum aurum et argentum, dicunt ipsi, sit possibilis et vera in se, licet in hoc vel in illo particulari non semper verificetur defectu peritiae, sequitur non esse prohibitam neque punitam. Sic *Pichus et Sylvester verb.: Alchimia, Fab. de monet. tract. de emption.; Abbas in c. 2. de sortileg.* et alii cum *Hieron., Zanet,* qui *in tract. de for. consc. n. 131.* dicit hanc sententiam esse communem.

Multi vero alii et plures media via incedentes tenent, per hanc Extravagantem non quidem absolute damnari et puniri artem chimicam in se, sed damnari et puniri, quando quis praetendit facere verum aurum vel argentum, et illud pro vero expendere, cum hoc sit contra justitiam, ex quo aurum alchimicum non habet intrinsecam perfectionem et virtutem et valorem veri auri naturalis, adeoque nequeat quis eo uti in commerciis, nec cum ipso liceat solvere debita, quod vergeret in nimium damnum tertii. Sic *divus Thomas 2. 2. quaest. 77. art. 2. ad 1.; Albert. Brun. in tractat. de monet. augm. praesuppos. 1. num. 13.; Farinac. qu. 115. de crim. laes. Majest.; Sylvester verb.: Alchimia; Joann. Crot. in tract. de test. rub. in caus. civil. quis possit esse testis num. 179.; Pignatell. tom. 9. cons. 2. num. 75,* et alii.

Alii tandem tenent absolute esse damnatam et reprobatam artem alchimiae faciendi aurum vel argentum. Sic *Sanchez in decalog. lib. 2. cap. 49. num. 51.; Summa Angelica, Valentia* et *Margarita* decreti Gratiani edita per Patrem Martinum ordinis Praedicatorum Domini Papae tunc poenitentiar. et capellani, ubi *verb.: Alchimia* habetur expresse: *Alchimia videtur esse ars reprobata, quia qui credit unam speciem posse transferri in aliam vel similem, nisi ab ipso creatore, infidelis est et pagano deterior;* et citat. *causam 26. qu. 5. c. Episcopi circa finem,* in qua causa habentur ad literam ista verba: *Quisquis ergo credit posse aliquam creaturam aut in melius aut in deterius immutari aut transformari in aliam speciem vel in aliam similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit et per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est et pagano deterior.* Et ratio est, quia ars alchimiae est exposita multis fraudationum periculis et saepe daemon se illi operationi ingerit, ut pluribus exemplis compertum est, et praecipue de praestigiatore quodam diabolico, qui postquam per artem chimicam fingendo facere verum aurum plures decepisset ab Anastasio Imperatore detectus in castello relegatus misere periit, ut ex Cedreno refert Martinus Delrius; et de Marco Bragadino, qui cum suae artis chimicae praestigiis multoties verum aurum confectum finxisset, ita ut a nonnullis Rex auri Venetiis appellaretur, tandem a Duce Bavariae, ad quem confugerit, de suis praestigiis convictus et morti adjudicatus, cum ad patibulum duceretur, confessus est nunquam a se in vita factum fuisse aurum nec se credere illius faciendi ullam inter homines artem exstare. Sic refert *Paulus Comitolus lib. 3. quaest. 33. respons. moral. num. 5.* sic concludens: *Aurea furca digna confessio.*

Ex his omnibus concludendum est, quod, quamvis ars chimica physice defendi possit, maxime in magnis et divitibus Principibus, in quibus, ex quo agant cum consilio sapientum, cessant pericula superstitionis et damnificationis reipublicae; moraliter tamen improbatur et maxime in non nimis divitibus et privatis omnibus, in quibus haec ars est plena periculis, cum isti soleant ipsam exercere solummodo turpis lucri gratia et auro illo uti intendant ad commercia, medicinas et monetarum mixtionem; et dato etiam, quod ipsi ad ista non essent eo usuri, periculum evidens est, ne utantur haeredes, quod omnino illicitum. Ultra quam quod isti hac arte depauperantur, familiae necessaria subtrahunt, -quorum defectu ad non paucas superstitiones et praestigia recurritur, cum semper hac arte decipiantur ipsi et alios decipiant, *spondendo*, ut dicit Pontifex, quas non exhibent, divitias pauperes alchimistae, redditi de die in diem miserabiliores, et cum magno etiam aliorum praejudicio ad extremam usque redacti miseriam; quare eos, ut fallaces, mendaces et vanitatis amatores ac reipublicae noxios sub gravissimis poenis damnavit Joannes XXII. *in cit. cap.: Spondent.* Sic tenent *Turreblanca de jure spirit. l. 11. c. 4. n. 47. cum sequent.; Barbosa tom. 6. additamenta ad collect. doctor. fol. 124; Franciscus de Pavinis in Apostilla ad Extravagant. Joann. XXII. n. 14; Martinus del Rio lib. 1. c. 5. qu. 4. §.: Denique; Paulus Comitolus l. 3. qu. 33; Schnorrenberg, Anaclet., d. Thomas, Sylvester, Farinac., Joann. Crot., Pignatell.* cum aliis citatis pro secunda sententia; et a fortiori *Sanchez, Summa Angelica* et alii citati pro tertia sententia, et omnes tenentes non posse ab alchimistis fieri verum aurum, ut *Avicenna relat. ab Aegidio Com. quodlibet. 3. quaest. 8. meteorologiae lib.* Ipse Aegidius *ibid.;* Averroes in *paraphrasi in 2. l. de generation. animal.;* Conciliator *differren. 209; Cardenas l. 10. de varietate rerum cap. 51; Tostatus, Palat., Chassan., Penna, Binsfel.* et alii citati a Turreblanca loco superius citato. Unde ex his omnibus patet, dicit *Martinus Delrius lib. 1. cap. 5. quaest. 4. fol. 69. verb.: Quarto: Optimam esse, quam ajunt Angliae, legem, ne cui sine permissu Principis sub poena capitis liceat alchimiam exercere; quam legem expediret etiam alibi ferri.*

A l e a.

(Clericis vetita est.)

Clericis est severissime prohibitus alearum seu taxillorum ludus et maxime ille ludus, qui magis fortuna quam arte vel industria ludentium regitur; ut habetur expresse *ex can. 41. et 42. Apostolorum,* ubi in transgressores, nisi desistant, statuitur poena depositionis aut excommunicationis, ibi: *Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui vel aleae vel ebrietatibus indulget vel desinito vel deponitor. Subdiaconus aut cantor aut lector, qui consimilia facit vel desinito vel a communione sejungitor.* Concordat *cap.: Episcopus 1. dist. 35,* ibi: *Episcopus aut presbyter aut diaconus aleae aut ebrietati deserviens aut desinat aut certe damnetur. Subdiaconus aut lector aut cantor similia faciens*

aut desinat aut communione privetur; cap.: Clerici officia 15. de vita et honest. Cler. desumptum ex conc. generali Later. celebr. sub Innoc. III., ibi: *Clerici . . . ad aleas vel taxillos non ludant nec hujusmodi ludis intersint;* Conc. Trid. *sess. 22. c. 1. de ref.*, ubi renovat antiquas prohibitiones, quas ecclesia circa hoc clericis statuit, et praecipit, ut adhuc severius puniantur, si necesse fuerit, illi, qui reperiuntur his prohibitionibus non paruisse, ibi: *Statuit sancta synodus, ut quae alias a summis Pontificibus et a sacris conciliis de clericorum vita et honestate . . . copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, iisdem poenis vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur.* Concilium Burdigal. celebratum 1583 ludum sic clericis interdicit: *Ab alea, tesseris, chartis et quovis alio vetito et indecoro ludo tum privatim tum publice penitus abstineant.* Concil. Senonense celeb. 1528 *can. 15.* sic praecipit: *A ludo alearum aliisque, qui a sorte pendent, abstineant, neque ludentium fautores, spectatores aut testes existant.* Conc. Mediolan. I. *part. 2. tit. de armis, ludis etc.*, ubi s. Carolus sic statuit: *Nec solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus aut quemquam ludentem in aedibus suis permittere.* Imo non solum ecclesiasticis et canonicis est ludus prohibitus clericis, sed etiam legibus caesareis et civilibus, ut expresse habetur *in Authent.: Interdicimus cod. de Episcopis et clericis*, ibi: *Interdicimus sanctissimis Episcopis et presbyteris, diaconis et lectoribus et omnibus aliis cujuslibet ordinis venerabilis collegii . . . ad tabulas ludere aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri . . . Si quis autem ex his in hoc deliquerit, jubemus hunc tribus annis a venerabili ministerio prohiberi et in monasterium redigi* *).

*) Canonica disciplina ab ipso prope sui exordio et deinceps semper succedentibus annis clericis suis interdixit lusui alearum aut hujusmodi ludis interesse iisque spectatores se praebere. Hoc satis aperte evincit Ferraris productis ex omni aetate ecclesiasticis sanctionibus. Legi etiam poterit hac de re *Natalis Alexand. in de sacram. ordinis lib. II. cap. 5. de vita et honest. cleric. regul. 4*, qui hoc ipsum omnium cumulatissime demonstrat. Qua quidem in re tria nobis advertenda ad majorem claritatem operae pretium duximus.

I. In confesso est apud omnes alearum nomine intelligendum lusum quemcumque, etiam chartarum, qui magis fortunae innitatur, quam industriae et ingenio, quod sane haud aegre fatebitur notionem vocis *aleae* apud Latinos perpendet, quae designat incertum eventum. Unde illud Horatii *periculosae plenum opus aleae; aleam jacere*, aliaque id genus. Lege *Van-Espenium part. 1. tit. II. de vita et honest. clericor. cap. 5.*

II. Ecclesiasticis legibus, imo et imperatoriis, uti Justiniani *novell. 123. cap. 10. de sanctissim. Episcop. et cleric.* aeque damnantur ac poenis afficiuntur clerici ludentes hujusmodi lusibus ac si fuerint eorumdem *inspectores ac participes.* Spectatores porro, si proprie loqui velimus aut ex sententia canonum, non ii sunt intelligendi, qui scientes ac volentes non adeunt hujusmodi domus aut societates, in quibus alea luditur, aut in iis forte non morantur eo fine, ut hujusmodi lusibus intersint, sed qui ex condicto, deliberata voluntate, absque necessitate eo se conferunt, ubi alea luditur, et hujusmodi spectaculo avidos pascant oculos, quo Deus offenditur; qui ludentibus favent iisque applaudunt, qui eorum cupiditate afficiuntur; qui denique sua praesentia hujusmodi ludis auctoritatem conciliant, quos omnes aeque graviter peccare ac ipsosmet ludentes extra omnem dubitationis aleam esse debet. Lege *Natal. Alexandr. in append.* adtexta ad suam theologiam *tom. 1. epist. 3. de peccat. cleric. aleae ludentium*, et ubi hoc ipsum adversus anonymi cujusdam scrupulos, qui hanc sanioris ethices regulam vellicare ausus fuerat, copiosius demonstrat.

III. Quantum ad caeteros porro ludos, qui non illiciti reputantur, quique non a casu sive fortuna, sed ab industria dependent, illos interdum ad animi levamen, quo suis obeundis muniis acrius, ut par est, intendere possint, etiam a clericis posse adhiberi, nemo inficias ire poterit. Hujusmodi enim ludi, si congruant *personae, tempori et loco et secundum alias circumstantias debite ordinentur, ut scilicet sint tempore et homine digni*, non solum omni prorsus vitio vacant, sed etiam ad genus virtutis pertinere possunt, quam *d. Thom. 2. 2. qu. 168. art. 2.* in corp. Aristotelem secutus *Eutrapeliam* vocat. Lege *d. Thom. loc. cit.* Et de cautionibus servandis a clericis in hujusmodi lusibus, lege *Van-Espen. loc. cit.*

Demum, ut doctrina supra proposita magis illustretur neve alienis interpretationibus in pravum sensum detorqueatur, placuit hic referre d. Antonini auctoritatem, unde propositum caput mirifice confirmatur. Itaque *s. Antoninus part. II. tit. 1. cap. 23.* docet inter caetera ludum aleae esse peccatum mortale: *Quando ex cupiditate quis ludit, ea scilicet principaliter motus, non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum. Nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem et moderate, non videtur mortale . . . Et hoc etiam videtur innuere textus canonis:* Episcopus, *dicitur enim:* deserviens, peccato mortali imponi solitis communiter colligunt doctores, quod clericus lucri gratia et pro notabili quantitate taliter ludens, peccet mortaliter, praesertim, si frequenter aut publice cum scandalo aliorum id fiat. *Navarus cap. 20. manual. num. 9; Sylvester verb.: Ludus qu. 4; Layman. l. 3. theolog. moral. tract. 4. cap. 21. n. 1; Pirhing l. 3. dec. tit. 1. n. 25; Reiffenstuel* ibid. *n. 58.* et alii. Secus vero esset dicendum, si privatim ac sine scandalo ex bonis patrimonialibus aut etiam ex redditibus beneficiorum suorum sed solum in quantitate modica spectato statu suo et redituum copia recreationis causa luserit, praesertim cum nostris hisce temporibus rigori antiquorum canonum per consuetudinem derogatum videatur, tum quia canones relati loquuntur de illis, *qui aleae et ebrietati deserviunt*, idest, crebro et per longum tempus ludunt seu lusui hujusmodi *valde serviunt*, ut explicat glossa in *cit. cap.: Episcopus d. 35. verb.: Deserviens, Lessius l. 2. de justitia et jure cap. 26. dub. 1. num. 5. et 6.; Reiffenstuel, Pirhing et Layman loc. cit.* Qui *Layman ibid. num. 2.* insuper addit, clericos ludentes raro et moderate ob recreationem omnino excusari a peccato, si lex dioecesana ipsis non prohibeat tales fortunae ludos et consuetudo loci permittat ac quodammodo cohonestet. *Pirhing loco citato, Monacell. tom. 3. tit. 2. formul. 6. num. 6.* Ludum autem scacchorum seu latrunculorum non esse prohibitum clericis tenent *Abbas in cap.: Clericis 15. de vita et honest. Cleric. n. 4.; Jo. Andr. ibid. n. 18.; Barbosa ibid. n. 8.* et alii ab ipso citati; ubi idem Barbosa de scacchorum seu latrunculorum ludo sic subjungit: *Qui quidem latrunculorum ludus licet ingenio constet, non multum tamen literatis hominibus convenire arbitramur, quod mentem jam literarum studiis fatigatam recreare magis cessatione et quiete, quam novo meditationis labore gravare oporteat*, ut etiam advertit *Joann. Baptista fin. de regul. jur. hom. 22. in fine.* Sic etiam est clericis permissus omnis ille ludus, qui consistit in ingenio aut virtute corporis. *Farin. in praxi criminal. part. 3. qu. 109. num. 103. et 106.; Bellet. disquisit. clerical. part. 1. titul. de disciplina clerical. §. 24. num. 8. et 9.; Barb. loc. cit. num. 7.* et alii. Quantum autem ad ludos ut supra prohibitos nempe alearum et taxillorum aliorumve, qui non recreationis gratia frequentantur, advertendum est, quod merito clericis prohibentur, eo quod ex illis plura nascuntur inconvenientia, quae recenset *Archidiaconus in cap.: Episcopus dist. 35.*

Primum est desiderium lucrandi, et sic est cupiditas, quae est radix omnium malorum.

Secundum est voluntas spoliandi proximum, et sic est rapina.

Tertium usura quoque consideratur.

Quartum multiplicata mendacia et verba obscoena, otiosa et vana.

Quintum blasphemiae et ita haeresis.

Sextum corruptio maxima plurimorum, qui ad ludum videndum et concupiscendum conveniunt.

Septimum scandalum bonorum.

Octavum contemptus prohibitionis sanctae matris ecclesiae.

Nonum amissio temporis et interdum (adde tu) desperatio. Unde *P. Ribadeneira in vita s. Francisci de Borgia cap. 5.* dicit, ludo tria pretiosa amitti, tempus scilicet, pecuniam et devotionem ac saepe conscientiam.

Ad dubium: An lusus scacchorum referendus sit ad ludum aleae clericisque sit prohibitus, non conveniunt doctores. Dubium nascitur ex eo, quod ingenii magis quam fortunae ludus esse videatur. Qui licitum eum faciunt, quatuor observari volunt requisita.

I. Ut ad oblectamentum, non ad lucrum, ludus instituatur.

II. Ut non magnum temporis spatium insumatur, ne a rebus sacris abstrahantur.

III. Ut aliorum et praesertim saecularium aspectus evitetur.

IV. Ut profanos viros in eo socios non admittant.

id est frequenter deditus ludo, quod fit communiter ex cupiditate. Hoc tamen non ita intelligendum esse monet, quasi mortale peccatum non sit alea ludere, nisi ex consuetudine fiat, sed quia frequentia et assiduitas vehementis cupiditatis indicium est. Caeterum vel semel taxillis aut cartis etiam, uti antea dictum est, ludere ex cupiditate lucri notabilis, lethale peccatum est. *Sicut etiam*, prosequitur d. Antoninus, *vitium ebrietatis, cui ludus aequiparatur in poena, etiam semel commissum advertentur est mortale.* Quaedam alia non minoris momenti, quae in hanc rem dici possent, discutientur opportunius, cum ad verbum *ludus* perventum fuerit.

At *Angelus de malefic. pag. 333.* et *Navarr. in manual. confess. cap. 20. sub num. 3.* eum clericis interdictum volunt, quum ad latrunculos istos artificiose versandos exigatur ea ingenii contentio ac prolixitas temporis, ut ad animos potius defatigandos quam relaxandos aptus videatur, et qui vincitur numquam non male se habet.

Alienatio.

1) Bonorum Confraternitatum.

Vd.: *Confraternit.* (suppressio; bona etc.).

Confraternitates ecclesiasticae nequeunt alienare bona sine beneplacito apostolico; *Gratian. disceptat. 517. num. 7.* et *Marc. Anton. var. resol. l. 1. resol. 14. num. 7.; Panimoll. decis. 12. annotat. 5. n. 40.; Card. de Luca lib. 7. de alien. disc. 1. n. 11. et sequent.; Rota decis. 502. num. 2. et sequent. coram Bichio* et *Urbanien. Archipresbyteratus 17. Maji 1697 num. 6. et sequent. coram Ansald. decis. 9. impress. Romae;* sac. Congr. Rit. in *una Civitatis Castellanae 2. Augusti 1641 et in Viterbien. 27. Julii 1647.* Imo requiritur beneplacitum apostolicum in cessione bonorum confraternitatis, etiam in favorem alterius ecclesiae, ut expresse declaravit sacra Congregatio Concilii in *Terracin. Capellaniarum 20. Augusti 1701.* Et sic etiam requiritur beneplacitum apostolicum pro confraternitatibus et oratoriis laicorum erectis in ecclesiis Regularium auctoritate ecclesiastica; sacra enim Congregatio Concilii in dubio alienationis rerum ecclesiae die 7. Augusti 1683: *An Superioribus regularibus, qui hujusmodi oratoriis praesunt, liceat absque solemnitatibus et apostolicae Sedis beneplacito dicta mobilia et suppellectilia distrahere sine incursu poenarum, quae per sacros canones sunt praescriptae adversus alienantes res ecclesiae?* respondit: Negative.

Confraternitates autem mere laicales, sicuti et collegia mere laicalia, licet ibi opera pia exerceantur, et proinde dicantur loca pia, possunt alienare res suas absque solemnitatibus; secus vero si sint loca auctoritate ecclesiastica erecta, quamvis administrentur a laicis, tamen bona subduntur prohibitioni *Extravagantis: Ambitiosae de rebus eccles. non alienand.; Barbosa de offic. et potest. Episcop. par. 3. alleg. 85. num. 31. et 32.; Card. de Luca de alienat. prohib. disc. 1. num. 12. et disc. 60. num. 3. de jurisdict.; Rota decis. 58. num. 4. et sequent. apud Tondut. de pension. 313. num. 9. part. 10. decis. 248. num. 18. et sequent. part. 11. recent. Coccin. in Hortana Rectoriarum die 26. Jun. 1630 coram Bichio,* quae est *decis. 502.* et bene in *Romana Laud. 4. Jul. 1694 §. Emanavit, coram Card. Caprara, inter quae decis. 140. tom. 1. inter ejus impress. typis Lucen. anno 1725,* ibi: Inanis autem visa fuit oppositio, quia collegium dicitur locus pius, utpote destinatum ad alendos juvenes studiis incumbentes; nihilominus haec sola qualitas satis non est, ut dicatur subjectum dispositioni *Extravagant.: Ambitiosae,* de rebus eccles. non alienand., sed ulterius requiritur, quod sit locus ecclesiasticus, videlicet erectus auctoritate Ordinarii vel aliis signis ecclesiasticis.

Licet sodalitium auctoritate Ordinarii erectum, ut est illud, de quo agitur, alienare nequeat bona stabilia absque beneplacito apostolico, *Abbas in cap.: Nullis 5. in fin. vers.: Et nota semper hoc dictum num. 14. de rebus ecclesiast. non alienand., Redoan.* eod. tract. rubr.: An appellatione rei ecclesiast. veniant loca pia num. I. ad 6. pag. 230., libere tamen disponere potest de illorum redditibus in pios usus annuente praesertim Episcopo, *Gratian. discept. forens. 400. num. 24.; Redoan. loco cit. rubr.: De auctoritate Praelati in alienat. interponent. num. 20.*

Die 6. Maji 1797. *Nullius Nonantullae.*

2) Bonorum ecclesiasticorum.

a) Beneplacitum Apostol.

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (facultas apost. etc.).

b) Causae concedendi.

I. Necessitas, incommoditas, pietas, utilitas.

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (concessa, non concessa; solemnitat.)

Utilitatem in bonis ecclesiae alienandis

requirit *Clementina 1. de reb. eccles. non alien.*

Die 24. Jan. 1801. *Sedunen.*

Si causa urget *necessitatis*, si evidens ecclesiae concurrat *utilitas*, si bona vere fructuosa sint, ipsa alienatio solet permitti, ut *ex can.: Ea enim, vers.: Hoc jus, caus. 10. quaest. 2. et cap.: Ad nostrum de rebus ecclesiae non alien.* Altera ex dictis concurrente causa alienandi facultates saepe saepius haec sacra Congregatio concessit, ut videre est in *Reatina 28. Septembris 1726, in Neapolitana 13. Januarii 1731, in Bononien. Beneplaciti 28. Martii 1744, in Celsonen. seu Urgellen. 18. Novembr. 1752.*

Die 11. Julii 1801. *Ripana.*

Si adest *necessitas* ecclesiae alienantis, si adstipulatur utilitas, tum a jure permittuntur alienationes in *Clement. 1. de reb. ecclesiae non alienan.*, in qua alienationes vetantur nisi necessitas aut utilitas monasterii hoc exposcat atque idcirco, dum de necessitate vel utilitate constet, nunquam beneplacitum denegari exploratum est apud omnes canonistas, quos refert *Card. Petra comment. ad constitut. I. D. Leonis Magni sect. 4. num. 2. tom. 1.* et passim veniam alienandi concedere solet s. Congregatio in *Bononien. Beneplaciti 28. Martii 1744* et in *Anconitana Venditionis 21. Aprilis 1792.*

Die 8. Aug. 1801. *Sennogallien.*

Bona ecclesiastica sine justa causa et debita solemnitate alienari non possunt, *cap.: Apostolicos 13, cap.: Sine exceptione 12. caus. 2. q. 2,* et *cap.: Cum laicis 12. de rebus ecclesiastic. non alienand. Clement. 1. eod. t. Extrav. Ambitiosae eod. t. inter Communes; Trid. sess. 25. cap. 11. de reform.*

Ob *utilitatem* permittenda videretur alienatio ex *can.: Sine exceptione 12. quaest. 2., cap.: Ut super §. fin. de rebus eccles. non alienand.* et decretis sacr. Congregationis in *Maceraten. Beneplaciti 26. Augusti 1780* et in *Ravennaten. Legati 25. Apr. 1789 ad I. dub.*

Die 22. Novbr. 1794. *Pientina.*

In alienatione rerum exigui valoris, licet haud requirantur solemnitates, concurrat tamen oportet justa causa: *Rousseaud de la Combe in sua jurisprud. canon. verb.: Alienatio bonor. eccles. sect. 4. num. 3.*

Causae justae, ob quas bona ecclesiae alienari possunt, sunt quatuor:

Prima est evidens ecclesiae necessitas, cui aliter subveniri non potest, v. g. si ecclesia aere alieno sit gravata nec habeat, unde aliter solvat aut quando similis causa necessitatis extremae id deposcit: habetur *in Clement. 1. de rebus eccles. non alienandis,* ubi excipitur casus necessitatis his verbis: *nisi necessitas monasterii hoc exposcat,* et *cap. 1. de pignoribus hoc tit.* his aliis verbis: *nisi justissima necessitate exigente.*

Secunda est manifesta ecclesiae utilitas, v. g. si res aliqua ecclesiae alienetur ad aliam meliorem emendam vel in aliam meliorem commutetur, habetur *cap.: Sine exceptione 12. qu. 2.* his verbis: *nisi forte aliquid harum faciat, ut meliora prospiciat et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum ecclesiae tuae minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de fratrum tuorum et sanioris partis consilio et assensu alienandi seu commutandi liberam concedimus facultatem.* Unde non sufficit, quod ecclesia non damnificetur, sed requiritur manifesta melioratio et evidens lucrum tempore alienationis, ut *cit. canon.: Sine exceptione 12. quaest. 2.* decidit sacra Rota in *Bononiensi 16. Novbr. 1621 coram Reverendiss. Dom. Coccino Decano.*

Tertia est pietas, v. g. si bona ecclesiae alienentur pro redimendis captivis, pro alendis pauperibus tempore magnae famis, pro augmentatione coemeterii ad sepulturam fidelium, pro aedificatione ecclesiae, *cap.: Aurum 12. qu. 2,* ubi ex s. Ambrosio *lib. 2. de officiis cap. 28.* habetur, quod pro his et similibus liceat vasa sacra frangere, vendere et pretium erogare, si non alia suppetant: et *leg. Sancimus 12. cod. de sacrosanctis ecclesiis* habetur expresse, quod *absurdum non est animas hominum quibuscumque vasis vel vestimentis praeferri.*

Quarta est incommoditas, v. g. si res alienanda plus incommoditatis quam commoditatis ecclesiae afferat, ut si multum distet vel fructus non possunt percipi nisi cum magno dispendio, *cap.: Terrulas 12. qu. 2.* Et sic tenent *Glossa in summa caus. 12; Abbas in cap.: Nulli num. 5; Fagnan. in 6. cap.: Nulli num. 7. hoc tit.; Barbosa lib. 3. juris eccles. univers. cap. 30; Silvester verb.: Alienatio qu. 1; Covarruvias resol. 1. cap. 17. num. 2; Molina dis. 468; Navarr., Layman.* et alii communiter.

De justa causa requisita in alienatione

rerum ecclesiae disputari solet: Utrum satis sit, quod intervenerit de tempore initi contractus, an intervenire quoque debeat de tempore executionis beneplaciti apostolici, *Card. Petra in comment. ad constit. apostol. constit. 1. divi Leonis Magni sect. 4. n. 132. et plur. sequent.* mordicus tenet justam causam requiri de tempore quoque executionis beneplaciti apostolici, idque etiamsi totus tenor contractus summo Pontifici fuisset expositus; ejusque sententiam sequuta est *Rota in Lycien. transactionis 20. Junii 1755 §. 32. coram illustriss. Molin.*

In transactione, quando dicatur concurrere evidens ecclesiae utilitas, res non est adeo expedita, uti in caeteris contractibus. Consule *Giarlin. controv. forens. lib. 1. c. 8. n. 64; Urceol. de transact. qu. 25. n. 18; Nicoll. ad Monet. de Decim. adnot. 1. n. 263; Rota in d. Lycien Transactionis 4. Martii 1754 §. 20., 17. Jan. 1765 §. 20 et 20. Jun. ejusdem anni §. 3. coram illustriss. Molin.*

Confirmato jam contractu inito cum ecclesia, ab eo si ipsa ecclesia recedere velit, tenetur probare defectum justae causae. Contra vero contractu nondum confirmato, laicus, si pro confirmatione instet, probare debet justam, *Piton. discept. eccles. 153. n. 24; Rota coram Coccin. decis. 1336.*

In rebus ecclesiae alienandis requiritur *certa et evidens utilitas*, ut caeteris omissis docet *Rota decis. 319. num. 8. part. 4. Recent.*

Die 13. Septbr. 1806 *Urbevetana.*

Nefas est ex *Extravagant*: *Ambitiosae de reb. eccles. non alienam.* bona ecclesiae vendere, *nisi concurrente legitima causa, evidenti ecclesiae utilitate* et apostolico beneplacito, quae nisi conjunctium concurrant, irrita prorsus est bonorum ecclesiae alienatio ad tradita per *Card. Petra comment. ad const. apostol. Pauli II. tom. 5. pag. 398 num. 1.*

Quamquam alienatio rerum ecclesiae facta sit deficiente beneplacito apostolico, attamen, si concurrat justa alienationis causa et *evidens ecclesiae utilitas*, s. Congregatio concedere potest et solet sanationem, ceu tradit *thesaur. quaest. forens. 37. num. 2. lib. 3; Card. de Luca de alien. disc. 1. num. 1110; Card. Petra comment. ad const. apostolic. tom. 1. pag. 91. num. 84; Rota cor. Puteo dec. 302. lib. 1. dec. 350. num. 18. part. 5. Recent.*

Die 17. Decbr. 1815. *Camerinen.*

Permittitur bonorum ecclesiae alienatio vel ex *urgenti necessitate*, cap.: *Dudum 1. de reb. eccles. non alienan. in sexto.* vel ex evidenti utilitate; *Extravag.: Ambitiosae eod. tit.*

Die 4. Apr. 1789. *Beneventana.*

Directi dominii abdicatio vera est alienatio ideoque evidens requiritur *ecclesiae utilitas*, ut permittatur, *Clement. 1 de reb. eccles. non alienan. Fagnan. in lib. 3. decretal. cap.: Nulli eod. tit. num. 8 et 27.*

Die 18. Julii 1789. *Feretrana.*

Alienatio ex jure permittitur *concurrente necessitate vel utilitate; Petra ad constit.: Ambitiosae de rebus ecclesiae non alienan.*. et sac. haec Congregatio *in Bononien. Beneplaciti 28. Martii 1744.*

Die 21. Apr. 1792. *Caesenaten.*

Deliberandum est: num in venditione praediorum mensae episcopalis Faventiae concurrat *utilitas*, ob quam bonorum ecclesiae alienatio permittitur *in cap.: Ad aures, de reb. eccles. alien. vel non.*

Die 18. Aug. 1792. *Faventina.*

Evidens in alienandis ecclesiae bonis requiritur *utilitas*: *Petra ad const.: Ambitiosae per tot. de rebus eccles. non alien.* Hac concurrente alienandi facultatem indulsit s. haec Congregatio *in Bonnonien. Beneplaciti 28. Martii 1744*, licet prohibitioni testatoris dissensus accederet substituti. Ea vero deficiente denegavit *in Firmana Venditionis Horti 2. Augusti 1749.*

Die 7. Junii 1788. *Asculana.*

Utilitas venditionis alterius domus in alienatione bonorum ecclesiae vel beneficii requiritur; *Petr. ad constit. Ambitiosae per tot. de reb. eccles. non alienan. tom. 5.* Domus haec prorsus inutilis est. Deficiunt ad eam restaurandam nummi; nec pares impensae haberi possent fructus. In his sane terminis alienationem permittit Innoc. III. *in cap.: Cum apostolica 7. de his, quae fiunt a praelat. sine consens. capit.*, quem sequuntur *Pignatell. consult. 95. num. 35. tom. 6; Schmier. jurispr. canon. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 4. sect. 3. §. 1; Schmalzgrueber cons. 91, §. 14* et sacra haec Congregatio *in Camerinen. 24. Novembris* anni 1787.

Die 10. Septbr. 1788. *Cornetana.*

Licet bona ecclesiae alienari non possint, id prohibente notissima *Extravag.: Ambitiosae de reb. eccles. non alienand.*, tribus tamen ex causis illorum alienatio permittitur:

Prima est, si *urgeat aes alienum vel alia necessitatis causa, ex can.: Ea enim, vers.: Hoc jus caus. 10. quaest. 2, et cap. Ad nostram de reb. eccles. non alien.*

Secunda, si evidens ecclesiae concurrat *utilitas, ex can. Sine exceptione caus. 12. quaest. 2, et cap.: Ut super 8. §. final. de reb. eccl. non alienand.*

Tertia, *si bona fructus non reddant, nisi magnis cum expensis,* ex *can.: Terrulas*, ibique *Gloss. cit. caus. 12. quaest. 2.*

Die 26. Aug. 1780. *Maceraten.*

Permittitur permutatio prout etiam alienatio, si *aliqua concurrat justa et rationabilis causa; cap. 1 de reb. eccles. non alienan. Clement. unica eod. tit.* sustinent, *Amostaz. de caus. piis lib. 1. cap. 14. num. 12 et 18; Piton. de controver. patron. allegat. 30. num. 5,* quod, si hominis prohibitio superaccesserit, tunc difficilius alienandi facultas conceditur, quia juxta sententiam *Fagnan. in cap.: Dudum de electione num. 28.* decedentium voluntates nonnisi raro et *quando magna ecclesiae utilitas vel necessitas concurrat*, sunt immutandae; verum quamcumque hominis prohibitionem spernendam esse existimat *Passerin. de stat. homin. tom. 1. quaest. 181. num. 509,* si nulli honestae et laudabili causae nitatur, cum ecclesia non debeat esse deterioris conditionis, quam haeredes extranei, quibus permissum est prohibitionem despicere, quatenus tamen honestae et laudabili causae non sit innixa.

Die 3. Julii 1784. *Regien.*

Utilitas in alienatione rerum ecclesiae evidens esse debet et certa, per *text. in can.: Sine exceptione 12. quaest. 2, et in Extrav.: Ambitiosae de reb. eccles. non alien.; ibique Card. Petra sect. 5. num. 16. tom. 5.*

Die 23. Jan. 1790. *Terracinen.*

Nemo est, qui ignoret vetitam esse ex notissima *Extravag.: Ambitiosae* rerum ecclesiae alienationem, cui communi sententia aequiparatur emphyteusis perpetua, quae etiam expresse prohibetur in concilio romano *tit. 19. num. 1.* Hinc sequitur, ut, *nisi insimul concurrant legitima causa, evidens ecclesiae utilitas et apostolicum beneplacitum*, irritae sint bonorum ecclesiae alienatio vel in emphyteusim concessio, utque in censuras a canonico jure constitutas incidant, qui hujusmodi contractus inire attentaverint. *De Petr. com. ad constit. apostol. Pauli II. tom. 5. pag. 397.*

Die 11. Apr. 1818. *Collensis.*

Nulla est alienatio commissa absque beneplacito apostolico *nec concurrente legitima causa et ecclesiae utilitate* contra censuram *Extravagantis: Ambitiosae de reb. ecclesiae non alienan.*

Die 29. Martii 1817. *Montis Alti.*

Evidentem utilitatem sacri canones in alienationibus et quasi alienationibus bonorum ecclesiae requiruntur juxta notissimam *Extravag.: Ambitiosae de rebus eccles. non alien.* et tradit sacra Congregatio in *Farfen. Transactionis* 27. Aprilis 1816.

Die 8. Aug. 1818. *Nucerina.*

Nemo est, qui ignoret vetitam esse ex notissima *Extravagante: Ambitiosae* rerum ecclesiae alienationem, cui ex communi sententia aequiparatur emphyteusis, nisi insimul interveniat legitima causa, *evidens ipsius ecclesiae utilitas et apostolicum beneplacitum*, atque in censuras incidere, qui hujusmodi contractus iniverint seu in possessionem iverint bonorum ecclesiae, antequam apostolicum beneplacitum accederet, a quo contractus ipse suam accipiat oportet perfectionem, *Card. de Petra comment. ad constit. apostol. tom. 5. pag. 397.*

Die 18. Mart. 1820. *Votum.*

Nullitatem contractus urget defensor rectoris innixus tum *Extrav.: Ambitiosae de reb. eccl. non alien.*, cum constitutioni Urbani VIII., quae incipit: *Humanae salutis*, ubi nedum alienatio interdicitur absque apostolica venia sed etiam renovatio ac prorogatio alienationis alias peractae non intercedente apostolico beneplacito. Neque dici posse contendit in themate meram *continuationem* potius emphyteusis stipulatae ab Archiepiscopo Nazianzeno, auctorante sac. Congregatione Episcoporum et Regularium, quam *renovationem*, ita ut opus non fuerit novo apostolico beneplacito juxta *Pichler in jus canon. lib. 3 tit. 13. num. 16 et Card. Petra ad const. apostolic. tom. 5. pag. 423. num. 54.*

Die 6. Maji 1820. *Anconitana.*

Justa causa *ex necessitate* promanans habetur, cum ecclesia aere alieno gravata ex fructibus suorum bonorum illud solvere nequit et cogitur ad illius solutionem bona sua

alienare; *cap.: Hoc jus 10. 9. 2; cap.: Null. 5. de rebus eccles. non alienandis.*

Die 21. Sept. 1822. *Neapolitana.*

A priscis usque ecclesiae temporibus lex viguit, ecclesiastica bona alienari non posse, *nisi justa intercedente causa* ac certis servatis solemnitatibus; quam legem sacri canones ediderunt et civiles leges ratam firmamque haberi voluerunt, uti constat ex *can. 13. caus. 17. s. Leonis Magni ad univ. Episcop. Sicil. can. 52 caus. 12. quaest. 2; conc. Carthaginiensi can. 4. tom. 2. L. 44 et 17. Cod. de sacros. eccles. ac Novel. 7. cap. 1,* idque provide sancitum, ne, patrimonio ecclesiae consumpto, divinus cultus minueretur, templa in praeceps ruerent. Ad compescendam vero, quae temporis successu valde increbuerat, cupiditatem illorum, qui immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata usurpare vel in profanos usus convertere praesumerent, Paulus II. in notissima *Extravag.: Ambitiosae de reb. eccl. non alien.* omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem vetuit, atque eos, qui inconsulto romano Pontifice bona ejusmodi distraherent aut distracta reciperent, censuris aliisque poenis subjecit initosque contractus nullius omnino roboris ac momenti esse decrevit.

Die 21. Julii 1827. *Forosembronien.*

Alienationem certo canones improbant, nisi *necessitas et evidens ecclesiae utilitas* justam pro illa et gravem rationem suppeditet, *Fagnan. in cap.: Nulli de reb. eccl. non alien.; S. C. C. Privernen. 16. Jul 1786.*

Die 19. April. *Ferentina.*

Plures in jure recensentur causae, quibus id fieri possit, *necessitas* videlicet, *utilitas, pietas, aequitas, damnum vitandum* aliaeque luculentius expositae *in can. 2. caus. 10. can. 52. 70. et 71. caus. 12. quaest. 2.*

Die 20. Decbr. 1834. *Camerinen.*

II. Inopia pauperum.

Vd. *p. 421. §. Tertia.*

Probare satagunt emptores justam fuisse causam alienationis annonae summam caritatem. Quod enim (deficeret) triticum, ut populus panem promercalem haberet, id satis evincitur ex ipsa commissa frumenti exportatione ab exteris regionibus. Quod vero modus deficeret, ut pecunia pro solvendo pretio reperiretur, id quidem probatur testimonio Archiepiscopi et exactorum communitatis, qui affirmant publicum aerarium fuisse exhaustum et difficilem vectigalium exactionem et pecuniam dare mutuam voluisse neminem. Quare si fames imminebat, si ex hac multitudinis concitatio pertimesci poterat, si non alio modo, quam hisce alienatis fundis, pecunia ad emendum frumentum conqueri poterat, hoc ipsum satis causae est, cur alienatio fieret bonorum ecclesiasticorum, quae ss. canonum censura ad inopiam pauperum succurrendam alienari possunt, ut ex text. *in can. 70. dist. 12. qu. 2. tradunt Turricell. de reb. eccles. non alienand. cap. 16. num. 20; Piton. discept. eccles. 96. num. 24; Zanch. de laesion. cap. 7. num. 105.*

Die 18. Aug. 1804. *Urbinaten.*

Res ecclesiae alienari poterat in subsidium indigentium, *ex canon.: Aurum 70. distin. 12. quaest. 2.*

Die 15. Jan. 1803. *Senogall.*

III. Ad supplendos sumptus in bello occursos.

Facultas concessa magno duci Hetruriae alienandi nonnulla bona ecclesiastica, ut ex pretio eorum suppleret sumptibus gravissimis occursis in antecacto bello acerbissimo, quo tandem absoluto pax Europae fuit restituta.

Pius PP. VII.

Dilectissime in Christo fili noster.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Extraordinarios sumptus eosque sane gravissimos haud multo post facere coactus es, quam celsitudo tua imperialis in possessionem Hetruriae tibi subjectae redierit, ut acerbissimum bellum, quo non Italiae solum sed totius Europae pax turbata est, pro parte tua sustinere atque amoliri posses. Hujusmodi vero est post superiorum temporum tot tamque exitiales calamitates, quae necdum, heu! cessaverunt, aerarii publici et subditorum tuorum conditio, ut sumptibus ipsis supplendis nequaquam par esse possit. Hae causae sunt potissimae, quae te licet invitum impulerunt, ut ad apostolicam Sedem recurreres a Nobisque enixe postulares facultatem vendendi vigesimam partem bonorum ecclesiasticorum, quae invendita supersunt; quae pars scutorum tercentum mille pretium exaequant. Sed pro eximia tua sapientia, aequitate et religione, cujus tam conspicuas Nobis significationes dedisti, quum semel atque iterum in Nostra illa fuga a subita

in ecclesiasticae ditionis fines irruptione hospitio tuo honorificentissime excepti sumus, tumet probe novisti, non posse Nos sine apostolici muneris Nostri offensione petitioni tuae satisfacere, nisi praeter canonicam aliquam causam, nempe necessitatis, qualem in illa adesse comperimus, cautiones omnes adhiberentur, ut hujusmodi sacrificium quam minima possit ecclesiae jactura fieret, quod quidem sacrificium eo gravius acerbiusque ecclesiae ipsi accedere debet, quo immaniores depraedationes superioribus hisce temporibus passa est. Itaque conditiones ex ultro excogitasti tibique imposuisti, ut quoad fieri potest ecclesiae indemnitati satis consultum fore videatur.

§. 2. Sunt autem hujusmodi: Primo, ut alienatio iis cautionibus fiat, quae pretii justitiam reddant certiorem, praemissis videlicet consuetis aestimationibus et notificationibus et publica bonorum vendendorum auctione; deinde, ut infra proximum decennium sors principalis restituatur, qua alia bona stabilia ementur, quae pretium exaequent tercentum mille scutatorum, denique ut interim, ne ob reddituum defectum, qui a divididitis bonis perciperentur, ordinum religiosorum utriusque sexus restitutio retardetur, quos quanto sint ecclesiae et statui, decori et ornamento perspectum profecto habes, solvantur ab aerario regio quotannis fructus compensativi, idest quinque scutatorum pro quolibet centenario. Nos igitur harum conditionum aequitate perspecta et moderatione, quum calamitatum illarum, quae necessitatem hanc induxerunt quaeque nondum cessavere, testes imo et pars magna fuerimus, quumque celsitudini tuae, quam veluti carissimum filium de Nobisque optime meritum, observamus et peculiari quadam paterna caritate complectimur, obsecundare et gratificari vehementer, quatenus possumus, in Domino optemus, facultatem abs te non semel petitam ex plenitudine apostolicae potestatis juxta expositas superius conditiones concedimus, hac tamen adjecta, ut tres ecclesiastici viri probitate ac pietate praediti, quorum unus sit Episcopus aut saltem in dignitate constitutus, una cum regiis administris venditionis negotio praesint, ut omni aequitate et ad praescriptum exacte fiat.

§. 3. Quum autem ecclesia veluti provida mater nunquam statuum necessitatibus opem ferre pro viribus renuat, quod quidem et praesens Nostra concessio apertissime demonstrat, ipsi a celsitudine tua hanc vicem rependendam esse confidimus, summa tua pietate ac religione freti, ut subditis tuis religiosissimis libertatem impertiaris antiquitatis contrariis legibus, relinquendi aut donandi ecclesiae bona stabilia, ut tali modo resarciri possint immanissima damna, quibus sacrilega impiorum rapacitate superioribus temporibus eam affectam fuisse videmus et ad mendicitatem prope modum redactam. Id autem eo magis jubemur sperare, quod jamdiu speciosae illae causae desierint, quibus leges illae praetexebantur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 11. Augusti 1815.

(Bull. r. t. XIII. p. 386. Ed. Romae.)

IV. Constructio viae ferreae.

Sacra Congregatio indulget Episcopo Astiensi oratori ad triennium facultatem permittendi alienationem fundorum ecclesiasticorum et locorum piorum pro constructione viae ferreae necnon pro sanatione alienationum ad eumdem effectum jam factarum, proviso tamen ut congruum pretium deponatur et investiatur favore respectivorum locorum piorum facta expressione hujus specialis apostolici indulti. Sub poenis etc.

Romae 25. Januarii 1847.

Corresp. de Rome 1858. Ser. III. p. 300.

V. Solutio debiti.

Cum Canonicus testamenti curator ad debiti solutionem vendendam proponat domum, id sane eas inter causas numeratur, quibus et ad bona fideicommissi vinculo obnoxia, imo et ad ea, quae ecclesiae sunt, vendenda facultas fieri consuevit. *Gloss. in leg. filius familiae §. Diu ff. de leg. 1; Card. de Luca de fideicom. disc. 161. num. 5 et 8. can. ea enim vers.: Hoc jus caus. 10. qu. 2; cap. ad nostram de reb. eccles. non alienand.* Hinc S. C. *(Bononien. Facultatis alienandi 13. Junii 1711)* ad haereditarium debitum dissolvendum quorumdam bonorum venditionem decrevit, quamquam antea supplici expenso libello, qui in eam rem datus fuerat, id denegasset.

Die 13. Febr. 1841. *Lauretana.*

Senogallien.

Capellaniam cum onere unius missae hebdomadalis ex asse haereditatis instituerat

Catharina Comitissa Bonafede Firmana, extremo, quo decessit, elogio, renuntians haeredem simul et capellanum in continenti superstitem virum suum Philippum Scacchi Senogalliensem, eoque vita functo unum post alterum ex propinquioribus ipsius testatricis necessariis usque ad infinitum, facta continuo antecessori potestate sibi eligendi inter eos successorem, quem secus publicis municipii Senogalliensis comitiis nominandum relinquebat.

Cum in eo sit hodie hujusmodi capellania, ut aere alieno summopere gravetur, hodiernus illius possessor Felix ex comitibus Bonafede a S. H. O. postulavit veniam alienandi bina rustica praedia ad eamdem capellaniam spectantia, quorum alterum positum est in regione *Rosello, o Casebianche,* valoris scut. 739. 54., alterum in regione *s. Rocco* valoris scut. 706, 41. 5., ut ita, scilicet, ex prioris fundi pretio potioribus saltem capellaniae creditoribus satisfaciat, erogato, quod superest, in sui utilitatem, altero vero in solutum cesso sacerdoti Pacifico Lauri, qui nomen habet executivum contra capellaniam, quippe solemni re judicata firmatum, et cum quo jam inita est conventio, cujus hodie petitur approbatio. In ea, taxato universo ipsius Lauri credito in scut. 529. 39, haec sancita sunt:

1. in »pagamento e tacitazione del suindicato debito di scudi 529. 39 la capellania Bonafede, e per essa il rettore Signor Conte Bonafede vende ed aliena (salva però, come si disse, la placitazione apostolica) al medesimo Signor D. Pacifico Lauri, pel quale accetta il detto Signor Niccola, obligandosi *de rato*, altrimenti del proprio, il predio rustico spettante alla detta capellania, situato nel territorio in Belvedere in contrada s. Rocco, del peritato valore di scudi 769. 41. 5. Avuto però riflesso alla sperimentata difficoltà di rinvenire compratore a prezzo di stima, ed all' attual penuria del numerario, la compra e vendita in discorso viene concordamente stabilita e convenuta per il prezzo di scudi 719. 41. 5;

2. Dedotti dal suenunciato prezzo di 719. 41. 5. gli scudi 529. 39, ammontare nitido del credito del Sign. Lauri, come al precitato art., rimane disponibile a favore della capellania venditrice una rata di scudi 190. 02. 5. dell prezzo medesimo;

3. Questa residuale rata di scudi 190. 02. 5, si stabilisce e conveniene debba essere erogata 1. nel pagamento delle spese e competenze dovute al legale, che ha assistito la capellania Bonafede nei suoi diversi affari dal 1837 sino ad oggi; 2. nel pagamento di quelle, che occorreranno pel pontificio rescritto da implorarsi, onde sanzionare il presente contratto, e 3. di quelle dell' istromento da stipolarsi, le quali spese tutte dovranno esser liquidate, riconoscinte e sanzionate dall' Emo e Revmo Signor Cardinal Vescovo di questa diocesi.

4. La somma residuale, dopo pagate le spese, di cui sopra, dovrà rimanere presso il Signor Lauri a favore della capellania, con i frutti al saggio del 5 per cento all' anno, immuni ed esenti da qualunque detrazione e gravezza, tanto imposta, che da imporsi.«

Rogatus eminentissimus Episcopus, ut, auditis interesse habentibus, scitu opportuna referret, haec habuit ille in suis literis diei 23. Novembris 1842: »Analogamente ai venerati comandi dell' Eminenze Vostre dovendosi sopra queste due istanze interpellare gl' interessati, che sono i fratelli Bonafede come futuri chiamati, e questo publico consiglio, aventi il patronato attivo, io mi son fatto un dovere (preesistendo già il consenso dei primi alla loro dichiarazione, che in copia trasmetto) di comunicare queste due Istanze al detto consiglio, e di nominare eziandio il difensore della capellania.

Il consiglio anzidetto con delibera, di cui rassegno copia, ha trovata ragionevole l' una e l' altra domanda dell' oratore e vi ha acconsentito, con questa modificazione però, in quanto alla prima, che la proposta vendita si taccia possibilmente a prezzo di stima, ma sotto l' espressa condizione, che prezzo medesimo venga l'avanzo a favore della capellania, e non mai erogato nei bisogni del supplicante; ed in quanto alla seconda istanza concernente il contratto con Lauri, che si premetta un nuovo avviso di Asta per avere, se fosse possibile, un prezzo maggiore di quello offerto dal Lauri medesimo.

Sottoposta questa delibera all' Eminentissimo Legato della provincia, il medesimo l' ha approvata, riservando però in favore della capellania le ragioni per essere risarcita dagli eredi del fù Filippo Scacchi, e coi di lui propri beni dei danni e spese occasionate nel litigio indebitamente sostenuto contro Lauri pel Censo Consolini, siccome risulta dalla copia del Dispaccio Legatizio, che umilio.

Anche il Difensore della capellania ha riconosciuto necessaria l' alienazione degli indicati due fondi, pel solo fine però di soddisfarne le passività, come all' avviso del municipio, premessa inoltre in quanto all' asserto credito del Legale l' opportuna verifica ed osservate le norme fissate per le Delibere de' Beni de' luoghi pii dal decreto di cotesta sagra Congregazione del 18. Marzo 1835 e come meglio si ravvisa dal voto dello stesso difensore, che in copia rassegno all' Eminenze Vostre.

I Capitali attivi ed i debiti della medesima sono descritti nel prospetto che accludo. Ascendono i primi a scudi 2222. 08. 4, i secondi a scudi 587. 12. 4.

L' annua rendita poi di detta capellania ammonta a scudi 100. 64. 7. le sue passività a scudi 57. 55, e conseguentemente il redito libero giunge a scudi 43. 09. 7, conforme leggesi nel relativo stato, che parimenti trasmetto.

I debiti, di cui sopra, emergono in parte dal testamento della defonta Contessa Bonafede, ed in parte provengono dai frutti arretrati del censo Consolini e dalle spese giudiziali per le Liti, cui ha dato luogo il censo stesso.

Sul qual proposito io mi fo un dovere di riferire al' Eminenze Vostre, che, chiamato Girolamo Gruppelli nel succitato testamento di erezione della capellania al legato della casa Scacchi in Contrada »il Bue« in allora della testatrice, col peso però di compensarsi di un suo credito di scudi 372, e di accollarsi in pari tempo i debiti Bernardi Bonajuto, e Biotti, e li censi Omodei, Pierfederici, Consolini e Cherubini; il legatario Gruppelli si prese la casa lasciatagli in legato, ma usufruitala (a suo detto) per quanto tempo gli volle a saldarsi dell' aver suo di scudi 372, lasciò e rinunziò il legato e assieme alla casa tutti i debiti per la sorte di scudi 1500. Bene o male che il Rettore Scacchi si operasse, egli è un fatto, che non solo si riprese esso la casa, e con quella i debiti; ma citato inoltre avanti questa curia ecclesiastica dall' Eminentissimo Castracane e da Monsignor Vescovo Innocenzo Castracane per la rivalsa dei due censi Omodei e Pierfederici, perdette egli la metà, anzi due terzi della suddetta casa, che venne aggiudicata ai sullodati creditori per istromento dei 15. Maggio 1823 in atti Bruschettini. E di più, citato egualmente dall' israelita Bonajuto pel credito di scudi 350, perdette il predio rustico in Belvedere in Contrada Ponticelli, che fugli aggiudicato e da cui poi passò nei Lauri del Mergo. I quali addivenuti terzi possessori del sù enunciato fondo, essendo stati poi molestati dal Signor Consolini per frutti del suo censo di scudi 275 ivi imposto ed ipotecato, ritorsero le molestie contro dello Scacchi, capellano, e ne ottennero pei frutti e spese le relative sentenze, che in copia trasmetto.

Preso tutto ciò a maturo esame, riflettendo alla qualità e natura de' debiti, che gravano la discorsa capellania, e costandomi, che nesuna rivalsa può aversi dal' eredità del defonto Filippo Scacchi, perchè morto decotto, io veggo la necessità di devenire all' estinzione de' debiti stessi coi capitali di detta capellania, onde impedire così, che questi siano tutti assorbiti dagli atti e dalle esecuzioni che potrebbero fare i creditori, i quali hanno tutti i diritti sui capitali anzidetti. Per la qual cosa son di subordinato parere che meritino le promosse due instanze di essere accolte ne' modi e termini espressi dal difensore deputato.

A compimento poi degli ordini delle Eminenze Vostre mi fo un dovere di aggiungere d' appresso alle assunte informazioni che l' oratore non possiede alcun bene di fortuna, e che trae il proprio sostentamento dall assegno di scudi 9 mensili, che egli ha come scrittore presso la delegazione apostolica di Macerata. Ma non per questo dovrebbe secondo me applicarsi in di lui favore una parte del prezzo da ritrarsi dall' implorata vendita, poichè la tenuità del capitale della capellania non è per comportare tale distrazione.«

Res itaque est de laicis capellaniae bonis alienandis: qua in re, quidquid sit de praecisa necessitate apostolici beneplaciti, tutius esse illud exquirere adnotat *Pacionius de locat. cond. cap. 14. §. 6. n. 26*, ea praesertim ex ratione, quod possessor nec libera gaudeat administratione nec dominio, unde manat facultas alienandi; atque ut penitius constet de justis causis id peragendi. Porro, attenta necessitate, permitti, ut bona ad pia opera destinata alienari possint, non dubitatur ex *Clem. 1. et conc. Trident. sess. 22. cap. 11. de reform.*, quare inspicere erit in themate, asserta necessitas demonstretur;

quod sane ex factorum expositione evincere curat orator: etenim ex una aes alienum dissolvendum esse et quidem prae piis etiam operibus omnia jura clamant *leg. Princeps ff. de verbor. signif.*, S. C. *In Lauretana Capellaniae diei 13. Februarii 1841.* §. *Hisce;* ex altera fructus capellaniae, si in id erogarentur (praeter jacturam capellani, qui gravi lucro per longum tempus privaretur), nonnisi longaevam tardamque nimis aeris alieni solutionem adpromitterent, haud proficuam in casu, ubi instantibus creditoribus extemplo satisfaciendum est, ne caeteroquin alia opportuniora remedia praesto esse videntur. Accedit consensus omnium interesse habentium.

Opportunum fortasse erit disquirere de ratione propositae alienationis exequendae, quatenus opus; scilicet utrum necesse sit edictorum affixionem demandare, sicuti ad tramites constit. *Bened. XIV. 22. Novembris 1742*)* et decreti *S. C. Episcop. et Regul. diei 18. Martii 1835,* exoptaret capellaniae defensor; praesertim utrum id expediat quoad utrumque fundum, etiam illum, qui dari petitur in solutum. Subinde decernere erit, an cautio illa expediat, quam defensor ipse capellaniae proponit circa summam procuratori solvendam, qui pro capellania lites substinuit, et caeterae, quae ab interesse habentibus suggeruntur.

Demum, an erogatio residuae summae ab altero fundo retrahendae pro substentione oratoris digna sit quae approbetur, attenta oratoris inopia, non obstante praejudicio et dissensu eorum, quorum interest; an satius sit, ut ea quantumvis exigua summa investimento collocata in augmentum capitum vergat, unde et fructum auctarium pro oratore ipso hodierno capellaniae possessore sperandum erit.

His breviter degustatis dignabuntur EE. VV. dirimere dubia:

I. *An et quomodo sit permittenda alienatio fundi vulgo Rosello, o Casebianche, in casu?*

II. *An et quomodo sit permittenda cessio fundi vulgo s. Rocco in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II.: Affirmative, praevia affixione edictorum favore majoris et melioris oblatoris, adstante defensore capellaniae et cum onere investiendi quidquid supererit, post aeris alieni dimissionem, juxta votum Emmi Episcopi.

Die 24. Aug. 1824.

*) Vd. *p. 446. q.*

c) Concessa.

Faventina.

Sacerdos Angelus Emiliani parochus ecclesiae s. Mariae in Merlaschio dioecesis Faventinae ab hac s. Congregatione facultatem postulavit vendendi sex praediola ad ipsam ecclesiam pertinentia, quorum quinque Antonius Zambrini, sextum vero Marcus Magnani sese empturos pollicebantur. Pretium in summa scutatorum 21, 15 04 ab eisdem certis legibus pendendum in solutum accipere se paratos exhibuerant fratres Rossini, qui ecclesiae parochiali praedium tradebant valoris scut. 2400. Precibus annuit s. Congregatio, quae die 3. Septembris 1825 dubio:

An et quomodo sit consulendum SSmo pro approbatione contractus in casu etc.?

responsum dedit:

Affirmative juxta modum, nempe Episcopus praefigat terminum fratribus Rossini pro constructione domus proprio aere peragenda acceptis scutis centum tribus a parocho Emiliani oblatis ipsique Rossini nomina Zambrini et Magnani in solatum recipiant quacumque evictione favore paroeciae remissa: quo vero ad consignationem censuum, suspendatur usque ad absolutam constructionem domus.

Dum partes in eo erant, ut emptionis ac permutationis tabulas conficerent, innotuit Zambrinio praedium a fratribus Rossinis ecclesiae tradendum hypothecariis inscriptionibus usque ad summam scut. 1200 favore ecclesiae s. Proculi dudum esse affectum ob neglectam ab ipsis Rossini fundi transcriptionem. Quare inter parochum Merlaschi et Zambrinium diu certatum est coram episcopali curia, quod ille contenderet, venditionis tabulas fore omnino exarandas ad tramites resolutionis hujus sacri Ordinis, hic autem, ne evictionis periculo subesset, instrumentum obsignare penitus detractaret. Tandem partes eam sibi rationem ineundam arbitrati sunt, ut controversiam omnem amica transactione componerent. Quare die 16. Aug. 1827 auctorante vicario generali tam parochus quam Zambrinius, assentientibus Rossiniis a subscribendo venditionis contractu resilierunt, atque Zambrinius ad rependenda

damna ecclesiae parochialis et ad sumptus sarciendos summam scutatorum centum viginti quinque favore paroeciae Merlaschi investimento collocandam rectori ejusdem parochialis ecclesiae numeravit.

Nunc parochus Emiliani enixis precibus EF. VV. obtestatur, ut memoratam transactionem apostolico beneplacito roborare dignentur atque insuper veniam impertiantur, ut ipse sextam terrulam vendere possit haeredibus Marci Magnani, qui summam obtulerat scutor. 200. 47.

Rogatus Episcopus, ut auditis iis, quorum interest, votum suum aperiret ac referret de parata occasione utilis investimenti, ea, quae superius narravi, plane confirmat, ac deinde subjungit memoratam transactionem cum Zambrinio initam in evidentem redundare paroeciae utilitatem ideoque apostolicae Sedis approbatione dignam existimat. Quod vero pertinet ad fundum Magnanio vendendum, scribit »eumdem in terrula arata, arboribus expoliata, nuncupata *Le Larghe,* in hoc territorio sita tornaturarum 2, perticarum 6, pedum 7, unciarum 3 consistere, cujus integer valor uti ex aestimatione Philippi Parani episcopalis periti ad scutatorum 133 65. summam ascendit, quaeque terrula die 12. Julii anni 1824 pro scut. 2000 obolorum 47 summa Marco Magnani adjudicata fuit.

»Etsi Merlaschi parochus fundum in promptu habeat, quem pro sua ecclesia statim acquirere posset, dicta scutata 200 nec non alia scutata 125 a D. Zambrini juxta transactionem, cujus adprobatio expostulatur, accepta persolvenda; attamen, nisi prius apostolicum beneplacitum pro duobus enunciatis contractibus obtinuerit, dictam emptionem perficere non posse manifestum est.«

Ea est transactionis indoles, ut super re dubia versari debeat et ab utraque parte aliquid remittatur. Ita *Ulpianus in leg. 1 de trans.*; *Gonzalez in lib. 1. decret. tit. 36. cap. 1.* Atqui in re nostra agitur de re dubia, utrum nempe teneatur Zambrinius pactam solvere pecuniam pro praediis ab ecclesia emendis seu potius ob detectam hypothecariam inscriptionem, cui subest praedium fratrum Rossini, a subscribendo contractu jure valeat resilire. Aliquid item vicissim remittitur; ecclesia enim abdicat jus instrumenti conficiendi et Zambrinius ad ecclesiae damna aliquo pacto sarcenda solvit scutata 125. At si venditionis permutationisque contractus perficeretur, ecclesia gauderet praedio Rossini litibus obnoxio. Zambrinius autem ad sarcta servanda jura ecclesiae periculo evictionis subesset. Quo circa memoratam transactionem parochiali ecclesiae utilem ac probatione dignam eximat Episcopus inquiens: »Clare patet ecclesiam parochialem Merlaschi non parum utilitatis ex hoc ultimo centum viginti quinque scutatorum lucro percipere ideoque adprobatione, ut postulatur, digna videtur conventio.«

Similiter concedenda videtur petita venia alienandi praediolum *Le Larghe.* Et sane ob evidentem utilitatem facultas bona ecclesiastica dividendi impertiri solet, *Extravag.: Ambitiosae de reb. eccl. non alienan., can. 25. caus. XII. quaest. 2.* Evidens in themate praesto esset ecclesiae utilitas, nam terrula, ab aliis paroeciae fundis penitus sejuncta et a perito ab episcopali curiae electo aestimata scut. 133. 65, venderetur scut. 200. 47. Insuper evidentius apparet utilitas, si ratio habeatur scut. 125, quae seorsim parum prodesset, unita vero scut. 200. 47 modum suppeditarent ampliorem et paroeciae magis utilem comparandi fundum. Tandem haec s. Congregatio plurimi facere solet Episcopi votum, qui haec habet: »Etiam atque etiam adprecor ut praefato parocho facultas concedatur vendendi D. Magnani fundum, de quo agitur, ab aliis sejunctum, cum hujusmodi contractus ecclesiae suae sit valde utilis cumque pertimescendi locus adsit, ne, si dictus contractus variis abhinc annis pendens ulterius differatur, defuncti Magnani haeredes conventionibus ab eorum auctore statutis stare velint.

Erit nihilominus Emorum Patrum definire:

I. *An sit supplicandum SSmo pro approbatione transactionis in casu?*

II. *An sit concedendum apostolicum beneplacitum, pro alienatione fundi de Larghe in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II: Affirmative juxta votum Episcopi.

Die 26. Junii 1830.

d) Non concessa.

I. In aedificationem palatii episcopalis.

Ceriniolen.

Dum literis sub plumbo datis die 18. Julii 1819 aeternae memoriae Pius VII. ecclesiam Ceriniolensem ad Concathedralis gradum ex-

tulit eamque Cathedrali Asculanae in Apulia aeque principaliter univit, hoc, praeter alia, Ceriniolensi capitulo onus imposuit Pontifex, ut nimirum ad Episcopi commodam ac decentem habitationem unum ex pluribus palatiis ab illo possessis assignaretur. Sic porro legitur in bulla: »*Pro commoda quoque decentique primi futuri Ceriniolensis Episcopi ejusque in episcopali sede successorum praedictorum habitatione Nos illis unum ex pluribus palatiis ad saepe dictum collegium suppressae et extinctae parochialis ecclesiae actu spectantibus ab eodem primo futuro Episcopo ad hunc usum eligendum attribuimus et assignamus.*«

At nullum ex iis palatiis tale repertum vel ab initio fuisse videtur, ut commodam decentemque habitationem suppeditare posset Episcopo, nec ideo primus Antistes ejusve successores palatii possessionem capessere perrexerunt. Reque vera praeterquam singula vetustate commota apparent, sita etiam sunt in humillimis abjectisque civitatis locis, ubi impurus etiam expiratur aër et parum haud distant a Concathedrali ecclesia. Quam ob causam Episcopus singulis annis, iis posthabitis, in conductam a capitulo domum divertere fuit coactus, ex quo non parum sensit incommodi. Ad quod avertendum atque ad opus illud implendum, quod in citata bulla impositum fuit, idem capitulum supplex coram hoc s. Ordine adstat postulans, ut »per tenore contento e soddisfatto il Vescovo, per non farlo andare più vagando in ogni anno ora in questa, ora in quell'altra casa in affitto, causa di grande dispiacere pel Vescovo e per lo stesso capitolo« sibi liceat extruere novum palatium ad Episcopi habitationem. Quoniam vero palatia, quae possidet, ob plures rerum circumstantias inalienabilia evaserunt, ipsorum loco petit facultatem distrahendi tum bina praedia omni onere ac vinculo soluta, quae ad valorem ducatorum 4000 pertingunt ac dant quotannis redditum ducator. 190, tum alia bona ad capitularem pariter massam pertinentia, come casamenti, vigne, ortali, affrancazioni di capitali ed altri che meglio si troverebbero vendibili, quae satis sint ad complendam summam ducator. 8000, quod juxta peritiam occurrunt ad palatii extructionem. Spondet autem ipsum capitulum eadem diligentia ac religione onera iisdem bonis adnexa mundo durante impleturum.

Preces ablegavi Episcopo ut audito capitulo per secreta suffragia ac transmisso statu activo et passivo massae capitularis referret de annuo redditu et oneribus ejusdem de vera necessitate novae domus pro Episcoporum habitatione vel potius de alterutrius ex domibus existentibus restauratione de summa necessaria pro reparationibus sive nova constructione ex peritis resultante de bonis immobilibus alienandis, annua summa deponenda pro redintegratione capitalis et absuluta impotentia aliter supplendi. Quibus obsequens Episcopus refert, se audivisse per secreta suffragia capitulum, quod unanimi voto priorem supplicem libellum confirmavit, nimirum pro aedificatione novae domus consensum praebuit. Subtexuit acta capitularia, ex quibus constat annuum redditum bonorum capitularium ad duc. 9791. 93. evehi, impensas vero ad duc. 9335. 70 et superextantes duc. 456. 23. in distributiones quotidianas erogari. Ex archivistae insuper testimonio patet massam capitularem gravari tribus creditorum nominibus, quae aes alienum duc. 1280. conflant. Dedit pariter notulam fundorum, qui essent alienandi, una cum architecti relatione, qui impensam pro novo opere in duc. 8000 constituit, quin tamen verbum faciat de occurrenti impensa pro alterutrius ex palatiis existentibus reparatione.

Suum inde votum pandit Episcopus super novi palatii extructione, quam omnino necessariam dicit ex rationum momentis inferius recensendis. Assentitur insuper capitulari resolutioni, quae in eo fuit, ut nullatenus sit locus annuo deposito conficiendo pro redintegratione summae alienandae. Siquidem remanentibus capitulo domibus, ex quibus habitatio Episcopo praestanda fuisset et ex quibus merces ex locatione retrahitur fundorum, non tam alienatio quam permutatio venit censenda.

Regula juris est bona ecclesiae vel alicui pio operi subjecta haud esse alienanda, nisi urgente necessitate et utilitate ecclesiae, ut post *text. in leg. Tigni 7. §. Item municipes ff. Ad exhiben. leg. Municipibus 97. ff. de cond. et demonstrat.* firmat *Gonzal. lib. 3. decretal. tit. 18. cap. 1. num. 4. in fin. de rebus eccles. alienandis vel non*, ita ut si necessitas urgeat ad illorum alienationem deveniendi, alienatio fiat cum utilitate, non autem cum detrimento ecclesiae, *text. in leg. Tutor. 27. ff. de administr. Tut. leg. Qui fundum 7. §. Si tutor. ff. Pro emptore*, et tradit idem *Gonzal. loc. cit. num. 7.*

Ponderandum igitur est utrum alienatio

bonorum, quam fieri postulat capitulum Ceriniolense eique adstipulatur Episcopus, veluti necessaria vel utilis sit probanda. Utrumque porro ex hisce extremis desiderari videtur in casu, si perpendatur primo, ad quid teneatur capitulum in vim bullae unionis, secundo, quid in deteriori hypothesi magis agendum expediat ac utile ipsi capitulo sit. Jam vero id unum ex bullae tenore deprehenditur, ut nimirum per Pontificem in actu erectionis Concathedralis unum ex pluribus palatiis ad supradictum collegium suppressae et extinctae parochialis ecclesiae actu spectantibus primo futuro Episcopo ejusque successoribus ad usum habitationis eligendum attribueret et assignaret. At vero per hanc assignationem jus Episcopis Ceriniolensibus quaesitum apparet ad unum ex dictis palatiis habendum, ita ut eo ipso avulsum illud e patrimonio capitulari in dominium episcopalis mensae migrasse censendum et tum primo Episcopo tum ejus successoribus id juris perseverare eligendi nimirum unum ex pluribus palatiis ad proprium usum. Non est igitur cur in praesens capitulum novam habitationem Episcopo comparare curet, cui jam per Pontificem consultum fuit.

Nec rem mutat, quod nullum ex dictis palatiis repertum fuerit aptum ad Episcopos recipiendos. Si quidem, praeterquamquod haud praesumitur, quod ita considerate assignatio facta fuerit in bulla erectionis novae Cathedralis, quae ex experientia fieri summa maturitate solet, praeeuntibus nimirum tractantibus cunctisque rerum adjunctis rite perpensis, nec insuper praesumitur quod tam brevi temporis spatio locorum conditio adeo immutata fuerit, ut quod tunc aptum videbatur, modo evaserit ineptum; non ideo tamen argui posset obligationem capitulo inesse novum extruendi spatium: redit enim semper, quod per assignationem a Pontifice factam alterutrum ex palatiis non amplius capituli sed Episcopi res facta est, et solutione vel cessione ejus quod debetur omnis extinguitur obligatio, *leg.: Qui sic. §. 2. ff. de solutien.*

Dato autem quod palatia Episcopi habitationi non censeantur idonea et capitulum ad illud praestandum agnoscatur devinctum, non aeque tamen expediens videri posset, ut sumptuoso operi manus apponat. Fatentur vel ipsi Canonici ad id insumendam esse summam duc. 8000, pro quibus totidem bona essent alienanda. Jam vero dum ex una latet quidnam valoris tribuatur palatiis exstantibus, quidve ex iis locati jure quotannis retrahatur, ex altera compertum est quotannis a capitulo impendi pro conducenda Episcopi habitatione *duc. 170.* Longe autem major absumeretur annuus redditus, ubi nova extrueretur domus, nimirum computandi forent 400 duc., quatenus peritia ad unguem servaretur, quae tamen, ut saepe saepius contingere solet, opere expleto, fere duplo augetur: quo eveniente casu capitulum in pessimam profecto incideret conditionem. Ad quam avertendam sedulo pensandum est, quid magis expediat, utrum nimirum in conductione pro Episcopo domus perseverandum sit, quod sane, ubi apte fieri valeat, non adeo indecorum atque incommodum videri posset; aut potius propitiam praestolari occasionem, si quae foret, exstructam domum acquirendi.

Attamen haud spernenda videntur, quae pro novae domus exstructione capitulum cum Episcopo in medium adducunt. Dum enim bulla unum ex saepe dictis palatiis assignabat Episcopo, id non absolute sed cum conditione, quae circa eadem palatia verificanda erat, factum fuisse videtur, adeo ut capitulum tunc tantum obligatione solutum renunciari valeat, cum constiterit palatium ab ipso cessum eas praesetulisse qualitates, quas Pontifex illo assignando constituit. Atqui in bulla sic legitur »pro commoda quoque decentique primi futuri Ceriniolensis Episcopi . . . habitatione . . . ad suum usum eligendum attribuimus et assignamus«, atqui utramque qualitatem commoditatis et decentiae in exstantibus palatiis desiderari compertum in facto est; sic enim rem exponit Episcopus »le abitazioni che ora possiede il capitolo nella maggior parte sono disadatte ed angustissime, e site in luoghi ignobili, in punti malsani del paese, tanto che questi portano il nome di terra vecchia, non escluso un palazzo da poco pervenuto per espropria; ma siccome è sito nella suddetta terra vecchia, luogo malsano, non è affatto convenevole al Vescovo.«

Addit praeterea »la città vescovile di Cerignola è ora molto differente da quando era Arcipretura Nullius, in quale epoca, come mi si fa marcare, l' intero paese restringevasi in quella parte, che ora chiamasi terra vecchia, sito ora abbandonato da tutti gli agiati del passe per l' aria insalubre. Ora è

una città rispettabile di circa ventimila anime, sita sulla strada consolare che mena alla capitale di questo regno, città grande pel commercio, ricca per industria, e quindi il Vescovo costretto continuamente a ricevere persone in alto rango, costituite in dignità ecclesiastiche e civili, e non di rado di ricevere lo stesso sovrano.« Ex quibus concludit, novae domus exstructionem »essere più che necessaria.« Cum autem sperari haud possit, ut quis reperiatur, qui aliquod ex iis palatiis acquirat, ex quo haberi possit pecunia necessaria ad exstructionem novae domus, arguunt capitulum cum Episcopo necessitatem, ut permittenda sit aliorum fundorum alienatio, secus ad opus perficiendum media deessent necessaria.

Quatenus capituli petitionem probaverint EE. PP., de annuo deposito pro redintegratione capitis conficiendo inquirendum superest. Solet s. Congregatio, quoties necessitate urgente alienationes bonorum permittit, depositum veluti tutorio jure continuo demandare proportionaliter et valorem bonorum, quae alienantur, et ad vires patrimonii, quae alienationem patitur, ut ita tandem piae causae conditioni atque integritati consultum maneat. In casu ingens est symbola bonorum, quae alienanda forent, et quod gravius videtur, medietas earum missarum legatis (quorum descriptio apud acta desideratur) devincitur: quae quamvis hodierni capitulares adimplere continuo religiose promittant, utrum tamen successores idipsum censuri sint vel adimplere valeant, ignoratur. Hinc primum pro legatorum securitate temperamentum aliquod capessendum videretur, ne unquam benefactorum animae suffragiis fraudentur. Praeterea de quota annuatim deponenda cogitandum erit. Ex statu passivo quem conficiunt capitulares apparet expensas totum absumere massae redditum. At si quid super uno alterove titulo per oeconomicam industriam resecare lubeat, facile habebitur fundus pro annuo deposito. Sic ex. gr. ingens adnotatur summa duc. 800 sub titulo »spese improviste colla manutenzione della chiesa ed arredi sagri.« Sic etiam assignantur duc. 200 pro expensis judicialibus, praeter honorarium duc. 40 advocato pensitandum.

Non est tamen silentio praetereundum quid circa annui depositi conditionem capitulum perpendit, cui et Episcopus assentitur. »Non può essere obbligato (capitulum) al deposito annuale che si vorrebbe dalla s. Sede per rimpiazzo de' capitali, a motivo che il capitolo fa riflettere che nella circostanza deve riguardarsi piuttosto una permuta che una perfetta alienazione, atteso che il capitolo in forza della erezione della cattedra si venne ad obbligare di dare al Vescovo un palazzo commodo e decente, ed in consequenza, non può essere astretto a verun rimpiazzo di capitali, poichè colla costruzione di detto nuovo palazzo viene col fatto a rimpiazzare i capitali, stante che di quei sottani, che non saranno bisognevoli al Vescovo, gli altri che restano, vanno a beneficio del capitolo, da cui ne viene a percepire una rendita: a tutto ciò si aggiunge il rinfranco di ducati 300 che in ogni anno paga per pigione del palazzo che tiene per uso del Vescovo (in prospectu status passivi ab ipso capitulo exhibito cohibetur ad duc. 170 l' affitto della casa di Monsignore), quale somma ridotta a capitale al cinque per cento, dà la cifra di ducati sei mila.«

Hisce perpensis proponitur dubium:

An et quomodo annuendum sit precibus capituli Cerviolensis in casu?

S. C. resp.:

Quoad bonorum distractionem et aedificationem novi palatii negative. Esse tamen locum ampliationi et restaurationi domus in via *del Carmine* sumptibus capituli.

Die 25. Januarii et 22. Februarii 1851 et 31. Jan. 1852.

II. Canonicis colleg. pro obtinendo indulto deferendi cappas etc. fieri non potest.

Pro expensis factis a Canonicis pro obtinendo indulto deferendi cappas et rocchettum non possunt ab ipsis alienari bona ecclesiae. S. Congr. Concilii in *una Pratensi Beneplaciti diei 7. Jul. 1696,* quae denegavit capitulo facultatem alienandi capitale scutorum 25 aureorum relictorum eidem una libera facultate erogandi pro ecclesia, ad effectum convertendi dictum capitale pro expensis bullae indulti deferendi cappas et rocchettum, quia non considerabatur utilitas evidens ecclesiae, licet majus decus Canonicorum. Et eadem sacra Congr. Concilii in *una Montis Regalis 19. Maji 1708* occasione, qua in civitate Cunei ejusdem dioecesis erecta fuerat collegiata, adhibita tantum auctoritate Ordinarii. Cumque Episcopus successor Canonicos coegisset ad obtinendam, prout ab initio obtinere debuerant, dispensationem apostolicam, pro qua, quemadmodum etiam pro indulto deferendi rocchetum et cappas, nonnullas fecerunt expensas. Unde pro eorum satisfactione supplicarunt pro facultate alienandi seu obligandi quaedam stabilia ecclesiae, quam eadem s. Congregatio die, qua supra, concessit tantum pro expensis factis pro erectione collegiatae, non autem pro indulto deferendi cappas et rocchetum.

III. Venditio domus confraternitatis.

Romana.

Possidet pia presbyterorum societas in ecclesia s. Mariae de Pace instituta ad excolendam nocturnis exercitionibus christifidelium pietatem parvam domum in urbe ex pia haereditate Raphaelis Nodave provenientem, nonnullis missarum oneribus praegravatam. Hujusce domus valor per peritum recognitus, omnibus subductis oneribus, ad scutata quadraginta ac unum supra quinquaginta cohibetur, et quamvis annuae mercedes ex conductione resultantes ad scuta sex et triginta computari possent, eae reapse annua scutata decem et octo minime praetergrediuntur, eaque ob morositatem et impotentiam conductorum saepe serius atque aegre solvuntur, saepius nulla ratione exigi possunt.

Hisce permoti difficultatibus piae societatis superiores, eaque praesertim ratione, quia parva illa domus in recondito vico vulgo della Penna non longe a platea del Popolo secus profluentem posita ruinam ferme minitatur ac reparationes necessariae ultra vires administrationis praefatae societatis protenduntur, in id unanimiter consenserunt, ut, divendita domo pretium retrahendum utiliori collocaretur investimento. At semel et iterum per publica edicta facto experimento nulloque comparente oblatore, tertio tandem Joseph quidam Transi oblationem dedit bipartitam, vel scilicet emphyteusim super ipsa domo celebrandi perpetuam et ad quoscumque transituram, persoluto annuo canone scutatorum octo, vel emptionis et venditionis contractu celebrato pretium scutatorum quinquaginta supra biscentum tribus distinctis ratis exsolvendi. Postremam moderatores amplectentes oblationis partem preces dederunt pro facultate ad celebrandam enunciati contractus stipulationem, omnibus in emptorem refusis expensis. At, licet precibus faveret Emus Urbis Vicarius, haud expedire visus est propositus venditionis contractus, cum valor aestimativus ingenti biscentorum scutatorum summa pretium oblatum excederet. Dumque in eo eram ut rem totam EE. Patribus dirimendam proponerem, moderatorum unionis sollicitudine factum est, ut, suspensa propositione majoribusque adhibitis diligentiis, novus aparuerit oblator, Joannes Tortori, qui pretium domus ab omni onere (missis in fundatione demandatis exceptis) ac expensis immune ad scutata quinquaginta supra tercentum adauxerit, novaque exhibita periti relatione fatiscentis domus reparationes scutatorum 155 summam expostulantes ejusdem valorem ad scutata biscentum et nonaginta sex tantummodo cohibeant. Rebus ita se habentibus, existimantes praefati moderatores venditionem non solum piae causae utilem fore, quia pretium oblatum realem domus valorem non parum excedit, si summa pro urgentibus reparationibus requisita supputetur, sed etiam necessariam ob unionis impotentiam ad non leves reparationum expensas sustinendas, preces qua voce qua scriptis instantissimas ingeminarunt pro implorata jam facultate obtinenda, salvo tamen jure vigesimae et sextae exindeque prudens Emorum Patrum, paucis adjectis animadversionibus, oraculum exquiritur.

Alienationes bonorum ecclesiasticorum nonnisi concurrente necessitatis vel utilitatis causa permittendas esse sanxerunt romani Pontifices, idemque conciliorum decretis et compluribus S. H. Ordinis resolutionibus firmatum est. Quando autem adsint necessitatis causae, pluribus exemplis assignat *Petra in comment. ad constit. 1. divi Leon. Magn. a n. 3. ad 94. sect. 4;* eas vero inter reponit etiam *sub n. 89.* casum deperitionis rei, nisi vendatur. Utilitas autem pro rei alienatione debet esse evidens et indubitata. Haec tamen concurrit, quoties agitur de re sterili seu infructuosa distrahenda, ut pretium utilius investiatur, *Petra loc. cit. n. 121. et seqq.;* hoc siquidem casu potiusquam alienatio permutatio in melius accipienda est. Atque hoc ita verum est, ut ad ecclesiae utilitatem stabiliendam sufficiat habere rationem ad majores fructus ex novo pretii investimento percipiendos, licet res ipsa vendita majoris valoris sed minorum fructuum fuerit aestimata, ut notat *Petra loc. cit. n. 150,* ubi plurium adducit auctoritatem. Ex peculiaribus denique facti circumstantiis utilitatem ecclesiae

una città rispettabile di circa ventimila anime, sita sulla strada consolare che mena alla capitale di questo regno, città grande pel commercio, ricca per industria, e quindi il Vescovo costretto continuamente a ricevere persone in alto rango, costituite in dignità ecclesiastiche e civili, e non di rado di ricevere lo stesso sovrano.« Ex quibus conclusit, novae domus exstructionem »essere più che necessaria.« Cum autem sperari haud possit, ut quis reperiatur, qui aliquod ex iis palatiis acquirat, ex quo haberi possit pecunia necessaria ad exstructionem novae domus, arguunt capitulum cum Episcopo necessitatem, ut permittenda sit aliorum fundorum alienatio, secus ad opus perficiendum media deessent necessaria.

Quatenus capituli petitionem probaverint EE. PP., de annuo deposito pro redintegratione capitis conficiendo inquirendum superest. Solet s. Congregatio, quoties necessitate urgente alienationes bonorum permittit, depositum veluti tutorio jure continuo demandare proportionaliter et valorem bonorum, quae alienantur, et ad vires patrimonii, quae alienationem patitur, ut ita tandem piae causae conditioni atque integritati consultum maneat. In casu ingens est symbola bonorum, quae alienanda forent, et quod gravius videtur, medietas earum missarum legatis (quorum descriptio apud acta desideratur) devincitur: quae quamvis hodierni capitulares adimplere continuo religiose promittant, utrum tamen successores idipsum censuri sint vel adimplere valeant, ignoratur. Hinc primum pro legatorum securitate temperamentum aliquod capessendum videretur, ne unquam benefactorum animae suffragiis fraudentur. Praeterea de quota annuatim deponenda cogitandum erit. Ex statu passivo quem conficiunt capitulares apparet expensas totum absumere massae redditum. At si quid super uno alterove titulo per oeconomicam industriam resecare lubeat, facile habebitur fundus pro annuo deposito. Sic ex. gr. ingens adnotatur summa duc. 800 sub titulo »spese improviste colla manutenzione della chiesa ed arredi sagri.« Sic etiam assignantur duc. 200 pro expensis judicialibus, praeter honorarium duc. 40 advocato pensitandum.

Non est tamen silentio praetereundum quid circa annui depositi conditionem capitulum perpendit, cui et Episcopus assentitur. »Non può essere obbligato (capitulum) al deposito annuale che si vorrebbe dalla s. Sede per rimpiazzo de' capitali, a motivo che il capitolo fa riflettere che nella circostanza deve riguardarsi piuttosto una permuta che una perfetta alienazione, atteso che il capitolo in forza della erezione della cattedra si venne ad obbligare di dare al Vescovo un palazzo commodo e decente, ed in consequenza, non può essere astretto a verun rimpiazzo di capitali, poichè colla costruzione di detto nuovo palazzo viene col fatto a rimpiazzare i capitali, stante che di quei sottani, che non saranno bisognevoli al Vescovo, gli altri che restano, vanno a beneficio del capitolo, da cui ne viene a percepire una rendita: a tutto ciò si aggiunge il rinfranco di ducati 300 che in ogni anno paga per pigione del palazzo che tiene per uso del Vescovo (in prospectu status passivi ab ipso capitulo exhibito cohibetur ad duc. 170 l' affitto della casa di Monsignore), quale somma ridotta a capitale al cinque per cento, dà la cifra di ducati sei mila.«

Hisce perpensis proponitur dubium:

An et quomodo annuendum sit precibus capituli Ceriniolensis in casu?

S. C. resp.:

Quoad bonorum distractionem et aedificationem novi palatii negative. Esse tamen locum ampliationi et restaurationi domus in via *del Carmine* sumptibus capituli.

Die 25. Januarii et 22. Februarii 1851 et 31. Jan. 1852.

II. Canonicis colleg. pro obtinendo indulto deferendi cappas etc. fieri non potest.

Pro expensis factis a Canonicis pro obtinendo indulto deferendi cappas et rocchettum non possunt ab ipsis alienari bona ecclesiae. S. Congr. Concilii in *una Pratensi Beneplaciti diei 7. Jul. 1696,* quae denegavit capitulo facultatem alienandi capitale scutorum 25 aureorum relictorum eidem una libera facultate erogandi pro ecclesia, ad effectum convertendi dictum capitale pro expensis bullae indulti deferendi cappas et rocchettum, quia non considerabatur utilitas evidens ecclesiae, licet majus decus Canonicorum. Et eadem sacra Congr. Concilii in *una Montis Regalis 19. Maji 1708* occasione, qua in civitate Cunei ejusdem dioecesis erecta fuerat collegiata, adhibita tantum auctoritate Ordinarii. Cumque Episcopus successor Canonicos coegisset ad obtinendam, prout ab initio obtinere debuerant, dispensationem apostolicam, pro qua, quemadmodum etiam pro indulto deferendi rocchetum et cappas, nonnullas fecerunt expensas. Unde pro eorum satisfactione supplicarunt pro facultate alienandi seu obligandi quaedam stabilia ecclesiae, quam eadem s. Congregatio die, qua supra, concessit tantum pro expensis factis pro erectione collegiatae, non autem pro indulto deferendi cappas et rocchetum.

III. Venditio domus confraternitatis.

Romana.

Possidet pia presbyterorum societas in ecclesia s. Mariae de Pace instituta ad excolendam nocturnis exercitionibus christifidelium pietatem parvam domum in urbe ex pia haereditate Raphaelis Nodave provenientem, nonnullis missarum oneribus praegravatam. Hujusce domus valor per peritum recognitus, omnibus subductis oneribus, ad scutata quadraginta ac unum supra quinquaginta cohibetur, et quamvis annuae mercedes ex conductione resultantes ad scuta sex et triginta computari possent, eae reapse annua scutata decem et octo minime praetergrediuntur, eaque ob morositatem et impotentiam conductorum saepe serius atque aegre solvuntur, saepius nulla ratione exigi possunt.

Hisce permoti difficultatibus piae societatis superiores, eaque praesertim ratione, quia parva illa domus in recondito vico vulgo della Penna non longe a platea del Popolo secus profluentem posita ruinam ferme minitatur ac reparationes necessariae ultra vires administrationis praefatae societatis protenduntur, in id unanimiter consenserunt, ut, divendita domo pretium retrahendum utiliori collocaretur investimento. At semel et iterum per publica edicta facto experimento nulloque comparente oblatore, tertio tandem Joseph quidam Transi oblationem dedit bipartitam, vel scilicet emphyteusim super ipsa domo celebrandi perpetuam et ad quoscumque transituram, persoluto annuo canone scutatorum octo, vel emptionis et venditionis contractu celebrato pretium scutatorum quinquaginta supra biscentum tribus distinctis ratis exsolvendi. Postremam moderatores amplectentes oblationis partem preces dederunt pro facultate ad celebrandam enunciati contractus stipulationem, omnibus in emptorem refusis expensis. At, licet precibus faveret Emus Urbis Vicarius, haud expedire visus est propositus venditionis contractus, cum valor aestimativus ingenti biscentorum scutatorum summa pretium oblatum excederet. Dumque in eo eram ut rem totam EE. Patribus dirimendam proponerem, moderatorum unionis sollicitudine factum est, ut, suspensa propositione majoribusque adhibitis diligentiis, novus aparuerit oblator, Joannes Tortori, qui pretium domus ab omni onere (missis in fundatione demandatis exceptis) ac expensis immune ad scutata quinquaginta supra tercentum adauxerit, novaque exhibita periti relatione fatiscentis domus reparationes scutatorum 155 summam expostulantes ejusdem valorem ad scutata biscentum et nonaginta sex tantummodo cohibeant. Rebus ita se habentibus, existimantes praefati moderatores venditionem non solum piae causae utilem fore, quia pretium oblatum realem domus valorem non parum excedit, si summa pro urgentibus reparationibus requisita supputetur, sed etiam necessariam ob unionis impotentiam ad non leves reparationum expensas sustinendas, preces qua voce qua scriptis instantissimas ingeminarunt pro implorata jam facultate obtinenda, salvo tamen jure vigesimae et sextae exindeque prudens Emorum Patrum, paucis adjectis animadversionibus, oraculum exquiritur.

Alienationes bonorum ecclesiasticorum nonnisi concurrente necessitatis vel utilitatis causa permittendas esse sanxerunt romani Pontifices, idemque conciliorum decretis et compluribus S. H. Ordinis resolutionibus firmatum est. Quando autem adsint necessitatis causae, pluribus exemplis assignat *Petra in comment. ad constit. 1. divi Leon. Magn. a n. 3. ad 94. sect. 4;* eas vero inter reponit etiam *sub n. 89.* casum deperitionis rei, nisi vendatur. Utilitas autem pro rei alienatione debet esse evidens et indubitata. Haec tamen concurrit, quoties agitur de re sterili seu infructuosa distrahenda, ut pretium utilius investiatur, *Petra loc. cit. n. 121. et seqq.;* hoc siquidem casu potiusquam alienatio permutatio in melius accipienda est. Atque hoc ita verum est, ut ad ecclesiae utilitatem stabiliendam sufficiat habere rationem ad majores fructus ex novo pretii investimento percipiendos, licet res ipsa vendita majoris valoris sed minorum fructuum fuerit aestimata, ut notat *Petra loc. cit. n. 150,* ubi plurium adducit auctoritatem. Ex peculiaribus denique facti circumstantiis utilitatem ecclesiae

dimetiendam esse tradit idem auctor inferius n. 155: nec proinde certam regulam posse praescribi, sed ex casuum particularium adjunctis rem definiendam esse concludit; ubi tamen statuit ex communi opinione utilem alienationem alicujus rei pro emenda alia majoris utilitatis et fructuum.

Quibus in jure adnotatis in proposita domus venditione animadvertendum est non solum evidentis utilitatis sed etiam cujusdam necessitatis causam haberi. Siquidem agitur de domo ruinam minitante, quae, denegata petita facultate, probabiliter eventura est, cum pia societas mediis careat ad ejusdem reparationem perficiendam, ceu monet in sua relatione Emus Card. Vicarius; unde alicujus causa necessitatis exurgere videtur.

Quoad utilitatem vero, licet prima fronte haec fortasse desideretur, quia pretium oblatum in scutatis 350 longe distat ab aestimatione periti in scutatis 451 et obulis 50; habita tamen ratione ad non levem summam pro urgentibus refectionibus necessariam a reali valore distrahendam evidens omnino verificatur utilitas, cum oblatio Joannis Tortori novissima longe valorem realem in praefata hypothesi transcenderet; ac proinde res venderetur pro alia emenda majoris utilitatis et fructuum. Eoque fortius haec haberetur, quia habita ratione tum ad praesentem domus conditionem tum ad naturam loci, ubi posita est, illius redditus vel nullus est vel ita modicus, ut Emus Vicarius jam tum, cum oblatio ad scutata 250 cohiberetur, affirmare non dubitaverit utilius fore pii loci interesse, si ea diversimode investirentur.

Hisce tamen non obstantibus omittendam non arbitror circumstantiam, a perito in sua relatione narratam, annuam scilicet domus locatae mercedem ad scutata sex supra triginta esse constitutam, licet vix medietatem illius exigi superiores affirment. Ex qua dubium enascitur: utrum magis expediat piae sodalitati propositam alienationem perficere pro scutatis 350, quae ad rationem quincuncem ne decem et octo quidem scutata quotannis redderent, seu potius domum ipsam reficere, mediante etiam aeris alieni creatione, cum domo ipsa reparata, licet in recondito vico posita sit, quia tamen tribus constat tabulatis seu ordinibus, et unumquodque horum duobus cubiculis cum suis commoditatibus, non difficilis videretur annuus ex locatione fructus ad scutata sex et triginta conscendere, maxime cum idem fere remedium suaserit etiam s. Rotae auditorium in *Romana domus 16. Februarii 1604 coram Seraphino.* Quare etc.

S. C. resp.:

Quoad alienationem non expedire, sed potius contrahatur debitum pro summa vere necessaria, minori pro fieri inter usurio, ad effectum explendi reparationes arbitrio Emi Urbis Vicarii, et cum obligatione ultra civiles fructus persolvendos, deponendi annua scuta quindecim pro debiti extinctione, sub poenis, reductis interim misis pro intranti quantitate.

Die 17. Maji 1851.

(Correspond. de Rome 24. Junii 1851. n. 68. p. 295.)

IV. Pro debitis delendis contractis in aedificationem ecclesiae et domus.

Vd.: *Alienatio bonorum ecc'es.* (sanatio, decr. *Fanen.)*

Casalen.

Joannes Baptista Zelio rector paroeciae s. Caroli Ronzoni suburbii civitatis et dioecesis Casalensis, ut novam ecclesiam parochialem construeret, quia angustum existens oratorium incapax erat incolas eidem paroeciae subjectas continere, domumque ei adnexam aedificaret, quae omnino deerat, magnamque impendit pecuniae summam, quam ut sibi pararet non solum duo capita censualia, quae partem donationis ejusdem paroeciae efficiebant, alienavit sed etiam dotalem fundum ad sororem spectantem, nedum alium, quem ab amita sub fideicommissi onere acceperat, consumpsit.

Postulavit obtinuitque a Sanctissimo per rescriptum diei 22. Novembris 1818 ad relationem secretarii s. Congregationis rev. fabricae sanationem alienationis et approbationem applicationis praedictorum censuum della somma di franchi 4891.

At cum nihilominus adhuc plurimo gravetur aere alieno supplex iterum rogavit Sanctissimum, ut ex fundis ad paroeciae dotem spectantibus sibi in perpetuum ac jure dominii cederetur una piccola cascina di moggia venti, mediante però l' obbligo che assumerebbe per se, suoi eredi e successori nell' ipoteca speciale sempre del medesimo fondo di pagare annualmente ed in perpetuo al parroco pro tempore di Ronzone lire duecento. Ipse vero orator cederet favore paroeciae fabricas hucusque extructas

in proprio fundo, nimirum: stalla con fenile, portico, rimessa, camera contigua alla chiesa non cantina sotteranea, e circa un moggio prato, proprii dell' oratore, e la nuova chiesa fabricata per meta.

De more literae ad Episcopum datae sunt, ut de necessitate et utilitate contractus referret ac de summa impensa et adhuc impedenda pro complemento fabricae. Episcopus deputato perito ita retulit: Mihi constat summam hactenus, ut supra, erogatam ascendere ad libellas pedemontanas viginti mille respondentem quatuor mille scutis romanis circiter; summam vero adhuc necessariam pro complemento esse libellarum duodecim respondentem bis mille et quingentis scutis romanis circiter. Quoad contractum vero propositum ab eodem domino oratore cessionis ad ejus favorem ejusque haeredum in perpetuum bonorum in libello descriptorum ad paroeciam Ronzoni spectantium indemnitatis titulo pro expensis jam ab eodem factis de propriis bonis pro constructione fabricae ecclesiae et domus parochialis antedictae, cum onere solvendi in perpetuum parochis pro tempore dictae paroeciae annuum canonem libellarum biscentum praeter cessionem terreni proprii dictae fabricae contigui, quam ad favorem paroeciae ipse facere intendit, evidenter constat, ipsum unice redundare in utilitatem oratoris, eo quod laudata bona producant redditum annuum majorem annuo canone et fructu terreni ab eodem oblati; ast quuum orator ad inopiam se reduxerit pro impensis ab eodem ut supra factis et insuper in easdem insumpserit libellas septem mille circiter, super quibus ejus soror ac nepos jus habebant, ideo ad levandam ejus inopiam et ad suppeditanda eidem media pro solvendis debitis ejusque conscientia sananda arbitror aequum ac justum esse ejusdem votis indulgeri, eo vel maxime, quod adhuc supersit pro parochis Ranzoni etiam post initum dictum contractum redditus sufficiens ad honestam eorumdem substentationem.

Ut tutius reddi posset judicium iterum rogandum censui Episcopum, ut referret in specie de bonis paroeciae favore parochi cedendis eorumque valore et redditu ad monetam romanam, de vera necessitate ineundi hujusmodi contractum et an mediis a ss. concilio Tridentino praescriptis *in sess. 21. cap. 7 de ref.* suppleri posset sumptibus necessariis pro fabrica ecclesiae et pro dimissione aeris alieni a parocho ea de causa contracti.

Refero novae infirmationis verba: Mihi constitit et constat:

1. Bona dictae paroeciae favore parochi cedenda esse quantitatis modiorum viginti ac mediocris qualitatis.

2. Eorumdem valorem capitalem computari posse scut. roman. bis mille circiter ac redditum annuum nitidum scut. octoginta seu libellarum quadringentarum.

3. Necessitatem adesse ineundi contractum, de quo agitur, tum ad levandam inopiam oratoris tum ad ei suppeditanda media pro solvendis debitis imprudenter contractis in reconstructione domus et ecclesiae parochialis ejusque conscientia sananda.

4. Nullum aliud medium in praesens adesse, quo suppleri possit sumptibus necessariis pro fabrica ecclesiae ac dimissione aeris alieni a parocho ut supra impensi. Quibus praemissis, quamquam supraenunciatus contractus non leve damnum paroeciae sit allaturus, attamen, cum orator gravibus in angustiis existat, idcirco in votis essem, ut a s. Congregatione Concilii ejus precibus annueretur.

His in facto praemissis pauca in jure addenda videntur. Sciunt enim Emmi Patres, permitti non posse alienationem rerum ecclesiae, nisi concurrat justa causa aut verae necessitatis aut evidentis utilitatis. His deficientibus innumera sunt s. hujus Congregationis responsa, quibus alienandi facultas denegata est, ut post *text. in cap.: Nulli 5. de alien., et Extrav.: Ambitiosae de reb. eccles. non alien.* respondit s. Congregatio *in Romana Emphyteusis 2. Maji 1818.*

De necessitate constare videtur ex eo, quod juxta Episcopi relationem nullum praesto sit medium tum supplendi expensis pro ecclesia tum pro dimissione aeris alieni a parocho contracti pro fabrica. At haec necessitas directe parochum potius, qui imprudenter debitis sese subjecit, respicit, quam ecclesiam. Unde inferri posset conqueri non posse parochum, si ex iis, quae proprio marte nullaque intercedente legitima authoritate gessit, damnum patiatur. Sed e converso injurium videtur et contra aequitatem, quam semper sectatur ecclesia, ut haec lucrum et commodum sentiat cum alterius damno. Quo vero ad utilitatem eam negat Episcopus in-

dimetiendam esse tradit idem auctor inferius n. 155: nec proinde certam regulam posse praescribi, sed ex casuum particularium adjunctis rem definiendam esse concludit; ubi tamen statuit ex communi opinione utilem alienationem alicujus rei pro emenda alia majoris utilitatis et fructuum.

Quibus in jure adnotatis in proposita domus venditione animadvertendum est non solum evidentis utilitatis sed etiam cujusdam necessitatis causam haberi. Siquidem agitur de domo ruinam minitante, quae, denegata petita facultate, probabiliter eventura est, cum pia societas mediis careat ad ejusdem reparationem perficiendam, ceu monet in sua relatione Emus Card. Vicarius; unde alicujus causa necessitatis exurgere videtur.

Quoad utilitatem vero, licet prima fronte haec fortasse desideretur, quia pretium oblatum in scutatis 350 longe distat ab aestimatione periti in scutatis 451 et obulis 50; habita tamen ratione ad non levem summam pro urgentibus refectionibus necessariam a reali valore distrahendam evidens omnino verificatur utilitas, cum oblatio Joannis Tortori novissima longe valorem realem in praefata hypothesi transcenderet; ac proinde res venderetur pro alia emenda majoris utilitatis et fructuum. Eoque fortius haec haberetur, quia habita ratione tum ad praesentem domus conditionem tum ad naturam loci, ubi posita est, illius redditus vel nullus est vel ita modicus, ut Emus Vicarius jam tum, cum oblatio ad scutata 250 cohiberetur, affirmare non dubitaverit utilius fore pii loci interesse, si ea diversimode investirentnr.

Hisce tamen non obstantibus omittendam non arbitror circumstantiam, a perito in sua relatione narratam, annuam scilicet domus locatae mercedem ad scutata sex supra triginta esse constitutam, licet vix medietatem illius exigi superiores affirment. Ex qua dubium enascitur: utrum magis expediat piae sodalitati propositam alienationem perficere pro scutatis 350, quae ad rationem quincuncem ne decem et octo quidem scutata quotannis redderent, seu potius domum ipsam reficere, mediante etiam aeris alieni creatione, cum domo ipsa reparata, licet in recondito vico posita sit, quia tamen tribus constat tabulatis seu ordinibus, et unumquodque horum duobus cubiculis cum suis commoditatibus, non difficilis videretur annuus ex locatione fructus ad scutata sex et triginta conscendere, maxime cum idem fere remedium suaserit etiam s. Rotae auditorium in *Romana domus 16. Februarii 1604 coram Seraphino.* Quare etc.

S. C. resp.:

Quoad alienationem non expedire, sed potius contrahatur debitum pro summa vere necessaria, minori pro fieri inter usurio, ad effectum explendi reparationes arbitrio Emi Urbis Vicarii, et cum obligatione ultra civiles fructus persolvendos, deponendi annua scuta quindecim pro debiti extinctione, sub poenis, reductis interim misis pro intranti quantitate.

Die 17. Maji 1851.

(Correspond. de Rome 24. Junii 1851. n. 68. p. 295.)

IV. Pro debitis delendis contractis in aedificationem ecclesiae et domus.

Vd.: *Alienatio bonorum ecc'es.* (sanatio, decr. *Fanen.)*

Casalen.

Joannes Baptista Zelio rector paroeciae s. Caroli Ronzoni suburbii civitatis et dioecesis Casalensis, ut novam ecclesiam parochialem construeret, quia angustum existens oratorium incapax erat incolas eidem paroeciae subjectas continere, domumque ei adnexam aedificaret, quae omnino deerat, magnamque impendit pecuniae summam, quam ut sibi pararet non solum duo capita censualia, quae partem donationis ejusdem paroeciae efficiebant, alienavit sed etiam dotalem fundum ad sororem spectantem, nedum alium, quem ab amita sub fideicommissi onere acceperat, consumpsit.

Postulavit obtinuitque a Sanctissimo per rescriptum diei 22. Novembris 1818 ad relationem secretarii s. Congregationis rev. fabricae sanationem alienationis et approbationem applicationis praedictorum censuum della somma di franchi 4891.

At cum nihilominus adhuc plurimo gravetur aere alieno supplex iterum rogavit Sanctissimum, ut ex fundis ad paroeciae dotem spectantibus sibi in perpetuum ac jure dominii cederetur una piccola cascina di moggia venti, mediante però l' obbligo che assumerebbe per se, suoi eredi e successori nell' ipoteca speciale sempre del medesimo fondo di pagare annualmente ed in perpetuo al parroco pro tempore di Ronzone lire duecento. Ipse vero orator cederet favore paroeciae fabricas hucusque extructas

in proprio fundo, nimirum: stalla con fenile, portico, rimessa, camera contigua alla chiesa non cantina sotteranea, e circa un moggio prato, proprii dell' oratore, e la nuova chiesa fabricata per meta.

De more literae ad Episcopum datae sunt, ut de necessitate et utilitate contractus referret ac de summa impensa et adhuc impedenda pro complemento fabricae. Episcopus deputato perito ita retulit: Mihi constat summam hactenus, ut supra, erogatam ascendere ad libellas pedemontanas viginti mille respondentem quatuor mille scutis romanis circiter; summam vero adhuc necessariam pro complemento esse libellarum duodecim respondentem bis mille et quingentis scutis romanis circiter. Quoad contractum vero propositum ab eodem domino oratore cessionis ad ejus favorem ejusque haeredum in perpetuum bonorum in libello descriptorum ad paroeciam Ronzoni spectantium indemnitatis titulo pro expensis jam ab eodem factis de propriis bonis pro constructione fabricae ecclesiae et domus parochialis antedictae, cum onere solvendi in perpetuum parochis pro tempore dictae paroeciae annuum canonem libellarum biscentum praeter cessionem terreni proprii dictae fabricae contigui, quam ad favorem paroeciae ipse facere intendit, evidenter constat, ipsum unice redundare in utilitatem oratoris, eo quod laudata bona producant redditum annuum majorem annuo canone et fructu terreni ab eodem oblati; ast quuum orator ad inopiam se reduxerit pro impensis ab eodem ut supra factis et insuper in easdem insumpserit libellas septem mille circiter, super quibus ejus soror ac nepos jus habebant, ideo ad levandam ejus inopiam et ad suppeditanda eidem media pro solvendis debitis ejusque conscientia sananda arbitror aequum ac justum esse ejusdem votis indulgeri, eo vel maxime, quod adhuc supersit pro parochis Ranzoni etiam post initum dictum contractum redditus sufficiens ad honestam eorumdem substentationem.

Ut tutius reddi posset judicium iterum rogandum censui Episcopum, ut referret in specie de bonis paroeciae favore parochi cedendis eorumque valore et redditu ad monetam romanam, de vera necessitate ineundi hujusmodi contractum et an mediis a ss. concilio Tridentino praescriptis *in sess. 21. cap. 7 de ref.* suppleri posset sumptibus necessariis pro fabrica ecclesiae et pro dimissione aeris alieni a parocho ea de causa contracti.

Refero novae infirmationis verba: Mihi constitit et constat:

1. Bona dictae paroeciae favore parochi cedenda esse quantitatis modiorum viginti ac mediocris qualitatis.

2. Eorumdem valorem capitalem computari posse scut. roman. bis mille circiter ac redditum annuum nitidum scut. octoginta seu libellarum quadringentarum.

3. Necessitatem adesse ineundi contractum, de quo agitur, tum ad levandam inopiam oratoris tum ad ei suppeditanda media pro solvendis debitis imprudenter contractis in reconstructione domus et ecclesiae parochialis ejusque conscientia sananda.

4. Nullum aliud medium in praesens adesse, quo suppleri possit sumptibus necessariis pro fabrica ecclesiae ac dimissione aeris alieni a parocho ut supra impensi. Quibus praemissis, quamquam supraenunciatus contractus non leve damnum paroeciae sit allaturus, attamen, cum orator gravibus in angustiis existat, idcirco in votis essem, ut a s. Congregatione Concilii ejus precibus annueretur.

His in facto praemissis pauca in jure addenda videntur. Sciunt enim Emmi Patres, permitti non posse alienationem rerum ecclesiae, nisi concurrat justa causa aut verae necessitatis aut evidentis utilitatis. His deficientibus innumera sunt s. hujus Congregationis responsa, quibus alienandi facultas denegata est, ut post *text. in cap.: Nulli 5. de alien., et Extrav.: Ambitiosae de reb. eccles. non alien.* respondit s. Congregatio *in Romana Emphyteusis 2. Maji 1818.*

De necessitate constare videtur ex eo, quod juxta Episcopi relationem nullum praesto sit medium tum supplendi expensis pro ecclesia tum pro dimissione aeris alieni a parocho contracti pro fabrica. At haec necessitas directe parochum potius, qui imprudenter debitis sese subjecit, respicit, quam ecclesiam. Unde inferri posset conqueri non posse parochum, si ex iis, quae proprio marte nullaque intercedente legitima authoritate gessit, damnum patiatur. Sed e converso injurium videtur et contra aequitatem, quam semper sectatur ecclesia, ut haec lucrum et commodum sentiat cum alterius damno. Quo vero ad utilitatem eam negat Episcopus in-

tercedere in proposito contractu, quia parochus postulat sibi in perpetuum addici fundum anni redditus libellarum 400 oblato canone biscentum tantum libellarum. Unde non solum procul abest evidens utilitas, sed imo ecclesia perpetuo subjiceretur damno in medietate responsionis. At videant Emmi Patres, utrum hujusmodi calculus stricte ac simpliciter relate ad fundum accipi debeat seu potius habenda sit ratio etiam cessionis della stalla con fenile, portico, rimessa, camera contigua alla chiesa oon cantina sotterranea, e circa un moggio di prato e la nuova chiesa fabricata per metà.

Si aequitatem potius quam juris rigorem sequi placeat Emmis Patribus, consulendum etiam erit prosequutioni fabricae ecclesiae.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit annuendum precibus oratoris in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 22. Febr. et 22. Mart. 1823.

e) Consuetudo circa eam.

Vd. p. 438. g.

Forosempronien.

Hodiernus Episcopus antiquam in Forosemproniensi dioecesi invaluisse deprehendit consuetudinem, qua Episcopi decessores veniam tribuere consueverunt alienandi bona ecclesiastica, romanorum scutatorum quinquaginta aestimationem non excedentia. Verens autem, ne hujusmodi consuetudo sacris canonibus atque apostolicis constitutionibus adversaretur, priusquam eam divellere aut confirmare aggrederetur, Sedis apostolicae sensum exquirendum deliberavit. Quamobrem in postrema status suae ecclesiae relatione postulavit, num memorata consuetudo sive centenaria sive quadragenaria sit probanda.

A priscis usque ecclesiae temporibus lex viguit, ecclesiastica bona alienari non posse nisi justa intercedente causa ac certis servatis solemniis; quam legem sacri canones ediderunt et civiles leges ratam firmamque haberi voluerunt, uti constat ex *can. 13. caus. 17. q. 4, Ep. 17. s. Leonis Magni ad univ. Episcop. Sicil. can. 52. caus. 12. qu. 2; concil. Carthaginiensi can. 4. tom. 2, L. 14 et 17. cod. de sacros. eccles. ac Novel. 7. cap. 1;* idque provide sancitum, ne, patrimonio ecclesiae consumpto divinus cultus minueretur, clerici egerent, pauperes subsidio privarentur, templa in praeceps ruerent. Ad compescendam vero, quae temporis successu valde increbuerat, cupiditatem illorum, qui immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata usurpare vel in profanos usus convertere praesumerent, Paulus II. in notissima *Extravag.: Ambitiosae de reb. non alien.* omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem vetuit atque eos, qui inconsulto romano Pontifice bona ejusmodi distraherent aut distracta reciperent, censuris aliisque poenis subjecit initosque contractus nullius omnino roboris ac momenti esse decrevit.

Nihilominus nonnullae exstant res ecclesiasticae, quarum alienatio etiam sine apostolicae Sedis beneplacito non prohibetur. Hujusmodi sunt terrulae, vincolae aliaeque res parvi valoris: legitur enim in *can.: Terrulas caus. 12. quaest. 2.:* »Terrulas aut vincolas exiguas et ecclesiae minus utiles, ut longe positas parvas, Episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat facultatem«. Neque huic canoni derogatum fuisse per *Extravag.: Ambitiosae* aut per concilium Tridentinum *sess. 22 et 25 cap. 11 de reform.;* ad unum omnes docent doctores atque ita declarasse sacram Congregationem *die 11. Januarii 1596.* testatur *Fagnanus in cap.: Nulli num. 5. de reb. eccles. non alien.* Cumque neque ex alia constitutione appareat, quaenam res sint exigui valoris, canonistae in varias abeunt sententias.

Quidam terrulas ac res modici valoris vocant, quae non aestimantur ultra 25 ducata de camera, seu 25 scutata aurea, quae summam constituunt *scut. 41 et obol. 25 monetae romanae,* prout referunt *thesaur. For. eccles. part. 4. cap. 1. num. 73., de Bene cap. 17. dub. 1. num. 23., sac. Congregatio in Lauretana Nullitatis contractus 30. Augusti 1788.* §. *Neque.* Alii censent res exigui valoris eas esse, quae pretium non attingunt aureorum centum, quaeque annuum non afferunt fructum quinque aureis majorem, *Lauren. jus canon. lib. 3. tit. de reb. eccles. non alienan. quaest. 112. num. 2; Castropal. tract. 12. disc. unic. part. 15.* §. *1. num. 2; Zerol. prax. Episcop. v. alienatio* §. *ad sextum.* Tandem nonnulli media incedentes via prudenti judicis, hoc est Episcopi, arbitrio relinquendum arbitrantur, ut ipse, perpensis facultatibus ecclesiae alienantis, valore rei alienandae, temporum circumstantiis ac locorum consuetudine judicet, quaenam terrulae, vincolae caeteraeque res sint modici valoris, *Menoch. de arbitr. judic. lib. 2. cas. 145. num. 4; Card. de Luca de alienat. disc. 1. num. 117, 118; Reiffenst. lib. 3 decret. tit. 13. num. 38.*

Huic postremae sententiae adhaesisse sacram Congregationem refert *Fagnan. in cap.: Nulli num. 26. de reb. non alien.* Cum enim Massanensis Archiepiscopus declarari efflagitasset, ad quam usque quantitatem sibi liceret terrulas ac vincolas minus utiles sine apostolico beneplacito alienare, sac. Congregatio *die 13. Septembris 1613* respondit: *Petendum esse a jure communi*, imo alias censuit, teste ipso Fagnano, non esse tutum definire, quae res dicantur exiguae. Verum *Card. Petra in comm. ad const.: Ambitiosae Pauli II. tom. 5. n. 66. p. 427 ac Giraldi exposit. jur. pontif. lib. 3. decret. tit. 13. sect. 414.* aliique affirmant, hunc sacrum ordinem *die 13. Aprilis 1698* Archiepiscopo Barensi, percontanti in visitatione ss. liminum, ad quem usque valorem facultatem tribuere posset alienandi res ecclesiasticas, responsum dedisse: *Non posse Episcopum concedere facultatem ultra viginti quinque scuta aurea:* eamdemque referunt editam fuisse resolutionem a *sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Faventina 22. Martii 1711.* Hisce pondus addere nituntur ex rescripto hujus s. Congregationis, quae in *Papien. Incisionis arborum diei 15. Martii 1710* typis edita in *thesauro resolutionm anni 1740. pag. 188* censuit, non subsistere licentiam datam pro incisione arborum valorem scutorum sexaginta deductis expensis non excedentium, sed animadvertere praestat, nullitatem veniae in eo casu impertitae ex alio etiam scatere potuisse, nimirum ex decreto inhibitionis non incidendi arbores litigiosi beneficii, aut ex defectu forsitan specialis mandati Episcopi favore Vicarii generalis, qui veniam cedendi populas arbores praeposito Mombellio tribuerat; nam Vicarium sine speciali Episcopi mandato frustra veniam concedere alienandi bona ecclesiae tradunt *Card. Petra loc. cit. num. 68; Rodoan. de reb. eccles. non alien. quaest. 41. num. 60; Rot. cor. Emerix. sen. decis. 14. num. 8.*

In hac rerum dubietate ac sententiarum varietate magni facienda videtur consuetudo centenaria aut saltem quadragenaria, quae in Forosemproniensi dioecesi inolevit. Nihil sane magis tritum, inquit *Bened. XIV. de synodo dioec. lib. 12. cap. 8. n. 8.*, quam legem quamlibet humanam etiam canonicam posse contraria consuetudine, quae sit rationabilis et legitime praescripta, abrogari juxta textum *in cap.: fin. de consuetud.* Consuetudo autem centenaria, imo etiam quadragenaria, actorum frequentia praedita, bonis moribus non adversa nec ecclesiasticae disciplinae nervum disrumpens, potis est abrogare canonicam legem. *Schmalzgr. jus. can. part. 1. tit. 4. num. 20; s. Congreg. in Nullius Sublacen. Jurium parochialium 29. Januarii 1825.* §. *Rationabilis.* Quod quidem eo magis in praesenti casu locum sibi vindicare debet; siquidem non agitur de abroganda lege sed tantummodo de praefiniendo valore, intra cujus limites ad praescriptum *can.: Terrulas* contineatur Episcoporum potestas in impertienda facultate alienandi bona ecclesiastica.

Erit itaque Emmorum Patrum decernere:

An sit probanda consuetudo centenaria aut quadragenaria in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 21. Julii 1827.

f) Ab una ecclesia in aliam et inter earum personas.

Vd.: *Alienat. bonor. eccl.* (quae alienari non possunt p. 463; sine solemnitate etc; facult. apost. est necessaria p. 438. h.)

Sine solemnitatibus et beneplacito apostolico nequit fieri alienatio ab una ecclesia in aliam imo neque inter personas ejusdem ecclesiae, ne, ut tenet *Rota part. 7. decis. 191. num. 12*, detur occasio discooperiendi unum altare pro altero cooperiendo ad diminutionem divini cultus; et colligitur clare *ex cap. 1. de rebus eccles. non alienand. in 6*, ubi fuit declarata invalida alienatio decimarum facta ab una ecclesia in aliam sine requisitis solemnitatibus; qui dicit textus: *Tractatus solemnis et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis et alienationibus rerum et ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem.* Et ad hoc facit etiam *cap.: Sine exceptione 12. caus. 12*, ubi generaliter prohibetur fieri donationes, venditiones, permutationes aliasque omnes alienationes rerum ecclesiasticarum sine solemnitatibus requisitis, adeoque ibi censentur etiam prohibitae alienationes de una ecclesia in aliam, cum, ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus: *leg. Non distinguemus, ff. de recept.*

arbitr. leg. Praeses. ff. de officio Praesidis, cap.: Quia circa 22. de privileg. cum similibus, et lex generaliter loquens generaliter sit intelligenda: *leg. 1. §. generaliter, ff. de legat. praest.* Et hanc sententiam tenet *Rota part. 4. tom. 2. dec. 234. num. 12*; *Abbas in cap.: Sicut nostri num. 4. de jurejurand.; Redoan., Navarr., Rebuff, Gratian. Seraph.* aliique plurimi secundum praxim curiae romanae, quam talem esse testantur etiam doctores contrariae sententiae et sic declaravit sac. Congregat. Concil. *in una Neapolitana 24. Januarii 1732* his verbis: *Sacra etc. Dubio proposito mature discusso censuit permutationem inter duas ecclesias absque solemnitatibus factam effectuatam minime sustineri et rectores ipsarum ecclesiarum incidisse in poenas cap. 11. sess. 12. de reformat. et Extravagantis: Ambitiosae*; et *in visitatione ss. Liminum Episcopi Carthaginiensis 11. Junii 1712. ad primum.*

Ex receptione canonistarum sententia *Extravag.: Ambitiosae* sibi vindicat in alienationibus quoque de una in aliam ecclesiam perficiendis, ut *ad text. in cap. 1 de reb. eccles. non alienan. in 6* tradit *Rota in Compostellana Permutationis 1. Dec. 1749. §. 2. cor. Millino* et *s. Congregatio in Senogallien. 8. Aug. 1801.* Verum in re nostra agitur de transactione inter Canonicos ejusdem ecclesiae, et de emolumentis ipsis debitis statuitur hoc potius vel illo modo distribuendis. Quare, cum nec ecclesia bonis privetur nec damnum ullum ferre possit, omnino cessat ratio, quamobrem alienatio nulla praeeunte venia apostolica inter ecclesias interdicta sit, et nullo modo requiri apostolicum beneplacitum tenent *ad text. in cap. 1 et cap. final. de pact. in 6; Scarfanton. ad Ceccoper. tit. 1. num. 20. tom. 1 Card. de Luca de Canon. et capit. disc. 30. num. 19; Rota decis. 218. num. 3. part. 7. Recen., et in Sulmonen. Juris participandi 3. Martii 1752. §. final. cor. Canilliac.*

Die 19. Jan. 1805.

g) Episcopi facultas.

Vd.: *Beneficium* (fructus, cessio vetita, Constit. Bened. XIV. diei 29. Aug. 1741); *Alienat. bonor. eccles.* (consuetudo p. 436; sine solemnitate quae etc.)

Leo Ep. Urbis universis Episcopis per Siciliam constitutis salutem in Domino.

Occasio specialium quaerelarum curam Nobis providentiae generalis indicit, ut quod, in duabus provinciae vestrae ecclesiis improbe gestum injusteque praesumptum est, id constitutione perpetua ab omni Episcoporum usurpatione resecemus.

§. 1. Taurominitanis enim clericis ecclesiae deplorantibus nuditatem, eo quod omnia ejus praedia vendendo, donando et diversis modis alienando Episcopus dissiparet, etiam Panormitani clerici, quibus nuper est ordinatus Antistes, similem quaerimoniarum in sancta synodo, cui praesidebamus, de usurpatione prioris Episcopi causam detulerunt.

§. 2. Quamvis ergo ordinatum a Nobis sit, quemadmodum utriusque ecclesiae utilitatibus consulatur, ne tamen hoc perniciosum nequissimae depraedationis exemplum cuiquam posthac fiat imitabile, hanc praecepti nostri formam apud dilectionem vestram volumus esse perpetuam; qua sine exceptione decernimus, ut ne quis Episcopus de ecclesiae suae rebus audeat quidquam vel donare vel commutare vel vendere, nisi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium ecclesiae profuturum.

§. 3. *Nam presbyteri vel diaconi aut cujuscumque ordinis clerici, qui conniventiam in ecclesiae damna miscuerint, sciant se et ordine et communione privandos*, quia plenum justitiae est (fratres carissimi), ut non solum Episcopi sed etiam totius cleri studio ecclesiasticae utilitatis incrementa serventur et eorum munera illibata permaneant, quae pro animarum suarum salute fideles de propria substantia ecclesiis contulerunt.

Dat. die 31. Octobris anno Domini 447 pontif. Leonis anni VIII.

(Bull. r. t. I. p. 65. Ed. Aug. Taurin. 1857.)

h) Facultas Apost. est necessaria.

Vd.: *Alienat. bon. eccles.* (causae p. 420; solemnit. praescriptae; a Monialibus etc. p. 445.)

In nullo juris loco permittur sine solemnitatibus alienatio de una in aliam ecclesiam, imo reprobatur aperte ab Innocentio IV. in cap.: *I de reb. eccl. non alienan. in 6*; sequitur hinc, ut in alienationibus inter ecclesias necessariae sint solemnitates et venia apostolica. Hanc sententiam secuta est tum *s. Rota in Compostellana Permutationis 1. Decembris 1749. §. 2. coram Millino*, tum

s. Congregatio *in una Regularium Alienationis 27. Februarii 1666*, in qua dubio proposito: *An alienationes inter monasteria ita prohibitae atque interdictae censeantur, ut absque s. Congregationis licentia perfici non possint?* rescripsit: Ita esse prohibitas, ut ex lib. 25. Decr. p. 50. a trg.

Die 8. Aug. 1801. *Senogallien.*

Ad validam bonorum ecclesiae alienationem spectanda potissimum est alienantis potestas; *text. in cap.: Potuit 4. de locat. et conduct., et leg. 1 et 3. Cod. de jur. emphyt.*

Die 4. Apr. 1789. *Beneventana.*

Tantae gravitatis et momenti habitum usque in ecclesia est, rerum ecclesiasticarum alienationem nonnisi quam diligentissimo examine solemnioribusque judiciis permittere. Itaque ipsa Mediolanensis ecclesia debuit apostolicae veniae necessitatem agnoscere pro ecclesiasticis bonis alienandis, quamvis in ea dioecesi, quo tempore praeerat s. Carolus Borromaeus, mos invaluisset alienandi bona ecclesiarum, inconsulta apostolica Sede, ut rem narrat *Benedictus XVI. de synodo lib. 12. cap. 8. num. 9 et seq.* . . . Grave igitur esse non debet Ecclesiensi capitulo ad apostolicae Sedis auctoritatem confugere, cum census alienare opus ei fuerit.

Die 16. Aug. 1794. *Ecclesien.*

Quamquam censura *Extravagantis: Ambitiosae* extendatur etiam ultra *alienationes*, de quibus in *litera* ejusdem constitutionis agitur ad tradita *per Redoan de reb. eccles. non alienan. rub. 1. can. 47. num. 14; Leuren jus can. lib. 3. tit. 13. quaest. 142*, ita ut nefas habeatur sine venia apostolica celebrare contractus omnes, in quibus ecclesia laesionem ferre possit, ut docet *Rota decis. 235. num. 7. part. 17. Recen.*: attamen si contractus fit ex causa necessaria, ut ajunt *necessitate juris*, tum valere contractum sine beneplacito tenent canonistae, qui sequuntur, theoriam *Antonii de Burrio in cap.: Pastoralis de iis, quae fiunt a praelatis num. 11*, et prae caeteris *Fagnan. in cap.: Nulli n. 27. de reb. eccles. non alienan.: Gales de alien. pag. 165. vers. 6; Card. de Luca disc. 1. num. 120. de alienat.; Petra comment. ad constit. apostol. tom. 1. pag. 101. num. 3.*

Die 24. Novbr. 1804.

Compertum sane est apud omnes, quod locatio bonorum ecclesiae ultra triennium fieri non potest inconsulta Sede apostolica. Id quod eruitur ex ipsa *Extravagan.: Ambitiosae teste Louvrex dissert. can. 13. n. 71; Rota decis. 154. rum. 3 et 4. coram Molin.* Neque locatio hujusmodi ad novenium fieri poterat sine beneplacito, quippe agebatur de domo, quae locari consueverat, ut tradit *Rota decis. 628. num. 3. part. 19. Recen.* Non enim affertur aut una locatio solemnis ad novenium vel aliae non solemnes per annos saltem quadraginta observatae, ut necesse esset ad probandum *solitum*, ut advertit *Rota decis. 252. num. 10. part. 7. Recen.*

(Ibidem.)

Post incorporationem et non existente dicto praecepto testatoris seu etiam existente, sed solum generaliter, ut bona vendantur, et non specialiter, ut certa et determinata bona vendantur, requiritur beneplacitum apostolicum pro alienatione certorum et determinatorum bonorum. Et ratio est, quia ecclesia potest laedi in venditione horum potius quam aliorum bonorum, propter quam rationem non potest a pari tutor alienare bona pupilli haeredis pro solvendis debitis testatoris sine solemnitatibus, licet ipse testator mandaverit debita solvi, ut bene *Surd. dec. 77. num. 2. Gratian. dec. Marchiae 131. num. 4*, quia intelligi debet, ut fiat servatis servandis, ut ex verbis textus *in l. 1. ff. de rebus eorum; Gratian. loc. cit. num. 5*, et ut non requirantur solemnitates, necesse est, ut testator mandaverit alienari certam et determinatam rem pro debitis solvendis, nam si facultas fuerit generalis et indeterminata, requiruntur solemnitates, quia potius in una quam altera re vendenda potest dari laesio, ut bene *Gratian. loco cit. n. 7 et 8; Surd. cons. 151. num. 16. vers. ex his, et dec. n. 2. et seq.*; et *Rota part. 12. recent. dec. 355.* et *part. 19. tom. 2. dec. 579. num. 27 et 28.* Hinc ecclesia haeres debitoris in scutis tot nequit assignare pro credito certum et determinatum fundum sine beneplacito apostolico, non existente praecepto testatoris de tali certo et de terminato fundo assignando, quia potest ecclesia laedi vel in assignatione vel circa pretium, unde in simili casu *s. Cong. Conc. in una Policastren. 5. Julii 1681 ad dubium*: *An ecclesia seu capella possit sine beneplacito apostolico ad hujusmodi assignationem devenire? respondit: Negative, sed Episcopus absolvat et convalidet contractum, quia aderat utilitas.*

Bona ecclesiae relicta nequeunt sine apostolico beneplacito alienari tametsi testa-

tor dixerit, quod alienari ea possint nullo interveniente apostolico beneplacito, idque quia hominis dispositio nequit immutare sanctiones sacrorum canonum. Id tamen procedere, si agatur de bonis directe ecclesiae relictis, itaut dominium eorum jam nacta sit. Caeterum si bona jure legati a testatore directe relicta sint executore testamentario eaque nondum ad ecclesiam pervenerint, possunt absque beneplacito apostolico alienari; vide *Rotam in Melevitana transactionis 28. Aprilis 1747. cor. Illmo Caprara Almae Urbis Gubernatore,* ubi et illud, ex quibus beneplacitum apostolicum haberi debeat pro impetrato. Beneplacitum apostolicum reservatum per verba importantia necessitatem non impetratum irritat actum, etiamsi de jure non requirebatur. Quando vero reservatum necne dici per verba importantia necessitatem debeat, consule *Rot. in Hispalen. Primitiarum 19. April. 1720 et 21. Januarii 1721. coram b. me. Foscar.; in Romana seu Albanen. Manutentionis 11. Januarii 1725. cor. mox laudato bo. me. Foscaro,* et *in Pennen. Jurispatronatus 3. Julii 1774 et 8. Martii 1745. cor. b. me. Millin.*

Quoties contrahentes adjiciunt aliquam pactionem vel conditionem reservato beneplacito apostolico, si postea summus Pontifex illam rejiciat vel moderetur, partes censentur etiam consensisse illi rejectioni vel moderationi: *Rota in Compostellana Beneficii 7. Maji 1736. cor. bo. me. Harrac.*

De nullitate actus ex defectu beneplaciti apostolici potest agere quicumque, cujus interest; *Rota in Romana Pecuniaria 4. Junii 1723. cor. bo. mem. Foscaro.*

Quod dicitur, beneplacitum Apostolicum post lapsum centenarium praesumendum*) esse in alienatione rei ecclesiae, id locum sibi vindicat, si conformis subsecuta sit observantia, secus e contra, *Rota in Colonien. Decimarum 29. April. 1733 coram Emmo Crescentio.*

Postulat praesul Calderini, ut rescindatur contractus ille emphytheusis, quem anno 1786 praesul Marescotti inivit omnino irrite tum ob defectum beneplaciti apostolici tum ob damnum, quod ex hac emphytheusi beneficio obvenit. Quae duo sive conjunctim sive divisim concurrant irritant prorsus bonorum ecclesiae contractus ad tradita per *Redoan. de alien. rer. eccles. quaest. 51; Card. Petra comment. ad constit. apostol. tom. 1. const. 1. sect. 3. num. 60; Rota in Firmana Nullitatis Emphytheusis 29. Martii 1805. §. 3. cor. Gardoqui.*

Die 13. Septb. 1806. *Urbevetana.*

Censura *Extravagantis: Ambitiosae de reb. eccles. non alienan.* protenditur ultra alienationes, de quibus in litera ejusdem constitutionis agitur ad tradita per *Rodoan. de reb. eccles. non alienan. rubric. 1. can 47. num. 14; Leuren. jus can. lib. 3. tit. 13. quaest. 142,* ita ut nefas habeatur sine venia apostolica celebrare contractus omnes, in quibus ecclesia jacturam facere possit, ut docet *Rota decis. 235. num. 7. pag. 11; s. Congregatio in Romana Beneplaciti 24. Novembris 1804.*

Die 27. Apr. 1816. *Fanen.*

*) Dictum est beneplacitum apostolicum praesumendum esse ex centenaria. Hic vero notandum est, quid si materia, de qua agitur, sit odiosa, centenaria debet esse completa, ita ut si aliqui deficiant anni, allegari nequeat ipsa centenaria, ut firmavit *Rota coram Lancett. dec. 863. n. 7; cor. Falconer. dec. 13. num. 4. tit. de censib.*; *cor. Crescent. dec 412. num. 26,* ibi: Qualiscumque fuerit observantia, apta non erat notam attingere centenariae, quae in hac odiosa irregulari atque exorbitanti materia validissimam habens juris resistentiam debet esse completa; *in Celsonen. annuae praestationis 9. Junii 1752. § 16, coram clar. mem. Mattaejo,* ibi: Ducto calculo ab anno 1598, quo decessit Gallus, ad annum 1693, quo successit Paulus, contra quem haec lis statim instructa fuit, deficerent anni pro complemento centenariae. Unde in re tam gravi admittenda certe non est, semel ac completa ad liquidum non inspiciatur; *in Sutrina Juris pascendi 16. Mart. 1753. §. 2. coram cl. me. Elephantutio, et 29. April. 1754. coram bon. mem. Canilliac.,* ibi: Respectu hujus secundi temporis sejunctim supradicti deficit materialis cursus centum annorum, qui ad centenariae probationem in hac praesertim odiosa materia omnino completus esse debet.

Nescii haud sumus, quod *die 15. Martii anno 1783* prodiit decisio in *Romana Locationis* super devolutione et associatione, in qua firmatum videtur non obstante temporis defectu allegari posse centenariam, quamvis ageretur de materia odiosa. Sed causa haec cursum non habuit partesque se composuerunt, sed etsi cursum habuisset, non esset quod allegari posset contra sententiam supremi tribunalis Rotae, quod defectus paucorum annorum in materia odiosa sufficiat, ut centenaria vim nullam habeat. In ea quae mox allegatu fuit Celsonen. annuae praestationis, solummodo quatuor anni deficiebant ad materiale complementum centenariae, nihilominus, quia agebatur de materia odiosa, respondit sacrum tribunal: *Non prodesse allegatam centenariam.*

Alienantes res ecclesiae sine apostolica venia censuris innodantur ex *Extravaganti: Ambitiosae de reb. eccles. non alienan.*, et tenentur reintegrare ecclesiam, in quantum ex commissa alienatione deterior facta sit ejus conditio, ut *ad text. can.: Monemus 18. caus. 12. quaest. 2. cap.: Ex praesentium 3. de Pignor* tradunt *Reiffenstuel jus can. lib. 3. tit. 13. §. 3. num. 62; Schmalzgrueb. jus eccl. tom. 3. part. 1. tit. 13. num. 149.*

Die 1. Mart. 1827. *Matilicen.*

Nulla est alienatio commissa absque beneplacito apostolico nec concurrente legitima causa et ecclesiae utilitate contra censuram *Extravagantis: Ambitiosae de reb. ecclesiae non alienan.*

Die 29. Mart. 1817. *Montis Alti.*

In notissima *Extravagant.: Ambitiosae,* vetitam esse bonorum ecclesiae locationem ad novennium, nisi accedat beneplacitum apostolicum.

Die 30. Maji 1078. *Nullius Faren.*

i) Sine apost. facultate.

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (consuetudo p. 436; nulla est etc. p. 446; sine solemnitatibus quae etc.).

Capellaniae laicalis bona distrahi possunt sine apostolico beneplacito, *Card. de Luca de alienat. disc. 1. num. 11; Card. Petra ad const.: Ambitiosae sect. 3. num. 26. tom. 5; Rot. in Romana seu Leodien. Immissionis 3. Febr. 1755 §. 2. cor. Caprara; S. Congr. in Ferrarien. 16. Febr. 1788 §. Plura.*

Die 15. Septbr. 1827. *Perusina.*

Sine beneplacito apostolico alienari possunt bona immobilia relicta monasterio seu ecclesiae incapaci ea retinendi, ut sunt monasteria ordinis Minorum de Observantia s. P. Francisci Reformatorum, Capuccinorum, Clericorum regularium seu Theatinorum et domus professae societatis Jesu. Et ratio est, quia talia bona immobilia non sunt monasterio incorporata ob incapacitatem ejusdem, *ex Clementina: Exivi, de verb. signification.,* et *ex cap.: Exiit qui seminat §. Ad haec quia de verb. significat. pro Minoribus,* et ex speciali etiam decreto sacrae Congregationis, quae 12. Aprilis 1725 censuit: *Fratres Minores de Observantia non comprehendi sub prohibitione alienandi immobilia, census et annuos redditus,* et ex decreto sacrae Congr. Conc. *pro Theatinis,* ut refert *Donat. tom. 1. part. 2. tract. 14. qu. 67.* his verbis: »Sacra Congreg. Cardinalium Concil. Trident. interpretum censuit religionem Clericorum regularium Theatinorum, quamdiu institutum superius propositum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus ecclesiae non alienandis.« Isti enim omnes cum neque in communi bona immobilia, ut agros, vineas et similia possint possidere, si quae talia eis legentur, possunt ea vendere sine juris solemnitate et pretium expendere in necessitatem ac utilitatem ecclesiae vel monasterii, ut concessit nostro ordini de Observantia Clem. VII. 23. Novbr. 1526 in *const.* incip.: *Nuper.*

In bonis ecclesiae alienandis, si quidem fiat ex juris necessitate, placitum romani Pontificis non desiderari suadet auctoritas *Reiffenst. lib. 111. tit. 13. num. 30*; *Petra t. 1. fol. 101. num. 36.*

Die 3. Apr. 1841. *Assissien.*

Bononien.

Ditissimum, quod Bononiae extat, pium opus laicis curatoribus perpetuo moderatum, nec ulla, quod constet, ecclesiastica auctoritate erectum, cui praecipua cura est pauperibus verecundis (vulgo vergognosi) opem suppeditare, haereditate sua donavit paucis abhinc annis supremo elogio suo ad diem 8. Junii 1830 recluso Franciscus Pisarri Bononiensis. Postquam enim usufructuariam dixerit uxorem suam Gertrudem Certani, hanc de universis bonis suis legem edixit: »In tutti poi i miei beni, azioni, ragioni e diritti, presenti e futuri, e cosi pure nell' usufrutto della mia eredità, allorchè si consoliderà colla proprietà, cessando di vivere detta mia Signora consorte, istituisco e scrivo eredi universali i Signori procuratori e governatori pro tempore dell' opera de' poveri vergognosi di questa città di Bologna coll' obligo di errogare senza render conto a chicchesia, benchè tale fosse di cui dovessi nominatamente far menzione, tutte le rendite della mia eredità come inferiormente prescriverò.

Dichiaro e voglio, che tale erogazione da farsi pei suddetti Signori procuratori e governatori pro tempore sia indipendente affatto da chicchesia, a modo che se per cosa non credibile qualunque siasi autorità ecclesiastica, o secolare, ed anche sovrana volesse direttamente o indirettamente metter mano, sorvegliare, ingerirsi, o prender parte nella mia eredità, nell' amministrazione della medesima, nella distribuzione ed applicazione

delle sue rendite, o chiedere rendiconto ai suddetti Signori procuratori e governatori in ciascuno di questi ed altri consimili casi, adesso, e per allora, quando si avverasse qualunque de' casi stessi, istituisco e scrivo miei liberi eredi universali i medesimi Signori procuratori e governatori della stessa opera de' poveri vergognosi, o i loro successori in detta rappresentanza.... Allorchè poi colle rendite saranno estinti i qualunque debiti, che si fossero incontrati e saranno in florido stato i beni e bestiami, e sarà sufficiente cassa, ed in somma, allorchè crederanno detti Signori procuratori e governatori, i quali anche in avvenire potranno sospendere la detta ed infrascritta erogazione tante volte, quante essi il reputeranno, nel caso le rendite della mia eredità verranno errogate ed impiegate nel provvedere di patrimoni ecclesiastici, da stabilirsi nell' annua somma, che verrà di tempo in tempo prescritto dall' Ordinario di questa città e dioecesi, Giovani bisognosi, i quali diano speranza di riuscire buoni ed eccelleti operatori nella Vigna di Gesù Christo....

Concedo ai Signori procuratori e governatori pro tempore della ridetta opera de' poveri vergognosi il diritto in perpetuo di nominare a detti patrimonii.«

Quum novissime vita functa sit vidua Pisarri, adeoque testamentariae dispositioni favore pii operis verecundorum locus factus fuerit, hodiernus Emus Archiepiscopus, ne muneri suo deesse forte videatur, vel alienam ingredi provinciam, duo EE. VV. definitioni dubia proponit:

1. Se nei termini dell' enunciata disposizione in forza delle facoltà attribuite ai Vescovi dal s. concilio di Trento possa l' Arcivescovo oratore chiedere ragione e conoscere l' entità dell' asse ereditaria Pisarri, e consecutivamente la nomina dei patrimoniandi.

2. Se privi del beneplacito apostolico si possa dagli amministratori di detto stabilimento devenire alla vendita dei fondi lasciati dal defonto Pisarri per dote di patrimonii sacri, la quale s' intende eseguire, come si è potuto rilevare, mediante asta publica.

Super quibus rogatus de more idem Emus Archiepiscopus remisit suas animadversiones necnon votum promotoris fiscalis ac administratorum pii operis commenta, quae omnia praestat paucis referre. Cum pastoralis Episcoporum sollicitudo in eo praecipue versari debeat, ut pia decedentium voluntas non fraudetur eorumque dispositio adamussim adimpleatur (s. Gregorius Magnus in cap.: Nos quidem de testam., et in cap.: Tua nobis eodem tit., Trid. syn. sess. 22. cap. 8. de Ref.), hinc est Emo Archiepiscopo sollicitudo ac dubitandi causa super ejus quoad legatum, quo de agitur, jurisdictione. Et jure ut ait meritoque. Enimvero ad primum dubium quod attinet super redditione rationum a pii operis curatoribus exigenda aperta est dispositio Tridentini sess. 22. cap. 9., cujus praestat verba referre. Ibi: »Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricae cujusvis ecclesiae, etiam cathedralis et hospitalis et confraternitatis, eleemosynae, Montis pietatis et quorumque locorum piorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis nisi secus forte in instituti ne et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum sit. Quod si ex consuetudine aut privilegio aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius: et aliter factae liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.« In his vero cum et laici administratores, etiam locorum simpliciter piorum, expresse comprehendantur et neque privilegia suffragari administratoribus neque consuetudines oppido tradatur, nullum effugium in casu pii operis verecundorum curatoribus arbitratur Emus Archiepiscopus superesse ad formam etiam resol. *s. C. in Forolivien. 21. Aug. 1784* §.: *Quod respicit*, et in *Asculana Commut. volunt. 20. Januarii 1776* §.: *Alterum*, et in *Civitatis Castellanae Hospitalis 13. Febr. 1773.*

Excipitur quidem in praedicta sessione Trident. »nisi secus forte in institutione et fundatione . . . expresse cautum sit«. Ast nihil in hujus pii operis fundatione deprehendere est, quod Episcopum excludat: quinimo facta adsunt in contrarium probantia. Profecto die decima quarta Decembris anni 1773 decessor Archiepiscopus Card. Malvezzi decretum edidit, quod praefert hujusmet loci pii administratores reddita Archiepiscopo plena ratione adimplementi onerum et legatorum piorum taxative eidem operi adnexorum per totum annum 1771 ac amplissima super inde obtenta absolutione sponte petiisse velle etiam eos reddere rationem administrationis caeterorum reddituum bonorum

dictae operae factorum per decennium ab anno 1762 inclusive ad et per totum annum 1771 ad hoc ut etiam super eadem absolutionem ab Archiepiscopo assequerentur; revera assecutos fuisse: quibus positis Archiepiscopum haec sanxisse: »Declaramus DD. dictos gubernatores, utpote administratores in hac parte ad fines tantum suos teneri tantummodo in posterum rationem reddere dictae administrationis nobis et successoribus nostris, quoties fuerunt requisiti.« Ex quibus postremis decreti verbis hodiernus Emus Archiepiscopus arbitratur decessorem suum jus suum exigendae rationis, quod jam possidebat, confirmasse ac sartum tectumque successoribus suis voluisse transmittere, atque hoc ex eo etiam roborari videtur, quod (ut Emus Archiepiscopus asserit nemine contradicente) »detti amministratori esibiscono all' Ordinario il bilancio dello stato del conservatorio di s. Marta per citelle da essi loro dirette, non che di alcuni legati, specialmente di doti, alla sudetta amministrazione uniti.« Neque pariter prodesse administratoribus testatoris voluntatem Episcopum excludentem Emus Archiepiscopus contendit. Et si enim unicuique liberum sit quamlibet de rebus suis legem dicere, id tamen non valere in prohibitis et de jure illicitis, ut per jura canonica reprobatis et ecclesiasticae honestati adversantibus tradunt *Barbosa de pot. Episcop. alleg. 72. num. 187; Piton. discept. eccles. 16. num. 11 et de controv. patron. alleg. 31. num. 37; Rota coram Coccino decis. 1944. num. 14 et seq.*, adeoque hujusmodi conditiones appositas ipso jure vitiari et pro non adjectis haberi, cum nemo facere possit, quominus leges in suo testamento locum habeant neque jus publicum privatorum voluntatibus immutari valeat *ad text. in lib. 1. nemo potest ff. leg. 1. et in authen. de eccles. tit. 1: Si quis testator cod. de Ep. et cler.; Monacell. formul. legal. part. 1. tit. 1. formul. XIV. num. 1. 3. 4.*

Quinimo sacra Congregatio (referente Fagnano ad cap.: *Tua nobis de testam.*) die 10. Decembris anni 1695 resolvit Episcopum tamquam executorem omnium legatorum piorum posse cogere administratores ad exequendam et ad implendam testatoris voluntatem non obstante, quod excluderetur in testamento his verbis: »Che non possa ingerirsi in alcun modo, ne sotto qualsoglia pretesto o causa nè ad effetto di eseguire, esortare persuadere, nè ad altro effetto.« Quid plura? etiam si ulterius procederet testator disponendo, quod alias legatum irritum sit et in diversam causam bona ejus expendantur. *Piasec. prax. Episcop. par. 2. cap. 3. art. 5. tit. de visit. benef. simplic. num. 9; Passerin. in cap.: Religiosus.* §. *Sane num. 106 cum seqq. de test. in sexto; Monacell. d. loco.*

Quoad secundum dubium ambigit Emmus Archiepiscopus: An bona, de quibus in casu, beneplacito apostolico, ut rite ac legitime alienari possint, indigeant, ex eo quod, cum ad usum sacrum idest ad sacra patrimonia destinata sint, ecclesiasticorum bonorum naturam videantur induere. Et sane bona assignata pro patrimonio clericorum de laicorum catastro delenda et inter ecclesiastica bona describenda; *S. C. Immunitatis in Squillacen. 21. Jan. 1676. lib. 1. decret. Altov. pag. 1202;* et exempta sunt ab impositionibus sicut caetera bona ecclesiastica; *eadem Cong. Immunit. in Albanen. 14. Septembris 1626. lib. 1. decret. Paul. pag. 15.*

Pressius porro tradit *Amostaz. de caus. piis lib. 4. cap. 11. num. 30* etiam hospitalia tantum pia absque Episcopi auctoritate fundata juris solemnioribus ad alienanda bona ecclesiae requisitis indigere in bonorum sacrum alienatione ad *auth. de non alienand.* §. *Nos igitur*, allegatque *Afflictis decis. 67. in fin. Ric. collect. 1886. vers.: Quod quartam tit. 1. resol. 37; Novar. q. 54. num. 4; Naldum in summa verbo: Hospitale num 5.* Vid. *s. Congr. in Vicen. assig. 20. Nov. 1762.* §. *Et a defens.* Hinc etiam de locatione ultra triennium bonorum, quae ad confraternitatis laicales pertineant, loquens *Pacion. de locat. conduct. cap. 14.* §. *6. num. 26*, quoad istas ait, quatenus exerceant opera pietatis, requiri beneplacitum apostolicum, etiamsi non sint fundatae cum auctoritate Episcopi; *Rodoan de rebus ecclesiast. non alienan. rubr.: an in materia alienation. num. 9; Riccius res. 45. num. 6. v. tertio sit conclusio pag. 1*, et ideo tutius esse illud requirere, licet de rigore non sit necessarium.

Contra haec vero paucis sese expedit curatorum pii operis defensor. Quidquid namque jure communi constitutum sit, standum esse in themate testatoris voluntati contendit, quod exequutio pii relicti non alias ad Episcopum devolvatur, quam si nullos testator dederit exequtores vel hi negligentes inveniantur et moniti fuerint. Id autem

ostendit tum ex ratione ipsa, quippe irrationabile illi est eam hodie executioni tradi non posse pii testantis voluntatem, quam vivens eidem exequi omnino licuisset, tum ex legibus caesareis *Novel. 131. cap. 11. In cap.: Nos quidem de testam., et gloss. ad ipsum caput*, et ex sanctionibus canonicis *Trident. cit. sess. 22. cap. 9* cum canonistis *Reiffenst. in decret. lib. 3. tit. 26. num. 774. et seq.; Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. 3. cap. ult. in princip., Fagnan. in cit. cap.: Tua nobis; Girald. jur. pontif. part. 2. sess. 82. pag. 922.*, tum ex tribunalium sententia, *s. Rota in Necen. decis. 260. part. 7. num. 10. et seq. decis. 13. num. 2 et seq. cor. Ratto*, maxime vero *S. H. Congregat. in una Civit. Plebis 1696 ex libr. 45. decret*, ubi Episcopum utpote exequutorem piorum legatorum dicitur uti posse jure suo »non obstante expressa lege testatorum, quod Episcopus nullo pacto se ingerat in eorum legatis, data tamen suspicione negligentiae administratorum et exequutorum in adimplenda testatorum voluntate, quod repetitur in *Lipar. Exemp. hospit. 9. Maji 1750*, in *Senogallien. 18. Martii 1826.* §: *Denique*, et in *Nepesina legati pii 24. Martii 1831.* §: *At si.*

Nec movere sustinet decretum Cardinal. Malvezzi; etenim sponte eum reddere voluisse rationem, qua de inibi agitur, administratores oppido legere est, nec profecto eorumdem tunc praestitus consensus ad legatum Pisarri sexaginta fere post annos sequutum protrahi valuit. Quidquid vero Ordinarius in ima cera adjecerit, nequivit sane legis sanctionem tollere et immutare, quae onus rationem reddendi remittit, quoties aliter in fundatione cautum est. *Trid. sess. 22. cap. 9. de reform.*

Quod ad beneplacitum porro apostolicum, de quo secundo in dubio quaeritur, illud necessarium minime esse in bonorum Pistarri alienatione inde tenet, quod hic agatur de pio opere mere laicali nulla Episcopi vel Pontificis auctoritate erecto, sed a laicis continuo gubernato et laicorum pietate sensim aucta. Atqui ad pia hujus generis loca minime protendi *Extravag.: Ambitiosae censuram* tradunt expresse *Pichler jus canon. lib. 3. tit. 13. de reb. eccles. non alienand. n. 3; Rota in recen. part. 11. decis. 248. num. 18. et seq. et in decis. 313. part. 19.* §: *Siquidem 9.*, nec ad bona, quae in simplices usus pios sunt destinata ac laicalem retinent qualitatem, legere est apud *Card. de Luca de alienat. disc. 1. mm. 15.* et *s. Cong. in Anagnina Redintegr.* §. *Capellania* et in *Ferrar. 16. Febr. 1788.* §. *1.*

His utrimque disputatis remanet, ut enodentur dubia:

I. *An et quomodo administratores pii operis verecundorum tenentur rationem reddere haereditatis Pisarri Bononiensi Archiepiscopo in casu?*

II. *An iidem administratores alienare possint bona ejusdem haereditatis Pisarri absque apostolico beneplacito in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Negative, salvo jure Emmi Archiepiscopi, in casu negligentiae administratorum in adimplenda voluntate.

Ad II. Affirmative, attento testamento.

Die 2. Mart. 1839.

k) Facultatis Apostol. Species.

Tres sunt beneplaciti apostolici species. Una scilicet ordinaria, quae dicitur *in forma*, quae committitur Ordinario loci vel alteri exequutori in apostolica dignitate constituto, qui videat an narrata vera sint atque alienatio in evidentem ecclesiae tendat utilitatem, eamdemque alienationem jam factam approbet ac revalidet vel concedat licentiam illam faciendi. *Card. de Luca theatrum veritat. et justitiae disc. 1. ex num. 59 etc.* Altera est species, quae conceditur per viam confirmationis istaque in concordis tantum practicari solet, quia nempe inita sit concordia pro sedanda lite, cum receptum sit, quod etiam ista species contractus cadat sub genere prohibitae alienationis, ad hoc, ut sit perpetua et successores afficiat, idcirco practicari beneplacitum apostolicum per hanc viam confirmationis, quae habet suas diversas species majoris ac minoris operationis, unam scilicet, quae dicatur *in forma specifica* et alteram *in forma communi*. Tertia dicitur, quae conceditur per viam chirographi seu quandoque per viam brevis aut per organum sac. Congreg. concilii vel Episcoporum et Regularium, per quam conceditur licentia, ut ad alienationem deveniri valeat cum praescriptis legibus, quandoque cum expresse certa persona, cum qua alienatio concluditur pro certo pretio.

l) Intervalla temporis.

Vd. *Alienatio bonor. eccles* (oblationes p. 446.)

m) Invalida, nulla.

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (poenae male alienant. p. 456.)

n) A Monialib. facienda.

Vd. *Alienat. bonor. eccles.* (per regul. superior. p. 464; poenae; p. 441 i.)

Moniales sine facultate sacrae Congregationis nequeunt alienare dotam supranumerariae choristae. Sic decrevit sacra Congreg. Episcop. et Regular. in *Aretina 14. Martii 1597*; sed omnino investiri debet; eadem sac. Congreg. Episcop. et Regular. *in Mediolanen. 12. Martii 1602.* Et talis dotis investitio debet fieri in bonis stabilibus vel iis deficientibus in censibus securis. Eadem s. Congreg. Episcop. et Regular. *in Ferrarien. 15. Novembris 1601.*

Dos autem conversae licet supranumerariae potest sine tali facultate expendi in necessitatibus monasterii, quia praeceptum investiendi dotes supranumerarias intelligitur solum de choristis, prout declaravit eadem s. Congr. Episcop. et Regular. *in Castellana 13. Maji* et *in Parmens. 15. Septembr. 1603 et in Fulginat. 14. Nov. 1625.* Dotes tamen Monialium intra numerum possunt expendi in utilitatem monasterii cum sola facultate sui Superioris, ut declaravit eadem sacra Congregatio Episcop. et Regul. *in Ferrarien. 23. Martii* et *in Ariminen. 22. Maji 1601.*

Moniales et Regulares nequeunt sine beneplacito apostolico alienare pecuniam relictam monasterio vel deputatam ad emendum bonum immobile vel mobile pretiosum; quia licet pecunia ex se nec sit bonum immobile nec mobile pretiosum, ut relicta tamen et deputata ad emendum bonum immobile, debet haberi pro bono immobili; et ut relicta et deputata ad emendum bonum mobile pretiosum debet haberi pariter pro mobili pretioso. Unde cum immobilia et mobilia pretiosa ex *cap.: Nulli liceat 5. de bonis eccles. non alienandis* ex cit. Extravagante: *Ambitiosae* et allato decreto sacr. Congreg. Conc. *7. Sept. 1624 et 21. Martii 1626* prohibeantur alienari sine beneplacito apostolico; sine ipso pariter nequit alienari talis pecunia relicta vel deputata ad emenda talia bona immobilia vel mobilia pretiosa, *arg. l. Ita constante 26 ff. de jure dotium.* Et sic tenet *Rota in Veneta pretii seu nullitatis contractus 13. Novembris 1602 coram Pamphilio* et *in Perusina Census 2. Martii 1708. coram Card. Scoto; Pignatell. tom. 6. consult. 65. n. 21 et Lezana tom. 2. cap. 19. num. 59*; *Redoan. de rebus eccles. non alienand. qu. 16. num. 15; Card. Petra tom. 5. commentar. ad constitut. 5. Pauli II. sect. 2. num. 31.* et alii passim. Et neque possunt alienari sine beneplacito apostolico immobilia pro fabrica monasterii, s. Congr. Conc. *13. Martii 1619.* Possunt tamen sine beneplacito apostolico convertere in usus conventuum spolia suorum religiosorum defunctorum vel religiosarum defunctarum, quia vere non sunt pecunia destinata ad emptionem. Unde sac. Congreg. Conc. *die 28. Febr. 1654. tom. 19. decret. pag. 319.* proposito dubio:

N. Superior regularis quaerit pro quiete suae conscientiae: An si ipse pecunias provenientes ex spolio religiosi defuncti juxta consuetudinem monasterii pure absque aliquo vinculo deposuerit in banco publico civitatis, illas postea juxta eamdem consuetudinem erogando in dictum usum et necessitates urgentes ipsius monasterii ob penuriam et infirmitates supervenientes, ut ex partitis libris ejusdem monasterii liquere asseritur, inciderit in poenas expressas in decreto de rebus Regularium non alienandis inhaerente etiam constitutione Pauli II. eo quod prius non obtinuerat licentiam?

Sacra Congreg. secundum ea, quae proponuntur, respondit: Non incidisse; sic refert *Card. Petra tom. 5. comment. ad constit. 5. Pauli II. num. 33.*

Moniales et Regulares nequeunt sine beneplacito apostolico pro extinquendis debitis monasterii alienare bona vel pecuniam redactam ex redemptione census; sacra Congregatio Concilii *19. Aprilis 1619.* Et ratio est, quia quamvis jura concedant alienationem rerum ecclesiae interveniente necessitate, non tamen concedunt, quod fiat non servatis debitis solemnitatibus, sed solum permittunt non servari solemnitates, quando necessitas est adeo urgens, ut non pateatur tales solemnitates servari, ut inter alios notat *Cardinal. in Clement. 1. num. 29. de rebus eccles. non alienand.; Villadieg. tract. de leg. quaest. 11. in fine* alios adducens; *Abbas in cap. fin. de eccles. aedificand. quaest. 19. n. 34.*, et habetur *ex cap.: Placuit 12. quaest. 2.*, sed necessitas extinguendi debita monasterii non est tam urgens, ut non patiatur servari requisitas solemnitates, cum de facili possint creditores exspectare, donec habeatur beneplacitum pro validitate contractus, adeoque etc.

Et pari ratione nequit alienari pecunia redacta seu retracta ex redemptione census, quia cum talis pecunia successerit loco rei, *arg. leg. Ita constante 26. ff. de jure dot.*, sicut non potest res ipsa alienari pro extinctione debiti, ita neque etiam ipsa pecunia sine debita solemnitate; *arg. leg. Si pupillorum §. Si Praetor. ff. de rebus eorum.* Et sic tenet Turrecremata loc. cit., Redoan., Riccius, Genuens. Vasquez et alii plurimi et sic statuit *Rota rom. in Vencta Nullitatis contractus 13. Nov. 1602. coram Pamphilio.*

Non negarem tamen posse pecuniam ex census extinctione vel mobilium pretiosorum venditione retractam implicari in extinguendo censu super bonis monasterii facultate sacrae Congregationis, ut docent *Anton. de Spiritu sancto tract. 3. disp. 6. num. 1169; Felix Potestas tom. 1. num. 926; Donatus tom. 1. tract. 14. quaest. 74* cum aliis sibi allegatis, quia, sicut onerare fundum monasterii est alienatio, ita illum exonerare erit reacquisitio, ad quam non requiritur beneplacitum. Tutius autem et consultius est exquirere beneplacitum, quia Donatus *loc. cit.* testatur, quod hodie ex decreto sacrae Congregationis Regularium servatur contrarium.

o) Quae sub nomine alienationis comprehenduntur?

Vd.: *Alienat. bonor. ecc'es.* (quae sine solemnitatibus etc.)

Sine apostolico beneplacito vetita est bonorum ecclesiae alienatio, *in Militen. 19. Februarii 1701 ad VI. Dubium.* Indubii autem juris est, alienationis nomine locationem et conductionem ultra triennium, in fundis nimirum, ex quibus fructus quolibet anno percipiuntur, comprehendi, *ex cap. 5. de reb. eccles. alienandis vel non.*

Die 21. Febr. 1818. *Portuen.*

p) Nulla est sine apost. beneplacito.

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (sine apost. facult. p. 441.)

Non impetrato beneplacito apostolico alienatio vel distractio bonorum ecclesiae tametsi locatio facta fuisset de sola decimalium fructuum commoditate nulla est, quemadmodum in specie firmat *Reiffenstuel in jus canon. de decimis lib. 3. tit 30. §. 7. n. 136. et seq., Rota cor. Kaunitz decis. 224. n. 4. et seq., in dicta Chelmen. Decim. 30. Martii 1753. §. 9. cor. Canilliac,* et *in Firmana decimarum 1. Febr. 1762 §. 6. cor. reverendissimo Olivatio*, et in genere ex praescripto *in Extravag.: Ambitiosae de reb. eccles. non alienan.* tradit *Fagnan. ibid. in cap.: Nulli num. 12 et 34; Rota decis. 154. num. 3 et 4 cor. Molin.*

Die 7. Julii 1781. *Constantien.*

Beneplacitum apostolicum in extinctione census, ut valeret, necessarium omnino est, cum omnia solemnia in bonis ecclesiae alienandis praescripta in iis etiam alienationibus locum sibi vindicent necesse est, quae ex justa et necessaria causa fieri solent, cum, licet ex justa causa factae, alienationes irritae ab DD. generatim definiantur ex uno solemnitatum defectu, *Schmalzgr. l. 3. tit. 13. n. 129;* earum autem solemnitatum apostolicae Sedis placitum praecipuum haberi nemo dubitat.

Die 3. Apr. 1841. *Assissien.*

q) Oblationes.

Benedictus PP. XIV.

Cum controversiae, quae, non minori jactura utilitatis publicae quam privatae, in bonorum nostrorum cameralium locationibus deliberandis propter oblatorum contentiones frequenter intercidunt, apprime graves sint, supremae vigilantiae nostrae referre arbitramur, et magni illius desiderii, quod jugiter fovimus, omnem litigii causam, quoad fieri potest, e medio tollendi, ipsis deliberationibus praescripta atque invariabili harum regularum et constitutionum norma apte providere.

I. »Ut uno saltem anno, antequam unaquaeque cameralium bonorum locatio explicit, invitentur per consueta edicta ii, qui eam affectant, ad exhibendam statuto die suam oblationem scripto clausam obsignatamque.«

II. »Ut, cum dies aderit in edictis constitutus, in plena congregatione camerali explicentur literae, quae oblationes scriptas continent, atque illi adjudicetur locatio prout de jure, qui plus obtulit et est caeteris optimus; salvo tamen jure et arbitrio cameralis congregationis, aliis subinde edictis tempus prorogandi ad oblationes exhibendas, quando nullam exhibitarum oblationum aequam ac rationi consonam juxta praesentem bonorum locandorum statum fuisse arbitretur.«

III. »Ut deliberatione facta, eo, quem descripsimus, modo, copiosiori sive meliori offerenti, eaque a Nobis et summis Pontificibus successoribus nostris comprobata, ante instrumenti stipulationem ipsis viginti diebus supersedeatur, initio facto a die proxime sequenti ipsam deliberationem, ut eo temporis intervallo tum ii, qui oblationis actum peregerunt et victi repulsique sunt, tum ii, qui nil obtulerunt, adjicere aliquid possint maximae oblationi, cui locatio deliberata fuit, dummodo ejusmodi additio vicesima illius parte minor non sit: atque idcirco volumus statuimusque, ut posthac omnes, quae sequentibus temporibus a generali congregatione fiunt, locationes camerales, licet a Nobis nostrisque successoribus subinde sive voce sive rescripto sive etiam chirographo speciali adprobentur, habeantur factae et adprobatae conditione addictionis in diem, eodem viginti dierum intervallo durante, ita ut ille, cui deliberata locatio fuit, nullum in eam locationem, dictae deliberationis et adprobationis vi, jus acquirat, quoties illo viginti dierum intervallo alius superveniat, qui illius oblationis saltem vicesimam partem adjiciat.«

IV. »Ut intervallo viginti dierum vix transacto, si alius non se stiterit, qui ipsam saltem vicesimam obtulerit, amplius non vigeat privilegium illud addictionis in diem camerae nostrae; sed absque mora, quin alia oblatio admittatur, stipulatio instrumenti fiat ejus nomine, cui initio deliberata fuit locatio. At vero contra si, illo viginti dierum spatio, unus pluresve se steterint, qui vicesimam saltem insuper obtulerint, poterit tum nostra camera frui privilegio addictionis in diem, atque eadem congregatio cameralis locationem illi deliberabit, qui saltem vicesimam addiderit: pluribus autem vicesimam ipsam offerentibus illi locationem deliberabit, quem ipsa congregatio optimum judicaverit vel plus quam caeteri obtulerit.«

V. »Ut adprobata sive per Nos sive per successores nostros ejusmodi deliberatione ille, qui plus quam caeteri obtulit, primo oblatori, qui superatus est, denunciet ipse per se et quidem personaliter atque edicat, additionem vigesimae partis vel majoris pretii a se factam et deliberatam sibi ipsi cameralem locationem: post quam denunciationem concedantur illi eidem (primo oblatori) alii decem dies, ut, si velit, possit, plus quam iste ultimus oblator, ipsi eidem adjudicetur locatio, quin aliae additiones seu oblationes admittantur. At contra si intra illud tempus primus ille oblator, qui superatus fuit, nil plus obtulerit quam secundus, qui eum superavit, hujus secundi nomine absque mora instrumenti stipulatio fiat, ita ut transactis decem illis diebus nullae aliae additiones seu oblationes nec ab illo primo oblatore nec ab aliis quibusvis admittantur.«

VI. »Unus ab hac prohibitione alias majores oblationes admittendi excipitur casus, quo eveniat, ut aliquis vel ex iis, qui ad conductionem aspirarunt, vel ex iis, qui nunquam adspirarunt, sextam pretii summi a primo vel secundo oblatore exhibiti partem adjiciat: eo enim casu nostra camera laesionis nomine frui debebit privilegio restitutionis in integrum; quod beneficium (non item privilegium addictionis in diem) fisco competit, licet res jam integra non sit, licet sit confecta instrumenti stipulatio, licet tandem conductor rem ipsam jam acceperit et actu possideat: nec aliud in hoc casu exigere conductor potest, quam ut caeteris anteferatur, offerens et ipse aequum pretium, scilicet sextam insuper oblati pretii partem.«

»Sed quoniam si haec restitutio in integrum absque ulla temporis definitione (uti par esset) admitteretur, difficile admodum camera invenire posset idoneos conductores, ob metum, quo unusquisque angeretur, ne ex locatione pellatur nomine restitutionis in integrum, postquam sua diligentia atque industria rem locatam meliorem fructuosioremque reddiderit; idcirco praecipimus, ut sextae oblatio admittatur solummodo intra trium mensium spatium, initio facto a die quo vel communi modo vel per privilegium supradictum additionis in diem deliberata fuit locatio illi, qui optimus inter oblatores judicatus est et plus quam caeteri obtulit, licet hic intra idem temporis intervallum stipulatus sit una cum camera, instrumentum et dispendia subierit vel quidquid aliud peregerit, quod ad instrumenti stipulationem vel ad bonum rei locatae regimen necessarium visum fuerit, cum Nos velimus, ut intra idem trium mensium intervallum sextae partis oblationi et contractus rescissioni, nomine restitutionis in integrum, semper locus sit; atque idcirco ille, cui locatio, ut supra dictum est, deliberata primo fuerat, si haec rescindatur, nec a camera nec ab ultimo oblatore expensarum, quas intra idem tempus forte perfecit, compensationem nullo modo exigere queat, sed solummodo, quando et ipse eamdem sextam offere velit vel majorem pecuniam, quam ultimus oblator, huic et possit et debeat anteferri.«

VII. »Ut transactis ipsis tribus mensibus, deliberata locatione, contractus rescissioni locus amplius non sit, sed firmus stet atque irrevocabilis toto ipso tempore constituto, juxta formam et conditiones in deliberatione expressas. Dumtaxat jus remaneat camerae contractum impugnandi in casu laesionis ultra dimidiam, quatenus de jure et prout de jure et juxta apostolicas constitutiones, absque ulla temporis praefinitione, nisi huic vel a Nobis vel a successoribus nostris speciatim ac nominatim derogatum fuerit.«

VIII. »Demum hujus circa camerales locationes praescriptionis occasione capta gravaminibus prospicere volentes, quae a conductoribus ecclesiasticae ditioni subditis populis quotidie fiunt, praecipimus, ut in instrumentis stipulandis cum ipsis conductoribus absque facultate nostra aut speciali chyrographo a Nobis subscripto vel nostris successoribus pro tempore, capitulum adjicere audeat nemo, quo vectigale aliquod tributum aut privativa, quae locatione contineatur, quovis modo extendatur et amplietur ultra casus et terminos in ipsius tributi vectigalis vel privativae institutione praescriptos, atque aliter quam antecedentium conductorum tempore fuit communiter gestum observatumque, declarantes invalidum ac nullum quodcumque instrumenti capitulum, sive quodcumque edictum sive bannus, qui fieri deinceps contingat.«

»Quae praescriptiones volumus ut posthac adamussim observentur in omnibus cameralium locationum deliberationibus, nullitatis poena ipso facto et ipso jure incurrenda, absque ulla judicis declaratione et juxta earumdem praescriptionum formam publicatio et edictorum renovatio et supradictarum locationum stipulatio fieri debeat; quin imo juxta earumdem formam debeant intelligi atque haberi publicata edicta, perfectae deliberationes et publica instrumenta stipulata, quia sic et non aliter praecipimus ac mandamus et uti lex volumus, ut hae praescriptiones inviolabiliter observentur, quod haec mens nostra est ac firma voluntas. Volentes ac decernentes, ut haec praesens nostra schedula ex motu proprio recipienda ac describenda in plena camera inque ejus libris juxta bullam Pii IV. praedecessoris nostri de registrandis valeat ac plenum suum effectum, exsecutionem et vigorem simplici nostra subscriptione obtineat nec quidquam possit contra eam opponi subreptionis, obreptionis aut cujusvis alius vitii aut nostrae voluntatis et intentionis defectum; et ut ita et non aliter debeat semper in praemisis judicari, definiri, decidi ac interpretari a Rmo Card. Camerario et a praesule thesaurario generali a plena Camera et a quocumque judice et tribunali, licet collegiato, et quod constet Rmis Cardinalibus, removentes ab ipsis et ab unoquoque eorum facultatem auctoritatemque aliter judicandi, definiendi et interpretandi, declarantes jam nunc nullum, irritum et invalidum, quidquid fieret aut his contrarium fieri atttenteretur, licet non accersitus nec citatus nec auditus esset praesul nostrae camerae commissarius sive alius, quorum interesset aut sua praesumeret interesse: constitutionibus Pauli III. et Pauli IV. et Pauli V. praedecessorum nostrorum de rebus ecclesiae et camerae non alienandis omni et cuicumque juri et potestati nostrae camerae, licet in legum corpore clauso: Regulae nostrae cancellariae de jure quaesito non tollendo et quibuscumque aliis constitutionibus et ordinationibus nostris apostolicis nostrorumque praedecessorum usibus stylis, consuetudinibus, sententiis, decretis et rebus judicatis in similibus casibus omnique alii rei, quae obstet aut quae obstare possit, omnibus et singulis his, quorum hic formula expressa habetur et ad verbum inserta ad supradictum solummodo effectum, ample atque expresse derogamus.

Data in nostro Palatio apostolico Quirinali hac die 22. Novembris anno Domini 1742.

S. Congregationis Episcoporum et Regularium decreta.

Curia Episcopalis Asissiensis, datis literis ad s. Congregationem Reg. et Cons. Ep. et Reg. praepositam IV. Idus Mart. an. 1835 duas quaestiones seu dubia proposuit, videlicet:

1) *Utrum ad legitimam sextae et vigesimam et sextam jam oblati pretii partem saltem exaequet aut vero sufficiat quodcumque augmentum titulo vigesimae et sextae?*

2) *An ad majorem ecclesiae utilitatem possit prorogari legitimum tempus, ut oblatores, si velint, novas oblationes exhibere valeant?*

S. C. resp.

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II. *Negative.*

Et dentur decreta de adjudicandis bonis ecclesiasticis alias edita et praesertim quae sequuntur.

1. In adjudicandis rebus ecclesiasticis observandae sunt leges a Benedicto XIV. latae in suo *Motu proprio* edito die 22. Nov. 1742 pro locationibus bonorum cameralium.

2. Oblationes fieri debent in quadam summa certa et explicita sine ulla conditione aut augmento, quod ex eventu pendeat ac proinde si quis obtulerit, ex. gr. decem nummos scutatos vel supra meliorem quamcumque oblationem, vel supra eas oblationes, quae ad certam summam pervenerint, oblatio isthaec rejicitur velut captiosa et utilitati locorum piorum adversa.

3. Si quis vero in eadem oblatione, postquam summam certam obtulerit, polliceatur etiam se soluturum ex. gr. decem nummos scutatos vel supra eas oblationes, quae certa summa contineantur, tum augmentum decem nummum scutorum non aliorum oblationibus sed certae summae ab eodem oblatae addendum erit.

4. Si edicta proposita fuerint vi literarum s. Congregationis et elapso termino, apertisque oblationibus novae exhibeantur oblationes, tum oblationes omnes ad s. Congregationem mittenda erunt: sacra autem Congregatio re adhuc integra poterit pro suo prudenti arbitrio novas oblationes vel rejicere vel etiam edicta denuo proponere re adhuc integra; ad executorem beneplaciti apostolici spectat, ubi ob peculiares aliquas rationes facultas adjudicandi eidem executori tributa fuerit.

6. Cuique licet oblationem ejus, cui res adjudicata est, intra viginti dies ad vigesimam et ultra augere: hic terminus incipit a die, quo ex decreto executoris beneplaciti apostolici res adjudicata fuerit.

7. Si quis intra hujusmodi terminum vigesimam obtulerit, tunc ei, cui res adjudicata fuit, significanda erit eique decem dies permittuntur, intra quos declaret, velit necne vigesimam acceptare.

8. Pro offerenda sexta spatium trium mensium conceditur: hic terminus decurrit a die, quo primum res adjudicata est, si nemo vigesimam obtulerit; si vero oblata fuerit, decurrit a die, quo oblatori vigesimario res adjudicata fuerit.

9. Privilegium additionis in diem et restitutionis in integrum, sive jus vigesimae et sextae tectum integrumque manet favore ecclesiae, etiamsi in decreto executoris nulla mentio de eo facta fuerit.

10. Neque etiam pro evitandis oblatoribus necesse est, ut edicta vigesimae et sextae proponantur.

Romae, die 18. Martii 1835.

J. A. Card. Sala, Praefectus.

J. Patriarcha Constantinopolitanus Secr.

S. C. Episcoporum et Regularium difficulter oblationes recipit, quae aestimatione sint inferiores; rejicit autem oblationes cum conditione ad tempus ad formam supra allati decreti num. 2. Nam religiosi de Minimorum familia praeviis apostolicis facultatibus edictum affixerunt pro alienatione cujusdam praedii nuncupati Piano *di s. Anna*. Hoc a perito aestimatum fuerat scut. 529. 66. Adfuit Hieronymus Donati, qui simpliciter obtulit scut. 510. 00., et adfuit Christianus Losserius, qui obtulit die 10. Maji 1839 scut. 530. 91. e mezzo, *purchè* (venditio) *succeda prima dell' imminente raccolta, non, intendendo di dare in essa verun indennità od abbuono, che i RR. PP. potessero prendere.* Ordinarius, rescripti executor datus fundum deliberavit favore Christiani Losserii die 13. Sept. ejusdem anni.

Sed cum sese opposuissent Monachi tuentes Donati oblationem esse majorem oblatione Losserii, qui fructus eo anno recollectos aestimatosque scut. 28. 61. praetendebat, Losserius contradixit licet interim edictum pro vigesima fuisset affixum ideoque dubium propositum est: *Se' e quale offerta si abbia ad ammettere nel caso? S. C. in plenario auditorio diei 10. Julii anni 1840. in Perusina Licitationis respondit: Negative, et esse locum affixioni novorum edictorum.*

Rejicit etiam oblationes cum augmento, quod ex eventu pendeat; et recipit solummodo, si pro summa certa, quae oblata fuit, offeratur alia certa summa supra aliorum oblationem ad formam ejusdem *decreti num. 3.* Nam Tudertinae s. Margaritae Sanctimoniales, debitis facultatibus instructae, domum quamdam in alma Urbe situm alienare edixerunt. Tres oblatores comparuerunt.

1. Anna Ceccarelli, quae pro persona nominanda obtulit scutata 20 supra quamlibet oblationem, quae scutata 200 non excederet,

et scutata 10 supra oblationem, quae a scutatis 1900 ad scutata 2000 pertingeret.

2. Joannes Gerardini, qui pariter pro persona nominanda obtulit scutata 20 supra oblationes, quae non excederent summam scutatorum 1900, quod si ista summa oblata reperietur, augebat scuta decem.

3. Franciscus Franchi, qui obtulit scutata 60 supra aestimationem, quae erat scutatorum 1843; modo res, ut praeferebatur, se haberent.

Super acceptatione oblationis vulgo supra Sextam. Die 24. Augusti 1866.

Moniales monasterii N. vendere cupientes quamdam suam domunculam invitarunt quotquot vellent, ut intra mensis terminum traderent scriptas obsignatasque oblationes; quo termino elapso, ejusmodi oblationum literae aperirentur et in considertione haberentur. Unum tandem habuerunt oblatorem Philippum, qui obtulit scut. 382. Implorata facultate a s. C. EE. et RR. Moniales eam obtinuerunt, rescripto: favore Philippi . . . . pret. scut. non minus 382, salvo jure vicesimae ac sextae, facta facultate reducendi terminos ad decem dies pro vicesima, totidemque pro sexta.

Ad formam hujus rescripti affixa publice de more fuerunt programmata seu edicta, primo pro vicesima, quibus edictis Moniales clausulam iterum adjecerunt, oblationes in consideratione habitum iri. Plures adfuerunt oblatores, quorum major obtulit scut. 412, quae oblatio cum denunciata fuisset Philippo eam in acceptis habuit.

Item post edicta vicesimae alia affixa sunt edicta pro sextae oblatione intra decem dierum spatium, adjecta eodem modo dicta clausula. Aliae item oblationes porrectae sunt, quarum major, quae fuit Thomae, ascendit ad scut. 600, quae pariter per Moniales denunciata fuit Philippo, ex lege expressa, ut oblatio in consideratione haberetur, monasterio interim in sua libertate manente procedendi ad quod sibi magis expedire videretur. Huic novae oblationi renuit Philippus ac liber evasit. Quare victor sextarius mansit Thomas.

Paucos post dies, elapso nempe dicto decennio, alii oblatores adfuerunt, quorum major nempe Fructuosus obtulit scutat. 720. Hoc sciens Thomas adversus monasterium protestationem emisit, contendens, elapso utili termino, se esse deliberatorium definitivum nec potuisse monasterium ad ulteriora acta procedere contra jus quod ipse jam acquisiverat.

Rebus omnibus in suspenso manentibus Moniales a s. C. postularunt quid in casu agere deberent.

Rogato de more Ordinario pro informatione et voto auditisque iis, quorum id intererat, dubium infrascriptum S. C. est propositum.

Disceptatio synoptica.

I. Jura, quae Thomas adducebat sui favore.

Conquerebatur initio Thomas, notarium, qui oblationes recipiebat, proprio marte, elapso utili termino in edictis praefixo, novae contentioni causam dedisse.

Ajebat autem ipsam gestorum enarrationem esse dissertam sui quaesiti juris defensionem. Justum enim est, ut in contractibus de rebus ecclesiae ejusdem ecclesiae utilitas quaeratur, sed intra legis limites et honestatis: quod tunc eveniet, quando omnia experimenta oblationum juxta regulas in hac re vigentes exhausta fuerint.

Ad rem confirmandam adducebat auctoritatem cl. Aloysii Trombetta, qui recenti opusculo saepe a nobis laudato, cui titulus, *Praxeos regulae circa contractus rer. eccles. cap. 4. §. 15. pag. 120,* scripsit: »Restat nunc ut videatur, an praeter experimenta vicesimae et sextae detur aliquod ulterius ordinarium experimentum, ut vulgo dicitur *di soprasesta?* Negandum omnino. Quamquam enim experimenta vicesimae et sextae quandoquidem irregulariter facta ex mandato ss. Congregationum renovata ex integro fuerint, attamen ubi legitime sunt facta omnino firma manent nec amplius programmata sunt publice affigenda pro ulteriori additamento, vulgo *di soprasesta*, ne contractus cum ecclesia et oblatorum praejudicio in infinitum protrahantur. In casu dumtaxat enormis laesionis consuetum remedium suppedit agendi pro contractus rescissione prout et quatenus de jure. Idque sancitum extat in praelaudata Benedictina constitutione sub num. 7.*)

*) Verba hujus num. 7 latine sonant: »Ut transactis ipsis tribus mensibus (nempe pro sexta, quo tempus ex obtenta facultate in praesenti casu coarctum fuerat ad decennium), deliberata locatione, contract..s rescissioni locus amplius non sit (titulo experimenti), sed firmus stet atque irrévocabilis toto ipso tempore constituto, juxta formam et conditiones in deliberatione

II. Ea, quae ex officio pro et contra observabantur.

Favore ejusdem Thomae militare videbatur quaedam resolutio s. C. Episc. et Reg. diei 5. Novembris 1832. In ea agebatur de quadam domo nosocomii in emphyteusim tradenda: completis actis vicesimae et sextae, et in acceptis habita oblatione sextae vigesimario Paulo Felice, quidam Josephus, qui victus inter oblatores manserat, majorem deinde obtulit summam, quae oblatam a Paulo sextam superabat. Quaesitum itaque fuit, cuinam esset ex duobus adjudicanda domus et cum pro Paulo stipulandum esset instrumentum, an cum primo sextario vel Joseph?

S. Congreg. respondit: Cum post vicesimam et sextam nulla ulterior optio detur contractui ad formam Benedictinae constitutionis stipuletur favore Pauli Felicis.

At contra favore loci pii, ac proinde favore Fructuosi suprasextarii, observabatur, sibi monasterium cavisse in singulis invitatoriis edictis per clausulam, qua se in consideratione habiturum inquiebat oblationes, prout sibi magis expedire videretur.

Neque id interdictum existimari debere, quandoquidem dominus rei suae moderator est et arbiter et conditiones potest apponere, quae suae utilitati magis expedire cognoscat: in emptoris autem facultate positum esse sub iis conditionibus ab oblatione abstinendi.

Quod etiam animadvertit citatus auctor *praxeos regul. pag. 77,* qui distinguens edicta invitatoria ab edictis deliberatoriis generatim monet, in edictis invitatoriis dominum qui edicta proponit ad habendas oblationes in consideratione id facere praesumi potius ad rei valorem investigandum quam praecise ad contrahendum. Hanc quippe distinctionem in casu voluntariae subhastationis, ut idem auctor observat, retinet *Card. de Luca de Emp. et vend. lib. 7. disc. 3. num. 5* inquiens: »In altero autem casu voluntario (subhastationis) fit distinctio, an in edicto seu praeconio proclamante exprimitur, quod bona dabuntur plus offerenti, an non: si enim exprimitur, adhuc venditor sine justa causa poenitere non potest . . . secus autem si non exprimitur, cum tunc dici possit, quod ille, qui proponit edictum seu curat fieri proclamata, id fecerit potius animo explorandi rei pretium quam vendendi, ita ut non adsit illa obligatio, quam contraxisse censetur cum futuris licitatoribus quamvis incertis, quoties accedit declaratio quod bona dabuntur majori vel minori oblatori.« Quam distinctionem passim adhibuit s. Rota in *Romana Affictus 22. Junii 1761 num. 4 coram Herreras.*

Neque in casu obstare videbatur responsio, quae prima fronte sese offert, quod scilicet monasterium processit vi rescripti s. C. ideoque conformare se debuerit constitutioni Benedictinae et decretis generalibus s. C. Episc. et Regul., quae determinant normam sequendam in ejusmodi bonorum alienationibus. Huic enim difficultati respondebatur: Rescriptum s. Congr., quo tribuitur facultas alienandi salvo jure vicesimae et sextae, non impedire, quominus majores adhibeantur cautelae ad loci pii utilitatem. Et re quidem vera etiam executor apostolicus talium rescriptorum, qui ad unquem observare rescripti formam tenetur, non tamen prohibetur alias adjicere conditiones, quae in majorem ecclesiae utilitatem cedant.

Quin imo clausula illa, quam monasterium singulis actis apposuit, si expressa non esset, subintelligenda videbatur. Namque donec perfectus non sit contractus per beneplacitum apostolicum exsecutioni mandatum, jus, quod primus oblator acquirit, non aliud est nisi jus praelationis; praefertur enim quoties ipse novus supervenientes oblationes exequare cupiat, quin tamen locus pius suam libertatem amittat, cum privilegiis gaudeat minorum, citatus *auctor. pag. 33. num. 4 et 5, Card. Petra in com. ad const. apost. 1. 1. sect. 3. num 41.*

In praesenti autem themate nulla ratione perfectus erat contractus, nemini enim ex oblatoribus adjudicata fuerat domus, sed omnibus in suspenso manentibus declaratio a s. Congregatione quaerebatur; quare res favore monasterii integra erat.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum dubium:

»*An, quomodo et cujus favore deliberanda est domus in casu?*

S. Congregatio Episc. et Regular. recognite die 24. Augusti 1866 rescripsit: Nemini ex oblatoribus jus inesse ad delibera-

expressas. Dumtaxat jus remaneat camerae contractum impugnandi in casu laesionis ultra dimidiam, quatenus de jure et prout de jure et juxta apostolicas constitutiones.« Vd. *p. 448.*

tionem obtinendam: attentis vero particularibus circumstantiis quatenus Thomas infra decem dies a denunciatione acceptam habeat oblationem scut. 720, eidem venumdetur: alias Fructuoso; et amplius.

Ex his colliges:

I. In alienandis rebus ecclesiae ad perficiendum alienationis actum post obtentum apostolicum beneplacitum non esse deveniendum, quin temporis intervalla praecurrerint, quae vicesimae et sexta dicuntur ad normam Benedictinae constitutionis et decretorum generalium S. C. Episc. et Reg.

II. Ecclesiae enim seu loco pio contrahenti, qui tamquam pupillus consideratur, competit jus addictionis in diem et beneficium restitutionis in integrum.

III. Tempus exspectandum pro vicesimae experimento naturam habere addictionis in diem, sicut experimentum sextae speciem quamdam habet restitutionis in integrum ac si in prioribus alienationis actibus ecclesia fuisset laesa*).

*) In diem addictio ita describitur in *lege ff. de in diem ad.* »In diem addictio ita sit: Ille fundus centum esto tibi emptus nisi si quis intra Kalendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit, quo res a domino abeat.« Fundus aliquis addici potest in diem duplici modo juxta *l. 2. ff. h. t.*, aut per venditionem quae pura sit, ita tamen ut venditio rescindatur copiosiore oblatione adveniente intra constitutum tempus; aut per venditionem conditionalem, quae tum pura evadat, si melior oblatio intra constitutum tempus ab alio emptore non fiat: sic enim in *dicta lege 2.* statuitur: »Quoties fundus in diem addicitur, utrum pura emptio est, sed sub conditione resolvitur, an vero conditionalis sit magis emptio, quaestionis est. Et mihi videtur verius interesse, quid actum sit: nam si quidem hoc actum est, ut meliore allata conditione discedatur ab emptione, erit pura emptio, quae sub conditione resolvitur: sin autem hoc actum est, ut perficiatur emptio, nisi melior conditio offeratur, erit emptio conditionalis.«

In contractibus autem rerum ecclesiae addictio in diem reddit contractum (qui post beneplacitum apostolicum fuerit incoeptus aut forte etiam completus) dumtaxat conditionalem, ut statuitur in §. *3 dicti Motus proprii Benedicti XIV**), ita ut ille, cui ab initio deliberatus sit fundus, jus quodvis in illum fundum vi dictae deliberationis esset, quoties viginti dierum intervallo alius superveniat, qui illius oblationis saltem vicesimam partem adjiciat.

*) Vd. *supra p. 446.*

IV. Licitatorem, qui in oblationibus dicit, jus non habere ad contractum perficiendum, nisi omnibus regulariter exhaustis experimentis eidem res, quae in deliberatione est, fuerit adjudicata·

V. Neque videri eumdem licitatorem, cui saltem primo adjudicata res non fuerit, jus habere ad dictam adjudicationem deinde habendam, quoties ecclesia a re adjudicanda absineat. Habet enim dumtaxat quoddam praelationis jus, quoties rem ecclesia ipsa adjudicandam alicui censeat.

VI. In praesenti vero themate habita adjunctorum ratione novas oblationes post utile tempus factas s. Congregationem, quin noya fierent experimenta, in acceptis habendas esse censuisse*).

Experimentum autem sextae speciem quamdam habet restitutionis in integrum, quasi vero locus pius, qui contrahit, per praecedentes actus fuisset laesus in sexta saltem parte pretii; ideoque in pristinum statum propemodum restituitur, ut saltem in eo, in quo fuerit laesus, quaerere videatur, qui suam laesionem velit redintegrare. Ex quo apparet, superfluam fuisse clausulam, quam monasterium apposuit, oblationes porrigendas fore dumtaxat considerandas, cum huic clausulae per legem jam consultum esse videatur.

Ejusmodi praescriptas cautelas aliquis prima fronte non aequo animo fortasse sustinebit; at quotidiana experientia docet vix ejusmodi cautelas esse sufficientes.

*) In praxi sacrae Congregationis positum est, ut utili tempore sextae transacto, nemo sub eodem titulo augmentum offere valeat, sed si novam oblationis schedam, quae notabiliter pretium augeat, quis exhibeat, »tum oblationes omnes ad s. Congregationem mittendae erunt. S. autem Congregatio, re adhuc integra, poterit pro suo prudenti arbitrio novas oblationes vel rejicere vel mandare, ut denuo edicta proponantur, prout statuitur in § 4 decretorum generalium S. C. Rejicere solet s. Congregatio ejusmodi novas oblationes, si omnibus actis et rite exhaustis eae in pretio habendae esse non videantur, sicut etiam si res adhuc integra non sit: contra si res adhuc integra maneat et notabiliter majores sint oblationes, maxime si actus licitationis, qui praecesserint, rite gesti non fuerint, mandat denuo edicta affigi. In praesenti autem casu pretii emolumentum ex novis oblationibus propositum favore monasterii spernendum non erat: neque jus alicujus laedebatur, praesertim cum Philippus deliberatorius, cui domus adjudicanda fuisset, in acceptis habere noluerit sextam ab aliis oblatam: contra nova edictorum affixio rebus sic stantibus vix utilis visa est, si Fructuoso, qui sextarius erat, facultas fieret exaequandi novam oblationem.

Caeterum inter rei adjuncta mihi non videtur recensenda ratio agendi monasterii per clausulam appositam, quae aut in id recidit, quod jam per legem cautum est, aut si quid amplius clausula illa operari intelligatur, pessumdare videtur rationem in ecclesiae rerum alienatione statutam procedendi, namque conceptus addictionis in diem et restitutionis in integrum evanesceret.

*) Adnotamus hic, auctorem nostrum singula ea, quae asseverat in hoc capite itemque in iis, quae sequuntur, quaeque nos summis labiis deliberanda sumimus, idoneis rationum momentis copiose fulcire et comprobare solere. Qua in re hac idem methodo generatim usus est, ut juris civilis et canonici, quo vivimus, principia ponat et statuat, ex iisque veluti e fonte deducat regulas disciplinae seu praxeos, quas servat servarique mandat S. C. Ep. et Reg. in contractibus rerum ecclesiasticarum ineundis, iisdem insuper quasi praesidium ac firmamentum comparat ex declarationibus, quas sacer Ordo edidit in casibus peculiaribus quaeque idem excerpsit ex authenticis regestis tabularii S. C., nec quandoque, cum res postulat, argumenta mutuari omittit sive ex declarationibus S. C. Conc. sive decisionibus s. Rotae romanae.

Nota.

Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos.

In referenda causa stipulationis contractus, quae penes S. C. Ep. et Reg. agitata est, adnotavimus non paucos defectus et vitia in negotii, de quo res erat, pertractatione intercessisse: quos defectus et vitia saepissime et alibi passim locum habere jugis experientia demonstrat. Nos jam pag. 446 et seqq. totum dedimus Benedicti XIV. Motum proprium diei 22. Novembris 1742, itemque decreta generalia a S. C. Ep. et Reg. edita, quae observari debent in contractibus ineundis rerum ecclesiasticarum. Super hisce dispositionibus novum idemque egregium opusculum nuperrime conscripsit et in lucem edidit clarus advocatus Aloysius Trombetta, subsecretarius ejusdem S. C. Hujus itaque perutilis elucubrationis synopsim nostris humanissimis lectoribus heic offerimus, quod non sine magno utilitate fructu eisdem fore nobis pollicemur.

Itaque, ut ad rem veniam, clarus auctor, postquam suo in opere per extensum praeposuerit tum celebratissimam Extravagantem Pauli II. incipien.: *Ambitiosae*, tum Benedicti XIV. Motum proprium et generalia S. C. decreta, in primis id statuit ac firmat, hisce decretis inesse propriam ac veram obligandi vim iisque propterea sese conformare debere in administratione rerum ecclesiasticarum tum etiam SS. CC. ac tribunalia. Sacra enim Congreg. Ep. et Reg. cum agat nomine Papae, ut ait Card. de Luca, ab hoc auctoritatem obtinet leges etiam ferendi, cum praesertim nil, quod aliquam gravitatem habeat, sine scientia ac speciali jussu summi Pontificis agere vel jubere soleat. Hinc est, quod et S. C. Conc. et ipsum sacrae Rotae auditorium iisdem decretis pro re rata inhaerere religiosum sibi duxerint, prout ostenditur idoneis allatis exemplis.*)

Hisce in primo capite praestitutis auctor in capite secundo de publicis edictis eloquitur, quae affigi debent, antequam aliqua ecclesiastica res licitationi exponatur: quae quidem absque auctoritate a sacro Ordine facta indici non posse docet; et si secus factum fuerit, sacrae Congreg. integrum esse admonet eam affixionem posthabere et novam praescribere, jussa nova aestimatione fundi per virum peritum ex officio eligendum, aliisque conditionibus adjectis, quae magis in rem et utilitatem ecclesiae cedere videantur; sine speciali Sedis apostolicae venia in contractibus ineundis rerum ecclesiasticarum edicta praetermitti nequeunt. Si fundum licitandum pro indiviso ecclesia cum persona laica possideat, non idcirco edictorum affixionem declinari ac negligi posse contendit. Non ex praecepto legis sed tantum ex consilio et exhortatione edicta requiri tradit in locationibus, quae intra triennium continentur, dummodo tamen etiam hoc in casu eadem ex synodali sanctione haud praecipiantur. Nullus est terminus praefixus pro primis edictis, quem tamen ad viginti vel triginta dies plus minusve prudenti Ordinariorum judicio protensum generatim sese inspexisse testatur. Quod pertinet ad edictorum pro vigesima ac sexta affixionem, hanc nec essentialem nec praeceptivam esse inquit, etiamsi consuetudo et major ecclesiae utilitas eadem non omitti suadeat.

Gradum facit auctor in tertio capite ad oblationes. Cum plures inveniantur inter se pares, s. Congr. jubet ad se omnes oblationes remitti, ut ipsa eligere possit, quaenam oblatio inter pares quoad quantitatem sit melior quoad alia, neque enim hisce in rebus major tantum, sed et melior debet oblator attendi. Subinde enumerat *conditiones*, quae requiruntur, ut oblationes suum sortiantur effectum:

Primo debent esse legitimae, scilicet loco

ac tempore factae in edictis praestituto: quod ita intelligendum est, ut nihilominus liceat nova proponere edicta, si utile id ecclesiae censeatur, et quoties res adhuc integra est, beneplacito nondum expedito nec executioni rite commisso ac publico instrumento exarato.

Secundo debent esse certae, videlicet in summa certa et explicita, unde rejiciuntur oblationes captiosae, incertae et ecclesiae bono adversae. Aliquando fit, ut aliquis oblator praeter propriam oblationem addat augmentum supra quaslibet alias oblationes: hoc in casu augmentum oblationi propriae addici debet non alienae; ex. gr. si Titius offerat centum et addat scutata decem supra quaslibet alias oblationes, quae propriam exsuperent, oblatio recipitur in scutatis centum ac decem. Si oblationi inhaereat aliqua conditio, eadem tanquam incerta repudiatur.

Tertio loco debent esse evidentes utiles; namque ecclesia ad alienationem non procedit, nisi cum evidenti sua utilitate juxta privilegia, quae communia habet cum pupillis et minoribus; itaque ecclesiae utiles minime reputantur eae, quae pro persona nominanda exhibentur, nam si persona, cum qua contrahendum est, cognita plene non fuerit, de utilitate evidenti judicium proferri nequit; deinde persona ista nominanda sanguine conjuncta cum ecclesiae administratore facile esse potest: atqui vetitum est contractus inire cum his circa ecclesiae administratae res; circa personam nominandam excipitur casus, quo illico et in continenti declaratur, quaenam speciatim ista persona sit; tunc enim exulant ea, quae metuuntur incommoda. Dein ratio discriminis adsignatur, cur obligationes pro persona nominanda admittantur in foro civili ac rejiciantur in foro ecclesiastico, quae ratio in eo sita est, quod evidenter non apparet, an contractus, de quo res est, cum persona innominata utilitatem ecclesiae sit allatura, necne. Sed nec utiles reputantur oblationes, quae continent aliquam summam titulo ingressus, vulgo di prima entratura, aut alio quocumque nomine vocitetur, nisi ea summa favore ecclesiae ipsius investiatur. Denique oblationes esse debent idoneae, ab iis nempe exhibitae, qui sunt solvendo pares vel alias, quae necessariae sunt, cautiones praestare valeant; si secus fortasse fiat, oblatori certus terminus praefigitur, ut cautiones ipsas sibi comparet et exhibeat: quo inutiliter elapso aliis, licet minoribus, oblationibus recipiendis aditus aperitur. Semel traditis rite oblationibus quaestio suboritur: an locus sit poenitentiae ita ut oblatores factum suum retractare queant. In quo distinguenda sunt edicta deliberatoria et edicta invitatoria; deliberatoria ea dicuntur, quae promissionem continent rem deliberandi favore majoris oblatoris; invitatoria audiunt, quibus expresse monetur, quod oblationum ratio habebitur; quod italice dicitur *saranno prese in considerazione*. Ad prima quod attinet, regula statuitur easdem oblationes esse obligatorias; namque oblatio promissionem involvit, quae simul ac facta fuerit ex lege naturali ac civili servanda est. Hanc thesim auctor cum fuse tum solide comprobat. Si vero agatur de edictis invitatoriis regula generalis est, ut ea obligandi vim non habeant, dummodo tempus non sit praefinitum, quo liceat oblationes cernere et arbitrium interponere, an spernendae vel accipiendae sint: at hoc termino elapso potest oblator oblationes suas revocare et ab iis resilire. Verum cum agitur de contractibus cum ecclesia, idem adnotat auctor, eas quoque oblationes ex praxi S. C. Ep. et Reg. uti obligatorias semper fuisse habitas, atque omnia argumenta recenset, quibus praxis ipsa fulcitur.

In quarto capite de vigesima ac sexta speciatim dicendum suscipit auctor easque inductas fuisse tradit ad instar privilegii, tum addictionis in diem circa vicesimam, unde sequitur, quod venditio ea lege facta censeatur, ut firma fiat vel firma remaneat, si alius intra certum tempus meliorem non obtulerit conditionem; tum instar restitutionis in integrum circa sextam, cujus vi aliquis in pristinum statum reponitur et negotium instauratur. Vicesimae ac sextae experimentis locus esse nequit, nisi postquam beneplacitum apostolicum per Ordinariorum decretum, quod vocant *executoriale*, munitum fuerit. Eadem vicesimae et sextae experimenta nullitatis quoque vitio laborant, si peracta fuerint ante literarum apostolicarum expeditionem in iis contractibus emphyteuticis, pro quibus literarum apostolicarum expeditio praescribi solet. Vicesimae duratio ad viginti dies protenditur ejusque terminus decurrere incipit a die, quo ab Ordinario executoriale decretum appositum fuerit; duratio vero sextae trium est mensium. Porro vicesimae et sextae termini neque prorogari neque contrahi possunt ab Ordinariis; sacra vero Congregatio potest quidem terminos

contrahere, minime vero prorogare. Ea oblatio vicesimae et sextae, quae major reperta fuerit, deliberatario sub poena nullitatis denuncianda est. Vicesimae et sextae oblatio potest esse major quantitate praescripta, id est major parte vigesima pro una, major sexta parte pro altera, neutiquam tamen potest minor. Quod pro vicesima dispositum fuit, idem, congrua congruis referendo, pro sexta dispositum fuisse censendum est.

De apostolico beneplacito quinto in capite sermo instituitur, idemque non requiri in locatione triennali ostenditur, itemque nec in contractibus, in quibus Ordinarii facultatem habent vi canonis: *Terrulas*. In hoc articulo exponendo declaratur, valoris modicitatem, qua concurrente ejus canonis applicatio locum habet, determinari a consuetudine locali, ita ut valor modicus etiam censeatur, qui scutata quinquaginta monetae romanae non excedat, ubi praefata adest consuetudo, secus modicus dumtaxat dicendus erit, qui ducata viginti quinque de camera (quae aequivalent scutatis romanis quadraginta) non superet. Excipiuntur concessiones emphyteuticae perpetuae rerum valoris etiam modici, pro quibus apostolicum beneplacitum requiritur, nec Episcopi auctoratio sufficit. Quamvis olim sine novo beneplacito liceret res emphyteusi dari solitas, devolutione adveniente, iterum in emphyteusim concedere, hodie tamen sancitum ac receptum est, ut novum beneplacitum semper omnino requiratur.

Circa rescripta eorumque executionem versatur caput sextum. Porro rescripta alia sunt in forma gratiosa, quibus videlicet gratiam summus Pontifex per se immediate impertitur, quin ab aliquo retardari queat; ac talia sunt ea etiam, quae clausulam continent: arbitrio Episcopi aut alterius executoris: haec enim apposita dumtaxat censetur ob reverentiam in executorem, ideoque eadem executorem mixtum haud facit. Rescripta in forma commissoria ea dicuntur, quibus Pontifex gratiam per se ipsum non facit sed committit sive mandatum dat alicui, puta, Ordinario, ut eam impertiatur certis observatis conditionibus, quas auctor enucleat. Delegatio s. Sedis in Ordinarium collata extenditur etiam ad Vicarium generalem, minime vero, si facta fuerit Episcopo nisi in vim delegationis. Quod si facta fuerit Vicario, non potest eam exequi Episcopus, nisi Vicarius ei subdelegare velit: quae tamen subdelegatio fieri nequit in casu, quo electa omnino fuerit industria persona. Rescripta gratiae dumtaxat in forma commissoria impetrata per mortem Pontificis exspirant.

Septimum caput aditum aperit quaestionibus agitandis ac resolvendis, quae pretii, quod ex alienatione retrahitur, investimentum respiciunt. Investimentum definit auctor legitimam pecuniae collationem in praediorum emptione vel in juris percipiendi fructus comparatione, ex qua definitione idem infert, quod investimentum non consistat in censuum vel debiti extinctione, nec in meliorationibus fundorum et multo minus in eorumdem instaurationibus, nec est verum investimentum domum construere in fundo, quem jam antea ecclesia possideat, sed investimentum fieri debet in fundis stabilibus tutis atque fructiferis; et quaenam praedia sint praeferenda, auctor indigitat. Investimentum in censibus per posterius et in subsidium solummodo permittitur, quando nempe praedia stabilia comparari nequeant. Excipitur investimentum, cujus fructus erogandi sunt in missarum celebrationem; hoc enim in casu census non reputantur idonei, sed omnino praedia stabilia requiruntur. Investimentum fieri nequit sine apostolica venia (quae tamen per sacras Congregationes in praesenti rerum statu pro debito publico pontificio passim conceditur) in comparatione schedularum super debito publico vulgo *Consolidato*. Multoque minus in aliis publicis capsis praesertim in parsimoniali, *Cassa di Risparmio*.

Ad octavum caput quod attinet, ubi de actis agitur, quae in contractibus rerum ecclesiasticarum peragi debent, hanc ipse regulam praestituit, ut ea, quae licitationem respiciunt, a curiis ecclesiasticis absolvi debeant; ad eas itaque sive ad earum officiales pertinet peritorum deputatio ex officio facienda pro aestimatione fundi, qui alienari debeat, edictorum affixio; schedularum, quibus oblationes describuntur, aperitio; actus, quo fundus majori oblatori deliberatur, ut nihil dicam de executione rescripti, quae ei competit, cui ab apostolica Sede commissa fuerit. Contra vero acta, quae ad instrumenti confectionem referuntur, qua alienatio perficitur, a publico tabellione stipulanda sunt; adeoque cancellarii episcopales, si tabellionatu careant, eadem peragere prohibentur. Tabelliones autem simplex instrumentorum exemplar curiae tradere tenentur.

A quo subeundae sint expensae pro hujusmodi actis necessariae, expendit nonum caput; in quo regula generalis est, sufferri debere ab iis, quos ad eas teneri in edictis proclamatum fuerit ceu fere evenit atque adeo ad vitandas lites fieri admodum expedit. Si vero nihil conventum appareat, tum juxta adagium, ut ille sentiat incommodum, qui commodum sentit, pro dimidio ab ecclesia, pro dimidio ab alienatario expensae sufferendae sunt. Si tamen acta, de quibus agitur, utilitatem alienatarii et non ecclesiae respiciant, qualia sunt censuum aliorumque creditorum extinctio, rescriptorum ob extinctionem expeditio et executio, hypothecarum deletio, publici regesti taxa aliaque id genus, quae ad debitoris utilitatem spectant, expensae, quibus eas in causas opus est, non ab ecclesia, sed solummodo a debitore persolvendae sunt. Et quidem viceversa ab ecclesia subeundae sunt, si de ejusdem utilitate solum agatur.

Denique ut argumenti ab auctore suscepti pertractatio numeris omnibus absolvatur, in decimo et ultimo capite de mobilibus ecclesiae rebus et supellectili sacra alienandis quaestiones saepius oriri solitae disceptantur. Ad quaslibet hac super re controversias amputandas auctor duo temmata statuit; primum est, quod bona ecclesiae mobilia pretiosa, quae servando servari possunt, aequiparentur bonis immobilibus circa solemnitates pro alienatione praescriptas; alterum est, ut, cum agitur de supellectili sacra, quae ex viri periti aestimatione vigintiquinque scutata aurea excedat, non possit a clericis alienari vel oppignorari sine beneplacito apostolico, neque pariter sine expressa licentia Ordinarii, si agitur de supellectili sacra, cujus valor infra vigintiquinque scutata aurea aestimatus fuerit. Quaeri potest: an in hujusmodi alienationibus necesse sit servare leges pro licitatione rerum immobilium praescriptas? Cui quaestioni auctor negativam responsionem reddit; dedecet enim res sacras publice venumdari cum periculo, ne in manus profanorum perveniant. Sed tamen nihil diligentiae praetermittendum est, ut recta ac fidelis aestimatio sacrae supellectilis alienandae habeatur ex fide viri periti, eaque illi adjudicetur, qui majorem summam obtulerit.

Cursim nos haec attigimus, qui vero rem penitus et clarius nosse cupiat, opus ab auctore tam bene elaboratum atque perfectum adire ne gravetur.

r) Poenae male alienantium, cooperantium, recipientium etc.

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (restitutio etc. p. 467).

Poenae male alienantium et cooperantium sunt variae.

Prima est, quod talis alienatio facta non servatis requisitis solemnitatibus ipso jure sit nulla adeoque rescindenda, *cap.: Sine exceptione 13. quaest. 2; cap.: Si quis presbyter 6. in hoc tit. Clement. I. et Extravag.: Ambitiosae de rebus eccles. non alienand. inter communes.* Et haec nullitas seu invaliditas est intelligenda pro foro externo, nam pro foro interno seu conscientiae valida est alienatio rei ecclesiasticae, quae fit auctoritate Superioris aliorumque, quorum intersit, consensu, sine ulla fraude ac dolo ex justa causa necessitatis vel utilitatis ecclesiae aut pietatis, quamvis praetermissa fuerit formula juris. Sic *Abbas in cap.: Quia plerique num. 31. de immun. eccles., et cap.: Requisivit num. 19. de in integrum restit.*, ubi probat, quod omnis contractus in foro conscientiae validus sit liciteque retineatur res per ipsum acquisita, quando in eo fuit servatum, quod jus naturale praescribit, scilicet absentia deceptionis et verus contrahentium consensus, licet non fuerit servata forma praescripta a jure positivo. Et sic tenent *Innocent., Riccius, Layman, Engel, Azorius, Navarrus, Zoesius, Anacletus* et alii passim.

Secunda poena est, quod tam alienantes quam alienata recipientes et subscribentes incurrant excommunicationem majorem; *cap.: Non liceat de rebus 12. qu. 2; cap.: Si quis presbyt.* et *Extrav.: Ambitiosae.* Et ista excommunicatio non est reservata, ut patet ex textu ipso Extravagantis: *Ambitiosae.* Ab hac tamen censura incurrenda excusantur alienantes et cooperantes ex ignorantia juris vel facti, dummodo talis ignorantia non fuerit crassa vel supina, ut expresse habetur, *cap.: Ut animarum periculis 2. de constitutionibus l. 1. tit. 2. num. 6*, et tenet *Barbosa in Extravag.: Ambitiosae num. 33, Navarrus, Quaranta, Filliuccius, Bonacina* et alii communiter. Ab hac censura incurrenda excusantur etiam illi, qui bona ecclesiae alienarunt absque debitis solemnitatibus, si poenitentia aut alio titulo ducti alienationem revocaverunt ante realem et pacificam traditionem, *cap.: Si quis presbyterorum 6. hoc tit., Barbosa loc. cit., Covarruvias, Quaranta, Navarr., Filliuc.* et alii.

Tertia poena est, quod Episcopi vel Abbates male alienantes subjacent interdicto ingressus in ecclesiam, et si per sex menses talem poenam contumaciter sustinuerint, ab administratione beneficii vel dignitatis sint suspensi. Inferiores autem Praelati commendatarii et alii ecclesiarum rectores beneficiis, quorum bona male alienaverint, sint ipso facto privati, ut habet expresse cit. *Extravag.: Ambitiosae.*

Regulares autem, qui immobilia et mobilia pretiosa alienant, locant vel distrahunt, census et hypothecas speciales constituunt absque facultate sacr. Congr. Conc., praeter poenas cit. *Extravag.: Ambitiosae* incurrunt ipso facto poenam privationis officiorum, inhabilitatis ad illa, vocis activae et passivae, ex decreto sacr. Congr. Conc. *6. Septbr. 1624* jussu Urbani VIII.*) edito. Et has poenas incurrunt absque alia sententia declaratoria, ut respondit sacra Congr. Conc. in Romana pro Cisterciensibus *1. Septbr. 1657* et confirmavit *26. Martii 1689* in responsione ad sequentia dubia:

1. An Abbates, qui praesunt monasteriis aere alieno censuario nomine gravatis, teneantur dictos census redimere, quamvis tempore antecessorum factos?

2. Quatenus teneantur, an negligentes incidant in poenas contentas in decreto de rebus Regularium non alienandis?

3. An ad effectum incidendi in eas, opus sit praecedenti declaratione?

4. An Superioribus regularibus liceat mutuo accipere pecunias absque monachorum consensu capitulariter requisito?

Die 26. Martii 1689 confirmando decretum anno 1657 latum respondit

Ad primum: Teneri.

Ad secundum: Incidere.

Ad tertium: Ad effectum eas incurrendi non requiri declarationem.

Ad quartum: Non posse: lib. 21. dec. fol. 56.

Neque valet ad effugiendas recensitas poenas adducere non usum constitutionis: *Ambitiosae*, quia usus non est allegabilis, cum ubique praesumatur recepta, ut tenet *Pignatell. tom. 9. consult. 126. n. 4; Ciarlin. contr. 105. n. 111 et 112; Genuens., Ventrig., Monacell.* et alii passim; et sic expresse declaravit sacra Congr. Conc. *in Uladislavien. 1. Julii 1647*, in qua cum adduceretur, dictam Extravagantem *Ambitiosae* non esse usu receptam in illis partibus, adeoque non esse necessarium beneplacitum apostolicum, respondit praecisis verbis: *Non usum dictae constitutionis allegabilem non esse, et absque beneplacito alienationes fieri non licere;* sic *lib. 18. decretal. p. 335*, et *in una Mediolan. 13. Novembris 1655* censuit: *bona ecclesiarum et piorum locorum non posse alienari nec concedi sola auctoritate Archiepiscopi, sed omnino requiri beneplacitum apostolicum ad praescriptum constitutionis Paulinae, non obstante praetenso allegato non usu seu consuetudine, et die 20. ejusdem facta relatione Sanctiss. approbavit: lib. 19. decret. pag. 535.*

Recensitae autem poenae non incurruntur, si, ubi adest necessitas et evidens ecclesiae utilitas et pietas, alienantur bona ecclesiae modici valoris cum facultate Episcopi*), qui auctoritate sibi attributa *in cap.: Terrulas 12. qu. 2*, cui nunquam fuit derogatum, licentiam concedere potest alienandi res ecclesiasticas, quae non excedunt valorem quadraginta scutorum romanorum, ut censuit sacra Congregatio Episcop. *in una Tarentina 22. Maji 1601* et *in una Messanensi 29. Novembris 1613*, ubi dicit sic etiam declarasse Paulum V.

Quoad poenas male alienantium bona ecclesiastica attendenda est novissima constitutio felicis recordationis Summi Pontificis Benedicti XIV. in *cap.: Universalis ecclesiae*, in qua sub poena excommunicationis, nullitatis actus et contractus et sub omnibus poenis statutis contra alienantes bona ecclesiae prohibet clericis alienare commodum recipiendi fructus seu vendere et distrahere pro toto tempore vitae suae aut per decursum longi temporis redditus et proventus suorum beneficiorum recipiendo ab emptore una aut pluribus solutionibus illam quantitatem pecuniae, quam ipsi beneficiati pro spatio dicti longi temporis aut suae vitae probabiliter essent consecuturi.**)

Caducitas in alienationibus bonorum ecclesiae vel beneficii potissima est alienantium poena, juxta *Extravag.: Ambitiosae de reb.*

*) Vd. *p. 438 g.*

**) De poenis alienantium bona ecclesiae sine solemnitatibus consule *Card. Petra in comment. ad consitut. 5. Pauli II. sect. 2. per tot.*, ubi de meliorationibus et fructibus quoque plura occurrunt.

*) Vd.: *Alienat. bonor. eccles. per regulares Superiores* (p. 465. §. *Sacra Congreg.*).

A quo subeundae sint expensae pro hujusmodi actis necessariae, expendit nonum caput; in quo regula generalis est, sufferri debere ab iis, quos ad eas teneri in edictis proclamatum fuerit ceu fere evenit atque adeo ad vitandas lites fieri admodum expedit. Si vero nihil conventum appareat, tum juxta adagium, ut ille sentiat incommodum, qui commodum sentit, pro dimidio ab ecclesia, pro dimidio ab alienatario expensae sufferendae sunt. Si tamen acta, de quibus agitur, utilitatem alienatarii et non ecclesiae respiciant, qualia sunt censuum aliorumque creditorum extinctio, rescriptorum ob extinctionem expeditio et executio, hypothecarum deletio, publici regesti taxa aliaque id genus, quae ad debitoris utilitatem spectant, expensae, quibus eas in causas opus est, non ab ecclesia, sed solummodo a debitore persolvendae sunt. Et quidem viceversa ab ecclesia subeundae sunt, si de ejusdem utilitate solum agatur.

Denique ut argumenti ab auctore suscepti pertractatio numeris omnibus absolvatur, in decimo et ultimo capite de mobilibus ecclesiae rebus et supellectili sacra alienandis quaestiones saepius oriri solitae disceptantur. Ad quaslibet hac super re controversias amputandas auctor duo temmata statuit; primum est, quod bona ecclesiae mobilia pretiosa, quae servando servari possunt, aequiparentur bonis immobilibus circa solemnitates pro alienatione praescriptas; alterum est, ut, cum agitur de supellectili sacra, quae ex viri periti aestimatione vigintiquinque scutata aurea excedat, non possit a clericis alienari vel oppignorari sine beneplacito apostolico, neque pariter sine expressa licentia Ordinarii, si agitur de supellectili sacra, cujus valor infra vigintiquinque scutata aurea aestimatus fuerit. Quaeri potest: an in hujusmodi alienationibus necesse sit servare leges pro licitatione rerum immobilium praescriptas? Cui quaestioni auctor negativam responsionem reddit; dedecet enim res sacras publice venumdari cum periculo, ne in manus profanorum perveniant. Sed tamen nihil diligentiae praetermittendum est, ut recta ac fidelis aestimatio sacrae supellectilis alienandae habeatur ex fide viri periti, eaque illi adjudicetur, qui majorem summam obtulerit.

Cursim nos haec attigimus, qui vero rem penitus et clarius nosse cupiat, opus ab auctore tam bene elaboratum atque perfectum adire ne gravetur.

r) Poenae male alienantium, cooperantium, recipientium etc.

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (restitutio etc. p. 467).

Poenae male alienantium et cooperantium sunt variae.

Prima est, quod talis alienatio facta non servatis requisitis solemnitatibus ipso jure sit nulla adeoque rescindenda, *cap.: Sine exceptione 13. quaest. 2; cap.: Si quis presbyter 6. in hoc tit. Clement. I. et Extravag.: Ambitiosae de rebus eccles. non alienand. inter communes.* Et haec nullitas seu invaliditas est intelligenda pro foro externo, nam pro foro interno seu conscientiae valida est alienatio rei ecclesiasticae, quae fit auctoritate Superioris aliorumque, quorum intersit, consensu, sine ulla fraude ac dolo ex justa causa necessitatis vel utilitatis ecclesiae aut pietatis, quamvis praetermissa fuerit formula juris. Sic *Abbas in cap.: Quia plerique num. 31. de immun. eccles., et cap.: Requisivit num. 19. de in integrum restit.*, ubi probat, quod omnis contractus in foro conscientiae validus sit liciteque retineatur res per ipsum acquisita, quando in eo fuit servatum, quod jus naturale praescribit, scilicet absentia deceptionis et verus contrahentium consensus, licet non fuerit servata forma praescripta a jure positivo. Et sic tenent *Innocent., Riccius, Layman, Engel, Azorius, Navarrus, Zoesius, Anacletus* et alii passim.

Secunda poena est, quod tam alienantes quam alienata recipientes et subscribentes incurrant excommunicationem majorem; *cap.: Non liceat de rebus 12. qu. 2; cap.: Si quis presbyt.* et *Extrav.: Ambitiosae.* Et ista excommunicatio non est reservata, ut patet ex textu ipso Extravagantis: *Ambitiosae.* Ab hac tamen censura incurrenda excusantur alienantes et cooperantes ex ignorantia juris vel facti, dummodo talis ignorantia non fuerit crassa vel supina, ut expresse habetur, *cap.: Ut animarum periculis 2. de constitutionibus l. 1. tit. 2. num. 6*, et tenet *Barbosa in Extravag.: Ambitiosae num. 33, Navarrus, Quaranta, Filliuccius, Bonacina* et alii communiter. Ab hac censura incurrenda excusantur etiam illi, qui bona ecclesiae alienarunt absque debitis solemnitatibus, si poenitentia aut alio titulo ducti alienationem revocaverunt ante realem et pacificam traditionem, *cap.: Si quis presbyterorum 6. hoc tit., Barbosa loc. cit., Covarruvias, Quaranta, Navarr., Filliuc.* et alii.

Tertia poena est, quod Episcopi vel Abbates male alienantes subjacent interdicto ingressus in ecclesiam, et si per sex menses talem poenam contumaciter sustinuerint, ab administratione beneficii vel dignitatis sint suspensi. Inferiores autem Praelati commendatarii et alii ecclesiarum rectores beneficiis, quorum bona male alienaverint, sint ipso facto privati, ut habet expresse cit. *Extravag.: Ambitiosae.*

Regulares autem, qui immobilia et mobilia pretiosa alienant, locant vel distrahunt, census et hypothecas speciales constituunt absque facultate sacr. Congr. Conc., praeter poenas cit. *Extravag.: Ambitiosae* incurrunt ipso facto poenam privationis officiorum, inhabilitatis ad illa, vocis activae et passivae, ex decreto sacr. Congr. Conc. *6. Septbr. 1624* jussu Urbani VIII. *) edito. Et has poenas incurrunt absque alia sententia declaratoria, ut respondit sacra Congr. Conc. in Romana pro Cisterciensibus *1. Septbr. 1657* et confirmavit *26. Martii 1689* in responsione ad sequentia dubia:

1. An Abbates, qui praesunt monasteriis aere alieno censuario nomine gravatis, teneantur dictos census redimere, quamvis tempore antecessorum factos?

2. Quatenus teneantur, an negligentes incidant in poenas contentas in decreto de rebus Regularium non alienandis?

3. An ad effectum incidendi in eas, opus sit praecedenti declaratione?

4. An Superioribus regularibus liceat mutuo accipere pecunias absque monachorum consensu capitulariter requisito?

Die 26. Martii 1689 confirmando decretum anno 1657 latum respondit

Ad primum: Teneri.

Ad secundum: Incidere.

Ad tertium: Ad effectum eas incurrendi non requiri declarationem.

Ad quartum: Non posse: lib. 21. dec. fol. 56.

Neque valet ad effugiendas recensitas poenas adducere non usum constitutionis: *Ambitiosae*, quia usus non est allegabilis, cum ubique praesumatur recepta, ut tenet *Pignatell. tom. 9. consult. 126. n. 4; Ciarlin. contr. 105. n. 111 et 112; Genuens., Ventrig., Monacell.* et alii passim; et sic expresse declaravit sacra Congr. Conc. *in Uladislavien. 1. Julii 1647*, in qua cum adduceretur, dictam Extravagantem *Ambitiosae* non esse usu receptam in illis partibus, adeoque non esse necessarium beneplacitum apostolicum, respondit praecisis verbis: *Non usum dictae constitutionis allegabilem non esse, et absque beneplacito alienationes fieri non licere;* sic *lib. 18. decretal. p. 335*, et *in una Mediolan. 13. Novembris 1655* censuit: *bona ecclesiarum et piorum locorum non posse alienari nec concedi sola auctoritate Archiepiscopi, sed omnino requiri beneplacitum apostolicum ad praescriptum constitutionis Paulinae, non obstante praetenso allegato non usu seu consuetudine, et die 20. ejusdem facta relatione Sanctiss. approbavit: lib. 19. decret. pag. 535.*

Recensitae autem poenae non incurruntur, si, ubi adest necessitas et evidens ecclesiae utilitas et pietas, alienantur bona ecclesiae modici valoris cum facultate Episcopi *), qui auctoritate sibi attributa *in cap.: Terrulas 12. qu. 2*, cui nunquam fuit derogatum, licentiam concedere potest alienandi res ecclesiasticas, quae non excedunt valorem quadraginta scutorum romanorum, ut censuit sacra Congregatio Episcop. *in una Tarentina 22. Maji 1601* et *in una Messanensi 29. Novembris 1613*, ubi dicit sic etiam declarasse Paulum V.

Quoad poenas male alienantium bona ecclesiastica attendenda est novissima constitutio felicis recordationis Summi Pontificis Benedicti XIV. in *cap.: Universalis ecclesiae*, in qua sub poena excommunicationis, nullitatis actus et contractus et sub omnibus poenis statutis contra alienantes bona ecclesiae prohibet clericis alienare commodum recipiendi fructus seu vendere et distrahere pro toto tempore vitae suae aut per decursum longi temporis redditus et proventus suorum beneficiorum recipiendo ab emptore una aut pluribus solutionibus illam quantitatem pecuniae, quam ipsi beneficiati pro spatio dicti longi temporis aut suae vitae probabiliter essent consecuturi. **)

Caducitas in alienationibus bonorum ecclesiae vel beneficii potissima est alienantium poena, juxta *Extravag.: Ambitiosae de reb.*

*) Vd.: *Alienat. bonor. eccles. per regulares Superiores* (p. 465. §. *Sacra Congreg.*).

*) Vd. *p. 438 g.*

**) De poenis alienantium bona ecclesiae sine solemnitatibus consule *Card. Petra in comment. ad consitut. 5. Pauli II. sect. 2. per tot.*, ubi de meliorationibus et fructibus quoque plura occurrunt.

eccles. non alien.; Lotter. de re benefic. lib. 3. quaest. 25. num. 2. . . .

Dolus et fraus ad odiosam incurrendam caducitatis poenam requiruntur, *Card. de Luca de alienat. disc. 54. num. 3.*

Die 29. Jan. 1791. *Fanen.*

Non est dubium, quin latum contraxerint male alienantes interdictum contra alienantes ecclesiae bona ex sacr. canonum praescripto et praecipue *in Extravagant.: Ambitiosae de rebus eccles. non alien.* et *constitut. Benedicti XIV.: Universalis*, et clarius in Conc. Trident. *sess. 22. cap. 11. de reform.*, ubi fructus etiam cujusque loci pii *quocumque quaesito colore usurpantes et in suos usus convertentes iisdem perpetui interdicti poenis subjiciuntur, donec restituerint.*

Die 16. Aug. 1806. *Romana.*

Re vera sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. in constitutione: *Universalis* ita sancivit: *Volentes igitur hanc improbam consuetudinem* (alienandi scilicet fructus beneficiorum) *et non ferendam pravitatem, qua non mediocriter clericalis ordinis fama minuitur, honor conculcatur, ecclesiae autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis et sacrae aedes necessariis reparationibus et ornamentis fraudantur, penitus abolere, Motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus clericis quacumque dignitate, praeeminentia, honore et privilegio insignitis interdicimus et prohibemus, ne in posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem et commodum percipiendi fructus vel alio quovis titulo, praetextu et colore vendere ac distrahere suorum respective beneficiorum redditus et proventus, vel ad vitam vel in longum tempus recepta ab emptore, per unam vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per ejusdem temporis et vitae spatium probabiliter consequi potuissent, sub poena excommunicationis et nullitatis actus seu contractus et omnium inde consequutorum aliisque poenis inflictis, praescriptis et statutis contra alienantes bona ecclesiae.*

Die 2. Junii 1821. *Veliternen.*

Quaeritur: An sit locus privationi a paroecia Archipresbyteri? Huic nedum esse locum sed jam privatum esse Archipresbyterum a jure contendit curiae episcopalis defensor ob innumeras arbores frugiferas divenditas et quamdam fundi melioratione et retractum exinde pretium in proprios usus conversum juxta *Extravag.: Ambitiosae de rebus eccles. non alien.; Lotter. de re benef. lib. 3. qu. 25. n. 26. et seq.*, et alii passim; quinimo eumdem inhabilem dicit ad nova beneficia assequenda juxta *Concil. Trident. sess. 22. cap. 11. de ref.*

Die 15. Septbr. 1821. *Verulana.*

Notissima *Extravag.: Ambitiosae* vetitae sunt rerum ecclesiae alienationes; quo nomine venit quoque emphytheusis, quae utilis dominii translationem secumfert, *Redoan. de rebus eccles. alien. vel non rubr. 1. cap. 47. n. 14; Azor. part. 2. lib. 9. cap. 1. qu. 2.* Irriti proinde sunt hujusmodi contractus, nisi concurrat justa causa, evidens ecclesiae utilitas et apostolicum intercedat beneplacitum: imo in censuras incidunt, qui has alienationes absque solemnitatibus a jure statutis inire praesumpserint. *Petra ad constitut. 5. Pauli II. num. 2. tom. 5. pag. 399.* At non raro sacra haec Congregatio emphytheusim etiam perpetuam, solemni instrumento stipulatam, ratam habuit, justa concurrente causa evidentique ecclesiae utilitate, praesertim in *Collens. Emphytheusis 2. Maji 1818.*

Die 19. Apr. 1823. *Fesulana.*

Pro absolutione a censuris, de qua quaeritur, favet parocho eadem bona fides. Hac enim adstante contrahentes excusantur a poenis in Extravagant.: *Ambitiosae* inflictis, *Barbosa in eadem Extravag.* et *Reiffenstuel in cit. lib. 3. tit. 3. §. 3. num. 67*, et sacra Congreg. pro absolutione respondere solet, ut *in Pisauren. Emphytheusis 18. Martii 1820.*

Die 22. Martii 1823. *Fanen.*

Edidit pariter constitutionem omnium celeberrimam Paulus II. aliorumque etiam Pontificum auctoritate roboratam, cujus initium: *Ambitiosae de rebus eccles. non alien.*, qua praedecessorum prohibitiones atque decreta confirmavit, alienantes alienatasque res recipientes excommunicationis poena mulctavit, contractus ipsos solemnitatibus destitutos nullius roboris vel momenti declaravit.

Die 22. Junii 1822. *Comen.*

Compsana.

Quas dederat opes fortuna, in divini cultus incrementum totas impendere statuit eximius pietate sacerdos Antonius Berrilli ex oppido Caletri Compsanae dioecesis. Hinc in matrice ejusdem oppidi ecclesia, e solo

excitato sacello, illud sanctae Annae dicavit, sub cujus tutela et nomine ecclesiasticum etiam beneficium instituit, activae et passivae nominationis jure in Nicolaum et Leonardum Berrilli eorumque successores in infinitum collato. Pingui vero admodum dote beneficium ditavit. Plura namque illi assignavit urbana ac rustica praedia, tum bovilli armenti non exiguam vim. Plusquam saeculari spatio haec omnia sarta tecta manserunt. Sed nuperis temporibus ad aures Josephi Nicolai Berrilli, qui unus est ex patronis, pervenit, capellanum Franciscum Berrilli totum distraxisse bonum armentum, permutasse fundum quemdam situm in regione, quae audit »*Fontana del Milo*« nullamque habuisse curam reficiendi collabentes ac pene dirutas aedes, quae exurgunt »*in contrada il Vacolo*«. Praeter haec validus etiam rumor incesserat, capellanum nunquam fecisse satis oneribus a fundatore praescriptis. Quinimo videbatur etiam patronatus jus violasse municipio arbitrarie permittens, ut in sanctae Annae sacello aram s. Philomenae statueret.

Quae cum ita se haberent, e re sua duxit Patronus diem capellano dicere coram archiepiscopali Compsana curia. in eo praecipue instans, ut judex decerneret: »*Non solo la rimozione del sacerdote D. Francesco Berrilli dalla gestione dei cespiti predetti del beneficio a norma delle disposizioni canoniche, ma ancora lo condanni alla restituzione di tutti gli animali vaccini venduti, ed in pari tempo disponga per la sicurezza e proprietà del beneficio, sottoporsi a sequestro le rendite tutte e quindi attendersi quelle disposizioni che dalla saggezza della reverenda curia si possono attendere per il meglio della conservazione de beneficio.*« Haud tamen in totum consonam votis sententiam retulit. Siquidem judex suspensionis dumtaxat poena capellanum mulctavit atque ex beneficii redditibus annuam triginta sex ducatorum pensionem eidem concessit, beneficii vero gestionem dioecesanae administrationi concredidit, ut redditus, qui, detractis oneribus, reliqui essent quotannis, in aedium sarcitionem et bovilli gregis emptionem impenderentur.

Aegre id tulit patronus et provocatione interposita ad s. hunc ordinem appellavit. Literis ad Archiepiscopum datis pro informatione et voto responsum accepi, ex pluribus in capellanum congestis accusationibus geminas tantum probasse patronum: armenti scilicet distractionem atque aedium ruinam; quoad primum vero culpae potius quam doli redargui capellanum posse. Boum enim alienationem non ipse perfecit, sed frater, qui plures ex iis patrono etiam divendidit. Quoad alterum animadvertit, pessimum aedium statum capellani quidem negligentiam in beneficii rebus gerendis evincere, non vero sat esse ad caducitatem inducendam, quae in casu tantum alienationis incurritur. Quamobrem sibi rectius visum esse pergit Episcopus, capellani dolo exulante, aequitati potius quam stricto juri inhaerere, Franciscum suspendere et beneficii curam dioecesanae administrationi committere, ut quam citius armenti emptionem peragat et fatiscentia aedificia reficiat. Capellano vero ex beneficii redditibus, qui egregiam pertingunt vim ducatorum supra tercentum, annuam constituisse pensionem ducatorum triginta sex, ne in gravi, qua premitur, aetate annorum fere octoginta vir sacerdos a fundatore descendens fame pereat vel in ecclesiae dedecus stipem quaeritare cogatur.

Brevi nunc de more sermone utriusque litigatoris jura ad trutinam sunt revocanda.

In exhibita mihi defensione contendit patronus invita prorsus justitia suspensionis poenam dumtaxat irrogatam capellano fuisse. Certissime enim in facto constat, caetera inter capellaniae bona bovillum etiam extitisse gregem, qui traditus capellano fuit ad numerum capitum viginti septem, quum beneficii possesionem est nactus, veluti de facto proprio deponit Donatus Ricciardi ab archiepiscopali Compsana curia formiter interrogatus. Armenta vero inter res enumerari, quae absque solemnitatibus alienari non possunt, tradunt omnes ecclesiastici juris interpretes, praesertim *Molin. tract. de just. d. 65. num. 4; Barbos. lib. 3. jur. eccles. cap. 30. n. 44; Tamburin. de jur. Abbatiss. tom. 3 decis. 13. num. 13; Gibalin. art. 1. num. 10; Schmalzgrueber jus ecclesiast. univers. part. 1. tit. 13. num 34.* Capellanus vero Berrilli quin gregem servaret, contrarium omnino perfecit. Nam in spretum canonicae legis quotquot ad capellaniam sanctae Annae spectabant boves divendidit eorumque pretium in proprium commodum utilitatemque convertit. Unde poenas exsolvat oportet, quibus ambitiosam clericorum cupiditatem ecclesiastica bona arbitrarie alienantium coercuit s. m. Pontifex Paulus II.

Neminem autem fugit hujusmodi poenas in eo praecipue versari, ut clerici alienantes excommunicationem et beneficii ipso facto privationem incurrant. Ita quidem expresse sancitum legitur in notissima *Extravagante: Ambitiosae*, ibi: *Inferiores Praelati commendatarii et aliarum ecclesiarum rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, praesposituris, dignitatibus personalibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, praebendis aliisque ecclesiasticis cum cura et sine cura saecularibus et regularibus beneficiis, quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur possintque per locorum Ordinarios vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quae propterea private fuerint) libere de jure conferri.* Atqui archiepiscopalis sententia non privationis, sed suspensionis poena capellanum mulctavit; revocanda igitur omnino est, ne invalido legum imperio ansa clericis praebeatur de rebus ad ecclesiam spectantibus dominorum instar libere disponendi.

Quin excusari valeat capellanus falso sub obtutu, quod doli fuerit expers, quia non ipse sed frater armenti venditionem perfecit. Nulla siquidem hujus rei in actis adest probatio, si dictum excipias Eriberti di Nicola, qui cum testis unicus sit attendi minime debet ad monitum *textus in cap.: Veniens*, et *cap.: Licet decret. de testibus.* Nemo deinde sibi poterit suadere, alienationem inscio capellano locum habuisse, si hic una cum fratre sub eodem tecto vitam degebet, imo potius censeri debet capellano mandante distractum bovillum armentum fuisse; eo magis quod, postquam alienationis habuit scientiam, armentum neutiquam vindicavit, prout id ei licebat tum ex civili tum ex canonica lege, praesertim vero in vim *Extravagantis Ambitiosae*, quae etiam clerico alienanti res alienatas vindicandi facultatem concedit. Quare tacite saltem venditionem a fratre peractam ratam habuisse visus est ac proinde venditio ex ejus mandato perfecta praesumi debet, quia ratihabitio vel expressa vel tacita mandato aequiparatur in jure. *Rota in Romana fructuum 19. Junii 1835. §. 6. cor. de Cupis*, in *Romana Pecuniaria 17. Maji 1839. §. 13. cor. Bonini* et *in Romana seu Verulana Manutentionis et Imissionis 15. Maji 1839. num. 11. cor. Alberghini.*

Sed finge etiam capellano ignotam sem-per armenti venditionem mansisse, non idcirco tamen a dolo immunis potest haberi. Nam ignorantia isthaec clare demonstrat maximam ipsius negligentiam quoad res ad beneficium spectantes. Reus igitur est latae culpae, quae toties patratur, quoties non ea adhibetur in alienis rebus gerendis diligentia quam suis in rebus paterfamilias quisque praestaret. *Kalv. Lexicon. juridic. sub verbo: Culpa latior.* Jam vero lata culpa dolo comparatur, quemadmodum edocet *textus in leg. 1. §. haec actio ff. si mensor falsum mod. dix. et leg. 1. §. non autem alias ff. si is qui test. lib. esse juss.* Retineri igitur debet ex capellani dolo processisse venditionem armenti. Sed etiamsi in dolo non fuisse capellanum contendas, denegare tamen non poteris ob incuriam in beneficii rebus gerendis in levi saltem culpa fuisse versatum. Id itaque satis superque est, ut e beneficii possessione decidisse dicatur. Extravagans enim *Ambitiosae* factum alienationis unice respicit, quin ullam circa dolum vel culpam distinctionem ponat ac proinde quum de armenti distractione in themate constet, nefas foret de doli existentia vel ejusdem defectu quaestionem instituere; secus enim lege limitatio imponeretur, quam omnino respuunt ejus verba, quae generalia cum sint absque ulla distinctione vel limitatione debent intelligi.

Caeterum si hujusmodi excusationes favorem in judiciis obtineant, amplissimus tunc patebit aditus ecclesiasticarum rerum alienationibus, quin Extravagans *Ambitiosae* vim amplius suam exercere valeat. Siquidem clerici, qui certe sciunt nihil sibi praejudicii ob alienationem obventurum, si peragatur ab aliis, patri vel fratri vel cuilibet alii secreto committent, ut beneficii distrahat bona ac tali modo caducitatis poenam effugient.

Quod si (prosequitur patronus) armenti alienatio in calculo nolit haberi, non deest tamen alterum alienationis genus. Et re quidem vera sub nomine vetitae alienationis saepe laudata Extravagans locationes ultra triennium comprehendit, expresse praecipiens privationis indicta poena ne clerici audeant easdem perficere. Capellanus vero hanc etiam legis dispositionem pessime violavit. Pro scutis enim septuaginta supra centum, quae mutua accepit sub usura centesima a Raphaele Codella in locationem indefinitam, ei concessit rusticum beneficii fundum in Caletri regione positum. quae audit »*Fontana del Milo*«, ve-

luti ab ipso Codella audisse referunt duo probatissimi testes fratres Vitamora, quorum alter sacerdotali charactere insignitur; et confirmavit in judicio Leonardus Codella Raphaelis filius et haeres. Sit igitur quod capellanus dictum fundum non permutaverit (etsi non omnis hujusce rei desit suspicio, uti patronus in libello litis introductivo enarravit), semper tamen firmum stabit immotumque illum caducitatis poena esse mulctandum, quia ecclesiasticam rem in locationem indefinitam concessit.

Accedit insuper clericos non dominium habere sed administrationem dumtaxat bonorum, quae ad beneficia pertinent. Sed administratores, si male versentur in concredito sibi munere, removendi sunt. Id ergo obtineri etiam debet. in clerico, qui beneficii conditionem deterriorem reddit. Atqui talis omnino dolosus ac negligens administrator fuit capellanus Berrilli, qui et boum armentum distraxit et aedes fatiscentes nusquam refecit, ita ut nunc omnibus pateant *che si portano in esse per farvi' de' bisogni naturali*, quemadmodum deponunt quinque testes nulli obnoxii exceptioni, et beneficii onera nunquam implevit; et demum patronatus jura pessundare est ausus municipio permittens, ut in sacello sanctae Annae dicato aram sanctae Philomenae statueret. Quare si hujus furfuris homo in possessione maneat beneficii, timendum sane, ne caetera, quae adhuc aliqua sunt, bona obliguriat atque disperdat.

Sed alia praeterea in parte patronus injustitiae redarguit archiepiscopalem sententiam, in ea nempe, quae capellano annuam concedit super beneficii redditibus pensionem ducatorum sex supra triginta. Unica ratio, quae judicem impulit ad id decernendum, praetensi fuit capellani egestas. Hanc vero in themate exulare, comprobant testes fide dignissimi hodie exhibiti, qui uno ore declarant, sacerdotem Berrilli patrimonio sacro pollere atque ex receptitia Caletri ecclesia emolumentum quotannis percipere, quod vim aequat ducatorum quinquagintaquinque. Unde quum desit paupertatis extremum, immerito prorsus dictam pensionem capellano judex est elargitus.

Contra haec capellanus respondet, nullam ex congestis a patrono accusationibus tanti esse faciendam, ut beneficii decernatur vacatio. Siquidem ad alienationem armenti quod attinet, animadvertendum est, nullam in ea perficienda partem capellanum habuisse, sed cuncta prae lubitu ejus fratrem Leonardum egisse, qui plures ex bobus patrono etiam divendidit, uti enarrat Eribertus di Nicola, qui etiamsi unicus sit testis, quum tamen sacramenti religione interposita de facto proprio deponat, integram sibi fidem conciliat. Cum igitur ex capellani dolo et mala fide non processerit venditio, iniquissimum esset, caducitatis poena ipsum mulctare, juxta magis receptam doctrinam, quam tradunt *Schmalzgrueber jus eccl. part. 3. t. I. tit. 13. de rebus eccles. non alien. §. 165. num. 3; Tamburin. t. 3. de jur. Abb. d. 13. qu. 12. num. 2; Piringh. com. in jus can. tit. de rebus eccles. non alien. num. 56*, ita ut sufficiat quaelibet causa, etiam bestialis, ut ajunt, ad cadacitatem eliminandam. Porro ex his exulat etiam ea negligentia, quae latam culpam importat; siquidem capellanus in octogenaria praesertim aetate constitutus ideoque alieno indigens auxilio nequivisset fratris hac in re voluntatem suspicari, nec factum postea cognoscere, cum pro ipso ex aetate inhabili cuncta beneficii negotia frater idem procurraret. Fraus et dolus non praesumuntur unquam, sed concludentissime probari debent; *leg. dolum ff. de dolo, l. quoties §. qui dolo ff. de prob.: Surdus dec. 222. num. 11; Baldus cons. 21. num. 2. in fin.; Rota dec. 468. num. 2. p. 2. dec. 26., num. 21. par. 5. rec.*

Quoad locationem indefinitam rustici praedii, quod audit »*Fontana del Milo*« capellanus excipit, nil de ea obmussitatum a patrono neque in libello litis introductivo nec coram primarum actionum judice. Totus enim in eo fuit, ut demonstraret, ejusdem fundi permutationem initam a capellano fuisse cum Raphaele Codella, quod tamen commentum in tenues abiit auras, quum ex privata syngrapha capellanum inter et Raphaelem adstipulata erumperet, spopondisse quidem capellanum fundi permutationem, quatenus tamen id perficiendi ex jure esset facultas. Unde quum appellationis judex inspicere unice debeat utrum bene vel male super iis, quae ab actore proponebantur, sententiam dixerit judex, nullo in pretio debet habere exceptionem, quae in prima instantia proposita minime fuit.

Quod si hujusce exceptionis ratio haberi velit in praesenti judicio, dilemmate rem

conficit capellanus; vel enim contractus cum fratribus Codella initus permutatio est, ceu canunt verba ipsa privatae singraphae in actis exhibitae, et tunc cum inita fuerit sub expressa conditione *se si può fare,* jam posita legis prohibitione, pro infecta habetur permutatio ideoque nullum parere effectum nec poenas a jure inflictas inducere: vel locatio potius est, ceu conductor ipse et bini testes in processu rogati affirmant, et tunc cum nihil depactum fuerit circa tempus, quo duratura foret locatio, praesumitur ad annum; *Montan. de tutor. cap. 33. num. 417; Pacion. de locato et conduct. cap. 4. n. 23; Soccin. cons. 25. num. 3. lib. 2,* vel ad summum protrahi posset in casu ad biennium ex verbis a conductore in suo examine adhibitis, nempe »*dichiara di possedersi il suddetto terreno coll' obligo di pagarne annualmente tomoli dieci di grano per fitto, che in ogni mese di Agosto si conteggiano con li interessi, che il Berrilli deve in ogni anno corrispondere sulla detta somma di duc. 174, e che poi deve rifondere, e rifonde*«. Quare cum collybus ex praefata syngrapha duraturus foret »*per soli anni due*« idem dicendum esset de locatione, quae ex dictis verbis apparet correspectiva. Porro in utroque casu licita esset capellano locatio absque apostolico beneplacito, utpote triennium non egrediatur.

Neque attendi merentur ea, subdit capellanus, quae de beneficialibus non restauratis domibus vel de neglecto onerum adimplemento contra proferuntur. Quoad primum allatis testibus probat, non paucam erogasse summam in aliquot ipsius beneficii domum instaurationem. Quae licet aliae sint ab iis, de quibus quaeritur, attamen ostendunt capellanum de beneficii fundis asservandis sane fuisse sollicitum ac instaurationi manus apposuisse, quae lapsu temporis integre absoluta fuisset; quippe ea res sit, quae ex natura haud exiguas expensas et diutinum temporis elapsum requirit. Quoad alterum probat adhibita testium serie, oneribus beneficio injunctis satisfecisse; et si quid in exequutione peccatum est, non ejus culpae, qui opportuna praebuit media, sed exequutorum negligentiae tribuendum esse. Caeterum utraque accusatio, etsi probata, obligationem ad summum inferret sive domus instauraudi sive onera implendi, nunquam vero caducitatem, quae ex hujusmodi defectibus nullibi legitur in jure inflicta.

Demum capellanus ad Patrum Emorum humanitatem aequitatemque confugit eosque obtestatur, ne sacerdotem jam senio confectum majori velint dedecore afficere; praesertim quum satis consultum beneficio sit per suspensionem, quam ipsi utut immerenti archiepiscopalis Compsana curia irrogavit.

Proponitur dubium:

An et quomodo sententia curiae archiepiscopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et ad mentem. Mens est, ut Archiepiscopus curet omnino redintegrationem beneficii ex redditibus superextantibus, detractis oneribus et pensione.

Die 2. et 30. Aug. 1845.

s) Prohibita quando est?

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (causae p. 420. facultas apostol. p. 438.; solemnit. praescript. p. 472).

Alienatio bonorum ecclesiae sine justa causa et debita solemnitate est prohibita triplici jure, divino, *Levitic. cap. 25 et 27;* jure civili, *leg. Jubemus 2. cod. de sacrosanctis ecclesiis,* et jure canonico, *cap.: Apostolicos 13. cap. sine exceptione 52. caus. 12. quaest. 2. cap. fine de rebus eccles. non alienand.* Clement. I. *eodem titul. Extravagant.: Ambitiosae eodem titul. inter communes,* et Tridentin. *de reformat. sess. 22. cap. 11. et sess. 25. cap. 11*).*

Rerum ecclesiae alienatio regulariter est probibita. Subjectum *hujus regulae* (inquit *Bohemer. in decretal. lib. 3. tit. 3. §. 18.) respicit bona ecclesiastica, praedicatum alienationem. Illa quascumque res immobiles non tantum ad ecclesias sed etiam ad monasteria aliaque pia sodalitia ut et ordines militares pertinentes complectuntur etc. Haec, alienatio videlicet, comprehendit omnem actum, per quem ad translationem dominii sive in totum sive pro parte similisque juris in rebus devenitur etc. adeoque ne quidem in rebus ecclesiasticis permissum est constituere pignus aut servitutem realem aut usufructum etc.*

*) *Bona ecclesiae seu ecclesiastica sunt, quae pertinent ad ecclesias, beneficia, monasteria, hospitalia, eremitoria, capellas, dummodo haec auctoritate Episcopi sint fundata; nam bona collegiorum, confraternitatum aut communitatum saecularium neque sunt ecclesiastica neque cadunt sub prohibitionibus, de quibus in hoc titulo.*

t) Quae est?

Alienationis nomine venit omnis actus, quo dominium rei directum vel utile aut usufructus seu jus in alterum transfertur, idest donatio, permutatio, venditio, emptio, cessio, concessio, hypotheca, emphyteusis; colligitur *ex cap.: Nulli 5. hoc titulo, ex cap.: Apostolicos 12. quaest. 2,* et expresse habetur in *Extravagant. Pauli II.* incipiente: *Ambitiosae sub hoc titulo inter communes,* praecisis his verbis: *Omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a jure permissis ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis et cum ecclesiarum evidenti utilitate ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia ac perpetuo valitura constitutione praesenti fieri prohibemus.*

u) Quae alienari non possunt?

Vd. *Alienat. bonor. eccles.* (sine solemnit. alienari possunt p. 474; ab una ecclesia in aliam p. 437).

Alienari prohibentur immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata, citata Extravaganti: *Ambitiosae* sub initio; et nomine immobilium veniunt omnia quae loco moveri non possunt, ut praedia, domus, agri et similia. Et quantum ad praesens, veniunt etiam nomine immobilium servitutes praediorum, ut jura piscandi, venandi et similia, ut *leg. ult. §. fin. cod. de praesc. long. temp.,* ibi: *Eodem observando, et si res non soli sint, sed incorporales, quae in jure consistant, velut usufructus et caeterae servitutes;* et concordat *Clem. l. de rebus ecclesiae non alienandis;* his verbis: *Jura, redditus aut possessiones ejusmodi monasterii.*

Sic etiam veniunt nomine immobilium census et annui redditus, ut expresse habetur *in Clem.: Exivi §. Cumque annui redditus, de verborum significatione,* his praecisis verbis: *Cumque annui redditus inter immobilia censeantur a jure.* Sic etiam nomine immobilium veniunt jure et actiones ad immobilia, colligitur *ex cap. 2. de rebus ecclesiae non alien. in 6,* ubi jura et actiones ad immobilia aequiparantur immobilibus, ibi: *Bona immobilia aut jura ecclesiar.* et leg. *Qui actionem ff. de reg. jur.,* ibi: *Qui actionem habet ad rem recuperandam ipsam rem habere videtur.*

Sic tandem nomine immobilium, quantum ad praesens, venit certa summa pecunia specialiter deputata ad emptionem immobilium, censuum vel mobilium pretiosorum vel ad aedificandam ecclesiam aut pro gravissimis ecclesiae necessitatibus, maxime si cum superioris auctoritate et clericorum consensu ad id fuerit retenta, colligitur *ex leg. 3. Quid ergo ff. de contraria et util. action. tutel.,* ubi pecuniam ad praediorum comparationem depositam tutor alienare non potest. Sic tenent *Engel lib. 3. titul. 13. num. 7; Anaclet., Azzorius, Quaranta* et plurimi alii cum *Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 3. allegat. 95. num. 41.* Nomine mobilium pretiosorum, quae alienari non possunt, veniunt, quae sunt de thesauro ecclesiae vel quae propter pretium, artem, raritatem et antiquitatem conferunt ecclesiae specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosae, gemmae, ornamenta pretiosa, copiosa biblioteca librorum et similia excedentia valorem vigintiquinque aureorum, prout declarasse sacram Congregat. referunt *Valdes* et alii apud *Donatum tom. 1. tract. 14. quaest, 48.* Sic *Engel de rebus eccles. non alienand. lib. 3 tit. 13. num. 5; Pirhing. eod. tit. num. 12, Azzorius, Anaclet.* et cum pluribus *Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 3. allegat. 95. num. 39.*

Sic etiam nomine mobilium pretiosorum veniunt insignes reliquiae Sanctorum, maxime si in ecclesiae muro sint clausae, vel ibi perpetuae sepulturae traditae, quia, etsi pretio non aequentur, sunt tamen supra omne pretium; *Lezana c. 10. n. 4 in princip.* et *verb. »Alienare« n. 4.: Riccius in praxi part. 1. decis. 63; Engel, Bonacina* et cum pluribus *Barbosa supra cit.* Modica autem reliquia jam facta alienabilis potest alienari sine Sedis apostolicae facultate ex decreto *sacr. Congreg. Rit. in Astens. 8. Julii 1602,* apud *Barbos. decis. apost. verb.: Reliquiae Sanctor.* Item nomine mobilium pretiosorum inalienabilium veniunt illa mobilia, ex quorum fructibus annui redditus solent percipi ab ecclesia seu monasterio, ut grex ovium, armentum bovum, praesepium equorum, non autem eorum fructus, cum licitum sit vendere et alienare arietes, hircos, hoedos, vitulos, equos et hujusmodi. Sic *Molina t. 1. de justitia et jure disp. 495. num. 4. Filliucius, Pir-*

hiug. loc. cit. num. 12. Sannig., Bonac. et alii cum *Barb. loc. cit.*

Item nomine mobilium pretiosorum inalienabilium veniunt arbores frugiferae seu praedio necesariae, ut illis sublatis praedium reddatur graviter deterius. Unde beneficiatus incidere faciens tales arbores in bonis ecclesiae et in proprios usus convertens dicitur alienare et censuras Extravagantis Pauli II. incip.: *Ambitiosae,* et Trident. *sess. 22. cap. 11.* incurrit, ut decisum fuisse a sacra Congreg. referunt *Gallet., Margarita casuum conscientiae, verb.: Bona p. 27.* et *Bonacina disp. 1. qu. 18. punct. 4. num. 7.* cum *Barbosa in Trident. sess. 22. cap. 11. de reform.* Non peccant tamen nec incurrunt tales censuras beneficiati incidere facientes arbores inutiles ac nocivas, ex. gr. quando ob densitatem et vicinitatem sunt impedimento aliarum augmento vel quando loco earum reponuntur arbores fructiferae seu magis fructiferae. Haec enim et similia sunt utilia fundo et secundum regulas agriculturae. Sic *Lezana verb.: Alienare num. 15; Quaranta in summ. bull. verb. alienat. n. 33; Peyrin.* et alii passim.

Bona ecclesiae vel sunt communia vel sunt mensalia. Illa in genere ad patrimonium ecclesiae spectant. Haec speciatim destinata sunt ad sustentationem eorum, qui ecclesiis inserviunt, et offfcio sacro annectuntur.

Bona communia licet prohibita sint alienari, possunt tamen alienari cum solemnitate canonica. De bonis vero mensalibus gravis est quaestio: An ea cum solemnitate canonica alienari queant? Negat *Linker respon. 2. num. 71.* Affirmat vero *Harprect. respon. 57. num. 65.* Eique adhaerere videtur *Bohemer. loc. cit. §. 24. et plur. sequent.* Si stetur priori opinioni, alienatio bonorum mensalium non facta de speciali consensu Papae ne tempore quidem immemorabili convalidatur, *Linker, ubi supra.*

v) Per (regulares) Superiores facienda.

Vd. *Alien. bonor. eccles.* (sanatio, decr. *Comen.* p. 469); *Alienat. bonor. Regularium* p. 479; p. 438. g.

Licet sit multum probabile, quod Praelatus possit sine solemnitatibus et beneplacito apostolico repudiare legatum factum ecclesiae etiam de rebus immobilibus, ut tenert plurimi magni nominis doctores, ut *Jason., Bartolus, Fredericus de Senis, Zoezius, Card. de Luca, Barbosa, Sylvester, Sanchez, Castropalaus, Lessius, Anacletus* et multi alii, tamen probabilius est Praelatum non posse sine beneplacito apostolico repudiare legata seu haereditates relictas ecclesiis, monasteriis et aliis locis piis. Sic tenet *Baldus in l. Contra juris §. 1. ff. de pactis, Ancharamus, Angelus Quaranta, Amostaz., Tondut., Tamburinus de jure Abbatum, Molina, Azorius, Pinellus, Monacellus, Engel, Naldus, Filliucius, Lambertin.* et multi alii, standо in puncto juris, etiam *Barbosa part. 2. allegat. 95. num. 54.* et *Rota rom. coram Celso decis. 8. num. 8.* Et ratio est, quia repudiatio legati in jure expresse dicitur alienatio, *l. Magis puto §. fundum ff. de rebus eorum, qui sub tutela etc.,* ubi habentur praecisa verba: *Fundum autem legatum repudiare sine Praetoris auctoritate non potest; esse enim et hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat*; tum quia nedum prohibetur, ut defendit *Barbosa l. c.* alienatio rerum ecclesiasticarum acquisitarum sed etiam acquirendarum; hujusmodi enim res transeunt in ecclesiam ipso jure et possessio absque traditione in eam transfertur: *l. fin Cod. de sacrosanct. ecclesiis;* accedit *text. in l. Qui actionem, ff. de regul. jur.,* ubi dicitur: *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* Imo illas res cedere non potest praelatus, nisi prius saltem ordine intellectus intelligatur adiisse et ita potius est in acquisito quam in acquirendo adeoque etc.; tum etiam quia Praelatus tenetur procurare utilitatem ecclesiae sibi commissae eidemque acquirere quantum potest; alias tenetur de suo satisfacere: ex *Conc. Bracarens. relat. in capit.: Quicumque 12. quaest. 4,* et *Gloss. ibid. vers. Aut neglectum.* Praelatus autem repudiando legatum factum ecclesiae non procurraret ipsius ecclesiae utilitatem; nam non acquirere est insidiari, *leg. 1. §. Confertur, ff. de collation. bonor.,* ubi praecise habetur: *Caeterum si id egerit, ne quid acquireret, hic etiam sibi insidiatus est. Card. Petra tom. 1. comment. ad constit. V. Pauli II. sect. 2. an. 78,* ubi multa habet ad rem.

Regulares quamvis possent alias alienare bona suarum ecclesiarum vel monasteriorum, nulla petita licentia a Sede apostolica vel a loci Ordinario, ex privilegiis sibi concessis a variis summis Pontificibus, ut a Leone X., Clemente VIII. et aliis, et praecipue a Gregorio XIII. in sua constitutione incip.: *Apostolicae Sedis,* et in alia incip.: *Ex incumbenti,* tamen hodie dicta privilegia sunt revocata per speciale decretum jussu Urbani VIII. a sacra Congr. Conc. editum *7. Septembris 1624,* et Regulares non habentes speciale privilegium posterius tali decreto non possunt alienationem facere sub gravibus poenis in ipso decreto contentis, quae ut ab omnibus commode sciri possint, datur hic ad literam tenor decreti:

»Sacra Congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum, rerum experimento edocta, quantum religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium et pretiosorum mobilium detractionibus, quas crebro faciunt Regulares apostolicis privilegiis innixi, ac proinde operae pretium putans illorum facultatem aliqua ratione compescere, speciali sanctissimi Domini Nostri jussu generalibus et provincialibus capitulis vel congregationibus, Abbatibus, Generalibus et quibuscumque aliis Superioribus regularibus cujusvis ordinis, congregationis, societatis, instituti intra fines Europae existentibus, omnium rerum et bonorum immobilium ac pretiosorum mobilium alienationem omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos seu vitalitios, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, cessionem in feudum vel emphyteusim, praeterquam in casibus a jure permissis, fieri perpetuo prohibet atque interdicit absque illius Congreg. Concilii expressa licentia in scriptis et gratis concedenda, sub poena privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebunt, vocisque activae et passivae ac perpetuae inhabilitatis ad illam in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Generali et Protectori illam moderandi ac relaxandi facultate, poenis nihilominus apostolicarum constitutionum et praesertim felicis record. Pauli II., quae incipit: *Ambitiosae,* in suo robore permansuris. Alienationes vero, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones et concessiones quascumque contra hujusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis Suae auctoritate ipso jure nullas atque irritas decrevit, non obstantibus etc.«

Datum Romae die 7. Septembris 1624.

Cosm. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus,
sacrae Congr. Secretarius.

»Cum post editum decretum de rebus Regularium non alienandis compertum sit, Regulares, qui eodem decreto prohibentur, census imponere super bonis ad eorum monasteria pertinentibus, loco censuum hujusmodi pecunias ad cambium vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis et damni emergentis, cumque ex hujusmodi contractu eludatur mens sacrae Congregationis, cui in primis in votis fuit consulere religionum indemnitati, quae ex impositione censuum hujusmodi plurimum laeduntur, S. D. N. approbante dictavit et declaravit hujusmodi contractum esse contra mentem decreti ut supra editi; ideoque non licere Regularibus pecunias, ut proponitur, accipere, ac, si acceperint, in ipsius decreti poenas ipso facto incidere.«

Datum Romae die 21. Martii 1626.

Cosm. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus.

Vide *Card. Petram tom. 4. const. 6. Benedicti XII. n. 9. 22. 23. 41.* et per totum, *ubi plures ad rem.*

Regulares sine beneplacito apostolico et solemnitatibus nequeunt transferre bona de uno monasterio divite in aliud monasterium*), etiam si sit ejusdem provinciae et religionis, quia talis translatio est alienatio, per quam transfertur dominium directum aut utile, quod est prohibitum ab Extravagante: *Ambitiosae* et a decreto sacrae Congregationis Concilii supra allato, cum Extravagans et decretum habeat pro principali fine indemnitatem singularum ecclesiarum et monasteriorum in particulari, ut in singulis conservetur commode divinus cultus cum congrua sustentatione religiosorum ibi degentium, qui finis non servaretur, si bona unius conventus vel monasterii possent in aliud etiam ejusdem religionis et provinciae transferri et alienari; sed hoc potius esset unum altare spoliare pro altero vestiendo cum diminutione divini cultus, quod nullatenus fieri debet, per *text. in cap.: Cum causam 36. de praebend. Clement. Quia contigit 2, de religiosis domib., Novella 6. collat. 1. tit. 6. cap. 2. §. Si vero.* Sic expresse decrevit sacra Congreg. Concil. *in una Congregationis Montis Oliveti 27. Julii 1647 tom. 18. decret. pag. 376,* ibi: *Sacra etc. censuit: Non esse concedendam facultatem*

*) Vd. *p. 437 f.*

convertendi, ut inquit, gli avanzi dei frutti dei monasteri ricchi, e ben governati in solutionem debitorum, quae ab aliis monasteriis solvi debent. Ita refert et tenet *Card. Petra tom. 4. comm. ad constit. 6. Benedicti XII. num. 38.* Et tenuit *Rota recent. part. 5. decis. 571. n. 7. part. 7. decis. 191. n. 11.* Et tenent passim doctores. Potest tamen Praelatus regularis de consensu capituli conventualis permutationem facere de aliquibus mobilibus uni monasterio superfluis cum aliquibus aliis mobilibus alteri monaterio etiam superfluis, ut sic per vicissim superflua commutata invicissim necessaria vel utilia, commodo et utilitati utriusque monasterii consulatur. Non potest autem fieri permutatio seu alienatio immobilium seu mobilium pretiosorum ex uno monasterio in aliud etiam ejusdem ordinis sine beneplacito apostolico. Sic sacra Congreg. Conc. *in una Regularium Alienationis*, in qua ad instantiam procuratoris generalis ordinis Praedicatorum proposito dubio:

An alienationes, de quibus agitur in decreto de rebus Regular. non alienand., quatenus inter monasteria ejusdem ordinis, et quidem cum utriusque contrahentis monasterii utilitate fiant, ita prohibitae atque interdictae censeantur, ut absque sacrae Congregationis licentia perfici non possint?

sub die 27. Februarii 1666 respondit:

Ita esse prohibitas; quam declarationem probavit Sanctissimus, ut refert *Card. Petra tom. 4. commentar. ad const. 6. Bened. XII. num. 36.*

Sine beneplacito apostolico Regulares nequeunt alienare mobilia pretiosa, neque cum consensu definitorii et approbatione capituli generalis, ut declaravit sacra Congr. Concilii *in Segnin. Alienationis mobilium pretiosorum die 15. Martii 1692*, in qua cum proponeretur ministrum provincialem Minorum de Observantia provinciae Croatiae cum consensu definitorii et approbatione capituli generalis bona fide sine assensu apostolico alienasse ex sacrario ecclesiae beatae Mariae Tersactensis (ubi triennio steterat beata Virgo Lauretana) calices, patenas et alia mobilia pretiosiora gemmis et auro contexta, eo potissimum, quia mobilia pervetusta erant nec quotidiano usui accomodata eorumque pretium in provincialium conventuum egestatem et in usualia ipsius ecclesiae ornamenta erogasset, propositis idcirco dubiis:

I. *An dicta alienatio mobilium pretiosorum fuerit et sit valida?*

II. *An alienans sine beneplacito apostolico in aliquam poenam inciderit?*

sacra Congregatio respondit

ad I. Negative;

ad II. Incidisse in poenas sacrorum canonum, constitutionum apostolicarum et decreti sanctae mem. Urbani VII. et pro absolutione supplicet Sanctissimo. Sic praecise refert *Card. Petra tom. 4. comment. ad constitut. 6. Benedicti XII. num. 9. et tom. 5. comment. ad constitut. 5. Pauli II. sect. 2. num. 28.*

Imo Regulares, maxime in conventibus subjectis Episcopis, de seipsis neque possunt alienationem facere terrularum et vineolarum vigore *cap.: Terrulas*, cum ad talem alienationem requiri facultatem et decretum Ordinarii declaravit sacra Congregatio Episcop. et Regular. *in Trapien. Alienationis 11. Januarii 1592.*

Sacra Congr. etc. referente Eminentissimo Carafa censuit ab Archiepiscopo s. Severinae absolvendum esse P. D. Matthaeum a censuris, remissis caeteris poenis; et quatenus compererit, contractus fuisse et esse utiles ecclesiae, illos confirmandos esse, sin minus, revocandos.

Regulares nequeunt sine beneplacito apostolico hypothecare bona specialia monasterii, cum hypotheca et oppignoratio specialis sit omnibus expresse prohibita, *cap.: Nulli 5. de rebus eccles. non alienandis*, et talis intelligatur, quae specialiter prohibetur in cit. Extravagante: *Ambitiosae*, et decreto sacrae Congreg. Concilii jussu Urbani VIII. edito. Unde Regulares nequeunt nedum censuario nomine sed neque ad cambium vel mutuo accipere pecuniam cum solutione lucri cessantis, nec pro tali mutuo obligare seu in pignore dare res sacras aut mobilia, ut decrevit eadem sacra Congr. Conc. *in Romana 1. Septembr. 1657* et confirmavit *26. Martii 1689.* et de Praelato regulari, qui absque licentia s. Sedis et Superiorum sui ordinis oppignoraverat sex candelabra argentea, declaravit *die 2. Octobris 1672.*

Possunt tamen sine beneplacito apostolico hypothecare seu facere hypothecam et obligationem generalem omnium bonorum monasterii, aliter Regulares nullos contractus inire possent; cum in omni contractu de

consueto apponatur clausula obligatoria bonorum, et sine hac nullos invenirent, qui vellent eos succurrere in suis necessitatibus, quod pro eis nimis durum esset, et ideo sacra Congreg. Concilii decrevit hypothecam generalem non esse eis prohibitam, prout refert *Fagnan. lib. 3. decretal. in cap.: Nulli liceat 5. de rebus eccl. non alienandis n. 32.* his verbis: *Demum hanc sententiam probavit meo tempore sacra Congregatio Conc. in contractibus Regularium; nam proposito dubio: An in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis comprehendatur generalis hypotheca, necne?*

Sacra Congregatio censuit: *Non comprehendi.*

Et in eodem sensu fuit eadem sacra Congregatio *in Romana Beneplaciti 13. Januarii 1691*, in qua cum Patres s. Pauli de Arenula domum emissent ac pro parte pretii non soluti solvere promisissent fructus recompensativos cum hypotheca bonorum omnium conventus, reservato, quatenus opus esset, beneplacito apostolico, quod tamen nunquam impetrarunt, resolutum fuit in nullam poenam incidisse. Sic refert et tenet *Card. Petra tom. 4. commentar. ad constitut. 6. Benedict. II. n. 29*, ubi citat *Rotam romanam, Card. de Luca, Giballinum, Merlinum, Panimoll., Castropal.* et alios, dicitque id esse communiter receptum. Si tamen vigore generalis hypothecae deberet procedi ad subhastationem bonorum, tunc requireretur beneplacitum apostolicum, ut declaravit sacra Congregatio Episcop. et Regul. *28. Aprilis 1684*, et tenuit *Rota dec. 261. n. 11. coram Royas*, et tradunt passim doctores apud *Panimoll. dec. 60. adnot. 3. uum. 73, Card. Petram loc. cit. num. 30.*

w) Per regul. Superiores exemptos.

Vd.: *Abbas exemptus* (p. 41); *Alienatio bonorum eccles.* (poenae p. 456); *Alienatio bonorum Regularium* (p. 479).

Etiamsi agatur de Regularibus exemptis, assensus alienationibus rerum exigui valoris nequit praestari ab eorum Praelato, sed praestandus est ab Episcopo, ut rescripsit sacra Congregatio Concilii interpres *in Conversana Jurisdictionis 8. Maji 1751 ad dub. 26.* Abbatem vero pollentem exemptione tertiae speciei posse assensum hunc praestare firmant *Bohemer. in decretal. lib. 3. tit. 13. §. 4; Florez, de Men. variar. quaest. lib. 3. quaest. 24. num. 7; Tamburin. de jur. Abbat. tom. 3. disput. 13. 5. num. 2; Rota cor. Ansald. decis. 519. num. 36.* Intellige tamen nisi agatur de rebus proprii monasterii, idque quia nemo suam auctoritatem in rem suam praestare valet. Hoc vero casu assensus non ab Episcopo sed a summo Pontifice est praestandus, *Tamburin. de jure Abbat. tom. 3. disput. 14. quaest. 5. num. 2.*

x) Requisita.

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (causae etc. pag. 420; facult. apost. p. 438); *p. 472 aa.*

Beneplacitum apostolicum ad validam bonorum ecclesiae aut loci pii alienationem requiritur in Extravagante: *Ambitiosae*, cui omnes subjiciuntur ecclesiae, monasteria, conservatoria (quale est illud Setiae) aliaque loca pia auctoritate Ordinarii (multoque magis summi Pontificis) erecta, *Petra ad dictam constitut. sect. 3. num. 15 et 27. tom. 5*, et *sacra Congregatio in Romana diei 29. Maji 1626 lib. 12. decret. pag. 351*, neque ex contraria suppletur observantia, *Abb. in cap.: Nulli, num. 6. de rebus eccles. non alienand.; Covarruv. lib. 2. var. resol. cap. 17. num. 4; Arias. var. resol. lib. 3. cap. 13. num. 16.*

Die 23. Jan. 1790. *Terracinen.*

y) Restitutio.

Vd.: *Alienat. bonor. eccles.* (poenae p. 456).

Alienantes res ecclesiae sine apostolica venia censuris innodantur ex Extravaganti: *Ambitiosae de rebus eccles. non alienandis* et tenentur reintegrare ecclesiam in quantum ex commissa alienatione deterior facta sit ejus conditio, ut *ad text. can. Monemus 18. caus. 12. quaest. 2; cap.: Ex praesentium 3. de pignor.* tradunt *Reiffenstuel jus can. lib. 3. tit. 13. §. 3. num. 62; Schmalzgrueb jus eccl. tom. 3. part. 1. tit. 13. num. 149.*

Die 1. Martii 1817. *Matilicen.*

Si alienatio facta fuit invalide ob non servatas solemnitates, succurrendum est ecclesiae per totalem rescissionem et annullationem contractus. Si vero alienatio fuit valida ob omnes servatas solemnitates, et postea appareat ecclesiam fuisse enormiter laesam, succurrendum est ecclesiae remedio restitutionis in integrum, *cap.: Ad nostram 11. de rebus eccles. non alienand. et cap. 1. de restitutione in integrum.* Ecclesia tamen tenetur in tali casu refundere pretium alias-

que expensas in utilitatem ipsius factas, et melioramenta, quae augent valorem bonorum alienatorum, reficere, quia ecclesia, quae est pia et cultrix justitiae, non debet locupletari cum alterius damno, *cit. cap.: Ad nostram, et cap.: Locupletari 48. de regulis juris in 5.* Et sic expresse decrevit sacra Congregatio Episcop. *in una Bicteren. 6. Martii 1693.*

Ad succurrendum ecclesiae potest rem alienatam repetere non solum successor male alienantis: *cap. 2. de precariis*, sed etiam ipse male alienans, *cap.: Si quis presbyterorum 6. hoc tit.*, juncta glossa *verb.: Alienator*, quamvis juraverit se non repetiturum, cum hoc sit illicitum, *arg. cap. intellecto 32. de jurejurando.* Et in defectum male alienantis et ejus successoris quilibet clericus rem male alienatam repetere potest, *cit. cap.: Si quis presbyterorum, in fine*, ubi Alexander III. decrevit, quod in casu illegitimae alienationis liceat quibuscumque ecclesiasticis vocem contradictionis afferre, et cum fructibus possint alienata reposcere et ecclesiastica auctoritate fulciri.

Ecclesia laesa per malam alienationem duplicem habet actionem, primam contra personam male alienantem, ut damnum ecclesiae illatum resarciat: *cap.: Monemus 12. qu. 1. et leg. 3. cod. Si tutor vel curator intervenerit*, juncta glossa *in cap.: Si quis presbyterorum verb.: Alienata, hoc tit.* Et haec actio etiam contra haeredes male alienantis institui potest, cum haeres censeatur eadem persona cum defuncto, juxta *Authen. de jurejur. §. collat. 1.*, et succedat in omne jus defuncti, *leg. cum haeres ff. de divers. et temporal. praescript.* Secundam actionem habet in rem contra possessionem rei male alienatae, ut restituat rem cum fructibus; *cit. cap.: Si quis presbyterorum*, ubi, ut patet ex antecedenti, dicitur expresse, ut cum fructibus possit alienata reposcere. Et merito, quia rem ecclesiae male alienatam scienter et mala fide recipiens non facit fructus suos, sed tenetur eos restituere una cum melioramentis, *leg. Jubemus 14. §. Sane, cod. de sacros. eccles.* Et sic tenet *Abbas in cap.: Si quis presbyterorum 6. de rebus ecclesiae non alienandis; Pirhing.* et alii passim. *)

*) De restitutione fructuum in hoc judicio latissime, pluribus distinctis casibus, agit *Romagner. in synodal. Gerund. lib. 3. tit. 5. cap. 1. a n. 28 ad fin.*

z) Sanatio.

Fanen.

Parochus Vincentius Monti anno 1819 ad fatiscentem parochialem ecclesiam reficiendam ampliandamque pro parochianorum opportunitate requisivit a sacra Congregatione facultatem alienandi nonnulla bona ad paroeciam spectantia. Proposita fuit causa die 12. Junii ejusdem anni sub illa dubiorum formula, quam praesefert folium praefati diei, iisdemque iterum propositis dubiis in Congregatione diei 21. Augusti tandem responsum dederunt EE. PP. in Congregatione diei 18. Septembris ejusdem anni 1819.

Et ad I. dubium:

An et quomodo ecclesia parochialis, de qua agitur, sit reaedificanda in casu?

Responsum fuit: Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II. dubium:

An et quomodo sit concedendum indultum pro venditione bonorum, de quibus agitur in casu etc.?

Responsum datum fuit: Affirmative servatis de jure servandis.

Caetera habent EE. PP. in foliis praefatorum dierum, quae reassumere precor. Haec sacrae Congregationis rescripta cum executioni mandaret parochus Monti, alienavit pro summa scut. 440 domum veterem parochialem cum adjuncto praediolo, et pro summa scut. 25 quamdam criptam, de quibus mentionem minime fecit s. Congregationi, existimans Monti hisce super bonis ipsi ablegatam alienandi facultatem. Cum primum autem suum cognovit errorem parochus Monti, illico supplicavit sacram Congregationem tum pro sanatione contractuum tum quoque, si quae forent, pro absolutione a censuris. Requisivi de more Episcopum pro informatione et voto, ut referret de oratorum bona fide, pretio vere retracto ex venditione domus parochialis, summa impensa pro fabrica ecclesiae et certioraret de resultantibus ex rescriptis sacrae Congregationis. Episcopus accurate ad omnia respondens haec habet: Nimirum vera esse omnia et singula, quae in precibus oratoris afferuntur, ipsumque oratorem cuncta, quae relata ad novae ecclesiae aedificationem et parochialis domus effecit, bona fide et ardenti tantummodo desiderio cultum Dei adaugendi praestitisse. Praeterea omnia, quae in rescripto ab EE. VV. sub die 18. Septbr. anni 1819 clementer emisso disponuntur et praecipiuntur, ea fuisse ab oratore adamussim et scrupulose executioni mandata. His addo officiales pii sodalitii sub titulo SSmi Sacramenti existentis in supradicta ecclesia s. Mariae, quos solos uti interesse habentes hoc in proposito agnosco, gratiae ab oratore petitae non se opponere; imo laudibus eum cumulare, quod parochialis ecclesiae et domus decentiam et commoditatem plurimum auxerit.

Jam vero quod attinet ad pretium vere retractum ex venditione veteris domus parochialis, EE. VV. RR. certiores reddo, tale pretium fuisse scut. 440. 25. juxta valorem huic domui attributum per legalem peritiam a magistro structorum in antecessum emissam. Itidem mihi plane constat hujusmodi summam in constructione novae domus parochialis integre fuisse erogatam; quae insuper valorem continet duplo majorem, quam antiqua domus distracta: tandem assero, fide nixus authenticorum documentorum in constructione novae ecclesiae et domus s. Mariae de Rosario in suburbiis hujus civitatis positae, erogatam fuisse summam romanorum scut. 2532 et ob. 50.

Quae cum ita se habeant, non dubito, Emmi PP., mea vota precibus oratoris subjungere vehementer exoptans, ut gratiam, quam postulat, consequatur.

Ne bona ecclesiae temerc dissipentur, solemnitates requirunt s. canones in illorum alienatione, quae si omissae fuerint, suo omnino robore carent contractus et ita contrahentes poena excommunicationis mulctantur, *Extrav. Ambitiosae de reb. eccles. non alienand., Reiffenst. in jus can. lib. 3. tit. 13. §. 3. num. 52 et 66.* Attamen alienationes, quae necessitatem vel evidentem utilitatem praeseferunt, quamvis initae absque beneplacito apostolico, non rescinduntur, imo ratae habentur, *arg. can.: Si qua de rebus 12. q. 2, Abb. in cap.: Diversis fallaciis num. 6. de cleric. conjug., Engel de reb. eccles. non alienan. num. 20.* Evidens ista utilitas in alienatione, quam inconsulta Sede apostolica ex errore perfecit parochus Monti, desumenda videtur ex veteris alienatae domus statu fatiscente ac pro porochis indecora, et ex nova constructa domo, qua necessitati ac parochorum decentiae satis ille consuluit. Episcopus namque caeterique interesse habentes parochi zelum laudant ejusque factum comprobant. His addendum, bonam adfuisse fidem contrahentium et venditionis pretium constitutum ad formam peritiae fabrimurrarii.

Pro absolutione a censuris, de qua quaeritur in altero dubio, favet parocho eadem bona fides. Hac enim adstante contrahentes excusantur a poenis in *Extrav.: Ambitiosae inflictis, Barbosa in cad. Extrav.*, et *Reiffenstuel in cit. l. 3. tit. 3. §. 3. num. 67.*, et *s. Congreg.* pro absolutione respondere solet, ut in *Pisauren. Emphyteusis 18. Mart. 1820.*

Hisce praemissis dubia proponuntur:

I. *An et quomodo sanari debeat alienationis contractus parochi Monti in casu?*

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative in omnibus facto verbo cum SSmmo.

Ad II. Affirmative in omnibus.

Die 22. Mart. et 19. Apr. 1823.

Comen.

Pii testatores cum conventum ordinis servorum B. M. V. oppidi Mandrisii Comensis dioecesis liberalitate auxerunt, onere etiam nonnullarum missarum gravarunt. Inter eos primus fuit Jacobus Torriani Balerrae Archipresbyter, qui anno 1751 censum in capitale L. 300. seu scutat. 42. 87. eidem reliquit ex lege, ut ex redditu diebus locisque statutis duae missae cum cantu celebrarentur, singulis trium libellarum eleemosyna statuta, totque etiam sacrificia offerentur ex reddituum excessu, quot singulis libellis responderent. Redditus hujus census est libellarum 12. sive stut. 6. et obul. 71.

Hoc legatum ad hanc usque diem adimpletum invenitur celebratione sex missarum nec non aliarum duarum cum cantu, quamvis eleemosyna, in primis justa, tractu temporis ordinariam stipem non amplius exaequaret.

Joannes Baptista Breuni Salorinus Machiroli Praepositus ipsi summam L. 500 seu scut. 71. 49. an. 1756. legavit, missarum celebratione injuncta pro fructuum quantitate ad rationem 20 obulorum, atque dies et altare, ubi sacrum peragendum foret, desi-

gnavit. Redditus hujus legati est libell. 15. 12. seu scut. 2.26. Conventus ad annum usque 1789. testantis voluntatem adamussim servavit, posteriori vero tempore missas tantum quatuordecim celebrandas curavit.

Tandem Lucia Bollini anno 1759 supremas tabulas conscripsit, nonnulla bona conventui legavit jussitque, ut 25 solidorum seu rom. ass. 20. ratione pro reddituum quantitate missae celebrarentur, ea autem lege ut solidi 16 uniuscujusque missae eleemosynam constituerent, reliqui novem sacrario cederent. Bona summam L. 2132,6 seu 304. 63. constituunt, singulis annis L. 74. 12. seu scut. 10. 68. exhibent.

Ad annum usque 1779 pro reddituum quantitate missae adimpletae sunt; sed cum eo anno redditus decrevissent et tantum ad L. 63. 19. pervenirent, quinquagenarius missarum numerus statutus est. Et quamvis anno 1782 ad L. 74. 12 adaucti essent, semper idem missarum numerus remansit, atque hodie etiam servatur, ea ratione, uti habetur in folio supplici libello adjuncto »si crede perchè essendo cresciuta nella vicina Lombardia ed in questi Paesi Elvetici la limosyna delle messe manuali, bisignò dare ai Padri sacerdoti (quibus eleemosyna pro vestiarii sumptu tribuitur) la limosina corrente portata da 16. soldi a 18, poi a 20, e di lì a poco a 25, come si pratica già da molti anni.«

Legatorum fundi ita conventus patrimonio immixti sunt, ut minime vel saltem difficillime eorum redditus singulatim cognosci possint. Interea religiosi transactis miserrimis temporibus, urgente necessitate nonnulla argentea vasa aliaque ecclesiastica bona vendiderunt necnon civilis legis sanctione coacti census capitalem summam exegerunt, in omnibus inconsulto summo Pontifice, ad quem liber non patebat accessus. Labente tempore recta redditum oeconomia factum est, ut venditis rebus aliae substitutae sint universaque conventus substantia excreverit. Qua de re propriae conscientiae consulentes apostolicam expetunt sanationem et absolutionem quoad praeteritum et reductionem in futurum.

De more Episcopum rogavi, qui sententiam suam sic aperit: »Constare idem testor onera eorumdem legatorum satis fideliter, imo, ut videtur, abunde ab oratoribus hactenus impleta. Quod si quid omissum fuerit, id et bona fide factum et nullius vel levissimi esse momenti, hujusmodi propterea, quod ad conscientiae oratorum tranquillitatem, de apostolico benignitate sanari mereatur, praesertim cum legatorum fundatores gratificari religiosae oratorum familiae ea institutione intenderint, quemadmodum ex eadem benignitate sanandum censeo, quod interrupto temporum calamitate ad romanam Sedem recursu et urgente necessitate, non impetrata prius via, fundos communitatis aliquos ac suppellectilem divendere coacti fuerint, nullo tamen inde consequuto patrimonii conventus detrimento, imo et incremento. Imposterum vero, quando eleemosyna pro singulis missis antiquitus taxata obul. Mediol. 20. sive ad roman. ass. praeter manutentionem aucta multis jam ab hinc annis fuit ad obul. 25. sive ad roman. asses. 20. praeter dictam manutentionem, in praesens autem ob cleri paucitatem et rerum ad vitae usum necessariarum caritatem, recepto jam passim usu, obuli med. 30 seu rom. ass. 24. pro singulis missis solvantur, aliquam oratoribus praescriptarum missarum reductionem indulgere posse censerem, ita ut singulis missis inclusa manutentione eleemosyna respondeat ass. roman. circiter 24. sive med. obul. 30. adeoque pro legato Brenni missae decem celebrentur, pro legato Turriani missae in cantu duo et tres lectae; pro legato demum Bollina missae 40 et quod ex earum missarum eleemosyna excrescit, in utilitatem cedat conventus juxta testatricis mentem.«

Ordinis procurator generalis Episcopi relationi subscribit, atque »nihil habeo quod addam, nisi quod gratia, si ita Sanctitati Vestrae videatur, restringenda sit ad tempus, quo duraverit praesens eleemosynae manualis exuberantia. Pro petitis vero sanationibus apostolicam indulgentiam et ego imploro.«

Favet supplicantium petitioni quoad missarum reductionem *Tridentina synodus sess. 25. cap. 4. de reform.*, ubi statuit missas reducendas, si eleemosyna adeo tenuis sit, ut non facile inveniatur, qui huic muneri se subjicere velit et s. haec Congregatio numquam reductionem denegavit, si redditus impares essent oneribus, uti in *Fulginaten Reductionis 13. Septembris 1819.*

Si igitur missae redditibus debent respondere pro eleemosynae currentis quantitate, consequens est, etiam quoad praeteritum satis abunde oneribus satisfecisse, quamvis missas celebrandas non curarunt eleemosyna a testatoribus designata.

Quoad vero legatum Bollina majori reductioni locum esse videtur. Testatrix namque eleemosynam pro singulis missis necessariam adsignavit jussitque amplius, ut novem solidi conventus cederent utilitati. Si igitur eleemosyna labente tempore adaucta est, missae minuendae erunt, ita ut summa a testatrice conventui legata salva semper remaneat.

E converso quamvis redditum diminutio vel eleemosynae augmentum legitimam reductionis causam praebeant, nihilominus reductio ipsa a legitimo Superiore semper est expetenda. Non est (enim) singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri *L. 176. ff. de regulis jur.*, non recte igitur se gessisse religiosi videntur, qui non impetrata venia missarum numerum minuerunt.

E contra quoad hoc legatum testatricis voluntas reductioni refragari videtur. Nam supremo in elogio tot jussit missas, quot singulis 25 obulis responderent, at etiam nunc dicta eleemosyna ad satisfactionem sufficit; ergo omnino adimplenda esset. Ita s. haec Congregatio semper denegavit reductionem, si oneribus pares remanerent redditus licet diminuti, in *Romana Reduct. 8. Augusti 1818.*

Insuper si legatum ipsum perpendatur, facile cognoscitur duo continere legata, unum de missis celebrandis eleemosyna currenti, alterum de eleemosyna testatricis liberalitate conventui praestanda. Ait vero *Benedictus XIV. de synod. dioecesana lib. XIII. cap. ult.:* »Si aliqua proponeretur dispositio, quae simul et missarum onera, eleemosynarum distributionem aliave pia opera comprehenderet et quidem ob reddituum tenuitatem necessarium dignosceretur ad aliquam impositorum onerum reductionem devenire, reducenda sunt potius reliqua onera, non autem missarum numerus.« Quam sententiam semper sequuta est s. haec Congregatio, ut testatur *Fagnanus in cap.: Ex par. 34. de constit.*

Semper ecclesia ecclesiasticorum bonorum venditionem improbavit et nonnisi solemnitatibus legibusque statutis vendendi fecit potestatem. Omni siquidem aevo ecclesiasticae latae sunt leges, quibus et hominum cupiditas moderaretur et bona divino cultui specialiter dicata integra inviolataque remanerent. Sat erit oculos conjicere in concilium Carthaginense III., in constitutionem Leonis I. aliamque a Symmaco in synodo 2. romana editam, et ut caeteras mittam in concilium Constantinopolitanum IV. Civiles leges etiam hac de re non siluerunt, uti Leo imperator in *leg.: Jubemus 14. cod. de sacrosan. eccl.*, et Justinianus *in auth. hoc jus. cod. eod.*

Edidit pariter constitutionem omnium celeberrimam Paulus II. aliorumque etiam Pontificum auctoritate roboratam, cujus initium: *Ambitiosae de rebus eccl. non alienand.*, quae praedecessorum prohibitiones atque decreta confirmavit, alienantes alienatasque res recipientes excommunicationis poena mulctavit, contractus ipsos solemnitatibus destitutos nullius roboris vel momenti declaravit.

Cum vero nonnulli Regularium coetus res ecclesiasticas alienare praesumerent apostolicis privilegiis innixi, Urbanus VIII. die 8. Septembris 1624 s. hac Congregatione consulente omnibus privilegiis derogavit alienationesque fieri perpetuo interdixit, praeterquam casibus a jure permissis, absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis et gratis concedenda, novis poenis indictis illisque in constitutione: *Ambitiosae* contentis in suo robore permansuris.

Cum igitur Mandrisii Patres nemine auctorante et de legitima causa judicante alienationes perpetrarunt, videntur statutis in poenis incidisse, eo magis, quod, favente Deo christiana restituta republica, statim apostolicam sanationem non postularunt.

Ex adverso suo muneri supplicantes non defecisse videntur. Justam enim causam necessitatem ecclesiae constituere et omnes tenent doctores et juris auctoritate probatur. Habetur in *Clem. I. de reb. eccl. noo alien.* Nisi necessitas aut utilitas monasterii hoc exposcat, cui concordat *cap. 1 de pignoribus.*

Quod revera in casu necessitas intervenerit, et Patres exponunt et Episcopus testatur. Quem vero latet, inimicum hominem, qui superseminavit zizaniam, omnem adhibuisse conatum praeteritis temporibus, ut pastorem ab ovibus divelleret et lapides sanctuarii in plateis ejiceret? Alienatio igitur, aliis tem-

poribus aliisque in circumstantiis illicita, nunc licita dici posset ex juris regula: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Accedit denique, quod nullum conventus ex hac venditione detrimentum acceperit.

Sapientiae igitur EE. VV. sequentia dubia dirimenda propono:

I. *An et quomodo concedenda sit reductio legati Torriani in casu?*

II. *An et quomodo concedenda sit reductio legati Brenna in casu?*

III. *An et quomodo concedenda sit reductio legati Bollina in casu?*

IV. *An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro condonatione omissionis missarum et pro sanatione venditionis bonorum ecclesiasticorum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II. III. Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium.

Ad IV. Affirmative in omnibus, celebrata unica missa cum cantu et interventu omnium de familia.

Die 22. Junii 1822.

aa) Solemnitates praescriptae.

Vd. *Alienat. bonor. eccles.* (Facult. apostol. etc. p. 438.)

Censuras infligit s. C. absque declaratione ipso jure, *Extravagant.: Ambitiosae etc.* contra alienantes rei ecclesiae neglectis solemnitatibus, ut docent *Quaranta* in sum. Bullarii verb.: alienatio num. 49; et s. Congregatio in *Romana Cisterciensium 1. Septembris 1614. tom. 21. decret. pag. 54.*

Die 19. Junii 1802. *Veliterna.*

Alienatio bonorum ecclesiae sine justa causa et debita solemnitate est prohibita triplici jure, divino, *Levitic. cap. 25. et 27.* civili, *leg. Jubemus 2. cod. de sacrosanctis ecclesiis*, et canonico, *cap.: Apostolicos 13, cap.: Sine exceptione 52, caus. 12. quaest. 2, cap. fin. de rebus eccles. non alienand. Clement. 1. eodem titul. Extravagant.: Ambitiosae eodem titul. inter communes*, et Tridentin. *de reform. sess. 22. cap. 11. et sess. 25. cap. 11.*

Bona ecclesiae vel sunt communia vel sunt mensalia. Illa in genere ad patrimonium ecclesiae spectant; haec speciatim destinata sunt ad sustentationem eorum, qui ecclesiis inserviunt et officio sacro annectuntur.

Bona communia licet prohibita sint alienari, possunt tamen alienari cum solemnitate canonica. De bonis vero mensalibus gravis est quaestio: an ea cum solemnitate canonica alienari queant. Negat *Linker Respon. 2. num. 71;* affirmat vero *Harprect. Respon. 57. num. 65.*

Si stetur priori opinioni, alienatio bonorum mensalium non facta de speciali consensu Papae, ne tempore quidem immemorabili convalidatur, *Linker, ubi supra.*

Solemnitates requisitae ad alienationem bonorum ecclesiasticorum sunt pariter quatuor.

Prima, quod praecedat tractatus capitularis, idest Praelatus cum capitulo vel conventu consultet: an expediat talem rem alienare necne; *cap.: Sine exceptione, cap.: Tua nuper 8. de his, quae fiunt a Praelatis, cap. 1. hoc tit. in 6.*

Secunda, quod adsit consensus totius capituli vel saltem majoris aut sanioris partis ipsius, *cap.: Sine exceptione 12. quaest. 2., et cap. Ut super 8. §. final. hoc tit.*, ubi habentur praecisa verba: *de fratrum tuorum et sanioris partis consilio et consensu.*

Tertia, quod fiat subscriptio a capitularibus, *cap. 1. de his, quae fiunt a Praelatis*, ubi expresse dicitur: *Irrita erit Episcoporum donatio et venditio vel commutatio rei ecclesiasticae absque collaudatione et subscriptione clericorum.*

Quarta, quod interveniat consensus Superioris talis ecclesiae et consensus summi Pontificis; *cap. 2. hoc tit. in 6.* et *cit. Extravagant.: Ambitiosae.* Consensus autem patroni non requiritur ad alienationem rerum ecclesiasticarum, si accedat auctoritas et beneplacitum summi Pontificis, cum ipsi patroni in rebus, quas ecclesiis conferunt, nullam habeant potestatem, ut expresse habetur *cap.: Noverint 10. qu. 1.* et *concil. Toletan. IV.* his verbis: *Noverint conditores Basilicarum in rebus, quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere, sed juxta canonum instituta sicut ecclesiam ita et dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere; et cap. de rebus 12. qu. 2.*, sic *Rota romana part. 9. tom. 1. decis. 114. num. 9; Anaclet., Pirhing. hoc tit. n. 61.* cum aliis passim.

Solemnitatibus requisitis in alienatione rerum ecclesiae, de quibus agitur, aliqui addunt subhastationem, moti *auth. Hoc jus porrectum, C. de sacrosanct. eccl.* Nulla vero hujus requisiti occurrit mentio in jure canonico, secundum quod hodie in alienandis rebus ecclesiae proceditur. Quocirca necessaria haud est subhastatio in alienatione rerum ecclesiae. *Brunnemann in d. authent. Hoc jus porrectum num. 14. et seqq., Bohemer in decretal. lib. tit. 13. §. 46.*

Solemnitates omnes, inquit Devoti *tom. 2. tit. 10.*, fere pertinent ad consensum Sedis apostolicae; siquidem omnes Episcopi jurejurando obligantur, quo nihil se bonorum ecclesiasticorum, inconsulto romano Pontifice, alienaturos promittunt. Quo jurejurando romani Pontifices sapienter admodum regulam antiquam res ecclesiasticas non alienandi firmiorem reddiderunt. Hanc promissionem, quam quivis a romano Pontifice consecrandus facit, continet liber diurnus Pontificum romanorum a Gesnerio illustratus collectusque saeculo septimo aut octavo, *cap. 3. tit. 7.* Eam quoque commemorat Coelestinus III., qui saeculo XII. rexit ecclesiam, *cap. 8. de rebus eccles. non alien.* Ex quibus illud fit consequens, hujus juramenti originem constitutione Pauli II. antiquiorem esse. Vide *Mamach. del Diritto lib. della Chiesa tom. 3. part. 1. c. 1.*

Archiepiscopo succensendum non esse, si nonnullas omiserit solemnitates et terminos Vigesimae et Sextae cohibuerit contra ac delegatus apostolicus praescripserat. Nam hoc negotium omne fuit ejus arbitrio permissum, et summa rei angustae eum coegit negligere has solemnitates, quae urgente fame impleri non poterant. Nam ubi periculum est in mora, tum possunt despici solemnitates, cum alienatio fiat necessaria ad tradita *Card. Petra comment. ad constit. apostol. tom. 1. sect. 4. num. 102; Zanch. de Lesion. part. 1. cap. 7. num. 34.*

Die 18. Aug. 1804. *Urbinaten.*

Quocumque tempore ad ecclesiam reverti contigerit praedium alienari solitum, denuo concedi in emphyteusim potest absque solemnitatibus, ut *ad text. in cap. 2. de Feud.* docent *Barbos. de rebus eccles. non alien. tit. de infeud. eccles. per Praelat. num. 6. Clar. §. Emph. quaest. 6. in princ., Guid. decis. 100. in princ., Fulgin. de jur. emphyt. tit. de contrar. Emph. quaest. 9. num. 1. et seq.*, quibus addenda *Extravag.*; *Ambitiosae*, in qua praescriptae solemnitates excipiuntur, si agatur *de rebus et bonis in Emphyteusim concedi solitis.*

Die 20. Jan. 1821. *Anconitana.*

Quilibet contractus, qui speciem alienationis rerum jurium praeseferat, quique fiat in rebus ecclesiasticis erogandis, nisi volitae a canonicis sanctionibus intercedant solemnitates, quarum altera in beneplacito apostolico, altera in evidenti necessitate vel ipsius causae utilitate versatur, plane interdicitur irritusque declaratur. *Urceol. qu. 25. Rota coram Durand. decis. 459. n. 2.* et passim sacra Congregatio. Etenim hae solemnitates jure praescribuntur, ne bonis ecclesiarum detrimentum irrogetur, neque alicui subsint potestati, praeter quam ipse Deus constituit.

Die 20. Jan. 1821. *Novarien.*

Sacris canonibus interdictum est bona ecclesiae distrahere, ad longum tempus locare, in emphyteusim tradere. Hoc canonicum interdictum ex pluribus tum conciliorum tum imperatorum constitutionibus et praesertim ex *cap.: Nulli liceat in V.* et *Extravagant.: Ambitiosae* abunde colligitur, nisi hoc interdictum removeatur per apostolicum indultum, quod nunquam conceditur, nisi de necessitate et vera ecclesiae utilitate constet. Insuper haud solet indulgeri facultas ultra tertiam vel quartam generationem, cum emphyteusis perpetua a sacro Concilio romano *tit. 19. cap. 1. §. 1.* prohibeatur.

Die 17. Februarii 1821. *Novarien.*

Ne bona ecclesiae temere dissipentur, solemnitates requirunt s. canones in illorum alienatione, quae si omissae fuerint, suo omnino robore carent contractus et ita contrahentes poena excomunicationis mulctantur, *Extrav.: Ambitiosae de reb. eccl. non alien., Reiffenstuel in jus can. lib. 3. tit. 13. §. 3. num. 52 et 66.* Attamen alienationes, quae necessitatem vel evidentem utilitatem praeseferunt, quamvis initae absque beneplacito apostolico, non rescinduntur, imo ratae habentur, *arg. can.: Si qua de rebus 12. qu. 2., Abbas in cap.: Diversis fallaciis num. 6. de cleric. conjug., Engel de reb. eccl. non alien. num. 20.* Evidens ista utilitas in alienatione, quam inconsulta Sede apostolica ex errore perfecit parochus Monti, desumenda videtur ex veteris alienatae domus statu fatiscente

poribus aliisque in circumstantiis illicita, nunc licita dici posset ex juris regula: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Accedit denique, quod nullum conventus ex hac venditione detrimentum acceperit.

Sapientiae igitur EE. VV. sequentia dubia dirimenda propono:

I. *An et quomodo concedenda sit reductio legati Torriani in casu?*

II. *An et quomodo concedenda sit reductio legati Brenna in casu?*

III. *An et quomodo concedenda sit reductio legati Bollina in casu?*

IV. *An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro condonatione omissionis missarum et pro sanatione venditionis bonorum ecclesiasticorum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II. III. Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium.

Ad IV. Affirmative in omnibus, celebrata unica missa cum cantu et interventu omnium de familia.

Die 22. Junii 1822.

aa) Solemnitates praescriptae.

Vd. *Alienat. bonor. eccles.* (Facult. apostol. etc. p. 438.)

Censuras infligit s. C. absque declaratione ipso jure, *Extravagant.: Ambitiosae etc.* contra alienantes rei ecclesiae neglectis solemnitatibus, ut docent *Quaranta* in sum. Bullarii verb.: alienatio num. 49; et s. Congregatio in *Romana Cisterciensium 1. Septembris 1614. tom. 21. decret. pag. 54.*

Die 19. Junii 1802. *Veliterna.*

Alienatio bonorum ecclesiae sine justa causa et debita solemnitate est prohibita triplici jure, divino, *Levitic. cap. 25. et 27.* civili, *leg. Jubemus 2. cod. de sacrosanctis ecclesiis*, et canonico, *cap.: Apostolicos 13, cap.: Sine exceptione 52, caus. 12. quaest. 2, cap. fin. de rebus eccles. non alienand. Clement. I. eodem titul. Extravagant.: Ambitiosae eodem titul. inter communes*, et Tridentin. *de reform. sess. 22. cap. 11. et sess. 25. cap. 11.*

Bona ecclesiae vel sunt communia vel sunt mensalia. Illa in genere ad patrimonium ecclesiae spectant; haec speciatim destinata sunt ad sustentationem eorum, qui ecclesiis inserviunt et officio sacro annectuntur.

Bona communia licet prohibita sint alienari, possunt tamen alienari cum solemnitate canonica. De bonis vero mensalibus gravis est quaestio: an ea cum solemnitate canonica alienari queant. Negat *Linker Respon. 2. num. 71;* affirmat vero *Harprect. Respon. 57. num. 65.*

Si stetur priori opinioni, alienatio bonorum mensalium non facta de speciali consensu Papae, ne tempore quidem immemorabili convalidatur, *Linker, ubi supra.*

Solemnitates requisitae ad alienationem bonorum ecclesiasticorum sunt pariter quatuor.

Prima, quod praecedat tractatus capitularis, idest Praelatus cum capitulo vel conventu consultet: an expediat talem rem alienare necne; *cap.: Sine exceptione, cap.: Tua nuper 8. de his, quae fiunt a Praelatis, cap. 1. hoc tit. in 6.*

Secunda, quod adsit consensus totius capituli vel saltem majoris aut sanioris partis ipsius, *cap.: Sine exceptione 12. quaest. 2., et cap. Ut super 8. §. final. hoc tit.*, ubi habentur praecisa verba: *de fratrum tuorum et sanioris partis consilio et consensu.*

Tertia, quod fiat subscriptio a capitularibus, *cap. 1. de his, quae fiunt a Praelatis*, ubi expresse dicitur: *Irrita erit Episcoporum donatio et venditio vel commutatio rei ecclesiasticae absque collaudatione et subscriptione clericorum.*

Quarta, quod interveniat consensus Superioris talis ecclesiae et consensus summi Pontificis; *cap. 2. hoc tit. in 6.* et *cit. Extravagant.: Ambitiosae.* Consensus autem patroni non requiritur ad alienationem rerum ecclesiasticarum, si accedat auctoritas et beneplacitum summi Pontificis, cum ipsi patroni in rebus, quas ecclesiis conferunt, nullam habeant potestatem, ut expresse habetur *cap.: Noverint 10. qu. 1.* et *concil. Toletan. IV.* his verbis: *Noverint conditores Basilicarum in rebus, quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere, sed juxta canonum instituta sicut ecclesiam ita et dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere; et cap. de rebus 12. qu. 2.*, sic *Rota romana part. 9. tom. 1. decis. 114. num. 9; Anaclet., Pirhing. hoc tit. n. 61.* cum aliis passim.

Solemnitatibus requisitis in alienatione rerum ecclesiae, de quibus agitur, aliqui addunt subhastationem, moti *auth. Hoc jus porrectum, C. de sacrosanct. eccl.* Nulla vero hujus requisiti occurrit mentio in jure canonico, secundum quod hodie in alienandis rebus ecclesiae proceditur. Quocirca necessaria haud est subhastatio in alienatione rerum ecclesiae. *Brunnemann in d. authent. Hoc jus porrectum num. 14. et seqq., Bohemer in decretal. lib. tit. 13. §. 46.*

Solemnitates omnes, inquit Devoti *tom. 2. tit. 10.*, fere pertinent ad consensum Sedis apostolicae; siquidem omnes Episcopi jurejurando obligantur, quo nihil se bonorum ecclesiasticorum, inconsulto romano Pontifice, alienaturos promittunt. Quo jurejurando romani Pontifices sapienter admodum regulam antiquam res ecclesiasticas non alienandi firmiorem reddiderunt. Hanc promissionem, quam quivis a romano Pontifice consecrandus facit, continet liber diurnus Pontificum romanorum a Gesnerio illustratus collectusque saeculo septimo aut octavo, *cap. 3. tit. 7.* Eam quoque commemorat Coelestinus III., qui saeculo XII. rexit ecclesiam, *cap. 8. de rebus eccles. non alien.* Ex quibus illud fit consequens, hujus juramenti originem constitutione Pauli II. antiquiorem esse. Vide *Mamach. del Diritto lib. della Chiesa tom. 3. part. 1. c. 1.*

Archiepiscopo succensendum non esse, si nonnullas omiserit solemnitates et terminos Vigesimae et Sextae cohibuerit contra ac delegatus apostolicus praescripserat. Nam hoc negotium omne fuit ejus arbitrio permissum, et summa rei angustae eum coegit negligere has solemnitates, quae urgente fame impleri non poterant. Nam ubi periculum est in mora, tum possunt despici solemnitates, cum alienatio fiat necessaria ad tradita *Card. Petra comment. ad constit. apostol. tom. 1. sect. 4. num. 102; Zanch. de Lesion. part. 1. cap. 7. num. 34.*

Die 18. Aug. 1804. *Urbinaten.*

Quocumque tempore ad ecclesiam reverti contigerit praedium alienari solitum, denuo concedi in emphyteusim potest absque solemnitatibus, ut *ad text. in cap. 2. de Feud.* docent *Barbos. de rebus eccles. non alien. tit. de infeud. eccles. per Praelat. num. 6. Clar. §. Emph. quaest. 6. in princ., Guid. decis. 100. in princ., Fulgin. de jur. emphyt. tit. de contrar. Emph. quaest. 9. num. 1. et seq.*, quibus addenda *Extravag.*; *Ambitiosae*, in qua praescriptae solemnates excipiuntur, si agatur *de rebus et bonis in Emphyteusim concedi solitis.*

Die 20. Jan. 1821. *Anconitana.*

Quilibet contractus, qui speciem alienationis rerum jurium praeseferat, quique fiat in rebus ecclesiasticis erogandis, nisi volitae a canonicis sanctionibus intercedant solemnitates, quarum altera in beneplacito apostolico, altera in evidenti necessitate vel ipsius causae utilitate versatur, plane interdicitur irritusque declaratur. *Urceol. qu. 25. Rota coram Durand. decis. 459. n. 2.* et passim sacra Congregatio. Etenim hae solemnitates jure praescribuntur, ne bonis ecclesiarum detrimentum irrogetur, neque alicui subsint potestati, praeter quam ipse Deus constituit.

Die 20. Jan. 1821. *Novarien.*

Sacris canonibus interdictum est bona ecclesiae distrahere, ad longum tempus locare, in emphyteusim tradere. Hoc canonicum interdictum ex pluribus tum conciliorum tum imperatorum constitutionibus et praesertim ex *cap.: Nulli liceat in V.* et *Extravagant.: Ambitiosae* abunde colligitur, nisi hoc interdictum removeatur per apostolicum indultum, quod nunquam conceditur, nisi de necessitate et vera ecclesiae utilitate constet. Insuper haud solet indulgeri facultas ultra tertiam vel quartam generationem, cum emphyteusis perpetua a sacro Concilio romano *tit. 19. cap. 1. §. 1.* prohibeatur.

Die 17. Februarii 1821. *Novarien.*

Ne bona ecclesiae temere dissipentur, solemnitates requirunt s. canones in illorum alienatione, quae si omissae fuerint, suo omnino robore carent contractus et ita contrahentes poena excomunicationis mulctantur, *Extrav.: Ambitiosae de reb. eccl. non alien., Reiffenstuel in jus can. lib. 3. tit. 13. §. 3. num. 52 et 66.* Attamen alienationes, quae necessitatem vel evidentem utilitatem praeseferunt, quamvis initae absque beneplacito apostolico, non rescinduntur, imo ratae habentur, *arg. can.: Si qua de rebus 12. qu. 2., Abbas in cap.: Diversis fallaciis num. 6. de cleric. conjug., Engel de reb. eccl. non alien. num. 20.* Evidens ista utilitas in alienatione, quam inconsulta Sede apostolica ex errore perfecit parochus Monti, desumenda videtur ex veteris alienatae domus statu fatiscente

ac pro parochis indecoro et ex nova constructa domo, qua necessitati ac parochorum decentiae satis ille consuluit. Episcopus namque caeterique interesse habentes parochi zelum laudant, ejusque factum comprobant. His addendum, bonam adfuisse fidem contrahentium et venditionis pretium constitutum ad formam peritiae fabrimurarii.

Die 22. Martii 1823. *Fanen.*

bb) Sine solemnitatibus alienari quae possunt?

Vd.: *Alienatio bonor. eccles.* (consuetudo etc. p. 436; sine apost. facult. p. 441; quae sub nomine alienat. comprehenduntur? p. 446).

Absque solemnitatibus alienari possunt:

Primo, terrulae aliique fundi steriles et exigui valoris minusque utiles ecclesiae, *cap.: Terrulas 12. quaest. 4.*, ubi expresse dicitur: *Terrulas aut vineolas exiguas et ecclesiae minus utiles, longe positas et parvas, Episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat facultatem.* Neque huic canoni *Terrulas* derogatum fuit a Paulo II. in *Extravaganti: Ambitiosae*, nec a Concilio Trident. *sess. 25. cap. 11.*, prout declaravit sacra Congreg. Concil. *11. Januarii 1596.*

Terrulae autem et res modici valoris sunt, quae non aestimantur ultra viginti solidos, secundum *Glossam in d. cap.: Terrulas*, et ut censuit sacra Congreg. Episcop. et Regul. *in una Faventina 22. Maji 1611*, in qua viginti solidos ad scuta vigintiquinque aurea ascendere declaravit, et *in una Messanensi 29. Novembris 1613*, ubi asseruit sic etiam declarasse Paulum V., et *in Barensi in responsione Archiepiscopo visitanti sacra limina die 12. Aprilis 1698* dixit: *Non posse Episcopum concedere facultatem ultra vigintiquinque scuta aurea.* Et scutum aureum consistit ex paulis sexdecim et secundum hanc computationem vigintiquinque scuta aurea constituunt scuta quadraginta monetae romanae*); unde *in una Papiensi 15. Maji 1710* censuit, licentiam concessam per Ordinarium pro incisione arborum ecclesiae in summa scutorum 60 non sustineri**). Nec valet consuetudo in contrarium***), quae non toleranda, ut respondit sacra Congreg. *in Amalphitana 8. Augusti 1665 in responsione ad primum.*

*) Cum scutum aureum respondet juliis sexdecim cum dimidio monetae romanae, summa XXV. scutorum aureorum conficit summam XLI. et obulorum 25 ejusdem monetae.
**) Vd. *p. 438 g.*
***) Vd. *p. 436 c.*

Secundo, sine talibus solemnitatibus alienari possunt immobilia relicta monasterio seu ecclesiae incapaci ea retinendi, ut sunt monasteria ordinis Minorum de Observantia s. P. Francisci, Reformatorum, Capucinorum et clericorum regularium seu Theatinorum (necnon domus professae societatis Jesu), et ratio est, quia talia bona immobilia non sunt monasterio incorporata ob incapacitatem ejusdem, ex *Clement.: Exivi, de verbor. significat.*, et ex *cap.: Exiit, qui seminat, §. ad haec quia, de verbor. significat.*, pro Minoribus et ex speciali decreto sacrae Congregationis Concilii pro Theatinis, ut refert *Donatus tom. 1. part. 2. tract. 14. quaest. 67.* his verbis: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, religionem clericorum regularium Theatinorum, quamdiu institutum superius propositum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus ecclesiae non alienandis* (necon ex constitut. Julii III. *21. Julii 1550*, incipiente: *Exposcit*, pro domibus professis soc. Jesu). Isti enim omnes cum neque in communi bona immobilia, ut agros, vineas et similia possint possidere, si quae talia eis legantur, possunt ea vendere sine juris solemnitate et pretium expendere in necessitatem ac utilitatem ecclesiae vel monasterii, ut concessit nostro ordini de Observantia Clemens VII. *23. Novembris 1526* in constitutione incipiente: *Nuper.*

Tertio, sine solemnitatibus potest fieri locatio atque conductio rei ecclesiasticae ad triennium, cit. *Extravag.: Ambitiosae*, ubi prohibetur solum sine solemnitatibus fieri locationem et conductionem *ultra triennium*, adeoque sine ipsis censetur licita ad triennium. Quod triennium debet intelligi de tribus annis fructiferis, ita ut si alicubi praedia locata fructificant solum singulo biennio, possunt locari ad sex annos, ut sic conductores tres possint percipere fructus, cum constitutio: *Ambitiosae* respiciat fructus triennales, non autem temporis spatium sine fructu; tunc enim unum biennium seu triennium semel tantum fructiferum unico aequivalet anno, ut decrevit *sacra Rota romana 19. Junii 1648 in una Tiburtina Affictus part. 10. decis. 219. num. 7.*, et sic tenet *Glossa fin. in leg. Item quaeritur §. qui impleto, prope finem, vers. Item quod si in rusticis, ff. Locati, conducti*, et sic *Bartol., Bald., Donatus* et alii passim. Et circa hoc notandum, quod si locatio rei fructificantis

singulis annis fiat ad novennium simpliciter et indivisibiliter, est nulla et invalida, etiam pro primo triennio; sic decidit *Rota romana 1. Junii in Arentina Bonorum, part. 3. dec. 435. n. 1612.* plures allegans doctores. Nec refert, dicit Rota, quod quamplures teneant contrariam sententiam, quia non videtur recedendum a praedicta opinione, quam Rota uti veriorem pluries approbavit, ut *in causa Romana devolutionis domus 4. Februarii 1583 coram D. de Rubeis*, et *in alia Placentina Decimarum 2. Junii 1586, in alia Brixiensi Locationis 5. Decembris 1594.* Si autem locatio fiat ad novennium divisibiliter ad primum et secundum et tertium triennium, ut uno triennio elapso semper liberi remaneant contrahentes, tunc valet et tenet locatio pro primo triennio, quo elapso, si non rescindatur contractus, valet etiam pro secundo et sic de tertio, quia talis locatio non censetur facta in fraudem legis, sed solummodo ad evitanda incommoda et expensas in reiteratis contractibus et scripturis, et sic tenet *Barbosa de offic. et potest. Episcop. pag. 3. alleg. 95. num. 10. et seqq., Guttierez, Engel* et alii passim, et sic decidit *Rota romana 27. Febr. 1640 decis. 826. coram Merlino.*

Quarto, sine solemnitatibus possunt dari in feudum vel emphyteusim res immobiles ecclesiasticae ab antiquo in feudum vel emphyteusim dari solitae; habetur explicite in *citata Extravagant.: Ambitiosae*, in qua a generali prohibitione alienandi res ecclesiasticas expresse excipiuntur res immobiles ab antiquo concedi solitae in emphyteusim, praecisis his verbis: *Praeterquam de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis*; et sic tenent communiter doctores cum *Barbosa de offic. et potestat. Episcop. part. 3. alleg. 95. num. 22. et seqq., Rota in Romana Domus 27. Novembris 1587 coram Blanchetto*, et *in Imolensi Bonorum 21. Maji 1593 coram Pamphilio*, dummodo tamen solitum non alteretur, *Rota in dicta Imolensi Bonorum coram Pamphilio.* Ad hoc autem, ut res ecclesiae dicatur solita alienari, requiritur, quod praecedat una locatio solemnis vel duae sine solemnitatibus cum spatio quadraginta annorum. *Rota in Zamoren., Castri 14. Decembris 1579 coram Serafino, in Anversana, Tenimenti 24. Novembris 1581 coram Cantuccio, in Senens. Praedii 8. Octobr. 1584 coram Pamphilio, in Pisana Bonor. 20. Februarii et 3. Decembris 1584 coram Cantuccio*, et *in Romana Domus 13. Januarii 1686 coram Blanchetto.* Non tamen requiruntur necessario uniformes, *Rota in Pisana Bonor. 20. Februarii 1584 cor. Cantuccio.* Et sufficit, quod una sit valida: *Rota in d. Pisana Bonor. 20. Februarii 1584 coram Cantuccio.* Si tamen res ecclesiae solita alienari sit denuo incorporata ecclesiae, non potest locari sine solemnitatibus; *Rota in Mediolanen. Bonor. 23. Januarii 1593 coram Orano.*

Quinto, sine solemnitatibus alienari possunt fructus et alia bona ecclesiastica, quae servando servari non possunt; habetur expresse *in cit. Extravag.: Ambitiosae* praecisis his verbis: *Praeterquam de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia.* Et pro bonis, quae servando servari non possunt, intelliguntur illae res mobiles, quae non durant triennio vel quae usu consumuntur et non fructificant: *argum. leg. Quae lex §. ultim. de administrat. Tutorum, et cap.: Nulli 13. hoc tit.; Quaranta, Rebuff., Castropal.* et alii passim cum *Barbosa de offic. et potest. Episc. part. 3. alleg. 95. num. 37.*

Sexto, sine solemnitatibus alienari possunt res ecclesiasticae, quando summa alienandi instaret necessitas, et Papa de facili adiri non posset et esset periculum in mora, ut pro alimonia pauperum urgente necessitate, pro redemptione captivorum et pro similibus; *cap.: Aurum 70, cap.: Gloria Episcop. 71. caus. 17. qu. 2., Abbas in cap. fin. num. 8. de ecclesiis aedificandis; Quaranta, Piasec., Ugolin., Ciarlin., Filliuc., Rebuff., Bonac.* et alii passim cum *Barbosa loc. cit. num. 58.*

Septimo, sine solemnitatibus alienari possunt mancipia ecclesiae seu servi fugitivi, qui de fuga revocati retineri non possunt; *cap.: Terrulas cap. 12. quaest. 2*, ubi ex concilio Agathensi habentur praecisa verba: *Servos quoque fugitivos, qui revocati retineri non possunt, similiter Episcopis distrahere liceat*, et *cap.: Fugitivi eadem causa 12. et quaest. 2.*, ubi ex eodem concilio ordinatur expresse, quod alienentur fugitivi, qui teneri non possunt.

Quamvis primo sine solemnitatibus possit fieri alienatio rei ecclesiasticae pro solvendis debitis illius, qui bona et haereditatem reliquit ecclesiae, cum talia bona nondum sunt ecclesiae seu loco pio incorporata, ex quo per additionem haereditatis non censeantur acquiri haeredi, nisi illa bona, quae remanent

deducto aere alieno, *l. subsignatum* §. *bono, ff. de verborum signif.*, cum bona haereditaria transeant in potestatem haeredis, etiam ecclesiastici, tanquam obligata alienationi; et ideo postea non tam alienet quam exequatur obligationem susceptam alienandi pro solvendis debitis, ut tenet *Pignatell. tom. 6. consult. 95. num. 38, Monacell. part. 1. tit. 5. formul. 15. num. 24, Panimol.* et alii passim cum *Rota in Amerina Bonor. 2. Junii 1645 coram Royas.* Requiritur tamen beneplacitum apostolicum pro tali alienatione, quando bona sunt jam ecclesiae vel pio loco plene incorporata: ex decreto sacrae Congr. Concilii *in una Saluptiarum 20. Septembris 1624 lib. 17. decr. pag. 103.*

Secundo, licet sine solemnitatibus aut beneplacito apostolico et Episcopi facultate possit res ecclesiae in aliam transmutari, v. g. calix vetustus in crucem, sylva inutilis in olivetum, vinea deserta in pratum et alia hujusmodi, quia ista non est proprie alienatio neque distractio, sed in rem magis utilem et necessariam conversio, ut docet *Delbene tom. 2. cap. 17. dub. 23. num. 11, Antonius a Spiritu sancto* cum aliis passim: non sic tamen in subrogatione patrimonii clericalis, quod alienari non potest sine licentia Episcopi, etiamsi in loco ejus subrogetur beneficium. Sic decrevit *s. Congreg. Conc. 16. Aprilis 1622 lib. 4. pag. 231.*

Utrum pecuniae cadant sub censura *Extravagantis: Ambitiosae*, controversia est inter canonistas. Alii negant, quia, ut inquit *Schmalzgrueber jus canon.*, inventa est pecunia ad commutationem faciendam emendumque, et non datur aut accipitur, ut conservetur, sed ut in alios usus convertatur, nec servata ullum fructum parit, sed otiosa remanet, adeoque res est, quae ex sua natura et fine servando servari nequit, tales autem res alienari absque solemnitate possunt. Alii vero distinquunt inter pecunias, quae ex fructibus bonorum congeruntur, et pecunias reductas ex venditione bonorum et destinatas ad acquirendas res immobiles vel mobiles pretiosas. Has enim erogandas esse in destinatos usus, adhibitis solemnitatibus, tenent *Vasquez de reddit. cap. 2. §. 2. num. 44; Donat. Prax. Regul. tom. 1. part. 2. tract. 14. quaest. 52. n. 2; Pirhing. in jus canon. lib. 3. tit. 13. n. 13; Schmier. in lib. 3. decret. part 2. de rebus eccles. non alien. cap. 4. n. 41.*

Die 1. Martii 1817. *Matilicen.*

Bona nondum incorporata relicta ecclesiae sub expressa conditione, ut vendantur ad aliquem determinatum effectum, v. gr. ut ex illorum pretio emantur calices, candelabra argentea vel lampades aut alia ad Dei cultum vel ut dotentur virgines et similia, tunc ante incorporationem possunt alienari sine solemnitatibus, ut sic adimpleatur mens testatoris. Et a fortiori existente praecepto testatoris, ut bona certa et determinata vendantur et solvantur debita, non requiritur beneplacitum apostolicum, quia non fiunt ecclesiastica, nisi deducto aere alieno, et fuerunt acquisita dicta lege. *Est communis;* et sic declaravit sac. Congr. Episcop. et Regul. *in Imolensi 5. Febr. 1602. Bona ecclesiae non incorporata possunt alienari sine solemnitate ad solvendum aes alienum testatoris.*

cc) Sine solemnit. alienari quae non possunt?

Vd. *Alienat. bonor. eccles.* (sine apostol. facult. p. 441)

I. Sine beneplacito apostolico aut solemnitatibus nequeunt alienari jura perpetua ecclesiae adeoque nec servitus passiva imponi nec activa alienari potest sine beneplacito apostolico, *Quaranta in summa bullar. verb. Alienatio num. 21.; Corrad. praxis dispens. lib. 9. cap. 4. num. 15.; Piasec., Passerin., Monacell.* et sic decrevit sacra Congr. Concil. in *Albanen. 21. Junii 1698*, in qua, ut refert *Monacell.*, agebatur de impositione servitutis immittendi signa et appodiandi super muros conventus PP. Minorum conventualium.

II. Sine beneplacito apostolico nequit fieri ulla transactio, qua cedantur jura super bonis praetensis ab ecclesia, licet illa non possideat, sed aliquid aliud loco bonorum recipiat: *Rota coram Coccino dec. 301. n. 1., Add. ad Burat. decis. 690. num. 18. in fin., Add. ad Greg. decis. 418. num. 17.* et sic decrevit sac. Congreg. Concil. in *Asculana Beneplaciti 14. Febr. 1699.* reprobanda opinionem aliquorum doctorum putantium transactionem sive concordiam de rebus ad ecclesiam aliquo modo spectantibus eidem tamen adhuc non incorporatis neque ab eadem possessis fieri posse absque beneplacito apostolico, si renunciet aut dimittat pro alicujus rei certae acquisitione.

III. Sine solemnitatibus et beneplacito apostolico nequit fieri alienatio ab una ecclesia in aliam, imo neque inter personas

ejusdem ecclesiae*), ne, ut tenet *Rota part. 7. decis. 191. num. 12,* detur occasio discooperiendi unum altare pro altero cooperiendo ad diminutionem divini cultus; et colligitur clare *ex cap. 1.: De rebus eccles. non alienand. in 6,* ubi fuit declarata invalida alienatio decimarum facta ab una ecclesia in aliam sine requisitis solemnitatibus, quia dicit textus: *Tractatus solemnis et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis et alienationibus rerum ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem.* Et ad hoc facit etiam *cap.: Sine exceptione 12. caus. 12,* ubi generaliter prohibentur fieri donationes, venditiones, permutationes aliasque omnes alienationes rerum ecclesiasticarum sine solemnitibus requisitis adeoque ibi censentur etiam prohibitae alienationes de una ecclesia in aliam, cum ubi lex non distinguit neque nos distinguere debeamus: *leg. Non distinguemus ff. de recept. arbitr. leg. Praeses. ff. de officio Praesidis, cap. Quia circa 22. de privileg., cum similibus;* et lex generaliter loquens generaliter sit intelligenda: *leg. 1. §. generaliter ff. De legat. praest.* Et hanc sententiam tenet *Rota part. 4. tom. 2. dec. 234. num. 12,* Abbas in *cap.: Sicut nostri num. 4. de jurejurand., Redoan., Navarr., Rebuff., Gratian., Seraph.* aliique plurimi secundum praxim curiae romanae, quam talem esse testantur etiam doctores contrariae sententiae, et sic declaravit sac. Congreg. Concil. *in una Neapolitana 24. Januarii 1732* his verbis: *Sacra etc. Dubio proposito mature discusso censuit permutationem inter duas ecclesias absque solemnitatibus factam, effectuatam minime sustineri et rectores ipsarum ecclesiarum incidisse in poenas cap. 11. sess. 12. de reformat. et Extravagantis: Ambitiosae; et in visitatione ss. liminum Episcopi Carthaginiensis 11. Junii 1712 ad primum.*

IV. Sine solemnitatibus et beneplacito nequit fieri arborum incisio et venditio, quando incisio et venditio est in magna quantitate cum notabili deterioratione fundi et quando arbores sunt destinatae ad afferendum fructum annuum et non sunt caeduae, ut sunt poma, nuces, castaneae, olivae et aliae hujusmodi primario destinatae ad fructum annuum: harum enim alienatio cadit sub prohibitione, cum defectu ipsarum fundus notabiliter deterioretur. Sic tenent *Rota part. 2. dec. 553. num. 1* et doctores passim. Potest tamen sine beneplacito fieri incisio et venditio arborum, quando sunt vetustae ac inutiles et indigent renovari, ut sunt vites vetustae, malus, arantia vetus et aliae hujusmodi vel quando arbores sunt nimis densae et opacae, cum densitas et opacitas seu membra impediat et noceat fructibus et ex tali incisione fundus evadat fructuosior; vel quando arbores sunt primario destinatae ad caesionem, ut fructificent in ratione ligni, ut sunt arbores silvae caeduae, nemoris et hujusmodi, quae renascuntur et per incisionem sunt in fructu et per earum incisionem fundus non deterioratur sed melioratur adeoque earum incisio et venditio non est prohibita, cum fructus non prohibeantur alienari, ex *cit. Extravagant.: Ambitiosae* ipsos expresse excipiente his verbis: *Praeterquam de fructibus.* Sic *Rota, ubi supra* cum doctoribus passim. Vide *Card. Petram tom. 5. comment. ad constit. 5. Pauli II. scol. 2. num. 12. ad 15,* ubi plura decreta affert ad rem.

V. Sine beneplacito apostolico non possunt bona ecclesiastica sive mobilia pretiosa dividi in plura corpora ad hoc, ut minuatur valor et reducantur ad esse *Terrularum* vel ad aestimationem minorem quadraginta scutis romanis, ut res fiat auctoritate Episcopi alienabilis. Hoc enim esset aperte agere in fraudem legis et absque solemnitate alienare, quae sine ipsa sunt inalienabilia per cit. *Extravag.: Ambitiosae* et alia superius citata jura; et ideo esset totaliter illicita et invalida talis fraudulenta alienatio ratione malae fidei tam alienantis quam emptoris fraudi scienter consentientis. Et sic Clemente VIII. adprobante declaravit sacra Congregatio deputata super moderatione brevis Gregorii XIII. circa bona ecclesiarum dioecesis Parmensis ad Livellum concessa *7. Octobris 1602 in responsione ad primum dubium.*

Bona ecclesiastica, quae excedunt volorem annui redditus quinquaginta ducatorum, non possunt dividi ad hoc, ut diminuatur valor et reducantur infra quadraginta ducatos, ut res fiat alienabilis.

VI. Sine beneplacito apostolico sunt nullae et invalidae locationes seu concessiones ad longum tempus bonorum ecclesiae sive capituli, quamvis fiant inter Canonicos et Beneficiatos ejusdem ecclesiae alienantis, adeoque sunt rescindendae, non obstante contraria consuetudine, quae corruptela dicitur, ut declaravit sac. Congreg. Conc. *in Astens. 26. Junii 1688 confirmata 24. Januarii 1699*

*) Vd. *p. 437.*

et *in Tarent. 5. Martii 1701* et sac. Congr. Episc. *in Bitecten. 20. Decembris 1697.*

VII. Sine beneplacito apostolico non possunt alienari annui census creati ad formam bullae Pianae, quia cum ipsi census sint constituti super rebus immobilibus, quae singulis annis fructificant, connumerantur inter bona immobilia ex *Clementina Exivi* §. *Cumque annui redditus, de verbor. significat.* et *Rota part. 12. decis. 413. num. 70.* Imo si contractus maneat in suo robore et non sit rescissus, neque possunt annui census diminui et reduci ad minorem fructum absque requisitis solemnitatibus, quia diminutio redditus est species alienationis, ut clare docent *Ricc. decis. cur. archiepisc. Neapol. 134. part. 1. per tot. et in praxi part. 1. resol. 87. num. 2; Donatus tom. 2. part. 2. tract. 14. qu. 58. num. 7.* et alii passim. In casu autem, quo capitale census fuerit restitutum, tunc si pro investitione non inveniatur fundus tot reddens redditus, quot reddebat primus, ut si v. g. primus fundus qui reddebat quinque pro centum et nunc non invenitur nisi fundus qui reddat quatuor, tunc valide et licite fieri potest investitio pro minori redditu, cum res tanti valeat, quanti potest; *leg. Pretia rerum, ff. Ad legem Falcidiam.* Sic pariter valida et licita est investitio pro minori redditu in fundo securo, relicta investitione pro majori redditu in fundo periculoso; nam sic utilius geruntur res ecclesiae, cum plus valeant quatuor, v. g. certa, quam quinque vel sex periculosa.

VIII. Sine beneplacito apostolico nequeunt alienari loca Montium seu pecunia collocata in Montibus, quia pecunia sic applicata est fructifera, cum pariat jus exigendi quotannis certae pecuniae summam, adeo ut talis pecunia collocata in Montibus seu ipsa loca Montium connumerentur inter bona immobilia, quae sine beneplacito apostolico alienari non possunt. Sic *Fridericus de Senis, Gabriel. Peregrin., Seraphin., Alciat., Donat., Bonacina* et alii passim et *Rota rom. part. 5. decis. 177. n. 38. et decis. 355. num. 28. et part. 6. decis. 83. num. 15. et part. 12. dec. 413. num. 72 et 73.*

IX. Sine solemnitatibus nequeunt alienari bona ecclesiae, licet sint ita ecclesiae relicta vel donata, ut possint pro libito sine solemnitatibus alienari; quia, cum res legata ecclesiae statim testatore defuncto efficiatur ecclesiastica ministerio legis, dispositio hominis non potest constitutionem canonum immutare: *Gloss. in cap.: Tua nobis, verb. Interdici, de testament.; Quaranta in summa bullar. verb. Alienatio num. 31: Barbosa de offic. et potest. Episc. part. 3. allegat. 95. num. 70; Ventrig., Donat., Passerin., Diana, Monacell.* et alii et expresse *Corrad. prax. dispens. lib. 9. cap. 7. num. 15.* his verbis: *Advertendum est tamen, quod sub pontificatu Urbani VIII. magna desuper orta fuit controversia, nam ita ferente casu post multa hinc inde deducta coram bonae memoriae Aegidio Ursino Datario ac pluribus advocatis informantibus, re etiam ad ipsum Urbanum delata, fuit resolutum negative, nempe prohibitionem alienationis rerum ecclesiae locum sibi vindicare etiam in casu, quo res ita donatur vel legatur ecclesiae, ut possit alienari sine solemnitatibus, quia nihilominus illae requiratur, non obstante dicta voluntate, quae tamquam illicita servanda non est.* Hic tamen observandum est, quod si bona aliqua relinquantur ecclesiae sub conditione, ut talia bona vendantur ad aliquem determinatum effectum, v. g. ut ex illorum pretio emantur lampades vel candelabra argentea vel calices vel alia ad Dei cultum, velut dotentur virgines et similia, tunc possunt alienari talia bona sine solemnitatibus, ut sic adimpleatur mens testatoris, ut tenent *communiter doctores.*

Bona ecclesiastica jam incorporata alienari non possunt sine requisitis solemnitatibus, quamvis sint ecclesiae ita relicta et donata, ut possint pro libito sine solemnitatibus alienari, quia cum res legata ecclesiae statim testatore defuncto efficiatur ecclesiastica ministerio legis, dispositio hominis non potest constitutionem canonum immutare. *Glossa in cap.: Tua nobis verb. Interdici de testament., Corrad. prax dispens. lib. 9. c. 7. num. 15*, ubi sic praecise habet: Advertendum est tamen etc. ut supra. Et sic tenent *Quaranta, Barbosa, Donat., Passerin., Diana, Monacell.* et alii jam citati; *vide* et *Card. Petram tom. 1. comment. ad const. 1. divi Leonis Magni sect. 4. a num. 45.* et *t. 5. comment. ad const. 5. Pauli II. sect. 2. per tot.*, ubi suo more egregie multa habet ad rem.

dd) Species.

Species alienationis est subemphytheusis, per *text. in cap.; Nulli de reb. eccles. non alien. et in leg. fin. de reb. alien.; Valasc. de jur emphyt. quaest. 13. num. 11.*

Die 20. Jan. 1798. *Firmana.*

Permutatio sapit alienationem et venit sub censura *Extravagantis*: *Ambitiosae*, ut tradunt *Card. de Luca de alienat. disc. 16. num. 17; Card. Petra in comment. tom. 1. pag. 157. n. 18.*

Die 16. Febr. 1803.

Directi dominii abdicatio vera est alienatio ideoque requiritur evidens ecclesiae utilitas, ut permittatur, *Clement. I. de rebus eccles. non alienandis, Fagnan. in lib. 3. decret. cap. Nulli eod. tit. num. 8 et 27.*, et ut definivit *s. Congregatio concilii praesertim in Feretrana 18. Julii 1789.*

Die 30. Maji 1818. *Januen.*

Re quidem vera rerum ecclesiasticarum permutatio inter alienationis species accensetur ex jure *Extrav.*: *Ambitiosae de rebus eccles. alien. vel non.* Neminem autem latet res sacras vel ad pios usus destinatas alienari non posse nisi vel necessitas suadeat vel evidens ecclesiae utilitas, *dicta Extrav.*: *Ambitiosae de rebus eccles. alien. vel non, leg. 14 et 27 cod. de sacros. eccles., Nov. 7. cap. 1., Concilii Trident. sess. 22. cap. 11. et sess. 25. cap. 11 de reform.*

Die 6. Mart. 1819. *Adjacen.*

Nemini dubium inter bonorum alienationes lato modo sumptas recenseri permutationes. Sicut vero alienationes illae prohibentur a pluribus conciliorum decretis et sanctorum Pontificum constitutionibus, nec nisi ecclesiae utilitate et rationabili causa concurrentibus permittuntur ex *cap. 1 de reb. eccl. non alienan. et dec. cons. 14. num. 1. vol. 2.*, idem certe dicendum est de permutationibus.

Die 3. Julii 1819. *Alatrina.*

Permutatio species est alienationis; *leg. Si ei, et leg. seq. ff. de jur. dot., leg. Si mulier ff. de pact. dotal.*, proindeque ad legitime permutandum quemadmodum ad valide alienandum omnes requiri solemnitates a jure praescriptas, scilicet discussionem causae, consensum majoris partis et s. Sedis adprobationem, *cap.: Tua de his, quae fiunt a Praelatis, cap.: Ut super de reb. eccles. non alien., cap. Sine exceptione 52 caus. 12. quaest. 2.*

Die 9. Julii 1774. *Meliten.*

ee) Valida quae est?

Vd. *Alienat. bonor. eccles.* (facultas apost. p. 438; solemnitat. p. 473; sine solemnitate quae alienari etc. p. 474 et p. 476; causae.)

Valida est pro foro interno alienatio rei ecclesiasticae, quae fit auctoritate Superioris aliorumque, quorum intersit, consensu, sine ulla fraude ac dolo ex justa causa necessitatis vel utilitatis ecclesiae aut pietatis, quamvis praetermissa fuerit formula juris. Sic *Abbas in cap.: Quia plerique num. 31. de immun. eccles., et cap.: Requisivit num. 19. de in integrum restit.*, ubi probat, quod omnis contractus in foro conscientiae validus sit liciteque retineatur res per ipsum acquisita, quando in eo fuit servatum, quod jus naturale praescribit, scilicet absentia deceptionis et verus contrahentium consensus, licet non fuerit servata forma praescripta a jure positivo. Et sic tenent *Innocen., Riccius, Layman, Engel, Azorius, Navarrus, Zoesius, Anacletus* et alii passim.

ff) Vicarius gener. conced. non potest.

Vd. *p. 455* §. *Circa.*

Vicarium sine speciali Episcopi mandato frustra veniam concedere alienandi bona ecclesiae tradunt *Redoan. de reb. eccl. alienan. quaest. 41. num. 60, Rota cor. Emerix sen. decis. 14. num. 8.*

Die 21. Julii 1827. *Forosembronien.*

3) Bonorum Regularium.

Vd.: *Alienat bonor. eccles.* (per Regulares p. 464; a Monialib. etc. p. 445.)

Decretum sacrae Congregationis Concilii Sanctissimi Domini Nostri Urbani PP. Octavi jussu editum de rebus Regularium non alienandis.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii etc. *vd.: Alienatio bonor. ecclesiast. per regulares Superiores p. 465.*

Congregatio nonnullorum Emmrum S. R. C. Cardinalium ad infrascriptam causam examinandam per SSmum D. N. specialiter deputata censuit: Fratres Hiacynthum del Prado monachum professum Carthusiae de Paulo et Fabianum de Amaia monachum professum Carthusiae de Coris, qui accesserunt ad urbem, ex quo tam in voce quam in scriptis omnia sua jura jam deduxerunt ab eadem quamprimum una cum eorum sociis laicis discedere debere et recto tramite redire ad propria monasteria, subministratis expensis ab iis tantum monasteriis, qui capitulariter eosdem constituerunt procuratores; interim vero quousque a s. Sede maturius provideatur servanda esse statuta edita a capitulo

generali anni 1681, praeterquam in ea parte, in qua disponunt circa recursum ad sanctam Sedem, alienationes bonorum et distributionem reddituum domorum ordinis, sed licere quandocumque supplicare, recurrere et apellare ad eamdem s. Sedem. In alienatione bonorum etiam concurrente utilitate vel necessitate adhibendam solemnitatem beneplaciti apostolici sub poenis contentis in *Extravag. Ambitiosae de reb. eccles. non alienan.*, et redditus superabundantes monasteriorum ordinis distribuendos inter domos pauperes et indigentes ejusdem regni et provinciae tantum, utque celerius reliqua omnia hinc inde deducta terminari possint, bis in mense habendam Congregationem.

Romae 19. Martii 1685.

Et die 19. Aprilis ejusdem anni facta de praemissis relatione SSmo D. N. Sanctitas Sua praedictae Congregationis sententiam benigne approbavit.

G. Card. Carpineus.

B. Panciaticus secret.

(Anal. J. P. 1855. p. 1139.)

Illustrissimi et reverendissimi Domini.

Generalis clericorum regularium exponit humiliter illustrissimis vestris Dominationibus, qualiter ejus religio nullo unquam tempore possedit bona aliqua immobilia animo ea retinendi, cum id expresse prohibeant constitutiones ejusdem religionis, a tali enim possessione voluntarie se abstinet, ut eo liberius et promptius paupertatem Christi imitetur. Et licet stabile quoddam Panormi eidem religioni relictum nondum alienatum sit, hoc fuit inopia emptorum et multitudo litium.

Nunc vero temporis praeposito domus ejusdem civitatis injunctum est a capitulo generali, ut quam citissime quocumque modo illud vendat et quocumque pretio. Quapropter humiliter eadem religio postulat ab hac sacra Congregatione declarari: Non comprehendi sub prohibitione nuper edita, de rebus regularium non alienandis, promittendo prout opus est ex nunc et in futurum juxta formam constitutionum ejusdem religionis firmiter observaturam supradictum institutum, nec ullo unquam tempore recepturam seu accepturam bona aliqua immobilia titulo vel eleemosynae vel donationis vel emptionis vel quocumque alio nisi ad affectum ea vendendi vel pro usu fabricae ecclesiae seu monasterii, et in tantum intendit tale decretum gratiosum sibi suffragari in quantum hujusmodi institutum est servatura.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit: Religionem clericorum regularium Theatinorum, quamdiu institutum superius propositum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus regularium non alienandis.

Cosm. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. C. secr.

(Ibid. p. 1140.)

Neapolitana seu Romana.

Emme et Rmme Domine.

Edito de anno 1624*) ab hac sac. Congregatione decreto de rebus regularium non alienandis, clerici regulares Theatini, qui sectantes apostolicum institutum vivendo ex diurnis obventibus profitentur ex eorum constitutionibus bona immobilia minime acquirere animo retinendi sed illa vendendi eorumque pretium in occurrentes necessitates erogandi, licet exinde tuti fierent ipsos non comprehendi sub dicto decreto, attamen ad cautelam, ne futuris temporibus nulla desuper contingere posset haesitatio, quae retraheret emptores a contrahendo, adiverunt de anno 1625 pro declaratione hanc s. Congregationem, quae rescripsit: Religionem clericorum regularium Theatinorum, quamdiu institutum superius propositum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus regularium non alienandis. Sunt verba decreti:

»Cum autem religio a die fundationis usque in praesenti ejus institutum non acquirendi bona immobilia nisi animo vendendi semper inconcusse servaverit illaque, prout casus evenit, statim ac copia emptoris occurrit, cum sola licentia patris generalis et ejus consultorum distraxerit, absque eo, quod desuper unquam experta fuerit aliquod impedimentum; nihilominus supplex libellus nuper porrectus s. Congregationi ex parte praepositi venerabilis domus s. Pauli civitatis pro facultate vendendi quaedam bona immobilia relicta cum onere missae in perpetuum ad complacentiam emptoris ac relatio desuper data ab Emmo Archiepiscopo Neapolitano ad suggestionem fortasse aliquorum de eadem religione, causam modo praebet reducendi ad trutinam supradictum

*) Vd. *p. 465.*

decretum: an scilicet illud amplius religioni suffragari debeat, quod affirmative videtur resolvendum, cum nihil prorsus occurrat, ex quo revocari possit in dubium.

»Constitutiones siquidem, sub quibus religio haec divinae providentiae commendata fundata fuit a divo Cajetano et quae sunt in viridi observantia, prohibent acquisitionem bonorum immobilium animo retinendi; solumque illam admittunt animo vendendi, ideoque in alienatione eorumdem bonorum, quae fit ex vi constitutionum, nulla requiritur solemnitas, quia alienatio, ubi est necessaria, non venit appellatione alienationis, ut in praecisis terminis hujusmodi constitutionum, *Gratianus discept. 2002. num. 37.* et *Rota coram Buratt. decis. 245.*

»Neque objiciatur huic qualificatae religioni, quae primitivae ecclesiae clericalem observantiam restauravit, illam defecisse a primaevo instituto:

1. Ex quo nunc admittat missas et officia perpetua, quae prohibentur ex constitutione II.: Missas et officia in perpetuum dicenda nulla unquam ratione in congregatione admittant.

2. Ex observantia continua, dum continuatis temporibus nonnullae domus retinuerunt et possederunt non solum bona immobilia oneribus missarum obnoxia, verum etiam alia libera.

3. Ex supposita permissione aliquibus habendi annuos redditus ad eorum vitam duraturos, pariter prohibitos ex constitutionibus. Ex quibus resultante recessu a primaevo instituto esse proinde sibi refrenandam liberam facultatem distrahendi bona immobilia, nec amplius suffragari decretum sub conditione conceptum, quamdiu superius propositum institutum retineat.

Procul enim sit etiam suspicio praetensi recessus sive animi recedendi a primaevo instituto, cui religio firmiter adhaerere profitetur, nec profecto dabitur unquam haereticis praecipue providentiam negantibus solatium videndi religionem adversus ipsos et propugnaculum providentiae institutam ab ejus proposito declinare.

Neutrum autem ex suppositis meretur adduci. Non primum, quia allegata constitutio non prohibet acceptare missas et officia in perpetuum, sed capellas saecularibus exornandas concedi cum conditione religioni onerosa, cujusmodi foret onus celebrari in ea faciendi missas seu officia in perpetuum. Unde talis constitutio poenalis et restrictiva loquens in uno casu non patitur extensionem ad alium, de quo non loquitur, etiam identitas seu majoritas rationis concurreret, *text. in lege cum quidam ff. de lib. et Posth. de Franc. decis. 318; Peuting. dec. 500;* et in fortioribus terminis *Rota coram Coccino decis. 2. num. 4,* ubi, quando dispositio correctoria potest unum vel duos effectus contra jus operari, semper sic venit interpretanda, ut unum tantum operetur et minus corrigat jus commune.

Nec urget quod admissio onerum missarum in perpetuum secum trahat vinculum retinendi bona immobilia ex decreto Urbani VIII. de celebratione missarum, ideoque dicta onera admittere repugnat constitutioni, qua religio excludere voluit bonorum immobilium retentionem, quia statuta religionis edita fuerunt per saeculum antequam superveniret decretum Urbani, et sic tempore, quo nulla lex aderat, quae onus imponeret retinendi certos redditus pro dote missarum; quapropter religio tunc bona acquisita cum onere missarum libere distrahebat, retento onere celebrari faciendi missas injunctas. Unde ex hoc inferri non valet constitutionem simpliciter prohibere facultatem acceptandi missas perpetuas, et licet ex post supervenit vinculum retinendi bona pro dote, hoc evenit ex nova lege dicti decreti, quod uti generale et clausulis derogatoriis derogatoriarum roboratum etiam nostram religionem amplectitur; ideoque hoc sequitur ex necessitate legis, non autem ex voluntate religionis, quae, ne longius recedat ab ejus instituto nisi quantum lex cogit, exinde post prae viribus curavit semper a sacra Congregatione facultatem ex bonis sibi allegatis cum onere missarum retinendi portionem redditus sufficientis pro dote earumdem missarum et reliqua vendendi.

Hinc est, ut nulla vis fieri possit in decreto capituli generalis anni 1641 super receptione missarum, quod scilicet deroget supradictae constitutioni, et de novo statuta posse in posterum onera missarum acceptari, juxta decretum Urbani, quia decretum capituli generalis est derogatorium ipsius constitutionis, ibi: Cum nostrae constitutiones part. 1. cap. 31. statuant ea onera perpetua tantum nullo unquam tempore admitti, quae imponuntur ab aedificante sacellum

generali anni 1681, praeterquam in ea parte, in qua disponunt circa recursum ad sanctam Sedem, alienationes bonorum et distributionem reddituum domorum ordinis, sed licere quandocumque supplicare, recurrere et apellare ad eamdem s. Sedem. In alienatione bonorum etiam concurrente utilitate vel necessitate adhibendam solemnitatem beneplaciti apostolici sub poenis contentis in *Extravag. Ambitiosae de reb. eccles. non alienan.*, et redditus superabundantes monasteriorum ordinis distribuendos inter domos pauperes et indigentes ejusdem regni et provinciae tantum, utque celerius reliqua omnia hinc inde deducta terminari possint, bis in mense habendam Congregationem.

Romae 19. Martii 1685.

Et die 19. Aprilis ejusdem anni facta de praemissis relatione SSmo D. N. Sanctitas Sua praedictae Congregationis sententiam benigne approbavit.

G. Card. Carpineus.

B. Panciaticus secret.

(Anal. J. P. 1855. p. 1139.)

Illustrissimi et reverendissimi Domini.

Generalis clericorum regularium exponit humiliter illustrissimis vestris Dominationibus, qualiter ejus religio nullo unquam tempore possedit bona aliqua immobilia animo ea retinendi, cum id expresse prohibeant constitutiones ejusdem religionis, a tali enim possessione voluntarie se abstinet, ut eo liberius et promptius paupertatem Christi imitetur. Et licet stabile quoddam Panormi eidem religioni relictum nondum alienatum sit, hoc fuit inopia emptorum et multitudo litium.

Nunc vero temporis praeposito domus ejusdem civitatis injunctum est a capitulo generali, ut quam citissime quocumque modo illud vendat et quocumque pretio. Quapropter humiliter eadem religio postulat ab hac sacra Congregatione declarari: Non comprehendi sub prohibitione nuper edita, de rebus regularium non alienandis, promittendo prout opus est ex nunc et in futurum juxta formam constitutionum ejusdem religionis firmiter observaturam supradictum institutum, nec ullo unquam tempore recepturam seu accepturam bona aliqua immobilia titulo vel eleemosynae vel donationis vel emptionis vel quocumque alio nisi ad affectum ea vendendi vel pro usu fabricae ecclesiae seu monasterii, et in tantum intendit tale decretum gratiosum sibi suffragari in quantum hujusmodi institutum est servatura.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit: Religionem clericorum regularium Theatinorum, quamdiu institutum superius propositum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus regularium non alienandis.

Cosm. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. C. secr.

(Ibid. p. 1140.)

Neapolitana seu Romana.

Emme et Rmme Domine.

Edito de anno 1624*) ab hac sac. Congregatione decreto de rebus regularium non alienandis, clerici regulares Theatini, qui sectantes apostolicum institutum vivendo ex diurnis obventibus profitentur ex eorum constitutionibus bona immobilia minime acquirere animo retinendi sed illa vendendi eorumque pretium in occurrentes necessitates erogandi, licet exinde tuti fierent ipsos non comprehendi sub dicto decreto, attamen ad cautelam, ne futuris temporibus nulla desuper contingere posset haesitatio, quae retraheret emptores a contrahendo, adiverunt de anno 1625 pro declaratione hanc s. Congregationem, quae rescripsit: Religionem clericorum regularium Theatinorum, quamdiu institutum superius propositum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus regularium non alienandis. Sunt verba decreti:

»Cum autem religio a die fundationis usque in praesenti ejus institutum non acquirendi bona immobilia nisi animo vendendi semper inconcusse servaverit illaque, prout casus evenit, statim ac copia emptoris occurrit, cum sola licentia patris generalis et ejus consultorum distraxerit, absque eo, quod desuper unquam experta fuerit aliquod impedimentum; nihilominus supplex libellus nuper porrectus s. Congregationi ex parte praepositi venerabilis domus s. Pauli civitatis pro facultate vendendi quaedam bona immobilia relicta cum onere missae in perpetuum ad complacentiam emptoris ac relatio desuper data ab Emmo Archiepiscopo Neapolitano ad suggestionem fortasse aliquorum de eadem religione, causam modo praebet reducendi ad trutinam supradictum

*) Vd. *p. 465.*

decretum: an scilicet illud amplius religioni suffragari debeat, quod affirmative videtur resolvendum, cum nihil prorsus occurrat, ex quo revocari possit in dubium.

»Constitutiones siquidem, sub quibus religio haec divinae providentiae commendata fundata fuit a divo Cajetano et quae sunt in viridi observantia, prohibent acquisitionem bonorum immobilium animo retinendi; solumque illam admittunt animo vendendi, ideoque in alienatione eorumdem bonorum, quae fit ex vi constitutionum, nulla requiritur solemnitas, quia alienatio, ubi est necessaria, non venit appellatione alienationis, ut in praecisis terminis hujusmodi constitutionum, *Gratianus discept. 2002. num. 37.* et *Rota coram Buratt. decis. 245.*

»Neque objiciatur huic qualificatae religioni, quae primitivae ecclesiae clericalem observantiam restauravit, illam defecisse a primaevo instituto:

1. Ex quo nunc admittat missas et officia perpetua, quae prohibentur ex constitutione II.: Missas et officia in perpetuum dicenda nulla unquam ratione in congregatione admittant.

2. Ex observantia continua, dum continuatis temporibus nonnullae domus retinuerunt et possederunt non solum bona immobilia oneribus missarum obnoxia, verum etiam alia libera.

3. Ex supposita permissione aliquibus habendi annuos redditus ad eorum vitam duraturos, pariter prohibitos ex constitutionibus. Ex quibus resultante recessu a primaevo instituto esse proinde sibi refrenandam liberam facultatem distrahendi bona immobilia, nec amplius suffragari decretum sub conditione conceptum, quamdiu superius propositum institutum retineat.

Procul enim sit etiam suspicio praetensi recessus sive animi recedendi a primaevo instituto, cui religio firmiter adhaerere profitetur, nec profecto dabitur unquam haereticis praecipue providentiam negantibus solatium videndi religionem adversus ipsos et propugnaculum providentiae institutam ab ejus proposito declinare.

Neutrum autem ex suppositis meretur adduci. Non primum, quia allegata constitutio non prohibet acceptare missas et officia in perpetuum, sed capellas saecularibus exornandas concedi cum conditione religioni onerosa, cujusmodi foret onus celebrari in ea faciendi missas seu officia in perpetuum. Unde talis constitutio poenalis et restrictiva loquens in uno casu non patitur extensionem ad alium, de quo non loquitur, etiam identitas seu majoritas rationis concurreret, *text. in lege cum quidam ff. de lib. et Posth. de Franc. decis. 318; Peuting. dec. 500;* et in fortioribus terminis *Rota coram Coccino decis. 2. num. 4,* ubi, quando dispositio correctoria potest unum vel duos effectus contra jus operari, semper sic venit interpretanda, ut unum tantum operetur et minus corrigat jus commune.

Nec urget quod admissio onerum missarum in perpetuum secum trahat vinculum retinendi bona immobilia ex decreto Urbani VIII. de celebratione missarum, ideoque dicta onera admittere repugnat constitutioni, qua religio excludere voluit bonorum immobilium retentionem, quia statuta religionis edita fuerunt per saeculum antequam superveniret decretum Urbani, et sic tempore, quo nulla lex aderat, quae onus imponeret retinendi certos redditus pro dote missarum; quapropter religio tunc bona acquisita cum onere missarum libere distrahebat, retento onere celebrari faciendi missas injunctas. Unde ex hoc inferri non valet constitutionem simpliciter prohibere facultatem acceptandi missas perpetuas, et licet ex post supervenit vinculum retinendi bona pro dote, hoc evenit ex nova lege dicti decreti, quod uti generale et clausulis derogatoriis derogatoriarum roboratum etiam nostram religionem amplectitur; ideoque hoc sequitur ex necessitate legis, non autem ex voluntate religionis, quae, ne longius recedat ab ejus instituto nisi quantum lex cogit, exinde post prae viribus curavit semper a sacra Congregatione facultatem ex bonis sibi allegatis cum onere missarum retinendi portionem redditus sufficientis pro dote earumdem missarum et reliqua vendendi.

Hinc est, ut nulla vis fieri possit in decreto capituli generalis anni 1641 super receptione missarum, quod scilicet deroget supradictae constitutioni, et de novo statuta posse in posterum onera missarum acceptari, juxta decretum Urbani, quia decretum capituli generalis est derogatorium ipsius constitutionis, ibi: Cum nostrae constitutiones part. 1. cap. 31. statuant ea onera perpetua tantum nullo unquam tempore admitti, quae imponuntur ab aedificante sacellum

aliquod in nostris ecclesiis, non autem excludant bona et redditus assignatos pro celebratione missarum etc., et proinde non alterat constitutionem; cum natura declarationis sit nihil addere de novo aut minuere sed tantum ostendere quod in praeteritum actum sit. *Rota, decis. 84. part. 10; et decis. 159. part. 15. Recent.* In nihilo refragantibus verbis adjectis, quatenus opus sit, derogat supradictae constitutioni et de novo statuit; quia dicta verba censentur apposita ad cautelam pro majori firmitate, non autem ad inducendam novam dispositionem contrariam praecedenti, quam declarat, stante clausula, quatenus opus sit. *Recen. cons. 25. lib. 1. Rota decis. 309. part. 15;* et magis in puncto *decis. 404. part. 16. Recent.* ubi statutum declarans utitur aliquo verbo, propter quod videtur induci novum jus.

Minus subsistit allegata observantia in contrarium desumpta, ex eo, quia nonnullae domus religionis retineant bona immobilia etiam ab onere missarum exempta, sive ex eo, quia pluries adiverint hanc s. Congregationem pro facultate alienandi; nam facilis est responsio ad utrumque motivum. Etenim ad primum, quia, licet ab aliquibus domibus religionis per aliquod temporis spatium retineantur sibi obventa immobilia, hoc tamen sequitur non ex deliberatione illa retinendi in perpetuum, sed ex necessitate ob inopiam emptorum, quibus justo pretio distrahi possint. Unde haec momentanea possessio non repugnat nostris constitutionibus, ut ex individuo advertunt *Gratianus discept. 202;* et *Rota coram Buratt. decis. 245.* Et hujusmodi responsione conciliantur exempla decanata ex adverso et specie domus Panormitanae, quae retinet praedium delle fischerazze, feudum nobile cum mero et mixto imperio, quia tantum abest quod unquam dicta domus et ipsa religio habuerit in eo animum retinendi, licet hoc potuissent justo titulo, utpote sibi relicto pro fabrica ecclesiae, quo casu constitutiones retentionem permittunt, quod nihilominus patres dictae domus de anno 1625 inhaerendo mandatis capituli generalis de vendendo dictum praedium quanto citius et quocumque pretio illud vendiderunt pro scutatis 55 mille principi Volguarnerae: quo deficiente in solutione pretii et detecta enormissima laesione ob ejus valorem scut. 100 mill. et ultra coacti fuerunt patres illud recuperare et ob deficientiam emptorum retinere usque in praesenti, nunquam vero praetermissis diligentiis pro revenditione precibus etiam porrectis s. Congregationi ad effectum illud vendendi in partes, prout occasio evenerit, ut ex supplici libello nuper porrecto et Archiepiscopo Panormitano remisso pro informatione. Ultra quod etiamsi subsisteret nonnullas domus animo delibarato possidendi retinuisse bona immobilia, factum particulare non est sufficiens ad inducendam observantiam contrariam constitutionibus religionis maxime a Sede apostolica confirmatis, quia ad hunc effectum requiritur actus collegialiter factus et cum licentia ejusdem Sedis apostolicae, quae per confirmationem dicitur proprias facere constitutiones religionis, quibus propterea nec ipsamet religio posset derogare.

Ad secundum, quod licet aliquando requisita fuerit facultas alienandi a s. Congregatione, hoc semper accidebat vel quia bona erant addicta oneribus missarum pro earum dote juxta decretum Urbani vel relicta pro fabrica ecclesiae, in utroque casu exceptuata a constitutionibus; ideo in eorum alienatione requisita fuit licentia sacrae Congregationis, quia emptores pro eorum majori cautela et securitate hanc licentiam obtinendi in conventionem deduxerant ideoque de illa nulla ratio haberi potest in praejudicium facultatem religionis alioquin libere disponendi.

Denique non subsistit tertium objectum scilicet assertae permissionis retinendi annuos redditus prohibitos per constitutiones, ibi: Novitiis nostris, dum bonis suis ante professionem renunciant, annuos redditus quoad ipsi vixerint nostrae religioni ut relinquant, non permittatur, nec procuret item aliquis ex nostris, sive professus sit sive novitius, ut sibi quoad vixerit annui redditus a parentibus, consanguineis aliisque relinquantur. — Nam in facto non subsistit hanc suppositam retentionem a religione permitti et quamvis nonnulli ex gratuita largitione consanguineorum quasdam annualitates et vitalitias praestationes recipiant, hae tamen non veniunt sub nomine annuorum reddituum nec fiunt in actu renunciationis religiosi, sive ejus contemplatione, et ad procurationem eorumdem religiosorum; qui sunt termini, in quibus loquuntur constitutiones.

Caeterum de eis nec ulla esset habenda ratio. Inolevit enim consuetudo per ecclesiam tolerata circa hujusmodi annuallitates dummodo tamen pecuniae retineantur in deposito in arco monasterii atque exinde recipiat religiosus de manu superioris, erogaturus in usus ipsos eidem superiori notificatos, ut de illa testatur *de Luca de Regularibus, disc. 17.* Alias enim si ita rigorose in hac materia procederetur, omnes quidem religiones Mendicantium etiam strictiores observantiae invenirentur a proprio instituto alienatae.

Praeterea extraneum est hoc objectum in casu, quo versamur, ex conjecturata mente s. Congregationis, quae fuit per illa verba: »Quamdiu institutum superius propositum retineat«, respicere ad casum intrinsecum abrogationis primaevi instituti, ex quo de incapacibus acquirendi animo possidendi fierent capaces, non autem ad casum extrinsecum laxati vigoris primaevae observantiae regularis, quae in quacumque religione arctiorem paupertatem profitente in diem experitur et toleratur.

Ex his cessant opposita et inconcussum remanet religionem nihil penitus se abdicasse ab ejus primaevo instituto non acquirendi animo retinendi bona immobilia, nisi quantum Urbani nova lex cogit quoad immobilia oneri missarum abnoxia. Quapropter, sicuti fuit usque adhuc, ita remanere debet exempta a vinculo decreti de rebus Regularium non alienandis. Aliter enim esset evertere ipsam religionem ecclesiae Dei benemeritam et praecipue fundatam in hoc adeo laudabili instituto voluntariae incapacitatis retinendi immobilia animo possidendi et absolute vivendi sub cura divina providentiae et provida sollicitudine ejus sancti patris Cajetani alienam a cupiditate acquirendi, quae, ubi praepollet, trahit in perniciem religiones eminentiores.

Charitas vero scholarium et provida cura divi Cajetani non frigescit; frigescit solum fides illorum qui diffidentes modo de providentia, qua usque in praesenti fuerunt in religione nutriti, cupiunt introducere retentionem immobilium et cum ea supplantare religionem, quae voluntaria paupertate in gradu magis perfecto non retinendi nec minus petendi supereminet aliis.

Quare etc. Joseph Syllanus.

S. C. resp.:

Affirmative quoad bona immobilia recepta cum onere perpetuo, negative quoad bona recepta sine tali onere et cum animo non retinendi.

(Anal. J. P. 1866. p. 228.)

Quantum enim attinet ad bona religioni data et per eam recepta cum onere perpetuo, nedum vigent decreta Urbani VIII. *) sed etiam factum ipsum receptionis animo retinendi et adimplendi onera injuncta, per regulam: Qui vult consequens vult antecedens. Ideoque talia bona sic recepta nomine religionis animo retinendi subjacent prohibitioni alienationis, ut bona quaesita ecclesiae vero titulo acquisitionis, quinimo subjacent etiam prohibitioni benefactorum volentium perpetui oneris implementum.

Quo vero ad bona recepta sine onere perpetuo et cum animo non retinendi viget decretum sac. Congregationis relatum *a Novar. in summa Bullar. pag. I. commentar. 6 ad num. 19*, ubi etiam referuntur privilegia Theatinorum de recipiendo ad effectum alienandi sine jure quaesito ecclesiae ad retinendum.

(Ibid.)

Theatinorum.

Facultatis alienandi.

Cum P. Praepositus domus Theatinorum Neapolis petiisset facultatem alienandi praedium missarum oneri obnoxium in ea parte, quae oneri supererat, data fuit occasio Emmo D. Cardinali Archiepiscopo infrascriptum dubium excitandi, pro quo repetendum est, quod anno 1624 jussu sa. me. Urbani VIII **) editum fuit decretum, quo Regularibus interdicebatur bonorum alienationem absque hujus s. Congregationis licentia; sed cum clerici regulares Theatini exposuissent ipsos nunquam possedisse stabilia animo ea retinendi, quoniam constitutiones id expresse prohibent atque in tali possessione voluntarie se abstinuent, eadem s. Congregatio censuit istos, quamdiu institutum hujusmodi retinerent, quoad bona immobilia non comprehendi in dicta prohibitione.«

»Sed postmodum anno 1641 et 1650 in capitulis generalibus derogarunt constitutionibus de non acceptandis perpetuis missarum oneribus et subinde stabilia sub hoc titulo

*) Vd. p. 465.
**) Vd. p. 465.

possidere coeperunt ac etiam in pluribus domibus stabilia libere retinentur, imo vitalitii particularis usus per constitutiones prohibitus hodie permittitur, quia frige facta fidelium charitate, sibi ista conficiunt ut vivant, ac forte potius conveniens foret, ut bona possiderent in communi quam in particulari. Ideo cum hodie dicti Regulares non videantur conservare antiquum institutum et libertas pro libitu alienandi videtur caedere in damnum domorum Regularinm, monito procuratore generali ad informandum quaeritur?«

»*An religio clericorum regularium Theatinorum in praesens comprehendatur in decretis de rebus Regularium non alienandis.*«

»Sacra Congregatio Concilii rescripsit: Dilata et ad mentem. Mens est, quod denegatur licentia.

Die 25. Februarii 1679.

(Ibid. pag. 332.)

4) Pensionis ex beneficio perceptae.

Quidam sacerdos pensionem obtinens super beneficio ecclesiastico, ut summam quandam pro suis necessitatibus promptam haberet, pensionem suam cedere volebat *alla cassa privilegiata di Assicurazione* in alma urbe institutae juxta peculiares ejusdem conventiones. Cum autem vereretur, ne hujusmodi cessiones constitutionibus apostolicis praesertim *Extravag. Ambitiosae* et const. *Bened. XIV. incip.: Universalis 29. Aug. 1741.* adversaretur, a sanctissimo D. N. facultatem expetivit.

Re proposita S. C. Ep. et Reg. in generali auditorio diei 14. Febr. 1840 cum tribus dubiis:

1. Se per l'alienazione de' frutti delle pensioni sia necessario il beneplacito apostolico? Et quatenus affirmative,

2. Sé nel caso convenga accordarlo?

3. Se e quale provedimento si abbia a prendere per le cessioni già fatte?

rescripsit *ad 1: Negative;* nisi agatur de pensionibus constitutis in titulum sacri patrimonii vel de alienatione vetita in bulla Bened. XIV.: *In sublimi 29. Aug. 1741.*

Ad 2 et 3: Provisum in primo.

At nihilominus paulo post eadem S. C. die 12. Martii 1840 decretum, quod sequitur, emanavit. »Cum sanctissimo D. N. certo relatum fuerit, complures ex iis, qui pensiones ex apostolicae Sedis benignitate super ecclesiastica beneficia sunt adepti, pacisci statis conditionibus cum eo, qui certam pecuniae summam numeraverit, ut deinceps vel ad tempus vel ad vitae ipsorum exitum libere easdem praestitutis temporibus a beneficiario percipiat; cumque pactiones hujusmodi pro contrahentium arbitratu licentius conciliatae indecorum quiddam de iis commercium inducere videantur, quod fideli populo admirationi quandoque est, vimque sternant forensibus actionibus, quae non sine ecclesiasticae rei dedecore publice instituuntur, atque illud praeterea ut plurimum inferant damni, ut brevi insumantur, quae in totius vitae commodum liberalitas Pontificum impertiverat, eadem Sanctitas Sua pro ea, qua praestat impensissima sollicitudine, ad haec aliaque id genus mala ex libero earum conventionum usu gliscentia praecavenda, de apostolicae potestatis plenitudine districte mandavit, ne in posterum liceat memoratos contractus, quibus unica etiam quam dicunt commoditas pensionis percipienda in alium transferatur, quovis cessionis, translationis, alienationis titulo de pensionibus ecclesiasticis conficere, nisi habito prius ea de re speciali apostolico beneplacito. Hoc porro decretum per Congregationem negotiis et consultationibus Ep. et Reg. praepositam edi et in ejusdem notis servari illudque executioni per eos, ad quos spectat, mandari jussit; contrariis quibuscumque etc.

Datum ex secretaria S. C. Ep. et Reg. hac die 12. Martii 1840.«

Alimenta.

1) Clerici beneficio privati vel suspensi.

Clerici privati beneficiis ecclesiasticis, ad quorum titulum ordinati fuerunt, nullum *jus* habent pro consecutione alimentorum super eorum fructibus, quamvis non habeant aliunde, quo se alere possint. Sic *Monacell. tom. 4. supplement. ad 2. n. 410,* cum *Pignatell.*, ubi testatur pluries sacram Congregationem Concilii declarasse posse ipsos ob sua demerita privari beneficiis absque ulla praeservatione alimentorum, et signanter *in Firmana 30. Maji 1665, in Romana 18. Mart. 1684.* et *in Vercellens. 15. Decembris 1690*, uti refert *tom. 2. tit. 23. formula 3. num. 22.* et *in Asculana 13. Augusti 1707 ad 1*, ubi de Canonico Collegiatae, qui canonicatum loco patrimonii pro congrua sustentatione subrogari obtinuerat. Clericus a beneficio suspensus, si aliunde non habeat, debet ex fructibus illius alimenta percipere, *Glossa in cap.: Cum Vintoniensis ecclesia 25, de electione, verb.: Administrant*, et alia *Gloss. in cap.: Studeat 39. dist. 30. verb.: Et sui; Monacell. t. 4. supplement. ad tom. 3. num. 8.*

2) Excommunicati.

Pater tenetur alimenta praestare etiam filio excommunicato, cum excommunicatio non eximat ab obsequiis a jure naturali debitis filio. *Surdus de alimentis titul. 1. qu. 19. num. 13, Pontanus de alimentis cap. 2. num. 14; Megala part. 2. lib. 2. c. 2. q. 5. num. 15;* et alii passim.

Cum hac tamen advertentia, quod si filius sua culpa pertinaciter perseveret in excommunicatione, cum possit ab illa absolvi, pater non tenetur ei alimenta praestare nisi juxta necessitatem naturae, quia praestando pinguiora alimenta tali filio pertinaci in excommunicatione tribueret ei ansam perseverandi in ea et e contra subtrahendo ei talia pinguiora alimenta, subtraheret etiam ansam talis perversae perseverantiae. Si vero filius sine sua culpa perseveret in excommunicatione, tenetur pater ei praestare alimenta juxta decentiam et convenientiam sui status, *arg. cap. Inter alia 31. de sentent. excommunicat.*, ubi habetur, quod per supervenientem sententiam excommunicationis non liberetur pater a debito obsequio, ad quod antea tenebatur, nec ipsa excommunicatio privat bonis et juribus temporalibus, quibus excommunicatus gaudebat ante eamdem excommunicationem, *Joann. Angelus Bossius tract. de effect. matrim. part. 2. cap. 5. n. 119; Azonius part. 2. lib. 2. cap. 4. qu. 8, Trullench. in decalog. lib. 4. cap. 1. dub. 3. num. 10,* et alii.

Item Pater, quamvis non teneatur praestare alimenta juxta decentiam et convenientiam sui status et conditionis filio in haeresi pertinaci propter rationem supra adductam, tenetur tamen regulariter ei praestare alimenta juxta necessitatem naturae, quia non cessant jura sanguinis et naturalis pietatis ex eo, quod filius inciderit in haeresim et in ipsa pertinax perseveret, praesertim cum sic possit subesse spes eum quandoque ab haeresi revocandi; *Joann. Angel. Bossius loc. cit. num. 123., Fagundez in decalog. lib. 4. cap. 2. n. 6, Azorius part. 2. lib. 2. cap. 4. qu. 10* et alii.

Dicitur tamen notanter *regulariter*, quia si filius haereticus per falsa dogmata niteretur alios ad haeresim perducere, tunc tamquam actuali publico hosti et rebelli ecclesiae et catholicae patriae possent juste denegari alimenta, etiam ei necessaria, secundum exigentiam naturae.

3) Filii illegitimi et spurii ejusque uxoris.

Vd. *Adulterium* (adultera etc. pag. 242. num. 2.)

Pater tenetur praestare alimenta etiam uxori sui filii illegitimi ac spurii; *Joan. Nicolaus Lucidorus de illegit. clericorum c. 22. num. 15; Joann. Angelus Possius loco cit.; Palaeotos de Nothhis cap. 47. num. 7;* et alii. Et ratio est, quia ex *cap.: Cum habere 5.* de eo qui duxit in matrimonium, quam polluerat adulterio, pater tenetur praestare etiam filiis, quomodocumque illegitimis alimenta et omnia necessaria, inter quae veniunt enumeranda etiam alimenta uxoris, ut in terminis tenent *Covarruvias de sponsalibus part. 2. cap. 8. num. 56; Peregrinus de jure fisci lib. 3. tit. 18. num. 63; Bossius*, et alii.

4) Monialis ejectae.

Vd.: *Alimenta* (regularis ejecti.)

5) Monialis a consororibus expulsae et saecularizatae.

Jusserat sacra Congregatio negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, ut quaedam sanctimonialis ob ejus indolem irrequietam et monasticae disciplinae dissentaneam certo tempore ad vitam saecularem remearet ac in aliquo pio loco aut etiam penes honestam matronam collocaretur. At vero in domum quamdam poenalem sine ulla ejusdem auctoritate conjecta fuit. S. Congregatio tum imperavit, ut in monasterium regrederetur. Quod ne fieret, consorores omni ope incubuerunt; quin imo effecerunt, ut saecularizationem perpetuam eadem posset obtinere.

Interim impetraverat, ut a monasterio alimenta in summa scut. 7 in singulos menses perciperet; quae summa, pacto inito inter monasterium et ipsam, ad scut. 5 redacta fuerat. Sed renuentibus monasterii moderatoribus alimentariam quamlibet ulterius praestationem, cum summa dotis ab eadem collatae tenuis erat, nempe scut. 250, et aliunde monasterii census exiguus dicebatur, causa in pleno auditorio sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium exposita fuit, dubioque proposito: *1. Se ed in qual somma e sin da quale epoca sia dovuta l'alimentaria mensile prestazione all' exreligiosa N. N. nel caso? et quatenus negative. 2. Se e comme debba ammetersi la dimanda delle Monache di restituirle o in tutto o in parte la dote, o di pagarle i frutti del capitale residuo detratta la somma indebitamente pagata, ovvero debba la detta N. N. riammettersi nel monastero?* S. Congregatio *in Anagnina Alimentorum diei 4. Martii 1832* respondit

ad 1: *Affirmative pro scutatis tribus mensruis incipien. a Januario hujus anni facto verbo cum Sanctissimo.*

Ad 2: *Provisum in primo.*

Et rursus eodem anno die 29. Julii proposita cum dubio:

Se si debba stare alla decisione già data ovvero recedere dalla medesima. Responsum est: Praemisso quod dos cedere debeat favore monasterii, in decisis et amplius.

6) Patroni beneficii.

Vd. *Patronus* (alimenta).

7) Regularis ejecti.

Pater tenetur praestare alimenta filio Monacho juste ejecto a religione, si ipse aliunde non habeat, quo se alat. *Azorius part. 2. cap. 4. q. 9; Filliucius t. 2. tract. 23. cap. 3 n. 35; Rosignol. de effectibus matrimonii contract. 15. de matrimonio IX. praenot. 10. n. 11* et alii. Et ratio est, quia ex eo, quod factus fuerit Monachus subinde ob ejus culpam ejectus a religione non desinit esse eidem patri filius nec deficit titulus naturalis pietatis. Et aliunde ex eo, quod juste ejectus sit a religione, desinit esse filius religionis nec religio intelligitur se obbligasse ad alimenta ei praestanda nisi pro tempore, quo eidem inserviret.

Sic nec religiosi praeclarissimae societatis Jesu, qui post vota simplicia ante solemnem professionem a dicta societate dimittuntur, ulla ab eadem societate praetendere possunt alimenta aut congruam sustentationem, licet, dum in ea viverent, titulo religiosae paupertatis ad sacros ordines, etiam presbyteratus, promoti fuerint. Sic novissime expresse statuit *Bened. XIII. constit. incip.: Injuncti nobis.*

Monachus seu Regularis injuste ejectus potest compellere monasterium seu religionem ad alimenta futura et etiam praeterita, si illa mutuo accepit. Per talem enim injustam ejectionem non amittit ejectus jura monasterii seu religionis nec desinit esse ejus filius adeoque non est, cur religio non teneatur eumdem professum alere, cum injusta ejectio perinde sit, ac si non esset ejectio. Idem enim est aliquid non esse factum et nulliter factum, *arg. l. Si se non obtulit 4. §. 6. ff. de re judicata*, et quod nullum est, nullum producit effectum, *cap. Illud 8. de jure patronat.*

Sic etiam, lite pendente pro validitate expulsionis ejectus debet ali ex bonis monasterii, donec sit lata sententia de justitia aut injustitia illius.

Alimenta non sunt praestanda a primo monasterio regulari aut moniali ad aliud monasterium transeunti, quamvis penes primum monasterium remaneant dos et alia bona, *Card. Petra tom. 4. comment. in constitut. 16. Eugenii IV. num. 17.*, cum pluribus ibi adductis, testans sic specialiter quoad monialem transeuntem decisum fuisse, *Corrad. in praxi dispensat. lib. 5. cap. 15. num. 14. vers.: Postmodum*, ubi adducit resolutionem Congregationis particularis ab Urbano VIII. deputatam. *Surdus de alimentis tit. 9. qu. 7. num. 1. 16. et seq.* et alii.

Alimenta praestare tenetur monasterium regulari in aliud monasterium incluso pro poenitentia peragenda. In tali enim casu cum non solvatur ab obedientia primi monasterii, merito ab ipso alendum esse decernitur *cap. de lapsis 5. caus. 16. q. 6; Covarruvias in cap. 1. num. 20. de testamentis, Sanchez in summa lib. 7. cap. 32. num. 46; Molina de justitia t. 10. disp. 140; Cardin. Petra loco cit. num. 18*, et alii.

Alimenta et religio praestare tenetur regularibus detentis in carceribus s. Officii, dummodo religio non sit de iis, quae in communi non possident, *Card. Albit. de inconstantia in fide cap. 22. num. 62 et 63; Card. Petra loc. cit. num. 18*; *Pignat. t. 8. consult. 62. num. 34* et alii.

Alimenta a novitia solvi non debent monasterio, si eamdem teneatur recipere et ad habitum et ad professionem sine dote. Secus autem si dicatur solum a testatore, quod monasterium teneatur eamdem recipere ad professionem sine dote, *Card. Petra 1. 3. comm. in constit. 12. Innocent. IV. num. 51 et 52*, ita explicans responsionem quamdam sacrae Congregationis in *Spoletana Alimentorum 23. Aug. 1670. lib. 23. decret. pag. 399*, ubi proposito dubio:

An sint solvenda praetensa alimenta monasterio Monialium?

S. C. resp.: Negative.

Monachus seu Monialis pendente lite super validitate suae professionis, si sine debita licentia degat extra monasterium, non potest ab ipso alimenta praetendere praesertim attento decreto *concilii Tridentini cap. 19. sess. 25. de Regularib.*, quod non possit audiri professus, nisi reassumpto habitu ad monasterium redierit, cui si talis Monachus vel Monialis obtemperasset, non egeret alimentis; unde sibi debet imputare, neque ex sua contumacia potest reportare commodum *per textum in cap.: Non omnis 2. caus. 5. q. 5.*, ubi ex verbis s. Augustini expresse dicitur: Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiae seductus acquiescat.

Ideoque nullam meretur indulgentiam, ut habetur in *leg. penult. Cod. de jure dotium in leg. Si fidejussor. §. Si necessaria, ff. Qui satisdare cog.*, et *cap.: Intelleximus de judic.* et late probat pluribus adductis *Pignatell. tom. 9. consult. 177. num. 4.* Si vero ex aliqua causa collocetur de ordine sacrae Congregationis in alio monasterio, donec causa terminetur, tunc debet habere etiam ibi alimenta a proprio monasterio, quia per ipsum non stat in hoc permanere, arg. *cap.: Cum non stat, 66. de Reg. jur. in 6 et in terminis Card. Petra tom. 2. comment. in constit. 7. Innocent. III. sect. unica num. 17.*

Relate ad ea, quae tradita sunt supra, affertur decretum supremae et universalis Inquisitionis romanae, quo Fratres Minores de Observantia Reformati et Capuccini declarantur exempti a solutione alimentorum pro iis, qui in dicto tribunali carceri sunt mancipati.

Feria III. die 15. Julii 1732.

Lectis literis P. Inquisitoris regii datis die 13. Junii proximi, quibus significat PP. ordin. Min. Observant. dictae civitatis recusare solutionem alimentorum, quae ab illa Inquisitione praestantur P . . . . in carceribus dicti s. Officii detento et ad carceres arbitrio sacrae Congregationis, ob praetensam sollicitudinem in confessione, damnato cum perpetuo inhabilitatione ad audiendas confessiones sacramentales; et ideo supplicat ei rescribi, quomodo se gerere debeat; et relato decreto edito die 3. Augusti 1707 et epistola illius vigore scripta P. Inquisitori Arimini in simili casu, nempe Capuccinos Fratres ordin. Min. Observ. Reformat. aliosque regulares, qui dietim vivunt ex eleemosynis, non teneri ad solutionem expensarum cibariarum.

Eminentissimi dixerunt: *Servandum decretum editum die 3. Augusti 1707.*

De alimentis praestandis a monasterio Monacho vel Moniali tum intra ipsum monasterium fere omnibus distinctis casibus agit *Card. Petra in comm. const. apost. const. 7. Innocentii III. sect. unic. per tot.*

8) Regularis religione dissoluta a donatario alendus est.

Si religiosus in religionis ingressu bona sua alicui donaverit, religione dissoluta eoque ad saeculum redeunte, tenetur donatarius eidem alimenta praestare, si ille non habeat unde vivat; sin minus datur locus donatio-

nis revocationi et possessionis regressui ex venia Pontificis.

Cum enim in proxima regni Hispanici perturbatione omnes religiones subversae fuissent ac Monachi libere et sine ulla victus assignatione dimitterentur, P. Philippus Layglesia Ex-Provincialis ordinis B. M. V. redemptionis captivorum, qui fratribus suis pro aequali fortunas suas post mortem consequendas, obtenta venia reservandi sibi, dum viveret, usumfructum, renunciaverat, exul a patria, senex, caecus apud quemdam nepotem suum confugium habuit, a quo omnia, quae ad vitae necessitatem commoditatemque pertinent, perabundanter est assecutus; et caeteroquin redditus ex memorato usufructu obvenientes ejusdem substentationi prorsus impares agnoscebantur.

Hujusce sui nepotis beneficientia remunerari cupiens, praesertim cum ille multa prole gravaretur, a sacra Congregatione negotiis Episcoporum et Regularium praeposita expostulavit, ut revocata praedicta donatione de bonis donatis in ejusdem utilitatem disponere permitteretur.

Ad has preces *in Oriolen. super facultate disponendi* dubium disceptatum est: *Se e come convenga annuire all'istanza dell' oratore nel caso?* Et in plenario auditorio *diei 10. Martii 1843* rescriptum est: *Affirmative praemissa insinuatione donatariis ad alimenta praestanda, sin minus pro facultate revocandi donationem et disponendi de bonis per actum vel inter vivos vel causa mortis favore nepotis, de quo in precibus, facto verbo cum Sanctissimo.*

Almutia.

1) Archipresbyteri.

Pennen.

Pro parte et ad instantiam Archidiaconi ecclesiae Pennen. a sacra Congregatione quaesitum fuit: An Episcopus potuerit concedere licentiam nonnullis Archipresbyteris collegiatarum ecclesiarum suae dioecesis, ut possint deferre almutias sive caputia cum pellibus, prout utuntur Archidiaconus et Canonici ecclesiae Cathedralis Pennen. Eadem sacra Congregatio, audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinali Mudi, cui haec causa commissa fuerat, respondit: Episcopum non potuisse concedere hujusmodi licentiam et ita debere Archipresbyteros abstinere à delatione dictorum caputiorum et illa deponere.

Et ita censuit et declaravit die 30. Julii 1616.

(Anal. J. P. Ser. VII. pag. 141. Romae 1864.)

2) Canonicorum Cathedr.

(Color, materia.)

Caesaraugustana.

Cum alias sub die 24. Octobris 1609 a sacra Congregatione declaratum fuerit: Posse concedi Dignitatibus et Canonicis ecclesiae Caesaraugustanae, qui prius cappas nigras hyemali tempore deferebant (sed alii laneas alii sericeas), ut omnes uniformiter hyemali tempore cappas laneas violacei coloris deferre possint et valeant, et a nonnullis dubitatum fuerit: An festivo tempore liceat dictis Dignitatibus et Canonicis deferre almutias violacei coloris, cum de almutiis nulla fuerit in dicto decreto facta mentio et prius ante dictam concessionem Canonici et Dignitates nigras almutias deferre consueverint, pro hujusmodi dubii resolutione ad eamdem sacram Congregationem recursum habuerunt.

Quae quidem sacra Congregatio censuit: Colorem violaceum concessum Dignitatibus et Canonicis in cappis hyemali tempore etiam in almutiis aestivo tempore esse concessum intelligi et ad omne dubium tollendum concedendum declaravit.

Die 20. Novembris 1610.

(Anal. J. P. Ser. VII. pag. 112. n. 372. Ed. Romae 1864).

Thelesina.

Canonici Thelesinae Cathedralis s. Congregationi exposuerunt, mozzettas, novissime ab eis assumptas, prorsus conformari mozzettis, quibus utuntur Canonici Isernienses et Bojanenses, prout Vicarius generalis, ex quo ignoraretur, antiqua forma canonicalium insignium per ipsos oratores assumi praeceperat. Audito

demum Episcopo, qui praeterea tenuitatem praebendarum canonicalium adjicit, qua Canonicis redditur difficile, ut sibi provideant de almutiis pellicatis, S. C. in decretis persistendum esse censuit et prohiberi oratoribus usum mozzettarum, ita ut nisi possint almutias emere insigniis potius careant, quam non concessa audeant retinere.

Die 24. Julii 1660.

(Anal. J. P. 1864. VII. Ser. pag. 266. Ed. Romae.)

Altamurana.

Supplicantibus humiliter s. Congregationi Dignitatibus ecclesiae Altamuranae, injungi Canonicis ejusdem ecclesiae delationem almutii ad normam Caeremonialis Episcoporum, s. eadem Congregatio audito Ordinario loci referente Emmo Petruccio respondit: Servetur Caeremoniale juxta mentem; et mens est, quod tam Dignitates quam Canonici deferant aequale almutium complicatum super humero sinistro, numquam patens a parte obserica, sed semper a parte pellica, et dum assurgunt, dimittant illud a dicto humero ad brachium sinistrum juxta Caeremoniale *lib. 1. cap. 18.* Et ita decrevit et servari mandavit die 16. Decembris 1697.

(Anal. J. P. 1866. p. 1347. Ed. Romae).

3) Canonicorum Collegiatarum.

Justinopolitana.

Quaesivit Episcopus: Utrum permittere debeat Canonicis ecclesiae colleg. de Pirano usum deferendi almutiam seu xanfardam ex concessione antiquorum Episcoporum obtentam ad instar Canonicorum Cathedralis, non tamen in eorum praesentia?

S. C. resp.: Neutro modo licere aut licuisse Canonicis praedictis novum habitum assumere sine expressa licentia Sedis apostolicae.

Die 18. Apr. 1643.

(Anal. J. P. 1864. VII. Ser. pag. 294. Ed. Romae.)

Asculana.

S. Congregatio, referente Emmo et Rmmo Dno Cardinali de Carpineo, auditis juribus hinc inde deductis, tam pro parte Rmmi Episcopi Erculani quam pro parte Joannis de Ovinio Prioris Collegiatae terrae Ophydiae dioecesis Asculanae illisque visis ac matura discussis utraque parte pene informante censuit: servandum esse decretum praefati Episcopi factum in visitatione die 24. Augusti 1679, nempe, non licere praedicto Priori Collegiatae Ophydiae sedere in stallo medio chori, nec in sede cum pradella suptus cooperta panno, quando assistit concionibus, sed tantummodo in banco canonicali eique non licere per alium almutiam asportari facere, nec sine illa ad chorum sive ad functiones alias ecclesiasticas accedere, sed supra brachium illam ferre, prout alii Canonici illam gerunt. Ita declaravit die 27. Februarii 1680.

(Anal. J. P. 1866. pag. 1226. n. 2125.)

Tranen.

S. Congregatio, audita relatione Vicarii generalis Rmi Archiepiscopi Tranen. ad instantiam Archipresbyteri S. Mariae Majoris Borlettae supplicantis pro declaratione, quo modo deferri debeat signum almutiae a sacerdotibus capitularibus participantibus de parte seu massa majori illius ecclesiae, respondit: Deferendum esse super brachio; et ita declaravit et ab omnibus servari mandavit.

Die 22. Augusti 1682.

(Ibid. p. 1239. n. 2215.)

Baren.

Institum fuit a s. Congregatione declarari: An in sessionibus dioecesanae synodi, quae fiunt in Cathedrali ecclesia Baren., Archipresbyter et Canonicus procurator collegiatae ecclesiae nomine possint assistere, prout hactenus consueverunt, cum almutiis ejusdem collegiatae insignis, non obstante quod capitulum et Canonici Cathedralis ecclesiae praetendant eorundem delationem ad ipsos privative in hujusmodi actibus spectare.

S. C. declaravit: Archipresbytero et Canonico praedictis competere in synodo insignia collegiatae ecclesiae, quam ipsi repraesentant.

Die 20. Mart. 1660.

(Anal. J. P. 1864. VII. Ser. pag. 362. Ed. Romae.)

4) Fpiscopus eam concedere non potest.

Vd. *supra num. 3. et p. 490. num. 6.*

Justinopolitana.

Quaesivit Episcopus: Utrum ipse posset permittere usum almutiae seu xanfardae Ar-

chipresbytero et Canonicis respective collegiatae de Pirano non obstante, quod Canonici Cathedralis illis uterentur? S. C. resp.: Non posse sed adeundum SSmum.

Die 10. Maji 1642.

(Anal. J. P. 1864. pag. 281. VII. Ser. Ed. Romae.)

5) Forma et modus deferendi.

Almutium indumenti genus est, quo ecclesiarum Canonici et Beneficiarii in choro utuntur. Caput olim et scapulas per hyemem tegebat eratque ab origine pileus quidam subsutus, quem capucium foderatum appellabant et ex ejus aucta longitudine atque latitudine effluxerunt integra almutia, pelles scilicet in scapulas et in pectus descendentes. Concilium Ravennatense anno 1314 celebratum almutiarum meminit, quae ad aures extendebantur, *can. 10.* his verbis: »Capita cooperiant pileo vel bireto vel almutia oblonga ad aures.« Hoc deinde almutium seu capucium in colum devolutum fuit ob aestum et transversum super humeros extensum. Vide *Grancolas in breviar. lib. 1. cap. 47.* Jam vero ex praeallatis patet, almutia primitus capita operuisse, ita ut a capite pellis pars retro penderet, quae collum tegeret, pars vero ea, quae caput operiebat, formae esset quadratae et quatuor veluti cornua effingeret; quod potissimum licet inspicere in antiquis picturis Canonicorum, in regesto camer. computor. *Parisiis.*

Canonico celebranti non licere almutiam retinere super altari neque ea uti debere hebdomadarium, non denique diaconum et subdiaconum super brachio eam posse deferre. Et ita ubique servari et contrariam consuetudinem esse abusum.

Die 15. Febr. 1659.

Licet Praebendariis Cathedralis vel Collegiatae intervenientibus in processionibus funeralibus sub cruce ipsius Cathedralis vel Collegiatae cum Canonicis deferre almutias et praecedere processionaliter rectoribus ecclesiarum curatarum.

Die 6. Maji 1679.

Canonici parati deferre non debent almutias.

Die 4. Augusti 1663.

Almutia imponi potest supra brachium defuncti Canonici parati planeta seu dalmatica.

Die 4. Aug. 1663.

Non licere Canonicis sacris vestibus, planeta, pluviali, tunicella et indutis in canendis missis et vesperis et processionibus aliisque ab eis faciendis deferre almutiam super dictis vestibus.

Die 5. Mart. 1667.

Idem decret. die 2. Apr. 1667 cum appendice: »*Etiam quod consueverint deferre subtus.*«

Servandum esse ultimum decretum synodale Rmi Episcopi, quo sancitum fuit, ut presbyteri Cathedr. et Colleg. s. Antonii Placentiae, quando sub eorum cruce ad ducenda cum parochis funeralia conveniunt, suas illi valeant deferre almutias, secus si tamquam singuli evocati ad exequias accedunt, non obstantibus declarationibus in contrarium S. C. Episcoporum et Regularium et praecipue sub diebus 2. Maji 1659 et 10. Novbr. 1662, nempe: »licere, quando incedunt collegialiter et cum capitulo.

Die 20. Julii 1669.

Habentibus usum cappae non licere uti almutia.

Die 13. Julii 1675.

Canonico Vicario foraneo et Canonico curato insignis Collegiatae Novarien., quorum neuter est in collegiata praepositus nec capitulariter ad congregationes casuum conscientiae accedit, non competit usus almutiae.

Die 10. Decbr. 1707.

Episcopus Cathedralis Montis Politiani prohibeat capellanis Cathedr., ne, cum in publicis supplicationibus sive defunctorum associationibus procedunt absque interessentia illius capituli, almutiam in brachiis deferant; indecens enim est, quod ipsi capellani, qui cum capitulo dumtaxat unum corpus faciunt, ab eodem corpore disjuncti, iis etiam utantur insigniis, quae non membris sed toti corpori conveniant.

Die 20. Julii 1765.

6) Mansionar. et praebendarior.

Vd. *Almutia* (forma).

Placentina.

Cum Canonici Cathedralis Placentinae obtinuerint a SSmo D. N. indultum deferendi

cappas violaceas, relictis almutiis, quas ante indultum deferebant et mansionarii et praebendarii ejusdem Cathedralis absque concessione apostolica, sed solum cum consensu Episcopi, coeperint deferre almutias dimissas a Canonicis praedictis, fuit quaesitum: An mansionariis et praebendariis praefatis almutias sic dimissas a Canonicis Cathedralis deferre liceret? Congregatio censuit: Non licere atque ab illarum delatione mansionarios et praebendarios praedictos omnino abstinere debere.

Die 16. Januarii 1620.

(Anal. J. P. VII. Ser. pag. 157. Romae. 1864.)

Canonici et Praebendati non possunt deferre almutias, cum uti singuli invitantur ad associandum funera, sed uti tantum possunt in casibus, quando incedunt collegialiter cum capitulo; s. Congreg. Episcop. *in Placentina Funerum 2. Maji 1659.*

7) Nomina varia.

Almutium diversis nominibus ab auctoribus et rerum ecclesiasticarum scriptoribus nuncupatur. Hinc almutium, aumucia, amicia, armutia, amiculum et almucia dictum legimus. Quod ad vocis vero etymon pertinet, non pro una eademque sententia stant doctores; aliqui enim censent ab amiciendo dici, quasi amicula, quae, aut auctor est Festus et ex eo Isidorus *(lib. 19. cap. 25.)*, fuerunt mulierum vestimenta. *Bayffius de re vestiaria.* Alii autem a Theotisco seu Flandrico deducunt, *Hotf Mutse* scilicet capitis pileus, qua appellatione donantur almuciae in testamento Radulfi *Corsbout,* s. Petri Lovaniensis Decani A. D. 1380, quo duo almutia dicuntur *Boutemutsen;* Joann. Cognatus *hist. Tornacen. lib. 2.* Alii insuper putant almutium vocem corruptam esse ab armo, idest humero, quamvis proprie armus de animantibus et *humerus* de homine dicatur. Macri, *Hierolex.* Molanus tamen almutium putat a Teutonicis ita nominatum, lingua enim eorum *Alter Mütze* pileum seniorum sonat *lib. 3. de Canon. cap. 5. et 8.*

8) Qui deferebant et qui nunc deferre possunt?

Vd.: *Almutia* (forma etc.)

Antiquitus almutium non Canonici tantum deferebant sed et omnes, qui presbyteratus ordine erant insigniti. Exstat de hoc praeclarum testimonium in Joan. de Janua, his verbis: *Quicumque erat sacerdos, in signum sacerdotii deferebat almucium.* Fuit etiam almutium Monachorum proprium, nam Clemens V. in concilio Viennensi statuit, ut almutiis de panno nigro vel pellis caputiorum loco uterentur. Et in historia Beccensi ms. pag. 7. haec legimus: *Hiberno tempore caputium, ut ajunt, consuetum pellicatum, chaperon de coutume, capiti operiendo adhibebant. At sacerdotibus mos erat deferendi almutium nigri coloris latum quatuor circiter digitos; more stolae e collo pendentis cingulo tenus; ut hoc levi indicio de grege Monachorum se esse profiterentur.*

Fuit etiam virorum laicorum et in statutis mss. urbis Massiliensis anni 1293 haec leguntur: *Ordinamus quod nullus sartor accipiat de vestimentis hominum masculorum ultra taxationes infrascriptas, videlicet de huca cum caputio vel almussa cum pennis 2. sol. et sine penna 18. den. Item de huca cum sendata et caputio vel amussa etc.* Almutium quoque Imperatores et Reges deferebant. Porro Reges coronam supra almutium deferebant, (*Comput. Stephani de la Fontaine argentarii regii an. 1351 cap. despennes*) et in coronatione Imperatoris *(Caeremon. rom. lib. 1. sect. 5.)* quando a Canoncis s. Petri in fratrem et Canonicum Imperator recipitur, superpelliceum et almutium induit. Insuper ipsae etiam foeminae almutia gestarunt, ut in computo ejusdem Stephani an. 1350.

Nunc autem tantum ab ecclesiasticis personis almutium defertur eumque Beneficiati Canonici gestant et advocati consistoriales, auditores Rotae et alii in utroque humero illud in capella papali deferunt.

Canonicis vero fas non est almutium, dum celebrant super altare deponere, ad hoc ut Canonici videantur, hoc enim vetitum scimus, ubi de praeparatione altaris et ornamentorum ejus legimus: *Super altare nihil omnino ponatur, quod ad missae sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat.* Quod autem Canonici almutium revera nec ad missae sacrificium neque ad altaris pertinet ornatum unicuique pro comperto est. Item nec Canonici retinere almutium debent, dum planetam vel pluviale gestant, sed illo exuidum sacras induunt vestes. *Gavant. Thesaur. sac. Rit. 1. Tit. 19.*

S. Aloysius.

(Patronus Studiosorum.)

Conceditur Gymnasiis seu Collegiis societatis Jesu facultas eligendi sibi in specialem patronum b. Aloysium Gonzaga.

Benedictus Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae servitutis officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati atque infirmitati Nostrae credere dignata est, ad spiritualium fidelium aedificationem salubriter exequi adspirante superni favoris auxilio jugiter satagentes, beatorum Christi servorum, qui despectis saeculi vanitatibus jugum Domini in sancta humilitate assumpserunt et virtutum omnium corona redimiti, decurso feliciter mortalis vitae stadio, immarcescibilem gloriae coronam in coelis accipere meruerunt, cultum et venerationem in terris libenter promovemus, sicut Dei honori et laudi populorumque pietati convenire conspicimus.

§. 1. Gloriosa itaque beati Aloysii Gonzaga societatis Jesu virginitate in primis ac vitae innocentia et principatus contemptu clarissimi merita devota consideratione ingentique animi nostri gaudio recolentes ac juvenes, qui dilectorum filiorum clericorum Regularium ipsius societatis Jesu scholas frequentant quique, sicut accepimus, eumdem beatum Aloysium uti peculiarem patronum jam in saeculo et ultra sua sponte privataque auctoritate colere coeperunt, ad ejus vestigia et virtutum, quibus mirifice enituit, exempla sectanda et opem crebris illius intercessione ab omnipotente Deo patratis miraculis testatam in eorum necessitatibus et animarum periculis ferventibus exposcendam excitare cupientes, omnibus et singulis universitatibus, gymnasiis vel collegiis generalium publicorum vel studiorum tam erectis quam erigendis, quae a clericis regularibus praedictae societatis Jesu de praesenti reguntur aut in posterum regentur, ubicumque terrarum existentibus ac scholaribus ibidem literarium studiis operam nunc et pro tempore navantibus, ut de caetero perpetuis futuris temporibus memoratum beatum Aloysium tanquam suorum liberalium studiorum atque innocentiae et castitatis, in lubrica praesertim juvenili aetate diligentius custodiendae, specialem patronum sibi deligere, habere, colere et venerari illiusque festum quotannis die 21. mensis Junii celebrare necnon iis ex praedictis scholaribus, qui ad horas canonicas tenentur, eadem die in honorem dicti beati Aloysii officium recitare de communi confessoris non pontificis sub ritu duplici minore, et si qui pariter ex illis in sacro presbyteratus ordine constituti fuerint, missam etiam sub eodem ritu et de communi itidem confessoris non pontificis, in universitatum tamen, gymnasiorum seu collegiorum ejusmodi ecclesiis dumtaxat, die praedicta celebrare juxta rubricas breviarii ac missalis romani libere et licite possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXI. Junii 1725.

(Bull. r. t. XIII. pag. 176. Ed. Luxbg.)

Altare.

1) Certum pro celebrat. missae.

Vd. *Missa* (in eccles. destinata); *Altare* (destinat. pro celebr. etc. p. 495. n. 3.)

2) Confraternitatis.

(Permutatio non concessa)

Vd. *Altare* (remotio).

Meliten.

In parochiali ecclesia Casalis Tarxen duo erecta sunt laicorum sodalitia, unum sub titulo ssmi Crucifixi agonizantis initio currentis saeculi Episcopi auctoritate institutum in magno sacello, quod in dextero ecclesiae latere existit, et pro constructione altaris et Crucifixi imagine ibidem collocanda non solum sodalitium pecunias erogavit, sed pius etiam vir Josephus Valerius Abela certam summam legati titulo reliquit; alterum sub

invocatione b. Virginis Rosarii vetustiorem ducit originem et habet altare in parvo ejusdem ecclesiae sacello, quod exstat in sinistro interiori latere majoris capellae. Utrumque sodalitium in proprio altari retroactis temporibus christianae pietatis officia exercuit, quin jurgia aut dissentiones exortae unquam fuerint. Anno 1769 utriusque sodalitii procuratores agere inter se coeperunt de permutando invicem altari et supplices adierunt Vicarium tunc temporis capitularem, qui decretum pro petita permutatione edidit. Hujusce decreti executio praepedita fuit ob recursum habitum a sodalibus ssmi Crucifixi, cujus causa idem Vicarius capitularis mandavit, nihil innovari usque ad novam provisionem. Post haec appellationem a priori decreto interposuere sodales ssmi Crucifixi et praevio monitorio manutentionem in possessione proprii sacelli postularunt. Cum tamen utriusque sodalitii priores supplicem SSmo Domino Nostro libellum exhibuerint, quo pontificiam implorarunt auctoritatem, ut permutatio exequeretur, idcirco ab Emo Cardinali Pro-Auditore cognitio causae una cum monitorio sac. huic Congregationi fuit delegata. Hinc tacentibus adhuc sodalibus confraternitatis Rosarii, dubium in calce transscriptum resolvendum proponitur.

Itaque sodales ssmi Crucifixi, qui pro definitione instant, rejiciendos sustinent a limine judicii procuratores, qui sodalitiorum translationem et altarium permutationem eflagitarunt, cum non exhibeant confratrum mandatum atque idcirco tamquam illegitimi contradictores habendi sint, *Innoc. in cap.: Ex insinuatione de procurat., Rota decis. 2844. num. 1. coram Coccin.* Asseruerunt, procuratoribus confraternitatum aliorumque collegiorum liberum non esse de illorum bonis pro libito disponere, *cap.: Sine exceptione, et cap.: Tua de his, quae fiunt a Praelat., Rota decis. 594. num. 5. cor. Molin.;* maxime cum res sit de permutatione*), quae species est alienationis, *leg. Si ei, et leg. seq. ff. de jur. dot., leg. Si mulier ff. de pact. dotal.*, proindeque ad legitime permutandum, quemadmodum ad valide alienandum, omnes requiri affirment solemnitates a jure praescriptas**), scilicet discussionem causae, consensum majoris partis et s. Sedis adprobationem, *cap.: Tua de his, quae fiunt a Praelatis, cap.: Ut super de rebus eccles. non alien., cap.: Sine exceptione 52. caus. 12. quaest. 2.* Deficere autem contendunt in praesenti casu liberum sodalium consensum et licet sodales Rosarii assentirentur, nihilominus ob solum dissensum sodalium ssmi Crucifixi sustineri non posse contractum, qui mutuo contrahentium consensu perfici debet.

Alienum autem esse a veritate, quod unicus sit contradictor sacerdos Ellul, cum ex opposito constet, quam plures ex sodalibus permutationi contradicere et procurae mandatum subscripsisse. Inquiunt, nequaquam fore necessariam permutationem ad augendam fidelium devotionem erga b. Virginem Rosarii, cum ad haec usque tempora sodalitium omnia pietatis officia expleverit in proprio sacello, quin scandala exorta unquam fuerint, quae tamen timeri etiam imposterum possent, licet in ampliori loco ea peragerentur. Ceterum observant, quod etsi ex magno populi concursu in angusto sacello ssmi Rosarii mala obventura praevideantur, non tamen adigi possent sodales ssmi Crucifixi ad consentiendum proprii altaris cessioni, cum sodales Rosarii vel aliud altare construere valeant vel obtenta a parocho venia in majori ecclesiae altari sacras functiones peragere atque hisce ordinariis remediis provideri possit absque eo quod ad extraordinarium coactivae permutationis remedium sit confugiendum, *leg. in causae cognitione 17. ff. de Minor., Rota decis. 484. num. 16. part. 19. tom. 2. Recen.* Addunt ad coactam permutationem, utpote alterius juris laesivam, deveniri non posse, etiamsi consuetudo adesset in dioecesi, ut in peramplis sacellis sodalitia Rosarii, alia vero magis angustis convenirent, cum tamen hujusmodi consuetudo non verificetur, sed imo contraria probetur.

Nullimode vero sodalibus Rosarii profuturam existimant promissionem in precibus expositam impendendi de proprio, quidquid ad explendam permutationem requireretur, siquidem hujusmodi promissionem despiciendam omnino fore putant, quoties in contractu permutationis, qui assimulatur contractui emptionis et venditionis, aliud requisitum non concurrat, ut scilicet tantum recipi debeat, quantum traditur, quod quidem in quolibet contractu justitiae convenit et praecipue servari debet in permutationibus, quae inter ecclesias fiunt, *in cap.: Nulli num. 34. de reb. eccles. non alien.; Rota in*

*) Vd. *p. 478 dd.*
**) Vd. *p. 472. aa.*

Compostellana Permutationis 7. Junii 1748. §. 7. cor. Vicecomite. Advertunt, in praesenti casu cedi debere a sodalitio ssmi Crucifixi peramplum sacellum, ut perexiguum altare recipiat; atque hinc laesionem enormissimam intercedere, attento praesertim valore capellae ssmi Crucifixi, quae triplo et ultro excedit pretium parvae arae b. Virginis de Rosario, *Rota coram Falconer. in Miscellan. decis. 89. num. 23.* et *coram Ansald. decis. 122. num. 20.*, unde etiam ex capite laesionis non sustineri permutationem ecclesiae praejudicialem, *Rota in citat. Compostellana §. 9. in fin.*

Accedere, quod in altari ssmi Crucifixi exstat tabula marmorea Redemptoris a cruce pendentis imaginem praeseferens non sine gravi sumptu a sodalibus exempta eoque in altari collocata. Hanc vero tabulam minus apte in angustiori altari collocari posse, proindeque aut omnino amitti aut minus decenter alio in loco constitui debere. Hujusmodi autem circumstantiam tanti ponderis esse dicunt, ut admissa etiam permutationis necessitate, permitti nihilominus non deberet ob praejudicium ecclesiae obventurum, *Piton. discept. eccles. 96. n. 7.; Rota in citat. Compostellana §. 11.*

Ex parte priorum utriusque sodalatii, qui supplicem libellum porrexerunt, nihil hactenus deductum est. Verum in eo exposuerunt ipsorum preces oriri ex zelo augendae devotionis et avertendae irreverentiae, quae ex magno populi concursu in angustum locum timeri posset eorumque petitionem conformem esse universali consuetudini ecclesiarum totius insulae Melitensis ac desiderio cleri, populi et confratrum utriusque sodalitii. Retulerunt insuper nullum sodalitio ssmi Crucifixi praejudicium afferri, hinc contrariam oppositionem fore omnino despiendam, praesertim quia sub generico confratrum nomine unus sacerdos Raphael Ellul sit contradictor absque eo quod ullo fungatur officio, cujus virtute facultatem habeat assumendi societatis nomen.

Episcopus postquam narravit ea omnia, quae coram ipso gesta sunt, haec habet: *Ego quidem audivi competitores et eorum motiva reciproca et etiam eorum defensores. Cum autem perpendissem, quod attestationes productae per sacerdotem Raphaelem Ellul nomine praedicto sunt a publico notario recognitae ac verificatae, nequaquam autem aliae attestationes per sacerdotem Thomam Ellul et Angelum Zammit exhibitae, arbitror idcirco ut utraeque partes concernentes contentae esse debeant de eorum respectivis altaribus sitis ut antea in loco, in quo adhuc existant.* Alienationes bonorum confraternitatum, quae auctoritate Episcopi erectae sunt, permitti sine solemnitatibus non possunt*) iisdemque legibus quibus ecclesiarum bona subjacent, ut late ponderat *Bassus de sodalit. quaest. 6. num. 1.* Permutationes proinde in praejudicium ecclesiae aut sine causa fieri omnino prohibentur, *cap. Precariae in fin. 10. quaest. 3; cap. Diaconi* et *cap.*: *Sine exceptione 12. quaest. 2.*

Perpendendum idcirco, an executionem mereatur contractus permutationis a procuratoribus utriusque sodalitatis gestus, an cum legitimo procurae mandato, an sub reservatione beneplaciti apostolici exaratus fuerit, prout requiri existimat *Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 3. allegat. 95. num. 57,* et demum an vacante sede episcopali Vicarii capitularis auctoritas pro illius perfectione sufficeret. Quoniam vero ratio postulat, ut quae bene constituta sunt contrariis ordinationibus non irritentur, recte idcirco dispositum est, ut nonnisi accedente justa et necessaria causa ac de suprema romani Pontificis auctoritate voluntatum commutationes fiant, *Concil. Trid. sess. 22. cap. 6. de reform.*; *Rota dec. 49. num. 6., 7 et 8. part. 17. Recent.* — Hinc quamvis confraternitates Episcopo de jure subjiciantur, illarum tamen bona et redditus peculiaribus quibusdam operibus destinata nequeunt ab Episcopo, etiam de consensu confratrum**), alteri ecclesiae assignari, *Bass. de sodalit. quaest. 6. num. 4.*

Videndum proinde, an justa et necessaria causa in praesenti casu concurrat, quae suadet sacelli et altaris permutationem, pro cujus constructione vel ornamento aut pro adimplendis ibidem piis operibus fidelium oblationes collatae sunt. His ergo aliisque ad rem opportune perpensis EE. VV. dijudicabunt: *An sit locus permutationi altaris sanctissimi Crucifixi confraternitatis agonizantium Casalis Tarxen. cum altero beatissimae Virginis confraternitatis sanctissimi Rosarii dicti Casalis, in casu?*

S. C. resp.:
Negative.
Die 9. et 30. Julii 1774.

*) Vd. *p. 420 n. 1.*
**) Vd. *p. 185. n. 1.*

3) Destinatum a fundatoribus vel eleemosynam praebentibus pro celebrandis missis.

a) Cardinalium visitatorum facultas circa hoc variandi.

Innocentius PP. XII.

Facultas pro DD. S. R. C. Cardinalibus in Adjutores Visitationis Ecclesiarum transferendi celebrationem missarum ab uno ad aliud altare.

Ubi contigerit alicui altari etiam pro defunctis privilegiato seu capellae tam magnum missarum numerum ex variis legatis impositum esse, *ut singulis diebus praescriptis nequeat illis satisfieri, etiam per translationem partis missarum hujusmodi ad aliud altare seu altaria etiam non privilegiata videritis* (Cardinales) expedire, re tamen diligenter perspecta, statuere et ordinare, ut in eisdem altaribus commodius ac plenius piae defunctorum voluntati satisfiat, *ita quod missae ad altaria alia hujusmodi, ad quae illarum celebrationem transtuleritis, celebratae illis, pro quibus celebrabuntur, perinde suffragentur ac si ad altaria privilegiata* seu alias juxta eorundem defunctorum voluntates celebratae fuissent caeteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiam talia sint vel fuerint quae magis specialem specificam et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere et exequi libere et licite possitis tenore praesentium plenam et amplam facultatem concedimus.

Non obstantibus constitutionibus etc.
Datum Romae 16. Jan. 1693.
(Bull. r. t. VII. pag. 207.)

Vd. *Missa* (descriptio, praecipue decr. II.); *Missa* (oblig. celebr.); *Stipendium.*

b) Dispensatio ab hac obligatione.

Vd.: *Anniversar. in altari destinato celebr.* (decr. *Abulen.*)

Consulitur celebrationi missarum non adhuc celebratarum et aliarum in posterum celebrandarum in capella et ecclesia s. Domus Lauretanae.

Clemens Papa XI.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, plurima missarum tam in capella quam in ecclesia sacrae Domus Lauretanae celebrandarum onera a multo tempore inexpleta remanserint ac usque ad annum 1678 adhibiti non fuerint libri, in quibus missae manuales celebrandae adnotarentur, adeoque missarum hujusmodi non celebratarum numerus ignoretur, a dicto vero anno, quo dictae missae in libris adnotari coeperunt, quinquaginta millium in dicta capella ac viginti quinque millium circiter in praefata ecclesia respective celebrandarum missarum hujusmodi celebrationem omissam fuisse constet nec ullus appareat modus, quo ejusmodi oneribus non adimpletis ac christifidelium eleemosynas pro aliis missis tam in capella quam in ecclesia praedictis celebrandis quotidie offerentium devotioni et voluntati, attento capellanorum ad hoc necessariorum defectu et, quia unicum est dictae capellae altare, satisfieri possit, nisi desuper opportune a Nobis provideatur et ut infra indulgeatur: hinc est, quod Nos, ut suscepta hactenus et omissa, ut praefertur, quantum fieri potest, ac suscipienda in futurum missarum hujusmodi onera exacte et diligenter adimpleantur sicque dictorum christifidelium ad dictam sacram domum confluentium et eleemosynas pro missis offerentium devotio et pietas confoveatur prospectum esse cupientes de Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium et dilectorum filiorum romanae curiae Praelatorum nuncupatae consilio ac etiam Motu proprio ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine praecipimus et mandamus, ut nunc et pro tempore existentes dictae sacrae Domus ministri loco dictarum missarum usque ad memoratum annum 1678 celebrari omissarum, quarum, ut praefertur, numerus ignoratur, unam missam cantatam in praedicta ecclesia singulis mensibus per quinquaginta annorum spatium celebrari facere teneantur, qua missarum cantatarum celebratione completa praedictarum missarum usque ad dictum annum celebrari omissarum oneri satisfacturos fore declaramus; ac concedimus ut dictae missae cantatae illis, pro quibus celebrari debebant, perinde suffragentur, ac si omnes eaedem missae celebrari omissae celebratae fuissent; praedictas vero omnes missas in libris adnotatas tam in capella quam in ecclesia praedictis celebrandas a dicto anno hactenus non celebratas celebrari ac proinde ultra capellanos necessarios alios quinque, qui eas singulis diebus usque ad totale supra

expressi illarum numeri adimplementum celebrent, deputari, et ut inposterum missarum hujusmodi celebratarum numerus sciri secutoque dicto earum adimplemento ipsi capellani removeri possint, librum particularem, in quo iidem capellani illas adnotent, retineri debere decernimus et ordinamus; quoniam autem, si dictae missae in praedicta capella celebrandae hactenus omissae ad numerum viginti quinque millium, sicut praemittitur, ascendentes in ipsa capella celebrari deberent, aliorum christifidelium missas in eadem capella celebrari expostulantium devotioni, cum nequidem duo altaria ad dictarum omissarum et aliarum pro tempore celebrandarum missarum celebrationem sufficerent, satisfieri, ut praefertur, non possit, ut hujusmodi missae omissae, quae in dicta capella celebrandae essent, ad quodcumque ecclesiae praedictae altare a dictis quinque deputandis capellanis celebrari valeant; et sic celebratae perinde suffragentur, ac si ad memoratum dictae capellae altare celebratae fuissent, concedimus et indulgemus. Ne vero de caetero talis missarum celebrationis omissio contingat, numerum capellanorum sacrae domus praefatae, tot scilicet, quot ad implendum tam perpetuarum quam manualium sive in capella sive in ecclesia praedictis celebrandarum missarum onus sufficiant, augendo, ut inposterum de ipsarum missarum adimplemento semper constare possit, duos libros distinctos et separatos, in quorum uno missae manuales, pro quarum celebratione in capella et ecclesia hujusmodi eleemosynae praestantur, in altero vero omnes missae, quae in utroque loco celebrantur, adnotentur, retinendos et quolibet semestri in perpetuum computa receptarum eleemosynarum et celebratarum missarum tam perpetuarum quam manualium revidenda et legaliter revisa ad supradictam congregationem Lauretanam transmittenda esse sub suspensionis ab officiis vel illorum privationis per eos, qui dicta computa, ut praefertur, non reviderent aut non transmiserint, incurrendis aliisque arbitrio ipsius Congregationis imponendis poenis, statuimus et ordinamus. Verum quia experientia compertum habetur omnes missas tam perpetuas quam munuales, quae ad altare capellae hujusmodi celebrari petuntur, ad illud celebrari non posse, ut in futurum missae hujusmodi ad altare sub titulo sanctissimae Annunciationis dictae capellae annexum celebrari possint ac illis, pro quibus celebratae fuerint, suffragentur et piorum largitorum menti et voluntati satisfactum sit, perinde ac ad primo dictum altare celebratae fuissent, concedimus pariter et indulgemus.

Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris 28. Sept 1701

(Bull. r. t. XII. pag. 367. Ed. Luxbg.)

c) Obligatio.

Vd.: *Missa* (in eccles. etc.)

Mileten.

Intra districtum oppidi s. Cologeri hujus dioecesis jam inde a pervetustis temporibus constructa aderat ecclesia ruralis seu beneficium simplex sub invocatione s. Stephani protomartyris cum onere unius missae in hebdomada. Cum autem de anno 1585 in visitatione facta per Episcopum de Tufo in ecclesia parochiali ejusdem oppidi repertum fuerit quoddam altare necessariis ornamentis destitutum, imo et sine icone locatum in situ nimis angusto prope altare majus, quod quidem, uti memoriae proditum erat, dicebatur esse altare s. Stephani illuc translatum a d. ecclesia rurali, mandavit Episcopus illud inde amoveri ac reponi in situ commodiori praefatae parochialis necnon decenter instrui omnibus sacris supellectilibus, apposita imagine depicta ejusdem Sancti; erecta tamen cruce marmorea in ruderibus primodictae ruralis ecclesiae ac vetitis ibi usibus sordidis, ad formam s. Concilii, ut latius liquet ex partita visitationis in summar. exhibita.

His ita praehabitis fuit subinde beneficium praedictum ab Episcopo Panzano annexum cantoratui ecclesiae Cathedralis Mileten. ob illius tenuitatem reddituum, sed, cum supradicta missa hebdomadalis celebraretur a parocho et sacerdotibus praefatae ecclesiae parochialis, Donatus Scaranus olim cantor et beneficiatus supplicavit huic S. C. pro facultate celebrandi eandem missam in alio altari s. Stephani posito in dicta ecclesia Cathedrali et S. C. praevia duplici informatione, tunc temporis Episcopi Mileten., quae in summar. datur sub die 1. Julii 1679 rescripsit: Pro facultate, arbitrio et conscientia Ordinarii accedente consensu parochi. Hujus rescripti vigore, idem Episcopus eodem anno

sub assertiva, quod omnia exposita per cantorem fuissent verificata, decrevit licere praefato cantori ejusque successoribus missam supradictam celebrare in futurum in capella s. Stephani posita in Cathedrali, pro onere dicti beneficii. Nihilominus de anno 1706 excitata fuit controversia in curia episcopali Mileten. super loco celebrationis praefatae missae hebdomadalis inter parochum et clerum dicti oppidi s. Calogeri ex una et modernum cantorem Pipernum ex altera partibus ac factis hinc inde nonnullis actis fuit causa prius per Vicarium generalem et deinde per R. P. auditorem Sanctissimi remissa ad hanc S. C.: sicque transmissa copia authentica processus, cujus documenta in summar. exhibentur, superest, ut placeat EE. VV. decidere dubium inter partes concordatum:

An missae beneficii s. Stephani terrae s. Calogeri celebrari debeant in altari sub eadem invocatione posito in ecclesia parochiali ejusdem terrae vel in illo posito in ecclesia Cathedrali Mileti in casu etc.?

S. C. resp.: *Dilata.*

Die 17. et 31. Mart. 1708.

Reproposito dubio S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 1. Decbr. 1708.

In eadem causa S. C. sub die 23. Febr. 1709 resp.: *In Decisis et cantor redeat ad residentiam; et amplius.*

Auximana.

(Conc. Tr. c. 45. sess. 25. de ref)

In postremo elogio condito die 28. Octobris 1667 Alexander de Raphaelis hanc fecit dispositionem: *Item si ipse testator ante ejus obitum acquireret unam ex capellis existentibus in nova Collegiata ecclesia Cinguli, tali casu voluit, quod d. capella sit decenter ornata ad arbitrium sui haeredis universalis et conservata cum suppellectili, cum tabula picta s. Joseph, in cujus festivitate quolibet anno in perpetuum in illa ecclesia et capella celebrari voluit missas triginta cum solita eleemosyna pro refrigerio ejus animae etc.* Decessit testator sub die 28. ejusdem mensis Octobris non facta acquisitione enunciatae capellae. Anno postmodum 1669 Nicolaus Antonius de Raphaelis mediatus haeres testatoris obtinuit a communitate terrae Cinguli capellam seu altare sub invocatione s. Cajetani existen. in antedicta Collegiata cum onere eam adornandi et inibi conficiendi effigiem dicti Sancti, quemadmodum fuit adimpletum. Defuncto Antonio anno 1679 et superstite Philippo Antonio de Raphaelis ejus germano fratre in aetate minori, uti asseritur, tunc constituto et mediato pariter cohaerede Alexandri testatoris, recensitae missae fuerunt celebratae quotannis in capella in festivitate s. Josephi de tempore ejusdem minoris aetatis, sed ea celebratione subinde praetermissa cl. me. Cardinalis Bichius Auximanae ecclesiae Antistes de anno 1687 in visitatione capellae seu altaris s. Cajetani hanc edidit declarationem:

In hoc altari adest obligatio celebrandi officium semel in anno missarum triginta festivo die s. Josephi ex testamento Alexandri de Raphaelis de anno 1667, ac ulterius idem Cardinalis visitator demandavit eidem Philippo Antonio, ut praefatum altare dotaret et doceret de adimplemento dd. missarum in praeteritum et in futurum earum satisfactio registraretur in libro sacristiae, necnon eidem petenti indulsit, ut deinceps altare praedictum titulo potiretur s. Josephi et Cajetani, quod decretum asseritur etiam renovatum per cl. me. Cardinalem Pallavicinum de anno 1692 jubentem onus dd. missarum describendum in tabella affigenda in uno ex lateribus primodicti altaris, quemadmodum executum fuit. Resumpsit Philippus Antonius missarum celebrationem usque ad annum 1702, quo tempore destitit, ex quo praetenso motivo, quod purificata non fuit conditio a testatore adjecta pro celebratione missarum, si nempe capellam ante ejus obitum acquisiverit. Sed tandem de anno 1708 monitus ab Eminentissimo de Abdua apostolico visitatore illius episcopatus, ut recurreret ad hanc S. C. pro declaratione, jam recurrit expressa hujusmodi serie facti exorandi pro abolitione dd. decretorum et remotione tabellae ab altari et sub die 7. Julii ejusdem anni audita luculenta informatione ejusdem Emmi exhibenda in summar.: *Lectum* rescriptum est. Hodie vero non acquiescens orator citato promotore fiscali et Canonicis saepedictae Collegiatae denuo redit ad EE. VV. ex juribus in summario dandis pro recessu a decisis sub consueto dubio:

An sit standum vel recedendum a decisis sub die 7. Julii 1708 in casu etc.?

S. C. resp.: Praevio recessu a decisis non teneri ad celebrationem missae.

Die 3. et 24. Aug. 1709.

Pisana.

Joannes Cosimus Pacchetti supremis tabulis anni 1696 erectionem jussit simplicis beneficii in Pisana primatiali ecclesia ad altare s. Raynerii sub invocatione ss. Francisci Xaverii et Francisci de Paula, reservato jurepatronatus favore nobilis familiae Poggesi, rectorique onus injungens di celebrare e far celebrare ogni settimana tre messe di requiem secondo la sua intenzione.

Dos constituta fuit in bonis redditus scutat. 40 et die 23. Januarii 1722 latum est ab Ordinario erectionis decretum, in quo de missarum celebratione ita cautum est: »Cum onere rectori pro tempore existenti celebrandi ac celebrari faciendi in perpetuum tres missas in qualibet hebdomada ad altare s. Raynerii in dicta primatiali situm pro anima dicti fundatoris.

Petrus Antonius Pacchetti die 23. Septembris 1715 codicillum condidit, quo jussit alterius beneficii erectionem cum titulo prioriae pariter sub invocatione ss. Raynerii, in primatiali ecclesia, cum reservatione jurispatronatus favore ejusdem familiae Poggesi rectorique onus imposuit »di celebrare o far celebrare in perpetuo ogni settimana quattro messe secondo l'intenzione del codicillatore e coll' obbligo ancora delle suddette quattro messe di celebrarne, o farne celebrare una almeno la settimana in perpetuo, nel giorno della domenica come sopra al suddetto altare di s. Raniero collocato nella suddetta primaziale.

Executores in codicillo designati bona assignarunt, quorum fructus ad summam scutorum septuaginta circiter attingerent, canonica accessit erectio die 3. Januarii 1716, in qua quoad onera haec inveniuntur: »Rector teneatur et debeat dictas quatuor missas qualibet hebdomada ad altare praedictum s. Raynerii pro anima dicti defuncti fundatoris celebrare seu celebrari facere, quarum una semper die dominico celebretur, prout ab eodem fundatore dispositum et ordinatum fuit.

Ab erectionis tempore constat missarum onera fuisse adimpleta, ita tamen, ut unica missa in qualibet dominica die fuerit celebrata ad altare s. Raynerii in primatiali ecclesia, reliquae vero missae tum prioratus tum beneficii pro rectorum lubitu quavis in ecclesia oblatae fuerint.

De oneribus utriusque beneficii nulla specialis mentio occurrit inter decreta ss. visitationum, quae praeterito saeculo habitae sunt in Pisana archidioecesi, nisi quod in visitatione Archiepiscopi Franceschi anni 1798 de missa tantum in qualibet dominica habita est ratio his verbis: »Item unam missam pro qualibet hebdomada in suffragium animae Joannis Pacchetti, et adimpletur.« Sed sequenti anno 1799 in nova ejusdem praesulis visitatione Metropolitanae ecclesiae cum ille cognovisset rectorem prioratus et beneficii praeter missam in die dominica caeteras missas extra primatialem celebrare »ordinò avvertirsi il rettore che adempisse il detto obbligo a forma della fondazione, e che sia questo descritto ex integro nè libri della sacristia.

Res tamen infecta mansit usque ad annum 1814, quo modernus Archiepiscopus dubius haerens, ne fundatorum voluntas negligeretur vel rectores indebito graverentur onere, s. hujus Congregationis sciscitatus est oraculum, a qua sub die 23. Julii ejusdem anni responsum est: Quoad utrumque beneficium servandam esse fundationem.

Quamvis nova hinc oriretur difficultas, nimirum an pro constituenda fundatione standum esset verbis, quibus in supremis tabulis usi fuerant testatores, seu potius iis, quae adhibita fuerunt in erectionum decretis, tamen Joannes Baptista Poggesi, ut administrator prioriae et beneficii, quibus fruitur ejus filius in minorili aetate constitutus, paruit mandatis archiepiscopalis curiae, quae jusserat implementum omnium missarum in ecclesia primatiali et ad altare s. Raynerii sub poena sequestri super bonis beneficiorum, aucta etiam eleemosyna ob difficultatem inveniendi sacerdotem, qui missam ibidem offeret. At exeunte praeterito anno preces exhibuit, postulans ut nonnisi dominicis diebus missae celebratione gravetur ad altare s. Raynerii, facta facultate ubicumque reliquas missas secundum testium voluntatem adimplendi.

De more Archiepiscopum rogavi, qui transmissis foliis pro accuratiore informatione, de quibus postea redibit sermo, haec summatim in suis literis retulit: Summa rei, de qua agitur, in hoc sita esse mihi videtur, quod, licet testatores Petrus Antonius et Joannes Cosmas Pacchetti non satis luculenter nec distincte expresserint omnes missas ab

eis praescriptas celebrandas esse in ecclesia atque ad altare, ubi beneficia erecta et fundata esse voluerunt, manifestissime tamen hujusmodi ecclesia et altare designantur in instrumentis canonicae erectionis, fundationis et acceptationis eorumdem beneficiorum respective habitis in hac Pisana curia annis 1716 et 1728. Atque ita novissime servari praecepit Archiepiscopus praedecessor in actu pastoralis suae visitationis anni 1799.

Quod vero ad assertam consuetudinem spectat, quam ab aliquibus rectoribus inductam esse praetendit orator, dictas missas in qualibet ecclesia vel altari celebrandi, eam nec legitimam neque satis diuturnam habendam esse ex eo evincitur, quod erectionis et visitationis decreta superius memorata illam excludant; ac praeterea rependi potest facultatem iisdem rectoribus ex speciali apostolica personali gratia factam fuisse in aliis ecclesiis beneficiorum onera adimplendi, quod pariter consuetudinis efficaciam evertit.

Orator, ut petitam obtineat declarationem, primum argumentum ex consuetudine mutuatur. Etenim Prior Raynerius Poggesi, qui decedente Joanne Baptisto Poggesi beneficia obtinuit et ad annum usque 1788 moderatus est, dum vixit in oppido Fauglia dioecesis s. Miniati commoratus diebus ferialibus per seipsum missas adimplevit, soluta eleemosyna sacrario ecclesiae primatialis Pisanae pro festiva celebratione. Successor Joannes Antonius Poggesi missas feriales Faugliae pariter adimplevit ad annum usque 1800. Laurentius Poggesi successor Pisis celebrationem curavit soluta eleemosyna sacrario primatialis ecclesiae pro celebratione festivae ad exitum usque anni 1814.

Addit insuper quod, cum beneficia onus residentiae non habeant, liberum sit rectori ubicumque sibi libuerit onerum satisfactionem curare. Denique in medium adducit favorem, quo canonicae leges patronos prosequuntur, ita ut in qualibet dubietate benignam interpretationem et apostolicam praestolatur indulgentiam. Et eo vel magis, quia familia Poggesi ob plures vacationes brevi sexdecim annorum curriculo obventas non levem impendit pecuniae summam et quia beneficiorum redditus, quae adimpletis oneribus supererunt, in filii adhuc minorrennis educatione ac studiis necessario perficiendis erunt erogandi. Id facilius consequi poterit, si missae, exceptis diebus dominicis alibi celebrentur, ubi mojor est copia sacerdotum.

Archiepiscopus vero in primis putat, jure meritoque in ipsa canonica erectione altare fuisse designatum, nam et tacita testatorum voluntas id expostulabat et in potestate erat Ordinarii testantium negligentiam supplere, cum nec altare expresse designarint nec rectoribus ubicumque celebrandi fecerint potestatem.

Nec plurimum facienda ducit rectorum exempla. Nam cum rector Raynerius Poggesi esset sacerdos, non inverosimile putat personalem ab apostolica Sede facultatem obtinuisse in loco sui domicilii oneribus satisfaciendi, potius quam eum de culpabili negligentia arguere. Et forsan illius successor Joannes Antonius Poggesi praedecessoris exemplum absque causae examine sequutus est.

Licet vero in antiquis Pisanae archidioecesis lustrationibus nihil inveniatur dispositum circa quotidianam celebrationem in primatiali ecclesia, attamen cum Archiepiscopus Franceschi accuratiorem beneficiorum descriptionem ab antecessoribus numquam peractam aggressus est die 17. Februarii 1799 sacram implens visitationem ita sancivit: »Essendo venuto in cognizione che le messe si celebrano fuori di questa chiesa ordina avvertirsi il rettore che adempia il detto obbligo a forma della fondazione e che sia questo descritto ex integro nè libri della sagrestia.«

Demum quoad familiae necessitatem Archiepiscopus animadvertit non tantum duobus praedictis beneficiis frui oratoris filium, sed alio etiam nomine praebenda Mezzanotte potiri et inde liberam ei superesse summam 400 scutatorum, quae satis videntur ad filii educationem et studiorum sumptus.

Addam ex jure beneficia ecclesiastica erigenda esse in ecclesia ad aliquod altare sub invocatione alicujus Sancti cum onere praestandi ibi aliquod officium spirituale sive ecclesiasticum, ut post *text. in cap. 15. de rescript. in 6. ait Ferrar. in Biblioth. verb.: Beneficium art. 2. num. 6.*

Juris pariter indubii est, posse pios fundatores quascumque conditiones sibi benevisas caeteroquin possibiles et honestas nec juri divino vel naturali repugnantes apponere, ex *cap.: Significatum II. de praebend.*, traduntque *Reiffenstuel in jus canon. lib. 3.*

§. *4. num. 105. tit. 5; Card. de Luca de benefic. disc. 65. num. 10,* et s. Congregatio *in Montis Politiani Patrimonii sacri 21. Junii 1821.*

Tandem nequit Ordinarius in erectione beneficii immutare testatoris dispositionem ac nova onera imponere, *Rota in Recent. part. 13. decis. 136. num. 1. et seqq.*

Dubium erit:

An et quot missae in qualibet hebdomada sint celebrandae ad altare s. Raynerii in casu?

S. C. resp.:

Affirmative quoad missam tantum diebus dominicis.

Die 14. Decbr. 1822.

Per Episcopum cogendos esse omnes, ad quos spectat, ut missas in altaribus vel capellis praescriptis et non in primo obviis et commodioribus celebrent.

Die 25. Septbr. 1649.

Missae celebrandae sunt in ecclesiis per testatorem designatis sub poenis arbitrio Ordinarii.

Die 15. Maji 1728.

4) Erectio.

a) Episcopi licentia.

In ecclesia consecrata nulli licet erigere altare, stando in jure communi, sine Episcopi consensu sub poena depositionis clerici et excommunicationis laici; *cap.: Nullus presbyter, de consecrat. dist. 1.* et *cap.: Quamvis dist. 68. et ibi Glossa.* In ecclesiis tamen non consecratis potest altare erigi a presbyteris. *Gloss. in d. cap. Quamvis dist. 68, Azorius t. 1. lib. 10. cap. 27. qu. 6,* et alii.

b) In medio ecclesiae in aliquo festo et positio imaginis.

Archipresbytero ecclesiae terrae Bictonen. dioecesis Assisien. S. C. concessit facultatem erigendi in medio ecclesiae altare ligneum cum ara lapidea, ubi transferatur icon s. Annae matris b. M. V. et Sacrum fiat per quoscumque sacerdotes tam in die festo s. Annae quam per praecedens novemdiale aliisque temporum circumstantiis, etiam per triduum aliquod celebrandum; arbitrio tamen pro diebus et occasionibus ab eo indicatis dumtaxat: dummodo perpensis omnibus absit periculum cujuscumque scandali aut irreverentiae; alias collocari mandet in altari majori sive alio stabili ejusdem ecclesiae.

Die 23. Maji 1778. Assisien.

5) Execratum.

(Asservatio.)

Altare esse rem sacram, ab hominum commercio exemptam; nam id jure caesareo et canonico locum habet, ubi altaris nulla facta fuerit amotio; contra vero si fuerit destructum, desinit esse sacrum et redditur execratum, ad *text. in can. 19. Si motum dist. 1. de consecrat.*, et sancivit *Alex. III. in cap. 1. de consecrat. eccl. vel altaris,* ibique *Gonzalez n. 15, Reiffenst. eod. tit. §. 2. n. 38.* et S. Congregatio teste Ferrario in append. suae bibliothecae sub rubrica: decreta s. Congreg. n. 876. Jamvero altare, de quo agitur, jam occupatum amotumque fuerat ab invasoribus, potuit ergo licite acquiri et retineri, in loco tamen honesto et decenti ex laud. *s. Congregatione in Reatina 9. Maji 1606.*

Die 5. Julii 1820. *Lucana.*

6) Ornatus et munditia in festis diebus.

Bened. PP. XII. de ref. Monach. nigrorum s. Benedicti.

Sane universis et singulis Antistitibus, Prioribus, Decanis, Praepositis, Sacristis et Administratoribus aliisque, quibus hoc competit, in virtute obedientiae districte injungimus, ut ecclesias, oratoria, altaria, vasa, corporalia, vestimenta et alia ornamenta ecclesiastica munda et nitida conservent et faciant ab aliis conservari; quodque de breviariis, missalibus aliisque libris et vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis omnino provideant seu faciant provideri.

Die 20. Junii 1336.

(Bull. r. t. IV. p. 82. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Benedictus PP. XII.

Constitutio totius Ordinis Canon. regul. ord. s. Augustini.

Solliciti sint Antistites, Abbates, Praepositi, Priores, Sacristae et Administratores aliique religionis praefatae, quocumque nomine censeantur, quibus incumbit ecclesias, oratoria, altaria, reliquias, vasa, corporalia, vestimenta et alia ornamenta ecclesiastica munda et nitida conservare et facere ab aliis

conservari; et breviariis quoque, missalibus aliisque libris et vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis, juxta facultates et exigentiam locorum suorum, ecclesiis et locis eisdem omnino provideant seu faciant provideri: quod si praemissa pro posse adimplere neglexerint, ad ea complenda competentibus remediis compellantur, et si opus fuerit, pars proventuum beneficiorum eorum per superiores recipiatur eosdem et in praedictorum provisionem per aliquem idoneum convertatur.

Die 15. Maji 1339.

(Ibid. p. 456.)

Paulus PP. V.

(Pro Capella B. V. M. in Basilica s. Mariae Maj. Urbis.)

Unum laicum, qui pavimentum, statuas, columnas, lampades, candelabra et alia ornamenta dictae capellae et sacristiae capellam et sacristiam illarumque aedes et mansiones tergat, vertat ac desquillias, pulverem et alias sordes auferat et ejiciat, scoparium nuncupatum, ad ejusdem patroni nutum amovibilem, ab eodem patrono toties, quoties opus fuerit ac eidem patroni videbitur et placuerit, deputari ac illi pro ejus salario centum scuta monetae de pecuniis propriae dotis et mensae dictae capellae illiusque fabricae et sacristiae, ut praefertur, assignatae, quolibet mense proportionabiliter et pro rata persolvi.

Et tam ipsi quam singulis quatuor clericis praedictis quolibet anno vestem talarem panni violacei de ejusdem dotis et mensae capellae pecuniis fieri mandamus.

Die 9. Novbr. 1615.

(Bull. r. t. III. p. 358. Ed. Luxbg.)

Paulus PP. V.

Ex duodecim capellanis pro servitio capellae b. V. M. destinatis unus a pro tempore existente patrono deputetur sacrista, qui ad ejusmodi patroni nutum amovibilis existat et curam celebrationis missarum necnon custodiam sacri supellectilis ornamentorumque et paramentorum ad capellae praedictae usum pro tempore pertinentium, vasorum, tam auri et argenti quam aliarum rerum et universae supellectilis sibi sub inventario consignandorum habeat, aliaque sacristae hujusmodi officium concernentia gerat, exerceat rationem et computum paramentorum et supellectilis hujusmodi et aliorum ejus curae commissorum dictae capellae patrono singulis sex mensibus, et quoties ab eo fuerit requisitus, fideliter reddat, et de ratione hujusmodi reddenda et reliquum consignando se obliget, cautionemque idoneam, si eidem patrono placuerit, etiam praestet, paramenta, ornamenta, vasa vel alias quasvis res et bona capellae et sacristiae hujusmodi, quibusvis personis, capitulis, ecclesiis, monasteriis aut aliis locis, juxta formam aliarum literarum desuper a Nobis emanatarum et sub eis contentis poenis accomodare non praesumat.

Item de paramentis, ornamentis, vasis totaque supellectili et rebus omnibus sacristiae, ejus curae commissis, inventarium duplicatum ab eodem sacrista subscriptum conficiat, quorum unum penes patronum et alterum penes eum remaneat, quod etiam singulis quibusque sex mensibus revideatur et renovetur.

Die 9. Novbr. 1615.

(Bull. r. t. III. p. 358. Ed. Luxbg.)

Innocentius XII.

(Ex statutis FFr. B. V. M. de Mercede redempt. Captivor.)

Quantum ad ecclesiae cultum, sit maxime sacrista sollicitus, ut debito ornatu et honestate praefulgeat, eam et capellas frequenter everri faciat. Altaria singulis diebus mundentur a pulvere. Ornamenta omnia non incomposita, sed quasi Deo sacra pie et devote contrectet, linea non minus sordere patiatur, sed crebris juxta usum lotionibus niteant, et corporalia permaxime universa quidem si sint lacera resarcienda curet, neque omnino disrumpi permittat.

Die 2. Febr. 1692.

(Bull. r. t. XI. p. 89. Ed. Luxbg.)

Benedictus PP. XIV.

Ad Episcopos Ditionis Ecclesiasticae.

Inprimis Tibi, V. Fr., enixe commendamus, ut ecclesiae optimo in statu sint, nitidae, mundae sacraque supellectili instructae; facile enim quisque intelligit, si intueatur ecclesias ruinosas, illuvie et squallore deformes, s. vestibus indigentes vel habentes laceras, sordidas et ejus conditionis ac status, ut dignae sunt, quae interdicentur. Hic autem adverti volumus, Nos verba facere

non de sumptuositate et s. templorum magnificentia nec de divite et pretiosa supellectili; non enim Nos latet, haec non omnibus in locis haberi posse, sed decentiam et munditiam consideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum paupertate bene convenire et componi possunt. Inter caetera mala, quibus ecclesia Dei affligitur, etiam de hoc dolebat V. Card. Belarminus: *Omitto*, inquiens, *quod alicubi vasa s. et vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia et sordida inveniantur, indigna prorsus, quae ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte, qui haec adhibent, pauperes sunt. Id quidem fieri potest; sed si pretiosa non possunt, saltem munda et nitida procurarent.* Quamobrem Bened. XIII. proponere solebat in exemplum PP. Capuccinorum ecclesias, in quibus est summa paupertas aequalisque mundities omnium oculis spectanda se offert. *Drexelius t. 17.* suorum operum in tractatu, qui inscribitur »*Gazophylacium Christi*« *p. 2. c. 2. p. 153* ita scribit: *Primum ac potissimum, quod templis debetur, est mundities. Non tantum adsint, quae in usus sacros necessaria, sed etiam, quantum fieri potest, mundissima sint.*

Et jure merito contra eos invehitur, qui domos bene ornatas et cultas habent, ecclesias vero in squallore et sordibus relinquunt. *Sunt etiam, qui domos habent instructissimas et ornatissimas; in eorum templis ac sacellis squallent omnia; arae a frontalibus nudae vix laceris et sordidis pannis instemuntur; in caeteris omnibus confusio et squallor.* S. Hieronymus *in ep. ad Demetriadem* parum se curare haud obscure indicavit: pauperesne an divites sint ecclesiae? *Alii aedificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant earumque deaurent capita, pretiosum ornamentum non sentientia; ebore argentoque valvas et gemmis aurata distinquant altaria; non reprehendo, non abnuo; unusquisque in suo sensu abundet; meliusque est hoc facere quam repositis opibus incubare.*

At vero ecclesiarum munditiem maximi facere aperte declaravit, cum Nepotianum summis laudibus extulit, quia diligens ac sollicitus fuit in nitore et munditia ecclesiarum atque altarium curanda. *Erat ergo*, ait, *sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in hostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta et in omnes caeremonias pia sollicitudo deposita; non minus non majus negligebat officium.*

Profecto sedulo ac diligenter cavendum est, ne illud non sine maxima ecclesiastici ordinis infamia contingat, quod sibi evenisse narrat laudatus Card. Belarminus: *Ego*, ait, *cum aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem et praedivitem hospitarer, vidi aulam vasis argenteis splendidam et mensam omni genere praestantium ciborum refertam; mappas quoque et reliqua omnia nitida et odorem suavem spirantia. Sed cum die sequente summo mane ad ecclesiam palatio continguam descendissem, ut Sacris operarer, inveni omnia contraria, idest vilia et sordida, ut vix auderem in tali loco et cum tali apparatu divina mysteria celebrare.*

Die 19. Febr. 1749.

(Bull. r. t. XVIII. p. 9.)

Erit valde opportunum, ubi fieri possit, praesertim in ecclesiis majoribus et opulentioribus, si constituatur minister aliquis, cui curae sit, ut ecclesia continuo in omni ejus parte munda sit et expedita, tam in pavimento quam in parietibus, columnis, fornicibus et laquearibus, nec per eam discurrere permittat mendicos, canes aut alia animalia divina officia perturbantia.

Caer. Ep. l. II. c. XII. n. 25. Cf. *Sacrista.*

Statuit s. Carolus Borromaeus *in concilio Mediolanensi V.* §. *Quae ad dies festos et sacra tempora pertinent*, quod »*Sicut in anniversariis solemnitatum sanctioribus celebritatibus festivius canimus laudes, solemniusque ecclesiastica celebrantes officia modulamur organis, pretiosiorique vestium apparatu induimur: ita diligenter nos domus Dei decorem et locum habitationis gloriae ejus curare debemus, ut quo spiritalis laetitiae nostrae manifestoria signa demus, divinorum beneficiorum, quae iis potissimum solemnitatibus recolimus, memoria excitati templa etiam ornatiora quam aliis diebus appareant, tum ad augustiorem cultum tum ad fidelium consolationem. Itaque natali Domini . . . festaque die s. patroni ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, parochialium, praesertim insignium, curet praefectus uniuscujusque ecclesiae pro locorum ratione proque facultatibus, ut januae etiam ornentur, prout tempora tulerint, tum parietes interiores atque intercolumnia peristromatis aulaeis, tapetibus sacrarumque imaginum tabulis exornata sint. Quo in apparatu ornatuque sacrae imagines etiam in ipsis foribus exhibeantur. Insignia vero et alia profana absint.*

Acta ecclesiae Mediolanensis editionis Patavinae part. 1. pag. 181. colum. 1.

Die 21. Aug. 1784. *Forolivien.*

7) Ornatus in eccles. Cappucinorum.

Indultum ornandi in diebus solemnibus altare s. Seraphini principalis patroni pretiosis supellectilibus pro confraternitate s. Seraphini in ecclesia ffr. Cappucinorum civitatis Lucanae erecta, non obstantibus constitutionibus dicti ordinis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. In supremo militantis ecclesiae solio per ineffabilem divinae clementiae providentiam meritis licet imparibus constituti ac pastoralis sollicitudinis officium, quantum in Domino possumus, omni ex parte implere satagantes ea interdum, quae alias sapienter a praedecessoribus Nostris fuerunt constituta, ob inconstantem hujus saeculi rerum et temporum conditionem immutare ac etiam moderari tenemur; tunc potissimum cum ad augendum divinum cultum, sanctorum venerationem et ecclesiarum decorem et ornatum comparandum magis magisque in Domino profutura conspicimus.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii congregati societatis sub invocatione s. Seraphini a monte Granaro in ecclesia conventus fratrum minorum s. Francisci Cappucinorum nuncupatorum civitatis Lucanae, canonice, ut asseritur, erectae, quod cum inter caetera munera ac oblationes, quae vel ab ipsa societate vel etiam ab aliorum christifidelium pietate ad altare s. Seraphini illorum patroni principalis jugiter efferuntur, interdum etiam eae sacrae supellectiles doneutur, quae tum regulari paupertati ecclesiarum et altarium fratrum ordinis praedicti tum illius constitutionibus haud quaquam congruere videntur, eaque propter nonnulli inter religiosos praedictos regularis observantiae solliciti sectatores offendantur, hinc, ut omnibus molestiis ac vexationibus, quae exinde in posterum forsan oriri facili possent, pro eorum religione obviam ire cupientes, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur sanctorum hominum, qui suis heroicis virtutibus millitantem Dei ecclesiam illustrarunt, venerationem nunquam satis promoveri arbitrantes, ut christifideles eorum exemplo inducti ac patrocinio et intercessione adversus saeculares illecebras adjuti proprius in vita bona Deo famulentur, praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes ac specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati congregatis praedictis, ut in posterum in omnibus solemnitatibus, quae ad altare s. Seraphini eorum principalis patroni in memorata ecclesia fratrum minorum s. Francisci Cappucinorum nuncupatorum civitatis Lucan. celebrabuntur, supellectilibus ac sacris ornatis, qui vel a fidelium pietate erunt oblati vel etiam ab eis comparabuntur, quamquam pretiosis et religiosi paupertati, quam de caetero fratres Cappucini praedicti in propriis servant ecclesiis, insolitis uti libere et licite possint ac valeant auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Caeterum in quocumque alio die et signanter feriato supellectilium ornatum simplicem et ecclesiae Cappucinorum omnimodo congruentem in supradicto altari servandum praecipimus et mandamus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 25. Februarii 1779.

(Bull. r. t. VI. p. 77. Ed. Romae.)

8) Portatile.

Utrum competit Cardinal., Episcop. et Regul.?

Vd. *Oratorium privat.* (missa in variis festis etc.).

Altari portatili seu viatico nequeunt hodie uti Regulares quicumque, quantumvis olim privilegiati, imo neque Episcopi et majores Praelati, etiamsi essent Cardinales ex novissimo decreto Clementis XI. edito 15. Decembris 1703, in quo expresse derogat omnibus privilegiis, etiam clausis in corpore juris, et interdicit uti tali altari portatili seu viatico Episcopis et his majoribus Praelatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, extra domum propriae habitationis, et quibuscumque Regularibus, quantumvis privilegiatis. Unde,

nisi adsit specialis concessio et novum privilegium posterius ipso decreto, nulli hodie licebat uti altari portatili seu viatico.

Disputatur etiam:

Num usus altaris portatilis primis ecclesiae temporibus invaluerit?

Van-Espen jur. eccles. univ. part. 2. lit. 5. num. 10. putat, aras viaticas VIII. ecclesiae saeculo primum in usu fuisse; quod idem sensisse videtur *Thomasin. de veter. et nov. eccles. discip. part. 1. lib. 2. cap. 25. n. 3.* Verum in alia sententia est *Gatt. de usu alt. portat. cap. 1. num. 11,* cum ejus usus ab apostolorum usque temporibus repetat. Confer *Benedictum XIV. de sacrif. missae lib. 1. cap. 2 num. 4.*

Ejusmodi porro mos celebrandi in aris viaticis stetit usque ad tempora concilii Tridentini, quod *sess. 22. cap. 9. de observan. et evitand.,* cum magnus circa id irrepsisset abusus, districte inhibuit Episcopis ne amplius alibi quam in ecclesiis oratoriisque divino cultui nominatim destinatis secretisque ac privatis domibus missae sacrificium celebrare facerent etc. Quo factum est, ut hodie nisi a summo Pontifice arae portatilis privilegium impertiri possit, nec amplius, ut antea, illud indiscriminatim concedere valeant Episcopi, nisi necessitate urgente, ut puta ob ruinas, pestem, incendia, expeditiones militares etc. Unde ejusmodi potestatem haud omnimode fuisse Episcopis sublatam sed tunc tantum, cum necessitas non urgeat justaque non adsit causa, contendunt *Rodrig. in sum. verbo: Missa,* et *Gatt. cap. 9. num. 7,* qui et *toto cap. 10.* fuse expendit causas, propter quas usus altaris viatici non est denegandus.

Ex his patet, antiquata etiam circa hoc fuisse quaecumque privilegia ante Tridentini tempora *Regularibus* concessa; quod et pluries statuit S. C. Concilii interpres, ut videre est apud laudatum auctorem *a num. 1. usque ad 10. cap. 13*, ubi et is recenset nonnulla ejusmodi privilegia quibusdam Regularium ordinibus post concilium Trident. concessa; quae ideo vigere etiamnum demonstrare pro virili parte conatur.

At ipsis *Episcopis* tale privilegium per conc. Trid. minime ademptum fuisse constat, adeoque Episcopi uti eo possunt etiam in domibus laicorum, utut in aliena dioecesi sitis. Quod vero ita est intelligendum, ut Episcopi ejusmodi privilegio uti non possint nisi ad propriam commoditatem, et (ut habetur ex novissimis Pontificum declarationibus relatis a *Benedicto XIV. epistola data 2. Junii 1751. ad Primat. etc. Poloniae)* tantum domi propriae habitationis, ubi scilicet vel moram trahunt ab ordinario domicilio in casibus a jure permissis, aut ob impetratam Sedis apostolicae licentiam absentes vel hospitio excipiuntur visitationis itinerisve occasione.

Verum praefati privilegii praetextu nec Episcopis permissum est in ara viatica offere in navi, et, ut quibusdam visum in Urbe, licet circa hoc posterius contra sentiat *Gatt. cit. cap. 12.*

Nulli igitur permissum est in navi offere nisi ex speciali apostolico privilegio, quod raro impertiri solet, *Gatt. cap. 11,* ubi etiam de peculiaribus quibusdam ejusmodi concessionibus mentio est.

Quod demum arae viaticae privilegio gaudeant S. R. E. *Cardinales,* res ipsa loquitur. Sed praeter eos nullos alios, quacumque auctoritate ac jurisdictione pollentes, dicto privilegio frui, cum tantum respiciat Episcopos et quidem consecratos, aut saltem praeconizatos, pluribus ostendit saepe *cit. Gatt. d. cap. num. 18. usque ad 22.*

Post decretum Clementis XI. 15. Decbr. 1703 certum est privilegia *Regularibus* concessa utendi altari portatili in eoque celebrandi sine Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino fuisse revocata per concil. Trid. Idemque declaravit *Bened. XIV. in bulla: Magno*) edita die 2. Jan. 1751. §. 29;* dicit autem *P. Mazzotta tom. 3. pag. 186.* hoc tamen intelligendum de domibus privatis, non vero de domibus ipsorum Religiosorum.

Innocentius XIII. ad Episcopos Hispaniae.

. . . . . Cum circa missarum celebrationem in privatis oratoriis necnon circa usum altaris gestatorii a recolen. memor. Clemente Papa XI. praedecessore etiam nostro opportunum decretum promulgatum fuerit die 15. Decembris anni 1703, Episcopi dent operam, ut omnia ibidem statuta etiam in regnis Hispaniarum serventur idemque decretum in suis respective dioecesibus, ut facilius omnibus innotescat, publicari faciant,

*) Vd. *Oratorium priv.* (missa in variis festis etc.

addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium cellis sive cubiculis erigatur altare pro re sacra ibidem facienda et contra quoscumque contravenientes censuris etiam ecclesiasticis procedant, adhibita quoad Regulares auctoritate Sedis apostolicae in memorato decreto ipsis delegata, remotaque quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili. Declaramus tamen, quod, cum in praedicto decreto statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis in domibus laicis erigere altare ibique sacrosanctum missae sacrificium celebrare seu celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a jure praemissis vel de speciali Sedis apostolicae licentia absentes a domo propria ordinariae habitationis moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis, his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis.

Dat. Romae 23. Maji 1723.

(Bull. r. t. XIII. pag. 64. Ed. Luxbg.)

Usus altaris portatilis religiosis societatis Jesu restituitur, non obstante concilii Tridentini dispositione, ut in eorum missionibus, quae a Superioribus eorum fiunt, ubique in loco tuto missam celebrare et Eucharistiam ministrare possint.

Gregorius Papa XIII. dilectis filiis praeposito generali et presbyteris societatis Jesu.

§. 1. Usum altaris viatici societati vestrae a felicis recordationis Paulo Papa III. concessum deinde a concilio Tridentino universe sublatum vobis eatenus restituimus, ut inter missiones, quae a Superioribus fiunt, presbyteri vestri, servata alias forma dictae concessionis, missae sacrificium licite valeant celebrare super hujusmodi altare ubique gentium, etiam in castris militum, modo loca, etsi communia et profana, tuta et honesta sint et generalis aut per eum provinciales praeposito eo tum utendum fore judicaverint. Itidemque possint ibi presbyteri ipsi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debite praeparatis.

§. 3. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Eadem porro fides ubique detur praesentium exemplis, eo quo solent alia in vestra societate transumpta modo munitis, quae daretur ipsis praesentibus, si exhiberentur vel ostenderentur.

Datum Romae apud sanctum Petrum.

Die 1. Octobris 1579.

(Bull. r. t. VIII. pag. 298. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Episcopus gaudens, prout est de more, privilegio altaris portatilis licite potest, si forte sit aliquando morbo impeditus, jubere ut aliquis ex sacerdotibus sibi benevisis super idem altare portatile decenter collocatum juxta cubiculum suum sacra peragat ad devotionis solatium.

Tarvisin. 12. Mart. 1836.

9) Remotio et restitutio.

Vd. *Altare* (confraternit. p. 492; translatio p. 508.)

Lucana.

Labente saeculo XIV., dum tota fere Europa gravibus afficiebatur aerumnis, genquaedam *de' Bianchi* nuncupata, suscepta ad placandam divini Numinis iram peregrinas tione ex Hispaniis Lucensem civitatem petiit, ibique dono reliquit simulacrum ssmi Crucifixi. Sacrae hujus effigiei causa ab eo usque tempore templum exstructum fuit ac sodalitium canonice erectum, cui nomen *de' Bianchi* datum est. Ut pietate ac religione ita et magnificentia excelluit societas illa, quae sequiori aevo templum et altare praetiosa supellectili ac marmoreo opere ditavit posito lapide Jesu Christo crucifixo Sacrum.

Ast ubi etiam Lucensis civitas licet invita communi cedere debuit fato sodalitium illud suppressum est ejusque bona *Demanium* usurpavit publicae licitationi exponenda. Id praevidens Lucanus Antistes, ut SSmi Crucifixi effigiem in tuto collocaret, eam deposuit penes parochialem ecclesiam s. Michaelis in foro. Hoc accepto deposito parochialis ecclesiae deputati postularunt a tunc dominante regimine concessionem altaris, septi marmorei ac integrae molis existentis in ecclesia suppressi sodalitii ac jam addictae simulacro ssmi Crucifixi. Voti compotes facti haec omnia ad ecclesiam s. Michaelis operis pii sumptibus transtulerunt et in sacello, in quo ssmum Eucharistiae Sacramentum asservatur, veteri destructo altari, collocarunt.

Rebus ad pristinam tranquillitatem revocatis sodalitium auctorante Archiepiscopo revixit ejusque confratribus data est facultas recuperandi SSmam imaginem cum aliis rebus sodalitii, quia haec depositi tantum titulo concessa ab Archiepiscopo fuerant paroeciali s. Michaelis ecclesiae. Simulacrum tamen unum post aliquod temporis restitutum fuit, non caetera ornamenta. Id itaque in causa fuit, cur deputati sodalitii regiam majestatem Mariae Aloysiae Borboniae, interim Lucense dominium adeptae, pro restitutione altaris aliarumque rerum jam ab Archiepiscopo decreta adierunt. Tunc quoque administratores operis pii seu paroeciae s. Michaelis, ubi hac de causa eversum fuerat praeexistens altare, se tamen paratos exhibuerunt ad restitutionem, modo sodalitium aliud decens altare ibi extrueret ad ssmum Sacramentum asservandum, quod conforme esset ecclesiae structurae. Verum summa, qua pollet, religione, regia illa majestas a quovis ferendo judicio sese abstinuit ac dissidentes partes remisit ad Archiepiscopum, qui eas aequa conciliatione componeret, sin minus ad competens forum remitteret.

Nulla obtineri potuit compositio; hinc sodalitium coram curia archiepiscopali in jus vocavit administratores operis pii s. Michaelis postulans, ut damnarentur ad restituendum: *l'altare di marmo, la balaustrata, il parato di Damasco Cremisi ec, e generalmente tuttociò, che ritrovasi e che ivi deve ritrovarsi di pertinenza della confraternità suddetta.*

Praenotandum in facto est, reginam Mariam Aloysiam, summo quo undique fulget religionis zelo ac eximia pietate, adepto vix Lucensi dominatu, ad suppressa loca pia in pristinum statum revocanda oculos convertisse. Quia tamen invenditum illorum patrimonium licet a sua munificentia non parum adauctum insufficiens erat ad illa omnia redintegranda confraternitatibus in suppressionis statu relictis, ad paraecias, collegiatas ecclesias ac nonnulla caenobia primario suum intendit animum, quibus bona illa aequa et convenienti adhibita proportione assignare excogitavit SSmus datis apostolicis literis anno 1818 Lucensi Archiepiscopo tribuens facultates opportunas ac ita decernens: *Volumus singula capitula, paraecias etc. tam redditus et bona sibi respective assignanda, tamquam sua possidere, etiamsi ad alia loca pia et personas ecclesiasticas antea pertinerent.*

Prodiit curiae archiepiscopalis sententia, in qua condemnati fuerunt administratores operis pii s. Michaelis ad restituendum deputatis sodalitii altare et septum marmoreum atque ornatum sericum rubri coloris sub his conditionibus:

Primo, ut amotio et asportatio fieret expensis sodalitii. *Secundo*, ut hoc teneretur exsolvere summam necessariam pio operi pro reconstructione alterius altaris, quod forma et bonitate vetus adaequaret ad eamdem ecclesiam pertinens, modo destructum et insuper pro repositione capellae ssmi Sacramenti in eo statu, in quo erat ante erectionem altaris, de quo agitur. *Tertio*, ut amotio et asportatio inchoari deberet post tres menses proxime decurrendos a die, qua praefato operi pio praedicta summa fuisset soluta.

Ab hac sententia fuit utrinque interposita appellatio. Sed praeivere preces oblatae ab administratoribus operis pii s. Michaelis, quibus rescriptum est: *Archiepiscopo pro informatione et voto auditis praesertim confratribus sodalitii ssmi Crucifixi, eisdem praefixo termino duorum mensium ad deducendum jura sua in sac. Congregatione.*

Cum sodalitii deputati ab Archiepiscopo intimati (qui tamen a quovis ferendo voto se abstinuit) in jus vocaverint administratores pii operis s. Michaelis, duo concordata fuerunt dubia ac hodie causa proponitur distributis ex utraque parte allegationibus.

Altaris remotioni, de qua quaeritur in *primo dubio*, locum non esse dicit, quo operis pii jura tuetur. Legitimo enim titulo altare quaesitum fuit a magisterio *delle Finanze* ac legitime nunc ab eo possidetur, quia nunc suppressum erat sodalitium ac modo etiam in suppressionis statu manet ob non sequutam ejus reintegrationem, qua stante capitis diminutione nequit remeare jure postliminii ad primaevam status conditionem quoad civiles effectus; ac proinde nulla ei competit actio ad rem vindicandam, cum nequeat judicii limina ingredi, *Donell. de jur. civil. lib. 21. cap. 5. §. 21. tom. 2. edit. Lucen. col. 1071.* Quod praesertim in themate locum habet, cum Sanctissimus voluerit confraternitates in suppressionis statu manere ac ipsarum bona redintegratis locis piis assignari, ad quae ista jus nullum habebant; unde multo magis ipsis jus tribuit

retinendi ea, quae ex justo et oneroso titulo jam sibi quaesiverant: jamvero opus pium altare sibi quaesivit publicae licitationi exponendum, et propriis sumptibus illud transtulit et ecclesiae s. Michaelis aptavit, veteri destructo altari. Officit praeterea ejus remotioni deformitas ecclesiae, quae non est permittenda; cujus imo splendori s. Pontifex bonorum assignatione ipsi facta consuluit; quod si legibus civilibus sancitur avelli non posse, quae aedificiis adhaerent et ornatum praebent, licet aliena omnisque vindicatoria actio denegatur, ne urbis ornatui detrimentum afferatur, ut ex. gr. de tigno cautum est *in text. §. 29. instit. de rer. divis. et acquir. ipsar. domin., ibique Vinn. com. n. 3; Voet. in pandectas tit. de rei vindicat. §. 29,* multo magis id de ecclesia est sentiendum, quam utpote Deo dicatam squalore deturpari indignum est.

Additur aliud argumentum ex rei mobilitate petitum, quae jure belli ab hoste distracta a quocumque potest acquiri, *text. inst. §. 17. loc. cit. et Voet. loc. cit. §. 9;* quin in facto obstet, altare esse rem sacram, ab hominum commercio exemptam; nam id jure caesareo et canonico locum habet, ubi altaris nulla facta fuerit amotio; contra vero si fuerit destructum, desinit esse sacrum et redditur execratum ad *text. in can. 19. Si motum dist. 1. de consecrat.*, et sancivit *Alex. III. in cap. 1. de consecrat. eccl. vel altaris, ibique Gonzalez n. 15, Reiffenstuel eod. tit. §. 2. n. 38.* et s. Rituum Congregatio teste Ferrario in append. suae bibliothecae sub rubrica: *Decret. s. Rit. Congr. n. 876;* jam vero altare, de quo agitur, jam occupatum amotumque fuerat, ab invasoribus, potuit ergo licite acquiri et retineri, in loco tamen honesto et decenti ex laud. *s. Rituum Congregatione in Reatina 9. Maji 1606.*

Ex his concludit operis pii defensor, inutilem esse disputationem super *altero dubio*, quod inquirit, cujus sumptibus facienda sit illius remotio et respectiva aedificatio seu subrogatio alterius altaris in ecclesia s. Michaelis.

Contra vero sodalitium *de' Bianchi* sibi restituendum esse altare cum ornamentis contendit, cujus dominio fruebatur a vetustissimo tempore, ac proinde sibi competere actionem rei vindicatoriam ex ipso dominio profluentem: *text. in leg. 1. §. 1. ff. de rei vindicatione, leg. 21. Cod. mandati; Voet. ad pandect. lib. 6. tit. de rei vindic. n. 2.* Ad singulas deinde exceptiones ab adversariis propositas diluendas descendit. Primo enim advertendum est, administratores pii operis sine ulla dominii translatione altare et ornamentum accepisse, sed provisorie ac tantum depositi titulo, ut patet ex eorum supplicatione magisterio *delle Finanze* porrecta, quae in summario favore sodalitii distributo refertur. Deinde cum injusta fuerit suppressio ac bonorum usurpatio, ad horum vindicationem jus habuit jure postliminii praesertim cum sodalitium ad pristinum statum illico post restitutas res revocatum fuerit ab Archiepiscopo, qui illi facultatem fecit reserandi ecclesiam et res proprias recuperandi, quam redintegrationem non semel adversarios fassos fuisse probat sodalitii defensor. Deinde bullae summi Pontificis sensum interpretatur, quam praesenti controversiae non obesse dicit, ac demum ecclesiae deformationem excludit, quae talis non est, ut remotionem altaris et adnexae molis impediat.

Quoad secundum dubium probare contendit mala fide peractam fuisse altaris et ornamentorum translationem necnon illorum erectionem in ecclesia s. Michaelis; ex quo consequitur, altare ac ornamenta sumptibus adversariorum esse restituenda, *text. in l. 2. ff. de rei vindicat.* Sumptibus etiam administratorum operis pii novum altare esse substituendum, cum ex arbitrio tantum ipsorum haec fuerint peracta, non enim dono acceperant ssmi Crucifixi simulacrum, quod hujus constructionis causa fuit, sed *depositi* tantum titulo. Fusius quae ab utraque parte afferuntur ex allegationibus noscent EE. PP., ut respondere possint concordatis dubiis:

I. *An sit locus remotioni et restitutioni altaris in casu etc.?*

II. *An et cujus sumptibus sit facienda remotio et subrogatio alterius altaris in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative in omnibus.

Ad II.: Affirmative quoad remotionem sumptibus sodalitii *de' Bianchi*, quo vero ad subrogationem alterius altaris sumptibus operis pii s. Michaelis.

Die 15. Julii 1820.

Continuatio.

Obtento statim a defensoribus pii operis s. Michaelis novae audientiae beneficio siluit causa, donec in praeterito mense Februario

ab iis Sanctissimo Domino Nostro preces porrectae fuerunt, in quibus post expositam factorum seriem et redditum a s. Congregatio judicium postulabant »*che venga ordinato alla commissione amministrativa dei Beni ecclesiastici Lucchesi di remettere la capella dell augustissimo Sacramento con un nuovo altare di marmo, ovvero in linea di conciliazione ordinare, che resti fisso l' altare della compagnia in s. Michele, a condizione che dagli operaj paghino alla compagnia predetta scudi cinquanta sufficienti a costruire un nuovo altare di stucco allusivo alla fabrica stessa di quell' oratorio.*«

Nova isthaec instantia remissa fuit »*alla Congregazione del Concilio*«, eique statim adjectum est assuetum rescriptum: »*Reproponatur in folio citata parte.*« Cum vero jam properaret repropositionis dies, postulavit operis pii procurator, ut de ea cognosceretur ab eminentissimis Patribus in die propositionis causae; ejus instantiam dimisi decreto »*utatur jure suo*«, *in Congregatione diei 15. Septembris proxime futuri jam destinata.*

Hodie igitur reproponitur causa, de cujus meritis nihil addendum censeo praeter ea, quae jam collegi in folio *dici 15. Julii* praeteriti, quod reassumere precor. Reddito enim jam semel judicio fasces submittere videntur operis pii s. Michaelis moderatores, cum nihil contra latam resolutionem deduxerint, distributa tantum allegatione ex parte sodalitii sanctissimi Crucifixi.

Quod si placeat eminentissimis Patribus aliquid concedere novis operis pii precibus, poterunt pro eorum sapientia et aequitate *modum* adjicere in dubiis, quae dirimenda proponuntur:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu etc.?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I.: In decisis, et amplius.

Ad II.: In decisis et ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem.

Die 15. Septembris et 24. Novbr. 1821.

10) Restauratio a patrono.

Vd. *Utensilia sacra* (subministratio).

Cum altaria in Regularium ecclesiis quandoque reperiantur de aliorum jure patronatus, quibus nulla vel exigua sane est dos assignata, quaeque paramentis necessariis privata ac vetustate consumpta, ruinam minentur in grave dedecus ecclesiarum hujusmodi et ad divini cultus praejudicium, moneri debent patroni hujusmodi a locorum Ordinariis, ut infra brevem aliquem sed competentem terminum ea restaurent, dotent ac ornent; qui si id facere detrectaverint, vel demoliantur hujusmodi altaria vel iidem patroni omni jure et actione in iis competentibus priventur. Sacr. Congregatio Episcop. et Regul. *in Mutinen. 16. Januarii 1604*, refert *Barbosa de jure eccles. univers. lib. 2. cap. 7. num. 28. et collect. decis. apost. verb.: Altare, num. 6.*

11) Tituli translatio.

Altaria, a quibus alio translati fuerunt tituli et imagines, remanente tamen mensa consecrata, non indigent nova consecratione, cum altaria non Sanctis sed Deo in honorem Sanctorum dedicentur.

Brixinen. die 7. Julii 1759.

12) Translatio ab eccles. diruta ad aliam.

Vd. *Imago* (translatio).

Demolitione permissa onerum et missarum translatio necessario permittenda est, quamobrem s. synodus Tridentina *sess. 21. cap. 7.* jubet, »ut Episcopi etiam tamquam apostolicae Sedis delegati transferre possint beneficia ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsa sunt et ob eorum inopiam nequeunt instaurari, sub lege tamen ut erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus« vel saltem apposita icone s. Titularis diruendi sacelli, ut statuit s. Congregatio in *Patavina 11. Julii 1801.*

Die 15. Maji 1802. *Nullius seu s. Laurentii.*

Permissa est translatio altaris, ut praescribit Tridentinum, scilicet dummodo onera, si quae sunt, transferantur et capella vel altare *sub iisdem invocationibus* alio erigantur vel saltem icon s. Titularis in aliquo sacello apponatur, quemadmodum statuit s. Congregatio *in Patavina 11. Julii 1801.*

Die 16. Aug. 1806. *Fanen.*

13) Translatio ab oratorio publ. in eccles. paroch. concessa.

Pia familia N. suae domui contiguam habebat sacram aediculam seu publicum oratorium, quod ideo a vetusta aetate fuerat aedificatum, ut commoditati esset eidem familiae. Haec autem familia, tamquam patrona, oratorii manutentioni sacrisque in eo perlitandis consulebat; hujus rei causa redditus ex duobus vineis provenientes eidem oratorio adsignaverat.

Recentiori autem tempore cum familiae bona pluribus haeredibus dispertita eaedemque vineae absque ullo onere cuidam cognato patrono donarentur, tum qui donavit tum donatarius aediculae decori celebrationique missarum prospicere curarunt. Cum vero domus, cui aedicula conjuncta erat, pluribus familiis deinde locata fuisset, ipsa sacra aedicula inculta fatiscebat atque officiis religiosis inde neglectis ejus decori non amplius prospiciebatur.

Patronus, in cujus dominio aedicula erat, ut dedecus removeret, eum locum in profanos usus convertere cogitavit atque simul divino cultui alia ratione consulere; itaque suum propositum ssmo Patri articulis, qui sequuntur, exposuit:

1. Altare sancti titularis et Crucifixi iconem, quae pretiosa erat, translatum iri in ecclesiam parochialem, cujus ipsa familia erat patrona, ibique congrue compositum propriis patroni sumptibus.

2. Paroeciam sibi onus suscepturam prospiciendi decori altaris celebrandique quotannis diem festum s. Titularis etc.

3. Patronum cautionem daturum solvendi singulis annis ducat. 20 etc.

Communicatis his precibus Episcopo, ut suam aperiret sententiam atque audito parocho referret de valore annui redditus et oneribus utriusque vineae etc., Episcopus et parochus precibus patroni suffragati sunt, cum de aedicula ageretur, quae nullum caeteroquin populo afferebat commodum, ut quae in loco minime prospero sita esset, quaeque populo ipsi raro pateret. Ut vero nosceretur quanti aestimanda essent coementa et area oratorii, necnon quot essent redditus vinearum, binas relationes idem Antistes transmisit, a deputatis peritis exaratas. Monuit denique, actis curiae perquisitis, nullum documentum reperiri potuisse, quod fundationem oratorii respiceret.

Ea, quae ex officio adnotata sunt. Relatus est textus Tridentini concilii *sess. 21. c. 7. de ref.*, quo legitur: »Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant et ex hominum memoria excidant, Episcopi, etiam tamquam apostolicae Sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint, et ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo: atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem invocationibus, vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis . . .« Quod si ob inopiam instaurari ecclesiae nequeant, ipsa s. synodus praeter haec tribuit etiam Episcopis facultatem ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

Ad normam autem hujus decreti, subjungebatur, s. Congregationem in causis eidem porrectis modo demolitioni ecclesiae obstitisse, ut *in Ravennaten. 29. Julii 1775*, et *in Aesina Demolitionis 26. Aug. 1780;* modo cognita legitimarum causarum existentia locum esse ecclesiae demolitioni respondisse: inter ejusmodi vero causas non ultimum habere locum irreverentiae periculum, quod facilius datur in desertis aediculis, maxime autem si populus nullum commodum ex eis percipiat.

Quare *in Fermana Aediculae die 12. Dec. 1761* proposito dubio:

An liceat PP. Minoribus conventualibus Firmi claudere et in alios usus convertere aediculam s. Antonii abbatis atque onera missarum sint transferenda ad altare eidem Sancto dicatum et existens in eorum ecclesia majori ejusdem civitatis in casu?

responsum prodiit:

Affirmative, cum onere augendi missas juxta votum Vicarii.

Item *in Viterbien. Translationis die 22. Junii 1861* proposito dubio:

An sit locus profanationi ecclesiae, de qua agitur, ac respective translationi tituli beneficii cum adnexis oneribus in casu?

responsum est:

Affirmative in omnibus, servatis tamen praescriptionibus concilii Tridentini *sess. 21. c. 7. de ref.*

Quatenus autem EE. Patres aediculam in profanos usus converti posse censuissent, prospiciendum esse translationi ss. supellectilium et onerum missarum, quae celebrari in ea aedicula consueverint: quamvis enim Episcopus reperire non potuerit fundationis

documentum, satis tamen patronus se paratum exhibebat ad ejusmodi onera in posterum implenda, adsignatis ducatis annuis 20. Quare in quadam *Terracinen. diei 14. Apr. 1764* propositis dubiis:

I. *An sit locus profanationi ecclesiae ruralis s. Nicolai in casu?*

II. *An sacrae imagines, supellectilia et onera quaecunque in eadem ecclesia existentia transferri et respective adimpleri valeant in ecclesia propria Monialium in casu?*

responsum est

Ad I.: Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II.: Affirmative.

His aliisque ex officio animadversis, precibus s. Congregationi concilii 22. Dec. propositis, sequens datum est rescriptum:

Adprobandam esse propositam transactionem et conversionem juxta votum Episcopi capta tamen inscriptione hypothecaria super fundis stabilibus pro securitate annui redditus duc. 20, usque dum tradatur summa capiti respondens legitime et tute investienda favore altaris cura Episcopi, qui caveat etiam ne in sordidos usus aedicula deserenda convertatur.

Die 22. Decembris 1866.

Ex his colliges:

I. Concilium Tridentinum valde comendasse Episcopis, ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant et ex hominum memoria excidant.

II. Quare si contingat ecclesias collabi, quin ob earum inopiam instaurari queant, beneficia simplicia et reliqua pia relicta in aliam ecclesiam transferenda esse ad normam dicti decreti.

III. Cavendum esse ne collapsae ecclesiae in sordidos usus convertantur.

IV. Inter causas legitime convertendi ecclesias in profanos usus, minime, si eae parvae sint, censeri earundem desertionem, ob quam fatiscant locumque aperiant irreverentiae et dedecori, quin populus ex earundem instauratione fructum percipiat.*)

14) Visitatio.

Vd. *Visitatio altaris.*

*) Si agatur de ecclesiis parochialibus fatiscentibus, multo difficilius deveniendum est ad earundem demolitionem vel conversionem in profanos usus, quemadmodum ex Tridentino decreto eruitur; namque hoc in casu omnia experienda prius sunt remedia juris: exemplo sit quaedam causa restaurationis ecclesiae parochialis agitata in *S. C. Concilii die 27. Julii 1861.* Ecclesia parochialis cujusdam oppidi praesentissima indigebat reparatione; nobilis ecclesiae ejusdem patrona a reparatione abstinebat: Propositis dubiis:

I. *An patrona (NN.) teneatur restaurare ecclesiam parochialem oppidi (N.)?* et quatenus negative,

II. *An, a quo et quomodo sit providendum restaurationi in casu?*

responsum prodiit

ad I.: Affirmative, praefixo patronae termino trium mensium ad perficiendas reparationes, quo inutiliter elapso, esse locum amissionis jurispatronatus.

Ad II.: In casu amissionis teneri populum et possidentes per aes et libram, idest facta proportione bonorum cujusque.

Alternativa.

1) Quoad beneficia.

a) Quae beneficia complectitur?

Alternativa concessa Episcopo residenti comprehendit beneficia tam intra quam extra suam dioecesim existentia, dummodo collatio ad eum spectet; *Rota part. 15. decis. 291. n. 8. cum seq.*

Alternativa habet locum solum in beneficiis, quae sunt liberae collationis Episcopi; sic expresse ipsamet *Regula 9. alias 8. cancellariae* per verba mox citanda; *Rota recent. part. 3. decis. 165. num. 3, part. 4. tom. 2, decis. 247. n. 2, part. 10. decis. 299. n. 11, part. 11. decis. 319. n. 3, part. 31 decis. 127. n. 9, part. 15. decis. 30. n. 12; Card. de Luca de benefic. disc. 5. sub n. 8 et seq., disc. 17. n. 4, disc. 18. n. 2 et 10, disc. 63. n. 4; Gonzalez, Garcias, Castropal., Leurenius cum La Croix* et alii passim; non autem in beneficiis, quae non sunt liberae et simultaneae collationis Episcopi cum capitulo, aut ad praesentationem, electionem seu de consilio, consensu vel interventu capituli vel aliorum. Habetur expresse ex verbis dictae *Regulae 9. alias 8. cancellariae,* ibi: *Ad liberam ipsorum dumtaxat non autem aliorum cum eis dispositionem seu praesentationem vel electionem,*

nec etiam cum consilio vel consensu seu interventu Capitularium vel aliorum aut alias pertinentibus; Rota part. 3. decis. 683. num. 1, decis. 686. num. 4., part. 4. tom. 1; decis. 245. num. 1; dec. 336. num. 3., par. 10; decis. 49. num. 1. et 14; decis. 299. num. 15. et 19. par. 18. tom. 2; decis. 635. num. 3. et 5, par. 19. tom. 1, decis. 274. num. 8. Et sic communis doctorum cum supra citatis.

Si autem collatio beneficiorum pertinentium ad Episcopum una simul cum capitulo vel cum aliis ex concordia partium sit alternis vicibus cuilibet reservata in suo turno, juxta *Clementin. 2,* et ibi *Gloss. in verbis alternis vicibus de jure patron.,* poterit Episcopus uti alternativa in dictis beneficiis vacantibus in anno vel turno suo et in mense alternato; *Rota in Salamatina Alternativae 22. Octobris 1581 coram Robusterio, Garcias de beneficiis part. 5. cap. 1. num. 726,* ubi dicitur hoc procedere, etiamsi concordia non sit confirmata*); et ratio est, quia beneficia stante hujusmodi concordia et turno dicuntur pertinere ad liberam collationem Episcopi et non una cum capitulo seu cum aliis; totum enim jus conferendi pro illa vice censetur translatum ex vi concordiae in illum solum, qui est in turno et non dicitur divisus usus tantum, sed totum jus conferendi est penes ipsum solum etiam jure proprio et non jure communi; tum quia alternativa est favorabilis et consequenter late interpretanda in favorem Episcoporum: *arg. cap.: Odia 15. de regul. juris in 6,* ibi: *Favores convenit ampliari,* et ex *cap.: Olim. 16. de verb. signif.:* Beneficia Principum sunt largissime interpretanda.

Alternativa habet locum in beneficiis, quae sunt liberae collationis Episcopi. Beneficium autem liberare collationis ad hunc effectum dicitur illud, quod excludit factum seu concursum alterius; nam ubi requiritur electio, praesentatio, nominatio, consensus, consilium, interventus aut quocumque alio modo dispositio alterius, beneficium non dicitur liberae collationis; *Van-Espen in jus eccles. univ. p. II. tit. 23. cap. 6. num. 21.* Et ad hunc effectum magis attenditur quasi possesio, quam proprietas; *Gonzalez gloss. 45. §. 2. per tot.; Garc. de benef. part. 5. cap. 1. num. 478.*

In beneficiis simultaneae collationis Fpiscopi cum capitulo, si collatio ex concordia partium sit alternis vicibus cuilibet reservata in suo turno, posse Episcopum gaudere alternativa, intellige si divisio percutiat substantiam et proprietatem juris conferendi, nec sufficit, quod inter ipsum et capitulum divisum fuerit solum exercitium simultaneae, juxta receptiorem sententiam, quam reprobato nominatim *Gonzal. firmat Barb., Vot. decis. 95. num. 10 et seq.; Piton. de contr. patron. alleg. 100. num. 17.*

Quando divisio simultaneae collationis inter Episcopum et capitulum est facta per menses, tunc, si Episcopo contingant *Martius* et *September*, habet locum alternativa, secus si *Junius* et *December*, quia alias capitulum amitteret jus conferendi beneficia in dictis mensibus vacantia, *Garzias de benefic. p. 5. cap. 1. num. 711.*

Stante simultanea beneficiorum collatione inter Episcopum et capitulum, non potest Episcopus ad illius divisionem provocare et cogere capitulum invitum ad dividendum; *Rota in Hispalen. Divisionis simultaneae 11. Februarii 1607 coram Muto et 4. Junii 1700 coram Priol.*

*) Alienum a vero videtur: *„Hoc procedere etiamsi concordia non sit firmata“* quia quando concordia super illius divisione inita aut non fuit per Sedem apostolicam confirmata aut confirmata fuit cum clausula: *Salvis apostolicis reservationibus,* tunc nec favore Episcopi locus erit alternativae in provisione beneficiorum simultaneae collationis cum capitulo.

b) Concessa quibus est?

Vd.: *Alternativa quoad beneficia* (Episcopi p. 512.)

Alternativa conceditur solis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, non autem Praelatis et collatoribus inferioribus nec cathedrali capitulo; *Rota in Salamantia Alternativae 22. Octobris 1581. coram Robusterio; Card. de Luca de benefic. disc. 93. num. 12. in summario num. 100; Laurea. q. 570; Garcias part. 5. cap. 1. num. 683, et seq.; Riccius in praxi par. 3. resol. 4. et 5.; Coccin. decis. 51; Gonzal., Castropal.* Et hoc non solum colligitur ex litera *Regulae 9., alias 8.*, quae loquitur tantum de ipsis, sed etiam ex ratione, quae fuit ejus causa, alliciendi scilicet Episcopos ad residentiam, quae ratio non adeo in Praelatis inferioribus desideratur neque capitulis congruit.

Alternativa non conceditur nisi Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis. Hinc si Episcopus uti Abbas et possessor monaste-

rii, jus habeat conferendi beneficia a monasterio dependentia, non potest in illorum collatione gaudere alternativa, quia ea non confert uti Episcopus sed tamquam Abbas et collator., inferiore *Cardin. de Luca de benef. disc. 93. num. 12, Piton. discept. 95. num. 12.*

Sed contrarium locum obtinet, quando abbatia est incorporata et subjective unita mensae episcopali; *Piton. dict. discept, 95. num. 22; Rigant. post alios ad d. regul. 9. cancell. in pag. 2. §. 1. num. 16.*, et *Rota* a prius decisis recedendo *coram Herrera dec. 148. num. 4. et 5.* confirmata *5. Maji 1726 coram Crispolto 20. Januar. 1727, coram Nunez. et 16. Januar. 1728. coram Corio.*

An beneficio alternativae gaudere possint Praelati inferiores habentes territorium separatum cum jurisdictione quasi episcopali? Negativam tuentur *Van-Espen in jus eccles. univ. p. 2. tit. 23. cap. 6. num. 5; Prosper. de territ. separat. qu. 27. num. 41. et 42;* late *Piton. discept. eccles. 95. a n. 24. et seq. et num. 39, in fine.*

c) Contractus est.

Vd.: *Alternativa quoad benef.* (recessus p. 516.)

Alternativa proprie *gratia* non est, sed *contractus* Pontificem inter et Episcopum. *Amidenn. de stylo Datar. lib. 1. cap. 29. num. 3. et seq.; Ros. de resid. Episcop. cap. fin. num. 18.*

d) Devolutio.

Episcopo negligente conferre beneficia, in mensibus alternatis vacantia devolutio fit immediate ad Papam; *Lotterius de re benef. lib. 2. q. 24. num. 36.*

e) Episcopi, quando intercedit?

Vd. *Alternativa quoad benef.* (origo p. 516; concessa quibus est? p. 511; quae beneficia complectitur? p. 510.)

Alternativa ut gaudeant Episcopi, requiritur, quod per patentes literas manu propria subscriptas suoque sigillo munitas et in sua respective civitate vel dioecesi datas expresse declarent se hujusmodi alternativam acceptare et literas ipsas ad Datariam summi Pontificis transmittant; quibus ab eo receptis et recognitis ac in libro ad id deputato registratis tunc solum et non antea possunt incipere uti gratia talis alternativae. Sic expresse statuitur in citata regula nona, alias octava, cancellariae. Ex tempore igitur habitae notitiae registrationis seu adnotationis suarum literarum factae in Dataria apostolica incipit Episcopus gaudere jure alternativae, quae operatur, ut menses alternati subrogentur loco aliorum. *Rota recent. par. 3. decis. 379. num. 2.* Et sic mensis, quo Episcopus gaudet alternativa, non est amplius apostolicus sed ordinarius, *Rota par. 4. tom. 1. decis. 336. sub n. 1. et par. 13. decis. 127. num. 3.* Unde cessat reservatio ratione mensis et illa inducta per *Extravagant.: Ad regimen.; Rota dict. decis. 127. num. 5.* Hinc Episcopus in alternativa lucratur menses *Aprilis et Octobr.* et cedit *Martium* pro *Februario* et *Septembrem* pro *Augusto;* menses autem *Junii* et *Decembris* nec lucratur nec cedit, sed illos retinet, ut prius, qui ideo menses fixi solent appellari, *Barbosa par. 3. de offic. et potest. Episc. allegat. 53. n. 40; Rota* et alii mox citandi.

Unde notandum est, quod sicuti Papa retinet sibi medietatem suorum octo mensium scilicet Januarium, Majum, Julium et Novembrem, in quibus nullo casu vult posse competere jus aliquod Ordinario etiam perpetuo residenti, ut patet in cit. Regul. nona alias octava, cancellariae et ideo vocantur menses fixi et perpetuo reservati Sedi apostolicae, sive Episcopus gaudeat alternativa sive non, ut observat et tenet communis doctorum cum *Rota recent. par. 5. tom. 2. decis. 440. n. 5., par. 9. tom. 1. decis. 298. num. 4, par. 9. tom. 2. decis. 389. num. 6; decis. 468. num. 3., par. 13., decis. 223. n. 8., par. 16. decis. 192. num. 6., par. 18. tom. 1. decis. 232. n. 3., part. 11. tom. 2. decis. 540. num. 16, par. 19. tom. 2. decis. 468. num. 8.* et saepe alibi. Ita aequissimum est, quod etiam Episcopus sibi retineat medietatem suorum quatuor mensium, scilicet *Junium et Decembrem*, in quibus nullum unquam jus possit competere Papae, etiamsi post acceptationem alternativae Episcopus non resederit et ideo menses *Junii* et *Decembris* appellantur menses fixi pro Episcopo. Non enim potest dici, quod concedantur a Papa per alternativam Episcopo, quia, licet in ea fiat mentio etiam de his duobus mensibus causa demonstrationis, conditio tamen et onus residentiae non censetur appositum respectu illorum sed aliorum quatuor, qui per alternativam de novo conceduntur. Dicti autem duo menses,

cum jam fuerint proprii Episcopi, sine alternativa remanent proprii et fixi pro Episcopo, sive alternativa est acceptata sive non, etiamsi post acceptationem Episcopus non resederit. Sic *Rota in una Papiensi Beneficii 10. Aprilis 1617,* in qua responsum fuit quoad dictos duos menses fixos, quod nulla potest considerari reservatio, ex eo quod Papa neque in prima parte regulae neque in secunda eos reservat et ita illos fixos etiam appellat; *Rota in una Giennen. Canonicatus penes Burat. decis. 242. num. 1,* ibi: *Nam Canonicatus, de quo agitur, non est reservatus ratione mensis, cum vacaverit de mense Junii, qui semper est ordinarius et fixus.* Et ita tenet *Barbosa de offic. et potest. Episcopi part. 3. allegat. 13. num. 38. et 44; Card. de Luca de benefic. dis. 18. num. 4, disc. 93. num. 13 et 14; Garcias par. 5. cap. 1. sub num. 56. circa finem* et fuse *Pyrrhus Corrad. lib. 3. cap. 6. num. 2 et 4,* ubi testatur sic tenere et servare Datariam et Cancellariam.

Contrarium tamen non improbabiliter tenent *Gonzalez ad Regul. 8. Gloss. 43 sub num. 122, Lotter. q. 41. num. 38.* et alii, quia Papa concedit Episcopo gratiam alternativae acceptanti, ut possit omnia beneficia vacantia in mensibus *Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris et Decembris* conferre, quamdiu apud ecclesiam et dioecesim suam resederit dumtaxat. Unde si non resideat in mensibus *Junii et Decembris* conferre dicunt ipsi non poterit, quia sic intrat reservatio, cum concessum sub conditione residentiae ad textum *in l. Pecuniam ff. Si cert. per l. Item quia ff. de pactis,* cum aliis adductis per *Gonzalez loc. cit.;* tum quia, ut dicit *Antonel. de tempore legal. lib. 3. cap. 1. n. 25,* ideo per alternativam Papa concedit sex menses Episcopo, cui alias non dantur nisi quatuor, ut cum hoc lucro et augmento compensentur necessitas et obligatio residendi in omnibus sex mensibus; *arg. l. Eum qui 30. ff. de jurejurand.* et *l. Fendi partem 79. ff. de contrah. emption.*

Quantum autem ad alios duos ex quatuor mensibus concessis Episcopo, nempe *Martium* et *Septembrem,* dicendum est absolute, quod Episcopus, qui acceptavit gratiam alternativae, non possit providere beneficia vacantia in ipsis, quando ipse non residet, quia jam effecti sunt reservati Papae, cum isti duo menses, qui alias erant Ordinarii, vigore acceptationis alternativae fuerint effecti apostolici. Sic *Rota in Sulmon. Alternativae 14. Maji 1610. coram Cardinal. Lancellotto,* in qua cum dubitatum fuisset:

An collatio beneficiorum vacantium in mensibus Martii et Septembris Episcopo a sua dioecesi absente ad Episcopum vel potius ad summum Pontificem spectaret?

respondit: Absolute spectare ad summum Pontificem, cum isti duo menses, qui alias sunt Ordinarii per acceptationem alternativae, efficiantur apostolici. Sic refert et tenet solide respondens contrariis *Aloysius Riccius in praxi fori ecclesiast. decis. 684.* in *prima edit. et resolut. 582, in secunda edit.* et antea fuisse decisum *in una Maurianen Canonicatus 15. Novembris 1593,* ac saepe refert *Gonzalez Gloss. 43. num. 133* et tenet *Pyrrhus Corrad. loc. cit. num. 5; Barbosa loc. cit. num. 36; Castropal. in opere morali tom. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 23. §. 21. n. 4, Card. de Luca de benefic. disc. 18. num. 4, disc. 93. num. 13. et 14* et alii plures contra *Anastas. Germon. Monetam, Franciscum Leonem* et alios.

Ut alternativa suffragetur Episcopo debet constare de illius acceptatione et subsecuta admissione in Dataria; *Rota part. 15. dec. 5. num. 2,* quatenus nempe miserit literas acceptationis ad Datarium, a quo receptae et recognitae fuerint; *Rota par. 10. dec. 49. num. 28.* et habetur totum ex *Regula 9. alias 8. cancell.*

Ut Episcopus possit uti alteruativa, requiritur ejus residentia in sua dioecesi; *Rota part. 2. dec. 64. num. 2;* conceditur enim Episcopis, quamdiu apud ecclesias aut dioeceses suas vere et personaliter resederint dumtaxat, ut expresse dicitur *in cit. Regul. 9. alias 8. cancell.* Unde non potest ea uti etiamsi absit ex justissima causa etiam pro servitio Sedis apostolicae, etiam pro exercitio sui officii inquisitoris generalis: *Barbos. loc. cit. num. 34; Card. de Luca de benefic. disc. 18. num. 9, disc. 93. num. 16; adnot. ad concil. disc. 4. num. 10; Gonzalez. ad regul. 8. cancellariae, Gloss. 43. num. 84; Corradus loco cit. num. 43; Aloysius Riccius, Gallet., Stephan., Gratianus, Garcias, Castropal.* et alii passim.

Nec potest ea uti, etiamsi absit in tribus mensibus permissis a concilio vel cum licentia Superiorum; *Rota part. 7. decis. 98. num. 9. 10. 11; Card. de Luca de benefic. disc. 93. num. 15; Corrad. loc. cit. num. 42; Garcias*

et alii cum *La Croix loc. cit. num. 477*, qui dicunt sic declarasse sacram Congregationem; *Barbosa loc. cit. num. 35* cum aliis, qui referunt, ita etiam declarasse *Sanctissimum*. Nec potest ea uti, etiamsi ex justa causa abesset ad duos dies tantum et interim vacasset beneficium, quamvis toto mense resedisset, sed requiritur residentia actualis quando incipit vacare beneficium; *Rota in Segobiensi 26. Martii 1604*, quam refert et sequitur *Castropal. in opere morali tom. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 23. §. 2. num. 34; La Croix loc. cit. num. 478* et alii passim. Item nec ea uti potest, quamvis abfuerit timore mortis vel violentia impeditus; *Castropal. loc. cit. num. 3; Garcias* et alii cum *Leurenio apud La Croix loc. cit.* contra *Gonzalez loc. cit. Gloss. 43. num. 200.*

Si Episcopus resideat initio mensis et non postea, totum tempus sequens est apostolicum, quia mensis a die, quo ob non residentiam Episcopi factus est apostolicus, perseverat semper talis, quamvis Episcopus ad residentiam redeat; *Lotter. lib. 2. q. 40. num. 87*; *La Croix loc. cit. num. 479*; *Barbosa loc. cit. num. 43*; *Card. de Luca de beneficiis disc. 93. n. 18*; *Rota apud Martinum Andream decis. 110. num. 1. 17. 18*, ubi late materia discutitur, et *in Calven Parochialis 23. Junii 1642 coram Peutingerio.* Et si Episcopus non resideat initio mensis, totus mensis est apostolicus et sic toto mense caret privilegio alternativae, quia mensis semel apostolicus semper est talis; *Lotter. loc. cit. num. 54: Barbosa loc. cit. num. 43. La Croix loc. cit.; Card. de Luca loc. cit.* et idem tenuit *Rota in Segobiensi Beneficii 26. Martii 1604, Beneficii 26. Martii 1604. coram Justo* et *in Papiensi Beneficii 10. Apr. 1617 coram Martino Andrea* et *in dicta Calvensi Parochialis 23. Junii 1642 coram Peutingerio.*

Nihilominus *Gonzalez ad Regul. 8., Gloss. 43. num. 150*, *Garcias de beneficiis part. 5. cap. 1. num. 697* et alii defendunt contrariam, volentes quod, si Episcopus redeat ad residentiam, possit uti privilegio alternativae quoad beneficia vacantia post reditum, quia dicunt ipsi non est necessaria continuata residentia totius mensis, si enim id Papa voluisset, utique, cum potuisset exprimere, expressisset; *arg. cap.: Inter corporalia 2. de translat. Episc. §. Sed neque istud, cap.: Ad audientiam 12. de decimis*, et *cap.: Quia circa 22. de privileg.*, tum, quia illa dictio *quamdiu* apposita in dicta regula nona, alias octava cancellariae, tempora dividit et potest verificare in qualibet parte mensis, in qua Episcopus residet, juxta textum *in l. Si quis ita legaverit 8. ff. de Cond. et demonst.*

Dicta tamen regula concedens Episcopo privilegium alternativae, quamdiu apud suam ecclesiam vere et personaliter resederit, intelligi debet de praesentia ordinate ad effectum permanendi et residendi in sua ecclesia, non autem de casuali, affectata seu fraudulenta et malitiosa, non cum animo permanendi sed recedendi, *arg. text. in l. 1. §. habitare ff. de his, qui dejecerint vel effuderint* et *in l. Postliminii* § *captivus, ff. de cap.* et *postlimin. revers.* Non enim habetur pro residente, qui ut plurimum in alio loco extra dioecesim habitat. *Milin. decis. 171; Gregor. decis. 70; Antonell. de tempore legali lib. 3. c. 1. n. 30.* cum variis aliis sacrae Rotae decisionibus. Hinc etiamsi de tempore, quo sequitur vacatio, ipse Episcopus reperiretur in residentia occasionaliter seu affectate, non suffragaretur, *Card. de Luca de benefic. disc. 18. num. 9* et *disc. 93. num. 17*, cum variis Rotae decisionibus ibi citatis, *Antonell. loc. cit. num. 30* et alii passim. Et ratio est quia sic aperiretur via et aditus multis fraudibus; videns enim Episcopus imminentiam vacationis alicujus beneficii posset ad residentiam accedere et secuto casu et facta provisione statim discedere contra dispositionem utriusque juris, tum civilis *l. In fundo, ff. de rei vindicat.*, ibi: *Neque malitiis indulgendum est; l. Cum hi, ff. de transact.*, ibi: *Non debet via aperire malitiis* et *l. Si Legatarius, Cod. de Legatis*, ibi: *Ut non accipiat fructus suae calliditatis*, tum juris canonici, *cap.: Ex literis 2. de dolo et contumac.*, ibi: *Nos attendentes malitiam et dolum nulli patrocinari debere; cap.: Sedes 15. de rescriptis*, ibi: *Quia fraus et dolus ei patrocinari non debent; cap.: Ex tenore 16. eod.*, ibi: *Quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent; cap.: Tuae 12. de cleric. non resident.*, ibi: *Quum fraus et dolus nemini debeat patrocinium impartiri.*

Episcopus, ut possit uti alternativa, debet residere in sua formaliter dioecesi nec sufficit esse in loco etiam vicinissimo, quia concessio praecise dicit *quamdiu apud ecclesias aut dioeceses suas vere et personaliter*

resederint dumtaxat; Barbosa cit. allegat. 53. num. 34; La Croix loc. cit. n. 478; Garzias, Castropal. et alii passim. Imo ut ei prosit alternativa, debet eam acceptare, dum manet in propria civitate vel dioecesi, nec potest instare pro tali acceptatione, dum reperitur praesens in romana curia, sed oportet quod prius vadat et redeat ad suam dioecesim, indeque literas acceptationis ad Datariam transmittat. *Corradus cit. lib. 3. cap. 6. n. 16*, ubi dicit non semel visum fuisse denegari talem gratiam Episcopis in curia romana praesentibus eam petentibus, *arg. cit. Regula 9. alias 8. cancellariae*, quae expresse requirit, ut literae talis acceptationis sint datae in sua propria civitate vel dioecesi, ibi: *In sua quisque civitate vel dioecesi datas declarare.* Et ratio est, quia cum concessio talis alternativae fiat ad hoc, ut Episcopi alliciantur ad residendum in suis civitatibus vel dioecesibus, proinde vult Papa, quod hujusmodi residentia incipiat ab acceptatione alternativae, et quod literae praedictae acceptationis dentur in propria civitate vel dioecesi, alias autem nihil fiat; *Gonzalez ad dictam regulam 8, Gloss. 62. n. 20; Corrad. loc. cit. n. 16; Garcias, Castrop.* et alii.

Alternativa concessa Episcopo residenti comprehendit beneficia tam intra quam extra suam dioecesim existentia, dummodo collatio ad eum spectet; *Rota part. 15. decis. 291. n. 8. cum seq.*

Episcopus potest uti alternativa, quamvis collatio pro certo genere personarum fuerit restricta; *Rota part. 10. decis. 279. num. 18.* Non enim collationis libertas ad effectum alternativae excluditur eo quod Episcopus teneatur conferre certo generi personarum; *Rota part. 2. decis. 600. num. 5; Card. de Luca de benefic. discept. 93. n. 5; Gonzalez, Garcias, La Croix loc. cit. num. 480.*

Item potest Episcopus uti alternativa pro beneficiis in posterum vacaturis, non autem pro medio tempore vacatis inter unam et alteram alternativam; *Rota part. 19. tom. 1. decis. 76. n. 9*, ubi decidit non posse Episcopum pro beneficiis vacatis post expiratam primam alternativam ex morte Pontificis, qui eam concesserat, uti alia alternativa obtenta a successore Pontifice, sed ista nova alternativa posse solummodo uti pro beneficiis in posterum vacaturis.

Quando unus est provisus ab Episcopo, qui dicitur resedisse, et alter est provisus a Papa, quia Episcopus negatur resedisse, tunc proviso ab Episcopo incumbit probare, quod Episcopus vere resederit; cum enim velit gaudere privilegio residentiae, tenetur eam probare; *Gonzalez, Garcias, Castropal., de Luca, Leuren. cum La Croix loc. cit. n. 482.* et alii passim.

f) Episcopi duarum ecclesiarum.

Episcopus habens duas ecclesias potest acceptare alternativam pro una et non pro altera, et si velit ea potiri pro utraque, debet utriusque nomine eam implicite acceptare. Sic expresse *cit. regul. cancell. 9. alias 8; Card. de Luca de benefic. disc. 19. n. 5, disc. 17. n. 20; Gonzalez, Leurenius* et alii passim. Et si pro utraque acceptavit, residendo in una potest providere beneficia alterius, *Card. de Luca de benefic. disc. 27. n. 6; Rota* ibi ab ipso citata *Maurianen. et Acien.*, et alii.

g) Exspiratio.

Vd. p. 512. e.

Alternativa exspirat per mortem Papae concedentis et per mortem Episcopi, cui fuit concessa, non enim transit ad successores; *Rota part. 19. tom. 1. decis. 76. n. 7, Leurenius* et alii communiter. Item exspirat per translationem Episcopi ad aliam ecclesiam; *Card. de Luca de benefic. disc. 93. n. 22; La Croix loc. cit. n. 483*, et communis aliorum. Item exspirat statim ac declaratur Episcopum scienter et malitiose se intromisisse in menses papales et in beneficia aliorum dispositioni aut Sedi apostolicae alias quomodolibet reservata vel affectata, aut impedivisse provisiones papales. Habetur sic expresse sancitum in dicta *regula 9. alias 8. cancellariae*, et tenet communis doctorum. Item exspirat quando Episcopus renunciat et renuntiatio est acceptata a Papa. Habetur expresse *in cit. regula 9. alias 8*, et tenet communis doctorum cum *Rota part. 11. decis. 108*, ubi dicit, quod, quando conceditur alternativae dissolutio, nihil aliud agitur, nisi acceptationem semel factam cancellare atque cassare ex libro Datariae, in quo describi solet, adnotando in margine acceptationis diem, mensem et annum, quo fuit dissoluta.

h) Initium et finis.

Vd. p. 512. e.

Si acceptatio alternativae fiat ab Episcopo in aliquo mense apostolico, non incipit usus

illius, nisi toto mense elapso; e contra vero si fiat in mense proprio Episcopi, tunc incipit usus illius a die acceptationis, adeo ut mensis ordinarius a dicta die efficiatur apostolicus et reservatus; *Rota part. 10. decis. 49. num. 23. cum seq.* et *num. 32. cum seq.* et *dec. 299. n. 4 et 8,* et communis doctorum. Et ratio est quia acceptatio vel non acceptatio alternativae est in sola facultate Ordinarii, qui si acceptaverit in principio alicujus sui mensis, sibi imputare debet, cum potuisset exspectare finem talis mensis; si vero acceptavit in aliquo mense apostolico, non est rationi consonum, ut hoc Papae praejudicet, cum etiam ipse posuerit in facultate Episcopi quando velit acceptare alternativam; *Rota part. 10. decis. 49. num. 28.* et *decis. 117. num. 13,* et doctores passim.

Alternativa incipit ac respective desinit a media nocte primi et ultimi diei mensis unicuique spectantis; *Rota part. 19. tom. 1. decis. 98. num. 3.*

i) Origo.

Alternativa quoad beneficia ortum duxit a Nicolao V. de anno 1447, ut notat *Pyrrhus Corradus in praxi beneficiaria lib. 3. cap. 6. num. 8.* Ipse enim Nicolaus V., ut dicit *Rota romana recent. part. 19. tom. 1. decis. 121. n. 13,* fuit auctor regulae nonae, alias octavae, cancellariae, in qua reservantur summo Pontifici menses Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris et consequenter conceduntur Ordinariis menses Martii, Junii, Septembris et Decembris. Et exinde ad alliciendos Episcopos ad residentiam conceduntur eis alii duo menses, ita ut jam alternatim cum Papa possint providere; Papa quidem in mensibus *Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris et Novembris:* Episcopi vero, qui hanc gratiam acceptaverint, in mensibus *Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris et Decembris.*

k) Papae.

Vd.: *Alternativa quoad benef.* (origo, ut supra; Episcopi p. 512. e.).

l) Recessus Episcopi et Papae.

Secuta acceptatione alternativae non potest Episcopus ab illa recedere sine consensu Papae; nec e contra Papa sine consensu Episcopi, ut expresse habetur *in cit. regul. 9, alias 8, cancell.,* cum ejusdem acceptatio sit quasi contractus*) initus inter Papam et Episcopum; Papa enim ex suis octo mensibus communicat quatuor Episcopo et Episcopus ex suis quatuor communicat duos Papae; *Rota rec. part. 3. decis. 289. num. 7, part. 11. dec. 221. num. 8, part. 29. tom. 1. decis. 76. num. 8; Barbosa loc. cit. num. 36; Gonzal. ad reg. 8. cancell., Gloss. 43. num. 106.* et *Gloss. 58. num. 14,* et alii communiter.

m) Subscriptio et sigillum.

Vd.: *Alternativa quoad benef.* (initium p. 515).

Quamvis literae patentes subscriptae ab ipsomet Episcopo et proprio sigillo munitae requirantur ad effectum gaudendi alternativa earumque formulam referant, *Gonzalez ad regul. 8. cancell. gloss. 62. num. 33; Van Espen in jus eccles. univ. p. 2. tit. 23. n. 18,* aliique; tamen limitatur prima haec regula, si facta fuit acceptatio per publicum instrumentum illudque Datarius admisit; poterit enim Episcopus hoc in casu uti beneficio alternativae, *Garc. de benefic. part. 5. c. 1. n. 156; Corrad. in prax. benef. lib. 3. c. 6. n. 24; Riganti loc. cit. §. 2. num. 3.*

Rursus, licet debeant esse subscriptae ab ipsomet Episcopo, tamen fuit admissa alternativae acceptatio cum subscriptione Vicarii generalis nomine Episcopi chiragra impediti, *Gonzalez gloss. 63. n. 43; Leuren. in for. benef. part. 2. sect. 3. c. 1. qu. 574. n. 4.*

Demum, licet debeant esse proprio Episcopi sigillo munitae, tamen si per Datarium fuerint admissae, licet non adesset sigillum, adhuc valebit acceptatio, *Corrad. lib. 3. c. 6. n. 24; Riganti ad regul. 9. cancell. in p. II. §. 1. n. 5.*

2) In capitulo generali vocando.

Vd.: *Capitulum Regular.* (alternativa in vocando).

3) In electione Superiorum regular.

Alternativa seu turnus inter Regulares eligendi alternatim modo ex una modo ex alia natione Superiores, tum Generales tum Provinciales aliosque officiales, an congruat et liceat necne?

Plene disputatur per *Fagnanum in cap.: Cum dilectus 8. de consuetudine a n. 37.* et per *Card. de Luca de Regularibus disc. 3. num. 9,* ubi constituitur regula negativa

*) Vd.: *Alternativa quoad beneficia* (contractus p. 512. c.).

firmata per sacram Rotam *part. 1. recent. decis. 65. n. 7 et 8.* Quod scilicet iste turnus potius est in jure prohibitus et contra naturam electionis, et talis electio est minus tuta, maxime in parvis religionibus et provinciis, ubi electores ratione talis alternativae seu turni saepius coguntur, neglectis vere dignis et undequaque religioni seu provinciae proficuis, eligere minus dignum et religioni seu provinciae undequaque inutilem. Sic se docuisse experientiam testatur Fagnanus, qui non erat Regularis. Quid vero testarentur Regulares hac in dies experientia edocti? Quum me peritiores et undequaque experitissimos alloquar, ipsi testentur.

Scio tamen, quod electio coarctata ad paucos eligibiles est ipso jure nulla, ut advertunt *Portell. de dub. verb. Electio n. 4; Lezana quaest. Regul. part. 1. cap. 15. n. 11; Barbosa Vot. decis. 35. n. 65. et seq.; Sigismund. a Bononia electio dub. 52; Castellin. eod. tract. cap. 3. n. 7; Passerin. eod. tract. cap. 2. n. 12 et 48; Card. de Luca de canonic. decis. 2. n. 2; Ursaya tom. 3. part. 1. discept. 13. n. 13,* et alii passim; et ratio est, quia in his casibus magis obligat lex divina prohibens eligere indignum, quam lex positiva limitans electionem ad certum genus personarum, ut considerat *Passerin. de elect. cap. 2. n. 12 et 48,* ubi de restrictione ad quinque religiosos, et refert ita resolutum a sacra Congr. Conc.; *Rodriguez qu. Regular. tom. 2. quaest. 51. art. 11.* refert irritationem trium electionum ob paucitatem eligendorum, quem in terminis alternativae, inter Criollos Hispanos, refert et sequitur *Solorzan. de jur. jud. lib. 3. cap. 26. n. 102 et sequent.* Et respectu P. Francisci Montani Crioli, electi Provincialis immediate ante P. Martinum de Ixar resolvit sacra Congr. Episc. et Regul. *in Quiten. Confirmationis anno 1690,* ponente Card. Carpineo, in qua neglecta fuit dicta alternativa eodem defectu non probatae existentiae Hispaniorum eligibilium; sic refert *Ursaya loc. cit. n. 15.*

In illis autem religionibus et provinciis, ubi talis alternativa pro pace et quiete et pro servanda justitia distributiva legitime introducta et concessa est, nisi vere deficerent religiosi habiles et capaces, est omnino servanda, alias electio esset nulla ex adductis per *Passerin. de elect. cap. 2. n. 6; Castellin. eod. tract. cap. 11. n. 31;* per *Ursayam tom. 3. part. 2. discept. 15. n. 111,* et alios passim; et servandam esse respondit novissime sacra Congreg. Episcop. et Regul. *in Hydruntina pro Reformatis die 29. Aprilis 1712,* in qua propositis tribus sequentibus dubiis a Cardinale sancti Clementis fuerunt resoluta, ut sequitur:

I. *An sit servanda alternativa seu concordia facta in provincia s. Nicolai de anno 1690 seu potius sit exequendum laudum in casu?*

II. *An dicta provincia sit realiter dividenda in duas partes?* et quatenus affirmative;

III. *An sit distribuenda in tres districtus in casu etc.?*

Ad I.: *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam, et amplius.*

In reliquis provisum in primo.

Ad hoc vero, ut alternativa legitime introducatur, debet concedi a s. Sede vel fulciri ejus speciali auctoritate, prout fuse ex multis ostendit Petrus de *Baisio in suo directorio election.,* quem citat et sequitur *Donatus Rer. Regul. prax. tom. 2. quaest. 32. num. 2,* et alii. Et sic a *Leone X. in bulla Unionis* fuit concessa alternativa ordini Minorum de observantia pro eligendo ministro generali alternatim, modo ex familia ultramontana, modo ex familia cismontana; et in hac cismontana familia ab Alexandro VII. sub die 30. Augusti 1664 in brevi incip.: *Illius, qui charitas est,* et ab Innocentio XI. sub die 3. Junii 1688 in brevi incip.: *Inter gravissima,* fuit stabilita alternativa pro eligendo commissario generali alternatim uno triennio ex reformatis, et altero triennio ex observantibus. Et die 10. Maji 1706 a Congregatione particulari deputata a Sanctissimo, a quo fuerat ultra sexennium prorogatum capitulum generale, fuit resolutum, ut interim, ne violaretur alternativa, duo eligerentur vicecommissarii generales, unus pro observantibus, alter pro reformatis, effectu subsecuto ex Sanctissimi approbatione et electione dictorum duorum vicecommissariorum generalium, scilicet P. Coelestini a Mediolano pro observantibus et P. Antonii a Monte Bufo pro reformatis. Et sic saepe saepius fuit a sancta Sede concessa alternativa aliis religionibus et variis particularibus provinciis.

An autem talis alternativa concedi seu demandari possit a capitulis generalibus?

Respondendum est cum distinctione: Aut consentiunt partes habentes jus et interesse in electionibus, et tunc fieri potest, ea ratione, quia eaedem partes possunt proprio juri renunciare; aut vero partes non sunt concordes et tunc illa demandari non potest a capitulis generalibus. Ita *Passerin. de elect. c. 2. n. 61; Ursaya t. 3. part. 2. disc. 15. n. 113*, et alii; nisi forte capitula generalia ipsam concederent aut demandarent ex permissione et approbatione Sedis apostolicae, ex cujus permissione et approbatione ita posse capitula generalia in ordine Praedicatorum, testatur *Donatus loc. cit. num. 2.* ejusdem inclyti ordinis sapientissimus filius.

Pro ordine Minorum de observantia in capitulo generali Mediolani celebrato 1729 4. Junii in conventu s. Angeli fuit statutum ut sequitur, ibi *num. 44: In provinciis habentibus ex auctoritate legitima alternativas statuitur, ut deficiente in definitorio aliquo patre non subrogetur loco ipsius pater dignior illius partis, in qua defectio accidit.*

Alumni seminarii clericalis.

Vd.: *Seminarium clericorum.*

Alumnus.

1) Nominatio pro seminario.

(Jus dubium.)

Fanen.

Magistratus terrae s. Constantii usque ab initio hujus saeculi petiit obtinuitque a summo Pontifice s. m. Pio VII. potestatem cedendi uniendique seminario Fanensi bona nonnulla, quae ad perantiquam sodalitatem s. Mariae a Misericordia nuncupatam pertinebant, quorum redditus, ceu in supplici libello edicebatur, ad triginta supra centum circiter scutata pertingebant, ea sub lege ac conditione, ut tres ejus loci adolescentes in eodem seminario alerentur, quorum unus ab ipsomet magistratu et municipio dictae terrae, alter a capitulo Collegiatae, tertius denique ab Episcopo, elapso tamen decennio ab aliorum duorum in seminarium ingressu computando, foret perpetuo nominandus.

Hinc juxta praestitutam hanc legem tam capitulum quam magistratus jure sibi dato continuo usi duos ejus communitatis adolescentes nominarunt, qui in seminarium recepti ibi usque ad annum 1804 commorati sunt, quo scilicet anno ob rerum publicarum vicissitudines ac multa contracta nomina, seminarium claudere necesse fuit. At vero cum compositis Europae rebus iterum apertum ac restitutum fuisset, causam reddituum imminutionis praetexens Episcopus decrevit, non trium ut antea, sed unius tantum alumni nominationem interea temporis excipiendam esse, addito insuper modicae pensionis onere seminarii favore a nominato quotannis persolvendae. Aegre quidem id tulit magistratus s. Constantii ac pluries sequiori etiam tempore sive protestationibus emissis sive ad superiorem auctoritatem habito recursu sua pristina jura vindicare, frustra licet, adnisus est.

Atque ita se res habere usque adhuc, quo primum Episcopus suum nominavit alumnum ac simul magistratui facultatem fecit ad alterius nominationem deveniendi eique significavit se loco suppressi capituli tertii nominationem brevi expleturum. Scire enim praestat jam a deplorando italici regni tempore Collegiatam s. Constantii suppressam fuisse. Canonicos autem, qui superstites sunt, caeterosque beneficiatos de privato jurepatronatus in eadem terra adhuc existentes, qui chorali officiaturae hodie inserviunt, nullum constituere collegium seu capitulum, censet Episcopus. Jam vero Episcopi propositio valde displicuit magistratui, Archipresbytero caeterisque ecclesiae Constantiensis Canonicis, qui vel capitulum adhuc exstare,

vel, si uti suppressum atque exstinctum habendum esset, tertii alumni nominationem non ad Episcopum, sed ad Archipresbyterum vel saltem ad magistratum jure devolutionis spectare contendebant. Quo itaque tutius hoc in negocio procederet Episcopus, e re sua duxit a nominatione edenda interim abstinere et quaestionis definitionem sapientissimo EE. VV. judicio subjicere.

Quamobrem jussu mandatoque s. Ordinis auditis per eumdem Episcopum omnibus interesse habentibus compertum fuit, tum Archipresbyterum sacerdotesque ejus loci, tum magistratum Episcopi petitioni penitus contradicere eique votum etiam promotoris fiscalis repugnare. Nihilominus firmus in sua sententia ipse manens illud etiam in literis diei 13. Novbr. praedicti anni postulabat: »*ut si quando placeat dubium resolvi favore capituli seu Archipresbyteri, alumnus haud valeat nominari saltem ante triennium donec seminarium eam in conditionem adductum sit, in qua possit eumdem in convivio excipere sine gravi rei domesticae detrimento, quod procul dubio in praesens fieret, attenta mediocritate fructuum bonorum, quae municipium s. Constantii seminario cessit.*«

Ob postremam temporum calamitatem causa proponi non potuit; gravioribus distentus curis ejus definitionem amplius ursit Episcopus. Ast elapso anno idem repetiit postulatum, quod ad eumdem iterum remissum pro sueta informatione rediit una cum suis literis ac contrariis votis scripto editis omnium interesse habentium, necnon cum caeteris documentis ad rem facientibus. Ex quibus apparet bona seminario cessa in catasto, quod ante praesens vigebat, aestimata fuisse scut. 2061 40, quibus additis aliis scut. 700 07 ex venditione duarum domorum, quae inter bona cessa recensebantur, redditus 430 circiter scutatorum habetur, juxta id, quod in precibus summo Pontifici porrectis expositum fuerat. Attamen ex prospectu ab oeconomo seminarii redacto dignoscitur, redditus ex cessis bonis provenientes ducta computatione per decennium summam scut. 44 33 9 praelevatis oneribus conficere. Episcopus vero in suis precibus ad scut. tantum 30 eos pertingere exponit asserens: »*Summam ejus redditus desumptam fuisse ex rationibus ab ipso seminarii oeconomo datis ab elapso anno 1847 . . . ., hodie fortasse fundis ad meliorem statum redactis redditus aucti sunt atque summam scutorum sex et triginta pertingunt.*« Quoad domos vero alienatas animadvertit: »*Nihil utilitatis aut fructus modo percipi ex nostro seminario, cum totum illud pretium in aedificandis antiqui seminarii domibus, in quibus nunc exstat Patrum societatis Jesu collegium, ab Episcopo Fanen. quondam Antonio Gabriele Severoli absumptum omnino fuerit.*« Hinc pro devolutione juris nominandi sui favore in locum suppressi capituli decernenda iterum instans illud denique addit, quod »*Si s. Congregationi videbitur non amplius alendum esse in Fanen. seminario tertium adolescentem a terra s. Constantii, ut supra, nominandum, ex defectu aut certum ex notabili dictorum reddituum imminutione, id mihi etiam dubio procul gratissimum erit omnisque quaestio ita facilius uno ictu dirimetur.*« Primo itaque definiendum erit:

An nominatio spectet ad Episcopum seu potius ad Archipresbyterum caeterosque Canonicos vel saltem ad municipium s. Constantii?

Deinde:

An precibus Episcopi annuendum sit vel quoad suppressionem vel quoad prorogationem nominationis tertii alumni, quae adamussim quaestionis capita exscripta ad folii calcem dubia complectuntur.«

Cardo principis quaestionis in eo est: An scilicet capitulum collegiale etiam nunc existat necne. Porro capituli existentiam jure merito inficiari videtur Episcopus. Nam etsi ab illegitima auctoritate suppressionem seu potius oppressionem illud passum fuerit, attamen, quia a summo Pontifice prudente ac sciente numquam fuit in pristinum statum restitutum, uti suppressum atque exstinctum per viam facti judicandum videretur. Ejus siquidem bona Gallis dominantibus dominio subjecta et distracta fuere eique numquam reddita, atque singulis Capitularibus omni bonorum administratione expoliatis annua tantum pensio assignata fuit et a publico aerario rependita, congruae sustentationis titulo. Qui ideo hodie superstites sunt Canonici nullam amplius constituunt communitatem nec jure collegii frui possunt. Hinc nonnisi summo Pontifice auctorante plura, quae hac ratione exstincta atque suppressa fuere collegia, pristina jura recuperarunt, de quo passim exstant exempla. Ex hisce sequitur, ut nominationis jus, quod ad capitulum

olim spectabat, capitulo exstincto ad Episcopum devolutum fuerit, eadem ratione, qua deficiente certo genere personarum, cui beneficii nominatio fuerat relicta, libera ejus collatio devolvitur ad Episcopum dioecesanum juxta communem doctorum sententiam, inter quos *Barbosa jus eccles. cap. 12. num. 154; Pirhing. lib. 3. decr. tit. 78. num. 138; Reifenstuel jus canon. lib. 3. de jurepatr. n. 125.*

Perperam autem hoc sibi jus arrogare videtur Archipresbyter antiquae Collegiatae. Nam jus nominationis non ad Canonicos uti singulos sed tamquam collegium repraesentantes atque constituentes spectabat ex lege institutionis, qua collegium jure nominationis donatum est. Jam vero illud proprium est juris cujuscumque ad communitatem aliqua ratione spectantis, ut ejus exercitium sit adeo apud omnes, ut apud nullum sit, ad monitum *Vivian. de jurepatr. lib. 8. cap. 2. num. 6.* et *Fargna de jurep. part. 1. can. 5. cap. 3. num. 26.* Quapropter ut nominatio valida haberetur, necesse esset, ut nomine collegii fieret, quod tamen fieri nequit in themate, cum nullum amplius sit collegium. Quod quidem impedimento est, quominus, si qui superessent Canonici, etiamsi in unum cogerentur, validam nominationem edere possent. Uti enim docet sacr. Rotae Tribunal *coram Emerix sen. dec. 123. num. 6,* ibi: *Quando conventus per suppressionem remansit penitus exstinctus et Canonici in varia loca divisi, amplius jus universitatis non habent, neque uti tales congregare possunt.*« Consonat *decis. 99. num. 7 et 8. part. 8. recent.*

Haud multum absimilis quaestio acta est cor. s. Ordine in Congregatione diei 26. Januarii 1828. Res erat de jure nominandi capellanum ad sacellum s. Antonii Patavini in oppido Rubiani Tyburtinae dioecesis, quo in vim fundationis monasterium s. Mariae Humilitatis ad radices montis Quirinalis fruebatur. Porro cum Gallis imperantibus Humilitatis Moniales e propriis septis expulsae fuissent seque in alia huc illuc recepissent coenobia ac rebus inde compositis earum monasterium, cujus bona jam divendita in privatorum dominium devenerunt, numquam in pristinum fuisset restitutum, quaesitum fuit:

An et ad quem spectaret juspatronatus in casu? ac frustra contendentibus Monialibus superstitibus responsum prodiit: *Collationem spectare ad Episcopum.*

Eoque minus jus nominandi asserere sibi posse videtur magistratus s. Constantii, cui nec jure fundationis neque vocationis competit. Non jure fundationis, siquidem bona seminario cessa non ad communitatem s. Constantii, sed ad sodalitatem s. Mariae a Misericordia pertinebant. Non jure vocationis, quandoquidem ad nominationem alumni, qua de agitur, non municipium, sed capitulum Collegiatae fuerat vocatum, cujus jura ad loci Ordinarium eo exstincto translata sunt.

Quidquid vero hac in re censuerint EE. PP., ulterius definiendum erit:

An excipiendae sint Episcopi preces quoad suspensionem ad triennium nominationis vel potius expediat juxta novissimum ejusdem Episcopi votum tertii alumni nominationem supprimere?

Equidem asserta reddituum imminutio rerum publicarum calamitati fortasse tribuenda temporaneam saltem nominationis suspensionem suadere videretur, quousque scilicet seminarium in eam conditionem adductum fuerit, ut absque gravi rei suae detrimento tertium alumnum recipere atque alere possit. Nam etsi seminarium descripta superius bona olim receperit atque obligatione se devinxerit tres alumnos recipiendi, attamen a computatis apud acta exhibitis constat, hujusmodi bonorum redditus non amplius ad scut. 130, ceu in supplici libello summo Pontifici porrecto edicebatur, sed ad scutata tantum 14 32 9 demptis oneribus hodie pertingere, quae quidem tribus alendis in seminario adolescentibus haud sat esse posse nemo est qui non videat.

Aliter vero sentiunt Archipresbyter caeterique sacerdotes, qui sub nomine Canonicorum assertae Collegiatae veniunt, ac loci magistratus. Ad Collegiatae existentiam quod attinet, momenta rationum, quae huic favent in suo voto, enucleat atque complectitur promotor fiscalis, quod ex integro heic exscribendum duco.

»Non si pone in dubbio (ita promotor fiscalis) che la Collegiata di s. Constanzo, di cui era primo membro l'Arciprete e parroco ad un tempo di quel luogo, non fosse ab *antiquo* canonicamente eretta, e che durasse nella stessa guisa sino a che pel decreto di Napoleone del 25. Aprile 1810 furono disciolti e gli ordini Religiosi e le Collegiate, restando però sempre in esercizio l'Arciprete e parroco.

»Non si può dubitare in diritto che questa soppressione di Collegiate non mancasse d'ogni forza legale, non essendo stata decretata dalla competente autorità ecclesiastica, e non essendo altresi avvenuta in alcuno de'tre modi, co' quali può un collegio disciogliersi, cioè o per fatto ed ordine del somno Pontifice, per volontà e consenso di tutti li Collegiali medesimi come stabiliscomo li dottori *in cap.: Dilecta de excess. Praelat.*, e come ha pure la s. Rota romana *decis. 221. n. 20 et seq. part. 6. recen.* e venendo di più tutt'ora con bolle Pontificie nominato, ed istituito l'Arciprete in s. Costanze *cum omnibus honoribus et oneribus.*

»Si suppone l'esistenca di un decreto della s. Congregazione del Concilio posteriore al 1814 col quale decreto fosse riconosciuta la soppressione della Collegiata di s. Costanzo; ma essendo tal decreto una cosa di fatto, finchè non si verifichi per parte del Vescovo di Fano cui sarebbe favorevole, nella praesente vertenza non se ne può fare calcolo veruno.

»Se dunque il diritto di Collegio può conservarsi in due sogetti, ed anche in un solo *cap. 1, ubi gl. de election. gl. in cap. statutum, verbo: Collegiata, de elect. in 6; Fagn. in cap. cum sit de aetate et qualitate n. 33 et 34, et in cap. gratum de postulat. Praelat.*, ed il testo civile nella legge *sicut ad finem ff. quod cujuscumque universitatis nomine agatur;* cosicchè con un solo individuo sebbene il collegio non resti tale *actu*, rimane sempre *habitu et virtute, Fagnan. in dicto cap. de election. n. 30; Pirhing. in jus canon. lib. 1. tit. 6. n. 12;* cosichè questo diritto che in un solo membro rimane, viene da lui ritenuto, non per se stesso, ma a faviene del collegio, *gls. in l. Neratius de signif.* nel testo civile e nel canonico nella *Gloss. in cap. 2. de postulationibus Praelat. verbo pauciores in fine;* tanto più certa l'esistenza e la durata di detto collegio o collegiata deve ritenersi nel nostro caso, di cui ora si tratta, volendo anzi ancora taluni dei Canonici che erano tali ancora all'epoca del napoleonico indicato decreto, e formando corpo collegiale anche gli altri beneficiali della chiesa istessa.

»E mentre anche in dubbio, quando sia certa la Collegiata nel suo precedente stato, si presume la continuazione della medesima, conforme dicono li dottori nella *L. possidetis cod. de probat.*, e come ha le tante volte stabilito la s. Rota, quand' anche si fosse trattato di un fatto molto remoto, e specialmente fù dichiarato da quel sagro tribunale nella *Cammer. decimar. 11. Marzo 1611 circa finem coram Lucrate, e nella recen. parte 9. dec. 111. num. 9*: tanto più si deve ritenere vigente la Collegiata, ed il diritto della medesima esercitarsi per essa anche dal solo Arciprete, quando l'esistenza della Collegiata è di comune ricordanza, e la sua continuazione non può essere ragionevolmente posta in dubbio, e perchè non restò disciolta qual Corpo Morale ecclesiastico in alcuno dei tre modi sopradetti, con li quali tale dissoluzione poteva soltanto verificarsi, e perchè anzi tale col fatto medesimo non interrotto è stata sempre, come lo è tutt' ora tale continuazione mantenuta.«

Quibus omnibus nonnulla accedunt indicia et argumenta vel saltem restitutae collegialitatis. Recolunt enim Canonici: »*che nel 1819 e precisamente li 28. Agosto dietro replicate istanze di Mons. Vescovo furono riordinate le puntature, e presentemente non solo l'Arciprete uffizia la chiesa, ma unitamente agli altri quattro Canonici, e tre beneficiati mansionarii, e se non vanno in coro in chiesa in tutti i giorni feriali, vi vanno bensì le feste, e i feriali in sagrestia, e si fanno tutte le funzioni, ed anche più che non prima della soppressione.*« Ex quo factum esse subsumunt, ut sacer hic Ordo: *lungi dal voler dispensare l'Arciprete dal peso di laurearsi, volle l'assenso del capitolo per concedergli la dispensa per soli due anni, conforme alla risoluzione capitolare delli 9. Aprile 1821.* Quod quidem expressam existentiae capituli agnitionem praeseferre videtur. Sin minus, omnia ejus jura in uno Archipresbytero coaluisse contendunt, qui reapse nomine capituli ea semper exercuit, ceu probant exempla nominationis ad mansionariam, quam Archipresbyter exercuit.

Ad suspensionem deinde nominationis quod pertinet, quam ad triennium fieri postulat Episcopus, animadvertunt, eam non amplius locum habere posse, postquam a die factae petitionis, decima septima scilicet Novembris, ad praesens non triennium dumtaxat sed sexennium effluxerit. Omnino vero posthabendam alteram Episcopi petitionem, quae ad duos tantum alumnos nomi-

nationem cohibet. Hinc falsitate laborare, quod gratuito prorsus idem Episcopus asserit, scutata tantum triginta annui redditus ex bonis seminario cessis percipi, ceu ex ipsa bonorum aestimatione, uti in catasto jacet (in quo fundorum valor multum a vero distat), liquido patet. Quoad bona alienata autem probe perpendunt, justitiae ac aequitatis rationi omnino repugnare, ut communitas s. Constantii aliquod exinde detrimenti patiatur, praesertim cum haec alienatio in ipsius seminarii bonum atque utilitatem cesserit. Nil denique ponderis habere assertam reddituum tenuitatem, quippe quae ex mala bonorum administratione proveniens non communitatis sed seminarii dumtaxat praejudicio verti debet.

Dubia:

I. *An et ad quem spectet nominatio alumni in casu?*

II. *An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi in casu?*

S. C. resp.

ad I. et II.: Dilata et doceatur de existentia Collegiatae, et de causis et quantitate imminutionis bonorum cessorum.

Die 10. Septbr. 1833.

Continuatio.

Fanen.

Ac primo praeter ea quae municipales in prima causae propositione enuclearunt, alia praeterea addunt signa et argumenta existentiae Collegiatae. Constat enim etiam post decretum suppressionis Collegiatae latum die 25. Aprilis 1810 ad alterum ex canonicatibus de jurepatronatus, qui interea vacaverat, nominatum fuisse sacerdotem Josephum Narducci, cui institutio data fuit »cum omnibus et singulis honoribus et oneribus tam ex lege fundationis, quam ex consuetudine et stylo ejusdem capituli dictae insignis ecclesiae Collegiatae« ceu in bulla institutionis edicebatur, quod contigit anno 1817.

Constat imo eodem anno alterum institutum fuisse canonicatum, cujus possessionem ex fundatoris nominatione nactus est sacerdos Xaverius Diotallevi, ac in sequenti anno 1818 ad archipresbyteratus dignitatem elevatum fuisse actualem Archipresbyterum Eusebium Pandolfi literis apostolicis s. m. Pii VII.; ex quibus colligitur nunquam a Sede apostolica ratihabitam fuisse Collegiatae suppressionem.

Compertum insuper in facto est, preces Canonici Ferretti, qui postulabat dispensari a sede residentiae, a s. hac Congregatione anno 1826 fuisse rejectas, quamvis capitulum, quod ex s. ordinis mandato auditum fuerat, oratori faveret.

Accedit demum vel ipsius Fanensis Episcopi factum, qui capituli jus modo controversum, nominandi scilicet alumnum, etiam post ejusdem capituli suppressionem agnovit ac approbavit. Nam capitulum nominavit anno 1818 Franciscum Ferretti, anno 1828 Brunonem Ambrosi, et anno 1851 Fulgentium Sora, quin horum nominationibus Ordinarii Fanenses obstiterint.

Quae quidem factorum series sat esse videtur municipalibus ut Collegiatae existentia in dubium revocari nequeat et jus capituli quoad alumni nominationem sartum tectumque maneat.

Ad alteram decreti partem, in qua quaeritur de causis et quantitate imminutionis bonorum cessorum, praemittunt municipales, exploratissimam rem esse, redditus bonorum cessorum, cum cessio facta est, ascendisse ad scut. annua 130. Quod quidem probant tum ab executoriali Episcopi decreto, in quo haec habentur: »pro dote vero trium locorum erigendorum applicavit ven. seminario bona omnia, tum stabilia tum mobilia jam spectantia etc. annui redditus scut. centum triginta circiter monetae romanae«; tum ab ipsa fundorum aestimatione a catasto desumpta, quae conficiebat summam scut. 2356. 70, ex quibus ad rationem quatuor pro centum habetur redditus scut. 94. Quibus si addantur scut. 35, quot nempe ad rationem quincuncem percipi potuissent ex pretio duarum domorum, quae a seminario alienatae sunt, nimirum scut. 700. 7, conflatur summa scut. 130 circiter, nulla etiam habita ratione bonorum mobilium.

Exinde ad causas imminutionis bonorum gradum facientes has partim a mala administratione partim vero ab eorundem bonorum alienatione repetendas censent. Nam praeter duas domos, quarum mentio facta est, duo etiam praediola (quae inter bona cessa recensebantur) alienata sunt anno 1850 pretio scut. 163. Porro ex pretio a bonis alienatis retracto deprehendi etiam quantitatem imminutionis bonorum ad scut. 863 summam pertingere. Igitur dato etiam redditus, quos ex bonis cessis in praesentiarum seminarium percipit, haud excedere scut. 36, ceu asserit Episcopus, attamen computato redditu, qui ex praefata summa scut. 863 ad rationem quincuncem percipi potuisset, plane etiam nunc ex bonis, quae initio cessa sunt, redditus haberetur scut. 80 circiter.

Denique animadvertunt municipales, haud justitiae consentaneum videri, ut communitas s. Constantii vel ex amissione vel ex imminutione bonorum detrimentum patiatur. Vix enim ac hujusmodi bona cessa sunt eorumque dominium ac possessionem nactum est seminarium, quacumque demum ratione iis uti seminarium ipsum voluisset, nihil sane communitatis interesse poterat, cujus jura oneroso cessionis contractu nitebantur.

Cum ex parte Episcopi nihil deductum sit, rogantur EE. PP. momenta rationis, quae ejus causae favore videntur in folio primae propositionis recolere, quo probe dirimere valeant, quae iterum proponuntur

Dubia:

I. *An et ad quem spectet nominatio alumni in casu?*

II. *An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi in casu?*

S. C. resp.

ad I.: Affirmative favore capituli Collegiatae;

ad II.: Negative in omnibus, et amplius.

Die 16. Decbr. 1854.

2) Receptio Dioecesanorum in seminarium.

Vd. *Seminarium* (Administr., decr. diei 13. Jan. 1714 n. I. II. *Viclevan.*)

3) Receptio Extraneorum in seminarium.

Vd. *Seminarium* (Administr., decr. diei 13. Jan. 1714 ad XII. *Viclevan.*)

Amentes.

1) Baptizandi quando sunt?

Vd.: *Baptismus.*

Subjectum capax baptismi est omnis et solus homo adhuc viator. Est *communis.* Unde nedum adulti sed etiam infantes vix nati sunt capaces baptismi. *Est de fide definitum in concilio Tridentino sess. 7. can. 12 et 13. de baptismo*, et in cap.: *Firmiter, de summa Trinitate*, et in cap.: *Majores 3. de baptismo.* Item capaces sunt et baptizari debent furiosi et amentes a nativitate, qui nullis gaudent judicii intervallis, quia isti censentur ejusdem conditionis cum infantibus. Sic etiam furiosi et amentes, qui ex sana mente in furorem et amentiam inciderunt, si pro tempore sanae mentis baptismum petierint vel voluntatem illum recipiendi sensibiliter exhibuerint, sunt baptizandi, licet in furore et amentia contradicant. Si vero non petierint nec voluntatem exhibuerint illum recipiendi, non sunt baptizandi, ut colligitur ex cap.: *Majores 3. de baptismo;* divus *Thomas tertia part. qu. 68. art. 12. in corpore; Graffius part. 2. lib. 1. cap. 4. n. 45; Suarez, Henriquez, Bonacina, Layman* et alii passim.

Idem potest dici de filiis infidelium perpetuo amentibus, alioquin spoliati essent omni spirituali remedio, quando nulla spes est, quod ad proprium rationis usum possint pervenire. *Layman, Anaclet.* et alii. Si filii infidelium pervenerint ad usum rationis et baptismum petierint, possunt licite baptizari, invitis parentibus, quia filii rationis capaces in iis, quae spectant ad salutem animae, sunt sui juris et nullimode dependent a parentibus. *Sic doctores communiter.*

2) Obligati quando sunt ad servandam legem humanam?

Amentes non perpetui sed delirantes per intervalla tantum sicuti et ebrii obligantur ad leges humanas. *Communis.* Ipsi enim absolute pollent usu rationis, adeoque non eximuntur absolute a legibus humanis, sed solum tempore delirii et ebrietatis per accidens excusantur a formali et imputabili earum transgressione, cum careant tunc usu rationis ad peccatum formale necessario requisito.

Amplius.

(Quid significat in decisionibus ss. Congregationum?)

Clausula »*Et amplius*« importat apud ss. CC. hujusmodi significationem: *Et causa amplius non proponatur.* Solet haec clausula apponi, quando Cardinales omnes in eamdem sententiam conveniunt in decisione causae. Effectus vero, quos haec clausula producit, ita describuntur in ordini servando in causis ss. CC. propositis vulgo regolamento art. 22, qui latine ita vertitur: »Si resolutio s. Congregationis muniatur clausula »*Et amplius*«, novum experimentum (si quaeratur) peti debet ab Emo Praefaecto (in illis enim casibus petitur a Rmo Secretario), qui si censeat per seipsum illud experimentum non concedere, poterit preces petentis remittere cum decreto per memoriale citata parte plenae Congregationi. In utrisque autem casibus si obtineatur favorabile rescriptum, causa non poterit reproponi ante tres menses, ordine observato primae propositionis; et si pars postulans succumbat, tenetur ad refectionem expensarum hujus extraordinarii experimenti.« Refectio enim expensarum ex eodem praefato ordine *art. 24,* si hunc casum et casum contumaciae excipias, locum solummodo obtinet in causis matrimonii, alimentorum, attentatorum et spoliorum.

Annatae.

Vd. *Mediae annatae.*

Anniversarium.

1) In altari destinato celebrandum.

Vd.: *Altare* (destinatum etc. p. 495); *Anniversar.* (reduct. concessa, decr. *Conversanen.* p. 537, *Usselien.* 539).

(Dispensatio concessa.)

Abulen.

In Abulensi Cathedrali ejusque capitulo plures sunt capellani chorales, quibus praeter onus interessendi choro caeterisque functionibus ecclesiasticis, quae fiunt a capitulo, praecipuum onus incumbit in eadem Cathedrali et juxta testatorum voluntatem in diversis ac fere in omnibus ejusdem ecclesiae altaribus et praesertim privilegiato pro defunctis celebrandi quotannis biscentum quinquaginta tria anniversaria, quorum major pars implenda est cum cantu, vesperis et ministris, alia sine vesperis et alia sine ministris. Verum cum haec anniversaria plura sint a capellanis in una eademque die celebranda in diversis ecclesiae altaribus maxima cum populi et presbyterorum in ea celebrantium perturbatione et capellanorum incommodo, hinc iidem, reportato prius explicito capituli consensu, supplicant pro facultate omnia praedicta anniversaria etiamsi a piis benefactoribus relicta cum designatione certi altaris existentis in dicta Cathedrali celebranda et adimplenda in uno tandem ejusdem ecclesiae sacello ab Episcopo una cum capitulo designando. Ne autem animae testatorum indulgentia, quam optaverunt, fraudentur, supplicant etiam, ut privilegium pro defunctis concedatur altari, in quo erunt anniversaria celebranda.

Super capellanorum precibus auditus de more fuit Abulensis Antistes, qui praevio testium examine recognita veritate expositorum retulit, capellanos dignos esse indulto, quod postulant.

Renovant capellani preces sustinentque, hic non agi de commutandis anniversariis in totidem missas lectas nec de eis ad minorem

numerum reducendis, sed agi duntaxat de commutando altari per testatores praescripto in eadem ecclesia et de uno tantum designando, in quo omnia pro cunctis testatoribus impleantur anniversaria; nam haec commutatio non adversatur suffragio eorum animarum nec cultui aut devotioni erga illum Sanctum, cui praescriptum altare dicatum reperitur, quia utraque causa, per quam moti fuerunt testatores ad illud designandum, suum omnino sortitur effectum, tam si in uno quam si in alio celebrentur altari ex firmatis *per Pignatell. consult. canon. tom. 9. consult. 80. num. 3. et seqq.* et inferius *num. 9.* refertur, ita definitum fuisse per sacram Congregationem Episcoporum et Regularium *in una Hispalen. 30. Septembris 1580.*

Maxime si justa et legitima intercedit commutandi causa, qua concurrente commutationem voluntatis defunctorum in qualibet materia fieri posse ac debere praescripsit sancta synodus *sess. 22. cap. 6. de reform.* Atque hinc propugnant capellani justam commutandi causam consistere in incommodo, confusione maximaque rei divinae perturbatione, quas causat ea in hunc modum demandata anniversariorum celebratio. Ajunt enim, quod si non quotidie saltem in hebdomada accidit, eodem mane varianda esse altaria, atque hinc illuc esse transferenda scamna ad efformandum capellanorum chorum pro duabus vel tribus canendis missis, id quod fieri nequit sine strepitu prorsus indecenti venerationi et reverentiae debitae domui orationis.

Item ipsemet cantus ac rumor translationis scamnorum gravem affert perturbationem tum sacerdotibus Sacra ad proxima altaria operantibus tum devotioni populi interessentis praesertim illa hora, qua solent anniversaria celebrari. Ac demum quod eadem die non raro concurrunt alia onera a capitulo pariter implenda ad idem altare, in quo sunt anniversaria celebranda, itaut altare primi fiat occupantis, et alterius onus remaneat inadimpletum.

Haec et alia sunt in libello a capellanis circumferendo. Videant nunc EEmi Patres, qua juris ratione definiendum sit:

An et quomodo oratorum precibus sit annuendum?

S. C. resp.:

Affirmative et ad Dominum Secretarium pro impetratione privilegii altaris privilegiati pro celebratione anniversariorum et missarum lectarum ad aliud altare ab eo, quod fuit demandatum a fundatoribus.

Die 16. et 30. Maji 1778.

2) Anticipatio.

Vd. *Anniversar.* (translatio.)

3) Cantari quando non debet?

Vd. p. 533 §. *In Placentina.*

Habens injunctum onus faciendi celebrari anniversarium, quindecim v. g. vel viginti missarum pro anima fundatoris, non tenetur celebrari facere missam cantatam, quia, nisi aliud exprimatur in fundatione, tale anniversarium intelligitur de quindecim vel viginti missis *privatis* eadem anniversaria die celebrandis in loco haeredi seu beneficiato beneviso. Sacr. Cong. Conc. *in Placent. 13. Januar. 1691.*

4) A capellaniis in quantum differt?

Capallania distinguitur ab anniversariis. *Commune est* capellaniae et anniversario et piis relictis, ut perpetua censeantur, quoscumque haeredes etiam seros obligatura, nisi expresse constet, aliter fundatorem voluisse. In supradictis omnibus causa etiam perpetua est, nimirum divinus cultus, redemptio peccatorum, suffragium animae defuncti aut opera pia pauperibus sibi perpetuo succedentibus utilia. Distat vero capellania ab anniversariis caeterisquc relictis piis defunctorum, quod in capellania certi fundi demonstrantur atque a patrimonio seu haereditate fundatoris segregantur, quasi dos ejusdem capellaniae adsignata capellano; sed in anniversariis caeterisque piis relictis praecipua habetur personalis obligatio haeredibus imposita, etiam sine ulla designatione certorum fundorum; quod si quandoque contingat, certos fundos pro executione pii relicti demonstrari a testatore, haec tamen demonstratio non eo refertur, ut indicatur, fundos eosdem esse veluti certam rem ab haereditate separatam, quasi dotem pii operis instituti, sed eo, ut noverint haeredes, quibus ex fundis luere quantitatem debeant ad exequutionem piae voluntatis, velut noverint haeredes, manere apud se praecipuam personalem obligationem fundosque designatos causa pii relicti hypotheca obligatos esse. Ex quo proficiscitur capellaniam prorsus extingui, ubi fundi perierint, quamquam non pereant caetera pia relicta, etiam pereuntibus fundis, causa

Amplius.

(Quid significat in decisionibus ss. Congregationum?)

Clausula »*Et amplius*« importat apud ss. CC. hujusmodi significationem: *Et causa amplius non proponatur*. Solet haec clausula apponi, quando Cardinales omnes in eamdem sententiam conveniunt in decisione causae. Effectus vero, quos haec clausula producit, ita describuntur in ordini servando in causis ss. CC. propositis vulgo regolamento art. 22, qui latine ita vertitur: »Si resolutio s. Congregationis muniatur clausula »*Et amplius*«, novum experimentum (si quaeratur) peti debet ab Emo Praefaecto (in illis enim casibus petitur a Rmo Secretario), qui si censeat per seipsum illud experimentum non concedere, poterit preces petentis remittere cum decreto per memoriale citata parte plenae Congregationi. In utrisque autem casibus si obtineatur favorabile rescriptum, causa non poterit reproponi ante tres menses, ordine observato primae propositionis; et si pars postulans succumbat, tenetur ad refectionem expensarum hujus extraordinarii experimenti.« Refectio enim expensarum ex eodem praefato ordine *art. 24*, si hunc casum et casum contumaciae excipias, locum solummodo obtinet in causis matrimonii, alimentorum, attentatorum et spoliorum.

Annatae.

Vd. *Mediae annatae.*

Anniversarium.

1) In altari destinato celebrandum.

Vd.: *Altare* (destinatum etc. p. 495); *Anniversar.* (reduct. concessa, decr. *Conversanen.* p. 537, *Uselien.* 539).

(Dispensatio concessa.)

Abulen.

In Abulensi Cathedrali ejusque capitulo plures sunt capellani chorales, quibus praeter onus interessendi choro caeterisque functionibus ecclesiasticis, quae fiunt a capitulo, praecipuum onus incumbit in eadem Cathedrali et juxta testatorum voluntatem in diversis ac fere in omnibus ejusdem ecclesiae altaribus et praesertim privilegiato pro defunctis celebrandi quotannis biscentum quinquaginta tria anniversaria, quorum major pars implenda est cum cantu, vesperis et ministris, alia sine vesperis et alia sine ministris. Verum cum haec anniversaria plura sint a capellanis in una eademque die celebranda in diversis ecclesiae altaribus maxima cum populi et presbyterorum in ea celebrantium perturbatione et capellanorum incommodo, hinc iidem, reportato prius explicito capituli consensu, supplicant pro facultate omnia praedicta anniversaria etiamsi a piis benefactoribus relicta cum designatione certi altaris existentis in dicta Cathedrali celebranda et adimplenda in uno tandem ejusdem ecclesiae sacello ab Episcopo una cum capitulo designando. Ne autem animae testatorum indulgentia, quam optaverunt, fraudentur, supplicant etiam, ut privilegium pro defunctis concedatur altari, in quo erunt anniversaria celebranda.

Super capellanorum precibus auditus de more fuit Abulensis Antistes, qui praevio testium examine recognita veritate expositorum retulit, capellanos dignos esse indulto, quod postulant.

Renovant capellani preces sustinentque, hic non agi de commutandis anniversariis in totidem missas lectas nec de eis ad minorem numerum reducendis, sed agi duntaxat de commutando altari per testatores praescripto in eadem ecclesia et de uno tantum designando, in quo omnia pro cunctis testatoribus impleantur anniversaria; nam haec commutatio non adversatur suffragio eorum animarum nec cultui aut devotioni erga illum Sanctum, cui praescriptum altare dicatum reperitur, quia utraque causa, per quam moti fuerunt testatores ad illud designandum, suum omnino sortitur effectum, tam si in uno quam si in alio celebrentur altari ex firmatis *per Pignatell. consult. canon. tom. 9. consult. 80. num. 3. et seqq.* et inferius *num. 9.* refertur, ita definitum fuisse per sacram Congregationem Episcoporum et Regularium *in una Hispalen. 30. Septembris 1580.*

Maxime si justa et legitima intercedit commutandi causa, qua concurrente commutationem voluntatis defunctorum in qualibet materia fieri posse ac debere praescripsit sancta synodus *sess. 22. cap. 6. de reform.* Atque hinc propugnant capellani justam commutandi causam consistere in incommodo, confusione maximaque rei divinae perturbatione, quas causat ea in hunc modum demandata anniversariorum celebratio. Ajunt enim, quod si non quotidie saltem in hebdomada accidit, eodem mane varianda esse altaria, atque hinc illuc esse transferenda scamna ad efformandum capellanorum chorum pro duabus vel tribus canendis missis, id quod fieri nequit sine strepitu prorsus indecenti venerationi et reverentiae debitae domui orationis.

Item ipsemet cantus ac rumor translationis scamnorum gravem affert perturbationem tum sacerdotibus Sacra ad proxima altaria operantibus tum devotioni populi interessentis praesertim illa hora, qua solent anniversaria celebrari. Ac demum quod eadem die non raro concurrunt alia onera a capitulo pariter implenda ad idem altare, in quo sunt anniversaria celebranda, itaut altare primi fiat occupantis, et alterius onus remaneat inadimpletum.

Haec et alia sunt in libello a capellanis circumferendo. Videant nunc EEmi Patres, qua juris ratione definiendum sit:

An et quomodo oratorum precibus sit annuendum?

S. C. resp.:

Affirmative et ad Dominum Secretarium pro impetratione privilegii altaris privilegiati pro celebratione anniversariorum et missarum lectarum ad aliud altare ab eo, quod fuit demandatum a fundatoribus.

Die 16. et 30. Maji 1778.

2) Anticipatio.

Vd. *Anniversar.* (translatio.)

3) Cantari quando non debet?

Vd. p. 533 §. *In Placentina.*

Habens injunctum onus faciendi celebrari anniversarium, quindecim v. g. vel viginti missarum pro anima fundatoris, non tenetur celebrari facere missam cantatam, quia, nisi aliud exprimatur in fundatione, tale anniversarium intelligitur de quindecim vel viginti missis *privatis* eadem anniversaria die celebrandis in loco haeredi seu beneficiato beneviso. Sacr. Cong. Conc. *in Placent. 13. Januar. 1691.*

4) A capellaniis in quantum differt?

Capallania distinguitur ab anniversariis. *Commune est* capellaniae et anniversario et piis relictis, ut perpetua censeantur, quoscumque haeredes etiam seros obligatura, nisi expresse constet, aliter fundatorem voluisse. In supradictis omnibus causa etiam perpetua est, nimirum divinus cultus, redemptio peccatorum, suffragium animae defuncti aut opera pia pauperibus sibi perpetuo succedentibus utilia. Distat vero capellania ab anniversariis caeterisque relictis piis defunctorum, quod in capellania certi fundi demonstrantur atque a patrimonio seu haereditate fundatoris segregantur, quasi dos ejusdem capellaniae adsignata capellano; sed in anniversariis caeterisque piis relictis praecipua habetur personalis obligatio haeredibus imposita, etiam sine ulla designatione certorum fundorum; quod si quandoque contingat, certos fundos pro executione pii relicti demonstrari a testatore, haec tamen demonstratio non eo refertur, ut indicatur, fundos eosdem esse veluti certam rem ab haereditate separatam, quasi dotem pii operis instituti, sed eo, ut noverint haeredes, quibus ex fundis luere quantitatem debeant ad exequutionem piae voluntatis, velut noverint haeredes, manere apud se praecipuam personalem obligationem fundosque designatos causa pii relicti hypotheca obligatos esse. Ex quo proficiscitur capellaniam prorsus extingui, ubi fundi perierint, quamquam non pereant caetera pia relicta, etiam pereuntibus fundis, causa

executionis aut hypothecae demonstratis, manente semper in haeredibus quibuscumque personali obligatione. Proficiscitur insuper fundos capellaniae adsignatos alienari non posse sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum ad rempublicam pertinentium, et sine causae cognitione, e contrario alienari posse ab haeredibus fundos demonstratos pro anniversariis caeterisque piis relictis sine ulla solemnitate, et sine causae cognitione, nisi aliud fundatorem voluisse probetur, manente tamen penes haeredem alienantem personali obligatione; *arg. leg. 81 §. ult. ff. de contrah. emt. l. 96. 120. ff. de legat. 1. l. 38. ff. de usu et usufr. leg. 2. §. 1. ff. de alim. et cibar. legat.*, aut in novum possessorem translata hypothecaria obligatione, si pro anniversario piisve relictis fundi fuerint a fundatore obligati; *arg. l. 12. de alimen. vel cibar. leg.*, vel si tacite ex lege hypothecae obnoxii fuerint, uti contingit, quoties legato constitutum anniversarium proponatur; *l. 1. cod. communia de legatis.* Denique proficiscitur, institutis anniversariis vel piis relictis bona demonstrata dividi inter haeredes pro haereditaria parte, divisa quaque eodem modo obligatione, contra quam obtineat in capellania, quae semper individua est, cujus propterea bona una cum obligationibus cohaerentibus semper manent apud capellanum sive haeres sit fundatoris sive quicumque alius, hac adjecta observatione, ut, si forte a fundatore haeres fuerit capellanus institutus in perpetuum et emergat casus plurium cohaeredum, tunc apud seniorem, tanquam apud patronum, bona capellaniae consistant, nisi aliud apparet a fundatore constitutum; *arg. l. 77 §. 21. ff. de legat. 2. juncta l. ult. ff. de fide instrumentorum* et *l. 192. ff. de regul. juris.*

5) Celebrandum in ecclesiis Regular.

Vd. *Exequiae* (celebr. in eccles. R gul.)

Ad dub.: An Archiconfraternitas (ss. Crucifixi in ecclesia PP. Franciscan. oppidi Monti) possit celebrationem missae de requie cantandae in suffragium testatoris committere sacerdotibus saecul. seu illam potius teneatur celebrari facere per PP. s. Francisci?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam.

Die 5. Sept. 1716.

Ad dub.: An PP. Dominicanis civitatis Ruben. liceat in propria ecclesia celebrare missas, exequias et anniversaria vulgo Terzi, Settimi et Trigesimi tam pro his, qui tumulati reperiuntur in dicta ecclesia quam extra, necnon alia et quaecumque anniversaria, et pro his eleemosynam recipere, sive potius haec omnia privative spectent ad capitulum illius Cathedr. in eadem ecclesia PP. Dominicanorum in casu?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam partem; et amplius.

Die 8. et 9. Julii 1713.

Massen.

Archipresbyter et Canonici Cathedralis Massae Carrariae sequentes declarari quaestiones a s. Congregatione humiliter postulant.

Prima est: Conventio inter Capitulum et Archipresbyterum Cathedralis ita inita, quod spolium funerum Cathedralis praesente corpore cedat in exclusivum emolumentum Archipresbyteri, spolium aliorum funerum quorumcumque cedat in emolumentum capituli cumulative cum Archipresbytero, extendendane est ad speciales quoque casus funerum Episcopi dioecesani et aliorum Praelatorum aut Principum?

Altera est: Supellectilia capellae episcopalis indumentaque et utensilia quaecumque, quibus Episcopus utebatur in sacris functionibus quaeque ab Episcopo comparata fuerunt post ademptam suae ecclesiae possessionem, eo demortuo spectantne ad haeredes Episcopi seu potius ad Cathedralem?

Tertia est: Familia Capuccinorum Massae Ducis jurene, minori emolumento taxato, agit solemnes functiones cum erectione tumuli in sua ecclesia die tertia, septima, trigesima a funere et in anniversariis, in praejudicium Cathedralis?

Antequam haec dubia EE. VV. definienda proponerem, Vicarium capitularem, sede episcopali tunc vacante, rogavi informationem ac votum, utque audito parocho et P. custode religiosae familiae Capuccinorum referat de observantia in similibus casibus quoad praeteritum et utrum super propositis articulis controversia fuerit exorta. Vicarius itaque capitularis retulit se audivisse interesse habentes in scriptis et ad rem haec in sua relatione exposuit.

Conventio, de qua innuitur in dubio relato sub n. 1., antiqua est in specialibus hujus capituli constitutionibus relata, et ipsius Episcopi explicata auctoritate firmata. Ipsius tenore capitulum sacras functiones Cathedralis peragere tenetur et Archipresbyter, qui est unica capituli dignitas, de functionum emolumentis aeque cum Canonicis participat, exceptis tantum funeralibus functionibus, quae aguntur praesente corpore, circa quas Archipresbyter ipse spolium funeris sibi exclusive reservatum voluit. Stante hujusmodi conventione dubium exortum est: utrum spolium funeris Episcopi nuper vita functi debeatur capitulo aut Archipresbytero. Capitulum quippe contendit sibi deberi, eo quod Episcopus in numero paroecianorum Archipresbyteri recenseri non debet, et conventio, de qua agitur, ad funera paroecianorum limitanda est, minime extendenda ad funera Epicsoporum, Praelatorum et Principum. Archipresbyter e contra, cum exceptio funerum hujusmodi non reperiatur expressa in dicta conventione, eorundem quoque spolium sibi exclusive debitum esse propugnat. Cum igitur praxis hac de re non succurrat, nam hic est primus casus funeris Episcopi in hac dioecesi novae erectionis, cumque ceteroquin formali controversia partes contendere nolint, hinc factum est ut communi consilio patres ipsi dubium s. Congregationi exponere ejusque decisioni quaestionem subjicere proposuerint, eum etiam in finem, ut authenticam habeant normam, ad quam se referant in futuro.

Quod dubium sub n. 2. relatum, nihil adnotatu dignum habeo, nisi quod capitulum aeque ac haeredes Episcopi defuncti, nulla formali controversia mota, s. Congregationem imploratam exspectant decisionem, ut ex ipsa agnoscant, cui res sacrae ab Episcopo relictae cedere debeant, eidemque sese ultro conformet. Cum autem, ut superius innui, nunc pro prima vice pro solutione propositi dubii praxis invocari nequit, praxis autem dioecesis Lunen-Sarzanen, cujus jurisdictioni subditae fuerunt Massae et Carrariae ditiones, antequam ecclesia Massenis ad sedem Episcopi erigeretur, res sacras Episcopi Cathedrali ad exclusionem haeredum adjudicare videtur.

Nec super dubio quidem sub n. 3. relato proprie dicta controversia exorta est inter religiosam familiam Capuccinorum et Archipresbyterum ac capitulum hujus Cathedralis.

Attamen pro veritate dicere debeo, quod Archipresbyter et capitulum aegre ferentes paucis ab hinc annis a PP. Capuccinis hujus civitatis missas cum cantu pro defunctis passim nulloque habito respectu ad parochum et capitulum celebrari et tumulum erigi non semel apud Episcopum conquesti sunt, qui rem componere studuit. At PP. Capuccini, si in Episcopi obsequium aliquantisper funebres functiones aegre omiserunt, numquam tamen omnino ab iisdem cessarunt, contendentes hujusmodi jus a ss. canonibus sibi attribui, ita ut in praesens contingat paucissimos esse, qui pro missis die septima a funere celebrari solitis ad Cathedralem recursum habeant. Archipresbyter igitur et Canonici, qui valde modicis fruuntur praebendis, meliorem partem proventuum incertorum sibi subtrahi videntes et ceteroquin putantes tumuli erectionem esse de jure parochi exclusive, relatum dubium s. Congregationi proponere statuerunt, parati ad acquiescendum solutioni, quam s. ipsa Congregatio in sua sapientia emittere dignabitur, habita ratione specialium circumstantiarum hujus capituli et praesertim conventionis, quae memoratur sub n. 1.

Pauca quoad singula quaestionum capita adnotanda sunt.

Quoad primum pro Archipresbytero, qui parochus simul est, perpendi posset, uti in aliis ita in materia funerum, pacta, si quae sint, legem ac normam praecipue constituere, quod jura et emolumenta, quae cuique competere possint, religiose sint servanda ac adimplenda. Notissima pariter sunt jura, quae in contractus ac pactionis cujuslibet interpretatione obtinent, nimirum admitti non debere voluntatis quaestionem, ubi in dispositione nulla sit ambiguitas, ad monitum *Ulpiani Leg. 25. ff. de Leg. et Fideicom.*, multoque minus decere conventiones et pacta sinistra interpretatione detorquere. Atqui id perspicue in conventione, de qua agitur, constitutum est, ut omnium funerum, quae praesente cadavere celebrantur, spolium ad parochum pertineat; nulla eapropter subesse ratio videretur, ut exceptio fiat, quae in conventione non continetur pro funeribus Episcopi aut Praelatorum vel Principum, eo vel magis quod id in detrimentum parochi verteret, cujus favore benigna potius ac lata quaelibet in materia funerum interpretatio adhibenda est.

E contra vero perpendendum occurrit, illud praecipue inquiri oportere in conventionum interpretatione, quaenam scilicet

fuerit paciscentibus mens et voluntas; haec enim praecipue spectanda est ac materiali dispositioni praevalere debet. Incongruum enim foret conventionem etsi genericam adeo protendi, ut casibus etiam aptetur, qui praevideri probabiliter non poterant ac extranei eapropter et alieni fuerint a voluntate paciscentium. Hujusmodi porro videntur in themate casus funeris Episcopi, Praelatorum aut Principum praesente cadavere. Nam compertum est conventionem, de qua agitur, vetustissimam esse ac tempus attingere, quo ecclesia Massensis ad cathedrae episcopalis sedem nondum erecta est; probabiliter igitur praevideri tunc temporis nequibat casus hujusmodi funerum, quae ex regula ordinaria in Cathedrali celebrari debent.

Sed hisce praetermissis ex alia praeterea ratione videretur conventione hac parochum nullo pacto inniti posse in praesenti specie. Conventionis enim ratio in eo profecto fuit, ut parochi juribus consultum foret; ac proinde jura dumtaxat et functiones vere parochiales eum respicere palam est. Atqui hasce inter recenseri nequeunt funera, de quibus agitur: haec enim celebrantur in Cathedrali non quidem ratione parochialitatis, sed ratione cathedralitatis ob eminentem harum personarum dignitatem, juxta ea, quae docet *Samuel Trant. 1. de sepult. contr. 9. concl. 1. et concl. 12 et seqq.* Hinc res, conventione posthabita, cadit sub dispositione juris communis, ex qua privativum jus non competit Archipresbytero percipiendi emolumenta eorundem funerum ratione sui officii parochialis, sed de his participare dumtaxat poterit ratione sui officii canonicalis vel dignitatis qua insignitus est, eadem scilicet ratione, qua emolumenta, quae proveniunt occasione tumulationis cadaverum exterorum, qui in Collegiata, quae simul parochialis sit, sibi sepulturam elegerunt, non pertinent ad Archipresbyterum vel Praepositum uti parochum, sed in massa communi inter Capitulares distribuenda reponi debent, ceu docet *Piton. in addit. ad discept. eccles. 8. n. 18,* quia, inquit, in funeribus exterorum habetur consideratio ecclesiae uti collegiatae et tumulantis, non autem uti parochialis, nec propterea Praepositus uti parochus seu vicarius parochialis aliquod jus sibi privativum asserere potest, sicut habet in funeribus suorum parochianorum, quia in suis parochianis habet onus curae et administrationis sacramentorum, propter quod habet jus privativum in sepultura et emolumentis; quae ratio cessat in funeribus exterorum, neque habetur ratio parochialitatis sed solum habetur ratio Collegiatae uti tumulantis. — Quod obtinet etiam in omnibus aliis emolumentis, quae proveniunt ex functionibus, quae non sunt mere parochiales, ut sunt anniversaria, legata pia etc., et ex associatione cadaverum exterorum, ceu cit. loco firmat *Pitonius.*

Quoad alterum dubium notissima sunt summorum Pontificum constitutiones, quibus praecipitur, ornamenta, suppellectiles aliaeque res Episcoporum ad divinum cultum pertinentes, non eorum heredibus cedere sed ecclesiis debere, quibus Episcopi praefuerint. Ita ex constitutione s. Pii V. *Romani Pontificis* confirmata ex constitutione s. m. Innocentii XII., quae incipit »*Inscrutabili*«*) ac nuper ex encyclicis literis SSmi D. N., quarum initium »*Quum illud.*« Diligentissime porro hujusmodi praescripto adhaesisse perpetuo s. Congregationem patet ab exemplis, quae in causa *Fulginaten. Spolii* proposita in postrema Congregatione relata sunt. Quamvis autem gravis olim inter doctores controversia fuit, ceu in eadem causa perpendebatur, an omnia omnino sacra utensilia Episcoporum Cathedrali deberentur, iis etiam non exceptis, quae constet Episcopos propriis bonis patrimonialibus sibi comparasse vel ante vel post ademptam episcopatus possessionem; attamen omnem hac in re quaestionem praeciderunt memoratae literae apostolicae SSmi D. N., quibus cautum, a jure spolii praedictas res private Episcoporum peculio comparatas excipi debere. Recensitis enim prius singulis sacris utensilibus, quae Cathedralibus debentur, deinde prosequitur summus Pontifex: »exceptis ..... iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, neque constet ecclesiae fuisse donata.« «Ad quodlibet vero super hujusmodi legitima probatione dubium avertendum addit:» Volumus propterea teneri ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex ecclesiae redditibus ac proventibus sibi compararunt, ne alias praesumi debeat ea omnia redditibus ecclesiae comparata fuisse.«

*) Vd. *Utensilia sacra Cardinalium etc.*

Tertium capituli postulatum duo spectare videtur, primum nempe:

An jus competat PP. Capuccinis exequias seu funebras functiones peragendi cum erectione tumuli die tertia, septima et trigesima a funere et in anniversariis?

Alterum: *An id ipsis liceat minori taxato emolumento?*

Jam vero jus praedictas celebrandi functiones quoad PP. Capuccinos ac generatim quoad omnes Regulares, erecto, vel non, tumulo, haud praepeditum in jure probat capitulum, eo vel magis, ubi funebria haec officia pro his fiant, qui in eorum ecclesiis humati sunt.

E contra imo non posse parochos haeredes defuncti in ecclesia Regularium humati obligare ut faciant tot officia et legata apud se, quot fiunt apud religiosos, sub poena excommunicationis facta a Clemente VIII.; alias libertas tolleretur eligendi sepulturam, tradit *Samuel cit. loc. concl. 16. n. 28;* nam ubi non sit fraus (quae abesse videtur, cum funeralia debitis expensis in ecclesia parochiali celebrata sunt), ligandam non esse hac in re libertatem haeredum monet *Passerini de stat. homin. quaest. 187. art. 4. num. 494;* nec exinde jus funerandi quod competit ecclesiae, *Passerin. sub num. 493.* perpendit: »Per se loquendo et praecisa fraude funeralia nedum non se extendunt ad 30 dies et nedum nec ad alterum diem, sed nec ad residuum diei, quod remanet post sepulturam cadaveris et completum sepeliendi officium seu actum, et ideo ad funeralia non spectant beneficia, quae ecclesiae sepulturae obveniunt ex causa aliena a sepultura defuncti, qualis est omnis illa, quae accidit post sepulturam et quae respicit post sepulturam et quae respicit animam defuncti, non vero illius sepeliendi actionem. Ideo sub nomine funeralium minime veniunt anniversaria, tertia, septima et trigesima ...., quia evidens est quod fit gratia sepeliendi vel intuitu sepeliendi quod fit post sepulturam etc.«

Perpendendum tamen utrum PP. Capuccini minori taxato stipendio licite hasce functiones peragere queant, in quo fortasse latere fraus posset. Jam vero ad solum spectat Episcopum taxare eleemosynam, quae pro missis aliisque sacris functionibus debetur, et Regulares judicio Episcopi eleemosynam taxantis stare debere docet *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 5. cap. 9. n. 2;* quemadmodum enim ipsi, veluti membra communitatis, obstringuntur in contractibus servare aequalitatem statutam ac legibus loci, ubi degunt, ita et in hoc quasi contractu non possunt proportionem praetergredi, quam loci Ordinarius determinavit. Ad rem affert decretum s. Congregationis *in Romana 15. Jan. 1639 lib. 16. decretor. pag. 138,* quo cautum: »Eleemosynam pro qualibet missa per Regulares celebranda in eorum ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii, juxta morem regionis.« Non praeterit quidem, quod solo jure spectato haud vetitum esset sacerdotibus minori acceptata eleemosyna ad missam celebrandam se obligare, siquidem quilibet potest cedere jure suo et etiam sine ullo stipendio celebrandi onus in se suscipere; subdit tamen, quod, quia aliquando illa consuetae eleemosynae remissio deprehensa est, noxia aliis sacerdotibus, qui ob fraudulentam aliorum libertatem, debita sibi stipe privabantur, idcirco s. haec Congregatio praedictam remissionem quandoque fieri vetuit, ceu *in s. Severini,* in qua Episcopo ad hunc modum interroganti:

Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae dimidii julii pro qualibet missa, unde supplicat declarari: an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri julii pro qualibet missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate?

die 16. Julii 1689 eadem respondit: Affirmative quoad eleemosynam manualem.

In themate conqueritur capitulum Massense detrimentum, quod ex hujusmodi agendi ratione PP. Capuccinorum sibi obvenit; quamobrem decernent EE. PP.: an ob peculiaria rerum adjuncta, quorum meminit in sua relatione Vicarius capitularis, injungi ipsis debeat, ne omnino vel saltem ne cum minori eleemosyna funebres, de quibus agitur, functiones peragant in posterum.

Hisce itaque perpensis proponuntur dubia:

I. *An spolium funerum Episcopi dioecesani et aliorum Praelatorum aut Principum, quae praesente cadavere celebrantur in Cathedrali, spectet privative ad Archipresbyterum in casu?*

II. *An sacra utensilia Episcopi eo demortuo debeantur Cathedrali seu potius ejus haeredibus in casu?*

III. *An liceat fratribus Capuccinis funera et anniversaria in propria ecclesia cum erectione tumuli celebrare minori vel non emolumento taxato in casu?*

S. C. resp.

ad I.: Negative;

ad II.: Servetur constitutio SSmi D. N. incipiens: *Quum illud*, diei 1. Junii 1847.

Die 24. Apr. 1858.

6) Celebrandum estne, si adhuc adest onus descriptum, sed in tabella vel libro missarum nunquam reperitur adimpletum?

Vd.: *Missa fundata* (non omitt., decr. diei 29. Martii 1710 *Asten.*; celebranda etsi de ejus fundat. nihil etc.); *Anniversar.* n. 12 p. 532.

Asten.

(Conc. Trid. decr. de purg. sess. 25.)

In eodem pervetusto regesto librorum conventus PP. Carmelitarum civitatis Astae, in quo Episcopus adinvenerat missarum onus respiciens communitatem Magdeburgen., de quo habetur resolutio in folio diei 29. Mart. 1710, in simili *Asten. Oneris et applicationis missarum*, adinvenit itidem aliud consimile onus contemporanee exaratum favore ducum Burgundiae sub hac adnotatione: *Anno Domini 1426 Nos fratres conventus Asten. obligamur et tenemur usque in perpetuum omni die lunae cantare solemniter unam missam pro anima DD. . . . ducis Burgundiae et suorum praedecessorum et maxime pro anima DD. Alberti ducis Orlandiae et suorum. Propter hoc conventus Asten. recepit per me fr. Franciscum de Pergamo Priorem conventus januinos ducentos auri, qui expositi fuerunt in sedimine, area et horto qu. Brunetti Carboni.* Sub illo autem motivo, quod d. onus nunquam reperiatur adimpletum neque descriptum in subsequentibus regestis et tabellis currentibus, supplicarunt patres memorati conventus huic S. C. pro declaratione, quatenus ad illud non teneantur. Eorum quippe precibus exposita comprobando annuendum censuit Episcopus jampridem informare requisitus, rationibus ductis ex observantia, quae semper stetit et stat pro libertate ab illo onere, eo quod nullibi legatur, quod conventus ullo unquam tempore celebraverit pro d. duce, nec inter onera currentia pro eo aliquid descriptum comperiatur, nihil obstante praerecensita adnotatione, utpote imperfecta atque carente nomine ducis et die solutionis pecuniae ac tandem ex discretivo modo, quo adnotatum conspicitur onus praedictum ab alio supra relato pro communitate Magdeburgen., pro cujus implemento idem relator protulerat votum suum in praeindicata alia Asten., uti fusius ex eadem relatione exhibenda in summar. Hinc hodie oratores ex his et aliis deducendis humiliter petunt declarari:

An patres Carmelitae civitatis Astae teneantur ad onus missarum?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 28. Febr. 1711.

7) Celebrandum anniversarium, de cujus onere dubitatur.

Vd. *Anniversar.* supra n. 6; n. 12 p. 532.

Narnien.

Quum clar. mem. Cardinalis Joseph Sacripante Cathedralem Narniae aere suo ornasset, grati idcirco animi causa annuam ei capitulum tum viventi cum defuncto decrevit anno 1703 solemnem missam acceptaque capitulari receptione celebrationis dies statuit ipsemet Cardinalis, diem nempe festum s. Josephi, quousque viveret, deindeque anniversarium ejus obitus. Verisimiliter promissa servarunt Canonici vivente purpurato, licet non constet. Nunquam vero ab ejus obitu anniversarium celebrarunt penitusque ipsorum seniores assumptum onus ignorabant, cum Marhiones Philippus et Joseph Sacripante, Cardinalis pronepotes, per exhibitionem antiquae resolutionis capitularis illius memoriam excitarunt. Re igitur cognita sacram hanc adierunt Congregationem, ut de validitate obligationis Emi Patres decernerent, num veteres scilicet Capitulares obligare potuerint successores.

Negant ipsi, *facultatem habuisse assumendi onus perpetuum in praejudicium successorum absque ulla superioris licentia et approbatione.* Fratres contra Sacripante absolvendos censent Canonicos quoad praeteritum, *attenta bona fide, quae desumitur ex ignorantia suscepti oneris*, damnandos vero ad implementum oneris quoad futurum, *non obstante defectu licentiae Superioris, tum quia agitur de obligatione admodum tenui unius missae quotannis celebrandae per actum serium et capitulariter assumptum, tum quia hujusmodi obligatio justa ac rationabili de causa videbatur assumpta.* Dum haec ex ipsorum ore refert Narniensis Episcopus, de-

scriptam esse testatur resolutionem anni 1703 in libris capituli, nullum vero ejus observantiae monumentum. *Adhibitis enim diligentiis in tabellis ac libris missarum nullibi descriptum hujusmodi onus reperitur.* A ferendo se abstinet suffragio.

Cathedralia prae caeteris capitula suscipere prohibentur perpetua missarum onera *sine Episcopi vel ejus generalis Vicarii consensu et licentia in scriptis*, ex decreto *Urbani VIII.*, de quo apud *Girald. in ejus pontif. summ. constit. apost. sect. 67. §. 8. tom. 3. part. 2.* In nostro autem themate non constat susceptum a Narniensi capitulo fuisse perpetuum anniversarii onus de licentia Ordinarii. Nulla ergo videri posset capitularis resolutio, etiamsi decretum *Urbani* non irritet actum, *cap.: Nimia, de religios. dom., cap.: Quae contra jus, de reg. jur. in sexto; Fagnan. in cap.: Cum accessissent, num. 14. de constit.*, ibi: *Actus gestus contra prohibitionem legis est ipso jure nullus, licet lex ulterius non procedat irritando actum. Sufficit enim, legislatorem tantum prohibuisse ad hoc, ut ea, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia sed pro infectis habeantur.*

In eodem contra decreto certa saecularibus ecclesiasticis imponitur poena, ut nempe, *qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso.* Ubi de poenali siquidem agitur lege, validus reputatur transgressionis actus, licet illicitus et punibilis, *gloss. in clement. 1. verb. inhibentes, de jurepatr.; Rot. in Recent. decis. 34. sub num. 2. part. 1.* Consensus praeterea et licentia Episcopi vel ejus generalis Vicarii, quae in assumptione anniversarii ab initio defuit, suppleri ex justa causa posset ab hac sacra Congregatione, per *text. in cap.: Ad audientiam in fin. de eccles. aedificat.* Causa autem promittendi anniversarium beneficium fuit pii Cardinalis, qui plurimum in ornanda Cathedrali liberaliter impendit. Secum igitur Emi Patres reputent, num ferre debeant Capitulares successores levissimum anniversarii onus, quod ex tali causa decessores assumpserunt. Tenerentur profecto ad dimittendum etiam alienum aes, quod ob necessitatem ecclesiae (in qua erat Narniensis) contraxissent, *cap.: Hoc jus, §. et his creditor 10. quaest. 2., et cap.: Ad hoc quibusdam, de fidejuss.; Fagnan. in cap.: Ad hoc, sub num. 6. de solut.*

Deliberandum itaque:

An sit locus celebrationi anniversarii in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 21. Aug. et 18. Septbr. 1790.

8) Celebrandum non est pro testatore se ipsum occidente.

Anniversarium relictum a testatore, ut celebretur pro anima sua in ecclesia, in qua statuit sepeliri, cessat si testator culpabiliter se ipsum occiderit aut in puteum se projecerit; *cap.: Pro obeuntibus 13. quaest. 2*, ubi pro impiis, qualis esset, qui culpabiliter se inficeret, expresse prohibetur orari his verbis: *Non tamen pro impiis, quamvis christiani fuerint, tale quid agere licebit;* ex quo autem per hanc sanctionem Gregorii Papae oritur prohibitio orandi et adimplendi legatum ipsum desinit per *textum in leg.: Cum tale §. falsam ff. de condit. et demonst., et leg.: Si quis ita legaverit §. fin. de adimen. leg.* Sic *Perez de annivers. et capell. lib. 1. cap. 11. fere per totum, Turrecremata, Covarruvias, Menochius, Rosignolus* et alii passim.

9) Celebrandi obligatio quando est pro se ipsum occidente?

Si anniversarium fuerit ordinatum a testatore pro sua anima et animabus suorum, non cessat, quamvis testator culpabiliter se ipsum occiderit, quia, licet tale anniversarium non possit consequi effectum in favorem testatoris, qui se ipsum culpabiliter occidit, potest tamen consequi in favorem aliorum, in quorum suffragium est institutum; in hac enim et simili dispositione aeque principaliter veniunt suffragio pro animabus suorum, nec sunt ita necessario connexa suffragia pro animabus suorum cum suffragiis pro anima sua, ut istis cessantibus debeant etiam illa cessare, sicuti illa non cessarent, etiamsi certo constaret, testatorem suffragiis non amplius pro se ipso indigere, ex quo certo sciretur, ipsum jam esse in gloria perfecta beatum.

10) Convivia.

Convivia et prandia tolerari possunt in anniversariis defunctorum, ubi est consuetudo, praesertim si ita a defuncto cautum fuisset in dispositione testamentaria, habita ratione pauperum, qui de illis participant; sed providendum erit, ut absit excessus

sumptuum et quidquid potest esse scandali*); *sacra Congreg. Episcop. 6. Decembris 1588.* Sic praedicta decreta refert et scite explicat eruditissimus P. *Cavalieri in Agenda defunctorum.*

11) Denominatio.

§. 533 §. *Juxta;* n. 19. p. 536.

Anniversarium secundum *Glossam in cap.: Cum creatura, de celebratione missarum*, dicitur, *quod pro defuncto fit anno revoluto a die mortis suae.* Unde in communi et stricto sensu sumitur anniversarium pro onere seu adimplemento oneris impositi ad suffragia singulis annis pro defunctis impartienda ea anni die, qua accidit et recurrit mors institutoris.

12) Sine certis dispositionibus relictum quomodo est celebrandum?

Vd.: *Missa fundata* (celebr. etsi de cujus fundat. nihil etc.); *Anniversar.* n. 6. p. 530, n. 7. p. 530.

Sedunen.

Parochialis ecclesia loci Ardoni nonnullis gravata est anniversariis per diversos testatores vario tempore praescriptis. Quamvis autem desint dispositiones, quarum quantitas in volumen excresceret, et parochi paupertas vetuit, ne illarum exemplaria transmitterentur, constat nihilominus etiam ab Episcopi relatione, in aliquibus anniversariis tantum celebrationem absque ulla alia expressione fuisse demandatam, in quibusdam vero aliis aliquarum missarum satisfactionem *anniversarii* nomine praescriptam extitisse. In decursu annorum 18, a quibus hodiernus parochus Georgius Ghullaud parochiali Ardoni ecclesiae praefuit, nil aliud quam missarum celebrationem adimplevit. Verum conscientiae stimulis permotus dubiusque quid *anniversarii* appellatione intelligi debeat, id ab EE. VV. declarari postulat, idque etiam optat Episcopus, qui suas quoque preces hac de re adjungit.

Hoc igitur definiendum proponitur in dubio, quod in calce transscribitur, ad cujus resolutionem non inoportune praenotandum arbitror, extremum defunctorum diem usque a primis ecclesiae saeculis annua recordatione fuisse celebratum. Frequens de hoc mentio occurrit tum apud ss. Patres tum apud ecclesiasticos scriptores, qui de tam pia ac religiosa consuetudine scripserunt.

Tertullian. in lib. de coron. milit. cap. 3 sic habet: *Oblationes pro defunctis pro natalitia annua die facimus;* et in libro *de monogam. cap. 10.* haec tradidit: *Pro anima ejus* (nempe mariti) *orat et refrigerium interim postulat ei, et in prima resurrectione consortium et affert annuis diebus dormitionis ejus; Origen. in lib. 3 Job.* inquit: *Convocantur in anniversariis diebus memoriae vel defunctorum vel amicorum seu quorumcunque, qui in fide discessissent, sacerdotes simul et laici, utque in eo coetu primum, quod in fide discessissent gratulantur, et sibi pium et tranquillum exitum quisque precatur.* Alia plura hac de re habentur in operibus s. Cypriani *lib. 1. epist. 9. edit. antiq.*, s. Athanasii in *homilia de defunctis*, s. Gregorii Nazianzeni in *orat. in funere Caesaris Fratris*, Cassian. *collocat. 19. cap. 1*, Clement. Alexandr. *lib. 8. constit. cap. 48*, Grimoldi Abbat. in *lib. de sacram., in vita s. Eigilis Abbat. Fulden. a Candido Monacho scripta*, et alibi prout apud *Gazzaeum in not. ad Cassian. collat. 19. cap. 1*, et penes *Mabillon. In praefatione ad primam partem saeculi III. Benedictin. num. 101.*

Anniversaria autem ideo peraguntur, quia sicuti Sanctis ea dies prodest ad gloriam nobisque ad utilitatem, ita defunctis prosit ad salutem et veniam ac nostra excitetur fides, ut credamus eos aliquando Sanctorum consortio fore aggregandos, *Amalar. lib. 3. de eccles. offic. cap. 44; Alcuin. cap. penult.*

Atque idcirco ea potissimum die, qua recesserunt a nobis, suffragia nostra repetimus, quia melius est, ut abundent quam per incuriam et oblivionem desint, quemadmodum rite monet *s. Augustin. lib. 2. de cur. geren. pro mortuis*, et refertur in *can.: Non aestimemus 13. quaest. 2.*

Verum non satis perspectum est, quo ritu anniversaria antiquitus agerentur, sed constat tantummodo, non eodem ritu nec eadem celebritate ubique fuisse peracta. Sanctum propitiationis Sacrificium ex occasione oblatum, preces insuper, psalmos, lectiones et orationes recitatas colligitur ex Athanasii verbis *in homilia de defunctis: Universa enim haec Apostoli discipulique Deum super sacrificio placantes, uti Deo gratum est, et sacrificia et preces et psalmorum cantum anniversariasque defunctorum memorias observandas praeceperunt:* Similiter ex Clemente Alexandrino *lib. 8. constit. cap. 48.* habetur: *Peragetur dies tertius mortuorum in psalmis, in lectionibus atque orationibus propter eum, qui tertia die resurrexit. Item nonus in commemoratione superstitum atque defunctorum: etiam quadragesimus secundum veterem formam, Moysem enim hoc modo populus luit, necnon anniversario pro memoria ipsius.*

*) De conviviis et prandiis, quae parari solent, cum officia pro defunctis indicuntur, dignum est quod legatur Prosperi Cardinalis Lambertini deinde Benedicti XIV. *institut. 54. inter ejusdem institutiones edit. latin.*

E vita s. Eigilis a Monacho Candido, ut supra, scripta patet, anniversarium Sturmii Abbatis, quod prius cum una vigilia et uno psalterio celebrabatur, deinde cum celebratione missarum, psalmodia et oratione peragi consuevisse. Demum apud Oldericum Vitalem *lib. 3. histor.* legitur, Obsertum Abbatem Uticensem praescripsisse quotannis generale anniversarium, quod hoc modo expletum fuisse refert: *Omnia signa sero et mane ad officium defunctorum diu pulsantur, volumen mortuorum super altare dissolutum palam expanditur, et deprecatio prius pro defunctis, postea pro vivis parentibus et benefactoribus, a cunctis fidelibus Deo offertur, missa vero matutinalis ab Abbate celebriter canitur, ab eleemosynario autem tot pauperes, quot Monachi sunt, ipsa die in coenobio colliguntur.*

Juxta hodiernum ecclesiae ritum, an purum et nudum anniversarii nomen a testatoribus quandoque absque alia ulla designatione usurpatum unicum sacrificium importet, seu verius officium etiam defunctorum et absolutionem, definitio anniversarii ita habetur *ex Gloss. in cap.: Cum Creatura de celebr. miss.: Quod pro defuncto fit anno revoluto a die mortis ejus*, et *Fagnan. in comment. ad idem cap.: num. 1.* ait: *Anniversaria, id est, officia, quae fiunt pro mortuis anno revoluto a die obitus ipsorum:* Rituale romanum *tit. de offic. facien. in exequiis absente corpore defuncti* praescribit: *Si faciendae sint exequiae absente corpore . . . in ecclesia dicatur officium mortuorum cum tribus nocturnis et laudibus et antiphonis duplicatis vel saltem unum nocturnum cum tribus lectionibus et laudibus et missa.* Post missam praecipit fieri absolutionem, deinde addit: *Praedictus autem officii ritus pro defunctis adultis tam a sacerdotibus et clericis quam a saecularibus et laicis servari debet in officio sepulturae in die depositionis, sive in die 3., 7., 30 et anniversario.*

In *Placentina 13. Januarii 1691*, cum testator quidam haeredem gravasset onere celebrationis anniversarii missarum 15 et parochus contenderet recitandum quoque esse officium defunctorum et celebrandam missam cum cantu, supplicavit haeres sacrae Congregationi, ut decerneret, *se ad nil aliud teneri quam ad celebrari faciendum annuas missas 15 juxta voluntatem testatoris*, et sac. Congregatio declaravit: *anniversarium intelligi deberi de 15 missis privatis tantum eodem die testatoris obitus celebrandis.* Denique praetereundum non est, quod ait *Ceccoper. lucubrat. canon. lib. 4. tit. 15. num. 19. post Bordon. in miscell. dec. 33*, capitulum, cui legatum fuerit praedium cum obligatione celebrandi anniversarium pro anima testatoris, satis injuncto oneri satisfacere cantando unam missam et unum nocturnum defunctorum, quae quidem opinio cum rituali romano apprime cohaeret.

Hinc opportune distinguendum erit, quando testatores anniversarium simpliciter demandarunt et quando certum missarum numerum praescripserunt, ut juxta casuum circumstantias definiri valeat:

An et quomodo peragenda sint anniversaria in casu?

S. C. resp.:

Quoad anniversaria simpliciter relicta et absque ulla designatione missarum peragenda esse cum officio mortuorum, trium nocturnorum, vel saltem unius nocturni, missa cum cantu et absolutione. Quo vero ad alia peragenda esse juxta formam a testatoribus praescriptam.

Die 13. Martii et 8. Maji 1773.

13) Distributiones pro praesentibus in anniversariis celebrandis.

Vd.: *Distribut.* (anniversar.).

14) Episcopi vigilantia de eo.

Piarum omnium causarum executores sunt Episcopi; *text. in cap.: Tua nobis de testam.; sacr. concilium Tridentinum sess. 22. cap. 8. de reform.*, et *Rot. in Barchinonen. Causae piae 4. Maji 1742 §. 6. cor. Nunez.*

Die 15. Septbr. 1787. *Ferrarien.*

Scitum est Episcopum piarum voluntatum legitimum exequutorem judicemque esse, ut ex celebri decretali *Greg. III. in cap.:*

Nos quidem, et *Gregorii IX. in cap. 17. de testam.*

Die 8. Julii 1786. *Reatina.*

Episcopum piarum dispositionum executorem esse juxta *Tridentinam Synodum sess. 22. cap. 8. de reform.*

Die 7. Maji 1791. *Fanen.*

In dispositione concilii Trident. *sess. 22. cap. 8. de reform.* Episcopis expresse injungitur, ut *etiam tamquam Sedis apostolicae delegati in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos sint exequutores;* super his autem verbis *in casibus a jure concessis* s. m. Benedictus XIV. *de synod. diocces. lib. 13. cap. ult. num. 1.* haec animadvertit: »*Quibus verbis innuitur ea facti species, qua alter in alterius supplementum datus fuerit exequutor.*« Hinc *Fagnan. in comment. ad citat. cap.: Tua Nobis num. 2 et seqq.* putat, Episcopum executorem esse piarum voluntatum, vel quando nulli sunt executores vel post monitionem defuncti voluntatem adimplere negligant. Et clarius *eodem in loco num. 5.* ait: »*Itaque Episcopi non sunt generaliter et indistincte executores piarum voluntatum, sed ad juris communis praescriptum, et sic in subsidium, id est cum nulli sunt executores a testatore deputati, vel si sunt, tamen moniti voluntatem testatoris renuant adimplere, nisi in hunc quoque eventum testator providerit sibi de alio executore, ut dictum est supra, licet indistincte jus habeant morosos executores compellendi.*«

Die 17. Julii 1773. *Navarien.*

15) Initium.

Anniversarium secundum *glossam in cap.: Cum creatura, de celebratione missarum*, numerari debet a die obitus illius, pro quo celebrandum venit, et non a die sepulturae, ut colligitur etiam clare ex verbis sequentium decretorum, *recurrente obitus die*, et clarius ex verbis decreti 19. Junii 1700, ibi: *Dummodo sermo sit de die vere anniversaria a die obitus*, ubi ly *vere* expresse declarat veram et non fictam diem obitus. Nec obstat ly *depositionis diem* in anniversarii missa repertum, cum talis dies aeque proprie pro die obitus aptus sit recipi, ubi dies obitus nonnisi improprie pro die sepulturae accipi valet; recte exponit doctissimus P. Cavalieri *loc. cit. cap. 4. num. 7*, qui tamen ibi *n. 8.* aliter censet de diebus 3., 7. et trigesimo credens harum numerationem petendam esse non a die obitus sed a die sepulturae, quamvis non desint, ut et ipse refert *loc. cit. n. 6*, qui ex verbis collectae missae »*pro anima famuli tui, quam hodie de hoc saeculo migrare jussisti*«, liberum censeant ab utroque die numerationem petere, cum ecclesia per dicta verba videatur totum temporis spatium ab instanti mortis usque ad sepulturam pro uno die reputare in favorem recens mortui; quod revera sine contradictione a variis in praxim deduci in dies conspicimus.

In ecclesiis, in quibus anniversaria celebrantur undecimo mense a die obitus, si die illa occurrat officium duplex non festivum, potest cantari missa de requiem ac in ipsa die anniversaria, dummodo dies illa vel ex locorum consuetudine vel ex testatorum dispositione stata et fixa sit pro celebrandis dictis anniversariis.

Die *3. Martii 1761. Aquen.*

16) In missa privata quando consistit?

Vd.: *Annivers.* (cantari etc. p. 525 n. 3).

17) Mutatio in missas lectas concessa.

Vd.: *Anniversar.* (reductio concessa, decr. *Conversanen.* p. 537; *Usselien.* p 539; *Ferrarien.* p 547); *Utima volunt.* (commut.).

Pampilonen.

Praeter funera aliasque solemnes functiones, quae dietim occurrunt in collegiata et parochiali ecclesia s. Nicolai civitatis Pampilonensis adnumerantur etiam mille et biscentum anniversaria sive ex fundatione sive ex piis legatis annuatim celebranda a Canonicis et capitulo ejusdem collegiatae ecclesiae, et quidem singula solemniori pompa, nimirum cum missa parata, assistentia diaconi et subdiaconi cantuque chorali.

Ut esset huic gravissimo oneri satisfactum, usu receptum est apud Canonicos, ut quatuor in singulos dies feriatos anniversaria celebrentur. Cum autem capitulum ex quatuordecim tantum componatur Canonicis, hinc persaepe accidit, ut, demptis illorum tribus pro solemni missa destinatis, altero pro subsequenti canenda missa, parocho animarum curae incumbente, collectore reddituum capituli alioque absente vel causa infirmitatis vel titulo jubilationis vel ad audiendas confessiones detento, duo vel unus tantum ex Canonicis adsistat in choro, quod scandalum

potius adstanti populo praebet quam excitet illius pietatem illiusque religionem.

Hujusmodi incommodo occurrere satagentes Canonici preces obtulerunt sanctissimo Domino nostro postulantes, ut, praevia commutatione oneris et voluntatis defunctorum, qui reliquerant anniversaria, indulgeatur facultas capitulo totidem celebrandi missas lectas in locum anniversariorum, sub hac tamen lege, ut singulis diebus unum tantum solemne anniversarium cum cantu et cum eadem pompa celebretur.

Precibus ad hanc sacram Congregationem remissis auditus de more fuit Episcopus, qui retulit, parochianos aliosque interesse habentes vocatos per edicta omnes uno ore, unanimi consensu et nemine penitus discrepante ratam acceptamque habuisse capituli petitionem.

De anniversariorum numero eorumque redditibus haec testatus fuit Episcopus: »Anniversaria sunt numero mille biscentum fundata quatuor ab hinc retro saeculis a privatis personis, quorum pleraeque amplius non existunt, eorum redditus etiam pinguiores deductis expensis debitis vix ad decem regales et octo teruntios singuli accedant, sicque unicuique Capitularium pro unoquoque eorum viginti octo aut 32 maravedisi vel teruntii contingunt.«

Concluditque demum, »quod, cum ob concurrentium funeralium et aliarum solemnitatum, quae in praedicta ecclesia quotannis celebrantur et quarum numerus ut minimum ascendit ad biscentum, difficillime supradicta anniversaria cantari possint vel nonnisi indecenter, praepropere et accelerate, ut eorum cantus risum potius in fidelibus quam devotionem excitet«; proindeque est in voto: »preces oratorum justas esse defectumque cantus anniversariorum abunde compensari tum per duodecim missas supererogationis et praeter dictas mille biscentum quotannis celebrandas, tum per strictam obligationem, quam contrahere volunt et debent oratores, scilicet cantandi missam omnibus illis diebus feriatis, in quibus antea canebantur anniversaria et non sit missa ex alio capite canenda . . ., dummodo a praefato recitandarum missarum cumulo excludantur anniversaria moderniori hoc praesenti saeculo fundata, quae sunt numero plus minusve septuaginta.

Ad rem quod attinet, ponderandum est, commutationes voluntatis vel oneris nunquam denegari, quoties justa intercedat commutationis causa et permutandum onus facilius adimpleri possit, juxta sanctionem sacri *concilii Tridentini sess. 25. cap. 4. de reform.*, cui caeteroquin adhaesit haec sacra Congregatio ante acceptationem oneris vel ante illius executionem, ut in *Romana Commutationis Voluntatis 27. Februarii 1734*, et in *Interamnen. Commutationis Voluntatis 8. Maji 1756*, non autem post acceptatum et executum onus nisi reddituum statu praeventive firmato, ut in *Nullius Terrae Pontiani Commutationis Voluntatis 30. Januarii 1745.*

Dignabuntur itaque EE. VV. declarare:

An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta modum, nempe, celebrato uno ex anniversariis, de quibus agitur, die non impedito nec non aliis anniversariis recentioribus juxta votum Episcopi, et praeterea celebratis tot missis lectis pro intranti quantitate summae assignatae pro anniversariis solemnibus reductis ad ratam tamen taxae perpetuae et ad dominum Secretarium cum Sanctissimo.

Die 19. Aug. et 2. Decbr. 1775.

Leodien.

Ob diminutos capellaniarum redditu *Sanctissimo Domino Nostro* supplicarunt collegiatae ecclesiae Thorensis capellani pro reductione onerum et commutatione anniversariorum ad missas lectas, ita tamen, ut idoneum capellaniae praestare possent titulum pro sacra ordinatione. Valde enim in Leodiensi ecclesia necessaria est sacrorum ministrorum opera.

Re ad sacr. hanc Congregationem delata post auditum de more Leodiensem Episcopum rogatus fuit eminentissimus Cardinalis Gerdil, ut pro sua sapientia atque solertia negotium perpenderet suamque super precibus sententiam proferret. Nulli laudatissimus D. Cardinalis pepercit labori, nihil non cogitavit, ut rem implexissimam expediret ac opportuna proponeret remedia, quibus et privatae capellanorum utilitati et publico ecclesiae commodo consultum esset. Elucubratissimum in id edidit votum, quod seorsim EE. Vestris distribuitur, adeoque accuratum est, ut inutiliter hic prolixa oratione descri-

beretur. Singulari tamen modestia optat, ut ab EE. Vestris decernatur:

An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro reductione et absolutione in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Emi relatoris.

Die 24. Martii 1787.

18) Origo.

Vd.: *Anniversarium* n. 12. p. 532 §. *Tertullian.*

19) Perpetuum quando est?

Anniversarium ordinatum a testatore pro anima sua sine declaratione, an pro unica vice vel an in perpetuum, praesumendum est pro perpetuo, quia in dispositione indefinita, quando dispositum est iterabile, non intelligitur de unica vice, per *textum in leg. cum quidam: ff. de ann. legat.*, prout explicat *Cumanus in leg. eum qui Kalendis, in princip. de verb. significatione;* sed dies anniversaria recipit reiterationem, ut eleganter tenet *Lancellottus decis. in dict. leg. cum quidam,* et *Barbosa in leg. divortio* §. *quod in annuo 11. ff. solut. matrimon.* Anniversarium enim secundum communem conceptum non restringitur ad unum annum, ut dicit *Perez de annivers. et capell. lib. 1 et 3. num. 3.* Et ad hoc facit *textus in l. Annua 20.* §. *Atria, ff. de annuis legat.*, ubi, cum Atria disposuisset, ut ex redditu coenaculi et horrei sui post ejus obitum daretur quaedam summa sacerdoti aliisque ministris in die nundinarum, quas ibi posuit, responsum fuit, quod illa summa non semel tantum sed in perpetuum danda esset. Et etiam *textus in l. Defuncta in fin. ff. de usufructu,* ubi, cum esset legata sexta pars fructuum oleris, quam testator habebat in agro, responsum fuit, non pro anno sed quotannis intelligi relictum. Sic *Perez de anniversar. et capellan. lib. 1. cap. 3. num. 9 et seqq. per tot.* et alii plures ab ipso cit. cum *Rosignol. de Eucharist. quaest. 23. art. 3. num. 3.*

Senogallien.

(Conc. Trid. cap. 4. sess. 25. de ref.)

Jussit inter alia Hypollitus Arsillus in suo postremo elogio condito de anno 1649, ut a suis infrascriptis haeredibus, quos in eodem testamento tres suos filios instituit, celebrari fieret in perpetuum officium anniversarium viginti missarum cum his praecisis verbis: *Item jussit et mandavit, ut sui infrascripti haeredes curent quolibet anno in perpetuum celebrari facere officium anniversarium in die suae depositionis viginti missarum in Cathedrali Senogalliae, ubi erit humatum ejus corpus aut ubi dicti haeredes voluerint:* necnon instituit capellaniam cum onere missarum et jurepatronatus ad favorem suorum filiorum et post eorum mortem, quod transeat in haeredes eorundem, et sic continuari in perpetuum, ut ex copia testamenti per extensum data in summario.

Praefati filii haeredes instituti paternae dispositioni satisfecerunt vita eorum durante, iis autem defunctis eorum successores praetermiserunt dictarum missarum adimplementum, freti quorundam jurisperitorum consilio autumantium, hujusmodi onus uti personale vigore indigitatorum verborum: *sui infrascripti haeredes,* haud protrahi ad alios ultra supradictos filios primo haeredes nominatos, eoque magis, quia testator vir doctus et in juris scientia apprime versatus optime nactus fuisset modum, si successores omnes comprehendere voluisset.

Cumque hodie in haereditate supradicti Hypolliti testatoris per intermediam aliorum personam successerit Alexandra Porti proneptis, volensque haec in tutiori conscientia vivere humillime recursum habuit ad s. C. pro favorabili declaratione, cum caeteroquin Episcopus informare jussus expositorum veritatem comprobet, etsi votum suum aperire omittat.

Hinc ab EE. VV. definiri modo petitur:

An onus sit perpetuum in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 23. Junii 1708.

20) Reductio.

a) Causae.

Vd.: *Missa* (reductionis causae).

In reducendis missarum oneribus certa regula est, quod alia potius onera quam missarum numerus imminui debet, *Monacell. formul. legal. formul. 19. tit. 10. part. 1. n. 25 et seqq.*, dummodo tamen testatoris voluntas non obstet, *Passerin. de stat. homin. tom. 2. quaest. 187. num. 1101.*

Si vero res sit de missis manualibus et anniversariis, ista potius quam illae reductionis sunt obnoxia, *Fagnan. in cap.: Ex parte de constit. num. 34.* Cum enim sacrificia prosint defunctis per modum suffragii

capiunt fidelium animae, si plures missae celebrentur, quam si ex istarum eleemosyna unum fiat anniversarium.

Die 12. Martii 1774. *Albanen.*

b) Concessa.

Vd.: *Missa* (reductio concessa).

Conversanen.

Capitulum et clerus Cathedralis Conversanae civitatis *quatuor* perpetuis gravatur oneribus, nimirum *primo* plurium missarum lectarum, quarum nonnullae per *turnum* a Canonicis celebrandae sunt in aliis ecclesiis dictae civitatis; *secundo* anniversariorum simplicium celebrandorum cum interessentia Canonicorum et participantium hebdomadalium; *tertio* anniversariorum duplicium, quae sunt ab universo interessente Capitulo et clero celebranda; *quarto* demum capellarum canonicalium, quae etiam in diversis ecclesiis cum interventu similiter omnium Canonicorum et cleri peraguntur. Cum autem pro his omnibus implendis oneribus impares fuissent Capituli redditus, anno 1728 Episcopus Meda, dum erat Conversanus Antistes, utendo speciali facultate sibi tributa a s. mem. Benedicto XIII. per organum hujus sacrae Congregationis onera praedicta reduxit fuitque moderatus *juxta redditus* bonorum, quae a capitulo possidebantur.

Reduxit enim in hunc, qui sequitur, modum, scilicet missas lectas perpetuas cum eleemosyna ad rationem granorum viginti trium pro qualibet missa; *anniversaria simplicia* ad rationem carolenorum viginti pro unoquoque anniversario; *duplicia* vero ad rationem ducatorum quatuor pro quolibet. Et ad hanc eamdem rationem reduxit *canonicales capellas;* prohibuitque demum capitulo, ne imposterum hujus generis onera reciperet cum minori eleemosyna illa, quam ipse in reductione praescripserat. Capitulum tamen successivis inde temporibus et usque ad annum 1769, hoc spreto Episcopi praecepto, plures accepit missarum lectarum fundationes ad rationem eleemosynae dumtaxat granorum viginti. Verum cum capituli redditus post antedictam demandatam onerum reductionem notabilem passi fuerint imminutionem, quoniam census, in quibus universum fere patrimonium consistit, et quorum redditus prius erant in scutis septem, octo, novem ac etiam decem pro quolibet centenario et anno, nunc non alios redditus, nisi in annuis scutis quinque in singulis centum subministrant, quemadmodum etiam sors redemptorum censuum, quae in bonis stabilibus investita fuit, non alios fructus reddit, nisi in annuis scutis tribus pro quolibet centenario, hinc hodiernus Conversanus Antistes in ejus postrema visitatione praemaximas invenit absurditates tam in dictorum onerum implemento et applicatione, quam in bonorum adnotatione tanquam indistinctim facta in codicibus capituli. Quapropter Canonici pro quiete eorum conscientiae una cum Episcopo preces porrexerunt huic sacrae Congregationi postulantes dictorum onerum reductionem aliquo sumendo temperamento, quod firmum sit futuris temporibus quodque certam declaret implendorum onerum quantitatem.

Episcopus autem in ea est sententia, quod primo loco firmetur status omnium reddituum bonorum capituli, habito respectu ad vicennium, ut ex eis demptis gravaminibus realibus, ordinariis et extraordinariis conjici possit quanta sit certa eorundem reddituum quantitas ex singulis bonis anno quolibet praecepta, et in ea quantitate pro futuris temporibus statuenda, quodque separentur tot bona stabilia certi redditus pro fundo massae capitularis et quotidianorum distributionum prorsus distincta ab illis pro missis, anniversariis capellanisque canonicalibus assignandis.

Secundo vero loco, quod adnotentur bona, quae capitulo relicta fuerunt titulo legati vel donationis vel alterius cujusvis successionis, de quibus certa poterit haberi notitia, cuique bonorum corpori fixo adnotato redditu cum perpetuo missarum onere, cui redditus subjiciuntur juxta testatorum dispositiones. Idque ipsum servari deberet quoad alia bona, de quorum provenientia certa adest memoria, facta in eis tamen individua mentione nominis cujusvis pii disponentis una cum missarum numero, qui redditibus correspondeat.

Ac demum quod describantur bona acquisita a capitulo cum pecuniis etiam provenientibus a piis testatoribus et sicuti haec subjecta sunt ex una parte missis perpetuis lectis, et parte ex altera anniversariis et capellis canonicalibus, ita adjicienda sit illis certa eorundem onerum quantitas correspondens unicuique pecuniarum summae a respectivis testatoribus provenienti, quae erogata

fuit in emptione bonorum. Idque pariter servetur quoad pecunias a redemptione censuum provenientes, quae adhuc sunt in bonis stabilibus investienda.

Ad reductionem vero quod attinet, est in voto, quod anniversaria simplicia, quorum redditus non ascendunt ad carolenos viginti, unienda sint et ex eis una confici debeat massa, et quot sunt redditus, tot sint celebranda anniversaria simplicia ad rationem carolenorum viginti pro quolibet cum applicatione pro omnibus piis fundatoribus. Anniversaria vero duplicia, quae non habent respectivos redditus ducatorum quatuor, reducenda sint ad totidem anniversaria simplicia, quot sunt redditus. Item quoad missas lectas, quibus deficit eleemosyna manualis, uniendi sint redditus, et quot illi sunt, tot missae celebrandae cum eleemosyna granorum viginti trium pro qualibet, vel saltem ad rationem manualis in fundatione praescriptam cum applicatione *pro pluribus*. Advertit tamen, quod sicuti pro nonnullarum missarum celebratione certum fuit praescriptum altare situm in distinctis ecclesiis, ita necessarium esse putat, quod huic altaris designationi derogetur relative ad illas missas in reductione comprehensas, quae in iisdem ecclesiis et altaribus celebrari non potuerunt.

Ac demum, quod capellae canonicales, quarum redditus imminuti summopere comperiuntur, reducenda sint ad simplicia, nimirum cum interventu dumtaxat Canonicorum de hebdomada. Concluditque, presbyterorum numerum ut plurimum esse imminutum, nec ullum inveniri presbyterum, qui Sacrum celebret ad rationem manualis utpote prorsus imparis ad congruam illius manutentionem.

Haec omnia ablegata fuerunt eminentissimo Cardinali de Zelada, ut dignaretur rem perpendere, sacr. Congregationem instructam reddere et votum suum aperire. Is enim in votis est, *ut quae a piis testatoribus relicta capitulo sive in censibus sive in bonis stabilibus adhuc distincta perseverant, eadem cum aliis non confundantur, sed redditus in praecisam causam ab eisdem testatoribus designatam adamussim erogentur. Quod si illorum redditus pro onerum implemento non sufficiant, tunc reductioni locus esse poterit sed ita reductio decernenda erit, ut anniversaria ad totidem missas lectas reducantur, aliae vero functiones, quae cum interessentia Canonicorum peragi debent, moderate ac tenui expensa peragantur, ut Canonicis interessentibus aliquale emolumentum labori congruum rependatur.*

Rursus ait, quod *aliqua statuenda videtur methodus quoad reliquas fundationes, quarum origo ignoratur et bona confusa sunt, absque eo, quod secerni valeat, quid ab uno vel ab altero testatore demandatum aut relictum fuerit. Consistunt autem hujusmodi fundationes in aliquibus missis lectis, in anniversariis duplicibus, quae scilicet celebrantur cum interventu omnium Canonicorum, necnon in anniversariis simplicibus, quae cum interessentia Canonicorum in diversis ecclesiis peraguntur. De missis lectis ita sentiendum arbitror, ut earum quantitas juxta rationem eleemosynae manualis inspecto regionis more praefiniatur, quatenus juxta eleemosynam ab Episcopo Meda constitutam integer earum numerus celebrari non possit. Anniversaria vero simplicia ad missas lectas, duplicia vero juxta modum pro simplicibus hucusque servatum reducenda censerem, dummodo tamen non major summa, quam carolenorum viginti pro unoquoque impendatur, quod si haec summa non sufficiat, tunc ista etiam anniversaria ad totidem missas lectas reducantur. Advertendum tamen, ut tam missae quam anniversaria, collatis in unum suffragiis, pro omnibus benefactoribus applicentur.*

Tandemque *de capellis canonicalibus non satis certum arbitror ferri posse judicium, cum nec de earum quantitate ac modo nec de impensa notio ulla habeatur. Hinc prudenti reverendissimi Episcopi arbitrio relinquendum, ut illas vel reducat vel earum celebrationem minori interessentium numero praefiniat vel stipendium moderetur atque haec ita exequatur, ut pro peragendis capellis ne quid minimum de missis aut anniversariis detrahatur.*

Verumtamen cum agnoverit, rem satis esse dubiam et implexam nihilque certi statui in ea posse, jussit idcirco, causam esse *in folio* describendam, ut capituli instantia maturius ab EE. VV. perpendeatur.

Causa igitur nunc proponitur.

Quinque sunt dubia:

I. *An et quomodo sit locus reductioni missarum lectarum etiam per turnum celebrandarum extra Cathedralem in designatis diebus et capellis in casu?*

II. *An et quomodo sit locus reductioni anniversariorum simplicium in casu?*

III. *An et quomodo sit locus reductioni anniversariorum duplicium in casu?*

IV. *An et quomodo sit locus reductioni capellarum canonicalium in casu?*

V. *An et quomodo sit prvidendum quoad missas lectas, anniversaria et capellas canonicales, quorum fundatorum et reddituum provenientia ignoratur in casu?*

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Emi de Zelada, dempta tamen Episcopo facultate reducendi missas.

Die 30. Maji et 27. Junii 1778.

Usselien.

Preces ac rationum momenta, quibus Canonici Cathedralis Usselliensis ab Episcopo anno 1831 sacram visitationem obeunte exorarunt, ut faciliori rei sacrae procurationi, divini cultus incremento, beneficiorum tuitioni et choralium officiorum splendori prospiceretur, luculentissime expendit eminentissimus ac reverendissimus Cardinalis Castracane de Antelminellis, qui rogatus de sententia eam profert voto apprime elucubrato, quod integrum exscriptum Emis Patribus proponitur.

Ecclesiae Usselliensis Episcopus supplicibus precibus ad SS. D. N. datis narravit, a capitulo cathedrali sibi officium pastoralis visitationis obeunti expositum fuisse:

1. Omnia fere beneficia capitularia per temporum vicissitudines eam reddituum imminutionem passa esse, ut ad decentem beneficiatorum sustentationem imparia omnino sint; fierique proinde saepe, ut beneficiati ad suae sustentationi consulendum, posthabita divinorum officiorum cura, mentem operamque convertant, quin etiam verendum sit, ne in posterum beneficiis beneficiati desint. Ad occurrendum hisce incommodis, quae ex imminutis redditibus consequuta sunt, quaeque in divini cultus detrimentum et dedecus ecclesiae cedunt, haec ex ejusdem capituli sententia essent facienda.

1. Beneficia et capellaniae essent uniendae, ut ex earum unione beneficiati, qui in praesens vix medietatem distributionum sibi competentium percipiunt, integras deinde percipiant distributiones.

2. Quaedam in Cathedrali ab antiquissimis temporibus instituta cum existant legata missarum cantatarum simplicium cum eleemosyna decem solidorum et altaris et diei adsignatione, alia pariter existant missarum recitatarum cum adsignatione quoque diei et altaris; ac tam illa quam haec nonnisi difficulter celebrari possint, priora ex eo quod nimis modica sit constituta eleemosyna, posteriora, quod fieri non possit, ut a sacerdotibus in Cathedrali existentibus die et altari adsignato recitentur. Cum praeterea anniversaria numero duodecim legata fuerint a quodam Decano Moyrano, quorum adeo tenuis eleemosyna est, ut nonnisi solidos duos et denarium unum singulis ministris praebeant, hinc postulavit, ut attentis expositis rationum momentis eleemosyna decem solidarum praedictarum missarum cantatarum ita elevetur, ut duodecim solidi cum dimidio celebrantibus tribuantur, cantoribus vero quinque solvantur; et tam super his quam super missarum privatarum legatis obligatio altaris et diei adsignati, quo facilius et expeditius celebrentur, relaxetur. Quod vero attinet ad anniversaria antedicti Moyrano, ex numero duodecim ad sex tantum reducantur, ut quatuor solidos cum duobus denariis percipiant interessentes.

Praeter allata alia quaedam fundata recensuit anniversaria a sacerdote Leonardo Atzori et a quodam rectore Spiga, super quibus cupit inspecta eleemosynae tenuitate reduci ad medietatem numeri illorum in fundatione praestituti.

3. Quum insuper in Cathedrali fundata reperiatur solemnis festivitas in honorem beatae Virginis de Monte Carmelo postremis diebus dominicis mensis Maji cum solemni missa et panegyrica oratione singulis annis celebranda, cupit antelaudatum capitulum panegyricam orationem cum solemni capituli processione commutari, propterea quod desint plerumque in Cathedrali et in illa dioecesi sacri oratores, nec aliunde nisi incommode magnisque sumptibus advocari possint.

4. Et tandem Sanctitatis Suae indulgentiam exoptat, ut singulis Capitularibus duobus diebus singulis mensibus a choro abesse liceat absque metu punctationis ad instar aliarum quarundam illius regni Cathedralium.

Pergit deinde Episcopus exponere Sanctitati Suae adeo sibi constare de imminutis

beneficiorum redditibus, deque incommodis, quae ex ipsa imminutione consequuntur, ut nihil morae interposuerit, quin propositum et valde ipsi probatum capituli consilium amplecteretur. Hinc fidens, quod benignitas. Sanctitatis Suae animo perpendentis, in ecclesiae dedecus quam maxime vertere, illius ministros vitae subsidiis egere, bonumque spirituale, quod ex beneficiatorum chori assiduitate proficiscitur, quam promovendam intendit, anni totius licet modicas distributiones eisdem parante, coeptum ab eo consilium sit probatura, praedictas uniones eadem sibi a capitulo ratione proposita pergit. Quapropter deprecatur Sanctitatem Suam ut dignetur peractas unione beneplacito suo donare atque munire. Neque minus indulgentiam SSmi D. Nostri praestolatur Episcopus pro caeteris capituli petitionibus.

Itaque quod ad secundam attinet petitionem, postulat:

1. Reductionem missarum cantatarum simplicium, de quibus agitur in supplici capituli libello, ita ut tot ex illis celebrentur, quot celebrari poterunt cum adsignatione eleemosynae solidorum duodecim cum dimidio favore celebrantium et solidorum quinque pro qualibet missa favore cantoris.

2. Relaxationem obligationis missas tum praedictas cum alias legatas certo die et fixo altari celebrandi, ut facilius haberi possint celebrantes ac expeditius et sine mora suffragium fundatores percipiant.

3. Reductionem ad sex tantum anniversariorum duodecim a quodam Decano Moyrano legatorum taliter, ut solidos quatuor cum duobus denariis pro quolibet singuli ministri pro interessentia lucrentur.

4. Reductionem ad medietatem anniversariorum a sacerdotibus Leonardo Atzori et rectore Spiga legatorum; et si hac facta reductione deductisque ex proventibus ipsorum eleemosynis missarum nil pro adimplendis anniversariis remaneret, dispensare Sanctitas Sua dignetur, ut illa commutentur in tot missas cum interventu et assistentia totius capituli celebrandas.

5. Quod attinet ad tertiam petitionem, postulat ipse, ut panegyrica oratio, quae in honorem beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo quotannis in Cathedrali recitari debet, cum solemni capituli processione commutetur.

6. Quod ad extremam petitionem attinet, postulat, ut suae Cathedralis Canonici caeterique beneficiarii duobus diebus quoque mense absque distributionum amissione abesse possint.

Cum autem ex supplici Episcopi libello neque de veteri neque de novo beneficiorum censu legatorumque piorum redditibus constaret multaque alia desiderarentur in eo scitu necessaria, ut rite recteque de capituli Alensis precibus et utrumne mos ipsi gerendus in omnibus sit, ut Episcopo in optatis esset, ferri judicium posset: hinc ex hujus S. C. instituto supplex Episcopi libellus sequenti rescripto dimissus fuit.

Die 12. Januarii 1833.

Episcopus transmittat notulam legatorum et beneficiorum cum indicatione ad monet. roman. annui redditus et onerum ac distributionum cujuslibet beneficii ac legati, tam de tempore fundationis quam de praesenti ac particularis fundationis, sive beneficiorum sive legatorum, quae unione, reductione vel commutatione indigent; et referat praesertim ad eamdem taxam monetae romanae, in qua summa redditus beneficiorum diminuti sint vel perierint; et in qua summa modo sint augendi, de qualitate servitii choralis, quod praestatur, de taxa dioecesana eleemosynae tam pro missis lectis quam cum cantu et anniversariis, etiam quando adest capitulum, de numero inservientium choro, missis capellaniarum Carcassona hactenus inadimpletis; de summa necessaria pro complemento fabricae aulae capitularis, capituli impotentia aliter supplendi, et an periculum adsit quod cultui ecclesiae vel populi commodo praejudicium inferatur, quatenus concedatur missarum translatio ad alios dies et horas, et si quid aliud ad rem faciat super expositis a capitulo, distincte exprimat sacrae Congregationis mandatis obtemperans Episcopus syllabum beneficiorum, quorum vel unionem vel reparationem peregit, transmisit subnexo cuique beneficio originario et recenti censu, ex quo facili negotio discerni possit, utrum eadem congruae beneficiatorum sustentationi paria modo sint.

Monet autem Episcopus veterem beneficiorum statum ex fundationum tabulis cognoscere haud potuisse sed illum veluti conjectura et per calculum proximitatis se assecutum. Cujus rei in causa esse asserit, quod illorum fundatores immobilia relinquentes

legem discerint heredibus vel capitulo, ut eadem distraherent pretiumque redigendum in dotem beneficiorum collocarent. Utrum autem et qua ratione partium huic legi satisfactum fuerit, tot labentibus annis memoria pene interiit.

Nec minus caeteris quaestionibus, de quibus interrogatus fuit, satis ex data responsione Alensem Episcopum fecisse appareret. Utrum autem ejus sententiae, quae capituli optatis omnino favet, obsecundandum sit, modo inquirendum. Qua in inquisitione ut ordine procedamus, peractam ab Episcopo unionem expendentes, principio de ipsa generatim videndum; deinde de ratione in ea peragenda ab Episcopo adhibita inquiramus oportet.

Primum igitur quod de unione inquirendum venit illud est: utrum ad juris formam peracta ab Episcopo fuerit. Ad formam autem juris eadem facta intelligitur, si legitimae ejusdem peragendae causae intercesserint; si capituli consensus eorumque, quorum interesse potuit, intervenerit. Atqui nihil horum in peracta ab Episcopo unione desideratur. Quod enim ad causas attinet, scitum est, easdem ejusmodi esse debere, ut vel necessitatem utilitatemque aut dignitatem ecclesiae respiciant. Jus enim novissimum *Trid. Conc. sess. 21. cap. 5. et sess. 24. cap. 15.* hanc Episcopis facultatem faciens ex causa necessitatis propter praebendarum paupertatem vel utilitatis Cathedralium et Collegiatarum insignium ad eamdem exercendam impelli eos vult. Quoties igitur casus incidat, ut adeo tenues capitulares sint praebendae, ut sustinendo decenti capitulorum statui pro loci et personarum qualitate impares inveniantur, occurrere huic incommodo Episcopus valet accessoria singulis capitularibus praebendis facta alicujus simplicis beneficii unione. Quoad vero beneficia, quorum accessoria unio ab Episcopo Alensi facta fuit, adeo exigui sunt redditus, ut, detractis missarum caeterisque oneribus, quod reliquum est, consuetis suspeditandis distributionibus valde impar sit. Quid quod ipsae distributiones si integrae solverentur, teste Episcopo, modicum valde emolumentum suppeditarent beneficiatis, qui diurnum chori servitium obire tenentur? Quid ergo mirum, si posthabito chori servitio, ex quo unde viverent, ad suae sustentationi praesidia sibi procuranda exterius vagentur? Atqui tamen utrumque absonum et abnorme est: alterum enim in detrimentum divini cultus, alterum vero in ecclesiae, cui mancipantur, dedecus cedit. Palam igitur est Alensem Episcopum utraque causa a concilio Tridentino praescripta impulsum tum utilitatis tum necessitatis fuisse.

Sed quoniam agitur de unione in actu visitationis ab Episcopo peracta, eo nempe temporis adjuncto, quo Episcopus cognoscere ex pastoralis muneris officio tenebatur, num in sua Cathedrali omnia, quae ad divinum cultum pertinerent, rite et decore absolverentur, supervacuum videtur diutius causas expendere unionum ab ipso peractarum. Causa cognita enim ipsum fecisse praesumendum est. *Gonzalez ad octavam reg. canc.* et *Pignat. tom. 1 cons. 109 p. 106.* Nec magis de capituli caeterorumque, quorum interesse potuit, consensu laborandum est. Capitulum enim auctor suasorque unionum peragendarum Episcopo fuit. Beneficia vero unita aut nullo patronatus jure afficiuntur aut, si quae inter illa hoc jure afficiuntur, illud jus Episcopum et capitulum attingit. Nullius igitur exquirendus consensus fuit. Quoniam vero nihil ab Episcopo peccatum est quoad formam a jure praescriptam, properemus modo ad rationem expendendam ab Episcopo in ea unione peragenda adhibitam.

Capitulum Alense undecim Canonicis, praebendariis et unica dignitate Decani concluditur, octo Canonicis de stallo nuncupatis, quatordecim simplicibus beneficiatis et duobus praeterea capellanis, quorum alteri sacristae, alteri evangelii canendi officium est. Hi omnes diurnum chori servitium obire tenentur sub punctationis poena ac amissionis distributionum horis canonicis respondentium, quibus non adsunt. Haec ex narratione Episcopi, e cujus etiam testimonio atque ex syllabo beneficiorum ab ipso transmisso comperimus pro diurno hoc tam gravi onere ex consuetudine Cathedralis Alensis summam rependi septuaginta quatuor librarum, scutorum nempe monetae romanae circiter triginta titulo distributionum, nisi aliter a fundatoribus jussum fuerit. Haec autem summa, quae si integra etiam solveretur, sustendendo beneficiato impar, teste Episcopo, esset in iis beneficiis, quorum vel unionem vel reparationem praestolatur capitulum, imminutis redditibus, valde imminuta est. Illa enim beneficia, ut ex syllabo dis-

cimus, duplex onus beneficiato imponunt, alterum missarum tercentarum celebrandarum, alterum choralis pensi. Jam vero propter redditum imminutionem in eam nunc devenerunt conditionem, ut subductis missarum eleemosynis, quod reliquum est, consuetis distributionibus beneficiato solvendis impar valde inveniatur. Hinc Episcopus, ut, quod ex consuetudine vel ex lege fundationis cuique vel Canonico vel beneficiato jus est distributionum percipiendarum, sartum tectum sit, rem componendam ex capituli sententia curavit. Quapropter duplicem rationem ab Episcopo initam fuisse apparet, scilicet ut quaedam beneficia univerit, quaedam vero reparaverit.

Quod ad uniones attinet, tres ab Episcopo peractae inveniuntur. Ex quibus unionibus factum est, ut in unum coaluerint beneficium duo a sacerdote Joanne Francisco Garau fundata beneficia, item et beneficium ab Episcopo Macones et capellania a sacerdote Petro Pinne fundata; postremo et duo capellaniae ab Episcopa Carcasona erectae.

Verum quod ad primam duorum beneficiorum Garau unionem pertinet, animadvertendum in eadem peragenda non habitam fuisse rationem annui oneris missarum tercentorum alterius beneficii uniti. Cum enim unio fieri debeat cum adnexis oneribus, ut in *Lycien. 11. Jan. 1697*, et *Rigant. ad. reg. 13. canc. n. 138*, oportebat onus praedictum sartum tectum servare. Quae regula eo magis obtineri debuit in unione duorum horum beneficiorum, eo quod ea peracta supererant scutata quadraginta quatuor, quae fere aequabant eleemosynam missarum tercentarum. Verum illa summa translata est ad reparandum beneficium Petri Ibba in scutatis triginta septem, reliquis septem scutatis in beneficium Gallus translatis.

Quod ad alteram unionem attinet beneficii Maeones cum capellania Pinna, cum alterius jus nominationis ad Episcopum, alterius ad capitulum pertineret, unio ita composita est, ut extinctive et translative quodammodo facta fuerit, transfusis nempe juribus et oneribus utrisque. Hinc beneficium Macones et Pinna appellari deberet et illius patronatus seu nominandi jus Episcopus et capitulum alternatim sibi vindicarent. Ad postremam autem unionem quod attinet capellaniarum Cercasona, quae ex sententia capituli ab Episcopo facta est, ut ex illis loco suppressorum beneficiorum unum beneficium constituatur, sciendum

1. ex fundationis lege illius capellanos onere tantum adstrictos missarum applicandarum,

2, a fundatoribus capellaniarum praescriptum, ut, si ex eleemosynis missarum non celebratarum aliqua summa coacervaretur, eadem investienda sit, ut capellaniarum fundi sarti tecti serventur. Jam vero sive ex capellanorum defectu sive ex capellaniarum vacatione summa confecta est atque exstat scutatorum 574, redditus vero capellaniarum scutatis viginti quinque annuis imminuti inveniuntur.

Hisce quoad unionem animadvertis modo, quae rationem in reparandis beneficiis adhibitam respiciunt, animadvertamus.

Decem sunt beneficia, quae propter redditum imminutionem suppeditandis beneficiato consuetis distributionibus imparia ad pristinum censum restituenda curavit. Triplici autem ratione usus est.

1. Cum in unionibus beneficiorum superius memoratis illud prae oculis habuerit Episcopus, ut ad pristinum censum beneficia restitueret, si quod reliquum fuit ex beneficio unito, illud ad alterius beneficii censum in pristinum statum reducendum transtulit. Ita in beneficium Ibba translata sunt scuta triginta quatuor, quae reliqua erant ex beneficio Garau conjuncto cum altero ejusdem cognominis: ita in beneficium Gallus translata sunt viginti et unum scutata annua residua ex unione capellaniae Pinna cum beneficio Macones, et alia septem residua ex scutis quadraginta quatuor beneficiorum Garau unitorum, scutata videlicet viginti et octo, qua summa ad illud beneficium reparandum opus erat.

2. Ad reliqua octo beneficia reparanda petit Episcopus, ut onera missarum pro imminutione redditum in unoquoque beneficio reducantur.

3. Ex syllabo ab Episcopo transmisso apparet unumquodque beneficium vel capellaniam summam exstantem habere plerumque ex eleemosynis missarum non applicatarum confectam. Episcopus proponit petitque sibi facultatem fieri unicuique beneficio summam exstantem vel in reintegrationem sui census vel in augmentum investiendi.

Haec, quae nunc de reparationibus beneficiorum ab Episcopo Alensi peractis animadvertimus, ejusmodi fortasse videbuntur, ut adhibita ab eodem ratio non undequaque arrideat. Verum prae oculis habendum,

1, Omnia, quae hactenus recensuimus beneficia, exceptis capellaniis Carcasona, praeter missarum tercentarum onus ex lege fundationis illud etiam choro assistendi habere;

2, Hoc onus diurnum esse;

3, Beneficiorum redditus, qui, dum integri etiam erant, distributiones valde modicas beneficiario conferebant, nunc imminutos esse;

4, Praeter missarum onera nulla alia singulis beneficiis esse praescripta, quae ex instituto hujus s. Congregationis ante vel reducenda vel supprimenda essent, ut debitae beneficiatorum sustentationi consuleretur;

5, onera vero missarum adeo in Cathedrali Alensi abundare, ut ad satis illis faciendum par sacerdotum copia non sit.

Hisce ad rem adnotatis, cum de causis utilitatis et dignitatis constet, quae generatim unionem reparationemque beneficiorum suadere videntur, fidesque insuper praebenda Episcopo sit sacram visitationem obeunti hincque causa cognita beneficiorum unionem vel reparationem praestolanti, assentiendum ipsi putarem. Quas modo in medium attulimus animadversiones attingentes vel unionem vel reparationes beneficiorum, rerum adjunctis perpensis, tanti non esse faciendas, quae adhibitam ab Episcopo rationem reprobandam suadeant.

Nam quod in unione duorum beneficiorum Garau de onere missarum uniti beneficii non habita fuerit ratio, animadvertendum, quod, etsi uniones fieri cum adnexis oneribus jubeantur, in re tamen, in qua versamur, haec regula vindicare sibi locum non potest. Agitur enim de unione, quae ad sartam tectam servandam distributionem facta est, quae beneficiato ex consuetudine ecclesiae ob diurnum chori servitium debetur, quae admodum tenuis erat, cum integra solvebatur, nunc redditibus imminutis tenuissima est. Jam vero si in ea unione onus tercentarum missarum uniti beneficii Garau stare adhuc deberet, nihil reliqui esset, quo indemnitate distributionum beneficiorum Ibba et Gallus consultum esset. Cumque in Cathedrali Alensi missarum onera parem sacerdotem copiam non inveniant, ut proinde quaedam vel suppressio vel reductio legatorum ex regulis hujus S. C. fieri debeat, ut in *Viglevanen. 4. Aprilis 1789;* in *Novarien. Red. miss. 7. Septembris 1793*, et *in Bononien. Commut. 21. Junii 1794*, consultius videtur, ut onus tercentarum missarum beneficii uniti Garau commutetur, attenta potissimum distributionum tenuitate, salvo onere tercentarum missarum alterius cognominis beneficii. Quid quod nisi ea adhibita ratione reliqua ratio nulla sit, qua congrue necessitati et dignitati Alensis Cathedralis occurri possit?

Quae tamen non ita a me dicta velim intelligantur, ut idem de capellaniarum Carcasona unione sentire videar. Injuria enim omnino fieret et abnorme ab hujus S. C. institutis esset, ut duae capellaniae, quae duobus litandis quotidie sacrificiis absque ullo choralis servitii onere sunt institutae, unirentur, ut in beneficium converterentur et coalescerent. Ad unionem quod attinet beneficii Macones et capellaniae Pinna extinctive et translative factam, nihil est, quod difficultatem pariat, ut proinde sanctio apostolica accedere ipsi possit, quae ejusmodi unionibus necessitate vel utilitate suadente dari consuevit.

Excepta igitur unione duarum capellaniarum Carcassona, quas ad praescriptas a fundatore leges sartas tectas esse oportet, reliquae peractae ab Episcopo uniones ejusmodi mihi videntur, quae Pontificis beneplacito donari possint. Neque minus pontificia approbatione donari posse videntur reparationes beneficiorum. Triplex enim illa reparandorum beneficiorum ratio, qua usus Episcopus, nil prae se ferre videtur, quod canonicis aperte adversetur institutionibus. Non ea, quae Episcopus beneficia Ibba et Gallus reparavit translato in alterum residuo triginta septem scutorum beneficii uniti Garau, in alterum residuo viginti et octo ex unione capellaniae Pinna et beneficii Macones: ideo enim beneficia uniuntur, ut per uniones, sin augeantur beneficiorum dotes, saltem reparentur. Neque magis canonicis adversatur institutis altera illa ratio ab Episcopo pro reparandis octo beneficiis adhibita, qua nempe onera missarum reducerentur. Dum enim illorum beneficiorum fundatores in illis instituendis etiam ad diurnum chori servitium respexerint, illorum redditibus imminutis vel onus choro inserviendi sit sustollendum, saltem imminuendum, vel missae reducantur oportet. Atqui primum in evidens Cathedralis dedecus et divini cultus,

S. C. C. *in Ecclesien. 16. Aug. 1794 pag. 222.* §. *Respondendum.* Ad postremam demum rationem, quae scilicet summa pecuniae, quam unumquodque beneficium exstantem habet, in augmentum dotis beneficii esset investienda, obstare posset, quod illae summae ex eleemosynis missarum non applicatarum constant, quae proinde in eum finem impendenda videretur, quem fundatores jusserunt. Ast ut a praestituto discedatur fine, et in aliud pium opus illae eleemosynae convertentur, urget necessitas occurrendi praebendarum tenuitati, et copia sacerdotum tot, quibus Cathedralis Alensis pene obruitur, legatorum oneribus adimplendis impar. Quae sane causae ex recitatis superius hujus S. C. resolutionibus ad commutationem indulgendam magnopere conferunt.

Satis de unionibus et reparationibus beneficiorum. Alteram modo expendamus supplicis libelli capituli Alensis petitionem, quae reductionem respicit anniversariorum duodecim ad sex: nonnulla praeterea missarum cantatarum legata pariter reducenda: insuper lectarum, quae, cum diei et altaris adsignationem habeant, juxta capituli preces essent transferenda. Non est autem, cur diutius in hoc examine immoremur. Ipsa enim tenuitas eleemosynae longo jam aevo anniversariis praestitutae solidorum duorum singulis ministris perpendendorum, necnon missarum cantatarum et lectarum solidos decem non excedentis cum diei et altaris praefixione non suaderi modo sed persuadere videtur, ut satis ex receptissimis hujus S. C. regulis capituli petitioni fiat.

Quod ad tertiam attinet petitionem, qua nempe in optatis capitulo esset, ut panegyrica B. M. V. de Carmelo oratio in preces commutaretur processionaliter eodem die festo a populo in honorem Deiparae fundendas, quod nemo Canonicorum aut beneficiatorum par inveniatur panegyricae ejusmodi orationi conficiendae, etsi nihil alienum illa petitio habeat a canonicis regulis, non obsecundandum tamen putarem. Probrum enim mihi videtur in tanto virorum ecclesiasticorum numero, ex quibus Alense capitulum constat, neminem unum esse, qui laudes B. M. V. prosequi oratione valeat. Vel igitur capitulum virum aliquem ecclesiasticum sua pecunia arcessat vel, si ab hac expensa se expedire vult, unum vel alterum vel inter Canonicos vel inter beneficiatos seligat quotannis, qui quo animo comparatum esse erga B. M. V. quove cultu prosequi eam oporteat populum doceat.

Postremum, quod petit capitulum, ut singulis sive Canonicis sive beneficiatis liceat quoque mense per biduum absque distributionum amissione abesse a choro, perperam nititur obtinere consuetudine aliarum ecclesiarum. Utut enim illa consuetudo in aliis capitulis Sardiniae legitime obtinuerit, indubium est illam contra legem obtinuisse; hincque strictissime intelligendam neque ad alias ecclesias producendam. Lex enim ecclesiae ita indulget vacationem trium mensium quolibet anno, ut non solum vetet abesse ultra menses tres a choro, sed salvas etiam velit consuetudines ecclesiarum longius servitii tempus requirentium. Ait enim *concilium Trid. sess. 24. c. 12: Salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* Ex mente igitur Tridentini concilii illa trium mensium vacatio strictissime est intelligenda. Atqui capitulum Alense illa indulgentia utitur, vacatione nempe trium mensium, non est ergo cur alia indulgentia illi concedi possit. Antequam huic consultationi finem faciam, duo mihi supersunt animadvertenda.

1. Cum Capitulum Alense petat convertere in suam utilitatem sive ad augendam dotem beneficiorum illos pecuniarum acervos ex omissionibus missarum ut plurium confectos, (sive illae omissiones ex incuria capituli sive ex nimio numero legatorum evenerit) aequum sane videtur, ut quod ipsum ex illis omissionibus commodum percipiet, et damnum animabus piacularibus in flammis degentibus intulit, aliquo suo incommodo compenset. Quamobrem censerem uno aut altero anniversario esse gravandum, quod infra octavam defunctorum quotannis persolvendum ipsi esset.

2. Alterum, quod est animadvertendum, majoris procul dubio momenti illud est, haud satis futurum praeteritis omissionibus missarum remedium adhibuisse, nisi etiam causis illarum omissionum occurratur et ratio praescribatur, quae, quominus inposterum, quoad fieri potest, oriantur, impediat. Ex quadruplici autem causarum genere factum fuisse videtur, ut tot missarum omissiones evenerint.

1. Ex nimio piorum legatorum numero.

2. Ex beneficiorum et capellaniarum vacationibus.

3. Saepe ex tenui missarum stipendio.

4. Culpa eorum, quorum erat missas celebrare vel ut celebrarentur urgere. Liceat mihi quintam etiam in medium affere causam, Episcoporum videlicet Alensis ecclesiae incuriam. Certum est enim inter episcopalis muneris officia principem locum, non novissimum sane obtinere, incumbere et cavere, ut satis piis legatis fiat. Jam vero, qui fieri potuisset, ut ita in immensum pene excrevissent in Cathedrali Alensi omissiones piorum legatorum, si sedulam operam adhibuissent, ut eadem debitae executioni mandarentur. Hisce ut occurratur causis hincque incommodis, quae consequuta sunt et consequutura praevidentur, censerem Episcopo Alensi scribendum, mirum visum esse S. C. in tantum excrevisse in ea Cathedrali piorum legatorum omissiones, quae, etsi excusationem aliquam habere possint vel ex nimio legatorum numero vel ex impari eleemosyna et sacerdotum copia, qua parte tamen illae omissiones multos annos, quin ullum illis admoveri remedium curatum sit, progressae sunt, excusationem nullam habent. Facili enim ratione poterat illis causis obviam iri. Quin potius S. C. in eam suspicionem adducta est, ut in Cathedrali Alensi ortae omissiones sint et oriantur potissimum, quod praescriptae a sacro hoc Ordine pro exacta piorum legatorum executione regulae negligantur. Qua in re in memoriam Episcopo revocarem, eum jure atque ex officio cognitorem, judicem, executorem esse piorum legatorum eumque propterea omnem sollicitudinem debere adhibere, ne eadem occultentur neve ipsorum obliteretur memoria. Hinc ipsi opera danda solerter est, ut cautiones initae atque institutae a Clemente XI. ad perpetua missarum onera vindicanda observentur. Summa autem illarum cautionum haec est, ut in sacrario appendatur tabella onerum, quae ad perpetuum vel ad certum praefinitum tempus imposita et respective acceptata sunt, utque itidem duo asserventur libri, in quorum altero perpetua hujusmodi sive temporaria onera, in altero missae adventitiae et manuales describantur una cum fideli ac distincta adnotatione subsecuti utracumque implementi. Ut autem utraque haec cautio eam utilitatem pariat, ad quam peragendam inducta est, oportet, ut catalogus piorum legatorum rite absolvatur, videlicet ut distincte praeferat perpetua et temporaria onera una cum indicatione testamenti aut alterius legalis actus a pio fundatore exarati et designatione loci sive ecclesiae, in qua peragenda sint Sacra; sicuti etiam numeri missarum ac temporis, quo eas celebrari oporteat. Hujus enim indicis tantummodo praesidio, si recto ordine et cum exacta monumentorum indicatione confectus fuerit, facile et tuto deprehendere licebit, an onera fuerint ex fide adimpleta; id quod ex solis libris constare certo non potest; utpote ex quibus subsecuta celebratio tantum vel oblati Sacrificii applicatio, non vero an omnia sint celebrata et applicata, quae celebranda et applicanda erant Sacrificia, evinci potest.

Quia vero omissionum excusationes, quae in Cathedrali Alensi evenerunt, magna ex parte ex nimio missarum numero et ex impari sacerdotum copia petuntur, hinc Urbani VIII., Innocentii XII. et s. hujus Congregationis decreta tum *in Senogallien. 13. Junii 1626*, tum *in Sacianen. 14. Nov. ejusdem anni* edita ad eumdem Episcopum mittenda putarem, ex quibus rationem omnem ediscet, qua hac in re se gerere debebit.

Neque illud praetereundum putarem in literis ad ipsum dandis, multis Episcopis praeter eam, quam in sacra visitatione obeunda sollicitudinem pro adimplemento piorum legatorum adhibent, in more positum esse semel iterum et pluries etiam in anno conventum selectorum virorum coram se habere, a quibus ipsi de statu piorum legatorum deque casibus, quibus occurrendum esset, refertur, et collatis cum iisdem consiliis omnia in eodem conventu disponuntur atque decernuntur quae ad piorum testatorum voluntates caeteraque onera sacra adimplenda respiciunt.

Quorum exemplum si sequeretur Episcopus Alensis, praeter caetera emolumenta, quae in pia onera redundarent, illud vel maxime consequeretur, quod vocationibus occurrentibus beneficiorum et capellaniarum vel tantum morae non intercederet in nova beneficiati et capellani electione vel saltem consuleretur, ut medio vacationis tempore missae celebrarentur.

Haec scitissime Emus Castracane de Antelminellis: definienda idcirco sunt quae sequuntur dubia:

I. An et quomodo probanda sit unio beneficiorum Garau in casu etc.?

II. An et quomodo probanda sit unio beneficii Macones et capellaniae Pinniae in casu etc.?

III. An et quomodo probanda sit unio capellaniarum Carcassona in casu etc.?

IV. An et quomodo consulendum sit temitati beneficiorum Ibba et Gallus in casu etc.?

V. An et quomodo concedenda sit missarum reductio quibus beneficia tenentur in Cathedrali Alensi in casu etc.?

VI. An et quomodo eroganda sit in augmentum dotis pecuniae vis, quam unumquodque beneficium superexstantem habet, seu potius sit impendenda in eum finem, quem furdatores jusserunt in casu etc.?

Et quatenus affirmative ad primam partem,

VII. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo super absolutione a praeteritis omissionibus in casu etc.?

VIII. An et quomodo concedenda sit reductio anniversariorum Majorano in casu etc.?

XI. An et quomodo concedenda sit reductio anniversariorum Spiga et Atzori in casu etc.?

X. An et quomodo reducenda et transferenda sint legata missarum tam cum cantu quam sine cantu celebrandarum in casu etc.?

XI. An et quomodo annuendum sit commutationi solemnitatis, qua festum B. V. M. de monte Carmelo celebratur in casu etc.?

XII. An et quomodo Canonicis Cathedralis Alensis concedenda sit quolibet mense biduana a choro absentia in casu etc.?

S. C. resp.

Ad I. Dilata, ad mentem.

Ad II. Affirmative in omnibus juxta votum Emi relatoris.

Ad III. Negative et Episcopus curet in investimentum collocari scut. 574.

Ad IV. Affirmative ut in primo.

Ad V. Affirmative ad taxam perpetuam.

Ad VI. Affirmative ad primam partem juxta votum Emi relatoris facto verbo cum SSmo, negative ad secundam.

Ad VII. Affirmative celebrato quotannis anniversario infra octavam defunctorum pro omnibus omissionibus.

Ad VIII. et IX. Affirmative in omnibus juxta votum Emi relatoris.

Ad X. Affirmative in omnibus juxta votum Emi relatoris facto verbo cum SSmo.

Ad XI. et XII. Negative in omnibus juxta votum Emi relatoris.

Die 23. Aug. 1834.

Continuatio Ussellien.

Ad primum et quartum sapientissime EE. VV. responderunt: Dilata et ad mentem. Mens autem est, ut Episcopus magis praecise referat: utrum conservato majori, quo fieri possit, missarum adimplendarum numero infixarum capellaniis et beneficiis, quae pares oneribus substinendis habent redditus, consuli possit capituli necessitatibus reductione choralis servitii vel unione praebendarum canonicalium vel aliorum beneficiorum choralium, sin minus utrum suppetant alia media minus onerosa.

Demandato sibi munere apprime perfunctus Episcopus retulit: Se praeaudita etiam capituli sententia aliter quam unionibus in propositione causae prima enunciatis occurri minime posse beneficiorum tenuitati, non quidem reductione servitii choralis, qua profecto detrimentum fieret capitularibus functionibus et capituli dignitati, praeter quam quod nonnisi post longum temporis spatium, hac peracta reductione, quantitas illa conflari posset, quae supplendis beneficiorum defectibus satisfieret ob nimiam taxae distributionum quotidianarum tenuitatem.

Praeterea quum praebendae omnes et beneficia, si pauca excipiantur, tenuis ac modici sunt redditus ac minoris quam par sit Canonicorum et beneficiatorum sustentationi tribuendae, chorale servitium nisi provisorium cum praejudicio reduci non posset, quod eo reducto distributiones eisdem subtraherentur.

Nec satis quidem fieri potest praebendarum canonicalium vel aliorum choralium beneficiorum unione. Inter simplicia siquidem beneficia nullum exstat simpliciter chorale: praebendarum vero numerum reduci dignitas capituli ac decens Cathedralis servitium ejusdemque capituli negotia officiaque pene innumera non sinere videntur, eo vel maxime prae oculis habito, quod praebendae omnes nedum sint a professoribus occupatae, sed insuper regio juripatronatus obnoxiae et laicali patronatui caetera fere omnia tum canonicalia tum simplicia beneficia, vixque ac ne vix quidem patronorum consensus ad propositam unionem peragendam obtineri valeret, ut taceam patronalia simplicia beneficia pene omnia aliquod habere onus adnexum, quod beneficiati ex fundatorum instituto teneantur.

In his rerum adjunctis nullum aliud

mature scrutatus remedium inveni minus onerosum, quo beneficiorum antedictorum et capituli necessitatibus opportune consulatur, quam unione ac respective translatione reddituum supra nominatorum beneficiorum prout in capituli precibus continetur.

Superest igitur nunc ut EEmi Patres hisce ex Episcopi relatione acceptis iisque perpensis, quae in folio pro Congregatione diei 23. Augusti 1834 adnotata sunt, dirimere dignentur primum et quartum ex iis, quae tunc proposita fuerunt et quae iterum nunc proponuntur definienda.

Dubia.

I. *An et quomodo probanda sit unio beneficiorum Garau in casu?*

II. *An et quomodo consulendum tenuitati beneficiorum Ibba et Gallus in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative in omnibus celebratis duodecim missis annuis et juxta votum Emi relatoris facto verbo cum SSmo.

Ad II. Affirmative in omnibus juxta votum Emi relatoris facto verbo cum SSmo.

Dio 30. Maji 1835.

Ferrarien.

Collegium beneficiatorum Metropolitanae ecclesiae Ferrariensis anteactis temporibus celebrare debebant quotannis ex lege fundationis missas biscentum septuaginta novem cum cantu, pro totidem anniversariis, atque insuper recitare officium defunctorum in triginta tribus ex his anniversariis, assignata distributione novem terunciorum (vulgo quatrini) pro qualibet vice. Quum hanc ob causam nimis pauci haberentur, qui missam canerent et precationibus interessent, Archiepiscopus Fava anno 1808 apostolicis facultatibus praeditus haec anniversaria cohibuit ad missas quinquaginta duas cum cantu, et ad todidem lectas cum totidem officiis defunctorum, praeter aliud officium et missam cum cantu infra octavam commemorationis defunctorum statuta distributione obolorum quatuor pro singulis anniversariis. Hac tamen ratione remedium, ut sperabatur, malo allatum non fuit neque enim habebantur qui hisce missis ac officiis adessent. Quapropter beneficiati capitulariter die 22. Junii 1833 statuerunt exorare EE. VV. ut dignentur commutare haec anniversaria in missas lectas biscentum quinquaginta, quumque modo hanc in causam erogentur scutata centum quolibet anno, videlicet scut. 20. 80. pro anniversariis 104, et scut. 79. 20. pro distributionibus, ut supra, assignatis, haec summa ita dispertiatur, ut scut. 50 tribuantur pro missis lectis 250, et alia scut. 50 pro distributionibus favore beneficiatorum qui choro intersint, quum ad hoc non teneantur.

Archiepiscopus, qui tunc in humanis erat, de more rogatus ait, hoc beneficiatorum collegium a Canonicis esse omnino sejunctum et corpus penitus divisum efformare: ex antiquis capellanis fuisse constitutum et ad servitium chori non teneri, quum praebendam non habeant, sed tantum celebrare debeant missas cuilibet capellaniae attributas. Addit: »Cum ad collegii honorem vocati fuerunt anno 1660, de aliquibus redditibus donati etiam fuere, quos massam grossam appellant..... Et in statuto reformato ab Emo Cerro Episcopo anno 1679 cap. X. de modo distribuendi pecunias et redditus anniversariorum habetur, quod omnia bona anniversariorum et massae grossae seu communis sint et intelligantur esse unum corpus et una massa et fructus dividentur in tres partes et portiones aequales, ex quibus duae partes cedant dictae communi massae grossae, et distribuantur interessentibus divinis officiis juxta cujusque servitii proportionem: tertia vero pars cedat anniversariis et eisdem interessentibus distribuitur. Quadraginta personis componitur supradictum collegium. Singulae una gaudent capellania et onera missarum adimplent. Redditus massae grossae conflantur in annuis scut. 646, a quibus detrahi debent scut. 176. 29 pro sacrificiis celebrandis seu missis lectis a postremis testatoribus ordinatis, et scut. 119. 86 pro administratione et aliis necessariis expensis. Remanent scut. 349. 87., quae vere constituunt massam grossam, cujus tertia pars, nempe scut. 116. 62. addicta anniversariis, reliquae duae partes dividuntur choro sponte interessentibus.« Post haec vera esse declarat quae a beneficiatis exponuntur de reductione ab Archiepiscopo Fava peracta, dum apostolicis facultatibus pollebat; dein subdit: Nemo ad celebrationem anniversariorum sed aliquis potius ad chorum accedit etiam quatuor obolos lucraturus. Neque remedium aliquod meo judicio inveniri potest: non enim ad chorum tenentur nec obligari possunt ob redditus exiguitatem, quum cuique diligentissime, anno absoluto, computatis

III. An et quomodo probanda sit unio capellaniarum Carcassona in casu etc.?

IV. An et quomodo consulendum sit tenuitati beneficiorum Ibba et Gallus in casu etc.?

V. An et quomodo concedenda sit missarum reductio quibus beneficia tenentur in Cathedrali Alensi in casu etc.?

VI. An et quomodo eroganda sit in augmentum dotis pecuniae vis, quam unumquodque beneficium superexstantem habet, seu potius sit impendenda in eum finem, quem furdatores jusserunt in casu etc.?

Et quatenus affirmative ad primam partem,

VII. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo super absolutione a praeteritis omissionibus in casu etc.?

VIII. An et quomodo concedenda sit reductio anniversariorum Majorano in casu etc.?

XI. An et quomodo concedenda sit reductio anniversariorum Spiga et Atzori in casu etc.?

X. An et quomodo reducenda et transferenda sint legata missarum tam cum cantu quam sine cantu celebrandarum in casu etc.?

XI. An et quomodo annuendum sit commutationi solemnitatis, qua festum B. V. M. de monte Carmelo celebratur in casu etc.?

XII. An et quomodo Canonicis Cathedralis Alensis concedenda sit quolibet mense biduana a choro alsentia in casu etc.?

S. C. resp.

Ad I. Dilata, ad mentem.

Ad II. Affirmative in omnibus juxta votum Emi relatoris.

Ad III. Negative et Episcopus curet in investimentum collocari scut. 574.

Ad IV. Affirmative ut in primo.

Ad V. Affirmative ad taxam perpetuam.

Ad VI. Affirmative ad primam partem juxta votum Emi relatoris facto verbo cum SSmo, negative ad secundam.

Ad VII. Affirmative celebrato quotannis anniversario infra octavam defunctorum pro omnibus omissionibus.

Ad VIII. et IX. Affirmative in omnibus juxta votum Emi relatoris.

Ad X. Affirmative in omnibus juxta votum Emi relatoris facto verbo cum SSmo.

Ad XI. et XII. Negative in omnibus juxta votum Emi relatoris.

Die 23. Aug. 1834.

Continuatio Ussellien.

Ad primum et quartum sapientissime EE. VV. responderunt: Dilata et ad mentem. Mens autem est, ut Episcopus magis praecise referat: utrum conservato majori, quo fieri possit, missarum adimplendarum numero infixarum capellaniis et beneficiis, quae pares oneribus substinendis habent redditus, consuli possit capituli necessitatibus reductione choralis servitii vel unione praebendarum canonicalium vel aliorum beneficiorum choralium, sin minus utrum suppetant alia media minus onerosa.

Demandato sibi munere apprime perfunctus Episcopus retulit: Se praeaudita etiam capituli sententia aliter quam unionibus in propositione causae prima enunciatis occurri minime posse beneficiorum tenuitati, non quidem reductione servitii choralis, qua profecto detrimentum fieret capitularibus functionibus et capituli dignitati, praeter quam quod nonnisi post longum temporis spatium, hac peracta reductione, quantitas illa conflari posset, quae supplendis beneficiorum defectibus satisfieret ob nimiam taxae distributionum quotidianarum tenuitatem.

Praeterea quum praebendae omnes et beneficia, si pauca excipiantur, tenuis ac modici sunt redditus ac minoris quam par sit Canonicorum et beneficiatorum sustentationi tribuendae, chorale servitium nisi provisorium cum praejudicio reduci non posset, quod eo reducto distributiones eisdem subtraherentur.

Nec satis quidem fieri potest praebendarum canonicalium vel aliorum choralium beneficiorum unione. Inter simplicia siquidem beneficia nullum exstat simpliciter chorale: praebendarum vero numerum reduci dignitas capituli ac decens Cathedralis servitium ejusdemque capituli negotia officiaque pene innumera non sinere videntur, eo vel maxime prae oculis habito, quod praebendae omnes nedum sint a professoribus occupatae, sed insuper regio juripatronatus obnoxiae et laicali patronatui caetera fere omnia tum canonicalia tum simplicia beneficia, vixque ac ne vix quidem patronorum consensus ad propositam unionem peragendam obtineri valeret, ut taceam patronalia simplicia beneficia pene omnia aliquod habere onus adnexum, quod beneficiati ex fundatorum instituto teneantur.

In his rerum adjunctis nullum aliud

mature scrutatus remedium inveni minus onerosum, quo beneficiorum antedictorum et capituli necessitatibus opportune consulatur, quam unione ac respective translatione reddituum supra nominatorum beneficiorum prout in capituli precibus continetur.

Superest igitur nunc ut EEmi Patres hisce ex Episcopi relatione acceptis iisque perpensis, quae in folio pro Congregatione diei 23. Augusti 1834 adnotata sunt, dirimere dignentur primum et quartum ex iis, quae tunc proposita fuerunt et quae iterum nunc proponuntur definienda.

Dubia.

I. *An et quomodo probanda sit unio beneficiorum Garau in casu?*

II. *An et quomodo consulendum tenuitati beneficiorum Ibba et Gallus in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative in omnibus celebratis duodecim missis annuis et juxta votum Emi relatoris facto verbo cum SSmo.

Ad II. Affirmative in omnibus juxta votum Emi relatoris facto verbo cum SSmo.

Dio 30. Maji 1835.

Ferrarien.

Collegium beneficiatorum Metropolitanae ecclesiae Ferrariensis anteactis temporibus celebrare debebant quotannis ex lege fundationis missas biscentum septuaginta novem cum cantu, pro totidem anniversariis, atque insuper recitare officium defunctorum in triginta tribus ex his anniversariis, assignata distributione novem terunciorum (vulgo quatrini) pro qualibet vice. Quum hanc ob causam nimis pauci haberentur, qui missam canerent et precationibus interessent, Archiepiscopus Fava anno 1808 apostolicis facultatibus praeditus haec anniversaria cohibuit ad missas quinquaginta duas cum cantu, et ad todidem lectas cum totidem officiis defunctorum, praeter aliud officium et missam cum cantu infra octavam commemorationis defunctorum statuta distributione obolorum quatuor pro singulis anniversariis. Hac tamen ratione remedium, ut sperabatur, malo allatum non fuit neque enim habebantur qui hisce missis ac officiis adessent. Quapropter beneficiati capitulariter die 22. Junii 1833 statuerunt exorare EE. VV. ut dignentur commutare haec anniversaria in missas lectas biscentum quinquaginta, quumque modo hanc in causam erogentur scutata centum quolibet anno, videlicet scut. 20. 80. pro anniversariis 104, et scut. 79. 20. pro distributionibus, ut supra, assignatis, haec summa ita dispertiatur, ut scut. 50 tribuantur pro missis lectis 250, et alia scut. 50 pro distributionibus favore beneficiatorum qui choro intersint, quum ad hoc non teneantur.

Archiepiscopus, qui tunc in humanis erat, de more rogatus ait, hoc beneficiatorum collegium a Canonicis esse omnino sejunctum et corpus penitus divisum efformare: ex antiquis capellanis fuisse constitutum et ad servitium chori non teneri, quum praebendam non habeant, sed tantum celebrare debeant missas cuilibet capellaniae attributas. Addit: »Cum ad collegii honorem vocati fuerunt anno 1660, de aliquibus redditibus donati etiam fuere, quos massam grossam appellant..... Et in statuto reformato ab Emo Cerro Episcopo anno 1679 cap. X. de modo distribuendi pecunias et redditus anniversariorum habetur, quod omnia bona anniversariorum et massae grossae seu communis sint et intelligantur esse unum corpus et una massa et fructus dividentur in tres partes et portiones aequales, ex quibus duae partes cedant dictae communi massae grossae, et distribuantur interessentibus divinis officiis juxta cujusque servitii proportionem: tertia vero pars cedat anniversariis et eisdem interessentibus distribuitur. Quadraginta personis componitur supradictum collegium. Singulae una gaudent capellania et onera missarum adimplent. Redditus massae grossae conflantur in annuis scut. 646, a quibus detrahi debent scut. 176. 29 pro sacrificiis celebrandis seu missis lectis a postremis testatoribus ordinatis, et scut. 119. 86 pro administratione et aliis necessariis expensis. Remanent scut. 349. 87., quae vere constituunt massam grossam, cujus tertia pars, nempe scut. 116. 62. addicta anniversariis, reliquae duae partes dividuntur choro sponte interessentibus.« Post haec vera esse declarat quae a beneficiatis exponuntur de reductione ab Archiepiscopo Fava peracta, dum apostolicis facultatibus pollebat; dein subdit: Nemo ad celebrationem anniversariorum sed aliquis potius ad chorum accedit etiam quatuor obolos lucraturus. Neque remedium aliquod meo judicio inveniri potest: non enim ad chorum tenentur nec obligari possunt ob redditus exiguitatem, quum cuique diligentissime, anno absoluto, computatis

distributionibus et anniversariis vix quindecim scutata spectent pro sui substentatione. Si ergo placitum erit EE. VV. RR. sapientiae et scientiae, melius erit consilium annuendi pro commutatione et celebratione per se vel per alios biscentum quinquaginta annuarum missarum lectarum absque onere officii et interessentiae, cum facultate erogandi in distributionibus reliquos exstantes redditus ad scutata quinquaginta circa attingentes.«

Sacrorum opera imminui vel immutari, piis testantium voluntatibus derogari, ab universo tum sacro civili jure abhorrere compertissimum est: *can. ultima voluntas caus. 13. quaest. 2. leg. 1. de sacros. eccl.*

Hinc s. Congregatio caute semper in hujusmodi commutationibus procedere consuevit, diligentissima enim est custos *Tridentinae synodi sess. 23. cap. 4. de reform.*, ac jure subveretur ne propter nimiam facilitatem in hisce commutationibus tribuendis fideles a piis dispositionibus abhorreant: *in Asculana Commutationis voluntatis 20. Decembris 1732; Card. de Petra tom. 3. ad constit. 7. Innocenti IV. n. 50.* Idque potissimum servatum videmus ubi post reductionem jam indultam nova oneris imminutio postulatur: *in Neapolitana Reductionis missarum 19. Novembris 1729, in Spoletana Reductionis 2. Julii 1817*, quemadmodum in themate accidere comperimus.

Caeterum quum idem Tridentinum concilium, cui haec s. Congregatio optima semper haesit interpres, hujusmodi commutationem permittat si peculiares causae et facti circumstantiae id suadeant: *Lunen. Sarzanen. 15. Septembris 1787* §. *2*, jam videre est utrum ex his aliqua deprehendatur in casu.

Sane ubi eadem ratio, ibi eadem juris dispositio, ex tritissimo axiomate inclamant oratores. Atqui per ipsos eadem causa perseverat, qua Archiepiscopus Fava anniversariorum reductionem concedendam judicavit, defectus scilicet beneficiatorum, qui eadem adimplere possint: qui sane defectus adhuc manet, uti Archiepiscopus nuper fato functus testatur dicens: Nemo ad celebrationem anniversariorum accedit etiam quatuor obolos lucraturus. Hoc autem facilius indulgendum autumant in praesentia, quia petitur oneris imminutio: in compenso anche della rendita perduta sotto il Governo italico in somma di scudi 410, 53, non che per ritenzione del decimo e vigesimo sulle attuali.

Verum haec omnia ad summum conficere possent, ut aliqua anniversariorum oneris imminutio beneficiatorum collegio impertiretur: tunc autem, si in hanc sententiam inclinarent EE. PP., perpendendum foret, qua ratione id expediri deberet. Duo sunt quae a beneficiariis petuntur, primum, ut dimidium redditus anniversariorum scilicet scutata quinquaginta erogetur in missas lectas tantum eaque constituuntur in annuis biscentum quinquaginta; secundum, ut altero dimidio, scilicet superexstantibus scutatis quinquaginta, cumulus choralium distributionum augeatur.

Ad primum quod attinet, impossibile esse, ut anniversaria piis legatis relicta persolvantur adammussim ratione a testatoribus praescripta, facto suo jam agnovit Archiepiscopus Fava anno 1808 ejusque successor luculenter adstruit dicens, neminem ad anniversariorum celebrationem accedere, atque ipsi beneficiarii aperte id declarant dum ajunt: in oggi non si trova mai o quasi mai numero sufficiente onde soddisfare si la Messa cantata che la recita dell' Officio de' morti. At quum demandatum opus impleri nequit eo modo quo testatores jussere, mutandum esse docet s. Congregatio *in Romana Commutationis voluntatis 27. Februarii 1734* et *in Melphiten. Commut. volunt. 22. Junii 1743*; hoc enim in casu interpretatio potius quam commutatio voluntatis dici potest: *Mant. de Commut. ult. vol. cap. 6. quaest, 2. n. 18. Rota cor. Molines dec. 1041 n. 5 et 18.*

Quod si in hisce rerum adjunctis fundatorum placita in aliud pium opus undequaque [dissimile permutari posse statuit *textus in cap. Nos quidem de testament.*: 'et docet *Barbosa de off. et potest. Eqiscop. part. 3. alleg. 83, Card. de Luca adnot. ad sac. concil. Trid. disc. 21 num. 3,* potiori profecto jure, id sibi dandum esse contendunt beneficiarii, quum in ejusdem naturae opus commutari petitur. Equidem commutationem fundatoris voluntatis non dici, ubi servatur illius causa finalis, explicat s. Congregatio *in Leodien. 21. Novemb. 1772* §. *in casu.* Finalis causa testatoris una est, scilicet suffragium quod animae defunctorum ex missarum celebratione consequuturae sunt. Sive autem eae missae solemniter cum cantu sive minus solemniter et lectae celebrantur,

idem semper suffragium obvenire animabus fidelium docet cum canonistis eadem s. Congregatio *in Nepesina Reductionis missarum 23. Januarii 1732, in Albanen. Capellaniarum 12. Martii 1774* §. *5*, quia videlicet sacrificia prosunt defunctis per modum solutionis debiti, ex sententia *s. Thomae in 4. dist. 45. quaest. 2. art. 4. ad 1.* Hinc quoties agetur de sacris manualibus vel anniversariis reductioni subjiciendis, ista potius quam illa reducenda esse docet *Fagnanus in cap.: Ex parte de constitut. num. 4.*

Ad alterum quod attinet, scilicet ad summam, quae tribui debeat iis, qui choro intersunt, affirmant oratores instantiam a se propositam consonam esse dispositioni juris et a voluntate testatoris alienam non esse. Quod consona sit dispositioni juris, ex eo deducunt, quia auctis hujusmodi distributionibus divinus cultus augeretur, quem caeteroquin beneficiarii ob tenues distributiones et ob nullam obligationem ipsis impositam negligerent, prout in facto hactenus neglexisse in comperto est: *Pignatell. consult. can. 80. num. 6. tom. 9; Piton. discept. eccles. 99. num. 11 et 13.* A voluntate autem testatoris non abhorrere beneficiariorum instantiam, ex eo arguunt, quia, quum isthaec commutatio cedat in majus ecclesiae decus et ornamentum, ipsi favere videtur testatoris voluntas, ut advertit *Lotter. de re beneficiar. lib. 7. quaest. 43. n. 67; Card. de Luca de miscell. disc. 33. num. 18. et de testament. dist. 72. num. 15 et 16.* Ex quibus beneficiarii concludere satagunt, nihil esse, quid aequae illorum petitioni adversetur, praesertim quum ipse Archiepiscopus nitide profiteatur, nullum remedium suo judicio inveniri posse huic incommodo.

Verumtamen quum ad anniversaria celebranda juxta collegii statuta teneantur beneficiarii, ut nec ipsi inficiari videntur, perpendendum erit ab EE. VV., utrum pro commutatione, quam petunt, adigendi potius sint, distributionum tenuitate minime obstante, ad anniversaria per se, uti prostant in statutis, obeunda vel saltem non ad missas centum quatuor sed ad biscentum quinquaginta lectas anniversariorum onus sit redigendum, juxta votum Archiepiscopi, adeo ut reliqui redditus tantum choro praesentibus accrescant.

Quapropter EE. VV. definire dignabuntur sequens dubium:

An et quomodo annuendum sit precibus collegii beneficiatorum Ferrariensium in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus juxta votum Archiepiscopi celebratis missis lectis biscentum septuaginta novem.

Die 31. Jan. et 21. Febr. 1835.

Veglien.

(Conc. Trid. sess. 25. cap. 4. de ref.)

Vegliensi Episcopo de statu ecclesiae suae referenti articulus obtigit, qui EE. VV. judiciis subjicitur quique ita se habet: Episcopus Veglianensis exponit capitulum suae Cathedralis praeter quotidianam applicationem pro benefactoribus esse oneratum numero 175 canendarum ac 968 lectarum missarum, quod onus ob minus fortunatam 245 scutorum monetae austriacae pro quolibet Capitulari dotationem, singulis caeteris redditibus ac distributionibus computatis, ipsi nimio detrimento cum sit, aliqua indiget commutatione. Quamobrem idem Episcopus supplicat humiliter Sanctitati Vestrae, ut suum capitulum cathedrale tum ab applicatione pro benefactoribus in missis conventualibus diebus profestis cantandis exonerare, tum nimis onerosum numerum 1243 missarum legatarum partim cantandarum, quarum redditus nec stipendium unius scuti austriaci, et partim lectarum, quarum redditus nec exigua duarum libellarum venetarum a praedecessoribus Episcopis pro eleemosyna statutam taxam synodalem constituere sufficiunt, benigniter imminuere et ad numerum 108 cantandarum, ad numerum vero 300 lectarum in posterum celebrandarum missarum reducere dignetur.

Ex habita postmodum ipsius Episcopi relatione constitit, Capitulares modo scilicet post reformatum anno 1828 capitulum jussu s. m. Leonis XII. censeri numero sex (qui prius erant duodecim) praeter quatuor ita dictos Vicarios chorales: qualitatem servitii choralis eam esse, quod Capitulares diebus profestis semper bis, quando missae anniversariae canendae sunt, et quidem ante meridiem, ad recitandas horas canonicas et missam conventualem celebrandam, post meridiem vero ad persolvendas vesperas, completorium et matutinum cum laudibus obligati sunt.

Diebus vero dominicis ac caeteris festis de praecepto intersunt ter praefati Capitulares choro, primo ad recitandum vel canen-

dum matutinum cum laudibus et Prima, dein ad recitandas vel canendas caeteras horas canonicas missamque majorem seu conventualem celebrandam, et tertio ad canendas vesperas; in choro quotidie inservire tenentur omnes Capitulares et cum eisdem quatuor Vicarii chorales.

Item constitit unicuique ex Canonicis obvenisse antiquitus annuum redditum scut. austr. 222 circiter, at onus missarum in duodecim dispertitum fuisse pro singulis in numero 128, hodiernum vero redditum esse quidem scut. austr. 245 et missas pro quolibet excrevisse ad 256. Quatuor autem Vicarios chorales salarium percipere ex fundo religionis et libera missae applicatione gaudere. Rursus ex transmissis notulis legatorum, quae omnia inhaerent capitulo, talia esse ut vix ad eleemosynam dioecesanam celebrari queant, prout in suo postulato exposuerat Episcopus: eccettuate le messe ad anniversarii inerente ai fondi boschivi e pascolativi compresi nella massa della facoltà capitolare; de his enim nulla petitur reductio, quia paucae omnino sunt e conspectu reddituum. Demum ex capitulari epistola pressius constituitur mensura, quae sacra reduci postulantur, scilicet »la riduzione degli obbligati a tale minor numero, che ogni messa cantata scudo uno, lire 3«, sub qua mensura inspecta petita reductione redeunt anniversaria et missae cantu 108, et missae lectae 300, prout in suo postulatu petierat Episcopus.

Duo itaque sunt, de quibus erit disputare, de remittenda scilicet applicatione missae conventualis diebus ferialibus, arctata tantum ad festos, et de imminutione aliarum missarum, sive quae cum cantu celebrantur sive quae simpliciter leguntur.

Ad primum quod spectat, res tota conficitur celebrata encyclica s. m. Benedicti XIV., quae incipit: *Cum semper oblatas*,*) ubi expresse (§. 9) sancitur, quod ubi ad levandam canonicalium praebendarum copiam non suppetat ratio a Tridentina synodo sess. 24. cap. 12. praescripta, possit s. hic Ordo perspecto rerum statu quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere ad dies festos tantum modo reducere. Quamvis porro tenues ad hunc effectum censeri sueverit S. O. redditus, si scutata annua non attingerent triginta vel quadraginta, hanc tamen regulam non laxative retinuisse, sed demonstrative tantum, inspectis personarum, temporum et maxime locorum adjunctis, satis ostendit pluribus exemplis, quibus reductionem conventualis missae ultro indulsit Canonicis pinguiori praebenda potitis, ceu nuper egit in *Versalien. Visitationis ss. LL. 15. Septbr. 1838* seorsim proposita. Notum profecto est canonicatus et beneficia nedum ad implenda missarum onera et ferendum chori servitium, sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam institui. S. O. *in Senogallien Red. Oner. 28. Aprilis 1827* §. *Jam vero.* Tenuitas autem reddituum graviorem suppeditare reductionis causam nemo dubitabit, si cum gravi chorali penso jungatur; decet enim lucrum respondere labori, S. O. *in Tridentina Red. Oner. 3. Apr. 1841* §. *Subinde.* Illud tamen animadvertere est, dies quoslibet festos etiam reductos ab hujusmodi indultis excipere consuevisse, ceu nuper allatis exemplis animadverti in superioribus comitiis *in Surrentina Missae conventualis* §. *Jamvero.*

Sufficit haec animadvertisse de jure; de facto erit EE. VV. pro ea, qua pollent, prudentia decernere, num inspectis universis negotii praesentis adjunctis ea emergat reddituum tenuitas, quae suadeat petitam reductionem.

Eadem fere perpendere erit quoad alteram instantiae partem; inter remedia enim extraordinario modo adhibita ad succurrendum capitularis census exiguitati censeri etiam missarum piorumque legatorum suspensionem vel reductionem, apprime firmant *in una Asculana Missar. 20. Aprilis 1782* et *in una Nullius s. Martini 12. Sept. 1801*, et *in una Taurinen. Absol. Suspens. et Red. 1. Martii 1827.*

Aliunde locum esse non posse videtur in casu ei provisioni, quam aliquando idem s. Ordo suggessit, reducendi nempe servitium chorale potius quam missas *(in Lunen. Sarzan. 17. Sept. 1787)*, cum agatur de Cathedrali cumque insuper in commodum capituli a fundatoribus relicta sint bona, quibus missae inhaerent: tunc enim altera sese exerit regula, de qua S. C. *in Civit. Castellanae Red. serv. chori 30. Maji 1807* §. *Quatenus;* potius alia onera quam servitii chori reducenda videtur, quando fundator principum habuit servitium chori. Quare tota facti deliberatio est num eae urgeant aerumnae, quae tali indulgentia dignae queant aestimari.

Notare aliquid est circa modum reductionis: an scilicet ad eam mensuram eas expediat arctare, quae petitur, an potius sat sit pro minore numero imminuere, ut ita minus, quam fieri potest, defunctorum animae detrimentum patiantur. Qua in re videant num aptari possit et alia regula, ut anniversaria potius reducantur, quam missae lectae *(Fagnanus in cap.: Ex parte de constit. n. 34)*, quia nempe sacrificia prosunt defunctis per modum suffragii ex *d. Thoma in 4. dist. 45. qu. 2. art. 4. ad 1*, et plus certe suffragii capiunt fidelium animae, si plures missae celebrentur, quam si cumulata eleemosyna, quae sacris pluribus congrua fuisset, unum fiat anniversarium, S. C. *in Albanen. Capell. 12. Martii 1774* §. *In reducendis.*

Dubia:

I. *An et quomodo sit locus reductioni missae conventualis in casu?*

II. *An et quomodo sit locus reductioni missarum et anniversariorum in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative.

Ad II.: Negative quoad missas lectas; quoad anniversaria affirmative ad triginta quotannis ad decennium.

Die 22. Febr. 1845.

S. Angeli Lombardorum.

Ecclesia receptitia loci vulgo Guardia Lombardi dioecesis s. Angeli Lombardorum decem et octo actu habet sacerdotes de eadem massa participantes una cum Archipresbytero curato eorum principe. Onera, quibus clerus iste premitur, sunt: In omnibus diebus festis duplicis praecepti canere missam simplicem, ut vocant, eam applicando pro populo et benefactoribus; missam paratam celebrare cum primis et secundis vesperis in festo ss. Conceptionis. Sacra vero facere tenetur quotannis 1754 cum quadraginta duobus anniversariis solemnibus et centum tredecim simplicibus. Derivant quidem hujusmodi onera ex distinctis legatis; at quinam cuique legato fundus assignatus fuerit dignosci nequit »perchè nei registri del libro appena è marcato l' obligo intero delle messe coll' indicazione di coloro che ne formano i legati«, adeo ut redditus cumulative administrentur et una cum oneribus dividantur. Redditus autem hujusmodi computantur in totum ad annua ducata 660. 67: at exitus comprehensis oneribus realibus et eleemosyna missarum, quae pro lectis est gran. 20, pro anniversariis simplicibus gran. 50, pro solemnibus centum, assurgit ad ducat. 710. 27 sic ut summa ducat. 49. 60 deficere quotannis videatur.

Tanto missarum onere pressi sacerdotes, quibus redditus impares evaserunt, anno 1827 petierunt ab Episcopo Sacra reduci. Episcopum in s. visitatione, quin ullum apponeret decretum, concessisse clero oretenus fertur, ut missas lectas pro medietate celebraret, integris interea remanentibus anniversariis tam solemnibus quam simplicibus, super quibus promisit se provisurum maturiori consilio; sed morte praeventus nihil innovavit.

Clerus ab anno 1827 ad totum mensem Augusti 1838 missas lectas pro medietate revera celebravit. Anno vero 1839 eadem de causa solummodo anniversaria solemnia celebrasse fatetur, sed nullam missam lectam nullumque simplex anniversarium.

Episcopo e vivis sublato die 29. Aprilis 1840 Archipresbyter et clerus, ut suae consulant conscientiae, rem omnem huic s. Congregationi patefaciunt »attendendo le providenze canoniche per il tempo passato e per quello in prosieguo.«

Vicarius capitularis, cui remissae preces, factorum serie, uti exposita est, confirmata, ita negocium, de quo agitur, componi posse est arbitratus: »a potersi dunque remediare ai passati guasti, e badare nel tempo stesso ad altri maggiori, sono di parere che le messe corali annue nel numero 2292 si riducessero per metà, commutandosi l' obligo ai sacerdoti nella recita quotidiana del matutino e laudes in coro colla messa semplice cantata, dividendosi il clero in due ebdomade colla facoltà della sostituzione del sacerdote franco all' ebdomadario in caso di impedimento, e nelle solennità poi di prima classe l' intervento di tutto il clero negli officj divini da cantarsi solennemente con i primi e secondi vesperi e con doppia puntatura; e la messa pro populo in tutti i giorni festivi che vada a carico del clero per giro, come per lo passato, ma invece di celebrarsi cantata semplice, perchè mancherebbe il tempo fisico, sia ridotta a messa piana; poichè la tassa delle messe ad un carlino, il numero

*) Vd. *Applicatio missae conventual.* (oblig. Canon. et Dignit.)

eccessivo delle medesime, oltre gli obblighi delle messe della capellania dell' Ex-Barone e del pio Monte de' morti, non è corrispondente all' annua rendita.«

»Per le messe finalmente inadempite per metà dal 1827 a tutto Agosto 1838 la Santità del Vicario di Cristo potrà rimetterle coll' altezza de' suoi poteri a condizione però, che il clero, giusta l' ordini di questa curia, procurasse fra sei mesi la celebrazione totale delle messe non celebrate nel 1839.«

Duo itaque petuntur in themate, absolutio quoad praeteritum, reductio quoad futurum. Ad primum quod attinet, difficultas nulla esset super missis pro medietate celebratis ad annum 1838, ubi certo constaret Episcopum rite et opportunis actum facultatibus easdem reduxisse; at dubitant hodierni presbyteri: num satis fuerit, ut oretenus ille missas minueret, quin de facultatibus etiam doceret. Obtestantur autem sese bona ita processisse fide reductione illa suffultos: atque hanc bonam fidem confirmat Vicarius capitularis per silentium Episcopi, qui, cum in s. visitatione in libris missas pro medietate celebratas viderit, tamen oratores ad cunctas celebrandas non compulerit. Accedit, quod redditus non fuerint pares oneribus, et impotentia adsit supplendi missas praeteritas, attento maximo missarum numero, quibus premitur clerus. Demum adnotatur, hoc temporis cursu plerosque ex presbyteris, qui oretenus reductionem assecuti dicebantur, ex hac vita migrasse. Hujusmodi rerum adjuncta in causa saepe fuerunt, ut haec s. Congregatio haud raro consulendum SSmo pro absolutione rescripserit, ut *in Spoletana Reductionis Missarum 29. Novembris 1793, Marsorum 28. Aprilis 1827, Civitatis Plebis 24. Aprilis 1830.*

Viderit porro EE. VV. prudentia, num eadem indulgentia digni appareant oratores pro sacris post annum 1838 omnino praetermissis.

Circa reductionem pensanda proponuntur deperitio fundorum, difficultas exigendi redditus propter emphyteutarum miseriam, ac praesertim disparitas reddituum cum oneribus: ista enim ex relatis ita illos absorbent. ut defectus annuus appareat ducat. 49. 60. Porro, quamvis hic de receptitia dumtaxat ecclesia agatur, ubi non ita stricte congrua decensque victui presbyterorum quota ab omni onere immunis, ut in collegiatis, inspici solet, haud aequum tamen esse videtur, ut, dum presbyteri aliquod chorale pensum sustinent, nec missarum dioecesanam eleemosynam consequantur. Quo in loco viderit etiam EE. VV. sapientia, num expediat augere chorale servitium, quod veluti correspectivum missarum reductioni proponit Vicarius capitularis, quodque revera in majorem cederet divini cultus splendorem.

Erunt autem dirimenda dubia:

I. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

II. *An et quomodo sit locus reductioni missarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative ad totum annum 1843 celebrata unica missa cum cantu integro adstante clero ac missis lectis decem ab unoquoque ex ipsis.

Ad II.: Affirmative reductis prius anniversariis ad missas lectas et deinde missis lectis pro rata usque ad intrantem quantitatem ad taxam manualem et ponatur in tabula.

Die 2. Decbr. 1843 et 13. Jan. 1844.

Calaritana.

Geminis decennalibus indultibus occursum est a S. O. V. gravibus, quibus beneficiatorum collegium s. Eulaliae Calaritanae Urbis obruebatur jacturis. Nimirum cum ob damna diu perpessa ex bello fundorumque ruina adeo extenuata communis massa fuerit, ut impar omnino fieret ad ingentia onera ferenda, postularunt ipsi beneficiati tam reductionem anniversariorum necnon unionem legatorum missarum, quas lectas vocant, et missarum cum cantu in unam massam communem, quam ut pro satisfactione eorumdem legatorum designarentur fundi speciales, de quibus separata administratio habenda esset, ut juxta fructuum quantitatem, quae liquido quotannis remaneret, totidem missae celebrarentur ad normam taxae synodalis, utque postremo de praeteritis omissionibus absolutio impertiretur. In comitiis diei 22. Februarii 1823 propositis dubiis responsa haec prodierunt, nempe quoad reductionem anniversariorum et missarum:

Affirmative juxta votum Archiepiscopi ad decennium celebrata quotidie missa conventuali pro benefactoribus ad formam Benedictinae: *Cum semper oblatas;*

Quoad alterum pariter: Affirmative juxta votum Archiepiscopi, servata, in quantum fieri poterit, arbitrio ejusdem Archiepiscopi destinatione altarium et dierum juxta leges fundationum.

Tertium quaesitum dimissum fuit responso: Negative et Archiepiscopus curet inscriptionem hypothecariam super omnibus et singulis bonis massae capitularis pro adimplemento legatorum.

Quarto tandem condonatae fuere praeteritae onerum omissiones, uti fusius videre est in folio ejus diei. Quae omnia iisdem adhuc durantibus causis confirmata fuere in coetu diei 3. Septembris 1834 rescripto: Affirmative ad decennium ad formam praecedentis indulti.

Certam ita fovebant spem beneficiati fore ut infra hoc temporis spatium omni pro bono ejusdem collegii aequa lance componerentur. Ast quamvis novam administrationis methodum statuerint, quamvis severissime oeconomiae leges servaverint, attamen id tantum obtinere valuerunt, ut majores aerumnas praepedirent, nullatenus autem mala jam existentia, scilicet ingens aes alienum solvere; etenim abnormes impensae communem massam gravantes haud siverunt, ut depositum a s. Congregatione demandatum in scutis annuis 143. 55. conficeretur. Quare tertio recursum habent ad s. Ordinem Vestrum atque statu activo et passivo massae communis exarato, unde apparet, non obstantibus reductionibus, expensas a redditibus superari in annuis scutis 222. 0 9, novum excogitarunt statum, ex quo, imminuto valde anniversariorum ac missarum numero, unicum sibi praestolantur remedium ad finem tot malis imponendum, atque honestae oratorum sustentationi consulendum. Hac enim tantum methodo obtineri posse exponunt, ut expensae adamussim censum exaequent.

Preces rursus remissae sunt Archiepiscopo, ut referret: num eaedem perseverarent necessitatis causae aliaque ad rem opportuna una cum suo voto panderet. Demandato muneri apprime ille satisfaciens folium a suo cancellario vernaculo sermone exaratum exhibet, ubi de singulis articulis accurata relatio habetur, cujus summa haec est: Massa communis, ait ipse, nullo pacto potuit vel potest oneribus ut ut reductis satisfacere. Nam spatio viginti annorum, quo capellani indulto donati sunt, imminutus fuit census eorumdem in libell. 28,526, periit siquidem primo decennio summa libellar. 10, 916. 88, quemadmodum advertebatur in folio 13. Septembris 1834. Insequenti vero decennio jacturam passa est in libellis 17, 609. 19. 09. Hoc autem tribui nequit, subnotat ipse, negligentiae vel ignaviae capellanorum, sed pensionum inexigibilitati, domorum necessariis instaurationibus, reaedificationibus, litium expensis et tribunalium adversis sententiis. In his rerum angustiis impossibile prorsus fuit exequutioni demandare onus impositum ab hac s. Congregatione, deponendi scilicet in arca singulis annis scuta 143. 55. in dimissionem aeris alieni. Tantum enim abfuit, ut aliquid superesset ad hujusmodi depositum obeundum, ut imo fortuna collegii quotannis in pejus ruerent et redditus superarentur ab expensis.

Tantis rerum calamitatibus perculsi omni ope et studio contenderunt, ut quod nec remediis S. C. assequuti sunt, saltem valedicentes propriis juribus obtinerent.

Hinc distributiones faciendas mense Decembri imminuerunt; hinc juri accrescendi inter praesentes in beneficiis vacantibus libenti animo valedixerunt; hinc demum emolumenta sibi debita ex anniversariis in utilitatem massae communis verterunt; uno verbo sibi non pepercerunt ut administrationem rerum communium quantum fieri potest aeque librarent. Cum igitur ita se res habeat, non amplius sperandum esse ait hanc s. Congregationem assequuturam esse finem sibi propositum, in pristinum omnia reducendi ex injuncto anno deposito. Nam redintegranda foret mensa in scutis 5,404. 55. erogatis a communi massa ad domorum undequaque fatiscentium reparationem. Subtrahenda insuper esset massa ab onere solvendi annuos fructus in summa libellar. 603. 7. 4. super capite census scutor. 4, 232. 52, qui pariter erogati fuerunt in reaedificationem domorum subversarum a gallica oppugnatione. Demum opus esset, ut innumera pene pia legata redintegrarentur in summa scutor. 29, 0 23: 39, quorum peculiares summae anteactis temporibus ab eorum antecessoribus ad alios usus erogatae fuere statim ac in administratorum manus pervenerant. Proinde juxta novam methodum cum massa obstringi non posset nisi ad annuas libellas 300 deponendas praeter quam quod plus quam saeculari tempore opus esset ad

finem hujusmodi assequendum, non leve insuper damnum irrogaretur fortunis singulorum, qui non mediocri parte distributionum privandi forent.

Haec profecto ob oculos habens Calaritanus Archipraesul in hanc ivit sententiam: quapropter perpenso, quantum fieri potest, rerum statu, in quo communitas praedictorum beneficiatorum se habet, ut evincitur ex actis, in ea cogor esse sententia, ut remedium aliquod adhibeatur, non solum pro absolutione censurarum, si quas incurrerint ipsi oratores beneficiati, verum etiam pro reductione et remissione petita missarum, ita tamen, ut ad alias celebrandas dicta communitas in casu non teneatur, praeter expressas in novo examine, quod approbandum quidem proponitur, adjectis conditionibus, ut missa conventualis pro benefactoribus quotidiana perpetuo celebretur, ad quam antea non tenebatur, quia privilegio Collegiatae non gaudet, item, ut quidquid remaneat ex redditibus beneficiorum pro tempore vacantium in dicta ecclesia s. Eulaliae, deductis deducendis, solutis solvendis, erogetur in tot missas solemnes pro eleemosyna unius scuti romani quot scutata certam summam confecerint. Sed ut in tuto ponatur haec postremae conditionis exequutio, optime influeret obligatio portionem, quae beneficiato defuncto competeret, si vitam viveret, in arca deponendi quolibet mense, vel quoties communis fiat distributio, donec beneficium vacans sit canonice provisum novoque beneficiato portio illa tribui debeat. Haec tamen obligatio portionem in arca deponendi beneficiato praesidenti et praefectis archivi pro tempore incumbat, communitati vero celebratio missarum solemnium, sub poenis Sedi apostolicae reservatis; caeterum ex plenitudine potestatis, pro rerum circumstantia, quae a communi lege ex miseratione recedere cogit, gratiam a summo Pontifice sperare licet, sine qua vulnera recrudescent.

Ex hactenus in facto expositis jam duo ex se profluere facile quisque suo sensu percipit. Scilicet primum beneficiatorum absolutae impotentiae tribuendum esse quod s. Congregationis praescriptioni in conficiendo annuo deposito haud obtemperatum fuerit, quo in casu, cum ad immpossibile nemo teneatur, minime ambigendum videtur quin petita absolutionis gratia tribuenda sit. Hanc enim concedere passim solet s. Congregatio ubi nullus in omissione adfuerit oratorum dolus vel culpa, prout *in Faventina Reductionis servitii chori et missarum 15. Januarii 1780; in Anconitana missarum 16. Martii 1782* et *in Balneoregien. 17. Julii 1720.*

Secundo, quod cum massa communis impar evaserit ad onera missarum ac anniversariorum ferenda, jam ad eorumdem reductionis remedium recurrendum esse consequitur. Et re quidem vera ubi extrema imminutionis bonorum et inopiae obligatorum subsistant, pia mater ecclesia aequitatis cultrix haud patitur ut citra vires obligati onera ferant, sed potius missarum aliorumque onerum imminutionem decernit, cui reapse obsequens s. hic ordo exemplum praebet frequentissimum, ceu caeteris missis videre est *in Aesina Reductionis 20. Martii 1824* et *in Comaclen. Reductionis 12. Septembris 1829* §. *Deneganda.*

Tota igitur quaestio in eo est: num scilicet verum sit censum beneficiatorum s. Eulaliae cuncta missarum onera, quae in antiquo statu recensentur, substinere haud posse. Porro si res juxta juris rigorem inspicienda esset, procul dubio petitae gratiae fundamentum deficeret, quippe res facti videtur, redditus massae satis esse ad illa adimplenda, atque cum legatorum bona communi massae permixta fuerint, quidquid sit de aliqua eorumdem imminutione, teneri nihilominus ad eorum implementum tralatitium in jure est, s. Congregatio in *Ostunen. Reductionis missarum 4. Decembris 1784* et *in Aesina superius relata ad II. dubium.* Ast si id foret admittendum, illud abnorme sequeretur ut hodierni beneficiati, qui caeteroquin pertenui praebenda fruuntur quique nullo facto culposo redarguendi sunt, adigendi forent ad patiendam distributionum jacturam, ad quarum imo congruitatem procurendam non semel s. C. Tridentinae sanctioni innixa *sess. 21. de reform. cap. 3.* beneficiorum legatorumque reductionem decernit.

Remanet proinde ut perpendatur: utrum expediat ex singulis rerum adjunctis in facto concurrentibus reductionem perpetuam adprobare eodem modo, quo ab oratoribus postulatur ac legitur in novo schemate; etenim reductionem perpetuam odii plenam esse, utpote cultui divino defunctorumque piae voluntati vulnus infligentem, nemo ibi inficias, proindeque nonnisi urgenti et legitima suadente causa eam concedi posse tradit ipsa s. Congregatio *in Florentina Reductionis onerum 2. Augusti 1823* §. *Hisce*, et *in Feretrana 14. Augusti 1824.* §. *missarum.* Quamquam et illud ad acerbitatem emolliendam in themate moneant beneficiati, sese nimirum onera varia superius jam recensita antiquis subroganda paratos esse adimplere, ut exinde suadeant rem esse potius de operis commutatione quam reductione, adjicientes insuper hoc pacto nullum praejudicium inferre »alla pietà de' fedeli atteso il vistoso numero delle messe che rimangono d'applicarsi della particolare fondazione de' legati di economia.«

Nihilominus, ubi haec arrideant, sedulo perpendendum superesset, num nova redditum distributio, quae approbanda proponitur, immodica in aliquo appareat, quod facile percipient EE. VV. singulos titulos trutinae subjiciendo. Videant hinc: num exuberantes judicandae sint expensae, quae dicuntur erogandae per funzioni fra l'anno entro, e fuori la chiesa, quae efficiunt summam scutor. 174. 18, cum e contra in calculo decennali non excedant scuta 165. 66. 1,049. 06, modo assurgunt ad summam scutor. 1,166. 35. Ubi enim ex oblatis titulis aliquid resecaretur, id procul dubio cederet in satisfactionem majoris numeri anniversariorum atque adeo magis obsecundaretur scopo ss. canonum, qui in eo est ut piorum legatorum reductio verae necessitatis cancellis coerceatur.

Erit hinc Eminentiarum Vestrarum sapientiae statuere, quonam responso dimittenda sint

Dubia.

I. *An sit annuendum precibus oratorum quoad absolutionem ab omissione annui depositi conficiendi in casu?*

II. *An et quomodo sit approbanda proposita anniversariorum ac missarum reductio in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Dilata, et scribatur Archiepiscopo juxta mentem; mens est ut accurate et distincte referat de actuali statu activo et passivo transmissis tabulis dati et accepti: item de summa in distributiones assignata; de numero anniversariorum et missarum, quibus in praesens satisfit, de eleemosyna tum pro anniversariis tum pro missis lectis, de aere alieno contracto ac de non peractis depositis, de augmento summae delle propine, e delle funzioni fra l'anno; de imminutione sumptuum extraordinariorum, item an saltem temporanea suspensione beneficiorum, quae sint vacatura, consuli possit dissolvendo aeri alieno, ac demum de vero numero anniversariorum et missarum, de quibus minuendis apostolicum beneplacitum peti possit.

Die 23. Jan. et 6. Febr. 1847.

Continuatio Calaritana.

Habet laudatus Archiepiscopus in sua relatione: »Summa in distributiones chorales assignata ab Archiepiscopo Oelbecchio decreto 30. Nov. 1768 conficitur septem libellis cum dimidia monetae antiquae Sardiniae pro unoquoque beneficiato praesente, quolibet anno libellarum 1800. Numerus anniversariorum, quibus in praesens satisfit, 45; missarum solemnium seu de gloria in quibusdam legatis festis, 26; item aliae numerantur de gloria in aliis festis legatis 355; missae autem lectae 277. Eleemosyna anniversariorum pro unoquoquo libellae 10. den. 6.; pro missis lectis solidi 9. cum dimidio juxta taxam dioecesanam.«

»Aes alienum contractum per capitales census, massa hypothecae subjecta, summam conficit lib. 12470. 6. 4. Non peracta deposita a rescriptis apostolicis 22. Febr. 1823 et 3. Septemb. 1834 praescripta summa, conficiunt, salvo errore calculi, lib. 8055 pro annis viginti.«

»Propinae distributiones significant, quae unicuique beneficiato anniversariis cedunt praeter expensas eleemosynae missae, intorticiorum, pulsationis campanarum, tributi aedituorum etc., quae tenues videntur habita ratione numeri anniversariorum et beneficiatorum, qui viginti computantur.«

«Functiones infra annum sunt, quas ritus communis ecclesiae jam constituit, quaeque pro temporum circumstantiis evenire solent, veluti supplicationes praeter consuetas, aliaeque legatae, quae omitti nullo modo possunt.«

»Imminutio sumptuum extraordinariorum determinari nequit, nam cum hi in restauratione aedium consistant, quae plerumque bis in anno restaurandae sunt, prout majorem aut minorem ruinam ventorum fortiter flantium vis inferre solet, et in sustinendis

finem hujusmodi assequendum, non leve insuper damnum irrogaretur fortunis singulorum, qui non mediocri parte distributionum privandi forent.

Haec profecto ob oculos habens Calaritanus Archipraesul in hanc ivit sententiam: quapropter perpenso, quantum fieri potest, rerum statu, in quo communitas praedictorum beneficiatorum se habet, ut evincitur ex actis, in ea cogor esse sententia, ut remedium aliquod adhibeatur, non solum pro absolutione censurarum, si quas incurrerint ipsi oratores beneficiati, verum etiam pro reductione et remissione petita missarum, ita tamen, ut ad alias celebrandas dicta communitas in casu non teneatur, praeter expressas in novo examine, quod approbandum quidem proponitur, adjectis conditionibus, ut missa conventualis pro benefactoribus quotidiana perpetuo celebretur, ad quam antea non tenebatur, quia privilegio Collegiatae non gaudet, item, ut quidquid remaneat ex redditibus beneficiorum pro tempore vacantium in dicta ecclesia s. Eulaliae, deductis deducendis, solutis solvendis, erogetur in tot missas solemnes pro eleemosyna unius scuti romani quot scutata certam summam confecerint. Sed ut in tuto ponatur haec postremae conditionis exequutio, optime influeret obligatio portionem, quae beneficiato defuncto competeret, si vitam viveret, in arca deponendi quolibet mense, vel quoties communis fiat distributio, donec beneficium vacans sit canonice provisum novoque beneficiato portio illa tribui debeat. Haec tamen obligatio portionem in arca deponendi beneficiato praesidenti et praefectis archivi pro tempore incumbat, communitati vero celebratio missarum solemnium, sub poenis Sedi apostolicae reservatis; caeterum ex plenitudine potestatis, pro rerum circumstantia, quae a communi lege ex miseratione recedere cogit, gratiam a summo Pontifice sperare licet, sine qua vulnera recrudescent.

Ex hactenus in facto expositis jam duo ex se profluere facile quisque suo sensu percipit. Scilicet primum beneficiatorum absolutae impotentiae tribuendum esse quod s. Congregationis praescriptioni in conficiendo annuo deposito haud obtemperatum fuerit, quo in casu, cum ad immpossibile nemo teneatur, minime ambigendum videtur quin petita absolutionis gratia tribuenda sit. Hanc enim concedere passim solet s. Congregatio ubi mullus in omissione adfuerit oratorum dolus vel culpa, prout *in Faventina Reductionis servitii chori et missarum 15. Januarii 1780; in Anconitana missarum 16. Martii 1782* et *in Balneoregien. 17. Julii 1720.*

Secundo, quod cum massa communis impar evaserit ad onera missarum ac anniversariorum ferenda, jam ad eorumdem reductionis remedium recurrendum esse consequitur. Et re quidem vera ubi extrema imminutionis bonorum et inopiae obligatorum subsistant, pia mater ecclesia aequitatis cultrix haud patitur ut citra vires obligati onera ferant, sed potius missarum aliorumque onerum imminutionem decernit, cui reapse obsequens s. hic ordo exemplum praebet frequentissimum, ceu caeteris missis videre est *in Aesina Reductionis 20. Martii 1824* et *in Comaclen. Reductionis 12. Septembris 1829* §. *Deneganda.*

Tota igitur quaestio in eo est: num scilicet verum sit censum beneficiatorum s. Eulaliae cuncta missarum onera, quae in antiquo statu recensentur, substinere haud posse. Porro si res juxta juris rigorem inspicienda esset, procul dubio petitae gratiae fundamentum deficeret, quippe res facti videtur, redditus massae satis esse ad illa adimplenda, atque cum legatorum bona communi massae permixta fuerint, quidquid sit de aliqua eorumdem imminutione, teneri nihilominus ad eorum implementum tralatitium in jure est, s. Congregatio in *Ostunen. Reductionis missarum 4. Decembris 1784* et *in Aesina superius relata ad II. dubium.* Ast si id foret admittendum, illud abnorme sequeretur ut hodierni beneficiati, qui caeteroquin pertenui praebenda fruuntur quique nullo facto culposo redarguendi sunt, adigendi forent ad patiendam distributionum jacturam, ad quarum imo congruitatem procurendam non semel s. C. Tridentinae sanctioni innixa *sess. 21. de reform. cap. 3.* beneficiorum legatorumque reductionem decernit.

Remanet proinde ut perpendatur: utrum expediat ex singulis rerum adjunctis in facto concurrentibus reductionem perpetuam adprobare eodem modo, quo ab oratoribus postulatur ac legitur in novo schemate; etenim reductionem perpetuam odii plenam esse, utpote cultui divino defunctorumque piae voluntati vulnus infligentem, nemo ibi inficias, proindeque nonnisi urgenti et legitima suadente causa eam concedi posse tradit ipsa s. Congregatio *in Florentina Reductionis onerum 2. Augusti 1823* §. *Hisce*, et *in Feretrana 14. Augusti 1824.* §. *missarum.* Quamquam et illud ad acerbitatem emolliendam in themate moneant beneficiati, sese nimirum onera varia superius jam recensita antiquis subroganda paratos esse adimplere, ut exinde suadeant rem esse potius de operis commutatione quam reductione, adjicientes insuper hoc pacto nullum praejudicium inferre »alla pietà de' fedeli atteso il vistoso numero delle messe che rimangono d'applicarsi della particolare fondazione de' legati di economia.«

Nihilominus, ubi haec arrideant, sedulo perpendendum superesset, num nova redditum distributio, quae approbanda proponitur, immodica in aliquo appareat, quod facile percipient EE. VV. singulos titulos trutinae subjiciendo. Videant hinc: num exuberantes judicandae sint expensae, quae dicuntur erogandae per funzioni fra l'anno entro, e fuori la chiesa, quae efficiunt summam scutor. 174. 18, cum e contra in calculo decennali non excedant scuta 165. 66. 1,049. 06, modo assurgunt ad summam scutor. 1,166. 35. Ubi enim ex oblatis titulis aliquid resecaretur, id procul dubio cederet in satisfactionem majoris numeri anniversariorum atque adeo magis obsecundaretur scopo ss. canonum, qui in eo est ut piorum legatorum reductio verae necessitatis cancellis coerceatur.

Erit hinc Eminentiarum Vestrarum sapientiae statuere, quonam responso dimittenda sint

Dubia.

I. *An sit annuendum precibus oratorum quoad absolutionem ab omissione annui depositi conficiendi in casu?*

II. *An et quomodo sit approbanda proposita anniversariorum ac missarum reductio in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Dilata, et scribatur Archiepiscopo juxta mentem; mens est ut accurate et distincte referat de actuali statu activo et passivo transmissis tabulis dati et accepti: item de summa in distributiones assignata; de numero anniversariorum et missarum, quibus in praesens satisfit, de eleemosyna tum pro anniversariis tum pro missis lectis, de aere alieno contracto ac de non peractis depositis, de augmento summae delle propine, e delle funzioni fra l'anno; de imminutione sumptuum extraordinariorum, item an saltem temporanea suspensione beneficiorum, quae sint vacatura, consuli possit dissolvendo aeri alieno, ac demum de vero numero anniversariorum et missarum, de quibus minuendis apostolicum beneplacitum peti possit.

Die 23. Jan. et 6. Febr. 1847.

Continuatio Calaritana.

Habet laudatus Archiepiscopus in sua relatione: »Summa in distributiones chorales assignata ab Archiepiscopo Oelbecchio decreto 30. Nov. 1768 conficitur septem libellis cum dimidia monetae antiquae Sardiniae pro unoquoque beneficiato praesente, quolibet anno libellarum 1800. Numerus anniversariorum, quibus in praesens satisfit, 45; missarum solemnium seu de gloria in quibusdam legatis festis, 26; item aliae numerantur de gloria in aliis festis legatis 355; missae autem lectae 277. Eleemosyna anniversariorum pro unoquoque libellae 10. den. 6.; pro missis lectis solidi 9. cum dimidio juxta taxam dioecesanam.«

»Aes alienum contractum per capitales census, massa hypothecae subjecta, summam conficit lib. 12470. 6. 4. Non peracta deposita a rescriptis apostolicis 22. Febr. 1823 et 3. Septemb. 1834 praescripta summa, conficiunt, salvo errore calculi, lib. 8055 pro annis viginti.«

»Propinae distributiones significant, quae unicuique beneficiato anniversariis cedunt praeter expensas eleemosynae missae, intorticiorum, pulsationis campanarum, tributi aedituorum etc., quae tenues videntur habita ratione numeri anniversariorum et beneficiatorum, qui viginti computantur.«

»Functiones infra annum sunt, quas ritus communis ecclesiae jam constituit, quaeque pro temporum circumstantiis evenire solent, veluti supplicationes praeter consuetas, aliaeque legatae, quae omitti nullo modo possunt.«

»Imminutio sumptuum extraordinariorum determinari nequit, nam cum hi in restauratione aedium consistant, quae plerumque bis in anno restaurandae sunt, prout majorem aut minorem ruinam ventorum fortiter flantium vis inferre solet, et in sustinendis

pro defensione jurium, pro exactione pensionum seu reddituum, quae quidem, ut facile oriuntur, sic magnis non sine dispensis aut dissolvuntur aut componuntur, eam ob rem calculo vero similes in statu passivo proxime indicantur non alterati.«

»Etsi communitas praedicta sibi blandiretur saltem per temporaneam beneficiorum suspensionem, quae vacatura forent, aeri alieno dissolvendo pro parte consuli posse, ut ipse quidem sperabam, tamen quum omnia beneficia sint jurispatronatus laicalis praeter duo parochialia, fieri hac de causa non potest, ut laici jure suo non utantur, cujus tenacissimi experientia recenti dignoscuntur. Verus numerus anniversariorum simplicium 1031, et verus numerus missarum lectarum 1688. Commutationibus beneplacitum apostolicum peti posset de his anniversariis in vesperas defunctorum recitandas perpetuo in choro semel in hebdomada; harum missarum de num. 1411 commutatio in psalmum *De profundis* in choro quotidie recitandum perpetuo post completorium. Urgens enim et legitima causa est hujus commutationis, quia redditus non sufficiunt, ut in tabulis dati et accepti nitide patet, qua peracta commutatione status passivus quasi aequiparatur activo.«

»Tamen communitas item postulat, ut etiam anniversaria duplicia 509 aut reducantur aut commutentur in augmentum distributionum choralium, quae ex decreto Archiepiscopi Oelbecchio ad alendos beneficiatos sufficere nullatenus possunt, ne quidem cum aliis propinis conjunctae aut obventionibus; nam hodie longe pluris emuntur esculenta et proculenta, vestes et similia, quam antea; item ipsae actuales distributiones a praefato Archiepiscopo conficiebantur ex redditibus legatorum, ea maxime de causa, ut sollicitius beneficiati veteres choro interessent juxta fundatorum mentem; erant enim adeo negligentes, ut choro fere deserto solis anniversariis ob propinas adessent. Quamobrem putat ipsa communitas, in extremo rerum statu ad omnia componenda et in melius reformanda illud videri efficax remedium, ut illa 509 anniversaria duplicia in perenne suffragium officii choralis quotidiani commutentur favore animarum fundatorum vel in aliud pium opus, recitandi videlicet matutinum defunctorum semel quolibet mense in perpetuum; hujus enim commutationis ope eleemosynae et propinae pro celebrandis iisdem anniversariis stabilitae choralibus distributionibus quotidianis pro aequali accrescant favore beneficiatorum praesentium, ita tamen, ut ab Archiepiscopo fiat nova distributionum sufficientior taxa, qua ipsi beneficiati sollicitius chorum petant, unde decentius vivere possint.«

»Tandem postulat, quod jam enixis precibus praeoptabat, ut nempe missae non celebratae numero 16646 ex benignitate summi Pontificis commutentur vel reducantur in missam solemnem de requie semel celebrandam quolibet anno infra octavam commemorationis defunctorum; nam cum redditus massae activae non sufficiant ad extingenda aeris alieni capitalia lib. 12470. sol. 6. den. 4, multo minus sufficere possunt ad solvendas tot eleemosynas, quotquot missae numerantur.«

»Haec omnia referre, prout in actis adparent, meum esse putavi, ut s. Congregationi responsum darem ea sollicitudine ac diligentia, quae mihi possibilior est; nam status massae cum legatis confusae ab antiquis beneficiatis adeo inextricabilis videtur, ut vix ac ne vix quidem ad detegendam distinctam rerum separationem perveniri queat.«

Repetita itaque lectione folii diei 23. Januarii superioris anni dignabuntur EE. VV. definire, quod superest, dubium:

An et quomodo sit approbanda proposita anniversariorum ac missarum reductio in casu?

S. C. resp.:

Celebrata una missa cum cantu et interventu beneficiatorum quolibet anno infra octavam commemorationis defunctorum, pro absolutione quoad anniversaria simplicia 1031, celebratis tamen quotannis 12 missis lectis, cum vesperis defunctorum perpetuo recitandis in choro semel in hebdomada; quoad missas lectas de numero 1688 ad numerum 277 cum recitatione psalmi *de profundis* in choro quotidie post completorium; quoad anniversaria vero duplicia 509 pro reductione ad 12 missas lectas quotannis cum recitatione matutini defunctorum semel quolibet mense in perpetuum juxta votum Episcopi, et ponatur in tabella, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 6. Maji 1848.

c) Non concessa.

Mazzarien.

Sacerdotes participantes ecclesiae matricis oppidi Careni Mazzarien. dioecesis ob imminutionem ac tenuitatem reddituum preces porrexerunt, ut servitium chori ad horas antemeridianas et novemdecim anniversaria ad unum tantum reducantur.

Episcopum rogavi, qui particulas e fundationum tabulis depromptas, statum activum et passivum reddituum, quibus chorale servitium et anniversaria quotannis celebranda sustinentur, transmisit et auditis omnibus interesse habentibus ita votum suum pro supplici clero aperuit.

Annuum redditum ad uncias quadraginta monetae Siculae ab initio ascendisse compertum habui, nempe uncias 16 ob assignationem factam ab illo oppido (Careni), uncias 12 a ven. ssmi Sacramenti societate et uncias 12 a diversis personis. Posterior haec summa de unciis 12 ad uncias quatuor est imminuta, partim quia redditus a decem pro centenario ad quinque reducti sunt ad tramites bullarum apostolicarum, partim quia fundi, super quibus erant impositi, injuria rerum periere. Sed quia lucri augmentum, quod fit ex distributionibus absentium, per multos annos non favore interessentium sed in reddituum emptionem cumulabatur, ut a praedecessore antistite Mazzariensi statutum fuerat, hinc novis reddituum accessionibus hodie in chori beneficium unciae quadraginta duae existunt. Ex qua summa deductis unciis octo pro importationibus regiis, exactionum juribus aliisque expensis, remanent in chori beneficium unciae triginta duae. Quae quidem summa duodecim sacerdotibus choro addictis distribuenda, quota, quae a singulis percipitur, vix tres uncias exaequat. Praeter hos choro inserviunt alii duo, quorum alter ex particularibus testatorum fundationibus uncias 5. 13, alter uncias 3. 26. 5 annuatim percipiunt.

Existunt denique novem supra decem anniversaria, quibus satisfaciendis addictum est tenuissimum legatum, adeo ut deducta missarum eleemosyna, consumptione, campanarum sono nihil vel certe parum chori beneficio remaneat.

His omnibus perpensis est omnino metuendum, ne attenta reddituum tenuitate ob interessentium deficientiam horae canonicae persolvantur in posterum: adeoque existimarem sacerdotum precibus, quae veritati consentiunt, annuendum.

Omnes tum sacerdotes tum clerici oppidi Careni fuere initio designati, ut chorum instituendum componerent: Episcopus autem anno 1619 chori servitium cum missae conventualis onere constituit, ut vices in votis habuere, et numerum personarum ex clero adscripto ad vigesimum coercuit.

Institutionis exordio omnes horae canonicae persolvendae missaeque conventuales celebrandae erant unoquoque anni die, ut moris est: nunc autem onera choro inservientium non parum sunt imminuta.

Servitio chori antemeridiano missaeque conventualis celebrationi quinque tantum ultra tercentos anni dies praefixi sunt: Vesperarum et completorii persolutio ad centum quadraginta quatuor dies est redacta. Choro addicti erant viginti ex universo clero, nunc duodecim tantum, et omnes sacerdotio insigniti, recensentur. Adsunt praeterea duo beneficiati servitio chorali adstricti atque alii duo ad officium canendum solummodo adsciti; at hi omnes peculiaribus redditibus fruuntur. Memoriae proditum non est, quo tempore quave de causa hae reductiones inductae fuerint.

Quo vero ad anniversaria novemdecim sciendum est, ea celebrari ob legata a pluribus testatoribus relicta, quorum alii minorem legarunt quantitatem pecuniarum, non tamen ita exiguam, ut pro missa desit synodalis eleemosyna, quamvis tenuissimum stipendium choristis distribuendum remaneat.

Profecto si justa urgeat causa et alia media supplendi non adsint, s. Congregatio reductionem servitii chori denegare non solet. Tenuitas reddituum inter justas causas semper recensetur, ut *in Civitatis Castellanae Reduct. 6. Augusti 1808, in Bituntina Servitii chori 15. Sept. 1770*, et *in Firmana Servitii chori et reductionis missarum 9. Aug. 1817.* Capitularium autem reddituum tenuitatem eadem s. Congregatio infra scuta triginta praefinivit; ideoque, si redditus hanc summam excedant aut aequent, tenues non dicuntur, ut *in Amerina 18. Septembris 1751, in Taurinen. 10. Julii 1790, in Camerinen. 14. Decembris 1793, in Massanen. Reduct. onerum 14. Decembris 1822* §. *At videant*, et *in Corcyren. Missae conventualis 8. Maji currentis anni.*

Constans vero est sacrae Congregationis

praxis in concedendis reductionibus jubendi, *ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis et solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis D. N. J. Chr., Pentecostes et sanctissimi Corporis Christi, et per octavas privilegiatas,* ac aliis temporibus Ordinario benevisis jugiter inservire teneantur, ut *in Bituntina Servitii chori 15. Septembris 1770, in Civitatis Castellanae 6. Augusti 1808* et *in Salernitana Servitii chori 23. Junii 1821* §. *EE. PP.* Caeterum ab hac quoque praxi deflexit aliquando, si chori servitium reducendum non esset quotidianum et nimis exigui forent redditus, ut *in Civitatis Castellanae Reductionis 21. Januarii 1809*, in qua ad dies festos tantum et hebdomadam majorem servitium chori reduxit. At maxima semper fuit s. Congregationis cura, ut conservationi legatarum missarum consuleretur; hinc illarum reductionem perpetuo denegavit, si redditus, licet imminuti, pares oneribus ferendis remaneant; ut *in Bononien. 27. April. 1822* §.: *Testatores*, et *in Bononien. Reductionis missarum 29. Maji prox. praet.* §.: *Quod attinet.*

Quae de servitio chori ad horas antemeridianas tantum reducendo proponuntur, tenuitati reddituum niti videntur, qui pro singulis sacerdotibus annua *scuta 7 et obolos 20* non excedunt: haec enim quantitas a *scutis 30* longe abest. Caeterum labentibus annis chori servitium ob imminutum numerum choro inservientium jam reductum fuisse constat: reductio autem reductionis non facile conceditur, uti respondit haec sacra Congregatio *in Spoletana Reductionis 12. Junii 1807* et *in Asculana Reductionis et Absolutionis 22. Januarii 1820.*

Quae vero de anniversariis novemdecim ad unum tantum reducendis a sacerdotibus participantibus afferuntur, diligenter expendenda videntur; sacerdos enim Josephus Ferranti in sua relatione status activi et passivi, quam uti administrator redditum consortii sacerdotum Episcopo exhibuit, haec habet: *Esistono num. 19. Anniversarii perpetui coll' obbligo della messa cantata alla Romana, suono delle campane e consumo di cera, cioè n. 6. per tari 7, 10 per uno, n. 1. per tari 10, n. 2. per tari 8, n. 1. per tari 54, n. 5. per tari 15, e n. 4. per tari 12 in ognuno, nei quali dedotta l' elemosina della messa, onsumo di cera, e tari 4, ed a chi tari 6 per suono delle campane, diritti di esigenza, salarj e sagrestani, non restano a beneficio di coristi presenti, che pochi grani in ogni corista.* Integra igitur praesto est eleemosyna missarum ideoque reducenda non videntur anniversaria, etsi quid minimum pro choristis supersit: praesertim si his imminuta cerae consumendae quantitate aliisque expensis parcendo aliqua ratione provideri possit.

Definienda proponuntur dubia:

I. *An et quomodo servitium chori sit reducendum in casu?*

II. *An et quomodo anniversaria sint reducenda in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative ad chori servitium antemeridianum tantum, praeter officia tenebrarum.

Ad II.: Negative in omnibus.

Die 20. Novbr. et 18. Decbr. 1824.

21) Pro Regularibus extra claustra decedentibus.

Ordinis Carmel. Excalceat.

In rerum omnium perturbatione ac fervescente armorum tumultu in Hispaniae regno cuncta Regularium claustra viduata ac deserta fuere. Vix tandem restituta pace tum regis edicto *diei 17. Novembris 1815* tum Praelatorum imperio revocatis undique Regularibus plurimi ex illis nullo suffulti apostolico indultu ac nulla superiorum licentia muniti propriae tantum obsecundantes voluntati per diversas regni illius provincias vel etiam apud exteras nationes libere vagantur. Cum jam nonnulli ex illis e vita decesserint, dubium ortum est: an pro eis necnon pro aliis in posterum etiam defecturis applicanda sint suffragia, quae ab ordinis constitutionibus praescribuntur. Procurator generalis, cujus sententia audito definitore rogata est, refert, quaestionem haud esse de religiosis, qui aut in vim apostolici indulti aut cum licentia Superiorum ad tempus in saeculo vivunt, sed de iis tantum »*che disubedienti agli ordini del monarca, che commanda faccino ritorno ai loro conventi, ed alla volontà de' Superiori, non hanno voluto, nè vogliono riunirsi continuando a rimanere senza le debite licenze fuori dei conventi ed alcuni ne' regni stranieri.*«

Quae vero tum novissimis temporibus tum retroacto tempore fuerit consuetudo, ita ab ipso definitorio narratur »*se ciò risguarda al tempo anteriore alla extraclaustrazione delle religioni sino al ritorno de' religiosi alli conventi, non vi è stato costume alcuno, per non essersi verificato un' egual caso; Se si riferisca poi al tempo d' essere riuniti i religiosi dopo spenta la rivolazione, dice il definitorio, che neppure vi è stato costume propriamente tale, ma che soltanto alcuni di quelli, che non hanno voluto ubbedire ai Superiori e in questo poco tempo permanendo fuori della religione sono passati a miglior vita, ed a' quali gli si applicarono i suffragi, son per appunto quelli che han suscitato dei dubbj nella mente dei Superiori locali, ed avendo sopra di ciò consultato il difinitorio generale, decretò questi di ricorrere alla s. Sede per chiedere i dovuti schiarimenti, ed affinchè la medesima si degnasse dichiarare, se debbano, o nò applicare nell tratto successivo i suffraggi della legge ai citati religiosi, che morissero fuori del chiostro dal 17. Novembre 1815 epoca in cui fù emanato un tal commando e decreto. Aggiunge egualmente il definitorio, che riguardo agli apostati propriamente tali nei tempi anteriori, se passavan questi all' altra vita nella loro apostasia gli applicavano li suffraggi per la loro anima, dovendo avvertirsi, che in quel tempo era scarso il numero di questi a proporzione di quelli, che al presente senza licenza van vagando fuori de' chiostri, e non pochi hanno eseguito ciò dopo di essere rientrati in religione, per lo che anche riguardo a questi il definitorio generale brama il dovuto schiarimento dalla s. Sede, se debba segli applicare i suffragi commandati dalle costituzioni morendo nell' apostasia.*«

Porro constitutiones ordinis haec praescribunt: Quotiescumque ex hac vita aliquis fratrum migraverit solemniter et devote sepeliatur et Prior vel praesidens illius conventus statim teneatur facere certiorem Praepositum generalem principalem et Priores conventuum illius provinciae nuncians eis domum, in qua obiit, nomen et officium, diem obitus, patriam et aetatem defuncti et tempus ac locum suae professionis ... Paterque generalis nulla interposita mora expressis omnibus dictis circumstantiis et conditionibus ejus mortem denunciet omnibus provinciis, ut quamprimum possibile sit suffragia ab omnibus offerantur. Statuimus, ut pro quolibet religioso in conventu, in quo decesserit, fiat officium sepulturae et officium integrum defunctorum dicatur et per novem primos dies ultra missam et responsorium officii sepulturae, et diei obitus aliae novem conventuales missae pro eo cantentur cum novem aliis responsoriis, quae ubi commode fieri possit, supra sepulturam dicantur, et quilibet sacerdos illius domus, in qua decessit aut cujus sit conventualis, pro eo dicat tres missas privatas. Pro religiosis hospitibus degentibus in conventu fient in eo omnia suffragia, sicut pro suo conventuali.

Nulla in hisce constitutionibus fit mentio de apostatis vel de iis, qui qualibet ex causa extra claustra vitam cum morte commutaverint, sed de religiosis tantum est sermo, *qui in convento* decesserint. Haec autem a constitutionibus praescripta suffragia videntur accensenda esse inter privilegia, quae, dantur iis, qui regulam constitutionesque profitentur quaeque consequi debent, qui in religiosa professione perseverant. Nam religiosa professio est contractus ultro citroque obligatorius, quo quis sese religioni devincit et praestare spondet, quae regula praescribit et e converso religio ex hujusmodi contractu tenetur eum perpetuo retinere eaque illi praestare, quae in regula atque constitutionibus promissa sunt ad tradita per *Schmalzgrueber jus ecclesiast. lib. 3. part. 4. tit. 31. num. 149.* At enim indubium est, ut qui a propria obligatione recedit jus amittit cogendi alterum ad praestandum quod promisit, *l. 3. ff. de pact.* Hinc propositi dubii solutio ab eo pendere videtur, utrum religiosi hujusmodi extra claustra degentes pro apostatis habendi sint, qui datam in religiosa professione fidem fregerunt et a privilegiis regulae deciderunt. Per apostasiam enim religiosus amittit omnia privilegia, quae ex constitutionibus conceduntur, ut ex decreto concil. Trident. *sess. 25. cap. 19. de Regular.* docent *Sanchez lib. 6. moral. cap. 8. n. 20; Pellizar. in manual. Regul. tom. 2. tract. 8. num. 49; Reiffenst. in jus can. lib. 3. tit. 31. num. 236.*

Cum vero, ut quis apostata dicatur, sponte a conventu discedat oportet, animum habens deserendi ordinem, hinc dubitari potest: utrum vere apostatae sint, qui non ex propria voluntate sed coacti bellorum tumultu a religiosis domibus receserunt. E contra,

cum nunc claustra reintegrata sint et tamen cum potuissent ad eam redire noluerint, licet revocati sint regio jussu et Praelatorum monitis, perinde esse videtur ac si voluntarie claustra deseruerint. Si vero religiosi, qui ad claustra reversi iterum ab eis defecerunt, dubitari non posse videtur, quin in apostasim inciderint. Potius videant EE. PP., num, ut religiosus apostata privilegia ex constitutionibus ordinis derivantia amittat, necessaria sit sententia declaratoria criminis, ut tenent *Sanchez lib. 6. moral. cap. 8. n. 33; Schmalzgrueber jus can. lib. 5. tit. 9. n. 24.* Atque hanc sententiam forsan sequuti Patres excalceati ordinis Carmelitani in praeteritum pro apostatis defunctis suffragia applicarunt. Verum ita factum esse narrant, quia exiguus erat apostatarum numerus; qui cum nunc excreverit, Vestrum erit EE. PP. judicare, num eadem adhibenda sit indulgentia.

Dubium proponitur:

An sint applicanda suffragia a constitutionibus ordinis Carmelitarum excalceatorum praescripta tum pro religiosis defunctis et morituris, qui ad claustra reditum non fecerunt vel post reditum claustra deseruerunt in casu?

S. C. resp.:

Affirmative pro omnibus, exceptis iis, quorum apostasia constiterit per sententiam declaratoriam definitorii.

Die 21. Septbr. 1816.

22) Quid significat? Ejus celebrationis modus et tempus.

Vd.: *Anniversar.* (sine certis dispositionibus etc., decr. *Sedunen.* p. 532).

23) Suspensum.

Anniversaria relicta a sacerdote Francisco N. per quinquennium aeris alieni causa suspenduntur juxta transactionem initam inter creditorem et seminarium Melitae haeredem, celebrato uno tantum anniversario durante quinquennio.

Melevitana Transactionis 15. Maji 1790.

24) Translatio in aliam ecclesiam.

I. Quando concedenda?

Quum conventus Patrum s. Augustini oppidi Chiavennae Laudae suppressus fuerit et ejus ecclesia pro nova parochiali assignata, anniversaria a Caesare Casati instituta et ab ipsis patribus dicti oppidi acceptata, sunt adimplenda in eorum ecclesia Burgi s. Dominici servata forma fundationis. *Placentina Legati pii 23. Novembris 1782 dub. 2.*

II. Non concedenda.

Vd.: *Missa* (transl.).

Verulana.

Duae in ecclesia s. Pauli civitatis Veruli ex fundatione Com. Francisci Capobianchi sunt capellaniae, quarum fundus in universa consistit illius hereditate. Onus est capellanis, qui Canonici modo nuncupantur, simplicium missarum 500 in singulos annos et unius missae cum cantu in anniversaria ejus obitus die ad privilegiatum ejusdem ecclesiae altare. Missa haec ab anno 1764, quo fundator decessit, ad annum 1787 celebrari consuevit cum assistentia illorum presbyterorum ecclesiae, soluto emolumento juliorum 10 absque cera, et juliorum octo cum cera pro altari. Ecclesia autem nuper in Collegiatam erecta onus respuerunt Canonici absque mercede juliorum 15. Provisionalem idcirco ejusdem missae celebrationem demandavit elapso anno Verulanus Episcopus in parochiali ecclesia s. Mariae Franconum perpetuamque deinde illius translationem ab EE. Vestris postularunt capellani.

Terminum de mandato praefixit Episcopus capitulo ad deducendum jura sua in sacra Congregatione et a ferendo abstinens suffragio duplici Canonicos inniti ait rationi, ne cum minori emolumento juliorum 15. missae assistant cum cantu, consuetudini scilicet alterius Verulanae Collegiatae s. Erasmi et nunquam accepto oneri, licet oratores affirment, quod cum rescripto defuncti Episcopi mei praedecessoris pluribus abhinc annis fuerit acceptatum, et ibi statutum etiam remanserit emolumentum in juliis decem, comprehensa cera a capitulo subministranda; illius vero translationi obsistere, quod in eadem ecclesia corpus fundatoris sit sepultum, et adhuc ibi construi debeat depositum juxta dispositionem testamentariam.

Aliaque ex parte refert, quod renuunt oratores talem vetitam summam (juliorum 15) persolvere, quia jam praefatum legatum ibi applicabatur antequam in Collegiatam erigeretur; ideoque talis honorificentia Collegiatae non debet variare emolumentum. Quinimo adimpleri posse autumant in eadem ecclesia cum aliis presbyteris absque concursu ejusdem capituli, vel ante scilicet vel postquam Capitulares functiones in choro expleverint, eo vel magis quia dictum capitulum non deberet cum rigore petere et exigere emolumentum pro sonitu campanarum in die anniversaria tanti benefactoris, neque pro cera, pro qua in aliis functionibus et missis cum cantu iidem oratores concurrunt.

Justa pro transferenda ab una ad alteram ecclesiam missarum celebratione requiritur causa, ut statuit *s. concilium Trident. sess. 21. cap. 7. de reform.* et censuit sacra Congregatio *in Sabinen. Translationis legati missarum 16. Februarii 1743.* Talis necne sit in nostro themate causa, ex qua assistere renuit capitulum missae cum cantu, EE. Vestrae decernent. Facile quidem componi non posse videtur controversia. Capellanis enim diuturna favet plurium annorum observantia, dum ante et post erectam Collegiatam satis capitulo fuit emolumentum juliorum 10 sine cera et juliorum 8 cum cera. Capitulum contra tuetur voluntaria hujusce emolumenti acceptio, quum Episcopi testimonio — nondum a capitulo praefatum legatum apparet fuisse acceptatum. — Ad avertenda igitur scandala aequa videri posset missae translatio.

Ponderandum tamen, demandatum a testatore fuisse anniversarium in ecclesia s. Pauli, in qua tumulatum est ejus cadaver, et construi debet depositum. Hujusmodi sane circumstantiae illius translationem impediunt, *Ricc. in prax. part. 4. resol. 69.; Pax Jordan. tom. 1. variar. resol. leg. 4. tract. 1. de sacr. miss. num. 540,* et sac. Congreg. *in Comen. 15. Septembris 1764, in Lucana 28. Julii 2781* et *in Firmana 3. Augusti 1782.* Accedit etiam, quod silentio fatentur capellani, congrua ex universa fundatoris hereditate possidere beneficia. Sua ergo prudentia eminentissimi Patres judicent, num permittenda sit anniversarii translatio ab ecclesia tumulante ob tenue interesse juliorum quinque in singulos annos, et assueta maturitate respondere dignentur:

An sit locus translationi anniversariae missae cum cantu in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 26. Apr. et 16. Maji 1789.

25) Ex voto celebratum obligatne successores?

Vd. *p. 530 n. 7.*

Quum Card. Sacripante ecclesiam Narniensem aere suo ornasset, capitulum grati animi causa annuam missam solemnem eo vivente ac post obitum anniversarium perfici statuit ac promissa servavit usque ad diem obitus, a quo die nunquam illud explevit; idcirco Marchiones Philippus et Joseph fratres Sacripante per exhibitionem antiquae resolutionis capitularis illjus capituli memoriam excitarunt. Verum Canonici contendunt veteres Capitulares non potuisse successores obligare absque ulla Episcopi adprobatione ac licentia, et sacrae Congregationi visum fuit, locum esse celebrationi anniversarii.

Die 18. Septembris 1790. *Narnien.*

Annus probationis.

1) Equitum ordinum milit.

Equites ordinum militarium, secluso proprio statuto, emittere professionem valent nondum completo anno probationis, propterea quod concilium Tridentinum solummodo comprehendit *religiosos in commune viventes,* strictam paupertatem, castitatem et obedientiam profitentes, quales non sunt equites ordinum militarium. Addidi: *Secluso proprio statuto,* nam equites s. Joannis statutum habent, ne possint professionem emittere ante sextumdecimum aetatis annum completum et ante annum probationis exactum; confer *Schmalzgrueber jur. eccles. univ. lib. 3. part. 4. tit. 31. §. 4. num. 49.*

2) Monialium s. Dominici in articulo mortis.

Moniales s. Dominici, si legitimam aetatem habeant et judicio medici articulo mortis constitutae sint, possunt, probationis anno nondum completo, professionem emittere, ex privilegio a san. mem. Pio V. in constit. 109 hujus Pontificis bullar. nov. tom. 2. Verum

haec professio solum operatur, ut monialis professa capax sit indulgentiarum et aliarum gratiarum, quas in articulo mortis professae et professi consequuntur. Caeterum si monialis convalescat, ut caetera jura professis competentia participare possit, probationis annum complere debet et denuo professionem emittendo prius editam ratam habere; *Donat. tom. 2. prax. Regul. tract. 9. qu. 16. num. 1 et 2.* Gaudent vero mox dicto privilegio alii novitii utriusque sexus cujuscumque ordinis, modo cum ordine divi Dominici in privilegiis communicent. *Miranda in manual. Praelat. tom. 1. qu. 22. art. 10. in fin.*

3) Regularium.

Vd.: *Novitius, Novitiatus.*

a) Aetas admittendi.

Pro admittendis ad annum probationis seu novitiatus, licet in jure nulla reperiatur statuta praecisa aetas, et in *const. Clementis VIII.* incip.: *Cum ad regularem,* dicatur praecise: *Quisque recipiendus in aliquo ordine regulari, etiam Mendicantium, in ea sit aetate constitutus, quam ejus ordinis, in quo recipitur, regularia instituta et ordinationes requirunt;* tamen ex sacra Congreg., ut refert *Nicol. in floscul. verb.: Novitius num. 5,* fuit sic decretum: *Recipiendi novitii decimum quintum saltem aetatis suae annum attingant; in una Theatinorum 16. Julii 1632,* et *in una Observantium 7. Aprilis 1634.* Et pro puellis, *ibid. num. 25* refert, fuisse sic decisum: Puella, quae non complevit annum duodecimum, recipi poterit interim pro educanda; *in una Venetiarum 21. Novbr. 1600.* Sed regulariter novitia vestiri non potest ante 14. annum expletum; et tunc de licentia sacrae Congregationis, si velit esse formaliter novitia ante 15. expletum; *in una Perusien. 5. Novembris 1602.* Pro conversis autem religiosis a Clem. VIII. in sua citata constitutione fuit sic statutum: *Ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum.*

b) Completus esse debet.

Vd.: *Annus probat.* (equitum ordin. p. 561).

Annus probationis seu novitiatus debet esse completus de momento in momentum, ut colligitur ex cap.: *Non solum, de Regularibus in 6,* ubi habentur praecisa verba: *Districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum quempiam ad professionem vestri ordinis recipere praesumatis;* et ex Trident. *sess. 25 de Regular. c. 15* nullam declarante professionem illius, *qui minori quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit;* quod indicat annum probationis debere esse integrum completum de momento in momentum, ut expresse declaravit sacra Congreg. Conc. *1. Febr. 1631,* adeo ut professio facta, nondum completo anno, etiam per modicum tempus, esset nulla, ex eadem sac. Congr. Conc., quae *21. Januarii 1617* declaravit: *Professionem emissam non completo anni curriculo, etiam per duas horas tantum, non valere.*

Imo debet esse ita completus et integer annus novitiatus seu probationis, ut anno bissextile debeat necessario exspectari lapsus diei, qui tunc de novo additur, cum illi duo dies pro uno computentur, *arg. text. in l. Minorem 3. ff. de Minoribus,* et *in l. Cum bissextus, ff. de verbor. significat.,* et *in c. Quaesivit, eodem titulo.* Et sic expresse habetur ex sacra Congr. Concil., quae *in una Patavina 4. Junii 1527* censuit: *Non valere professionem respectu anni bissextilis cujusdam, qui ingressus est religionem 27. Martii, et die 26. ejusdem mensis sequentis anni, currente anno bissextili, emisit professionem.* Et *in una Andegavensi 31. Augusti 1533* eadem sacra Congreg. Concil. censuit: *Professionem emissam a fratre ordinis Recollectorum s. Francisci in anno bissextili, non exspectato lapsu diei, qui anno accrescit, esse invalidam ut emissam ante lapsum anni praescripti a concilio Tridentino.*

c) Continuus esse debet.

Annus probationis seu novitiatus debet esse continuus, ita ut novitius annum probationis animo religionem deserendi interrumpens, licet per duas solas horas, teneatur incipere de novo annum novitiatus, ex decreto sacr. Congreg. Conc., quae, ut refert *Fagnan. in cap. ad nostram, de Regul. n. 27,* et *in cap. Insinuante, qui clerici vel voventes num. 36,* interrogata a procuratore generali ordinis Minimorum:

An novitius, qui a monasterio, ut aliam religionem ingrederetur, abierat ac duas tantum horas in alio conventu moram traxerat, teneretur incipere novum annum probationis?

respondit: *Teneri ab eo die quo rediit.*

Si tamen, dicit *Fagnan. loc. cit. in cap.: Insinuante,* novitius non exivisset a monasterio, sed animo fugiendi intra claustra aliquantisper latitasset, non propterea annus probationis censeretur interruptus, ut ex facto respondit *Navarrus consul. 33. Puer quidem de regularibus.* Imo secundum *Galv. consul. 12. n. 17, Tamburin. tom. 3. disp. 6. qu. 7. n. 18, Bartholom. de Vecchis,* et *Barbosam juris eccles. lib. 1. cap. 42. num. 128.* annus novitiatus non interrumpitur, etiamsi novitius, retento habitu, perterritus severitate vel iracundia aut minis Superioris aut Magistri a monasterio abdite exeat, causa se celandi, dummodo habeat animum redeundi. Et de uno, qui a religione s. Francisci de Paula per spatium 20 horarum extra monasterium sine habitu permansit, declaravit sacra Congregatio Episcop. et Regular. *11. Augusti 1626,* posse tolerari de exitu cum habitu et animo redeundi. Sic apud *Barbosam loc. cit. num. 124.*

Annus novitiatus seu probationis non interrumpitur, si novitius habitu religionis indutus a monasterio ex sui Superioris licentia exeat causa peregrinandi ad stationes vel ad alia loca pia vel invisendi parentes aut cognatos aegrotantes vel mendicandi seu recreandi aut alia hujusmodi causa, vel etiam si ob adversam valetudinem maneat extra monasterium. Ita tenent *Jacob. de Graff. in aur. dec. part. 1. lib. 3. cap. 9. num. 18, Fr. Emanuel. qu. 15. art. 7, Peyrin., Gonzalez, Stephanus Gratian., Barbosa juris eccles. univers. lib. 1. cap. 42. num. 126.* cum aliis, et *Bartholom. de Vecchis disp. 12. dub. 3. num. 13,* ubi refert fuisse ita a sacra Congreg. decisum. Annus tamen novitiatus seu probationis interrumpitur a novitia, quae infirma morbo contumaci remittitur curanda domum, ex s. Congreg. *in una Neapolitana 14. Decembris 1593* et *4. Augusti 1397,* eo pacto ut reversa reincipiat novitiatum a capite, ut decrevit eadem sacra Congr. *in una Venetiarum 14. Decbr. 1605,* et *in Tranens. 15. Septbr. 1634, 10. Febr. 1645* et *12. Apr. 1647.* Absque tamen caeremoniis ad evitandas expensas, *in Neapolitana 26. Novembris 1624.* Sed si novitiatus annum expleverat posteaque ex causa supradicta de consensu Monialium et Superioris exiit, potest, cum redit, admitti sine novo novitiatu, *in Neapolitana 8. Novembr. 1619.* Sic refert *Nicol. in floscul. verbo: Novitia n. 39 et 40.*

Annus probationis non dicitur interrumpi nec discontinuari a novitiis, qui completo anno probationis propter infirmitatem ante emissam professionem cum licentia Superiorum de monasterio exeunt. Sic divus *Antoninus, Joannes Andreas, Sylvester, Sanchez, Lopez* et alii passim, Glossa *in cap.; Eum qui, de Regul. juris in 6,* quae dicit: Eum, qui certus est, certiorari amplius non oportere; et sic etiam fertur fuisse responsum ad dubium:

An is, qui habitu regulari suscepto per annum integrum mansit in religione eoque lapso gravi morbo correptus, propterea professione nequaquam emissa, permissu Superiorum ad saeculum rediit, possit inde ad triennium morbo liberatus et ad monasterium reversus protinus emittere professionem vel potius per alium annum stare in probatione teneatur?

Die 27. Februarii 1596 sacra Congreg. censuit: *Posse statim emittere professionem non exspectato alio probationis anno, nisi religionis aut personae conditio sit immutata; idque Superiores religionis animadvertere diligenter debere.*

Imo neque deberet alium annum novitiatus peragere, qui finito et integre completo anno probationis exiret etiam sine licentia, nam proposito dubio:

An novitia, quae finito anno probationis exivit e monasterio absque licentia Ordinarii, iterum reversa possit sine nova probatione ad professionem emittendam admitti?

Die 12. Februarii 1598 sacra Congreg. censuit: *Posse nisi conditio religionis aut personae sit immutata, idque a Superioribus monasterii diligenter esse dispiciendum.*

Sic tenet et refert *Fagnanus in cap.: Qui presbyterum, de poenit. et remiss. num. 119.* Sic etiam novitius, qui, finito anno probationis, fuit habitus spoliatus, potest iterum admitti et profiteri absque novo novitiatu. Secus si habitum sponte deposuisset; sacra Congreg. *in una Observantium 26. Aprilis 1619* apud *Nicol. in floscul. verbo: Novitiatus num. 11.* Et sic etiam non interrumpitur annus novitiatus a novitio seu novitia, si intra annum probationis seu novitiatus a capitulo dimittatur et habitu religionis expolietur, et postea mutata sententia ad habitum restituatur, antequam exeat a monasterio, quia in hoc casu habitus dimissio non est cum effectu egressionis; *Suarez, Vecch., Peyrin.* et alii passim.

d) In conventibus designatis fieri debet.

Vd.: *Novitiatus* (in monasteriis designatis).

Annus novitiatus sicut et professio sub poena nullitatis debet necessario fieri in conventibus designatis, ex decretis Clementis VIII. Et ut clare hoc pateat, dantur hic ad literam ipsa decreta.

Decretum primum editum *12. Martii 1596* sic praecise habet: *Praecipimus omnibus Generalibus, ut de caetero neminem sub quovis praetextu aut colore ad habitum regularem admittant, nisi in conventibus auctoritate nostra designandis. Insuper sancimus, ut quoad hujusmodi conventus per nos deputati non fuerint, Superiores a receptione quorumcumque novitiorum sive ad habitum sive ad professionem omnino abstineant.* Et infra: *Receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra hujusmodi decretum admissi fuerint, nullas et irritas esse ex nunc decernimus.*

Secundum decretum editum *20. Jun. 1599* habet praecisa verba: *Sanctissimus cum districte prohibuerit, ne quis ad suscipiendum habitum religionis admitteretur profitereturve, quousque monasteria et conventus aliquot destinarentur, quia tamen non obstante tali prohibitione cognovit nonnullos praetextu licentiarum receptos et admissos fuisse, nunc denuo praecipit, ne quemquam nisi per literas in forma brevis ad habitum regularem suscipiendum nisi in conventibus designandis recipere aut receptos ad professionem admittere ullo modo audeant, quinimo receptos contra primam prohibitionem, etiamsi imperfectum habitum aut sine capuccio gerant, omnino ejicere debeant.* Et infra: *Receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra decretum admissi fuerint, nullas et irritas esse ad quemcumque effectum ex nunc decernit et declarat.*

Ex istis decretis manifeste patet, non posse extra conventus designatos fieri neque novitiatum neque professionem sub poena nullitatis; sunt enim clara verba Pontificis et novitiatum et professionem extra tales conventus emissam irritantia. »*A receptione quorumcumque novitiorum sive ad habitum sive ad professionem omnino abstineant . . . Ne quis ad suscipiendum habitum religionis admitteretur profitereturve . . . Ne ad habitum regularem suscipiendum, nisi in conventibus designandis, recipere aut receptos ad professionem admittere ullo modo audeant. Receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra hujusmodi decretum admissi fuerint, nullas et irritas ad quemcumque effectum ex nunc decernit et declarat.*« Ubi vides quod decreta in clausula irritante loquuntur copulative et absolute volunt, quod tam novitiatus quam professio fiant in conventibus designatis, aliter, sive novitiatus solum sive sola professio fiat extra ipsos, professio erit absolute nulla, cum talis sit natura copulae; *l. S. haeredes, ff. de condition. instit. l. Si quis ita stipulatus in fine, ff. de verbor. obligat.*, et *cap.: Ex parte, de rescriptis,* ut late probant pluribus adductis *Fagnanus lib. 4. decretal. cap.: Insinuante, qui clerici vel voventes; Pignatell. tom. 9. consult. 173. num. 56.* et *consult. 175. a num. 24; Moron. respons. 82. num. 94 et seqq.; Passerin. de statu homin. qu. 189. art. 10. num. 334; Donatus tom. 2. part. 2. tract. 8. qu. 2 et 4; Ursaya tom. 8. part. 1. discept. 33. n. 34; Matthaeuc. Offic. cur. cap. 34. n. 20,* et alii plures.

Non obstant tamen supra allegata Clementina decreta, quin possit aliquis a Superioribus ad habitum recipi in conventu non designato, ut sic ejus filius instituatur, dummodo postea transmittatur ad conventum designatum, et ibi integrum annum novitiatus peragat, incipiendo a die residentiae et religiosi convictus in tali designato conventu, et ipso sic completo in eodem conventu designato professionem emittat, quia sic salvatur finis summi Pontificis, qui fuit, ut novitii probarentur in conventibus strictioris observantiae, atque ibi probati per integrum annum et idonei reperti ad professionem admitterentur vel, si inhabiles, e monasterio ejicerentur, ad praescriptum Tridentini *cap. 15 et 16. sess. 25. de Regular.* Verba enim illa: *Praecipimus, ut de caetero neminem sub quovis praetextu ad habitum regularem admittant,* vel similia intelligenda sunt cum effectu, *arg. cap. Relato, de cleric. non resident; cap.: Aut verba, de poenit. dist. 1; Gloss. in Extravagante: Suscepti, in verb.: Cum effectu, ne sede vacant.; Feder. de Senis cons. 10. casus talis est, in fine; Fagnan. in lib. 4. decretal. cap.: Insinuante, qui clerici vel voventes num. 46.*

Talis autem novitius inspecto effectu dicitur admissus et receptus in conventu designato, ubi per annum de momento in momentum completum probat austeritatem religionis et religio mores illius, juxta textum

in cap.: Ad Apostolicam de Regularibus, et ibi postea ad solemnem professionem admittitur, ad praescriptum concilii Tridentini *cap. 16.* vers.: *finito tempore novitiatus, scss. 25. de Regularib.*, et juxta ipsa Clementina decreta superius allegata. Licet enim indutus fuerit habitu regulari in conventu non designato, non tamen fuit ibi indutus, ut novitiatum perageret in tali conventu non designato, sed ut novitiatum perageret integre in conventu designato et plene eo completo in tali conventu designato ibi professionem emitteret, juxta decreta Clementis VIII. *die 12. Martii 1596 et 20. Junii 1599* et Urbani VIII. *die 2. Aprilis 1632*, a quo declarantur solum invalidae professiones eorum, qui annum probationis non fecerunt in conventibus ad recipiendos novitios designatis. Sic solide cum pluribus aliis *Fagnan. loc. cit.*

e) Initium a susceptione habitus.

Annus probationis sive in masculis sive in foeminis incipit solum a die susceptionis habitus sive ab eodem die, quo in habitu religionis novitii incipiunt sequi communem aliorum religiosorum vitam; ex concil. Trid. *cap. 15. sess. 25. de Regular.* Habitus enim regularis de essentia et substantia a novitiis est deferendus per annum probationis, ut expresse habetur ex eodem concilio ibidem praecisis his verbis: *Nec qui minore tempore quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur; professio autem antea facta sit nulla nullamque inducat obligationem.* Sic tenent communiter doctores, et *Gloss. in cap. final. verb.: Habitus 17. qu. 2*, et *in cap.: Super eo de Regularib.*, ubi expresse dicit, probationem debere fieri in habitu monachali; et *cap.: Statuimus, de Regularibus:* »*Alioquin*, inquit, *non posset probare austeritatem monachalem, quae magna ex parte in vestibus consistit.*« Et quod in habitu saeculari nequeat fieri novitiatus, expresse decrevit sacra Congreg. Episcop. et Regul. *in una Senogallien. 17. Aprilis 1602*, et *in una Mediolanen. 25. Octobris ejusdem anni 1602.*

f) Institutionis finis.

Vd.: *Annus probat. Regular.* (in conventibus etc. p. 564 §. *Talis).*

Annus probationis institutus est, ut religio probet mores novitii et novitius austeritatem religionis; habetur expresse *cap.: Apostolicam, de Regularibus,* et *cap.: Is, qui monasterium*; et *cap.: Non solum, de Regularibus 6.*

g) Interruptio.

Vd.: *Novitiatus* (interruptus); *Annus probationis Regul.* (continuus esse debet, p. 562),

h) Prorogatio.

Anno probationis completo non potest a Superioribus regularibus ultro protrahi tempus probationis, non solum reluctante novitio, cum hoc esset nimis ei gravosum, *arg. cap.: Ad Apostolicam, de Regularibus*, sed neque ipso novitio consentiente, cum expresse obstet concilium Tridentinum, quod, cum *cap. 15. sess. 25. de Regularibus* praefixerit pro probatione terminum unius anni, in *cap. 16* immediate sequenti praecipit per haec praecisa verba: *Ut finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant aut a monasterio ejiciant;* contra quam conciliarem dispositionem Superiores regulares et omnes Papa inferiores nequeunt dispensare, *Extravagant. Sancta Romana*, §. *Quidam autem*; et ibi *Glossa in verb.: Concilii, de religiosis domibus.* Et juxta hoc Tridentini decretum s. Congreg. conc., teste Miranda *quaest. 8. de Monialibus art. 3*, declaravit, Monialibus, elapso tempore novitiatus, si habiles sint, praefigendum esse terminum quindecim aut viginti dierum ad deliberandum, num velint profiteri necne, et si renuant profiteri, continuo remittendas esse ad parentes aut consanguineos.

Aliqua tamen *rationabili et justa* causa interveniente sentiunt *Rodriquez*, *Suarez, Miranda, Navarr., Sanchez, Lessio, Faust. Fagnan.* et alii posse Superiores annum probationis et professionem prorogare ad breve tempus, et proinde verba illa Concilii *finito tempore* intelligenda esse civiliter, et cum moderata latitudine et quando nulla subest rationabilis et justa causa prorogandi, et sic declaravit sacra Congregatio *21. Maji 1597*, ut refert *Aldan.* in *compend. canon. resolut. lib. 1. tit. 25. num. 10.* Tempus autem, ad quod usque possunt Superiores professionem prorogare ex justa et rationabili causa, esse usque ad sextum mensem, maxime si novitius vel novitia de praesenti esset inhabilis ad profitendum, et adest spes superventurae habilitatis, ut declaravit s. Pius V. pro PP. Dominicanis in eorum *constitutione ad text. 11. cap. 14. de novit. dist. 1.*

Si autem propter aliquam pertinacem infirmitatem vel aliam causam esset protrahenda professio ultra sex menses, tunc pro facultate esset adeunda Sedes apostolica, et sic fuisse decisum a sacra Congreg. refert *Fagnan. in cap.: Ad Apostolicam, de Regul. num. 9. 10. 11,* pro novitia longa infirmitate correpta, quae cum pro remedio adiisset sacram Congregationem Concilii, *ipsa sacra Congregatio censuit agendum cum Sanctissimo, ut concedatur prorogatio ultra menses sex a finito anno, donec duret spes recuperandae sanitatis; Sanctissimus annuit, ut concedatur ista prorogatio;* et ibidem refert sacram Congreg. censuisse opus esse, ut Sanctissimus daret dilationem Olimpiae Spinulae novitiae, quae verebatur, ne emissa professione bona sua apud mercatores existentia recuperare non posset, Sanctitas Sua indulsit sex menses ultra annum novitiatus, ut manere posset in monasterio absque professione.

i) Renunciatio.

Annus probationis post concil. Tridentinum non potest renunciari neque a novitio neque a monasterio; concilium Tridentinum *sess. 25. de Regularibus cap. 15,* ubi irritat omnes professiones factas ante annum novitiatus expletum; decretum autem irritans inducit formam, cui renunciari non potest, ut notat *Bald. in l. 1. num. 2. vers.: In contrarium, ff. de liber. et posth.,* et *Albert. Brun. in tract. de form. fol. 3. col. 1,* ubi enim est data forma, consensus partium non operatur; *Gloss. in cap.: Statutum in princ. verbo: Committatur, de rescript. lib. 6,* et ita anno probationis renunciari non posse saepius declarasse sacram Congreg. Concil. testatur *Fagnan. lib. 3. decretal. in cap.: Ad Apostolicam, de Regular. num. 24,* et tenet *Barbosa in Trident. sess. 25. de Regul. c. 16. num. 33, Navarr., Roderic., Fr. Emanuel,* et alii communiter.

Annus sanctus.

1) Initium, publicatio et finis.

Anno sancto imminente die Ascensionis Domini ante annum sanctum maximo apparatu in Basilica sancti Petri post evangelium recitatur publice Pontificis diploma de proximi anni jubilaeo. Et annus sanctus incipit a primis vesperis Nativitatis Domini et durat usque ad primas vesperas ejusdem Nativitatis Domini anni sequentis, cum hac tamen diversitate, quod vesperae initio anni jubilaei dicuntur post aperitionem portae sanctae, at in fine ejusdem anni jubilaei dicuntur antequam ipsa porta sancta claudatur, unde jubilaeus perseverat, dum porta sancta sistit aperta; vocatur *sancta* eo quia, qui per eam, ut decet, ingrediuntur, sanctitatem seu gratiam divinam consequuntur; dum ea clauditur, benedicuntur lapides, calx et alia id genus.

Porta autem sancta aperitur, ut sequitur. In vigilia Nativitatis Domini instituitur mane*) supplicatio celeberrima, cui interest summus Pontifex cum Cardinalibus, Principum Legatis, Praelatis etc. Post meridiem Pontifex e sacello palatii se confert ad ecclesiam sancti Petri aeque ac reliquae clausam ejusque portam muratam, quae dicitur *porta sancta,* ter ipse malleo argenteo percutit, summus Poenitentiarius bis**), tunc a fabris muratiis disjicitur murus foribus ecclesiae sancti Petri appositus, cujus omnes lapides ac caementum magna cum devotione accipiunt populus romanus ac peregrini. Deinde Pontifex templum ingreditur interestque vesperis solemnibus; et interim cum magno comitatu Cardinalis Decanus pergit ad aperiendam portam sanctam Basilicae s. Pauli et Cardinales Archipresbyteri ad aperiendas portas sanctas, quisque suae respective Basilicae, Lateranensis et sanctae Mariae Majoris.

Postquam autem per totum annum dictae sacrae Basilicae visitatae fuerunt, paulo ante Nativitatem Domini edicitur portam sanctam

*) Clerus saecularis et regularis ad Vaticanam Basilicam hora decima octava convenit. Supplicatio tamen circa horam vigesimam incipit.

**) In forma *ritus servandi a SS. D. N. Pio Papa VI. in aperitione portae sanctae Basilicae Vaticanae* haec ad rem habentur »Malleum accipit Pontifex e manibus Cardinalis Poenitentiarii terque cum illo percutit portam . . . statimque malleum dimittit in manibus Cardinalis Poenitentiarii et redit ad sedem. Porta vero sancta integra ruit.«

divi Petri claudendam esse in vigilia Nativitatis ejusdem Domini post vesperas, quas praecessit non minus solemnis a palatio apostolico supplicatio, quam quando aperienda erat.

Unde postquam ipse summus Pontifex et postmodum ipse summus Poenitentiarius in medium liminis ingressus ipsius portae sanctae jecit calcem trulla seu cochleari argenteo ternosque lapides posuit, tunc mox in altum latumque murus erigitur, manetque integer, donec redeat alius annus sanctus. Et dum porta sancta Basilicae sancti Petri ab ipso summo Pontifice et aliae portae sanctae aliarum Basilicarum a suis respective Cardinalibus destinatis aperiuntur et clauduntur, recitantur variae et determinatae preces, quas prae aliis refert *Navarrus in fine sui commentarii.* Legendus tamen cum primis *Zacc.,* qui *part. 1. lib. 2. cap. 3 et 7* omnia ad portam sanctam pertinentia persecutus est.

2) Intervalla.

Annus sanctus a Bonifacio VIII. fuit indictus pro unoquoque centesimo, ex quo ipse Pontifex percepisset, incolas romanos una voce tenere, quod, qui Basilicam s. Petri visitarent, unoquoque centesimo plenariam indulgentiam consequerentur, et de facto comperisset *1. die Januarii 1300* turmatim populum romanum ad limina Apostolorum convolare et in dies augeri peregrinorum concursum, omnes uno ore ex Majorum relatione exclamando in Basilica sancti Petri maximam esse peccatorum expiationem, et signanter propriis auribus audivisset a quodam sene aetatis annorum 107, quod suus pater proximo tunc elapso centesimo Romam petiisset ipsumque in sua ultima voluntate admonuisset, ut venturo saeculo tantum spiritualem thesaurum lucrifacere non omitteret, Cardinalium et romani populi supplicationibus annuens die 22. Februarii supradicti anni 1300, festo Cathedrae s. Petri Antiochiae recurrente, magni jubilaei celebritatem quolibet centesimo recolendam instauravit. Espenius Bonifacii VIII. credulitatem redarguit; plura in hunc Pontificem scommata evomunt indulgentiarum osores protestantes eumque ad jubilaeum instituendum corradendarum undequaque a peregrinis pecuniarum causa permotum ajunt. Zaccaria *tratt. dell' anno santo p. II. l. IV. c. 2.* Bonifacium vindicavit ab Espenii cavillis *loco nuper citato,* et a protestantium calumniis. Sic refert Cajetanus de Stefaneschis Cardinal. s. Georgii ad velum aureum seu velabrum et ipsius Bonifacii affinis in suo libro *de anno centesimo,* inserto *tom. 6. biblioth. Patrum.*

Annus sanctus a Bonifacio VIII. pro unoquoque centesimo determinatus 1300 in sua *constit. incip.: Antiquorum,* fuit postea redactus ad quinquagesimum a Clemente VI. 1350 *in sua constit. incipiente: Unigenitus,* et sic 1350 fuit prima vice jubilaeus quinquaginta annis anticipatus.

Deinde Urbanus VI. creatus Pontifex 1378 instituit, ut ob memoriam annorum triginta trium, quibus Christus Dominus in terris vixit, jubilaeus celebraretur quovis anno trigesimo tertio, ut late scribunt *Benzonius lib. 3. cap. 6.* et *Sanctarellus cap. 1. dub. 3.* Et hanc Urbani reductionem ad triginta tres annos ratam habuerunt et servarunt Martinus V. et Nicolaus V., ut enunciat Paulus II. in sua constitutione incip.: *Ineffabilis providentia,* in qua anno 1470, ut omnis aetas tanti thesauri particeps efficeretur, statuit ipse Paulus II., ut in posterum jubilaeus perageretur anno quolibet 25. Et hoc tempus 25 annorum a Paulo II. determinatum fuit ab omnibus ejus successoribus usque ad praesens servatum. Post ipsum enim annos jubilaeos indixerunt Sixtus IV. pro anno 1475, Alexander VI. pro anno 1500, Clemens VII. pro anno 1550, Gregorius XIII. pro anno 1575, Clemens VIII. pro anno 1600, Urbanus VIII. pro anno 1625, Innocentius X. pro anno 1650, Clemens X. pro anno 1675, Innocentius XII. pro anno 1700, qui tamen non potuit ipsum claudere, ex quo obierit die 28. Septembris ejusdem anni 1700 et ipsum clausit Clemens XI., qui fuit electus Pontifex maximus die 23. Novembris ejusdem anni 1700; Benedictus XIII. pro anno 1725 et Benedictus XIV. pro anno 1750, Pius VI. elect. in Pont. 15. Kalend. Martii 1775 pro dicto anno.

3) Origo.

Vd. *supra n. 2.*

Annus sanctus ab anno jubilaei veteris legis sumpsit originem et denominationem, unde sicuti apud Haebraeos annus ille plenissimae remissionis sanctificabatur et jubilaeus vocabatur: *Sanctificabisque annum quinquagesimum et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae, ipse enim est jubilaeus, Levit. cap. 25. num. 10,* sic apud christianos consuevit vocari annus sanctus ille univer-

salis jubilaeus, qui certis revolutis temporibus pro integro anno Romae solet indici, et etiam juxta s. Isidorum Hispalen. *in Origin. lib. 5 hic jubilaeus interpretatur remissionis annus.* Et licet Polydorus Virgilius et varii alii censeant anni sancti seu magni jubilaei inchoationem derivare a Bonifacio VIII., ex quo ipse vere magnum jubilaeum instituerit pro anno 1300, ut clare constat ex ejus Extravagante incip.: *Antiquorum de poenit. et remiss.*, tamen reperitur etiam ante ea tempora fuisse celebratos jubilaeos, ut ostendunt *Navarrus de jubilaeo not. 1.* et *Benzonius lib. 3. cap. 4, Cardinal. Lauraea, Panciroll., Panvin., Victorell. Turrecremata,* et multi alii, praesertim *Zaccaria tratt. dell' anno santo p. 1. lib. 1. cap. 1. pag. 16 et seq.*, ubi inter alia disertum de anno sancto Innocentii III. temporibus testimonium recitat expenditque Alberici monachi apud Leibnitium in *accessionibus historicis.* Et *Palaus* §. *1.* principium jubilaei refert ad tempora Apostolorum Petri et Pauli. Et *Gherard. in histor. lib. 13. pag. 410.* substinet anni jubilaei institutionem vel ab ipsis Apostolis ortam vel ab eorum immediatis Pontificibus. Et *Scaliger in Euseb. part. 18.* et *Petavius in Rationar. temp.* referunt jubilaeos celebratos ann. 49 et 50 post Christum natum. Mihi Scaliger ad manus non est; Petavius est, qui nihil ejusmodi aut tradidit aut tradere potuit; imo quovis pignore contenderem, ne Scaligerum quidem ista somniasse, et Joannes Card. Monachus testatur in cit. Extravagante: *Antiquorum*, quod ex ipsius Bonifacii ore audivit, *se ad hujusmodi constitutionem edendam impulsum esse, quia vulgatum est, quod talis indulgentia in annis centesimis a Nativitate Christi olim concedi solebat.*

Anticipatio officii divini.

Vd.: *Officium divin.* (anticip., hora); *Tempus; Matutinum etc.* (anticip.).

Apostasia.

1) A Fide.

a) Definitio.

Apostasia a fide (quae propriissime apostasia est et a communi post *Gloss. in cap. 1. de Apostatis* verb. *Apostata, Apostasia perfidiae* vocatur) est totalis discessus seu defectio a fide christiana; unde apostata a fide ille dicitur, qui in totum a fide Christi recedit sive totaliter eam deserit, ut si christianus efficitur judaeus vel turca sive paganus; *leg. 1 et 2. codic. de apostat., cap.: Non potest 24. caus. 2. quaest. 7, Pirhing. lib. 5. tit. 9. §. 1, Farinac. tract. de haeresi qu. 183. §. 2. n. 13, Sylvester verb.: Apostasia,* et alii communiter.

b) Differentia inter eam et haeresim.

Apostasia differt ab haeresi solum secundum magis et minus, ex quo apostasia deficiat a fide Christi totaliter, et haeresis solum partialiter; apostata enim dicitur, qui Christum et fidem christianam, quam suscepit, totaliter abnegat; haereticus vero non totaliter eam abnegat, sed solum partialiter secundum unum vel aliquos articulos, ideoque magis late patet apostasia, quam haeresis; omnis enim apostata est haereticus, sed non omnis haereticus est apostata, ut de se patet, quia licet Lutherani, Calvinistae et alii haeretici vulgo et improprie dicantur apostatae, vere tamen et proprie loquendo non sunt apostatae a fide Christi, cum adhuc christiani sint, ad differentiam verorum apostatarum, qui amplius non sunt christiani, sed vel judaei vel pagani, secundum sectam, quam amplexi sunt.

Unde apostatae ultra quam quod omnes poenas, quas incurrunt haeretici, ut expresse habetur *cap.: Contra christianos 13 de haereticis in 6.* praecisis his verbis: »Contra christianos, qui ad ritum transierint vel redierint judaeorum etc., erit tamquam contra

haereticos, si fuerint de hoc confessi aut per christianos seu judaeos convicti, et sicut contra fautores, receptatores et defensores haereticorum, sic contra fautores, receptatores et defensores talium est procedendum.« Et tenent communiter doctores; adhuc tamen alias majores et graviores incurrunt, quam ipsi haeretici, cum apostatae semper, quamdiu vivunt, et post mortem usque ad quinquennium accusari et in suis puniri possint, *leg. Si quis 1.* et *leg. Apostatarum 4. Cod. de apostatis.* Nec suffragatur eis poenitentia, uti suffragatur haereticis, *leg. Hi qui 3. Cod. de apostatis,* ubi aperte dicitur: »Lapsis enim et poenitentibus subvenitur, perditis vero, hoc est sanctum baptisma profanantibus, nullo remedio succurritur.« Et si alios seducunt, spoliantur omnibus bonis et capitali sententia damnantur, *leg. Cum 5. de apostatis.* Quae autem poenae de jure sint statutae haereticis et consequenter apostatis, vide suo loco verb. *Haeresis.*

2) Ab Obedientia.

Apostasia ab obedientia late capta est omnis mortalis divinae legis transgressio, ut docet *d. Thomas 2. 2. qu. 12. art. 1. ad 1.* juxta illud *Ecclesiast. 10: Initium superbiae hominis apostatare a Deo.*

3) Ab Ordine.

a) Quae est?

Apostasia a sacro ordine et apostata ab illo dicitur, cum quis a perfectiori statu clericali, quem in manu Episcopi, edito continentiae voto, assumpsit, ad statum laicalem vel etiam conjugii, dimisso suo habitu, propria temeritate se transfert: *c. Praeterea clerici 1. de apostat., Gloss. ibi,* verb.: *Apostasia; Hostiens. in summ. num. 1 et 2; s. Thomas 2. 2. quaest. 12. art. 1. in corp., Pirhing.* et *est in jure communis.*

b) Poenae.

Poenae apostasiae a s. ordine sunt sequentes:

Prima est excommunicatio non lata sed ferenda, si clericus apostata non contraxerit matrimonium. Si vero in sacris constitutus matrimonium contraxerit, excommunicatio erit latae sententiae; *arg. c. 1. de apostatis,* et *Clem. unic. de consang. et affinit.,* ubi expresse habetur: »*Clericos in sacris constitutos ordinibus matrimonia contrahentes refraenare metu poenae ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationi ipso facto decernimus subjacere.*« *Abbas in cap. 1. de apostatis; Sanchez de matrimons lib. 7. disp. 48; Pirhing. de apostat. n. 5.*

Secunda est poena infamiae, quam ipso facto incurrrit, ideoque ab accusando et testimonio ferendo repellitur; *arg. cap.: Alieni erroris, caus. 2. qu. 7,* et *cap.: Beatus praedecessor, caus. 3. qu. 4; Pirhing. lib. 5. tit. 9. n. 5; Diaz. in pract. crim. cap. 115. n. 2; Anaclet. lib. 5. tit. 9. num. 29.*

Tertia poena est irregularitas, si apostata a sacro ordine matrimonium contrahat, quia in tali casu esset bigamus similitudinarius, *cap.: Nuper a nobis,* et *cap.: A nobis fuit, lib. 1. tit. 21; Anaclet. lib. 5. tit. 9, de apostat.,* et alii.

Quarta poena est amissio privilegii ordinis clericalis, ita ut percutiens clericum apostatam non incidat in canonem: *Si quis suadente, caus. 17. cap. 4.* Sic colligitur ex *cap.: Praeterea clerici lib. 5. tit. 9. de apostatis,* et *cap.: Perpendimus, de sentent. excommun. lib. 5. tit. 39,* et maxime si talis apostata tertio monitus ab Episcopo non resipiscat, nullo privilegio clericali gaudere debet; *cap.: In audientia lib. 5. tit. 39,* ubi de similibus apostatis expresse dicitur: *De privilegio clericorum subsidium aliquod habere non debent; Abbas in cap. 1. §. 5 et 6. de apostat.; Farinac. tract. de haeresi qu. 183. num. 127; Pirhing. hoc. cit. num. 5.*

Quinta poena est quod tales apostatae, qui nec minis nec blanditiis induci possunt ad reassumendum abjectum habitum, possint ab Episcopis duro carceri mancipari, ut expresse habetur *cap.: A nobis, lib. 5. tit. 9. de apostatis: Tales, si volueris, poteris sub gravi custodia carcerare, ita quod solummodo vita sibi misera reservetur, donec a suae praesumptionis nequitia resipiscant; Abbas, Pirhing., Anaclet. lib. 5. tit. 9. de apostatis.*

4) A Religione.

Vd:: *Absolutio a casibus reservatis* (p. 136 n. 2; p. 145 g.) *etc.; Regulares* (apostatae, extra claustra vagantes).

a) Absolutio.

Apostatae et fugitivi Regulares quomodo absolvantur a summo Poenitentiario, assignatur a Benedicto XIV. *tom. 2. constit. 95.* incipiente: *Pastor bonus §. 33.* Quoad apostatas vel fugitivos Regulares ad apostolicam poenitentiariam recurrentes servetur lauda-

bilis ejusdem praxis, ut scilicet major Poenitentiarius, audito prius, si in Urbe adsit, ordinis Superiore seu Procuratore generali, injungat apostatae seu fugitivo, intra tempus, arbitrio ipsius majoris Poenitentiarii taxandum, reditum ad proprium ordinem. Interim vero, si expediat, a censuris eumdem absolvere vel absolvi mandare possit cum reincidentia, si intra dictum tempus minime redierit (dilata tamen usque ad actualem reditum dispensatione super irregularitate, si forte eam insuper contraxisset), et alias praeterea poenas, sive de jure communi sive ex statutis ordinum, propter apostasiam seu fugam inflictas discrete moderari, commutare vel etiam, juxta peculiares circumstantias, condonare possit. Si vero casus ejusmodi sit ut, re praesertim in signatura discussa, censeatur expedire, quod absque reditu ad proprium transitus eidem ad alium ordinem concedatur, possit major Poenitentiarius istud etiam concedere, adhibitis tamen iis cautionibus, quas ad refraenandam vagandi licentiam necessarias seu opportunas judicaverit; necnon illa prae oculis habendo, quae infra circa transitum disponentur. Nemini autem Regulari quacumque de causa permittere valeat, ut in habitu saeculari seu clerici saecularis in perpetuum extra claustra vivere possit.

b) Num incurrit, qui aliam religionem ingreditur non petita licentia a Superiore?

Vd. *p. 573* §. *Qui.*

Gravis est quaestio illa: utrum verus apostata a religione sit ille, qui ad aliam religionem discedit animo illam ingrediendi, sed non petita licentia a Superiore religionis, quam deserit. Negant *Fagnan. in cap. ult. num. 11 et seq. de apost., Gonzalez. ibidem num. 4,* et alii.

At cum aliis affirmat *Suarez. de religion. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 12. a num. 17.* Media via pariter cum aliis incedit *Farinac. prax. quaest. 183. num. 105,* ubi distinguit et apostasiae poenas evitare tenet eum, qui intrat religionem aliquam, quae ejusdem est regulae, tametsi habitus diversi ab illa, e qua est egressus. Secus si intret religionem, quae simul est diversi habitus diversaeque regulae; hunc et apostatam esse poenisque subjici apostatarum contendit.

c) Quando incurritur?

Apostasiam incurrit et dicitur apostata, qui a religione temere discedit cum animo non amplius redeundi, etiamsi retineat habitum; nam nihil refert, an cum vel sine habitu discedat, dummodo habeat animum deliberatum non amplius redeundi, sicut enim habitus non facit monachum sed professio regularis, *cap. Porrectum, cap. Ex parte, de Regularib.,* ita retentio habitus tantum non debet facere quempiam esse in religione, ut aequaliter fiat dissolutio et colligatio vinculi; *l. Nihil est, de Reg. jur., leg. Ab emptione, cod. quando licet,* §. *Item per acceptilationem,* instit. *quib. mod. obligat. tollat.* Et expresse a Clemente VIII. in decreto pro reservatione casuum edito *26. Maji 1593* vocatur apostasia, sive fiat habitu retento sive dimisso, praecisis his verbis: »*Apostasia a religione sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa monasterii sive conventus fiat egressio.*« Quod decretum fuit etiam confirmatum ab Urbano VIII. *21. Septembris 1624.* Sic tenet *Abbas in cap. 1. num. 2. de apostat., Farinac. tract. de haeresi quaest. 183.* §. *1. num. 62, Cajetanus, Sanchez, Rodriguez, Angelus, Sylvester, Pirhing., Anaclet., Donatus* et cum plurimis aliis *Pignatell. tom. 7. cons. 68. num. 5.*

Quamvis autem ex dictis colligatur rationem formalem apostasiae propriae dictae in hoc praecise consistere, quod discessio a religione fiat cum animo non amplius redeundi adeoque eos, qui cum animo redeundi discedunt, non esse proprie apostatas sed fugitivos, tamen in praxi communiter accipiuntur et tractantur ut veri apostatae, qui extra claustra sine Superiorum licentia habitu etiam retento et cum animo redeundi ad religionem vagantur, prout refert *Sanctor., Com. in statut. relig. s. Francisci cap. 2. statut. 61,* esse definitum per statuta papalia Julii II. *cap. 7. part. 31.* praecisis his verbis: »*Intelligimus autem apostatam omnem, qui sine licentia vel contra obedientiam suorum Praelatorum per terras, loca seu patrias cum habitu vel sine, cum socio vel sine illo iverit, atque quomodolibet discedentem.*« Et sic pro eodem sumuntur in decretis de apostatis et ejectis a sacra Congreg. concilii jussu Urbani VIII. *21. Septembris 1624* editi, ubi §. 3 expresse dicitur: »*Rursus statuit, ut fugitivi et apostatae, sive habitum regularem deferant sive non, possint ac debeant ab Episcopis loci, ubi morem trahunt, in carceres conjici ac Superioribus regularibus consignari secundum regularia statuta puniendi.*« Et pro eodem etiam sumuntur a Clemente X. in constitutione incip.: *Pastoris aeterni vices edita* 18. Februarii 1675, in qua habetur praecise: »*Ut regulares apostatae et fugitivi etc. tunc poenarum ipsis propter apostasiam hujusmodi inflictarum vel infligendarum etc.*

Apostatae declarantur illi, qui post unicam sententiam latam pro nullitate professionis, etiam appellatione non interposita, habitum abjecerint. *Bened. XIV. tom. II. const. 47.* incip.: *Si datam hominibus.* Item ii, qui post sibi indultam restitutionem in integrum, e religionis claustris migrare praesumant. *Idem ibidem.*

In quaestione supra dicta: an scilicet ad apostasiam a religione requiratur dimissio habitus, *Schmier. Jurisprud. canon. civil. lib. 5. tract. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 1. num. 74 et seqq.* relatis opinione affirmativa *Fagnan. in cap. ult. num. 7 de apostat.,* et aliorum, et negativa opinione *Gonzal. in eod. cap. ult. n. 4,* et pariter aliorum, ita concludit *Ferraris:* »Attamen quoad excommunicationem latae sententiae incurrendam, juxta *cap.: Ut periculosa 2. Ne cleric. vel monach.,* uti et quoad amissionem privilegiorum ordinis, praecedente saltem sententia declaratoria, juxta concilium Tridentinum *sess. 25 de Regular. cap. 19* infligendam, requiritur habitus dimissio. At quoad irregularitatem, qua religiosus apostata sacros ordines in apostasia susceptos etiam post conversionem et reditum ad monasterium exercere nequit, in *cap. ult. de apost.* nulla fit distinctio, num habitum deposuerit vel retinuerit.«

d) Quando non incurritur?

Vd. *p. 558 n. 21.*

Non est apostata regularis, qui injuste et notabiliter gravatus a Superiore recta via ad Generalem, Provincialem aut alios, ad quos de jure, accedit, absque licentia Superioris. In tali enim casu talis religiosus non peccat nec recedit ab obedientia sed dicitur appellare de facto, quamvis antea non appellaverit. Appellatio autem ex *Pasquaglio ad Lauretum de Franchis part. 1. num. 1359.* est defensio contra injustitiam et praesidium innocentiae, et defensio per omnes est de jure naturae, adeoque Regularibus nedum licita sed et necessaria, ut per majorem Superiorem a gravamine Superioris inferioris liberentur. Non est enim dicibile, utpote nimis durum, quod ex proprio statu Regulares sint deterioris conditionis, quam caeteri homines, qui ab injustis gravaminibus possunt appellare et ad majores judices recurrere; *cap. Suggestum, cap. Pastoralis officii, de appellationibus, l. 2. tit. 28.* Et sic tenent *Lezana Summ. tom. 1. cap. 16. num. 8; Peyrin. de subdito qu. 1. cap. 20; Ameno de delictis tit. 2.* §. *1. apostasia n. 27; Pignatell. tom. 10. consult. 24. num. 27.* et plurimi apud ipsum, *Pirhing, Bonacina, Tamburin.* et alii.

Nec officit quod concilium Tridentinum *cap. 4. sess. 25. de Regular.* decernat: »*Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur;* nam, ut inquit *Rodriquez tom. 1. quaest. Regul. 30. art. 3.* et *Pignatell. tom. 10. consult. 24. num. 28,* non est credendum concilium voluisse derogare juri naturali de se defendendo ab injuste gravante et iniquo oppressore, et loqui voluisse non de religiosis sic injuste gravatis et inique oppressis, sed solum de illis, qui sine vera causa et solo apparenti, levi ac emendicato praetextu recurrunt, uti illa dictio *praetextu* significare videtur. Mens igitur concilii fuit providere, ne Regulares ex quocumque levi, inani et colorato praetextu vagandi et se subtrahendi a Superiorum obedientia occasionem quaerant, ut saepissime in dies accidebat, et per hoc praecipit tales Regulares esse puniendos, tamquam sui ordinis desertores, etiamsi emendicatis praetextibus accedendi ad Superiores a conventu vel monasterio sine facultate discedant, non autem prohibere, ne in causa veri et realis notabilis gravaminis praesentis vel imminentis ad majores Superiores posset haberi recursus, eo vel maxime, quod non est petenda licentia ab illo, ad cujus gravamen tollendum agitur. Et sic delaratum fuisse a sacr. Congreg. refert *Rodriquez l. c.* et tenent *Navarr. tom. 2. de Reg. num. 67.* juxta Gloss. *in cap. Cum pastoris 2. qu. 7,* et *arg. cap.: Ex parte de accusat.; Suarez. de religione tom. 4. lib. 2. c. 102. num. 4; Quaranta, Ameno* et alii plurimi. In tali enim casu praesumitur licentia Superioris *ad quem,* ut optime dicit *Suarez t. IV. tract. 5. lib. 3. c. 1. n. 6; Lezana tom. 1. c. 16. n. 9; Pignatell. tom. 10. consult. 24. n. 28; Barbosa in concil. sess. 25. c. 4. num. 9.* cum *Aragon.* et plurimis aliis ibi citatis.

Nec etiam obstat, quod in multis statutis variarum religionum declaretur apostata,

qui sine obedientia extra conventum ierit, *etiam praetextu ad Superiores accedendi, etiamsi recta via coram Superiore se sistat*, ut signanter cavetur in constitutionibus Minorum de observantia, Statut. Sambucan. *cap. 2. §. 8. num. 5*, nam, ut optime dicit Sanctorius in compendio commentariorum super ipsa statuta Minorum verbo: *Apostasia* et *Apostata n. 7*, statuta recursum et confugium ad Superiorem non condemnant absolute, sed frivolum et sub praetextu, ob causas scilicet leves et frivolas. *Non enim est apostata, qui supra modum gravatus ad Superiorem sine licentia confugit; Poenal. cap. 9. qu. 2. et constit. cap. 3. statut. 22.* Et talem non esse apostatam tenet etiam *Lantuscha verb. Appellatio num. 8, Ameno de delictis tit. 2. §. 1. Apostasia num. 31, Matthaeucci Official. quoad apostatas, num. 16 et 17.*

Et a fortiori non est apostata Regularis recurrens recto tramite ad Urbem a gravaminibus Superiorum sine eorum licentia, dummodo non vagetur et se praesentet R. P. D. secretario sac. Congreg., ut pluries fuit decretum et signanter in *Valentina 6. et 27. Junii 1698, Monacell. tom. 1. in appendic. adnotat. ad decret. de ejectis num. 1, Ursaya instit. criminal. lib. 1. tit. 8. num. 29.*

Debet tamen talis religiosus ad Superiorem majorem sine obedientia confugiens esse sic notabiliter et manifeste gravatus, ut evidenter constet vel de facili probari possit non habere aliud remedium, nisi ut ad majorem Superiorem confugiat et sic apud illum se ipsum tueatur. Ad justificandum tamen suum recursum, et ut nulla pro foro etiam externo sit apostasiae umbra et suspicio fugae nec contra eum militent sancita a sac. Congreg. Regul. *anno 1587* in decreto incip.: *Quoniam nonnulli regulares vagandi studio* etc., et a Sixto V. in const.: *Ad Romanum spectat, §. 20*, et a concil. Trident. *sess. 25. de Regul. cap. 4 super recessu Regularium sine obedientialibus a conventibus* his verbis: »*Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur*, expediret, imo esset sic instruendus, ut prius ipse recurrens peteret facultatem a Superiore gravante adeundi majorem Superiorem, et tali facultate sibi negata peteret testimoniales apostolos a testibus fide dignis de petita et sibi denegata tali facultate.

Et dato quod nec tales testimoniales apostolos posset obtinere propter aliquem timorem vel respectum aut aliam causam in testibus, seu potius petendo tales testimoniales apostolos aut licentiam aliquod majus gravamen certo timeret, quod nisi festinanter et occulte discederet statim incarceretur, et adderentur gravaminibus gravamina, tunc nulla petita licentia, et nullis testimonialibus posset recta via Superiorem adire pro necessario sublevamine, quia nemo tenetur sibi majus malum procurare, et in tali casu, licet non verbo, facto diceretur appellare, quod plus est; *cap. Dilecti filii 2. de appellat.* et Gloss. *ibi: Navar., Pignatell., Suarez, Peyrin., Ameno, Nicolius* et alii supracitati. Imo plurimi ut Peyrinus cit., ex Portello, *in addit. ad dubia Regular. verb.: Habitus num. 3, Diana tom. 3. tract. 2. resolut. 115.* et alii tenent, quod in tali periculoso casu possit etiam Regularis habitum dimittere absque incursu apostasiae, et sic incognitus directe ad Superiorem accedere, dummodo vere et certo timeat, quod in itinere capiatur et reducatur per vim ad manus Superioris gravantis. Et hoc est juxta *cap. Clerici officia, de vita et honest. cleric.*, ubi expresse dicitur: *Nisi justa causa timoris exegerit habitum transformari*, et Glossa ibi explicite: *Clericus justa de causa potest postponere habitum clericalem, nec censetur apostata.* Et Glossa in *cap.: Ut periculosa, ne clerici vel monachi in 6. verb.: Temere*, ubi habet praecisa verba: *Ex causa licet habitum transformare, si justa sit, puta timor.*

Quod Regularis dimittens habitum ad evitanda pericula non sit apostata, tenent expresse *Sylvester verb.: Habitus num. 3;* divus *Antoninus in 3. part. tit. 24. c. 33.* et *Pignatell. tom. 10. consult. 24. c. 14. num. 14* cum plurimis aliis ibi citatis. Addo quod evitandi periculi causa licet clericis arma deferre juxta *Gloss. in cap.: Clerici arma portare non debent sine justa causa: justam intellige, si per loca periculosa transitum faciant, tunc possunt portare arma ad terrorem latronum.* Et etiam ad evitanda talia pericula licet eis comam deferre; Glossa in *cap.: Clericus neque comam*, ubi dicit, quod cum quidam reprehenderetur a Papa, sic pro sua justa defensione respondit:

Tutius ut peterem laici sub imagine Romam,
Fas fuit, ut sinerem luxuriare comam.

Regularis cum literis obedientialibus itinerans et ad liberius divagandum habitu regulari in itinere dimisso et in veste saeculari incedens non est apostata, quia ex superius dictis ratio formalis apostasiae est, quod discessio a religione fiat cum animo deliberato non amplius redeundi; hic autem Regularis, ut supponitur, haberet animum et voluntatem iterum redeundi ad claustra sub obedientia Superiorum, et in tantum dimisit habitum regularem, ut liberius sub veste saeculari divagaretur; *Sanchez lib. 6. moral. c. 8. n. 5, Pirhing. lib. 3. tit. 31. sect. 5. n. 187* et alii.

Ligatur tamen excommunicatione lata in Regulares habitum dimittentes liberius vagandi causa, *cap.: Ut periculosa, ne clerici vel monachi in 6*, ibi: »*Ut periculosa Religiosis vagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de caetero aliquis professus temere habitum dimittat. Si quis autem temerarius violator exstiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.*« Et hanc excommunicationem etiam incurrit, qui habitum defert, sed ita coopertum, ut cognosci non possit, ut cum multis a se citatis tenet *Peyrin. de subdito cap. 26*, et facit Glossa *in Clementina de vita et honest. cleric. cap.: Quoniam qui, verb.: Extrinsece.* Et ratio est clara, quia licet ipse non dimittat habitum materialiter, dimittit tamen formaliter et deferre illum coopertum alio habitu idem est, ex *Quaranta Summ. Bull. verb.: Apostata*, ac illum non deferre et ita faciliter potest libere vagari deferendo habitum coopertum, ac si nullo modo ipsum deferret; et per hoc concil. Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 19* decrevit sic: *Ne detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suae religionis.*

Regulariter autem quantumcumque habitus etiam ex lascivia relinquatur vel cooperiatur, si non relinquitur animo deliberato illam non reassumendi, non contrahitur apostasia, ut respondit *Oldrad. consult. 102.* in hanc rem edito, et tenet *Rodriq. tom. 1. qu. regul. 30. art. 1, Pignatell. tom. 10. consult. 24. num. 15, Peyrin.* et alii etc.

Qui a religione professa etiam sine legitima facultate ad aliam laxiorem religionem transiret, non esset rigorose et proprie apostata, quia, ut inquit Innocentius in cap.: *Intelleximus* in fine de aetate et qualitate, in nullo venit contra ea, quae sunt de substantia ordinis, cum semper sit in alicujus obedientia; nam non dicitur apostata proprie, nisi qui ad saeculum redit, et tenet Glossa *in cap. ult. de apostatis, Abbas, Joannes Andreas, Archidiaconus, Sylvester, Fagnanus, Pirhing., Rodrig., Cajetan., Layman* et alii plurimi.

e) Poenae.

Vd.: *Apostasia a relig.* (quando non incurr. §. *Ligatur*, ut supra).

Poenae apostasiae a religione seu statu religioso de jure communi sunt sequentes:

Prima est excommunicatio, quae ipso facto incurritur, si fiat apostasia cum dimissione habitus, ut expresse habetur *in cap.: Ut periculosa 2. clerici vel monachi in 6.* Secus autem si apostasia fiat cum retentione habitus, quia nullus textus dictam excommunicationem infligens allegari potest. Ipse enim textus *cap.: Ut periculosa*, quam aliqui in contrarium allegant, loquitur solum de illis, qui habitu dimisso discedunt, ibi: »Ne de caetero aliquis *professus temere habitum dimittat* etc.« Sic tenet Glossa *de temp. ordinat. verb.: »Apostata, Abbas in cap. fin. num. 2. de apost., Sanch. lib. 2. moral. cap. 8. n. 20, Pirhing. hoc tit. n. 9, Silvester, Hostiens.* et alii communiter.

Secunda poena est suspensio ab ordinibus sacris, quos apostata suscepit, durante apostasia, *cap.: Consultationi, de apost. et reiter. baptism. lib. 5. lib. 9.* Et si durante suspensione celebret vel alios ordines exerceat, fit irregularis, *cap.: Cum aeterni, de sentent. et re jud. lib. 2. tit. 14. in 6. et cap.: Cum medicinalis, de sentent. excomm. pariter in 6.* A qua irregularitate, licet de jure communi non possit dispensare nisi Papa, ut clare innuunt dicti duo canones: *Cum aeterni* et: *Cum medicinalis*, de jure tamen particulari per privilegia possunt ab ipsa dispensare cum suis subditis omnes Praelati regulares, ut patet ex concessione Sixti IV. in bulla *Maris Magni* incipiente: *Regimini*, Pauli III. incip.: *Licet debitum*, et s. Pii V. incip.: *Dum ad Congregationem Casinensem.*

Tertia poena est quod durante apostasia regularis apostata existat privatus privilegiis suae religionis; *Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 19*, ubi expresse dicit: *Interim vero nullo privilegio suae religionis juvetur.*

Praeter autem has poenas a jure communi statutas sunt etiam aliae, ut privatio

qui sine obedientia extra conventum ierit, *etiam praetextu ad Superiores accedendi, etiamsi recta via coram Superiore se sistat*, ut signanter cavetur in constitutionibus Minorum de observantia, Statut. Sambucan. *cap. 2. §. 8. num. 5*, nam, ut optime dicit Sanctorius in compendio commentariorum super ipsa statuta Minorum verbo: *Apostasia* et *Apostata n. 7*, statuta recursum et confugium ad Superiorem non condemnant absolute, sed frivolum et sub praetextu, ob causas scilicet leves et frivolas. *Non enim est apostata, qui supra modum gravatus ad Superiorem sine licentia confugit; Poenal. cap. 9. qu. 2. et constit. cap. 3. statut. 22.* Et talem non esse apostatam tenet etiam *Lantuscha verb. Appellatio num. 8, Ameno de delictis tit. 2. §. 1. Apostasia num. 31, Matthaeucci Official. quoad apostatas, num. 16 et 17.*

Et a fortiori non est apostata Regularis recurrens recto tramite ad Urbem a gravaminibus Superiorum sine eorum licentia, dummodo non vagetur et se praesentet R. P. D. secretario sac. Congreg., ut pluries fuit decretum et signanter in *Valentina 6. et 27. Junii 1698, Monacell. tom. 1. in appendic. adnotat. ad decret. de ejectis num. 1, Ursaya instit. criminal. lib. 1. tit. 8. num. 29.*

Debet tamen talis religiosus ad Superiorem majorem sine obedientia confugiens esse sic notabiliter et manifeste gravatus, ut evidenter constet vel de facili probari possit non habere aliud remedium, nisi ut ad majorem Superiorem confugiat et sic apud illum se ipsum tueatur. Ad justificandum tamen suum recursum, et ut nulla pro foro etiam externo sit apostasiae umbra et suspicio fugae nec contra eum militent sancita a sac. Congreg. Regul. *anno 1587* in decreto incip.: *Quoniam nonnulli regulares vagandi studio* etc., et a Sixto V. in const.: *Ad Romanum spectat, §. 20*, et a concil. Trident. *sess. 25. de Regul. cap. 4. super recessu Regularium sine obedientialibus a conventibus* his verbis: »*Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur*, expediret, imo esset sic instruendus, ut prius ipse recurrens peteret facultatem a Superiore gravante adeundi majorem Superiorem, et tali facultate sibi negata peteret testimoniales apostolos a testibus fide dignis de petita et sibi denegata tali facultate.

Et dato quod nec tales testimoniales apostolos posset obtinere propter aliquem timorem vel respectum aut aliam causam in testibus, seu potius petendo tales testimoniales apostolos aut licentiam aliquod majus gravamen certo timeret, quod nisi festinanter et occulte discederet statim incarceretur, et adderentur gravaminibus gravamina, tunc nulla petita licentia, et nullis testimonialibus posset recta via Superiorem adire pro necessario sublevamine, quia nemo tenetur sibi majus malum procurare, et in tali casu, licet non verbo, facto diceretur appellare, quod plus est; *cap. Dilecti filii 2. de appellat.* et Gloss. *ibi: Navar., Pignatell., Suarez, Peyrin., Ameno, Nicolius* et alii supracitati. Imo plurimi ut Peyrinus cit., ex Portello, *in addit. ad dubia Regular. verb.: Habitus num. 3, Diana tom. 3. tract. 2. resolut. 115.* et alii tenent, quod in tali periculoso casu possit etiam Regularis habitum dimittere absque incursu apostasiae, et sic incognitus directe ad Superiorem accedere, dummodo vere et certo timeat, quod in itinere capiatur et reducatur per vim ad manus Superioris gravantis. Et hoc est juxta *cap. Clerici officia, de vita et honest. cleric.*, ubi expresse dicitur: *Nisi justa causa timoris exegerit habitum transformari*, et Glossa ibi explicite: *Clericus justa de causa potest postponere habitum clericalem, nec censetur apostata.* Et Glossa in *cap.: Ut periculosa, ne clerici vel monachi in 6. verb.: Temere*, ubi habet praecisa verba: *Ex causa licet habitum transformare, si justa sit, puta timor.*

Quod Regularis dimittens habitum ad evitanda pericula non sit apostata, tenent expresse *Sylvester verb.: Habitus num. 3*; divus *Antoninus in 3. part. tit. 24. c. 33.* et *Pignatell. tom. 10. consult. 24. c. 14. num. 14* cum plurimis aliis ibi citatis. Addo quod evitandi periculi causa licet clericis arma deferre juxta *Gloss. in cap.: Clerici arma portare non debent sine justa causa: justam intellige, si per loca periculosa transitum faciant, tunc possunt portare arma ad terrorem latronum.* Et etiam ad evitanda talia pericula licet eis comam deferre; Glossa in *cap.: Clericus neque comam*, ubi dicit, quod cum quidam reprehenderetur a Papa, sic pro sua justa defensione respondit:

Tutius ut peterem laici sub imagine Romam,
Fas fuit, ut sinerem luxuriare comam.

Regularis cum literis obedientialibus itinerans et ad liberius divagandum habitu regulari in itinere dimisso et in veste saeculari incedens non est apostata, quia ex superius dictis ratio formalis apostasiae est, quod discessio a religione fiat cum animo deliberato non amplius redeundi; hic autem Regularis, ut supponitur, haberet animum et voluntatem iterum redeundi ad claustra sub obedientia Superiorum, et in tantum dimisit habitum regularem, ut liberius sub veste saeculari divagaretur; *Sanchez lib. 6. moral. c. 8. n. 5, Pirhing. lib. 3. tit. 31. sect. 5. n. 187* et alii.

Ligatur tamen excommunicatione lata in Regulares habitum dimittentes liberius vagandi causa, *cap.: Ut periculosa, ne clerici vel monachi in 6*, ibi: »*Ut periculosa Religiosis vagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de caetero aliquis professus temere habitum dimittat. Si quis autem temerarius violator exstiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.*« Et hanc excommunicationem etiam incurrit, qui habitum defert, sed ita coopertum, ut cognosci non possit, ut cum multis a se citatis tenet *Peyrin. de subdito cap. 26*, et facit Glossa *in Clementina de vita et honest. cleric. cap.: Quoniam qui, verb.: Extrinsece.* Et ratio est clara, quia licet ipse non dimittat habitum materialiter, dimittit tamen formaliter et deferre illum coopertum alio habitu idem est, ex *Quaranta Summ. Bull. verb.: Apostata*, ac illum non deferre et ita faciliter potest libere vagari deferendo habitum coopertum, ac si nullo modo ipsum deferret; et per hoc concil. Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 19* decrevit sic: *Ne detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suae religionis.*

Regulariter autem quantumcumque habitus etiam ex lascivia relinquatur vel cooperiatur, si non relinquitur animo deliberato illam non reassumendi, non contrahitur apostasia, ut respondit *Oldrad. consult. 102.* in hanc rem edito, et tenet *Rodriq. tom. 1. qu. regul. 30. art. 1, Pignatell. tom. 10. consult. 24. num. 15, Peyrin.* et alii etc.

Qui a religione professa etiam sine legitima facultate ad aliam laxiorem religionem transiret, non esset rigorose et proprie apostata, quia, ut inquit Innocentius in cap.: *Intelleximus* in fine de aetate et qualitate, in nullo venit contra ea, quae sunt de substantia ordinis, cum semper sit in alicujus obedientia; nam non dicitur apostata proprie, nisi qui ad saeculum redit, et tenet Glossa *in cap. ult. de apostatis, Abbas, Joannes Andreas, Archidiaconus, Sylvester, Fagnanus, Pirhing., Rodrig., Cajetan., Layman* et alii plurimi.

e) Poenae.

Vd.: *Apostasia a relig.* (quando non incurr. §. *Ligatur*, ut supra).

Poenae apostasiae a religione seu statu religioso de jure communi sunt sequentes:

Prima est excommunicatio, quae ipso facto incurritur, si fiat apostasia cum dimissione habitus, ut expresse habetur *in cap.: Ut periculosa 2. clerici vel monachi in 6.* Secus autem si apostasia fiat cum retentione habitus, quia nullus textus dictam excommunicationem infligens allegari potest. Ipse enim textus *cap.: Ut periculosa*, quam aliqui in contrarium allegant, loquitur solum de illis, qui habitu dimisso discedunt, ibi: »Ne de caetero aliquis *professus temere habitum dimittat* etc.« Sic tenet Glossa *de temp. ordinat. verb.: »Apostata, Abbas in cap. fin. num. 2. de apost., Sanch. lib. 2. moral. cap. 8. n. 20, Pirhing. hoc tit. n. 9, Silvester, Hostiens.* et alii communiter.

Secunda poena est suspensio ab ordinibus sacris, quos apostata suscepit, durante apostasia, *cap.: Consultationi, de apost. et reiter. baptism. lib. 5. lib. 9.* Et si durante suspensione celebret vel alios ordines exerceat, fit irregularis, *cap.: Cum aeterni, de sentent. et re jud. lib. 2. tit. 14. in 6. et cap.: Cum medicinalis, de sentent. excomm. pariter in 6.* A qua irregularitate, licet de jure communi non possit dispensare nisi Papa, ut clare innuunt dicti duo canones: *Cum aeterni* et: *Cum medicinalis*, de jure tamen particulari per privilegia possunt ab ipsa dispensare cum suis subditis omnes Praelati regulares, ut patet ex concessione Sixti IV. in bulla *Maris Magni* incipiente: *Regimini*, Pauli III. incip.: *Licet debitum*, et s. Pii V. incip.: *Dum ad Congregationem Casinensem.*

Tertia poena est quod durante apostasia regularis apostata existat privatus privilegiis suae religionis; *Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 19*, ubi expresse dicit: *Interim vero nullo privilegio suae religionis juvetur.*

Praeter autem has poenas a jure communi statutas sunt etiam aliae, ut privatio

vocis activae et passivae, carceris, flagellationis, jejunii et hujusmodi, quae diversimode a qualibet religione in particulari pro suis apostatis sunt impositae, et ideo circa istas potest quisque consulere proprias et particulares suae religionis constitutiones, in quibus fere omnibus est imposita excommunicatio ipso facto incurrenda ab apostatis et fugitivis, sive habitu retento sive dimisso fiat apostasia aut fuga.

Apostatae nullatenus admittuntur ad allegandam quamcumque causam super nullitate professions regularis sed ad monasterium redire coguntur. Benedict. XIV. *tom. 2. constitut. 47.* incip.: *Si datam hominibus.*

f) Poenae apostatas et fugitivos recipientium etc.

Apostatas et fugitivos recipientes, retinentes vel occultantes aut eis pro fuga et apostasia consilium aut auxilium praestantes peccant mortaliter et ipso facto excommunicationem incurrunt, ut patet ex pluribus constitutionibus pontificiis citatis a Casarub. in compendio privilegior. verb.: *Apostata ab ordine,* ubi *n. 19* signanter refert constitutionem Innocentii VIII., qua in favorem ordinis Minorum regularis observantiae statuit, ut *recipientes et detinentes hujusmodi fratres a suis conventibus sine licentia suorum Superiorum recedentes sint ipso facto excommunicati, non obstantibus quibuscumque privilegiis et literis apostolicis in genere vel in specie quibuslibet locis vel personis per Sedem apostolicam concessis et in posterum concedendis.* Et fere idem statuerunt alii Pontifices pro aliis ordinibus, ut videri potest etiam apud *Hyacinth. Donat. tom. 1. tract. 7. qu. 22, Mirandam t. 1. quaest. 51. art. 2, Pellizar. tom. 2. tract. 8. cap. 8. sect. 3.*

g) Quae est?

Vd.: *Regulares* (apostatae).

Apostasia a religione proprie loquendo est criminosa discessio a religione cum animo non amplius redeundi ad regulare institutum. Dicitur *criminosa* discessio ad denotandum, quod ad incurrendam veram apostasiam debet esse temeraria discessio et facta sine licentia Superioris; unde apostatae non sunt, qui discedunt cum legitima facultate vel liberantur a regulari observantia vel ad episcopatum legitime transferuntur, juxta *Clement. I. de elect.* Dicitur autem *cum animo non amplius redeundi ad regulare institutum,* ad denotandum quod, ut incurratur vera apostasia, debet haberi animus deliberatus nunquam redeundi sive ad suum derelictum sive ad aliud quodcumque regulare institutum.

5) Triplex est.

Apostasia ex vi nominis significat quandam desertionem vel recessum a Deo aut aliquo bono, in quo homo tenebatur perseverare vel ex praecepto vel ex voto. Unde quia a Deo tripliciter recedere possumus, secundum tres modos conjunctionis debitae ad ipsum, scilicet per fidem, obedientiam et religionem professam vel sacrum ordinem susceptum, ideo triplex est apostasia seu defectio, scilicet a fide, obedientia, religione professa vel sacro ordine suscepto. *Ita communiter doctores cum divo Thoma 2. 2. qu. 12. art. 1.* et *Glossa in cap. 1. de Apostatis.*

Apostatae.

1) A Fide.

a) Abjuratio.

I. Modus in priscis ecclesiae temporibus.

Vd. *p. 109 verb. Abjuratio n. 2.*

II. Modus qui hodie servatur.

Vd. *p. 110. n. 3.*

III. Abjuratio et habitus.

Vd. *Apostata a fide* (poenitens p. 575 d.); *p. 110 n. 4.*

Apostatae a fide in Turcarum ditionibus existentes, si ibi redeant ad poenitentiam, omnino debent abjurare apostasiam coram fidelibus captivis, quibus dederunt scandalum in propriis carceribus publice et explicite ac coram infidelibus non videtur hoc necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis deponantque habitum protestativum falsae religionis et curent, ut successu temporis cognoscant etiam infideles vel ab ipsis vel ab aliis eorum abjurationem, licet id cum periculo vitae; *sacra Congregatio s. Inquisitionis 18. Julii 1620; sacra Congregatio de Propaganda Fide sub die 7. Aprilis 1629,* quam refert *Laurent. de Peyrinis de privil. Regul. tom. 3. in addit. ad constitut. Leonis X. cap. 4. num. 26. pag. 430.*

Apostatae reversi ad fidem in terris infidelium tuta conscientia omnem habitum indistincte deferre possunt nationis discretivum, dummodo non sit protestativus falsae religionis, donec nanciscantur occasionem transfugiendi ad fideles. Nec proinde arcendi sunt a susceptione sacramentorum, si propositum habent profitendi fidem, quando juridice de illa interrogentur; *sacra Congregatio de Propaganda Fide 7. Aprilis 1629,* cujus meminit *Laurent. de Peyrin. loco superius cit. num. 27; sacra Congregatio S. R. et univers. Inquisitionis* coram SS. Domino Nostro Urbano VIII. *18. Julii 1630* apud eundem *Laurentium de Peyrinis dicto cap. 4. num. 41.* censuit deponendum esse habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsae religionis, si vero sit aequivocus, potest reversus illum deferre; quod si ex illa delatione ratione personae aliqua oriretur suspicio, tenetur aufugere quam primum poterit.

b) Absolutio.

Vd. *infra n. 3* et articul.: *Absolutio a casibus etc. p. 136 etc.*

c) Poenae.

Vd. *Apostasia a fide* (differentia etc. p. 568).

d) Poenitens.

Vd. *Apostata a fide* (abjuratio p. 574).

Apostatam poenitentem in articulo mortis constitutum et in terris infidelium existentem accersitus confessarius, ut secreto absolvat, absolvere debet, abjurata prius verbo apostasia in foro conscientiae, et si per aliquod temporis spatium supervixerit, poterit abjurare in balneo coram fidelibus. Quod si non poterit, relinquat chirographum suae abjurationis saltem signo crucis conscriptum. Quod si neque hoc possit, committat confessario, ut suam abjurationem fidelibus manifestet. Non autem tenetur poenitens tunc in periculo vitae constitutus, etiam suadentibus Turcis, cum periculo vitae fidem catholicam, quam tunc, abjurata infidelitate, amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere vel non respondendo vel aequivocis verbis utendo; *sacra Congregatio S. R. etc. universalis Inquisitionis 18. Julii 1630* teste *Laurent. de Peyrinis d. cap. 4. num. 42.*

Apostasia a fide per chirographum fraude daemonis facta nullum jus illi tribuit et reconciliandus est apostata, absque eo quod daemon cogatur chirographum reddere, cum in tali casu sufficiat vera poenitentia commissi criminis seu apostasiae; ex illo enim chirographo nullum jus acquiritur daemoni, ut bene advertit *Lupus in edictis Inquisit. part. 3. lib. 22. dist. 5. art. 2. diff. 2.* Nec valet dici illud esse requirendum ad probandam apostasiam malefici, quia neque ad hoc est necessarium, cum corpus delicti apostasiae non oporteat per scripturam probari, dum de eo constat per confessionem ipsius rei; *Card. Albit. de inconst. in fide cap. 32. num. 153.*

2) A Religione.

(Revocatio)

Vd. *p. 558 n. 21.*

Praelati seu Superiores regulares tenentur fugitivos seu apostatas requirere et revocare et eos cogere, ut ad ordinem revertantur. Sic expresse praecipitur a Gregorio IX. in *cap.: Ne religiosi 24. de Regul. lib. 3. tit. 31: »Ne religiosi vagandi*) occasionem habentes propriae salutis detrimentum incurrant et sanguis eorum de Praelatorum manibus requiratur, statuimus ut praesidens capitulis celebrandis secundum statutum concilii generalis* (scilicet Lateranensis sub Innocentio III. *cap. 22,* quod refertur *cap.: In singulis de statu monachorum) seu Patres Abbates seu Priores fugitivos suos et ejectos ex ordine suo requirant sollicite annuatim... Si vero hujusmodi fugitivos vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent et tamdiu faciant ab ecclesiarum Praelatis excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.«*

Nec valet dicere hunc canonem sic praecipientem fuisse consuetudine abrogatum, quia, ut solide probat *Fagnanus in hoc capite: Ne religiosi de Regular. num. 4 et seqq.,* haec obligatio, quae incumbit Praelatis inquirendi et reducendi fugitivos et apostatas, oritur ex jure divino, quo tenentur omnes, quibus animarum cura commissa est, oves suas curare et errantes reducere; fugitivi vero et apostatae non desinunt esse subditi Praelatorum regularium ideoque consuetudo contraria non revocandi illos, cum nutriat peccatum, tam ex parte Superiorum quam subditorum, qui extra religionem vagando

*) Vd. *Regulares* (extra claustra vagantes).

propriae salutis detrimentum incurrunt, ut dicitur in principio ipsius capitis: *Ne religiosi etc.*; non valet, eo vel maxime, quod haec obligatio perquirendi et reducendi ad ordinem fugitivos et apostatas fuit renovata et iterum imposita Superioribus regularibus, de mandato Urbani VIII. a sacra Congreg. Concilii in suis decretis editis 21. Septembris 1624, in quibus §. 4 sic praecise praecipitur: »*Rursus statuit, ut fugitivi et apostatae sive habitum regularem deferant sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici ac Superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi: utque ipsi quoque Superiores teneantur* (nota attente) *eos perquirere, ad religionem reducere atque efficere, ut apprehendantur.*« Quae obligatio eos perquirendi et ad religionem reducendi fuit iterum innovata et confirmata ab eadem sacra Congreg. in decreto jussu Innocentii XII. edito *24. Julii 1694 in* §. *primo* per haec praecisa verba: »*Quodque ad praescriptam legem sanctae memoriae Gregorii IX. in cap. final. de Regularibus annuatim fugitivi requirantur et respective cogantur ad claustra reverti.*«

Apostatae a religione debent recipi salva regulari disciplina, dum poenitentes redeunt; non obstantibus constitutionibus prohibentibus recipi eos, qui ter apostatarunt. Sacra Congregatio Episcop. et Regularium *in una Carthusianorum 15. Decembris 1603.*

3) Graeci.

(Reconciliatio.)

Vd. *Eucholog.* (§. 55 etc.).

Apostolatus.

(Societas Apostolatus Orationis.)

Statuta.

Art. 1.

Apostolatus orationis neque sodalitas neque confraternitas proprie dicta est, sed potius foederatio quaedam precum, ad quam ineundam non privati modo fideles, sed maxime piae fidelium societates invitantur. Non magis igitur ac associatio pro Fidei Propagatione, cui in auxilium venire conatur, conditionibus confraternitatum institutioni praefixis subjicitur.

Art. 2.

Sola conditio sociis apostolatus orationis imposita, ut privilegiis huic associationi propriis frui possint, ea est, ut nempe intentiones omnes SSmi Cordis Jesu sibi proprias faciant, offerendo saltem semel in die suas orationes, actiones et dolores pro intentionibus, pro quibus ipse Christus Dominus continuo orat seque in sacrificium offert, sed maxime *pro ecclesia universali* et *pro summo Pontifice romano*, uti pariter *pro quibusdam aliis magis urgentibus necessitatibus* a totius societatis moderatore singulis mensibus designatis.

Art. 3.

Cum apostolatus orationis archiconfraternitati SSmi Cordis Jesu, Romae in ecclesia dicta *della Pace* institutae, aggregatus fuerit diplomate diei 8. Aprilis anni 1861, omnes fideles, qui apostolatui aggregantur, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus dictae archiconfraternitati concessis ipso facto frui poterunt.

Art. 4.

Religiosae communitates, quibus in pia hac precum foederatione primus locus debetur, ad eam ineundam specialiter invitantur; ipsaeque eae in illa admitti poterunt, quarum regulae obstant, quominus ullum novum onus suscipiant, cum pro onere minime haberi possit suarum intentionum unio cum intentionibus SSmi Cordis Jesu. Aggregantur porro hujusmodi communitates per inscriptionem nominum singulorum membrorum, quae adscribi petunt, in catalogo a superiore cujuslibet communitatis de licentia moderatoris totius societatis faciendo et ad hunc in copia transmittendo, ut in catalogo generali referatur. Ipse superior schedas aggregationis a moderatore generali edendas singulis tradet.

Art. 5.

Eadem ratione aggregari poterunt piae sodalitates, confraternitates, hospitia, religiosi convictus, imo integrae paroeciae. Verum

singula harum societatum membra, quae apostolatum ingredi cupient, in peculiari catalogo inscribentur et schedulam aggregationis a superiore vel parocho vel ab alia persona per moderatorem generalem vel centralem directorem designanda accipient; neque ideo ad apostolatum pertinere desinent, quia ex societatibus, in quibus fuerant aggregati, exibunt.

Art. 6.

Ipsi illi fideles, qui ad communitates et societates ut supra apostolatui aggregatas non pertinent, in apostolatum cooptari poterunt, si eorum nomina in catalogis, quae in singulis his communitatibus et societatibus servantur, inscribantur et schedulam aggregationis accipiant. Uniuscujusque porro erit diem aggregationis eligere, qua indulgentiam plenariam pro aggregationi lucrari volet.

Art. 7.

Universae associationis moderator non solum schedas aggregationis ipse emittet, verum localibus moderatoribus facultatem concedere poterit, similes schedulas, determinato numero, suo nomine emittendi.

Art. 8.

In singulis regionibus, ubi apostolatus orationis jam propagatus est aut in posterum propagabitur, licebit generali ejus moderatori centrales directores instituere, qui diplomata aggregationis communitatibus, paroeciis et aliis societatibus tradent: quamvis autem harum nomina generali moderatori transmittenda sint, valebit tamen aggregatio ab eo die, quo diploma a centrali directore accipietur.

Art. 9.

In qualibet dioecesi associatio in posterum non fiet nisi prius accedat consensus respectivi Ordinarii, cujus praeterea jurisdictio super sociis suae dioecesis salva esse debet ad formam sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum.

Decretum.

SSmus Dominus noster Pius Papa IX. in audientia ab infrascripto D. Secretario hujus sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 27. Julii 1866 suprascripta statuta, prout in hoc exemplari continentur, cujus autographum in archivio ejusdem sacrae Congregationis asservatur, approbavit et confirmavit prout praesentis decreti tenore approbat atque confirmat.

Romae datum ex Secretaria ipsius sacrae Congregationis hac die 12. Septembris 1866.

A. Card. Quaglia, Praefectus.

L. S. L. Svegliati, Secretarius.

Ex audientia SSmi habita ab infrascripto D. Secretario sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 24. Maji 1867 Sanctitas Sua benigne annuit precibus Episcopi Anicien. ac praescripta statuta ita moderari mandavit, ut directores locales non teneantur transmittere ad directorem generalem proprios catalogos sociorum, ut traditio schedae omitti possit iis tantum in casibus, in quibus fieri nequit, atque ut director generalis piae unionis sit unus ex religiosis societatis Jesu, a Patre Praeposito generali pro tempore eligendus. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae datum ex Secretaria ipsius sacrae Congregationis hac die 24. Maji 1867.

A. Card. Quaglia, Praefectus.

L. S. L. Svegliati, Secretarius.

(Ex audientia SSmi.)

Beatissime Pater!

Rector et concilium »*Apostolatus precum*« in Gallia etc. Sanctitatem Vestram humillime exorant, ut ad incendenda efficacius christianorum pectora Ejus amore concedere dignetur illis, qui corde saltem contrito recitaverint versum jam diu in ecclesia receptum: »*Jesu mitis et humilis corde, fac cor meum sicut cor Tuum*« — indulgentiam 300 dierum, applicabilem etiam animabus, quae expiatorio igne purgantur.

R. *Pro gratia in forma ecclesiae consueta.* Die 25. Januarii 1868.

Pius PP. IX.

Apostoli.

(Literae missoriae.)

Vd.: *Appellatio* (tempus infra quod appell. etc. §. *Fatalia).*

1) Conventionales.

Apostoli conventionales sunt illi, qui dantur a parte adversa appellationem admittente sive judicialiter tacente vel refutante judice sive extrajudicialiter sine judicis interventu; *cap.: Saepe contingit, de appellat.*

2) Definitio.

Apostolorum nomine in jure veniunt literae dimissoriae, quibus reus dimittitur a judice inferiori ad superiorem, qui per eos apostolos instruitur de causa et processu, ut colligitur *ex cap.: Ut super, de appellat. in 6,* et expresse Glossa *in cap.: Cordi nobis, de appell. in 6.* verb.: *Petat,* et Glossa *notabil. in Clement., cap.: Si a judicibus, de appell.* verb.: *Nota apostolos,* et *in cap.: Quamvis rigor, Clement. de appellat.* Et isti apostoli, qui petuntur in causa appellationis, interdum vocantur epistolae et interdum dimissoriae; Glossa ibid. *in Clement. de appell., cap.: Quamvis rigor,* verb.: *Nota;* et dicuntur dimissoriae, quia ad eum, ad quem appellatur, causa dimittitur; *Joannes Andreas in l. Dimissoriae, ff. de verbor. significat. n. 3; Fagnan. in cap.: Significasti de officio archidiacon.,* et *communis.*

3) Dimissorii.

Dimissorii apostoli sunt illi, per quos judex dimittit appellantem ad judicem *ad quem,* quia appellationi detulit et eam admisit, *cap.: Ab eo, caus. 2. qu. 6.*)*

*) Dicebantur etiam apostoli dimissoriae literae ab Episcopo datae cuipiam clerico vel laico in aliam dioecesim proficiscentibus, ut vel ordinibus initiarentur vel ad majores promoverentur aut in catalogum alterius ecclesiae referrentur. Ita auctor *additionum ad Hierolexicon Macri. Bonomiae editum anno 1765,* verb.: *Apostoli.* De hujusmodi literis dimissoriis seu dimissorialibus vide: *Literae dimissoriae.*

4) Refutatorii.

Refutatorii apostoli sunt illi, quos dat judex non deferens appellationi, exprimendo simul causam, cur appellationem non admiserit; *cap.: Cordi nobis de appellat. in 6.*

5) Reverentiales.

Reverentiales apostoli sunt illi, per quos judex ob reverentiam Superioris appellati defert appellationi, cui alias deferre non tenebatur; *cap. 1. de appellat. in 6.*

6) Species.

Apostolorum quinque sunt species, scilicet: Apostoli conventionales, dimissorii, reverentiales, refutatorii et testimoniales.

7) Testimoniales.

Testimoniales apostoli sunt illi, qui non conceduntur a judice sed ab honestis et probis viris, qui testantur reum tempore et modo debito apostolos petiisse et sibi fuisse denegatos. Sic Glossa *notabil. in cap,: Si a judicibus, Clement. de appell.* verb.: *Nota Apostolos;* et Glossa *cap.: Cordi nobis, de appell. in 6.* verb.: *Petat in additione;* Speculator *in part. 4. tit. de appellat. §. Sequitur; Joannes Andreas* et alii passim.

Appellatio.

1) Appellari a quo et ad quem judicem potest?

Vd.: *Appellatio* (ad Papam etc.; ad quem fit, infra n. 2; quando non admitt. etc. p. 580; coram quo judice facienda?).

Appellari potest ab omnibus judicibus judicem superiorem cognoscentibus. Cum enim appellatio sit quaedam species defensionis, quae datur oppressis contra injuriam judicis, *l. 1. ff. de appellat. cap.: Cum speciali 61. §. Porro, de appellat.,* ab omnibus judicibus, qui injuste gravant, regulariter appellari potest; *cap.: Omnis 3, cap.: Ad Romanam 8. causa 2. qu. 6.* Nec injuriam facit judici, qui ab ejus sententia appellat; *l. Et in majorib., c. de appell. et relat.,* ubi expresse dicitur: »*Neque enim judicem oportet injuriam sibi fieri existimare, quod litigator ad provocationis auxilium convolavit.*« Notanter autem dicitur *judicem superiorem cognoscentibus,* ut sciatur non posse appellari a Principe supremo non habente Superiorem, *l. 1. ff. A quibus appellare non licet,* ubi expresse dicitur: »*Stultum est illud admonere, a Principe appellare fas non esse, cum ipse sit, qui provocatur.*«

Sic etiam nequit appellari a sententia Imperatoris, Regum et omnium aliorum Principum suprema auctoritate gaudentium, ex *l. 1. §. 1. ff. A quibus appellare non licet.* Neque potest appellari ab eorum supremis conciliis, quia eorum sententia nomine supremi Principis lata ejusdem sententia censetur, ut tradit *Maranta de ordine judic. part. 6. act. 2. num. 240, Pirhing. lib. 2. tit. 28. sect. 6. n. 81,* et alii.

2) Appellatio ad quem fit?

Vd. supra n. 1; *Appell.* (ad Papam; coram quo judice facienda, infra n. 39).

Appellatio regulariter fieri debet gradatim ad proximum et immediatum Superiorem ejus, a quo appellatur, non autem, omisso medio, ad remotum et mediatum. Sic expresse colligitur ex *cap.: Dilecti filii 66. de appellat.,* ubi appellatio, quae omisso dioecesano Episcopo fuit facta immediate ad Archiepiscopum exceptione partis contrariae opposita non habuit effectum et sententia lata ab officiali id est Vicario ipsius Archiepiscopi de mandato Honorii III. fuit declarata irrita; colligitur etiam ex *cap.: Romana §. Ab archidiaconis, de appell. in 6,* et *cap.: Anteriorum §. Ita tamen caus. 2. qu. 6,* et *l. Imperatores, ff. de appellat.,* ubi statuitur appellationem esse gradatim faciendam et appellantem diversimode esse remittendum ad judicem immediatum et proximum, juxta *l. 1. §. Si quis ff. de appell.* Et hoc jure merito fuit cautum, ne jurisdictiones judicum confundantur, sed cuilibet sua jurisdictio conservetur; *can.: Pervenit ad nos, caus. 11. qu. 1.* et *l. Nemo,* cum Glossa *verb.: Auxilium, cod. de jurisdict. omnium judicum:* et ne judex medius per contemptum praeteritus videatur atque ut partium laboribus et expensis parcatur, *Vivian. in rational. hic, Pirhing. l. 2. tit. 28. sect. 4. §. 3. n. 88, Scaccia, Anaclet.* et alii.

Profecto appellatio regulariter fit gradatim ad proximum et immediatum judicem superiorem ejus, a quo appellatur, *cap.: Dilecti filii 66. de appell., cap.: Romana §. Ab archidiaconis de appell. in 6., et doctores communiter:* hinc ab Episcopi seu ejusdem Vicarii generalis judicio ad Archiepiscopum illius Metropolitanum est appellandum, *citat. cap. Romana, per tot,* et praesertim §. *Debet autem,* et §. *fin. de appell. in 6, Greg. Tolos. de appell. lib. 4. cap. 2. n. 1. vers.: Ab Episcopis; Scaccia de appell. qu. 8. n. 86.* (Vd. *p. 580 §. Sexto.)*

Idem prorsus tam civili quam canonico jure obtinet, si ille, qui sententiam dixit, judex appellationis fiat: nam quoad jus civile ita docet *Glossa in l. Filius 22. ff. de inoff. testam., verb.: Cum in proprio,* ibi: »*Quod facit, ut, si ille, qui tulit sententiam, succedit judici appellationis, possit judicare*«; quo vero ad jus canonicum idipsum tradit et concordantes textus refert *Glossa in cap.: Querelam 24. de elect. verb.: Commisit,* ibi: »*Si ille, a quo appellatur, efficitur ejusdem jurisdictionis, cujus est ille, ad quem appellatur, nihilominus potest de causa cognoscere.*« Consentiunt doctores ac praesertim *Bart. Bald.,* et *Salicet. in l. Eos, qui cod. de appellat., Gregor. Tolos. de appellat. lib. 4. cap. 17. n. 1 et seq., Card. Petra ad constitut. 14. Joannis XXII. sect. 1. num. 62, Scaccia de appell. qu. 8. n. 86,* ibi: »*Extende primo, ut ab Episcopo in tantum appellatur ad Archiepiscopum, ut ipsemet Episcopus, si post interpositam appellationem promoveatur in Archiepiscopum, sit judex appellationis a sententia, quam ipse protulit, dum erat Episcopus, Glossa etc. dicens, quod si is, qui tulit sententiam, successit judici appellationis, potest judicare.*« Et rationem eleganter affert *Pilcus Modicen. quaest. jur. 124:* »*Quia quasi alius homo esse videtur, licet idem sit in veritate, quia potius sunt dignitatis cognitiones hujusmodi quam personarum.*«

Die 12. Julii 1823. *Votum.*

3) Appellatio quando fieri potest ad Superiorem mediatum omisso Superiore medio?

Vd.: *Appellat.* (modus etc.; ad judicem non competentem; a Vicario generali etc.).

Excipiuntur plures casus, in quibus ob specialem rationem potest appellari ad Superiorem mediatum omisso Superiore medio seu proximo.

Et primo ad Papam ab omnibus appellari potest immediate omissis cunctis judicibus intermediis in causis ecclesiasticis ac

spiritualibus et a subjectis suae jurisdictioni temporali, etiam in causis temporalibus; *cap.: Si quis vestrum, cap.: Ad Romanam*, et *cap.: Quoties caus. 2. quaest. 6*, et *cap.: Si duobus 7. de appellat.* Papa enim est judex ordinarius omnium christianorum habens concurrentem potestatem cum omnibus Ordinariis; *cap.: Cuncta per mundum, caus. 9. qu. 3*, et *cap. ultim. de foro competenti*, ideo ab omnibus appellari potest immediate ad ipsum in causis ecclesiasticis ac spiritualibus et a suae jurisdictioni temporali subjectis etiam in causis temporalibus.

Secundo appellari potest immediate ad legatum Papae in tota sua provincia omissis judicibus intermediis, scilicet Episcopo, Archiepiscopo etc. *cap. 1. de officio legati.* Legatus enim in sua legatione et provincia vices Papae gerit; *Abbas in cap.: Dilecti filii n. 12 et 19, Maranta part. 6. tit. de appell. n. 371, Pirhing.* et alii communiter.

Tertio appellari potest immediate ad Superiorem, v. g. Metropolitanum, omisso medio Episcopo, si id consuetudo legitime praescripta permittat, *cap.: Romana 3. de appellat. in 6.*

Quarto potest appellari immediate ad Superiorem, omisso medio, si habeatur privilegium; privilegium enim est lex privata, *cap.: Abbate 25. §. contra, de verbor. significat.*

Quinto, et sic possunt scholares indebite gravati appellare immediate ad Superiorem, puta Imperatorem, omisso medio, ex speciali privilegio ipsis scholaribus concesso; *in Authent. Habita, Cod. Ne filius pro patribus 4.* Sic etiam ratione privilegii possunt immediate appellare ad Superiorem viduae, puppilli aliaeque miserabiles personae, ut colligitur ex *l. Unica, Cod. Quando Imperator inter pupillos.*

Sexto, ab officiali seu generali Vicario Episcopi appellatur, omisso Episcopo, immediate ad Archiepiscopum, ne videatur appellatio fieri ab eodem ad eumdem seu ad seipsum, cum Vicarii generalis et Episcopi unum indivisum sit tribunal seu auditorium; *cap.: Romana 3. de appellat. in 6, Rota Romana part. 13. dec. 182. n. 5.* et *part. 14. dec. 115. n. 210.* (Vd. *p. 579* §. *Profecto.)*

Septimo, quando Episcopus litigat cum suo subdito, tunc eligendi sunt arbitri, a quorum sententia appellandum est immediate ad Papam, omissis mediis; *cap. Ab arbitris, de offic. delegati in 6.* Glossa, ibi, *Abbas, Scaccia, Pirhing.* et alii passim.

Octavo, quando judex intermedius est inhabilis, quia v. g. est excommunicatus, suspensus, haereticus, negat justitiam vel sua sponte causam remittit ad Superiorem, ut colligitur ex *cap.: Si is cui 10. de officio delegat. in 6*, et tenet *Abbas in cap.: Dilecti filii, de appell., Soccin., Felin., Scaccia, Maranta, Pirhing., Anaclet.* et alii passim.

4) Appellatio quando non admittitur?

Casus, in quibus jura prohibent appellare, sunt plures, et ideo ut facilius maxime a tyronibus memoriae retineantur, in sequentibus versibus praecipue adducuntur:

Sublimis judex, scelus, executio, pactum,
Contemptus et res minimae, dilatio nulla,
Clausula, quae removet, res, quae notoria constat,
Et textus juris clarus, possessio, fatum.

Primo per ly *sublimis judex* denotatur sublimitas seu excellentia judicis supremi v. g. Papae, concilii generalis, Imperatoris, Regis, Principis, suprema auctoritate gaudentis, a quibus appellari non potest.

Vd. *p. 579 n. 1.*

Secundo per ly *scelus* denotatur causa criminalis criminaliter mota, in qua non admittitur appellatio ab illis, qui jam sunt de crimine convicti et confessi; *l. 2. Cod. Quorum appellationes non recipiuntur.*

Tertio per ly *executio* denotatur, quod non potest appellari ab executione sententiae, quae transit in rem judicatam; *leg. 4. ff. de appellat., l. Ab execut. 5. Cod. Quorum appellat. non recip.*

Quarto per ly *pactum* intelligitur, quod appellare nequeunt qui in judicio transegerunt; *c. 1. et ultim. de transactionibus; leg. causas 16; l. Minorem 20. Cod. de transact.*, sicuti nec appellare possunt, qui causam per delationem juramenti voluntarii aut judicialis terminarunt; *leg. Non erit 5. §. 2. ff. de Jurejurando*, vel pepigerunt de acquiescendo sententiae judicis, et non appellando, *leg. Ult. §. fin. Cod. de tempor. appellat.* et *l. 1. ff. A quibus appellare non licet*, ubi expresse dicitur: »*Si quis ante professus fuerit se a judice non provocaturum, indubitate provocendi auxilium perdidit.*«

Quinto per ly *contemptus* intelligitur, quod contemptus judicis, qui fit a vero contumaci legitime citato et contumaciter comparere renuente, impedit, quominus a sententia in contumacem lata appellari possit,

quia appellatio datur solum gravato et oppresso, non vero rebelli et contumaci, ne sit iniquitatis defensio; *leg. 1. cod. Quorum appellat. non recip.; l. Contumacia, ff. de re judicata.*

Sexto per ly *res minimae* denotatur, quod res exigui momenti non merentur appellationem et protractionem litis, saltem spectatis diversarum regionum constitutionibus. In camera enim imperiali non admittitur appellatio, nisi in causis, quae non sint minus 100 imperialium, ut refert *Gail. leg. 1. pract. observat. 123*, et in curia romana, nisi in causis excedentibus saltem quinque ducatos auri de camera, et in curia neapolitana, nisi in causis excedentibus saltem valorem duarum unciarum et pariformiter in aliis regionibus, ut refert *Barbosa in cap. de appellat. 11. hoc tit.* Quod tamen aliter se habet de jure canonico, ex quo potest appellari etiam pro rebus minimis, ut expresse habetur *cap. de appellationibus pro causis minimis 11. hoc tit.*, quia appellatio non est fundata super quantitate gravaminis, sed super injustitia sententiae et iniquitate seu imperitia judicis, *l. 1. §. 1. ff. de appellat.*, ibi: *Appellandi usus iniquitatem judicantium vel imperitiam corrigit.* Injustitia autem et imperitia judicis intervenire potest etiam in causis minoribus, et ideo etiam jus civile ipsis appellare permittit; *leg. Et in majoribus, cod. de appellat.*, ubi expresse dicitur: »*Et in majoribus et in minoribus negotiis appellandi facultas est.*«

Septimo per ly *dilatio nulla* denotatur, quod, quando res non patitur dilationem, tunc appellari non potest, saltem quoad effectum suspensivum, ne, cum periculum sit in mora, interim res pereat aut grave praejudicium patiatur, propter dilationem causatam ab appellatione, ut si agatur super futuris alimentis, de aperiendo testamento, de erogando triticum in usum militum et similibus, quae dilationem non patiuntur sine magno gravamine, ideo ne interim, dum pendet appellatio, hoc praejudicium habeatur, prohibetur in istis appellatio, saltem quoad effectum suspensivum; *leg. Si res 7. ff. de appellat. recipiend.*

Octavo per ly *clausula, quae removet*, denotatur, quod, quando a supremo Principe delegatur alicui causa cum clausula *appellatione remota*)*, tunc amplius appellari non potest; *leg. 1. §. fin. A quibus appellare non licet*, et *cap.: Pastoralis 53. de appellat.*

Nono per ly *res, quae notoria constat*, indicatur, quod in notoriis, quae per evidentiam rei nulla possunt tergiversatione celari, non potest appellari, quia tunc talis appellatio solummodo ad differendam litem et impediendam executionem sententiae interponeretur; *cap.: Cum sit Romana 5. in fine, cap.: Pervenit 13, cap.: Consuluit 14. de appellat.* Sic etiam convictus in judicio simulque sponte confessus appellare non potest, *leg. Observare, cod. Quorum appellationes non recip.*, et *cap.: Ei, qui appellat., caus. 2. qu. 6*, ubi expresse dicitur: »*Nullus etiam homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum itemque eorum, qui manifestam violentiam commiserunt, argumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propria vitium scelusque confessus, audiatur appellans.*«

Decimo per ly *et textus juris clarus* denotatur, quod non potest appellari circa id, quod judex secundum clarum juris textum decrevit et definivit; *leg. Si res 7. §. 1. ff. de appell. recip., cap.: Consul. 29, de appell.* Et sic v. gr., si Episcopus jubeat clerico nullam justam excusationem habenti, ut resideat in suo beneficio, et is appellet, non est admittenda ejus appellatio; *cap.: Resolutum 4. de clericis non resident.*

Undecimo per ly *possessio* denotatur, quod a sententia lata in possessorio non datur appellatio, si possessorium sit momentaneum seu summariissimum; *l. Unic. cod. Si momentanea possessione fuerit de appellat.* et *cap.: Ei qui appellat. §. de possessione caus. 2. qu. 6*, ubi expresse dicitur: »*De possessione etiam et ejus momento, si causa dicatur (quae sententia interlocutoria appellatur), quamvis provocatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortitur effectum.*« Si vero possessorium sit ordinarium et magni praejudicii, in isto locum habet appellatio; *cap.: Cum ad sedem 15. de restitut. spoliat.* et *Clement. unic. de causa possess. et propriet.* Et ratio discriminis est, quod in possessorio momentaneo est superflua appellatio, quia ejus praejudicium et gravamen, utpote momentaneum, potest illico in momento reparari per judicium ordinarium seu petitorium; condemnatus enim in possessorio potest statim rem controversam recuperare in petitorio, et sic possessio parti adversae adjudicata durabit momento seu modicissimo tempore, ut constat exemplo in *cap.: Cum ecclesia 2, cap.*

*) Vd. *Appellatione remota.*

Cum dilectus 6. de caus. possessionis et proprietatis. In possessorio autem ordinario seu petitorio, cum non possit aliter reparari ejus praejudicium et gravamen, est necessaria appellatio, utpote ad hunc finem instituta; *cap.: Omnis oppressus 3. et seq. caus. 2. qu. 6, cap.: Suggestum 15, cap.: Pastoralis 53, cap.: Et cum speciali 61. de appellat.*

Duodecimo per ly *fatum* intelliguntur fatalia seu tempora appellationi praefixa, quibus elapsis non potest amplius appellari, et de istis diffusius agetur infra in articulo: *Appellatio quoad fatalia.*

Condemnatus a judice non habente sufficientes probationes pro illo condemnando, licet revera sit reus coram Deo, nihilominus potest ab illa sententia licite appellare, quia, licet sit reus coram Deo et in foro interiori, non est tamen reus in foro exteriori et coram judice, qui ferre debet sententiam juxta allegata et probata. Unde cum judex juxta allegata et probata non habeat sufficientes probationes ad ferendam talem sententiam condemnationis, poterit condemnatus licite ab ipsa appellare tamquam illegitime prolata. Colligitur *ex cap.: Ei, qui appellat. 41. caus. 2. qu. 6.* §. *Item sententia,* ubi sic praecise habetur: »*Item sententia contra solitum ordinem judiciorum a praeside prolata auctoritatem rei judicatae non habet.*« Et sic habetur etiam in *cap.: Prolatam 4. cod. de sententiis et interlocutionibus omnium judicum lib. 7. tit. 45.* Ipse enim condemnatus, uti non sufficienter convictus, in tali casu justissime appellaret, ut desumitur *ex cap.: Nos in quemquam 1. caus. 2. qu.est. 1.* per haec praecisa verba s. Augustini ibi adducta: »*Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut in convictum aut sponte confessum.*« Et in summario hujus capitis expresse dicitur: *Damnari non valet, nisi aut convictus aut sponte confessus.*

Appellatio admitti nequit nisi legitime interposita et in casibus a jure permissis. Constit. Benedicti XIV.: *Ad militantis,* ibi §. *43, ut infra p. 588.*

5) Ab arbitrio seu laudo arbitrorum.

Ab arbitrio seu laudo arbitrorum juris seu necessariorum appellari potest; *l. Arbitro 9. ff. Qui satisdare cogantur, cap.: Ab Arbitris 11. de officio delegati in 6.* et *Glossa final. ibidem.* Ab arbitrio autem seu laudo arbitrorum voluntariorum seu compromissariorum appellari non potest; *l. Diem proferre 27.* §. *2.* et *l. Non distinguemus 32.* §. *14. ff. de receptis, qui arbitrium receperunt, l. Ex sententia 1. cod. de receptis arbitris.* Et ratio diversitatis est, quia, cum partes compromittere in arbitros juris seu necessarios teneantur necessitate legis seu coactione judicis, aequum est, ut pars, quae se gravatam sentit, ab eorum arbitrio seu laudo vel sententia appellare possit. E contra autem quum partes non necessitate legis nec coactione judicis sed mora et spontanea sua voluntate arbitros voluntarios seu compromissarios eligant et se obligent ad standum eorum arbitrio seu laudo, aequum est, quod non impugnent illud, et pars, quae se gravatam sentit, sibi imputare debet, si omisso judice competenti, a quo, si laesa fuisset, appellare potuisset, voluit adire arbitrum, a cujus arbitrio seu laudo non datur appellatio, textu expresso in *cit. leg. Diem proferre 27.* §. *2. ff. de receptis,* ibi: »*Stari autem debet sententiae arbitri, quam de re dixerit, sive aequa sive iniqua sit, et sibi imputet, qui compromisit. Glossa fin. in cit. cap.: Ab Arbitr., Abbas in cit. cap.: Suspicionis n. 7, Engel l. 1. Decret. tit. 43. n. 7, Pirhing ib. n. 5, Reiffenstuel ibid. n. 57,* et alii passim.

Licet autem ab arbitrio vel laudo arbitrorum voluntariorum seu compromissariorum non detur proprie appellatio, tamen si eorum laudum seu arbitrium sit manifeste injustum, potest officium judicis implorari ac postulari, ut illud ad justitiam reducatur secundum boni ac prudentis viri judicium, et interim contra executionem dicti injusti, iniqui seu dolosi arbitrii vel laudi dabitur exceptio *doli mali,* per text. in *cit. leg.: Non distinguemus 32.* §. *14. ff. de receptis, qui arbitrium,* et *in leg. Arbitrorum 3. cod. de receptis arbitris,* et *in cap.: Non sine 2.* §. *Quoniam, de arbitris; sic Glossa margin. in cit. cap.: Ab arbitris in fine; Abbas in cit. cap.: Non sine, num. 14 et 15, Engel l. c. num. 8, Pirhing l. c. num. 5,* et alii.

6) De Archiepiscopi jure.

Vd. *Jurisdictio Archiepiscopi* (quoad appellat.).

7) Ab Archiepiscopo ad synodum provincialem.

Vd. *Jurisdictio Archiepiscopi.*

Licet Archiepiscopus jure polleat adunandi synodum provincialem eique praeesse, attamen est illa inferior nec ejus decreta derogare potest ut lata a Superiore, nempe ab Episcoporum corpore, in quo major jurisdictio consistit, quam in peculiari Episcopo, *Suarez lib. 6. de leg. cap. 15. n. 4.* Hinc potest ab Archiepiscopo appellari ad synodum provincialem, *Gloss. in cap. penult. de appell. in 6.*

8) De Appellationibus cum Inhibitionibus in suspensivo concedendis vel denegandis.

Vd. *Appellatio ad tribunalia Romae.*

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad militantis ecclesiae regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati inter graves curas, quas assidue pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium diuturnae nulloque unquam tempore intermissae Episcoporum aliorumque ordinariam jurisdictionem habentium querelae adversus majora tribunalia atque illa etiam nostrae romanae curiae propositae tandem compescantur.

§. 1. Intimo siquidem animi Nostri moerore, quum in minoribus adhuc essemus, jamdiu intelleximus plerosque locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem a Patriarchis, Metropolitanis, sanctae Sedis a latere Legatis et diversis dictae romanae curiae judicibus inhibitiones sine delectu causae et rei, de qua agitur, examine passim concedantur; et quamvis in more positum sit, dictas inhibitiones indebite expeditas pro causae meritis revocari et aboleri, remedium tamen inflicto vulneri non satis esse dicunt, quum interea oporteat Episcopos aliosque inferiores judices in ipso causarum et judiciorum cursu otiosos immorari, jus suum judicialiter asserere et vindicare et ad continendos in officio populos gravia saepe incommoda et dispendia subire.

§. 2. E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus, superiorum judicum responsiones audire contigit asserentium, memoratas querelas inanes esse nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam et originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiae ac subjectionis jugum erga majora tribunalia ipsisque minis displicet sibi subditis appellationis beneficio succurri.

§. 3. Porro quum facile haec dissidia componi et succrescentia litium semina avelli possint, si, quae a sacra Tridentina synodo, ab apostolicis constitutionibus et congregationum decretis provide sancita sunt, debitae exsecutioni mandentur: Nos idcirco ad conservandam ecclesiae disciplinam restituendamque tribunalibus formam eisdem canonicis legibus consentaneam pro credito Nobis apostolicae servitutis officio opportune duximus consulendum.

§. 4. Inhaerentes itaque decretis ejusdem sacri concilii necnon congregationis Episcoporum et Regularium jussu et approbatione rec. mem. Clementis PP. VIII. praedecessoris Nostri alias editis die 16. Octobris 1600, itemque aliis congregationis particularis jussu pariter et approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII. similiter praedecessoris Nostri promulgatis die 5. Septembris 1626 eorumque declarationibus nuper superadditis a piae mem. Benedicto XIII. etiam praedecessore Nostro in appendice concilii romani aliisque apostolicis constitutionibus hac de re alias editis et innovatis et praesertim constitutioni piae mem. Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili,* sub datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae MDCXXII Nonis Februarii *)

§. 5. Districte praecipimus et mandamus, ne deinceps ab executione decretorum dicti concilii Tridentini in omnibus illis causis et negotiis, in quibus exsecutio hujusmodi Episcopis et locorum Ordinariis etiam uti Sedis apostolicae delegatis ab eodem sacro concilio vel dictis apostolicis constitutionibus appellatione vel inhibitione quacunque postposita commissa est, appellatio aliqua in tribunalibus praedictis recipiatur vel inhibitiones, citationes generales vel speciales cum commissione inserta, monitoria et alia hujusmodi, per quae dictorum decretorum exsecutio retardetur aut processus ad ulteriora in eadem exsecutione suspendatur aut impediatur, quoquo modo concedantur.

§. 6. Itaque a quibuscunque mandatis, prohibitionibus, provisionibus et statutis tam in visitatione quam extra pro divino cultu conservando et augendo et praesertim circa ea, quae observanda et evitanda sunt in

*) Vd. *pag. 208.*

celebratione missae aut alio quovis modo respiciunt exsecutionem decreti sacri concilii *sess. 21. de reform. cap. 8.* et *sess. 22. in decret. de observ. et evit. in celebrat. miss.*,

§. 7. Item a decretis cogentibus clericos tam saeculares quam regulares, etiam monachos et exemptos, ad publicas processiones, servata forma constitutionis san. mem. Pii V., quae incipit: *Et si mendicantium*, prout etiam a decretis et provisionibus super praecedentia inter personas ecclesiasticas tam saeculares quam regulares in eisdem processionibus vel associatione defunctorum, delatione umbellae et hujusmodi, necnon super observatione censurarum etiam episcopalium et festorum dioecesis juxta dispositionem ejusdem sacri concilii *sess. 25. de regular. cap. 12 et 13*,

§. 8. Item in omnibus iis, quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent et praesertim adversus monitiones, censuras et alias provisiones, per quas parochi aut alii curam animarum exercentes diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compelluntur docendo ea, quae ad salutem necessaria sunt juxta decretum s. concilii *sess. 5. de reform. cap. 2*,

§. 9. Item adversus deputationem vicariorum etiam perpetuorum cum assignatione congruae, per quos cura animarum exerceatur, quoties plura beneficia curata ex dispensatione apostolica ab aliquo obtineantur, vel quoties eadem beneficia curata cathedralibus, collegiatis seu aliis ecclesiis vel monasteriis, beneficiis seu collegiis aut piis locis quibuscunque perpetuo unita et annexa reperiuntur, juxta praescriptum dicti s. concilii *sess. 7. de reform. cap. 5 et 7*, et juxta constitutionem san. mem. Pii V., quae incipit: *Ad exsequendum*,

§. 10. Item adversus visitationem beneficiorum curatorum, ut supra, perpetuo unitorum, necnon quarumcumque ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus decreta et provisiones ab Ordinario capiendas, ut, quae in eis reparatione indigent, reparentur et cura animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, juxta dispositionem sacri concilii eadem *sess. 7. de reform. cap. 8.* et *sess. 21. cap. 7*,

§. 11. Item a decretis seu mandatis, per quae Episcopi etiam uti apostolicae Sedis delegati in ecclesiis parochialibus aut baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum, aut etiam invitis rectoribus procedant ad constitutionem novarum parochiarum cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, vel denique propter paupertatem et in caeteris casibus a jure permissis deveniant ad uniones perpetuas aliorum beneficiorum simplicium, non tamen regularium, juxta dispositionem sacri concilii *sess. 21. de reform. cap. 4 et 5*, et *sess. 24. similiter de reform. cap. 13*,

§. 12. Item a deputatione coadjutorum aut vicariorum pro tempore vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis etiam tanquam apostolicae Sedis delegato, quando illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu; necnon a suspensione atque etiam a privatione illorum, qui turpiter et scandalose vivunt, et, postquam praemoniti sint, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, juxta praescriptum ejusdem s. concilii dicta *sess. 21. de reform. cap. 6*,

§. 13. Item a translatione beneficiorum simplicium etiam jurispatronatus ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias cum omnibus emolumentis et oneribus, prout etiam a decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos aut parochianos sive populum ad refectionem et instaurationem ecclesiarum parochialium servata forma sacri concilii dicta *sess. 21. cap. 7.*

§. 14. Item a censuris, sequestratione et subtractione fructuum aut aliis quibuscunque provisionibus pro cogendis ad residentiam parochis caeterisque omnibus, quibus cura animarum incumbit, juxta decretum ejusdem sacri concilii *sess. 23. de reform. cap. 1*,

§. 15. Item a denegatione, revocatione, suspensione vel restrictione et limitatione

facultatis audiendi confessiones respectu eorum, qui parochiale beneficium non obtinent, etiamsi fuerint regulares, pro excipiendis confessionibus saecularium, juxta ordinationem sacri concilii *sess. 23. cap. 15.* et praedecessorum Nostrorum constitutiones ac praecipue illam fel. rec. Clementis X., quae incipit: *Superna*,

§. 16. Item in illis civitatibus aut locis, ubi vel parochiales ecclesiae certos non habent fines nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, vel etiam nullae sunt parochiales, a divisione seu distinctione parochiarum earumque ordinatione sive institutione in titulum perpetuum, juxta decretum s. concilii *sess. 24. de reform. cap. 13*,

§. 17. Item a deputatione vicarii vel oeconomi cum assignatione congruae pro tempore, quo vacat ecclesia parochialis; prout etiam ab indictione concursus, relatione examinatorum necnon praeelectione et provisione Episcopi in eodem concursu, juxta definitionem s. concilii eadem *sess. 24. de reform. cap. 18*,

§. 18. Item a mandatis seu decretis inhibentibus praedicationem vel publicas lectiones aut coercentibus vel punientibus quoscunque, etiam exemptos tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, quae suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum ordinum non petita illius benedictione aut ipso contradicente praedicare praesumpserint, juxta decretum s. concilii *sess. 5. de reform. cap. 2.* et *sess. 24. similiter de reform. cap. 4*, et constitutionem piae mem. Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili* §. *fin.**) una cum declarationibus contentis in constit. Clementis PP. X., quae incipit: *Superna*,

§. 19. Et generaliter in omnibus iis, quae pertinent ad curam animarum et rectam sacramentorum administrationem adversus visitationem, correctionem, coercitionem et quascunque alias provisiones Episcopi dioecesani etiam quoad exemptos sive saeculares sive regulares juxta laudatam constitutionem Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili*,

§. 20. Item adversus quascunque provisiones et decreta pro conservanda aut restituenda clausura sanctimonialium aut pro correctione seu punitione eorum, qui circa personas intra monasteria degentes aut circa clausuram vel circa bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione vel reprobatione confessariorum sive regularium sive saecularium quomodocumque exemptorum et tam ordinariorum quam extraordinariorum pro excipiendis confessionibus monialium etiam regularibus subjectarum; itidemque a decretis vel aliis quibuscunque provisionibus cogentibus administratores sive saeculares quomodolibet exemptos ad reddendam singulis annis rationem bonorum ad monasteria sanctimonialium hujusmodi pertinentium, ac demum a quibuscunque decretis super amotione capellanorum, sacristarum et aliorum quorumcunque officialium et ministrorum tam saecularium quam regularium ipsis monialibus vel eorum ecclesiis inservientium juxta dispositionem sacri concilii *sess. 25. de regular. et monial. cap. 5, 9 et 10*, servata tamen quoad regulares et exemptos forma praedictae constitutionis rec. mem. Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili*,

§. 21. Item adversus pastoralem visitationem dioecesis et praesertim monasteriorum commendatorum, abbatiarum, prioratuum et praeposituraram, in quibus non viget regularis observantia, necnon beneficiorum tam curatorum quam non curatorum, saecularium et regularium qualitercunque commendatorum, etiam exemptorum; prout etiam ab exsecutione eorum, quae in ipsa visitatione mandata, decreta aut judicata fuerint. Necnon similiter a quibuscunque decretis et provisionibus etiam extra visitationem pro conservatione vel reparatione ecclesiasticae disciplinae quoad vitam, mores et honestatem quorumcunque clericorum, luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina et saecularia negotia fugienda atque evitanda, juxta plura decreta dicti s. concilii et praesertim *sess. 6. de reform. cap. 4, sess. 13. cap. 1, sess. 14. cap. 4, sess. 21. cap. 8, sess. 22. cap. 1 et 8*, et *sess. 24. cap. 10.* ad formam tamen decretorum sacrae Congreg. Episcoporum de mandato s. mem. Clementis VIII. editorum anno 1600,

§. 22. Item a decretis cogentibus praesentatos, electos vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Nostris et Sedis apostolicae Nuntiis, ad quaevis ecclesiastica beneficia ad se subjiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmentur vel admittantur, quemadmodum cavetur *sess. 7. de reform. cap. 13.*

*) Vd. *p. 208.*

§. 23. Item a denegatione sacrorum ordinum vel adscensus ad alios majores, prout etiam adversus suspensionem ab ordinibus jam susceptis ob crimen occultum sive ex informata conscientia juxta dispositionem sacri concilii *sess. 14. de ref. cap. 1 et 3, sess. 21. cap. 1.* et *sess. 23. cap. 16,*

§. 24. Item a praefixione termini, intra quem regularis Episcopo non subditus, qui intra claustra monasterii degat et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, a suo superiore puniri debeat ac de punitione ipse Episcopus certior fieri juxta decretum sacri concilii *sess. 25. de regular. cap. 14.* et constitut. fel. record. Clementis PP. VIII., quae incipit; *Suscepti muneris.**) Necnon adversus punitionem et correctionem eorundem regularium, qui circa personas intra septa degentes aut circa clausuram ipsam deliquerint, juxta praedictam constitutionem Gregorii V., quae incipit: *Inscrutabili,*

§. 25. Item a censuris aut aliis provisionibus contra concubinarios et praesertim clericos etiam retinentes domi aut extra mulieres suspectas, juxta praescriptum s. concilii *sess. 24. de reform. matrim. cap. 8.* et *sess. 25. de reform. cap. 14,*

§. 26. Item adversus privationem privilegii fori et alias provisiones contra clericos non incedentes in habitu et tonsura et in aliis casibus a s. concilio praescriptis *sess. 14. de ref. cap. 6.* et *sess. 23. similiter cap. 6,*

§. 27. Prout etiam ab examine, probatione vel reprobatione patrimonii sacri, pensionis ecclesiasticae aut beneficii quoad clericos promovendos ad sacros ordines, juxta dispositionem ejusdem s. concilii *sess. 21. de reform. cap. 2,*

§. 28. Item adversus convocationem capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum et juxta vota ipsorum capitularium concludendum, quoties de re ad suum vel suorum commodum spectante non agatur, juxta decretum s. concilii *sess. 25. de reform. cap. 6,*

§. 29. Item a mandatis seu decretis super conversione tertiae partis fructuum et quorumcunque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum in distributiones quotidianas earumque divisione inter dignitates obtinentes et caeteros divinis interessentes in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones hujusmodi quotidianae vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, juxta constitutionem ejusdem concilii *sess. 21. de reform. cap. 3.* et *sess. 22. similiter de reform. cap. 3,*

§. 30. Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super exsecutione omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos in casibus a jure concessis, juxta dispositionem s. concilii *sess. 22. de reform. cap. 8.*

§. 31. Item a visitatione hospitalium, collegiorum quorumcunque et confraternitatum laicorum, eleemosynarum montium pietatis sive charitatis et omnium piorum locorum quomodocunque nuncupatorum, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat aut exemptionis privilegio sint munita, ac denique a cognitione et exsecutione eorum omnium, quae ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt, juxta dictum decretum s. concilii *sess. 22. de reform. cap. 8,*

§. 32. Item a decretis seu mandatis cogentibus administratores tam ecclesiasticos quam laicos etiam exemptos fabricae cujusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae montis pietatis et quorumcunque piorum locorum ad reddendum singulis annis ipsi Ordinario rationem suae administrationis, nisi aliud in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum fuerit, juxta decreta s. concilii *sess. 7. de reform. cap. 15, sess. 22. cap. 9.* et *sess. 25. cap. 8.*

§. 33. Item a decretis compellentibus notarios etiam apostolica, imperiali aut regia auctoritate creatos et scribentes, in causis ecclesiasticis vel spiritualibus ad se subjiciendum examini, eorumque remotione vel suspensione in casu delicti vel imperitiae, juxta praescriptum s. concilii *sess. 22. cap. 10,*

§. 34. Item ab erectione seminarii et taxatione quarumcunque dignitatum, personatuum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum et priorатuum cujuscunque ordinis, etiam regularis, hospitalium, quae dantur in titulum vel administrationem, et beneficiorum quorumcunque, etiam regularium, etiam jurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius dioecesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis quibusvis locis piis etiam exemptis annexorum, ac

*) Vd. *Regulares* (extra claustra delinquentes).

quorumcunque aliorum ecclesiasticorum reddituum seu proventuum ad fabricas ecclesiarum, confraternitates et monasteria omnia, non tamen mendicantium, pertinentium, necnon decimarum quacunque ratione ad laicos atque etiam milites cujuscunque militiae aut ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro ejusdem seminarii manutentione; prout etiam ab unione et applicatione aliquot beneficiorum simplicium, necnon a decretis cogentibus, qui scholasterias obtinent, vel quibus lectionis vel doctrinae munus est annexum, ad docendum per se ipsos vel idoneos substitutos, et generaliter a mandatis et provisionibus, quae quoquo modo respiciunt curam, directionem et administrationem seminarii plenamque exsecutionem decreti editi a sacro concilio super collegio puerorum in singulis Cathedralibus instituendo, *sess. 13. de reform. cap. 18,*

§. 35. Item a mandatis seu decretis cogentibus oeconomos, vicarios capitulares ad reddendam rationem administrationis per eos gestae sede episcopali vacante, juxta praescriptum sacri concilii *sess. 24. de reform. cap. 16,*

§. 36. Item a comminatione excommunicationis a jure latae et a sententia excommunicationis latae ab homine, suspensionis et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis, et e converso a sententia absolutionis ab eisdem censuris ecclesiasticis,

§. 37. Et generaliter ab exsecutione aliorum quorumcunque decretorum dicti sacri concilii Tridentini Episcopis atque Ordinariis locorum demandata ab ipso concilio et in constitutione fel. rec. Pii PP. IV., quae incipit: *Benedictus Deus.*

§. 38. Volumus, praecipimus et mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis seu Primatibus aliisque judicibus ecclesiasticis etiam Nostris et Sedis apostolicae Nuntiis vel de latere Legatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, atque etiam camerae Nostrae generali auditore, signaturae justitiae praefecto caeterisque judicibus romanae curiae eorumque vicariis et officialibus, citationes generales vel speciales cum commissione inserta, monitoria et alia hujusmodi cum inhibitione, per quam exsecutio decretorum, mandatorum et provisionum hujusmodi retardetur, suspendatur aut impediatur, minime concedantur, et, quatenus nunc aut imposterum concessa fuerint, nullatenus inhibeant, atque ab Episcopis aliisque locorum Ordinariis impune sperni possint, quacunque consuetudine etiam immemorabili vel quovis privilegio aut stylo concedendi inhibitiones in causis praedictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim citationes et monitoria aliter, quam, ut praefertur, concessa vel imposterum concedenda nulla atque irrita declaramus et pro nullis atque irritis haberi volumus et mandamus, decernentes, quod adversus decreta, mandata et provisiones ejusmodi, quas vel quae ab Episcopis aliisque locorum Ordinariis fieri vel capi contigerit in causis et negotiis praedictis, vel simplex dumtaxat et extrajudicialis recursus per viam supplicis libelli ad Nos et successores Nostros romanos Pontifices, vel respective et juxta causarum naturam et qualitatem appellatio ad quos de jure in solo devolutivo et sine retardatione vel praejudicio legitimae exsecutionis recipi et admitti possit.

§. 39. Quoniam vero in hisque ipsis negotiis et causis, in quibus inhibitiones canonicam exsecutionem impedientes aut suspendentes concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum s. concilium Tridentinum vel juxta ejus mentem per apostolicas constitutiones et sacrarum Congregationum declarationes aut communem doctorum sententiam a praefata generali regula de non concedendis inhibitionibus eisque posthabendis excipiuntur, quique ut plurimum non aliter quam prudenti judicis arbitrio secundum particulares facti circumstantias aestimari possunt: hinc Nos, ne sub ejusmodi praetextu inhibitiones ut supra prohibitae vulgo et sine ullo delectu etiam in casibus non exceptis concedantur, statuimus et mandamus, quod in dictis causis et negotiis superius expressis Metropolitani, Patriarchae, Primates aliique judices praedicti, et praesertim camerae Nostrae generalis auditor ejusque locumtenentes, et signaturae justitiae praefectus ejusque auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur casum illum a s. concilio vel apostolicis constitutionibus quacunque de causa exceptum esse, nihilominus literas citatorias vel monitoria cum inhibitione hujusmodi non concedant, nisi prius ex facti circumstantiis in supplici libello a parte recurrente clare ac dilucide exponendis et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis eisdem sum-

marie apparuerit, casum illum esse de exceptis, et propterea Episcopo vel Ordinario loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat; tunc enim et non alias et postquam ipsi judices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod inhibitio concedi possit, libellusque cum rescripto ejusmodi in actis productus fuerit diligenter ibidem custodiendus et conservandus, liceat eorum notariis sive actuariis literas citatorias cum dicta inhibitione expedire et parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adjiciatur sequens clausula: »Nos enim, attentis juribus et supplici libello Nobis praesentatis atque in actis exhibitis, sic, ut praefertur, inhibendum esse speciali rescripto mandavimus.« Alias literae ejusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus praedictis.

§. 40. Et nihilominus, si notarii sine dicto speciali rescripto super supplici libello aut sine productione illius in actis aut sine praedicta clausula citationes ullas aut monitoria cum inhibitione sub quocunque praetextu seu colore expedire ac tradere praesumpserint, etiamsi illae aut illa a judice subscripta fuerint, poenam infamiae et perpetuae inhabilitatis ad officium notarii in causis ecclesiasticis exercendum, et quoad illos camerae Nostrae generalis auditoris aut aliorum romanae curiae judicum, superius expressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de camera pro una medietate camerae Nostrae apostolicae et pro alia ipsi parti recurrenti et in causa interesse habenti, sin minus alicui ex locis piis arbitrio Nostro Nostrorumque successorum destinando applicandam ipso facto incurrant.

§. 41. Ad haec similiter inhaerentes dispositioni ejusdem sacri concilii *sess. 7. de reform. cap. 14.* et *sess. 14. cap. 5.* necnon etiam decreto piae mem. Benedicti XIII. hac in re promulgato inter ejus additiones ad decreta Urbani PP. VIII. in appendice ad concilium romanum volumus et mandamus, quod clerici saeculares aut regulares extra monasterium degentes quomodolibet exempti in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum, etiamsi certum judicium a Sede apostolica deputatum in partibus habeant, in aliis vero, si ipsum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis tanquam ab ipsa sede delegatis conveniri in prima instantia et jure medio ad solvendum debitum cogi possint.

§. 42. Quo vero ad personas exemptas inhaerendo similiter dispositioni ejusdem sacri concilii *sess. 13. de reform. cap. 1*, *sess. 22. cap. 7.* et *sess. 24. cap. 20.* necnon supradictis decretis generalibus Congregationis Episcoporum editis anno 1600 cum novissimis additionibus seu declarationibus piae mem. Benedicti XIII. in appendice concilii romani volumus, statuimus et mandamus, quod causae omnes tam civiles quam criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quae ex eodem concilio vel alias juxta canonicas sanctiones apud Nos et Sedem apostolicam tractari possunt aut debent, coram Ordinariis locorum dumtaxat in prima instantia cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis aut Primatibus aliisque judicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis apostolicae Nuntiis vel de latere Legatis aut camerae Nostrae generali auditore et caeteris quibuslibet curiae Nostrae judicibus ad sè avocari vel aliis committi possint, nisi per viam legitimae appellationis et in casibus ut supra non prohibitis ad ipsorum tribunalia deferantur.

§. 43. Appellationes autem non recipiantur neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam personam et intra legitima tempora vere appellatum fuerit, sed etiam quod appellatum fuerit a sententia definitiva vel habente vim definitivae aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, idque per publica documenta, quae realiter in actis exhibeantur, tunc enim et non antea judici, ad quem appellatum fuerit, in causa se intromittere, citationes et inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris sententiae aut decreti definitivi seu vim definitivae habentis vel damnum per definitivam irreparabile inferentis; alias citationes, inhibitiones, processus et inde secuta quaecunque sint ipso jure nulla atque impune sperni possint.

§. 44. Quod si appellans asserat sententiae aut decreti exemplum authenticum culpa judicis a quo vel notarii sive actuarii haberi non posse, tunc saltem copiam simplicem sententiae seu decreti in actis producere teneatur, ejusque tenori in literis inhibitorialibus inserto adjicienda erit, prout adjici

volumus et mandamus, in earum corpore expressa conditio: »Quatenus tamen tenor insertus vere et in substantialibus cum originali concordet, eodemque originali praesentes literae sint in tempore posteriores, alioquin nullae et irritae censeantur.« Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessae nullatenus afficiant et notarii sive actuarii, qui illas expediverint, incidant in poenas superius expressas.

§. 45. Quum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, si quidem res sit de carceratione jam secuta, cum mandato verbali non aliter expediri poterunt inhibitiones vigore appellationis, quam constito prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum testium. Interim tamen appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter servatis servandis judicatum fuerit. Ubi vero agatur de censuris jam prolatis vel de comminatione carcerationis, torturae aut censurarum, observetur omnino dispositio dictorum decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII. juxta additiones et declarationes piae mem. Benedicti.

§. 46. Ulterius in praedictis causis in prima instantia pendentibus vel aliis expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, citationes, quae expediri solent coram Cardinali signaturae justitiae praefecto, vel ad effectum comparendi vel pro adeundo eandem signaturam, tametsi ab ejus auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus sortiri posse volumus easque ad praedictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet vel adeundi signaturam, expeditas censeri, non autem ad retardandam exsecutionem vel suspendendum processum ad ulteriora.

§. 47. Denique quoad causas privilegiatas, quae, ut praefertur, in prima etiam instantia apud Nos et Sedem apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus, sed monitoria in illis coram camerae Nostrae generali auditore vel ejus locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse juxta praescriptum apostolicarum constitutionum et praesertim fel. rec. Pauli V. praedecessoris Nostri in constitutione, quae incipit: *Universi*, necnon praedictarum additionum et declarationum Benedicti XIII., exceptis tamen monitoriis intimandis ultra montes, in quibus ad evitanda scandala et litigantium incommoda volumus omnino renovari et observari stylum, qui olim in eo tribunali vigebat, id est, quod ad ejusmodi monitoriorum expeditionem non aliter procedatur quam oblato ipsi auditori vel alteri ex ejus locumtenentibus, coram quo monitorium expediendum erit, supplici libello universam facti speciem clare et dilucide continente, et praevio etiam ejusdem judicis rescripto, quod monitorium expediri possit, penes causae notarium vel actuarium diligenter custodiendo. Et si aliter quam praefertur et absque dicto supplici libello ac speciali judicis rescripto dicta monitoria ultra montes intimanda expedita fuerint, notarius sive actuarius et substitutus, qui illa expediverit, ipso facto incidat in poenas superius expressas.

§. 48. Omnia et singula hactenus a Nobis disposita ad rectam judiciorum methodum restituendam eo impensius ab omnibus exacte custodiri et observari mandamus, quo clarius constat hac Nostra constitutione non novas ferri sed antiquas instaurari leges provide sapienterque institutas et temporum injuria ac hominum fraude obsoletas et novo pontificiae auctoritatis praesidio communiri, ordinem procedendi in causis jam diu praescriptum superioribus et inferioribus tribunalibus a sacra Tridentina synodo, Congregationum decretis et praedecessorum Nostrorum romanorum Pontificum constitutionibus aliisque ordinationibus apostolicis. Ideoque, si ipsi judices omni semoto, ut par est, humanae cupiditatis affectu prae oculis solum habuerint, quae tam maturo tamque saluberrimo sunt constituta et ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscet, quae sui et quae alieni ministerii partes esse debeant in admittendis ac respective rejiciendis causarum appellationibus: itaque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita jurisdictionis et auctoritatis praerogativa servetur, sed etiam, ut exstinctis prorsus ac radicitus avulsis omnium contentionum et discordiarum seminibus mutuo charitatis vinculo tribunalia socientur et inter illa recte agendi disciplina christiano populo utilis et necessaria restituatur.

§. 49. Demum, ut exemplo Nostro omnes praemissorum exsecutioni caute et pro viribus incumbant et ut praesertim notariis, tabellionibus et eorum actuariis et substitutis omnis contraveniendi ansa praecidatur,

volumus et expresse mandamus, processus et acta causarum in Nostra romana curia coram quovis judice pendentium ac inhibitiones, appellationes, monitoria aliasque citatoriales et inhibitoriales literas, quas ab iisdem notariis eorumque substitutis scientibus vel insciis judicibus vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulo recognosci et examinari per fide dignas personas a Nobis opportune deputandas, quae si deprehenderint, easdem inhibitiones contra hujus constitutionis formam et ad supterfugienda Ordinariorum et Episcoporum judicia quaesito gravaminis colore fuisse perperam concessas et expeditas, in eosdem notarios et substitutos canonicis poenis aliisque a Nobis supra expressis severe pro modo culpae animadvertant.

§. 50. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. praefatae Cardinales etiam de latere legatos et ejusdem sedis nuncios aliosve quoslibet quacunque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac iritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 51. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dom. die 30. Martii 1742.

P. Card. Pro-Datarius. D. Card. Passioneus.

Visa de curia. N. Antonellus.

J. B. Eugenius. Registrata in secretaria brevium.

Public. die 18. Aprilis ejusdem anni.

(Bull. Bened. XIV. tom. I. p. 134.)

9) Quoad Attentata.

a) Quae est?

Attentata, prout ad praesens spectat, idem sunt ac innovata contra jus, lite seu appellatione pendente. Colligitur ex *l. Unica, ff. Nihil novari appellatione interposita*, et ex toto titulo 16, *Ut lite pendente nihil innovetur*. Et merito dicuntur innovata, quia, si nihil innovetur seu non fiat aliquid novi, quod antea inceptum non fuerit, non vocatur attentatum, sed potius continuatum. Attentare enim non dicitur is, qui facit actum continuatum, id est, qui continuat actum praecedentem, quia lis seu appellatio non debet quemcumque sua possessione privare, et nemo tenetur desistere a continuatione sui juris aut possessionis, propter aliquam appellationem; *Franciscus Herculanus tom. 5. tractatuum, tract. de attentatis c. 3. n. 4. et seqq., Scaccia quaest. 4. de appellat. n. 70, Franchus in cap.: Cum tenecamur 17. de appellat. n. 1.* et alii cum *Rota decision. 44. num. 1 et 2. de appellat. in novis.* Et additur *contra jus*, ad denotandum, quod ea, quae fiunt de novo post appellationem ex concessione juris, non dicuntur proprie attentata. Et sic licet judex a quo post appellationem praefigat appellanti terminum ad recipiendos apostolos vel ad prosequendam appellationem et similia, non committit vitium attentati, quia haec facit ex concessione juris; *cap.: Personas 4. de appell.* et Clementin. *Quamvis de appellat.* Sicuti etiam non diceretur judex *a quo* aliquid innovare vel attentare, si post appellationem prae timore dilapidationis fructuum faceret eos sequestrari, cum ei concedatur a jure; *cap.: Quoties potest caus. 2. qu. 6*, ubi expresse dicitur: »*Quoties post auditam causam judicem possessor appellat, fructus possessionis, de qua agitur* (dum sequendae audientiae eventus dubius est), *merito sequestrantur*«, et *c.: Ab eo 3. de sequestr. possession. et fructuum*, ibi: »*Ab eo, qui a sententia provocavit, fructus possessionis* (si dissipentur ab ipso) *possunt, lite pendente, rationabiliter sequestrari.*«

b) Pendente appellatione a sententia definitiva.

Attentata, pendente appellatione a sententia definitiva, revocantur ante omnia per remedium attentati, ita ut judex *ad quem* ante omnia debeat penitus revocare, nedum ea, quae sunt innovata post appellationem interpositam, sed etiam ea omnia, quae sunt innovata et mutata medio tempore inter sententiam et appellationem, perinde ac si post eamdem appellationem innovata fuissent, dummodo postea infra decem dies appellatum sit. Sic praecise habetur in *cap.: Non solum 7. de appellat. in 6.* Non solum innovata post appellationem a definitiva sententia interjectam debent semper (exceptis casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis judicem penitus revocari, sed etiam ea omnia, quae medio tempore inter sententiam et appellationem, quae postmodum infra decendium interponitur ab eadem, contingit innovari, ac si post appellationem eamdem innovata fuissent. Et ratio est, quia appellatio a definitiva eximit appellantem a jurisdictione judicis *a quo* quoad illam causam, a cujus sententia appellavit, taliter quod durante appellatione, respectu illius causae, non sit amplius proprius ejus judex, adeoque quidquid interim judex *a quo* circa ea innovat seu attentat, est ipso jure invalidum, tamquam factum a judice non suo et incompetente; *c.: At si clerici 4. de judiciis*, ibi: »*Sicut etiam sententia a non suo judice lata non tenet, ita et facta confessio coram ipso.*« Et *regul. 26. de regulis juris in 6.* »*Ea quae fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.*« Ratio autem, quare revocanda sint ante omnia etiam innovata et attentata medio tempore inter sententiam et appellationem, quae postmodum infra decendium interponitur, ut dicit citatus textus, est, quia sententia lata a judice *a quo* non transit in rem judicatam, nisi post decendium elapsum, textu expresso in *cap.: Quod ad consultationem 15. de sententia et re judicata*, et intra ipsum decendium stat in libertate condemnati appellare vel non a sententia definitiva judicis *a quo*, juxta textum expressum in *Authent. Hodie*, et in *cap.: Anteriorum 28. caus. 2. qu. 6*, adeoque intra id temporis a jure concessi ad appellandum nequeunt aliqua innovari a judice *a quo*, aliter ea omnia tanquam attentata sunt revocanda statim a judice *ad quem*, ut praejudicialia contra jus libertati appellandi.

c) Pendente appellatione a sententia interlocutoria.

Attentata, pendente appellatione a sententia interlocutoria seu a gravamine, non revocantur ante omnia, sed debet prius justificari causa appellationis et causa justificata et probata tunc revocantur, nisi tamen judex *ad quem*, post devolutam ad se causam, per appellationem canonice inhibuerit judici *a quo*, ne ulterius procederet, quia tunc omnia innovata a judice *a quo* post inhibitionem essent ante omnia reducenda in statum pristinum per ipsum judicem *ad quem*, textu expresso in *c.: Non solum de appellat. in 6. §. Illa vero*, ibi: »Illa vero, quae post appellationem interpositam ante definitivam sententiam innovantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent, nisi judex appellationis (postquam sibi constiterit per appellationem emissam ex causa probabili fore ad se negotium devolutum) inhibeat canonice judici, *a quo* appellatum extitit, ne procedat; tunc enim quidquid post inhibitionem hujusmodi fuerit innovatum, est (licet causa eadem non sit vera) per eumdem appellationis judicem ante omnia in statum pristinum reducendum.« Ratio autem quare attentata, pendente appellatione a sententia definitiva, debeant statim et ante omnia revocari, et attentata, pendente appellatione ab interlocutoria, non debent revocari, nisi postquam fuerit justificata appellatio et constiterit veram esse causam appellandi, ratio, inquam, differentiae et disparitatis est, quia per sententiam definitivam finitur officium judicis *a quo*, qui, postquam sententiam pronunciavit, desinit esse judex, *l. Judex 55. ff. de re judicata*, et per appellationem ab ea devolvitur tota causa ad judicem *ad quem*, statim suspensa omni jurisdictione judicis *a quo* absque ulla justificatione causae appellandi. Unde si judex *a quo* ulterius se immisceret causae illi, procederet sine jurisdictione et invalide ageret, ut colligitur ex *cap.: At si Clerici 4. de judiciis.* E contra vero per appellationem ab interlocutoria non finitur totaliter officium judicis *a quo*, qui, postquam sententiam pronunciavit, remanet adhuc judex; *l. Quoad jussit 14. ff. de re judicata;* nec per appellationem ab ea devolvitur taliter causa ad judicem *ad quem*, ut statim remaneat suspensa omnis jurisdictio judicis *a quo*, absque ulla justificatione causae appellandi, quia judex *a quo*, non obstante tali appellatione, potest adhuc in causa procedere, si revocet gravamen; *cap.: Quum cessante 60. de appellat.*, et priusquam remaneat suspensa jurisdictio judicis *a quo* quoad effectum revocandi attentata, debet allegari et probari causa rationabilis appellandi; *cap.: Ut debitus honor 59. de appell.*, et per hoc in appellatione ab interlocutoria necesse est, ut prius constet de veritate causae appellationis, ut ex eventu litis sciatur, an attentata sint revocanda necne. Glossa in *cit. cap.: Non solum 7. de appellat. in 6. §. Illa vero*, verb.: *Ante Definitivam*, et ibi doctores passim.

10) Causae exprimendae.

Vd.: *Appellatio* (a sententia interlocutoria; a sententia definitiva).

11) In causis ecclesiasticis.

(Terminus.)

Vd: *Appellat.* (p. 583 Constit. Bened. XIV.: *Ad militantis).*

Causae quaecumque ecclesiasticae, si in prima instantia coram Ordinariis locorum infra biennium a die motae litis computandum non terminantur, ex novo decreto concilii Trid. *sess. 24. cap. 20.* statutum fuit, liberum esse partibus vel alteri illarum, judices superiores alias tamen competentes adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant et quamprimum terminari curent. *Reiffenstuel lib. 1. Decret. tit. 10. num. 32.*

12) In causis matrimonialibus.

(Quando ferenda?)

Vd.: *Matrimonium* (Judicium, Const. Bened. XIV. diei 3. Novbr. 1741); *Appellatio* (p. 583 Constitutio Bened. XIV.: *Ad militant.).*

Sonoren.

Episcopus Sonorensis in America septentrionali sub finem relationis, quam de propria dioecesi transmisit, haec prae caeteris a S. EE VV. Ordine postulabat. In bulla: *Dei miseratione* Bened. XIV. praescribitur forma, quae servari debet in judiciis de matrimonii nullitate, et licet nulla sit difficultas, cum de casibus dubiis agatur, non minimae sunt, quae occurrunt obstacula in casibus, in quibus aperta et notoria sit matrimonii nullitas: ex. gr. N. religiosus professus et subdiaconus, dimisso habitu et ementito nomine, pluribus abhinc annis ex Mexicana provincia huc advenit publiceque matrimonium contraxit. Facta mihi dioecesim ingresso denunciatione omnia patefacta sunt nedum ipsius rei confessione, testium depositionibus, attestatis indubiis professionis solemnis et ordinis, verum et identitate personae religiosi insinuati, quem cum proprio miserim praelato, et recepit et habitu denuo induit religioso. Idipsum de alio professo et exclaustrato accidit, quem pariter ad provisorem guadalaxariensem missum, ipsum recepit datis mihi literis id testantibus. Jam si in iis aut similibus casibus omnia adamussim servarentur, quae a Benedicto XIV. praescribuntur, non minimum publicae utilitati et saluti fidelium afferretur detrimentum, praecipue ob dilationes in prima, secunda aut etiam tertia instantia necessarias, quas partes ita inique ferunt, ut insuper habito judicio nullitatis, non matrimonium aliud contrahere satagant, sed, prout libuerit, incontinentem vitam ducere. Cum nulla sit tanti mali spes avertendi, postulo itaque a s. Congregatione declarari praedictam constitutionem Benedicti XIV. locum non habere in casibus ita certis et notoriis, ut matrimonii nullitas nulla possit tergiversatione celari, aut, si super hac re existit Congregationis declaratio, talis declarationis mihi copiam praebere.

Haec quidem est Benedictinae constitutionis dispositio, qua super Episcopus orator declarationem exposcit: »Si ... contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor (matrimonii) intra legitima tempora appellet adhaerens parti, quae pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem judicem appellet ..., nolentes omnino, ut nullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint. Quod si secus factum fuerit et novum initum matrimonium, nostrae voluntatis hujusmodi transgressores poenis a nobis statutis submittantur.«

Hanc autem dispositionem in casibus tantum dubiae nullitatis locum habere suadent verba per Pontificem adhibita sub constitutionis initium »cum igitur (ita ille) coram Ordinario ... controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitatur ..., defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat.« Verbum siquidem *dubitatur* clare demonstrat laudatum Pontificem non voluisse formam judicii a se praescriptam nisi in casibus dubiis observandam, minime vero ubi nullitas evidens esset atque notoria. Quod confirmatur ex dispositione ss. canonum, quibus praescribitur appellationem in notoriis non esse admittendam. Post *cap.: Cum sit 5. de appellat. tit. 28, cap.: Pervenit 13*, et *cap.: Consuluit 14. ejusd. tituli, Wiestner ad eumd. tit. num. 47.* Et merito, appellationes hujusmodi esse non possunt nisi frivolae, quibus proinde justitia non defert, nec est a judice deferendum, ex *cap.: Cum appellationibus 5. in 6*; appellatio

enim inventa est, ut sit innocentiae praesidium, non defensio iniquitatis, ut ait Glossa in *cap. cit. 5. Deferendum.* Neque aliud ex praxi s. Congregationis colligi videtur, cum, si omnes evolvantur causae matrimoniales in eadem pertractatae, aut grave aut leve dubium de validitate saltem ab initio prae se ferre dignoscentur; unde haud immerito licebit inferre, judicia, in quibus evidenter patet de nullitate matrimonii, absolvi posse magis brevi via quam ea, quae praefata constitutione demandatur.

Quod si dici velit Benedict. XIV. in sua constit. omnes casus etiam nullitatis evidentis comprehendere voluisse, forma tamen judicii ab eodem praescripta observanda esset in judicio tantum pleno et ordinario, minime vero in summario et extraordinario, in quo omnis excluditur appellatio. Neque judicium summarium in causis matrimonialibus prohibetur, eas siquidem summarie tractari posse constat ex celeberrima Clem. *Dispendiosum,* ubi statuitur, in causis super matrimoniis procedi valeat simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii. Praesumitur autem Pontificem clarissimum noluisse, ut forma ab ipso praescripta servari debuisset etiam in judicio summario, alias enim praescripsisset, quod naturae ipsius judicii directo adversaretur. Summario sane judicio adversarentur appellationes et dilationes, quae juxta praedictam constitutionem interponendae sunt, cum in Clem.: *Saepe contingit de verb. sign.* expresse mandetur, ut judex in judicio summario amputet dilationum materiam, litem quantum poterit faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo.

Ast, licet hactenus deducta minime spernenda videantur, verius tamen contrarium dici potest. Praestantissimus enim Pontifex Benedict. XIV. verbis utitur generalibus ad omnes causas matrimoniales pertinentibus, ita ut nullum posuerit inter dubiae ac evidentis nullitatis judicia discrimen. Quinimo, ad omnem praetextum et cavillationem propulsandam, mentem suam clarissime patefecit inquiens, »nolentes, ut ullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes ... emanaverint.« Ubi ergo Pontifex alibi meminit de controversia, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, haud ita loquitur ut casus excipiat evidentes, sed ut omnes comprehendat causas, in quibus semper aliquod dubium, saltem sub initium, de validitate aut nullitate excitari solet, vel ut sermonem de iis habere intelligatur, quae communiter accidunt. Quare, si nullus excipiendus est casus, defensor matrimonii juxta citatam bullam appellare tenetur, etsi de matrimonii nullitate evidenter constare videatur. Quin aliquid negotii facessant superius allati canones, ex quibus infertur appellationes in notoriis esse rejiciendas; nam praeter quam quod in illis agitur de causis criminalibus, ac proinde ad matrimoniales non pertineant, in casu quovis contrario illorum sanctioni pro causis matrimonialibus Benedictina constitutio derogasset. Nec sub obtentu notorietatis frivolae dicendae sunt hujusmodi appellationes, quia, cum res sit de causis gravissimis, ne unquam temere matrimonium dissolvatur, caute admodum procedendum est, praesertim cum notorietas illa, quae praetenditur, quandoque esse potest tantum appares et illusoria.

Neque secus argui potest ex praxi sacrae Congregationis; plura siquidem in thesauro resolutionum afferuntur exempla, quibus comprobatur in casu etiam evidentis nullitatis formam a Benedictina constitutione praescriptam constanter fuisse servatam. Ex iis autem duo tantum referemus, alterum in *Theatina matrimonii diei 18. Julii et 19. Septembris 1761*, alterum in *Tridentina Nullitatis matrimonii 22. Junii 1822*, in quorum primo licet sacra Congreg. instante muliere nullum declarasset matrimonium ex praecedenti polygamia viri, precibus tamen ejusdem mulieris iterum proposita fuit causa et confirmata resolutio, in altero autem, quamvis pronuntiatum fuisset a curia episcopali pro nullitate matrimonii ob probatum inter conjuges quartum consanguinitatis gradum, appellatum tamen fuit ad sacram Congregationem, quae sententiam curiae episcopalis confirmavit. Hi vero erant profecto casus nullitatis evidentis non secus ac illi, de quibus meminit in suo postulato Sonorensis Episcopus.

Caeterum negligi nequit forma Benedictinae constitutionis sub praetextu judicii summarii, quod ex praescripto ejusdem constitutionis nullo in casu habere locum posse videtur, cum forma injuncta absque casus distinctione semper servari debeat, ea quae profecto a summariis judiciis abhorret. Ast

admissa etiam hypothesi quod in causis quoque matrimonialibus summarie possit judicium absolvi, non ideo tamen a Benedictinae constitutionis sanctione facile esset recedendum; nam, cum de gravissima agatur, maxima cum maturitate est procedendum ac ibi majores adhibendae sunt cautelae, ubi majus est periculum, quod profecto facilius potest contingere in summario judicio, in quo omnia breviantur, quam in ordinario, in quo omnes juris solemnitates adamussim observantur.

Quae cum ita sint, perpendendum superest, utrum expediat necne facultatem Episcopo oratori concedere, ad tempus saltem duraturam, praetermittendi nomine s. Sedis secundam sententiam conformem seu derogandi formae a Benedictina constitutione praescriptae, quoties evidenter constet de matrimonii nullitate. Hujusmodi autem concessioni viam sternere videtur praxis s. Congregationis, quae solet processuum defectus sanare, quatenus confecti non fuerint juxta formam Benedictinae constitutionis, ubi evidens sit nullitas matrimonii, ceu factum est in supra cit. *Theatina 18. Julii 1761.* Huc accedit doctorum sententia, qua statuitur posse Episcopum dispensare in constitutionibus apostolicis et decretis concilii generalis, ubi causa est magni necessitatis vel evidentis utilitatis de novo emergens, sitque periculum in mora nec facile ad summum Pontificem recurri possit, ex rationabiliter praesumpta ipsius Pontificis voluntate, apud *Reiffenstuel lib. 1. decret. tit. 2. §. 18. n. 470.* Atque hanc auctoritatem Benedictus XIV., allata sententia doctorum hinc inde opinantium, neque admittere neque reprobare videtur; ait enim: Sed quidquid sit de ea extraordinaria potestate, quae ex praesumpta summi Pontificis voluntate in aliquo eventu, urgentissimae videlicet necessitatis et impedimenti occulti, competat Episcopis, nullum in praesens de ea ferimus judicium, *de syn. dioec. lib. 9. cap. 2. num. 4*, ubi tamen sermo est taxative de potestate dispensandi super impedimento dirimente occulto.

In facto autem facile recurri nequiret ad summum Pontificem ex dioecesi Sonorensi, quae in remotissima Americae septentrionalis regione sita est. Neque causa necessitatis aut saltem evidentis utilitatis deesse videtur ex iis incommodis et malis, quae a stricta Benedictinae constitutionis observantia ob populi illius indolem et mores, Episcopo testante, promanant; incontinentiae siquidem averteretur occasio aliaque animarum detrimenta.

Videant denique EE. VV., utrum etiam dignus sit aliqua animadversione abusus, qui in Sonorensi dioecesi invaluisse videtur, nimia facilitate scilicet matrimonia permittendi, non constito prius ex diligenti investigatione per curiam episcopalem facienda de libero conjungendorum statu, prout ex duplici casu ab Antistite oratore narrato deprehenditur, ita ut hortari debeat Episcopus ipse, ut severe mandet omnibus animarum curatoribus ne quis matrimonio in posterum copuletur, nisi prius ex indubiis attestationibus doceat de sui status libertate, ad praecavenda quantum fieri potest hujusmodi nullitatum pericula.

En interim, quod proponitur,

Dubium:

An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi Sonorensis in casu?

S. C. resp.:

Negative et ad mentem.

Die 26. Aug. 1848.

Appellatio a sententia lata super nullitate matrimonii in quacumque instantia semper suspendit executionem. *Bened. XIV. tom. 1. constit. 33.* incip.: *Dei miseratio*, §. *11.* Appellatio in causis matrimonialibus praecludi nequit per acta poenalia inter partes inita. *Idem tom. 1. constit. 85.* incip.: *Nimia*, §. *7.*

13) In causis de provisionibus ecclesiarum parochialium per concursum.

Vd.: *Concursus pro collat. ecclesiar. parochial.*; *Appellatio a judicio irrationabili Episcopi; p. 607 n. 20.*

Discursus Secretarii circa appellationes, quae interponuntur vel a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili judicio Episcopi in provisione ecclesiarum parochialium per concursum.

Ut recto ordine procedatur, operae pretium est inprimis exponere, quid in hac appellationum materia de jure statutum sit; deinde necesse est disserere de praxi tam apud hanc sacr. Congregationem quam apud tribunal Rotae recepta, ulterius de inconvenientibus et praejudiciis, quae ex dicta praxi derivare dicuntur, ultimo tandem de remediis, quae parari posse videntur adversus allegata inconvenientia et praejudicia.

Porro initio ducto a dispositione juris notum est, quod sacrum concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 18. de reform.* novam formam induxit in collatione Parochialium; voluit enim, quod fieret concursus, quod concurrentes examinarentur ab Episcopo vel ab ejus Vicario generali et ab examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus, quod Episcopus eum eligeret, quem caeteris magis idoneum judicaret, habita ratione aetatis, morum, doctrinae, prudentiae et aliorum qualitatum, quae sunt opportunae ad gubernandam ecclesiam parochialem, et quod examinatorum relationem nulla devolutio aut appellatio ad Sedem apostolicam impedire valeret in suspensivo. Praeterea notum est etiam, quod s. Pius V. in sua constitutione 33.*) bull. tom. 2, ut non solum dignis sed *magis idoneis* parochiales ecclesiae conferentur, decrevit, quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possent ii, qui fuissent rejecti, a mala hujusmodi electione ad Metropolitanum vel ad Sedem apostolicam appellare et praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis judice et ejus examinatoribus provocare, et constito de prioris eligentis irrationabili judicio eoque revocato, quod Parochialis conferatur magis idoneo et quod denique appellatio interposita interim non impediat aut suspendat, quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitae demandetur executioni. Totum hoc legitur in §. *7 et 8* dictae bullae, quocirca post bullam memoratam cessat controversia, quae olim aderat: an scilicet appellari tantum posset a reprobatione examinatorum vel etiam ab electione et judicio Episcopi? Appellatio siquidem ab electione et judicio Episcopi expresse admittitur in memorata Piana constitutione, uti bene ponderat *Fagnan. in cap.: Eam te, a num. 24 usque ad 29 de aetate et qualitate.*

Transeundo ad praxim eadem exponitur sequentibus assertionibus.

Prima est, quod appellans a mala electione examinatorum vel irrationabili judicio Episcopi potest electum provocare ad novum examen absque eo, quod de irrationabilitate ullum asserat documentum ullamve probationem. Ita fuit resolutum ab hac sacra Congregatione in quadam causa *Pistorien. 12. Junii 1603*, et resolutio est impressa apud *Fagnan. in allegato cap.: Eam te, n. 31 de aetate et qualitate*, ubi, postquam sacra Congregatio ponderavit Pianam constitutionem permittere appellanti, ut provocet ad novum examen, et postquam decrevit, quod constito de Episcopi eligentis irrationabili judicio Parochialis magis idoneo conferatur, subdit, loquendo de dicta constitutione: *Satis manifeste requirit novum examen ob hujusmodi irrationabile judicium cognoscendum, itaut non sit necesse de illo constare antequam decernatur examen, sed absque eo, quod de tali judicio irrationabili constet, illud debere decerni, ut per examen perveniatur ad cognitionem irrationabilis judicii.* Concordat alia resolutio in causa *Montis Regalis 2. Augusti 1607 lib. 11. decret. pag. 11*, ubi respondendo ad quartum propositum quaesitum inquit: *Ad quartum: Postpositum posse provocare praeelectum ad novum examen coram judice appellationis, et antequam per alia documenta doceat de irrationabili judicio Episcopi, atque ita Congregatio intellexit constitutionem san. mem. Pii V.*

Quodque notabilius est, licet tempore antecedenti Rota fuisset in sensu, quod docendum erat de gravamine ante admissionem ad novum examen, visa tamen allegata resolutione in causa *Pistorien.*, cui interfuerant tres Cardinales, Blanchettus, Mantica et Plattus, qui olim fuerant dicti tribunalis auditores, mutavit opinionem et se conformavit sensui sacrae Congregationis nullam requirentis probationem gravaminis ad novum examen sed illud absolute et simpliciter indulgentis, statim ac quis appellat in provisione Parochialis, uti late videri potest *in decis. 5. per tot.*, et praesertim *num. 10. et seqq. coram Card. Celso in decis. 476. part. 18. tom. 2. rec., in decis. 64. num. 14 et 15. coram bon. mem. Ansaldo, in decis. 9. num. 3, in decis. 10. num. 4 et seqq.* post *Monacell. in formul. legali tom. 4; in Lunen. Sarcanen. Parochialis 2. Junii 1706* §. *Neque obstare*, et in *Comen. Praepositurae 13. Maji 1706* §. *Clara etenim, coram bon. mem. Omanna*, et in *Regimen. Parochialis 1. Martii 1720* §. *Aut relevante, coram R. P. D. Cerro*, quod extenditur etiam ad casum, in quo intra legitima tempora non fuisset appellatio interposita ab irrationabili Episcopi judicio vel a mala relatione examinatorum, teste *Card. de Luca de Parochis disc. 6. num. 8.*

*) Vd. *Concursus pro collat. eccles. paroch.* (examinator).

Secunda est, licere et permissum esse appellanti electum provocare ad novum examen, etiamsi appellans fuerit quoad scientiam approbatus in aequali gradu cum illo, cui Parochialis fuit collata, ex ea potissimum ratione, quod appellans potest contendere, vel se debuisse qualificari tanquam magis doctum vel alium non debuisse qualificari tanquam idoneum, uti habetur in *Comen. Parochialis 10. Januarii 1707* §. *Nec urgere, coram bon. mem. Caffarello*, et in allegata *Regimen. Parochialis 1. Martii 1720* §. *Coaequalis, coram R. P. D. Cerro.*

Itaut nullus alius adsit modus, quod electus effugere possit novum examen, quam ostendendo, quod appellans et provocans ad novum examen est de aliquo crimine diffamatus, in quibus terminis procedunt resolutiones hujus sacrae Congregationis in *Mediolanen. seu Alexandrina Concursus 28. Novbr. 1693 lib. 43. decret. fol. 586, et 13. Febr. 1694 lib. 44. decret. fol. 60. a tergo*, et in *Cassanen. Archipresbyteratus 3. Octbr. 1716 lib. 66. decret. fol. 439. a tergo*, et bene adnotarunt *Card. de Luca de Parochis disc. 8. num. 5 et 6*, *R. P. D. Ansaldus in addit. ad decis. 64. num. 30.* et in *addit. ad decis. 32. num. 70*, et firmavit *Rota decis. 311. coram Priolo*, et *decis. 10. num. 11.* post *Monacell. in formul. legali tom. 4*, idque ex ea ratione inductum dicitur, quod sicuti de crimine diffamatus ecclesiam parochialem nunquam consequi potest, sic imperceptibile esse videtur, ut pro libito suae voluntatis valeat ipse electum provocare ad novum examen.

Tertia est, quod licet de jure, quod examen, ad quod electus provocatur, fieri debeat inter breve tempus, ne lapsu longi temporis reprobatus evadet doctior, uti bene habetur apud *Ventrigl. in praxi rer. eccles. part. 2. annot. 5.* §. *2. num. 55 et 56*, ut plurimum tamen id in praxi non verificatur; passim etenim admittitur intervallum unius anni et etiam aliquando viginti mensium a primo ad secundum examen, si provocans sit extra statum ecclesiasticum vel si tempus intermedium de necessitate insumatur in tricis judiciariis et signanter in disputatione, quae statim excitatur inter appellantem et appellatum: an videlicet sit locus novo examini, uti ponderat *Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 31. sub n. 155*, et prosequitur *Rota in citata decis. 32. num. 9 et seqq.* et in *decis. 64. sub num. 25. coram bon. mem. Ansaldo.*

Quarta est, quod ad tramites bullae Pianae novum examen fieri debet coram ipso appellationis judice et ejus examinatoribus, et sic, si appellatur ad Sedem apostolicam, novum examen sit in Urbe et coram examinatoribus Emi Cardinalis Vicarii, itaut nec aetas provocati ingravescens nec loci distantia ab Urbe, utpote si ipse extra Montes degeret, eum excusare valeant ab accessu ad Urbem, ut se novo examini subjiciat, quemadmodum adnotavit *R. P. D. Ansaldus in addit. ad decis. 32. num. 69*, et firmavit *Rota decis. 5. num. 14. coram Card. Cesso*, et *decis. 10. num. pariter 14.* post *Monacell. in formul. legal. tom. 4*, poteruntque EE. VV. benigne recordari, quod in quadam causa *Ischlana Parochialis**), quae fuit proposita *23. Julii 1718* et in qua disputatum fuit: *an esset locus provocationi ad novum examen faciendum in curia?* responsum est: Affirmative et ad mentem, et mens fuit, quod exquireretur: An concursus in terminis appellationis fuisset unquam in partibus delegatus? Agebatur enim de provocato paupere et sene; pervolutisque regestis cum unica tantum resolutio fuerit reperta in quadam *Causa Melfien. Concursus 21. Junii 1642 lib. 42. decret. fol. 381*, in qua comissum fuit examen Episcopo vinciniori, sed propter timorem pestis tunc grassantis in civitate Melfien., deprehensum fuit, resolutionem esse inapplicabilem, et reproposita causa die 24. Septembris 1718 rescriptum fuit: Quod examen fieret in Urbe et sola examinis subdelegatio in partibus admittitur in Parochialibus de jurepatronatus laicorum aliisque beneficiis, quae examen exposcunt et non concursum, uti late habetur *in decis. 348. num. 9. part. 10. rec., in decis. 307. per totam*, et signanter *num. 6 et 7. coram Celso*, et in *decis. 10. n. 13 et seqq.* et praesertim *n. 16.* post *Monacell. in formul. legal. tom. 4.*

Quinta est, non sufficere unum tantum novum examen, sed juxta praxim, secundum et tertium examen non denegari, quoad usque per tria uniformia experimenta, ad instar rei judicatae, de literatura vel illiteratura constare possit, uti plene habetur in *decis. 10. num. 10.* post *Monacell. in formul. tom. 4*, et ad majorem praxis explicationem operae pretium est adnotare, quod, si praeelectus ab Episcopo in concursu et ad novum examen provocatus per duas vices reprobetur, admittitur ad novum examen ex eo, quod deficientia in successivis examinibus adscribi valet accidentali aegritudini corporis vel animi, et ad effectum excludendi juridicum vel judicialem possessorem tria requiruntur uniformia judicata in judicio ordinario et devolutivo. At si aliquis praeelectus ab Episcopo in duobus successivis examinibus succubuisset et deinde in tertio vicisset, tunc de jure non est locus quarto examini, sed ex quadam aequitate introductum est, ut quartum etiam concedatur examen, juxta late firmata in *Placentina Parochialis 16. Martii 1708 num. 7 et seqq. coram bon. mem. Ansaldo* impresso post *Monacell. in formul. tom. 4.*

*) Vd. *Concursus pro collat. eccles. paroch.* (confirmatio).

Ultima demum assertio est, quod absoluto examinis judicio absolutum dici non potest judicium super collatione Parochialis, cum etenim doctior non sit dignior et aliquis possit esse minus doctus sed magis idoneus pro ecclesia Parochiali, hinc est quod expletis examinibus instituenda est quaestio circa collationem Parochialis adeoque circa uniuscujusque requisita, et tunc formiter et per concludentes probationes poni debet in claris, quod Ordinarius praeelegerit minus dignum in comparatione dignioris, et in his terminis procedere dicuntur verba bullae Pianae: *Constito de prioris eligentis irrationabili judicio eoque revocato Parochialis magis idoneo conferatur*, et late ad rem prosequuntur *Ventrigl. in praxi rerum eccles. part. 2. annot. 5.* §. *2. num. 53 et 54, Garcias de benef. part. 9. cap. 2. num. 252, Monacell. in formul. tom. 2. tit. 15. num. 20 et 21, Rota in Lunen. Sarcanen. Parochialis 2. Julii 1706* §. *Neque obstare in bon. mem. Omanna*, et *decis. 10. num. 4 et 5.* post *Monacell. in formul. tom. 4.*

Exposita praxi, juxta methodum insinuatam, *necesse est loqui de inconvenientibus et praejudiciis*, quae ex dicta praxi derivare dicuntur. Porro nonnulla respiciunt juris dispositionem et ordinem, nonnulla decorem episcopalem et nonnulla damnum ipsarum ecclesiarum parochialium necnon parochianorum.

Quoad dispositionem et ordinem juris durum et durissimum esse, quod, si praesumptio juris est pro Episcopi judicio, quoadusque contrarium doceatur, provocatio ad novum examen deinde admittatur, nedum absque ulla probatione, sed etiam absque ullo fumo irrationabilitatis episcopalis judicii, et multo magis, cum ex novo examine non desumatur nisi major vel minor literatura, quando certum est majorem literaturam non sufficere pro obtinenda Parochiali, itaut possibilis sit casus, quod rite et recte Episcopus praetulerit minus doctum magis docto, ex quo minus doctus caeteris aliis necessariis polleret qualitatibus pro regimine animarum, ut in puncto, perpensa praxi, de qua nunc agitur, ponderat *Card. de Luca de Parochis disc. 6. num. 3 et seqq.*

Quocirca dicunt doctores, quod haec provocatio ad novum examen etiam cum subsecuto favorabili effectu, quod appellans scilicet remaneat approbatus et etiam qualificatus tanquam magis doctus, nullatenus ei sufficiat pro obtinenda Parochiali, sed tantum ad avertendam notam et infamiam reprobationis aut approbationis in secundo gradu reportatae in primo examine episcopali, uti ponderat *Ventrigl. in praxi rer. eccles. part. 2. annot. 5.* §. *2. num. 48*, et sequitur *Rota decis. 10. sub num. 9.* post *Monacell. in formul. tom. 4.*

Quoad decorem episcopalem animadvertitur, quod provocans ad novum examen et obtinens approbationem in secundo et ulterioribus examinibus ut plurimum Parochialem consequitur et a tribunalibus Urbis respondetur, quod *constat de irrationabili judicio* Episcopi, itaut parochia sit provocanti conferenda. Responsio autem, quod *constat de irrationabili judicio* praejudicium affert decori episcopali, et quidem, ut aliqui dicunt, sine fundamento et ratione; deberet etenim de irrationabilitate constare ex actis concursus habiti coram Episcopo et non ex novo examine, quia, sicuti possibile est, ut aliquis male responderit in concursu habito coram Episcopo et bene respondeat in concursu, qui sit coram judice appellationis, sic possibile est, quod rationabile fuerit Episcopi judicium, non probante approbatione a provocante reportata in secundo examine, in quo rerum themate, nemo non videt sine fundamento et sine ratione et cum dedecore episcopalis dignitatis saepius responderi, quod constat de irrationabili Episcopi judicio; eoque fortius, quod sive ex industria sive ex accidenti magnum, ut plurimum, intercedit tempus inter examen Episcopi et examen coram judice appellationis, quo tempore inter-

medio reprobatus discere potest et experientia teste habetur, quod reprobati discunt, edocti videlicet, et praesertim in Urbe ab aliquo viro peritiam habente theologiae moralis et casuum, uti dicunt, conscientiae.

Quoad damnum denique et praejudicium ecclesiarum parochialium et parochianorum, de illo dicitur non esse dubitandum, quia, postquam electus in concursu possessionem obtinuit ecclesiae parochialis, si provocetur ad novum examen, debet a parochia discedere, debet accedere ad judicem appellationis et, ut plurimum, ad Urbem, debet de necessitate non recedere ab Urbe nec a loco judicii, quoadusque fuerit completum judicium novi examinis, quod ex supradictis tres et quatuor instantias admittit, qua in re, an contineatur necne damnum ecclesiarum parochialium et parochianorum, unusquisque facile colligere poterit tum ex lege residentiae impositae parochis pro beneficio suarum ecclesiarum et parochianorum, tum ex sacris canonibus, qui diutinae ecclesiarum adversantur vacationi propter damnum, quod in illas et earum parochianos derivat ex intermedia residentia oeconomorum et vicecuratorum.

Post expositam juris dispositionem in materia harum appellationum necon praxim tam hujus sacrae Congregationis quam tribunalis Rotae, necnon inconvenientium et praejudiciorum, quae ex dicta praxi derivare dicuntur, nihil aliud superest, quam proponere remedia, quae parari posse videntur adversus allegata inconvenientia et praejudicia.

Ad rem itaque descendendo praemittere opus est, quod plures in Urbe fiunt concursus, non solum etenim fiunt pro ecclesiis parochialibus Urbis sed etiam pro parochialibus, quae vacant in patria obedientiae necnon pro omnibus aliis ecclesiis parochialibus, in quibus admittitur provocatio ad novum examen.

Ante tempora san. mem. Innocentii XI. proponebantur ab examinatoribus oretenus nonnulli casus theologiae moralis et concurrentes respondebant oretenus et non in scriptis, et non iidem casus omnibus concurrentibus proponebantur, sed aliqui casus uni, alii alteri; cumque frequentes reclamationes audirentur, unus enim ex concurrentibus asserebat sibi propositos fuisse casus difficiliores et alterum fuisse de facilioribus interrogatum, quodque notabilius est, cum in magna concurrentium multitudine et quidem respondentium non in scriptis sed in voce difficile admodum esset, quod examinatores tutum de uniuscujusque literatura possent efformare judicium, de ordine san. mem. Innocentii XI. *introducta fuit praxis in tribunali eminentissimi Vicarii Urbis, quod eadem omnino quaesita omnibus concurrentibus proponerentur *), quod omnes concurrentes, intra tempus ipsis assignatum responderent non voce sed scriptis, et quod pariter non voce sed scriptis parvam exararent concionem super textu evangelii ipsis assignato* exclusa temporibus recentioribus consuetudine explicandi concilium Tridentinum, cum ex responsionibus, quae lingua latina a concurrentibus dantur, respondendo in scriptis ad quaesita proposita bene dignoscatur, an calleant linguam latinam et sic, an habeant capacitatem intelligendi et explicandi concilium Tridentinum; et methodus haec, quod eadem omnino quaesita omnibus concurrentibus proponantur, et quod ipsi in scriptis respondeant, exigitur a Dataria apostolica, quando vacat parochialis ecclesia sede episcopali aut archiepiscopali vacante, quando contingit vacatio alicujus ecclesiae parochialis juxta decretum, et quando vacat aliqua dignitas major in collegiata aut cathedrali ecclesia, cui sit annexa cura animarum, de qua olim disputabatur, an esset necne conferenda per concursum, juxta late deducta per *Fagnan. in cap.: Cum sit ars, n. 19 et seqq. de aetate et qualitate.* Sanctissimus etenim Dominus Noster voluit atque decrevit, quod occurrente vacatione alicujus majoris dignitatis in cathedrali aut collegiata ecclesia, cui sit annexa cura animarum, epistola scribatur ab eminentissimo Prodatario ad Ordinarium loci, ut concursum indicat, et quod deinde transmittat acta concursus et methodus denique proponendi eadem quaesita omnibus et exigendi responsionem in scriptis in pluribus viget dioecesibus, sed non in omnibus; Bononiae etenim et Perusiae examen adhuc sit oretenus et concurrentes non respondent in scriptis.

Praemittendum est etiam, quod in tantum fuit admissa provocatio ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum, cum concurrentes non responderent in scriptis, non poterat ex actis primi concursus gravamen desumi, et sic nullus alius supererat modus inquirendi: an ille, qui fuerat in primo examine reprobatus, rite et recte fuisset reprobatus, quam novum examen decernendo, in quo rerum themate probatio gravaminis ante examen non videbatur, quod exigi posset, juxta censuram textus in *cap.: Si forte de electione in sexto,* ibi: *Si forte inter caetera, quae objiciuntur electo aut postulato seu alias promovendo ad aliquam dignitatem, evidentem scientiae vel alium personae defectum opponi contingat, in discussione objectorum illum statuimus ordinem incommutabiliter observandum, ut promovendus super defectu ipso ante omnia subjiciatur examini, cujus eventus examinandis aliis aut dabit initium aut negabit,* et in terminis, quod provocatio ad novum examen admittatur absque ulla probatione gravaminis, ex quo gravamen ex actis primae instantiae desumi non potest, firmant *Pax Jordan. lucubr. lib. 10. tit. 8. num. 227, Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 31. num. 155, Garcias de benef. part. 9. cap. 2. sub n. 250, Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 4. n. 144,* et quod in tantum admittatur provocatio ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum ex actis primi concursus non habebantur interrogationes et responsiones, firmat *Rota coram Ludovis. decis. 538. n. 3,* ibi: *Ad docendum autem de gravamine est locus novo examini, qui est modus attendendi iniquitatem et injustitiam examinatorum, quod tanto magis procedit in casu isto, in quo non fuerunt descriptae interrogationes et responsiones, aut saltem non fuerunt transmissae et productae, itaut, cum ex ipsis apparere non possit de gravamine, si aliunde doceri non posset, inanis esset facultas appellandi;* et sequitur *Rota decis. 5. num. 11. coram Celso,* ibi: *Et in hanc partem eo magis inclinarunt Domini, quia in actis dicti concursus ad curiam transportatis non apparet registratum integrum examen ad effectum, ut dignosci possit, quis sit judicandus magis idoneus;* et conferunt ea, quae referuntur apud auctores et habentur in monumentis, in quibus aliquid de hisce concursibus statuitur aut respective refertur, cum apud *Fagnan. in cap.: Eam te sub num. 48. de aetate et qualitate* habeatur, quod in dioecesi Pistoriensi non aderat consuetudo scribendi interrogationes examinatorum et responsiones concurrentium, cum in actis etiam ecclesiae Mediolanensis pluries sermo fiat de examinibus faciendis ad tramites concilii Tridentini pro conferendis parochialibus ecclesiis, scilicet *part. 1. pag. 14, pag. 120, pag. 215,* §. *Tum periculum fiat,* nec ullibi mentio fit de conscribendis interrogationibus et responsionibus, cum ulterius in archiepiscopali Bononiensi decreto edito a clar. mem. Card. Gabrielle Paleotto part. 4. tit. de ratione examinandi expresse supponatur, quod interrogationes fiant oretenus et responsiones edantur consimili modo: *Illud tamen nostra synodus observandum esse ducit, ut, cum plures se obtulerunt examinandos, illi, qui prius nomina dederunt, primi ad examen admittantur, aut si ita expediat, omnes simul coram examinatoribus convocentur, ut de unoquoque coram omnibus periculum fiat, ac si ex re magis videatur, liceat singulis examinatoribus aliquid interrogare, ea semper ratione servata, ut inter examinandos, quanta fieri poterit, aequalitas observetur, et super eadem re et per easdem interrogationes singuli examinentur, ut omnis collusio sive praecedens instructio amoveatur sub perjurii periculo,* cumque tandem ex actis concursuum, qui conservantur in archivo sacrae Congregationis, et loquendo praesertim de actis antiquioribus, desumatur interrogationes et responsiones oretenus factas fuisse, hoc solo intercedente discrimine quod in nonnullis actis solum legitur Titium ex. gr. fuisse ab examinatoribus approbatum et Cajum fuisse reprobatum, et in aliis interrogationes habentur per extensum et responsiones, sed scriptae a cancellario, qui eas excepit ex ore interrogantium et respondentium, quique per consequens conscribendo modo praedicto interrogationes et responsiones uni ex concurrentibus auxilium et alteri praejudicium afferre potest vel ex industria, quod non est credendum, vel ex accidenti.

Supposito, quod concursus, qui fiunt in Urbe quique ad Datariam apostolicam transmittuntur, sint taliter confecti, ut eaedem interrogationes fiant omnibus concurrentibus, et quod responsiones scriptae sint proprio uniuscujusque concurrentis charactere, videtur, quod praecipiendo, quod omnes concursus fiant praedicto modo, quod statuendo tempus, intra quod ille, qui fuit in concursu rejectus, debeat appellare, decernendo ulterius, quod provocans ad novum examen gravamen ostendat ex actis primi concursus, antequam novum examen decernatur, gravamen etenim, si vere adest, potest ictu oculi ostendi ab appellante ex dictis actis primi

*) Vd. *Concursus pro collat. eccles. paroch.* (modus — literae circulares —).

concursus, in quibus, uti supponitur, tam suae quam aliorum responsiones continentur, et quidem uniuscujusque charactere conscriptae, et demum jubendo, ut appellans non ex gravamine in literatura sed ex aliarum suarum qualitatum praeponderantia ostendat, si potest, gravamen aut ex actis concursus aut aliunde et per documenta etiam extrajudicialia, antequam appellatio admittatur, videtur, inquam, quod omnia praejudicia cessent et inconvenientia, nihil quoque fiat adversus concilium Tridentinum aut bullam Pianam nec adversus sensum sacrae Congregationis aut Rotae.

Quod autem omnia praedicta demandando cessent praejudicia et inconvenientia, patet, quia, si praesumptio est pro Episcopi judicio, quoadusque contrarium doceatur, id totum verificatur in hypothesi, de qua nunc agitur, cum nec provocatio ad novum examen nec appellatio admittantur, nisi docto de gravamine. Rursus, si inconveniens reputatur, quod sine fundamento et ratione respondeatur, quod *constat de irrationabili judicio Episcopi*, ex quo Episcopus potuit rationabiliter existimare, quod aliquis in examine coram se peracto esset reprobandus, qui deinde in successivis examinibus approbationem meretur, absurdum hoc nullum sibi potest locum vindicare in eo rerum statu, de quo nunc agitur, cum in ipso irrationabilitas praelationis in eo, quod attinet ad literaturam, magna ex parte desumatur ab examine peracto coram eodem Ordinario. Denique, si parochorum absentia magnum tum ecclesiis tum parochianis affert detrimentum, non erit absentia ita frequens, non solum quia frequentia cessabit ex temporis praefinitione ad interponendam appellationem, sed, quod magis est, quia imposita lege de probando gravamine ex actis primi concursus, antequam admittatur provocatio ad novum examen, non erunt provocationes adeo frequentes, et sic adeo frequens non erit absentia, quae ortum habet a provocatione ad novum examen.

Quod item praedicta omnia demandando nihil committatur adversus concilium Tridentinum aut bullam Pianam dignoscitur, quia appellatio a mala relatione examinatorum necnon ab irrationabili judicio Episcopi, de quibus in concilio Tridentino et respective in bulla Piana praeservatur, et ad eam tantum regulandam nonnullae adduntur conditiones, ut appellatio rite et recte admittatur.

Ultimo, quod nihil per methodum insinuatam inducatur contra sensum hujus sacr. Congregationis et tribunalis Rotae, ponitur in claris, cum in tantum in praeteritis fuerit dictum, esse locum provocationi ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum gravamen ex actis primi concursus desumi non poterat nec alius aderat modus ostendendi gravamen, quam per novum examen, quae ratio nullum amplius sibi vindicat locum, quando taliter acta primi concursus conficiuntur, ut ex illis gravamen valeat desumi, ad quod assumptum comprobandum mirifice confert, quod sacra haec Congregatio, licet in resolutionibus et decretis indicatis et aliis, quae possent indicari, videatur, quod fuerit in sensu admittendi appellationem et provocationem ad novum examen absque ulla praevia probatione gravaminis; de fumo tamen gravaminis seu irrationabilitatis judicii episcopalis voluit aliquando gustare ante appellationis admissionem, teste *Fagnan. in cap.: Eam te 39. de aetate et qualitate*, ibi: *Caeterum, etsi ad obtinendum novum examen in judicio appellationis non sit necesse, ut prius constet de irrationabili judicio, ut ex praedictis liquet, nihilominus sacra Congregatio consuevit novum examen decernere dato aliquo fumo irrationabilitatis et malae praelectionis Episcopi* etc., et rursus post expositum casum appellationis interpositae ex praeponderantia qualitatum et ex nimia erga approbatum examinatorum familiaritate et benevolentia subdit: *Sacra Congregatio censuit concursum novum in Urbe esse instituendum, ubi orator de veritate narratorum dederit fumum, id est postquam per attestationes extrajudiciales vel alia informia documenta de hujusmodi suspicione et gravamine aliqualem fecerit fidem, ut sic probabilis et sufficiens causa eum excuset a calumnia.*

Atque haec dicta sint sub censura salvo semper etc.

Die 1. Octobris 1720.

14) A censuris absolute ab homine latis.

a) Ab Excommunicatione.

Vd.: *Appellatione remota; Appellatio* (jus appellandi quis non habet; ad tribunalia Romae).

Appellatio a censuris absolute ab homine latis admittitur solum quoad effectum devolutivum, non vero quoad suspensivum, *cap.: Pastoralis 53. de appell.* Ipsa enim censura,

v. g. excommunicatio, trahit secum executionem, adeo ut per subsequentem appellationem non solum ea non suspendatur, sed etiam non impediatur ejusdem denunciatio, sive quominus judex talem excommunicatum esse denunciare et declarare possit, non obstante appellatione, ut expresse decernitur in cit. *cap.: Pastoralis* §. *Verum*, ubi, cum ab Episcopo Parisiensi quaesitum fuisset ex Pontifice Innocentio III.: Si judex ecclesiasticus, Episcopus v. g., in dioecesanum sententiam excommunicationis proferat, ille vero ab ea tamquam irrationabiliter seu injuste lata appellet, utrum Episcopi jurisdictio censeri debeat, quod pendente appellatione suspensa sit ac dormitet, proinde ac si ante latam excommunicationem appellatio facta fuisset, an vero nihilominus eumdem denunciare possit et ecclesiasticis beneficiis clericum ipsum privare? sic praecise respondit Pontifex: »Nos itaque respondemus, quod, cum executionem excommunicatio secum trahat et excommunicatus per denunciationem amplius non ligetur, ipsum excommunicatum denunciare potest, ut ab aliis vitetur et illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur, cui ecclesiae communio denegatur.«

Excommunicatus, si injuste opprimatur et gravetur, appellare potest; *cap.: Cum inter 5, cap.: Dilecti 8.* et *cap.: Significaverunt 11. de exceptionibus.*

Qui est excommunicatus, non potest appellare extrajudicialiter appellatione, quae habet se per modum provocationis, cum excommunicato provocare non liceat; *cap.: Intelleximus de judiciis;* potest tamen appellare judicialiter appellatione, quae rationem defensionis habet; *cap.: Cum inter 5* etc. ut supra.

b) Ab Interdicto.

In *cap.: Ad haec 37. de appellat.* praecise habetur: »Ad haec, quoniam sub interdicto aliqui constituti appellant et deinde illud servare contemnunt, quid in hoc casu servandum sit, consulere voluisti. Noveris igitur, quod, sicut post appellationem excommunicari non possunt, sic interdictum nequeunt, cui ante appellationem eos constat suppositos, declinare;« et clarissime innuitur in hujus capitis summario his verbis: *Sententia interdicti non suspenditur per appellationem seq.«* Et ratio est, quia, cum censurae ecclesiasticae sint medicinales et principaliter sint ad corrigendum, *cap.: Cum medicinalis 1. de sent. excommun. in 6*, fuit per allegatos canones justissime dispositum, quod per appellationem subsequentem non suspendantur, ne praetextu frivolae appellationis quandoque impediatur medicinalis correctio. Unde stat, quod appellatio a censuris ab homine latis non pariat effectum suspensivum sed solum devolutivum, ex quo judex, ad quem appellatur, de justitia latae censurae et interpositae ab illa appellationis cognoscere possit ac debeat. *Est communis.*

c) A Suspensione.

Vd.: *Appellatio a suspensione etc.*

15) A censuris ab homine latis sub conditione et comminatis.

Vd. *p. 619 n. 28.*

Appellatio a censuris ab homine latis sub conditione admittitur nedum quoad effectum devolutivum, sed etiam quoad suspensivum ante conditionis eventum, etiamsi conditio non servetur. Habetur clare et expresse in *cap.: Praeterea 40. de appellat.* praecisis his verbis: »Praeterea requisiti fuimus, si quis judex ita protulerit sententiam: nisi Sempronio infra 20 dies satisfeceris, te excommunicatum vel suspensum aut interdictum esse cognoscas: ille, in quem fertur sententia, medio tempore appellans, ad diem statutum minime satisfecerit, utrum ille sententia tali ligetur aut interpositione appellationis tutus existat. Videtur autem nobis, quod hujusmodi sententiam appellationis obstaculum debeat impedire. Et clarissime innuitur in ejus summario: »Sententia excommunicationis, suspensionis vel interdicti lata sub conditione suspenditur, si ante conditionis eventum fuerit appellatum. Et ratio est, quia in tantum a censura absolute lata non admittitur appellatio quoad suspensivum, in quantum ipsa jam arctat censuratum ante appellationem, cum censura absolute lata secum trahat executionem, ex *cap.: Pastoralis 53. de appellat.*, et censura lata sub conditione non arctat censuratum ante positam conditionem, cum conditionale nihil ponat inesse, nisi purificata conditione, adeoque ante eventum conditionis potest libere appellare quoad suspensivum, cum per appellationem sit suspensa ipsius (scilicet judicis) jurisdictio, ut expresse habetur *cap.: Si a Judice 10. de appellat. in 6.*

Appellatio a censuris comminatis admittitur etiam quoad utrumque effectum, scilicet

devolutivum et suspensivum. Et ratio est, quia, licet illarum sententia sit potius interlocutoria quam definitiva, ut notat Innocent. in *cap.: Per tuos*, Joann. Andreas in *cap.: Venerabilibus, de sentent. excommun. in 6.* et doctores passim, in rubr. de re judicata, tamen semper infert gravamen, quod per appellationem reparari non potest, et ideo ante sententiam admittitur appellatio ab hoc futuro gravamine, ita ut si a comminata censura v. g. excommunicatione appellatum fuerit, excommunicatio postea lata sit ipso jure nulla, ut cavetur *cap.: Per tuas de sentent. excommun.* Hinc deducitur, quod, si quis citetur ad adducendam rationem, quare non debeat excommunicari, hic possit appellare, et Ordinarius tenebitur huic appellationi deferre, quia agitur de gravamine, quod, si non reparetur per appellationem, est aliunde irreparabile, ut de se patet, cum censura, statim ac est fulminata, trahat secum executionem, ex cit. *cap.: Pastoralis 53. de appellat.* E contra vero si quis citetur ad adducendam rationem, quare non debeat declarari incidisse in excommunicationem, hic non poterit appellare nec Ordinarius tenebitur simili appellationi deferre, sacra Congregatio concil. *in Tropien. 16. Martii 1619* et *in Neocastren. 1620.* Et ratio est, quia, cum a declaratoria detur appellatio etiam suspensiva, praeterquam in judicialibus, *cap.: Solet in fin. de sentent. excomm. in 6, Felin. in cap.: Rodulphus n. 43. de rescript., Rota decis. 2. num. 5. de dolo et in novis*, illius comminatio non infert gravamen, quod reparari non possit per appellationem a definitiva, et ideo in hac comminatione non admittitur appellatio sicut in alia. Et hanc differentiam inter comminationem excommunicationis ferendae et comminationem declaratoriae excommunicationis jam latae tradunt *Felin. in cap.: Cum non ab homine n. 12. de jud.*, et *Duen. in regul. 42. n. 8*, et saepius probavit sacra Congreg. concilii, ut refert et tenet *Fagnan. in cap.: Super eo n. 50. de appellat.*

16) A censura incurrenda quando excusat?

Causa excusans ab incurrenda censura est appellatio legitima interposita ad Superiorem post comminationem censurae ab inferiori factam, antequam incurratur. Et ratio est, quia appellatio facta in tempore suspendit usum jurisdictionis in judice, ut habetur expresse in *cap.: Romana 3*, et *cap.: Si a judice 10. de appellat. in 6.* Et idem omnino facit recusatio judicis, antequam sententiam excommunicationis vel alterius censurae ferat; textu claro in *cap.: Quoties Episcopi 16. caus. 2. qu. 6*, ibi: »Quoties Episcopi se a suis Comprovincialibus vel a Metropolitano putaverint praegravari aut eos suspectos habuerint, mox romanam appellent Sedem, atque eis libere ire liceat, et dum praedictam romanam ecclesiam appellaverint aut ab ea se audiri poposcerint, nullus eos excommunicare aut eorum Sedem surripere aut res eorum auferre aut aliquam eis vim inferre praesumat.« Hoc tamen non verificatur, quando appellatio fit post jam latam excommunicationis vel alterius censurae sententiam, quia tunc appellatio facta solum post latam sententiam non habet vim suspendendi, sed solum devolvendi, ut Superior possit cognoscere de justitia censurae; *cap.: Ad reprimendam 8. de offic. judicis ordinarii.*

17) Communis.

Vd *Appellatio* (Jus appellandi quis habet?).

18) A Concilio generali ad Papam.

Vd. *infra n. 19.*

A sententia concilii generalis potest appellari ad Papam tamquam ad Superiorem, sed non converso; *cap.: Cuncta per mundum 9. qu. 3*, et *cap.: Qui se scit 2. qu. 6.* Imo appellantes a romano Pontifice ad futurum concilium eorumque consiliarii et fautores poenis excommunicationis criminisque laesae Majestatis divinae et humanae subjiciuntur a Pio II. in constitutione incipiente: *Execrabilis**). Et decernuntur veri et indubitati schismatici et de catholica fide male sentientes a Julio II. in constitutione incip.: *Suscepti regiminis***) et excommunicantur in die coenae Domini, ut patet ex *bulla Coenae* §. *2.* Unde cum appellatio sit de minore ad superiorem judicem provocatio, *l. 1.* §. *Si quis a judice, ff. de appellat. c. 2. de consuetud. in 6*, ex quo non possit appellari a Papa ad consilium, quia esset appellare a superiore ad inferiorem contra naturam appellationis, stat evidenter, quod Papa sit supra concilium, et non e contra. Quid plura? Auctoritas romani Pontificis supra concilium, ultra quam quod fuit expresse definita a Leone X. in concil. Lateran. V.

*) Vd. *sequ. num. 19 pag. 604.*

**) Vd. *infra pag. 605.*

sess. 11, habetur ad praesens etiam expresse definita *ab Alex. VIII., qui 7. Decbr. 1690* hanc in ordine 29. propositionem damnavit: »*Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis romani supra concilium oecumenicum auctoritate et in fidei quaestionibus decidendis infallibilitate.*« Et prius 4. Augusti ejusdem anni 1690 constitut. incip.: *Inter multiplices* proscripserat quatuor propositiones editas in comitiis gallicanis de anno 1682, quarum secunda auctoritatem concilii supra romanum Pontificem elevabat per sequentia verba: »*Sic autem inesse apostolicae Sedi ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae synodi Constantiensis a Sede apostolica comprobata, ipsoque romanorum Pontificum ac totius ecclesiae usu confirmata, atque ab ecclesia gallicana perpetua religione custodita, decreta de auctoritate conc. generalium, quae sess. 4. et 5. continentur; nec probari, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant aut ad solum schismatici tempus concilii dicta detorqueant.*«

Appellantes ad futurum concilium generale damnantur et excommunicantur etiam a *Benedicto XIV. constit. 14.* incip.: *Pastoralis* §. *2.*

Ex hac autem Pontificis romani auctoritate supra generale concilium infertur

I, quod a romano Pontifice appellari nequeat ad concilium generale; appellatio enim de sui natura fieri debet ab inferiori ad superiorem. Non est itaque quod a Pontifice romano appellari queat ad concilium generale: »Neque (ita opportune *Christianus Lupus de appellat. cap. 19. Edit. Venet. anni 1742 fol. 90. col. 2.*) in damnatam hanc appellandi temeritatem ullus unquam antiquis ecclesiae saeculis prorupit, nisi a turbulentia infamissimi Donatistae. Dico antiquis ecclesiae saeculis. Etenim in novissimis, quibus iniquitas abundare coepit, temporibus eam resumpsit turbitus spiritus Friderici II., qui primus a Greg. IX. ad Romanam ac postea ab Innocentio IV. ad Lugdunensem synodum vocatus de haeresi atque aliis criminibus respondere per Thaddaeum legatum suas primum Lugduni exceptiones proposuit, ac ob illas, a secunda depositionis sententia non retrocedente Pontifice, appellavit, uti scribit Matthaeus Paris, ad concilium futurum generalius, eo quod omnes Praelati et Principum oratores non essent praesentes. Verum perrexit Pontifex exuitque Fridericum et imperio et ecclesiastica communione. Eamdem in foveam sese a Bonifacio VIII. excommunicatus projecit Philippus pulcher Galliae rex eique non solummodo gallicani proceres sed et quidam Episcopi adhaesere, quos obsecrarat, ne Bonifacium spirituali gladio abusum in ulteriores excommunicationes prorumpere sinerent, pollicitus se congregandae synodo pro viribus adnisurum. Sciebat Philippus rem a se tentari irregularem. Hinc salva a se omnia romanae ecclesiae privilegia protestatus est et agi contra solam Pontificis personam eamque de haeresi accusavit. Sciebat enim nonnisi ex manifesta haeresi adversus principales claves posse quippiam attentari. Sic a Joanne XXII. appellans Ludovicus Bavarus dixit sibi quaestionem non esse de potestate papali aut jurisdictione ecclesiastica, sed de temporalibus imperii juribus, quae Joannes violenter per arma potius quam per apostolicas claves invadebat. Notat a papali sententia appellationem rem esse minime christianam. Et quem finem ambo hi Principes habuerint, novit mundus universus.« Adi eumdem Christianum Lupum loco citato. *)

II. Infertur quod a concilio generali appellari possit ad romanum Pontificem. Nec desunt exempla et quidem in sanctis hominibus. Ea habemus in s. Athanasio Patriarcha Alexandrino et Paulo Patriarcho Constantinopolitano, qui a concilio depositi appellarunt ad Julium I. Papam, a quo sedibus suis fuerunt restituti. *Sozom. l. 3. c. 8;* in s. Flaviano pariter Patriarcha Constantinopolitano et Theodoreto Episcopo Cyri, qui a concilio Ephesino II. appellarunt ad Leonem I. Pontificem; *s. Leo epist. 25. Liberatus* in *breviario c. 12;* in s. Joanne Chrysostomo itidem Patriarcha Constantinopolitano appellante a concilio, a quo fuit depositus, ad Innocentium I., *Gelas.* in *epist. ad Episc. Dardan.* **)

*) Hoc argumentum de appellationibus a romani Pontificis constitutionibus ad generale concilium innumeri sunt, qui Quesnellianae factionis occasione in Gallis praesertim pertractarunt. Consule etiam *Zachariam tum in Antifebronio tom. IV. pag. 165 segq., tum in Antifebronio vindicato tom. IV. diss. XII. cap. 4.* et *Marchettum* in praeclaro opere, quod in Fleurianam historiam Bononiae edidit, nunc autem multo auctius Romae recudit.

**) Jure cl. Ferraris a concilio generali appellari

Appellari non potest a concilio generali *legitime congregato et approbato*, quia una cum romano Pontifice, qui illud approbavit, repraesentat totam ecclesiam, a cujus sententia nequit appellari, quia injuriam facit judicio generalis concilii, si quis semel judicata ac recte disposita revolvere et publice disputare contenderit, ut dicitur in *l. Nemo 4. Cod. de Summa Trinit.*

19) Ad Concilium futurum.

Vd. *anteced. num. 18.*

Appellantes a summo romano Pontifice ad futurum concilium eorumque consiliarii et fautores poenis excommunicationis criminisque laesae Majestatis divinae et humanae subjiciuntur.

Pius II. Episcopus. Servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Execrabilis et pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut a romano Pontifice, Jesu Christi Vicario, cui dictum est in persona beati Petri: *Pasce oves meas,* et: *quodque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis*, nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate judicii sed commissi evasione peccati ad futurum concilium provocare praesumant, quod quantum sacris canonibus adversetur quantumque reipublicae christianae noxium sit, quisquis non ignarus jurium intelligere potest. Namquam (ut alia praetereamus, quae huic corruptelae manifestissime refragantur) quis non illud ridiculum judicaverit, quod ad id appellatur, quod nusquam est neque scitur quando futurum sit? Pauperes a potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita scelera, nutritur adversus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur et omnis ecclesiastica disciplina et hierarchicus ordo confunditur.

§. 1. Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi ecclesia procul pellere et ovium nobis commissarum saluti consulere omnemque materiam scandali ab ovili nostri Salvatoris arcere de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium cunctorumque praelatorum ac divini et humani juris interpretum curiam sequentium consilio et assensu ac certa nostra scientia. *hujusmodi provocationes damnamus et tamquam erroneas ac detestabiles reprobamus*, cassantes et penitus annullantes, si quae hactenus taliter interpositae reperiantur easque, tamquam inanes ac pestiferas, nullius momenti esse decernimus et declaramus. Praecipientes deinceps, ut nemo audeat, quovis quaesito colore, ab ordinationibus, sententiis sive mandatis quibuscumque Nostris ac successorum Nostrorum talem appellationem interponere aut interpositae per alium adhaerere seu eis quomodolibet uti.

§. 2. Si quis autem contrafecerit, a die publicationis praesentium in cancellaria apostolica, post duos menses, cujuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerit, etiam si imperiali, regali vel pontificali praefulgeat dignitate, ipso facto sententiam execrationis incurrat, a qua, nisi per romanum Pontificem et in mortis articulo, absolvi non possit. Universitas vero sive collegium ecclesiastico subjaceat interdicto, et nihilominus tam collegia et universitates quam praedictae et aliae quaecumque personae eas poenas ac haereticae pravitatis fautores incurrere dignoscuntur. Tabelliones insuper ac testes, qui hujusmodi actibus interfuerint et generaliter qui scienter consilium, auxilium dederint vel favorem talibus appellantibus, pari poena plectantur.

§. 3. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrorum voluntatis, damnationis, reprobationis, cassationis, annullationis, decreti, declarationis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Mantuae die 18. Januarii 1459.

(Bull. r. t. V. p. 149. Ed. Aug. Taur. 1860.)

posse ad romanum Pontificem scribit. Sed vereor, ut hoc exemplis ab eo indicatis comprobari possit. Nullus enim ex sanctis illis Episcopis, qui de suis sedibus dejecti Romam appellarunt, fuit in generali concilio depositus, ne Flavianus quidem aut Theodoretus; Ephesinum enim II. non tam concilium generale fuit, quam latrocinium. Athanasius et Paulus ab Arianorum conventibus, Chrysostomus a conciliabulo ad Quercum fuere depositi. Haec tamen exempla locuples argumentum suppeditant supremae romanorum Pontificum tum in abrogandis conciliorum etiam nationalium, multoque magis provincialium decretis, tum in suscipiendis ex toto orbe christiano appellationibus auctoritatis.

Extensio constitutionis a Pio II. editae contra appellantes a romano Pontifice ad futurum concilium eorumque complices et fautores.

Julius II. Episcopus. Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Suscepti regiminis Nos cura sollicitat, ut eorum malitiis et audaciae, quorum sceleris caecitas et damnandae ambitionis improbitas animas occupantes (discordiarum fautore ac schismatum inventore et alumno, humani generis inimico procurante), eos in illam temeritatem impellunt, ut quae sibi a jure interdicta et a sanctis patribus etiam in congregatione fidelium, pro hujus sanctae Sedis dignitate et ecclesiae unitate servandis, ad schismatis occasionem tollendam (quo in Dei ecclesia perniciosior morbus inveniri vix potest), Spiritu sancto cooperante, non minus provide et salubriter quam necessarie decreta et statuta esse noverint, damnata audacia et exquisitis artibus et fraudibus attentare temere conentur et eis contravenire contendant, nunc novorum editione jurium nunc antiquorum innovatione et declaratione, nunc vero extensione et novarum poenarum adjectione, prout salubriter expedire conspicimus, sollicitis studiis obviare curemus.

§. 1. Sane, licet olim fel. rec. Pius Papa II. praedecessor Noster, de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium cunctorumque praelatorum ac divini et humani juris interpretum curiam romanam sequentium, in diaeta seu Congregatione Mantuana existentium, approbatione, matura prius et gravi praemissa discussione, et de eorumdem congregatorum unanimi consilio et assensu ac ex certa scientia provocationes ad futurum concilium efficacissimis et palpabilibus rationibus tamquam erroneas et detestabiles damnaverit ac sub excommunicationis latae sententiae et interdicti poenis praeceperit, ne qua persona, cujusvis dignitatis sive etiam universitas aut collegium, quovis quaesito colore, ab ordinationibus, sententiis seu mandatis quibuscumque suis ac successorum suorum appellationem hujusmodi interponere auderet, et contrafacientes, unacum fautoribus suis et consilium auxiliumve praestantibus (sive hi tabelliones essent sive advocati sive alii quicumque), non solum poenis et censuris praedictis sed etiam iis, quae laesae majestatis et haereticae pravitatis reis imponuntur, obnoxios esse statuerit,

§. 2. *Leonardus tamen Lauredanus, dux, rogati ac generale concilium et commune Venetiarum omnesque et singuli patritii et cives communis ejusdem, una cum provisoribus, potestatibus, commissariis et reliquis officialibus suis* (quorum auctoritate, industria, consilio, opere aut favore civitates, oppida, castra et arces ad Nos et sanctam romanam ecclesiam legitime pertinentes, occupatae fuerant aut detinebantur), de fratrum Nostrorum consilio, a Nobis requisiti et moniti, ut intra certum terminum, sub poenis tunc expressis, Nos et sanctam apostolicam Sedem plene et omni ex parte, in concessa sibi auctoritate et libertate, cum obedientia recognoscerent et reintegrarent ac Ravenam, Cerviam, Arminium, Faventiam, Sarsinam, civitates, cum oppidis, castris, terris et districtu ipsarum, cumque Caesenaten., Forolivien. ac Imolen. territoriis, castris, oppidis, terris et locis, quae occupabant, integre et expedite Nobis et dictae romanae ecclesiae, cujus juris esse noscebantur, relaxarent atque inde recederent nec impedirent, quominus illorum cives et habitatores ad piae matris suae romanae ecclesiae obedientiam reverterentur, omnes eorum fautores ab auxilii in talibus praestatione deterrendo, ita quod requisitioni, monitioni et mandato Nostro hujusmodi non parentes, majoris excommunicationis sententia, de simili consilio et ipso innodati censerentur, a qua, praeterquam in mortis articulo constituti, per alium quam per romanum Pontificem, etiam praetextu cujuscumque facultatis, cuicumque pro tempore concessae, absolvi non possent (quam quidem excommunicationis sententiam in hujusmodi non paritionis eventum iteratis etiam vicibus aggravavimus), paternis monitis et salutaribus jussis obsequi, prout debebant, indebite recusantes, ceu qui juri proprio diffidunt et superioris mandata contumaciter obaudiunt, ut, quae minus juste usurparunt, indebite etiam, cum animarum suarum detrimento retineant, ad prohibitum atque damnatum remedium confugientes, a requisitione, monitione et mandato ac sententiis, censuris et poenis praedictis, nulla constitutionis Pii praedecessoris, hoc expresse vetantis, habita ratione, ad futurum concilium temere, ut accepimus, provocarunt,

§. 3. Prout etiam perditionis filii quondam Joannes Bentivolus et ejus nati, cum eos a tyrannica oppressione dilectae civitatis Nostrae Bononiae expellere decrevissemus, damnabiliter fecisse dicuntur videlicet ad

futurum concilium praedictum appellasse et provocasse.

§. 4. Nos igitur, quam detestanda sit perversitas, attendentes, qui propriis innixi commodis et nefariis cupiditatibus mancipati salubria decreta patrum et superiorum jussa spernentes, inconsutilem Christi tunicam scindere ac etiam scissionis causam habere contendunt et ecclesiae unitatem dividere, praedictae sanctae Sedis apostolicae principatum tollere et contra tot sanctorum patrum et sanctorum conciliorum decreta temere et damnabiliter magna audacia venire non erubescunt et contrafacere non verentur, asserentes, inter caetera, consulentes, persuadentes, determinantes seu determinationi hujusmodi interessentes sola consilii praestatione seu persuasione, deliberatione, quod aliquibus casibus a romano Pontifice seu ejus sententia vel decreto ad futurum concilium generale appellari possit, dicta Pii praedecessoris constitutione non ligari, nisi in ipsa actuali appellatione et illius interpositione vel scripturae compositione se immiscuerint, de caetero tali assertione se excusare, ac tale quid in posterum praesumere impune valeant, opportunam tam immani et periculoso morbo medelam adhibere volentes:

§. 5. *Hac generali et in perpetuum valitura constitutione* ex certa nostra scientia et potestatis plenitudine, de venerabilium fratrum Nostrorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium consilio promulgata, sancimus constitutionem Pii praedecessoris praefatam, tam citra quam ultra montes et ultramontanis partibus quoad omnes tam ecclesiasticas quam saeculares personas, etiam regali dignitate ac cardinalatus honore fulgentes, capitula, universitates, communitates et collegia, congregationes et synodos ac parlamenta valuisse, valere et perpetuo valituram declaramus, cum suppletione solemnitatis cujuslibet, etiam publicationis omissae (cujus in illa edenda vel publicanda defectus praetendi posset, quae juxta illam fieri requirebatur), eamque ex praeterito, nunc et in posterum inviolabiliter observari mandamus, ipsius violatores, cujuscumque dignitatis existant, poenis et censuris in eadem expressis quocumque tempore subjacere statuentes, contraria consuetudine seu potius corruptella non obstante.

§. 6. Decernentes et declarantes, ultra poenas impositas (quas ipso facto dictos violatores et contravenientes incurrere volumus), ipsos et eorum quemlibet, pro veris et indubitatis schismaticis et inconsutilis tunicae Domini Nostri Jesu Christi violatoribus et dissipatoribus ac de catholica fide male sentientibus habendos et reputandos poenisque canonicis et legalibus, contra tales impositis, subjacere et cum Dathan et Abiron partem et damnationem habere; ipsasque etiam poenas et earum quamlibet omnes illos incurrere volumus, cujuscumque conditionis existant et gradus praerogativa fulgeant, qui in senatu, consiliis, parlamentis, congregationibus, etiam synodalibus et provincialibus vel alias quomodolibet, tacite vel expresse, voce vel scripto, per se vel alium (cujuscumque timoris vel reverentiae velamine vel praetensa excusatione et superioris mandato non obstantibus), decreverint vel aliorum dicta approbaverint, consilium aut vocem dederint, ut ad futurum universale concilium a Nobis vel successoribus Nostris romanis Pontificibus, contra praedictam constitutionem, appellare liceat, possit vel debeat; dictas poenas ad ipsos et eorum quemlibet contravenientem in praemissis tenore praesentium extendentes et locum habere declarantes, omni ambiguitate cessante.

§. 7. Et nihilominus provocationes et appellationes tam per Leonardum ducem, rogatos, concilium et commune Venetiarum factas hujusmodi, quam per quoscumque alios praedictos pro tempore faciendas, et inde secuta quaecumque (utpote contra Pii praedictam ac praesentem constitut. attentatas), nullas, prout sunt, et invalidas nulliusque roboris vel momenti fuisse et pro tempore fore, auctoritate, scientia et potestate similibus statuimus, decernimus et declaramus ac pro potiori cautela cassamus et annullamus.

§. 8. Et ultra supradictas poenas (quas contra constitutionis hujusmodi violatores in suo robore permanere decernimus), loca quaecumque, ad quae violatores ipsos declinare et in quibus scienter stare permitti contigerit, ecclesiastico supponimus interdicto decernentes illud, quamdiu ipsi violatores inibi scienter steterint, ut praefertur, et per triduum post eorum inde discessum, firmiter observari. Ac praesentes literas in quinterno cancellariae etiam describi mandamus.

§. 9. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo etc.

Si quis autem etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 1. Julii 1509.

(Ibid. p. 479.)

A Papa appellari non potest; *cap.: Ipsi sunt*, et *cap.: Cuncta per mundum*, *caus. 9. qu. 5.* Ipse enim in terris, ut Vicarius Christi, Superiorem non recognoscit, et de essentia appellationis est, ut fiat ab inferiori ad Superiorem, per quem sententia inferioris corrigatur. Imo appellantes a Papa ad futurum concilium generale, quicumque sint et in quacumque fuerint dignitate vel gradu constituti, excommunicantur excommunicatione Papae reservata in bulla Coenae, et sic universitates, collegia vel capitula interdicuntur in constitutione Pii II. incipiente: *Execrabilis*, et deinde successores Pontifices in suis respective constitutionibus. Insuper sunt schismatici multasque alias poenas incurrunt ex constit. supra relata Julii II. incipiente: *Suscepti.*

A Papa appellari non potest. Calvinus, Lutherus aliique novatores docuerunt, praeter supremi pastoris judicium requiri etiam plebis consensum, ita ut illud sine plebis consensu vim haberet nullam. Hanc doctrinam avide nimis arripuerunt appellantes. Verum quam absurda est appellantium sententia ex eo patet, quod inferior superioris sententiam emendare nequit. Atqui judicium romani Antistitis soli Deo subest; sequeretur ergo ex sententia appellantium inferiorem superioris sententiam emendare posse: »*Unam hic animadversionem*, inquit Petrus Ballerinus, de potest. eccles. summorum Pontif. et concil. gen. cap. 9, *non praetermittendam existimo. Qui ex necessitate remedii in periculis fidei vel in scandalis morum aut schismatum ad generalium conciliorum auctoritatem supra ipsos summos Pontifices propugnandam moventur, velim serio conferant pericula, quae ex ipsorum sententia dimanant, eaque non difficilia nec rara sed facillima et frequentissima apud eos, qui eamdem sententiam sequuntur.*«

Jus ipsum appellationum non extrinsecus accessit romano Antistiti, ut nonnulli volunt, sed insitum est in ipso primatu atque jurisdictione, quae hujus primatus divina institutione est. Vide de erroribus appellantium praeter caeteros *Chrys. Lup. de appell.*, *Fratr. Ballerini in edit. op. s. Leon. M.*, *Obser. ad dissert. 5*, *Quesnel. t. 2. col. 927*, *Mamach. epist. 3. p. 234. t. 1*, *Zaccar. Anti-Febron. t. 3.* et *Anti-Febron. vindic. t. 3. dissert. 7. cap. 5. 6.*

20) A concursu pro collatione parochiarum facto.

Vd.: *Concursus pro collatione eccles. paroch.* (judicium Episcopi); et *p. 594 n. 13.*

De concursu et examine habendo pro parochialium ecclesiarum collatione. De appellationibus ab irrationabili Ordinarii judicio admittendis vel rejiciendis.

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis.

Benedictus PP. XIV.

Venerabiles Fratres.

Salutem et apostolicam benedictionem.

Cum illud semper plurimum formidaverit ecclesia catholica, ne indignis quibusque et extra sacerdotale meritum constitutis cura animarum et dominici gregis custodia crederetur, quia totius familiae status et ordo nutat, si, quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: hinc canonicis sanctionibus ac praesertim sanctae Tridentinae synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita sucurrisset, ut de illorum supra alios provectione ac potiori doctrinae, morum ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare. Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam dignioris electionem, sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiae parochiales aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur, san. mem. Innocentius XI. praedecessor Noster erroneam doctrinam a vera et sincera Patrum mente longius deflectentem damnavit et edocuit, quam prudens ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

§. 1. Ad tramites idcirco ejusdem sanctae synodi usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab Ordinario conferenda sit, concursum institui, ut, habita in eo de cujuslibet aetate, mori-

bus, doctrina et sufficientia solerti inquisitione Episcopus eligat, quem caeteris magis idoneum judicaverit.

§. 2. At quia contingere quandoque potest, quod favore vel gratia vel minus aequo judicio minus digni dignioribus praeponantur, san. mem. Pius V. Noster praedecessor, ne quid in hujusmodi electione inordinatum atque praeposterum fiat, edita saluberrima constitutione*) licere voluit injuste in concursu rejectis, interposita ad Metropolitanum vel Episcopum viciniorem vel Sedem quandoque apostolicam appellatione, praeelectum ad novum examen provocare et ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, si ita jus esset, vindicare. Et ne frivolae appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa aut quoque modo retardata praeelecto ab Ordinario parochialis ecclesiae possessione.

§. 3. Consultissimae hujusmodi leges eum in finem institutae, ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes praeferantur emeritis, violatae sunt hominum fraude et malitia, ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim rejecti ab Ordinario, dictae constitutionis obtentu, in vocem appellationis facile prorumpere et, minus legitima concurrente causa, electos ab Episcopo ad novum examen provocare consueverant, illosque praeterea, relicta gregis et ecclesiae custodia, longum iter arripere et diuturni laboris, temporis et pecuniae impensa exhaustos litem in secunda, tertia et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

§. 4. Quin etiam experientia compertum est, magno justitiae detrimento litem ipsam absolvi. Quandoquidem ii, qui examini se subjecerant atque in primaevo concursu, utpote legitimarum institutionum nescii, rejecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam literis ex industria navantes operam, praeferri aliis merebantur, et acerbe succensebant Episcopo, judici quidem adeptae non autem adipiscendae peritiae, per injuriam se fuisse rejectos.

§. 5. Hinc apud bene moratos homines et justitiae vindices frequens quaerelarum occasio: quibus sedandis cum Congregatio concilii Tridentini interpres omne studium diligentiamque conferret, Nobis*), qui secretarii munere fungebamur, mandatum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, ingruentis mali originem et apta eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re Nostros explicantes vitio potissimum laborare comperuimus praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis consignati: Electi siquidem ad curam animarum ab Ordinario collatore et ad iteratum examen coram alio judice provocati jus legitimae collationis tueri non poterant certo ac permanenti testimonio jam probatae idoneitatis, sed a novi examinis alea, subeunda coram judice appellationis, gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi justitiae detrimento recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium judicem, nullo exhibito indebitae rejectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelae occurri posse censuimus, si certa primum et apte disposita habendi examinis forma praescriberetur, si quaestiones examinatis propositae et consentaneae illorum responsiones totaque rei gestae series in scriptis redigeretur, et si acta demum totius concursus ad judicem appellationis integra asportarentur.

§. 6. Inita a Nobis consilii ratio non solum arrisit Congregationi illam die 16. Novembris 1720 ratam habenti, sed etiam pontificii judicii accessione raborata fuit a Clemente XI. ecclesiasticae disciplinae vindice et assertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio et diligentia exequerentur, iis datae sunt die 10. Januarii 1721 opportunae literae nostro calamo exaratae ejusdemque Pontificis sensu et oraculo comprobatae, quarum tenorem, etsi alias praelo commissum et insertum in bullario dicti Clementis praedecessoris Nostri, congrue hic duximus referendum.**)

§. 8. Quantum recte dispensandis ecclesiasticis muneribus, administrandae justitiae, componendis dissidiis continendisque in officio clericis proficeret saluberrima praemissarum legum institutio, satis superque experientia comperuimus, cum Anconitanam

*) Vd. *Concursus pro collat. eccles. paroch.* (examinatorum electio).

*) Vd. *p. 594 n. 13.*

**) Vd. *Concursus pro collat. eccles paroch.* (modus — literae circulares —).

primum ecclesiam ac deinde Bononiensem sponsam nostram paterna charitate cominus amplecteremur; freti siquidem dictarum legum praesidio digniores parochiis et curae animarum praefecimus; tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum minus digno celsioris loci praemium vel minus juste alteri credita vacantis ecclesiae gubernacula.

§. 9. At quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Episcopis contigisse; imo non deesse, qui privatis abrepti studiis, saepe declinare ac redarguere judicium episcopale praesumant: Nos propterea solliciti de implendis, prout decet, muneris Nostri partibus nonnulla praefatis literis addenda, nonnulla vero tacite breviterque ibidem tradita clarius explicanda censuimus, ut recte omnia atque ex ordine peragantur.

§. 10. Moerentes igitur audivimus, quod in plerisque dioecesibus, etsi recepta sit laudabilis firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen concurrentium, nihilominus examinatorum suffragia in sola literarum peritia versantur nec illorum exquiritur sententia de clericorum aetate, institutione, gravitate et honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, et an tales demum sint, qui oves suas verbo et exemplo juvare possint. Quam devia sit hujusmodi praxis a Tridentini semita, is plane intelliget, qui expendet verba relata *cap. 18. sess. 24. de reform.*: »*Peracto deinde examine renuncientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis.* Idque probe noscens Congregatio ejusdem concilii interpres pluries edixit, examinatores suo deesse muneri, si doctrinae tantum judices essent nec inquirerent, qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito antea ecclesiae obsequio caeterisque dotibus ad officium parochi cumulate obeundum necessariis essent idonei et commendabiles.

§. 11. Absoluto examine, ut cuique satis compertum est, sit tantummodo potestas examinatoribus renunciandi, quotquot regendae ecclesiae idoneos judicaverint, reservata uni Episcopo electione dignioris, quemadmodum sancitum est a Tridentino illis verbis: *Ex hisque Episcopus eligat, quem caeteris magis idoneum judicaverit.* At si quem clericorum forte contigerit appellare a mala relatione examinatorum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quae pastoris congruant officio: ordo judicii secumferet, ut etiam judex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinae indagine immoretur: nec sine gravi animarum detrimento et disciplinae injuria praeficiatur ecclesiae, qui literis magis pollet, licet caetera minus aptus et quandoque indignus, *contra vero arceatur ille, qui, licet impar doctrinae merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno ecclesiae famulatu ac multiplici virtutum laude praecellit.*

§. 12. Factum praeterea satis exstirpandis abusibus non videtur, si tam Episcopus quam examinatores, conjunctis studiis, industriae nervos omnes intenderint in conferenda concordi judicio ecclesia personae, quae, licet scientia et literis alteri praecedat, majori tamen caeterarum qualitatum eminet ornamento; siquidem postpositus, suae nimium fidens doctrinae, ab irrationabili judicio Episcopi non raro appellat; causaque ad judicem appellationis delata idem totus est in perquirenda majori doctrina ac reparando gravamine literato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quae in appellante desiderantur, lugentque ut plurimum vigiles ecclesiarum Antistites exitum hujusmodi appellationis intimeque dolent, parochias doctis non aptis pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

§. 13. At si judex etiam appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens scientiae, quantum satis, majori et accuratiori examine inquirat, qui mores hominum sint, quae gravitas, prudentia, qui suscepti antea labores, quae virtutum specimina, quae demum totius anteactae vitae ratio, pascendo gregi consentanea: tot judici exhibentur attestationes ab appellante ex industria collectae, ut revocato episcopali judicio, tamquam irrationabili, non vereatur judex succurrere eidem appellanti, quem tam copiosa tamque conspicua probitatis adjuvant documenta.

§. 14. Demum cum praecipue Episcopis, tamquam in specula constitutis, pateant subditorum excessus, contingere solet, ut in concursu, tam inspecta scientia quam moribus, ille idoneus ab examinatoribus renuncietur, cui foeda aliqua vitii labes ac criminis macula inusta sit, omnibus, praeterquam

Episcopo, occulta. Si Episcopus, justa suadente causa, crimine non revelato, eundem criminosum tacitus praeterierit aliumque immunem a sorde praeelegerit: illico postpositus, simulato gravamine, provocat ad superiorem judicem criminis ignarum, et consueto diffugio appellationis evehitur ad pastorale fastigium, qui non potest consulere populo sed nocere nec praestare regimen sed augere discrimen.

§. 15. Ne igitur improbi ingenii homines remedium appellationis, ad justitiae praesidium institutum, callide traducant ad iniquitatis defensionem, optimum factu aliquibus fortasse videretur, si appellatione quavis sublata, cura praeficiendi rectores animarum prorsus relinqueretur Episcopis, rationem villicationis suae Christo judici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti concilii Tridentini, tacite permittentis appellationem in devolutivo a mala relatione examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: »*Nec praedictorum examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio et appellatio, etiam ad Sedem apostolicam sive ejusdem Sedis Legatos aut Vice-Legatos aut Nuntios seu Episcopos aut Metropolitanos, Primates vel Patriarchas interposita impediat aut suspendat*«, cui sanctioni respondet etiam constitutio Piana, admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili judicio Episcopi.

§. 16. Qua de re, ut in hujusmodi negocio apte omnia atque composite peragantur, officii Nostri esse duximus, cum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem praescribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi praeesse et prodesse possint.

I. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae, statim, ad praescriptum Tridentini, idoneum in ea deputet vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur.

II. Publico evulgetur edicto notitia concursus congruo et ab Episcopo praefinito tempore celebrandi, eodemque edicto omnes clare et aperte moneantur, ut interim decurrente termino assignato coram cancellario episcopali vel altero ab Episcopo deputando suarum qualitatum, meritorum et munerum probationes, attestationes tam judiciales aliaque id genus documenta, quae fraude vacent, exhibeant; alioquin, dicto termino elapso, documenta hujusmodi, quaecumque et qualiacumque ea sint, nullatenus recipientur.

III. Eveniente die concursus a cancellario episcopali singulorum merita, qualitates et requisita (ut vocant), incorrupta fide deprompta a juribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur: porro copia epitomes tradetur non solum Episcopo vel Vicario generali vices illius obeunti, sed singillatim omnibus examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de scientia tum de vita, moribus aliisque regendae ecclesiae necessariis dotibus ferant judicium.

IV. Die praestituta ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in relatis literis anno 1721 editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleatur. Porro examinatores, ad assequendam certam et indubiam conjecturam scientiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite vel a ss. Patribus vel a sacro concilio Tridentino vel a catechismo romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehenderint qua quisque polleat gravitate sententiarum et elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata et textui evangelico vel alteri dato themati accomodata, parem, ni forte majorem, solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis, morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisque omnibus conjunctim expensis inhabiles per sua suffragia rejiciant et idoneos Episcopo renuncient.

V. Absoluto concursu ab Episcopo vel, eo impedito, a Vicario generali, unacum examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus notula compendiaria requisitorum antea distributa tradatur cancellario, qui illam comburat vel penes acta secreto custodiat et nemini ostendat nisi de mandato Episcopi vel ejus Vicarii generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem nec illi possessio, ullo appellationis vel inhibitionis obtentu, retardetur.

VI. Si quem clericorum appellare contigerit a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili judicio Episcopi, coram judice appellationis acta concursus integra omnino producat, et judex nisi illis visis et gravamine comperto sententiam non pronunciet. Praeterea in ferenda sententia ac reparando gravamine idem judex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis, tam respectu doctrinae quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione usque ad diem habiti concursus tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessariis juribus, attestationibus, requisitis aliisque meritorum documentis, idcirco, ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus ac districte mandamus, ne dd. attestationes, fides tam judiciales quam extrajudiciales et documenta quaecumque studiose conquisita et post concursum, ut ajunt, expiscata, ullo modo recipiantur, non obstantibus supra memoratis literis, a Congregatione concilii Tridentini Interprete anno 1721 editis *), quibus ad praemissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.

VII. Ubi vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere judici appellationis, ad detergendam injustae fortasse praeelectionis notam, familiaribus literis judicem certiorem efficiat, inviolabilis secreti lege adjecta.

Nemo sit, qui hanc praxim Nostrae tribuat solertiae, cum illa profluat a Tridentini decretis. *Sess.* etenim *24. cap. 20. de reform.* ita disponitur: *Praeterea si quis in casibus a jure permissis appellaverit aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias, ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium judicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad judicem appellationis expensis suis transferre*, **eodem tamen Episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causae instructione videbitur, possit judici appellationis significare.**

Et quamvis jure Nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi judicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate obsoleverit et a foro recesserit, attamen Episcopus (ut dictum est), si ex causa sibi tantum et non aliis nota, quae tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit, illam judici appellationis, datis secreto literis, denunciet et aperiat. Sciant porro judices, delatas ab Episcpo causas et rationes inviolabilis secreti fide esse custodiendas nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio, oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suae non minus quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterriti divini in terminatione judicii odio vel favore moveantur, et in sacrorum canonum singularem injuriam dicant malum bonum, bonum malum ponentes tenebras lucem et lucem tenebras.

Si vero Episcopo fuerit suspecta fides judicis, ad quem appellatum est, ne eidem revelanda censuerit hujusmodi occulta rationum momenta: illa significet secretis literis S. R. E. Cardinali Praefecto pro tempore Congregationis concilii, qui nec consilio nec auctoritate deerit, quominus a judice appellationis debitus justitiae locus tribuatur.

§. 17. Praeterea quia aequitati etiam convenit, causas appellationis, quae magno litigantium dispendio et ecclesiae pernicie immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari, idcirco ubi a judice appellationis lata sit sententia, quae praeelectioni factae ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novae appellationi aditus sed auctoritate rei judicatae controversiae finis imponatur.

Sin vero judex appellationis aliter quam Ordinarius pronunciaverit, liceat praeelecto ab Episcopo, qui causa cecidit, ad alium judicem appellare, firmiter interim retenta parochialis ecclesiae possessione. Tandem postquam tertius quoque judex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis, praesertim quia agitur de cura animarum, cui damnosum est certi pastoris destitui solatio, is legitimum regendae ecclesiae jus obtineat, cui duae conformes assistunt sententiae, nec ullum novae appellationis remedium succumbenti suffragetur.

§. 18. His sane regulis, quamvis appellatio sublata non sit, satis tamen praesidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticae disciplinae ac recto gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hactenus media debitae executioni mandentur eumque in scopum locorum Ordinarii vigilan-

*) Vd. *Concursus pro collat. ecclesiarum paroch.* (modus)

tiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset, ad nostri apostolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac submovendis abusibus novas implorari leges ab iis, qui jam praestitutas negligunt et contemnunt.

§. 19. Demum cum non raro contingat, ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus aliaque beneficia curam animarum habentia, a Sede apostolica esse conferenda, vel quia vacaverint in mensibus reservatis vel quia ex alio capite dictae Sedi reservata sint: Nos praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes praecipimus et mandamus, ut uno vel altero eveniente casu concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia vel licentia, quam Nostris hisce literis sibi tributam Episcopi intelligant.

§. 20. Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis, *quae tantum ratione mensium reservata sint*, Episcopus inter approbatos eligat magis idoneum et Datariae significet nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, *ex alio quovis capite, quam mensium apostolicorum, sanctae Sedi reservata sint,* eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo dignioris judicio et acta concursus ultro Datariae exhibeat.

§. 21. Licebit tamen Ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus literis Datario scriptis, eidem denunciare personam, quam censent regendae ecclesiae magis idoneam eumdemque commonere, an occulta aliqua et in actis juste reticita subsit causa, quae cuipiam obstet ad beneficium curatum obtinendum.

Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium Principe et Magistra luculento edocebimus exemplo, quanti faciendum sit episcopale judicium, quantoque vos honore prosequamur, Venerabiles Fratres, in partem Nostrae sollicitudinis evocatos, quibus interim apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 14. Decembris 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 220.)

Ad dubium: 1. An in concursibus, qui in posterum fient occasione vacationis ecclesiarum parochialium, praecipiendum sit, ut eadem omnino quaesita omnibus concurrentibus proponatur et quod unusquisque ex concurrentibus intra congruum tempus assignandum debeat in scriptis satisfacere quaesitis propositis, et an ulterius praecipiendum sit, ut unusquisque ex concurrentibus sermonem scribat super textu evangelii omnibus concurrentibus assignando?

2. An et quantum tempus praefigendum sit illis, qui intendunt appellationem interponere vel a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili judicio Episcopi?

3. An ante concessionem novi examinis appellans a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili judicio Episcopi in eo, quod attinet ad literaturam, debeat in posterum docere de gravamine ex actis primi concursus, in quo tam suae quam concurrentium responsiones proprio charactere una cum concionibus conscriptae invenientur?

4. An ante appellationis admissionem appellans ab irrationabili judicio Episcopi non ex capite literaturae sed aliarum qualitatum teneantur docere de gravamine aut ex actis primi concursus aut ex aliis documentis, saltem extrajudicialibus ab ipso exhibendis?

S. C. C. resp.

Ad I.: Affirmative per modum instructionis;

Ad II.: Esse praefigendum tempus decem dierum ad appellandum;

Ad III.: Affirmative et doceatur de gravamine ex actibus originalibus concursus vel ex copia authentica collationata ad formam juris;

Ad IV.: Affirmative.

Die 16. Novbr. 1720.

Appellatio adversus futurum explendumque examen non admittitur, prout *ex constitutione san. mem. Benedicti XIV.*, quae incipit: *Ad millitantis ecclesiae regimen* §.: *Inhaerentes.**) *Item firmat Rota in Monopolitana Praebendae theologalis 5. Decembris 1755* §. *6. coram Stadion.*

Die 24. Novbr. 1781. *Asculana.*

Tudertina.

Archipresbyterali ecclesiae oppidi Fractae Tudertinae dioecesis pastorem praefecturus concursum indixit de more Episcopus ad diem 23. Aprilis superioris anni suumque in episcopali curia nomen ad aleam examinis supereundam professi sunt DD. Antonius Ferdinandi Archipresbyter di Montecchio,

*) Vd. *p. 583.*

Petrus Angeli Prior di Rosaro, Aloisius Bartolomei oeconomus paroeciae di Tenaglie, et Joachim Misericordia humaniorum literarum ludimagister in oppido Massae; eoque habito ad statum diem tres examinatores prosynodales nominatim ad id evocati ex suffragiis numero quadraginta quinque, triginta duo Ferdinandio et Angelio, triginta vero praeter unum Misericordiae et Bartolomaeo in scrutinio dederunt, ita ut illi in priori gradu approbati fuerint, isti vero in secundo; et examinatores, attenta praesertim profectiori aetate munerisque parochialis exercitio arbitrati sunt: »che possa sua Signoria Illma e Rma Monsig. Vescovo preferire il Ferdinandi nella collazione della chiesa parochiale della Fracta.« Episcopus autem ad calcem eorundem actorum apposuit haec verba: »approviamo quanto sopra in forza della nostra coscienza.«

Vix autem in vulgus prodiit Episcopum elegisse Ferdinandium, concurrentium querelae auditae sunt de mala relatione examinatorum deque irrationabili judicio Episcopi, et primus recursum ad hanc s. Congregationem interposuit Petrus Angeli, qui mox die 18. Maji formali emissa declaratione de hoc curiam certioravit ne ad aliud in ipsa procederetur; cui deinde accessit Joachim Misericordia, qui pariter de mala examinatorum relatione conquestus, qua Episcopum deceptum elegisse affirmabat Ferdinandi, sibi petiit adjudicari paroeciam, utpote qui ex voto theologorum spectabilium unicus approbari meruisset.

Episcopus de more requisitus omnia acta authographa concursus s. Congregationi remittens rescribit, se in ejusdem S. C. obsequium a collatione explenda abstinuisse, additque »quodcumque judicium EE. PP. emanarent, acceptum semper mihi erit: solummodo considerationi s. consessus subjicio concurrentes Petrum Angeli et Joachim Misericordia oriundos de eodem Castro Fractae non bene acceptos fore populo, qui aliquam labem in eis agnoscit.« De primo autem ex his gravissimas exclusionis causas recenset, quas erit EE. VV. perlegere in die propositionis causae.

Promotor vero fiscalis, qui episcopalia jura tuetur, totus est, ut ostendat rejiciendam esse appellationem duplici ex capite. Primo quia interpositam dicit post decendium a lege praescriptum, cum nempe declarationem Angeli accepit post dies 24 a praefata approbatione concursus ab Episcopo expleta; secundo probat jure meritoque Ferdinandium existimatum fuisse ab examinatoribus digniorem eumque ab Episcopo praeelectum fuisse tum quia majori suffragiorum numero auctum, tum quia jam inde a nonnullis annis parochiali munere fungentem, tum demum quia aetate provectiorem. Caeterum recolit etiam omnimodam facultatem remissam esse arbitrio Episcopi eligendi inter approbatos quem magis idoneum in Domino censuerit.

Haec in facto. In jure nunc nonnulla favore curiae episcopalis animadvertenda sunt, appellationem utpote intempestive interpositam, quia a die praedictae collationis, quae fuit vigesima quarta Aprilis: »al 18. Maggio (sunt verba promotoris fiscalis) che tale è la data della protesta emessa dall' Angeli, non dieci soli giorni, ma bensì ventiquattro n' erano trascorsi«, respuendam esse non immerito praefatus promotor existimat. Sane conjectore non indiget dispositio vulgatissimae constitutionis san. mem. Bened. XIV., cujus initium »*Cum illud*«*), ubi referens Pontifex encyclicam epistolam hac super re a S. C. jam editam ad alteram bullam s. Pii V.: »*In conferendis*« declarandam statuit, quod peracto concursu collataque ei, qui magis idoneus ac dignior judicatus fuerit, ecclesia parochiali non admittatur appellatio aut a mala relatione examinatorum aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.

Quin referat collationis nomen, quod idem sonat ac provisio ex *cap.: Eum qui de praeb. in 6.*, latum esse et veluti genus sub se complectens modos omnes providendi, uti docet *Reiffenstuel lib. 3. decret. tit. 5.* §. *5. n. 125.* illud generaliter accipi quoque pro institutione ad trad. per *Rebuf. prax. benef. regul. de infirm. Gloss. 4. pag. 349. num. 6, Conrad. in prax. benef. lib. 4. c. 6. n. 22,* ita ut hoc sub respectu neutiquam lapsum terminum fuisse videatur, quia neque bullae expeditae adhuc fuerunt nec data institutio; siquidem dictionem illam, *in casu, de quo agitur*, potius innuere actum designationis ac electionis personae in parochum suadent mens et voluntas s. Pii V., qui in praefata sua constitutione legem condens in concursibus servandam, postquam terminum decem

*) Vd. *Concursus pro collat. ecclesiar. parochial.* (modus); et *p. 607.*

dierum ad appellandum a die collationis constituit, addidit, »haec tamen appellatio interposita interim non impediat aut suspendat quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitae mandetur executioni,« quae sane verba supervacanea fuissent, ubi vocula illa *electio* pro bullarum expeditione seu institutione, a qua fatalia decurrere deberent, accipi velit. Verumtamen cum hac super re resolutionum volumina pervolutarim, ut scirem quamnam sententiam hactenus sequuta fuerit s. Congregatio, nullum licuit mihi ad rem exemplum reperire.

Num autem examinatores judicium suum super acta concursus rite recteque libraverint, quaestio facti est, quam meum haud est perpendere. Id tamen ut tutius definire valeant Emi Patres habent ex adverso exhibitum trium theologorum votum. Sed quoties relatio examinatorum in pretio habeatur, prono velut alveo illud fluit, quod scilicet frustra quaeritur in themate de irrationabili judicio Episcopi: nil namque vulgantius hac super re Tridentina dispositione in *sess. 24. cap. 18. de reform.*, ubi decernitur, ut »peracto examine renuncientur quotcumque (ab examinatoribus) idonei judicati fuerint, ex quibus Episcopus eum eligat quem caeteris magis idoneum judicaverit.« Et renunciare digniorem inter approbatos solius judicio Episcopi commissum est, ut docet *Bened. XIV. de synod. dioec. lib. 4. cap. 8. §. 6.* milliesque s. C. definiit. Cum igitur ex facto liqueat Ferdinandum inter approbatos, et quidem in priori gradu, ab examinatoribus positum fuisse, sequitur Episcopum prae caeteris illum eligentem haud in ss. canones peccasse, nec proinde suo jure utentem aliis ullum irrogasse.

Caeterum patet apud Episcopum multum valuisse, Ferdinandum ab examinatoribus fuisse commendatum etiam qua animarum cura peritiorem, utpote qui plures annos in paroecia administranda versabatur. Porro si in hac materia magis idoneus est ille, qui majorem habet aptitudinem ad curam exercendam, certe dubitandum non est aptiorem et digniorem esse, qui in actu practico curam exercuit, comparative ad oppositionem, qui nil aliud habet quam theoreticam, *Piton. discept. eccl. 109. num. 17, Rot. decis. 168. num. 7. part. 13. recent.*, eo minus perfecto dubitandum de recto Episcopi judicio. Adde Ferdinandum aetate majorem et sacerdotio priorem esse, quae duo summopere prae ocu-

lis habenda esse tradit Rota, quando praesertim de curionum officio quaestio est, uti *in decis. 61. num. 1. et seq. part. 1. recent.* Tandem ipsum quam maxime fore populo ipsius loci di Fracta gratum pandit supplex libellus nomine patrumfamilias ad acta s. C. exhibitus, qui tamen, quum a nemine eorum sit subsignatus nec ulla auctoritate munitus, erit EE. VV. prudentiae judicare quo in pretio habendus sit.

Ex appellantibus autem alter juri suo valedixit, ex quo ad aliam regendam paroeciam vocatus fuit: alter nihil exhibuit. Ex parte vero Misericordiae nonnullas ipse distribuit animadversiones typis impressas, quarum synopsis EE. VV. exhibetur. Et primum ad appellationem quod spectat, totis contendit viribus eam legitime fuisse interpositam atque de exspectatione a promotore fiscali data nullam rationem habendam esse.

Id probat

1, quia sacerdos Angeli, cum quo communem habet ipse causam, ita ut ejus appellatio sibi quoque prodesse debeat, ex *Fagnano lib. 3. decr. in cap.: Cum propter de jure patr. num. 56*, revera provocavit infra decem dies post factum ab Episcopo concursum et personae in parochum eligendae approbationem. Porro ad hanc facti circumstantiam oppugnandam nihil aliud a promotore fiscali affertur quam quod praestatio coram episcopali curia post dies 24 ab expleto concursu proposita fuerit; at id non probat infra tempora legitima non fuisse reapse provocatum, quum imo eadem praestatio moneret recursum ad H. S. O. jam antea fuisse interpositum.

2. Ait, esto etiam appellatum ab Angelo fuisse elapso decendio, adhuc tamen integram rem esse et fatalia tempora minime pertransisse dicendum est. Siquidem ex jam citatis constitutionibus, altera s. Pii V., quae incipit: *In Conferendis*, altera s. m. Benedicti XIV. incipiente: *Cum illud*, decendium computari debet a die collationis paroeciae. Atqui collationis vocabulum proprie sumptum, uti accipi decet in apostolica constitutione, quae legem constituit, nihil est aliud juxta cit. *Corrad. lib. 5. cap. 1. num. 77* quam libera translatio seu concessio juris in beneficio vacante, unde etiam dicitur donatio. Haec autem juris translatio atque donatio existere nequit, urget appellans, ex simplici designatione personae in officium parochi assumendae, bene vero ex bullarum expedi-

tione, ex qua jus in re proprie derivat et titulus ad possidendum transfertur. Idque apprime cohaeret dispositioni citatae Benedictinae, cujus verba ubi mature perpendantur aperte duplicem actum distinguere videntur scilicet judicium Ordinarii, quo digniorem inter approbatos designat, et actum collationis paroeciae, post quem tantum decendium ad appellandum concessum decurrere statuitur. Porro cum nihil aliud hactenus Tudertina curia expleverit quam personae designationem, perperam legitima tempora elapsa fuisse contenditur, quae labi non potuissent nisi a die collationis, quae in themate adhuc desideratur.

3. Pergit, quinimo fatalia nondum elapsa fuerunt, etiam decendium a parohi designatione computaretur. Etenim sicuti in qualibet appellatione, ita punctim in ea, de qua agitur, legitimus terminus nunquam incipit nisi a die scientiae de prolata ex adverso sententia, uti apprime docet *Reclus. de concurs. part. 1. tit. 5. num. 5.* Cum itaque vix habita gravaminis notitia provocaverint, legitime eos provocasse sequitur, quocumque demum tempore appellaverint. Caeteroquin a curia probandum esset concludenter ipsos gravaminis notitiam infra decendium accepisse, nedum quia haec praesumi nequit in facto prorsus peculiari et inter episcopalis aulae parietes sequuto, sed etiam ex generalis juris dispositione, ex qua »ignorantia semper praesumitur nisi scientia probetur«, ut decrevit summus Pontifex Bonifacius VIII. in cap.: *Praesumitur de reg. jur. teste Mascard. de probat. tom. 2. conclus. 881. num. 1 et seq.*

Demum quacumque in hypothesi appellationem, probato rite gravamine, respiciendam esse enixe protuetur per viam saltem restitutionis in integrum, ceu de hac indubia juris dispositione in terminis examussim appellationis a nuda relatione examinatorum fidem facit citat. *Reclus. de concurs. part. 1. tit. 5. num. 8.* et sacra haec Congreg. in *Isclana Parochialis 23. Julii 1718 §. Additur* *). Porro gravamen et quidem injuste sibi illatum Misericordia ex voto ac sententia theologorum Urbis, ut inferius evidenter, censet. Constat enim ex illis, quos inquit et ob nomen praeclarum et ob munera, quibus funguntur, plenam sibi fidem vindicare, se unum dumtaxat approbationem promeruisse, caeteros autem omnino esse excludendos. Constat item ex pluribus testimoniis exhibitis eundem integritate ecclesiastico viro undequaque digna ab omnibus commendari: eum insuper septem ab hinc annis officio fungi praeceptoris humaniorum literarum in oppido Massae, ubi praeclara ingenii ac diligentiae specimina praebuit in suo munere obeundo; et praeterea fidelium confessionibus excipiendis operam dedit parochoque in pastorali ministerio opem assiduam suppeditavit. Demum et pro ipso preces ad sacrum hunc Ordinem oblatae a patribusfamilias oppidi Fractae satis edocent, valde iis acceptum fore si illi ecclesiae praeficiatur. Quapropter cum neque inhabilis neque indignus ad assequendum beneficium ipse reperiatur, imo praeclaris commendetur titulis, qui dignum et valde utilem ecclesiae pastorem fore pollicentur, sibi uni paroeciam adjudicandam esse rogat.

Hisce praejactis praeponuntur dubia:

I. *An sit admittenda appellatio in casu?*

II. *An constet de mala relatione examinatorum et irrationabili judicio Episcopi in casu?*

III. *An et cui sit adjudicanda paroecia in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Dilata.

Ad III.: Dilata et ad mentem.

Die 24. Aprilis et 5. Junii 1847.

Die 7. Aug. 1847 resp.

Ad II.: Negative.

Ad III.: Affirmative favore sacerdotis Ferdinandi.

*) Vd *Concursus pro collat. ecclesiar parochial.* (confirmatio).

Continuatio Tudertina.

Grave quidem id fuit contradictori sacerdoti Joachim Misericordia, qui illico juri suo medelam parare studuit per novae audientiae beneficium. Mox vero preces movit, ut sibi panderetur quidquid ex rescripto diei 5. Junii curia Tudertina relate ad causam retulerat: sed suis hisce precibus censuerunt EE. VV. rescribere: Habebitur ratio in die propositionis causae.

Redit nunc tertio causa. Et quoad curiam, praeter allata jura recolenda in fol. 24. Aprilis, nil nisi preces ingeminantur, ut per controversiae definitionem paroeciae viduitati tandem aliquando consulatur. Pro

Misericordia autem instante, ut examinatorum relatio et judicium Episcopi corrigantur ipsiusque favore paroecia decernatur, si quid novi exhibebitur, id totum viderint EE. VV., quorum est enodare:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II.: In decisis, et amplius.

Die 6. Febr. 1848.

21) A Congregatione Cardinalium.

Appellari non potest a sententia totius Congregationis Cardinalium, ut tradunt communiter doctores apud *Dianam in summa verb.: Appellatio num. 6.*

22) A correctione legitima Superioris.

a) Licita.

Appellatio admittitur a correctione Superioris sive regularis sive saecularis, si in corrigendo modum excedat; *cap.: Irrefragabili 13. de offic. jud. ordinar.*, ubi sic expresse habetur: *Ut autem correctionis et reformationis officium libere valeant exercere, decernimus, ut executionem ipsorum nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire, nisi formam in talibus excesserint observandam.* Tunc enim Superior potestate sua abutitur et subditum injuste gravat, et ideo ad reparandum tale gravamen potest subditus appellare, ut colligitur etiam ex *cap.: Priore 31. de appellat.*, et *cap.: Super quaestionem §. Nos autem, de officio delegati, cap.: Licet de officio Ordinar.* et *cap.: Inquisitionis, de accusat.*

A correctione morum facta a Praelato seu Superiore extrajudicialiter seu paternaliter et ad poenitentiam nullo formato processu judiciario admittitur appellatio subditi solum quoad effectum devolutivum, ita quod potest quidem judex *ad quem* cognoscere de praetenso excessu in corrigendo, sed interim non impeditur executio eorum, quae ab ordinario judice seu Superiore decreta sunt; *cap.: Irrefragabili 13. de offic. ordinar.*, ibi: Decernimus, ut executionem ipsorum nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire; et aperte habetur ex conc. Trid. *sess. 22. c. 1*, ibi: A correctione morum facta a Praelato seu Superiore judicialiter formato processu judiciario admittitur appellatio subditi quoad utrumque effectum, scilicet devolutivum et suspensivum; colligitur *ex cap.: Irrefragabili 13. de offic. judic. ordinar. in princip.*, ubi dicitur: *Nisi formam in talibus excesserint observandam*, et tenent *Gratian. Marchiae decis. 188. n. 4, Cevall. de cognit. per viam viol. part. 2. qu. 113. num. 14 et 15, Piasec. in prax. Episc. part. 2. c. 3. n. 61, Barbosa in conc. Trid. sess. 13. c. 1. n. 8*, et alii plurimi, et sic censuit sacra Congreg. concilii. Nam consulta ab auditore camerae: An, cum Episcopi, servata tela judiciaria, fecerint sententiam definitivam contra delinquentes, habeant locum decreta concilii de visitatione loquentia et praecipue *cap. 10. sess. 24*, adeo ut appellatio ad effectum suspensivum nullatenus debeat admitti, etiamsi sententia lata fuerit ad puniendum delictum blasphemiae vel adulterii? sacra Congregatio censuit: »Appellatione correctionis morum non comprehendi blasphemiae et adulterii correctionem seu punitionem, quando Episcopus judicialiter processit, cognovit et pronunciavit; ideoque si Episcopus in dictis duobus criminibus judicialiter processit, admittendam esse appellationem, etiam ad effectum suspensivum. Et Sanctitas Sua Congregationis sententiam approbavit, ut, si Episcopus judicialiter processit ad definitivam, non comprehendatur hic casus appellatione correctionis morum, et detur appellatio etiam suspensiva, nedum in praedictis duobus casibus blasphemiae et adulterii, sed etiam in omnibus aliis similibus, ubicumque Episcopus judicialiter processit.« Sic tenet et refert *Fagnan. in cap.: Ad nostram, de appellat. num. 14 et 15.*

b) Prohibita.

Appellatio a legitima correctione Superioris sive regularis sive saecularis est omnibus subditis prohibita, ut habetur expresse *in cap.: Reprehensibilis 26. de appellat.*, ubi de subditis clericis saecularibus sic statuitur: *Nec subjecti contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant. Si vero quispiam pro sua necessitate crediderit appellandum, competens ei ad prosequendam appellationem terminus praefigatur, infra quem, si forte prosequi neglexerit, tunc Episcopus libere sua auctoritate utatur;* et de subditis regularibus sic praecipitur: *Ne Religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Praelati sui et capituli disciplinam appellare praesumant;* et pro istis concordat similis prohibitio *in cap.: Ad nostram 3. de appellat.*, quia dicit ibi Alexander III.: *Remedium appellationis non ideo est inventum, ut alicui a religionis et ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere.*

c) Quando suspendit executionem sententiae?

Appellatio executionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, non suspendat, Trident. *sess. 24. cap. 10*, ibi: Ut Episcopi aptius, quem regunt, populum possint in officio atque obedientia continere, statuitur, ut omnibus iis, quae ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus habeant etiam tamquam Sedis apostolicae delegati ea ordinandi et exequendi, quae illis pro subditorum emendatione et dioecesis suae utilitate necessaria videbuntur; nec in his, ubi de visitatione et morum correctione agitur, exemptio aut ulla inhibitio, appellatio seu querela, etiam ad Sedem apostolicam interposita, executionem quoquomodo impediat aut suspendat. Et sic censuit sacra Congreg. Conc. Nam consulta: an in causis visitationis et correctionis appellari possit post definitivam? respondit: Posse, ita tamen, ut appellatio non suspendat executionem, ut sancitum est *cap. 10. sess. 24.* et *cap. 1. sess. 2.* Item consulta: an decretum *cap. 10. sess. 24.* sustulerit appellationem devolutivam? censuit: Non sustulisse devolutivam, sed suspensivam tantum. Sic testatur *Fagnan. in cap.: Ad nostram, de appellat. n. 8 et 9.* Hinc appellatio ad effectum suspensivum non admittitur a visitatione ecclesiae Cathedralis et personarum ipsius ab Episcopo facienda, nec ideo potest appellatione suspendi; sacra Congr. Conc. in *Oriolensi 27. Martii 1637 in respons. ad 6.* Nec appellatio datur a decreto facto in visitatione per Episcopum; sacra Congr. Rit. in *Genuensi 24. Septembris 1605.* Appellationis cujuscumque praetextu nequaquam potest impediri seu retardari dioecesanae synodi celebratio; sacra Congreg. Conc. in *Oriolensi 27. Martii 1632 in respons. ad 17.* Appellatione a decretis et constitutionibus synodalibus, quae fuerunt a Sede apostolica confirmatae, non potest illorum executio impediri nec retardari; sacra Congreg. Conc. in *d. Oriolensi in respons. ad 18. dub.* A mandato de residendo in visitatione edito non dari appellationem ad effectum suspensivum, sed ad effectum devolutivum tantum; decisum refert *Armend. in addit. ad recep. legum Navarrae lib. 1. tit. 6, lib. 5. §. 2. n. 2.*

23) Denominatio.

Appellatio est ab inferiori ad superiorem judicem provocatio ratione gravaminis illati vel inferendi facta, *cap.: Placuit 2. qu. 6. Est in re communis.*

24) Differentia inter judicialem et extrajudicialem.

Vd. *p. 622 n. 29.*

Appellatio judicialis et extrajudicialis tripliciter differunt inter se.

Primo, quia appellatio judicialis supponit judicium esse coeptum, cum sit provocatio a judice inferiore ad superiorem. Appellatio vero extrajudicialis non supponit judicium incoeptum, sed ipsum judicium seu causam incipit; tunc enim solum incipit causa, cum interponitur ipsa appellatio extrajudicialis, et ideo magis proprie dicitur provocatio ad causam, ut habetur *cap.: Cum sit Romana*, his verbis: *Sacri canones etiam extra judicium passim appellare permittunt. Nec solent hujusmodi dici appellationes sed provocationes ad causam.*

Secundo differunt, quia appellatio judicialis supponit necessario judicem *a quo* et judicem *ad quem;* extrajudicialis vero non necessario supponit *a quo*, cum possit extrajudicialiter appellari etiam contra alium quemcumque gravantem distinctum a judice.

Tertio differunt, quia appellatio judicialis, etiam male et simpliciter proposita, suspendit executionem et facit in contrarium attentata revocari; *cap.: Post appellationem §. appellatione, caus. 2. qu. 6.* et *cap.: Dilectis filiis, de appellat.* Extrajudicialis autem non suspendit executionem nec facit in contrarium attentata revocari, nisi sit bene et rationabiliter proposita, expressa etiam causa legitima appellandi, quae ut talis sit a Superiore admissa, ut colligitur ex *cap.: Constitutus 45. de appellat.*, et ex *cap.: Cum inter 16. de election.*, ubi expresse habetur: *Appellationem illam dicimus legitimam non fuisse, unde per eam electio non potuit impediri.*

25) Differentia inter appellationem ab interlocutoria et a definitiva.

Omittendae haud sunt plures, quae in-

tercedunt, differentiae appellationem ab interlocutoria inter et appellationem a definitiva.

Prima est circa fatale interponendae appellationis. Decennium utique in utroque casu observandum est, sed in appellatione a sententia definitiva illud statim incipit currere a tempore publicatae sententiae, ad cujus publicationem necessario citare oportet litigantes. Sententiae interlocutoriae talem solemnem publicationem semper non desiderant neque est necesse, ut partes ad ejus publicationem ubique citentur. Ubi ergo solemnis publicatio haud desideratur, a tempore scientiae, et quidem certae et specificae, fatale currere incipit: *Altimar. de nullit. sentent. qu. 251. num. 27, Mevius part. 5. decis. 269.*

Secunda differentia est, quod appellatio a definitiva fieri potest vel viva voce vel in scriptis, sed ab interlocutoria semper in scriptis facienda est; *cap. 1. de appellatione in 6.* Excipiuntur tamen sententiae interlocutoriae vim definitivae habentes; ab iis enim in voce appellari posse tenent *Gail. 1. observ. 130. num. 5.* et *Scacc. de appellat. quaest. 3. num. 12.*

Tertia differentia est, quod appellari a definitiva indefinite potest nec necesse est, ut gravamina schedulae appellationis inserantur, sed sufficit si appellans se gravatum esse asserat; *l. 2. ff. de appell.* At in appellatione ab interlocutoria specifica expressio gravaminum fieri necessario debet, *cap. 59. dict. titul.* et *cap. 1. eod. tit. in 6, Gail. 1. observ. 130. n. 1, Melvius part. 17. decis. 1. n. 13.*

Quarta differentia superiori consectaria est, quod in appellatione a definitiva licet afferre novas causas, si forte appellans aliquas expresserit; secus vero in appellatione ab interlocutoria, nam appellans nonnisi causas in appellatione nominatim expressas prosequi potest; *Cletzelius de appell. c. 5. n. 57 et seqq.*

Quinta differentia est, quod appellari a definitiva debet ad judicem proxime superiorem; ab interlocutoria vero appellari valet ad judicem aequalem; vide *Bohemer in decretal. l. 2. tit. 28. §. 14.*

Sexta differentia est, quod appellatio a definitiva statim suspendit officium judicis; sed in appellatione ab interlocutoria duo haec singularia concurrunt:

I. Quod, si judex inferior non deferat appellationi, ante inhibitionem in causa procedere valeat.

II. Quod superior judex non statim decernat inhibitionem, sed antea cognoscendum de veritate gravaminum inquirendumque: utrum appellatio admitti debeat necne; *cap. 3. §. Quod si objiciatur, de appellat. in 6, Gail. 1. observ. 130. n. 7.* et *observ. 144. n. 4, Bohemer. ubi supra §. 15.*

Septima differentia est, quod in appellatione a definitiva locum habet beneficium, *leg. 4. c., de temp. appellat.*, scilicet non deducta deducendi et non probata probandi; non item in appellatione ab interlocutoria; *Mevius part. 2. decis. 153.* et *decis. 235; part. 3. decis. 84.* et *part. 8. decis. 48. et seqq.*; limita tamen si agatur de appellatione ab interlocutoria, quae vim definitivae habeat; vide *Bohemer. eod. loc. §. 16.* et *duob. sequent.*, ubi alias tradit differentias.

Silentio demum nec illud est praetereundum, quod si est reformata sententia interlocutoria in instantia appellationis, tota causa in judicem appellationis devolvitur neque locus est remissioni, *cap. 59. de appellat., Gail. 1. observ. 131. num. 1,* idque quia judex, qui semel gravavit, semper gravare praesumitur. Quinimo idipsum obtinet, si pro parte tantum reformata fuerit sententia: *Mynsing. art. 4. observ. 76. per tot.* Excipe tamen, si super eo puncto incidenti, an judex inferior sit competens necne, pronunciasset judex et in appellationis instantia hanc sententiam judex superior reformasset conreoque responsionem imposuisset, non posset non ex natura rei remissio causae ad judicem prioris instantiae decerni, uti pronunciatum refert *Berger. in elect. discept. forens. ad process. saxon. tit. 35. §. 8. n. 2.*

26) Duae partes appellantes, una ad Archiepiscopum altera ad Papam.

Si utraque pars litigantium appellet a sententia sui judicis, v. g. Episcopi, et una appellet ad Archiepiscopum et altera immediate ad Papam, potest Archiepiscopus procedere contra alteram partem, si nesciat eam appellasse ad Papam et ipsa pars citata ab Archiepiscopo tenetur comparere vel per se vel per procuratorem, aliter, si contumax parere contemnat, poterit ab Archiepiscopo seu judice inferiore excommunicari et excommunicatio valebit, non obstante, quod

ipsa appellaverit ad judicem superiorem seu ad Papam; *cap.: Si duobus tit. 28. de appell.*, ubi praecise habetur: *Si duobus coram suo judice litigantibus alter ad nostram alter ad sui judicis audientiam super eodem negotio appellaverit et ille, qui ad suum judicem appellavit, ad diem appellationis veniens, se ad eum appellasse proponit, eo tacito, quod adversarius ejus ad audientiam romani Pontificis appellaverat; si legitime citatus nec venit nec responsalem misit aut etiam alias parere contemnit, tenebit excommunicationis sententia in eum pro contumacia promulgata; nisi judex cognoverit eum ad audientiam romani Pontificis appellasse.* Et ratio est clara, qui judex inferior habet jurisdictionem ordinariam in talem, donec ea per exceptionem sive oppositionem appellationis ad Papam seu Superiorem elidatur adeoque hac appellatione ad Papam seu Superiorem non opposita vel saltem sibi non patefacta poterit contra legitime citatum et contumacem procedere usque ad promulgationem excommunicationis sicuti contra alios contumaces, et sic tenent hoc loco *Abbas, Barbosa, Scaccia, Pirhing., Anaclet.* et alii.

27) Duplex est.

Vd. *supra n. 25. p. 617.*

Est appellatio duplex, judicialis una et extrajudicialis altera; *cap.: Cordi nobis, cap.: Concertationi, de appellat. in 6.* et *Clementin. 3. eod. tit.*

28) Effectus.

Vd.: *p. 600 n. 14, p. 601 n. 15, p. 616 n. 22, p. 617. c; p. 639 n. 57.*

a) Devolutivus.

I. Quis est?

Vd.: *Appellatio a sentent. definitiva* (ad judicem quae devolvit? p. 639(; *Appellatio* (coram quo judice facienda? p. 627).

Effectus devolutivus est, quod appellatio totam causam cum suis accessoriis devolvat ad judicem *ad quem*, ita ut is, cognita justitia appellationis, possit causam principalem cum suis accessoriis examinare et, si opus fuerit, novam sententiam ferre, *leg.: Eos qui, §. 1. cod. de appellat., cap.: Dilectis filiis 55. de appellat.*, in cujus summario sic praecise habetur: »Per appellationem legitime interpositam principale cum accessoriis ad judicem appellationis defertur.« Concordat *cap.: Ut debitus honor 59. de appell.*, et *cap.: Raynaldus 18. de testamentis.*

II. In appellatione legitima.

Appellatio legitima, ultra effectum suspensivum, parit etiam effectum devolutivum, ita ut causae cognitio devolvatur ad judicem, *ad quem* appellatur, et ipse de justitia appellationis cognoscere debeat, et non judex *a quo;* imo judex *ad quem* non solum cognoscere potest de justitia appellationis sed etiam, hac probata, causam principalem examinare et etiam sententialiter definire potest; *l.: Eos qui, §. cod. de appell., cap.: Dilectis filiis 55.*, et *cap.: Ut debitus honor 58. de appell.*

b) Suspensivus.

I. In appellatione a sententia definitiva.

Vd. *Appellat.* (De appellationibus cum inhibitionibus in suspensivo etc. p. 583); et *supra n. 28 a. II.*

Appellatio a sententia definitiva regulariter parit effectum suspensivum jurisdictionis judicis *a quo*, *cap.: Si a judice 10. de appellat. in 6.*, ubi expresse dicitur: »Cum per appellationem sit suspensa ipsius jurisdictio, adeo ut judex, appellatione pendente, non possit sententiam a se latam executioni mandare absque vitio attentati, ut patet ex supra a. I. citatis juribus, *l. Unica ff. Nihil innovari appellatione interposita, cap.: Venientes 19. de jurejurando, cap.: Dilectis filiis 55. de appell.*, juncto *cap.: Cum ad Sedem 15. §. fin. de restitut. spoliatorum.* Est tamen hic advertendum, quod per appellationem jurisdictio judicis *a quo* suspenditur solum respectu illius causae, in qua appellatur, non autem respectu aliarum, quia appellans eximitur per appellationem a jurisdictione sui judicis ordinarii solum in illa causa, in qua appellavit; *cap.: Cum teneamur 17. de appellat.* et *Gloss.*, ibi verb.: *Praetermisso*, his verbis: »Et sic videtur, quod in eo tantum articulo, super quo appellatur, exemptus est a jurisdictione judicis sui ordinarii«; adeoque non suspenditur ejus jurisdictio in aliis causis, quin cognoscere de illis possit, et patet expresse in *cap.: Ad haec 6. de appell.*, ubi habentur haec praecisa verba: »Ad haec, si in una causa quis appellaverit et pendente appellatione aliquod crimen committat vel prius commisisse dicatur vel modo etiam accusetur aut conveniatur de alia re, super qua non sit appellatum, et illam proferri contingat ad audientiam judicis, a quo in alio negocio appellavit, eum potest, si voluerit, tamquam suspectum

vitare, alioquin debebit ejus stare judicio, maxime, si suus ordinarius judex existat«; et clarissime etiam in ejus summario sic: »Coram judice, a quo appellavi in una causa, possum in alia conveniri, nisi eum recusem ut suspectum.« Et *cap.: Proposuit 24. de appellat.*, ubi dicitur, quod appellans »non minus teneatur in aliis, super quibus appellatum non est, respondere«; et etiam clarissime in ejus *summario* sic: »Appellans ab Ordinario in una causa, in aliis coram eodem respondere tenetur.« Potest tamen appellans recusare judicem *a quo*, tamquam suspectum etiam in aliis causis, quia, cum gravaverit in causa, a cujus sententia appellavit, periculum est et suspicio, ne etiam in aliis causis gravet, ut habetur expresse in cit. *cap.: Ad haec*, his verbis: »Eum potest, si voluerit, tamquam suspectum vitare«, et etiam in cit. *cap.: Proposuit*, his verbis: »Judex tamen, a quo appellatur (quia illi omnino suspectus est), cum non debet ad respondendum super aliis compellere, nisi pro crimine adeo gravi et manifesto, quod ipso actu merito sit damnandus.« Ex quibus clare patet, posse judicem recusari ut suspectum in aliis causis, dummodo non sint de notoriis et manifestis, quia in notoriis non est locus nec recusationi nec appellationi, cum appellatio et recusatio in istis aequiparentur, textu expresso in *cap.: Super eo 12. de appell.*, his verbis: »Ubi appellationis remedium tollitur, sicut appellationi ita recusationi non est aliquatenus deferendum.«

Appellatio *a definitiva* in variis item casibus non parit effectum suspensivum jurisdictionis judicis *a quo*.

Primo in casibus a jure exceptis et infra allegatis*), in quibus jura, ut ibi videri potest, post sententiam prohibent appellari. Colligitur ex *cap.: Non solum 7. de appell. in 6*, ubi sic habetur: »Innovata post appellationem a definitiva sententia interjectam debent semper (exceptis casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis judicem revocari.« Per ly enim *exceptis casibus* etc. clare demonstratur, non suspendi jurisdictionem judicis *a quo* per appellationem in casibus, in quibus jura prohibent appellari. Et ratio est manifesta, quia appellatio, quae fit contra juris prohibitionem, habetur pro infecta ex *cap.: Imperiali caus. 25. qu. 2*, ibi: »Imperiali constitutum est sanctione aperta, ut ea, quae contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint«; et ex *regula 64. juris in 6*, ibi: »Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.« Quod autem nullum est atque infectum, nullum parit effectum, ut constat ex *cap.: Illud 8, cap.: Cum laici 10.* et *cap.: Suggestum 20. de jurepatronatus.*

Secundo appellatio a definitiva non parit effectum suspensivum in iis, quae tendunt ad faciliorem exitum seu finem causae appellationis, dummodo judex *a quo* se abstineat a cognitione ipsius causae appellationis. Colligitur ex *c.: Cum teneamur 17. de appell.*, ubi deciditur, quod judex *a quo* appellationis possit reformare possessionem, a qua appellans, pendente appellatione, fuerat turbatus et ejectus; sic enim praecise dicitur in ejus summario: »Si appellans turbatur in possessione, super qua fuit appellatum, judex *a quo* potest illam possessionem sibi reformare, appellatione in suo statu permanente«; et desumitur etiam ex *c.: Ex literis 2. de matrimonio contracto contra interdictum eccles.*, ubi, licet judex *a quo* detulerit appellationi de quadam causa matrimonii, nihilominus districtius interdixit, ne appellans a valore talis matrimonii nuberet alteri, donec causa ipsius matrimonii debitum sortiretur effectum, ibi: »Cujus appellationis Archiepiscopus deferens eidem sub excommunicationis interminatione districtius interdixit, ne cui nuberet, donec causa ipsa finem debitum sortiretur«; et Glossa hic praecise dicit, quod »licet judex deferat appellationi, nihilominus mihi potest interdicere, ne faciam id, propter quod appellari«; sic etiam *Abbas* in *c.: Cum teneamur n. 1, Barbosa ibi n. 3, Alexander de Naevo ibi n. 7 et 8, Scaccia, Maranta, Pirhing.* et alii.

Tertio appellatio a definitiva non parit effectum suspensivum jurisdictionis judicis *a quo* in excessibus et criminibus, quae committuntur ab appellante post appellationem; *cap.: Praeterea 22. de appell.*, ubi sic expresse statuitur: »Praeterea de his, qui ad Sedem apostolicam appellant et postea gravia committentes se, dum conveniuntur, appellatione tuentur, duximus respondendum, quod eos appellatio non debet in sua iniquitate tueri, quominus eorum excessus censura canonica puniantur.« Et in ejus summario sic praecise dicitur: »Appellans ab Ordinario postea de delicto ab eo commisso

*) Vd. *Appellatio a sententia definitiva, interlocutoria p. 639. 640.*

puniri potest per ipsum Ordinarium«; et Glossa ibi verb.: *Gravia*, ubi sic ait: »Quoniam, si super articulo aliquo appellatio facta est, ad ea, quae postea emergunt, non extenditur, quia in aliis remanet sub jurisdictione judicis sui«; appellatio enim, ut patet ex textu, non debet deliquentem in sua iniquitate tueri, cum ista sit instituta, ut relevet appellantes ab opressione injusta, non ut justitiam pervertat; eo vel maxime quod per appellationem non suspenditur jurisdictio judicis *a quo*, nisi in ea sola causa, super qua est appellatum, ita ut in aliis retineat liberam et plenam jurisdictionem et possit, prout de jure, libere procedere, ex *cap.: Ad haec 6, cap.: Cum teneamur 17, cap.: Proposuit 24. de appell.* et *cap.: Romana 3. de appell. in 6.* §. *Cum vero*, ubi sic expresse habetur: »Cum vero is, qui ad Rhemensem curiam super aliqua causa vocem appellationis emittit, nihilominus in causis aliis Ordinari sui jurisdictioni subjiciatur, Rhemensis Archiepiscopus vel officialis ipsius nequaquam jurisdictionem ipsam in aliis impediant, ut ab ejusdem Ordinarii potestate totaliter eximant taliter appellantem«; et tenet *Abbas in cit. cap.: Praeterea num. 2, Alexander de Naevo ibidem num. 4, Pirhing. lib. 2. tit. 28. de appell. num. 224.* et alii.

Quarto appellatio a definitiva non parit effectum suspensivum in censuris ecclesiasticis absolute inflictis; et in primis, quod non pariat effectum suspensivum excommunicationis absolute latae, habetur in *cap.: Pastoralis 53. de appellat.* Quod non pariat effectum suspensivum suspensionis absolute latae, habetur aperte in *cap.: Is cui 20. de sententia excommunicationis in 6.* Et quod neque pariat effectum suspensivum interdicti absolute lati, habetur in *cap.: Ad haec 37. de appell.* In censuris autem appellatio ante conditionis eventum parit effectum suspensivum, ut habetur expresse in *cap.: Praeterea 40. de appell.* et *cap.: Per tuos 40. de sententia excommunic.*

Quinto appellatio a definitiva non parit effectum suspensivum in causis piis, in causis subsidii charitatis, in causis alimentorum futurorum vel pensionis assignatae loco alimentorum, in causis praecedentiae, in causis pertinentibus ad visitationem et a decreto Episcopi visitantis confraternitatem laicorum et compellentis administratores ad reddendum computa, in causis, ubi quis condemnatur ad solvendum salarium famulis vel mercedem operariis, in causis dotis et in causis illis, quae celeritatem requirunt et dilationem non patiuntur. In omnibus enim istis assignatis et consimilibus casibus appellatio non parit effectum suspensivum et non obstante appellatione proceditur ad executionem sententiae. Sic *Barbosa in cap.: Ut debitus 59. de appell. num. 15* cum pluribus aliis doctoribus ibi citatis.

II. In appellatione a sententia interlocutoria.

V. *p. 640.*

Appellatio a sententia interlocutoria, si sit super aliquo articulo sive quaestione incidente vel gravamine ita connexo cum causa principali, ut causa non discussa nec possit definiri et discuti ille articulus seu quaestio incidens vel gravamen, parit effectum suspensivum jurisdictionis judicis, nedum super illo articulo sive quaestione incidente vel gravamine, super quo appellatum est, sed etiam super cognitione ipsius causae principalis, ut habetur expresse in *cap.: Super eo 10. de appell.* praecisis his verbis: »Super eo, quod sollicitudo tua quaesivit, prudentiae tuae duximus respondendum, quod si de aliqua exceptione quaestio oriatur et exinde appellationem fieri contingat, eidem exceptioni erit merito supersedendum, et si principalis causa sine illa terminari non poterit, ei nihilominus supersedeatur.« Et clarissime in ejus summario sic: »Supersedeatur propter articulum, in quo appellatum est, etiam super principali causa, si sine illo articulo expediri non potest.« Appellatio ab interlocutoria, etiamsi sit super aliquo articulo, sine quo causa principalis terminari potest, adhuc parit effectum suspensivum jurisdictionis judicis *a quo*, nedum super illo articulo, in quo est appellatum, sed etiam super cognitione ipsius causae principalis. Sic tenet Glossa in *cap.: Super eo 10. de appell.* verb.: *Terminari; Abbas num. 4. et sequent.* hoc tit. hanc opinionem appellans communem et eam probans ex *cap.: Non solum 7.* et *cap.: Si judice 10. de appellat. in 6., Anaclet. lib. 2. tit. 28. de appellat. n. 228.* et alii. Et ratio est, quia, si judex *ad quem* deberet solum cognoscere super articulo incidente, super quo appellatum est, et judex *a quo* posset et deberet procedere super causa principali, continentia causae divideretur et appellans in eadem causa co-

geretur comparere coram diversis judicibus, quod nimis dispendiosum et durum esset et ideo prohibitum in *l. Nulli 10. cod. de judiciis*, et in *cap.: Dispendia litium 3. de rescriptis in 6*, tum quia nimis durum esset appellanti nedum ratione dispendii sed etiam ratione suspicionis et inimicitiae judicis, *a quo* jam gravatus appellavit, si deberet iterum coram ipso causam prosequi et ab eo exspectare sententiam, cum maxime propter hoc suspecti et inimici prohibeantur esse judices; *cap.: Quod suspecti, caus. 3. qu. 5*, ibi: »Quod suspecti et inimici judices esse non debeant et ipsa ratio dictat et pluribus probatur exemplis.«

III. Quis est?

Appellationis effectus principaliter est duplex scilicet suspensivus et devolutivus. Effectus suspensivus est, quod appellatio statim liget manus judicis *a quo* et ejus jurisdictionem suspendat, ut ad executionem sententiae a se latae procedere non possit, *leg.: Unica, ff. Nihil innovari appellatione interposita*, ubi praecise dicitur: »Appellatione interposita medio tempore nihil novari oportet«; *c.: Venientes 19. de jurejurando*, ubi praecise dicitur: »Vos sententias appellatione suspensas executioni mandatis«, et *cap.; Dilectis filiis §. 55. de appellat.*, ubi praecise habetur: »Cum interim appellatione interposita procedere non debuerit ad sententiam exequendam.«

29) Extrajudicialis.

Vd.: *Appellatio* (differentia inter judicialem etc p. 617).

Appellatio extrajudicialis est, quae fit ab actu aliquo extrajudiciali, quo quis se gravatum existimat vel probabiliter gravandum timet, ut si quis injuste sit captus vel incarceratus vel nominatus et obligatus et obligatus ad tutelam, ad quam non tenetur, tunc potest, si se gravatum sentit, appellare, *l. 1. §. Si quis tutor ff. Quando appellandum sit.* Sic etiam appellatio extrajudicialis dicitur, quae fit contra electiones, collationes et provisiones, ex quibus gravatum sentit; *cap.: Concertationi, de appellat. in 6.*

Appellatio extrajudicialis, definiente Lyncher. *tract. de gravam. extrajudic. cap. 1. sect. 1. §. 2, est provocatio a gravamine per judicem vel partem extra judicium illato vel inferendo.* Vestigia hujus appellationis passim in jure canonico occurrunt. Vide in *cap. 5. de appellat. cap. 8. eod. tit. in 6.* et *Clement. 3. pariter eod. tit.* De jure vero civili haec appellatio minime permissa erat, ut confutato Lyncher. probat *Bohemer. in decretal. lib. 2. tit. 28. §. 2.*

Gravamina extrajudicialia, a quibus appellare licet de jure canonico, vel *a parte* proficiscuntur vel *a judice. A parte* multifariam gravari quis potest extra judicium, quod exemplis illustratur in *cap. 8. de appellat. in 6.* Plura suppeditat *Lyncher. d. tract. cap. 3. p. 1*, veluti si quis inique a collegio opificum excluditur, si alicui inique alimenta denegantur, si quid in praejudicium jurispatronatus attentatur, si alienatio in praejudicium alterius suscipitur etc.

Huc etiam pertinent gravamina, quae a judice non *qua tali* sed *qua privato* procedunt. Hujusmodi vero appellatio non est proprie talis sed potius provocatio ad causam, quae naturam *simplicis querelae* habet; *cap. 5. de appell.* Sequitur hinc, quod non ad Superiorem statim recurrendum sit, sed ad eum judicem, qui de tali gravamine cognoscere in prima instantia valet. Proinde si Magistratus ut privatus gravavit, hic coram Magistratu suo ordinario primae instantiae convenitur, nec praecise fatalia observanda sunt, *Lincher. d. tract. cap. 7. p. 2. §. 4.*

A judice *qua tali* gravari quis extra judicium potissimum dicitur, quando judex de facto et sic non judicialiter procedit, scilicet absque omni vel sufficienti causae cognitione aliquid decernendo vel mandando in praejudicium alterius; et quando aliquid decernit ante litem contestatam. Exornat hoc *Lincher. d. tract. cap. 3. part. 2. §. 1.* uberrima exemplorum serie, veluti si denegantur processus, justitia denegatur etc.

Accedit autem haec appellatio extrajudicialis ad naturam appellationis proprie dictae. Quo fit, ut dirigatur ad Superiorem, interponenda sit intra decem dies a tempore scientiae computandos, et intra annum finienda sit, licet hoc fatale justificandae appellationis in praxi vix observetur: *Bohemer. in decretal. lib. 2. tit. 28. §. 5.* Vide, si plura cupias de appellatione hac extrajudiciali, *Lyncher. saepe dict. de gravam. extrajud.*

30) Quoad Fatalia.

Vd. *Appellatio* (tempus infra quod etc.). et *supra p. 618 §. Prima est.*

31) Frivola ac levis.

Appellatio frivola ac levis est illa, quae fit ex minimis ac frivolis seu futilibus rationibus, et isti non tenetur judex deferre, sed merito potest eam sic cognitam statim rejicere, *cap.: Cum appellationibus frivolis de appellat. in 6.* et *cap.: Cum parati essemus, de appellationibus lib. 2. tit. 28*, in cujus summario habetur expresse: »*Appellatio frivola non excusat inferiorem, quominus teneatur obedire Superiori et ut de contemptu puniatur.*«

32) Frustratoria.

Appellatio frustratoria est illa, quae solummodo morandae solutionis aut protrahendae litis causa interponitur, ut *l. Tutor, ff. de usuris*, et isti non tenetur judex deferre; *cap.: Cum speciali de appellat.* Imo sic injuste appellans omnino puniendus est, *cap.: Omnino caus. 2. qu. 6.*

33) Generalis.

Appellatio generalis super omnibus causis, quae contra appellatorem quovis tempore possint moveri, non potest fieri et non admittitur; *cap.: Inter caetera 2. de appell.*, ubi expresse habetur: »Super eo, quod Abbas s. Apollinaris in claustro a te appellationem interposuit generalem super omni causa, quae adversus eum aliquo tempore possit moveri, ipsum exinde redarguimus. Nec hujusmodi appellationem duximus admittendam.« Et in ejus summario sic dicitur: »Appellatio generalis respectu causae non valet.« Nec etiam potest fieri appellatio generalis et vaga super omnibus gravaminibus, quae sibi possunt contingere, *cap.: Consuluit 16. de appell.*, ubi dicitur: Quod si generaliter appellationem quis interponeret ab omni gravamine, quod sibi posset contingere, hujusmodi appellatio tenere non debet.« Potest tamen fieri appellatio generalis respectu cujuscumque gravaminis, quod in aliqua determinata causa sibi quis timet esse inferendum; cit. *cap.: Consuluit §. 2*, ubi sic habetur: »Si vero ab aliquo judice super omni gravamine, quod in una causa sibi possit inferri, quamquam generalis appellatio sit interposita, appellationi tamen ejus est ab eodem judice deferendum.« Ratio autem quare non possit fieri appellatio generalis super omnibus gravaminibus, et postea possit fieri respectu cujuscumque gravaminis sibi inferendi in aliqua determinata causa, ratio, inquam, est, quia appellatio est instituta ad removendum gravamen certo jam alicui illatum vel jam coeptum de praesenti in aliqua parte inferri, ut colligitur ex *l. 1. §. de appellat.* et relat. *cap.: Suggestum 25.* et *cap.: Cum speciali 51. de appellat.* Per appellationem autem generalem super omnibus causis et super omnibus gravaminibus nullum de praesenti potest removeri gravamen, cum nullum adhuc ab imperitia et iniquitate judicis sit generaliter appellanti illatum, adeoque non admittitur similis generalis appellatio, cum cessante causa cesset effectus, textu expresso in *cap.: Cum cessante causa 60. de appellat.* Non sic vero in appellatione respectu cujuscumque gravaminis sibi inferendi in aliqua certa et determinata causa, quia per istam appellationem removetur de facto gravamen vel quod jam supponitur fuisse illatum vel quod praetenditur de praesenti, saltem in aliquo talis causae articulo, inferri. Unde propter connexionem et unitatem, quam habet articulus cum tota causa et tota causa cum articulo, gravamen illatum super uno articulo censetur contingere quodammodo totam causam, adeoque haec valeat appellatio et non illa, ut expresse *Glossa in cit. cap.: Consuluit* per praecisa verba concludit: »Generalis appellatio, si fiat in omnibus causis, non valet, si fiat una tantum, bene valet.« *Abbas, Barbosa* et alii communiter in cit. *cap.: Consuluit 18. de appellat.*

34) Illicita et contra justitiam.

Appellatio est illicita et contra justitiam, cum interponitur cum solo fine, ut causa longius producatur et ne contra se justa sententia proferatur, et sic appellans tenetur de damnis illatis. Colligitur ex *cap.: Omnino 27. caus. 2. quaest. 6*, ubi sic praecise habetur: »Omnino puniendus est, ut, quoties injusta appellatio pronunciatur, sumptus, quos, dum sequerentur, adversarius impendit, reddere cogatur, non simplos sed quadruplos.« Et ratio est clara, quia talis appellans magnam injuriam infert judici, *a quo* appellat, et magnam injustitiam committit in proximum, quem cogit ad indebitas expensas protrahendo injuste causam sua iniqua appellatione; sic *divus Thomas 2. 2. quaest. 69. art. 3.* in corpore his praecisis verbis: »Duplici de causa contingit aliquem appellare. Uno quidem modo confidentia justae causae, quia scilicet injuste a judice gravatur, et sic licitum est appellare . . . . Alio modo aliquis appellat causa afferendae

morae, ne contra eum justa sententia proferatur, et hoc est calumniose se defendere, quod est illicitum . . ., facit enim injuriam et judici, cujus officium impedit, et adversario suo, cujus justitiam, quantum potest, perturbat; et ideo, sicut dicitur *causa 2. quaest. 6*, omnino puniendus, cujus appellatio injusta pronunciatur.« Et corroboratur auctoritate *s. Bernardi lib. 3. de consideratione cap. 2. num. 7:* »Iniqua autem omnis appellatio, ad quam justitiae inopia non coegit. Appellare, non ut graves, sed si gravaris, licet . . . Qui igitur non gravatus appellat, liquet, quia aut gravare intendit aut tempus redimere. Non est autem suffugium appellatio sed refugium.«

Appellatio est penitus illicita in causa, quam appellans scit esse injustam, et talis appellans tenetur ad integram restitutionem damnorum illatorum. Desumitur ex cit. *cap.: Omnino 27. caus. 2. qu. 6*, in cujus etiam summario expresse habetur: »Injuste appellans omnino puniendus est.« Et confirmatur ex *cap.: Cum speciali 41. de appellat.* §. *Porro*, ubi Pontifex Innocentius III. declarat appellationem institutam fuisse, ne innocentes in causis justis a judicibus subalternis opprimantur, non vero, ut in causis injustis iniquitas appellantium defendatur, ibi: »Cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed in praesidium innocentiae institutum.« Et ad hoc facit auctoritas *s. Bernardi lib. 3. de consideratione cap. 2. num. 7.* amplexa et adducta *a s. Antonino t. 3. summ. Historialis pag. 48. editionis Lugdunensis anni 1587* his verbis: »Non est appellatio suffugium sed refugium; sed antidotum versum est in venenum.

Appellatio est illicita et peccaminosa, si fiat a judice catholico ad judicem acatholicum seu alterius fidei. Habetur expresse in *cap.: Catholicus 32. caus. 2. quaest. 6*, his verbis: »Catholicus, qui causam sive justam sive injustam ad judicium alterius fidei judicis provocat, excommunicetur.« *) Et in ejus summario sic clarissime dicitur: »Excommunicatur catholicus, qui committit causam suam judicio alterius fidei.« Et sic tenet expresse *s. Thomas 2. 2. qu. 69. art. 3. ad primum*, his verbis: »Quia non praesumitur esse rectitudo, ubi vera fides non est; ideo non licet catholico ad infidelem judicem appellare, secundum illud *caus. 2. quaest. 7. cap.: Catholicus* etc.« Nam et Apostolus *1. ad Corinthios c. 6. v. 5 et 6.* arguit eos, qui judicio contendebant apud infideles. Verba Apostoli sunt ista praecisa: »Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles.« Et in summario hujus capitis clarissime dicitur: »Corripit eos, quod judicio contenderent coram judice ethnico.« *)

Condemnatus a judice non habente sufficientes probationes pro illo condemnando, licet revera sit reus coram Deo, nihilominus potest ab illa sententia licite appellare, quia, licet sit reus coram Deo et in foro interiori, non est tamen reus in foro exteriori et coram judice, qui ferre debet sententiam juxta allegata et probata. Unde cum judex juxta allegata et probata non habeat sufficientes probationes ad ferendam talem sententiam condemnationis, poterit condemnatus licite ab ipsa appellare tamquam illegitime prolata. Colligitur ex *cap.: Ei, qui appellat. 41. caus. 2. qu. 6.* §. *Item sententia*, ubi sic praecise habetur: »Item sententia contra solitum ordinem judiciorum a praeside prolata auctoritatem rei judicatae non habet.« Et sic habetur etiam in *l. Prolatam 4.* cod. de sententiis et interlocutionibus omnium judicum *lib. 7. tit. 45.* Ipse enim condemnatus, uti non sufficienter convictus, in tali casu justissime appellaret, ut desumitur ex *cap.: Nos in quemquam 1. caus. 2. quaest. 1.* per haec praecisa verba s. Augustini ibi adducta: »Nos in quemquam sententiam ferre non possumus nisi aut in convictum aut sponte confessum.« Et in summario hujus capitis expresse dicitur: »Damnari non valet nisi aut convictus aut sponte confessus.«

35) Impedimenta appellandi.

Vd. *Appellatio* (tempus etc.).

Fatalia seu tempora unius anni et ex justa causa biennii ad prosequendam et finiendam

*) Vd. Berardum in Gratiani decretum p. I. c. 15. pag. 197, ubi de hoc canone disserens ait: »Frustra in africanis codicibus aut conciliis quaeritur«; tum: »Ad hanc sane rem nullus hucusque proditus est canon.«

*) Intelligitur autem haec prohibitio de catholicis, qui inter catholicos vivunt; nam illi nostrates, qui in terris infidelium negotiationis causa commorari permittuntur, nihil peccant, si coram ipsorum judicibus vel actores compareant vel rei. *Dom. Soto de just. et jure l. 5. qu. 6. art. 3. Conf. s. Thomam lect. 2. in cit. cap.*

appellationem a jure concessa non currunt legitime impedito; si quis enim intra tale tempus propter legitimum impedimentmu interpositam appellationem prosequi intermisit, etiam post elapsum biennium debet admitti ad ipsam prosequendam, ut expresse habetur *cap.: Ex ratione 9. de appell.*, his verbis: »Verum si appellationem, biennio elapso, interpositam a sententia contra vos prolata prosecuti non estis, dummodo prosecutionem ipsius per impotentiam vos consisterit omississe, nolumus, quod justitiae vestrae debeat praejudicium generare«; et Glossa ibi, *Abbas*, *Hostiens.* et canonistae communiter, a quibus sex in specie assignantur pro impedimentis legitimis, quorum quodlibet sufficit, ut appellans, etiam elapso biennio, habeat jus ad prosequendam appellationem.

Primum igitur legitimum impedimentum se tenet ex parte appellantis, scilicet ratione propriae impotentiae, quia v. g. propter infirmitatem vel propter inopiam aut hujusmodi non potuit intra tempus statutum appellationem prosequi et terminare; cit. *cap.: Ex ratione 8.* expresso verbo *per impotentiam*, et Glossa ibi, *Innocentius, Abbas* et communis.

Secundum legitimum impedimentum provenire potest ex parte appellati, si v. g. is per se vel per alios impediat appellantem, ne intra tempus statutum possit causam appellationis terminare, petendo frustratorias dilationes vel per suas cavillationes propagando judicium et hujusmodi; *Abbas in cap.: Ex ratione n. 8. vers.: Quandoque impedimentum provenit, ex facto solius appellati; Alexander de Naevo ibid. num. 27, Scaccia qu. 15. de appellat. num. 61, Pirhing. lib. 2. tit. 28. num. 165* et alii.

Tertium legitimum impedimentum provenire potest ex facto utriusque, scilicet appellantis et appellati, ut si v. g. uterque in arbitros compromittat vel de utriusque expresso consensu differatur tempus ad prosequendum; Clementin. *Quamdiu 4. de appellat.*, ubi expresse sic dicitur: »Quando appellationis prosecutio per compromissum vel alios de partium expresso consensu differtur, tempus ad prosequendam eamdem ab homine vel a jure praefixum currere nolumus appellanti.«

Quartum impedimentum legitimum provenire potest ex parte judicis *ad quem*, si v. g. judex *ad quem* noluerit vel non potuerit intra tempus statutum appellationem audire et expedire. Authent. *Si Appellatione, cod. de temporibus appellat.*, ubi statuitur, quod si judex causam appellationis in definitis diebus suscipere differat, nullum praejudicium partibus vel uni earum penitus fiat. Et Baldus in summario sic praecise ait:: Si stat per judicem appellationis, non currunt fatalia; et *cap.: Ex insinuatione 50. de appellat.*, ubi expresse dicitur: »Lis, quae in consistorio speratur inferri, absque damno morae intacta permaneat, donec ipsam faciat introduci, et a proceribus dirimi juxta morem.«

Quintum legitimum impedimentum provenire potest ex facto tertii, v. g. procuratoris, qui ex negligentia vel dolo debito tempore non est prosecutus appellationem, vel alterius tertii, qui dolo et malitia appellationis prosecutionem impedivit; licet enim tunc currant tempora appellationis, tamen appellans habet actionem ad interesse contra malitiose impedientem vel contra procuratorem dolosum et negligentem; *l. A procuratore 13. cod. Mandati*, et si non est solvendo appellans restitui debet in integrum ad prosequendam appellationem; Glossa in *cap.: Ex ratione 8. de appellat.* verb. *Impotentiam*, ubi praecise dicit: »Si vero dolo alicujus privati circumventus appellat et appellationem non fuit prosequutus, tunc currunt tempora appellationis, sed habet recursum contra dolosum ad interesse, qui, si solvendo non fuit, restituitur appellans ad prosecutionem suae appellationis;« *ff. De eo per quem fact. erit, l. Ex hoc edicto, ff. de dolo, l. Et eleganter*, §. *Si dolo.* Et sic *Abbas* in cit. *cap.: Ex ratione n. 8, Alexander ibid. num. 69 et 70.* et alii.

Sextum legitimum impedimentum provenire potest ex casu fortuito, ut, si appellans vel ejus procurator sit ab hostibus captus vel via ad judicem sit ab hostibus, inundatione aquarum vel morbo contagioso impedita et hujusmodi, quia imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum; *Regul. juris 41.* in 6.

Verum tamen est, quod unumquodque ex istis impedimentis, ad hoc, ut sufficiat ad prosequendam appellationem post elapsum biennium, debet esse reale et veridicum et ut tale evidentissima probatione constare: ut colligitur ex *cap.: Ex ratione 8. de appellat.*, ibi: *Constiterit.* Et hoc onus probandi, esse verum et legitimum impedimen-

tum, incumbit appellanti, ut expresse habetur *l. fin. §. Illud etiam, cod. de temporibus appellat.* praecisis his verbis: »Nisi ipse appellator evidentissimis probationibus possit ostendere, se quidem summa ope nisum voluisse litem exercere, per judicem autem stetisse vel aliam inexorabilem causam subsecutam, propter quam hoc facere minime valuit.« Imo nedum appellanti incumbit onus probandi verum esse et reale impedimentum, sed insuper probare debet, quod diligentiam adhibuerit ad removendum tale impedimentum et appellationem prosequendam, ut colligunt doctores ex ipsa mox cit. *l. fin. §. Illud etiam* per illa verba: »Nisi ipse appellator evidentissimis probationibus possit ostendere, se quidem summa ope nisum voluisse litem exercere;« alioquin probatio non concluderet et consequenter nec relevaret, *arg. leg.: Qui commeatus, ff. de re militari.* Solus enim ille dicitur ex justa, necessaria et evidenti causa impeditus, qui post adhibitam diligentiam adhuc remanet impeditus, non vero ille, qui de facili potest tollere impedimentum et non tollit. Iste enim nedum non dicitur vere impeditus, sed potius dicitur volens illud impedimentum pati, qui enim potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur; *l. 174. ff. de R. J.* Sic *Gailus lib. 1. pract. observ. 143. num. 1. et seq., Pirhing. lib. 2. tit. 28. n. 171, Anaclet. ibid. num. 177.* et alii passim.

36) Introductionis causae.

Appellatio propter tres causas potissimum introducta est.

Prima est, ut gravamen inique oppressis illatum removeatur, *cap.: Suggestum 15. de appellat.*, ubi Alexander III. scribens Archiepiscopo Eboracensi *de motivo editae suae decretalis* sic praecise dicit: »*Non ad deprimendam cujuscumque justitiam sed ad removendum gravamen, nos fecisse cognoscas;*« et *cap.: Cum speciali 51. de appellat.*, ubi §. *Porro* habentur praecisa verba: »*Cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis sed ad praesidium innocentiae institutum.*«

Secunda est, ut iniquitas judicantium aut imperitia corrigatur; *l. 1. §. 1. ff. de appell. et relat.*, ubi expresse dicitur: »*Appellandi usus iniquitatem judicantium vel imperitiam corrigit.*«

Tertia, ut ex propria ignorantia vel negligentia laesus jus suum consequi possit: nam quae in prima instantia judicis nec allegata nec probata sunt, ea in secunda seu coram judice appellationis ab utraque litigantium parte allegari et probari possunt, dummodo ea faciant ad decisionem causae, *l. Prolatum 4. cod. de temp. appellat., cap.: Cum Joannes 10. de fid. instrum.* Unde fieri potest, ut, licet sententia prioris judicis sit formaliter justa isque recte processerit, tamen ea a judice appellationis propter novas allegationes rescindi debeat, ut patet exemplo in cit. *cap.: Cum Joannes*, ubi expresse habetur: »*Sententiam vero judicum praedictorum, qui alias juste pronunciasse noscuntur, (cum hujusmodi exceptio coram ipsis nec probata fuerit nec objecta) quoad dictum capitulum infirmamus.*«

37) Ad Judicem non competentem.

Vd. *supra n. 3 p. 579.*

Omissis aliis quaestionibus haec proponitur: Si quis in appellatione erraverit, ut, quum ad unum appellare deberet, ad alium appellaverit, num causa remittenda sit ad priorem judicem, an vero ad primum, tamquam deserta, executioni mandanda? Movet dubitationem, quod currunt decem dies de momento ad momentum a tempore scientiae, ita ut aut non interposita aut non jure interposita appellatione hujusmodi error post decem dies corrigi nequeat. Petenda autem resolutio hujus quaestionis ex *leg. 1. §. 3. ff. de appellat.*, ut si quis ad parem vel majorem appellaverit, ad alium tamen pro alio, in ea causa sit, ut ei error non noceat, si ad minorem noceat. Quod ita intelligendum, non ut intercidat appellatio, sed ad medium Superiorem remittenda veniat, nisi appellans data opera medium Superiorem praetergrediatur et ipsum tamquam appellationis judicem recognoscere noluerit. Si itaque medius judex se opponat et definiatur ad illum appellandum fuisse, intercidit appellatio, ut exemplo illustrat *Grevaeus ad Gail. conclus. 111. num. 5.* quum ratio dictae *leg. 1. §. 3. ff. de appellat.* cessare videatur.

Alias si alium pro alio quis adeat, nihil oberit ac pro eo habebitur, atque si is aditus sit, qui adiri debuit, *leg. 5. §. 3. ff. de appellat. recip. vel non*, modo ad minorem non appellaverit; nam si intra decem dies iterum appellatur ad competentem judicem, nihil et hic error proderit; *de leg. 5. §. 3. et seqq. ff. de appellat. recip. vel non.* Ex justa tamen causa probabiliter ignoranti ad quem appellandum, eaque propter appellanti ad alium judicem quam deberet, decursis fatalibus, beneficio restitutionis in integrum subveniendum; *Cletzel. de appellat. cap. 4. sub num. 30.*

Ne quis itaque erret, consultius est, ut dicat: *Appello ad talem judicem aut ad quemcumque alium competentem.* Ita enim appellando sustinetur haec alternativa appellatio. Hoc vero cum temperamento intelligi debet, modo intra decem dies certioretur aut declaretur, quis sit judex appellatus. Sin autem simpliciter appellatum, non expresso judice, intelligitur ad Superiorem competentem appellatum; *Gletzelius, ubi supra.*

38) Coram quo judice facienda?

Vd. *Appellatio* (effectus suspensivus p. 619; appellatio p. 578 n. 1. 2. 3).

Appellatio regulariter debet fieri coram judice *a quo*, alioquin est nulla et non habet effectum suspensivum neque devolutivum. Colligitur ex *cap.: Ut debitur 59. de appell.*, ubi sic habetur: »Quum autem ex rationabili causa putaverit appellandum coram eodem judice, causa probabili appellationis exposita etc. superior de appellatione cognoscat.« Et in ejus summario dicitur: »Appellans ante sententiam tenetur exprimere causam rationabilem coram ipso judice *a quo*, et colligitur etiam ex *cap.: Si justus metus 73. de appell.* et Gloss. ibid. expresso verbo: *Coram judice a quo.* Et sic tenent *Barbosa in cap.: Ut debitus n. 5. de appellat. qu. 6. num. 1. et seqq., Pirhing. lib. 2. tit. 28. de appell. n. 83*, Rota romana in una *Salernitana Contributionis 14. Novbr. 1614. coram Dunozetto*, et est communis. Et ratio est, quia per appellationem agitur principaliter de suspendenda et rescindenda sententia judicis *a quo*, adeoque coram ipso et non coram parte vel aliis est appellandum, ne ipse judex ignarus de tali interposita appellatione ulterius se tali causae immisceat. Si vero copia judicis *a quo* haberi non possit, tum appellatio debet fieri coram judice *ad quem* et intimari judici *a quo*, ne amplius se tali causae immisceat, et si adhuc illi se immiscuerit, acta per ipsum possint tamquam attentata revocari; *leg. 1. §. Dies autem, ff. quando appellandum sit, cap.: Biduum 29. §. Si quis, caus. 2. qu. 6*, Innocent. *in cap. ult. in fin. de appell., Joann. Andreas ibid. n. 5, Francus in cap. appellat. n. 24, Pirhing. loc. cit. n. 83*, et alii. Si autem neque haberi possit copia judicis *ad quem*, tunc in defectum utriusque judicis appellari potest coram viris honestis vel saltem coram uno honesto, adhibitis ei testibus, vel, si fieri potest, coram notario, qui adhibitis testibus conficiat authenticam attestationem, quod talis in sui et talium testium praesentia appellaverit, ut colligitur ex *cap.: Ut circa 4. de elect. in 6*, ubi dicitur: »Appellantes in instrumento publico seu literis super appellatione confectis omnia et singula exprimant . . . coram personis authenticis aut personis, quae super hoc testimonium perhibeant veritati.« *Abbas in cap.: Si justus metus 73. de appellat. num. 3, Alexander de Naevo ib. n. 9, Scaccia de appellat. qu. 6. n. 18. et seqq., Pirhing, Anaclet.* et alii.

Et dato quod aliquis justo metu cadente in constantem virum correptus non auderet appellare coram judice *a quo*, tunc sufficeret, quod coram honestis viris intra decem dies protestaretur, se velle appellare a sententia contra se injuste lata, sed detineri justo timore judicis *a quo*. In tali enim casu ejus protestatio haberetur pro vera appellatione, ut expresse habetur in *cap.: Si justus metus 73. de appellat.* praecisis his verbis: »Si justus metus, quominus appellaveris, te excusat, ad appellationis reputaris beneficium convolasse, dummodo infra tempus, quo licite provocatur . . . in praesentia bonorum virorum contestatione super hoc proposita causas appellationis duxeris exprimendas.« Et in ejus summario dicitur: »Justus metus excusat adeoque non appellans habetur pro appellante, si fuerit protestatus et appellationis causas duxerit exprimendas.« *Glossa ibid., Abbas, Barbosa* et alii passim ibidem. Et ratio est, ne propter gravem metum cadentem in constantem virum praecludatur aditus et medium ad justam defensionem gravaminum, ad quae reparanda est instituta appellatio; *cap.: Suggestum 15.* et *cap.: Cum Speciali 51. de appellat.*

39) Judicialis.

Vd. *Appellatio* (differentia inter judicialem etc. n. 24 p. 617).

Appellatio judicialis est, quae fit ab actu judiciali, scilicet a sententia judicis, sive definitiva sive interlocutoria, qua quis se gravatum existimat, aut cum quis citatur a ju-

dice dato nimis brevi tempore peremptorio, tunc si gravatus habet justam causam appellandi juxta *cap. 1. de dilation.*, vel cum judex delegatus justam exceptionem partis, quod v. g. vi impetrati rescripti apostolici conveniri non possit, admittere non vult, tunc ea pars tamquam aggravata ad Superiorem appellare potest juxta *cap.: Significante 34.* et *cap.: Rodulphus 35. de rescriptis.*

In appellatione judiciali appellans ea, quae in prima instantia non probavit, adhuc probare et non deducta deducere potest; *l. 4. cod. de appell., Strych. in usu modern. pandect. lib. 49. tit. 1. §. 15.*

40) Ab judicio irrationabili Episcopi.

Vd. *Appellatio (in causis de provisionibus eccles.* etc. n. 13 p. 594); *p. 607 n. 20; Concursus pro collat. eccles. parochial.* (judicium Episcopi).

Appellatio ab irrationabili judicio Episcopi a Pio V. permissa est in devolutivo tantum. Idem constit. 68. incip.: *Cum illud §. 2;* sicut etiam tacite a concil. Tridentino. *Idem ibid. §. 15.* Appellatio ab irrationabili judicio Episcopi infra decem dies a die collationis est interponenda. *Idem ibid. §. 7.* Ibique traditur forma transferendi acta coram judice *ad quem.* Appellatio ab irrationabili judicio Episcopi non permittitur, non probato gravamine, tam quoad doctrinam, ex actis, quam quoad reliqua, saltem extrajudicialiter. *Idem ibid.* Intellige tamen, ubi servata fuerit in concursu et examine forma ibi praescripta. *Idem ibid.* In hujusmodi appellationis judicio judex *ad quem* non potest pronunciare nisi comperto gravamine et secundum acta, tam quoad doctrinam quam quoad reliqua. *Idem ibid. §. 16.* In iis vero, quae Episcopus *a quo* ex informata conscientia ipsi revelaverit, omnimodam fidem ei habebit et secreti legem custodiet. *Idem ibid.* Et in hujusmodi judicio duae conformes faciunt rem judicatam. *Idem ibid. §. 17.*

Appellatio a judicio Episcopi super parochiali liberae collationis admittitnr in devolutivo tantum. *Idem tom. 2.* constitut. 4. incip.: *Redditae.* Appellatio a judicio Episcopi instituentis, si id conforme sit judicio patroni praesentantis, non admittitur nisi in devolutivo. *Idem ibid.* Si vero Episcopus postponendum censuerit eum, quem patronus ecclesiasticus tamquam digniorem praeelegerit, hujus appellatio admittitur etiam in suspensivo. *Idem ibid.*

41) Jus appellandi quis habet?

Vd. *Appellatione remota; Appell.* n. 1 p. 578.

Appellare potest omnis a judice injuste gravatus; *cap.: Omnis oppressus 3. et seq. caus. 2. quaest. 6.* et *cap.: Pastoralis 53. de appellat.* Appellatio enim est remedium defensionis et praesidium innocentiae, *cap.: Cum speciali 61. §. Porro,* et *cap.: Suggestum 15. de appellat.* Adeoque jure naturae omnibus injuste gravatis permissa esse debet, ita, ut etiam qui juraverit stare sententiae vel praecepto, si injuste gravetur, appellare possit; *cap.: Ad haec 20. de appell.* Etiam excommunicatus, si injuste opprimatur et gravetur, appellare potest; *cap.: Cum inter 5, cap.: Dilecti 8.* et *cap.: Significaverunt 11. de exceptionibus.* Imo non solum ille, qui gravatus existit, sed etiam alii, quorum interest, appellare possunt; *l. 1. de appellationibus recipiendis, cap.: Non solent caus. 2. qu. 6.* Sic fidejussor appellare potest pro principali debitore; *leg.: A sententia ff. de appellat. recipiend.* Procurator pro domino et tutor pro pupillo vel minore; *leg.: Tutor, ff. de appellat.* Pater et mater pro filio, cujus causa deserta est; *l. 1. §. 1. de appell. recipiend.* Filiusfamilias pro patre et matre; *l.: Ex consensu 23. §. Filiusfamilias;* juncta Glossa verb.: *Nonnisi Patris, ff. de appell.* Procurator et gestor negotii alieni, dummodo dominus mox id ratum habeat: *citat. l. c. de appellat. recipiend.* et *cit. cap.: Non solent 2. quaest. 6.* Episcopus pro suo clero, Abbas pro suo monacho, civitas pro cive, dominus pro subdito vel servo; *cap.: Cum super de sent. et re judic.* et *cap.: Dilectis filiis, §. de appell.* Clericus vel monachus pro sua ecclesia vel monasterio *cit. l. 1. de appell., cap.: Non solent 2. quaest. 6, cap.: Dilectis filiis, de appell.* Utraque pars litigantium appellare potest ab eadem sententia continente plures articulos, quatenus in aliquibus utrique parti est contraria, ut docet Glossa in *cap.: Significaverunt,* verb. *Absolvit de exceptionibus,* et patet exemplo in *cap.: Si duobus 10. de appellat.* et *cap.: Raynucius 16.* et *cap.: Raynaldus 18. de testamentis,* ubi a sententia prolata utraque pars appellasse legitur. Si eadem sententia plures reperiantur gravati, licet caeteris non appellantibus unus solus appellet, iste debet audiri et ejus appellatio pro omnibus prodest, si eadem sit ratio et causa pro omnibus, *cap.: Una sententia 72. de appell.,* ubi

expresse habetur: »*Una sententia pluribus condemnatis, si unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria juri communi caeteris suffragatur, si communi jure juventur, idemque negotium et eadem causa defensionis existat.*«

De communione appellationis latius disserendum est. Communio appellationis, definiente *Strychio jurid. dissert. tom. 5. disput. 20. c. 1. num. 75. est participatio beneficii ex interposita ab altero appellatione legum auctoritate alteri indulta,* quibus autem a legibus haec participatio sit indulta, videndum est.

Communis in primis est appellatio omnibus consortibus ejusdem litis, licet illi expresse non appellaverint vel adhaeserint, et quidem *quoad omnes effectus,* qui ex ipsa appellatione derivant: *Strychius, ubi supra cap. 2. num. 1. et plur. sequent.* Notandum vero est, quod, si sententia, a qua est appellatum, contineat res individuas, indistincte omnibus prodest appellatio; sin autem circa res dividuas versetur, sequentia haec concurrant oportet, ut prosit appellatio caeteris litis consortibus:

I. Ut ex eadem causa sint omnes condemnati.

II. Ut eadem defensionis sit causa.

III. Ut uterque jure communi fretus appellaverit, non ex singulari jure ac ratione impetraverit appellationem.

IV. Ut unus tantum appellaverit. Si enim omnes appellaverint, alterque eorum in prosecutione appellationis defecerit, consortes ejus appellatione non juvabuntur.

V. Ut consortes cum appellante eumdem non item diversum habeant procuratorem.

VI. Ut reliqui consortes sententiae non acquieverint.

VII. Ut intra decem dies sciverint esse appellatum.

VIII. Demum ut contrarium prius non fuerint confessi consortes.

Vide de his omnibus fuse disserentem *Strychium d. cap. 2. n. 17. ad num. 59.*

His vero concurrentibus prodest appellatio omnibus litis consortibus, licet appellans protestatus fuerit, se ratione sui interesse, nequaquam vero in commodum reliquorum appellare. Et non modo in civilibus sed etiam in criminalibus. Quinimo in criminalibus appellatio unius reliquis prodest, quamvis ii acquieverint sententiae nec alterius appellatione juvari voluerint.

Communis praeterea est appellatio parti adversae, idest appellato; *l. Ampliorem c. de appellat.* Distingui vero oportet, utrum a tota sententia an a certis tantum capitibus fuerit appellatum. Priori casu liberum est appellato, an interpositae appellationi adhaerere velit necne. Adhaesio autem intra decem dies fieri debet. Eaque facta nequit appellans appellationi renunciare. Quod si non adhaeserit, potest appellans suae appellationi renunciare, antequam citationem contra partem adversam extraxerit ac appellationem interpositam prosequi inchoaverit. Postquam autem appellationem suam appellans inchoavit, appellatus se non minus appellatione juvare potest, ac si ipse appellasset vel appellationi adhaesisset, et judex appellationis potest corrigere sententiam in favorem appellati, etiam eo non petente. Conf. *Strychium cit. dissertat. cap. 3. a num. 1. ad plur. seq.,* ubi de eo etiam inquirit: an judex appellationis debeat appellantem condemnare in expensas tum in usuras intermedii temporis.

Posteriori autem casu videndum, utrum sententia capitula contineat connexa an separata. Si contineat capitula separata, appellatio non est appellato communis. Sin autem capitula connexa contineat, appellatio est communis appellato. Connexio autem aestimanda est non ex rebus sed ex causa petendi, ita ut, si haec una sit, capitula, quae actionem veniunt, tametsi concepta sint de rebus diversis, adhuc tamen censeantur connexa; *Strychius dict. cap. 3. a num. 61. ad num. 81.* Vide quoque eumdem *a num. 82. ad finem,* ubi de his etiam disserit: an scilicet communis sit appellatio, si utraque pars appellavit seorsum: an appellanti prosit, quod appellatus prosecutus sit appellationem desertam: et demum an etiam in causis criminalibus appellatio prosit parti adversae.

Quando appellatio communis est tertio, qui in lite non fuit, consule *Strychium in dicta dissert. c. 4. per totum.*

42) Jus appellandi quis non habet?

Appellare non potest:

1. Qui appellationi renunciavit vel expresse vel tacite negligendo fatalia; *cap.: Personas 4, cap.: Cum sit 5. de appellat.,* vel prosequendo litem coram judice *a quo, cap.: Gravatum 20. de officio delegati.*

2. Qui sententiam contra se latam expresse vel tacite ipsoque facto approbavit; *leg.: Ultim. §. final. cod. de temp. appellat.*, citat. *cap.: Gravatum;* et Glossa *final. de officio delegati.*

3. Qui appellationi partis adversae non detulit, in eadem causa appellare non potest; *cap.: Constitutis 23, cap.: An sit 42. de appellat.*

4. Qui confessus est et convictus in judicio; *l. 2. cod. Quorum appellat. non recipiend., cap.: Ei qui 41. §. Nullus etiam caus. 2. qu. 6, cap.: Per tuas 10. de probat., cap.: Romana 3. de appell. in 6.*

5. Qui est excommunicatus*) non potest appellare *extrajudicialiter* appellatione, quae habet se per modum provocationis, cum excommunicato provocare non liceat; *cap.: Intelleximus de judiciis;* potest tamen appellare *judicialiter* appellatione, quae rationem defensionis habet; *cap.: Cum inter 5, cap.: Dilecti 8, cap.: Significaverunt 11. de exceptionibus.*

6. Appellare non potest ille omnis, cujus nihil interest appellatio; *l. 1. ff. de appellat. recipien.*, et *cap.: Non solent caus. 2. qu. 6,* ubi habentur praecisa verba: »Non solent audiri appellantes nisi hi, quorum interest«; et *cap.: Cum inter 16. de election.*, ubi praecise dicitur: »Cum, nisi quorum interest, audiri non soleant appellantes, appellationem illam dicimus legitimam non fuisse.«

Clericus ob crimen occultum ab Episcopo suspensus a susceptis vel a suscipiendis ordinibus non potest appellare, sed tantum suas quaerelas ad Sedem apostolicam deferre, et si appellet ac in ordine ministret, incurrit irregularitatem. Bened. XIV. *de synodo dioecesana lib. 7. c. 71. a num. 3 ad 5.*

43) Contra justitiam.

Vd. *Appell.* (illicita etc p. 623).

44) Legitima.

Vd. *Appell.* (effectus devolut. in appellat. legit. p, 619).

Appellatio rationabilis seu legitima est illa, quae fit justa de causa ac servatis jure servandis, et isti legitimae appellationi tenetur judex regulariter deferre; *cap.: Cum appellationibus, de appellat. in 6.*

*) Vd. *Appellatio a censuris absolute ab homine* etc. (ab excommunicatione p. 600).

45) In Matrimonialibus.

Vd. *Appellat. in causis matrimonial. p. 592.*

46) Modus.

Vd. *Appellat.* (appell. quando fieri potest ad superior mediat. etc. p. 579; Regularium p. 634; a sententia interlocutoria p. 640; a sententia definitiva p. 639).

Appellatio regulariter fieri debet gradatim ad proximum et immediatum Superiorem ejus, a quo appellatur, non autem, omisso medio, ad remotum et mediatum. Sic expresse colligitur ex *cap.: Dilecti filii 66. de appellat.*, ubi appellatio, quae, omisso dioecesano Episcopo, fuit facta immediate ad Archiepiscopum, exceptione partis contrariae apposita non habuit effectum et sententia lata ab officiali, idest Vicario ipsius Archiepiscopi de mandato Honorii III. fuit declarata irrita: colligitur etiam ex *cap.: Romana §. Ab Archidiaconis, de appellat. in 6.* et *cap.: Anteriorum §. Ita tamen caus. 2. qu. 6.* et *l. Imperatores, ff. de appellat.*, ubi statuitur appellationem esse gradatim faciendam et appellantem diversimode esse remittendum ad judicem immediatum et proximum, juxta *l. 1. §. Si quis ff. de appellat.* Et hoc juremerito fuit cautum, ne jurisdictiones judicum confundantur, sed cuilibet sua jurisdictio conservetur; *can.: Pervenit ad nos, caus. 11. qu. 1.* et *leg.: Nemo,* cum Glossa *verb. Auxilium, cod. de jurisdict. omnium judicum;* et ne judex medius per contemptum praeteritus videatur atque ut partium laboribus et expensis parcatur, *Vivian. in rational. hic; Pirhing. lib. 2. tit. 28. sect. 4. §. 3. num. 88; Scaccia, Anaclet.* et alii.

Ad uberiorem notitiam et solidiorem confirmationem praesentis materiae placet hic referre per extensum declarationem sacrae Episcoporum Congregationis de mandato et approbatione Clementis VIII. editam *16. Octobris 1600*, quae est, ut sequitur:

Ad tollendas ambiguitates et controversias jurisdictionales, quae inter appellationem et prioris instantiae judices, non sine partium dispendio cursusque justitiae impedimento et saepe cum scandalo oriuntur, sacr. Congr. causis Episcoporum praeposita, facta prius relatione Sanctissimo D. N. Clementi PP. VIII. ac Sanctitatis Suae mandato vivae vocis oraculo desuper habito hunc, qui sequitur, modum ab omnibus, ad quos spectat, in posterum servari debere mandavit et mandat.

Metropolitani, Archiepiscopi, Primates aut Patriarchae Suffraganeos eorumque subditos non judicent nisi in casibus a jure expressis.

Item et alii quivis Superiores, etiam Nuncii vel Legati de latere specificam facultatem majorem non habentes, causas in curiis Ordinariorum vel aliorum inferiorum judicum pendentes ad se non advocent, nisi per viam legitimae appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur, tunc appellantes, ab inferiorum jurisdictionibus, quoad alias causas, eximi non possunt.

Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quae realiter exhibeantur, prius constiterit, appellationem a sententia definitiva vel habente vim definitivae aut a gravamine, quod per definitivam reparari non possit, in casibus a jure non prohibitis per legitimam personam aut intra debita tempora fuisse interpositam ac prosecutam.

Dum causae coram inferioribus judicibus pendent, ante definitivam sententiam vel habentem vim definitivae de gravamine illato Superiores cognoscere non valeant, licet circa praejudicium cursus causarum se id facere contestentur, nec ad hunc effectum liceat eis inhibere aut simpliciter mandare, ut ipsi copia processus transmittatur etiam expensis appellantis.

Inhibitiones post appellationem sicut praemittitur receptam non concedantur, nisi cum insertione tenoris sententiae aut decreti definitivi aut vim definitivi habentis vel damnum per definitivam irreparabile continentis; alias inhibitiones et processus et inde secuta quaecumque sint ipso jure nulla eisque impune non parere liceat.

Si appellans asserat sententiae aut appellationis exemplum culpa judicis *a quo* aut actuarii haberi non posse, non ideo recipienda erit appellatio aut aliqua inhibitio concedenda. Sed eis tantum, ad quos pertinet, injungi poterit, ut soluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen judex *a quo*, nisi vere appellatum fuerit in causa appellabili, interim aliquid in praejudicium appellantis attentet, et si per actum publicum aut per testium depositiones constiterit acta denegari appellanti, judex appellationis mandato tradendi acta possit adjicere, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur.

A sententia autem definitiva contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur nec inhibitio aut alia quaevis provisio, quamdiu appellans in hujusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

Ab executione decretorum sacri concilii Trid. aut visitationis apostolicae appellationes a Metropolitanis non recipiantur, nec etiam quando Episcopi virtute ejusdem sacri concilii Trident. procedunt uti Sedis apostolicae delegati in causis, quae sub eorum jurisdictione ordinaria non comprehenduntur, salva tamen in hoc casu Legatorum et Nunciorum apostolicorum auctoritate.

In causis vero visitationis Ordinariorum aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum appellationes admittantur, nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cum visitator citata parte et adhibita causae cognitione judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum. Vd. *p. 616. n. 22.*

Cum a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut indebitae incarcerationis vel torturae aut excommunicationis etiam comminatae appellatur, nonnisi visis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur aut inhibitio vel provisio aliqua concedatur.

Causa appellationis pendente appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit quoad judex, ad quem appellatum est, visis actis et causa cognita aliter decreverit. Et tunc si a judicis *ad quem* decreto vim definitivae habente fuerit appellatum, is nihil mandare aut pro sui decreti executione attentare poterit, donec per judicem superiorem aliud fuerit ordinatum.

Acta originalia processus primae instantiae ad judicem appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa et suspicio incidat, quae judicialiter objiciatur, et tunc terminata causa remittenda sunt ad Ordinarium, ut in suo archivio conserventur.

Censura ecclesiastica contra appellantem prolata relaxari aut nulla declarari per judicem appellationis non possit, nisi auditis partibus et causa cognita, tuncque, si constiterit eam justam esse, ad judicem, qui excommunicavit, appellans remittendus est, ut ab ipso juxta sacros canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit debitamque

emendationem praestiterit, obtineat. Si vero injustam esse clare appareat, Superior absolutionem impendat; si autem dubitatur, honestius est, ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competentem terminum eidem praefigendum absolvendus remittatur, licet etiam Superior hoc casu idipsum per se praestare jure possit.

Absolutio ad cautelam, nonnisi parte citata et visis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatae vel a jure, si occurrat dubium facti vel probabile dubium juris, concedenda erit tuncque ad tempus breve cum reincidentia et praestita per excommunicatum cautione de stando juri et parendo mandatis ecclesiae tantum, et, si juxta formam a jure praescriptam apparebit aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem praestare, et, si ob contumaciam manifestam, expensas pariter reficere ac insuper cavere de judicio sisti coram excommunicatore, quis tenebitur, priusquam ad cautelam absolvatur.

A sententia etiam definitiva contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur nec inhibitio aut alia quaevis provisio, quamdiu appellans in hujusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

Romae in sacr. Congreg. die 16. Octobris 1660.

Alex. Card. Florent.
Hieron. Agucchius Secret.

Appellatio potest fieri duplici modo.

Primo modo illico seu incontinenti a sententia lata seu, ut alii dicunt, *stante pede* et judice adhuc pro tribunali sedente, idest eo nondum ad extraneos actus divertente, et tunc ea fit viva voce; *leg.: Litigatoribus 14.* junct. Glossa verb. *Illico*, *l. A sententia 5. §. fin. ff. de appellat.*, et sufficit, quod appellans dicat: »Appello«; *l. 2. ff. de appell.*, et hoc ipsum faciat per notarium scribere in actis; *Maranta de ordin. judic. part. 6. in act. 2. n. 124 et seqq., Pirhing. lib. 2. tit. 28, de appellat. num. 101, Anaclet. ibid. num. 119.* Hoc autem solum procedit in appellatione a sententia definitiva; nam appellatio ab interlocutoria vel a gravamine aliquo debet fieri in scriptis, ut expresse habetur in *cap.: Cordi nobis 1. de appell. in 6.* his verbis: »Sancimus igitur, ut si quis in judicio vel extra super interlocutoria vel gravamine aliquo ad nos duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis assignare deproperet.«

Secundo modo potest fieri ex intervallo, intra tamen decem dies, juxta *Authent. Hodie* cum Glossa ibid. *cod. de appellat.* et *cap.: Anteriorum 28. caus. 2. quaest. 6*, et tunc ea facienda est in scriptis per libellum, qui vocatur appellatorius, in quo libello debet exprimi, quis appellat, contra quem, et sententia, a qua fit appellatio; *l. 1. §. fin. ff. de appellat.* et ibi Glossa verb. *Libellos*; *Maranta loc. cit., Anaclet. lib. 2. tit. 28. de appell. num. 120, Pirhing. ibid. num. 101.* et alii communiter.

Appellatio potest fieri nedum per haec verba expressa: *Appello* vel *Provoco* sed etiam per alia aequipollentia dicendo v. g. *Committo* vel *subjicio me appellationi Papae vel alterius Superioris, ex quo sim nimis gravatus*, vel similia; tunc enim per similia verba censetur quis vere et valide appellasse et acta ex post contra ipsum a judice *a quo* pro attentatis habentur, ut clare patet ex *cap.: Ad audientiam 34. de appell.* praecisis his verbis: »Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod, cum Zamorensis Episcopus G. presbyterum ecclesiae s. Jacobi Zamorensis multipliciter molestaret, tandem idem presbyter se et ecclesiam suam nostrae protectioni subjecit. Licet autem praedictus presbyter ex simplicitate forte verbum *Appello* non expresserit, quia tamen, postquam se et sua nostrae protectioni subjecerat, non debuit sine causae cognitione aliqua sententia condemnari, mandamus quatenus (si ita tibi constiterit) sententiam, quam praefatus Episcopus in eumdem presbyterum tulit, denuncies non tenere.« Et in ejus summario dicitur: »Si praecedente gravamine quis submittit se protectioni Superioris, habetur pro appellante, dummodo servaverit ea, quae in appellatione sunt necessaria.«

Appellatio potest fieri nedum verbis et scriptis sed etiam facto, dummodo serventur ea, quae ad appellationem sunt necessaria, scilicet quod appellans *facto* iter arripiat ad legitimum Superiorem, petat apostolos et exprimat causam gravaminis; *cap.: Olim 7. de dolo et contumacia*, ubi expresse dicitur: »Et si non verbo, facto tamen intelligitur provocasse arrepto itinere ad Sedem apostolicam»; et *cap.: Dilecti filii 52. de appellat.*, ubi insuper dicitur, quod »plus sit ad Sedem

apostolicam facto provocare quam verbo.« Et in ejus summario dicitur: »Itineris arreptio habet vim appellationis, si serventur ea, quae servari debent in appellatione«, idest iter arripiens ad Papam seu alium legitimum Superiorem, quamvis non exprimat verbum *Appello* vel *Provoco*, habetur pro vero appellante, dummodo petat apostolos, exprimendo causam gravaminis. Aliter, si negligenter ipsos apostolos petere praetermittat, censetur renunciasse appellationi, cum ad ipsam appellationem non sufficiat sola itineris arreptio aut missio ad Superiorem, textu expresso, in *cap.: Ab eo 6. de appell. in 6*, ubi sic praecise statuitur: »Alias praesumitur appellationi suae renunciare appellans, si eos (scilicet apostolos) infra idem tempus petere praetermittat, etiamsi vadat aut mittat ad appellationem hujusmodi prosequendam.« *Abbas in cit. cap.: Dilecti filii n. 4*, et *Anaclet. lib. 2. de appellat. tit. 28. n. 113, Pirhing. ibid. n. 105.* et alii.

47) Ad Papam quando intercedit?

Vd.: *Appell.* (Duae partes appell. etc. p. 618; a concilio generali p. 602).

Quando Episcopus litigat cum suo subdito, tunc eligendi sunt arbitri, a quorum sententia appellandum est immediate ad Papam, omissis mediis; *cap.: Ab arbitris, de offic. delegati in 6.*, Glossa *ibi, Abbas, Scaccia* et alii.

Appellari non potest regulariter loquendo a judice saeculari ad Papam, nisi litigantes sint temporali jurisdictioni Papae subjecti; *cap.: Si duobus 7. §. Denique appellat.*, ubi Alexander III. super hoc consultus sic praecise respondit: »*Denique quod quaeris, si a civili judice ante judicium vel post ad Nostram audientiam fuerit appellatum, an hujusmodi appellatio teneat? Tenet quidem in his, qui sunt Nostrae temporali jurisdictioni subjecti, in aliis vero etsi de consuetudine ecclesiae teneat, juris rigorem credimus non tenere*«; et in ejus summario sic etiam praecise habetur: »*A civili judice, qui non est de temporali jurisdictione ecclesiae, non appellatur ad Papam.*« Et ratio est, quia Papa in causis temporalibus christianorum laicorum jure communi jurisdictionem non habet, nisi temporali ejus jurisdictioni sint subjecti; adeoque non debet se in his intromittere in praejudicium potestatis saecularis; arg. *cap.: Novit ille 13. num. 1. de judiciis*, et *cap.: Lata*, et *cap.: Causam quae 7. tit. 17. Qui filii sint legitimi*; et summar. hujus ultim. cap., in quo expresse dicitur: »*De causa civili inter laicos non cognoscit ecclesia.*« Sic tenet *Abbas in cap.: Si duobus n. 5, Barbosa ib. n. 6, Anaclet. lib. 2. tit. 28. de appellat. num. 70 et seqq., Pirhing. ib. num. 98.* et alii.

48) Ad Potestatem saecularem.

Vd. *p. 635 §. Nullimode.*

Appellantes a gravamine vel futura executione literarum apostolicarum ad potestatem saecularem excommunicantur. Bened. XIV. t. I. const. 14. incip.: *Pastoralis* §. 12.

49) De Professione regulari.

Vd. *Restitutio in integrum; professio regul.*

Appellatio a sententia pro nullitate professionis regularis prolata a defensore professionum est interponenda et prosequenda. Bened. XIV. *tom. 2. constit. 47.* incip.: *Si datam.* Appellatio ab unica sententia lata pro nullitate professionis semper suspendit executionem. *Idem ibid.* Et licet non interposita fuerit, res non dicitur judicata nec professus exire potest e claustris. *Idem ibid.*

50) Prohibita.

Vd. *Appellatione remota* (hac clausula quae appellat. etc.); *Appell.* (retardans executionem p. 637).

51) Quoties fieri potest?

In eadem causa non potest ab eodem tertio appellari a sententia, quae fuit bis confirmata, *l. Unica cod. Ne liceat in una eademque causa ter provocare*, et *cap.: Sua nobis 65. de appell.*, et in ejus summario, ubi expresse dicitur: »Ab eadem sententia ab eodem tertio appellare non licet.« Et hoc verum est non solum in appellatione a definitiva sed etiam in appellatione ab interlocutoria: *Reiffenstuel lib. 2. decretal. tit. 28. n. 31, Pirhing. ib. n. 119, Scaccia tract. de appellat. qu. 17. limit. 1. n. 3, Barbosa in cap.: Sua nobis 65. de appell. num. 2.* cum aliis multis. Immo hoc verificatur etiam in sententiis, quae non transeunt in rem judicatam; licet enim possit causa de novo inchoari, non potest tamen tertio appellari; *Abbas in cap.: Sua nobis num. 2, Barbosa ib. n. 2, Pirhing. lib. 2. tit. 28. de appellat. n. 126, Anaclet. ib. n. 312.* Et hoc adeo verum est, ut nec Papa nec alius princeps suprema auctoritate gaudens possit potestate ordinaria per viam rescripti concedere, quod

tertio appelletur ab eodem in eadem causa, licet possit per viam privilegii et ex certa scientia hoc princeps concedere; *March. de commiss. part. 2, de commiss. super nullit. cap. 2. n. 1. fol. 140, Scaccia loc. cit. n. 2, Barbosa loc. cit. num. 2, Pirhing. loc. cit., Anaclet. loc. cit. n. 215.* et alii passim.

Posset tamen ab eodem appellari pluries, v. g. centies et millies, si centies et millies gravaretur super diversis articulis, licet in una eademque causa; *cap.: Quoties Episcop. 16. caus. 2. quaest. 6,* ubi praecise habetur: »Quoties Episcopi se a suis comprovincialibus vel a Metropolitano putaverint praegravari . . . mox romanam appellent Sedem.« Glossa in *cap.: Directae 39. de appell.* verb. *Appellare*, ubi haec habet praecisa verba: »Immo ante sententiam si gravaretur quis, posset appellare pluries quam secundo vel tertio vel quarto, quoties super diversis articulis gravaretur, quia super unoquoque articulo licitum est appellare, si gravaretur;« *Abbas in cap.: Sua nobis de appell. num. 7, Pirhing. leg. 2. tit. 28. de appell. num. 127, Scaccia in tract. de appell. qu. 17. num. 18 et 40, Barbosa in cap.: Sua nobis 49. de appell. num. 2.* cum variis aliis.

In eadem causa et super eodem articulo licet utrique parti collitigantium bis appellare successive et sic in eadem causa et super eodem articulo possunt utrinque interponi quatuor appellationes. Detur casus, v. g. quod Petrus contra Paulum litigans appellet a sententia contra se lata et succumbat, tunc Petrus potest adhuc secundo appellare, et si in sua secunda appellatione obtineat victoriam causae, tunc Paulus ejus adversarius poterit etiam ipse appellare et erit tertia appellatio in eadem causa et super eodem articulo, et si feratur sententia contra ipsum Paulum, poterit adhuc Paulus appellare, et erit quarta appellatio in eadem causa et super eodem articulo, post quam quartam appellationem nec Petro nec Paulo licebit amplius appellare, cum jam uterque bis appellaverit, et sic victoria causae remanebit illi, qui in quarta et ultima appellatione sententiam favorabilem obtinendo tres conformes sententias in eadem causa et super eodem articulo reportavit. Sicuti pariter dicendum est de eo, qui non successive sed interpolatim modo uno modo altero litigantium appellante tres habuit conformes favorabiles sententias; *arg. Clement. Ut calumniis litigantium 1. de sentent. et re judicata; Abbas loc. cit. n. 8, Barbosa, Scaccia, Pirhing.* locis supracitatis. Post totum hoc autem potest adhuc quilibet tertius, cujus intersit, appellare, non obstante quod utraque pars litigantium jam appellaverit; *Scaccia in tract. de appellat. quaest. 17. limit. 1. num. 63, Barbosa in cap.: Sua nobis 65. de appellat. num. 2. tit. 28. num. 127.* et alii.

52) Rationabilis seu legitima.

Vd.: *Appellatio* (effectus devolut. in appellat. legitima p. 619).

Appellatio rationabilis seu legitima est illa, quae fit justa de causa ac servatis jure servandis, et isti legitimae appellationi tenetur judex regulariter deferre; *cap.: Cum appellationibus, de appellat. in 6.*

53) Regularium.

Vd. *Recursus. Appellatio* (modus servandus p. 630).

A Regularibus etiam et potissimum gradatim est facienda appellatio, prout statuit Bonifacius IX. constit. incip: *Sacrae religionis.* Et Leo X. in constit. incip.: *Romani Pontificis*, et expresse sacra Congreg. Regul. praecisis his verbis: »Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio sive dum imminentem admissorum criminum poenam ex suis constitutionibus aut alias debitam metuunt, falsa et commentitia gravamina causati, non ad immediate sui ordinis Superiores, scilicet a gravamine Prioris ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali ad Protectorem *) prout cujusque religionis constitutionibus disponitur, sed ad hanc romanam curiam absque licentia saepius fugiunt potius quam recurrant, ex quo ordinum disciplina relaxatur, Praelati condemnuntur, et ipsi in dies audaciores evadunt, placuit sac. Congregationi Regul. ex ordine Sanctissimi statuere, ut si quis Regularium in posterum

*) Hodie, inquit *Giraldi exposit. jur. pont. p. 201,* quoad appellationem ad protectorem huic decreto derogatum est ab Innocentio XII., qui const. *Christifidelium* 16. Febr. 1694 §. *Insuper* illi ademit facultatem cognoscendi causas particularium religiosorum, ibi: »Et nihilominus ne hujusmodi protectores in aliquibus negotiis, causis seu rebus, quae universum ordinem seu totum corpus religionis non concernunt, ex quacunque causa, occasione, titulo seu praetextu sese quoquo modo intromittant seu ingerant, etiam tenore praesentium penitus prohibemus, statuimus atque decernimus. Haec Innocentiana constitutio confirmata est a Bened. XIV. const.: *Quantum* 13. Febr. 1741.

temere levique ex causa hanc almam Urbem sive curiam absque sui Superioris licentia et supradicta forma praetermissa adire praesumpserit, ad suos eosdem Superiores severiori poena plectendus remittatur.

Frater Michael Bonnellus Card. Alexandrinus. Romae 1587. Georgius Palearius U. J. D. Secretarius.«

Quarant. summ. verb. Monaster. et Convent.

Nullimode tamen possunt Regulares appellare ad judices extraneos seu ad tribunalia saecularia. Colligitur ex *cap.: Ad nostram 3.* et *cap.: Reprehensibiles 26. de appellat.* Et sic appellantes et eos admittentes incurrunt excommunicationem latae sententiae, prout decreverunt varii summi Pontifices et signanter Bonifac. IX. in sua constit. incip.: *Sacrae religionis,* Julius II. in constit. incip.: *Exposuisti Nobis*, Leo X. in constit. incip.: *Romani Pontificis,* Gregorius XIII. in constit. incip.: *Quoniam nostro**), pro Franciscanis de observantia; Clemens VIII. in constit. incip.: *Quoniam nostro* pro Carmelitis, idem Clemens in constit. etiam incip.: *Quoniam nostro* pro Augustinianis, idem pariter Clemens in constit. quoque incipiente: *Quoniam nostro* pro Servitis. Immo nec licet Regularibus appellare ad judices ecclesiasti-

*) *Prohibitio appellandi per religiosos ordinis s. Francisci de observantia a praelatis ejusdem ordinis ad tribunalia saecularia vel mutandi ordinationes ministri generalis permissioque habendi recursum ad ipsum ministrum vel protectorem aut romanum Pontificem.*

Gregorius PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, ut ea, quae ausu temerario ab ecclesiasticis praesertim regularibus personis plerumque attentantur, quantum Nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compescamus et removeamus,

§. 1. Idcirco, cum, referente dilecto filio fratre Christophoro de Capite Fontium, fratrum Minorum de observantia ordinis s. Francisci generali ministro, non sine animi nostri molestia nuper intellexerimus nonnunquam quosdam religiosos et religiosas ordinis sui hujusmodi, Dei timore postposito et suae professionis immemores, ut in eorum malefactis et inobedientia se diutius confoveant, ab iis, quae per praelatos ejusdem ordinis, etiam Guardianos sive Provinciales vel commissarios ab ipso generali ministro pro tempore deputatos, acta sunt et decreta, ad tribunalia saecularia appellare et ad ea temere confugere,

§. 2. Auctoritate apostolica tenore praesentium praecipimus et inhibemus, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua non nisi a Nobis seu romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, necnon privationis perpetuae officiorum per eos obtentorum et inhabilitatis ad illa et alia quaecumque dicti ordinis officia exercenda, ac vocis, tam activae quam passivae, eo ipso incurrendis poenis, ne quis provincialis aut alius, cujuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis ordinis hujusmodi religiosus aut religiosa ad ipsa tribunalia saecularia, quovis praetextu aut quaesito colore, ut praefertur, appellare vel illa propterea quoquomodo adire audeant vel praesumant, sed, si se a praelatis suis gravari praetendant, ad generalem ministrum ipsius ordinis seu illius protectorem aut vice-protectorem in romana curia vel ad Nos sive romanum Pontificem successorem nostrum, supremum in ecclesia Dei judicem, sicut antiquitus semper consuetum fuit, recursum habeant, unde illis brevi manu justitia ministrabitur.

§. 3. Declarantes nihilominus non modo eosdem religiosos contrafacientes in dictas poenas incidere, verum etiam eorum quomodolibet directe vel indirecte fautores et consultores illas quoque incurrere.

§. 4. Praeterea sub poenis praedictis prohibemus, ne quis provincialis aut guardianus vel cujuscumque alterius gradus religiosus aut religiosa ejusdem ordinis, ab ipso ministro generali missis pro visitandis provinciis commissariis resistere nec eis se opponere aut contradicere seu se rebellem exhibere, ipsos quacumque de causa vel quaesito colore non recipiendo, audeat neque debeat.

§. 5. Volentes eumdem ministrum generalem, quotiescumque sibi expedire videbitur, quos voluerit commissarios ad quascumque sui ordinis utriusque familiae provincias, quibusvis consuetudinibus ac statutis per quaslibet personas in contrarium factis non obstantibus, libere mittere posse.

§. 6. Insuper, quia, ut etiam accepimus, aliquando nonnulli ministri ex visitatis provinciis per commissarios ad hoc ab ipso generali ministro deputatos, quae a dictis commissariis recte et salubriter ordinata et gesta fuerunt, rescindere, mutare aut contemnere solent, sub omnibus et singulis poenis supradictis expresse prohibemus, ne quisquam ab eisdem commissariis facta et ordinata mutare, alterare aut pervertere sine expressa licentia et permissione ipsius ministri generalis, qui solus ea mutare valeat, ullo modo praesumat. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus.

Datum Romae apud s. Petrum die 8. Aprilis 1575.

(Bull. rom. t. VIII. p. 103. Ed. Aug. Taur. 1863.)

cos, quibus non subduntur, v. g. Episcopos, Archiepiscopos, Primates et Patriarchas, nec querelam coram ipsis contra suos Praelatos facere. Et ratio est, quia, cum Regulares sint exempti a jurisdictione Ordinariorum, nullo jure possunt ad illos appellare vel coram ipsis contra suos Praelatos talem querelam facere. Appellatio enim seu querela non fit nisi ad Superiorem, cum sit ab inferiori ad superiorem judicem provocatio ratione gravaminis illati vel inferendi, ex *cap.: Placuit caus. 2. qu. 6.* Et ideo Leo X. in supracit. constit. incip.: *Romani Pontificis* punit excommunicatione latae sententiae supradictos Regulares sic appellantes et judices ecclesiasticos eorum appellationem admittentes. Et per hoc sacra Congregatio Episc. et Regul. *die 10. Octobr. 1586* omnibus Ordinariis sic praecise prohibuit; »*Tertio, Ordinarii in cognitionibus causarum fratrum Mendicantium tam civilium quam criminalium minime sese ingerant.*« Quinimo, licet Nuncii apostolici sint judices appellationum pro aliis exemptis, non tamen recipere debent appellationes Regularium, sed relinquere gradatim a suis Superioribus cognoscendas, ut decrevit sacra Congregatio Episc. et Regul. *in Florentina 8. Novembris 1593.* Adverte tamen, subdit hic satis opportune *Antonius a Spiritu sancto in directorio Regularium tract. 3. disp. 6. sect. 5. §. 6. n. 776 et 777*, quod, licet Regulares non possint ad tribunalia saecularia recurrere per appellationem, quando se sentiunt gravatos, si tamen per appellationem vel alia via inter ordinem non possunt vitare vim sibi illatam injuste, quia vel non recipitur appellatio vel Superior, ad quem possent recurrere, longe distat, ita ut non possint illum adire instante gravamine, tunc posse Regulares recurrere ad judicem saecularem, non quasi appellent ad judicem competentem, sed solum ut sibi succurrat in illo gravamine injusto, tollendo vim factam modo quo licite potest, suadendo scilicet Praelato, ut vel abstineat a vi injusta vel det locum appellationi vel judices novos assignet. Ita *Portel in additionibus ad dubia regularia*, verb. *Appellare num. 3; Sousa in bullam Coenae cap. 15. disc. 78. num. 2; Delbene tom. 2. cap. 9. dub. 6. sect. 1. num. 23.* Et hic modus defensionis, quam tuitivam dicunt, videtur his nostris temporibus in romana curia approbatus in judicio contradictorio in causa cujusdam tuitivae, quam fratres provinciae Matris Dei in Indiis orientalibus impetrarunt adversus suum commissarium pro defensione creationis novae provinciae, in quo casu Romae fuit judicatum, tuitivam licite fuisse impetratam a judice saeculari regiae coronae et validam fuisse, ut testatur *P. Emman. a Monte Oliveti in pract. regulari p. 2. art. 7. num. 495.* Quod maxime notandum est contra Suarium, Azorium et alios, quos refert et sequitur *Delbene sup. num. 27*, qui existimarunt, praedictas tuitivas esse contra libertatem ecclesiasticam. Ita Antonius a Spiritu s. De hujusmodi ad saecularia tribunalia ecclesiasticorum recursu fuse agit et satis docte more suo *Nicolaus Rodriquez Fermosinus in tract. de judiciis quaest. 19.*

Nec licet Regularibus recurrere extra ordinem et religionem ad quascumque personas tam ecclesiasticas quam saeculares, etiam Cardinalatus honore et excellentia ducali, regali et imperiali fulgentes, pro consequendis honoribus, dignitatibus, gratiis et officiis in ipso ordine vel religione, cum ipsis talis recursus sit expresse prohibitus a variis summis Pontificibus sub gravissimis poenis privationis vocis activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad illa et similia officia vel dignitates. Sic prohibuit Patribus ordinis Pradicatorum Gregorius XIII. in constit. incipiente: *Cum nihil magis;* et hoc ampliavit Clemens VIII. in sua constit. incip.: *Religiosos viros*, confirmando decretum capituli generalis ejusdem ordinis et hoc ipsum praecipiendo in virtute s. obedientiae. Sic prohibuit idem Clemens Carmelitis in constit. incip.: *Quoniam nemo.* Sic etiam idem Clemens prohibuit Camaldulensibus in constit. incip.: *Ambitiosam.* Sic idem Clemens prohibuit Hieronyminis in constit. etiam incip.: *Ambitiosam.* Sic idem Clemens prohibuit Cruciferis in constit. incip.: *Quoniam nemo.* Sic Paulus V. prohibuit Canonicis regularibus ss. Salvatoris in constit. incip.: *Quoniam nemo.* Sic idem Paulus prohibuit Augustinianis in constit. incip.: *Admonemur.* Sic idem Paulus prohibuit Coelestinis in constit. incip.: *Quoniam nemo.* Sic idem Paulus prohibuit Franciscanis de observantia in constit. incip.: *Admonemur.* Sic idem Paulus prohibuit Franciscanis conventualibus in constit. etiam incip.: *Admonemur.* Sic idem Paulus prohibuit Praedicatoribus in constit. etiam incip.: *Admonemur*, praecipiendo ipsis in virtute s. obedientiae et sub excommunicatione latae sententiae Papae reservata, ne ad favores extra religionem recurrant pro se vel aliis ad effectum consequendi officium generalis. Sic etiam idem Paulus prohibuit Minimis s. Francisci de Paula in constit. etiam incip.: *Admonemur.* Sic idem Paulus prohibuit monachis Cisterciensibus congregationis Italiae recursum ad favores extra religionem in virtute s. obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae in constit. incip.: *Alias per nos.* Et sic Urbanus VIII. prohibuit Franciscanis de observ. in constit. incip.: *Admonemur.* Sic etiam prohibuit Franciscanis de observ. Benedictus XIII. in constit. incip.: *Universalis ecclesiae*, praecipiendo eis in virtute s. obedientiae et sub poena perpetuae inhabilitatis et incapacitatis ad dignitates et officia religionis, nedum ut ad eas dignitates obtinendas sibi favores extra ordinem non curent, sed nec etiam sponte oblatos aut ab eis minime procuratos recipere praesumant. Et hic est advertendum, quod non solum est prohibitum Regularibus subditis recurrere extra ordinem pro dignitatibus et officiis in ipso ordine consequendis, sed insuper sub gravissimis poenis et etiam excommunicationis latae sententiae est prohibitum Superioribus regularibus ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum extra suos ordines officia et dignitates eis concedere, ut in supracitatis constitutionibus expresse cavetur.

54) Regularis e monasterio egredientis et ad Superiorem accedentis.

Vd. *Apostasia a religione* (quando non incurritur? p. 571).

55) Retardans executionem.

Vd. *Appellatio prohibita p. 633; p. 638 §. Primo etc.; p. 656 n. 60.*

Appellationes omnes et inhibitiones, per quas retardetur executio aut impediatur processus ad ulteriora in iis, quorum executio a Tridentino vel constitutionibus apostolicis commissa est locorum Ordinariis addita clausula *appellatione vel inhibitione quacumque postposita*, ne a tribunalibus recipiantur statuit Benedictus XIV. constit. incip.: *Ad militantis* *). Quae appellationes inhibitionesque si concedantur, praeterquam, quod ejus statutum violatur, nullae sint; *ibid.* §. *38.*

Excipiuntur tamen casus, qui forte occurrerint singulares ab hac regula eximendi; tunc vero ne dentur monitoria, citationesque vetat, nisi prius in supplici libello ad hoc porrigendo facti circumstantia peculiaris clare exponatur cum aliquo documento semiplene saltem eamdem circumstantiam verificante; *ibid.* §. *39.*

Et notarii non servantes talem formam infamiam et inhabilitatem incurrunt, cum poenis pecuniariis; *ibid.* §. *40.*

56) Sententia, a qua appellari potest?

Vd. *Sententia* (definitiva; interlocutoria; modus). *Appellatio* (a sententia definitiva *p. 639;* a sententia interlocutoria *p. 640).*

De jure canonico appellari potest ab utraque sententia, scilicet definitiva et interlocutoria; habetur expresse in *cap.: Super eo 2. de appellat.* praecisis his verbis: »*Sacri canones ante et post litis contestationem et in prolatione sententiae, et post, singulis facultatem tribuunt appellandi. Leges autem saeculares appellationem (nisi in casibus) ante sententiam* (scilicet definitivam, quae nomine sententiae absolute positae intelligitur, *Abbas hic n. 6.) non admittunt;*« et colligitur etiam ex *cap.: Cum sit 5. de appell.* et *cap.: Cordi de appell. in 6.*

De jure civili appellari potest solum a sententia definitiva. Ab interlocutoria vero, etiamsi decem concurrant *), non potest appellari, nisi in quibusdam casibus, *cit. cap.: Super eo 2. de appellat. l. Apertissime, cod. de jud. l. fin. cod. de sentent. interlocut. omn. jud.* et *l. Ante sententiae tempus, cod. Quorum, de appellat. non recip.*

Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 1.* et *sess. 24. cap. 20. de reform.* statuit, quod quantum ad hujusmodi appellationes conformiter juri civili procedatur etiam in jure canonico; nam decrevit, quod »In causis visitationis et correctionis sive habilitatis et inhabilitatis necnon in criminalibus ab Episcopo seu illius in spiritualibus Vicario generali ante definitivam sententiam ab interlocutoria vel alio quocumque gravamine non appelletur nec Episcopus seu Vicarius appellationi hujusmodi tamquam frivolae deferre teneatur, sed ea quacumque inhibitione ab appellationis judice emanata, necnon omni stylo et consuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari vel ab ipsa de-

*) Vd. *supra p. 583.*

*) Vd. *infra p. 640. b.*

finitiva appellari non possit, quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistant;« sunt verba praecisa concilii *sess. 13. cap. 1;* quod decretum *sess. 24. cap. 20.* extendit ad omnes causas ad forum ecclesiasticum pertinentes. Unde ex istis concilii decretis aperte colligitur, posse in judicio universaliter loquendo appellari in quatuor casibus tantum.

Primo a sententia definitiva, ut *citat. cap. 20. sess. 24.* expresse dicitur: *nisi a definitiva*, quod procedit etiam in causis visitationis et correctionis, ut patet in *cit. cap. 1. sess. 13*, licet in his appellatio executionem non suspendat, ut decernitur in ipso *cap. 1. sess. 13.* et in *cap. 10. sess. 24.* per expressa haec verba: »*Nec in his, ubi de visitatione, morum correctione agitur, exemptio aut alia inhibitio, appellatio seu querela etiam ad Sedem apostolicam interposita executionem eorum, quae ab his mandata aut judicata fuerint, quoquo modo impediat aut suspendat.*« Et sic in causis praedictis post definitivam sententiam admittitur appellatio devolutiva tantum, non autem suspensiva, nisi gravamen esset irreparabile, quia tunc liceret appellare quoad utrumque effectum, scilicet devolutivum et suspensivum, ut declaravit sacra Congregatio concilii teste *Fagnano in cap.: Super eo, de appellat. num. 30.*

Secundo appellari potest ex concilio a sententia habente vim definitivae, ut expresse habetur *cap. 20. sess. 25.* per haec praecisa verba: »*Vel a definitivae vim habente.*«

Tertio potest appellari ex concilio a sententia interlocutoria vel alio quocumque gravamine, quando gravamen hujusmodi per sententiam definitivam reparari non potest, *cit. cap. 1. sess. 13.* per haec praecisa verba: »*Nisi gravamen hujusmodi per definitivam reparari non possit.*

Quarto potest appellari ex concilio a sententia interlocutoria, quotiescumque a sententia definitiva appellari non potest, *citat. cap. 1. sess. 13.* per haec verba: »*Vel ab ipsa definitiva appellari non possit.*«

Extra autem hos recensitos casus ab interlocutoria vel quovis alio gravamine ante definitivam sententiam hodie in judicio appellare non licet, uti licebat de jure veteri, ex *cap.: Super eo, de appellat.* et *cap.: Cordi, de appellat. in 6*, cum isti canones, quatenus permittunt appellationem ante sententiam definitivam a quocumque gravamine, sint modificati et restricti a concilio et redacti ad terminos juris civilis. »*Ne rei criminum plerumque ad evitandas poenas et Episcoporum subterfugienda judicia querelas et gravamina simulent et appellationis diffugio judicis processum impediant, ne remedio ad innocentiae praesidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur,*« ut loquitur concilium *cap. 1. sess. 13.*

Die 15. Maji 1700 circa hanc materiam fuerunt edita a sacra Congregatione concilii alia decreta in causa *Insulae seu regni Sardiniae*, quae pariter ad literam cum propositis dubiis hic adducuntur:

1. An, quando Ordinarii ad evitanda scandala procedunt, non citata parte nec adhibita causae cognitione in causis visitationis aut correctionis morum, possit judex delegatus apostolicus appellationem simpliciter admittere?

2. An ab interlocutoria vel alio quocumque gravamine, quod tamen potest reparari per sententiam definitivam, valeat appellationem admittere?

3. An, quando appellatur a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut carcerationis, torturae aut excommunicationis, possit appellationem admittere aut inhibitionem vel aliam inhibitionem concedere non visis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine?

4. An censuras ecclesiasticas in appellantem prolatas valeat relaxare aut nullas declarare, non auditis partibus nec cognita causa?

5. An valeat absolutiones ad cautelam concedere, non citata parte nec visis actis nec praestita cautione ab appellante de stando juri et parendo mandatis ecclesiae?

6. An ab executione decretorum sacri concilii Tridentini valeat appellationem admittere?

7. An valeat causas in curiis Ordinariorum vel aliorum judicum inferiorum pendentes ad se avocare vel illorum cursum impedire sub quolibet praetextu, praeterquam per viam legitimae appellationis fuerint ad ipsius tribunal delatae?

8. An valeat appellationem recipere, nisi per publica documenta (quae realiter exhibeantur) prius constiterit appellationem a sententia definitiva vel habente vim definitivae aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, in casibus a jure non prohibitis per legitimam personam

et intra debita tempora fuisse interpositam et prosecutam?

9. An valeat inhibitionem concedere post receptam appellationem absque insertione tenoris sententiae aut decreti definitivi aut definitivi vim habentis, etiam si appellans asserat culpa judicis *a quo* vel actuarii exemplum habere non posse, non justificato impedimento, et an in causa possint inhibitiones impune sperni?

10. An valeat appellationes in secunda instantia recipere a decretis seu sententiis suffraganeorum omisso medio curiae metropolitanae?

11. An in causis de sua natura appellabilibus, in quibus dictus judex processit, valeat appellationem quoad effectum suspensivum denegare?

Sacra Congregatio die 15. Maji 1700 respondit

Ad 1.: Negative quoad effectum suspensivum.

Ad 2.: Negative.

Ad 3.: Negative quoad cognitionem causae in gradu appellationis tantum, et affirmative quoad brevem supersessoriam.

Ad 4.: Negative.

Ad 5.: Negative praeterquam in casu absolutionis ad breve tempus, et tunc cum obligatione de stando juri et parendo mandatis ecclesiae.

Ad 6. 7. 8. 9. 10 et 11.: Negative.

57) A sententia definitiva.

Vd. *p. 619 n. 28; p. 637 n. 56.*

a) Ad judicem quae devolvit?

Appellatio a sententia definitiva devolvit ad judicem *ad quem* non solum causam principalem sed etiam ejus accessoria; *cap.: Dilectis filiis 55. de appellat.*, in cujus summario sic praecise habetur: »Per appellationem legitime interpositam principale cum accessoriis ad judicem appellationis defertur,« et Glossa ibi verb.: *Principale*, ubi dicit: Quod »idem juris debet esse in accessorio, quod in principali.« Et sic per talem appellationem a definitiva devoluta tota causa cum suis accessoriis ad judicem *ad quem*, ipse debet judicare, an bene vel male fuerit judicatum a judice *a quo;* et si invenit, quod bene judicaverit, debet confirmare latam sententiam, sententiando quod a judice fuerit bene judicatum et ab appellante male appellatum, et si invenit, quod judex *a quo* male judicaverit, debet latam sententiam cassare vel ipsam reformare, aliquid addendo vel detrahendo, prout de jure opus fuerit sententiando, quod ab appellante fuerit bene appellatum et a judice male judicatum. Nec tum ipse judex *ad quem* potest causam remittere ad judicem *a quo*, sed tenetur eam propria sententia ultimare et definire; *leg.: Eos, qui, cod. de appellat.* et *cap.: Ei, qui appellat. caus. 2. quaest. 6.* §. *Ab eo*, ubi sic praecise habetur: »Ab eo autem, qui de appellatione cognoscit, non potest fieri recessus ad judicem, a quo fuerit provocatum; quapropter remittendi litigatores ad provincias, remotam sibi occasionem atque exclusam penitus intelligant, cum super omni causa interpositam provocationem vel injustam tantum liceat pronunciare vel justam;« et Glossa in cit. *cap.: Ut debitus*, verb.: *Alioquin.*

b) Modus.

Vd.: *Appellatio* (a qua sentent. appell. potest? supra p. 637; differentia etc. p. 617; modus p. 630; effectus suspensivus p. 619; quoad attentata pendente appellat. a sent. definit. p. 590).

De jure civili nonnisi a sententia definitiva appellari potest. De jure vero canonico permissa quoque fuit appellatio a sententia interlocutoria. In concil. Tridentino Joannes Gropperus summopere adlaboravit, ut appellatio a sententia interlocutoria tolleretur.

Appellatio a sententia definitiva, si ea fiat statim ac est lata sententia, et adhuc judice pro tribunali sedente et nondum ad alia divertente, potest fieri viva voce; *leg.: Litigat 14.* juncta Gloss. verb.: *Illico; l. A sententia 5.* §. *fin. ff. de appell.* Si vero fiat ex intervallo, etiam ipsa debet fieri in scriptis, aliter est invalida; *l. Eos 6.* §. *Si quid autem*, et Glossa ibi vers.: *Libellos*, et *cap.: Post appellationem caus. 2. qu. 6*, ubi expresse dicitur: »*Et hujusmodi appellationes in scriptis fieri debent,*« et Glossa ibi vers.: *In scriptis.*

In appellatione a definitiva non est necesse exprimere causam appellationis in specie, sed sufficit dicere in genere: *Appello*, quia gravatus sum, quia lata sententia est injusta, nulla expressa in specie causa vel gravamine; *l. 2. ff. de appellat.* et *cap.: Corde nobis 1. de appell. in 6*, ubi expresse dicitur: »*His, quae in appellationibus a definitivis sententiis interpositis antiquitus statuit, non mutatis,*« ubi Glossa verb. *Statuit* exponit, *quod appel-*

lans in eis appellationis causam non teneatur exprimere sed sufficit dicere: Appello ab illa iniqua sententia. Et ratio clara est, quia in appellatione a definitiva frustra exprimeretur causa in specie, cum de hac judex *a quo*, utpote jam functus suo officio, amplius cognoscere non debeat nec valeat, ad differentiam appellationis ab interlocutoria, in qua judex *a quo* potest adhuc de gravamine cognoscere illudque revocare, et eo revocato in causa principali adhuc procedere, ut habetur expresse in *cap.: Cum cessante causa 60. de appellat*, et clarissime in ejus summario praecisis his verbis: »*Si judex, a quo est appellatum a gravamine, illud revocat, potest in principali causa procedere.*

58) A sententia interlocutoria.

Vd. *p. 637 n. 56.*

a) Ad judicem quae devolvit?

Appellatio a sententia interlocutoria, si sit probata legitima et ex rationabili causa proveniens, devolvit totam causam ejusque cognitionem ad judicem *ad quem*, qui tunc non debet causam remittere ad judicem *a quo*, sed ipsemet etiam de causa principali cognoscere et ipsam terminare seu sententialiter definire; *cap.: Et debitus honor 59. de appellat.*, ubi dicitur expresse: »*Alioquin ipse procedet.*« Si vero appellatio ab interlocutoria non fuerit probata legitima et rationabilis, debet judex *ad quem* remittere causam principalem judici *a quo* et irrationabiliter et frivole appellantem in expensis alteri parti condemnare, cit. *cap.: Ut debitus honor 59. de appellat.*, ibi: »Cum autem (scilicet: quis ante sententiam) ex rationabili causa putaverit appellandum coram eodem judice, causa probabili appellationis exposita, tali videlicet, quae si forte probata deberet legitima reputari, Superior de appellatione cognoscat. Et si minus rationabiliter eum appellasse constiterit, illum ad inferiorem remittat et in expensis alteri parti condemnet, alioquin ipse procedet.« In casu autem, quod judex *a quo* jam ipsi appellationi frivolae et illegitimae detulerit concedendo v. gr. apostolos dimissorios vel reverentiales, tunc judex *ad quem*, non obstante quod appellatio sit frivola et illegitima, adhuc potest in tota causa procedere ipsamque totaliter terminare nec tenetur, uti prius, ipsam remittere judici *a quo*, cum ipse per talem delationem factam appellationi frivolae censeatur abdicasse a se omnem jurisdictionem quoad illam causam, *cap.: Cum appellationibus 5. de appell. in 6.* §. *Si vero*, ubi sic praecise habetur: »Si vero judex admittat eamdem (scilicet appellationem frivolam), licet tam appellatio quam ipsius judicis delatio a Superiore valeant refutari, quia tamen judex ipse, quantum in se fuit, a se jurisdictionem abdicavit, eamdem appellationi deferens minus juste, totius causae decisio in Superioris est potestatem transfusa nec est illi causa de necessitate ulterius remittenda;« in tali igitur casu erit in plena libertate judicis *ad quem* talem causam remittere vel non, prout sibi libuerit, judici *a quo*. Sic etiam Glossa in cit. *cap.: Cum appellationibus; Ancharanus ibi num. 3, Anaclet.* et alii.

b) Modus.

Vd.: *Appellatio* (a qua sententia appell. potest? p. 637; differentia etc. p. 617; modus p. 630; effectus suspensivus p. 619; quoad attentata pendente appellat. a sent. interlocut. p. 591).

In appellatione facta in judicio ab interlocutoria decem requiruntur, quorum si unum solum defuerit, non valebit appellatio.

Primum est causa gravaminis illati vel comminati, ut colligitur ex *cap.: Cum cessante 60. de appellat.*

Secundum, ut causa hujusmodi sit probabilis, idest talis, ut, si foret probata, deberet legitima reputari, ut habetur in *cap.: Ut debitus 49.* et *cap.: Cum speciali 61.* §. *Excessu, de appellat.* et *cap.: Romana*, §. *Cum autem, de appell. in 6.*

Tertium, ut sit vera, ut expresse habetur *cap.: Interposita 70. de appellat.*

Quartum, ut sit expressa, *cap.: Cum causam 62.* et *cit. cap.: Ut debitum 49. de appell.*

Quintum, ut appellantis petitio non sit admissa, ut in *cit. cap.: Interposita de appell.*

Sextum, ut sit facta appellatio eo, quia petitio non sit admissa, ut expresse cavetur in *cap.: Dilecto filio 63. de appell.*

Septimum, ut fiat appellatio in scriptis, *cap.: Cordi nobis 1. de appellat. in 6*, ibi: *Causam appellationis in scriptis assignare deproperet.*

Octavum, ut petantur apostoli; *cit. cap.: Cordi nobis*, ibi: *Petat apostolos.*

Nonum, ut si appellatus hoc petierit, veniat instructus appellans; *cit. cap.: Cordi nobis*, §. *Post hoc.*

Decimum, ut appellatio fiat intra decem dies; *cap.: Bonae memoriae 3. de confirmat. utili vel inutili, cap.: Cum inter 13.* et *cap.: Quoad ad consultationem 15. de sentent. et re judicat., cap.: Romana 3. Si vero*, et *cap.: Concertationi 8. de appell. in 6.*

De jure civili appellari potest solum a sententia definitiva. Ab interlocutoria vero, etiamsi praedicta decem concurrant, non potest appellari, nisi in quibusdam casibus, cit. *cap.: Super eo 2. de appell., l. Apertissime. cod. de jud., l. fin. cod. de sentent. interlocut. omn. jud.*, et *l. Ante sententiae tempus, cod. Quorum, de appell. non recip.* Et ad dignoscendum, qui sint hujusmodi casus, in quibus de jure civili potest appellari ab interlocutoria, communiter a doctoribus traduntur duae regulae:

Prima est, quod, ubi post interlocutoriam non exspectatur alia definitiva, tunc licet ab hujusmodi interlocutoria appellare etiam de jure civili, ut colligitur ex Glossa *fin.* in Authent. *Habita, cod.: Ne filius pro patr.*, dum ait, a sententia, qua quis pronuntiat, se non esse judicem competentem, licitum esse appellare, quia non exspectatur alia definitiva, et hanc regulam assignant in *cap.: Super eo, de appellat. Abbas num. 3.* vers.: *Et qui sint isti casus, Franc. in not.* vers.: *Et comm. conclusus est; Praeposit. num. 7.* vers.: *Et est alia regula; Fagnan. num. 27; Pirhing. lib. 2. tit. 28. sect. 3. n. 32; Lanfranc.* et alii.

Secunda regula est, quod, quotiescunque gravamen ante definitivam illatum per ipsam definitivam vel per appellationem a definitiva reparari non potest, tunc ab hujusmodi gravamine etiam de jure civili licitum est appellare, ut colligitur ex Glossa in *Clement. 1.* in verb.: *Ipso jure, de haeret.* et *l. 2. ff. de appellat.*, et hanc regulam etiam assignant citati doctores pro prima regula.

Potest appellari, ex concilio Tridentino, a sententia interlocutoria vel alio quocumque gravamine, quando gravamen hujusmodi per sententiam definitivam reparari non potest, *cap. 1. sess. 13.* per haec praecisa verba: *Nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari non possit.*

Potest appellari, ex concilio Tridentino, a sententia interlocutoria, quotiescumque a sententia definitiva appellari non potest, *cit. cap. 1. sess. 13.* per haec verba: *Vel ab ipsa definitiva appellari non possit.*

Extra hos recensitos casus ab interlocutoria vel quovis alio gravamine ante definitivam sententiam hodie in judicio appellare non licet, uti licebat de jure veteri, ex *cap.: Super eo, de appell.* et *cap.: Cordi, de appell. in 6.*, cum isti canones, quatenus permittunt appellationem ante sententiam definitivam a quocumque gravamine, sint modificati et restricti a concilio et redacti ad terminos juris civilis. »*Ne rei criminum plerumque ad evitandas poenas et Episcoporum subinterfugienda judicia, querelas et gravamina simulent et appellationis diffugio judicis processum impediant, ne remedio ad innocentiae praesidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur,*« ut loquitur concilium *cap. 1. sess. 13.* Inhibitio autem ista concilii comprehendit solum appellationes judicialiter factas in judicio, non autem appellationes extrajudicialiter factas extra judicium, ut declaravit sacra Congregatio ejusdem concilii interpres.

Nam proposito dubio:

An decretum concilii *sess. 24. cap. 20.* in principio locum habeat, quando Ordinarius extrajudicialiter procedendo gravat partes, adeo ut non liceat partibus a tali actu extrajudiciali ad alios superiores judices appellare seu reclamare, quatenus id jus permittat, sed omnino causa gravaminis in prima instantia coram eodem Ordinario cognosci debeat?

Responsum est:

Hoc casu non habere locum decretum concilii.

Unde jura, quae permittunt appellationem extra judicium a quocumque gravamine etiam reparabili per definitivam sententiam, ut in *d. cap.: Cordi*, in hoc non sunt correcta a concilio, sed in ea tantum parte, in qua concedunt posse appellari ab interlocutoria vel alio gravamine judicialiter illato.« Sic decisum fuisse refert *Fagnan. in cap.: Super eo, de appellat. n. 7.*

Ex supra firmatis universalibus conclusionibus varii inferuntur casus, in quibus appellatio admittitur ab interlocutoria, vel quia vim definitivae habet vel quia damnum irreparabile continet.

Primo ab injusta articulorum admissione vel ab eorum denegata justa admissione appellari potest; *Bald. in leg. Post sententiam 9. num. 4. in fine cod. de sentent. et interlocut., Mascard. de probat. concl. 131. et seq.*,

et multi alii cit. a *Barbosa in concil. Trid. sess. 24. cap. 20. num. 22.*

Secundo appellari potest ab admissione vel rejectione testium: an scilicet testes admittendi? *Stephanus Gratian. cap. 24. n. 15, cap. 77. n. 13; Salgad. cit. num. 151; Osac. decis. 25. n. 14; Barbos. loc. cit. n. 24.*

Tertio appellari potest a rejectione probationum; *Maranta de ord. judic. part. 6. tract. de decis. judicii n. 44. in fine; Tarvis Venet. decis. 4. part. 1; Surd. decis. 36. n. 17; Scaccia* et alii cum *Barbosa loc. cit. n. 25.*

Quarto appellari potest a victore ab expressa absolutione expensarum; *Stephanus Gratian. Marchiae decis. 50. num. 1 et 2; Gam. Lusit. decis. 65. n. 1; Barbosa loc. cit. n. 27.* cum *Salgado c. 1. n. 176.*

Quinto appellari potest a delatione juramenti in litem alteri parti per judicem facta; *Lancellot. de attent. part. 2. cap. 12. limit. 50. num. 190; Gonzalez ad regul. 8. cancellar. Gloss. 1. §. 1. in annot. num. 195; Barbosa loc. cit. num. 28.* cum *Seraphin. de privileg. jurament. privileg. 102. n. 15. limit. 4.*

Sexto appellari potest, quando datur dilatio ad probandum adeo brevis, ut ex brevitate possit deficere facultas probandi; *de appellat. quaest. 17. limit. 47. in princip. memb. 1. num. 36; Salgad. cap. 1. num. 118; Barbosa loc. cit. num. 29.*

Septimo appellari potest a sententia, qua judex pronunciat aliquem tormentis esse subjiciendum, utpote continente damnum irreparabile; *Aloysius Ricc. in collectanea decis. collect. 642. vers.: Et in praxi rerum fori ecclesiastici resolut. 405. vers.: Tutius, Zerola in prax. Episcop. part. 1. verb.: Appellatio; Scaccia dict. quaest. 17. num. 143; Barbosa loc. cit. num. 30; Fagnan. cap.: Super eo, de appellat. num. 39.*

Octavo appellari potest a sententia interlocutoria, ut quis in carcerem conjiciatur, quia affert damnum irreparabile; *Piasec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 2. num. 100; Aloys. Ricc. in dict. praxi resolut. 505. n. 4. vers. primus; Barbos. loc. cit. n. 31; Fagnan. loc. cit. n. 40. et seq.*, ubi *n. 44.* dicit sic fuisse declaratum a sacra Congreg. concil.

Nono appellari potest a condemnatione ad triremes quoad effectum suspensivum; *Aldanus in compend. canon. resolut. lib. 1. tit. 9. num. 9*, ubi dicit ita fuisse resolutum a sacra Congreg. Episc. et Regul. in *Aversana 22. Januarii 1591.*

Decimo appellari potest a privatione beneficii quoad effectum suspensivum; *Aldan. loc. cit. tit. 4. num. 10*, ubi asserit sic fuisse decisum a sacra Congr. Episc. et Regul. in *Melevitana 1. Junii 1604.*

Undecimo appellari potest quando judex se pronunciat competentem vel incompetentem; *Maranta de ordin. jud. part. 6. tract. de dec. jud. act. 1. n. 43; Stephan. Gratian. disc. forens. c. 47. n. 15; Scaccia, Salgado* et alii cum *Barbosa loc. cit. num. 32.*

Duodecimo appellari potest a sententia lata, qua quis excluditur ab aliquo officio publico tamquam infamis; *Gam. Lusit. dec. 139. n. 1; Barbosa l. c. num. 33.*

Tertiodecimo appellari potest a sententia legitimationis personarum, veluti si pars opposuerit non esse quem tutorem, non procuratorem, aut legitimo mandato carentem, non filium, et similia vel e contra; *Scaccia cit. qu. 17. limit. 6. membr. 73. n. 73; Pacian. de probation. l. 1. quaest. 68. sub num. 47; Salgad. cit. part. 2. cap. 1. n. 47; Fagnan. l. c. n. 47; Barbosa l. c. n. 47.*

Quartodecimo appellari potest a decreto denegationis copiae actorum vel instrumentorum communium; *Aloysius Ricc. cit. resolut. 405. vers.: Sixtus; Salgado cit. part. 2. cap. 1. num. 72.* et alii cum *Barbosa l. c. num. 35.*

Sunt etiam alii casus, in quibus appellari potest a sententia interlocutoria, et maxime in materia de censuris*) et correctione morum.

De jure *civili* nonnisi a sententia definitiva appellari potest. De jure vero canonico permissa quoque fuit appellatio a sententia interlocutoria. In concil. Tridentino Joannes Gropperus summopere adlaboravit, ut appellatio a sententia interlocutoria tolleretur. Placuit vero eidem concilio sancire, appellationem non esse recipiendam ab interlocutoria sententia nisi vim definitivae habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat.

Appellatio a sententia interlocutoria vel a gravamine extrajudiciali debet fieri in scriptis, petendo apostolos, et expressa in specie causa rationabili appellationis, aliter est invalida, et appellator reputatur non appellans, *cap.: Cordi nobis 1. de appellat.*

*) Vd. *p. 600; 616; 643 n. 59.*

in 6. praecisis his verbis: »*Sancimus igitur, ut si quis in judicio vel extra super interlocutoria vel gravamine aliquo ad nos duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis assignare deproperet, petat apostolos, quos ei praecipimus exhiberi;*« et postea §. *Quod si appellator* sic sequitur: »*Quod si appellator, quae praemissa sunt, non observet, reputabitur non appellans et ad prioris judicis redibit examen in expensis legitimis condemnandus.*« Et quod debeat exprimi in specie causa rationabilis et non sufficiat exprimi in genere, habetur etiam in *cap.: Ut debitus honor 59. de appell.* his verbis: »*Statuimus, ut si quis coram idoneo judice convenerit adversarium, ille ante sententiam ad superiorem judicem absque rationabili causa non provocet;*« et ibi infra: »*Cum autem ex rationabili causa putaverit appellandum coram eodem judice causa probabili appellationis exposita ... Et si minus rationabiliter eum appellasse constiterit, illum ad inferiorem remittat;*« ex quibus verbis clare patet non sufficere exprimere causam appellationis in genere, sed debere exprimi in specie, ut de ejus rationabilitate possit judex cognoscere. *Maranta part. 6. Speculi aurei titul. de appell. num. 153; Scaccia qu. 4. de appell.; Anaclet. lib. 2. tit. 28. de appellat. num. 96 et 97* et alii passim. Imo adeo necesse est in hac appellatione causam in specie exprimere, ut appellans ab interlocutoria non possit alias causas in appellatione prosequi, nisi nominatim dumtaxat antea in ea expressas, ut expresse statuitur in *Clement. appellat. 5. de appellat.* his verbis: »*Appellanti ab interlocutoria vel gravamine judicis non licet alias causas prosequi, quam in appellatione sua nominatim dumtaxat expressas;* et sic etiam colligitur ex *cap.: Cum causam 62.* Gloss., ibi verb.: *Dummodo, de appellat.*

59) A Suspensione Episcopi ex informata conscientia lata.

Vd.: *Appellatio a censuris absolute ab homine* etc. (a suspens. p. 601). *Suspensio ex informata conscientia.*

Lucionen.

Hodiernus ecclesiae Lucionensis in Gallia Episcopus, vix tum in tantum dignitatis gradum fuerat inauguratus dioecesimque advenerat, quum graves undique accepit questus de prava vivendi ratione corruptisque moribus sacerdotis N., qui jam a decem et octo annis quamdam ex praecipuis illius dioecesis paroeciis vulgo *cantonales* nuncupatis perpetuo titulo in oppido *Roche-Serviere* administrabat. Nec eum tum primitus in vitia flecti audivit, sed in hisce jamdudum sordescere jugemque moeroris et afflictionis causam decessori etiam Episcopo extitisse admonitus fuit. Quae tamen omnia perinde ac penitus ignoraret novus Antistes, adeuntem se reum benigne et comiter excipere visus est eumque hoc pacto ad bonam frugem studuit revocare.

Sed tanta pastoris amantissimi humanitate suaque ipsius impunitate veluti elatus N. patriam nequior quam discesserat remeavit. Nam praeterquam quod assueta omnis improbitatis exempla ipsum haud puduit instaurare aliaque multa in dies magis cumulare, bonos etiam omnes, qui a se suisque probris abhorrebant, aperto mordacique ludibrio coepit insectari. Quod cum diu optimum patrem et pastorem latere nequiverit, ipse, qui jam omnia bonitatis officia in ingratum filium exhauserat, ad justitiae remedia tandem aliquando descendere satius existimavit. Proinde mox in eum agi jussit secretam inquisitionem, ex qua ingens scelerum congeries emersit, quam in foliis seorsim distribuendis intelligere licet.

Qui testes in ea veniunt inquisitione, omnes fere aut magna saltem ex parte ab ipso Episcopo fuerunt interrogati, omnes erant viri gravitate et pietate spectabiles nec digni, quibus aliqua dari posset exceptio, nec, nisi in obsequium veritatis bonumque religionis, fidem suam in dicendo testimonio interposuisse videntur. Hoc autem sub testando sibi cautum voluerunt, ut, quod ipsi essent jurejurando affirmaturi, alto silentio conderetur; idque tum ne ulla infamiae nota cum accusato parocho inurerentur tum ne in ejus odium ac vexationis incurrerent. Probe enim nonnulli eorum sentiebant in quibusdam gravioribus criminibus parocho socios fuisse: noverant omnes apprime parochum ab eoque valde formidabant, quoniam malitiosus erat ac vindex sibique cunctos prope modum oppidanos aere alieno devinctos retinebat. Quocirca Episcopus, ut arcanum sibi concreditum haud prodere videretur et parochi famae quodammodo consuleret novumque etiam scandalum declinaret, recte sibi faciendum esse duxit, si tot tantaque, deprehensa et peracta inquisitione, flagitia ipsi parocho reticeret, quamquam ei omnia suarum accusationum capita significa-

turum promisisset, ut se illis, quoad posset, ante poenae irrogationem liberaret. Eoque vel magis in reum parochum hac agendi ratione usus fuit Episcopus, quod nullam spem adesse intelligeret eum sua sibi reserata crimina aliquando fassurum esse; quandoquidem licet satis superque convictus fuisset de lectione et retentione pravorum librorum, id ipsum obstinato animo abnuere non dubitavit. Hisce igitur testimoniis adhaerens Episcopus omnimodam sibi induxit persuasionem de accusati parochi improbitate; atque ideo re sedulo perpensa ususque facultate Episcopis tributa a concilio Tridentino *in cap. 1. sess. 14. de reformat.* die vicesima quinta Maji anni 1846 sacram inter visitationem, adstantibus suo a secretis presbytero et vicario generali, criminoso parocho ex *informata conscientia* suspensionem indixit ab omnibus ejus functionibus, sive sacerdotalibus sive paroecialibus.

Intererat huic decreto parochus ipse et in oratione, qua quinque horarum spatio eum tenuit Episcopus, non potuit quin plures accusationum articulos agnoscere quodammodo significaret; tum reconditam suspensionis causam divinare visus est ex certis quibusdam verbis, quae ipsi exciderunt ab ore quaeque ab Episcopo referuntur in appendice ad folia seorsim distribuenda. Et quoniam aequam justamque quodammodo habuit Episcopi deliberationem seque ipsum recepisse videbatur, inquiens »*que s'il avait quelques torts, tout ce qui venait de passer, etait propre à le faire rentrer en lui même*«; Episcopus decreti illius exequutionem ad calendas Julii suspendit, ea confisus spe, ut hoc temporis intervallo reus conscientia maleficiorum exstimulatus in aliquod se includeret coenobium ibique poenas illorum exolvendo vitae suae consuetudinem penitus immutaret.

Verum hanc novam humanissimi Antistitis indulgentiam male apud parochum fuisse locatam exitus comprobavit. Etenim biduo post, die scilicet vicesima septima ejusdem mensis Maji, Episcopo nuntiatum est in omni genere scelerum et flagitiorum rursum sese parochum volutasse; quamobrem facti veritate comperta exquisitaque consilii sui episcopalis sententia, quin calendas Julii aperiretur, decretum suspensionis die decima quinta Junii exequi mandavit. Nec interim praetermisit, quin paroeciae administrandae continuo alium praeficeret sacerdotem.

Quoniam vero hoc altero Episcopi decreto primum, ante tempus praestitutum, immatura fuerat executione donatum, suas idcirco querelas N. absque mora obmovit Metropolitano Burdigalensi, per epistolam ad eumdem datam die decima sexta Junii cum inserto decreto suspensionis a die vicesima quinta Maji comminatae. Ac interim sub speciem interpositae hujusce appellationis autumavit impune se posse violare suspensionem, quemadmodum re vera violavit tum se a divinis nequaquam abstinendo tum nonnullis libere fungendo parochi muneribus. Quo factum est, ut Episcopus die vicesima quarta Junii tertium condiderit decretum, quo duo priora confirmavit eumque irregularem ex delicto pronunciavit, reservata sibi facultate sive suspensum absolvendi sive irregularem gratia dispensationis afficiendi; simulque egit, ut novum decretum in parochiali ecclesia publice denunciaretur.

Ut autem et hujusce sanctionis viribus se posset subtrahere N., die vicesima sexta Junii rursus Episcopum convenit, secum afferens medici cujusdam testimonium, quo probans Episcopo se morbo fuisse correptum jam inde a die vicesima octava Maji; fieri igitur omnino non potuisse inferebat, ut ipse recentiora flagitia, queis fuerat insimulatus, valuerit perpetrare. At animadvertens Episcopus eum pridie quam in morbum incidisset suas libidines repetiisse, continuo in hisce agnovit posuitque ipsius causam infirmitatis eamque improperavit parocho, qui veluti ipsa in veritate revictus nulloque noscens se tueri posse responso mutus abivit.

Quum vero nihil hoc pacto apud Episcopum profecisset, ab eo ejusque triplici decreto rursum riteque die vicesima nona Julii ad Archiepiscopum Burdigalensem provocavit, idque eo vel maxime, quod superiorem ipsius epistolam ad Archipraesulem illum legitimae appellatioi is loco nequaquam stare posse cognoverat. Quae tamen in libello appellationis exposuerit, haec prope modum esse videntur. Principio absonum jure iniquumque ait episcopale suspensionis judicium, utpote quod, se nec monito nec audito omnique via suae defensionis prohibita, fuerit pronunciatum. Deinde magnopere queritur, quod neque prolata in seipsum testimonia neque nomina testium detegere potuerit, quamquam et hoc jura postulassent ac Episcopus facturum pollicitus fuisset;

ipseque vero ultro libenterque esset professus continuo paroeciam abdicaturum nisi eo omnes eorumque testimonia aperto mendacio redarguisset. Demum quae perperam coram Episcopo diluere statuit nova sibi illata crimina, haec iterum penes Archiepiscopum nititur excusare finemque rei imponit minitando se quoddam conscripturum typisque mandaturum detestabile volumen, de quo mentionem habet Episcopus in appendice ad folia seorsim distribuenda.

Dum haec a parocho gerebantur, Episcopus agens cum supremo a negotiis ecclesiasticis administro de tollenda parocho pensione, quae eidem ex publico aerario persolvebatur, obtinuerat ut ea pro tribus ex quinque partibus reapse parocho dempta suffecto in ejus locum presbytero assignaretur.

Eum insuper privaverat tum fortuitis paroeciae redditibus tum ipsa paroeciali domo.

Ad Archiepiscopum autem quod attinet, is, ut primam parochi epistolam ejusque querelas accepit, continuo mancum nullumque ob praetermissas canonicas monitiones et alias solemnitates decretum suspensionis agnovit idque Episcopo significare properavit. Cumque hic, quidquid in parochum egerat, rite egisse respondisset, tum s. hujusce C. tum immortalis memoriae Bened. XIV. auctoritate fretus, ipse, qui contrarium omnino sentiebat, quemadmodum jam ante monuerat parochum, ut se cum suo Episcopo reconsiliaret, sic istum hortari coepit ut illi ex bono et aequo errati veniam concederet poenasque remitteret.

Idque eo vel maxime inculcabat, quia, secus parocho ad civiles magistratus arcessente judicioque episcopali penes eos reprobato, Episcopus ipse cum magna suae dignitatis injuria tamquam arbitrarius per omnium ora publicasque ephemerides traduceretur.

Nihil ex hisce Episcopo metuente omnemque proinde cum parocho conciliationem detrectante Archiepiscopus, datis ad eum deinceps epistolis, duo eidem statuit suadere: vel ut rursum et ad normam sacrorum canonum inquireret in parochum et ejus flagitia, quae certa et gravia esse ipsi etiam videbantur, vel prodita suspensionis causa actisque omnibus primae inquisitionis transmissis, copiam sibi faceret rem in gradu appellationis decidendi. At primum, si minus futile, certe haud necessarium ratus est ac propterea rejecit Episcopus: secundum ideo praestare noluit, quia in ea manebat opinione, ut a suo ex informata conscientia judicato minime daretur appellatio ad Metropolitanum, sed recursus dumtaxat ad apostolicam Sedem.

Tum Archiepiscopus e re duxit plurimorum Galliae Archiepiscoporum sententiam explorare, ut scire posset, quemadmodum se gerere deberet in negotio, eo graviori, quo magis ipsorum omnium jura et praerogativas attingebat. Hi omnes eidem unanimes responderunt, ut omnem operam adhiberet ad parochum cum Episcopo componendum; sique hoc non succederet, de interposita appellatione judicium pro tribunali pronunciaret. Luculenter id narrant ipsius literae, queis et responsiones adjunguntur datae a quatuor Archiepiscopis Lugdunensi, Rothomagensi, Bisuntino et Rhemensi.

Post haec, quum omnes ipse compositionis vias frustra jam esset persequutus quumque sibi comperta forent parochi crimina et Episcopum nosset ex intima illorum persuasione ad reum poena suspensionis mulctandum devenisse, rem totam matura in dispositione posuit deque sui consilii sententia censuram proprie dictam a poena distinguens postremo hoc respectu validam absque canonicis monitionibus aliorumque solemnium interventu suspensionem sustineri posse autumavit. Quapropter, etsi jure meritoque suas parochum poenas sustulisse judicasset, decretum tamen Episcopi nec confirmandum nec infirmandum censuit, sed temporarium haud perenne illud esse pronunciavit.

Haec Archiepiscopi sanctio, qua suspensioni episcopali perpetuitas adimebatur, ansam praebuit N. novam solemnemque in se ipsum inquisitionem semel et iterum ab Episcopo postulandi, ut suae sibi defensionis agendae aditus tandem aliquando traderetur. Cum vero Episcopus in sua sententia perseverans hujusmodi petitioni indulgere noluisset, nova ipse interposita appellatione rursum confugit ad Metropolitanum Burdigalensem, ut, quod frustra Episcopum suffraganeum poposcerat, hoc ab Archiepiscopo obtinere potuisset. Idque cum datis ab eodem Metropolitano literis die vicesima Februarii anni superioris rescisset, Episcopus constituit rem universam deferendam esse, prout reapse detulit, supremo arbitrio Pontificis maximi

Pii IX., qui summo cum totius orbis plausu mysticam Petri navim moderatur. Cumque insimul nunciasset Archiepiscopo, ut interim ab omni judicio in postrema parochi appellatione se vellet sustinere, hic impensa devotione et observantia, qua erga apostolicam Sedem afficiebatur, libenti animo illius votis obsecundavit.

Hujusce rei paulo post conscius N., et ipse ad Principem sanctissimum dabat supplicem libellum, in quo iisdem usus ac apud Metropolitam facti et juris argumentis instat enixis precibus, ut canonica in se instituatur inquisitio, qua suam demum innocentiam ostendere valeat. Sub hoc idem temporis intervalium pervenerunt etiam utriusque praesulis animadversiones, queis magno gravissimarum auctoritatum apparatu suam quisque in causa sententiam, super jure praesertim appellationis, propugnare conatur. Haec omnia suo tempore degustanda, si cum parochi precibus componantur, locum sua veluti sponte suppeditare videntur sex quaesitis seu dubiorum formulis, ad calcem concinnatis, quae modo singillatim discutiantur opportet. Antea vero, ad pravam parochi indolem penitus cognoscendam, sciant EE. VV. ipsum de furto etiam reddituum ad ecclesiae fabricam pertinentium deque nonnullis exactionibus simoniam redolentibus fuisse accusatum. Sciant ob id Episcopum servata judicii forma, quae a sacris canonibus et concilio Tridentino praescribitur, illum die decima sexta Augusti anni superioris condemnasse ad rerum ablatarum restitutionem damnorumque emendationem, utrumque inter tres et triginta dies peragendum, sub *poena excommunicationis et privationis paroeciae ipso facto incurrenda*. Quamquam autem et haec sententia ab Episcopo transmissa fuerit, attamen, quum ab ipsa quoque parochus appellaverit ad Archiepiscopum Burdigalensem prorsusque lateat exitus appellationis, nulla de eadem disquisitio in hodierno judicio instituenda erit.

Hisce de facto in medium prolatis ad jus veniendum.

Quae contra suspensionis sententiam facere videntur, haec ferme sunt. Ac primum facultatem Episcopis a Tridentina synodo tributam *in cap. 1. sess. 14. interdicendi clericis ascensum ad ordines ex quacumque causa etiam ob crimen occultum, quomodolibet etiam extrajudicialiter* non esse protendendam ad secundam illius capitis partem, ubi agitur de suspensione ab ordinibus et gradibus jam susceptis, nisi observetur forma judiciaria a sacris canonibus praescripta, sustinet *Van Espen in suo opere jur. eccl. univer. part. 2. sect. 1 tom. 4. num. 27.* sententiamque suam confirmat ex textu conciliari, cum in prima tantum parte dictum fuerit *quacumque ex causa etc. etiam extrajudicialiter*, ac eas clausulas omissas fuisse ait in secunda; hanc enim rationem assignat, quia scilicet admissio ad sacros ordines, ut plurimum gratiosa, non mirum quod a mero Episcopi beneplacito dependeat; suspensio autem ab ordinibus jam susceptis poenam importat, quae ordinem judiciarium, aeque omnis alia censura, requirit atque ideo ob crimen mere occultum, quod in judicio probari nequit, eam infligi non posse concludit. Huic *Van Espen* sententiae sunt omnino consentanea quae tradit Gibert. *jur. can. tom. 1. part. 1. tit. 22. cap. 1.* circa praefati capitis conciliaris interpretationem, rationem adjiciens, quia, cum suspensio ab ordinibus privet clericum jure quaesito ignominiamque pariat suspenso et publicum scandalum, quod non evenit in denegatione ascensus ad ordines, non est ejusmodi suspensio extendenda, sed potius limitanda, quippe de odiosis agitur.

Haec autem, si minus alibi, certe in Galliorum regno vim habere asserit Metropolitanus Burdigalensis, quum ex legum dispositione, quae *organiques* nuncupantur, nequeat ibi Episcopus *extrajudicialiter* perpetuam infligere suspensionem, ne ob crimen quidem occultum, quin propriam excedat potestatem; idque maxime habere locum in themate, ubi agitur de parocho titulari, proindeque contendit Episcopi sententiam labe nullitatis infectam, sive uti censura sive uti poena suspensio consideretur, quia in prima hypothesi necessariae desiderantur juris solemnitates ac monitiones, praesertim ad probandam contumaciam, juxta unanimem doctorum sententiam et *s. conc. Trid.* dispositionem, potissimum in *cap. 6. sess. 22;* in altera vero, licet monitiones impune possent omitti, ut communiter sentiunt *Barbosa in cap. Romana de sent. excomm. in 6. n. 5 et seqq., Van Espen. tom. 10. in tract. de recursu cap. 3. §. 4. et tom. 4. part. 3. cap. 11. de suspen., Gibert corp. jur. can. tom. 3. de ord. judic. part. 2. tit. 10. n. 1, Schmalzgrueber part. 4. tit. 39. num. 30, Reiffenstuel eod. tit. num. 28, Monacell. formular. leg. part. 3.*

tit. 2. form. 8. num. 21, Maschat. inst. can. lib. 5. tit. 39. §. 3. n. 47, Pignatell. tom. 10. consult. 10. num. 3. ac tom. 1. consult. 162. num. 1, 16 et 17, attamen vel ordo judiciarius foret servandus vel saltem de imputationum capitibus cum reo communicandum, ne gravissima poena indefensus afficeretur, quod profecto ab omni aequitate quam maxime alienum videretur.

Praeterea ex eo etiam nutaret suspensio, quia scilicet nullo fuerit tempore praefinita, quod necessarium videtur ex traditis per *Suaresium de censuris disp. 4. sect. 1. num. 9.* Deinde, etsi amplissima facultas Episcopis per Tridentinum attributa in *cap. 1. sess. 14.* locum sibi vindicet tam in prohibitione ascensus ad ordines quam in ordinum susceptorum suspensione, prout sentire videtur ipsemet Archiepiscopus, hic tamen illam Episcopis minime concessam opinatur, quum, uti evenisse autumat in casu, non modo de criminibus occultis, sed de publicis etiam agatur. In controversis enim decretis episcopalibus, ut ipse prosequitur, sermo est de imputationibus contra *fidem, mores et justitiam necnon de scandalis et transgressionibus contra ecclesiae praecepta*, quae profecto crimina occulta esse non possunt. Hoc autem posito, servare formam juris oporteret, cum hujusmodi crimina in publico judicio probari publicaque poena multari possent; atque ita intelligi debent tum conciliaris textus tum s. Congregationis resolutiones, quae ex adverso ab Episcopo Lucionensi proferuntur. Ast, quamvis de occultis tantum criminibus ageretur, non ideo tamen sustinenda esse videtur lata suspensio.

Etenim ex dispositione *Clementin. Saepe contingit, de verb. sign.* et *cap.: Statuta 20. de haeret. in 6.* de occultis delictis institui debet judicium summarium et secretum, a quo omnia fere jure positivo requisita abesse possunt, uti tradit *Reiffenstuel lib. 2. tit. 1. de judiciis n. 41.* et *tit. 19. de praeb. num. 29 et 50.* In eo enim requiritur solum ut judici adsit persona publica, aut saltem duo viri digni, qui testium depositiones et nomina audiant et acta judicii conscribant, necnon ut cum reo de criminibus saltem oretenus communicetur, quum nomina testium possint, si quid periculi subsit, occultari. Quam formam facillime poterat Episcopus sequi, quin incommoda, de quibus meminit, fuissent pertimescenda. Demum et illud est animadvertendum, testes fuisse adhibitos singulares, quorum nulla fides, quippe in materia quidem sollicitationis ad turpia, quidquam valeret, quia facultatem utendi testibus singularibus unice Cardinalibus supremae inquisitionis judicibus concessam fuisse per bullas Gregorii XV. *Universi dominici gregis* et Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentiae*)* tradit *Bordonius in opere: Sacrum tribunal cap. 23. num. 107.*

Hisce, quae ad Archiepiscopi sententiam vindicandam in medium allata sunt, nonnulla magni ponderis ex adverso opponuntur. Et primo, si excipias *Gibert.* ac *Espen.*, reliqui *ss. canonum interpretes* unanimiter sentiunt dispositionem *cap. 1. sess. 14. de ref.* in parte priori positam censeri et in posteriori repetitam ac proinde Episcopis licere non solum ascensum ad ordines prohibere, sed et suspensionem a susceptis ordinibus decernere ex quacumque causa, etiam ob crimen occultum, quomodolibet extrajudicialiter, uti dissertissime docet *Fagnan. in cap.: Ad aures de temporibus ordin. num. 12. et seqq.*, et in *cap. seq.: Ex tenore num. 7. et seqq.*, quem sequuntur *Gonzalez in decretal. lib. 1. tit. 11. in d. cap.: Ex tenore num. 15, de Luca de ben. disc. 71. num. 5, Gagliardi instit. canon. lib. 4. tit. 18. n. 108. et seqq., Barbosa in conc. Trident. ad cap. 1. sess. 14. de ref. num. 1, Gallemart. eod. loco num. 1, Giraldi in commentariis ad dict. cap. 1,* necnon ipse *Van Espen* dissertissimis verbis eamdem sententiam parum sibi constans defendit *in jur. eccles. univers. num. 5. part. 2. §. 11 et 12.*

Praestat autem inter omnes immortalis mem. *Bened. XIV. de syn. dioeces. cap. 8. n. 3,* ubi plures ad rem afferuntur hujusce s. Ordinis resolutiones.

Et sane talis fuit constans s. Ordinis sententia circa illius capitis interpretationem. Anno siquidem 1582 die 22. Junii decisum fuit in Congregatione parem esse Episcopum facultatem sive prohibendi ascensum ad ordines sive a susceptis ordinibus suspendendi, ut patet ex *lib. 22. memorialium ad sess. 14. cap. 1. de ref. pag. 24.* et cum fuerit dubitatum die 27. Januarii sequentis anni 1583: utrum prohibitio et suspensio hujusmodi esse possent perpetuae, *die 3. Februarii 1593* resolutum: *cap. I. sess. de ref.* habere locum

*) Vd. *Sollicitatio* (poenae).

in prohibitionibus et suspensionibus tam temporaneis quam perpetuis, ceu ex *lib. 7. decretor. pag. 89. in Nullius;* idemque s. ordo sentiit in *Alerien. 24. Novembris 1657*, ubi censuit, re sedulo examinata, non recedendum ab antiquis declarationibus super hoc eodem dubio pluries datis, veluti ex *lib. decretor. 21. p. 134;* idem in *Bononien. 14. Novembris 1654, lib. decret. 37. pag. 714.* ad primum dubium.

Hujusmodi autem s. Ordinis resolutiones nedum praefato Trident. capiti, sed et praecipue illius sessionis proemio quam maxime sunt consentaneae. In proemio enim de iis, qui ad ordines debent promoveri, magis quam de jam promotis ac praesertim de clericis ad animarum curam constitutis sollicita est sacrosancta synodus, et hinc ad caput primum descendit, in quo tam amplam Episcopis attribuit facultatem, ut liberius id exequi possint, quod eisdem superius injungit, uti doctissime explicat *Fagnan. in cap.: Ex tunc de temp. ordin. num. 15 et 16.*

Firmata Episcopi facultate quoad suspensionem infligendam *ex quacumque causa, etiam extrajudicialiter,* exulat quaelibet formae judicialis necessitas, quin aliquid negotii facessant gallicanae leges *organiques,* quum iis imo episcopalis auctoritas non minuatur sed confirmetur, non enim Episcopis denegant facultatem suspendendi sed perpetuas tantum suspensiones, non servata forma processus, iisdem interdicunt. In qua dispositione gallicae leges cum s. Ordinis resolutionibus perbelle consentire videntur: is namque in cit. *Nullius 3. Februarii 1593 declaravit temporalem prohibitionem et suspensionem dici eam, ubi ex delicto occulto extrajudicialiter procedit Episcopus ad suum beneplacitum prohibendo.* Neque aliter esse intelligendam Episcopus monet suspensionem a se editam, ut ex decretorum contextu deprehenditur. Quomodocumque vero accipiatur suspensio, sive uti censura sive uti poena, nullas ad eam requiri monitiones ex hactenus deductis colligitur. Imo etsi monitiones necessariae fuissent, eas non defuisse observat Antistes in decreto *diei 25. Maji 1846*, quo suspensionis effectum ideo ad diem primam Julii fuisse dilatum addit, ut monitus parochus Episcopi votis obsecundaret. Turbas vero ex motu inflictae suspensionis excitatas facile reprimendas vel nulla ratione timendas arbitratur, ob ejusdem gubernii concursum in subducenda parocho suspenso maxima pensionis parte, vel prorsus decipiendas, quum adversarentur liberae officii pastoralis exequutioni.

Exceptionem autem ex eo petitam, quod in concursu criminum publicorum cum occultis haud liceat Episcopo uti facultate per saepius dictum caput Tridentini eidem concessa, sed tunc sit judicialiter procedendum, subtilitatis potius argumentum quam verae difficultatis nodum exhibet. In primis enim tam late patent clausulae, quae datam facultatem comitantur, ut nulli prorsus limitationi subjaceant. Sane clausula: »quacumque causa« universalis dicitur, et: *quemcumque modum* comprehendit ea etiam, quae non venirent, etsi ratio universitatis reddi nequeat. *Rota decis. 51. num. 5. part. 8.* et *decis. 57. n. 10. part. 4. tom. 2.* et *decis. 335. n. 16. part. 5. tom. 1. recent., Barbosa in diction. usu frequentior.: Dictio Quicumque, de qua dicit omnia includens et nihil excludens. Quomodolibet vero est clausula universalissima et comprehendit etiam impropria; Rota decis. 7. num. 4. part. 4. tom. 2.* et *decis. 14. num. 15. part. 8. recent. Etiam est ampliativa, extensiva et quandoque facultativa, stat augmentative et implicat casus praecedentes et minus dubitabiles; Rota decis. 30. n. 22. part. 5. tom. 1, decis. 81. num. 4. part. 10, decis. 367. part. 2.* et *decis. 47. n. 8. part. 8. recent.*

Ex quibus profecto resolvendum, virtute clausularum hujusmodi facultas comprehendit crimen occultum, quod profecto ante concilium poena multari nequibat, eo magis publicum comprehendere debet, quod certe ex ipsa sua notorietate nulla ratione negari potest ac proinde defensionem non admittit. Praeterea s. Congregatio casum explicavit in cit. *Bononien. 14. Decembris 1654*, ubi resolvit *suspendere posse Ordinarios ab ordinum exercitio ex legitima causa, etiam extrajudicialiter sibi constante, clericos et presbyteros saeculares etiam parochos;* ex qua resolutione probe patet causam, dummodo sit legitima et Episcopo constet, quamlibet esse posse ac proinde etiam publicam et occultam. Denique haec objectio ad summum valere posset, ubi omnia delicta essent publica; at ubi publica mixta sunt cum occultis, debet absolute evanescere, quum, omissis publicis, persequi Episcopus potest occulta vigore facultatis ipsi concessae a concilio in memorato

cap. 1. sess. 41. Ad rem *Pignatell. consult. 8. tom. 9. num. 5.* inquit: »*Quatenus censurae prolatae super pluribus delictis non substinerentur super unoquoque illorum, satis tamen est quod ex uno tantum comprobarentur, cum unum quodque sufficiens sit ad illas incurrendas.*«

Hisce autem omnibus posthabitis repugnare videtur hujusmodi suspensionis naturae exceptio proposita, cum causae uni Episcopo innotescere praesumantur, ac nemini proinde liceat contra easdem venire.

Quae ultimo loco proferuntur de summario processu super crimine etiam occulto conficiendo deque rei defensione excipienda, cum a jure antiquo proficiscantur, post conc. Trident. sanctiones, quanti sint faciendae facile quisque videt, praesertim cum s. Congregatio declaraverit Episcopum in hujusmodi poenis decernendis *non teneri dicere causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi apostolicae, si reus ad eam recursum habuerit; in Vercellen. 21. Martii 1643 lib. decret. 17. pag. 180.*

Nullo vero in pretio habenda sunt, quae ait *Bordonius de testibus singularibus in materia sollicitationis,* cum ex mera lectione const. Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentiae**) patentissime contrarius sensus erumpat: in ea enim nulla legitur limitatio ad Cardinales ac ad supremam inquisitionem, sed ad omnes aeque locorum Ordinarios facultas impertita protenditur. Insuper testes in casu, etsi singulares videantur, contestes tamen dici possunt, cum, licet quisque de criminibus distinctis deponat, crimina pleraque ejusdem prorsus naturae dignoscantur.

Caeterum, quamvis exploratissimi juris haec sint, non adeo tamen facile Episcopos devenire debere ad extraordinaria hujusmodi remedia, hoc est ad suspensiones ex informata conscientia, concludendum cum *Giraldio in jur. pont. part. 1. ad cap. 1. sess. 14. de ref. in fin.*, ubi Episcopis aliisque praelatis commendat, ut subditos tractent paterno charitatis affectu, juxta monitum Tridentini in *cap. 1. sess. 14. de reform.* Quaestio est in secundo dubio de jure appellationis**), quod a similibus suspensionis decretis dari omnino existimat Burdigalensis Metropolitanus, hisce inixus rationum momentis. Primo est juri naturali quam maxime conforme jus appellandi ab inferioribus judicibus, et naturali consonat etiam jus civile ac praesertim canonicum, a quo appellatio permittitur *ex cap.: Constitutis lib. 2. de appellat.*, a quocumque gravamine etiam extrajudicialiter illato, uti monet *Rota in dec. 287. num. 7, decis. 522. num. 5. part. 2.* et *decis. 319. n. 6. part. 13. rec.*, cum communi doctorum sententia. Quod si a legitima morum correctione*) dicitur non admitti appellationem, hoc est intelligendum, si gravamen non fuerit illatum per excessum in corrigendo, ut docet *Ferraris Biblioth. canon. V. Appellatio art. V. num. 1 et 2;* ac magis praecise intelligi debet denegata *appellatio suspensiva,* ceu tradit *Fagnan. in cap.: Ad nostram, de appellat. n. 8 et 9, Barbosa ad conc. Trid. sess. 32. cap. 1. num. 6, sess. 24. c. 10. num. 2 et 8* et *Rota dec. 4. lib. 1. n. 73. et segq., idem Ferraris eodem loc. num. 8 et seq.* loquendo de correctione facta a praelato extrajudicialiter seu paternaliter nullo formato processu, ex *cap.: Irrefragabili de officio Ordinar. apud Fagnan.* et *ex ipsa Trident. syn. in cap. 1. sess. 22.* et *cap. 10. sess. 24,* ubi Gallemart. s. Congregationis affert resolutionem, *qua ea censuit hoc habere locum, quando non fuit processum judicialiter, sive compilato ac proposito processu, sicut fuit resolutum in una regni Sardiniae* 15. Maji 1700 ad primum dubium. Idemque Gallemart. paulo inferius inquit decretum illius capitis non habere locum, quum Episcopus processit compilato processu et servatis servandis; hoc enim casu appellatio non solum esset in devolutivo sed etiam in suspensivo, ut docet *Fagnan.* et *Ferrar. loc. supra cit., Rota in decis. 399. num. 4.* et *decis. 458. num. 4 et 5. part. 14. rec.* et *Barbosa in conc. Trident. sess. 13. cap. 1. num. 7.* et *sess. 24. cap. 10. num. 3 et 7.*

Hinc ambigendum non videtur, quin a suspensione, de qua sermo, detur appellatio, saltem in suspensivo.

Neque objici potest egisse Episcopum uti apostolicae Sedis delegatum ac proinde non dari ab eo appellationem nisi ad apostolicam Sedem; nam certum est non tolli vigore hujusmodi facultatis jus Metropolitano competens, nisi quotiescunque Episcopus procedit ex concil. Trid. uti apostolicae Sedis delegatus in causis, quae non sunt ejus jurisdictionis; aliter vero dicendum, quum ea-

*) Vd. *Sollicitatio* (poenae).
**) Vd. *p. 628 et 629.*

*) Vd. *p. 616 n. 22.*

dem praerogativa utatur in causis, quae sunt ordinariae ipsius jurisdictionis. Ita disertissime tradunt *Barbosa ad sess. 24. cap. 10. num. 9, 10.* et *de officio et potest. Episc. alleg. 73. n. 35.* et *alleg. 92. n. 14, Gallemart. ad sess. 13. cap. 2. n. 2.* et *sess. 14. cap. 4. num. 1, Fagnan. in cap. citat.: Ad nostram, de appell. n. 9, Pignatell. tom. 10. consult. 67. num. 12, consult. 149. num. 15, Ventrigl. in prax. part. 2. adnotat. 24. §. 2. num. 26*, pluries resolvit s. Congregatio in *Tarraconen. lib. 1. decret. pag. 7, Zamoren. lib. decret. 2. pag. 139.* et *Januen. lib. decret. 10. pag. 106. ad 2. dub.* Et merito quidem, alias suspensus potestatem suae defensionis non haberet. Hinc cum ex dispositione dicti capitis non adimatur aperte jus appellationis, ut innuit Archiepiscopus, in dubio ad juris communis sanctiones est regrediendum.

Quod si hisce non obstantibus velint admitti, quae ex auctoritate s. Congregationis docet *Benedictus XIV. de syn. dioec. lib. 12. cap. 8*, nunquam tamen haec habere locum in themate censet Archiepiscopus; idque comprobat primo ex criminum natura, ob quae est inflicta suspensio. Cum enim ea sint publica, prout ex decretis suspensionis ipsemet colligit Archiepiscopus, necessario formae judiciales erant adhibendae et validis probationibus reus convincendus. Ubi igitur hoc factum non fuerit, Episcopum excessisse facultatem, quam habet ex *cap. 1. sess. 14. de reform.*, dicendum est. Deinde ipsam Bened. XIV. doctrinam haud admitterent in themate organicae regni Galliarum leges, quae poenas suspensionis perpetuas et definitivas, neglecto judiciario processu, irrogari prohibent, quaeque procul dubio appellationem ad Metropolitanum permittunt. Hasce autem leges laicam excedentes potestatem licet lamentetur Archiepiscopus eo, quod ipsis non parum spiritualis laedatur ac imminuatur auctoritas, illarum tamen vim non posse in eo regno contemni ipsa rei ac circumstantiarum natura suadet.

Neque leges solum obstare, inquit, sed praxim et consuetudinem prorsus contrariam, sive ante sive post Tridentinum concilium, in hac appellationis materia apud Gallos perpetuo servatam. Sicut enim semper patet appellatio a Metropolitano ad apostolicam Sedem, ita ex ecclesiae gallicanae disciplina directus vetatur ad eamdem recursus, omisso Metropolitano, a sententiis in curia episcopali non solum judicialiter editis, verum etiam ab ejus actis extrajudicialibus, quorum non appellatio proprie dicta sed reformatio a Metropolitano petenda est: idque etiam confirmat ex unanimi Archiepiscoporum sententia. Ex quibus concludit *concil. Trident. quoad hoc in Gallia* non fuisse receptum.

Caeterum observat disciplinam in ecclesia gallicana vigentem et legibus organicis confirmatam non esse omnino reprobandam, quum ea antea Tridentinum concilium in ecclesia universa jugiter approbata et servata fuerit; quamquam maximum sequi bonum existimat, si dispositio conciliaris saltem quoad liberam facultatem Episcoporum ex *cap. 1 sess. 14 de reform.* plenum sortiri posset effectum, in casu praesertim, quo, etsi alicujus parochi improbitas Episcopo innotescat, ea tamen in foro externo nec probari nec puniri queat.

Hisce acriter obstitit Episcopus. Quamvis enim nihil detrahi possit auctoritatibus allatis ex adverso pro tuenda appellatione saltem in devolutivo, conciliationem tamen admittunt tum doctorum sententiae tum sac. Congregationis resolutiones, quae secum invicem pugnare videntur. Siquidem, loquendo de facultate, quam habet Episcopus, procedendi ex informata conscientia vigore *cap. 1 sess. 14. de reform.*, omnes doctores, nemine dissentiente, conveniunt inter se de respuenda absolute appellatione, nec nisi recursum ad Sedem apostolicam admittunt.

Ita *Barbosa ad sess. 14. cap. 1. de ref. num. 1. tom. 1, jur. can. lib. 1. in cap.: Ad aures num. 5, Gallemart. eodem loco num. 1, Fagnan. in alias cit. cap.: Ad aures n. 11 et 22*, disertissime *Card. de Luca de ben. discurs. 71. n. 5, Giraldi in jur. pont. part. 1. ad cap. 1. sess. 14.* et praestantissimus *Benedictus XIV. de synod. dioeces. loco citato num. 4 et 5*, ubi ad rem affert nonnullas resolutiones s. Congregationis, quae, quoties fuit interrogata: num dari posset appellatio ab Episcopi judicio procedentis ex facultate dicti *cap. 1. sess. 14, toties constanter* negativum dedit responsum, sive quoad prohibitionem ascensus ad ordines, ut in *Calaritana Gravaminum 16. Julii 1695 libr. decret. 45. pag. 10. ad 9. dub. in responsione ad Archiepiscopum Rhemens. in lib. literar. 16. p. 400, 2. Aprilis 1668*, sive quoad suspensionem ab ordinibus susceptis aut beneficio, ut in *Verulana 3. Aprilis 1621 ex lib. memorial. ad sess. 14. c. 1. de ref., in Calaguritana 1624*

lib. decret. 11. pag. 1. et in cit. *Bononien. 14. Novembris 1634* et in *Capritana 16. Decembris 1730*, idemque servandum mandavit Venetum nuntio, ut patet ex instructione, quam refert *Ferrar. in Biblioth. canon. V.: Suspensio art. 1. num. 16.* Facilis hinc videtur hujusmodi apparentis repugnantiae conciliatio. In alteris enim auctoritatibus sive doctorum sive s. Congregationis dispositio est peculiaris et nominatim restricta ad *c. 1. sess. 14. de ref.* Quare, ubi agitur de suspensionibus latis vi capitis hujus, firmum jugiter manebit nullam dari appellationem, nec in suspensivo, sed tantum recursum ad apostolicam Sedem; in aliis vero casibus appellationem admitti pro eorum varietate, sive in in solo devolutivo sive in suspensivo. Hanc conciliationem nobis exhibet ipsa s. Congregatio in cit. *Calaguritana* 1624, in qua ita respondit: *Si Episcopus in vim cap. 3 sess. 14 ejusdem concilii contra clericos processerit tamquam illiteratos, a decreto suspensionis hujusmodi dari appellationem ad effectum devolutivum tantum non autem suspensivum. Caeterum si processerit contra eos tamquam delinquentes facultate tributa a cap. 1. ejusdem sessionis a suspensione lata ab eo dari nullam appellationem.*« Idem colligitur ex const. *Bened. XIV.: Ad militantis ecclesiae**) *diei 30. Martii 1741*, in qua post plurimos casus enumeratos, inter quos et hunc, de quo incidit quaestio, sub §. 38 statuit dari vel appellationem ad superiorem in solo devolutivo, vel tantum recursum ad romanum Pontificem *juxta causarum naturam et qualitatem.*

Resolutio proinde s. Congregationis ex adverso allata in causa regni Sardiniae et instructio ad Venetum nuntium de iis suspensionibus sunt intelligendae, in quibus Episcopus procedit non vigore *cap. 1 sess. 14 de reform., sed alio titulo* aliaque auctoritate. Quod si etiam accipiantur in sensum *cap. 1. sess. 14 de ref.*, probe animadvertendum est in iis non agi de appellatione ordinaria ad Metropolitanum, sed extraordinaria ad judicem apostolicum delegatum, qui non procedit auctoritate ordinario, sed tantum virtute peculiaris delegationis. Eoque minus valet exceptio a naturali propriae defensionis jure petita; nam sapientissime est constitutum, ut semper liceat suspenso auctoritatem Sedis apostolicae invocare, cui Episcopus tenetur suspensionis causas aperire, ac proinde, cum hujusmodi recursus abunde suppleat appellationis defectum, ut docet ad rem *Barbosa vot. decis. 4 tom. 1 num. 79*, neutiquam reo intercluditur aditus de sua sibi defensione comparanda.

Ad ea vero, quae objiciuntur ab Archiepiscopo ob crimina publica, quibus ipse ait suspensionem inniti, jam satis videtur satisfactum ex iis, quae tradita sunt in disputatis ad primum dubium. Nec minus eodem loco refutata est altera objectio ab organicis Galliarum legibus desumpta. Ut enim ibi adnotabatur, natura suspensionis inflictae nullum prae se fert perpetuitatis judicium, quin etiam Episcopi mentem fuisse poenam infligendi mere temporaneam nihilque aliud voluisse quam parochi poenitentiam ac sinceram animi emendationem eruitur ex decreto diei 25. Maji 1846, quo, de industria, suspensionis effectum ad calendas quintiles distulisse Episcopus ipse narrabatur.

Quod spectat denique ad contrariam praxim, quam in Gallia vigere sustinet Burdigalensis Archiepiscopus, auctoritate caeterorum Metropolitarum confisus, eam vel negat vel parvi facit Lucionensis Episcopus. Profert enim primo duo ejusdem casus exempla, alterum dioecesis Mannetensis, alterum Montis Albani, cujus dioecesis parochus N., ab Episcopo suspensus, ad Metropolitam Tolosanum appellationem interposuit, qui propriam incompetentiam declaravit in causa suspensionis ex informata conscientia prolatae. Secundo responsa exhibet quinque Archiepiscoporum, qui omnes in id unum aperte consentiunt, ut legitimam agnoscant controversam Episcopi Lucionensis sententiam nullamque ab ea dari appellationem existiment, sed tantum recursum ad apostolicam Sedem: iique sunt Archiepiscopus Tolosanus, Turonensis, Auxitanus, Lugdunensis et Albiensis, quorum postremi duo insuper declararunt se ideo diversum Metropolitano Burdigalensi dedisse responsum, quia secus ipsis quaestionis status expositus fuerat. Tertio addit se aliorum etiam Episcoporum sententiam fuisse percontatum idemque sentire deprehendisse. Qui vero inter caeteros omnes, sive Episcopos sive Archiepiscopos, ab ipso sententiam rogatos pleniorem gallicanae praxis notitiam suppeditaverit, fuit laudatus Lugdunensis Metropolitanus, cujus propterea verba optimum referre visum est. »*En France même les parlements pensaient*

*) Vide *supra pag. 583.*

comme Vous. Vous trouverez au tom. XII. pag. 161. des Mémoires du Clerge ce que fit le parlement de Toulose au sujet de l'appel du Curé Ginerte contre une sentenze de l'Evêque de Cahors. Ce Prelat tint absolument la même conduite que Vous.

Vous abez pour Vous Benoit XIV.

Neque solum asserta praxis recipiendi appellationes a suspensionibus inflictis ex conscientia informata non existit in Gallia, sed insuper eam nec existere posse demonstrat Episcopus. Siquidem, quia Episcopi in hujusmodi casibus non tenentur, ne ipsis quidem reis, causas suspensionis seu delicta detegere, uti post s. Congregationis resolutionem in cit. *Vercellen. 21. Martii 1643 unanimiter tradunt Barbosa in jur. canon. lib. 1. in cap.: Ad aures num. 4, Piringh. in jur. canon. tom. 1. tit. 11. sect. 1. num. 17, Pignatell. tom. 1. consult. 261. num. 1, Monacell. in formular. leg. tom. 2. tit. 13. formular. 3. num. 29* et *Gaudentius de Janua de visit. Praelatorum tom. 1. dub. 8. sect. 6. num. 39*, ideo deesset appellationis fundamentum, cum delicta, quae suspensioni causam dedere, minime cognoscantur. Praeterea, quum Episcopus in ferendis hujusmodi suspensionibus, remoto quolibet formae judicialis apparatu, agat secundum conscientiam, cujus moderator et cognitor est solus Deus, *impossibile est, ut Metropolitanus de ea judicium ferat, quia superior non potest animum et conscientiam inferioris immutare, ut ipsissimis verbis observat ad rem Barbosa in cap.: Ad aures de temp. ordin. num. 5.*

Hinc communiter recepta est sententia apud ss. canonum interpretes et doctores, qua firmatur in causis, ubi aliquid judicis conscientiae commissum est neque ordo judicialis est servandus, non licere superiori appellationem recipere a sententia judicis inferioris, qui censetur egisse, inspecta aequitate juris naturalis ac gentium, ex justis causis extrajudicialiter sibi benevisis animumque suum moventibus, veluti docet *Rota in dec. 156. num. 11 et 12. part. 18. tom. 1. recent., Barbosa vot. dec. 4 lib. 1. num. 57.* et *Passerin. in 6. decret. lib. 1. de rescript., cap.: Statutum* §. *Assessorem quaest. 4. art. 2. num. 308.*

Neque ab hac doctrina recedendum esse ait *Rota loc. cit. num. 13.* obtentu magni praejudicii aut enormissimae laesionis, cum praesto sit remedium in recursu ad principem seu romanum Pontificem, ut cognoscatur, an aliquid erronee gestum sit, atque opportune emendetur. Cum autem hujusmodi ratio denegandae appellationis in similibus causis sit ex natura rei desumpta ac proinde perpetua et universalis, facile evincitur non posse adversus eam contrariam praxim induci.

Tertium dubium a praecedentis resolutione pendet. Si enim sacra Congregatio judicaverit non esse appellationi locum, suo pondere concidit lata a Metropolitano sententia, ob evidentem jurisdictionis defectum, prout sibi persuasum habet Episcopus Lucionensis. Sin autem pronuntiaverit pro Metropolita, circa jus, quod ipsi erat, cognoscendi hujusmodi controversiam, Metropolitae nihilominus sententia substantialibus vitiis, *sive extrinsecus sive intrinsecus*, inficeretur. Extrinsecus enim sententiae nullitas deprehenditur ex omissis solemnitatibus a jure canonico praescriptis; siquidem nulla citatio praecessit nec auditio sive ipsius Episcopi, uti partis, sive testium, nullaque fuit tribunal constitutum; quippe propriae curiae officiales Archiepiscopus non adhibuit, quos, etsi gubernium uti legitimam personam habentes non agnoscat, eos tamen curiis ecclesiasticis interesse patitur, nec alioqui praetermitti potest, quin judici saltem persona publica in judiciis etiam summariis assistat, ceu ex *cap. 10. Statuta de haeret. in 6.* Hujusce autem et aliarum solemnitatum interventus, quamvis non requiratur in sententiis ex informata conscientia juxta dispositionem *cap. 1. sess. 14 de reform.*, attamen exigitur in Metropolitae judiciis, quotiescumque suffraganei sententias cognoscit atque judicat.

Deprehenditur etiam alius defectus, scilicet interpositio appellationis post lapsum fatalium; a sententiis enim *latis die 15. et 24. Junii* facta est provocatio die 29. Julii, quum querela per epistolam ad Metropolitanum delata, die 19. Junii, nunquam ab eodem pro legitima appellatione admissa fuerit. Jam vero vulgatum est apud omnes sive civilis sive canonici juris cultores, tempus introducendae appellationis jure novo post decem dies perimi*). *Barbosa jur. can. lib. 2. in cap.: Quoad consultationem, Ferraris in Bibliothec. V.: Appellatio art. 7. num. 5.* et *Rota cum communi decis. 150. n. 1. part. 14, decis. 366. num. 1. part. 15.* et *decis. 107.*

*) Vd. *p. 632* §. *Secundo;* *p. 641 Appellatio* (tempus infra etc. p. 657).

num. 2. part. 16. recent. Quum igitur in themate, cessata jam facultate appellandi, fuerit appellatum, nulla et irrita sententia, quae in judicio appellationis, parte appellationem respuente, fuit pronunciata.

Neque sustinenda videtur, si *intrinsecus* inspiciatur. Primo enim patet in ea Metropolitam libelli limites excessisse, cum in hoc de nullitate ac revocatione sententiae episcopalis quaereretur; ipse vero nec de ejus nullitate nec de validitate pronunciavit, sed simplicem edidit declarationem de inflictae suspensionis natura. Atqui judex stare debet libello appellationis ac secundum illum judicare, quum in gradu appellationis agatur dumtaxat de confirmanda vel infirmanda lata sententia, ut monet *Rota in dec. 231. n. 10. part. 12. recent.*

Praeterea decretum Metropolitae laedit jus episcopale ac proinde injustum est; declarat enim absque causae cognitione, cum ipse nullam habuerit criminum suspensi notitiam, inflictam suspensionem esse poenam mere provisoriam seu temporaneam contra jus Episcopis concessum per bullas Gregorii XV. et Benedicti XIV.*), necnon per supremae universalis inquisitionis decretum editum die 5. Augusti 1745 et relatum in appendice ad *tom. 1. bull. Benedicti XIV. sub num. 8*, in quo praeter caeteras poenas contra sollicitantes in confessione emanatas, de iis dicitur »*perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad sacrificii celebrationem.*« Poterat enim Episcopus ex hoc titulo suspensionem indicere, quo casu injustitiam sententiae Archiepiscopi non est qui non videat. Quomodocumque demum sententia consideretur, nunquam fieri potest ut sustineatur; quippe nequibat Archiepiscopus poenas criminibus applicare, quum illorum gravitatem non haberet perspectam.

Legitimum e contra undequaque suum fuisse decretum defendit Burdigalensis Metropolita. Quoad enim formas intrinsecas, eas nullum in controversia locum habuisse demonstrat. Siquidem cum non de factorum existentia, sed tantum de juris quaestione ageretur, utrum scilicet sententia Episcopi fuerit necne juri conformis, palam est nec citationem opportuisse nec partis testiumque interrogationem. Ad hoc enim episcopalium sententiarum exemplaria sufficiebant, quae erant in actis; de factorumque vero ac testium veritate plenam Episcopo fidem habere non dubitavit. Et quamvis Episcopum audire factorumque veritatem cognoscere voluisset, id tamen facere nequivisset ob constantem repugnantiam suffraganei, qui nec jus appellationis admittere nec documenta ad judicium proferendum necessaria tradere voluit; praesentiam vero officialium non solum inutilem reputavit, cum ii apud Galliae gubernium nullam gerant personam, sed etiam periculi plenam, cum judicium, quod non fertur ab uno Episcopo vel Archiepiscopo, nullius roboris habeatur a gubernio, ceu pluribus ostendit exemplis, praesertim si respiciat titularium parochorum jura atque honorarium »*de droits et le traitement de curès titulaires.*«

*) Vd. *Sollicitatio* (poenae).

De lapsu autem fatalium, unde nullitas decreti arguitur ex adverso, animadvertendum est admitti appellationem sine ulla temporis praefinitione*) a gravamine tractum successivum habente (qualis profecto dicendus est suspensio in casu), quamdiu illud durat, uti communiter sentiunt doctores cum *Ferraris in vers.: Appellatio art. 7. in add. num. 10, Marchat. part. 1. lib. 2. tit. 39. num. 13.* et *Ventriglia in praxi part. 1. adnotat. 8.* §. *2. num. 59.* Ex quibus sane evidenter apparet decreti archiepiscopalis justitia, sive intrinsecus sive extrinsecus illud spectetur, cum ad juris tramites circa redditas ab Episcopo sententias nec processu nec rei cognitione opus fuisse liqueat.

Postremo nulla ratione libellum appellationis praetergressus fuisse videtur Archiepiscopus, qui ad tramites ipsius libelli non tollendam esse suspensionem judicavit. Falsum autem apparet quod contra excipitur cum Rota; siquidem judex appellationis minime adstringitur confirmare vel absolute revocare inferioris judicis sententiam, sed eam reformare potest**). Idque in jure statuitur ex eo, quod judex *ad quem* succedit in locum judicis *a quo*, ac per devolutionem acquirit jurisdictionem circa ea, de quibus in prima instantia actum fuit, uti latissime tradit ipsamet *Rota in cit. decis. 231. n. 11. et seq.* Decretum autem Archiepiscopi fuisse juri ac s. Congregationis menti consonum omnino desumitur ex resolutione ejusdem s. Congregationis in *Nullius 3. Febr. 1593*

*) Vd. *Appellat.* (tempus etc. §. *Fatalia* ... praesentandae appell. III. p. 658).

**) Vd. *p. 639 n. 57. a; p. 640 n. 58. a.*

superius cit., in qua declaravit »*temporalem suspensionem eam dici, ubi ex delicto occulto extrajudicialiter procedit Episcopus ad suum beneplacitum suspendendo.*«

Quaeritur in quarto dubio: num parochus ita suspensus irregularitatem contraxerit eo quod, spreto suspensionis decreto ac sub quaesito appellationis colore, missam die dominico celebravit, baptismi sacramentum semel administravit aliasque sui muneris functiones stola indutus absolvit.

Hic opportune praemittendum judicamus inter alias suspensionis divisiones eam communiter a doctoribus recenseri, qua suspensio ipsa vel consideratur ut mera poena vel ut censura proprie dicta. Priori casu ob delictum praeteritum imponitur, et licet ad tempus certum ex juris praescriptione infligi debeat, nulla praeeunte monitione vel judiciaria forma processus, usus tamen invaluit ut indefinite etiam irrogaretur, in altero autem nonnisi ob contumaciam imponitur nullumque habet definitum tempus, quod solum contumacia dimetiendum. Eam, de qua est controversia, certum est tum ab Episcopo Lucionensi tum a Burdigalensi Metropolita fuisse uti mere poenam consideratam. Illud insuper prae oculis habendum est, irregularitatem contrahere suspensum non solum, si sacra ministeria, durante suspensione, celebrare praesumat, sed etiam si baptismum solemniter ministrat vel sacramentaliter absolvat aut in choro canat tamquam celebrans seu hebdomadarius, eoque magis ubi stolam deferat, prout notat *Bonacin. de censur. disp. 7. qu. 3. punct. 6. num. 3. et seqq.*

Quibus praemissis, quamvis non desint nonnulli et magni quidem nominis s. theologiae et ss. canonum doctores, qui existimant irregularitatem non contrahi ex violatione suspensionis, quoties haec mere poenalis agnoscatur, uti sentit *Navarrus cons. 27. n. 1. de temp. ordin.*, quem refert *Pignatell. cons. 158. n. 5. tom. 10*, ea tamen est plurimorum sententia universaliter admissa, ut absque ulla distinctione irregularitas incurratur ob spretam suspensionem, sive haec propria censura sit sive poena, *arg. ex cap. 1. de sentent. et re judic. in 6*, et *ex cap. 1. de sent. excomm. ibid.*, ut tradunt *Gibalin. de irregularit. p. 1. cap. 5. cons. 1. n. 6, Suarez de censur. disput. 26. sect. 2, Alter. eod. tract. part. 2. disp. 6. de suspens. cap. 2. §. Item et seq.* et *Bonacin. eod. tract. disp. 3. quaest. 6. punct. 5. prop. 3. num. 6. addita ratione*, quia scilicet suspensio, quae est mera poena, privat sacro ministerio, sicut privat suspensio, quae est proprie censura, nec minus indecens videtur ut suspensus in poenam delicti divinis se ingerat, quam qui ob contumaciam est censura suspensionis obstrictus.

Neque potest irregularitas vitari sub appellationis obtentu; ab hujusmodi enim suspensionibus vel nulla admittitur appellatio*), ut supra comprobatum est, vel, si locus appellationi datur, haec nunquam in jam ante allatas valet, docet clarissimus Bened. XIV. de synod. dioec. *lib. 12. cap. 8. n. 5, Ferrar. verb.: Appellatio art. 10. n. 31. in add.* et *verb.: Ordo art. 4. n. 37. et seq. in addit.*, ac probat *Alter. loc. cit. §. Queret.* Quibus omnibus accedit s. hujus Ordinis auctoritas, qui in casibus huic simillimis constanter resolvit irregularitatem incurri, uti respondit in *Sagonen. 21. Junii 1625 lib. 24. position. pag. 1.* »*Ab hujusmodi suspensione non dari appellationem et parochum, qui sacramenta ministravit, irregularitatem contraxisse*«; parique responsione eumdem omnino casum resolvit in *Isernien. 20. Decembris 1687 lib. decretor. 37. pag. 714.* et *10. Aprilis 1688 lib. decr. 38. pag. 182.*

Esto vero parochum incurrisse in irregularitatem, sequitur tamen dirimenda quaestio, utrum scilicet illa inter irregularitates debeat recenseri, de quibus, utpote ex delicto occulto provenientibus, ad Episcopum, prout ipse judicavit, dispensatio pertineat vigore facultatis concessae a concilio Trid. in *sess. 24. cap. 6. de reformat.* In hujusmodi quaestione solvenda, quamvis plurimum auctores insudent ut statuant veram occulti criminis naturam, ad eam irregularitatem contrahendam, qua super Episcopus valeat dispensare, in varias tamen abeunt sententias, dum alii dicunt occultum, quod non est notorium, quos inter *Majolus de irregularit. cap. 51. num. 4.* et *Sayrus in thesauro casuum conscientiae tom. 1. lib. 4. cap. 17. num. 21.* et *lib. 7. cap. 13. num. 12*, alii vero occultum ponunt quod distinguitur a publico, quod scilicet non est notum in civitate, parochia vel vicinia aut majori ipsius parte, dummodo ibi decem saltem adsint personae, ita sentiunt *Navarr. in manual. c. 27. n. 254. et seq., Suarez de censur. disput. 41. sect. 3. num. 6.* et *Sanchez de matrim. lib. 8.*

*) Vd. p. 630 n. 6 §. *Clericus.*

disp. 34. num. 55. et *lib. 2. disp. 37. num. 11*, ea moti ratione, quia ad hoc facultas dispensandi Episcopo tribuitur, ut publicum evitetur scandalum. Tertio loco ii veniunt, qui, licet non sit publicum, ex sui tamen natura vel per accidens probari potest et proinde adhuc occultum censeri existimant, etsi duobus dumtaxat, tribus vel quatuor sit notum personis, atque haec est sententia *Barbosae* cum aliis ab eo cit. in *part. 2. de offic. et potest. Episc. alleg. 39. num. 25.* Alii denique illud solum dici occultum affirmant, quod nulla ratione probari potest, eorumque opinioni adhaerere videtur *Fagnan. in lib. 3. decretal. ad cap.: Vestra de cohab. cler. et mul. num. 121. et seqq.* et *Garcias de ben. part. 7. cap. 11. num. 46*, ubi plures affert sacr. Congregationis resolutiones, inter quas haec quae subsequitur: »*Absolutus vel dispensatus a proprio Episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus vel tribus testibus, quod tamen non fuit notorium, non est tutus in conscientia, quia concilium utitur termino occulti, quod proprie loquendo dicitur quod probari non potest, cap.: Vestra de cohab. cleric.; at per duos testes probari potest, et verba concilii debent intelligi secundum proprietatem.*« Quam tamen resolutionem invenire in tabulario s. Congregationis datum non est, cum sine die et consule a laudato auctore referatur.

Missis vero allatis doctorum in diversa studia abeuntium opinionibus certa quaedam traditur regula ad dignoscendam Episcopi facultatem ex conc. *cap. 6. sess. 24. de ref.* proficiscentem. Quam regulam omnes doctores sequuntur eamque fuisse a s. Congregatione firmatam *die 9. Septembris 1582* testatur *Fagnan. loc. cit. in fine cap.* hisce verbis: »Sacra Congregatio censuit, quando delictum, ex quo provenit irregularitas, est publicum, quamvis actus ille, quo interveniente irregularitas incurritur, occultus sit, Episcopum dispensare non posse, veluti si sacerdos publice excommunicatus vel notorie simoniacus occulte missam celebraverit; quod si delictum occultum est, ut puta excommunicatio vel fornicatio, actus vero missam celebrandi, ex quo irregularitas incurritur, publicus, posse nihilominus Episcopum ab omni irregularitate absolvere ex *cap. 6. sess. 24. de reform.*«

Hanc autem distinctionem omnes ss. canonum interpretes una cum *Fagnan. loc. cit.* amplectuntur et praesertim *Barbosa in dict. alleg. 39. num. 26 et 27.* atque in *cap. 6. dict. sess. 24. num. 27 et 29, Monacell. in formular. leg. 1. 2. tit. 13. form. 5, Bonacin. disp. 7. quaest. 3. punct. 6. prop. 2.* et *Vanespenius in jur. eccl. univ. tom. 2. part. 2. sect. 1. tit. 10. num. 19.*

Quaestio igitur tota facti est, utrum scilicet suspensio, qua tenebatur parochus N., esset necne nota paroeciae Roche-Serviere vel saltem aliquibus ex eadem; haec autem circumstantia, quae rei substantiam constituit, licet non satis aperte ex Episcopi relatione colligatur, attamen intercessisse videtur, quum alteri presbytero paroecia fuerit delegata eo ipso die 15. Junii 1846, quo suspensionis decretum prolatum est. Ex quo facto praesumi quam probabiliter potest suspensionem parochi plures saltem e paroecia non latuisse; unde sequeretur dispensationem super irregularitate non ad Episcopum, sed ad romanum Pontificem pertinere.

Superest ut vos, Emi PP., quae sit parochi instantia cognoscatis. Hic enixe petit ut in se processus instituatur, servata ss. canonum forma et praescriptionibus. Hanc vero petitionem consonam ipse ait naturali juri, quod praecipit memini denegandam esse defensionem. Facile autem sibi fore suam innocentiam vindicare inde maxime confidit, quod, ut inquit, oppido inter se pugnare videantur Episcopi Lucionensis decreta, in quibus praemittens ipse velle quaedam parochi scandala punire mox addit, ideo se usum fuisse extrajudiciali procedendi ratione, ut scandala vitaret.

Praeterea quaeritur parochus testes adhibitos ex industria latitare, ne calumniae auctores appareant ipsumque proinde ob paucorum odium Episcopi indignationem nactum poenamque tulisse. Quod adeo verum esse affirmat, ut oves suis curis ac sollicitudini concreditae nedum sibi adversae haud fuerint, sed imo, audita sui pastoris suspensione, quam maxime conquestae sint, quum ejus innocentiam perspectam haberent. Lamentatur denique miseram suam conditionem, in qua omni destitutus levamine tum spirituali tum corporali diu temporis versatur, ita ut ipsa suspensio in privationem ac depositionem penitus converti videatur.

Sane haud solum naturali juri sed etiam canonico et civili, quod ipse postulat, est consentaneum. Jus canonicum, sive antiquum sive novum et novissimum, id sancivit, ut accusato non modo crimina pandan-

tur et ipsa nomina testium sed insuper, ut censurae nonnisi monitionibus praemissis et contra contumaces ferantur, quod potissimum desumitur ex praescripto concilii Lateranen. IV. et ex concilio Trident. *sess. 21. cap. 6.* et *sess. 25. cap. 14.* Jus ipsum civile nunquam reum inauditum atque indefensum damnare permittit.

Si autem Congregatio, etsi olim censuerit, ut supra dictum est, *cap. 1. conc. Trid. sess. 14. de reform.* habere locum in prohibitionibus et suspensionibus, tam temporaneis quam perpetuis, recentiori tamen aevo ab illa sententia recedere consuevit aliamque constanter sequuta est, qua id velle videtur, ut hujusmodi suspensiones, praesertim perpetuae seu indefinitae, quae idem valent ac perpetuae et sunt merae privationes, haud unquam in posterum ferendae sint, nisi monitionibus aliisque solemnitatibus ad praescriptum ejusdem synod. Trident. *sess. 21. cap. 6.* latas fuisse repererit. Enim vero in quadam *s. Severini 19. Septembris 1778* dubium: An parochus Laetti esset necne redintegrandus ad regimen suae ecclesiae parochialis, a quo praeter normam *cit. cap. 6. sess. 24. fuerat suspensus, hoc ipsa responso persolvit: Affirmative, reservato jure promotori fiscali agendi contra parochum Laetti ad formam concilii Tridentini,* et amplius. Et novissime in *Placentina Restitutionis in paroeciam 26. proxime lapsi Februarii*, id ipsum rogata quoad parochum Franchi, consimili suspensione de paroeciali munere dejectum, respondit: *Affirmative, peractis per decem dies exercitiis spiritualibus in domo religiosa.*

Quanti tamen haec facienda sint facile intelligent EE. VV., ubi hinc recolant ea, quae late in primo dubio disputata sunt de Episcopi facultate procedendi contra delinquentes, omissis omnibus juris solemnitatibus, illinc vero sedulo perpenderint criminum naturam et gravitatem, quorum parochus accussatur, et conditionem personarum, quae firmiter attestante Episcopo de illarum auctoritate et pietate solo religionis zelo testimonium in parochum reddidisse censentur. Prae oculis insuper habeant EE. VV. alteram Episcopi sententiam, de qua apud Burdigalensem Metropolitanum in gradu appellationis pendet judicium, ut recte statuere valeant num parochi petitioni expediat impraesentiarum indulgere.

Verumtamen, quamvis vere sit deploranda parochi conditio, animadvertendum est cum *Suarez. in tract. de censur. disp. 25. sect. 1.* omnem censuram, sive contumaciae sit sive criminis, esse semper poenam semperque medicinalem, quae proinde *praecipue fertur ad reprimendam contumaciam, et ut homo a culpa recedat, ideoque non potest habere alium terminum, nisi donec recedat ab illa.* Hinc si parochi contumacia non frangatur ipseque haud praebeat vera emendationis ac poenitentiae signa, Episcopi arbitrio et prudentia probanda non esse locum suspensionis relaxationi dicendum est, quemadmodum vel ipsa s. hujusce Ordinis disciplina docet.

Placeat itaque EE. VV. quae sequuntur dirimere dubia:

I. *An suspensio lata ex informata conscientia sustineatur in casu?*

II. *An ab hujusmodi suspensionis decreto detur appellatio ad Metropolitanum, seu potius sit tantum locus recursui ad s. Sedem in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam,

III. *An constet de legitimo judicato Metropolitani Burdigalensis in casu?*

IV. *An parochus ob violatam suspensionem contraxerit irregularitatem in casu?*

Et quatenus affirmative,

V. *An et ad quem spectet dispensatio a contracta irregularitate in casu?*

VI. *An et quomodo sit indulgendum precibus ejusdem parochi in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative ad formam *cap. 1. sess. 14. conc. Trid. de reform.*

Ad II.: Negative ad primam partem.

Ad III.: Provisum in praecedenti.

Ad IV.: Affirmative.

Ad V.: Affirmative ad s. Sedem.

Ad VI.: Dilata; et parochus recurrat postquam dederit signa emendationis.

Die 8. Aprilis 1848.

60) Contra synodales constitutiones.

Constitutionum synodalium vires non retardantur per appellationem ad Superiorem, eaque nullo modo est admittenda in suspensivo nec prudenter in devolutivo. Bened. XIV. const. 28. incip.: *Quamvis paternae vigilantiae num. 12 et 13.* Si appellatio ad sacram congregationem concilii interponatur,

satius erit, ut ejusdem secretarius appellantes compellat ad designandas singulas constitutiones, contra quas reclamant, et ad assignandas rationes peculiares suarum reclamationum, quas significabit sacrae Congregationi, quae sic rite instructa provide decernet, an appellatio sit admittenda vel potius rejicienda. Quam rectam methodum a se adhibitam fuisse, dum esset dictae Congregationis secretarius, fatetur Benedictus XIV. in gravi controversia excitata adversus synodum Fulginatensem celebratam anno 1722 ab Episcopo Baptistello. Eoque pacto ex innumeris causae articulis ab appellantibus propositis, paucis selectis visis aliqua discussione dignis eisque dumtaxat sacrae congregationis judicio subjectis, causam contra appellantes in omnibus obtinuit Episcopus, ut patet in eadem synodo typis impressa *pag. 183. Idem ibidem* §. *13.*

61) Tempus, intra quod appellari debet.

Vd. *Appellatio* (impedimenta appellandi p. 624).

Appellationum fatalia sunt illa tempora, intra quae debet inchoari et terminari causa appellationis; aliter appellatio seu facultas appellandi fit deserta et extinguitur. *Est in re communis.* Et ista dicuntur fatalia a fato sive a morte, prout colligitur ex *leg. 2. cod. de temporibus in integrum restit.*, ubi expressa dicitur: »Pater tuus in fata concessit.« Sicut enim mors extinguit totaliter hominem, ita lapsus temporis pro appellatione concessi extinguit appellationem, ita ut ipso elapso censeatur etiam elapsa et totaliter deserta appellatio et rata maneat prior data sententia. Sic *Abbas in cap.: Ex ratione 8. de appellat., Scaccia qu. 15. de appell. num. 1, Maranta part. 6. speculi aurei tit. de appell. num. 232.* et alii communiter.

Appellationum fatalia seu tempora appellationis sunt quadruplicia:

Prima sunt fatalia seu tempora interponendae appellationis.

Secunda fatalia seu tempora petendi apostolos.

Tertia fatalia seu tempora praesentandae appellationis.

Quarta fatalia seu tempora finiendae appellationis; *Engel, Pirhing.* et alii hoc loco et est in re *communis.*

I. Fatalia interponendae appellationis seu tempora concessa ad appellandum, quibus elapsis elabitur etiam et extinguitur facultas appellandi, de jure antiquo erant duo dies in causa propria et tres in causa aliena seu procuratorio nomine actitata; *leg. 1.* §. *Biduum ff. Quando appelland. sit; leg. Eos 6.* §. *Sint autem, cod. hoc tit.* et *cap.: Biduum 29. qu. 6.* De jure vero novo sunt decem dies a die gravaminis illati vel latae sententiae et scientiae numerandi. *Est communis* et expresse habetur in Authent. *Hodie* juncta Glossa ibid. *cod. de appellat.* et *cap.: Anteriorum 28. caus. 2. quaest. 6*, ubi expresse habetur: »Sancimus omnes appellationes, sive per se sive per procuratorem sive per defensores vel curatores et tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium ab his, quorum interest, afferri.« Et clarissime in ejus summario: »Infra decem dies remedium appellationis conceditur.« Et expresse etiam habetur in *cap.: Quod ad consultationem 15. de sentent. et re judicata* praecisis his verbis: »Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatae, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit.« Isti decem dies ad appellandum concessi incipiunt currere statim a momento habitae notitiae de illato gravamine et data sententia; *cap.: Concertationis 8. de appell. in 6*, ubi expresse dicitur: »Quisquis ex eis (scilicet electionibus, postulationibus, provisionibus et quibuslibet extrajudicialibus) gravatum se reputans per appellationis beneficium gravamen illatum desideravit revocari, infra decem dies, postquam sciverit, si velit, appellet. Post decendium vero eidem aditus non patet appellandi.« Et hoc decendium currit de momento in momentum taliter, quod, si sententia lata sit contra praesentem hora vigesima v. g. primae diei mensis, decendium debeat currere usque ad horam vigesimam diei undecimae ejusdem mensis, ad hoc ut sit integrum et completum, cum horae antecedentes ad vigesimam primae diei, in qua lata est sententia, non ingrediantur tale decendium, et ideo *Gailus lib. 1. pract. observ. 139. num. 5, Pirhing. lib. 2. tit. 28. num. 135, Anaclet. ibid. num. 159* cum aliis monent notarios, uti in instrumento appellationis non tantum diem, sed etiam horam interpositae appellationis exacte notent ad hoc, ut certo sciatur, quando decendium sit elapsum necne. Et colligitur ex Glossa in *Clementina Sicut de appellat.* verb.: *A die,* ubi

tur et ipsa nomina testium sed insuper, ut censurae nonnisi monitionibus praemissis et contra contumaces ferantur, quod potissimum desumitur ex praescripto concilii Lateranen. IV. et ex concilio Trident. *sess. 21. cap. 6.* et *sess. 25. cap. 14.* Jus ipsum civile nunquam reum inauditum atque indefensum damnare permittit.

Si autem Congregatio, etsi olim censuerit, ut supra dictum est, *cap. 1. conc. Trid. sess. 14. de reform.* habere locum in prohibitionibus et suspensionibus, tam temporaneis quam perpetuis, recentiori tamen aevo ab illa sententia recedere consuevit aliamque constanter sequuta est, qua id velle videtur, ut hujusmodi suspensiones, praesertim perpetuae seu indefinitae, quae idem valent ac perpetuae et sunt merae privationes, haud unquam in posterum ferendae sint, nisi monitionibus aliisque solemnitatibus ad praescriptum ejusdem synod. Trident. *sess. 21. cap. 6.* latas fuisse repererit. Enim vero in quadam *s. Severini 19. Septembris 1778* dubium: An parochus Laetti esset necne redintegrandus ad regimen suae ecclesiae parochialis, a quo praeter normam *cit. cap. 6. sess. 24. fuerat suspensus, hoc ipsa responso persolvit: Affirmative, reservato jure promotori fiscali agendi contra parochum Lactti ad formam concilii Tridentini,* et amplius. Et novissime in *Placentina Restitutionis in paroeciam 26. proxime lapsi Februarii*, id ipsum rogata quoad parochum Franchi, consimili suspensione de paroeciali munere dejectum, respondit: *Affirmative, peractis per decem dies exercitiis spiritualibus in domo religiosa.*

Quanti tamen haec facienda sint facile intelligent EE. VV., ubi hinc recolant ea, quae late in primo dubio disputata sunt de Episcopi facultate procedendi contra delinquentes, omissis omnibus juris solemnitatibus, illinc vero sedulo perpenderint criminum naturam et gravitatem, quorum parochus accussatur, et conditionem personarum, quae firmiter attestante Episcopo de illarum auctoritate et pietate solo religionis zelo testimonium in parochum reddidisse censentur. Prae oculis insuper habeant EE. VV. alteram Episcopi sententiam, de qua apud Burdigalensem Metropolitanum in gradu appellationis pendet judicium, ut recte statuere valeant num parochi petitioni expediat impraesentiarum indulgere.

Verumtamen, quamvis vere sit deploranda parochi conditio, animadvertendum est cum *Suarez. in tract. de censur. disp. 25. sect. 1.* omnem censuram, sive contumaciae sit sive criminis, esse semper poenam semperque medicinalem, quae proinde *praecipue fertur ad reprimendam contumaciam, et ut homo a culpa recedat, ideoque non potest habere alium terminum, nisi donec recedat ab illa.* Hinc si parochi contumacia non frangatur ipseque haud praebeat vera emendationis ac poenitentiae signa, Episcopi arbitrio et prudentia probanda non esse locum suspensionis relaxationi dicendum est, quemadmodum vel ipsa s. hujusce Ordinis disciplina docet.

Placeat itaque EE. VV. quae sequuntur dirimere dubia:

I. *An suspensio lata ex informata conscientia sustineatur in casu?*

II. *An ab hujusmodi suspensionis decreto detur appellatio ad Metropolitanum, seu potius sit tantum locus recursui ad s. Sedem in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam,

III. *An constet de legitimo judicato Metropolitani Burdigalensis in casu?*

IV. *An parochus ob violatam suspensionem contraxerit irregularitatem in casu?*

Et quatenus affirmative,

V. *An et ad quem spectet dispensatio a contracta irregularitate in casu?*

VI. *An et quomodo sit indulgendum precibus ejusdem parochi in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative ad formam *cap. 1. sess. 14. conc. Trid. de reform.*

Ad. II.: Negative ad primam partem.

Ad III.: Provisum in praecedenti.

Ad IV.: Affirmative.

Ad V.: Affirmative ad s. Sedem.

Ad VI.: Dilata; et parochus recurrat postquam dederit signa emendationis.

Die 8. Aprilis 1848.

60) Contra synodales constitutiones.

Constitutionum synodalium vires non retardantur per appellationem ad Superiorem, eaque nullo modo est admittenda in suspensivo nec prudenter in devolutivo. Bened. XIV. const. 28. incip.: *Quamvis paternae vigilantiae num. 12 et 13.* Si appellatio ad sacram congregationem concilii interponatur,

satius erit, ut ejusdem secretarius appellantes compellat ad designandas singulas constitutiones, contra quas reclamant, et ad assignandas rationes peculiares suarum reclamationum, quas significabit sacrae Congregationi, quae sic rite instructa provide decernet, an appellatio sit admittenda vel potius rejicienda. Quam rectam methodum a se adhibitam fuisse, dum esset dictae Congregationis secretarius, fatetur Benedictus XIV. in gravi controversia excitata adversus synodum Fulginatensem celebratam anno 1722 ab Episcopo Baptistello. Eoque pacto ex innumeris causae articulis ab appellantibus propositis, paucis selectis visis aliqua discussione dignis eisque dumtaxat sacrae congregationis judicio subjectis, causam contra appellantes in omnibus obtinuit Episcopus, ut patet in eadem synodo typis impressa *pag. 183. Idem ibidem* §. *13.*

61) Tempus, intra quod appellari debet.

Vd. *Appellatio* (impedimenta appellandi p. 624).

Appellationum fatalia sunt illa tempora, intra quae debet inchoari et terminari causa appellationis; aliter appellatio seu facultas appellandi fit deserta et extinguitur. *Est in re communis.* Et ista dicuntur fatalia a fato sive a morte, prout colligitur ex *leg. 2. cod. de temporibus in integrum restit.*, ubi expressa dicitur: »Pater tuus in fata concessit.« Sicut enim mors extinguit totaliter hominem, ita lapsus temporis pro appellatione concessi extinguit appellationem, ita ut ipso elapso censeatur etiam elapsa et totaliter deserta appellatio et rata maneat prior data sententia. Sic *Abbas in cap.: Ex ratione 8. de appellat., Scaccia qu. 15. de appell. num. 1, Maranta part. 6. speculi aurei tit. de appell. num. 232.* et alii communiter.

Appellationum fatalia seu tempora appellationis sunt quadruplicia:

Prima sunt fatalia seu tempora interponendae appellationis.

Secunda fatalia seu tempora petendi apostolos.

Tertia fatalia seu tempora praesentandae appellationis.

Quarta fatalia seu tempora finiendae appellationis; *Engel, Pirhing.* et alii hoc loco et est in re *communis.*

I. Fatalia interponendae appellationis seu tempora concessa ad appellandum, quibus elapsis elabitur etiam et extinguitur facultas appellandi, de jure antiquo erant duo dies in causa propria et tres in causa aliena seu procuratorio nomine actitata; *leg. 1. §. Biduum ff. Quando appelland. sit; leg. Eos 6. §. Sint autem, cod. hoc tit.* et *cap.: Biduum 29. qu. 6.* De jure vero novo sunt decem dies a die gravaminis illati vel latae sententiae et scientiae numerandi. *Est communis* et expresse habetur in Authent. *Hodie* juncta Glossa ibid. *cod. de appellat.* et *cap.: Anteriorum 28. caus. 2. quaest. 6,* ubi expresse habetur: »Sancimus omnes appellationes, sive per se sive per procuratorem sive per defensores vel curatores et tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium ab his, quorum interest, afferri.« Et clarissime in ejus summario: »Infra decem dies remedium appellationis conceditur.« Et expresse etiam habetur in *cap.: Quod ad consultationem 15. de sentent. et re judicata* praecisis his verbis: »Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatae, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit.« Isti decem dies ad appellandum concessi incipiunt currere statim a momento habitae notitiae de illato gravamine et data sententia; *cap.: Concertationis 8. de appell. in 6,* ubi expresse dicitur: »Quisquis ex eis (scilicet electionibus, postulationibus, provisionibus et quibuslibet extrajudicialibus) gravatum se reputans per appellationis beneficium gravamen illatum desideravit revocari, infra decem dies, postquam sciverit, si velit, appellet. Post decendium vero eidem aditus non patet appellandi.« Et hoc decendium currit de momento in momentum taliter, quod, si sententia lata sit contra praesentem hora vigesima v. g. primae diei mensis, decendium debeat currere usque ad horam vigesimam diei undecimae ejusdem mensis, ad hoc ut sit integrum et completum, cum horae antecedentes ad vigesimam primae diei, in qua lata est sententia, non ingrediantur tale decendium, et ideo *Gailus lib. 1. pract. observ. 139. num. 5, Pirhing. lib. 2. tit. 28. num. 135, Anaclet. ibid. num. 159* cum aliis monent notarios, uti in instrumento appellationis non tantum diem, sed etiam horam interpositae appellationis exacte notent ad hoc, ut certo sciatur, quando decendium sit elapsum necne. Et colligitur ex Glossa in *Clementina Sicut de appellat.* verb.: *A die,* ubi

dicit: Ergo videtur, quod illa pars diei, in qua appellatur, cedat lucro appellationis nec computatur in anno, et in hoc differat a tempore appellationis interponendae, quod currit de momento in momentum. — Et taliter debet currere de momento in momentum, ut debeat esse continuum, ita ut in eo decendio includantur etiam feriae, ne propter ipsas censeatur prorogari: *leg. 1. cod. de feriis; leg. Sive 3.* §. *feriae, cod. de dilation.* et doctores supracitati.

II. Fatalia seu tempora petendi apostolos; vide supra verb.: *Apostoli p. 578.*

III. Fatalia seu tempora praesentandae appellationis, idest praesentandi apostolos et introducendae coram judice *ad quem* appellationis, secundum jus civile sunt sex menses, intra quos computandos et numerandos a die interpositae appellationis, et non a die latae sententiae, debent praesentari apostoli et appellatio introduci coram judice *ad quem: l. 2. et 3. cod. de temporib. appellat., Camera Spirens. p. 2. tom. 30, Gailus lib. 1. pract. observ. 140. a. 1. et 3, Pirhing. l. 2. tit. 28. n. 145, Sannig. ibid. c. 6. n. 9, Anaclet. ibid. n. 167.* De jure tamen canonico nullum reperitur determinatum tempus ad praesentandos apostolos seu ad praesentandam vel introducendam appellationem coram judice *ad quem,* sed videtur relictum dispositioni judicis *a quo,* qui secundum locorum distantiam, personarum et negotii seu causae qualitatem debet praefigere congruum terminum, intra quem appellatio praesentetur judici *ad quem,* aliter elapso tali termino habeatur appellatio pro deserta; *cap.: Cum sit 5.* et *cap.: Ad aures 83. de appellat.* et *Clementina Quamdiu 4. de appelat.* Et sic tenent *Scaccia qu. 15. de appellat. num. 12, Engel l. 2. tit. 28. num. 48, Pirhing. ibid. num. 145, Anaclet. ibid. num. 168* et alii passim.

IV. Fatalia seu tempora finiendae seu prosequendae usque ad finem appellationis de jure sunt duodecim menses seu annus integer, et ex causa necessaria et evidenti biennium, ita tamen, ut judex *a quo* secundum locorum distantiam et personarum et negotii seu causae qualitatem, prout expediens judicaverit, possit brevius tempus praefigere, ut habetur expresse in *cap.: Cum sit Romana 5. de appellat.* his verbis: »Si ante sententiam vel postea fuerit appellatum, hujusmodi appellationibus annus indulgetur aut ex necessaria et evidenti causa biennium, nisi forte judex, a quo appellatum fuerit, secundum locorum distantiam et personarum et negotii qualitatem praecisius fuerit moderatus.« Et concordat *Clement. Sicut appellationem 3. de appellat.* Et hoc tempus est numerandum non a die latae sententiae, sed a die interpositae appellationis, ut expresse habetur ex *Clement. Sicut appellationem 3. de appellation* his verbis: »Infra annum a die interpositionis ipsius (scilicet appellationis) prosequi et finire tenetur appellans.« Taliter quod si ipse appellans, cessante justo impedimento, non fuerit prosequutus neque terminaverit, debet ejus appellatio censeri deserta, ut praecise statuit cit. *Clement. Sicut appellationem,* his verbis: »Quod si justo impedimento cessante non fecerit, debebit ejus appellatio deserta censeri.« Et sic tenebit sententia prius lata, ut expresse statuitur in cap.: *Cum sit Romana 5. de appellat.:* »Infra quod si is, qui appellaverit, causam appellationis non fuerit prosequutus, tenebit sententia, si post sententiam appellaverit et causa sua cecidisse videtur, nec amplius super eodem negotio audietur appellans.« Concordat *cap. Ei, qui appellat. caus. 2. qu. 6.* his verbis: »Ei qui appellat, impertitur annus, intra quem secundum se communiter cum adversario litem exequatur aut (si justa intercesserit causa) alius annus indulgeatur, quo transacto, lite non completa maneat sententia rata; et jam sic fuerat statutum in *Authent. Ei qui appellat, cod. de temporibus appellat. Et est communis.*

Ex cap. VII. de appellat. »*Non solum innovata post appellationem a definitiva sententia interjectam debent semper (exceptis casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia, quae medio tempore inter sententiam et appellationem (quae postmodum intra decendium interponitur ab eadem) contigit innovari, ac si post appellationem eamdem innovata fuissent.*« Inde vero infert, corruente decreto electionis examinatorum, nullam prorsus eorum relationi vim esse tribuendam, quia „*cum principalis causa non subsistit, nec ea quidem, quae sequuntur, locum habent*“ *l. 119. ff. de reg. jur.* Sacerdos autem Anglen die 30. Julii ejusdem anni apud curiam metropolitanam appellavit, cum intra decem dies appellare debuisset *cap.: Concertationes 8. de appellat. in 6.* et Auth.: *Hodie c. eod. tit.*, secus ejusdem appellatio nequaquam erat admittenda juxta celebrem encyclicam hujus s. Congregationis, quam confirmavit s. m. Benedictus XIV. sua constitutione *diei 14. Decembris 1742* incip.: *Cum illud,*)* ubi expresse jussit, *quod non admittatur appellatio aut a mala examinatorum relatione aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.*

Si memoratum decretum uti judiciale haberi vellet, *decendium* ad appellandum a die tantum scientiae decreti esset numerandum; cumque eidem decretum numquam fuerit intimatum, terminus numquam esset elapsus et adhuc penderet, *cap. Concertationes 8. de appell. in 6.*

Die 24. Julii 1824 *Hieracen.*

62) Ad Tribunalia Romae.

Vd.: *Appellat.* (de appellationib. cum inhibitionibus p. 583 n. 8.)

Declaratio s. Congregationis Cardinalium et Praelatorum, a san. memor. Urbano VIII, alias deputatae et a SSmo D. N. Innocentio X. renovatae super appellationibus tribunalis auditoris camerae et aliorum tribunalium curiae romanae, in praejudicium Nuntiorum, Episcoporum ac Superiorum regularium, tenoris infrascripti. Videlicet dubitatum fuit:

I. An in tribunali auditoris camerae romanae possint concedi monitiones seu monitoria cum absolutione, etiam cum reincidentia vel ad cautelam, excommunicatis per Episcopos et alios Ordinarios ex causa violatae jurisdictionis, immunitatis vel libertatis ecclesiasticae appellantibus vel alias recurrentibus ad supradicta tribunalia?

II. An in causis, quae agitantur in supradictis tribunalibus curiae romanae, possit recursus haberi ad s. Congreg. super immunitate et controversiis jurisdictionibus pro resolutione vel declaratione, an sit vel non sit commissa violatio jurisdictionis, immunitatis vel libertatis ecclesiasticae, et an sit locus reintegrationi hujusmodi violationis et interim debeant dicta tribunalia supersedere usque ad resolutionem seu declarationem ejusdem s. Congr. illamque sequi et exequi?

Die 4. et 11. Augusti 1626 dubiis supradictis, cum interventu omnium illustrissimorum DD. Cardinalium et reverendissimorum Praelatorum deputatorum, mature discussis ac rationibus hinc inde deductis diligenter ponderatis unanimi consensu censuit

Quoad I: Tribunal auditoris camerae necnon alia tribunalia supradicta non posse hujusmodi absolutiones concedere, etiam cum reincidentia vel ad cautelam.

Quoad vero ad II: Ut supra, recurri posse; et interim supradicta tribunalia exspectare debere resolutionem seu declarationem et illam omnino sequi et exequi.

Quibus quidem decretis eidem Sanctissimo die 5. Septembris ejusdem anni 1626 plene relatis una cum rationibus et auctoritatibus Sua Sanctitas ea approbavit et confirmavit illaque omnia exequi jussit et ad hunc effectum notificata fuerunt. — Et subinde, cum de supradictis dubiis iterum actum esset in Congregatione habita die 27. Aprilis 1650; nemine dissentiente resolutum fuit, auditorem camerae debere decreta, ut supra, edita omnino observare ac praecipere, ut a suis ministris et officialibus exacte observentur.

Locum quoque hic sibi vindicant additiones seu declarationes super quibusdam ex allatis decretis, quas Benedictus XIII. de consilio et voto Congregationis particularis ab ipsomet deputatae super reformatione tribunalium et Congregationum servandas in posterum mandavit.

Ad II. Decretum.

1. Recipi possint et dumtaxat in tribunali auditoris camerae constituta reorum in causis primae instantiae, in quibus de poenis corporalibus agitur, habita ratione ad titulum inquisitionis, non vero in causis censurarum vel simplicis multae vel declarationis irregularitatis sive in aliis causis, in quibus dicta poena corporalis non intrat.

2. Regularium constituta nunquam recipiantur.

3. Hujusmodi constituta fieri tantum possint coram A. C. in criminalibus, non vero coram alio judice appellationis neque in Urbe neque extra eam nec etiam in s. Congreg. negotiis Episcoporum et Regularium praeposita.

4. Constitutus reus coram A. C. debeat statim in carceribus formalibus Urbis detineri; deinde primum expediantur in ejus tribunali literae inhibitoriales et compulsoriales (absque eo quod constitutus juret, se suspectum habere Ordinarium) pro transmissione actorum coram dicto Ordinario; nec possit reus habilitari per Urbem et extra

---

*) Vd. *p. 607.*

carceres formales, nisi visis et discussis actis, et quatenus de jure sit locus dictae habilitationi, audita parte offensa vel ejus procuratore, si in curia sit praesens, necnon fisco R. C. A., et quatenus causa sit, cum procuratore fiscali curiae ecclesiasticae, audito procuratore fiscali curiarum episcopalium in Urbe atque insuper facto desuper verbo in plena Congregatione criminali A. C.

5. Si acta vel non incoepta coram Ordinario vel sufficienter impinguata non fuerint, non communicentur reo, sed, eo retento in carceribus formalibus, committatur Ordinario processus informativi compilatio vel respective impinguatio, facienda expensis partis querelantis vel fisci ecclesiastici, si ea non adsit.

6. Actis sufficienter impinguatis servatis servandis procedatur ad expeditionem causae, prout de jure, audita semper parte offensa vel ejus procuratore necnon fisco R. C. A. et curiarum episcopalium, ut supra, in quolibet actu, districte injungente Sanctitate Sua, ut coram semetipso A. C. tractari et expediri faciat hujusmodi causas juxta meritum justitiae, ne rei inquisiti forum Ordinarii declinantes in prima instantia in Urbe quaerant reatuum praesidium.

Ad V. et VI. Decretum.

Cum experientia docuerit, non raro appellantibus ad tribunal A. C. Ordinarios denegare copias publicas sententiarum vel decretorum et aliquando continuare actus praejudiciales contra appellantes in odium etiam appellationis interpositae, quapropter, si forma decreti VI. indistincte servanda esset, tempore, quo requisitoriae judicis appellationes expediuntur et ad manus judicis, a quo appellatum fuit, proveniant, praesertim si magna sit locorum distantia, praejudicia contra appellantes cumularentur: ideo Sanctissimus Dominus Noster declarat et denuo statuit et mandat, in aliquibus casibus et circumstantiis, in quibus arbitrio et prudentia A. C. et locumtenentium, ad quos appellatio fuit interposita, necesse est opportune et sollicite provideri, ut praevia in actis productione copiae simplicis sententiae seu decreti possint expediri inhibitiones vigore appellationis cum insertione ejusdem simplicis copiae: ita tamen, ut in corpore ejusdem inhibitionis exprimatur, quod, si sententia sive decretum insertum non fuerit latum ante expeditionem literarum inhibitorialium vel copia non fuerit conformis originali sententiae sive decreto promulgato, tunc inhibitio nullatenus vim habeat et afficiat, sicuti praesentis decreti tenore nulla et irrita declaratur, ut impune sperni possit ac valeat.

Caveant autem notarii, ne inhibitiones vigore appellationis concedant nisi cum copia publica ad formam dictorum decretorum sub Clemente VIII. et in casibus particularibus cum copia simplici, modo tamen supra expresso; facto de his verbo cum judice sub poena suspensionis ab officio aliisque corporalibus, arbitrio Sanctitatis Suae.

Ad IV. Decretum.

Sanctitas Sua declarat et mandat: in casu praetensae indebitae carcerationis, quatenus sit sequuta cum mandato judicis verbali, ut possint expediri inhibitiones vigore appellationis, constito tantum de carceratione per publicum documentum notarii vel carcerarii, sive etiam cum depositione duorum testium. — In causis vero comminatae injustae carcerationis, torturae vel excommunicationis Sanctitas Sua declarat et mandat, ut non expediantur inhibitiones generales et indefinitae, sed tantum compulsoriales pro transmissione copiae actorum ad effectum cognoscendi, an sit deferendum necne appellationi, adjuncta in dictis literis compulsorialibus inhibitione, ut interim judex *a quo* ad ulteriora non procedat, et quatenus, visis actis, resultet evidens gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione et causa agnoscatur coram judice *ad quem*; si vero de hujusmodi gravamine non constet, remittatur causa ad judicem *a quo* cognoscenda in prima instantia.

Ad I. et II. Decretum Urbani VIII.

Statuit praeterea Sanctitas Sua, quod in causis violatae jurisdictionis, immunitatis et libertatis ecclesiasticae A. C. vel alia quaelibet tribunalia Urbis et extra eam nequeant appellationes admittere, inhibitiones relaxare aut absolutionem a censuris etiam cum reincidentia vel ad cautelam, concedere, sed recursus et appellationes fieri tantum possint ad sac. Congr. immunitatis. Quod si aliqua causa dubitari contingat, an agatur de causa violatae immunitatis seu jurisdictionis aut libertatis ecclesiasticae, supersederi debeat in causa coram quolibet judice,

donec fuerit resolutum in eadem s Congr., an fuerit violata immunitas, jurisdictio vel libertas ecclesiastica et an sit locus reintegrationi, juxta declarationem allatam in supra recensitis decretis Urbani VIII.

Insuper cum A. C. ex facultatibus sibi concessis sit executor omnium literarum apostolicarum vel solus, cum alii non sunt deputati executores, vel, quando sunt deputati, cumulate cum ipsis atque etiam sit executor omnium sententiarum tam in curia quam extra, per quosvis judices prolatarum, ac tandem concedere soleat monitoria super executione resolutionum sacrarum Congregationum, Sanctitas Sua decrevit, quod monitoria in tribunali A. C. super executione literarum apostolicarum non expediantur nisi exhibito legitimo documento earundem literarum apostolicarum. — Quoad vero sententias monitoria non concedantur nisi praevio documento publico actuarii causae cum legalitate Ordinarii, et quoad decreta sacr. Congr. exhibeantur copiae subscriptae a secretario cum sigillo Cardinalis Praefecti; nec possint hujusmodi monitoria super executione sententiarum vel decretorum aliter expediri, etiam si sententiae et decreta publice typis evulgata fuerint vel in libris impressa referantur et in dictis monitoriis apponatur clausula: *Dummodo non vigeat lis, adhuc pendens, coram judice competente super sententia vel constitutionibus apostolicis aut decretis sacrarum Congregationum, de quibus agitur.*

Quia vero inoluit abusus, quod citationibus typis impressis in Urbe, cum subscriptione alicujus ex notariis A. C., quae dicuntur camerales quaeque introductae sunt ad hoc, ut partes absentes a curia citentur, ut compareant coram A. C. seu ejus locumtenente in judiciis executivis, seu obligationibus cameralibus, in ejus tribunali promovendis, utantur Curiales et partes in aliquibus causis appellationum ab Ordinariis et etiam audeant iis uti in causis coram sac. Congregationibus, adeo ut per intimationem in partibus hujusmodi citationum cum appositione inhibitionis deterreantur judices, a quibus procedere et partes judicia continuare coram dictis primis judicibus et Ordinariis desinant, ob reverentiam tribunalis A. C. et fortius sac. Congregationum et ob timorem incursus attentatorum: ideo Sanctitas Sua mandavit, quod per intimationem dictarum citationum, etsi in iis apponatur clausula inhibitoria, non intelligatur ulla inhibitio facta aut interposita, ita ut sperni impune valeat ac debeat in quibuscumque causis in sac. Congregationibus et coram A. C., sed quoad istius curiam dictae citationes suam vim, prout de jure, habeant, quatenus causae executivae seu obligationes camerales fuerint, quae in prima instantia coram eo agitari possint, ita, quod dictae citationes in aliis causis nullo modo afficiant neque ad comparendum arctent.

Itidem Sanctissimus Dominus Noster in causis exemptorum et mercedum et miserabilium personarum servari omnino et districte mandat dispositionem sac. Concil Trid. *c. 4. sess. 7. de reform.*, privilegiis, exemptionibus et consuetudinibus quibuscumque, etiam post Trident. a Sede apostolica concessis et respective introductis, non obstantibus; quae conciliaris dispositio est sequens: *In civilibus causis mercedum et miserabilium personarum clerici saeculares aut regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiamsi certum judicem a Sede apostolica deputatum in partibus habeant, in aliis vero, si ipsum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conveniri et prout de jure ad solvendum debitum cogi et compelli possint, privilegiis, exemptionibus, conservatorum deputationibus et eorum inhibitionibus adversus praemissa nequaquam valituris.*

Ad XII. et XIII. Decretum Clementis VIII.

Quod absolutionem ultimam censuris servetur dispositio supradicti decreti XII. Clem. VIII. juxta etiam canonicam sanctionem, quod in casu constet de justitia censurarum, debeat remitti absolutio danda ad judicem *a quo*; si vero constet clare de injustitia, judex *ad quem* absolutionem impendat. — Si vero adsit dubietas, an fuerit justa, honestius esset, ut ad excommunicatorem infra aliquem competentem terminum praefigendum absolvendus remittatur, licet etiam judex *ad quem* hoc casu idipsum per se praestare jure possit. — Verum quoad absolutiones cum reincidentia, quae partibus concedi solent a judicibus, ad quos appellatur, ad effectum audiendi, cum inoluerit usus tam in tribunali A. C. quam forsan etiam in metropolitanis aliisque tribunalibus appellationum, quod committantur absolutiones cui-

cumque confessario, itaut rei, absque ulla reverentia proprii Ordinarii, pro absolutis se publice habeant, Sanctitas Sua statuit, ut in futurum hujusmodi absolutiones cum reincidentia tam in tribunali A. C. quam in curiis metropolitanis aliorumque judicum appellationum committantur ipsis Ordinariis communicantibus cum clausula, ut infra tres dies absolvant censuratos, juxta commissionem; quibus elapsis, si requisitus Ordinarius absolvere recusaverit vel neglexerit, absolvantur a confessario juxta commissionis formam, quae in praesenti servatur in dictis commissionibus absolutionum. — Quoad vero censuratos in Urbe commorantes committi debeat absolutio Cardinali Urbis Vicario seu ejus Vicesgerenti ac praefata servari etiam mandavit in absolutionibus, quae conceduntur per Congr., prout jam religiose in ipsis servatum fuit: declaravitque rursus Sanctitas Sua, quod hujusmodi commissiones de absolvendo praesentari debeant cancellario Ordinariorum, a qua praesentatione currere debeant tres dies, post quorum lapsum, et non data absolutione, possint ab aliis absolvi, ut supra, in commissione.

Quoad insuper censuratos mandat Sanctitas Sua, quod, reportata absolutione, a censuris cum reincidentia, cedulones, quatenus affixi fuerint, amoveri non habeant, sed tantummodo tegantur et tecti remaneant, durante termino obtentae absolutionis.

Cum in hujusmodi decretis agatur de appellationibus in causis judicialibus, Sanctitas Sua enixe hortatur omnes Ordinarios, ut, cum ipsi patrum nomen erga subditos promereantur potius quam judicum, caveant, ne lites excitent sed excitatas componere curent, praesertim inter pauperes et miserabiles personas, quas protegere praecipuum munus eorum est. — Ideoque Sanctitas Sua mandat, quod pauperibus condonentur sportulae et emolumenta quaecumque, etiam cancellarii, et aliae quaecumque expeditiones gratis dentur, etiam copiae actorum transmittendorum ad judices *ad quos:* et quoad qualitatem paupertatis, haec summarie cognoscatur per testes, gratis etiam examinandos, et de ea stetur arbitrio ipsius Ordinarii et judicis, serio onerando conscientiam Ordinariorum et judicum in re tam gravi, de qua specialiter Deo ipsi rationem erunt reddituri, ultra condignas poenas contra inobservantes, relaxandas arbitrio Sanctitatis Suae; quodque decretum in quacumque curia Ordinariorum, Metropolitanorum et quorumcumque judicum appellationum, etiam Nuntiorum apostolicorum et in quacumque causa tam civili quam criminali.

Similiter, ut satis provideatur pauperibus litigantibus, prout summopere ecclesiasticos judices decet, Sanctitas Sua mandat, in quibuscumque supradictis curiis deputari procuratorem pauperum et advocatum, qui iis assistant in quibuscumque causis civilibus et criminalibus, viros pietate et doctrina praestantes, cum assignatione alicujus mercedis, si possibile foret, et de iis electis habeatur ratio in provisionibus beneficiorum et in attestationibus faciendis Datariae apostolicae, ut per romanos Pontifices in provisionibus haberi valeat respectus ad servitia praestita in tam pio opere.

Itidem Sanctitas Sua quoad tribunal A. C. mandavit, inviolabiliter servari reformationem Pauli Papae V. in constitutione incipien. *Universi agri* §. *20*, videlicet, ut pauperibus dentur gratis extractus, registra, instrumenta, etiam publica, copiae et aliae quaecumque expeditiones et scripturae, tam civiles quam criminales, et ostendantur etiam originalia pauperum advocato et procuratori, similiter gratis et absque ulla impensa. — Et si quando contigerit, probandam esse paupertatem non admissam, recurri valeat ad auditorem pro tempore summi Pontificis, qui debita charitate servari faciat, quod aequum erit; praedictaque omnia mandat Sanctissimus servari in quibuscumque curiis Urbis inviolabiliter.

Quia in causis infra summam scutorum quinquaginta monetae romanae, in quibus a judicibus de partibus appellatur ad Urbem, juxta stylum et apostolicas ordinationes non debet in curia procedi in gradu appellationis sed per viam recursus, deputantur judices in partibus, cum ex penuria temporum videatur gravaus appellantibus in causis, etiam ultra dictam summam scutorum 50 causas prosequi appellationum in curia, ideo Sanctitas Sua extendit dictam summam scutorum quinquaginta monetae usque ad centum ejusdem monetae romanae, itaut si summa causae non sit ultra quantitatem scutorum centum, ut supra, causa non dicatur curialis et appellabilis per viam appellationis, sed tantum deputandos esse judices in partibus, qui procedant per viam recursus, quorum deputatio fieri debeat per tribunalia Urbis, ad quae pertinet.

Mandat rursus Sanctitas Sua, ut in causis mercedum miserabilium personarum recursus et appellationes respective non admittantur a quocumque judice appellationum, nisi in devolutivo, pro rata scutorum quinquaginta monetae romanae, et ultra dictam summam admitti debeant in suspensivo vel devolutivo, prout juris est, firmis tamen remanentibus apostolicis ordinationibus, stylis et privilegiis, quae forsan existerent in tribunalibus Urbis et districtus ejusdem, in quibus nihil innovare intendit.

Demum ad conservandam debitam reverentiam pontificali dignitati Alexander Papa IV. decretalem edidit, relatam in *cap.: Quia pontificali, de offic. et potest. judic. deleg. in 6*, ibi: »Quia pontificali dignitate praeditis, ob reverentiam sacri officii, plurimum deferri convenit et eos plus aliis honorari decet, ut, cum a judicibus vel conservatoribus a Sede apostolica deputatis contra eos ad coactiones aliquas sive poenas fuerit procedendum, gradus et modestia in hujusmodi processu servetur, ita quod (eis quadam condigna reverentia supportatis) ingressus primo ipsius ecclesiae vel sacerdotale interdicatur ministerium ac deinde ab officio suspendantur et subsequenter aggravetur censura ecclesiastica contra eos, nisi forte aliter fieri suaserit nimia contumacia, protervitas sive culpa.«

Hanc itaque decretalem Sanctitas Sua inviolabiliter servari mandavit in quibuscumque curiis judicum appellationum tam A. C. quam Metropolitanorum et etiam Nuntiorum apostolicorum et aliorum quorumcunque.

F. A. Archiepisc. Episc. Abellinen.
s. Conc. Secret.

63) A Vicario gener. ad Archiepiscopum omisso Episcopo.

Vd. supra *Appellatio* n. 3 p. 579.

Ab Officiali seu generali Vicario Episcopi appellatur, omisso Episcopo, immediate ad Archiepiscopum, ne videatur appellatio fieri ab eodem ad eumdem seu ad seipsum, cum Vicarii generalis et Episcopi unum indivisum sit tribunal seu auditorium; *cap.: Romana 3. de appellat. in 6; Rota romana part. 13. dec. 182. n. 5. et part. 14. dec. 115. n. 210.*

64) Appellatione remota.

a) Hac clausula quis uti possit?

Causas committere cum clausula *appellatione remota* potest solus Papa in causis ecclesiasticis ubique terrarum et in causis profanis Papa in locis suae temporalis jurisdictionis; Imperator, reges et omnes principes suprema jurisdictione gaudentes in suis respective dictionibus, *leg. 1. §. fin. ff. a quibus appell. non licet, cap.: Super quaestionum art. 27. cum ibi notat. de offic. Delegati;* et sic tenent communiter doctores hic, ut testatur *Abbas num. 4.* Unde nec Legatus a latere potest sub illa clausula subdelegare, ex *cit. cap.: Super quaestionum, §. Si vero;* nec sacra Congregatio Cardinalium, ut testatur *Fagnan. in cap.: Pastoralis num. 3. de appellat.*, se non semel audivisse Urbanum VIII. dicentem, Congregationem Cardinalium non posse dare clausulam: *appellatione remota.* Quam nec signatura justitiae dare potest; *Marches. de commiss. part. 1. cap. 10, Fagnan. loc. cit. mox*, et alii cum *Rota apud Card. Seraphin. dec. 857. n. 2.*

Conclusioni quod nonnisi princeps causas committere valeat cum clausula *appellatione remota* consectaria est haec altera, quod scilicet delegati a principe sub hac clausula subdelegare nequeant; idque quia, si subdelegarent, indirecte sibi tribuerent facultatem delegandi sub clausula: *appellatione remota;* cum eo, quo delegati sunt, modo subdelegatio institui debeat. *Confer. Bohemer. de decretal. lib. 2. tit. 28. § 10.*

b) Hac clausula quae appellationes prohibeantur?

Vi clausulae: *appellatione remota*, censetur prohibita omnis appellatio, quae a jure expresse concessa non reperitur, ut habetur expresse *cap : Pastoralis 53. de appell.* praecisis his verbis: »Quaesivisti, utrum, quando inhibetur appellatio in rescripto, frustratoria tantum inhibita videatur? Nos igitur attendentes, quod per appellationem frustratoriam, etiamsi non fuisset inhibita, negotium non debeat impediri, respondemus, quod quaelibet provocatio intelligitur removeri, quae a jure non indulgetur expresse, sed si appellans fuerit gravatus injuste, gravamen hujusmodi per Superiorem poterit emendari.« Et clarissime in ejus summario: »Per clausulam, *appellatione remota*, inhibetur omnis appellatio, quae a jure non indulgetur expresse.«

Per clausulam: *appellatione remota*, non solum non prohibentur appellationes a jure expresse concessae, cum adjecto: *non obstante clausula »appellatione remota«*, sed ne-

que prohibentur appellationes a jure expresse concessae et approbatae, licet sine tali adjecto: *non obstante clausula: appellatione remota.* Ita *Hostiens. in cit. cap.: Pastoralis* verbo: *Expresse, Abbas ibid. num. 14.* citans doctores communiter, et sequitur *Fagnan. in cap.: Pastoralis num. 24, Pirhing. lib. 2. tit. 28. de appellat. num. 7, Anaclet. ibid. num. 289.* Et ratio est, quia, ubi jura permittunt expresse appellationem, gravamen est notorium et manifestum, sed clausula: *appellatione remota,* non potest impedire appellationem, ubi gravamen est notorium et manifestum. Superior enim committens causam cum clausula *appellatione remota* existimat judicem non injuste gravaturum partes, *arg. part. Secundo requiris 41. de appellat.*, alias non posset juste committere causam cum tali clausula, quia sic censetur velle gravamen alterius, adeoque a judice notorie et manifeste gravante potest appellari, non obstante quod causa sit ei commissa cum clausula: *appellatione remota.* Colligitur ex *cap.: Ex Conquestione 10. de restitut. spoliator.*, et Glossa ibi, verb.: *Post appellationem,* ubi sic praecise dicit: »Et ita tenuit appellatio, licet esset inhibita in literis, quia remotio appellationis non impedit appellationem, ubi manifeste quis gravatur; et hanc Glossam sequuta est *Rota apud Puteum decis. 414 lib. 3.* et colligitur etiam ex variis aliis juris canonici capitulis, scilicet ex *cap.: Significante 34, cap.: Rodulphus 35, cap.: Significavit 36. de rescript., cap.: Exhibita 19. de judic., cap.: Dilecti 8, cap.: Dilecte 10, cap.: Significaverunt 11. de except.*, ex quibus omnibus et aliis similibus constat appellationem admitti, ubi adest gravamen notorium et manifestum, licet causa sit alicui commissa cum clausula: *appellatione remota, Joann. Andreas in cit. cap.: Pastoralis num. 12, Hostien., Abbas* et alii loco supracit. cum *Lancellot., Seraph., Scaccia, Marches., Gonzalez* et *Barbosa* cum pluribus aliis a se cit. *tract. de clausul., clausula 9. n. 20,* et *Rota part. 3. decis. 117. num. 1.*

c) Hujus clausulae effectus.

Clausula: *appellatione remota,* plures operatur effectus, quorum principaliores sunt:

I. Effectus est, quod tollat omnem appellationem, quae non reperitur expresse in jure concessa; *cap.: Pastoralis 53. de appell.*

II. Effectus est, quod non suspendatur jurisdictio judicis *a quo*, nec iste teneatur deferre appellationi, sed possit sententiam suam mandare executioni, antequam sciat per judicem *ad quem* fuisse receptam appellationem, et sibi inhibitum, ne ad ulteriora procedat; *cap.: Pastoralis 28. §. Praeterea de offic. jud. Delegati; Abbas loc. cit.* et *Barbosa* citans plures alios *claus. 9. num. 9.*

III. Effectus est, quod judex non deferrens tali appellationi quamvis probabili non punitur nec incidit in poenam; *cap.: Decreto 11. caus. 2. quaest. 6.* Cum enim hoc sit ei a jure expresse concessum et sic juris auctoritate eam non admittat, nec peccat adeoque nec ullam poenam meretur; *cap.: Qui peccato 4. caus. 23. qu. 4.* et *l. Gracchus 34. Cod. Ad leg. Juliam, de adult., Hostiens. in cap.: Pastoralis n. 9, Abbas ibid. n. 10, Fagnan. ibid. n. 29, Pirhing., Anacl., Barbosa cit. claus. 9.*

IV. Effectus est, quod rescriptum posterius non revocet prius datum sub tali clausula: *appellatione remota,* nisi prioris rescripti et talis clausulae faciat expressam mentionem; *Abbas loc. cit. num. 14.* hoc probans ex *cap.: Ex conquestione 10.* et notatis ibid. *de restitut. spoliator.*

V. Effectus est, quod attentata post talem appellationem non revocantur a judice *ad quem* per viam attentati vel nullitatis, quia, cum per eam appellationem non suspendatur jurisdictio judicis *a quo*, omnia ab eo acta erunt valida, licet possint exinde a Superiore revocari per viam querelae, ut concludunt *Hostiens. n. 9, Joann. Andr. n. 4, Butrius n. 3, Abbas n. 11, Pirhing.* et alii plurimi.

VI. Effectus est, quod teneat excommunicatio lata in contumacem post appellationem ipsius a judice dato cum clausula: *appellatione remota,* dummodo tamen appellatio illa non sit in casibus expresse ad appellandum a jure approbatis; *Abbas in cit. cap.: Pastoralis 53. num. 9, Scaccia de appellat. qu. 19. limit. 22. num. 56, Barbosa tract. de clausul. 9. num. 13, Francus in cap.: Pastoralis num. 7,* et alii. Plures adhuc hujus clausulae effectus enumerantur a doctoribus, sed, ut minus principales, relinquuntur videndi apud *Abbatem in cap.: Ut debitus 59. n. 14. de appellat., Francum in cap.: Pastoralis col. 3. circa med.* vers.: *Operatur ergo primo, Praeposit. n. 32.* vers.: *Succedit tertia quaestio principalis, Alexand. n. 30. et seqq.* et *Barbosa in cit. claus. 9.*

De vi hujus clausulae: *appellatione remota,* dissidentes inter se doctorum opiniones recenset *Bohemer. loc. cit. §. 21 et 22.* Quoad effectum vero supra relatum nempe quod virtute hujus clausulae valeat excommunicatio post appellationem lata, nota id eatenus verum esse, quatenus judex adamussim servata forma commissionis procedat nec partem gravet; *Rota cor. Ludovis. decis. 91. num. 10.*

Illud hic praetereundum haud est, hanc clausulam non praejudicare tertio, qui pro suo interesse appellare intendit; *cap. 15. de offic. et potest. jud. delegati; Bruneman. dissertat. de appellat. rescript. Princip. remot., cap. ultimo;* nec essent per eam sublata alia juris remedia. Primo enim facultas recusandi judicem non est prohibita, *cap. 3 et 9. de appellat.;* secundo integrum est gravato remedium supplicationis vel restitutionis in integrum; *Gail. 1. observ. 33. num. 5;* tertio non est impedita querela nullitatis; *Bohemer. ibid. §. 23.*

Applicatio.

I) Missae.

a) Anticipatio.

Die 14. Decembris 1680.

De anticipata applicatione missarum explodenda. In regesto literarum sacrae Congregationis (lib. 9. p. 259) reperitur epistola D. Nuntio apostolico Hispaniarum directa tenoris sequentis:

Perillustris et illustrissimus D. Cardinalis Hispalensis superioribus diebus SSmo D. N. literis significavit in sua dioecesi atque adeo in universa Hispania viginti abhinc annis novam consuetudinem recentiorum aliquod theologorum opinione nixam sensim receptam in dies magis invaluisse, ut sacerdotes missam celebrantes ejus valorem generatim applicent his, qui postea missae celebrationem postulaturi ac pro ea eleemosynam praebituri sunt, tametsi, antequam missae sacrificium peragereturn, neque a sacerdote illud rogassent neque ei hac de causa eleemosynam praestitissent. Quam rem ut Sanctitas Sua ad sacram Congregationem Cardinalinm concilii Tridentini Interpretum pro materiae gravitate examinandam rejecisset, in ipsa Congregatione primum de ea actum fuit diligentissime ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, quae ex ejusdem Congregationis sententia hujusmodi consuetudinem tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis ac offensionibus obnoxiam atque a vetusto ecclesiae more nimium abhorrentem explosit ac improbavit atque Amplitudini Tuae literas dari, quod facimus, mandavit, ut omnibus ipsius regni Archiepiscopis atque Episcopis, in quorum dioecesibus hujusmodi applicatio in usum inducta fuerit, per literas aut alias scripto injungat, ut talem usum aboleant ac prohibeant, excommunicationis etiam atque aliis quas opportunas et necessarias existimaverint poenis. Idque praecipiat generalibus et capitibus ordinum, quos in ipsis regnis nunc noverit commorari, ut scilicet et ipsi regularibus sibi subditis talibus applicationibus eisdem poenis propositis interdicant. Quae omnia pro tua pietate et SSmi D. N. jussis obsequendi studio amplitudinem Tuam sedulo effecturam sperantes omnipotentem rogamus Deum, ut eam quotidie coelestis suae gratiae donis velit auctiorem. Romae 15. Novembris 1605.

Sed quoniam dubitatur nonnullos adhuc in priori opinione persistere, ex eo fortasse, quod praemissa resolutio non innotescat, quaeritur:

An expediat dictum decretum confirmare et publicare?

Sacra Congregatio Concilii censuit: *Affirmative.*

Votum Card. Casanate.

De anticipata missarum applicatione: An expediat decretum sacrae Congregationis alias editum sub die 15. Novembris 1605 generaliter confirmare ac publicare.

Affirmative per rationes adductas in eodem decreto ac literis desuper expeditis jussu s. m. Pauli V., quae hodie per extensum proponuntur ac impressae habentur apud *Pasqualig. de sacrif. tom. 1. qu. 168. num. 3. vers.: Tenor autem:* Et quamvis contraria

opinio a pluribus theologis fuerit approbata, ut refert *Pasqualig. ibidem* §. *1,* attamen receptior ac communior est sententia negativa, ut apud eumdem *Pasqualig. n. 2,* et nefas hodie foret de ista dubitare, cum extet sanctio s. Cong. et Papae, imo etiam optima ratio, quia omnis intentio in sacrificiis debet esse certa et determinata, non vaga et suspensa in futurum: ulterius indecentia patet, cum hujusmodi applicatio pro futuris benefactoribus aequiparetur apothecae, in qua conficiuntur res venales pro futuris emptoribus, qui ad apothecam accedent.

Conferant quae cumulat idem *Pasqualig. q. 164. et 166,* ubi n. 3. applicationem collatam in alienam intentionem limitat, si aliena intentio antecedat vel concomitetur oblationem sacrificii, non autem si subsequatur applicationem. Ideoque omnino intercedendi sunt praesenti thesauri spirituales, qui conficiuntur ex numero missarum, applicatione collata in alienam intentionem de futuro, quod etiam theologi regulares detestantur.

(Anal. J. P. 1864 p. 1004.)

b) Diversa est a celebratione.

Vd. *Applicat. missae fund.* (oblig., decr. *Messanen.* §.: *Quamis etc.*)

c) Intentio.

Requiritur, ut valide celebret, quod celebrans sit rite ordinatus sacerdos, ex *concil. Nicaeno cap. 4.* et ex *Triden. sess. 22. c. 1,* et quod habeat intentionem sacrificandi et conficiendi sacramentum, ex *concil. Florentino in decreto unionis Armen.* et ex *Trid. sess. 7. can. 11. de sacramentis in genere,* ubi anathematizatur, qui dixerit: »*In ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia.*“

Porro intentio applicationis missae sufficit, si habitualis fuerit; est enim veluti quaedam donatio, quae semper valet, etiamsi multo ante intercesserit. Tempus autem applicationis num sit sufficiens post consecrationem, ambiguum est. Praestat, ut sacerdos missam applicet, cum se ad eam praeparat, *de sacrif. miss. lib. 3. cap. 16.* §. *9.* Quoad intentionem hoc quoque notandum: Cum novi sacerdotes cum Episcopo celebrant, non debent intentionem suam ita conformare, ut intelligant se consecraturos eodem momento, quo Episcopus extrema verba protulerit, sive ipsi ante sive postea formam compleverint, sed debent esse ita animo comparati, ut omne studium ponant proferendi ultima verba cum Episcopo atque ita cum eo consecrent, ex quo flt, ut, si non ita jungant sua verba cum Episcopo, non consecrent, cum non habuerint intentionem consecrandi. *Ibidem* §. *6.*

2) Missae a Canonicis regularibus privilegiatis.

Vd.: *Applicat. missae* (a Regularib.)

Declaratio partis primae cap. 15. §. *3. constitutionum Congregationis Canonicorum regularium super facultate applicandi missas a sacerdotibus privilegiatis ejusdem Congregationis celebrandas.*

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper ex parte dilecti filii moderni praepositi generalis infrascriptorum Canonicorum regularium preces Nobis oblatae sunt sequentis tenoris, nempe: Ad pedes Sanctitatis vestrae provolutus d. Franciscus ab annunciatione praepositus generalis Canonicorum regularium Congregationis s. crucis Conimbriensis per Lusitaniam exponit: in constitutionibus Congregationis a sancta Sede sancitis et confirmatis anno 1783 p. 1. cap. 15. §. 3. hoc modo statutum reperiri:

§. 2. Priores autem, exgenerales, lectores emeriti, omnes magistri cujuscumque scientiae vel artis, tum actuales cum substituti aut a religione aut a rege nominati, dummodo legere non renuant, quando valent, nec ob culpam suam docere desinant, vicarii et magistri novitiorum monasteriorum Conimbriensis et Mafrensis, cantor major cujuslibet monasterii, quod viginti habuerit Canonicos, procuratores generales, Ulissiponenses et Portuhenses, ordinis, chronogravus liberam habebunt potestatem missas, quascumque dixerint, applicandi pro intentione, quam maluerint, dummodo obligationes et legata monasteriorum ab aliis integre satisfiant; aliter enim nullus ex supradictis poterit ad libitum applicare plus quam tres missas in qualibet hebdomada; nullo modo etenim monasteria onerari debent.

§. 3. Sed quoniam verba illa „*dummodo obligationes et legata monasteriorum ab aliis integre satisfiant, aliter enim nullus ex supradictis poterit ad libitum applicare plus quam tres missas in qualibet hebdomada*“ ab extraordinario ejusdem Congregationis visitatore Episcopo Visensi proprio nutu inserta constitutionibus post publicationem constitutionum visa sunt nimis dura et observatae ab ejusdem Congregationis exordio consuetudini contraria: postulatum, impetratum et praefatae constitutioni derogatum fuit a Sede apostolica, ut laudatae Congregationis priores, exgenerales, lectores emeriti et omnes magistri actuales cujuscumque scientiae vel artis aut a religione aut a rege nominati liberam habeant facultatem applicandi omnes missas, quas dixerint, pro intentione, quam maluerint, sicut antea solebant.

§. 4. Haec tamen sola praedictae constitutionis derogatio non videtur sufficiens, ut communi bono plene consulatur. Ea quippe facultas libere applicandi missas non ob particularium sed ob communitatis utilitatem confertur, ut nempe sint, qui communitatum laboriosa munia obire velint; justumque sit, ut plus habeant emolumenti, qui plus caeteris pro communitate laborant: praesertim cum id fere nullum gravamen afferat monasteriis, quae quidem non ex missarum stipendiis sed ex aliis redditibus plusquam sufficientibus aluntur.

§. 5. Hinc post multiplicem reflexionem ac discussionem capitulum generale dictae Congregationis celebratum Aprili decurrentis anni 1814 censuit ampliorem derogationem supradictae constitutionis a s. Sede apostolica postulandam esse, ut chartofilaces monasteriorum omnes missas, quas celebraverint, et praedicatores, quo die praedicaverint concionem *de paula* septemque diebus subsequentibus, libere possint applicare]pro intentione, quam maluerint, quemadmodum priores et exgenerales.

§. 6. Supradictus vero praepositus generalis praesens orator perpendens eamdem ferme rationem militare pro cantoribus majoribus monasteriorum viginti Canonicos habentium, pro procuratoribus episcopalibus et pro magistris substitutis cujuslibet scientiae vel artis (qui omnes in supradicti cap. 15. §. 3. p. 1. nominantur) humillime orat S. V. pro derogatioue illorum praedictae constitutionis verborum: »*dummodo obligationes et legata monasteriorum ab aliis integre satisfiant*,« ut non solum monasteriorum chartofilaces missas omnes, quas annuatim dixerint, et concionatores, quo die praedicaverint conciones *de paula* septemque sequentibus diebus, celebraverint sed etiam omnes alii, qui supradicta constitutione p. 1. cap. 15. §. 3. nominantur, videlicet cantores majores monasteriorum viginti Canonicos habitatores habentium et procuratores generales Lisbonenses et Portuhenses, magistri substituti cujuslibet scientiae vel artis sive a religione sive a rege nominati, vicarius magisterque novitiorum s. crucis et ordinis chronographus liberam habeant facultatem applicandi pro intentione, quam maluerint, omnes missas, quas celebraverint, quemadmodum habent priores, exgenerales, magistri tam emeriti quam actuales. Laudata quippe facultas applicandi missas, si concedatur, in commune bonum Congregationis cedit et ferre nullum monasteriis gravamen affert. Ideo.

Haec omnia, ut benigne concedat S. V cum expressa derogatione praefatae constitutionis et cujuscumque alterius, quae huic obstet supplicationi, humiliter petit supradictus orator. Et orabit etc.

§. 7. Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, referente eminentissimo Domino Cardinali Pacca ponente, attenta relatione Internuntii apostolici Ulissyponensis, censuit rescribendum, prout rescripsit: »Consulendum Sanctissimo pro indulto derogationis quoad omnes Canonicos in supplici libello comprehensos.« Romae 18. Augusti 1815.

Et facta de praemissis relatione sanctissimo Domino Nostro a domino Secretario ejusdem sacrae Congregationis in audientia diei 8. Septembris supradicti anni Sanctitas Sua resolutionem sacrae Congregationis benigne approbavit et mandavit expediri literas apostolicas in forma brevis. Romae etc.

L. S.

I. Card. Cerafa, Praefectus.
Petrus Arch. Alinolfi Subsecr.

§. 8. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia

absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati de venerabilium fratrum Nostrorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium Congregationis negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, qui in praemissis relationem dilecti filii Nostri et hujus Sedis Internuntii Ulissyponensis attenderunt, consilio supra expressum constitutionum regularium articulum juxta petita et quoad omnes Canonicos regulares in praeinsertis precibus comprehensos dumtaxat, auctoritate apostolica tenore praesentium abrogamus, derogamus et abolemus et unicuique Canonicorum, procuratorum generalium et magistrorum substitutorum, praedictorum etiam cantorum majorum, ut in posterum sacrosanctum missae sacrificium ad sui libitum, modo et forma in precibus expressa quotidie applicare libere et licite possit et valeat, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 26. Septembris 1815.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 421. Ed. Romae.)

3) Missae conventualis.

a) Applicationis mutatio et conventio de ea inter Canonicos et Capellanos non licita.

Vd. *Applicatio m. conv.* (obligatio beneficiat. decr. *Amerina* p. 685; obligat. capellanorum massae.)

In cathedrali ecclesia N. ex vetusta consuetudine statutis capitularibus confirmata Canonici diebus festis, capellani autem reliquis diebus, missam conventualem celebrabant, quin tamen pro benefactoribus in genere eam applicarent ante notissimam constitutionem Benedicti XIV. *Cum semper oblatas**), quae prodiit die 19. Augusti 1744.

Hac edita constitutione, quae contrarias etiam consuetudines delevit, Episcopus id temporis diligenti studio institit pro observantia constitutionis ejusdem.

At ob quasdam difficultates nonnisi anno 1760 plenae executioni mandata est, sed sequenti ratione. Convenit scilicet die 1. Januarii 1760 inter Canonicos et capellanos:

1. Quod capellani in sua quisque vice missam conventualem applicarent pro benefactoribus eamque inscriberent libro Canonici hebdomadarii.

2. Quod capellanus celebrans non reciperet eleemosynam, quam capitulum suppeditare incoepit eidem Canonico hebdomadario pro missa conventuali integrae hebdomadae ac si ipse missam celebrasset et applicasset, sed capellanus idem permutaret missae applicationem ita, ut missa conventualis applicanda esset a capellano pro benefactoribus in genere, a Canonico autem applicanda pro speciali obligatione a capellano assumpta absque tamen eleemosynae commutatione. Quisque enim propriam eleemosynam retinebat.

Denique Canonici ob ejusmodi onus a capellanis acceptatum retribuerunt iisdem summam scutatorum centum, cujus annuus redditus perhibendus esset capellanis missam conventualem cantantibus. Huic insuper conventioni clausula adjecta est: »Salva semper approbatione Episcopi et cujuscumque superioris, ad quem pertineat.«

Conventio isthaec observata est quatuor supra centum annos, donec anno 1863 capellani in examen revocantes hujus consuetudinis causam eamque illegitimam autumantes reclamarunt; proindeque Episcopus, ut quaestio penitus dirimeretur, duo dubia s. Congregationi Concilii resolvenda proposuit:

An scilicet sustineretur dicta conventio et consuetudo inde exorta?

Et quatenus negative,

An capitulum teneretur dare eleemosynam capellanis et quamnam eleemosynam, an scilicet illam, quam Canonicus hebdomadarius recipit, vel secundum synodalem taxam?

Namque Canonicus hebdomadarius, qui missae intentionem cum capellano permutabat, eleemosynam a capitulo receperat usque ad annum 1802 juxta synodalem taxam, dein vero aliquantulum majorem. Cum autem, inter caetera, capellani invalidam esse conventionem dicerent, quia legitima auctoritate adprobata non fuerat, et contra Canonici eam adprobatam fuisse contenderent non solum ab Episcopo sed etiam ab apostolica Sede, quae acta sacrae visitationis tunc temporis exhibita adprobaverat: hinc Romae inquisitio facta est et in unico reperto documento, quod, cum diem praeferret 7. Decembris 1759, praecedebat circiter mense memoratam conventionem, haec ab Episcopo illius temporis in relatione status dioecesis N. enarrata legebantur:

»In Cathedrali post Benedicti XIV. encyclicam Canonici festis aliisque consuetis diebus missam conventualem applicant, in caeteris vero paucis abhinc annis privatam. Ex quo ecclesiae huic praeesse coepi, cum id non satis mihi probaretur, hac de re cum Canonicis egi, qui in ea fuerunt sententia, a capellanis quoque pro benefactoribus applicandum esse diebus, quibus privata missa ab ipsis canitur, ex quo hi etiam possideant propriosque habeant redditus a capituli massa sejunctos, quod quidem capellani hodie praestant adsignato eisdem ob hanc rem a Canonicis scutatorum centenario.« Nulla ergo in hoc documento mentio conventionis habetur, quae paucos post dies firmata fuit, neque unquam postea a s. Sede adprobanda videtur exhibita, quemadmodum ipsemet Episcopus retinebat.

Causa itaque S. C. C. primo proposita fuit die 23. Aprilis 1864 et adductis utriusque juribus disputatum est super dubiis:

1. An sustineatur conventio diei 1. Januarii 1760 in casu?

Et quatenus negative,

2. An, quae et ex qua massa retribuenda sit capellanis eleemosyna pro applicatione missae conventualis in casu?

Sacra autem Congregatio distulit definitionem respondens: Dilata et scribatur Episcopo, qui doceat: utrum Canonici et capellani unum efficiant corpus capitulare, et qui sint redditus utriusque massae.

Quare Episcopus interrogatus est, qui respondit:

Duo sibi videri corpora distincta capitulum et capellanos, quod Congregatio opportunis argumentis confirmabat. Capellani enim ab antiquo proprias habebant constitutiones, distincta bona, quae suo nomine independenter a capitulo administrabant, quique immediate subjecti dicebantur non quidem capitulo sed Ordinario.

Ad redditus quod spectat referebat Episcopus praesentem reddituum statum utriusque mensae, qui redditus licet non pingues essent, nihilominus ex respectiva distributionum massa commode decerpi posse videbatur eleemosyna pro missa conventuali quam sive Canonici sive capellani celebrabant.

Disceptatio synoptica.

Ea quae favore capellanorum disputabantur:

Capellani sequentibus rationibus innitebantur ad conventionem infirmandam eamque pravam ostendendam, scilicet eam rejiciendam esse contendebant

1) Ex defectu cujusvis legitimae adprobationis,

2. Ex defectu potestatis in paciscentibus, qui, si seipsos in hac re obligare potuissent, non poterant eadem obligatione successores devincire,

3. Ex indole conventionis, quae videbatur comprehendi inter pacta prohibita a Tridentino concilio *sess. 22. decret. de observ. et evit. in celebr. miss.;* videbatur enim redolere turpem quaestum et comprehendi sub decreto Urbani VIII. diei 21. Junii 1625*), qui per S. C. Concilii inter alia plura §. 5. sic praecipit: »Ac similiter omne damnabile lucrum ab ecclesia removere volens prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.«

Cum autem dubium inter caetera deinde fuerit his verbis propositum:

An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt, an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

S. Congregatio Concilii respondit:

Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Haec referuntur in celebri decreto Urbani VIII., postea ab Innocentio XII. confirmato et amplius declarato**). Jamvero in re praesenti Canonicis plura temporalia commoda obveniebant ex dicta permutatione applicationis. Nunquam enim Canonicus hebdomadarius destitutus manebat eleemosyna missarum integra hebdomada, quae paulo major erat quam eleemosyna, quae capellano manebat, quemadmodum pariter eleemosyna privabatur, si non haberet permutandam applicationem. Quare cum onus applicandi missam pro benefactoribus in genere capitulum gravet, aequum non erat, ut illud in capellanos hoc modo rejiceretur. Quod qui-

*) Vd. infra p. 695.

*) Vd. *Stipendium missar.* (num acceptatio licita sit etc.)

**) Vd. *Ibidem.*

dem absonum erat a tenore constitutionis: *Cum semper oblatas*, et a resolutionibus s. Cong. Concilii, juxta quas Canonici dicebantur teneri suppeditare eleemosynam capellanis pro applicatione dictae missae, ut in *Ferrarien. diei 4. Martii 1719* et in *Auximana diei 16. Decembris 1820.*

Denique alia plura enumerabantur incommoda, quae respiciebant locum, dies et horas celebrandi, ad quae omnia observanda Canonici conventione non erant obstricti.

Quamobrem capellani nedum conventionem infirmam esse concludebant sed etiam consuetudinem inde derivatam. Porro infirmata conventione et inde orta consuetudine prono alveo descendere videbatur obligatio capituli suppeditandi eleemosynam capellanis pro missa conventuali; maxime cum ipsum capitulum sua agendi ratione pluries ostenderit, semet obligatum ad ipsam eleemosynam suppeditandam, sive ex dicta conventione sive ex donatione scutatorum centum, cujus fructus annuos persolvebat, sive ex aliis actis, quae temporis decursu intervenerant. Quare in praesenti casu locum sibi vindicare videbatur resolutio data in *Ferrarien die 4. Martii 1719*, in qua, cum Episcopus in sacra visitatione jussisset applicari pro benefactoribus missam conventualem, cumque a capitulo dandam esse constituisset eleemosynam capellanis eam ex consuetudine celebrantibus reclamante capitulo et propositis inter alia dubiis S. C. Concilii

1. *An Dignitates, Canonici, mansionarii et capellani capituli, qui omnes ex usu et consuetudine tenentur celebrare in cathedrali ecclesia missas conventuales, teneantur ad easdem applicandas pro benefactoribus?*

Et quatenus affirmative,

2. *An celebrantibus et applicantibus missas conventuales solvenda sit eleemosyna a capitulo?*

Responsum prodiit

Ad I et II: Affirmative.

Ea quae in contrarium a Canonicis adducebantur circa primum dubium.

Contra Canonici conventionem memoratam tuebantur, quae si rescindenda foret, integrum onus missae conventualis sustinendum esse a capellanis contendebant. Et ad conventionem quod attinet, eam sufficienti adprobatione non carere defensor sustinebat ex observantia plus quam centenaria, quae praesumptionem etiam inducit beneplaciti apostolici. At quoniam capellani non solum ex defectu extrinsecae solemnitatis conventionem impetebant sed etiam intrinsecus pravam eam renuntiabant, hinc majori vi defensor adductis theologorum auctoritatibus ostendere conabatur eam undequaque licitam esse habendam. Ipse enim rigidissimus *Antoine in tractat. de virt. art. ult. de simon. q. 6.* haec scripta reliquit:

An permutatio rerum spiritualium inter se simoniaca sit ideoque illicita?

Respondit: Negative, si illa non habet adnexum aliquod temporale commodum et nullum interveniat pretium, quia nullo jure est vetita. Non jure divino . ., cum utraque sit ejusdem ordinis, neque jure ecclesiastico; nam licet in jure prohibeatur omnis pactio in rebus spiritualibus, hoc intelligitur de iis, quibus adnexum est aliquod temporale commodum vel quae fit interveniente pretio temporali. Hinc licite duo paciscuntur mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operam sacram, v. gr., me obligo ad celebrandum cras pro te, ut tu alio die pro me celebres.

Verum in casu consensu Episcopi interveniente res dicebatur esse simplicis sacrificiorum permutationis proindeque conventio neque censurae obnoxia erat decreti Urbani VIII. neque constitutionis Benedicti XIV., quae incipit: *Quanta cura.**)

Quinimo (prosequebatur defensor) eximius theologus s. *Alphonsus* in *cap. 6. n. 73. et seq. de miss. appl. et stip. penes Andr. Galant. vol. 2* ejusmodi materiam late pertractans sibi quaerit:

An licitum sit pacisci circa missarum eleemosynam?

Et inter alia haec tradidit: Nec vero prohibitum est sacerdoti accipienti stipendium pro missa crastina die celebranda rogare alium sacerdotem, ut cras pro se celebret, obligando sese vicissim pro alia die applicare, licet stipendium utriusque missae sit inaequale. Hoc enim solum est permutare applicationem seu intentionem missarum, quod in usu positum est etiam apud viros pios et meticulosae conscientiae**).

*) Vd. *Stipendium missar.* (pro missis manualibus.)

**) Hanc theologorum opinionem non amplius sustinendam esse scripsit s. Alphonsus. *Homo apostol. n. 69.*

In re autem praesenti deesse contendebat defensor quamlibet simoniae speciem, sive quia aequalem esse ajebat missarum eleemosynam sive quia donatio centum scutatorum a Canonicis Episcopo obsequentibus facta fuerat, ut in distributiones capellanis celebrantibus distribueretur ac maxime ex consensu saltem tacito Episcopi. Submotis enim illicitis pactis sufficit in permutatione rerum spiritualium Episcopi consensus, ut permutatio legitima sit, ceu contingit in permutatione beneficiorum.

Ea quae favore capituli disputabantur circa secundum dubium.

Facta etiam hypothesi, quod nulla dicenda sit memorata conventio, majori contentione defensor ostendere statuit eleemosynam seu distributionem pro missa conventuali iis diebus, quibus ex consuetudine statutis capitularibus confirmata capellani eam celebrabant, ex propria distributionum massa eorumdem capellanorum esse desumendam. Antequam id ostenderet, incidentem quaestionem egit contentens unum efformare capitulare corpus tum Canonicos tum capellanos. Si eo enim capellani non erant de gremio capituli, erant tamen capituli, idest pertinebant ad clerum capituli, et ita ut capellani unum tantum corpus cum capitulo inseparabiliter efformarent. Ad idem enim chorale servitium tenebantur, subjecti erant capitularibus constitutionibus. Quod si suos redditus a capitulo independenter administrarent, ex hoc defensor arguebat capellanos ex propria distributionum massa desumere debere eleemosynas.

Ac primis enim ecclesiae incunabulis clerici omnes canoni seu albo cujusque ecclesiae adscripti preces pro benefactoribus fundere ac praesertim sacrificia suis respective diebus litare sueverunt. Morem hunc laudabilem passim sacri canones sanxerunt. Qui autem missam celebrare et canere tenebantur, hi etiam applicare debebant. Non enim celebratio ab applicatione sejungenda est nisi alias expresse cautum sit, ut declaravit S. C. C. in *Zinnen. Applicationis sacrificii 18. Augusti 1668 lib. 26. decret.*, in *Lucana die 26. Augusti 1683 lib. 33. decret.*

Idcirco Benedictus XIV. in constit. *Cum semper oblatas* novum onus non imposuit, sed primaevam obligationem ex abusu in pluribus ecclesiis obsoletam in vigorem revocavit. Namque ante commemoratam constitutionem sacra Congregatio Concilii in singulis casibus censuit, ut tam Canonici quam beneficiati seu capellani servitio chori obstricti suis respective vicibus missam conventualem celebrantes applicare deberent, ut nominatim in *Tusculana diei 16. Novembris 1651 lib. 19. decret. pag. 110.* Idque docetur in *Nullius Trium fontium Missae conventualis die 13. Martii 1771* §. *Ex hoc*, ubi legitur: »Nec sufficit tantum celebratio, sed requiritur etiam applicatio pro benefactoribus in genere nec ulla contraria consuetudo suffragari valet.« Constans haec fuit s. Congregationis sententia in *Camerinen. 9. Junii 1714*, in *Comen 11. Martii 1720*, in *Veliterna 14. Martii 1722.*

Hinc Benedictus XIV. in allegata constitutione §. 12 edixit: Ejusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiae, cujus servitio addicti sunt, quicumque in eadem sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

Quare sublata conventione capellani, qui celebrare et canere missam suis respective vicibus tenebantur, eam applicare debebant. Quinimo etiamsi Canonici applicare missam vellent pro benefactoribus in genere, non facerent satis huic oneri, nisi missam conventualem canerent; sacra enim Congregatio in *Aretina diei 11. Martii 1604* declaravit: »Cogendos esse, ut illis diebus, quibus ex rubricis missalis tenentur, duas missas conventuales cantent; siquidem neque ambabus neque alteri earum satisfit celebratione missae privatae cum mentali applicatione.

Ex quibus omnibus consequi necessario ajebat defensor eleemosynam seu distributionem pro missae conventualis celebratione ex redditibus capellanorum propriis desumi debere ex massa scilicet distributionum. Namque in iis capitularibus ecclesiis, in quibus communis est distributionum massa, ab eadem distributiones desumuntur tam pro Canonicis quam pro capellanis pro singulis horis, quibus iidem divinis officiis intersunt: in ecclesiis vero, in quibus Canonici et capellani respectivam ac distinctam massam distributionum habent, eam singuli ex propria massa desumunt; ac proinde ex eadem pro missa conventuali desumere debent, quae est prae-

cipua pars officii divini, ut ostenditur in folio causae *Reatinae Missae conventualis diei 26. Januarii 1850* §. *Nemo*. Quare Benedictus XIV. in saepe laudata constitutione §. 18 docuit: »Aliorum pariter exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis et mansionariis, quos minus aequum videtur pro missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat ignoratur. Cui rei pariter consultum est demandando ut ea desumatur ex massa distributionum.« Quum enim missa conventualis sit praecipua pars divinorum officiorum, eleemosyna seu distributio pro eadem nonnisi ex massa distributionum desumenda erat: cum autem communis non sit in ecclesiis isthaec distributionum massa, consulto R. Pontifex generaliter edixit, ut ex massa distributionum desumeretur.

Et ad rem adducebatur resolutio in *Causa Lucana Missae conventualis diei 17. Martii 1750*. In ea enim dubia, quae sequuntur, proposita sunt S. C. C., nimirum:

I. *An capellani, beneficiati seu mansionarii Cathedralis Lucanae teneantur applicare pro benefactoribus in genere missas conventuales, quas celebrant per turnum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An iidem beneficiati seu mansionarii teneantur etiam pro non applicatis in casu?*

III. *An ipsis beneficiatis seu mansionariis ultra distributiones adsignatas omnibus de choro adstantibus eisdem missis conventualibus debeatur eleemosyna pro dictarum missarum conventualium applicatione?*

Et quatenus affirmative,

IV. *An haec eleemosyna sit detrahenda ex massa communi et propria beneficiatorum seu mansionariorum, seu potius ex massa distincta Canonicorum in casu?*

Quibus s. Congregatio respondit

Ad I.: Affirmative et amplius.
Ad II.: Ad D. Secretarium cum SSmo.
Ad III.: Affirmative et amplius.
Ad IV.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Hac exposita doctrina gradum faciebat defensor ad repellendas difficultates, quae ex quibusdam resolutionibus s. Congregationis C. oriri videbantur, scilicet ex *Ferrarien. diei 18. Martii 1719*; ajebat autem causam hanc confirmare doctrinam hactenus expositam. Namque in allegata ex adverso causa Ferrarien., licet ad secundum dubium s. Congregatio responderit: A capitulo solvendam esse eleemosynam, ad tertium dubium hisce verbis expressum:

An pro eleemosyna dictarum missarum conventualium teneantur contribuere omnes constituentes corpus capituli, sive sint sacerdotes sive diaconi sive subdiaconi, et sive participent sive non participent de massa distributionum?

Respondit:

Affirmative, sed ex massa distributionum. Idem respondit ad dubium his verbis conceptum:

An eleemosyna desumenda sit ex massa distributionum vel ex fructibus praebendae singulorum Canonicorum?

Esse desumendam ex massa distributionum.

Agebatur enim de massa distributionum, quae communis erat; ideoque ex ea decerpenda erat distributio pro missa conventuali.

Multo minus obstare dicebatur resolutio edita in *Auximana Missae conventualis diei 16. Decembris 1820*. In ea enim res erat de beneficiatis, qui beneficia choralia in eadem ecclesia non obtinent, ut dicitur in folio ejusdem causae §. *Ex his*. Hinc mirum esse non debet, si iidem beneficiati nec ad celebrandam nec ad applicandam missam conventualem tenerentur. Denique coronidis gratia defensor adducebat causam *Januen. die 17. Septembris 1839*, quam similem nostrae causae fuisse ajebat. Agebatur enim de capellanis, qui distinctos redditus habebant, contendentes se ad missam applicandam non teneri, quia capellanias absque hoc onere constituerat Gubernium:

An et a quibus ecclesiis celebranda et applicanda sit missa conventualis in casu?

S. C. respondit:

Affirmative in omnibus a capellanis de massa, exceptis diebus, in quibus missa canitur et applicatur a Canonicis.

Appellatione interposita novaque habita audientia ad dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. die 17. Decembris 1842 respondere censuit:

Praevia absolutione et condonatione super praeteritis omissionibus celebrata unica missa cum cantu et integro adstante capitulo ac clero, facto verbo SSmo, in decisis et Emmus Archiepiscopus curet confici congruam massam distributionum pro presbyteris de massa ex annuis libellis quadringentis monetae de tempore a capitulo jampridem assignatis et aliis bonis et redditibus coetus eorumdem presbyterorum, ex qua desumatur eleemosyna pro missis conventualibus.

Hisce aliisque ample disputatis proposita sunt resolvenda dubia:

I. *An sustineatur conventio diei 1. Martii 1760 in casu?*

Et quatenus affirmative,

An, quae et ex qua massa retribuenda sit capellanis eleemosyna pro applicatione missae conventualis in casu?

S. Congregatio Concilii re discussa die 6. Maji 1865 respondere censuit

Ad I.: Negative.

Ad II.: Affirmative in taxa synodali ex massa congregationis capellanorum.

Ex iis colliges:

I. Non sustineri conventionem etiam assensu Episcopi initam permutandi sacrificiorum applicationem, non inde facta respectiva permutatione eleemosynarum.

II. Neque sustineri eamdem conventionem, quamvis aliquid interveniat, quod aequivalere videatur aeque eleemosynarum permutationi. Utrumque enim pactum, quod perpetuo ad instar legis foret servandum, speciem saltem quamdam natura sua redolet vel lucri captandi vel temporalis utilitatis pretio aestimabilis.

III. Quinimo neque sustinendam esse perfectam applicationis et eleemosynarum permutationem, quae perpetuam obligationem inducat, si onera celebrationum realia et fixa permutanda conveniant paciscentes cum oneribus celebrationum personalibus et adventitiis.

IV. Haec enim permutatio, si ex alia ratione non improbaretur, esset saltem vel ab ordine absona, qui per obligationem quaeritur inducendus, vel ordinem induceret alicui violationi facile obnoxium.

V. Quare consuetudo*) ejusmodi conventioni cohaerens, etsi centenaria, non esset rationabilis reputanda proindeque destituta esset robore firmitatis.

VI. Colliges insuper missam conventualem praecipuum obtinere locum inter munera choralia.

VII. Ad eam celebrandam canendamque teneri, qui reliquis choralibus officiis ratione choralis beneficii sunt addicti, sua quisque vice juxta singulares consuetudines et peculiaria statuta.

VIII. Sejungi non posse celebrationem missae conventualis ab applicatione ejusdem pro benefactoribus in genere, quae applicatio ex vetusto ecclesiastico more primo est repetenda.

IX. Quare sicut celebratio ita et applicatio est onus reale choralibus beneficiis inhaerens proindeque neque Canonicus celebrans neque beneficiatus exigere absolute potest retributionem titulo eleemosynae pro ejusmodi celebrationibus.

X. Convenire, aequitate suadente, ut, qui missam conventualem canit, retributionem peculiarem habeat, quae, licet missae eleemosyna appellari solet, est tamen potius pars quaedam distributionum, quae officiis choralibus sunt adsignatae.*)

*) Vd.: *Consuetudo.*

*) In causa *Burgi s. Domini Missae conventualis diei 16. Martii 1716* Episcopus in Collegiata jam erecta ab anno 1601 occasione sacrae visitationis applicari decrevit pro benefactoribus missam conventualem a Dignitatibus et Vicariis, quibus ea Collegiata constabat, et pro illius distributione persolvi julium unum a thesaurario capituli ex redditibus mensae capitularis, qui superessent ordinariis oneribus dimissis. Contendentibus autem Canonicis non deberi utpoteque onus est praebendis adnexum, dubium inter alia tertio loco his verbis fuit propositum:

An Dignitatibus, Canonicis et Vicario perpetuo debita sit eleemosyna unius julii pro qualibet missa conventuali ultra emolumenta praebendarum et vicariae respectivae?

Cui dubio s. Congregatio respondit:
Affirmative per modum distributionis.

Cui consonat paragraphus *infra p. 695* relatae constitutionis: *Cum semper oblatas*, qua consulitur aliquo modo detrimento quo obveniret (habita ratione tenuitatis praebendarum) beneficiatis et mansionariis, si nihil peculiare perciperent ob applicationem missae conventualis. Ne scilicet omni eleemosyna his diebus beneficiati careant, ea statuitur desumenda ex massa distributionum.

XI. Ex quibus pariter consequitur collegia distincta, quae ad unum chorale corpus pertinent, ex suis distinctis redditibus memoratam retributionem decerpere regulariter debere, vel ex communibus, si distincti non sint, distributionum redditibus servata quantitate ex consuetudine vel ex peculiari lege constituta.

Die 22. Aprilis 1864 et 6. Maji 1865.

Refert Episcopus Barchinonensis usum, quem praedictae visitationi anteriorem dicunt et ab ea nec expresse nec tacite improbatum; quo fit, ut missa conventualis tunc tantum a capitulo cantetur, quum nulla occurrunt anniversaria, secus dicitur a capellanis inductitiis in capella s. Eulaliae sita sub ara majori, dum in choro cantatur Prima, ut tam anniversaria quam missa conventualis, si anniversaria deficiant, celebrentur a capitulo post Nonam, atque ut missae feriales, quandocumque occurrunt, non a capitulo in choro sed a capellanis inductitiis in praedicta capella s. Eulaliae celebrentur.

Compendium facti.

Post luctuosas temporum calamitates anno 1821 restitutum fuit capitulum et capellanorum inservientium universitas in metropolitana ecclesia N. Orta est controversia anno 1822 super ratione dividendi onus conventualis missae inter utrinsque collegii membra, Canonicos scilicet et capellanos: at conventum fuit, ut eadem missa celebraretur ab omnibus per turnum illiusque eleemosyna ratione habita quantitatis reddituum propriae massae ab utroque collegio persolveretur, hac proportione servata, ut *capitulum subministraret duas ex tribus partibus eleemosynae manualis illi, qui missam conventualem caneret: capellanorum universitas reliquam tertiam partem:* ejusmodi conventionem perpetuam esse voluerunt. Porro quantitas eleemosynae manualis missarum tempore initae conventionis erat unius julii romani seu decem abolorum juxta antiquam taxam in synodo dioecesana constitutam.

Cum autem hodiernus Archiepiscopus manualem missarum eleemosynam adauxerit usque ad libellam italicam, disputari coepit inter Canonicos et capellanos de eleemosynae augmento. Proposita quaestione coram S. C. C., acceptis ab Episcopo informationibus super redditibus utriusque massae, dubium dirimendum propositum fuit, quod sequitur.

Dubium.

An et quomodo sit locus augmenti eleemosynae pro missa conventuali a Canonicis rependendae capellanis in casu?

Resolutio.

S. Congregatio concilii die 14. Septembris 1867 respondere censuit:

Affirmative pro duabus ex tribus partibus eleemosynae manualis, quae actu in dioecesi viget, et amplius.

Ex quibus colliges:

I. Conventiones seu transactiones circa officium celebrandi missam conventualem rite initas inter partes invariabilis legis esse habendas.

II. Quoties terminus natura sua variabilis in transactione expressus et proportionali legi definitus immutetur, caeteros proportionis terminos ita immutari debere, ut tamen eadem proportio servetur.

Die 14. Septembris 1867.

b) Obligatio applicandi.

I. Pro benefactoribus in genere est.

Vd. *Applicat. miss. conv.* (obligat. ad secundam et tertiam etc.; obligat. Canonicor. et Dignitarior. p. 695; obligatio quotidiana)

Est in Caprarolae oppido, olim inclytae gentis Farnasianae feudo, parochialis ecclesia sub invocatione s. Michaelis Archangeli, quae ad communem constantemque traditionem, veluti Episcopus testatur, in collegiatam anno 1578 erecta fuit ab Episcopo Nicolao Perusi habito sa. mem. Gregorii XIII. vivae vocis oraculo. In hac, quae narratur, prima erectione Archipresbyter curatus comprehensus fuit, tum tres Canonici ejusdem in cura animarum coadjutores. Mox tres alios Canonicos addidit sodalitas s. Joannis Baptistae, quibus pariter impositum est curae animarum incumbere et infirmis praesertim in praefatae sodalitatis hospitali degentibus. Alii tres Canonici deinde accesserunt ex piis dispositionibus erecti. Iique omnes, qua capitulum constituentes, *Capitulares* nuncupantur.

Praeter Archipresbyterum ac recensitos Canonicos novem alii adsunt Canonici, qui posteriores fundationes habent quique sine voce in capitulo et in quotidianis distributionibus non communicantes vocantur *Extra-*

capitulares, licet cum Capitularibus in choro aliisque functionibus, prout in ecclesia moris est, festis diebus inseriant.

Cum autem in postrema sacra visitatione opinatus Episcopus fuisset, eam ecclesiam Collegiatae nomen et gradum vere legitimeque sortitam esse, animadverso etiam, quod Canonici a SSmo Domino Nostro sub annum 1782 usu rocchetti et mozzettae, ut vocant, honestati sunt, decrevit, missam conventualem a capitulo esse celebrandam. Hinc Archipresbyter tresve primi Canonici concurati exciti fuerunt, ut hanc sacram Congregationem precarentur edicere, quibus inter ipsos variae erectionis et classis Canonicos missae conventualis celebrandae applicandaeque onus incumbat.

De his interrogatus Episcopus rem, prout exposita est, confirmans concludit: *Sibi videri, quod juxta apostolicae constitutionis spiritum ad conventualem missam per turnum celebrandam teneantur omnes, qui de capitulo sunt, sicuti omnes diebus praescriptis choro sunt addicti ad horas canonicas persolvendas, quarum pars est saepedicta missa conventualis qualibet die servitii.*

Ad 1. Ut Collegiatae qualitas*) comprobetur, duo sunt modi, nimirum primus seu ex originaria ad textum in *cap.: Porro de privil. Innocent.*, in *cap.: Postulasti n. 1. de jurepatr.*, *Mascard. de probat. conclus. 583. n. 1. et seqq.*, *Piton. discept. eccles. 8. n. 9.* et *discept. 116. n. 4*, et alter a signis, conjecturis et indiciis, quae collegialitatem univoce concludant, *Innocent. et Mascard. locis citatis*, *Lotter. de re benefic. lib. 1. cap. 14. n. 54*, *Barbosa de jur. eccles. lib. 2. cap. 6. n. 5*, *Petra ad constit. 7. Innocent. 4. sect. 2. num. 16. tom. 3*, *Rota decis. 1229. num. 3. coram Molines.*

In re praesenti bulla erectionis deficit; sed de constanti communique fama erectionis ab anno 1578 Episcopus testatur. Ex hac autem communi et antiqua opinione cum subsequentibus enunciativis collegialitatem ecclesiae resultare tradit cum ibi allegatis, *Ferrar. Bibliotheca verb.: Collegiata num. 13.* Accedit, hujusmodi capitulum ecclesiae peculiares habere constitutiones pariterque massam communem distributionum, quarum primores participant, qui Capitulares dicuntur, secus novem posteriores Extracapitulares nuncupati. Quae vero insimul conjuncta indicium collegialitatis praestare videntur, *Rota in recen. decis. 234. num. 5. et seqq. part. 16.* Et Episcopus enarrans privilegium postremo indultum capitulo a SSmo, inquit: *Vereque ac legitime Collegiatae nomen ac gradum isthaec sortita est ecclesia.*

Ad II. Quatenus EE. VV. placeat de collegialitate ecclesiae sententiam amplecti, decet observare missam conventualem horarum canonicarum partem esse, *Pignatell. consult. 321. n. 1*, et propterea ad illius celebrationem omnes tenentur per turnum Canonici, cujusvis illi sint erectionis. *Pignatell. loc. cit.*, *Ursaya disput. 32. num. 7. tom. 2. part. 1*, *Rota in Firmana Eleemosynae missae conventualis 12. Februarii 1751 §. 5. coram bon. mem. Amadeo*, et cum in sacra Congregatione diei 3. Junii 1780 in *Causa Faventina Missae conventualis* disputaretur dubium:

An ad celebrationem et applicationem missae conventualis teneantur tam Archipresbyteri et Canonici antiqui quam Canonici et mansionarii novae erectionis Zarabinae?

rescriptum fuit:

Affirmative quoad omnes, teneri per turnum.

Dignentur EE. VV. ex jure decernere:

I. *An constet de collegialitate ecclesiae s. Michaelis Archangeli Caprarolae?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et a quibus Canonicis sit celebranda et applicanda missa conventualis pro benefactoribus in genere in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Affirmative quoad omnes per turnum.

Die 16. Decembris 1786.

Mazzarien.

Drepani, quae urbs est Siciliae sub Mazzariensi dioecesi constituta, archipresbyteralis exstabat ecclesia sub titulo s. Petri, in qua anno 1650 divina psalmodia canebatur a clericis et sacerdotibus sumptibus P. Fabritii *de Nobili* e societate Jesu, qui antea ecclesiae illius fuerat Archipresbyter. Verum, ut ea choralis officiatura perpetuo esset perduratura, praefatus de Nobili irrevocabili inter vivos donatione assignavit altari majori ejusdem ecclesiae annuas uncias siculas septuaginta et octo (quarum quaelibet scutata duo et

*) Vd. *Ecclesia collegiata* (probatio).

obol. quadraginta monetae romanae aequant) earumque duodecim solvi voluit sacerdoti missam celebranti in ara principe praefatae ecclesiae; uncias vero sexaginta tres, ut caneretur *divinum officium in ecclesia praedicta juxta formam breviarii romani et missa in dicta majori capella die qualibet per octo vel novem sacerdotes ... et quinque clericos.* Quatenus autem archypresbyteralis ecclesia foret in collegiatam erigenda, firma remanente assignatione unciarum duodecim pro celebratione missae quotidianae, ex reliquis unciis sexaginta sex voluit, ut erigerentur duo canonicatus, assignatis pro praebenda uniuscujusque unciis undecim ac pro distributionibus unciis novem, necnon erectionem dignitatis demandavit, cujus congruam constituit in unciis quatuordecim et distributiones in unciis duodecim.

Anno 1737 archipresbyteralis ecclesia fuit in collegiatam erecta. Sed cum deinceps unciae duodecim a de Nobili pro quotidianae missae cum cantu celebratione assignatae decrevissent, Archipresbyter Balthasar de Reggio anno 1761 in testamentaria dispositione supplementum constituit. Dotem deinde reliquit, ut secunda et tertia missa conventualis celebraretur diebus ferialibus, quatuor temporibus, vigiliis necnon quadragesima et adventu juxta sacros ecclesiae ritus. De applicatione Sacrorum haec statuit: *Dovendo applicare il suffraggio a mia intenzione come benefattore particolare stante la indigenza della dote propria della chiesa e mensa capitolare e da cui secondo i sagri canoni, e decreti conciliari dovrebbero somministrarsi, dovendo pure pratticare lo stesso li reverendi sacerdoti, che dovranno celebrare le d. messe conventuali giornali delle ferie, viglie, quattro tempi, quaresima ed avvento con applicare il suffraggio a mia intenzione e non altrimenti.*

Ex utraque hac missae cum cantu fundatione *de Nobili et de Reggio* factum est, ut pro benefactoribus in genere ad sacrorum canonum praescriptum numquam missa conventualis ibidem celebrata reperiatur, non tantum a fundatione pii legati *Reggio* sed et ab anno 1737, a quo Collegiata sumpsit exordium. Quare modernus Archipresbyter Reggio, qui erat ss. canonum peritissimus, inspecta praebendarum et distributionum exiguitate alienam assumens obligationem Dignitates et Canonicos ab onere missarum conventualium pro benefactoribus in genere applicandarum in posterum relaxare et pro praeteritis quoque non satisfactis secundae et tertiae missae conventualis applicatione supplere voluit.

Verum ut omne removeretur dubium, dederunt preces Sanctissimo, ut suprema, qua Sanctitas Sua pollet, auctoritate, declarare dignaretur: Missas conventuales, quas ipsi applicare debent pro particulari benefactore Archipresbytero Reggio, habendas etiam esse loco illarum, quae pro benefactoribus in genere ex praescripto ecclesiae celebrare deberent; atque aliae secundae et tertiae missae pro praeteritis omissis habeantur, ita ut ipsi immunes omnino sint ab aliis celebrandis pro non satisfactis ac in posterum satisfaciendis.

Episcopus, quem requisivi, in sua informatione haec habet: »*Formiter audito capitulo illius Collegiatae eorumque praestito consensu singulas Canonicorum praebendas et distributiones perquam tenues atque civilibus legalibusque impositionibus oneratas esse cognovi. Quod EE. VV. RR. ex adjuncto illius Collegiatae statu per librorum detentorem efformato facili negotio intelligent. Aliam quoque hic insero ipsius detentoris fidem, ex qua, nullis proventibus incertis, qui ad totum capituli corpus pertineant, ipsamque Collegiatam gaudere compertum habui.*

Juvat quoque subjicere, tribunalia in illa civitate nuper erecta propter totius provinciae concursum majorem annonam effecisse et honestiorem in vestitu munditiam postulare. Qua de re si praebendarum et distributionum tenuitas per missae conventualis onus celebrandae novam diminutionem patietur, erit omnino dubitandum, quin quotidiana horarum canonicarum recitatio aliquo sit modo defectura, cum hoc tempore et re adhuc integra plures ex Canonicis choro interesse negligant.

Hisce omnibus perpensis preces ipsas veritati consentire atque dignas, quae obsecundentur, existimo, nisi aliter EE. VV. RR. visum fuerit.

Ex ipsius autem Collegiatae statu, quem Episcopus transmisit, eruitur, tribus dignitatibus ac duodecim Canonicis illud constare capitulum. Ac prima quidem dignitas, Archipresbyter nempe, praeter domum rectoralem annuum habet redditum unciarum quadraginta titulo praebendae aliasque octo loco distributionum. Altera autem dignitas, Decanus nempe, pro praebenda uncias habet viginti ac pro distributionibus uncias quatuor. Tertia tandem scilicet, Thesaurarius, pro praebenda habet uncias decem ac pro distributionibus octo, cujus vero defectus seu punctaturae praesentibus non accrescunt, sed ecclesiae fabricae, vulgo apud Siculos *Maramme*, acquiruntur. Quinque ex Canonicis, qui paroeciae quoque adjutores sunt, uncias pro praebendis habent quatuor ac pro distributionibus octo. Alii praeterea duo Canonici octo pro praebendis ac pro distributionibus sex uncias habent, quorum pariter punctaturae fabricae seu Maramme ecclesiae acquiruntur. Atque hi quidem duo Canonici ac Thesaurarius seu tertia capituli dignitas ex eorum particularibus praebendis solvere quoque tenentur annuum vectigal unciarum septem cum dimidia pro quolibet centenario. Tandem ex quinque novae erectionis Canonicis tres habent uncias septem pro praebendis et pro distributionibus octo: quartus uncias habet octo pro distributione ac duodecim titulo praebendae, qui tamen onere praeterea gravatur viginti missarum in quolibet anno ac unciam etiam pro annuo funere solvere tenetur. Quintus denique quatuor habet uncias pro praebenda ac pro distributionibus octo. Qui quidem omnes praeter hosce redditus aliis praeterea carent quibuslibet emolumentis.

Tenentur autem quotidiano chori servitio; ac praeterea a fundatore *de Nobili* constituta fuit praeter conventualem celebratio aliarum quindecim missarum. Latet tamen utrum harum satisfactio fuerit pro una tantum vice demandata an singulis annis. In statu activo et passivo praebendarum nulla de his mentio fit ac tantum ex documentis exhibitis constat etiam redditus relictos a *de Nobili* valde fuisse imminutos, quod in causa fuit, cur Archipresbyter Reggio piam ediderit favore Collegiatae testamentariam dispositionem.

Haec in facto erant adnotanda. Quoad jus vero sacrorum canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis missa conventualis celebretur, adeo clarae sunt, ut nullam super iis oriri posse dubitationem dixerit Bened. XIV. constit.: *Cum semper oblatas* §. *11**), eaque de re uniformes semper fuerunt *resolutiones* ab hac s. Congregatione repetitis vicibus editae apostolicaque auctoritate confirmatae, quarum executionem enixe praecipit *SS. Pontifex (ibid.), ut scilicet* »*missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur.*« Ac deinde addunt, eliminandam esse falsam quorumdam opinionem, *quod nempe, dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiae benefactore . . . ex vi oneris impositi celebratur ei applicatur, satis implctum censeatur debitum applicationis missae conventualis.* Neque consuetudo etiam immemorabilis in propria ecclesia vigens ab hujusmodi onere eximit, cum abusus potius et corruptela dicenda sit, *ibid.* §. *16*, neque tandem eximit exiguitas distributionum, in quo quidem casu poterit quotidiana applicatio missae conventualis pro benefactoribus in genere auctoritate apostolica ad festos tantummodo dies reduci, *ibid.* §. *19.*

Quoad applicationem vero secundae et tertiae missae, quando in praedictis ecclesiis juxta rubricas generales celebrandae sunt, statuit idem SS. Pontifex *ibid.* §. *22: Laudandos et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant, qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque missae conventualis applicationem celebrantis relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur.*

An vero haec, quae a jure praescribuntur, locum habeant in casu, de quo agitur, Vestrae sapientiae erit PP. EE. judicare. Nam Canonicorum praecipue redditus satis tenues sunt nec affirmare auderem, aliquem facile adesse modum ex iis, quae Trident. synodus *sess. 24. cap. 15. de reform.* praescribit, ad eorum inopiae succurrendum. Quare si detrahi in posterum debuerint eleemosynae pro applicatione missae conventualis pro benefactoribus in genere, quod numquam in ea Collegiata peractum dicitur, timendum videtur, quod Episcopus ipse timet, ne divini servitii detrimentum immineat, prout alias evenit ob reddituum tenuitatem, licet hoc missae conventualis onus non adesset. Episcopus namque Stella reperiens choralem of-

*) Vd. *p. 695.*

ficiaturam pene neglectam propter exiguitatem praebendarum et distributionum nonnisi poenis a jure praescriptis adigere potuit praebendatos ad divinam psalmodiam.

Animadverti etiam posset ejusdem missae conventualis celebrationem non deesse, licet pro benefactori in particulari applicetur. Praeterea Canonici attenta reddituum tenuitate satis gravati videntur quotidiano chori servitio, quod praestare debent, quin etiam duplici missae conventualis cum cantu celebratione graventur, alterius scilicet pro benefactoribus in generc; eorumque redditus magis magisque minuentur, si detrahi quoque debeant eleemosynae pro missae conventualis applicatione.

At notandum pariter est, quatenus consuetudo, quae in insula Siciliae dicitur obtinere (applicandi scilicet missam conventualem diebus tantum festis primae aut secundae classis), pro legitima habeatur, onus ejusdem missae celebrationis et applicationis pro benefactoribus in genere levissimum quidem esse, cum inter singulos Capitulares distribuendum sit. Si vero ab ea in casu confirmanda abhorreant EE. VV., videant, utrum ex peculiari indulgentia praecipienda sit conventualis applicatio diebus tantum festis primae et secundae classis vel saltem diebus festivis dumtaxat, exclusis ferialibus ob tenuitatem praebendarum.

At quidquid quoad futurum decernere placuerit EE. PP. quoad praeteritas omissiones, exoranda videretur a Sanctissimo absolutio, ut concurrente impotentia facere consuevit haec sacra Congregatio, aliis omissis in *Spoletina Missae conventualis 1. Martii 1729* et in *Feretrana 17. Septembris 1808.* Quae quidem impotentia supplendi pro praeteritis omissionibus in casu, de quo agitur, ex eadem fructuum tenuitate oriri posse videtur. Quare dubia proponuntur:

I. *An sit locus dispensationi applicationis missae conventualis pro benefactoribus in genere in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quibus diebus sit praecipienda illius applicatio in casu?*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative.

Ad II.: Affirmative omnibus diebus festis etiam reductis, in diebus vero ferialibus pro benefactoribus Reggio et Nobili, cum Memento pro omnibus.

Ad II.: Affirmative, celebrata unica missa cum cantu et interventu totius capituli.

Die 2. Junii 1821.

Ad dubium: I. *An Dignitates, Canonici, mansionarii et capellani capituli, qui omnes ex usu et consuetudine tenentur celebrare in cathedrali ecclesiaa missas conventuales, teneantur ad easdem applicandas pro benefactoribus?*

Et quatenus affirmative,

II. *An celebrantibus vel applicantibus missas conventuales solvenda sit elcemosyna a capitulo?* *)

Et quatenus affirmative,

III. *An pro elcemosyna dictarum missarum conventualium teneantur contribuere omnes constituentes corpus capituli, sive sint sacerdotes sive diaconi sive subdiaconi et sive participent sive non participent de massa distributionum?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Affirmative.

Ad III.: Affirmative, sed ex massa distributionum.

Die 18. Martii 1719.

(Corresp. de Rome II. Ed. 4. Julii 1850 n. 33. p. 11.)

Innumerae fere sunt s. Congregationis resolutiones, in quibus statuitur a clero tum cathedralium tum collegiatarum ecclesiarum quotidie celebrandas esse missas pro benefactoribus; unde satis aperte colligi videtur hoc onus ad omnes spectare, qui alicujus ecclesiae clerum constituunt, nimirum ii, »qui (ut ait s. Pontifex Benedictus XIV. in notissima constit.: *Cum semper oblatas)* in eadem ecclesia sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent.«

Die 16. Decembris 1820. *Auximana.*

Canonibus cavetur, ut in ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus missa conventualis qualibet die nedum celebretur verum etiam pro benefactoribus in genere ap-

*) Vd. *supra p. 672.*

plicetur; *cap.: Cum creatur. de celebr. miss.*, quamvis ex canonicatuum praebendis tenues percipiantur fructus, *Fagnan. in cap.: Ut Abbas de actat. et qualit. n. 84, s. Congr. in Corcyren. Missae conventualis 8. Maji 1824 §.: Conventualis.*

Die 18. Maji 1826. *Mazzarien.*

Colonien.

Die 17. Decembris 1859 eminentissimus Archiepiscopus Coloniensis in relatione status ecclesiae ad hanc s. Congregationem transmissa dubium proponit:

An Canonici Collegiatae Aquisgranensis sua statuta de chori frequentatione missaeque conventualis applicatione tuta conscientia sequi possint, et desuper hac re sequentia refert:

Capitulo Aquisgranensi in bulla incipiente: *De salute animarum*, postquam concessa fuit facultas condendi statuta eodem modo et forma, quibus capitulis ecclesiarum cathedralium, Canonici illius temporis de chori frequentatione condiderunt statutum a praedecessore meo Ferdinando Augusto confirmatum, hujus tenoris §. 13: Singulis diebus saltem missarum solemniis ab introitu ad finem, si non toti officio divino, intersint Praepositus et Canonici, nisi morbus gravis aut absentia legitima in ecclesiae negotiis eos excuset, qua quidem praesentia sola non modo fructus suos facient, sed negligentes etiam poena pecuniaria mulctentur in usum sacristiae impendenda. Vicarii vero omnibus officii horis et summo sacro intersint; qui sine licentia aberunt, eamdem mulctam committunt. Praeterea §. 16: Provisum est, ut die dominica, in festis duplicibus primae et secundae classis necnon in duplicibus majoribus Canonicus hebdomadarius leget in choro capitula, responsoria, orationes etc., caeteris vero diebus per hebdomadam vicarii legent. Hinc Canonici putant, se ad chori frequentationem ulterius, quam his statutis expressum habetur, non teneri. De missae autem conventualis applicatione invenitur statutum hujus tenoris, §. 19: »Caeteri quoque Canonici diebus dominicis missam conventualem pro iis applicabunt, qui bene fecerunt basisilicae nostrae, caeteris diebus per hebdomadam intentione libera fundationum obligationibus erga congruum stipendium satisfiat.«

Capitulum Aquisgranensis ecclesiae (quae in vim bullae *De animarum salute* pro circumscriptione regni borussici editae a s. m. Pio VII. die 16. Junii 1821 ad Collegiatae honorem erecta fuit) unica Praepositi dignitate et sex Canonicis constat, praeter vicarios, qui et choralibus muneribus addicti sunt. Exploratum porro est ex concessa facultate condendi statuta non potuisse capitulum aliquid contra communis juris pontificii dispositiones statuere, quamvis statutis Ordinarii confirmatio accessisset, quod non solum praeceptum habetur ex *cap.: Quod super 3. de maj.*, sed etiam a *praefata constitutione in memoriam revocatur, in qua summus Pontifex ncoerectis capitulis cathedralibus potestatem concedit §. 18: Ut ipsi de chori quotidiano servitio ... et in quibusvis aliis de rebus ... quaecumque statuta ... licita tamen et honesta et sacris canonibus, constitutionibus apostolicis decretisque concilii Tridentini minime adversantia sub praesidentia, inspectione et approbatione respectivorum Archiepiscoporum et Episcoporum edere atque edita declarare ... libere et licite valeant.*

De capitulo autem Aquisgranensi eadem constitutio prosequitur §. 47: *Hujusmodi Capitularibus ... facultatem condendi statuta iisdem modo et forma quibus de capitulis cathedralium ecclesiarum supra eluculenter dictum est, tribuimus et impertimur.*

Ad praesentem itaque speciem quod attinet, prima postulati pars versatur circa servitium chori. Recitatur quidem singulis diebus in praedicta ecclesia totum divinum officium sed a solis vicariis, quum Canonici fructus suos faciant, dummodo missae conventuali intersint, quam si non frequentant, quinque argenteis mulctantur. Qua in re duo perpendenda occurrunt, alterum quoad assignationem punctaturae seu mulctae, quam incurrunt, qui non intersunt missae conventuali dumtaxat, quaeque loco distributionum stare videtur; alterum quoad modum praestandi chorale servitium. Quoad primum vero, etsi juri magis consentaneum sit magisque conveniens ut pro singulis horis canonicis aequa fiat punctaturarum vel distributionum partitio, validum tamen censetur statutum ut pro quibusdam tantum horis assignetur distributio vel mulcta, *Barbosa jus eccles. lib. 3. cap. 19. n. 83, Pignat. tom. 1. cons. 130. num. 9, Pirrh. de cleric. non resid. n. 98.*

Quoad alterum vero, haud sustineri videtur statutum vel saltem interpretatio, quam statuto dare vellent Canonici, ut nimirum ad

solam praesentiam in missae sacrificio et non ultra sese obligatos putent, uno excepto Canonico hebdomadario, qui diebus festivis recitationi officii interesse debet. Id enim contra legem et praecipuam obligationem, qua ex communi jure canonico tenentur, personaliter interesse quotidie integris divinis officiis et psallendi in choro aperte pugnare videtur, *Gonzalez part. 7. de cleric. non resid., Conc. Trid. sess. 24, cap. 12. de ref., Benedictus XIV. de syn. dioec. lib. 13. cap. 9,* ubi contraria consuetudo veri abusus nomine compellatur ac talis esse declaratur.

Alterum postulati caput missam conventualem respicit, quae in Collegiata Aquisgranensi quotidie quidem celebratur, sed solis diebus dominicis juxta §. 19 statuti pro benefactoribus in genere applicatur. Nemo autem nescit, missam conventualem non solum celebrandam esse ex praescripto quotidie, sed et pro benefactoribus in genere applicandam, ceu declaravit Benedictus XIV. in celebratissima encyclica: *Cum semper oblatas.*)* Quae quidem obligatio applicandi viget non solum in collegiatis ecclesiis, in quibus memoria benefactorum obliterata est, sed in quibuscunque etiam noviter erectis, in quibus nomina benefactorum noscuntur, ceu resolvit s. Congregatio in *Nullius s. Rufilli provinc. Raven. 8. Aug. 1761.* Quam obligationem in themate remittere nequit statutum, quod non a Sede apostolica sed ab Ordinario tantum, propria, ut videtur, auctoritate approbatum et confirmatum fuit.

Quare etc.

Sacra Congregatio etc. resp.:

Esse locum reformationi statutorum, ita ut, facta aequa mulctae quinque argenteorum partitione pro singulis horis, Canonici toti officio divino interesse et missam conventualem pro benefactoribus in genere quotidie applicare teneantur. Supplicandum tamen Sanctissimo pro gratia reductionis servitii alternis hebdomadis, exceptis diebus festis etiam reductis.

Die 17. Decembris 1859.

(Anal. J. P. 1860 p. 2231.)

Ad dubium: An conventualis missa, quae celebranda est pro def. sacerdotibus, benefactor. et aliis qualibet prima die vel fer. II. non impedita cujuslibet mensis, possit applicari particulariter pro def. Episcopis et Canonicis illius eccl., in qua celebratur, pro satisfactione generalis praebendae illius, qui missam celebrat?

Et s. eadem C... respondendum censuit: Negative, sed pro benefactoribus in genere.

Atque ita rescribere S. R. C. rata est et declarare. N. 5063 ad 2. Die 27. Febr. 1847.

Ad dubium: An Missa conv. pro benefactorib. occurrens, temporibus Adv., Quadrag. et Paschae a rubricis exceptis, sit remittenda?

Et s. eadem C. respondendum censuit: Negative.

Atque ita rescribere S. R. C. rata est et declarare. N. 5063 ad 4. Die 27. Febr. 1847.

Ad dubium: An missa, quae in ecclesiis cath. juxta gen. rubricas celebranda est pro def. sacerdotibus, benefactoribus et aliis qualibet prima die vel feria II. non impedita cujuslibet mensis, sit praeceptiva?

Et S. R. C. respondendum censuit: Affirmative.

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5063 ad 1. Die 27. Febr. 1847.

II. Pro benefact. in genere non est.

Vd. *Applicat. missae conv.* (obligat. non est in ecclesiis non vere cathedralibus etc.)

Collen.

E vivis decedens Vincentius Gagliani in testamento condito anno 1672 mandavit, ut de bonis suis Collegiata erigeretur in ecclesia s. Mariae in coelum assumptae oppidi Podybonitii. Secuta ejus morte anno 1685 ad Collegiatae erectionem auctoritate ordinaria deventum est. Praeter Praepositum cum cura animarum, quatuor pro Canonicis statutae sunt praebendae, nempe s. Vincentii Martyris, s. Vincentii Ferrerii, s. Augustini et beati Lucesii, quatuor ita mansionariae additique sunt duo clerici eidem Collegiatae inservientes. Tenentur omnes choro quotidie interesse et die obitus testatoris celebrare missas novem lectas et unam cum cantu. Item Canonicus hebdomadarius onus habet applicandi in ejusdem testatoris suffragium missam conventualem qualibet feria secunda ac tandem Canonici, qui possident praebendas ss. Vincentii Ferrarii et Vincentii martyris, gravantur in unaquaque hebdomada onere applicandi missas quinque pro quolibet.

Quemadmodum aequalia non sunt capitularium onera, ita nec pares sunt illorum proventus. Redditus namque praebendarum

*) Vd. *p. 695.*

s. Vincentii martyris et s. Vincentii Ferrerii in actu erectionis erant scutorum quadraginta pro unaquaque praebenda et modo redacti sunt ad scuta triginta unum; reliquae duae praebendae habent redditus scutorum decem. Distributiones quotidianae pro Canonicis aequant summam scutorum viginti et licet Praepositus ex distributionibus duplicem partem consequatur, habet tamen onus manutenendi sacrarium sacrasque supellectiles et onus praeterea habet subministrandi Canonicis ceram pro divinorum officiorum celebratione. Mansionariis et clericis nulla praebenda statuta est et fruuntur tantum distributionibus, mansionarii scilicet in scutis decem, clerici autem in scutis sex.

In dicta Collegiata nunquam Sacrum conventuale pro benefactoribus in genere applicatum fuit, quia praeter Vincentium Gagliani fundatorem nullum alium habet benefactorem; verum Canonici ad consulendum propriae conscientiae securitati postulant ab EE. VV. declarari: An onus praedictum ipsis incumbat?

Episcopus exposita confirmat et existimat, oratores non teneri ad onus applicandi Sacrum conventuale pro benefactoribus in genere insuperque advertit: *Cum enim nimis exiguus sit numerus praebendarum, admodum parvi existant redditus capitularium distributionum, vicissitudinibus et imminutionibus facile obnoxii, cumque nullus appareat modus canonicalium praebendarum et distributionum inopiae occurrendi, timendum videtur, ne servitio ecclesiae aliquod detrimentum immineret, si detrahi deberet eleemosyna pro applicatione missae conventualis, quae jamdudum ab ipso tempore erectionis Collegiatae applicatur a Canonico hebdomadario singulis secundis feriis cujuslibet hebdomadae.*

Canonici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tenentur quotidie celebrare Sacrum conventuale; id expresse statuitur in *cap.: Cum de celeb. miss.*, in quo haec habentur: »*Quidam in cathedralibus et conventualibus ecclesiis praetextu missae semel in die pro anniversario celebrandae sacra missarum solemnia, quae ratione diei vel festi solent solemnius celebrari, culpabili negligentia praetermittunt, quasi non sint obligati Domino et quasi Dominus forte pro tantis obsequiis non sufficeret eis aequa vicissitudine respondere. ... Mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiae obrepere permittatis, quominus et pro anniversariis defunctorum et pro temporum congruentia missarum solemnia conventualiter celebretis:* juxta sententiam s. Congregationis probatam a san. mem. Benedicto XIV. in constitutione *Cum semper oblatas* edita die *19. Augusti 1744* §. *11:* Missa conventualis non solum celebrari sed applicari etiam debet pro benefactoribus.

Advertit laudatus Pontifex *instit. 107.* §. *2. num. 15,* quod ecclesiae, quae Collegiatae non sunt, non tenentur ad onus applicandi missam conventualem, quamvis in illis horae canonicae quotidie persolvantur et missa cum cantu celebretur. Ad dignoscendum vero, an ecclesia sit collegiata vel non, plura ad rem proponit *Corrad. in prax. benef. 2. cap. 15. a num. 1. ad 8.* et concludit Collegiatarum erectionem solius apostolicae Sedis auctoritate fieri debere. Sacra Congregatio in *Conversana 27. Junii anno 1626* definivit: *Episcopum non posse ecclesiam parochialem in collegiatam erigere, lib. 13. decret. pag. 27.* Rursus in *Cuthacen.* decrevit Collegiatae erectionem non sustineri, etiamsi Ordinarius in actu visitationis decretum erectionis ediderit; nam disputato dubio:

An erectio Collegiatae facta per Episcopum in actu visitationis sustineatur?

Die 1. Septembris 1691 responsum fuit: Negative; lib. 41. decret. pag. 133.

Videndum: An Canonici collegiatae ecclesiae s. Mariae in coelum assumptae terrae Podybonitii, cujus erectio auctoritate ordinarii facta est, teneantur ad applicationem missae conventualis pro benefactoribus. In *Nullius Trium Fontium*) Missae conventualis* agebatur de Collegiata erecta in ecclesia s. Nicolai terrae s. Aedisti, nec tamen apostoliae Sedis auctoritas intercessit; cum quaesitum fuisset:

An presbyteri seu Canonici ecclesiae s. Nicolai terrae s. Aedisti teneantur applicare missam conventualem pro benefactoribus in casu?

S. Congregatio die 4. Aprilis 1772 respondit: Negative.

Hisce omnibus perpensis decernent EE. VV.:

An Canonici ecclesiae s. Mariae in coelum assumptae oppidi Podyboniti teneantur

*) Vd. *infra p. 683.*

applicare missam conventualem pro benefactoribus in genere in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 8. Febr. et 15. Mart. 1783.

Montis Maroni.

Clerus ecclesiae receptitiae Castri Francorum authumans illatum sibi gravamen a decreto, quo Episcopus in pastorali visitatione praecepit, ut missa conventualis ad benefactorum suffragationem unaquaque die imposterum celebretur, supplex ab hac sacra Congregatione postulavit, eidem Episcopo demandari, ne ad executionem praefati decreti multoque minus ad poenas et censuras in eo comminatas procederet.

Excitatus Episcopus, ut ea de re sacram Congregationem instrueret, primum respondit: Se consilium coepisse memoratum edictum promulgandi, nedum quia in caeteris omnibus ecclesiis suae dioecesis mos est, ut missa quotidie pro benefactoribus applicetur, verum etiam et potissime, quia, licet ex libris et tabellis ecclesiae Castri Francorum confuse nimis et inordinate retentis missarum onera distingui nequeant, in ejus tamen visitatione ab Episcopo Lambonia sub annum 1678 peracta et in archivo episcopali asservata sic adnotatum invenit: »Item dixerunt habere onus celebrandi unam missam singulis diebus pro benefactoribus et pro dicto onere possidere quoddam territorium etc.«

At postmodum jussus denuo eamdem sacram Congregationem plenius edocere, nimirum:

An presbyteri ecclesiae receptitiae gaudeant fructibus praedii, quod in decreto visitationis anni 1678 asseritur correspectivum oneri missae conventualis, et in qua summa sit annuus redditus ejusdem praedii, necnon ad quam summam ascendant annua onera missarum, ad quae tenentur dicti presbyteri, non retardata interim celebratione dictae missae conventualis pro benefactoribus?

In posterioribus suis literis exposuit:

Primo: Quod, monito clero ut libri, in quibus missarum onera juxta decretum jampridem editum ab Episcopo Lambonia describi debuissent, sibi exhiberentur, ejusdem cleri procurator in caeteros liberculos quoddam attulit volumen incipiens ab anno 1725, in quo fortasse onus missae pro benefactoribus descriptum erat; sed cum valde inordinatum deturpatumque foret ac praeterea nonnullis foliis careret, nihil certi ex eo potuerit deprehendi.

Secundo: Enunciatum praedium ejusque annuos redditus secerni nequivisse ob summam confusionem, qua nedum libri verum etiam bona ipsa ad ecclesiam spectantia eousque retenta sunt.

Tertio: Ex regesto reddituum massae communis decennii spatio perceptorum compertum fieri, quod, satisfactis annuis missis lectis 724 aliisque 76 in cantu, quarum onus non convertitur, introitus exitum superat in ducatis 207. 90, pro quibus, cum ab eodem clero nullum ecclesiae servitium praestetur, censuit idcirco, missas pro benefactoribus esse celebrandas.

Et demum subdidit a praefato clero celebrationem quoque missarum, quibus gravata sunt beneficia ab eo possessa, culpose negligi.

Hisce perceptis sacra Congregatio die 18. Augusti 1731 rescripsit Episcopo »ut clerum cogeret juris remediis ad celebrationem et applicationem missae conventualis pro benefactoribus necnon provideret prout de jure super adimplemento aliorum onerum missarum. Facta autem subinde clero reclamanti potestate impugnandi praemissum decretum ac demandata una simul causae propositione in folio, contingit modo dubium infra describendum examini subjicere.

Porro missa conventualis, quacumque contraria consuetudine licet immemorabili aut proventuum tenuitate minime suffragante, in singulis cathedralibus et collegiatis ecclesiis in benefactorum suffragium quotidie celebrari debet juxta rescriptum Honorii III. in *cap.: Cum creatura de celebr. miss.* et plures sacrae hujus Congregationis resolutiones relatas in folio die 26. Martii currentis anni in *Ferentina.*

Verum ab hoc onere exemptae sunt omnes illae ecclesiae, quae collegialitatis jure non potiuntur, uti notant *Hostiens. in citat. cap.: Cum creatura num. 2,* ibique *Fagnan. num. 2. et seqq., Pasqualig. de sacrif. nov. leg. quaest. 885. per tot.,* et resolvit supremum hoc tribunal in *una Montis Falisci Missae conventualis,* ubi disceptato dubio:

An Canonici nuncupati ecclesiae s. Marthae teneantur ad celebrationem missae conventualis in casu?

Die 12. Februarii 1718 rescriptum fuit: Negative, et amplius, ut *in lib. 68. decr. pag. 58.*

Cum itaque sacerdotes componentes clerum hujus ecclesiae contendant, eam non Collegiatam sed simplicem ecclesiam receptitiam, idque potissimum evinci putent ex iisdemmet Episcopi relationibus, in quibus fatetur, ipsos nequaquam gravari onere psallendi in choro, sed aliquibus tantum solemnioribus diebus teneri vesperas canere, cumque praeterea satis comprobatum arbitrentur, annuos redditus massae communis nedum minime excedere sumptus necessarios in summa ab Episcopo designata, quin vero nihil penitus sibi superesse in praemium laboris, quem jugiter sustinent coadjuvantes Archipresbyterum in curae animarum exercitio, juxta ecclesiae statuta, ponderatis proinde juribus adducendis onus erit Eminentiarum VV. decidere:

An clerus ecclesiae parochialis oppidi Castri Francorum teneatur ad celebrationem missae pro benefactoribus qualibet die per turnum in casu?

S. C. C. resp.: Negative, et amplius.

Die 21. Maji 1735.

Nullius trium fontium.

Ab ecclesia d. Nicolai terrae s. Aedisti ad locum magis opportunum translatis Monialibus ordinis s. Augustini cl. mem. Cardinalis Petrus Aldobrandinus, tunc temporis abbatiae trium fontium perpetuus commendatarius, eamdem ecclesiam concessit Bernardino Lupi cum lege erigendi quatuor canonicatus et unum sacristae officium eique potestatem fecit concedendi statuta, quibus praebendarii parere debuissent. Hujusmodi concessionem anno 1621 san. mem. Gregorius XV. confirmavit. Memoratus autem Lupi in testamento, quod condidit, legi obtemperans sibi injunctae plura bona stabilia et census pro fundo novorum beneficiorum assignavit et regulas pro regimine praebendariorum exaravit, quas anno 1623 Cardinalis Cajetanus tunc temporis s. hujus Congregationis praefectus propria auctoritate probavit.

Nullum in his de missa conventuali verbum; alia praescribuntur onera a praebendariis subeunda. Siquidem praeter residentiae legem iidem adiguntur ad celebrationem duarum qualibet die missarum, unius nempe lectae et alterius cum cantu; ad recitationem quoque litaniarum ante missam cantatam et ad unum anniversarium cum missa pariter cantata in ipsius animae suffragium peragendum. Plurium insuper missarum injungiter celebratio partim lectarum partim cum cantu. Demum onus adjecit inserviendi choro ac divinum officium designatis infra annum temporibus recitandi necnon vesperas canendi diebus dominicis atque in solemnioribus anni festivitatibus, tum primis tum secundis vesperis interessendi. Gravia nimis praebendariis visa sunt onera proindeque s. Congregationi pro reductione supplicarunt eamque die 1. Decembris 1725 obtinuerunt in hunc modum videlicet, ut missae cum cantu et litaniae ad medietatem reducerentur, ecclesiae vero servitium praefiniretur juxta reddituum quantitatem. Hinc Cardinalis de Alteriis rescripti exequutor delevit onus interessendi choro diebus infra octavam Corporis Christi et in primis vesperis festorum dierum, solemnioribus tantum exceptis.

Nullibi constat, ecclesiam apostolicae sedis auctoritate in Collegiatam fuisse erectam, sed solum in nonnullis posterioribus actis Collegiatae nomen eidem tributum legitur. Praebendarii vero missam conventualem pro benefactoribus in genere retroactis temporibus non celebrarunt. Id autem cum eminentissimus Abbas pro eximio, quo pollet, zelo atque in ecclesiasticis rebus admirabili sollicitudine s. Congregationi exposuisset, responsum accepit, ut presbyteros s. Nicolai moneret ad conventuale Sacrum quotidie applicandum. Hujusmodi monitione presbyteri commoti exemptionem ab onere missae conventualis supplices efflagitant, tum quia eorum ecclesiam sub dispositione constitutionis sa. mem. Benedicti XIV. non comprehendi putant, tum etiam quia gravia sustinent onera tenuesque redditus consequuntur.

Eminentissimus Abbas de sua sententia rogatus censet: Ecclesiae s. Nicolai vel ex Canonicorum placito vel minus exacta notitia fuisse tributam nuncupationem Collegiatae, cum ab ea longe distet collegialitatis idea, quae immo ab ejus origine repugnare videtur. Quatenus tamen collegiata dici posset ecclesia, existimat nihilominus, fundatoris mentem alienam omnino fuisse ab impositione oneris missae conventualis, de qua nullam fecit mentionem. Advertit insuper, sacram hanc Congregationem ad annos 1725

onerum reductionem concessisse, atque interea, quae tunc diligenter narrata praesumuntur, nullam haberi factam missae conventualis commemorationem. Demum haec ait: Licet etiam de missa conventuali celebranda in ecclesia s. Nicolai cogitari posset, non utique monitum EE. VV. de quotidiana illius celebratione et applicatione videtur convenire illis diebus, quibus nullum Sacrum divinumque officium ab ipsa fundatione Bernardi Lupi indictum est. A quotidiana igitur celebratione et applicatione missae conventualis facit etiam exemptos status alter et conditio ecclesiae. Nulla enim alia obligatio ad integrum divinum officium (cujus prima pars missa est) peragendum ex voluntate Bernardini determinata est, quam certis statisque diebus in supplici libello designatis juxta reductionem anni 1725.

Nomine officii divini intelligitur etiam missa, ut patet ex *can. de his 12. dist.* Quapropter cum in ecclesiis metropolitanis, cathedralibus et collegiatis divinum officium quotidie persolvi debeat, missa etiam conventualis debet quotidie celebrari. In *cap.: Cum creatura de celebr. miss.* Honorius III. haec ait: »Quidam in cathedralibus et conventualibus ecclesiis praetextu missae semel in die pro anniversario celebrandae sacra missarum solemnia, quae ratione diei vel festi solent solemnius celebrari, culpabili negligentia praetermittunt, quasi non sint obligati Domino et quasi Dominus forte pro tantis obsequiis non sufficeret eis aequa vicissitudine respondere... Mandamus, quatenus nullum in nos torporem negligentiae obrepere permittatis, quominus et pro anniversariis defunctorum et pro festo vel feria secundum temporum congruentiam missarum solemnia conventualiter celebretis.« Ex hoc textu clare admodum desumitur obligatio missam conventualem quotidie celebrandi; nec sufficit tantum celebratio sed requiritur etiam applicatio pro benefactoribus in genere, nec ulla contraria consuetudo suffragarì valet.

Constans haec fuit s. Congregationis in *Squillacen. 17. Martii 1714*, in *Camerinen. 9. Junii* ejusdem anni, in *Ferrarien. 18. Martii 1719*, in *Comen. 11. Maji 1720* et in *Veliterna 14. Martii 1722* eamque probavit sa. mem. Benedictus XIV. in constit.: *Cum semper oblatas**) ad diem 19. Augusti 1744. Si tamen exigui beneficiorum redditus comperiantur, tunc locus est reductioni*) ad solos dies dominicos et festos de praecepto, ut in citat. *Veliterna* et in *Spoletana 22. Julii 1722* et patet ex dicta constit.: *Cum semper* §.: *Alii.*

Ab hac tamen regula excipiuntur ecclesiae, quae vere collegiatae non sunt, quemadmodum tradit laudatus Pontifex Benedictus XIV. instit. 107. §. 2. num. 15, ibi: »Hoc autem praecepto (scilicet applicandi missam conventualem) neminem unquam ecclesia fecit immunem ac liberum, nisi cum apertissime manifestum fuit aliquam ecclesiam haud recenseri inter collegiatas, sed, ut ajunt, inter receptitias aut communales, quamvis in in ipsa horae canonicae quotidie persolvantur et missa cum cantu habeatur«; et in *tract. de sacrific. miss. lib. 3. cap. 8. num. 3.* sic loquitur: »Ab hoc autem onere applicandi quotidie missam conventualem eae tantum ecclesiae immunes sunt, in quibus non omnia concurrunt, quae collegiatam constituunt, quamvis et divina officia quotidie celebrentur et missa cantetur.« Hinc cum Episcopus Montis Falisci in pastorali dioecesis visitatione agnovisset, presbyteros, qui Canonici appellabantur, addictos servitio ecclesiae parochialis terrae Marthae, quam ipse collegiatam putabat, missam conventualem applicare minime consuevisse, rem dedulit s. huic Congregationi, quae die 12. Februarii 1718 respondit: Eamdem ecclesiam non esse collegiatam nec ullum Canonicis inhaerere onus missam conventualem pro benefactoribus in genere applicandi, prout refert sa. mem. *Benedictus XIV. loc. cit. num. 4.* Videndum proinde: An ecclesia s. Nicolai revera sit collegiata necne? Sane *Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 15. a num. 1. usque ad 8.* fusius hac de re agit et sustinet, nonnisi auctoritate summi Pontificis ecclesiam posse collegialitatis praerogativam acquirere.

Demum pro exemptione ab onere missae conventualis non est praetereunda exceptio a generali regula, quam tradit *Monacell. in supplem. ad tom. 1. formu. for. eccles. num. 239.* in haec verba: »Quando ex lege et statuto fundationis constat... de qualitate et quantitate servitii ecclesiae, de numero missarum et horarum celebrandarum a fundatoribus et benefactoribus praescripto, ex

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *Applicat. missae conv.* (reductio, obligatio in diebus festis etc.)

eo, quia conditiones, quas voluerint, etiam juri communi contrarias apponere potuerunt etc., cessat dispositio juris communis et interpretandi ratio et lex fundationis ad unguem servanda venit.« Cum igitur servatus sit fundator, qui in ecclesia s. Nicolai beneficia instituit quique certa onera etiam pro animae suae expiatione beneficiatis injunxit, ponderandum: an onus etiam missae conventualis, de quo nulla in fundatione habetur mentio, adjici debeat.

Quatenus autem missa conventualis pro benefactoribus in genere esset a beneficiatis celebranda, perpendendum: an in singulos anni dies sit injungenda celebratio seu potius coercenda ad eos tantum, quibus ex praecepto fundatoris divini officii recitatio indicta est.

Hisce perpensis dijudicent Emmi PP. quid statuendum sit, dum quaeritur:

I. *An Presbyteri seu Canonici ecclesiae s. Nicolai terrae s. Aedisti teneantur applicare missam conventualem pro benefactoribus in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus reductioni in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative.

Ad II.: Provisum in primo.

Die 14. Mart. et 4. Apr. 1772.

III. Archipresbyteri.

Archipresbyterum Collegiatae s. Stephani terrae Cotinialae teneri simul cum Canonicis tam antiquae quam novae erectionis et mansionariis novae erectionis Zaralinae celebrare et applicare pro benefactoribus missam conventualem statis vicibus resolvitur et additur: Ad mentem. *Faventina Missae conventualis 3. Junii 1780 dub. 1.*

Archipresbyterum una cum Canonicis ecclesiae collegiatae terrae Matterillae teneri in posterum applicare missas conventuales pro benefactoribus, et quoad praeterita impetrare debere absolutionem a s. Sede edixit visitator abbatialis Lateranensis, cujus decretum adprobavit s. Congr. *Nullius Ferentilli Visitationis sacr. Liminum 28. Aprilis 1781 dub. 1.*

Immo idem in orbem applicare tenetur missam cum eleemosyna ad rationem manualis ex distributionum massa juxta concilium constituenda. *(Ibid. dub. 2.)*

Missam conventualem celebrare vicissim non tenetur Archipresbyter ecclesiae collegiatae s. Mariae in Burgo Civitellae, qui distinctos habet redditus nihilque percipit ex legatis benefactorum capituli. Ideoque minime esse decretum episcopalis curiae confirmandum, quo celebrandam ab Archipresbytero missam conventualem anno 1788 mandaverat. *Brictinorien. 20. April. 1793. dub. 2.*

IV. Beneficiatorum est.

Amerina.

Vd. *Applic. m. conv.* (n. 3. a. applicationis mutatio p. 668; p. 674 I; 680. II.)

Sex habet beneficiatos ecclesia cathedralis Amerina, qui ejus servitio mancipati choro interesse debent alternative diebus ferialibus, omnes diebus festivis, et diaconi ac subdiaconi ministerium praebere Canonicis solemniter celebrantibus. Donatus erat unusquisque parvo quidem sed sufficienti redditu, ut ipsi fatentur, sibi proveniente ex separata praebenda, quam quilibet administrabat. Quatuor ex his, qui primae erectionis dicuntur, anno 1634 capitulum, sibi reservato jurepatronatus, capitularibus bonis provisit ac praeterea aliud praedium nuncupatum *Urbestale* iisdem tradidit onere iis imposito, ut diebus ferialibus missam conventualem applicarent. Reliqui vero duo beneficiati sequiori aevo erecti fuerunt annis scilicet 1776 et 1778 ab Episcopo Justiniani assignatis fundis totidem simplicium beneficiorum adjunctoque servitio chori.

Cum autem cujusque praebenda in terrulis inter se valde dissitis constituta foret ac proinde sufficientem tantum sed non honestam sustentationem ipsis praeberet, hinc tum primae cum secundae erectionis beneficiati in propriis comitiis alienare statuerunt omnes illas terrulas, quae adaequant juxta censuales tabulas mille scutata, necnon emere latifundium nuncupat. *Penna Vecchia*, illudque in commune possidere, sicut jam possidebant praedium *Urbestale*, divisa inter seipsos missarum conventualium applicatione, quod onus etiam secundae erectionis beneficiati acceptarunt. Hisce a s. Sede approbatis per decretum s. Congregationis Episcoporum et Regularium postulatoque ab ipsis et praestito consensu a capitulo Episcopus delegit unum ex Canonicis, ut custodiret pecunias, quas beneficiati erant exacturi ex praebendarum alienatione.

Itaque labente anno 1805 pacti sunt cum quodam Burghiglioni emptionem dicti fundi *Penna Vecchia* pro scutatis 1500, quorum usque ad integram solutionem interusuria statuerunt sex scutatorum pro quolibet centenario et anno.

Quamvis integrum venditarum terrularum pretium in empti praedii solutionem erogare debuissent beneficiati, tamen ex scut. 1268. 75, quae ad totum annum 1808 ex venditione receperunt, unicam tantum summam scut. 986. 78. pro empti praedii solutione consignarunt, caeteras vero summas in alios usus impenderunt. Hinc debitores remanserunt reliqui frugiferi nominis in summa superextanti scut. 513. 21. Interea dies cessit favore Burghiglioni integrae conventae solutionis, sed beneficiati nec residualem sortem nec fructus solvere curarunt. Factum hinc est, ut venditor eos in judicium vocaverit, et post diuturnam litem primum Tuderti deinde Romae ipsum praedium *Penna Vecchia* a beneficiatis emptum pro summa scut. 1500. facta publica licitatione fuerit deliberatum favore melioris oblatoris pro summa scut. 826. dumtaxat.

Patet hinc ex fundo *Penna Vecchia* damnum obvenisse scut. 674. ac alia scut. 571. tam in interusuriis solvendis quam pro litium expensis aliisque causis fuisse consumpta, unde beneficiatorum congrua, non detractis oneribus ac missis conventualibus vix consistit in scut. annuis 14 circiter. Quare Sanctissimum beneficiati primae erectionis exorarunt, ut vel onera choralia vel missam conventualem reduceret vel Canonicis, qui jure patronatus praebendarum beneficialium fruuntur, ad reddituum augumentum cogeret.

Preces Episcopo ablegavi, cujus Vicarius generalis haec respondit: *Etsi tenues et valde exigui evaserint redditus beneficiatorum primae erectionis hujus Cathedralis, ipsi tamen culpa non vacant ob eorum imminutionem, ut manifeste constat ex voto capituli, quod, ut jussis vestris obtemperarem, consului. Clare ac distincte omnia oculis vestris patebunt EE. PP. ex simplici lectione ejusdem voti, quod hic adjicere malui, ne plura verba facerem.*

Praeter caetera superius exposita habetur in memorato voto praedium *Urbestale* a capitulo traditum beneficiariis pro applicatione missae conventualis adhuc penes ipsos extare, quin ullam passum fuerit diminutionem; addit demum quoad servitii choralis reductionem: *Ella* (Cathedralis) *é priva di altri beneficiati, ad eccezzione di soli due, dei quali è assente per causa de' studj, l'altro addetto per lo più alla direzione di un monastero di monache. E pure la medesima Catedrale mancante di chierici beneficiati, è senza cantori; vedesi dunque quanto sia necessaria l'opera degli attuali beneficiati.*

Nulli dubium in facto est, redditus beneficiatorum impares evasisse ad onera choralia substinenda eorumque reddituum decrementum causam suppeditare, ut eorumdem onerum reductio postuletur. Haec reductio passim conceditur a s. Congregatione, dum non adest divini cultus choralisque servitii decrementum vel dum redditus non decreverunt ex culpa praebendatorum. Potius hic inspiciendum videtur, an aliquis reddituum diminutioni ex propria culpa causam dederit, ita ut illam supplere teneatur.

Beneficiati ammissorum bonorum culpam in Capitulares refundunt, utpote qui contra eorum voluntatem fundum *Penna Vecchia* emerunt e civitate valde dissitum, saxosum, quem lambit Tiberis ex una parte atque ex alia rupes devoratrix consumit. Praeterea auctis decursu temporis interusuriis causam dedisse referunt Canonicum deputatum qui diu eorum pecuniam penes se asservavit, quin illam, uti debebat, ad praedii pretium persolvendum erogaret.

At capitulum hisce accusationibus respondet innixum praesertim actibus collegii beneficiatorum. Beneficiati enim unanimiter subscriptum summo Pontifici obtulerunt supplicem libellum et ipsimet consensum rogarunt capitulum tam pro massa communi quam pro acquirendo fundo *Penna Vecchia*, unde eruitur a veritate aberrare, omnia superius enarrata suo lubitu capitulum gessisse. Atque idipsum probant Canonici ex resolutione, quam in comitiis inter se habitis beneficiati miserunt, ubi deputatus fuit unus ex ipsis Antonius Tribellini, ut praediolis alienandis et acquirendo praedio *Penna Vecchia* praeesset. Praeterea Canonicus ab Episcopo deputatus curam habebat dumtaxat pecuniae custodiendae, venditioni autem terrularum debitique cum Burghiglioni extinctioni praefuerat memoratus Tribellini ad id a caeteris deputatus, ut praeter resolutionem comitii beneficiatorum constat ex acceptilationibus a creditore editis, ubi legitur

datam summam ipsum recepisse »*Dai cappellani, e per essi dall' agente da quelli eletto.*«

Post haec hinc et inde deducta videant EE. PP.: An concedenda sit postulata reductio servitii choralis ad dies tantum festivos vel potius ad reddituum in pristinum restitutionem cogendi sint sive Canonici sive beneficiati. Nihil enim moror in petita dispensatione ab onere applicationis missae conventualis, pro qua pacificum est, penes beneficiatos exstare integrum fundum *Urbestale*, in cujus correspectivitatem beneficiati ad satisfactionem missae conventuali sese obligarunt.

Certe si rectores negligant vel omittant quod utile ecclesiae, ex qua negligentia vel ommissione sequatur perditio vel minoratio bonorum ecclesiae, statuit *text. in can. Quicumque 12. quaest. 4*, quod iidem rectores teneantur propriis bonis damnum resarcire ad instar tutoris, qui negligenter res pupilli curavit, *Gloss. in dicto can.: Quicumq., aut neglectum, ibi Barb. num. 1.*

Verum contra capitulum animadverti potest, quod jurepatronatus gaudeat, patronorum esse, ut de congrua dote ecclesiam provideant; *Farnia de jurep. par. 5. can. 4. cas. 1. num. 11.* Item culpa redargui potest capitulum, quia non impedierit bonorum dilapidationem, quam ignorare non poterat, et ad impediendam stricte obligabatur, etiam sub poena privationis omnium utilitatum, quas ab ecclesia habet, *Lamb. de jurepa. 2. art. 2. quaest. prin. 3. lib.*

At rursus animadverti favore capituli potest ipsum jam paratum fuisse rationem exigere a beneficiatis gestae administrationis, quam reapse jam exigisset, nisi beneficiati ad s. Congregationem convolassent.

Favet etiam beneficiatis impotentia. Pluries autem s. Congregatio absolutionem concessit nedum a censuris sed etiam ab onere redintegrandi capitalia ob impotentiam obligati.

Quatenus autem censeant EE. PP. denegandam esse absolutionem ab onere redintegrandi capitale, tunc perpendere debebunt: utrum beneficiati vel capitulum ad id teneatur, necnon usque ad quam summam et qua methodo perfici redintegratio debeat. Hisce praemissis EE. PP. justitiae simul et aequitatis erit respondere dubiis, quae proponuntur.

I. *An sit concedenda dispensatio ab onere applicationis missae conventualis in casu?*

II. *An et quae reductio servitii choralis sit concedenda beneficiatis in casu?*

Et quatenus negative ad utrumque,

III. *An et quomodo providendum sit tenuitati reddituum beneficiatorum in casu?*

IV. *An sit concedenda absolutio ab onere redintegrandi capitale in casu?*

Et quatenus negative ad quartum dubium,

V. *An, qui et quomodo ad redintegrationem praestandam teneantur in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II: Negative.

Ad III: Dilata.

Ad IV: Negative, et consulant conscientiae suae.

Ad V. Dilata et scribatur Episcopo: Juxta mentem.

Die 24. Novbr. et 22. Decbr. 1821.

Cingulana.

Prioratus sub titulo d. Exuperantii Cingulanae civitatis patroni, simplex olim beneficium, auctoritate fel. recor. Clementis XIII. suppressus fuit ejusque bona in dotem insignis Collegiatae fuerunt applicata. Inter onera prioratus recensebatur celebratio annuarum centum missarum pro indefinitis benefactoribus, quod onus etiam post novae Collegiatae erectionem a capitulo adimpletur. Ex causa hujusce oneris atque etiam ob reddituum tenuitatem in animum suum induxerunt Capitulares se dignoscere, ut a missae conventualis onere eximerentur. Supplicem in id libellum Sanctissimo obtulerunt. Precibus vero ad s. Congregationem remissis adjutoque Episcopo sapientissimum hac de de re EE. VV. judicium exquiritur.

Petitam exemptionem assequi posse confidunt Capitulares eo, quia erectio et donatio novae Collegiatae facta fuerit ex bonis prioratus, cui peculiaris obligatio celebrandi applicandique missas centum pro incertis benefactoribus jam inerat, eademque obligatio transierit in Collegiatam. Hinc praegravari non posse dicunt alio missae conventualis onere, cum huic oneri abunde satisfactum dicant centum missarum celebratione. Atque in praesenti casu locum haud habere putant *text. in cap.: Cum creatura*

de celebr. miss., ajentes illius dispositionem tunc solum procedere, quando constat quidem de erectione collegii, non tamen de quantitate missarum, quae pro incertis ecclesiae benefactoribus debeant applicari, *Monacell. formul. legal. in supplem. ad tom. 1. num. 238. et seq.*

Fatentur plane, plura post Collegiatae erectionem ex piorum benefactorum liberalitate eidem bona accessisse, sed advertunt novos benefactores peculiaria missarum onera praescripsisse. Ita fecisse Exuperantium Palpacelli, qui, dum bona sua pro novo erigendo canonicatu donavit, onus adjecit 36 missarum annis singulis celebrandarum. Ita etiam egisse Primicerium Galli, qui ex suis bonis primiceriatus dignitatem erigendo annuam praescripsit celebrationem 24 missarum et alterius cum cantu in die anniversaria sui obitus: ac ita tandem servasse Canonicum Simonem Tomassoni, qui in alterius canonicatus fundatione demandavit quatuor missarum celebrationem quolibet mense jussitque ulterius, ut in anniversario suae depositionis praeter missam cum cantu unusquisque ex Capitularibus missam in suffragium animae suae celebraret. Advertunt autem, neminem de aliis jam praeexistentibus oneribus mentionem habuisse, proindeque concludunt, liberam omnino missae conventualis applicationem ipsis relinqui opportere, *Ursaya disc. 23. num. 39 et seq.*

Ad obtinendam exemptionem addunt etiam reddituum tenuitatem. Eos, deductis oneribus, vix scuta 134. 50. pertingere affirmant et si ab hac summa demantur quotidianae distributiones, quae in tertia fructuum parte consistunt, superesse tantum annua scuta 80. inter omnes partienda, adeout Priori, cui ratione curae animarum duplex portio debetur, obveniant sola annua scuta 18, unicuique vero ex Canonicis scuta 9. Addunt, habendam quoque esse rationem oneris missarum centum pro incertis benefactoribus, quod suppresso prioratui inhaerebat, necnon aliarum missarum circiter 80, quae singulis diebus festis debent pro populo applicari. Ab hujusmodi autem oneribus sustinent capituli redditus magis semper magisque imminui, ita quidem, ut ad nihilum fere redigerentur, si onus missae conventualis accederet.

Rogant igitur, ut ipsis impertiatur nedum reductio ad dies festos ex sola ratione tenuitatis reddituum, ut a s. Congregatione concedi consueverit in *Veliterna 14. Martii 1722*, in *Spalaten. Missae conventualis 2. Julii 1729*, in *Amerina 12. Martii 1740* et in *Ariminen. 18. Septembris 1751*, sed in praesenti casu non solum concurrat circumstantia tenuitatis reddituum, sed insuper agatur de Collegiata erecta cum dote desumpta ex bonis, quibus peculiare inest onus applicationis missarum pro incertis benefactoribus, de qua quidem circumstantia nunquam actum fuisse dicunt in s. Congregatione, quando sermo de reductione fuit institutus.

Missa conventualis pro benefactoribus in genere in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegiatis quotidie debet applicari, quemadmodum missa parochialis pro populo applicatur ab iis, qui curam animarum gerunt, idque pluries declaratum fuit a s. Congregatione, cujus resolutiones legi potuerunt apud *Merati ad Gravant. part. 2. tom. 1. pag. 808.* Idemque edixit s. m. Benedictus XIV. in constitutione: *Cum semper oblatas* *) 19. Augusti 1744. Hujusmodi autem oneri satisfactum dici non potest per applicationem sacrificii pro peculiaribus benefactoribus, quia missa conventualis non pro singulis benefactoribus, sed pro ecclesiae benefactoribus in genere debet applicari, quemadmodum aperte docuit laudatus Pontifex in eadem constitutione §: *Haec igitur post med.*, ibi: »Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis ejusmodi sive dolo malo sive per errorem invectam esse novimus, quod nempe, dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiae benefactore vel grati animi ergo vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis implementum censeatur debitum applicationis missae conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares benefactores sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiae, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.«

Ex his ergo dijudicandum erit: An Canonici s. Exuperantii onus missae conventualis adimpleant, dum satisfaciunt celebrationi centum missarum pro incertis benefactoribus, juxta obligationem inhaerentem bonis

*) Vd. *p. 695.*

suppressi prioratus in dotem Collegiatae assignatis. De hac tamen obligatione Episcopus haec ait: »De antiqua obligatione Priorum celebrandi missas centum pro benefactoribus apud me doctum non fuit«; imo paulo inferius satis de illa se dubitare affirmat; caeterum petitioni annui posse existimat, praecipue vero, *si antiqua illa obligatio pro benefactoribus in genere fuisset instituta.*

Certa res est et quotidiana fere praxi comprobata reddituum tenuitatem justam praebere causam coercendi ad dies tantum festos*) opus missae conventualis, prout evincunt plures s. hujus Congregationis resolutiones in *Novarien. 11. Junii 1716*, in *Spalaten. 23. Julii 1729*, in *Amerina 12. Martii 1746*, in *Ariminen. 8. Septembris 1751*, in *Alexandrina 28. Julii 1770* et alibi. Inquirendum proinde, quae sit canonicalium reddituum tenuitas sive in se et absolute sive saltem relative ad onera a capitulo subeunda. Expendenda notula expensarum, quae recensentur pro manutentione duarum ecclesiarum et ministrorum inservientium, pro solutione collectarum, pro taxa seminarii aliisque similibus. Videndum: an ratio habenda sit passivi census scut. 2200 a capitulo impositi, ut subiret sumptus erectionis Collegiatae, cujus fructus persolvuntur et singulis annis scuta 32 pro illius extinctione deponuntur, quod tamen onus temporaneum est.

Episcopus capitularium reddituum quantitate requisitus respondit: »Siquidem redditus, si nude per se spectentur, non adeo quidem tenues videri possunt, ut ex eo tantum capite oratores ab obligatione missae, ut vocant, conventualis eximi debeant, quum praesertim pluris hoc tempore frumentum venire soleat, quam ex legali, uti ajunt, taxa hujus provinciae, quae ad rationem scutorum quatuor in singulos modios computabatur. Sed nihilominus adhuc se oratores a Vobis exaudiendos confidunt, si ratio habeatur annuorum sumptuum, qui in adjunctis huic epistolae precibus recensentur quosque reipsa veraciter narratos fuisse confirmare possum.«

Denique non est praetereundum, Capitularium preces eo directas esse, ut, si non perpetuo, saltem ad tempus »venga sospesa la celebrazione di dette messe quotidianae pro benefactoribus, fin tanto che non resti almeno estinto l' enunciato censo di scudi 2200.«

*) Vd. *Missa conv.* (reductio ad dies festos etc.); *Applicat. missae conv.* (reductio).

An autem sit annuendum dijudicent EE. PP., a quibus quaeritur:

An et quomodo sit concedendum indultum exemptionis ab onere applicationis missae conventualis in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative pro diebus ferialibus tantum, et donec extinguitur census scutorum 200.

Die 27. Junii et 8. Augusti 1772.

V. Beneficiatorum non est.

Reatina.

Ut tam Canonicos quam beneficiatos cathedralis ecclesiae Reatinae in officiis divinis agendis et in ecclesiae servitio diligentiores redderet Nicolaus V. Pontifex Maximus constitutione sua lata anno 1453 omnes eorum praebendas suppressit et in unam massam distributionum quotidianarum redegit jussitque, ut Canonici singulis diebus dominicis festisque conventuale Sacrum canerent sive per se sive per alios Canonicos. Post haec Pius II. Pontifex Maximus anno 1461 constitutione pariter sua Canonicorum et beneficiatorum numerum minuit, redactis Canonicis ad sexdecim, beneficiatis ad duodecim; neutra harum constitutionum verba fecit de oneribus, quibus beneficiati obstricti esse deberent. Anno denique 1520 Pompejus Cardinalis Columna Reatinae ecclesiae administrator perpetuus duodecim clericos beneficiatos addidit pro chori servitio iisque quorumdam beneficiorum simplicium et capellaniarum, quas suppresserat, redditus addixit cum onere celebrandi bis in hebdomada. Hoc eodem onere ex consuetudine tenebantur beneficiati, et hoc onus semper in tabellis scriptum fuerat. Numquam igitur onus implere praetermiserunt beneficiati, unaque tantum de applicatione horum duorum Sacrorum dubitatio fuit. Pars eorum major Sacra illa non applicabat, quidam sub conditione tantum. Res decreto Episcopi lato in visitatione anno 1711 deferri debuit ad hoc sacrum Tribunal, contendentibus tum beneficiatis tum clericis beneficiatis ad applicationem non teneri, ex quo nec in literis erectionum nec in tabellis talis obligatio legeretur.

Auditus Episcopus censuit recte disserere beneficiatos, de quorum onere non constabat nisi ex consuetudine et ex tabella, secus vero clericos beneficiatos, in quos translata fuisse censendum erat onera capellaniis suppressis

verisimiliter adnexa. Die tandem 12. Januarii anno 1715 duo proposita fuerunt dubia:

I. *An beneficiati teneantur applicare binas missas hebdomadales, de quibus agitur?*

II. *An clerici beneficiati teneantur applicare binas missas hebdomadales, de quibus agitur?*

Responditque sacrum Tribunal

Ad I.: Dilata et coadjuventur probationes.

Ad II.: Affirmative.

Causa ad haec usque tempora siluit; qui vero nunc beneficia tenent, ut a conscientiae stimulis liberentur, eam reintegrarunt quaerentes simul: an diebus, quibus duo Sacra agunt conventualia, utrumque applicare teneantur. Auditus fuit, qui nunc Reatinae ecclesiae praeest, Episcopus, qui constitutionem Pii II. Pontificis, quam supra memoravimus, misit nihilque ait de his oneribus invenisse, perquisitis licet diligentissime vetustissimis archivi capitularis monumentis. Causa nunc proponitur et disputant beneficiati, non posse cogi ad applicationem duorum Sacrorum, quae qualibet hebdomada agunt ex consuetudine. Longum esset omnes eorum rationes colligere, quas Emi Patres legent in libello. Alteram quaestionem a constitutione sive epistola encyclica sacratissimi Principis nostri definitam fuisse ajunt, cum in ea ecclesia nulla sit consuetudo applicandi utrumque Sacrum conventuale. Onus igitur eminentissimorum Patrum duo, quae causa haec habet, dubia expedire:

I. *An beneficiati teneantur applicare binas missas hebdomadales, de quibus agitur in casu?*

II. *An diebus feriatis, in quibus duae missae conventuales per eosdem beneficiatos celebrantur, debeant ipsi utramque applicare in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative.

Ad II.: Negative juxta disposita in litera encyclica sanctissimi Domini Nostri.

Die 3. Februarii 1753.

Lauden.

Episcopus Lauden. cl. mem. Alexander Maria Pagani cum anno 1827 statuta ecclesiae cathedralis, capitulo consentiente, reformasset, haec quoad capellanos beneficiatos ejusdem ecclesiae servitio mancipatos statuit:

1. Magister caeremoniarum et reliqui chorales ministri conventualem missam debent per orbem canere ipsamque semel in hebdomada pro benefactoribus applicare, cujus eleemosyna a quotidianarum distributionum massa est praededucenda.

2. Ingrediente vel egrediente e choro aliquo Canonico tempore divinorum officiorum omnes mansionarii assurgant et detecto capite decore salutent.

3. Canonicis licet annuatim a choro vacare per duos menses; capellanis omnibus vero per quadraginta dies, exceptis tamen temporibus et diebus, quibus neque Canonicis vacare permittitur, et exceptis diebus omnibus festivis et iis, qui modo e festorum numero dispuncti sunt, in quibus Canonicus teneatur missam cantare. Si desunt a choro capellani diebus supra dictis punctantur, sicuti tempore privilegiato Adventus et Quadragesimae, Canonici vero minime.

Occasione s. visitationis ab actuali Episcopo mox peractae beneficiati capellani relatas statutorum particulas tum quoad applicationem missae conventualis tum quoad ritum assurgendi in ingressu vel egressu a choro Canonicorum ac denique quoad praescriptam vacationum ac punctaturarum methodum, in qua se Canonicis aequandos contendebant, revocari ab eodem postulaverunt. Obstantibus at vero hujusmodi petitioni Canonicis res ad s. Congregationem definienda delata est.

Rogatus Episcopus informationem ac votum haec ad singulas petitiones refert: Riguardo al 1. quesito mi tolgo a dovere di far osservare che i cappellani beneficiati per loro istituzione sono obligati soltanto al servizio del coro, del canto Gregoriano, ed a quello di diacono e subdiacono nella messa solenne; quindi indebitamente venne loro dato l' obligo per statuto capitolare di applicare pro benefactoribus cinquantadue messe ogni anno. L' onere di cantare e di applicare messe sembrani devoluto ai Canonici.

Riguardo al 2. giusta il Ceremoniale de' Vescovi al capo XVIII: »nell' entrada o sortita dal coro di qualche Canonico nel tempo delle divine officiature devono alzarsi tutti gli altri Canonici e capellani: nell' entrata poi o sortita e come sopra di qualche cappellano devono alzarsi tutti gli altri suoi colleghi cappellani.« Questa regola data dal Ceremoniale in questa mia Cattedrale non si

osserva. Per statuto capitolare qui si alzano nell' entrata o sortita dal coro di qualche Canonico solamente i cappellani, per cui veste l' aspetto non di un atto di ceremonia, ma piuttosto di un attestazione di superiorità. Siccome poi l' uscita o l' entrata di qualche Canonico dal coro è piuttosto frequente, porge quindi occasioni a distrazioni e confusioni nelle sacre officiature. Aggiungo che in nessuna Cattedrale di Lombardia, e nemmeno nella stessa Metropolitana i cappellani si alzano ogni qualvolta entra o sorte qualche Canonico del coro.

Riguardo al 3. umilierebbero fervida preghiera i capellani, che venissero loro concessi due mesi di vacanza, come godono i Canonici, e la parificazione nelle puntature, come si prattica in tutte le altre Cattedrali comprovinciali.«

Hoc accepto responso iterum eidem Episcopo scribendum duxi, ut magis praecise referret, quo jure cohabita fuerit applicatio missae conventualis pro benefactoribus in genere ad unicam diem in hebdomada, et quid ante statutorum reformationem servatum fuerit quoad ejusdem missae conventualis applicationem et vacationes. Haec autem postremis suis literis ad rem ipse exposuit:

1. Che anticamente i Rmi Canonici di questo capitolo celebravano quotidianamente in canto la messa conventuale pro benefactoribus in genere giusta il prescritto dei sacri canoni. Ma soppresso il capitolo nell' anno 1796 venne spogliato bonis omnibus praebendarum, e solo nell' anno 1805 venne ristabilito, decimato però ne' suoi membri, ridotti i Canonici al numero di nove, ed i cappellani al numero di sei coll' annua rendita a ciascun Canonico (singulis Canonicis annua vitalitia pensio statuta et assignata ex regio aerario aureorum centum, quorum tertia pars stet loco praebendae, reliquum residentiae quotidianae distributionum legibus subjaceat. Archipresbytero tamen designata duplex portio aureorum nempe biscentum). A ciascuno poi dei cappellani octingentas libras ex regio aerario earumque pensionum sexta pars loco praebendae, reliquum pro quotidianis distributionibus computatur. In vista di quanto sopra nella nuova organizzazione di questo capitolo, Monsignor Vescovo della Berretta con decreto 18. Aprile 1806, ridusse la messa conventuale. Ecco le sue parole del decreto: »Muniti come siamo delle necessarie apostoliche facoltà, accordiamo che dal l'Arciprete parroco, o da uno de' Canonici si canti la messa conventuale soltanto nelle feste di precetto, ed in quelle della chiesa cattedrale, ma dichiariamo che debba applicarsi pro benefactoribus secondo l' antica usanza. Nei giorni feriali poi si canterà da uno de' cappellani per turno. Nella sopra citata determinazione chiaramente si conosce che ai cappellani non venne imposto alcun obligo di applicare una messa in ciascuna settimana, e solo quest' onere fù accollato da Monsignor Pagani nella riforma degli antichi statuti l' anno 1827.

2. Riguardo alla vacanza faccio conoscere che per decreto della sacra Congregazione del 23. Novembre 1619 e 18. Settembre 1627 questo capitolo ha sempre fruito due mesi di vacanza: ecco le parole del decreto: »statuit sacra Congregatio licere Canonicis ecclesiae cathedralis Lauden. singulis annis per duos menses, exceptis temporibus adventus et quadragesimae necnon diebus majorum festivitatum a choro abesse atque interea percipere fructus omnes praebendarum suarum, immo, si ita Ordinarius expedire arbitrabitur, etiam quotidianas distributiones, ita tamen ut Episcopi judicium sit, quota pars simul abesse possit, ne unquam omnes simul absint.» Prima della soppressione del capitolo i capellani erano mercenarii e condotti in servizio dal capitolo, il quale concedeva loro alquanti giorni di vacanza; ma ripristinato il capitolo, e dichiarati dall' autorità ecclesiastica e civile i cappellani beneficiati in pianta stabile, partecipanti all' assegno ed alle distribuzioni residenziali del capitolo, si chiede, se si possa applicare agli stessi supplicanti il menzionato decreto.«

Capitulum autem conventu habito in haec verba resolutionem suam exposuit: »Che essendo le innovazioni domandate dai RR. cappellani contrarie all' antica consuetudine, ed a quanto prescrivono gli statuti del medesimo capitolo già stati riconosciuti e sanzionati nell' ultima visita pastorale, ed all' osservanza del quali statuti i Canonici stessi sono vincolati con giuramento; il capitolo perciò crederebbe non essere nelle proprie attribuzioni tanto l' assentirvi, quanto il dissentirvi.« Quibus difficultatibus Episcopus ipsemet occurrens animadvertit perperam a Canonicis in medium proferri pristinam consuetudinem et vigentia statuta.

Cum enim restituto capitulo anno 1805 capellaniae chorales, de quibus agitur, in beneficia proprie dicta commutata fuerint ac liberae episcopalis collationis effecta, jam integrum amplius non fuisse capitulo contendit onera pro lubitu capellanis imponere uti sibi licebat antea, quo capellani ipsius capituli mercenarii erant et ad ejus nutum amovibiles; hinc, quae quoad antiquos capellanos usu invaluerant, aptari non posse in praesens; uti nec vigentia statuta hac in parte probari posse, utpote quae non communis juris dispositione, ceu par erat in nova beneficiorum institutione, sed antiquis legibus et consuetudine nituntur. Quod vero Episcopus ipsemet in sacra visitatione statuta haec recognoverit et confirmarit, praeterquam quod id se bona egisse fide fateatur ignorans dispositiones beneficiatorum juribus adversas in iisdem contineri, addit impedimento id non esse, quominus, qui ab illis se laesos existimant conqueri valeant ac pro reformatione vel abrogatione agere. Manifestam post haec contradictionem sapere, quod asserit capitulum, haud sibi licere propositae petitioni praestare vel denegare consensum. In haec enim verba explicit statutorum codex: »Deinde sibi suisque successoribus facultatem reservans (Episcopus) de consensu capituli declarandi vel immutandi si quae declaranda, addenda vel immutanda in Domino videbuntur. »Quamobrem absque ulla piaculi nota, pro jurisjurandi religione, in facultate fuisse Canonicorum una cum Episcopo quoad propositam et a capellanis imploratam statutorum reformationem convenire. Hinc censet eorum precibus annui posse, in quo quidem suas libenter adjicit commendationes, ex eo etiam quod oratores beneficiati, inquit, »sono pieni di premura e zelo pel decoro delle sagre funzioni, e si prestano volentierosi, anche per quelle private, che si celebrano nella mia capella.«

Quibus in facto enucleatis pauca in jure adnotanda supersunt. Et ad primum quod attinet, suis consistere viribus videtur statutorum dispositio, cum enim missa conventualis sit praecipua divinorum officiorum pars, sicuti eam celebrare tenentur nedum Canonici sed beneficiati quoque, mansionarii caeterique chori servitio addicti, ex *text. in can. de iis dist. 12. Gloss. in Clem. 1. de celebr. miss.*, sacra Congregatio in *Reatina 1. Septembris 1731* et in *Cassanen. 15. Decembris 1736*, ita omnes pariter, qui alicujus cathedralis vel collegialis ecclesiae clerum constituunt quique (ut inquit s. m. Bened. XIV. in notissima constitutione: *Cum semper oblatas*)* in eadem ecclesia sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent, onere eam applicandi obstricti sunt.

Plures quidem hac de re prodieruut s. Congregationis resolutiones, uti in *Burgi s. Domini Missae conventualis 1716 lib. decret. 66. pag. 223*, in quo propositis dubiis:

I. *An sit onus capituli ecclesiae cathedralis quotidiana applicatio missae conventualis?*

II. *An Dignitates in solemnioribus festivitatibus, Canonici in diebus festis et Vicarius perpetuus in feriis teneatur applicare missam conventualem pro benefactoribus ad formam decreti reverendissimi Episcopi?*

responsum fuit

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Affirmative.

Ita in *Ferrarien. 18. Martii 1719* ad dubium:

An Dignitates, Canonici, mansionarii et capellani capituli, qui omnes ex usu et consuetudine tenentur celebrare in cathedrali ecclesia missas conventuales teneantur ad easdem applicandas pro benefactoribus?

rescriptum fuit:

Affirmative.

Ita in *Asculana Diminutionis oneris 29. Januarii 1735*, in qua contendentibus mansionariis se non teneri ad missae conventualis applicationem vel saltem sibi uberius aliquod emolumentum ex redditibus fabricae adsignari debere propositum fuit dubium:

An sit delendum onus applicationis vel potius an et in qua summa agendum sit assignamentum in casu?

est responsum:

Negative ad primam partem et affirmative ad secundam in annuis scut. 20 et amplius.

In *Lucana Missae conventualis 14. Martii 1750*, cum ante annum 1744, quo anno prodiit constitutio »*Cum semper oblatas*«, capellani beneficiati missam conventualem celebrare per turnum consuevissent ac post editam constitutionem onus etiam applicationis in ipsos rejicere Canonici tentassent, obsistentibus capellanis res ad s. Congregationis judicium delata fuit ac propositis dubiis:

*) Vd. *p. 695.*

I. *An capellani beneficiati seu mansionarii ecclesiae cathedralis Lucanae teneantur applicare pro benefactoribus in genere missas conventuales, quas celebrant per turnum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An iidem beneficiati seu mansionarii teneantur etiam pro non applicatis in casu?*

prodiit resolutio

ad I.: Affirmative et amplius.

Ad II.: Ad D. Secretarium cum SSmo.

Faciunt etiam ad rem resolutiones in *Auximana Missae conventualis 16. Decembris 1820* et in *Monasterien. VV. ss. LL. 6. Decembris 1845*. Nec de hujusmodi beneficiatorum obligatione amplius ambigi posse videtur post memoratam constitutionem Benedicti XIV., ubi s. Pontifex loquens de Dignitatibus, Canonicis, mansionariis et beneficiatis addit qui missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

Hinc haud obstare videtur, quod in capellania cum erectione nulla de sacrificii pro benefactoribus applicatione mentio facta fuerit et capellani soliti fuerint eam tantum celebrare, cum hujusmodi obligatio servitio chorali addictis institutione sua incumbat, quin contraria observantia etiam immemorabili extingui et abrogari possit juxta ea, quae notant adducti per *Pignatell. consult. 321. num. 1. tom. 1.* et *Ursajam disc. 32. num. 7. tom. 2. pag. 1*, vel etiam quod sub capituli nomine beneficiati aut mansionarii non comprehendantur; siquidem etsi hoc verum sit quoad caetera, quae majoris momenti ac nobilioris officii sunt, attamen quoad hujusmodi obligationem Canonicis pares renuntiandi sunt, ceu observat folium s. Congregationis in cit. *Monasterien.* §. *Post haec*, ubi etiam advertitur, quod, si aliquando s. Congregatio hoc onus ad solos Canonicos spectare declaraverit, ideo acciderit, quia solis Canonicis onus inerat adsistendi choro et divinum officium recitandi; qua in re consulenda cit. *Auximana Missae conventualis 16. Decembris 1820.*

Nihilominus, cum applicatio missae conventualis clero ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum generatim ac indistincte sit imposita, et huic oneri jam ab ipsa capituli restitutione satis a Canonicis fiat, tametsi diebus festis tantum in vim nimirum obtentae reductionis, hisce videant EE. PP.: An capellani ecclesiae Lauden., habita etiam relatione ad peculiaria onera quibus gravantur ac illud praesertim quotidianae missae conventualis celebrationis, ab hebdomadali ejusdem applicatione vacui ac soluti, uti ante statutorum reformationem, declarandi sint, eo vel magis, quia ad turnum cum Canonicis admitti nequeunt in casu, cum diebus festis, in quibus ex relato indulto anni 1806 urget obligatio applicandi missam conventualem, missa a Canonicis canenda sit ceu ejusdem ecclesiae statuta praescribunt.

Ad secundum dubium ea quae dixerit Episcopus sat esse videntur; quid in re consilii capiendum sit prope decernatur. Quamvis enim beneficiati seu mansionarii non sint de gremio capituli sed ordinis inferioris et servile exercere officium in jure dicantur, *cap. penult. ibique Gloss. v. Assisii de clericis non resid., Abbas in cap. Praescriptum, num. 4. de elect., Card. de Luca de can. disc. 81. num. 1, Rota decis. 416. num. 6. part. 1. recen.*, ita ut decet omnino ut suae erga Canonicos subjectionis signa edant, ad quod in Canonicorum ingressu aut egressu e choro assurgendi mos refertur, attamen, ubi hujusmodi ritus et caeremoniae in particularibus casibus, quin ad choralis disciplinae ordinem ac decorem, ad quem ordinantur, promovendum conducant, perturbationis potius et confusionis experientia teste causa sint, videant EE. VV. an expediat ut de medio tollantur et ad temporum ac locorum consuetudines accommodentur.

Hac in re extat decretum s. Rituum Congregationis in *Triventina diei 17. Junii 1663* penes Gardellini in collectanea tom. 2. pag. 450, ubi »Martio Salvi presbytero capitulari exponente Episcopum in ultima synodo decrevisse, ut omnes presbyteri etiam Capitulares choro adstantes in ingressu Canonici in ipso choro assurgere debeant, atque ipsi Canonici viceversa in ingressu presbyteri quamvis Capitularis solum birretum levare debeant, s. R. Congregatio respondit: »Pareant decreto Episcopi.«

Ad tertium dubium. In permittendis trium mensium vacationibus sacrosanctum concilium Tridentinum excepit illarum ecclesiarum consuetudines, quae longius servitii tempus requirunt, ut in *sess. 24. cap. 12. de reform.* Hinc servandum in hac parte videretur statutum capitulare, quod quadraginta dierum tantum vacationes capellanis

indulget juxta morem jam diu etiam ante capituli suppressionem invectum, quin obstet nova capellaniarum fundatio, unde capellanorum a capituli legibus exemptio asseritur. Quum enim capellani recens ita instituti servile quodammodo munus institutione sua praestare Canonicis nihilominus debeant, aequum est ut istis obsequantur et capitularibus legibus in chorali servitio pareant, ne secus perturbatio et confusio oriatur, ceu docet s. Congregatio in *Lucana capellaniarum 6. Augusti 1825 ad V. dubium.* Cui accedit ab anno 1827, quo pristina hujusmodi consuetudo restituta fuit, his vacationibus usque in praesens contentos fuisse beneficiatos taciteque idcirco conciliari beneficio renuntiasse, ex *leg.: Si quis in conscribenda cod. de Episc. et cleric.* et *leg. penult. cod. de pactis.* Eoque magis hujusmodi capitularis dispositio servanda videtur si perpendatur parvus capellanorum numerus ac necessitas servitii choralis quo premuntur; quod fortasse in causa fuit cur tam breve vacationum tempus iisdem permitteretur.

Ex altera parte perpendendum est: An quadraginta dierum vacatio par sit laborioso hujusmodi totius anni ecclesiae chorique servitio. Sustinent enim capellani, ipsos post novam fundationem habendos esse ad instar aliorum in aliis ecclesiis perpetuorum beneficiatorum, ut adeo, cum beneficiati generatim etiam in aliis comprovincialibus Cathedralibus parem habeant vacationem cum Canonicis, aequale saltem sit beneficium vacationis duorum mensium, quo fruuntur Canonici, juxta regulam quod, ubi par est onus, ibi etiam par esse debeat emolumentum, de qua *Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 19. num. 36.* et *Pignatell. tom. 6. consult. 48. num. 13.* Nullo autem contendunt in pretio habendas capitulares leges post fundationem editas utpote contrarias juribus, quae ex natura fundationis ipsis competiisse non dubitatur, *cap. Ex parte 12. de constit., Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 41. num. 17.* Quamobrem nullam vim fieri posse ex recepto illorum usu in praejudicium praesentium capellanorum, qui, cum eorum jus a fundatione quaesitum agnoscant, ex facto vel agnitione praedecessorum obligari non possunt. *Piton. de contr. patr. alleg. 17. num. 10, Rota cor. Ansaldo decis. 68. num. 20.* et in *Tuden. Servitiorum super bono jure 6. Martii 1758 §. 11. cor. Paracciano.* Addunt demum, quod rite distributa vacationum methodo inter capellanos non ideo ecclesia debito fraudaretur cultu nec minori splendore divina officia celebrarentur.

S. Congregatio vacationum ampliationem aliquando concessit, praesertim ultra modum laborioso concurrente chori servitio, uti in *Tarraconen. proposita die 28. Januarii 1764 et resoluta die 18. Februarii* ejusdem anni, in qua vacationem unius mensis ad duos auxit; aliquando vero pro diversis rerum adjunctis denegavit ceu in *Anagnina Indulti resoluta die 5. Julii 1777* in quaestione a praesenti non absimili, ubi proposito dubio:

An beneficiati ecclesiae cathedralis Anagninae gaudere debeant per duos menses infra annum eadem exemptione a choro, qua gaudent Canonici ejusdem ecclesiae in casu?

Respondit: Negative, et amplius.

Quibus expositis videant EE. PP. quid peculiaria rerum adjuncta in praesenti casu statuendum suadeant. Ac perpensa munerum ac servitii choralis indole cui capellani subduntur decernent praeterea in quarto dubio: an quoad punctaturarum methodum eosdem capellanos Canonicis coaequare expediat.

Dantur itaque dubia:

I. *An et quomodo capellani beneficiati teneantur applicare missam conventualem in casu?*

II. *An iidem capellani beneficiati solvendi sint ab onere assurgendi in ingressu vel egressu Canonicorum a choro in casu?*

III. *An et quomodo iisdem indulgendae sint vacationes conciliares in casu?*

IV. *An et quomodo eorumdem fallentiae moderandae sint in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative in omnibus.

Ad II.: Prudenti arbitrio Episcopi.

Ad III: Serventur statuta capitularia.

Ad IV.: Dilata, et scribatur Episcopo ut clarius explicet, deductis hinc inde rationibus per Canonicos et beneficiatos.

Die 26. Jan. 1856.

VI. Canonicorum et Dignitariorum.

Vd.: *Applic. missae paroch. pro populo* (oblig. non est dieb. fer., decr. *Fundana*); *Appl. missae conv.* (oblig. in festis de praec. etc. decr. *Spalaten.*)

Ad dub.: *An et a quibus missa conv. sit applicanda pro benefactoribus?*

S. C. C. resp.: Affirmative et ab omnibus celebrantibus.

Die 21. Aprilis 1708.

Asculana.

(Conc. Tr. c. 12. sess. 24. de ref.)

Inter plura proposita et resoluta dubia in Congregatione diei 13. Augusti prope defluxi super controversia excitata per Canonicum Mignuccium adversus Canonicos collegiatae ecclesiae terrae Ophydae deserviendi scilicet per substitutum, in statu contumaciali in quo reperiebatur et lucrandi fructus praebendae ac distributiones quotidianas, juxta seriem facti recensitam in folio usque tunc distributo, extitit quartum ejusmodi:

An missae a visitatore apostolico Maranta in suis constitutionibus ordinatae festis diebus aliaeque, si adsint, subjaceant oneri applicationis sacrificii aut solummodo applicari debeat missa conventualis, quae celebratur in Collegiata ratione canonicatus?

Cui quidem S. C. respondit:

Negative quoad missas ordinatas a visitatore Maranta et affirmative quoad missas conventuales. Non acquiescentes Canonici hujusmodi resolutioni noviter audiri obtinuerunt iisdemque subinde recedentibus a causae prosequutione mox insurrexit Petrus Paulus Valoranus pariter Canonicus supradictae Collegiatae, qui erga benefactores gratitudinis impulsu novis adductis juribus deprecatur EE. VV. pro resolutione consueti dubii:

An sit standum vel recedendum a decisis die 13. Augusti 1707 in casu?

S. C. C. resp.: In decisis et amplius.

Die 23. Junii 1708.

Ad dub.: 1. *An Canonici ecclesiae cath. et paroch. Balneoregii teneantur applicare quotidie missam conv. pro fundat. et benefactoribus?*

2. *An singuli Canonici teneantur a die adepti canonicatus satisfacere missas conv. usque adhuc non applicatas?*

3. *An Canonici teneantur celebrare et applicare tam missas de anniversario quam conventuales?*

S. C. resp. ad 1, 2 et 3: Affirmative.

Die 8. Julii et 19. Aug. 1713.

Ad dub.: *An onus applicandi missam conv. pro fundat. et benefactoribus spectet ad omnes Canonicos ecclesiae colleg. Otriculi tam antiquae quam modernae erectionis per turnum vel solum ad Canonicos primae erectionis?*

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 14. Apr. 1714.

Ad dub.: 1. *An sit onus capituli eccles. cath. Burgi quotidiana applicatio missae conv.?*

2. *An Dignitates in solemnioribus festivitatibus, Canonici in diebus festis et Vicarius perpetuus in feriis teneantur applicare miss. conv. pro benefactoribus?*

S. C. C. resp. ad utrumque: *Affirmative.*

Die 2. et 16. Maji 1716.

Ad dub.: *An Praepositus et caeteri omnes de capitulo ecclesiae paroch. et colleg. Majuri teneantur celebrare et applicare quotidie missam conv. pro benefactoribus?*

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 13. Apr. 1715. *Amalphitana.*

Idem responsum fuit capitulo Colleg. oppidi Caldarolae sub die 28. Junii 1704 et 9. Junii 1714.

Ad dub.: *An Dignitates, Canonici, mansionarii et capellani capituli Ferrarien., qui omnes ex usu et consuetudine tenentur celebrare in Cathedrali missas conv., teneantur ad easdem applicandas pro benefactoribus?*

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 18. Martii 1719.

Ad dub.: 1. *An Canonici Collegiatae oppidi de Cere teneantur quotidie missam conv. applicare pro benefactoribus?*

2. *An et quae exemptio ab applicatione missae conv. iisdem attenta praebendarum tenuitate sit indulgenda?*

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative.

ad 2: Posse indulgeri, ut missas applicent diebus tantum festis de praecepto.

Die 14. Mart. 1722. *Veliterna.*

Idem responsum fuit Canonicis Colleg. Civitatis Spoleti die 19. Decembris 1722.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis.

Benedictus Papa XIV.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum semper oblatas Nobis occasiones apostolica scripta dirigendi ad fraternitates

vestras libenter amplectimur, ut sincerae Nostrae erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant, tum vero majori animi alacritate id ipsum praestamus, quum ad excitandum fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectae disciplinae in clero regimini vestro commisso praesentibus rerum aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostrae omnium ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si divini cultus augmentum atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis dioecesibus custodiam religiosae vigilantium pastorum curae identiden inculcando commendemus.

§. 1. Hujus porro epistolae ad vos scribendae occasionem Nobis atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, *applicandi missam parochialem pro populo ipsorum curae commisso tum etiam applicatio missae conventualis, quae pro benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis,* tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici praedictarum ecclesiarum choro assistentes.

Cujus quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequente habita tractatio est; quumque ea res in hujus almae Urbis Nostrae Congregationibus et potissimum in Congregatione venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Card. Conc. Trid. Interpretum, cujus secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit, quamvis earundem Congregationum decreta plerumque circa eam uniformia et sibi consona prodierint eorumque decretorum nonnulla etiam Pontificum praedecessorum Nostrorum approbationem et confirmationem meruerint, minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, encyclicam hanc epistolam ad vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate constans hujus apostolicae Sedis sententia praedictis de rebus cuilibet innotescat et fraternitatibus vestris quaedam veluti norma et regula suppetat, juxta quam synodales aliasque vestras circa praemissa constitutiones, ordinationes seu edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem dum juxta ea, quae in praesentibus tenenda atque servanda praescribimus, omni, qua decet, sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostrae curiae tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse praecipimus ac jubemus; quamobrem has ipsas literas Nostras in singulorum tribunalium regestas asservari volumus atque ad earum praescriptum tam ipsorum tribunalium resolutiones quam de vestris decretis, quae ipsis praesentibus inhaerentes edituri estis, judicia exigi et conferri mandamus.

§. 2. Et quidem, quod nuper enunciavimus, sacrosanctum missae sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curae commisso, id veluti ex divino praecepto a sacra *Tridentina synodo* disserte exprimitur *sess. XXIII. cap. 1. de ref.* per haec notabilia verba: *Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obigationem a s. synodo memoratam de medio tollere vel saltem extenuare contenderint: quum tamen relata concilii verba satis clara et perspicua sint quumque praedicta Congregatio ejusdem concilii interpretationi privative proposita constanter edixerit, eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium missae celebrare sed illius etiam fructum medium commisso populo applicare debere, nec illud pro aliis applicare aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum haec intelligentia a praedecessoribus Nostris romanis Pontificibus approbata fuerit et confirmata: nihil jam amplius ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti eidemque obsequi necnon illius promptam executionem in vestris respective dioecesibus omni studio procurare debeatis.

§. 3. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes munus secretarii praedictae Congregationis conc. Trid. Interpretis plures annos obivimus aliosque non paucos partim in Anconitanae Cathedralis partim in Metropolitanae Bononiensis, patriae Nostrae dilectissimae, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam Nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

§. 4. Quum enim s. Tridentinum concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut, quotiescumque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, ut videre est in *sess. 6. c. 2.; sess. 7. c. 5. et 7; sess. 21. c. 6; sess. 25. c. 16;* non raro autem eveniat, ut aliqua ecclesia parochiali vacante *Vicarius* pariter ad implenda hujusmodi ecclesiae onera, usque ad novi rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem concilio Tridentino id jubente *sess. 24. cap. 18. de reform.*, nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur seipsos a praedicta obligatione subtrahere vel eo, quod habituali cura pcnes alium vel alios residente ipsi actualem dumtaxat exerceant, vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles vel ad breve tempus hujusmodi curae sint addicti: ut nihil hic loquamur de parochis regularibus, qui a praedicta applicatione missae pro populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod *omnes et singuli qui actu animarum curam exercent et non solum parochi aut vicarii saeculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus supradictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni aeque teneantur missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.*

§. 5. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi parochiae suae redditus non suppetere; aliique denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt sustinentes id neque sibi neque decessoribus suis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus et, quatenus opus sit, auctoritate apostolica iterum tenore praesentium decernimus et declaramus, *quod, licet parochi seu alii, ut supra, animarum curam habentes congruis praefinitis redditibus destituantur et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum dioecesibus seu parochiis obtinuerit, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*

§. 6. Dum tamen diximus omnes animarum curam habentes missae sacrificium pro populo sibi commisso applicari debere, non ideo statuere voluimus eosdem, aut quotidie aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro populo teneri. Et quidem *sacrosancta Tridentina synodus sess. 23. c. 14.* praecipit Episcopis curare, *ut sacerdotes diebus saltem dominicis et festis solemnibus missarum sacra faciant, si autem curam habuerint animarum, tum frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent;* in pluribus autem synodalibus Episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum pastores missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, *quando nimirum iidem pro populo celebrare et applicare teneantur;* et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione concilii responsum fuit, parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere, eum vero, qui uberioribus redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum, ad quam summam pertingere debeant ecclesiae parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint, quoniam pingues minime habendi sunt redditus etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa, tum etiam multorum querelae adversus hujusmodi decretum, tamquam plus aequo rigidum, excitatae Nobis innotescant: idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, *Nobis abunde satisfactum* fore Vobisque proinde satis esse posse, *dum ii,* qui animarum curam exercent, *sacrificium missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto,* quum praedicti dominici aliique festi dies *ii sint, in quibus juxta praeceptum concilii Tridentini sess. 5. c. 2* et *sess. 24. c. 4. quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet* docendo ea, quae scire omnibus neces-

sarium est ad salutem; *iidemque sint dies, de quibus eadem s. synodus statuit, ut moneat Episcopus populum diligenter teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei,* et quibus parochi subditos suos in doctrina christiana audire debent, juxta id, quod a praedicto concilio in *citat. cap. 4* Episcopis praecipitur, ut nempe *saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent.*

§. 7. Et quia in nonnullis dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto de apostolica nostra auctoritate et consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis christifideles et missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi missae sacrificium, Nos, ut obortae jam dubitationes circa onus applicationis missae parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod *etiam iisdem festis diebus, quibus populus missae interesse debet et fidelibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare et applicare teneantur.*

§. 8. Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus, *aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis,* quas a fidelibus pro missarum celebratione accipiunt, *vivere cogantur, eos vero, qui ecclesia parochiali vacante, ad animarum curam exercendam* sub vicarii seu oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis *adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ispsis constituti et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant, quod iis quoque non varo evenire solet,* qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, *actuali tantum exercitio sunt addicti*, proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione missae recipere: idcirco Nos tam istorum quam illorum inopiam summopere miserantes eidemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes, quamvis, ut supradictum est, omnes et singuli praedicti teneantur diebus festis missam pro populo celebrare et applicare, attamen, quod pertinet ad praedictos parochos egentes, *unicuique vestrum facultatem concedimus cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi* ad hoc, ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, *ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.*

§. 9. Quod autem spectat ad *vicarios sive oeconomos ecclesiarum vacantium,* quum a sacro Tridentino concilio citat. *sess. 24. c. 18* cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi *cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione,* vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis ecclesiae fructus exigunt, ut egenti vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquot augmentum praebeatur pro onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus ecclesiarum vacantium fructus ad commodum camerae Nostrae apostolicae exigantur, opportuna thesaurario Nostro generali mandata dirigimus, quae is denunciare non praetermittet peculiaribus dictorum locorum collectoribus, cum quibus Episcopi ecclesiasticae Nostrae ditionis caeterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, ecclesiarum vacantium fructus ad cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

§. 10. Ac demum quoad illos, *qui tanquam vicarii sive perpetui sive ad tempus constituti* animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet, ratione alicujus ecclesiae parochialis ipsorum ecclesiis seu monasteriis, collegiis aut locis piis olim unitae, quamvis a recol. mem. praedecessore Nostro s. Pio Papa V. praefinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi vicariis assignanda, prout in ipsius constitutione, quae incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris anni 1617 distincte statuitur, nihilominus, ubi praescripta fructuum portio vel nullo modo vel non integre Vicariis praedictis assignata

reperiatur vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis de praecepto, utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis synodus Tridentina *sess. 7. cap. 7,* dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum atque injunctorum operum rationem, congruam praedictis vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur quibuscumque appellationibus, privilegiis aut exemptionibus, ut in eodem concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

§. 11. Haec igitur circa missam parochialem statuenda et Fraternitatibus Vestris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, *quae pertinent ad missam conventualem,* neminem Vestrum latere putamus sacrorum canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis tum horae canonicae debitis modo et forma recitentur tum etiam missa conventualis celebretur; quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum concilii Tridentini interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes apostolica auctoritate Nostra confirmamus et approbamus earum executionem Vobis enixe inculcantes, ut scilicet missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur eodem prorsus modo, quo missam parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de praecepto, applicari debere superius declaravimus.

§. 12. Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis ejusmodi sive dolo malo sive per errorem invectam esse novimus, quod nempe, dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiae benefactore vel grati animi ergo vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missae conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed *benefactores in genere* cujuslibet ecclesiae, cujus servitio addicti sunt quicunque in eadem sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

§. 13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquae interdum preces fiunt vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quae a lege ecclesiastica multoties praescripta fuit, *nimirum missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebranda eandemque pro illis in genere applicando.*

§. 14. Profecto non solum prioribus ecclesiae saeculis verum etiam temporibus haud longe a nostra aetate remotis, (quod Vos ex historia ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina sacris diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur tum etiam missae sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent, ecclesiarum siquidem praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent; sacrorum hujusmodi diptychorum usus sensim defecit ob idque in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis et sacrificium missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

§. 15. Quemadmodum vero loquendo de missa parochiali superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam

illius applicationem pro populo diebus festis de praecepto, ita pariter usu venit quoad applicationem quotidianam missae conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores provide e medio sublatae fuerunt per opportunas Congregationis concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Nostra approbamus et confirmamus.

§. 16. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis etiam immemorabilis in propria ecclesia vigentis se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

§. 17. Alii a missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent *ex eo, quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii canonicatus aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali praebenda obtinent, vel quia, praeter munus Canonici seu beneficiati aut mansionarii in ecclesia cathedrali seu Collegiata, quum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant,* dum missam conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiae benefactoribus specialiter offerre. *Sed his quoque obviam itum est jubendo singulis praedictis, ut missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculialiter missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret applicetque.*

§. 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, *sed aliquando etiam a beneficiatis aut mansionariis, quos minus aequum videtur pro missae celebratione omni eleemosyna carere,* quae unde desumi valeat ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum.

§. 19. Aliique denique obtenderunt *exiguitatem hujusmodi distributionum*, quae ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa conventuali ad nihilum fere redactae; vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii ecclesiae praestandi. Tridentina quidem synodus *sess. 24. cap. 15.* opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex Vestris relationibus rerum statu auctoritate apostolica a praedecessoribus Nostris eidem impartita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

§. 20. Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, *praescribitur, ut certis diebus non una sed binae atque etiam aliquando tres missae conventuales uno die celebrentur.* Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit primam missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse, nunc expendendum superest, an earundem ecclesiarum capitula jurisdictioni Vestrae respective subjecta adigere debeatis, ut alias quoque missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

§. 21. Hujusmodi quaestio ab aliquibus ex Vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum concilii Tridentini interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat alias ab eadem Congregatione responsum fuisse: *Concedendam esse exemptionem ab onere applicandam secundam ac tertiam missam conventualem pro benefactoribus in genere attenta canonicatuum et beneficiorum tenuitate;* ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere ubi de ecclesiis pauperibus non ageretur.

§. 22. Verum quum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio Nostro remittendam esse censuerit, Nos ita judicamus idque Vobis tenendum indicimus: *laudandos nempe et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam aut*

tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; *ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque missae conventualis applicationem* celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscuntur.

§. 23. Huic demum epistolae nostrae finem imponentes Fraternitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis, ut in ecclesiarum Vestrarum choris praeter devotam celebrationem debitamque applicationem missae conventualis horae canonicae non praepropere sed exacte pausa nempe interposita et maxima, qua decet, reverentia ac religione canantur.

Die 19. Aug. 1744.

(Bull. r. t. XVI. p. 214.)

Aquileien.

(Conc. Trid. c. 1. s. 33, c. 12. s. 24. de ref.)

Ut quaedam controversiarum germina inter Capitulares insignis Collegiatae Utini jam disseminata, antequam exoriantur, arescant, ex communi omnium placito oraculum sacrae Congregationis exquiritur tribus expositis dubiis: num missae conventualis applicatio capitulo incumbat, itaut nedum Canonici, quibus ordo sacerdotalis est injunctus, verum etiam diaconalem, subdiaconalem et acolytalem praebendam obtinentes id onus habeant, et quatenus omnes indistincte teneantur: num saltem ejusmodi applicatio ex massa communi compensari debeat. Pro facti igitur dilucitatione consueta requisita informatione Patriarcha Aquilejensis nuper retulit: Capitulum Utinense septemdecim constare canonicalibus praebendis, quarum septem sunt sacerdotales, quatuor diaconales, quatuor pariter subdiaconales ac binae acolytales, praetereaque octo mansionarii et octo capellani servitutem exhibent. Nihil certi quoad missae conventualis onus in facto erui posse idem relator addit ex eo, quia praebendarum fundationes desiderantur; ad rem vero tantum describit constitutionem Patriarchae Barbari, qui ordines canonicatibus adjunxisse dicitur, juxta conciliarem sanctionem de anno .... sub his verbis: »*Item ordinamus, quod ante 200 annos in ecclesia Utinen. fuerat institutum et intermissione ac negligentia aboleverat, quam primum restituatur, ut Decanus et Canonici tam sacerdotes et diaconi quam subdiaconi hebdomadae suae munus per se obeant diebus dominicis et festivis, qui erunt in eorum hebdomada, reliquis attamen diebus per mansionarios sive capellanos idoneos, et hoc casu cum celebrabunt, ratione hebdomadae, tam Decanus quam Canonici ministros habeant mansionarios seu capellanos etc.*« His praehabitis praelaudatus relator pro certo habet, missae conventualis applicationem ex juris dispositione provenire; dubium vero haeret, numquid praebendam non sacerdotalem obtinentes hujusmodi onere adstringantur, et quidem difficultatem in eo non reponit, an ipsi celebrare teneantur, cum neque procul dubio tenentur ex praebendae obligatione sacerdotium assumere; rationem vero dubitandi versari inquit, an, qui sacrificium offerre nequeunt, teneantur pro rata stipem celebranti et applicanti praebere. Hinc favore sacerdotum saepedictus informans sedulo advertit, esse hanc compensandam applicationem ex massa communi, cum id onus capitulo sit innatum, et antequam praebendae distinguerentur, proindeque in praesenti, ut priscis temporibus, ex massa capitulari detrahi debet. Praeterea emolumenta, quae pro missa conventuali distribuuntur, consistunt in quotidianis distributionibus, quae inter Canonicos aequis portionibus distribuuntur; sic ergo, qui non celebrant neque contribuere tenentur, melioris, ut ipse inquit, essent conditionis, acolyti quam sacerdotes, et licet omnes idem emolumentum consequerentur, impari tamen onere gravarentur; postremo ex memorata constitutione tam sacerdotibus quam diaconis et subdiaconis munus he domadae injungitur neque est dubium, quod prae caeteris hebdomadarii oneribus recensetur missa conventualis; neque tamen deest idem relator Canonicorum, qui sacerdotalem praebendam non habent, rationum momenta recensere, ac potissimum advertit, eorum officium constitui in assistentia, quam celebranti exhibere tenentur, praetereaque nihil ultra ab eis exigi posse; ipsis quoque adstipulari inquit consuetudinem quarumdam Cathedraliuu Italiae, in quibus sacerdotibus tantum integrum onus missae conventualis incumbit, neque praetereundum asserit, quod sacerdotes pinguiores consequuntur praebendas, ut majori onere

juste gravari possint. Quibus adnotatis praelaudatus Patriarcha votum suum in s. Congregationis judicio reposuit, quemadmodum latius ex relatione in summario danda. Monitis itaque partibus ad enixas preces Canonicorum sacerdotum proponuntur infrascripta dubia, qua solent sapientia ab EE. VV. resolvenda:

1. *An missa conventualis, quae celebratur per Canonicos presbyteros turnarios, debeat applicari?* Et quatenus affirmative,

2. *An Canonicis presbyteris celebrantibus missam conventualem debeatur eleemosyna pro celebratione ultra distributionem affixam d. missae?* Et quatenus affirmative,

3. *An dicta eleemosyna debeatur ex massa communi distributionum tam Canonicorum presbyterorum quam diaconorum et subdiaconorum vel debeat contribui a solis presbyteris?*

S. C. C. resp.

Ad 1.: Affirmative;

Ad 2.: Negative;

Ad 3.: Satis provisum in superioribus, et amplius.

Die 13. Aprilis 1715.

Ad dub.: *An Archipresbyter et Canonici Colleg. Regien. teneantur applicare missam conventualem pro benefactoribus?*

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 5. Aug. 1719 ad 11. *Regien.*

Ad dubium:

I. *An capitulum et Canonici Collegiatae s. Euphemiae Insulae teneantur applicare missam conventualem pro fundatoribus et benefactoribus?*

II. *An singuli eorum teneantur a die adeptae possessionis eorum canonicatuum satisfacere missas conventuales hucusque non applicatas?*

S. C. C. resp.

Ad I.: Affirmative;

Ad II.: Ad mentem.

Die 11. Maji 1720. *Comen.*

Nullius s. Ruffili Provinc. Ravenat.

Caesar Armanni in testamento, quod condidit anno 1698, instituit atque fundavit duodecim presbyterorum congregationem seu communem adunantiam in ecclesia parochiali s. Nicolai terrae Meldulae, cujus actualis cura exercebatur a Vicario amovibili ad nutum reverendissimi capituli Basilicae Vaticanae, illique assignavit dotem ex bonis haereditariis aliisque ope multiplici cumulandis, quae redderent annua scuta 30 pro quolibet presbytero, immunia et exempta a quibuscumque expensis supellectilium et ministrorum.

Onus autem injunxit dictis presbyteris duplicem missam quotidianam celebrandi ad populi commoditatem in aurora et circa meridiem cum unius applicatione in suffragium animae suae necnon quotidie conveniendi in eadem ecclesia collegialiter et recitandi horas canonicas in choro, *cantando anche ogni giorno la messa conventuale* aliasque peragendi sacras functiones, quae fieri solent in ecclesiis cathedralibus et collegiatis recte institutis atque alia obeundi munia specialiter in eodem testamento indicta.

Praefatam presbyterorum congregationem s. m. Benedictus XIV. erexit anno 1743 in insignem Collegiatam et vicarium curatum decoravit nomine Archipresbyteri, quem constituit primam futurae Collegiatae dignitatem cum cura animarum ad praesentationem capituli Vaticani, cui ecclesia praedicta unita est. Suis quoque literis approbavit expresse laudatus summus Pontifex conditiones praescriptas a capitulo Vaticano in praestito consensu; praesertim quod eidem reservaretur plenum ecclesiae dominium, indulto simplici usu precario novis Canonicis, quodque ejusdem ecclesiae bona, etiam acquirenda ex piis benefactorum largitionibus, et emolumenta curae omnia spectare deberent ad Archipresbyterum solumque Canonici participes fierent oblationum nominatim relictarum ipsi Collegiatae seu novo capitulo. Atque jussit, ut Canonici tenerentur adimplere onera a pio fundatore Caesare Armanni praescripta ac prae caeteris »apud eamdem ecclesiam personaliter residere et in ea singulis diebus et debitis temporibus missam conventualem decantare ac horas canonicas tam diurnas quam nocturnas aliaque divina officia recitare.«

In peractis igitur visitationibus a reverendissimo Vaticano capitulo loci Ordinario bis moniti fuerunt Canonici, ut conventuale Sacrum pro benefactoribus agerent, sed Canonici recursu habito ad hanc s. Congregationem postularunt, aut immunes declarari ab onere applicationis aut illius reductionem

indulgeri ad dies dominicos ob tenuitatem redditum; utraque tamen instantia, post auditam Vicarii generalis relationem, rejecta fuit die 2. Decembris 1758 edito rescripto: Lectum, et servetur constitutio san. mem. Benedicti XIV. et quoad praeteritum consulant conscientiae suae.

Et rursus super novis Canonicorum precibus iterum audito Vicario generali rescriptum fuit die 2. Augusti 1760: In decisis sub die 2. Decembris 1758, et quoad Archipresbyterum dentur decreta in *Viterbien. 31. Martii 1708.*

Non acquiescentes tamen Canonici denuo supplicarunt, ut causa describitur in folio. Et nunc disputant, missam conventualem applicandam esse in illis ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, quarum perempta est benefactorum memoria, ut notant scribentes in *cap.: Cum creatura de celebrat. missar.*, et san. mem. Benedictus XIV. in sua constitutione 103. §. 14. tom. 1, non autem in ecclesia collegiata noviter erecta ex unius benefactoris fundatione, qui, praescripta aliarum missarum applicatione, eam expresse non requisivit in missa conventuali.

Attenta potissimum dominii ecclesiae omniumque ejus bonorum, jurium ac emolumentorum reservatione favore capituli Vaticani ejusque Vicarii curati, cum sola admissione Canonicorum ad fruitionem usus ecclesiae atque ad participationem legatorum, quae novo capitulo relinquuntur quaeque regulariter gravata sunt specialibus oneribus a quolibet testatore volitis; in his poro terminis, cum nullos habeant Canonici benefactores incertos, ideo arbitrantur, non esse pro illis applicandam missam conventualem juxta firmata per *Pasqualig. de sacrific. nov. leg. quaest. 899. n. 3, Monacel. form. leg. addit. ad tom. 1. n. 239. et seqq. pag. 25, Scarfant. ad Ceccoper. tom. 2. addit. ad tit. 4. n. 2.* et *tom. 3. addit. 9. n. 16, Ursaya discept. eccles. tom. 3. part. 1. discept. 23. n. 70 et 71.*

Addunt praeterea, tenuissimos esse redditus cuilibet Canonico obvientes tum ex bonis primae erectionis tum ex aliis tribus legatis cum certo onere Collegiatae relictis illosque non excedere annua scuta 22 juxta exhibitum calculum ultimi decennii; quapropter contendunt, aut praesumendum esse, fundatorem noluisse applicationem missae conventualis injungere praeter alia gravissima onera praescripta, aut indulgendam esse illius reductionem ad solos dies festos*) de praecepto, ut ratione similis tenuitatis fructuum non excedentium annua scuta 30 rescripsit haec sacra Congregatio in *Veliterna 14. Martii 1722 ad 3. dub. lib. 72. decret. pag. 95*, in *Spalaten. Applicationis missae conventualis 23. Junii 1729 ad 1 et 2. dub. lib. 79. decret. pag. 355*, in *Amerina Missae conventualis 12. Martii 1746 lib. 96. decret. pag. 79.* et in *Ariminen. Missae conventualis 18. Septembris 1751 ad 3. dub. lib. 101. decret. pag. 466.*

Verum in praefata *Ariminen. Missae conventualis 18. Septembris 1751* proponebatur casus omnino similis de Collegiata recenti et fundata a certis benefactoribus, cum specialibus oneribus praescriptis et ecclesiae redditus reservati fuerunt antiquo parocho, qui assumpto nomine Archipresbyteri constitutus fuerat prima dignitas Collegiatae, et cujuslibet praebendae fructus, deductis oneribus, non attingebant annua scuta 30; quumque disputata fuissent quatuor dubia:

I. *An Canonici Collegiatae Sabiniani teneantur applicare quotidie missam conventualem pro benefactoribus in genere seu potius teneatur solus Archipresbyter dictae Collegiatae?*

II. *An Archipresbyter teneatur per turnum cum Canonicis celebrare et applicare missam conventualem, ut supra, et quomodo turnus sit servandus?*

III. *An sit locus reductioni, et quomodo?*

IV. *An Archipresbyter et Canonici terrae Sabiniani teneantur pro tempore praeterito ad applicationem missarum conventualium non celebratarum in casu etc.?*

Sacra Congregatio minime sequuta est opinionem doctorum, qui superius allegati sunt pro exemptione ab onere applicandi missam conventualem in casu certi fundatoris quique adducebantur etiam in folio tunc distributo, sed inhaerens novissimae constitutioni san. mem. Benedicti XIV. rescripsit

Ad I.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II.: Affirmative per turnum incipien. ab Archipresbytero.

Ad III.: Pro gratia reductionis ad dies festos tantum attenta et perdurante tenuitate redditum.

Ad IV.: Ad D. Secretarium, facto verbo cum Sanctissimo.

*) Vd. *Applicat. missae conv.* (reductio ad dies festos etc.).

Et circa quantitatem reddituum Vicarius generalis in postrema relatione testatur, erroneum esse exhibitum calculum et quemlibet Canonicum, demptis omnibus oneribus ac quibuscumque expensis, vere percipisse annualem summam scut. 30 et ultra, prout ex visura librorum ejusdem Collegiatae etiam compertum habui; et subdit, ad Archipresbyteri commodum, subductis omnibus oneribus et expensis, scut. 180 circiter remanere.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere:

I. *An Canonici s. Nicolai fuerint et sint immunes ab applicatione missae conventualis?*

Et quatenus negative,

II. *An sit locus reductioni oneris applicationis ejusdem missae ad dies dominicos tantum in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative, et amplius.

Ad II.: Negative.

Die 8. Aug. 1761.

Continuatio Nullius s. Rufili Provinc. Ravenat.

Non acquieverunt Canonici resolutioni secundi dubii. Novo igitur exhibito decennali reddituum canonicalium calculo iterum modo postulant, ut ob nimiam illorum modicitatem ad dies tantum dominicos reducatur applicatio missae conventualis. Inquiunt enim fundatorem singulis assignasse annua scuta triginta; ipsos autem ex illius bonis vix annua scuta novendecim et ex legatis postea capitulo relictis percipere alia annua scuta quinque et obulos octuaginta septem, atque ita in totum habere annua scuta viginti quatuor et obulos nonaginta, et nonnisi post annum 1791, quo fieri tantum poterit extinctio passivi census scut. 700 impositi in causam sumptuum erectionis Collegiatae, redditus canonicatus perventuros esse ad annua scuta 29. 28. Latere haec monia ex decennali calculo per peritos a Vicario capituli electos exarato. Attenta idcirco tanta reddituum tenuitate ad congruam singulorum sustentationem non apta ac imminuto annuo redditu cuique ex presbyteris a fundatore assignato locum esse debere reductioni applicationis missae conventualis tum ex literis constitutionis san. mem. Benedicti XIV. incip.: *Cum semper 19. Augusti 1744**), tum ex assueta sacrae Congregationis benignitate, ut in *Amerina 12. Marti 1746* et in *Cervien. 17. Septembris 1757*.

Eamque eo libentius ipsis ajunt indulgendum, quia innumeris aliis oneribus gravantur; tenentur enim quotidie missam conventualem canere et quandoque etiam plures juxta missalis rubricam binas missas lectas cum maximo incommodo, alteram diluculo, in meridiem alteram celebrare, Archipresbytero in missis solemnibus et vesperis assistere, concionibus tam in adventu quam in quadragesima fieri solitis interesse, ad processiones tam ordinarias quam extraordinarias accedere, propriis sumptibus solemne festum s. Sylvestri et translationis almae domus Lauretanae celebrare aliaque plura subire munia, quae leguntur in fundatione.

Iniquum propterea summopere videri, ut, dum adeo exiguos redditus habent nec quantitati a fundatore praescriptae nec congruae cujusque substentationi respondentes, teneantur ultra innumera, quibus gravantur, onera ad quotidianam etiam missae conventualis applicationem, ne alias cogantur victum sibi aliunde cum dedecore clericalis status comparare.

Sacra haec Congregatio pluries declaravit, Canonicos cathedralium et collegiatarum ecclesiarum teneri ad applicandam quotidie pro benefactoribus in genere missam conventualem non obstante quacumque contraria consuetudine, quamvis immemorabili, ut in *Squilacen. 17. Martii 1714*, in *Camerinen. 9. Junii ejusd. anni*, in *Ferrarien. 18. Martii 1719*, in *Comen. 11. Maji 1720* et in *Veliterna 14. Martii 1722*. Idemque edixit san. mem. Benedictus XIV. in sua celebri constitutione incip.: *Cum semper*, 19. Augusti 1744.

Ad occurrendum tamen ecclesiarum paupertati et inopiae idem Benedictus XIV. in eadem constitutione §. *Alii* ita monuit: »Tridentina quidem synodus *sess. 24. cap. 15.* opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri; si vero designatam a concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem concilii recursum habere, cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a praedecessoribus nostris eidem impartita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.«

*) Vd. *p. 699 §. 11 etc.*

Saepius ob id in sacra Congregatione actum est de reductione*) applicationis missae conventualis propter reddituum canonicalium tenuitatem, ac juxta varias rerum circumstantias respondit; aliquando enim denegavit, ut in *Camerinen. Missae conventualis 6. Junii 1705* et in *Vicen. Missae conventualis 13. Septembris 1749*; aliquando autem, urgente gravi inopia, reductionem concessit ad dies festos de praecepto, ut in *Narnien. 11. Junii 1712*, in *Veliterna 14. Martii 1722 ad III. dubium*, in *Spoletana 19. Decembris ejusdem anni*, in *Spalaten. Applicationis missae conventualis 23. Junii 1729*, in *Amerina Missae conventualis 12. Martii 1746* et in *Ariminen. Missae conventualis 18. Septembris 1751*.

Tota hinc inspectio ex reddituum quantitate pendet. Vicarius generalis sacrosanctae Basilicae s. Petri in praecedenti informatione *diei 25. Julii 1760* affirmavit: »Ex omnibus redditibus evidenter constat, quemlibet Canonicum, demptis omnibus oneribus ac quibuscumque expensis, vere percepisse annualem summam scutorum triginta et ultra, prout ex visura librorum ejusdem Collegiatae etiam compertum habui, quae distributio profecto augebitur progressu temporis usque ad summam scut. 36 attenta potissimum diminutione et cessatione fructuum censualium ac totali extinctione aeris alieni, ad quem effectum annualiter fit depositum scut. vigintiquinque.«

Modo vero idem Vicarius generalis refert: »In obsequium mandatorum EE. VV. deputatis a me duobus peritis ratiocinatoribus, ut distincte referrent super quantitate percepti ac respective impensi per Collegiatam spatio decem annorum injunctaque desuper Canonicis exhibitione omnium et quorumcunque librorum dictae Collegiatae, in quibus sive introitus sive exitus tam haereditatis Caesaris Armanni fundatoris Adunantiae duodecim presbyterorum in Collegiatam postea erectae anno 1743 ex benignitate et indulgentia ipsius summi Pontificis Bened. XIV. quam aliorum legatorum a beneficiatoribus eidem Collegiatae relictorum descripti reperirentur, in lucem prodiit status ipsius Collegiatae seu verius calculatio reddituum, ut supra, per dictos peritos efformata, quam pariter adnecto: ast quia ob generalitatem dictae calculationis dubitatio aliqua super veritate et quantitate eorumdem reddituum et respective expensarum oriri posse videbatur, exegi attestationes, quas etiam adnectendas censeo.«

Verum quoad exhibitum novum calculum status activi et passivi ponderandum est, an jure detracta fuerit eleemosyna onerum missarum et missae conventualis, quoties fundator injuncto onere celebrationis missae conventualis et applicationis unius missae quotidianae singulis presbyteris assignavit annua scuta triginta tantum expresse immunia »da tutte le spese, cioè di supellettili per la chiesa, sagristia, chierici, cere e cose simili.«

Advertendum item, quod, licet in statu activo, qui datus fuit anno 1761 fundationis, redditus darentur dal primo Giugno 1755 a tutto Maggio 1756 scut. 258. 17, dal primo Giugno 1756 a tutto Maggio 1757 scut. 239. 10, dal primo Giugno 1757 a tutto Maggio 1758 scut. 210, attamen in hodierno calculo longe inferiores redditus eorumdem annorum adnotantur.

Proponitur:

An sit standum vel recedendum a decisis, ita ut sit locus reductioni et quomodo in casu?

S. C. resp.: In decisis, et amplius.

Die 24. Jan. 1767.

Ariminen.

S. m. Benedictus XIV. parochialem ecclesiam s. Luciae oppidi Sabiniani in saecularem et insignem Collegiatam anno 1742 erexit eamque constare jussit ex Canonicis atque Archipresbytero prima et unica dignitate, cui animarum cura incumbit. Qua Archipresbyterum et qua Canonicos residentiae lege atque etiam onere *debitis temporibus horas canonicas diurnas et nocturnas necnon conventualem aliasque missas caeteraque divina officia collegialiter* persolvendi obstrinxit. Ex singulis vero canonicalibus et archipresbyterali praebendis quolibet anno detrahi edixit scutata sexdecim in usum distributionum quotidianarum convertenda et a singulis choro personaliter interessentibus lucranda. Jam inde ab initio plures obortae sunt controversiae Archipresbyterum inter et Canonicos. Archipresbyter enim, qui antiqua fruebatur praebenda nihilque perceperat emolumenti ex Collegiatae erectione quique in tabulis 7. Februarii 1741 obsignatis, quibus memoratae erectioni consensum praestitit, caverat, assumpturum *onus inserviendi choro*

*) Vd. *Applicat. missae conv.* (reductio).

diebus festis tantum, dummodo a functionibus parochialibus non fuerit legitime impeditus, ac solutorum sex scutata monetae romanae ab ipso lucranda loco distributionum, aegre tulit graviora per literas apostolicas sibi injuncta fuisse onera. Quamobrem apostolicam adiit Sedem et ablegata causa ad tribunal A. C. Trinetti sententiam obtinuit, quae instrumentum diei 7. Februarii 1741 *in omni sua parte observandum et exequendum* mandavit.

Quum vero ad tramites bullae erectionis capitulares constitutiones anno 1779 ediderint Canonici atque in his indicta fuerit applicatio missae conventualis per turnum inter Dignitatem et Canonicos simulque quoad universum capitulum fuerit demandata obligatio singulis diebus choro interessendi et contribuendi scutata sexdecim pro quotidianis distributionibus, denuo lis exarsit, quibus legibus moderanda esset ecclesia, num scilicet privatis conventionibus anni 1741, ceu Archipresbyter, num potius constitutionibus capitularibus anni 1779, veluti Canonici contendebant. Rei cognitione delata ad sacrae romanae Rotae tribunal causa cecidit Archipresbyter ac semel iterumque definitum fuit, observanda et exequenda esse capitula anni 1779 ideoque Archipresbyterum non secus ac Canonicos eisdem devinctum esse oneribus, prout docent decisiones in *Ariminen. 12. Decembris anni 1794* et *15. Maji 1795 coram Gardoqui*. His tamen haud fractus hodiernus Archipresbyter Franciscus Galli, quod illius antecessor jure consequi non valuit, ipse nunc gratia ab EE. VV. obtinere nititur. Sabinianensem siquidem Collegiatam jam ab anno 1797 a gallico regimine cunctis bonis (excepta Archipresbyteri praebenda) expoliatam in antiquum statum restitui die 4. Februarii superioris anni 1826 decrevit feliciter regnans summus Pontifex Leo XII. adjecta tamen lege »che tutti i Canonici debbano coadjuvare il parroco tanto nell' ascoltare le confessioni e nell' amministrazione del sagramento dell eucaristia prestandosi per turno almeno nei giorni di Mercoledi e sabato di ciascuna settimana e per tutto il tempo pasquale in ogni giorno, quanto nelle funzioni parochiali nell' assistenza dei malati, nell' istruire la gioventù nella dottrina cristiana .... che in ogn' anno nel corso della quaresima diano una muta di esercizi spirituali nella chiesa, ove è eretta la Collegiata, e che una volta in ogni cinque anni o essi stessi, o per mezzo di altri sacerdoti idonei faciano eseguire le ss. missioni o in Savignano o in quel luogo della diocesi di Rimini che sarà per scegliere Monsignor Vescovo.« Antequam itaque hujusmodi pontificium decretum executioni committatur, hodiernus Archipresbyter, ut ipse suique successores animarum curae impensius vacent ac vetus litium germen divellatur, exemptionem a chorali servitio et a missae conventualis applicatione enixe efflagitat, spondens etiam nomine successorum, se suis sumptibus curaturum, ut spiritualia exercitia et sacrae missiones in oppido Sabiniani expleantur.

Archipresbyteri petitionem benigne excipiendam censet Episcopus de informatione et voto requisitus, inquiens: »Puto ad tollendas e medio omnes quaestiones, quae in posterum hac de causa possunt oriri, et ad fovendam pacem et concordiam inter capitulum, quod citius, quo fieri potest, redintegrabitur perfecte, et Archipresbyterum pro tempore Sabiniani existentem, concedendam esse eidem Archipresbytero petitam exemptionem tum a choro tum a celebratione missae conventualis.

Exoratam exemptionem aequam et utilem, immo necessariam arbitratur Archipresbyter; altiorem, quam canonicatus, repetit originem nihilque antiquis illius redditibus accessit incrementi ex mensa capitulari. Igitur aequitati et justitiae consonum videtur, ut, qui nullum ex Collegiatae erectione sentit commodum, immunis sit ab onere servitii choralis et applicationis missae conventualis, praesertim quia Archipresbyter Mancini in conventionibus anni 1741 erectioni Collegiatae consensum adhibuit ea sub lege, ut ipse ac successores choro interesse tenerentur festis tantummodo diebus, si tamen id sineret animarum cura ab ipsis gerenda atque ejusmodi conventiones adamussim servandas edixerit sententia A. C.

Major quoque fidelium utilitas suadet, petitam immunitatem esse concedendam; nam Archipresbyter a servitio chorali exemptus facilius ac diligentius incumbere poterit in sacramentales confessiones excipiendas, in verbi Dei annuntiationem atque in alia spiritualia subsidia populo sibi commisso praestanda, quod proprium ac praecipuum est parochorum officium. Accedit, quod Archipresbyter orator, si voti compos fiat, pollicetur se onera spiritualium exercitiorum sacrarumque missionum, quae ex decreto redintegrationis Collegiatae Canonicis immineret, suis sumptibus impleturum. Necessariam tandem ejusmodi exemptionem vocat Archipresbyter, ut vetustis contentionibus finis imponatur atque aditus obstruatur quaestionibus inter Archipresbyteros et Canonicos magno fidelium scandalo forsitan orituris.

At vero pro meo munere nonnulla animadvertere puto, quae rationum momenta ab Archipresbytero allata penitus evertere videntur. Et sane Archipresbyteris Sabianensis Collegiatae optimo jure onus inhaerere cum servitii choralis tum applicationis missae conventualis innuunt literae apostolicae Benedicti XIV., evincunt capitulares constitutiones anni 1779, ostendunt binae s. Rotae decisiones. Frustra itaque hodiernus Archipresbyter de istis oneribus conqueritur, quae eidem fuisse legitime imposita nunc ambigi nequit. Nec exemptionem a choro sibi blandiri valet propter animarum curam, quam exercere compellitur. Passim enim occurrunt exempla canonicatuum, quorum rectores et choro interesse et animarum curam gerere adiguntur et nihilominus utriusque muneris onera perferunt, quoniam ipsi, ubi spiritualis commissi populi exigit necessitas aut utilitas e choro discedere, non prohibentur ac quotidianas percipiunt distributiones, *Bened. XIV. inst. eccl. 107. n. 101,* s. Congreg. in *Spoletana Servitii chori 18. Februarii 1795 ad III. dubium,* et *in s. Miniatis Visitationis ss. liminum 25. Februarii 1817* §. *Etenim.*

Praeterea Sabianensi Archipresbytero tres Vicarii ad nutum amovibiles suppetias ferunt in obeunda animarum cura atque ex decreto redintegrationis Collegiatae omnes Canonici ei opem praebere obstringuntur: ampla Archipresbyter auctus est praebenda, siquidem ex tabulis ab ipso exhibitis liquido constat annuos fructus ad summam pertingere scut. 968, cuncta vero onera summam conficere scut. 558, ideoque, si opus foret aliis etiam sacerdotibus, qui ei opitulentur, stipendium solvere posset.

Tandem petita exemptio deneganda est, ne chorale servitium detrimentum patiatur. »Dos enim, ait Episcopus, pro redintegratione, quae annuum fructum scut. 300 non attingit, vix sufficere potuerit pro quinque inservientibus choro, cum ex tali summa demi et debeant expensae pro cultu necessariae. Huic numero si adjungatur etiam canonicatus de jurepatronatus familiae Perticari, inservientes erunt tantum sex. Si autem preces Canonicorum, qui indulta postulant abessendi a choro pro diebus et horis ad spiritualia subsidia fidelibus suppetitanda, ab hac s. Congregatione rejiciuntur, quoties in choro exiguus superesset Capitularium numerus, s. Congreg. in *Cingulana Servitii chori 24. Martii 1817 ad II. dubium,* et in *Lycien. Servitii chori 25. Februarii 1826* §. *Concedenda,* eo magis sunt respuendae oratoris preces, qui perpetuam et cumulatam postulat exemptionem a servitio chorali insignis Collegiatae, cui sex tantummodo inservient Canonici.

Videant itaque Emmi Patres:

An et quomodo sit concedenda exemptio a choro et ab applicatione missae conventualis in casu?

S. C. C. resp.:

Negative in omnibus.

Die 18. Aug. 1827.

Albinganen.

Frequenti sacerdotum ministerio locupletique censu usque a saeculo XVI. oppido florebat parochialis ecclesia divo Ambrosio sacra in civitate de Massio Albinganensis dioeceseos. Episcoporum munificentia quaedam inibi conflata jam fuerat presbyterorum massa, qui parocho praeeunte divinas laudes persolvendo caetera ecclesiastica munia insimul obibant, ferme ac si capitulum Canonicorum constituerent. Ingens piorum legatorum quantitas haud mediocrem pecuniarum vim suppeditabat, quam illius massae presbyteri secum aequa lance dividebant, majori simbola parocho repraesentata.

Postquam hoc ineunte saeculo eversa est res ecclesiastica universa, id quoque illi praepositurae contigerat; necesse propterea fuit ad apostolicam Sedem recurrere, praeteritis omissionibus remedium adhibere ac veterem disciplinam denuo instaurare. Hoc praestitit de anno 1809 illius temporis Antistes atque novus rerum ordo summo auctorante Pontifice veteri suffectus uniuscujusque munera et jura libravit. Ecclesiae census propterea in libellis antea supputatus 1220 ultimis hisce temporibus ob diligentissimam bonorum administrationem obque sacerdotum sedulitatem ad summam excreverat 2300 libellarum majusque ita

evaserat sacrarum suppellectilium templique ipsius nitor ac decus.

Ab hominum memoria unum Massensium votum, ut sacra divi Ambrosii aedes ad insignis Collegiatae honores eveheretur. Per antiquum hoc incolarum consilium exequutioni tandem committebatur et sacratissimus Princeps et Pontifex Gregorius XVI. per apostolicas literas postridie Idus Martii obfirmatas anni 1838 *templum praedictum ad gradum saecularis et insignis Collegiatae, ut antea parochialis*, evexit atque *unam praeposituram, dignitatem principalem, collationi apostolicae semper et quandocumque reservatam, cui universa animarum ejusdem collegiatae ac parochialis ecclesiae parochianorum cura immineat*, instituit per concursum sacerdoti conferendam, qui ipsius ecclesiae *capitulo praesideat ac praeeminentiam primumque digniorem locum in eo et in omnibus ecclesiasticis functionibus obtineat.* Canonicorum autem numerum, juxta inibi existentem presbyterorum seriem, in unum supra decem praestituit, *totidem praebendas, ex quibus una cum praedicto dignitario universum dictae Collegiatae capitulum constet.*

Dioecesano Praesuli fiebat interea potestas singulis Canonicis congruum praefiniendi emolumentum ex collectitio redditu 3413 libellarum, quae superesse dignoscebantur ultra praepositi praebendam jam seorsim constitutam. Quippe datae ad Episcopum literae ita prosequuntur: *Ut firmiter dignitatis et canonicatuum et praebendarum praedictarum dos effornetur, praeposituraе, ultra stolae emolumenta, annuam summam libellarum 250 a communi praefato solvendam assignes et confecta ex praedicto omni redditu libellarum 3413 communi massa, super ipsam cuiquam Canonico praebendam lib. quinquaginta in perpetuum statuas etc. Reliquas vero pro quotidianis distributionibus inter singulos Capitulares dividendis, (ex quibus tamen, ut antea fruebatur, duplici portione gaudeat Praepositus) perpetuo separes et applices. Et quoniam ex praedicta massa adhuc libellae 2316 in missarum partim privatarum partim autem cum cantu celebrationem annuatim erogari deberent, quam ob rem futuris Canonicis haud obtingeret quod honeste vivere valerent, omnia enunciata onera ad sacrum conventuale quotidianum per turnum peragendum ac pro benefactoribus et legatariis, juxta charitatis et justitiae ordinem, applicandum auctoritate apostolica reducas.*

Pontificis jussa punctim fuere exequutioni demandata atque ecclesia ad Collegiatae honores demum evecta, Praepositus et Canonici injuncta munia diligentissime perfuncti sunt ac ut in veteri massa assoleverant missas conventuales per turnum, nemine prorsus excepto, singuli cantu celebrarunt usque ad exactum Februarium superioris anni. Episcopo facultas fuit tributa sequentibus verbis: »Postremo tandem tibi nova hujus collegiatae ecclesiae statuta, quibus choralia et personalia officia caeteraque onera designantur, condendi eaque omnia desuper, *absque ulla tamen praesentis gratiae substantiali immutatione*, disponendi, quae pro tuis arbitrio et conscientia salubriter in Domino expedire judicaveris, plenam et absolutam licentiam et facultatem pari apostolica auctoritate concedimus et impertimur.« Statuta capitularia praescripsit, ubi capitulo V. haec leguntur: »Cum distributiones, quae a Canonicis choro interessentibus percipiuntur, proveniant ex legatis missarum a sancta Sede moderatis, et *ad quotidianam missam conventualem in cantu redactis*, tenentur proinde singuli Canonici missam conventualem per turnum in cantu celebrare eamque pro benefactoribus applicare, quin ullum stipendium neque Collegiata neque aliunde pro ejus applicatione ipsis exigere liceat. . . Constans in omnibus Collegiatis est ordo a decretis sacrae Congregationis firmatus, ut missae conventuales, quae in solemnioribus festis celebrantur, primae dignitati reservatae sint. Quapropter in festis synodalibus necnon in festivitate Titularis ecclesiae divi nempe Ambrosii ad Praepositum illae pertinebunt, qui hisce tantum diebus missam conventualem cum cantu celebrare et applicare tenebitur, *nec ad turnum, qui a Canonicis fit, pro eadem missa adigendum erit.*«

Aegre scilicet tulerunt Canonici Praepositum missae conventualis turno cum caeteris Canonicis fuisse exemptum. Quare cum incassum cesserint penes Episcopum consilia, ut articulus praefatus reformaretur, s. hunc ordinem adierunt decerni postulantes: *Praepositum una cum caeteris Capitularibus ad missae conventualis celebrationem per turnum teneri.*

Assueta rescripti formula »Episcopo pro informatione et voto« preces remissae sunt, ut auditis Praeposito et capitulo sacram Congregationem de omnibus redderet instructam.

Muneri suo Praesul ita satisfecit: »In vim facultatis per bullam erectionis Episcopo factae statuta pro noviter erecta Collegiata condebam. In iis porro *Praepositum a turno, de quo est quaestio, exemptum declarasse justum ac aequum fore judicabam iis argumentis:*

Praeposito Massiensi cura exclusive imminet numerosae paroeciae animarum circiter septem millium eique proinde competit missam applicare pro populo singulis diebus festis ac persaepe infirmorum adsistentia et confessionibus fidelium excipiendis detinetur. Verum si ad turnum missae conventualis adigatur, frequentissime recurreret, ut una eademque die duplicis missae applicatione, videlicet pro benefactoribus una, altera pro populo obstrictus inveniretur, infirmos vero ac sanos confessionem exposcentes pro missa canenda dimittere cogeretur.

Insimul non me latebat in civitate Genuensi Praepositum, qui est simul parochus insignis Collegiatae s. Mariae Vinearum, in solis festis solemnioribus missam canere et applicare. *Decus praeterea et quaedam conveniens honorificentia Collegiatae insignis et civitatis mihi postulare videbatur, ut qui prima et unica exstat dignitas capituli, is in praecipuis tantum ac solemnioribus festis missam caneret.* Neque Canonicos ex hac exemptione Praepositi valde gravari ducebam; calculo enim inito discriminis resultantis inter ipsos et Praepositum invenitur unius anni decursu, Canonicis singulis triginta, Praeposito vero pro diebus solemnioribus ejus oneri relictis viginti missas conventuales in cantu applicandas imminere. *Nihil ergo ex parte gravaminis capitulo resultantis obstare videtur, quominus exemptio, de qua in casu, substineatur.*

Verum non hisce tantum momentis adductis statutum condebam, vi cujus Praepositus Massiensis solis diebus solemnioribus missam decantet, sed prius explorandam duxi Collegiatarum nostrae dioecesis consuetudinem. Ast nullum inveniri potuit capitulum, in quo Praepositum Collegiatae ac insimul parochus ad turnum cum Canonicis peragendum adigatur. *Ita nimirum res procedit in Collegiata Oneliensi, Bianensi, Portus Mauritii, Plebis, sanctae Mariae in Fontibus hujus civitatis, quibus addi potest Collegiata Tabiensis. In his porro cunctis Collegiatis exemptione gaudet parochus a turno peragendo in ordine ad missam.*

Neque obiter silentio praetereundum est, quod nuper accepi, Canonicos videlicet Tabienses, cognita instantia capituli Massiensis, ipsos quoque adversus hujusmodi exemptionem insurgere coepisse et sic verendum de caeteris, si capituli Massiensis instantiae s. Sedes indulgeat.

Quoad rationes ac momenta, quibus innituntur Canonici, ut suam tueantur causam, non alia plane sunt, quam illa, quae in precibus continentur, quas hic inclusas remitto ad Em. V. Hi nempe nituntur consuetudine; ast nemo non novit ullam Massii extitisse an. 1841 Collegiatam ac proinde eam, quam afferunt, consuetudinem priorum temporum non est Collegiatae, quae nullo modo extabat, sed quorumdam sacerdotum, qui sub nomine massae in ea ecclesia, non sane quotidie, sed festivis diebus ac feriis sextis quadragesimae una cum Praeposito missam per turnum celebrabant. Verum cum illa massa erecta in Collegiatam minime sit, sed omnino per bullam erectionis Collegiatae suppressa, nulla ratione consuetudo illorum sacerdotum Praeposito Collegiatae de novo erectae obesse unquam poterit.

Neque mihi ullum ex diversa omnino hujus corporis consuetudine visum est exurgere momentum, vi cujus Praepositum caeteris Canonicis in turno missarum aequiparare deberem. Nulla vero mutatio neque interpretatio proprie dicta per me facta est veneratae bullae erectionis ex illo statuto, quod nonnullis Canonicis displicet, sed, quod indeterminatum in ea erat, mihi per statuta determinandum relictum esse judicavi.

Neque aliquid negotii facessit, quam in Anagnina afferunt Canonici s. Congregationis responsionem. Non enim cognoscitur Praepositum Cathedralis, de quo in ea causa, fuisse simul parochum, ut est Praepositus Massii; insuper reponi potest regula, quam et ipsi Canonici admittere videntur in eorum instantia, scilicet responsum s. Congregationis stricte esse interpretandum neque extendendum esse de casu in casum nec de persona in personam.

Caetera vero, quae Canonici proferunt, ut condito statuto se subtrahant, responsione indigere haud videntur.

Quae cum ita sint, ut mei animi sensum pro ea qua teneor erga EE. VV. reverentia proferam, rejiciendas Canonicorum instantias

ducerem et capitulare statutum, de quo est quaestio quodque jam in usu est, tenendum prout jacet ac Praeposito a turno exempto solemnioribus aliisque indicatis festis missam conventualem in cantu celebrandam reservare.

Habet sacer ordo omnia rationum momenta, queis fulcitur Episcopus, ut latum a se decretum substineat. Porro multa contra disserunt Canonici. Mixtus ille (ita ipsi) apostolicarum literarum exequutor ex clausula literis apposita *vocatis vocandis*, uti decrevit sacra Congregatio in *Ferent. 27. Novembris 1779*, postquam erectionis gratiam ad exitum perduxit, suo jam munere perfectissime functus nihil amplius juris in themate poterat exercere. Porro capitulares constitutiones, quarum conscriptionem Praesuli apostolicum mandatum commisit, non afficere erectionis gratiam, non Canonicorum onera, jura atque emolumenta, (quae sane omnia perspicua oratione distincte sancita in iisdem apostolicis literis reperiuntur) sed respicere dumtaxat internum atque ferme domesticum Collegiatae ordinem et oeconomiam, rem ajunt compertissimam, praesertim ex inibi apposita conditione, *absque ulla praesentis gratiae substantiali mutatione*. Hinc nefas erat contra panditum exequutoriale decretum insurgere et jura nova, constitutionum conficiendarum obtentu, sancire, quae primaeva Canonicorum jura penitus destruerent. Omne cessaverat enim in Episcopo mandatum, quippe exequutor apostolicarum literarum functus dicitur officio suo, postquam exequutionem perfecerit illiusque delegationem consumptam esse et expirasse, probant *Cardinalis de Luca de judiciis discur. 3. n. 25. et discur. 36. n. 6, Vant. de nullit. cap. 3. n. 9, Scaccia de appellat. quaest. 19. 1. conclus. 6. n. 73, Merlin. decis. 135. et tit. de alien. et contract. prohibit. discur. 1.*

Quinimo vulgato jam erectionis decreto et peracta Collegiatae fundatione Episcopis neque in sacra fundatione neque in dioecesanis conventionibus fas esse quidquam decernere adversus fundationum leges vel onera diversa reddere, praeter ea in fundatione imposita, haud iis adprobantibus et consentientibus queis praejudicium inferatur, statuunt *Monacell. formul. pract. legal. tom. 2. tit. 15. form. 4. n. 29, Fargna de jure patron. p. 1. can. 6. cas. 5. n. 3, Crisp. de tractat. visit. pastor. part. 1. §. 17. n. 37*, et post eos sacrae Rotae tribunal in *Caputaquen. Praecmi-nentiar. 5. Junii 1756 §. 16 coram Stadion.* et in *Tarragonen Vicariatus super juribus et emolumentis vicariorum 4. Julii 1759 §. 4 cor. Herreros*, quia fundationes se habent per modum contractus ultro citroque obligatorii, a quo resilire nefas, s. Congr. in *Cingulana Erect. mansionar. 23. Nov. 1771 §. 4* et in *Pontis Curvi cap. super reduct. miss. 29. Julii 1786 §. 9.*

Quod si quid hac in re Episcopo licuisse admitteretur, id tamen ajunt potuisse congruo erectionis tempore, non quidem *absolute* et ex sui voluntate sed congruenti partium *judicio*, quarum consilium necesse ei fuerat exquirere. Atque in exequutoriali decreto nec verbum nec volam hujusmodi exemptionis fecit Antistes nec post erectionem sese illi quoad missam conventualem opposuit Praepositus, qui e converso diligenter et per vices ei ex turno correspondenti oneri missae conventualis canendae sese accommodavit et *de facto* cantavit: nequit itaque modo Antistes vel ipsemet Praepositus *factum* proprium impugnare atque tunc sancitum et observantia roboratum vel infectum declarare vel contra ejus adimpletum insurgere, *Rota in recentior. decis. 37. n. 8. p. 14. cor. Molines, dec. 327. n. 6* et in *Bononien. Alimentorum seu fructuum dotis 18. Aprilis 1785 §. 6. 7 cor. Elephantutio.*

Etiamsi literarum apostolicarum exequutor id in erectione patrare voluisset, omnino id illi vetabatur ab ipso literarum tenore, ab juris communis disciplina, ab inveteratae massae consuetudine. Primum quod attinet, perspicue prorsus capituli munia distinxit erectionis bulla. Undecim canonicatus totidemque praebendas, ex quibus *una cum praemisso dignitario universum dictae Collegiatae capitulum constet*, erectos voluit Pontifex, ut veteribus legatis missarum fieret satis ac *Sacrum conventuale quotidianum per turnum perageretur*. Animadvertere praestat, Pontificem ad quamlibet eliminandam dubietatem, postquam de praebendis adnexisque canonicatibus edixerat, illico subdidisse, quod non aliter conflari poterat capitulum, nisi Canonicis Praepositus Dignitarius adjiceretur. Nemo autem inficiabitur, subsumunt Canonici, nomine capituli omnes venire, qui choro deserviunt et in eamdem venit Episcopus sententiam, quum suae epistolae initio fatetur *Collegiatam Alessiensem duodecim comprehendere Canonicos*. Hinc ex communi jure

derivata Praepositi in capitulum jurisdictio, hinc etiam derivatum jus per seniorem Canonicum eo decedente acta jurisdictionalia exercendi, hinc poenales leges, quae Collegiatarum aeque ac Cathedralium dignitates et Canonicos afficiunt quaeque capitulis simpliciter nulla facta restrictione indicuntur: *Devot. instit. canonic. tom. 1. tit. 3. sect. 8. §. 67*, sacr. Congr. in *Imolen. Jurium capitul. 14. Maji 1774 §. 2.*

Hinc demum obligatio, qua dignitates Collegiatarum tenentur exercere officium hebdomadarii et alia munia subire sicut caeteri de capitulo. *Vidend. Ferraris Biblioth. verbo: Hebdomadarius n. 20, Monacell. tom. 1. tit. 2. form. 4.*

Id adeo verum in themate experiri instant Canonici, ut illud unum, a quo voluit Praepositum exemptum, expresse edixerit Pontifex, etiamsi opus non esset, quippe a communi jure proficiscebatur, nempe ut Praepositus, *quoties in curae hujusmodi exercitio versetur tamquam in choro praesens habeatur.* Porro si quod voluit expressit noluisse merito censendus est, ex notissima juris regula, de qua *Barbosa Axiom. §. 9 n. 2, Rot. decis. 7. n. 29. cor. Bichio.*

Jam vero praetensa Praepositi exemptio non solum expressa mentione sed speciali quoque derogatione juri generatim invecto et in omnibus tum cathedralibus tum collegiatis ecclesiis observato indigebat. Etenim conventualem missam veram constituere divini officii partem citra omnem dubitationem receptum est *ad tradit. per Monacell. tom. 1. tit. 2. form. 4. num. 27, Pignatell. consult. canonicar. tom. 4. cons. 92. n. 2. et seqq.*, s. Congr. in *Hydruntin. 1. Martii 1692*, in *Cathacen. 29. Sept. 1698*, in *Civitatis Castellanae 4. Martii 1790*, adeoque ad ejusdem celebrationem et applicationem teneri quempiam de capitulo sive Canonicum sive Praepositum vel beneficiatos et etiam mansionarios post doctrinam traditam *per Gloss. in Clement. I. de celebr. missarum* docet *Fagnan. in cap.: Uti Abbates num. 8*, et hic sacer ordo statuit *in Pisana Applicationis missae conventualis 6. Julii 1737* et in *Aquipendien. 20. Septembris 1788* et in *Auximana missae convent. 16. Dec. 1820*, ubi edicitur id partem esse divini officii et ad omnes spectare, qui alicujus ecclesiae clerum constituunt, Et s. m. Benedictus XIV. missae conventualis onus denuo confirmans in celebrata encyclica *Cum semper oblatas**) aperte innuit, jam in singulis diebus *cantari a clero debere*. Qui tamen sub cleri vocabulo intelligendus sit, ita ut ad ejus oneris satisfactionem teneatur, explicat idem Pontifex §. 12 scilicet: *Dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinentes.*

Haec omnia demum robustiores vires nanciscuntur ex prisca presbyterorum consuetudine, qui, antequam locus erectioni fieret, easdem conventuales missas per turnum decantabant et Praepositus, tamquam massae Prior et caput, exemplo suo constanter obfirmavit. Et quoniam id omne summo Pontifici innotuerat, quando apostolicum ad Episcopum dabat erectionis mandatum, si reapse Praepositum ab invecta dudum per canones lege, ab observantia et consuetudine exemptum voluisset, hoc certo certius fecisset, uti jam egisse probavimus circa punctaturas Praeposito ob absentiam non imputandas, si actu in animarum sibi commissarum gubernatione detinebatur.

Refellunt porro argumenta, quae in suis literis ab Antistite allegabantur. Argumentatio sane si valeret, ajunt Canonici, ex redditum tenuitate deprompta, tunc meliori jure ex comparata Canonicorum admodum exili obventionum symbola cum primae Dignitatis emolumentis, eximi unusquisque Canonicorum deberet a missae conventualis celebratione, quippe qui Praepositi respectu minimam capiunt redditum quantitatem. Quandoquidem ille, praeter usum et habitationem ex aedibus divi Ambrosii ecclesiae attiguis, uni tantum Praeposito ex antiqua consuetudine adsignatis, opipara habet stolae emolumenta, biscentum quinquaginta per annum libellas, duplici gaudet in quotidianis distributionibus portione atque ab onere diei exemptus est, si in animarum curam incumbat, dum integrum persolvunt Canonici divinarum laudum officium. Si itaque haec ingens pecuniarum vis cum domus usu et habitatione ad honestam haud sufficiunt Praepositi substentationem, quidnam cum *quinta tantum parte* praebendae in quinquaginta annuis libellis computata reliqui de capitulo viri ad sui tuitionem facere possint, nemo est qui non videat.

Nec officit quod idem subjungit Antistes

*) Vd. *p. 695.*

circa Praepositum in animarum cura distentum, qui, si haud ab hujusmodi obligatione eximeretur, duplici onere gravatus existeret, nimirum ad conventualem decantandam et applicationem missae pro populo. Huic enim difficultati jam occurrit Benedictus XIV. in laudata encyclica §. 17 scilicet: *Jubendo singulis praedictis, ut missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret applicetque.*

Atque huic immortalis Pontificis doctrinae respondent examussim resolutiones pluries a s. hoc Ordine editae similibus in casibus, uti videre est in *Ariminen Missae conventualis 18. Septembris 1751 ad 2. dub.* et in alia *Ariminen Servitii chori 18. Augusti 1827,**) in *Lucana Capellaniar. 6. Augusti 1825,* in *Viterbien. ad dubia Missae parochialis et conventualis 31. Martii 1708 ad 1. dub., Civitatis Castellanae 8. Augusti 1648.* Idem tenuit sacra Rituum Congregatio in *Anagnina diei 21. Aprilis 1736,* quae refertur in *man. ecclesiast.*

Neque pariter turbantur Canonici responso, quod opponit Episcopus veteri ecclesiae consuetudini, antequam in Collegiatam erigeretur: etenim, urgent, si per Episcopum stat, quod in veteri massa Praepositus conventualis oneri subjiciebatur, si Pontifex in suis literis hanc eamdem obligationem eidem imposuit, si ex juris praescripto, etiamsi nullum de hoc verbum factum esset, talis ei manebat obligatio, si post erectionem eidem oneri satisfecit sponte Praepositus, haud inveniri ratio potest, ut novus in praesentiarum rerum ordo praestituatur et cum aliena jactura et ab antiquo onere exempta dignitas declaretur, maxime quum Canonici jura sua non deducant ex antiqua massae consuetudine, sed ex inconcusso bullae tenore et in eluctabili sacrorum canonum praescripto.

Atque hic Praepositum (animadvertunt) non ideo tacuisse, ne discordias cieret inter fratres, ut affirmat Antistes, sed potius ex conscientia juris capituli, a qua sententia nunquam deflexisset, si Episcopi favore non excitatus.

Ad consuetudinem caeterarum Collegiatarum quod attinet, non assentiuntur praeprimis Canonici historiae Episcopi narrationi. Quod ambas respicit Albinganensis civitatis Collegiatas, ex fundationis lege quum ad capellanos et mansionarios spectet id oneris adimplere, nil mirum si parochus, qui prima inibi dignitate gaudet, et cum eo Canonici a missa conventuali speciali fundationis praerogativa eximantur. Quae autem *plebis nomine* insignis exurgit Collegiata, in cujus exemplum suo decreto innititur Episcopus, Alassiensibus mirifice favet; inibi non solum parochus missas conventuales celebrat per turnum, sed superioribus temporibus ecclesiam illam regente Praesule *Pierattonio* factum est, ut Canonici formiter apud Ordinarium insteterint, ut eumdem parochum Collegiatae Praepositum adigeret ad administrandum sacerdoti celebranti per turnum in officio diaconi et subdiaconi. Idipsum usuvenire patet in *Dianensi* et *Oneliensi* Collegiatis et in illa, quae exstat in *Portu Mauritio,* haud ambigitur a Canonicis, quod reapse parochus immunis ab istiusmodi onere evadat, ut docet suis literis Episcopus. Iste autem dum talia sacro ordini nuntiabat, illud et adjicere profecto debuisset, pergit capitulum, quod non juris ordine servato id factum esse experitur, sed ex peculiari, quae Canonicos inter et Praepositum inita fuit, transactione, post innumeras, quae irrepserant inter illos, dissensiones. *Ex una* propterea exemptione gaudet Praepositus, ex *altera* capitulum, cui onus conventualis reliquum fuit, sua facit ex parochi concessione pleraque emolumenta, quae stolae nomine veniunt.

Quod si prostare de facto jactata consuetudo concederetur, adhuc substinent Canonici nihil exinde inferri posse contra ipsos in themate. Etenim compertum omnibus est, quod consuetudo stricte est interpretanda neque extendenda de casu ad casum, de loco ad locum, de persona in personam, ut fuse probat in suo celebri consilio *Oldred. cum Concordant. apud Greg. decis. 162, Burat. decis. 129. n. 6.* et *Cardinalis de Luca de benefic. discur. 13. n. 8, discur. 29. n. 3, disc. 30. n. 12.* Praeterea *quamlibet contrariam consuetudinem prodesse non posse Capitularibus, ne ad applicationem missae conventualis compellantur,* docuit cum Benedicto XIV. sacra Congregatio in *Terracin. seu Privernen. 19. Septembris 1772 §. 9.*

Concludunt itaque Canonici jus quidem inesse Praeposito functiones peragendi in

*) Vd. *p. 705.*

majoribus per annum solemnitatibus, ad *Card. de Luca de Canon. disc. 30. n. 3. 8. 9;* ast illud insimul recusare non posse missas conventuales per turnum cum aliis celebrandi.

His ex utraque parte deliberatis erit EE. VV. definire dubium:

An et quomodo substineatur episcopale statutum circa **exemptionem Praepositi** *a missa conventuali per turnum celebranda et applicanda in casu?*

S. C. resp.: Negative.

Die 30. Mart. et 27. Apr. 1844.

Mathelicen.

In ecclesia olim collegiata Mathelicensi dein ad Cathedralis gradum evecta per publicum instrumentum anni 1634 quatuor erecti fuere canonicatus a nobili viro Flaminio Razzanti, congrua illis assignata dote viginti locorum Montium cameralium, quorum annui redditus conficiebant in totum summam scutatorum 104 inter Canonicos aequis partibus dividendam ac eorum singulis injunctum fuit a fundatore onus duplicis per hebdomadam missae; quod tamen decreto s. Congregationis diei 26. Februarii 1695 ad binas quolibet mense, attenta reddituum exiguitate, et deir ad annuas binas eadem in dies urgente causa reductum fuit.

Variis autem sub conditionibus hujusmodi nova fundatio fuit a capitulo admissa, nimirum quod novi Canonici non secus ac veteres morem gererent ecclesiae constitutionibus et capituli decretis, missas per turnum canerent, divinis officiis interessent aliaque munia explerent sive ordinaria sive extraordinaria atque etiam subessent contributioni expensarum pro comparandis ecclesiae sacris supellectilibus, stipendiis ministrorum aliarumque similium. Ad istarum pactionum normam Canonici Razzanti eodem prorsus modo, quo antiqui, missas canere ac caetera incumbentia sibi munera perficere consueverunt. Verumtamen cum tractu temporis conventualis missae celebratio obsolevisset, ea episcopali decreto anni 1703 ad observantiam fuit revocata; quod quum variis praebuisset causam controversiis inter antiquae ac novae erectionis Canonicos, omnes tantum eodem anno compositae fuere per amicam concordiam, qua statutum fuit, salvo tamen et integro manente jure successorum »che li quattro signori Canonici Razzanti cantino per turnum la messa conventuale nella forma che si è pratticata per il passato, ma senza applicazione, alla quale applicazione saranno obbligati li Sig. Canonici del capitolo vecchio, uno de' quali applicherà un altra messa, secondo l'intenzione di quello. Accedendo poi il giorno in cui devonsi applicare una o più messe conventuali, in questo luogo solamente li detti quattro Sig. Canonici saranno tenuti alla celebrazione ed applicazione per turnum tra di loro, senza che li Sig. Canonici del capitolo vecchio siano obbligati in detti giorni ad altra applicazione, che d'una sola messa conventuale, e di più che li detti Sig. quattro Canonici debbano celebrare ed applicare per turnum con li altri canonici del capitolo vecchio quelle messe solenni che saranno distribuite per ordine a tenore della tabella della sagristia »(quas missas ad tres cohibitas fuisse constat)«. Demum pacto convento statutum fuit, quod, si imposterum augerentur redditus quatuor canonicatuum, augeretur pariter processionabiliter eorumdem possessoribus onus applicationis missae conventualis.

Prout res fuerat constituta, pacifice per aliquod temporis spatium processit. Ast anno 1743 iterum Canonici Razzanti conv. missae applicationem ferre ulterius recusarunt eo sub obtentu, quod tale ipsis onus haud quaquam inhaereret. Quod ut compertum fuit Episcopo, is ad dissensiones praecidendas compulit tam antiquae quam novae massae Canonicos, ut super re rogatum adirent sac. hunc Ordinem quatuor hisce dubiis:

I. *An possessores pro tempore canonicatuum de jure patronatus domus de Razzantibus teneantur missas conventuales per turnum applicare pro benefactoribus, ita ut teneantur etiam pro non applicatis in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An teneantur Canonici capituli veteris subministrare eisdem respective Canonicis adjunctis eleemosynam pro dictarum missarum conventualium applicatione in casu?*

III. *An sit locus reductioni applicationis ad solos dies festivos per turnum faciendae tam per Canonicos capituli veteris quam per adjunctos quatenus isti teneantur in casu?*

IV. *An in vigiliis, in quibus duplicantur dictae missae conventuales, sint omnes applicandae vel una tantum in casu?*

Quibus die 24. Augusti 1743 data sunt hujusmodi responsa

Ad I. et II.: Affirmative ad formam concordiae.

Ad III.: Negative.

Ad IV.: Affirmative, sed in casu, de quo agitur, attenta tenuitate reddituum ex gratia concedendum esse, ut una tantum applicetur.

Isthaec profecto s. Ordinis responsa longam per annorum seriem in viridi observantia penes Canonicos Razzanti fuere, quando quidem missas de feria ac vigilia per turnum assidue eos applicasse compertum est usque ad annum 1808. Eo enim tempore, quo ingentem jam locorum montium jacturam experti fuerant, veteres Canonici eorumdem miserti conditionem mitius cum ipsis agendum esse judicarunt. Quamobrem onus missae de tertia in diebus ferialibus quatuor mansionariis choralibus impositum peculiari conventione voluerunt, suppeditata iisdem pro applicatione eleemosyna obol. 15 aere collato a Canonicis veteribus aliisque adjunctis, exceptis Canonicis Razzanti, et per modum facti eosdem exonerarunt a solutione quotae pro expensa sacrarii.

Novis postremo secutis in annuo Locorum Montium fructu imminutionibus, cum vix canonicales redditus ad scuta sex cohiberentur, patronus Joannes Baptista Razzanti occasione arrepta, quod duo ex dictis quatuor canonicatibus vacarent, consilium iniit postulandi a sacro Ordine reductionem ad duas tantum praebendas canonicales et res pro votis cessit, nam die 22. Januarii 1820 rogationi:

An et quomodo concedenda sit reductio canonicatuum in casu?

rescriptum fuit:

Affirmative ad duos canonicatus applicatis redditibus et oneribus missarum juxta ultimam reductionem.

Jam pridem enim ad annuas duas missas cohibitum fuisse fundationis onus jam supra animadversum est. Auctis per hujusmodi unionem canonicatuum Razzanti redditibus pristina etiam onera in eorumdem possessoribus revixisse visum est. Verumtamen nonnullos per annos rem ea ratione processisse in comperto est, ut promiscue a veteribus nimirum et novis Canonicis et quandoque etiam a simplicibus sacerdotibus enunciatae missae celebrarentur, donec de anno 1830 nova inita fuerit a capitulo conventio, qua, dum mansionarii ex una ad primaeva onera revocabantur, Canonicis etiam Razzanti ex altera applicandi missas de feria ac vigilia obligationem ad tramites antiquae conventionis anni 1703 revixisse edicebatur; et nonnisi ab anno 1848 dispositio hujusmodi ab hodiernis canonicatuum possessoribus, nimirum Canonico Lucidio et Emygidio Santini, in disceptationis aleam revocata est.

Quandoquidem supplici oblato libello ad sac. hunc Ordinem conquesti sunt quod »coll' andare del tempo profittando i canonici di prima erezione della dabbenagine ed inesperienza dei giovani Canonici, che possedevano detti canonicati Razzanti, vollero, che questi assumessero l'obbligazione formale da valere anche pe' posteri di cantare senza applicazione tutte le messe feriali e di viglia, a cui erano solo essi obbligati, aggiungendovi ancora altre tre messe cantate con applicazione in giorni meno solenni«. Quibus praemissis instant »perchè a tenore del decreto del concilio (quo nimirum canonicatus ad binos redacti fuerunt et missarum onera juxta postremam reductionem agnita), venga dichiarato non spettare altr'obbligo oltre l'officiatura quotidiana, che la sola applicazione di numero quattro messe lette l'anno per ciascuno«.

Episcopus, quem de more informationem et votum rogavi, capituli deductiones transmittit. De controversis oneribus id sentit, ut ea non ex fundatione sed ex pacto convento diuturna observantia confirmato sit repetenda. Num autem dicta observantia praescriptionis aut consuetudinis vim acquisierit, ut peremptiorie obstare valeat Canonicis Razzanti, id sapientissimo Emmorum Patrum judicio definiendum relinquit.

Unicum quo oratores innituntur fundamentum in eo esse positum videtur, quod neque ex fundationis lege neque ex sacri Ordinis placito edito per resolutionem diei 22. Januarii 1820 ad onus applicationis missae de feria ac vigilia teneri contendunt. Immo si petitionis tenori inhaerendum sit, eo ipsi intendere videntur, ut ad unam choralem officiaturam et quatuor missas lectas cohibita omnia canonicalia onera agnoscantur. Quidquid autem in contrarium superiori tempore obtinuerit, nonnisi per abusiones

a veteribus Canonicis invectum ac praetensum fuisse nulloque proinde in calculo habendum, eo vel magis, quia in primitiva conventione anni 1703 possessores canonicatuum Razzanti ejus temporis conventionem signarunt *salvo tamen et integro manente successorum jure*. Quo sane fit ut obligatio ad successores minime porrigatur neque hodiernis possessoribus jura obstent ad eam inficiendam ac subvertendam. Eorum autem jura ac onera unice desumenda esse a resolutione sac. Congregationis diei 22. Januarii 1820, per quam inductam omnino fuisse status immutationem protuentur; proinde non alia nisi ea, quae inibi leguntur, onera agnoscenda. Idque fortius obtinere in themate putant, quo agitur de canonicatibus nimium exigui redditus, licet reductis, itaut absonum foret a canonica aequitate, immo ad iniquitatem vergeret, si praeter vires onera ferre cogerentur.

Num recte ejusmodi argumentatio procedat, deprehendent Emmi Patres ex rerum adjunctis in facto enarratis. Profecto si ad juris censuram controversia definienda esset, ambigi posset: utrum expediret Canonicis Razzanti concordiam anni 1703 inficiari; quandoquidem ea e medio sublata nulla superesset ratio, cur ipsi non essent adigendi ad applicationem per turnum tam missae conventualis quam aliarum de feria ac vigilia indiscriminatim ac caeteri de capitulo Canonici. Id enim juberet ss. canonum notissima censura independenter etiam reddituum canonicalium conditione; id insuper postularent pacta ac conditiones in limine admissionis eorumdem ad consortium a capitulo apposita, quibus statutum fuit, ut novi Canonici ecclesiae constitutioni et capituli statutis subessent ac, praeter alia, missas per turnum canerent. Nec profecto ambigendum quod capitulum in actu admissionis novorum canonicorum possit iis conditiones sibi benevisas apponere earumque observantiam exigere, dummodi juri contrariae omnino non sint.

Si itaque Canonici Razzanti exempti minime essent ex jure ab onere applicandi convent. missam, ejusmodi emolumentum exemptionis ab una concordia anni 1703 repetere coguntur; proinde nemo non videt quam incivile sit illam in eo quod favet admittere, in eo autem quod adversatur respuere, contra apertam correspectivorum regulam, qua statuitur commodum aeque ac incommodum ex eodem actu promanans sit perferendum. Caeterum eo minus praedictam concordiam inficiari fas erit, quo a s. ista Congregatione agnita solemniter fuit atque pro decidendi ratione adhibita in controversia anni 1743, dum definivit sub primo dubio, Canonicos Razzanti teneri missas conventuales per turnum applicare *ad formam concordiae:* quam resolutionem, quum in rem judicatam exinde abierit, peremptoriam exemptionem parere ac statutum efformare nemo est qui non ambigat. Nec insuper spernenda videtur conformis observantia, quae ex capitularibus libris satis superque demonstratur.

Merito igitur capitulum eadem resolutione inniti in suis animadversionibus meritoque observantiam potiori ratione in praesenti rerum statu urgere videtur, quippe, si eo tempore Canonici Razzanti haud levibus oneribus ferendis adstringebantur et nihilominus ita decisum fuit, fortius nunc, quo ex ejusdem capituli etiam liberalitate levamen allatum ipsis est hac ratione:

1. *Perchè vennero esonerati dal non lieve peso di cantare le messe di turno pro benefactorlbus ne' giorni feriali dopo che un tal peso venne imposto ai mansionarii.*

2. *Perchè con rescritto della s. Congregazione furono dispensati dalla applicazione delle dette messe delle vigilie e della feria a cui erano tenuti nel tempo del concordato.*

3. *Perchè almeno per tacita condiscendenza fin dalla ripristinazione e restrizione del 1820 sono stati dispensati dal peso dei dieci scudi, che dovevano i medesimi pagare annualmente alla sagrestia, nè loro rimarebbe altro peso che di tre sole messe all'anno descritte nella tabella di sagristia.*

4. *Perchè essendosi fin dall' anno 1820 ridotti a due soli i canonicati, vengono ora a percipere di rendita circa scudi 15, quandochè all' epoca del concordato e della decisione della s. Congregazione non entravano alle loro rendite che soli scudi cinque e baj. 80.*

Incassum autem invocari ex adverso resolutionem anni 1820 perinde ac si per eam Canonici pro tempore Razzanti ab omni fuerint onere absoluti. Non enim ibi ratio ulla habita fuit de oneribus canonicalibus, sed unice quaesitum fuit, utrum probanda necne canonicatuum reductio, quam patronus

proponebat; proinde inopportunum erat de missis conventualibus aliisque obloquendi, de quibus nulla suberat petitio, et caeteroquin peculiarem opus fuisset de iisdem disquisitionem instituere, quae dispensationi vel reductioni viam sterneret. De quo profecto in ea facti specie nec vola nec verbum occurrit.

Haec ex jure erant animadvertenda, quoniam oratores juris praesidio inniti videntur ad controversa onera respuenda. Aliter forte sentiendum esset, si res sub gratiae respectu inspici vellet. Certe, utut per canonicatuum reductionem adaucti fuerint cujusque praebendae redditus, inepti nihilominus semper ii sunt ad necessariam praebendati substentationem; neminem enim latet regula s. Ordinis in metienda praebendarum conditione, ut nimirum exiguas atque insufficientes eas judicet, quae annuam scutatorum quadraginta vel saltem triginta summam non attingunt. Atque hisce evenientibus casibus levamen capitulis aliquod afferre haud dedignatur per onerum choralium reductionem, et saepissime conventual. missam ad festivos dies cohibet et quandoque a secunda et tertia missa juxta rubricae praescriptum canenda dispensat, maxime si res sit de Collegiata, ceu prostant in thesauro omnigena exempla.

Difficultas at vero in themate exurgit primo ex eo, quod agitur de Cathedrali, in qua, quemadmodum decet magis ut divinarum laudum celebratio plenius ac splendidius absolvatur, ita difficilius indulgetur reductio missae conventualis. Illud praeterea accedit relate ad Canonicos Razzanti, quod isti per concordiam anni 1703 ob conventualis applicationem congruam compensationem a Canonicis massae veteris obtinent, qui pro ipsis alteram missam applicant, quemadmodum per aliam conventionem relevati sunt etiam ab onere eam canendi diebus ferialibus, quod mansionariis fuit impositum. Unicum igitur superesset remedium eos dispensandi ab applicatione unicae missae de feria ac vigilia et ab illis tribus missis, quae sunt de tabella sacrarii. Ast cum jam a sacra Congregatione dicta applicatio ad unam tantum missam cohibita fuerit per resolutionem diei 24. Augusti 1743 ad 4. dubium, deliberandum erit: num hujusmodi onus caeteroquin exiguum sit prorsus e medio tollendum.

Definienda itaque proponuntur dubia:

I. *An et quas missas possessores pro tempore canonicatuum Razzanti nuncupati teneantur applicare in casu?*

Seu potius,

II. *An et quomodo providendum sit in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative juxta modum, nempe ad formam concordiae anni 1703 et 1708 necnon resol. s. Congreg. die 24. Augusti 1743 ad quartum dubium.

Ad II.: Provisum in primo.

Die 26. Februarii 1853.

VII. Oblig. Canonici jubilati non est.

Vd. *Canonicus jubilatus; Jubilatio.*

Signina.

Ex pervetusta consuetudine, quae est praeter hominum memoriam, in cathedrali ecclesia Signina in more positum est, ut Canonici jubilati missas conventuales per turnum sicut caeteri Canonici sive per se sive per alium canant. Id Canonici inductum arbitrantur praesertim ob exiguum ipsorum numerum, qui cum quatuordecim sint dumtaxat Sacrumque semel quodidie, itentidem vero bis, ter et fortassis etiam quater peragatur, deest interdum ex ordine, qui id muneris obeat: censendum proinde est, necessitati huic Canonicos, honesta licet missione donatos, occurrere voluisse illudque onus sibi imposuisse, ne chorale illud officium ex ipsorum absentia praetermittatur, quod in divini cultus detrimentum contingeret; postulant idcirco Signinae ecclesiae Canonici, ut consuetudo id genus maxime commendanda luculentissimo apostolicae Sedis judicio rata firmaque habeatur.

Episcopus, qui de statu ecclesiae suae referens hanc consuetudinem speciatim animadverterat, testatur, revera illam ab omni antiquitate invaluisse, prout ex capituli libris eruitur, quibus de conventuali missa sueto more celebrata traditum memoriae est, adeo ut annis fere ducentis id apud ipsos peractum fuisse constet, cuperetque et ipse, rem ex Canonicorum voto decerni, quod et in ipsorum commendationem cederet et Sacrorum cultui summopere prodesset.

Explorati quidem juris est, Canonicos jubilatos eximi a residendi lege in loco, ubi canonicatu potiuntur (Benedictus XIV. *de synod. lib. 13. cap. 9. num. 15.)* eosque nullo jure obstringi ad missas conventuales

canendas vel per se vel per alium, sacra haec Congregatio pluries edixit. S. C. C. *Aquipendien. 17. Martii 1637, Senen. 12. Maji 1759.*

Possunt vero Canonici, si ita ipsis visum fuerit, favori huic ac privilegio cedere, cum quisque ex juris regula possit renunciare juri in sui favorem introducto, *l. penult. D. de pactis.* Sed abdicatio isthaec legitimi juris personam abdicantis non praetergrederetur; novimus quippe alteri per alterum iniquam conditionem inferri non posse. *(L. 74. D. Reg. Jur.)*

At quod expressa renunciatio in alterius detrimentum non operatur, multo minus induci illud poterit ex tacita consuetudine, quae scilicet ex diuturna consuetudine promanat. Consuetudo enim est stricte interpretanda nec extendi debet de casu ad casum vel de persona ad personam *(Rota dec. 94. num. 4. 5. part. 4. tom. 2; Recen. Bartholus in l. 3. §. Sequitur D. de itinere actuque priv.).*

Praeterea cum actus agentium non operetur ultra eorum intentionem *(cap. fin. de praebend. lib. 19. D. de rebus credit.)* cumque consuetudo vim nanciscatur, si actus ad eam necessarii eo animo fiant, ut obligationem inducant *(lib. 32. D. de leg.)*, dubitandi profecto locus est de Canonicorum Signiensium mente, qui privilegio jubilationis donati onus canendi missas conventuales gessere, quin tamen legem inde vellent injicere, qua deinceps vel inviti illigarentur. Hinc haud semel protestationes ab ipsis editas refert Episcopus, quibus obligationis necessitatem se non admittere declararunt, idque officii persolvisse voluntarie ac pro lubito et pietatis religionisque causa. Anno siquidem 1766 Leopardus Priori Canonicus jubilatus id scripto tradidit in archivo capitulari, se nimirum cantaturum missam conventualem in turno, farlo però per sua divozione e beneplacito non intendendo di pregiudicare nel tratto successivo agli altri Canonici giubilati. Id refert etiam Victorius Cyptius Canonicus jubilatus fere nonagenarius, qui, ab immemorabili, ait, jubilatos semper cecinisse vel per se vel per alios, eos vero eximi consuevisse ab eo Sacro, si propter infirmitatem aut senio confecti non celebrabant. Haec licet vera sint, pergit annosus Canonicus, non desunt in archivo protestationes, quibus jubilati inquiunt ex mera devotione, non ex justitia sese huic canendi consuetudini subjici. Atque hoc se animo esse novissime testatus est Aloysius Missarius, quem scribit Episcopus jubilationis beneficium adeptum spopondisse quidem se consuetudini pariturum non tamen ex obligatione aliqua sed ex devotione, quod, licet tunc temporis pollicitus scripto fuerit, nunc tamen de sententia exquisitus respondit: »Se gaudere velle exemptione, qua ex jurium praescripto jubilati gaudent; renuitque ullam literis consignare declarationem, ne facto probaret inveteratam consuetudinem, ne praejudicium successoribus inferrat.«

Caeterum haud est silentio praetereundum, declarationes hujusmodi favore legum fulciri, cum notum jure sit, ubi de eorum voluntate quaeritur, qui divina officia obeunda suscipiunt, licet nulla ad id lege obstringantur, si de tali actione consuetudo invecta deprehendatur, praesumendum esse, consuetudinem illam esse ex devotione potius et ex arbitrio quam ex vera obligatione sicque continere actus merae facultatis, *Reiffenstuel jus canon. lib. 1. tit. 4. num. 130.*

Verumtamen ad vim legis tali consuetudini tribuendam id animadverti posset, nullo canonum praescripto privilegium jubilationis sancitum esse *(Navarr. consil. 12. lib. 3. de cleric. non resid., S. C. C. 24. Sept. 1718 §. Licet),* bene vero ex aequitate id moris invaluisse exemplo sacerdotum veteris legis *(Num. 8.)* ac militum, qui post res praeclare domi forisque gestas rude donabantur *(S. C. C. loco cit. §. At quod).* Verum ubi deest jus scriptum consuetudo inspectanda est, quam constat pro lege haberi in iis, quae ex non scripto proficiscuntur aut quae scripto tradita non sunt *(Julianus l. 32. D. de leg.).* Si itaque Canonici jubilati Signinae ecclesiae privilegio exemptionis a missarum conventualium turno servando usi non fuerunt ob consuetudinem, quae binis saeculis antiquior recensetur, perstat immotum in suo robore jus commune illarum celebrationem Canonicis praecipiens, qui proinde jubilationem assequuti caeteris dumtaxat Canonicorum oneribus erunt exempti.

Porro eadem fere vis iis est, quae ex lege profluunt, et iis, quae exemplis constat probari eorum, qui idem pluribus saeculis usurparunt. *Card. de Luca de praeeminent. disc. 7. num. 6.* et *disc. 17. num. 4.* Consuetudinem*) vero immemorabilem stare loco

*) Vd. *Consuetudo immemorab.*

tituli omnium melioris et efficacioris vel saltem praesumptionem inducere omni exceptione majorem tituli apti ad eam constabiliendam, firmandam, probandam regulae sunt omnium consensione probatissimae. *Rota coram Emerix Jun. dec. 286. num. 4, Fanen. Praeem. 19. Novembris 1717 §. Immemorabilis cor. Ansaldo.*

Accedit studio divini cultus id oneris lubenter Canonicos jubilatos suscepisse: at videtur causa id genus probare, hujusmodi consuetudinem fuisse inductam animo obligandi; notum enim est, consuetudinem, quae sit rei gravis ac difficilis vel quae multum conferat rei aut sacrae aut publicae ac per viros pietate ac prudentia spectatos servetur, obligationem existimari. *Schmalzgrueber part. 1. tit. 4. num. 16.* Indultum quippe jubilationis ea lege conceditur, ne quid inde choralium officiorum cultus detrimentum capiat; quo fit, ut Episcopus, qui ex jubilati absentia conspiciat Sacrorum procurationem intercipi ac jacturam pati, jure potiatur Canonicos jubilatos ad chorale pensum revocandi, *S. C. C. 24. Sept.* et *17. Dec. 1718 ad 7. dub.*

Cum igitur in cathedrali ecclesia Signina absque divini cultus detrimento exemptio isthaec admitti nequiverit ob exiguum Canonicorum numerum, qui sibi invicem pro ordinis gradu in sacro faciendo in orbem succederent, jure merito Canonici jubilati peculiari illo privilegio usi non sunt. Quo factum est, ut privilegium jubilationis eo ex capite juxta capituli statum consuetudo interpretata sit: ejus porro interpretationi maxime deferendum esse ex legum monitu edocemur, *leg. 37 et 38. D. de leg.* Cum vero collegia indubia facultate polleant constituendi sibi jura normasque, quibus pareant, poterunt pariter consensu tacito et longo usu leges inducere, quibus legitime devinciantur; *Reiffenstuel tit. 4. lib. 11. n. 111. 112.* Consuetudinem autem Signini capituli rationabilem esse non una ex causa animadvertimus; item legitime praescriptam, utpote quae percrebuisse dignoscitur actibus frequenter, uniformiter, universo collegio adprobante, longo demum ac diuturno tempore gestis, prout ex iis, quae hucusque proposita sunt, rationum momentis luculenter evinci Canonici oratores sibi blandiuntur illudque perpendendum contendunt, in capitulo jus esse ferendi constitutiones pro suo regimine, quae praesertim, ubi juri communi nituntur, vim omnem nanciscuntur; nihil vero interest, an suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis: hinc consuetudinem tot tantisque commendatam nominibus apostolica auctoritate sanciri orant obsecrantque. Certum quidem est haud absimilis capitularis statuti adprobationem ab Innocentio III. collegio Canonicorum ecclesiae Tullensis fuisse decretum.

Caeterum animadvertant EE. VV., an ex allato sacri hujus Ordinis decreto, quo Episcopis jus edicitur advocandi jubilatos, quando ecclesiae necesssitas id postularet, satis jam consultum videri possit in propositae hujus quaestionis declarationem.

Sit itaque dubium:

An et quomodo confirmanda sit consuetudo capituli Signini, ut obligatoria fiat pro jubilatis in casu?

S. C. resp.:

Negative, et Episcopus in casu necessitatis utatur remediis sibi a jure concessis, ne quid detrimenti cultus divinus patiatur.

Die 30. Martii et 25. Maji 1833.

Calaritana.

Canonicos jubilatos cogi non posse ad celebrationem missae conventualis neque per se neque per alium passim definivit s. Congregatio prout in *Pientina 20. Augusti 1757* et in *Spoletana Jubilationis 15. Septembris 1770;* nec etiam ad solvendum hujusmodi Sacrorum stipendium, uti hoc ipsum s. tribunal respondit in *Praenestina 11. Martii 1662* et in *Senen. Celebrationis et applicationis missae conventualis 21. Julii 1759.* Quin aliter suadeat quaevis contraria consuetudo et imposita a capitulo atque etiam a jubilatis accepta habita obligatio, quam esse irrationabilem ac rejiciendam semper censuit s. Congregatio, veluti indulta commonstrant *in Civitatis Plebis 23. Novembris 1782* et in *Nullius seu Foropompilii Jubilationis 18. Junii 1796.* Missa enim conventualis onus est capituli, s. Congr. in *Burgi s. Domini Missae conventualis 16. Maji 1716 ad I. dub.* et in *Pisana Applicationis missae conventualis 6. Julii 1737 §. 3;* atque hinc ex communi capitularium reddituum massa nullum in themate reliquis Canonicis infertur detrimentum, si non modo evangelii cantum, sed etiam illius missae celebrationem ex jubilatorum absentia saepius obire teneantur.

Die 17. Septembris 1831.

Praenestina.

Autumat capitulum insignis Collegiatae s. Mariae de terra Cavarum in Praenestina dioecesi Canonicos jubilatos ecclesiae suae teneri ad missas conventuales ferialesque per turnum vel tot alias saltem missas lectas earum vice celebrandas et applicandas, prout Praenestinum cathedrale capitulum praestare solet, necnon ad Sacrum perlitandum singulis diebus festis atque aliud circa meridiem, prout caeteris Canonicis mos est, ac ipsos denique aliorum Capitularium e choro absentium vices supplere minime posse.

Hinc quum duo ex ejus gremio nonnullis abhinc annis fuerunt jubilationis indultum assequuti, eosdem his oneribus subjiciendos esse contendebat, et quoniam e contra pugnaciter obstiterunt jubilati, ad controversias omnes abscindendas tria rem ad elucubrandam proposuerunt EE. VV. dubia, ad folii calcem, ut in more est, apponenda. Praescripsit hic sacer Ordo Emo Episcopo, qui dignetur sacram Congregationem instruere et votum suum aperire audito capitulo et Canonicis jubilatis in scriptis et referre an missae celebrandae ad auroram et circa meridiem sint onera praebendae. Emus Episcopus autem nitide retulit in primis morem capituli Praenestinae Cathedralis, ad quem in supplici libello provocant Cavenses Canonici, eum esse »ut pro conventuali missa vel feriali de turno teneantur jubilati tot alias missas lectas ad missam communem non pertinentes applicare, quot in anno turnus recenset in singulos Canonicos, ut ii choro adhuc inservientes exonerentur onere missarum lectarum facta jubilatis earum distributione.« Deinde addit: »Canonicos per se edoctos de rationum fulcimento, quo praedictis dubiis expositis consulere valerent, respondisse se nolle sua in scriptis probare jura resolutioni capitulari solum adhaerentes.« Haec autem capitularis constitutio, quam literis suis Emus Praesul attexuit, haec habet: »Dietro la risposta della s. Congregazione il Sign. D. Domenico Matei (ejus ecclesiae Canonicus) disse esser di parere che il dire la messa prima ed ultima, non sia peso annesso alla prebenda. Poichè nella prima istituzione canonicale, dice egli, non abbiamo che un tal peso sia annesso ai Canonici. Questo però abbiamo, che nell' epoca in cui fu Vescovo di Palestrina l'Illmo Colonna, volle rinnovare le nostre Costituzioni, che anzi si volle accrescere, e cio fece col' consenso omnium Capitularium; volle ancora, che si mettessero in inscritto e che venissero divise in tanti capitoli. Nel capitolo ottavo di queste nostre costituzioni abbiamo, che missa plana in singulis diebus festivis in Collegiata, absolutis divinis officiis et functionibus ab eo, qui proxime hebdomadario succedit, celebretur, ut laudabilis constans mos est; rapporto poi alla messa prima abbiamo che — qui hebdomadarii munus obivit, expleta sua hebomada, missam ad populi commoditatem, retenta pro se applicatione per totam sequentem hebdomadam in aurora celebret, aliter poenam julii unius pro qualibet vice subeat. »Questo è quanto in discarico della mia attribuzione debbo deporre.«

Denique sententiam suam Canonicorum menti adversam pandens Emus Episcopus nonnullas ab utraque contendentium parte allatas animadversiones applicavit, de quibus in contentione, quam mox aggredimur, sermo erit.

Primum, quod petit Cavense capitulum, est, ut jubilati Canonici vel ad conventuales ferialesque missas per turnum celebrandas obligati declarentur vel ad tot alias saltem missas lectas ad massam communem non pertinentes earum loco applicandas.

Sane EE. VV. judicium subiit quaestio de missa conventuali per jubilatos Canonicos celebranda pluraque allata sunt rationum momenta ad ejusmodi onus eisdem imponendum sive scilicet ex aequitate sive ex longissimi temporis consuetudine deprompta. Sacra vero Congregatio perpetuo definivit negativam tenendam esse sententiam, quia scilicet ab omni prorsus chorali servitio jubilatus eximitur; ita in *Aquipendien. 27. Martii 1647, Senen. 12. Maji 1759* et novissime in *Signina*) Missae conventualis 30. Martii 1833.* Verum dubitandi rationem in themate ingerere poterit animadversio, quod, quum novem numerum dumtaxat constet Canonicis Cavensis Collegiata, jam si duobus missae conventualis onus demas, detrimentum patitur divinus cultus.

Haec tamen cujus roboris in casu facienda sint, perpendant EE. VV. Illud certum est sacram Congregationem Episcopi arbitrio ac

---

*) Vd. *supra p. 716.*

facultati perpetuo commisisse, ut jubilatum ad chori servitium revocet, quoties ex ejus absentia noverit Sacrorum procurationem intercipi ac jacturam pati, uti praeter alias in *Romana Dubior. jubil. 17. Dec. 1718* videre est. Jam Emus Episcopus Praenestinus ejusmodi necessitatem agnoscere minime videtur in casu, dum adversam Canonicorum precibus exponit animi sui sententiam, et Capitulares ipsi veluti fortassis resipiscentes posthac professi sunt, se libenter concedere nec ad missam conventualem et ferialem de turno jubilatos canendam nec applicandam teneri.

At, addiderunt, tenentur vero ad applicationem aliarum missarum lectarum, quae quomodolibet ad legata capituli spectent implenda juxta consuetudinem, quam tenet idem capitulum cathedrale Praenestinum.

Profecto aequitas suadere videtur, ut quoniam caeteri Capitulares jubilatis operam ferunt in choralibus explendis officiis (adeoque et missa conventuali celebranda), quae quidem ipsis accrescunt, Canonici jubilati e contra ipsis auxilientur in lectis missis perlitandis, quae ex legatis piis dimanant.

Consuetudinem vero legis naturam induere adeoque rite servandum inclamat jus utrumque, quod maxime tenet in themate, ubi consuetudo rei sacrae divinoque cultui quodam modo confert.

Quod si eam non quidem in Cavensi Collegiata sed in Praenestina Cathedrali potius obtinere apponatur, ab ecclesia principe inferiores ecclesias exemplum in his mutuare oportere reponunt Capitulares.

At consuetudinem istam particularem (ait e contra Emus Episcopus) condemnandam haud esse putarem, quia inter Canonicos Praenestinos pacifica est et non controversa. Ast valde timerem de ejus diuturna validitate canonica, si controversaretur olim. Nemini liceat interea consuetudinem ab una ecclesia mutuare et in propriam sic reddere, ut eadem in alia ecclesia ad rem observentur. Quaecumque particularis consuetudo, quae sit contra ecclesiae cathedralis vel collegiatae institutum ac praxim, nullatenus regere nequibit. Certum est enim similem consuetudinem, quae hodie proponitur, extitisse etiam immemorabilem in Cathedrali Signina, et tamen a sapientissimo EE. VV. consensu resolutum fuit die 25. Maji anni praeteriti 1833 in *Signina*) Missae conventualis:* Consuetudinem illius capituli non fieri obligatoriam pro jubilatis. Quo magis non recipienda venit in Collegiata terrae Cavarum, ubi nullo tempore extitit. Canonici oratores non probant nec probare valent in capitulo hujusmodi propositam consuetudinem extitisse sed curant et instant, ut ad capitulum nunc ingrediatur. E contra contradictores Canonici jubilati vera dicunt, ut in folio originali, quod adnectitur humillime, lit. A. Dacchè fù eretta questa Collegiata non trovasi essempio che li Canonici giubilati abbiano detto la conventuale, o altre messe in compenso. Su ciò possono chiamarsi ed interrogarsi alcuni Canonici, cioè il Canonico Pasquazi che intrando in possesso del canonicato vi trovò due, ed io (Canonico Lupinetti) parimenti due, ed il Canonico Mariani uno, Dicano questi, se i giubilati hanno detto qualche volta la conventuale o altre messe in compenso?

Caeterum jubilationis indultum illud est, ut a jubilato auferat quodcumque onus a chori servitio dependens, sicut habetur ex resolutione sacrae Congregationis concilii in *Beneventana diei 3. Septembris 1823* §. *Jubilationis.* At quia onus canendi missam conventualem seu ferialem eamque applicandi utpote a servitio chori descendens non est obligatorium pro jubilatis, veluti capitulum non adversatur (ut tacita pandit confessio), quomodo dari potest illatio, ut ab hoc exemptionis onere aliud oriatur applicandi missas lectas pro compensatione missarum conventualium? Idem esset quod Canonici seu capitulum ab uno onere exstincto creandi aliud novum illudque imponendi jubilatis sibi facerent potestatem.

Denique rem quodammodo definiisse videtur s. Congregatio, dum jubilatum docuit nedum missas conventuales canere non debere sed neque illarum eleemosynam persolvere in *Senen. Celebrat. et applicat. missae convent. 12. Martii 1839, Nepesina 7. Martii 1818;* at si eleemosynam rependere pro missis non cogitur nec eas cum aliis missis lectis compensare debere non immerito concludi potest.

Alterum onus, quod jubilatis imponi contendit Cavense capitulum, est celebratio missae ad auroram necnon alterius circa meridiem

*) Vd. *supra p 716.*

per turnum cum caeteris Canonicis. Porro jubilationis indultum immunem reddere jubilatum nedum a missa conventuali, sed et matutina ad auroram aliisque capitularibus oneribus per vices adimplendis regula est a sacra Congregatione explicita in citat. *Senen. Celebrat. missae convent.*, et *Nepesina;* hanc tamen limitandam esse, dummodo non obstent constitutiones particulares et consuetudo ecclesiae, expresse sancivit ad rem s. Congreg. in *Reatina Distribut. 19. Aprilis 1692.**)

Atqui capitulares constitutiones per Emum Cardinalem Colonna probatas et auctas atque omnium Capitularium consensu confirmatas nitide hanc obligationem secum ferre inclamat Cavense capitulum, prout ex superius in facti narratione exscriptis earum capitibus elucescit.

Nulla vero ibi distinctio fit inter Canonicos servientes adhuc et jubilatos, sed de omnibus indiscriminatim eadem lex constituitur; ubi vero lex non distinguit, necnon distinguere debemus. Quinimmo quum aliquis certe, dum constitutiones istae capitulares editae sunt, existere debuerit Canonicus jubilatus et plures processu temporis hoc indulto potiti fuerint Canonici, iique omnes nulla emissa adversus eam legem querela ei potius obsecutos esse constet, hi omnes profecto praefatas constitutiones generatim interpretati fuisse ac sub eo sensu confirmasse dicendi sunt, atque inde juri in sui favorem inducto renunciasse asseri poterit, quod cuilibet licitum est *per leg. penult. D. de pactis.*

Sed ad quid haec particula constitutionis (ait laudatus Emus Episcopus); eam patet apertissime afficere solummodo Canonicos choro inservientes et non qui a chori servitio dispensati existunt, qui sunt Canonici jubilati. Inutile est enim eam advertere; advertendum tamen est, quod celebratio missae ad auroram et circa meridiem non est onus infixum et inhaerens praebendae secus adimplendum per jubilatos juxta tradita s. Cong. concilii in *Praenestina Distribut. 11. Martii* et *1. Aprilis 1662.**)

Constat autem assertionis veritas primo ex ipsa contradictorum Capitularium confessione, uti ex relatae resolutionis capitularis verbis compertum est. Praeterea ajunt Canonici jubilati, tertium jam excurrit saeculum, ex quo Cavensis Collegiata erecta est, et unicuique ex Canonicis sua praebenda est assignata, cui sacrorum 24 inter missas lectas ac solemnes cum cantu pro defunctis conjuncta est celebratio. »Hae sunt missae annuae (animadvertit Episcopus) unicuique praebendae infixae ac inhaerentes et tam per Canonicos non jubilatos quam per jubilatos adimplendae, minime de illis lectis, quae sunt extra massam communem quasque praetenditur pro compensatione conventualium et ferialium a jubilatis ut supra celebrandas esse.« Jam vero in his praebendis »non si fà menzione alcuna della prima ed ultima messa, ma le nominate messe, come rilevasi dai sono Canonici ad eccezione delle esequie che devono celebrarsi ne' semidoppi.« Hinc quidquid egerint jubilati Canonici, ex quo constitutiones illae in suo robore existunt, juri suo minime renunciasse censendi sunt, quorum caeteroquin abdicati eorum personam non praetergrederentur, quippe alteri per alterum iniqua conditio inferri non potest, *leg. 74. ff. de reg. juris*, nec, quod alterius est, ei sine facto suo auferendum, *leg. 11. ff. de reg. juris.*

Putant denique Cavenses Canonici jubilatos ex capitulo non posse pro non jubilatis in chori servitio supplere. Fatetur Emus Antistes: »In Cavensi Collegiata non fuisse usum, consuetudinem sive exemplum, quo jubilatus chori servitio supplet pro Canonico absente, ita ut non censeatur iste punctaturis obnoxius.« Jam vero ex hoc non usu privilegii, si illud quidem habent jubilati, ipsum amisisse prorsus arguunt Capitulares; quippe inter modos privilegia amittendi non ultimum locum tenet non usus, uti cum communi doctorum docet *Reiffenst. in l. 5. decretal. tit. de privilegiis.* Atque huic non usui eo magis adhaerendum esse Capitulares instant, quod inde Canonicorum choro servientium negligentia ac socordia coerceatur.

His tamen minime obstantibus perpendit saepelaud. Emus Episcopus: »Praxis et mos in Cathedralibus et Collegiatis vigens nos edocet, quod, si quis ex. gr. Canonicus de servitio chori suis particularibus negotiis implicatus rogat alium Canonicum liberum a choro vel etiam jubilatum, ut pro una vice sive pluribus choro per se interveniat, constitutio absentem Canonicum punctaturae non subjacet. Ita se gerunt Canonici meae Cathedralis in casu tamen et circumstantiis, in quibus Canonicus absens a choro a territorio civitatis seu a dioecesis finibus minime

*) Vd. *Distributiones.*

egrediatur. Si viget invicem iste mos inter Canonicos per turnum choro servientes, poterit et vigere potius, si jubilatus supplet servitio chori pro Canonico absente. Jubilatus enim non amittit jus choro interveniendi et exercendi singula officia capitulo communia, bene erit, si pro Canonico de turno missam canat vel divino officio intersit sicut se gerunt Canonici non jubilati pro Canonico, qui justis de causis a choro abesse arbitrabatur, quod non frequenter sed interdum evenire solet: nec inconvenieus videtur eum in finem, ut statuto Canonicorum numero chorus impleatur.«

Ad haec addi potest non leve discrimen esse inter jus ac privilegium; non enim ex privilegio jubilatos pro caeteris Canonicis supplere chorale pensum posse planum est, sed potius ex jure; siquidem singulis caeterorum Capitularium juribus adhuc perfruuntur. His praejactis dirimenda erunt dubia:

I. *Utrum Canonici jubilati terrae Cavarum teneantur canere et applicare missas conventuales et feriales de turno in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An teneantur tot alias missas lectas ad massam communem non pertinentes applicare, juxta morem Praenestinae Cathedralis in casu?*

III. *Utrum jubilati Canonici sint censendi exempti a celebratione missae ad auroram et ultimae circa meridiem in diebus festis in casu?*

IV. *Utrum Canonici jubilati possint in choro inservientes pro aliis non jubilatis supplere adeo ut isti non sint punctaturae obnoxii in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative.

Ad II.: Negative.

Ad III.: Affirmative.

Ad IV.: Affirmative exceptis diebus, in quibus jubilatus teneretur per se.

Die 5. Sept. et 21. Nov. 1835.

Senen.

Exacto quadraginta annorum servitio, quod praestitit ecclesiae metropolitanae Senensi Canonicus Alexander Bandinellius, rude donatus fuit seu ut vulgo dicitur jubilatus adjecta solita formula, »ut quamvis in posterum non inserviat nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset.« Cum autem posthabito indulto capitulum ejusdem metropolitanae ecclesiae renuisset eum solvere ab obligatione celebrandi et applicandi Sacrum conventuale, idem Canonicus preces obtulit EE. Patribus, quibus postulabat id declarari: An ipse sive per se sive per alium facere teneretur vel stipendium Sacrorum solvere deberet. Auditus fuit, ut moris est, Archiepiscopus et causa nunc duobus dubiis instructa proponitur. Negat Canonicus cogi posse ad celebrationem sive ad applicationem Sacri conventualis aut per se aut per alium. Rem fuisse dudum ab hoc sacro tribunali definitam in *Aquipendien. Jubilationis 2. Martii 1697*, quam refert *Ursaya discept. eccles. tom. 3. part. 2, discept. 4. n. 133*, et est in *thesaur. resolut s. Congreg. tom. 1. fol. 174*, et in *Balneoregien. Missae conventualis 19. Augusti 1713* apud *Scarfanton. ad Ceccoper. Lucub. tom. 3. annotat. 9. num. 14.* Nuper autem in *Picntina 20. Augusti 1757.* Negat etiam teneri ad solvendum stipendium horum Sacrorum, quod consectarium est, nam si cogi non potest ad celebrandum et applicandum Sacrum per alium, cogi quoque non poterit ad contribuendum stipendium, diceretur enim celebrare et applicare per alium: atque ita respondit hoc sacrum tribunal *in Praenestina 11. Martii 1662* apud *Panimoll. decis. 20. annot. 3. num. 69. et 70.*

Haec atque alia plura Canonicus Bandinellius. A capitulo nihil habuimus; duo quae diximus, dubia sunt:

I. *An Canonicus jubilatus teneatur celebrare per se ipsum vel per alium missam conventualem per turnum eamque applicare pro benefactoribus in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An Canonicus teneatur contribuere eleemosynas missarum conventualium in casu?*

S. C. C. resp.: Negative ad utrumque.

Die 12. Maji et 21. Julii 1759.

Reatina.

Ex duodecim, quibus collegiata ecclesia s. Mariae civitatis Leonissae in Neopolitana ditione decoratur, Canonicis partim primae erectionis seu de jurepatronatus haeredum quond. Joannis Carol. de Conti nuncupati duo ob quadragenarium servitium in dicta Collegiata continuo ac laudabiliter expletum

digni reperti sunt, qui rude ab hac s. Congreg. indulto donarentur discretis temporibus: nimirum anno 1835 Canonicus Franciscus Ettore; anno 1841 Canonicus alter Caesar Giudici, ambo secundae erectionis.

Verumtamen horum neutri licuit jubilationis indulto pacifice frui. Siquidem Capitulares vel ab ipso indulti initio litem moverunt contra primo dictum indultarium eidem participationem fallentiarum denegantes aliorum, qui choro non intererant, adeo ut opus fuerit eos compescere judicio s. Congregationis, quae die 3. Aprilis 1841 rogata:

An Canonicus Franciscus Ettorre participare debeat de punctaturis seu fallentiis aliorum Canonicorum, si choro non intersit in casu?

respondit:

Affirmative, cum nihil obstet vel ex statuto vel ex consuetudine.

Mox alia ab iisdem Capitularibus excitata est controversia contra utrumque indultarium, in eo posita, ut nimirum, non obstante jubilationis privilegio, utrumque ad cantum et applicationem missae conventualis per turnum devinctum praetendant. Qua in sententia adeo pertinaciter illi steterunt, ut minime dubitaverint utrumque pensum omittere, quoties turnus pertingeret Canonicis Ettorre ac Giudici.

Haec cognovit defunctus Episcopus Reatinus sacram Leonissae absolvens visitationem die 9. Maji 1846 deprehenditque missarum conventualium omissiones excrevisse ad numerum usque septem supra quinquaginta. Ne hinc ulterius benefactorum animae piacularibus sacrificiis fraudarentur simulque controversiarum capita obtruncaturus, super oblato eidem libello, quo haec quaerebantur:

1. *An Canonici jubilati teneantur implere missarum onera suo canonicatui adnexa?*

2. *An iidem teneantur festis diebus applicare missam pro benefactoribus ideoque canere missam conventualem ut ante jubilationem in sua respectiva hebdomada canere et applicare teneantur?*

3. *Quatenus negative tam quoad applicationem quam quoad cantum, utrum supplere debeant solum Canonici de jurepatronatus, quos inter numerantur Canonici jubilati, an etiam alii sex Canonici liberae collationis?*

sequentes tulit Episcopus responsiones:

Ad 1: Affirmative, prout infirmi.

Ad 2: Affirmative ut supra, alioquin fructus pro missae cantu ut plurimum in cathedralibus et collegiatis ecclesiis adsignatos percipere haud possunt.

Ad 3: Provisum in secundo.

Proinde decrevit quod *quum in Collegiata duo sint administratores vulgo* Camerlenghi *alter pro bonis, redditibus ac proventibus canonicatuum liberae collationis sive primae, ut vocant, erectionis et alter pro bonis etc. canonicatuum de jurepatronatus sive secundae erectionis, huic proinde mandamus, ut infra menses celebrare faciat missas septem et quinquaginta, quae applicandae supersunt pro benefactoribus, assignata celebrantibus eleemosyna juxta taxam vigentem in dioecesi, eaque dempta ex redditibus Canonicorum jubilatorum; his autem jubilatis mandamus, ut deinceps missarum onera suo canonicatui adnexa omnino impleant eo modo, quo ipsis magis placuerit sive per se sive per alios Canonicos, quos alacres promptosque comperimus.«*

Statim ab hujusmodi decreto ad s. Congregationem per supplicem libellum appellationem interposuerunt Canonici jubilati Ettorre ac Giudici existimantes, se vi obtenti indulti haud teneri canere missam conventualem per turnum nec missarum non celebratarum, de quibus in decreto fit mentio, eleemosynas persolvere, quum haec onera afficiant caeteros alios decem Canonicos, licet fateantur sibi inhaerere onus missas litandi, quae sunt canonicatui respectivo adnexae quasque adimplere nunquam omiserunt.

Preces de more ad Episcopum Reatinum ablegavimus, quas ipse una cum nuper relato decreto remisit nil aliud addere autumans, quam se paratum profiteri ad eam amplectendam sententiam, quam pro sua sapientia in re praesenti edendam censuerit S. H. O.

Duo hinc, ut quisque videt, disceptanda veniunt.

Primo videlicet: Utrum Canonici indulto jubilationis donati canere et applicare teneantur missam conventualem per turnum?

Secundo: An ipsi persolvere eleemosynam debeant, quoties omittant eamdem missam canere et applicare in ea hebdomada, qua per orbem ad eos pertinebat ante obtentum indultum.

Nemo nescit, privilegium abessendi a choro post longum quadragenarium ac laudabile servitium invectum esse ad instar privilegii, quod veteranis militibus concedebatur; et quemadmodum ii vacabant nedum a militia, sed etiam a quocumque munere sive publico sive civili, uti legitur in *l. 9. c. quando provoc. non lic.* et *l. 6. de vacat. et excus. mun.*, ita Canonicis aliisque choro addictis indulget ecclesia vacationem ab omnibus officiis et oneribus servitii choralis, quin tamen quidquam amittant ex juribus ac fructibus sui canonicatus, quum relate ad haec habeantur perinde ac si continuo inservirent. Ita, caeteris missis, statuit s. Congregatio in *Viterbien. 26. Aprilis 1628.* Atqui missa conventualis praecipua est officii divini pars, *cap. de his dist. 12. gloss. in Clement. 1. de celebr. missar., Fargna par. 2. can. 27. cas. 12. n. 7,* S. C. in *Urbanien. Missae convent. 19. Julii 1828* §. *Animadvertendum;* imo horas canonicas ad eam ordinari liquet ex *cap. Cum creatura de celebr. miss., Gavant. in rubric. missal. tom. 1. par. 1. tit. 7. rubr. 2,* S. C. in *Mazarien. 18. Martii 1826* §. *Canonicorum,* et in *Terracinen 15. Septembris 1827* §. *Sed.* Nulla igitur ratio esse videtur, cur jubilationis indulto donati etiam a missae conventualis onere exempti esse non debeant.

Re quidem vera pluries penes S. H. O. quaestio agitata fuit iisdem in terminis, quibus nunc agitur a Capitularibus ecclesiae s. Mariae circa cantum et applicationem missae conventualis. Siquidem in una *Aquipendii Jubilationis*, quae proposita fuit in Congregatione habita *die 2. Martii 1697* et resoluta in subsequenti die 23. ejusdem mensis, tria fuere dubia disputata, quorum primum ita se habebat:

An Canonicus jubilatus teneatur vel per se vel per alium ad celebrationem missae conventualis per turnum?

Responsum accepit: Negative.

Pariter in *Senen**) *Celebrationis et applicationis missae conventualis 12. Maji et 21. Julii 1759* primo loco disceptatum fuit:

An Canonicus jubilatus teneatur celebrare per seipsum vel per alium missam conventualem per turnum eamque applicare pro benefactoribus in casu?

datumque responsum: Negative.

Idipsum statutum videre est *in Calaritana Onerum 17. Septembris 1831 ad 3. dubium,* et plures aliae afferri possent s. Congregationis resolutiones, quibus idem sancitum fuit, quod tenuit in tribus praemissis; sed, ne nimii simus in re EE. PP. perspectissima, tantummodo addendum, quod si quandoque diversimode sensit s. H. O. discrimen ex regula generali non aliunde est repetendum, quam ex variis casuum circumstantiis et ex peculiaribus cujusque ecclesiae statutis ac consuetudinibus.

Nullum autem contrarium exemplum afferri posse ajunt Canonici jubilati Ettore et Giudici, quo factum sit, ut, qui indulto donati fuere ex Capitularibus civitatis Leonissae, missam conventualem celebraverint ac applicaverint; quinimo tum, quum jubilationis privilegium obtinuit Canonicus *Ettorre*, nulla lis contra eum mota fuit, quamvis missam conventualem celebrare ac applicare omitteret, sed ea initium habuit, quum idem privilegium assecutus est alter Canonicus *Giudici*. Quare sui favore exercere vires debere regulam generalem concludunt.

Ex dictis facile etiam quisque suo sensu percipit, quid sentiendum sit de altera s. visitationis decreti parte, qua demandatur, ut ex Canonicorum jubilatorum redditibus desumenda sit eleemosyna pro missis *quinquaginta septem* inadimpletis. Cum enim pateat Canonicos jubilatos haud teneri canere et applicare missam conventualem neque per se neque per alium, sed eorum vices gerendas a caeteris Canonicis, qui chori penso adiguntur, sequitur hisce profecto, non illis Sacrorum omissionem esse imputandam onusque inhaerere eleemosynam omissionibus respondendam pensitandi, ceu etiam sancitum reperitur a s. Congregatione in cit. *Senen.*, ubi, quum secundo loco quaereretur:

An Canonicus jubilatus teneatur contribuere eleemosynas missarum conventualium?

responsum prodiit: Negative.

Quinimo, si forte a jubilato missae hujusmodi celebratae post obtentum indultum fuissent, haud haesit eademmet s. C. eleemosynae restitutionem favore jubilati imperare. Sic in *Nepesina 11. Aprilis 1818 ad 2. dubium:*

An eidem (Canonico jubilato) *restituendae sint eleemosynae pro missis conventualibus celebratis a die concessi indulti in casu?*

responsum fuit: Affirmative a die obtentae jubilationis.

*) Vd. *p. 722*.

Haec profecto peremptoria videntur ad absolvendum jubilatos quovis missae conventualis onere. Nihilominus duo potissimum opponit capitulum, aeque animadversione digna.

Primo: Ideo teneri, inquit, Canonicos Ettorre et Giudici missam conventualem canere ac applicare juxta decretum sacrae visitationis, quia non una eademque est Capitularium massa, sed una primae erectionis, ab alia secundae erectionis omnino distincta interesse etiam utriusque sejungit. Ob hanc proinde separationem fit, ut, quoties aliqua canonicalis praebenda secundae erectionis vacat, redditus inter Canonicos ejusdem nominis tantum pro tempore vacationis dividantur, veluti nuperrimis accidit temporibus. Igitur, pergit idem capitulum, si Canonici solummodo de jurepatronatus emolumentum percipiunt, jus et acquitas postulant, ut, quoties aliquis eorum desit quavis ratione choralibus officiis satisfaciendis, vel e propria massa pendendum sit emolumentum iis, qui vices indultariorum in missae cantu sustinent vel reliqui ejusdem erectionis id onus ferant, juxta tritum illud adagium »*qui sentit commodum, sentire debet etiam incommodum.*« Urgent ulterius Capitulares animadversione, quod nimirum pinguior prae altera extat massa canonicatuum secundae erectionis, onera habent separata eaque leviora, quum conventualem applicare teneantur tantum festivis diebus; dum contra Canonici primae erectionis ad id adiguntur ter in qualibet eorum hebdomada.

Secundo opponunt necessitatem, in qua modo ecclesia collegiata versatur ob parvum psallentium numerum. Ex duodecim enim Capitularibus unus tantum, isque clericus, aptus reperitur, qui choro inservire possit. Siquidem demptis Ettorre et Giudici jubilatis ac Canonico Cherubini absente ex indulto a s. C. elargito ob ejus luctuosam oculorum caecitatem tres alii pectoris infirmitate laborant ex phisicorum testimonio, duo camerarii, alter aeditui officio, funguntur, duo demum studiorum causa in Reatino et Spoletano seminario morantur, ut omnia patent ex testimonialibus literis Episcopi Reatini.

Porro ob hasce causas evenit persaepe, ut omittatur celebratio et applicato missae conventualis, servitium chorale detrimentum capiat gravisque offensionis populo occasio praebeatur, ceu fatebatur ipsemet Episcopus defunctus aliique fide digni testantur. Jam vero posse Episcopum cogere ipsos Canonicos jubilatos ad choro inserviendum oneraque secum venientia obire, si ecclesiae servitium et divinus cultus detrimentum patiantur, post *text. in cap. Cum ad hoc de cleric. non resid.*, formiter definitum fuit a s. Congr. *die 24. Septembris 1718*, ubi inter *dubia indultorum* illud quarto loco propositum:

An, non obstante jubilationis indulto, jubilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur?

dimissum fuit responso: Affirmative.

Haec tamen diluere conantur, qui contra sunt. Et quoad primum observant ex distincta massa capitulari ac administratione reddituum non ideo sequi, quod Canonici primae erectionis diversum efforment morale corpus ab aliis Canonicis, qui ad alteram pertinent erectionem; siquidem hoc nemo sanae mentis asserere posse ajunt, quum omnes unum idemque capitulum efforment, unum idemque ecclesiae servitium praestent, omnibus indiscriminatim inhaereat onus hebdomadarii officium per turnum exercendi ac in sua hebdomada canendi applicandique missam conventualem, veluti ipsimet adversarii in quodam libello ad s. Congregationem transmisso, quo se defendere adnituntur, candide fatentur »*rimanendo comune l'officiatura del coro, di fare l'ebdomada, e cantare la messa Conventuale quotidiana per turnum in dodici Canonici.*« Ex hisce sponte sua fluere addunt, quod, quum id sit jubilationis consectarium, ut Canonici choro interessentes implere debeant officia choralia, quae praestanda forent a Canonico jubilato, si hujusmodi privilegio non gaudeat, caeteri Canonici indistincte, non ii tantum, qui secundae erectionis supersunt, implere deberent pro ipsis onera choralia, proinde etiam canere et applicare missam conventualem.

Addunt insuper immerito querimonias emitti a Canonicis *liberae collationis*, eo quod illis adaugeatur onus chorale majoremque missarum numerum adimplere teneantur ob celebrationem ac applicationem missarum conventualium, quae a jubilatis omittuntur; etenim praeterquam quod ita evenit ac observandum est in omnibus capitulis, in quibus aliquis jubilatione fuit donatus, nisi statuta vel consuetudines obstent, in themate animadvertendum est, hujusmodi oneris augmentum, eventuale ac temporaneum, reciprocum esse inter Canonicos *jurispatronatus et*

liberae collationis, quia fieri potest, ut et aliquis ex hisce postremis jubilationem obtineat et tunc oneris choralis augmentum primos, id est Canonicos *de jurepatronatus*, gravaret.

Ad secundum quod attinet objectum ex necessitate ecclesiae desumptum, dum generice tantum invocatam inibi juris dispositionem admittunt, in specie autem quaerendum monent, utrum ea locum sibi merito vindicare possit in casu, de quo res est. Siquidem haud agitur de indulto concedendo, sed de interpretatione jam concessi; proinde illud demum esse revocandum, quum per concludentissimas probationes in propatulo posita sit vera ecclesiae divinique cultus necessitas, cui aliter provideri non valeat; ne secus faciliter reddatur beneficium jubilationis sapienter ab ecclesia invectum, ut ad divinas laudes absolvendas chorales impensius ac diligentius incumberent. Hinc optimo consilio s. Congregatio in superius memoratis *dubiis jubilationum* tertio percontata:

An indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annor. 40 non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti ecclesiae servitio; et quis sit parvus numerus inservientium in casu et ad effectum de qno agitur?

respondit: Dabitur resolutio in casibus particularibus.

Viderint quapropter EE. PP. quid statuendum in themate sit, utrum nimirum adeo exiguus choralium numerus appareat, ut Episcopo liceat jubilatos Canonicos Ettorre et Giudici ad officium revocare eosque ad missae conventualis celebrationem et applicationem adigere. Hoc tamen animadvertere praestat, tum binos Canonicos camerarios tum aedituum recenseri a capitulo inter legitime absentes, dum contra jure cautum est hosce Capitulares eo tantum tempore a choro vacare posse, quo negotia ecclesiae suo muneri respondentia explent, *Barbos. de Canon. et Dign. cap. 24. num. 29. ad 32.* Canonici vero, qui in seminario commorantur, quemadmodum et qui infirmitate laborant, praecario tantum impediuntur et de momento in momentum apti esse possunt ad chorale pensum obeundum. In praxi autem s. eadem Congregatio indulsit firmumque voluit jubilationis indultum, etsi tantum tres Canonici pro chorali servitio remanerent, prout videre est in *Ripana Jubilationis 29. Novembris 1710 lib. 60. decret., Feltren. 11. Jan. 1721, Brictinorien. 12. Maji 1792, Civit. Castellanae 15. Julii 1829, Sutrina 21. Febr. 1824* et *Civit. Castellanae 17. Septembris 1842.*

Post haec erit EE. VV. dirimere dubium:

An et quomodo sit confirmandum seu potius infirmandum decretum s. visitationis diei 9. Maji 1846 in casu?

S. C. resp.:

Quoad missam conventualem negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 26. Januar. 1850.

VIII. Canonicorum novae et antiquae erectionis.

Vd. *Applicat. missae conv.* (obligat. Canonicor. et Dignit. decr. *Mathelicen. p. 713*); decr. *Reatina p. 722.*

Ecclesia collegiata s. Mariae de Platea terrae Mathelicae a primaeva sui erectione unam Archipresbyteri dignitatem numerat et octo Canonicos. His deinceps additi fuere ex pia fundatorum voluntate quatuor canonicatus, qui juripatronatus subsunt familiae de Razzantibus, indeque alter canonicatus familiae Salta; ac eorum singulis injunctum fuit a fundatoribus onus duplicis per hebdomadam missae; quoad quatuor superius memoratos canonicatus fertur jam olim fuisse ad duas missas quolibet mense redactum. Variis autem sub pactis a capitulo admissa fuit posterior haec una et altera fundatio, nimirum quod novi Canonici non secus ac veteres morem gererent ecclesiae constitutionibus et capituli decretis, missas per turnum canerent, divinis officiis interessent aliaque munia explerent sive solita sive insolita atque etiam subessent contributioni expensarum pro sartis tectis ecclesiae, sacris suppellectilibus, stipendiis ministrorum aliorumve similium; quin tamen ipsi locum aut vocem in capitulo sibi possent adserere.

De emolumentis vero, quorum iidem participes fierent, paulo liberalius actum est cum quatuor Canonicis de *Razzantibus*, quam cum postremae fundationis Canonico; illis namque potestatem fecit capitulum, ut, quum interessent exequiis mortuorum, officiis ac solemnibus functionibus intra collegiatam ecclesiam celebrandis, consuetas eleemosynas aequo jure perciperent atque etiam in partem venirent omnium piarum largitionum, quae imposterum capitulo essent obventurae; secus autem conventum est quoad Canonicum familiae Salta; huic enim praescriptum fuit, ut nihil quicquam sibi vindicare posset de piis ejusmodi largitionibus, praeterquam si ad eas nuncupatim invitaretur a benefactoribus: consuetas autem eleemosynas occasione exequiarum, officiorum aliarumque solemnium festivitatum, quae in ipsa collegiata ecclesia peragerentur, ipse quidem pro aequa parte perciperet; at ea emolumenta, quae nuncupantur la cera, danari, e spoglie, solis antiquis Canonicis, prout hactenus fuerat, praecipua esse deberent.

Ad istarum pactionum normam quinque novi Canonici eodem prorsus modo, quo antiqui, missas canere ac caetera incumbentia sibi munia implere consueverant. Verumtamen neque ab antiquis neque ab alterius fundationis Canonicis missam conventualem fuisse olim pro benefactoribus applicatam argumento est decretum quoddam Episcopi sub annum 1703 hanc missae conventualis applicationem praecipiens. Variae autem controversiae quum ea super re natae inde fuerint inter Canonicos primaevae erectionis et quinque alios, eodem anno 1703 ita fuerunt compositae, ut Canonicus Mathias Salta salvo tamen et integro manente successorum jure, sponte sese subjecerit communi applicandae missae conventuali aliarumque solennium obligationi, alii vero quatuor Canonici de Razzantibus pari quidem tenerentur lege, sed illis ob nimiam tenuitatem eorum cujusque reddituum ne sex quidem scutorum summam attingentium aliquis ex antiquis Canonicis alterius missae vicem pro conventuali rependeret, ea tamen explicata conditione, ut, si qua die plures pro populo missae forent applicandae, tunc iidem quatuor Canonici de Razzantibus ad earum celebrationem et applicationem per turnum obstringerentur, quin veteres Canonici aliud onus, praeter unius tantum missae conventualis applicationem, iis diebus sustinere deberent.

Plures abhinc annos tam ab illis quatuor Canonicis familiae Razzantibus quam a moderno Canonico Petro Salta praetermissa fuit applicatio missae conventualis pro benefactoribus eo sub obtentu, quod tale ipsis onus haudquaquam haereret. Id autem animadvertens Episcopus occasione sacrae visitationis praecepit, ut hac de re antiqui et novi Canonici oraculum sacrae hujus Congregationis exposcerent. In sua vero relatione ad sacram Congregationem posthac Eminentissimorum Patrum jussu transmissa, quoniam inter pacta istorum quinque canonicatuum erectioni adjecta nihil dictum fuisse constitit de obligatione celebrandae missae conventualis atque etiam, quia exiles admodum sunt redditus quatuor canonicatuum de Razzantibus, aequam judicat eam sententiam, quod tam Canonicus Salta *quam alii quatuor Canonici supernumerarii teneantur ad celebrationem missae conventualis per turnum cum hac tamen lege et conditione, quod Canonici primae erectionis persolvant de eorum massa quinque Canonicis noviter adjunctis stipendium seu elecmosynam.*

Non hic veteri capitulo arridet statuendae rei modus. Pertendit enim servandam prorsus esse concordiam utrinque initam anno 1703. Quod si ex causa tenuitatis reddituum remissius adhuc agendum videatur cum quatuor secundae erectionis Canonicis, eadem pariter ex causa laxandum potius sibi esse, inquit, priscae obligationis rigorem, quam novum superimponendum onus eleemosynae, qualem pro missa conventuali tribui oportere censet Episcopus; notula siquidem, quam ex inventariis in archivo ecclesiae reconditis decerptam esse testatur capituli secretarius quaeque relegi potest in summario ejusdem capituli, sola exhibet scuta viginti inter Archipresbyterum et octo antiquos Canonicos partienda, plurium vero praebendarum, quas illi possident, fructus subductis oneribus longe minores scutis viginti, sed et gravissimis quandoque sumptibus eos exhauriri fertur, adeo ut sub postrema haec tempora, ut plures fabri testantur, ingens quantitas scutorum 850 fuerit a capitulo impensa in restaurationem ecclesiae, refectionem organi atque in comparandis repositoriis sacrorum supellectilium.

De celebratione et applicatione missae conventualis, a quibus et quando exigenda sit, numve ex causa tenuitatis reddituum aliquam facile moderationem admittat atque etiam num eleemosyna persolvi debeat celebranti eamdem missam, satis notae sunt regulae ab hac sacra Congregatione receptae atque alias late deductae in *Ferentina 26. Martii 1735*, in *Pisana Applicationis missae conventualis 6. Julii 1737* et in *Senogallien. Missae conventualis 9. Septembris* et *16. Decembris 1741;* quarum similes alias collegit S. D. N. in suis *notificat. 19.* §. *2* et in alio

opere inscripto *Annostaz. sopra le feste etc. e sopra il s. sagrificio della messa tom. 2. part. 4. sect. 2. §. 29. et seq.*

Ad alteram vero, quod spectat quaestionem, de qua postremo loco disputatio instituetur, num scilicet in vigiliis, in quibus duae aut tres missae cum cantu sunt celebrandae, omnes debeant applicari, quoddam extat responsum sacrae hujus Congregationis *die 28. Februarii 1722* Brundusino Archiepiscopo datum his verbis:

»Relatis in sacra Congregatione Conc. literis Amplitudinis Tuae una cum precibus capituli et Canonicorum Collegiatae loci Massae piae praetendentium se non teneri ad quotidie applicandum pro benefactoribus unam missam conventualem ac alias duas et ultra, quae tempore quadragesimae et vigiliarum ac similium dierum conventualiter decantari solent, sub praetextu assertae immemorabilis consetudinis in contrarium, EE. PP. censuerunt: Capitulum et Canonicos praedictos teneri quotidie ad applicationem missae conventualis pro benefactoribus ac omnium missarum conventualium, quae juxta rubricas celebrari debent.

His omnibus recte perpensis deliberare oportet:

I. *An tam possessores pro tempore canonicatuum de jurepatronatu domus de Razzantibns quam alter de jurepatronatu domus Salta adjunctorum capitulo veteri ecclesiae collegiatae s. Mariae de Platea Matelicae teneantur missas conventuales applicare pro benefactoribus in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An Canonici capituli veteris teneantur subministrare ejusdem respective Canonicis adjunctis eleemosynam pro dictarum missarum conventualium applicatione in casu?*

III. *An sit locus reductioni applicationis ad solos dies festivos per turnum faciendae tam per Canonicos capituli veteris quam per adjunctos, quatenus isti teneantur in casu?*

IV. *An in vigiliis, in quibus duplicantur vel triplicantur dictae missae cantatae, sint omnes applicandae vel una tantum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II.: Affirmative ad formam concordiae.

Ad III.: Negative.

Ad IV.: Affirmative, sed in casu, de quo agitur, attenta tenuitate reddituum ex gratia concedendum esse, ut una tantum applicetur.

Die 24. Aug. 1743.

Cum nunc itaque ad judicium amplissimi hujus Ordinis iterum veniat, rogamus Eminentissimos Patres, ut folium illius Congregationis, quod impressum fuit vol. 12. resol. s. Congregationis pag. 156, oculis subjiciant, ut perpensis iis, quae nunc proponuntur, respondere possint:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp. ad I. II. et III: Dilata; quoad IV: Ad mentem.

Die 13. Junii 1744.

Sed ultimo tantum definito dubio placuit Eminentissimis Patribus priorum trium dubiorum definitionem differre. Ad ea nunc definienda rogamus, ut folium Congregationis habitae die 24. Augusti superioris anni 1743, qua primum proposita fuit, evolvant iterum; editum enim fuit vol. 12. thes. resol. sac. Congr. 156 atque ita decernere poterunt:

An sit standum vel recedendum a decisis quoad I. II. et III. dubium in casu?

S. C. resp.

Ad I. et II.: In decis etiam quod Canocum Saltam.

Ad III.: In decisis.

Die 18. Julii 1744.

Aesina.

Ab antiquissimis temporibus extabat in Aesina dioecesi parochialis ecclesia s. Mariae in castro Montis Carotti, quae, licet amplum sibi subjectum haberet territorium, per unum tamen parochum, presbytero capellano coadjuvante, regebatur. Crescente vero in dies paroecianorum numero, cum Emmus cl. me. Cardinalis Cibo pervigil illius dioecesis Praesul animadvertit unum rectorem imparem tanto oneri ferendo esse, volvente anno 1660, tum in ipsius populi necessitati, tum ut ejusdem ecclesiae decori ac cultui per choralem officiaturam consuleret, apostolicae Sedis placito intercedente, scidit perpinguem paroecialis illius ecclesiae dotem ac quinque constituit beneficia pro totidem presbyteris, quos in perpetuos coadjutores eidem plebano adjecit, injuncta omnibus obligatione chorale servitium explendi ad instar ecclesiae receptitiae, ita tamen ut tres ex illis in cura animarum parochum juvarent, caeteri duo ad chori, sacrarii aliaque ecclesiae servitia deputarentur »riconoscendo però tanto questi che quegli del coro e sagristia per capo e direttore il medesimo Pievano, al quale in tutto quello che spetta alle funzioni della chiesa, essi coadjutori debbano ubbidire«, ceu statuunt constitutiones, quas sub finem Maji anni 1663 idem Emmus Cibo plebano ac coadjutoribus servandas tradidit. Praedictis Coadjutoribus ad chorale pensum sustinendum accesserunt duo in eadem ecclesia obtinentes beneficia laicalis jurispatronatus *Tesei* ac *Massucci*; duo alii possidentes duas capellanias laicales jurispatronatus nuncupatas *della scuola*, alii denique tres totidem habentes capellanias, unam scilicet *Grossi*, reliquas *Gratiani* nominatas, ita ut tresdecim in totum existerent, qui eidem paroeciali ecclesiae ad instar Collegiatae absque tamen ullo stalli ordine aliove peculiari collegialis status signo divina quotidie celebrarent officia et quotidianam alternatim per hebdomadas praestarent residentiam.

Ita res processerunt usque ad annum 1807, quo san. mem. Pontifex Pius VII. tum patronorum tum cleri populique Montis Carotti enixis precibus obsequens praefatam parochialem ecclesiam, *salva tamen ac forma illius parochialitate remanente*, in saecularem et insignem Collegiatam erexit cum omnibus collegialibus signis et insigniis, privilegiis, praeeminentiis, indultis et gratiis, quae aliis peculiaribus et insignibus collegiatis ecclesiis, quae etiam parochiales existunt, de jure ac consuetudine concessa sunt. Statuit igitur memoratus Pontifex, ut nova isthaec Collegiata ex uno Archipresbytero, undecim Canonicis, quatuor mansionariis et quatuor capellanis choralibus coalesceret, qui in eadem ecclesia horas canonicas tam diurnas quam nocturnas ac conventualem seu majorem aliasque missas caeteraque divina officia collegialiter . . . decantare et psallere divinisque officiis tam diuturnis quam nocturnis interesse ac alias eidem parochiali ecclesiae . . . in divinis deservire laudabiliter debeant et teneantur. Praebendam autem archipresbyteratus (inibi principalis et unica dignitas) ex bonis, quibus antea fruebatur parochus, constituit: ex quinque beneficiis, quibus potiebantur capellani coadjutores, totidem erectae sunt praebendae canonicales, quae dictae sunt adjutrices et *primae erectionis*: similiter duae constitutae sunt ex bonis beneficiorum jurispatronatus Tesei ac Massucci, quae dictae sunt *secundae erectionis:* reliquae quatuor canonicales praebendae compactae sunt ex bonis nonnullarum confraternitatum et quinque capellaniarum mere laicalium et hae quoque dictae sunt *secundae erectionis*. Pro quatuor mansionariis totidem erecta sunt beneficia simplicia personalem residentiam ac chori servitium adnexum habentia, ex fructibus bonorum capellaniarum mere laicalium, quae nuncupantur *della scuola* et haec bona in unam communem massam cum aliis, quae adsignata fuerant quatuor praedictis canonicalibus praebendis, contulerunt. Quatuor tandem capellanis choralibus addictae sunt cum praedicto onere residentiae ac servitii chori quatuor capellaniae, altera scilicet *Grossi*, duae *Gratiani*, postrema *Schiavoni* nuncupata.

Nonnulla modo ex ipsa bulla, quae propius rem, de qua hodie disceptatur, attingunt, exscribenda duco ac primo quoad archipresbyteratum disposuit Pontifex, ut in choro eodemque capitulo, processionibus aliisque actibus et functionibus capitularibus tam publicis quam pvivatis dictae parochialis ecclesiae . . . praesideat ac praecedentiam habeat . . . et singulis aliis privilegiis . . . honoribus et oneribus etiam quoad providam curae animarum ordinationem pro tempore existenti . . . rectori usque de anno Domini 1660 per tunc existentem Ordinarium loci . . . concessis (quibus praesertim quoad ea, quae rectam curae animarum hujusmodi administrationem exactumque ecclesiae servitium respiciunt, per praesentes nullatenus censeatur derogatum), ut antea libere perfruatur et gaudeat. Ipse vero, in quo chorale simul et parochiale munus coalescit et officium, curam animarum . . . ut antea exercere missamque pro populo celebrare teneatur, et, dum curam hujusmodi exercuerit aut aliquod parochiale ministerium gesserit, a quacumque chori obligatione censeatur exemptus et nihilominus distributiones quotidianas et quaecumque alia emolumenta . . . lucrari et percipere valeat. Quoad quinque Canonicos adjutores sanxit eos debere curam animarum adjutricem in subsidium Archipresbyteri gerere »iisdem modo et forma quibus illa hactenus per dictorum quinque priorum beneficiorum . . . possessores exerceri consuevit, supportatis scilicet omnibus et singulis cuilibet eorum jam infixis et injunctis oneribus,

nullo penitus excepto, in modum tamen ut collegialis status nullam in hactenus observari solita curae gerendae methodo praescriptaque illius exercitii praeexistente dispositione immutationem valeat inducere.« De his pariter statuitur, ut, »quoties in aliquo ex parochialibus ipsis commissis muneribus occupati fuerint, tamquam praesentes choro aliisque functionibus habeantur.« De duobus Canonicis fundationum Tesei et Massucci, qui sunt secundae erectionis, statuit ut servaretur »in omnibus . . . quoad satisfactionem onerum iis respective inhaerentium eadem ipsa lex in primaevis illorum fundationibus praescripta.« Circa quatuor reliquos canonicatus et quatuor mansionariatus secundae pariter erectionis, postquam nonnulla imposuerat onera communi eorum massae, voluit eamdem contribuere etiam eleemosynas missarum inhaerentium piis fundationibus tam confraternitatum quam capellaniarum eidem communi massae aggregatarum, quae tamen missae per quatuor posteriorum canonicatuum totidemque mansionariatuum secundae erectionis possessores juxta infrascriptam reductionem pro tangenti eorum rata erunt celebrandae.« Hanc autem reductionem per tunc temporis Aesinum Antistitem exequenda his verbis indulsit: »Quoniam vero massa communis praedicta, attenta applicatione bonorum . . . dictarum capellaniarum et respective confraternitatum . . . onere mille tercentorum et quatuor missarum per posteriores quatuor secundae erectionis . . . Canonicos et beneficiatos mansionarios utpote bonorum . . . praefatorum participes factos celebrandarum, praegravata remaneat, praedictis nonnisi maximo eorum incommodo atque impendio datum foret satisfacere, ut proinde ipsi ad hujusmodi celebrationis onus perferendum aptiores reddantur, praefatis mille, tercentas et quatuor missas ad quatuor centas scilicet cum cantu comprehensa tamen in eis missa quotidiana conventuali cum cantu aliasque centum viginti missarum numerum insimul conficiendarum inter posteriores quatuor secundae erectionis Canonicos totidemque beneficiatos mansionarios aequaliter repartiendas, dicta auctoritate nostra perpetuo respective quoque reducas atque modereris.« Pro regimine tandem ipsius capituli, jurium capitularium exercitio ac divinorum officiorum partitione indulsit Capitularibus, ut in unum congregati »quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta licita tamen et honesta ac eisdem sacris canonibus et concilii Tridentini decretis minime adversantia et per eundem Ordinarium prius examinanda et approbanda edere . . . interpretari . . . reformare . . . libere et licite quoque possint et valeant.«

Praedicta bulla executioni demandata est confectaque Collegiatae erectio sequenti anno 1808, quo Archipresbyter Capretti, qui plurimum adlaboraverat pro hujusmodi erigenda Collegiata, unacum Canonicis et Capitularibus simul congregatis novas constitutiones confecerat. In his quoad missam conventualem ad rem nostram legitur: »Missa conventualis est de praecepto nec unquam omitti potest. Onus satisfactionis hujus inest massae communi Canonicorum secundae erectionis. Applicari debet pro benefactoribus et in publico sacrarii libro describi, ut satisfactio appareat.«

De functionibus autem habetur: »Datur benedictio per unum ex tribus primis Canonicis coadjutoribus, qui sunt de servitio chori, exceptis diebus solemnibus, in quibus officium respectivum fit ab Archipresbytero.« Hae vero constitutiones Ordinarii approbatione minime fuerunt roboratae, quippequi propter rerum vicisitudines fuerat in alienigenarum terram relegatus. Restitutis autem rebus nonnullae maxime sub anno 1819 exortae sunt controversiae inter Archipresbyterum et Canonicos primae erectionis ex una parte et inter quatuor Canonicos et mansionarios secundae erectionis ex altera, contendentibus primodictis (praeter alia, quae innuere non praestat), sibi jus esse percipiendi eleemosynam saltem ordinariam pro missis conventualibus a se celebratis, cum earum onus per bullam erectionis caeterorum massae tantummodo impositum sit, ac insuper omnes ecclesiasticas functiones (exceptis capitularibus) sibi exclusive competere ad formam constitutionum Emi Cibo, ac contra autumantibus Canonicis et mansionariis secundae erectionis etiam Archipresbyterum et Canonicos coadjutores necnon duos Canonicos patronatus Tesei et Massucci teneri per turnum ad canendum missam conventualem, necnon asserentibus sibi ea die, qua missam conventualem canunt, jus competere benedictionem cum sanctissima Eucharistia impertiendi, processiones ducendi caeterasque peragendi ecclesiasticas functiones.

Has contentiones componere sategit c. m. Cardinalis Cesari Episcopus Aesinus ac revera sub finem Julii anno 1820, dum pastorali visitationi in castro Montis Carotti studiose incumberet, amicabilem concordiam conciliavit, in qua relate ad missam conventualem aliasque functiones haec conventa omniumque subscriptione firmata fuere: »Il signor Archiprete e tutti gli undici signori Canonici, nessuno affatto eccettuato, saranno obbligati per turno di settimana cantare ed applicare le messe conventuali, meno quelle che sono di diritto arcipretale, senza che possa mai da alcuno chiedersene alcun compenso o limosina; con questo però che il Canonico cui avrà toccato di cantare tal messa, potrà anche dare la benedizione col santisssimo Sagramento e fare delle altre sacre funzioni che s' incontreranno nella giornata.« Postea concluditur: »Quali cose tutte cosi combinate coll' autorevole approvazione di S. E. R. li Sig. sudetti Arciprete, Canonici e mansionari promettono e si obbligano di puntualmente eseguire in ciò che ad essi, ed a ciascun di essi rispettivamente riguarda . . . sotto la più esatta emenda di danni, spese ec. e perciò loro stessi . . . non meno che i loro successori nelle loro respettive prebende, i quali rimangono rispettivamente obbligati in forza delle apostoliche bolle di erezione, a di cui pregiudizio nulla s' intenda eseguito col presente atto, ed a cui si abbia relazione.«

Post praefatam concordiam Archipresbyter et mansionarii easdem fere constitutiones, quae anno 1808 fuerant pro eorum Collegiata confectae, omnium subscriptione sub die 24. Augusti ejusdem anni 1820 firmatas laudato Emo examinandas et approbandas proposuerunt; easque ipse paucis additis ac variatis sub die 29. Junii 1823 approbavit, confirmavit atque ab omnibus inviolabiliter observari mandavit.

In hisce constitutionibus circa onus missae conventualis in *part. 2. cap. 3. num. 119.* legitur: »Missa conventualis est de praecepto nec unquam omitti potest. Onus satisfactionis hujus missae inest massae communi Canonicorum secundae erectionis. Applicari debet pro benefactoribus et in publico sacrarii libro describi, ut satisfactio appareat.« Nonnulla insuper alia reperire est in iisdem constitutionibus circa personas, inter quas hujusmodi missae distribuuntur; hinc *eodem cap. 3. sub num. 121.* habeatur: »Missae conventuales, quae cantantur ab Archipresbytero, sunt in Circumcisione etc., et omnes dies festi duplices primae classis enumerantur, et in totum sunt missae vigintiquatuor. Sub *num. 122.* legitur: »Primus Canonicus missam cantat in feria secunda Paschatis, Pentecostes et rogationum, in festo s. Stephani protomartyris et in caeteris festis per turnum. *Num. 123:* »Secundus Canonicus coadjutor missam canit in feria tertia Paschatis, Pentecostes et rogationum, in festo s. Joannis Evangelistae et similiter in aliis diebus festis per turnum.« *Num. 124:* »In aliis festis secundae classis et tertiis dominicis omnes Canonici per turnum, incipiendo a primo Canonico coadjutore.« Insuper sub *cap. 5. part. 1. num. 75.* de duobus Canonicis Tesei et Massucci, qui sunt secundae erectionis, scribitur: »Canere tenentur missam conventualem per turnum cum aliis Canonicis in omnibus duplicibus secundae classis et tertia dominica cujuslibet mensis.« Tandem sequenti *cap. 6. num. 84.* de mansionariis disponitur: »Alternative qualibet hebdomada unus cantat missam conventualem, exceptis duplicibus primae et secundae classis, tertiis dominicis, hebdomada majori, tribus diebus rogationum.«

Circa functiones autem nonnihil immutatum reperitur; legitur enim *cap. 5. n. 134:* »Singulis diebus festis post completorium fit expositio augustissimi Sacramenti et cum eo datur benedictio ab eo Canonico coadjutore, qui est de hebdomada, cum assistentia duorum mansionariorum, qui sunt de servitio chori, exceptis diebus solemnibus, in quibus datur ab illo Canonico, qui de mane missam cantavit.«

Juxta praefatam tamen concordiam res pacifice processerunt usque ad annum 1837, quo Emus Card. Ostini, qui eo tempore Aesinam dioecesin omnium plausu moderabatur, sua auctoritate dissidia exorta composuit, confirmatis omnibus ab Emmo Cesarei jampridem peractis. At haec dissidia non extincta quidem sed velut ignis suppositus cineri anno 1840 majori impetu cum populi scandalo clerique dedecore exarserunt: quo factum est ut Archipresbyter ac Canonici coadjutores sapientissimum EE. VV. judicium ad omnes dirimendas contentiones postularint.

Emmus Aesinus Antistes a me desuper requisitus, postquam doluerit incassum a se tentatam inter dissidentes Capitulares con-

cordiam atque attigerit decretum a se prolatum de nihil innovando, servata interim consuetudine usque dum s. m. Congregatio rem definiat, de concordia anni 1820 haec profert: »Conventio hujusmodi executioni mandata fuit etiam quoad missas conventuales et sacras functiones ac nulla quaestio orta erat usque ad mensem Martii 1840;« et concludit »quod perpensis transmissis documentis etc. et rationum momentis ab utraque parte exaratis (quae pariter adjunxit) facile erit s. huic Congregationi verum quaestionis statum praesertim quoad sacras functiones agnoscere et quaestionem ipsam suo sapientissimo judicio dirimere.« Rationum igitur momenta, quae hinc inde proferuntur, breviter deliberando Vobis EE. PP. pro meo munere porrigam.

Ac primo quidem in arenam descendunt Canonici primae erectionis una cum Archipresbytero, ut totum missarum conventualium onus in secundae erectionis Canonicos ac mansionarios refundant, atque animadvertunt in primis generalem regulam, qua omnes Canonici Cathedralium et Collegiatarum tenentur applicare pro benefactoribus, locum non habere quando constat de fundatione ac de particularibus obligationibus injunctis per fundatorem, quia tunc videtur Canonicos teneri tantummodo ad applicationem tenore fundationis, ceu tradunt *Pasqualig. de sacrif. miss. quaest. 899. n. 2. et 4.* cum aliis penes *Ursaya tom. 3. p. 2. disc. 23. n. 59,* quem citat *Scarfant. ad Ceccop. tom. 3. addit. 9. n. 16.* Addunt deinde tum parochum tum capellanos coadjutores ante erectionis bullam nunquam tali obligatione devinctos fuisse: licet enim ex constitutionibus Cardinalis Cibo teneretur parochus celebrare in tutti i giorni festivi di precetto coll' applicazione del sacrificio pel suo popolo e cantare la messa nei doppi di prima classe »uti videre est num. 10;« ac licet sequenti num. 11. statuatur: »Nelle domeniche di precetto canteranno li due cappellani *della scuola* una settimana per ciascuno »conforme all' uso antico della chiesa«; ac tandem sub n. 12. scriptum sit: »Nei giorni non di precetto, e semidoppi si canterà la messa dal cappellano coadjutore che in coro leggerà allora le seconde lezioni,« nemo tamen tenebatur eam pro benefactoribus in genere applicare: in bulla autem fundationis nullibi talem sibi obligationem imponi firmiter asserunt: imo cum aperte statuat nullatenus per eamdem derogatum censeri privilegiis et exemptionibus, quibus ante erectionem fruebantur, parochus ejusque coadjutores quoad ea, quae exactum ecclesiae servitium respiciunt, contendunt Pontificem voluisse eos immunes etiam ab onere missae conventualis, a qua ante eximebantur. Hinc, ajunt, etiamsi in constitutionibus capitularibus missa conventualis reperiatur imposita Archipresbytero in duplicibus primae et coadjutoribus Canonicis in duplicibus secundae classis, per hoc tamen intelligendum est iis tantum praeservari jus eam celebrandi, ut ante Collegiatae erectionem, non vero iisdem imponi onus gratuitae applicationis: quod validiori etiam fundamento niti apparebit, si attentatur per dictam erectionem praeter honorem ac dignitatem nil lucri retulisse Archipresbyterum atque Canonicos coadjutores, secus ac Canonici et mansionarii secundae erectionis.

Sed quod omnem adimit dubitandi viam, pergunt primaevae erectionis Canonici, illud est quod de missis mille et tercentis quatuor per Canonicos et mansionarios alterius erectionis privative celebrandis constituunt literae apostolicae, quae cum easdem reduxerint ad 520, ut superius exscripsi »*comprehensa tamen in eis missa quotidiana conventuali cum cantu*«, jam universum conventualis missae onus rejectum fuisse in solos de altera erectione Capitulares nemo inficiabitur: si quis enim dixerit omnes Canonicos etiam antiquitus institutos ad celebrationem teneri conventualium missarum, quae assurgunt quotannis ad 369, profecto non missas amplius 520 alterius erectionis Canonici celebrarent, sed vix 226, quod vel a litera apostolicarum literarum abhorret.

Neque turbantur conventione sub anno 1820 curante Cardinali Cesareo absoluta

1, quia in prima ipsius conventionis cera transigentes protestati sunt »di obbligarsi gli eredi non meno, che i successori nelle loro rispettive prebende, i quali rimangano rispettivamente obbligati in forza delle apostoliche bolle di erezione, a di cui pregiudizio nulla s'intenda eseguito col presente atto, ed a cui si abbia sempre relazione.« Quid autem apostolicae istae bullae sibi velint, jam satis demonstratum est, quidquid igitur contra eas in articulis conventionis statutum fuisset, tamquam non appositum haberetur, quia legi, cui relatio haberi voluit, adversatur,

2, quia Cardinalis ipse Cesareus, qui ejusdem conventionis auctor extiterat, pacta quaelibet quoad missam conventualem turnatim canendam annullavit post triennium, reformatis et approbatis constitutionibus, quando inibi expresse sancivit »missa conventualis est de praecepto, nec unquam omitti potest. Onus satisfactionis hujus missae inest massae communi Canonicorum secundae erectionis;«

3, quia nequivissent contrahentes Canonici contra expressam Pontificis sanctionem onus missae conventualis etiam ad successores Canonicos secundae erectionis protrahere absque explicita apostolica venia, quam impetratam fuisse nunquam liquido constat.

Nec majoris momenti putant quae ex generalibus canonum sanctionibus aut ab encyclic. s. m. Benedicti XIV.*) objici possunt de celebratione missae conventualis omnibus Capitularibus indiscriminatim injuncta: praeterquam quod enim hujusmodi generale praeceptum omnes omnino Capitulares afficiat, si assistentiam eidem missae spectemus, non vero si ejusdem celebrationem aut applicationem, subdunt, hoc ipsum praeceptum sponte sua exulare statim ac pontificia sanctione expresse indigitati sunt, qui hujusmodi debeant obligationi in peculiari casu satisfacere. Requidem vera si in numero missarum reductarum, quibus onerata mansit solum massa communis, comprehensa est dispositione bullae non tantum »*missa conventualis*,« sed »*missa quotidiana conventualis,*« et si tales missae inter secundae erectionis Canonicos et mansionarios sunt aequaliter repartiendae, jam evidens est universum conventualium onus fuisse exclusive super eadem massa impositum ac proinde Archipresbyterum et Canonicos coadjutores vel solutos omnino esse ab ejusdem celebratione, vel, quatenus eam celebrent, repetere saltem posse ab eadem massa manualem eleemosynam, cum nemo ad alterius solvenda debita cogi possit.

Advertunt praeterea Archipresbyter et Canonici primaevae erectionis hanc Collegiatam quoad missam conventualem speciali omnino jure censeri. Certum enim est, inquiunt ipsi, hanc de jure communi pro benefactoribus in genere esse applicandam: at indubium pariter est praefatum Pontificem missas 1304, quae gravabant communem massam Canonicorum ac mansionariorum secundae erectionis, reduxisse ad solas 520, de quibus 120 lectas, caeteras 400 cum cantu »*comprehensa tamen in eis (400) missa quotidiana conventuali*«: Patet igitur haec 400 Sacra cum cantu venire in locum earum missarum, quae inhaerebant bonis modo constituentibus dotem quatuor canonicatuum et mansionariatuum posterioris erectionis ac proinde Pontificem pro hac Collegiata indulsisse eam missam conventualem, quae applicaretur pro peculiaribus benefactoribus. Frustra igitur adversarii missae conventualis onus quibusdam Capitularibus ademptum esse ea ratione detrectant, quia id communi juri opponitur, dum et ipsi contra ejusdem juris sanctiones missas, quae pro specialibus ac determinatis personis forent offerendae, conventualibus adnumerant.

Ceterum haud irrationabiliter communi massae impositum conventualis missae onus fuisse conficiunt, si animadvertatur ex una parte Canonicos primaevae erectionis animarum cura distentos difficile potuisse ea qua par est diligentia eidem oneri satisfacere, attento insuper quod, *la messa dell' aurora dovrà celebrarsi dal prefetto di sagristia una settimana, e da quello del coro un' altra alternativamente*,« juxta constitutiones Emmi Cibo num. 13, quibus concinunt capitulares constitutiones num. 58 et 61, juxta quas duo Canonici choro et sacrario praefecti: »*Vel per se vel per alium tenentur in sua hebdomada missam ad auroram celebrare,*« ex altera, si pensetur Canonicos erectionis nuperrimae, dum gravabantur privative hujusmodi obligatione in ecclesiae decus, levamen eodem tempore sensisse ex imminutione aliarum missarum, in quas Pontifex conventuales imputavit.

Contendunt tamen consuetudinem nequaquam adversariis favere: constat enim nedum eorum antecessores conventuale Sacrum peregisse sed etiam pro iis, quae temporum calamitate omiserant, absolutionem instanter postulasse. Quod si Canonici primae erectionis conventualem missam celebrarunt, manualem quoque eleemosynam ab aliis identidem repetiisse invicto pectore adstruunt.

At ex adverso secundae erectionis Canonici reponunt. Jure communi missae conventualis celebratio pro benefactoribus in genere est onus cuilibet Collegiatae seu capitulari corpori annexum, utpote quod fruitur liberalitatibus fundatorum, *cap. cum creatura 10. de celebr. missar.*, Bened. XIV.

*) Vd. *p. 699* §. *11.*

in constit.: *Cum semper oblatas,**) cui oneri cum non possit collegialiter satisfieri, sed illud debeat individualiter per singula membra impleri, hinc omnes et singuli Capitulares, qui juribus gaudent ac favoribus ejusdem corporis atque iisdem fruuntur largitionibus, pro suis vicibus, non obstante quacumque contraria quamvis immemorabili consuetudine, ad applicandam quotidie pro benefactoribus in genere missam conventualem adstringuntur, ut pluries a S. H. O. resolutum est, velut adnotatur in *Alexandrina 7. Julii 1770 §: Saera.* Etenim (ait Pontifex in citata constit.) *hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiae, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.*« Quis igitur ambiget Archipresbyterum cum Canonicis coadjutoribus ex praefatis juribus ad missam conventualem teneri?

Hi cum hujusce auctoritatis vim evadere nequeant, contendunt se per erectionis bullam fuisse tali obligatione solutos, at vehementer inficiantur secundae erectionis Canonici. Ubinam, petunt, eorum favore in apostolicis literis reperitur exemptio juri communi derogatoria? Ubinam expressum privilegium? Privilegium autem non praesumittur, sed probari concludenter debet, cum maxime, sicut in themate, sit odiosum, utpote juri communi adversum. Quid si totum bullae tenorem legenti ne unum quidem verbum de jactata exemptione occurrat, si nulla appareat hujus dispensationis justa causa, si ne petita quidem unquam reperiatur? Verum tantum abest, subdunt, ut erectionis bulla Archipresbyterum ejusque coadjutores tali onere relevet, ut potius illud ipsum expressis verbis imponat, ait enim: *Qui quidem Archipresbyter scilicet atque undecim Canonici . . . insimul viginti ecclesiasticorum ministrorum conficientes numerum . . . apud illam (ecclesiam) personaliter residere et inibi horas canonicas tam diurnas quam nocturnas ac conventualem seu majorem aliasque missas caeteraque divina officia collegialiter decantare et psallere . . . ac alias eidem parochiali ecclesiae in divinis deservire laudabiliter debeant ac teneantur.* Nil clarius desideratur. Sane apertissime per haec verba tum Archipresbytero tum Canonicis primae erectionis, quemadmodum horae canonicae, ita etiam missa conventualis seu major decantanda injungitur. Si igitur neque communi neque speciali jure a conventualis missae onere deobligantur, patet nedum ipsos debere in ejusdem celebratione ut antea pergere, sed nec ullam posse a communi massa exigere eleemosynam.

Nec admodum urgeri ostendunt ex iis bullae verbis, quibus missae 1304 eorum massam gravantes reducuntur ad 400 cum cantu «*comprehensa tamen in eis missa quotidiana conventuali cum cantu . . . inter posteriores quatuor secundae erectionis Canonicos totidemque mansionarios aequaliter repartiendas.*« Clare enim patet, inquiunt, ex bullae contextu, (qui supra in facti serie exscriptus est) Pontificem, dum hanc reductionem indulsit, utilitatem tantum communis massae prae oculis habuisse ac miseratum esse nimirum incommodum atque impendium Canonicorum et mansionariorum ejusdem massae; ac proinde »*ut ipsi ad hujusmodi celebrationis onus perferendum aptiores reddantur,*« duplicem eorum favore elargitum esse gratiam: primam scilicet ut 1304 missae reducerentur ad 400 cum cantu et ad 120 lectas: alteram ut missa conventualis, quam ultra praefatas 400 canere debuissent uti Collegiatae Capitulares, in earumdem imminutionem computarentur. Imo, pergunt, posito quod et alii Capitulares praeter secundae erectionis Canonicos ac mansionarios ad conventualem missam teneantur, posito etiam quod summus Pontifex statuerit in 400 missas cum cantu comprehendi missam quotidianam conventualem, nonne sponte fluit eas missas conventuales, quae ab aliis per eorum turnum celebrantur, cedere in imminutionem 400 ipsarum reductarum? Hanc sane interpretationem suadere videtur favor, quo Pontifex eos prosequi voluit; at ex adverso nil tale eruere datum est sive ex verbis sive ex contextu et adjunctis ipsius bullae, ut confici possit Archipresbyterum et Canonicos adjutores exoneratos esse a celebranda ac applicanda conventuali aut jure donatos ad exigendam pro eadem eleemosynam.

Nec minus despiciendum autumant, quod adversus eos profertur ex constitutionibus anni tum 1808 tum 1820, per quas *onus satisfactionis hujus missae inest massae communi Canonicorum secundae erectionis;* nam eae constitutiones utpote excerptae ex ipsa

*) Vd. *p. 699 §. 11.*

bulla atque in fidelem illius executionem conflatae, juxta eamdem, ad quam se referunt, sunt in dubio interpretandae. Praeterea ex enarratis constitutionibus, quas ipse Capretti primus novae Collegiatae Archipresbyter colligit, satis liquet ad conventualem missam canendam teneri Archipresbyterum in duplicibus primae classis et Canonicos coadjutores in duplicibus secundae classis ac tertiis dominicis per turnum; atque ex libris legatorum et capellaniarum pro primis annis ab erectione Collegiatae constat eos gratis pro benefactoribus applicasse. De Archipresbytero in specie reperitur eum missam pro populo per alium celebrasse illis diebus festis, quibus erat sibi conventualis canenda: cohaerenter enim ad const. Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas* definitum alias fuit ab hac s. Congregatione, curam animarum non eximere ab onere missae conventualis; et nominatim de Praeposito Collegiatae curam animarum habente resolutum habetur *Alexandrina 7. Julii 1770 ad 2. dubium.* Praefatae autem dispositioni consonat concordia anno 1820 Emmo Caesareo solemniter inita, ab omnibus et singulis Capitularibus acceptata ac proprio nomine firmata, cujus saltem vigore tam Archipresbyter quam Canonici coadjutores ac ceteri omnes Canonici obligantur »*per turno di settimane applicare le messe conventuali . . . senza che possa mai da alcuno chiedersene alcun compenso, o limosina.*« Consonat tandem perpetua ab erectione Collegiatae servata consuetudo, quae est optima legum interpres atque eo magis in casu attendenda, quo ab iis ipsis originem ducit, qui Collegiatae erectionem efflagitarunt ac obtinuerunt atque ideo veram ipsius bullae mentem poterant prae caeteris assequi.

Nonnulla modo hinc inde proferuntur quoad competentiam sacrarum functionum; et adversus Canonicos secundae erectionis contendentes, eum, qui de mane missam conventualem decantaverit, jus habere benedicendi cum ss. Sacramento, deferendi in processionibus statuas, reliquias etc. aliasque functiones sacras, quae per eum diem cadunt, peragendi; insurgunt Archipresbyter et Canonici primaevae erectionis ac principio animadvertunt s. m. Pontificem eorum ecclesiam in saecularem insignem Collegiatam erexisse »*Salva tamen ac firma illius parochialitate remanente*« ac frequentissime in apostolicis literis scriptum reperiri, ut haec collegiata »*parochialis ut antea existat.*« Praeterea voluissent pleno jure stare antiquas constitutiones per Emmum Cardinalem Cibo exaratas, praesertim quoad ea, quae rectam curae animarum administrationem rectumque ecclesiae servitium respiciunt. Sicut igitur, inquiunt, ante Collegiatae erectionem tum plebanus tum capellani coadjutores hujusmodi functiones peragebant, ita modernus Archipresbyter ac Canonici coadjutores, qui eorum loco veniunt, debent servari in eodem parochialitatis jure, quo antea potiebantur quodque canonicae sanctiones eisdem aperte praeservant.

Re quidem vera quamvis in decreto s. Rituum Congregationis diei 10. Decembris 1703 circa plures functiones, quales sunt benedictio et distributio candelarum et palmarum, benedictiones mulierum post partum et fontis baptismalis, celebratio missae solemnis feria V. in Coena Domini, missarum solemnium per annum sive pro vivis sive pro defunctis, expositio quadraginta horarum et benedictio super populum, expositio reliquiarum et sacrarum imaginum ac benedictio, quae fit cum eisdem, responsum fuerit: Non esse de juribus mere parochialibus, ut videre est ad dubium 5. 6. 8. 10. 11. 12; *adhuc tamen easdem ad parochum spectare dicendum est* (ut inquit *Monacel. formul. leg. tom. 2. tit. 13. form. 1. num. 54. et 57) tum propter affinitatem, connexionem et dependentiam, quam habent a juribus mere parochialibus vel ratione officii pastoralis, quo vices gerit Episcopi in regimine curae animarum, quales sunt celebratio officii super cadaveribus, receptio mulierum ad purificationem post editum partum, administratio publica Sacramentorum, cinerum, palmarum, candelarum solemnis benedictio, missae celebratio feria V. in Coena Domini, domorum benedictio in sabbato sancto, benedictio fontis baptismalis, delatio et expositio publica Eucharistiae et aliae similes, quas referunt et ad ipsum spectare firmant. Ricc. prax. serv. for. eccles. par. 4. a resol. 305. ad 311.*, Barbos. *collect. decis. apost. c. 391. per tot., tum propter declarationem olim factam ab eadem s. Congregatione in Neapolitana 18. Maii 1602,* ubi habetur: »*In ecclesiis parochialibus . . . sacerdotalia munera et presbyterales functiones, quae populi et animarum curam quodammodo concernere videntur, quales sunt candelarum, fontis baptismalis benedictio, ss. Sacramenti delationes, celebrationes missarum feria V. in Coena Domini et sabbati sancti. Aspersiones domorum et quae*

in dominicis diebus in ecclesia fiunt quaeque circa cultum ss. Corporis Domini in quadraginta horarum oratione et similes . . ad parochum seu rectorem animarum cura habentem . . . spectare debere censuit.« Ädnotant quoque primae erectionis Canonici cum ipso *Monacel. loc. cit. num. 81:* Per clausulam *jure tamen parochialis ecclesiae in omnibus semper salvo* omnia firma et praeservata remanere, non tantum ea, quae mere jura parochialia sunt, sed caetera, quae ad officium parochi pertinere et spectare jam supra plene probatum fuit (num. scilicet 54. et 57. relat.); cumque Pontifex apertissime voluerit eorum ecclesiam parochialem ut antea existere et salvam ac firmam illius parochialitatem remanere, ipsi concludunt Canonicos secundae erectionis jus tantum habere ad eas functiones, quae capitulares sunt, non vero ad eas, quae vel parochiales vel parochi officio adnexae quodammodo comperiuntur.

Nec eos in contrarium movet ratio, quod et ipsi cum Canonicis primae erectionis concurrant ad expensas pro sacristia, paramentis etc., ut conficiatur eosdem debere ad honorificentias quoque ac sacras functiones ad instar aliorum admitti; nec pluris faciunt conventionem anni 1820, qua placuit »*che il Canonico, cui avrà toccato di cantare la messa potrà anche dar la benedizione col ss. Sacramento, e fare le altre sacre funzioni che incontreranno nella giornata*«; in ipsa enim conventione adjactum est nullum per eam inferendum esse praejudicium apostolicis literis erectionis: per quam clausulam *non peractum* intelligitur quidquid adversus bullam sancitum pateat: insuper ea concordia potuit transigentes obstringere, qui voluerunt suo juri renunciare, non vero successores, qui adhuc manent in primaevis juribus sibi apostolica auctoritate affirmatis. Nec denique attendendas ducunt capitulares constitutiones anno 1820 per Emmum Cesareum approbatas; nam ea sub conditione ab Archipresbytero et coadjutoribus acceptatae fuerunt, ut servarentur constitutiones Emmi Cibo.

Canonici vero secundae erectionis pro suis tuendis juribus prodeunt adnotantes hanc Collegiatam ecclesiam duplici suo aspectu posse considerari: quatenus est Collegiata; hinc duplicis generis functiones, quae pro duplici qualitate peraguntur, scilicet sunt parochiales, canonicales aliae. Quoad functiones, quae sunt juris parochialis, concedunt sane eas spectare privative ad Archipresbyterum ejusque in animarum cura coadjutores: similiter nec inficiantur Archipresbytero, quatenus prima dignitas est, competere in choro, processionibus aliisque actibus et functionibus capitularibus illius Collegiatae praecedentiam; et quatenus est parochus, eum frui debere omnibus et singulis privilegiis, emolumentis, honoribus et oneribus quoad providam curae animarum ordinationem rectori pro tempore usque de anno 1660 per Emmum Cardinalem Cibo concessis; cujus constitutionibus anno 1663 editis praesertim quoad ea, quae rectam curae animarum hujusmodi administrationem exactumque ecclesiae servitium respiciunt, nullatenus per apostol. literas derogatum fuisse fatentur. Quoad alias vero functiones, quae non sunt de jure parochiali, quales sunt celebratio missae conventualis cum assistentia diaconi et subdiaconi, vesperae solemnes, processiones cum statuis Sanctorum vel sacris reliquiis, benedictio cum ss. Sacramento et similes aliae functiones, ceu videre est in decretis generalibus s. Rituum Congregationis sub finem anni 1703 latis et apud Benedictum XIV. in *sua instit. ecclesiastic. 105. §. 4.* exaratis, acriter contendunt eas exerceri debere ab omnibus et singulis Canonicis, qui capitulare corpus constituunt.

Requidem vera et ipsae capitulares constitutiones, dum functiones canonicales a parochial. distinguunt, suas cuilibet canonicales sacras functiones certo ordine adsignant ac etiam statuunt, ut, qui missam conventualem de mane decantaverit, vespertinis idem horis cum ss. Eucharistia benedictionem impertiatur; et hoc optime cohaeret S. R. Congregationis resolutionibus, ut in *Aesina 25. Januarii 1605*, in qua legitur: Canonicus, qui missam solemnem celebrat die dominico, tenetur officium vesperatum facere eodem die post prandium, non obstante quacumque contraria consuetudine; necnon consonum est consuetudini aliarum insignium Collegiatarum ac denique ipsi conventioni sub anno 1820 inter Capitulares conciliatae. Praefatas autem constitutiones dictamque concordiam, quae ita sanxerunt, ut omnes successive Capitulares suum onus pariter ac honorem reciperent, vim legis habere ac omnes, quos respiciunt, obligare certissimum esse concludunt, postquam summus Pontifex in repetita erectionis bulla *Archipresbytero et Canonicis*

praefatae ecclesiae quaecumque statuta, ordinationes et decreta, licita tamen et honesta, per Ordinarium prius examinanda et approbanda et ad quos spectat observanda sub poenis in contravenientes infligendis edere libere et licite possint plenam ac liberam facultatem perpetuo impertitus est, ac confidunt fore', ut S. H. Ordo vigentes constitutiones ac conventionem anni 1820 quoad sacras functiones confirmare dignetur, ut in aliis similibus casibus actum est, velut in *Tolentina 26. Maji 1739*, et in *Camerinen. 2. Aprilis 1781,* in qua ad dubium:

An et quomodo sint observandae tabellae capitulares quoad assignationem functionum singulis Capitularibus in casu?

respondit: *Affirmative in iis, quae non adversantur Caeremoniali Episcoporum, et amplius.*

His praejactis enucleanda erunt dubia:

I. *An Archipresbyter et quinque Canonici coadjutores primae erectionis tenentur celebrare et applicare per turnum missam conventualem seu potius onus satisfactionis hujus missae insit massae communi Canonicorum et mansionariorum secundae erectionis in casu etc.?*

Et quatenus affirmative ad primam partem,

II. *An praedicta massa communis teneatur persolvere pro applicatione dictae missae eleemosynam praedictis Archipresbytero et Canonicis coadjutoribus?*

III. *An et quae sacrae functiones spectent privative ad Archipresbyterum et Canonicos coadjutores in cura animarum in casu etc.?*

IV. *An et quae functiones et quomodo spectent ad omnes Canonicos in casu?*

S. C. resp.

Ad I: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II: *Negative et eleemosynam missae conventualis esse desumendam ex respectiva massa.*

Ad III: *Affirmative quoad functiones de jure et de officio parochiali.*

Ad IV: *Affirmative quoad caeteras functiones capitulares.*

Die 9. Septembris 1843.

IX. Canonici parochi.

Vd.: Supra decr: *Aesina p. 728; Applicat. missae pro populo* (obligat. parochi Canonici etc.)

Pientina.

In collegiata ecclesia sanctissimae Trinitatis terrae Senalongae Pientinae dioecesis adsunt Canonici secundae erectionis, scilicet Praepositus, Primicerius et Archidiaconus aliique quatuor Canonici praebendas distinctas habentes a diversis benefactoribus post erectam Collegiatam relictas. Cumque eorum redditus sint admodum tenues pluraque onera missarum pro eisdem benefactoribus etiam in qualibet hebdomada adimpleant, mandavit haec s. Congregatio, quod missa conventualis pro benefactoribus applicaretur diebus tantum dominicis ac festis, prout in responsione Episcopo tradita ad relationem status ecclesiae, occasione visitationis sacrorum liminum.

Adversus dictum decretum recurrunt iidem Capitulares exponentes distinctim onera eisdem infixa ac reddituum tenuitatem, quae in tali gradu sunt, ut non valeant subjici huic gravamini ab hac sacra Congregatione nuper imposito. Audito desuper Episcopo preces subsistere affirmat.

Saepius declaravit haec sacra Congregatio, quod missa conventualis, tamquam pars divini officii choralis, debet in ecclesiis cathedralibus et collegiatis quotidie celebrari et applicari pro benefactoribus, prout ex *textu in cap.: Cum creatura, de celebrat. missar.* tradit ibi *Fagnan. num. 21, Pignatell. consult. 322. tom. 1.* et haec sacra Congregatio in *Camerinen. 28. Junii 1704*, ubi ita fuit decisum: *Non obstante contraria consuetudine immemorabili*, et in *Ferrarien.* 18. Martii 1719 ad primum dubium.

Quoties autem Canonicorum praebendae sint tenues, eadem sacra Congregatio indulgere consuevit, *ut illa applicetur tantum in diebus festis de praecepto*, ut in *Veliterna 14. Martii 1722* ad tertium dubium, et in *Spoletana 23. Maji ejusdem anni*, et in *Spalaten**) *Applicationis missae conventualis proposita die 2. Julii 1729 et resoluta 23. ejusdem mensis et anni*, ad primum et secundum dubium, ubi ita resolutum fuit: Non obstante quod capitulum haberet onus celebrandi alias missas et quotidianae recitationis precum cum applicatione pro benefactoribus.

Et quatenus dictis ecclesiis cura animarum immineat, ultra missam conventualem celebrari etiam debet missa parochialis pro

*) *Applicat. missae conv.* (oblig. in festis de praec. etc' decr. Spalaten p. 760.)

populo, quae provenit ex obligatione pascendi oves et offerendi sacrificium pro illis ex conc. Trid. *sess. 23. cap. 1. de reform.*, ut ponderat *Monacell. tit. 16. adnot. ad form. 2. num. 20. tom. 2*, ubi quod eadem missa non potest satisfieri duabus obligationis distinctis, cum unaquaeque illarum obliget ad substantiam missae ex proprio titulo.

Proponuntur itaque decidenda infrascripta dubia:

1. *An Capitulares secundae erectionis Collegiatae sanctissimae Trinitatis terrae Senalongae teneantur diebus dominicis et festis de praecepto ad applicationem missae conventualis pro benefactoribus juxta decretum hujus sacrae Congregationis in casu?*

Et quatenus affirmative,

2. *An Dignitates et Canonici dictae Collegiatae, quibus incumbit cura animarum, teneantur ad eandem applicationem dd. diebus festivis, quibus debent applicare pro populo vel possint applicare simul pro populo et benefactoribus?*

S. C. C. resp.

Ad 1: Affirmative;

Ad 2: Affirmative ad primam partem, negative quoad secundam; et amplius.

Die 17. Febr. 1731.

Pientina.

Quemadmodum Canonici ecclesiae Collegiatae Senalongae Pientinae dioecesis petunt liberari ab applicatione missae conventualis ob tenuitatem eorum reddituum et propter onera ab ipsis adimplenda ex eisdem rationibus dictam gratiam obtinere confidunt etiam Canonici collegiatae ecclesiae s. Quirini ejusdem dioecesis deducentes quantitatem onerum et respective reddituum, quae Praeposito, Archidiacono singulisque Canonicis pertinent et ab eis adimplentur. Episcopus Pientinus, desuper auditus, omnia ab eis exposita confirmat putans, oratores ad hoc aliud onus pro benefactoribus non esse cogendos, quoties eorum canonicatus tot oneribus et missis atque etiam continua chori assistentia absque ullis prorsus vacationibus subjiciuntur; redditus vero sunt valde tenues nec majora onera sufferre.

Rationes pro obtinenda gratia sunt eaedem deductae in antecedenti causa. Dignabuntur itaque EE. PP. decernere:

I. *An Canonici collegiatae ecclesiae sancti Quirini teneantur diebus dominicis et festis de praecepto ad applicationem missae conventualis pro benefactoribus juxta decretum hujus sac. Congregationis in casu?*

Et quatenus affirmative;

II. *An Dignitates et Canonici ejusdem Collegiatae, quibus incumbit cura animarum, teneantur ad eamdem applicationem dictis diebus festivis, quibus debent applicare simul pro populo et benefactoribus in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative;

Ad II: Affirmative ad primam partem et negative ad secundum, et amplius.

Die 17. Febr. 1731.

Ad dub. I: *An parochi cathedr. et collg. eccles., qui sunt primae dignitates vel membra earundem, excusentur ab applicatione sacrificii diebus dominicis et festis per missam conv., quae in choro quotidie canitur, aut ultra praedictam conventual. parochi supradicti teneantur celebrare et applicare supradictis diebus pro parochianis?*

II. *An, quando per turnum ad supradictos parochos spectat missam conv. canere diebus dominicis et festis, teneantur iidem celebrari facere pro parochianis aliam missam propriis sumptibus?*

S. C. resp.

Ad I: Negative quoad primam, affirmative quoad secundam partem.

Ad II: Affirmative.

Die 31. Maji 1708.

Ad dub.: *An Dignitates et Canonici Colleg., quibus incumbit cura animarum, teneantur ad eandem applicationem (missae nempe conv.) dictis diebus festivis, quibus debent applicare pro populo, vel possint applicare simul pro populo et pro benefactoribus in casu?*

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative quoad secundam et amplius.

Die 11. Febr. 1731.

Asculana.

Canonicorum collegium oppidi Ophidae suam ducit originem a Pio IV., qui extincto sub anno 1552 in ecclesia s. Mariae de arce veteri Benedictinorum coenobio eamdem ecclesiam in Collegiatam erexit variisque privilegiis condecoravit. Praeter beneficiatos minoresque inservientes Priore ac duodecim constabat Canonicis, quorum alter Theologi munere fungebatur, alter Poenitentiarii partes explebat. Hisce piorum hominum largitate tres alii labentibus annis addicti sunt, qui juripatronatus obnoxii neque activam neque passivam vocem in capitulo habeant. Penes Canonicorum collegium animarum cura residebat, quam per Vicarium ad nutum amovibilem tum intra oppidi ambitum tum per finitimos agros gerebat. Sed aucto incolarum numero Episcopus Marana decreto sacrae visitationis anni 1753 eidem tres adjecit capellanos, quorum singulis terrae regiones assignavit; atque alteri, quae s. Venantii, alteri, quae s. Lazari, tertio tandem, quae S. Bassi appellatur, tradita est. Hi omnes uni Vicario-Curato plane subjiciebantur, cui opem potissimum ferebant in sacramentorum administratione.

Piceni provincia apostolicae Sedis dominio erepta et regno, quod italici nomen tulit, addita, sicuti reliqua ecclesiastica instituta, ita et Ophidanum capitulum extinctum ejusque bona Napoleonis monti attributa fuerunt. Quod vero attinet ad animarum curam, quousque perduravit gallica occupatio, nihil sane immutatum est ac solummodo, ut capellani majorem congruam reciperent, eorum rurales ecclesiae veluti succursales illius sanctae Mariae habitae sunt. Tandem anno 1825 Leo XII. suis literis in forma brevis Ophidae capitulum, quibusdam tamen constrictum legibus, in pristinum restituit. Eo enim temporis intervallo, quod a capituli extinctione ad ejus instaurationem intercesserat, ex duodecim antiquioribus Canonicis de massa vix quinque superextabant ceterique omnes jam diem obierant supremum, aderant autem sex alii ecclesiastici viri, qui spe futurae capituli redintegrationis ac Canonici honorarii titulo sibi apostolicis literis tributo dumtaxat contenti defunctorum partes susceperant. Ex quo factum est, ut sapientissimus Pontifex nonnulla in suis literis constituenda duxerit, quae in divini cultus decorem et in fidelium bonum potissimum conferrent. Itaque decrevit qua ratione capituli redditus administrari ac dividi deberent, unam ex duodecim canonicalibus praebendis suppressit ejusque bona ecclesiae s. Augustini perpetuo addixit: de animarum autem cura haec sancivit: »Non solum parochia s. Mariae intra oppidi ambitum constituta, sed rurales etiam parochiae s. Venantii ac s. Lazari oneri erunt ac curae omnimodae Ophidano collegio Canonicorum. Quod vero cum a Nobis statuitur, simul statuimus atque decernimus, ut earum parochiarum cura perpetua in posterum habeatur et a Canonicorum aliquo per se geratur, non autem quod antea contigit per vicarios ad nutum amovibiles, ut dici solent. Hinc cessandum erit ab omni pensitatione pecuniae, quae . . . ab aerario nostro fiebat earum parochiarum vicariis. Hinc etiam irrita habebitur fundorum ac quorumvis bonorum pro dote illarum parochiarum datio, additio, donatio eaque bona in jus ac dominium recidant collegii Canonicorum, siquidem ab illo profecta sint . . . Novis enim earum ecclesiarum pastoribus satis prospectum est praebendis, quae ad illos deferentur ex iis canonicatibus, qui rectores veteres amiserunt, nec novis sunt traditi. Postulat novus hic rerum ordo, ut vetemus, quemadmodum vetamus et interdicimus, ne quis canonicatibus illis ornetur, de cujus aetate, moribus, doctrina non antea cognoverit Episcopus quemque idoneum esse parochialibus curis sua approbatione ac testimonio non pronunciaverit. Quod si nemo regendis parochiis aptus reperiatur, sine rectore illi maneant et ex eorum redditibus parochiarum oeconomi alantur, quoadusque detur canonicatibus viros praeficere parochiarum rationibus accommodatos. Parochiam ss. Philippi et Bassi, licet ea quoque a jure et auctoritate collegii Canonicorum pendeat, nolumus a veteri conditione et statu decedere, quum adjectione ecclesiastici beneficii cujusdam captum jam fuerit opportunum ejus inopiae medendi consilium.«

Quum hac methodo in antiquum statum Ophidae Collegiata fuisset restituta, vacantes canonicatus iis collati sunt, qui honorario titulo ecclesiae inservierant ac tres eorumdem novissimi animarum curam obeundam susceperunt. Dum haec ita se haberent, extremam clausit diem Carolus Tozzi senior ex veteribus Canonicis illiusque canonicalem praebendam, nulla animarum curae gerendae facta mentione, jam inde a die 25. Augusti 1826 assecutus est sacerdos Dominicus Braccetti. Explete collationis nuncium laetitia excepit senior ex tribus Canonicis, qui per illud temporis parochi officio fungebantur et illud in Canonicum Braccetti tamquam Canonicorum novissimum transferri majorem in modum institit: at cum sibi adversarium

didicisset Canonicum Braccetti, quaestio hinc institui coepit, utrum animarum cura certis quibusdam adhaereret canonicalibus praebendis, adeo ut, qui eatenus parochi munere functi erant, ipsi eorumque in canonicatu successores etiam in posterum defungi deberent seu potius ita personis incumberet, ut parochialia munia obire tenerentur, qui novissime canonicales praebendas nacti essent, et an hujusmodi onus iis immineret, qui canonicatus tempore instaurationis Collegiatae vacantes obtinuerant, eorumque successoribus vel etiam iis, qui caeteras canonicales praebendas adipiscerentur.

Has tamen controversias ut plane componeret Asculanus Antistes preces obtulit huic sacrae Congregationi atque hanc methodum perpetuo servari et apostolica sanctione roborari expostulavit, nimirum:

1. Che i tre ultimi de' nuovi Canonici debbano assumere l'incarico parrocchiale, ed esonerarne coloro che lo hanno sostenuto finora. E quello tra essi che fin qui non si è reso abile a tale ufficio, debba a suo carico farsi da altri rappresentare; non essendo giusto che fruisca di quelle rendite, cui venne imposto il peso parrocchiale.

2. Che sebbene gli antichi canonici siano affatto esenti dalla cura dell' anime, nondimeno quelli che verranno investiti di tali prebende dopo la di loro morte, debbano essere soggeti all' incarico parrocchiale.

3. Che ad ogni vacanza, sia de' nuovi, sia degli antichi canonicati, il nuovo investito debba assumere l'ufficio di parroco esonerandone in ogni futuro tempo il più anziano de' Canonici curati, che trovasi in esercizio. E sicconne gli odierni ultimi investiti della prebenda canonicale anderrebbero ad assumere simultaneamente l'incarico parrocchiale, perciò in questo caso dandosi luogo alla suespressa vacanza, debba essere tra essi esonerato quello che prima ottenne la bolla canonicale.

4. Che i Canonici curati allorchè si trovano al dissimpegno degli esercizi parocchiali, debbano godere dell' esenzione dal coro e debbano essere esenti dalla messa ebdomadaria conventuale, dovendo invece celebrare quella *pro populo*.

5. Che in caso d'infermità di uno o più dei Canonici esercenti la cura delle anime l'ultimo o ultimi di coloro, che rimasero esonerati per le precedenti vacanze, debbano supplire durante l'infermità senza alcuno indennizzo, ma colla medesima esenzione dal coro.

6. Dappoichè le anime soggette alla giurisdizione parrocchiale della Collegiata di Offida alcune sono nell' interno della terra, ed altre sparse per la compagna e queste debbono essere assistite dai tre ultimi Canonici, che ne hanno la cura, cosi trovasi conveniente, che il Canonico Decano fra i tre parrochi debba essere il parroco nell'interno e che gli altri due giuniori lo siano del Circondario esterno, secondo la distribuzione che se ne farà dall Ordinario.

Opportunum duxi ejusdem Episcopi sententiam exquirere, ut audito capitulo caeterisque omnibus, quorum interest, s. Congregationem ea de re plenius instructam redderet. Is itaque in suis literis haec habet: »Collegium capitulare quindecim constat Canonicis, quorum primus ac prima dignitas Prior nuncupatur. Hos inter adest unus, qui theologales tenetur explicare lectiones et Canonicus theologus appellatur. Tres alii sunt de jure patronatus. Hinc in decem tantummodo ex iisdem praebendis onera paroecialia fuisse imposita innotescit. Per tres vices quotidie Canonici omnes interesse chorali servitio tenentur, servato tamen ordine vocationum.«

Annuus redditus cujuslibet praebendae a decennali calculo desumptus assignatur in scutatis quinquaginta et uno obolisque 44, comprehensis distributionibus et demptis oneribus etiam vectigalium. Prioralis et theologalis tantum praebendae majori quidem sed perexiguo gaudent redditu. Missa conventualis quotidie pro benefactoribus applicatur; et hoc onus a supradicto redditu scutatorum 51. 44. demptum pariter fuit. Demum quolibet die festo, comprehensis reductis, Canonici, qui actu curam animarum exercent, missam *pro populo* tenentur applicare.«

»Cum autem ipsius Collegiatae Canonicos omnes tam seniores quam juniores audierim super methodo per me in supplici libello exhibita, iidem capitulariter congregati in praefata methodo unanimiter consenserunt, excepto Canonico Braccetti. Ast in capitulari resolutione propositum ab eodem collegio fuit: »Si mantenga salda l'unicità della parrocchia Collegiata, e però il parroco pro

tempore della chiesa matrice terrà i libri battesimali, e amministrerà il Sacramento dell' Battesimo, rilascierà le fedi, terrà il suggetto, assisterà ai matrimonj; ne farà le consuete pubblicazioni, e tutt' altro che è proprio dell' officio di primo parrocco, non dovendo i parrochi di campagna godere di altri diritti all'infuori di quelli, di cui godevano i cessati capellani, cioè di amministrare i Sagramenti agl' infermi, e di fare la santa communione. Essendo la messa conventuale che si celebra per turno fra li Signori Canonici annessa alla respettiva prebenda canonicale, non debbono li Canonici curati pro tempore, niuno eccettuato, esserne esonerati, trovandosi in funzione, ma bensì potranno sostituire altri Canonici a loro grado, ed i Canonici curati ne pagheranno l'elemosina secondo la tassa fissata, ed in vista della tenuità delle nostre prebende, le messe, che si dicono *pro populo*, siano a carico quindi innanzi della nostra sagrestia.«

Hoc tamen, pergit Episcopus, neque apostolico brevi consonum neque spirituali animarum bono congruum existimo. Non enim Canonici illi extra oppidum animarum curam exercentes amplius, uti capellani seu vicarii, ut antea, ad nutum amovibiles sed veri parochi juxta mentem praefati brevis modo sunt instituti; neque rurales incolae spiritualibus omnibus juvarentur adjumentis praesertim in ministratione baptismatis, si hiemali praecipue tempore ad ecclesiam matricem intra oppidum positam cogerentur accedere. Idem dicendum de vigilantia, monitionibus ac morum testimonialibus. Qua de re unumquemque ex iisdem parochis divisum et liberum habere paroeciale exercitium necesse puto, ita tamen, ut Canonicus parochus ecclesiae matricis praeter praeeminentiam ac primatum in honoribus habeat jus etiam celebrandi matrimonia et cadavera omnia mortuorum associandi in ecclesia matrice praemissis vero in primo casu proclamationibus in ecclesiis ruralibus contrahentium faciendis et in reliquis primus parochus par caeteris sit habendus.

A ratione et aequitate absonum videtur, Canonicos parochos, qui ob exercitium munerum paroecialium actu impediuntur, ad onus quoque missae conventualis teneri et per alios soluta eleemosyna repraesentari; duplici namque onere eo modo graverentur; et ecclesia matrix, cum aere alieno sit gravata, ad sustinenda onera missarum *pro populo* minime par esset. Quod si sacratissimi principis providentia incrementum aliquod hujusmodi praebendis daretur, tunc, cum majores fierent redditus earumdem, fortasse erit quod proposuerunt Canonici, modo tamen grave nimis ruralibus praesertim parochis foret, onera omnia choralis exercitii et curae animarum eodem tempore sustinere.

Quamobrem moderamina illa, quae in supplici libello proposui, si placuerit S. V. consessui juxta sensum, quem aperui, ut probentur rogo.

Quamvis autem Canonicus Braccetti in capitularibus comitiis aliorum Canonicorum sententiae adhaerere detrectaverit, attamen se a quavis judiciali contestatione recessurum nunc profitetur, dummodo ab hac sacra Congregatione »si approvi il piano formato da Monsignor Vescovo, e l'atto capitolare relativo.«

Prima quaestio in eo potissimum versatur: an parochialia munera perferre cogantur, qui possessionis ordine novissimi sunt inter Canonicos, an potius tot assignari debeant praebendae, ut, quisquis illas obtinent cujusque sit ordinis et antiquitatis parochi, munere nullo non tempore fungi teneatur. Antiquitus sane et vel ab ipsa collegii erectione animarum cura habitualiter penes capitulum erat, quae actu tamen exercebatur per vicarium curatum et capellanos tum intra oppidi ambitum tum per finitimos conterminosque agros. Literis vero sa. me. Leonis XII. nova methodus ac novus ordo hac in re constitutus est; cavit enim Pontifex *ut parochiarum cura perpetua in posterum habeatur et a Canonicorum aliquo per se geratur, non autem quod antea contigit per vicarios ad nutum amovibiles.* Jam vero, etiamsi haud perspicuis verbis mandaverit Pontifex, a quibusnam Canonicis animarum cura foret in posterum gerenda, nihilominus, cum parochialia munia per aliquos Canonicos, non autem per vicarios ad nutum amovibiles, obeunda praescripserit, ea fuisse videtur Pontificis voluntas, ut certis quibusdam canonicalibus praebendis onus ejusmodi immineret et ab eorundem possessoribus perpetuo deferretur. Si enim parochorum officio perfungi deberent tres Canonici, qui possessione essent juniores, jam illa fere inveherentur incommoda, quibus Canonicos vicariis

amovibilibus sufficiendo remedium adhibere constituit Pontifex.

Verum plura in apostolicis literis praesto esse videntur argumenta, quae animarum curam per juniores tantum Canonicos gerendam suadeant. In primis enim haud unius vel alterius praebendae possessori, sed *Ophidano collegio Canonicorum* imminere voluit omnimodam curam ecclesiarum parochialium, ita tamen, ut parochialia munia in qualibet ecclesia a *Canonicorum aliquo per se* exercerentur. Dein cum vetuerit, ne canonicatus deinceps cuiquam conferrentur, quem antea Episcopus *idoneum esse parochialibus curis sua approbatione ac testimonio non pronunciaverit*, a novissimo tantum Canonico onus curae perferendum esse non obscure declarasse videtur.

Hisce etiam argumentis Canonici, qui nunc animarum curam gerunt, profecto utuntur, ut evincant parochi officium esse exercendum a junioribus Canonicis, sive hi possideant alterum ex sex canonicatibus, qui tempore instaurationis Collegiatae nemini fuerant collati, sive altera gaudeant ex iis praebendis, quibus veteres Canonici per illud temporis potiebantur. Aliter tamen rem dijudicandam arbitratur Canonicus Braccetti. Si enim quaestio est, apostolicarum literarum censura foret dirimenda, se ejusmodi onere plane exemptum habendum esse contendit. Et sane Pontifex sermonem instituens de novis ecclesiarum parochialium pastoribus eisdem satis prospectum esse dixit *praebendis, quae ad illos deferentur ex iis canonicatibus, qui rectores veteres amiserunt nec novis sunt traditi.* Quibus quidem verbis satis luculenter innuit Pontifex, pastores animarum eos esse censendos, qui alterum ex vacantibus canonicatibus forent assequuturi. Idque clarius elucescit ex iis, quae illico subdit Pontifex inquiens: »Postulat novus hic rerum ordo, ut vetemus, quemadmodum vetamus et interdicimus, ne quis *canonicatibus illis ornetur*, qui ad parochialia munia obeunda non fuerit antea ab Episcopo pronunciatus idoneus.« Haud itaque omnes, qui canonicatus in Ophidana Collegiata exoptant, idoneos esse oportet ad animarum curam obeundam, sed illos tantum, qui ordinari cupiunt *canonicatibus illis*, nimirum iis, *qui veteres rectores amiserunt nec novis sunt tradĭti;* dictio siquidem *illis* refertur solum ad nominatos in proximo superiori versiculo, ut post *Gloss. in cap. Ut circa* §. *1. vers. coram de elect. in 6.* monet *Barbos. tractat. var. dic. 147. n. 1, Alex. consil. 204. n. 4. lib. 2.* Itaque Canonicus Braccetti, quippe qui nullo fruitur ex *canonicatibus illis*, nec Episcopi indigeret approbatione ad animarum curam exercendam nec officium parochi exercere cogeretur. Verum omnis ea super re jam perpetuo sileret controversia, si EE. VV. Asculani Antistitis consilio, cui Canonici omnes ac ipse Bracetti assentiuntur, adhaerendum putarent.

Quaeritur secundo loco: utrum tres sint paroeciae ac tres parochi, quorum alter alteri minime subjiciatur in exercenda animarum cura, vel potius unica dumtaxat sit paroecia ita ut parochus ecclesiae collegiatae tantummodo cunctis gaudeat parochialibus juribus, rectores autem ecclesiarum ruralium sint potius coadjutores quam veri parochi ac certis solum fruantur juribus et graventur oneribus. Cuperent quidem Canonici omnes *che si mantenga salda l'unicità della Parrocchia Collegiata*, ne hujus ecclesiae jura ullam patiantur imminutionem et parochus iis potiatur praerogativis ac emolumentis, quibus antea fruebatur vicarius, sed rem ejusmodi apostolicis literis adversum tenere animadvertit Episcopus. Profecto tantum abfuit a Pontificis mente, ut unica tantum constitueretur paroecia, ut nedum ecclesiam s. Mariae intra oppidi ambitum, sed etiam rurales ecclesias parochiae nomine nuncupaverit ac etiam decreverit, *ut earum parochiarum cura perpetua* haberetur et a Canonicorum aliquo exerceretur. Quisque igitur ex tribus parochis munus suum exercere debet sine ulla subjectione cunctisque frui juribus, quae animarum curatorum sunt propria. Nihilominus aequitati consonum arbitratur Episcopus, ut parocho ecclesiae collegiatae praeter honoris praeeminentiam sartum tectumque servetur privativum jus celebrandi matrimonium fidelium trium parochiarum ac etiam associandi cadavera eorumdem fidelium ad ecclesiam collegiatam s. Mariae; ecclesiae enim matrici aliquem exhibendum esse honorem docent *Reinfest. lib. 3. decret. tit. 48. n. 18*, s. Congr. *in Surrentina Processionum 16. Aprilis 1825* §. *Profecto.* Verum perpendant quaeso Patres Emmi et Tridentinae *Synodi sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* Parochis omnibus jus esse celebrandi matrimonia et qui aliter quam praesente proprio parocho connubium contrahunt, ii omnino inhabiles sunt ad sic contrahendum; proprius autem parochus is dicitur, in cujus parochia alter ex contrahentibus habet domicilium et habitationem, *Bened. XIV. in constit.: Paucis 19. Martii 1758, Reinfest. lib. 4. decret. tit. 3. n. 55,* s. Congr. *in Taurinen. Matrimonii 29. Julii 1769* §. *Proprius,* non vero parochus ecclesiae matricis, nisi alteruter sponsus intra ejusdem ecclesiae limites domicilium collocaverit vel saltem proprii parochi aut Ordinarii accessiverit venia, *Conc. Trident. loc. cit.* Similiter jure tumulandi ex sacrorum canonum censura omnes gaudent parochiales ecclesiae, quin ullo peculiari indigeant Episcopi privilegio, *cap. 1. de sepult.*, s. Cong. *in Ariminen. Funerum 16. Junii 1827* §. *Parochi*, ac propterea, si EE. VV. voto Episcopi obsecundandum censuerint, id unum parocho ecclesiae matricis tribuendum foret, ut ipsi jus sit associandi ad ecclesiam s. Mariae cadavera illorum, qui nulla electa sepultura ex hac vita migraverint, cum a jure devium esset fideles privare facultate eligendi sepulturam in ea, qua ipsis magis libuerit, ecclesia, *cap. 6. et 8. de sepult.*

Restat nunc ut sermo instituatur de exemptione a choro et de celebratione missae conventualis. Nemini sane dubium, Canonicos, quibus ex fundationis lege, non autem ex apostolica dispensatione onus inest sive in eadem Collegiata sive in alia ejusdem civitatis et oppidi ecclesia exercendi animarum curam, ita exemptos esse a divinis laudibus in choro persolvendis eo tempore, quo animarum cura impediuntur, *Conc. Trid. sess. 22. c. 3. de ref., constit.: Cupientes 65. s. Pii V.*, ut nedum fructus praebendae sed quotidianas etiam lucrentur distributiones, *Benedict. XIV. instit. eccl. 107. num. 101,* s. Congr. *in Montis Regalis Distributionum 6. Decembris 1732*, in *Venusina 25. Junii 1763* et in *Cuneen. Pontificalium 12. Decembris 1829* §. *Aliter.* Et quamvis nec ipsis nec aliis in evidentem ecclesiae utilitatem distentis aut rude donatis datum sit emolumenta, quae ex voluntate testatorum aut benefactorum inter praesentes distribuuntur, unquam percipere, *Piton. discept. eccl. 1. n. 35,* s. Congr. in *Aquipendien. Indulti 1. Aprilis 1719* et in *Terracinen. seu Privernen. Emolumentorum 23. Decembr. 1826.* §. *Dein et seq.*,*) videant nihilominus Emmi Patres: utrum Canonici curati absentes a choro, ut suo fungantur munere ad spiritualem procurandam fidelium salutem, frui debeant distributionibus et emolumentis, quae certis anni festivitatibus aut processionibus realiter interessentibus ex capitulari lege aut consuetudine tribuuntur. Sane Canonici, qui ob adversam valetudinem statis illis diebus aut processionibus interesse vetantur, ab ejusmodi arcentur emolumentorum delibatione. Etenim s. haec Congregatio in *Savonen. Distributionum 18. Dec. 1745* rogata:

An Canonicus Picconi tempore infirmitatis participare valeat de omnibus distributionibus tam ordinariis quam extraordinariis ac quibuscumque aliis emolumentis et obventionibus, prout participant caeteri Canonici interessentes in casu?

responsum dedit:

Affirmative, exceptis iis, quae sive ex voluntate testatoris sive ex statuto et consuetudine ecclesiae debentur *tantum actu interessentibus.*

Concinunt rescripta in *Aquilana Indulti 13. Februarii 1745 ad II. dub.* et in *Praten. Indulti 23. Junii 1746* ac traditur in *dubia indultorum 6. Maji 1820* §. *Indulta.*

Quod vero pertinet ad cantum et applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, ne Canonicos quidem curatos ab ejusmodi onere immunes esse declaravit Benedictus XIV. in encyclica: *Cum semper oblatas* §. 17*) praecepitque, ut a Canonicis in eadem vel alia ecclesia actualem curam exercentibus missa conventualis applicaretur atque alter sacerdos sufficeretur, qui ipsorum loco missam pro populo celebret et applicet. Id ipsum sensit haec s. Congregatio in *Fesulana Missae parochialis 16. Junii 1770.* §. *Quo,* in *Brugnaten. Missae conventualis et pro populo 28. Maji 1796,* et in *Ariminen. Servitii chori 18. Augusti 1827.* Ne tamen Canonici curati, qui tenui non secus ac reliqui Canonici fruuntur praebenda, duplici ejusmodi onere graventur, censet Episcopus eosdem ab applicatione missae conventualis esse liberandos. Renuunt vero Canonici atque ut levamen aliquod parochis tribuatur paratos se potius exhibent ad eleemosynam missarum pro populo, ubi contigerit a parochis alium presbyterum subrogari, ex sacrarii redditibus exsolvendam. Cujusnam sententiae Episcopi scilicet vel capituli sit adhaerendum decernere dignabuntur Emmi Patres. Illud hic unum silentio

*) Vd. *Distributiones.*

*) Vd. *p. 700.*

non praetermittam, nimirum a jure devium non esse, ut onus missae pro populo ab iis perferatur, qui habituali dumtaxat potiuntur animarum cura, ceu videre est in *Camerinen. Missae pro populo 16. Decembris 1820*, et in *Verulana Massae communis et missae pro populo 12. Decembris 1829 ad II. dub.*

Sint dubia:

I. *An et a quibus Canonicis sit exercenda animarum cura in casu?*

II. *An et quot sint paroeciae in casu?*

III. *An et quae jura sint reservanda Canonico curato ecclesiae matricis s. Mariae in casu?*

IV. *An et quae distributiones ac emolumenta percipere possint Canonici curati absentes a chorali servitio pro exercenda animarum cura in casu?*

V. *An Canonici curati teneantur canere et applicare missam conventualem in casu?*

Et quatenus affirmative,

VI. *An et cujus sumptibus sit tribuenda eleemosyna sacerdoti pro populo celebranti in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative a tribus Canonicis, qui actu curam gerunt et ab eorum in respectivis canonicatibus successoribus, facto verbo cum Sanctissimo.

II. Affirmative et tres esse paroecias inter se independentes.

III. Affirmative quoad praecedentiam tantum, addita oblatione unius librae cerae albae quolibet anno ab unaquaque ex duabus paroeciis.

IV. Affirmative quoad omnes distributiones et emolumenta, exceptis iis, quatenus non intersint, quae ex voluntate testatorum debentur tantum actu praesentibus.

V. Affirmative quoad parochum s. Mariae, negative quoad parochos rurales, verbo facto cum Sanctissimo.

VI. Negative, cum missa pro populo sit onus parochi.

Die 20. Novembris 1830.

Januen.

Ex Bandinelli Saulii munificentia ac pietate, quem auctorem habet Paulinus Saulius Marchio, abbatialis ecclesia honori Virginis in coelum assumptae sanctorumque Fabiani et Sebastiani ad clivum Jani, quem et Corinianum dicunt, Genuae exstructa ditataque fuit, amplissimo pro familia patronatus jure constituto. Aucta ipsa collegio Canonicorum paroecialibus etiam juribus instructa deinceps fuit, quae cum collegio ipso adtributa fuerint, bini Canonici rei ibidem procurendae ex praestituta norma praeficiuntur. »Decem porro et septem erant olim praebendae (placet rem esse Archiepiscopi testimonio proponere): una quidem scutorum circiter 300 pro Abbate, quibus adjungebantur totidem dictorum vulgo Regalo; duodecim pro Canonicis scutorum circiter 170 comprehensis distributionibus: et quatuor pro mansionariis, qui alio nomine beneficia servitoria appellabantur, scutorum circiter 100 comprehensis distributionibus. Huic beneficiatorum numero septem addebantur sacerdotes pro quotidiano servitio chori, quorum nonnulli etiam ad missae applicationem tenebantur et eodem fere redditu fruebantur, quo mansionarii. Modo vero temporum fortuna praebendae redactae sunt ad quinarium numerum pro Canonicis, earumque redditus vix ascendit ad scut. circiter 120 comprehensis distributionibus, et quaternarium pro mansionariis, quarum redditus scutorum circiter 90, comprehensis distributionibus et quotidianae missae applicatione. Huic numero addenda pensio unius capellani choro addicti par praebendae unius mansionarii . . . Qualitas veri servitii choralis, quod aliquibus abhinc annis in usu est, complectitur tum omnium horarum canonicarum recitationem in choro tum assistentiam quotidianae missae conventuali, quae pro benefactoribus continuo applicatur. Hanc autem divini officii recitandi per integrum in choro obligationem Eminent. Card. Spina, olim Archiepiscopus Genuensis ita flagitante et annuente Patrono reduxit, ita ut ad solas matutinas horas missamque conventualem Canonici tenerentur sicque a vespertini chori interventu, diebus tamen festis exceptis, plane dispensati essent. Modo vero nullum extat hujusmodi concessionis atque rationis, qua facta fuerit, seu decreti Emmi Card. Spina supra laudati documentum: in praesto vero sunt plurimi Canonici, qui ejus testimonium praebeant quique et illud constanter affirmant, solum parvum Canonicorum numerum, nonnullorumque eorum impotentiam in causa ejusmodi concessionis fuisse. Sacra ibidem iis legibus procurata sunt ad annum usque 1816, quo

ex Pii VII. Pontificis auctoritate quinque Canonici honorarii cooptati in eum ordinem fuerunt, qui locum veterum Canonicorum tenerent: quo factum est, ut Canonici convenire iterum vespertinis horis ad psalmos sponte decreverint, quod accurate adhuc peractum est, si certos quosdam dies excipias, quibus vel a choralibus muneribus cessari consuevit vel duci supplicationes aut alia haberi sacra officia aut tempestates adversas ingruere contingat.

Rem pro episcopali sollicitudine animadvertunt postremi Genuatium Archiepiscopi ac de hoc usu identidem perscrutati sunt, uti et de altera consuetudine, quam ferunt a paroeciae constitutione invaluisse »che essendo in allora incominciato l'obligo della messa parrocchiale pro populo, questa non fù in seguito mai applicata in forza di un rescritto (che si canosce per sola tradizione) della s. m. di Bened. XIV. che univa la messa parrocchiale, mediante la quotidiana applicazione de' mansionari ad eccezione di un giorno.« Auctores proinde fuerunt Canonicis, ut pontificium beneplacitum, quo utraque consuetudo firma decerneretur, postularent. Id ipsi praestiterunt precibus in eum finem delatis, quibus enuncient collegii statum, quo nunc octo Canonici et mansionarii quatuor cum altero capellano recensentur, e quibus bini e Canonicis perdita affecti valetudine devexaque aetate saepe saepius decumbunt, tres autem Canonici honorarii ut plurimum absunt a choro, tres demum reliqui lingua haesitantes et voce absoni sunt, nec volentiores dicunt mansionarios. Quibus accedit iter ad ecclesiam asperum, perdifficile, imo et aliquando infectum ac periculosum. Hinc de praetermisso parochiali Sacro pro populo asserunt, id contigisse

1. perchè i mansionari sono obbligati di applicare quotidianamente, eccettuata una messa per ogni settimana;

2. perchè gli emolumenti parocchiali sono si rari, che non si contano che per nulla,

3. perchè i Canonici Curati, che sono due, ac quali sembrerebbe spettare particolormente detta applicazione, occorrendo qualche parochiale emolumento, non hanno, se non parte eguale agli altri Canonici.

Sed prae rationibus caeteris consuetudinem tuentur memorato Benedicti XIV. rescripto, cujus tamen nullum extat in ecclesiae curiae archiepiscopalis tabulariis monumentum. Hinc ut animarum saluti rite consulant, postularunt la dispensa dall' ufficiatura del dopo pranzo, permettendo, che la medesima sia ripristinata secondo l'intiera riforma fatta dall' Emo Spina de f. m. e l'assoluzione della colpa, in cui sarebbero incorsi, se la surriferita tradizione sull'asserito rescritto di Benedetto XIV. fosse stata male appoggiata, e la facoltà in seguito di continuare a supplire colla conventuale all'obligo della messa parrocchiale, come finora si è praticato, non avendo i Canonici curati, cui spette rebbe, alcun emolumento particolare per la loro carica.

Testatur Archiepiscopus vera haec esse, reddituum autem massae sacrarii (addit ipse), de qua s. Congregatio postulat edoceri, penes patronum universa administratio est; ad ecclesiae vero distantiam aerumque periculum quod spectat, sat exigua quidem illa esset ecclesiam inter ac domum a Canonicis inhabitam, aeris tamen intemperiis, maxime vero ventorum vi supra quam dici possit subjectam. Nullum item de enunciato Benedicti XIV. rescripto prae manibus documentum extat, ejus tamen constans traditio apud Canonicos viget.

Ast ommittendum non est, postulatae per adjunctas preces concessioni patronum obsistere ejusque sententiam ferre, non ejus esse conditionis capitulum, qua nequeat persequi in pleno chori servitio; quibus reponunt Canonici ea recensentes, quae descripta jam sunt. Concludit vero, eadem ferme capituli esse adjuncta, quae extabant, quo tempore a vespertini chori interventu antea memorata dispensatio concessa est; ideoque usquedum actualia adjuncta perduraverint, dispensationem petitam s. Congregationem facere posse, quod absque ullo populi scandalo fieri certe posset.

Constat sane, quae pro temporum varietate sit, in re, de qua agitur, sacrarum legum disciplina. Ex benignitate attamen ecclesiae praecipua nunc pro publicis divinis officiis persolvendis horarum distributio inter matutinas ac vespertinas decreta est. Quare id etiam contendere, ut vespertini conventus ad psalmos vel omittantur omnino vel ipso mane habeantur, absonum nimis est ab ecclesiae institutis. S. C. C. *Sarnen. 30. Martii 1833.* Cum vero anno 1816 Canonici volentes lubentesve pro pietatis studio iterum

vespertinas horas celebrandas susceperint, turpe esset, displicere, quod semel placuit, cum praesertim, quod placuit, a jure non sit improbatum, scienter insuper et non ex errore probabili seu ex probabili ignorantia placuerit, verbis praeterea et factis manifestum fuerit ac demum alterius intersit, ut, quod placitum fuit, observetur, quae quatuor conditiones eae sunt, quarum aliqua si deficiat, tunc solum, id quod semel placuit, displicere potest et aliquando etiam debet, *(Foebus de reg. jur. can. act. 21. n. 4.)* eaeque mirifice in themate convenisse inspiciuntur. Agitur quippe de placito ad sanctioris disciplinae rationem probato; res apprime deliberantibus innotuerat, qui onus probe noverat, quod pro arbitratu sibi imponebant: actu praeterea publico et urbe universa inspectante et plaudente confecta res est: patrono demum curae in primis est, illos e proposito non resilire, qui proinde vehementer postulationi Canonicorum adversatur »per conservare, al più possibile, il lustro ed il decoro della sua chiesa, stato già abbastanza pregiudicato dalle trascorse disgraziate vicende, mentre altronde evvi un numero di Canonici, e mansionarj più che sufficiente per l'ufficiatura del dopo pranzo ad onta dell età avanzata e stato d'infermità di qualcuno di essi.« Constat autem, justum patronorum dissensum plurimi semper factum fuisse ab hoc s. ordine, cumque ex Archiepiscopi testimonio Canonici annua circiter scutata centum et decem et mansionarii nonaginta percipiant, eorundem votis ea etiam s. Congregationis regula obstare videtur, quae, etsi tradat ex reddituum tenuitate imminui posse choralia munera, (S. C. C. in *Romana 18. April. 1822* et in *Civitatis Castellanae 6. Aug. 1808*), eas tamen edixit tali esse exiguitate praebendas, quae demptis oneribus vix scutata quadraginta vel saltem triginta non pertingant.

Caeterum postulationem suam contuentur Canonici ex Emmi Spinae Cardinalis Archiepiscopi concessione, qui probe edoctus de collegii statu ac de perexiguo Canonicorum numero, ex quo sacrorum cultum dilabi ut plurimum conspicitur, itinerisque difficillimi discrimina refugiens illos vespertinis officiis exemerat: quae quidem causae Archiepiscopo teste nedum non cessaruut, sed et perstant assidue. Ast personarum paucitatem et potissimum valetudinis perniciem quam plurimi faciendam esse, ut etiam chori servitium imminuatur, juri consonum est. (*Schmier jus can. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 1. n. 351,* S. C. C. in *Cingulana 29. Martii 1827* §. *In* et *Alatrina 3. Decemb. 1831* §. *Ea.)*

Hisce praescriptionibus insistens sacra Congregatio eas ob causas chorale pensum non ad medietatem dumtaxat imminui, sed et integre in aliqua anni parte identidem omittendum permisit. (S. C. C. *Castri Maris 30 Julii 1735, Grossetana 18. Martii 1820,* et *20 Martii 1830.*) Non quidem a choro integre per diem cessare, sed, quod ipsi privilegium a Cardinali Spina tulerant ac deinceps sequi omiserunt, adhibere iterum vellent, quod certe, nisi voluntate sua deseruissent, tenerent adhuc, quin ulla in ipsos excitari posset de ea re controversia.

Verum haud est silentio praetereundum aliquando iis ipsis locorum, itinerum, temporum ac personarum adjunctis expensis datum fuisse, licet perraro, ut vesperae cum completorio ipso mane recitentur, ne iterum a meridie adigantur Canonici in discrimina gravi cum incommodo se dedere, ut ad psalmos in ecclesiam conveniant. Id quidem a Benedicto XIV. pro Anconitanae ecclesiae Canonicis decretum fuit, ne iterato singulis diebus aedem illam principem in summo monte positam adire iidem peregre compellerentur.

De facultate autem, quam secundo loco petunt, ut missa conventuali pro benefactoribus celebrata oneri paroecialis missae pro populo singulis diebus festis litandae rite suppleri possit, prout usque in praesens actum est, occurrit quidem illico ob oculos, nulla consuetudine, quam abusum potius nuncupandum duxit Benedictus XIV., eximi collegia Canonicorum a generali illa lege, qua ad conventuale Sacrum pro benefactoribus peragendum adstringuntur, etiamsi minus amplo proventu potiantur, *Ben. XIV. const. Cum semper oblatus* §. *11**); *c.: Cum creatura de celebrat. missar., Monacell. in append. ad form. leg. super dec., Innocent. XII. de celebrat. miss. num. 12.)* Ita pariter omnes animarum curam habentes, licet congruis redditibus destitutos, teneri ad applicationem missae pro populo singulis diebus festis, cautum jure est, nec id oneris ullo unquam praetextu remitti consuevit, idque unum egentioribus curionibus dari aliquando ab Episcopis fas est, ut, quae Sacra festis diebus

*) Vd. *p. 699.*

pro populo exsolvere debuissent, ea peragant in hebdomada, operaturi rei divinae festo die pro iis, qui eosdem eleemosyna donaverint *(Benedictus XIV. citat. const.* §. *8.)* At si quis paroeciae gerendae praepositus tanquam insimul de capitulo adstrictus sit missam conventualem applicare pro benefactoribus, alteram, si festus dies sit, per alium applicare tenetur pro populo; ita sane a Benedicto XIV. sancitum fuit *(cit. const.* §. *17)* pluriesque sacra haec Congregatio vel a primis temporibus decrevit, Giraldo teste, qui ex Fulginatensi synodo Baptistellii decreta illa recenset. *In append. ad Barbos. de paroch. art. 2. syn. baptist. cap. 7.* §. *7.*

Verum Corinianenses Canonici ab ipso Benedic. XIV., quem illius constitutionis auctorem commendamus, ea se lege solutos praedicant: non idcirco privilegium ex consuetudine invectaque perperam legis sanctissimae violatione se repetere, quod certe irritum inaneque jus induceret, sed ex Pontificis ipsius concessu nutuque id sibi tributum fuisse, de quo, licet authentica monumenta desiderentur, non est tamen, cui ambigendum quis censeat, cum post hominum memoriam id a majoribus traditum ad veritatem fuerit atque in more semper institutoque praecessorum positum fuisse satis constet inter omnes.

Sed tanta certe canonicalium praebendarum tenuitas non est, ut, quod multo egentiores curiones persancte praestant, jure id a Corinianensi capitulo praetermitti adprobandum sit.

Quod si placuerit Eminentissimis Patribus petitam ab oratoribus facultatem denegare animadvertent profecto, ex constanti de Benedicti Pontificis rescripto traditione atque ex diuturno tot annorum usu legitimam rationem portendi, ut praeterito tempore bonam eorundem fidem agnoscant dignosque eos denuncient, quibus apostolica benignitate pro tempore praeterito succurratur.

Quae cum ita sint dirimenda proponuntur:

I. *An et quomodo concedenda sit dispensatio super vespertini chori servitio Canonicis ecclesiae Collegiatae s. Mariae in Carignano in casu etc.?*

II. *An et quomodo concedendum sit indultum satisfaciendi unica missa conventuali applicationi pro benefactoribus in genere et applicationi missae pro populo eorum curae commisso seu potius sint adigendi Canonici curati ad utrumque onus singillatim exsolvendum in casu etc.?*

III. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione quoad praeteritum super omissum chorale servitium et omissam applicationem missae pro populo in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I: Negative in omnibus.

Ad II: Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.

Ad III: Affirmative in omnibus, peracto anniversario cum assistentia capituli.

Die 17. Aprilis 1834.

Cajetana.

Jampridem vetustum capitulum insignis Collegiatae Campinellis in Cajetana dioecesi missae conventualis celebrationem intermiserat, quae pro benefactoribus litanda fuisset juxta celebratam encyclicam b. m. Benedicti XIV., quae incipit: *Cum semper oblatas;**) parebat autem in omnibus decreto cuidam jam ab anno 1703 die 18. Junii in actis s. visitationis edito a Fundano Episcopo Felice Couccio (cui tunc suberat oppidulum di Compodimele), quo praecipiebatur» *ut in omnibus diebus dominicis et festivis cantetur missa conventualis, quae non applicetur nec applicari possit in satisfactionem anniversariorum, sed offeratur pro populo, et in aliis vero ferialibus diebus missa, quae dicitur conventualis, dummodo cantetur in cantu gregoriano, applicari possit pro quolibet dictorum anniversariorum.«*

Anno 1780 s. visitatio dioecesis Fundanae dum iterum absolveretur, convisitator Lucci Vicarius generalis illius Antistitis Raphaelis Tosti Benedictinae constitutionis exequutionem primus indixit; et quoniam Capitulares nitebantur decreto mox relato Antistitis Couccio, *statuit, quod fiat verbum de praesenti negotio cum Illmo et Rmo, coram quo legitime conveniret reverendissimum capitulum pro opportuna provisione. Interim vero omnino canatur missa conventualis saltem quolibet die, qua recitatur in choro divinum officium, sub poena privationis distributionum quotidianarum . . .; necnon mandavit quod missae dicendae pro populo singulis diebus festivis de praecepto adnotentur in libro . . . separatim ab aliis missis.*

Quidquid post haec maxime circa exe-

*) Vd. *p. 695.*

quutionem decreti ejusmodi evenerit, valde ambiguum est nullisque firmatum documentis. Ad rem quod attinet ipsorum Capitularium verba referam, ad quae sese refert hodiernus Episcopus Cajetanus, (cui subest nunc temporis oppidum Campinellis) »*Che in seguito d'un tal decreto* (inquit in supplici libello capitulum) *l'Arciprete una col capitolo comparisse innanzi al Vescovo sudetto Tosti non vi è chi l'asserisca; solamente si rileva da una nota del lodato Arciprete apposta nel libro »messe capitolari« in seguito del riferito dal vicario Lucci, che Monsig. Tosti decretò, che nei giorni frà la settimana nei quali non cadono anniversarj o messe lette capitolari, si canti la conventuale invece della messa pro populo che prima si celebrava letta. La divisata nota veruna menzione però fa di ciò, che decretò il convisitatore Lucci. Intanto un Canonico del detto capitolo asserisce, che il sistema, che ora tiensi dal capitolo è conforme a ciò che decretò il lodato Monsig. Tosti, quale sistema è il seguente in ordine alla conventuale e messa parrocchiale.*

In tutti li giorni, che attualmente sono di precetto (esclusi quei degli apostoli ed altri, che ora non lon lo sono più) la messa conventuale è segnata: »Missa conventualis pro populo« con questa eccezzione, che nella prima e terza domenica di ciascun messe la detta messa è segnata: »Missa lecta pro populo, quia missa conventualis propter primam, (aut tertiam) dominicam celebratur in altari ssmi Rosarii (aut ssmi sacramenti)«; quali messe delle prima e terza domenica si cantono in sodisfazione degli oneri delle rispettive capelle, a cui appartengono; e crede il capitolo di adempire in questo modo alla sua obligazione della conventuale. Dentro poi la settimana si celebra la conventuale cantata nei giorni, come sopra, riferiti nella nota del nominato Arciprete giusta il decreto di Monsig. Tosti; e ciò quanto al capitolo.

Quanto all' Arciprete curato crede egli di sodisfare alla sua obligazione della messa pro populo colla messa segnata, come sopra: »missa conventualis pro populo«, che per turnum si celebra dal capitolo.«

Verentur hodie Capitulares Campinellis, ne recte adhuc se gesserint in conventualis missae celebratione et applicatione; atque id ipsum ambigit parochus hodiernus quoad litationem missae pro populo; hinc ut omnem ambigant conscientiae formidinem nonnulla EE. VV. exercenda proponunt dubia, quae de more ad folii calcem exscribimus.

Cajetanus Episcopus oratorum narratis subscribens, quia sententiam suam aperiat, exhibet quae sequuntur: *Dallo stato attivo e* passivo della Collegiata (qui transmittitur) si rileva, che la rendita biennale di detta chiesa, quale vive a massa comune, ascenda alla somma di ducati 611, e l. 32½, e l. esito alla somma di ducati 646, e l. 70, per cui l'esito supera l'introito della somma di ducati 35, e l. 57½; da ciò si deduce, che nulla vi rimane per addirsi alle distribuzioni quotidiane. Il capitolo, e dignità, che in tutto ascendono al numero di quattro senz' altro inserviente al coro, possiede alcune tenuissime prebende separate, assegnate a ciascuno, cioè alla prima dignità arcipretale e corale ducati 6. 30 al secondo Canonico ducati 2. Al terzo ducati 4. 10 al quarto ducati 2. 10. Il pesi poi di queste prebende sono addetti al mantenimento dei corporali, palle, purificatori, manotergi, calici, borse etc. Il servizio corale è questo: In tutte le feste di prima classe vi è l'officiatura pienissima consistente ne' primi, e secondi vesperi cantati, nell intero officio divino e messa cantata solenne: è questa l'officiatura anche in molte feste di seconda classe. In tutte le rimanenti feste di precetto vi è l'officiatura semipiena consistente nel matutino e laudi cantate, nelle messe cantate conventuali la mattina, e nei vesperi coi rispettivi completorii la sera, e questo in altre feste anche particolari . . . . In tutti li giorni feriati vi è sempre la messa cantata; la quale può per antica concessione anche applicarsi per l'anniversario, che cade in tabella.

La sagrestia non ha veruna rendita e massa particolare, da cui si possa somministrare l'elemosina per la messa conventuale.

Del resto non si può dubitare della buona fede dei Canonici nell'operato fino ad ora, e si può loro concedere, come desiderano, la riduzione della messa conventuale, primo per la scarsezza degli inservienti al coro, secondo per lo scarso numero degli attuali preti, terzo per la scarsezza della rendita.

Hucusque Episcopus. Jam vero quae de jure constituta sunt circa missam conventualem necnon missam pro populo praestat recolere. Conventuale Sacrum in omnibus

cathedralibus ecclesiis et insignibus collegiatis quotidie celebrandum et pro benefactoribus applicandum constans fuit s. Congregationis sententia, ut in *Terracinen. 10. Martii 1819*; idque deinde mandavit expresse in celebrata sua constitutione, quae incipit: »*Cum semper oblatas*« die 19. Augusti 1744 Bened. XIV.; eam porro tenentur canere Capitulares per turnum cum eleemosyna eidem ex communi massa assignanda, uti ad tramites ejus constitutionis sanxit S. C. in *Fanen. 20. Jun. 1781 ad II. dub.*, non obstante contraria consuetudine, est enim pars divini officii, *cap. de his distin. 12 gloss. in Clementina 1. de celebr. missar.*, nec etiam obstante reddituum tenuitate, *Fagnan in c. Ut Abbates n. 82. 83. de aetat. et qualit.* Immo cum sit onus beneficio adnexum etiam sine eleemosyna juxta cit. encyclicam, et *Pignatell. t. 1. consult. 321. num. 1. et seqq., Ursay. tom. 2. par. 1. disput. 32. num. 7 et seqq., Ferrar. in bibl. verbo: Canonicus art. 5. num. 76.*

Quoad vero missam pro populo praecepto divino mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves agnoscere et pro his sacrificium offerre ex conc. Trid. *sess. 23. cap. 1. de reform.*, S. C. in *Portuen. Appl. missae pro populo 10. Julii 1766 num. 15*, quae verba postrema non solum missae celebrationem nec solam applicationem important, S. C. in *Ostien. 29. Januarii 1724* §. *7.* Fieri vero debet applicatio nulla recepta eleemosyna, *Fagn. in cap. Fraternitatem de sepul. num. 93. et 35, Barbos. de offic. et potest. paroc. p. 1. cap. 11. num. 11.* et S. C. in *Nepes. Rest. eccl. 30. Maji 1772* §. *Plura.*

Nec eximi potest ratione tenuitatis reddituum, quia ratione officii tenetur, S. C. in *Assisien. Congruae 9. Septembris 1768* §. *8*, in *Brugnasen. Miss. convent. et pro populo 23. April. 1796* §. 8, *Fesul. Miss. parochial. 16. Junii 1770*, nec *per statutum Trident. synod. in sess. 23. cap. 1. de ref., Ferraris verb.: Parochus n. 19. adnot. 2.* et S. C. *in Fesulana Missae paroch. 26. Jan. 1771 ad II. dubium*, nec per contrariam consuetudinem, ut ex saepius laudata encyclica. Quoad dies autem applicationis declaravit Bened. XIV., quod diebus festis, quibus populus missae interesse debet et servilibus operibus vacare, missa pro populo celebretur appliceturque a parocho.

His in jure praejactis ad primum ex propositis dubiis quod attinet nulla dubitatio, quin male se gesserint Campinellis Canonici, dum missam conventualem vel non celebrarunt omnino vel pro benefactoribus non applicarunt plurium annorum lapsu; atque idem dicendum de parochis, qui perlitationem missae pro populo intermiserunt, quin decretum illud episcopale, si quidem extat, valeat iisdem suffragari. Ponderandum potius: num absolutione digni sint, qui donentur prout postulant in II. dubio. Etenim bona fide innixos hactenus ea ratione celebrasse confitentur, ipso confirmante Episcopo, ac nonnisi aliquo ab hinc anno de sua sese gerendi methodo dubitasse: atqui bona fides aequissima causa est absolutionis in *Mazarien. Reductionis et absolut. diei 14. Dec. 1522, Romana Absolut. et reduct. 18. Martii 1820 ad II. dub.*; accedit autem et probabilis impotentia supplendi, S. C. in *Spoletana Miss. convent. 1. Martii 1729*, in *Feretr. 17. Septemb. 1808*, in *Mazzarien. 2. Jun. 1821.*

In III. dubio, quamvis ex Benedicto XIV. pateat teneri Capitulares ad missam conventualem quotidie pro benefactoribus celebrandam, videant tamen EE. VV. in themate: num indulgendum sit pro reductione, quam expedire eos animadvertit Episcopus attentis rationibus, quae relatae sunt. Sane quidquid sit de prioribus duabus, certum est indulsisse laudatum Pontificem, ut, ubi tenues deprehendantur Canonicorum proventus, ad dies festos tantum missae conventualis applicatio reduci possit per s. Trid. synod. probata *sess. 24. cap. 16. de ref.* Tenues autem ad hunc effectum censentur redditus, quando praebendae annua scutata 30 non excedunt, S. C. in *Taurinen. 10. Julii 1790*, in *Camerinen. 14. Decemb. 1793, Massanen. Reduct. onerum 14. Decemb. 1822* §. *At videant.*

Quoad IV. dubium, cum luculentissima sint celebratissimae encyclicae verba parochis applicationem missae pro populo absolute praescribentia, nihil arbitror addendum.

In quinto dubio quaeritur: qua ratione ac de quibus festis intelligenda sit Benedictina constitutio, ubi ad solos dies festivos arctari conventualis missae applicationem, attenta reddituum tenuitate concessit. Porro quum s. Congregatio in *Placentina Missae conv. 30. Julii 1796*, in *Camerinen. 18. Septemb. 1761*, in *Castanen. Missae convent. 10. Sept. 1817* ad solos dies festos *de praecepto*

conventualis Sacri applicationem reduxerit, arbitrantur Capitulares in themate suppressos a s. m. Pio VI. et VII. dies inter obligatorios non comprehendi, siquidem festa ss. Apostolorum aliaque, quae in dubio recensentur, cessaverint auctorante b. m. Pio VI. et Pio VII. esse de praecepto.

Verumtamen recolendum est b. m. Pontificem Pium VI., quando in suo decreto, (cujus tenorem posthac in concordatis cum exteris regnis secutus est Pius VII.) dispensationem indulsit pro quibusdam diebus festis suppressis »*non meno dall' obligo di astenersi dalle opere servili, che da quello di ascoltar la messa,*« jus commune correxisse adeoque illius verba stricte esse intelligenda ex *cap. 1. §. Illa de filiis presbyter.* Praeterea eam dispensationem Pius VI. est impertitus »*affinchè i tanti giornalieri, che trovansi nella romana republica abbiano una maniera più facile, onde procacciarsi colle proprie fatiche la sussistenza,*« caetera vero onera integra omnino reliquit, dum ait: »*Ben inteso, che nei giorni festivi, che si dispensa l'officiatura, e la sacre funzioni debbano nelle chiese farsi come in addietro, e senza innovazione alcuna.*« Quibus sane et missae conventualis applicationem pro iis diebus servasse videtur, quae, (uti videre fuit) pars est divini officii. Profecto etiam quoad missam pro populo, ejusdem applicationem pro diebus festis suppressis sublatam minime fuisse per ea verba definivit s. Cong. in *Camerinen. Missae pro populo 28. Martii 1801 ad I. dubium*, atque constans fuit s. Cong. praxis in ejusmodi reductionibus relinquere obligationem pro diebus festis etiam reductis, uti videre est in *Mazzarien. Missae conv. 2. Junii 1821 ad II. dubium.*

Erit itaque EE. VV. dirimere dubia:

I. *An et quomodo adprobanda sit ratio, qua hactenus usi sunt Campinellis Capitulares quoad celebrationem et applicationem missae conventualis et missae pro populo in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu?*

III. *An et quomodo sit celebranda et applicanda missa conventualis a Campinellis Capitularibus in casu?*

IV. *An et quomodo sit celebranda et applicanda missa pro populo in casu?*

V. Et quatenus missae conventualis applicatio ad solos dies festos juxta encyclicam b. m. Benedicti XIV. coerceatur, an etiam ad applicationem in festis reductis ss. Apostolorum, Natalis D. N. J. C., Paschatis, teneantur Capitulares in casu etc.?

S. C. resp.

Ad I: Negative in omnibus.

Ad II: Affirmative celebrata una missa conv. cum cantu pro benefactoribus a Canonicis cum assistentia totius capituli et altera lecta pro populo a parocho.

Ad III: Affirmative et esse celebrandam et applicandam quotidie pro benefactoribus in genere cohibita tantum pro decennio applicatione ad dies festos etiam reductos.

Ad IV: Affirmative a parocho omnibus festis etiam reductis ad formam encyclicae cl. m. Bened. XIV.: *Cum nuper oblatas etc.*

Ad V: Provisum in tertio.

Die 16. Dec. 1837 et 20. Jan. 1838.

X. Capellanorum massae.

Vd. *Applicat. m. conv.* (applicationis mutatio etc. p. 668.)

Januen.

Jam ab anno 1828 supplicem s. Ordini admoverant libellum Canonici metropolitanae ecclesiae Januensis, quo subjicientes missam conventualem in eorum ecclesia festis quidem solemnibus diebus ab ipsis celebrari fideliter et pro benefactoribus applicari, caeteris vero per presbyteros capellanos, qui massam habent a capitulari distinctam, ejusdem servitio addictos celebratio absolvitur, pluribus ab inde annis (quantum ipsis constaret) applicatione caruisse, quare EE. PP. urgebant »a degnarsi di obbligare i suddetti RR. PP. della massa all' adempimento di un dovere prescritto loro dalla più antica osservanza della chiesa e dalle costituzioni apostoliche.« Supplicem hunc libellum, qui Metropolitae ablegatus pro informatione et voto desertus adhuc remanserat, resumendum pro sua diligentia curavit ineunte Julio anni superioris hodiernus Emmus Archiepiscopus, quum occasione sacrae pastoralis visitationis (ipso teste) non sine admiratione reperisset in hac metropolitana ecclesia ab immemorabili prorsus tempore, praedictis exceptis diebus, missae conventualis applicationem pro

benefactoribus a Canonicis praetermitti . .; cujus rei causam reperisse, quod semper per quamdam initam conventionem ab immemorabili statutum est, quod demptis diebus solemnioribus et quibusdam aliis per annum mansionarii seu presbyteri de massa canere tenerentur. Singulis vero, quae a s. ordine exquisita fuerant, satisfecit sedulus partium commentis remissis, quae recensentur nitide in elucubrato quodam voto jurisconsulti Januensis; ita suas literas explevit. Quod autem attinet ad numerum inservientium choro et ad annuum redditum et onera eorumdem, ut nutibus obtemperem s. Congregationis PP., breviter repono:

I: Decem septem sunt Canonici, comprehensis Dignitatibus, viginti quatuor sunt presbyteri nuncupati de massa, inter quos quatuor a capitulo eliguntur mansionarii: Canonicis autem onus incumbit choro interesse cum presbyteris tam ad officium quam ad missam conventualem, exceptis tamen ex apostolico privilegio aliquibus matutinis et horis canonicis diebus ferialibus. Nulla vero gaudent exceptione presbyteri de massa. Redditus autem cujuslibet Canonici ascendit comprehensis distributionibus certis et incertis ad libellas Pedemontanas 1100 sive scut. rom. 200 circiter; presbyterorum vero ad libell. ut sup. 700 sive scut. rom. 125 circiter. De praebendis vero nihil dicendum, quia tantum habentur in nomine, non in re. Omnes enim tam Canonici quam presbyteri aut nil percipiunt ex praebenda titulari aut perparvam summam retrahunt, puta scut. rom. 5 aut 8 aut 12.

Tandem cum in constitutionibus capitularibus exaratis die 10. Septembris anno 1573 et approbatis tum Cypriano Pallavicino Archiepiscopo Genuensi nil agitur circa missam conventualem, omitto eas ad s. Congregationem transmittere, sicuti mihi injungebatur ab Em. VV.

Ex quibus omnibus et praesertim ex adnexo voto jurisconsulti videtur stare pro Canonicis bonum jus. Attamen pro ea, qua praediti sunt, pietate et mandatis ecclesiae reverentia et obedientia, si minimum quid dubii oriretur circa praemissa, quemadmodum et super inchoaerentiam conventionis anteac initae Canonicos inter et massae presbyteros ad ea, quae s. Congregatio Concilii statuet, ultro et jam se libenter submittunt in omnibus et per omnia.

Allegatam consuetudinem contra capellanos presbyteros demonstrant Canonici ex pervetustis documentis, quibus ipsi saepius usi sunt capellani in forensibus contestationibus cum capitulo habitis atque ex iis erui certius obligationem capellanorum conventualem missam celebrandi contendunt: praestat singula breviter recensere.

In constitutionibus massae capellanorum (quas confirmatas fuisse literis in forma brevis a s. m. Leone X. sustinebant ipsi iidem in causa contra capitulum anno 1770) sub num. 5. haec leguntur: Deputentur etiam duo mansionarii per singulas hebdomadas, qui cantaridas missas, conventuales videlicet, et votivas celebrent.

In decreto lato a Praesule Bossio apostolico visitatore sub anno 1582 clare de capellanis innuitur: Ne triginta capellanorum massae numerus aliqua ex parte diminuatur nec missae duae majores et viginti sine cantu ullo unquam tempore desint . . . propterea singuli presbyteri massae quotidie missas celebrantes ad praescripta dictarum constitutionum in posterum habere possint ex capellanis in dicta ecclesia hactenus constitutis proventus scutorum sexaginta et non ultra, qui pro quotidiana missa celebranda hoc tempore satis erunt.

Quae eleemosyna ab Archipraesule successore Horatio Spinola mox aucta est sub die 23. Octobris 1603 ad libel. 80, et ab Archiepiscopo De Marini an. 1633 ad lib. 120.

In relatione pastoralis visitationis a Cardinale Durazzo cl. m. transmissa sub dia 28. Junii 1658, ubi agitur de missis »che i RR. cappellani erano tenuti di celebrare ed applicare,« ita concluditur: Sicche tra le messe, che devono dire ex fundatione delle cappellanie, e quelle secondo la convenzione di chi da la limosina, vengono li trenta capellani ad aver obbligo di dire vent'otto mila settecento quaranta sette messe, oltre la conventuale d'ogni giorno.

Anno 1634 reclamantibus capellanis contra abusum canendi anniversaria canonicalia loco missae conventualis responsum extitit a tunc temporis Archiepiscopo De Marini: Servari solitum usque adhuc nempe quod celebrentur ipsa annualia loco missae conventualis. Immo postquam edita in lucem est celebrata encyclica s. m. Bened. XIV., quae incipit: *Cum semper oblatas*,*) quum super applicatione missae conventualis rogati

*) Vd. *p. 695.*

fuerint sub anno 1769 a Metropolita, capellani, etsi applicatione obligari renuerint, tamen celebrationem sibimetipsis impositam minime detractarunt. Et sane nec detrectant hodie in responsione data ad hodiernum Emmum Archiepiscopum, sed applicationis onus dumtaxat a se rejicere adnituntur. Verum enimvero ex ipso celebrationis onere obligationem applicationis conjici urgent Canonici. Jure enim communi applicationem missarum a celebratione non sejungi, nisi aliter expresse cautum sit, tradunt *Bonaccina de sacram. Euchar. disp. 4. punct. 7. §. 2. num. 14. et 15, Barbos. de potest. Episc. tom. 2. alleg. 24. n. 35, Lugo de char. disc. 21. sect. 1. num. 23. et sect. 2. num. 42.* Quod maxime tenendum in casu, ubi missa ipsa conventualis pro benefactoribus appellata — veluti ex se applicationem importat.

Accedit in themate pervetusta observantia. Enimvero capellanos ante annum 1769 applicationi incubuisse missae conventualis, inde probant Canonici, quod eo anno primum contra eam reclamaverint capellani, ira scilicet abrepti, quia judicio victi a capitulo illud uti patronum venerari coacti fuerant: applicarunt ad annum 1786, uti patet ex protestatione tunc temporis emissa, qua Canonicis significabant sese in posterum huic oneri haud fore satisfacturos: imo fatentur hodie ab hac epocha per annum unum supra quinquagesimum applicationem iterum explevisse.

Denique ex ipsa fundationis capellanorum natura hanc illis obligationem adjiciunt; constat enim in eorum erectione assignasse quidem gubernium libellas centum, at constat etiam attributas fuisse eisdem a capitulo plures capellanias, quarum aliquae de jure patronatus erant ipsius capituli, aliae vero ad laicorum nominationem ab ipso conferebantur, ex quibus singuli capellani quotannis percipiunt libellas 732. 16. 8, ac praeterea nedum redditus omnes parochiales certos sed etiam incertos, quorum magna pars duobus cedit capellanis custodibus animarum cura gravatis, pars autem singulis capellanis; rursus decem et octo mansiones in claustro cathedralis ecclesiae, quae sane ex piis legatis ad capitulum pertinebant; tandem anniversaria plurima ad ingentem summam assurgentia necnon quarte trentaquattro di sale, ed altre simili beneficenze.

Porro haec omnia concessa fuisse urgent Canonici in correspectivitatem onerum assumptorum, quae inter missam conventualem adesse pro benefactoribus substinent. Hinc enim factum animadvertunt, ut missarum eleemosynae taxatae fuerint juxta consuetudinem temporum, quibus decreta lata sunt Antistitis Bossio anno 1582, Spinola 1603, De-Marini 1633, ut superius videre fuit, ex quo arguunt — che questa elemosina non era tassata pel solo servizio esteriore, ma per tutto il frutto della messa, e così ancora per l'applicazione.

Hinc etiam in relatione visitationis Cardinalis Durazzo desuper memorata perpendunt eodem calculo habitam fuisse missam conventualem cum missis — che devono dire i cappellani, e quelle secondo la convenzione di chi da l'elemosina — atque adeo sicuti pro illis sic et pro ista debitam fuisse a capellanis applicationem contendunt.

Ast contra ut ab applicationis onere se eximant capellani in primis ad jus commune confugiunt, ex quo ut ajunt — in tutte le chiese dell' orbe cattolico un tal obbligo è annesso ai soli beneficiati. — Hos vero in casu Canonicos tantum esse clamant — sia considerati come corpo, ovvero collegio, sia come singoli, poichè sono i soli e veri parrochi col Vescovo — minime vero ipsos — poichè la massa a fronte non è se non un ufficio semplice, di laicale principesca instituzione, senza carico di detta controversa obbligazione, non partecipe d'emolumento parrocchiale.

Imo nec peculiari aliquo jure ad id teneri propugnant. Inclamant siquidem, nullibi, (peractis omni diligentia perquisitionibus) ejusmodi pensum impositum eisdem fuisse — perchè il governo fondatore della reverenda massa impose soltanto la celebrazione per ornamento della chiesa, e per commodo del popolo, lasciando libera l'applicazione ai mansionarii quando cantano messa in luogo dei RR. Canonici, potendo eseguirsi una cosa con l'altra ... Che dalla prima fondazione fino nei tempi del sommo Pontefice Lambertini la massa non ha mai fatto concordato, ne ha avuto ordini superiori per tale applicazione.

Tertio nullum asserunt pro ejusmodi onere applictionis, quod communi jure capitulo incumbit, percepisse aut percipere peculiare emolumentum, conqueruntur — che calcolando

da detta epoca (an. 1786) fino al presente sono anni cinquantuno compiuti ai 12. Decembre del corrente 1837, che la reverenda massa supplicò, soffrì, e meritò senza compenso debito a un tal officio, che è annesso a' soli beneficiati in tutte le chiese dell' orbe cattolico. — Revera enim Benedictum XIV. in laudata encyclica applicationem imposuisse missae conventualis ratione legatorum, quae favore Cathedralium aut Collegiatarum relicta sint: atqui ipsos frui hujusmodi generis legato.

Quod si missae pro benefactoribus a capellanis ad proximiora usque tempora satis suppletum sit, id evenisse declarant non ex obligatione sed graziosamente ed a beneplacito della massa anche in vigore di promesse verbalmente accettate di esserne indennizzati colla giusta mercede. — Porro ex actis mere facultativis numquam obligatio inducitur ad *textum in cap.: Cum tanto 11. de consuet. verb. si legitime praescript. Gloss.* et *Ab. n. 17.* Eoque minus in casu, ubi plures constat (ut ex superius enarratis) motas saepe saepius fuisse hac super applicatione per capellanos querelas: adeo ut nunquam in pacifica possessione satisfaciendi per capellanos applicationis oneri capitulum dici potuerit.

Juvat attamen cum praelaudato jureconsulto aliqua animadvertere super his capellanorum momentis. Adnotat hic primo quod, licet primario missae conventualis onus incumbat Canonicis, jure tamen non prohibeatur, quin consuetudine induci possit, ut per capellanos et mansionarios satisfaciant, non obstante clausula irritante Tridentina *sess. 24. cap. 12.* adjecta; quum in themate agatur de consuetudine praesumptiva — appoggiata alla fama d'una concessione apostolica derivante dal Breve s. P. Leone X. ed altri successivi riferiti decreti, che fauno presumere l'onere per fondazione. — Eam namque clausulam *non obstare* ejusmodi observantiae tradunt *Card. de Luca de canonic. discept. 11. a num. 3. infra Scarfant. ad Ceccoper. lib. 2. tit. 8. num. 11. et lib. 3. tit. 9. n. 29, Gratian. tit. 4. discept. 800.*

Rursus animadvertit non unum gubernium dotem constituisse capellanis, sed, uti superius adnotatum est, etiam capitulum magna in ea partem habuisse: addit immo decreto regii senatus anni 1767 diei 14. Aprilis, quod solemniter amplexati sunt capellani die 15. insequenti, aperte declaratam fuisse eorum a capitulo dependentiam etiam — per esser concorso il capitolo alla fondazione, e dotazione coi proprj redditi. Porro inter onera, quae in capellanos ea dotatione rejecerunt, illud extitisse missae conventualis nedum celebrandae sed etiam applicandae ex superioribus patere tenet. Ex quo etiam injuria conqueri capellanos substinet de non recepta congrua mercede. Quidquid vero sit de spiritu Benedictinae constitutionis in missae conventualis obligatione, quum (ex enucleatis) capellaniis reapse fruantur capellani, quae ex piorum hominum legatis proficiscebantur, suis eos sese confodere armis propugnat.

Jam vero haec pro sua sapientia cribrent EE. VV. maxime ad tramites celebratae hac super re encyclicae s. m. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas.* — In ea sub §. 18 concedi videtur »ut aliquando a beneficiatis et mansionariis celebretur missa conventualis«, et reapse prostant exempla in causa *Scepusien. Missae convent. 6. Maji 1797 §. Verba,* et in *respons. ad dub.* nec non *in Pis. Applic. M. C. 6. Julii 1737 §. 1.* Ibique sancitur luculenter, hoc in casu eleemosynam ex massa distributionum fore desumendam. Peculiare est in themate, quod distincta omnino massa potiuntur presbyteri capellani: peculiaris quoque esset applicandi sumptibus suae massae consuetudo, ubi de illa constaret, ceu erit EE. VV. definire, quibus proponitur dubium:

An et a quibus celebranda et applicanda sit missa conventualis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus a capellanis de massa, exceptis diebus, in quibus missa canitur et applicatur a Canonicis.

Die 27. Julii et 27. Sept. 1839.

Continuatio Januen.

Adlecto sibi egregio adsertore tria ipsi propugnant, sese neque ex juris communis censura nec ex lege fundationis nec demum vi consuetudinis onere obstringi missam conventualem applicandi.

Sane ex celebrata constitutione Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, qua veteres canones et Tridentinae synodi sanctiones super hujusmodi obligatione veluti declaravit, ii dumtaxat onere isto tenentur, qui *dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive be-*

neficia choralia obtinent, id est, praefato adsertore commentante, qui capituli partem efficiunt, qui beneficia ecclesiastica a capitulo accipiunt vel proventuum capituli participes facti sunt. Atqui nihil horum demonstratur in themate. Non enim unum corpus cum capitulo conficiunt ii presbyteri, qui diversam ab illo habeant fundationem, constitutiones et leges diversas distinctamque omnino massam, unde et praebendam et distributiones percipiunt. Neque etiam beneficia vel proventus quoslibet a capitulo unquam consequuti sunt pro suae massae constitutione: siquidem in actu fundationis unus comparet senatus Januensis, qui bona suppeditavit et gallica invasione cessante congruas pensiones. Capitulum porro si capellanias aliquas dedit vel cubicula, quod ultro fatentur capellani, illas, inquiunt, nil commune habuisse cum ipsorum massa, sed peculiaria onera secumferre, quibus capellani (sicut caeteri quilibet) sejunctim satisfaciunt: cubicula vero singulis competere ecclesiae servitio adscriptis urgent. His autem stantibus rerum adjunctis sese missae conventualis onere absolvi inferunt cum s. ordine in *Squillacen. Missae convent. et communeriae 24. Septembris 1712*, in *Brictinorien. 20. Aprilis 2793*, in *Auximana Miss. conv. 16. Decembr. 1820.*

Ad fundationem quod attinet, in ea, perpenditur, nihil expresse de missae conventualis applicatione sanciri, prout opus fuisset, ut extraordinarium onus in capellanos rejiceretur; quae autem de celebratione missarum innuuntur, ad alias omnino simplices missas esse referenda; ita etiam servitium chori, quod injungitur, capellanorum qualitem praetergredi non potest. Nihil caeterum de hujusmodi obligatione legere est in codicibus, ubi onera capellanorum pluries sunt recensita.

Demum consuetudinem, instat, difficillimae esse probationis hisce in rebus, ubi de interno actu applicationis agitur, ut in simili casu advertit Rota in *Hispalen. Applicat. missae pro populo 22. Junii 1762* §. *14. cor. Herreros;* et profecto nihil demonstratum fuisse in themate. Hinc de decretis episcopalibus aliisque identidem latis, quae refert folium superius memoratum, adnotant, eadem omnia penitus vestigata vel de mera celebratione loqui, quam capellanorum universitas non detrectat, vel de applicatione alicujus missae cum cantu caeteroquin ipsis imposita; decreta autem hujusmodi capellanis non auditis, imo dissentientibus, pluries lata fuisse et ultra episcopalem jurisdictionem, quae ad fundationis leges immutandas minime protrahitur. Contra autem est testimonium plurium presbyterorum, qui a tempore pervetusto ad massam pertinent capellanorum, qui declarant, numquam citra ipsorum memoriam id oneris injunctum universitati fuisse vel applicationi praesumptae satisfactum. Absonam porro dicunt a jure illationem de secuta celebratione missarum ad earum applicationem, idque probant DD. et tribunalium sententia. Ita *Fagnan. in 3. lib. decret. ad cap. significatum de praebend. num. 43, Pasqualig. de sacrific. novae legis qu. 208. n. 6, Pignatell. tom. 1. consult. 139. n. 3, Rota dec. 133. n. 14. et 15. cor. Tanara,* et *dec. 4. Junii 1751* §. *11. cor. Migazzi;* s. Congregatio in *Mediolanen. Applicat. miss. 11. Maji 1748,* in *Urbevetana 15. Septembris 1787,* in *Romana 29. Jan. 1791.*

Quod si nihilominus firmum adhuc sit capitulo metropolitano, ut per capellanos dispuncto applicationis oneri satisfiat, ultro sese obsecundaturos fore ipsi declarant, dummodo tamen a capitulo congrua sibi eleemosyna rependatur. Atque id sane decrevisse s. Ordinem referunt, quoties in beneficiatos hoc onere exemptos illud rejicere voluerunt capitula, ita in *Ferrarien. 4. et 18. Martii 1719, s. Severini Eleemosynae miss. convent. 18. Februarii* et *24. Martii 1764, Fanen. 20. Jan. 1782.*

Sed haec fusius enucleata perpendent EE. PP. in allegatione distribuenda, ut tutius valeant dirimere dubium:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. nihil respondit.

Die 17. Decembris 1842.

Continuatio Januen.

Novae audientiae beneficio a capellanis impetrato ad trutinam revocata est in Congregatione diei 17. Decembris superioris anni: sed cum non proposita fuerit, hodie EE. VV. judicio iterum subjicitur: ut allegationem tunc distributam reassumant EE. VV. adprecantur capellani; adlecto defensore et suam exhibent Canonici, qua ornant confirmantque deducta in prima causae propositione. Dirimendum proponitur dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

Praevia absolutione et condonatione super praeteritis omissionibus celebrata unica missa cum cantu et integro adstante capitulo ac clero, facto verbo cum SSmo, in decisis, et Emmus Archiepiscopus curet confici congruam massam distributionum pro presbyteris de massa ex annuis libellis quadringentis monetae de tempore a capitulo jampridem assignatis et aliis bonis et redditibus coetus eorumdem presbyterorum, ex qua desumatur eleemosyna pro missis conventualibus.

Die 8. Julii 1843.

Volaterana.

Conventualis missae celebratio in omnibus cathedralibus et collegiatis ecclesiis sanctione sacrorum canonum primum indicta novissime fuit a s. m. Benedicto XIV. confirmata per notissimam constitutionem: *Cum semper oblatas*, editam die 19. Aug. 1744,*) qua praeceptum est, ut eadem quotidie cum cantu celebraretur ac pro capituli benefactoribus in genere alia quavis contraria consuetudine sublata applicaretur. Eodem anno, quo hujusmodi Benedictina constitutio publicata est, Episcopus Volateranus, tunc temporis Ludovicus Pandolfini, apud suae Cathedralis capitulum diligenti studio institit pro fideli pontificii decreti observantia. Quod ex parte tantum obtinuisse videtur; in capitulari enim conventu diei 6. Nov. 1744 capitulum praemittens, »quod expensas missarum quotidie pro benefactoribus applicandarum subire non posset« statuit quidem, ut Canonicus hebdomadarius omnibus diebus festis, quibus missam conventualem canere tenebatur, eamdem pro benefactoribus applicaret, capellanos vero, qui conventualem diebus ferialibus celebrabant, liberos reliquit, ut pro suis quisque oneribus eam celebraret, qua super re preces ad hunc s. Ordinem pro necessaria dispensatione submisit. At s. Congregatio, ut ex actis capitularibus 14. Maji 1745 resultat, porrectas preces ad Episcopum pro informatione et voto remittens volvit, ut interim missa conventualis quotidie omnino applicaretur. Quare in alio capitulari conventu 31. Decbr. 1749 legiturconstitutum »quod, etsi justis de causis in Cathedrali pontificia constitutio non in totum executionem obtinuerit, tamen, quia consonum videtur rationi, pontificia decreta in omnibus et per omnia viribus adimpleri non incongruum erit diebus ferialibus nempe in illis, in quibus missa conventualis celebratur a capellano, Canonicum hebdomadarium applicare pro benefactoribus private, incipiendo Kalendis Januarii proxime futuri . .; quibus rebus sic expositis . . . deliberatum fuit . . . quod omnes et singuli redditus mensae capitularis, qui abhinc solutis distributionibus et oneribus consuetis superessent, in depositum asservarentur . . . usque ad summam sc. 500 . ., ex quibus certus redditus exigatur de anno in annum ad effectum ut supra declaratum.

Verum cum etiam hoc pacto Benedictinae constitutioni refragaretur, quae §. 17. Canonicis et mansionariis mandat »*ut missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicarent,* alter Volateranus Antistes Nicolaus Cecina arrepta occasione, quod suae pastoralis visitationis relationem Romam transmittere deberet, apud capitulum pressius institit, ut tandem aliquando pontificio decreto plenarie, ut par erat, satisfaceret.

Exinde evenit ut die 1. Jan. 1760 capitulum inter et capellanorum congregationem per selectos ab utraque parte e proprio gremio viros fuerit pacifice adstipulata et concorditer obsignata conventio *(salva però sempre l'approvazione di Monsig. Illmo e Rmo o di qualunque altro annettersi al presente foglio«* et paulo post *»salva sempre l'approvazione dei Superiori ai quali si spetta quatenus opus sit)*, cujus summam ex literis hodierni Episcopi, 31. Maji 1863 desumptam, oculis EE. VV. subjiciam.

La sostanza dei patti concordati è

1. che il capellano di turno applichi la Conventuale per i benefattori e la registri alla partita del Canonico ebdomadario.

2. che non debba però ricevere l'elemosina assegnata dal capitolo al Canonico ebdomadario per la conventuale di tutta la settimana, ma permutare con esso l'applicazione della messa, cosicchè il obbligo particolare del capellano, ritenendo ciascuno la propria elemosina.

Quindi nel cappellano l'obbligo di significare al Canonico in tempo congruo per chi ed in quale delle tre chiese indicate nel chirografo ad esclusione d'ogni altra debba celebrare ed applicare.

*) Vd. *p. 695.*

3. Che qualora il Canonico ebdomadario assentato, non abbia potuto essere avisato come sopra dal capellano, al suo ritorno debba rimettere le celebrazioni delle quali il cappellano medesimo sarà creditore.

4. Che per gratificare la congregazione dei cappellani del peso di applicare la conventuale, il capitolo si obbliga a pagarle per una sol volta scudi 100, ritenendone però il capitale per corrisponderle il frutto annuo di Toscane Lire 28 da erogarsi in emenda di distribuzione corale ai cappellani cantanti.

Canonico ergo hebdomadario, qui missae intentionem cum capellano hebdomadario permutare deberet, capitulum ex distributionibus usque ad ann. 1802 eleemosynam communem seu synodalem adsignavit, dein aliquantulum eam adauxit, usquedum die 1. Jan. 1855, adauctis pariter notabiliter massae redditibus, eamdem in obulos viginti perpetuo constituit.

Rebus tali modo ex communi consensu compositis altum deinde fuit de missa conventuali silentium ad haec usque tempora, per annos scilicet quatuor supra centum, si tantum excipias, quod anno 1790 capitulum loco memoratae voluntatis permutationis eleemosynam decem obulorum capellanis obtulerit, qui tamen consentire renuerunt, cum non in perpetuum nec stabiliter capitulum sese obligare voluisset.

Praestat nunc hodiernum audire Episcopum Volateranum, qui in literis ad S. H. O. 31. Maji 1863 transmissis post alia, quae retulimus, sequentia addit:

Continuatosi nell'osservanza di questa pratica fino al presente, i moderni cappellani i quali probabilmente ne ignoravano l'origine, ritrovato e preso in esame il chirografo del 1. Gennaro 1760, giudicandolo invalido ed illecito, e per consequenza illegittima la consuetudine per questo mezzo introdotta, hanno reclamato presso il capitolo, il quale dal canto suo rigetta i loro reclami, sostenendo valida ed obbligatoria la convenzione anzidetta, come risulta da varie lettere scambiatesi da una parte e dall'altra . . . Il sottoscritto pertanto nell' intento di provvedere alla quiete degli animi e all'interesse respettivo d'ambedne questi corpi ecclesiastici mediante una decisione perentoria che dirima l'insorta controversia supplica . . . instantemente per la risoluzione dei seguenti dubbii.

1. Se la convenzione stipulata tra il capitolo e la Congregazione dei cappellani nel 1. Gen. 1760 e la pratica per essa indotta circa l'applicazione della messa conventuale si sostenga o sia tolerabile.

Et quatenus negative,

2. Se il capitolo sia tenuto somministrare ai cappellani, ogni qualvolta applicano la messa conventaale, l'elemosina e quale, cioè, se quella già assegnata ai Canonici ebdomadari, o secondo la tassa sinodale.

Quamvis Episcopus aperte declaraverit literis 3. Januar. curr. anni: *Qualunque sia il mio giudizio sulla pratica che ha dato origine alla controversia, . . . altro non chieggo, che di non vedere alterata la quiete delle due corporazioni ed essere cerziorato, se il modo d'agire nel caso è retto o da riformarsi*, nihilo tamen minus satis aperte animum suum pandit, cum die 8. Aprilis 1863 ad capitulum scriberet: *Mio suggerimento remissivo sarebbe che revocata la convenzione del 1760, il capitolo si adattasse corrispondere ai cappellani che cantano ed applicano ne'loro giorni la messa conventuale, la limosina sinodale di una lira Toscana, cessando con questo la gratificazione delle annue lire 28 parimente toscane che adesso si corrispondono alla Congregazione. Questo provvedimento indurrebbe un sistena perfettamente canonico . . . toglierebbe ogni dubbio ingerito dal sistema attuale, che la permuta pattuita nel 1760 dell' applicazione del sagrifizio stia in opposizione al prescritto del concilio di Trento* decr. unic. *de observandis et evitandis in celebr. miss. sess. 22. . . . e finalmente calmerebbe le coscienze che tengono per illecita una pratica della cui superiore approvazione necessaria e dedotta in patto non si è potutto finora concludentemente provare l'esistenza.*

Et revera cum ex parte capellanorum dubia et anxietates, ut mox videbimus, ex eo praecipue exortae fuerint, quod conventio nulla fulciatur superiorum approbatione, Canonici ex adverso, praeter alia, contendere inceperunt, quod *Mons. Vescovo Cecina per mezzo del suo Fratello Canonico, nell'adunanza capitolare del. 25. Agosto 1759, partecipava al capitolo, che egli voleva quanto prima rimettere alla S. C. del Concilio gli atti della visita pastorale e che però il capitolo prendesse una qualche risoluzione intorno alla messa conventuale; e dietro a ciò fù stipulata la convenzione e fin da quell'ora messa in pratica . . . senza alcun reclamo . . . per lo spazio non interrotto d'oltre un secolo . . . era perciò forza ammettere, che la convenzione fù presentata a Mons. Vescovo, che egli coerente a se stesso la descrisse negli Atti della visita, se questi furono rimessi alla s. Congregazione, siccome la Signoria Sua aveva dichiarato, e che in tal guisa la convenzione predetta restando approvata e dal Vescovo e dalla s. Congregazione, venne con ciò a purificarsi la condizione salva però l'approvazione etc.* Opus hinc fuit, ut ex archivo ss. visitationum acta omnia examinarentur, quae ad tempus peractae transactionis se referrent. Unicam reperire est relationem status dioeceseos Volateranae Episcopi Nicolai Cecina, quae, cum diem praeseferat 7. Decembris 1759 praecedit, etsi paucorum dierum intervallo, memoratam conventionem. In ea haec, quae praesentem quaestionem attingunt, perleguntur: In Cathedrali post Bened. XIV. encyclicam Canonici festis aliisque consuetis diebus missam conventualem applicant, in caeteris vero paucis abhinc annis privatam. Ex quo ecclesiae huic praeesse cepi, cum id non satis mihi probaretur, hac de re cum Canonicis egi, qui in ea fuerunt sententia, a capellanis quoque pro benefactoribus applicandum esse diebus, quibus privata missa ab ipsis canitur, *ex quo hi etiam possideant propriosque habeant redditus a capituli massa sejunctos,* quod quidem capellani hodie praestant, adsignato eisdem ob hanc rem a Canonicis scutorum centenario.

Ut ex his apparet, Episcopus Cecina loquitur quidem in transmissa relatione de methodo in cathedrali capitulo statuta quoad missae conventualis applicationem, nullatenus tamen conventionem, quae paucos post dies inita fuit quaeque renunciatam methodum inducebat, approbationi s. Sedis exhibuit. Satis tuto igitur retineri posse videtur cum hodierno Antistite Volaterano conventionem de qua agitur in eo statu permansisse, quo incepit, merito propterea a capellanis motam esse quaestionem, quae in hodiernis comitiis instante Episcopo et partibus jura sua deducentibus judicium EE. VV. exspectat.

Episcopus diligenter peracto actorum examine, perpensis rationum momentis, quibus capellani dubitandum esse putant de memoratae conventionis validitate, ita eorundem capellanorum argumenta evolvit.

Le ragioni sopra le quali i cappellani fondano la loro opposizione sono:

1. Che la convenzione del 1760 non ha mai ottenuto la superiore approvazione nè della s. sede, nè d'altra autorità ecclesiastica alla quale era subordinata. Manca perciò fin da principio d'una condizione sostanziale per la sua validità.

2. Che la permuta abituale e coartata del Sacrifizio, quale fu pattuita nella suddetta convenzione, non appaga la coscienza de' cappellani, i quali temono, che possa essere un fatto illecito per se stesso, e ritengono che la Congregazione dei cappellani del 1760 non potesse disporre in questa materia della volontà dei cappellani futuri. Considerata poi la permuta nel suo scopo, per parte del capitolo, sembra compresa tra i patti vietati dal concilio di Trento nel *decr. de observ. et evit. in celebr. miss.* come sospetti di turpe lucro; e forse nel decreto del S. P. Urbano VIII. *Cum saepe* del 21. Giugno 1625,*) dove si vieta al sacerdote di ritenere parte della limosina della messa che dà a celebrare ad un altro. . . Nel caso il Canonico eddomadario permutando l'applicazione della messa col cappellano, acciocchè questi applichi la conventuale, riceve il comodo o lucro temporale di non restar mai privo nella sua settimana della limosina di due paoli stanziata dal capitolo, e tutto il corpo capitolare di oltre dugento elemosine l'anno a favore esclusivo de' suoi membri.

3. Che mentre il peso dell'applicazione della messa conventuale è inerente al solo capitolo, e questi ha statuito l'elemosina di due paoli per tale applicazione in tutti i giorni dell'anno, non sembra conforme all equità naturale che debbano essere esclusi dal partecipare a questo provento i cappellani, che l'applicano nella maggior parte dell'anno, e che invece debbano permutare col Canonico di turno il Sacrifizio per non restar senza elemosina, o restarne senza, quando non abbiano applicazioni da permutare.

4. Che la più volte citata convenzione stabilisce una pratica affatto diversa da quella che ingiunge in casi congeneri l'enciclica di Benedetto XIV.: *Cum semper oblatas, n.*

*) *Stipend. missar.* (num acceptatio licita sit a sacerdot. et ecclesiis etc.)

18, e che ha servito di norma alle varie decisioni di cot. s. Congregazione, p. e. nella *Ferrarien. 4. Martii 1719* nella *Auximana 16. Decembr. 1820*, cioè che i capitoli sono tenuti a somministrare ai cappellani o semplici benefiziati l'elemosina per l'applicazione della messa conventuale, che son tenuti in giorni a cantare.

5. Che non pochi inconvenienti possono nascere dalla pratica indotta colla convenzione del 1760. In essa i Canonici non si sono obbligati a celebrare per i cappellani se non in Cattedrale, e in due sole chiese prossime alla Cattedrale medesima: ma il cappellano tenuto a permutare col Canonico l'applicazione potrebbe essere obbligato a celebrare altrove, e incontrare opposizione, e mancare al suo obbligo. Il Canonico dè essere avvisato dell' intenzione e del luogo dove applicare la messa per il cappellano, ma per l'inesattezza o la dimenticanza di questo potrebbero generarsi delle incertezze e delle ansietà e degli inadempimenti d'obblighi contratti. Il Canonico assentandosi nella sua eddomada dè rimettere al suo ritorno la messa che avrebbe dovuto applicare per il cappellano che canta la Conventuale: ma tra queste messe potrebbero esservene alcune a giorni fissi, altre che non soffrissero dilazione.

6. Che lo stesso capitolo sembrò riconoscere l'irregolarità di questa pratica, quando nel 1760 propose alla Congregazione un nuovo metodo, che non fù accettato, e non ebbe seguito.

7. Che finalmente presupposta invalida e illecita per le ragioni addotte, e specialmente del difetto di sanzione per parte della competenta autorità ecclesiastica, la convenzione del 1760, non avrebbe potuto legittimarne l'osservanza una anche lunghissima prescrizione, la quale non ha luogo quando è infetto il principio da cui procede e sta in opposizione coi decreti del Tridentino, o le costituzioni apostoliche munite della clausola irritante.

Ita praelaudatus Episcopus quoad conventionem anni 1760. Quod vero attinet ad missae conventualis stipendium, animadvertendum hic esse arbitror favore capellanorum, hujusmodi onus adeo novum reputatum fuisse, ut illud aliqua ratione compensandum esse capellanis a massa capitulari Canonici ipsi judicaverint *il capitolo per gratificare la ven. Congregazione del peso di applicare la Conventuali si obbligava pagarle sc. 100.* Idque iterum anno 1790 peragere voluissent Canonici stipendium 10 ob. capellanis offerentes.

Praeterea in suis animadversionibus Episcopus retinet, »*che il peso dell'applicazione della messa conventuale è inerente al solo capitolo*«; quapropter Emtiae Vestrae judicabunt, utrum in themate favore capellanorum locum sibi vindicare possit resolutio hujus s. Congreg. in *Ferrar. 4. Martii 1719*, in qua cum capellani, qui missam conventualem juxta consuetudinem celebrabant, eamdem applicare obligati fuerint ab Episcopo, proposito tamen dubio:

An celebrantibus et applicantibus missam conventualem solvenda sit elecmosyna a capitulo?

responsum fuit:
Affirmative.

Colligam modo, quae capituli defensor in allegatione circumferenda disserit.

Summo in primis studio contendit, conventionem*) anno 1760 tanquam undequaque licitam et legitimam esse omnino sustinendam. Et revera nullam pravitatis maculam nullumque vitium in simplici divini sacrificii permutatione reperiri ait, cum hujusmodi permutatio in eo dumtaxat voluntatis actu consistat, quo quis vicissim pro alio sacrificium offert. Quod jure prohibitum non esse theologi ac canonistae communiter docent, ceu videre est, omissis aliis, apud s. Alphonsum, qui in suo op. mor. disertis verbis statuit, licitum esse pacisci circa missarum permutationem, etsi earumdem missarum stipendium sit inaequale. Permutare siquidem applicationem seu intentionem missarum in usu positum est, ut idem auctor habet, apud viros pios et *meticulosae conscientiae*. Nullum ergo dubium, Canonicorum defensor prosequitur, quin ex hac parte licita et valida renunciauda sit conventio, de qua superius, praesertim cum ab initio eleemosyna missarum fuerit prorsus aequalis, ut ex actis constat.

Caeterum observat capitulum in actu conventionis se liberaliter exhibuisse erga capellanorum congregationem. In ea siquidem conventione legitur: »*Il rmo capitolo per gratificare la ven. Congr. del peso che si addossa per l'applicazione della messa conventuale per benefattori nel modo e forma sopra enunciata sia tenuto ed obbligato pagare per una sol volta scudi 100 alla detta Congreg. ed in luogo di questi, sc. 4 l'anno per qualunque titolo che di ragione è permesso.*« Quod absque ulla prorsus illicitae vel simoniacae pactionis labe statui potuit. Capitulum enim hujusmodi gratificationem nullatenus praestitit ad obmendam permutationem; cujus unica ratio in eo sita erat, ut ad unguem observaretur const. Bened. XIV.: *Cum semper oblatas*, necnon Episcopi consilia magna cum veneratione exciperentur. Accedit quod eatenus gratificatio concedebatur quatenus ea licita esset »*per qualunque titolo che di ragione è permesso.*« Et ulterius etiam statuebatur, gratificationem ob id sponte concedi ut in distributiones vertatur »*da erogarsi in aumento della distribuzione del capellano eddomadario . . . ed il rimanente s'intenda devoluto a benefizio della massa commune della Congregazione.*« Quae omnia satis videntur ad quamcumque illicitudinis vel probrosae cujuslibet alterius qualitatis labem ab inita conventione repellendam.

*) Vd. *p. 668 n. 3. a.*

Post haec animadvertit rejiciendum omnino esse, quod capellani objiciunt, non potuisse scilicet capellanos, qui conventionem obsignarunt, successores saltem obligare, cum conventio illa absque Sedis apostolicae beneplacito perageretur. Negat enim ad hujusmodi permutationem statuendam necessariam fuisse summi Pontificis auctoritatem, pro qua satis erat Episcopi consensus, qui tamen minime defuit, cum capitulum ita se gesserit, *per dimostrare la venerazione e la stima che tiene del suo degno Prelato coll'uniformarsi sempre ai suoi saggi consigli,*« nec primus ille Episcopus nec caeteri successores, quorum alter Canonicus in eadem Cathedrali antea fuerat, aliquid unquam contra hujusmodi applicationis permutationem animadverterint, integro centum annorum spatio et saecularis observantiae.

Gradum deinde faciens orator ad alterum actualis causae dubium, in casu, quod conventio anni 1760 sustineri non mereatur, comperti juris esse ait, missam conventualem in Cathedralibus et Collegiatis esse primario intentam et ipsas horas canonicas tanquam dispositiones ad eam ordinari, s. Congr. in *Verulana Visitationis sacr. limin. die 17. Dec. 1718;* ut pars enim divini officii, immo et praecipua habita semper est: ead. s. Cong. in *Reatina Missae conventualis 26. Januar. 1850.* Quare omnes, qui choro divinisque officiis interesse debent, missam conventualem nedum celebrare sed etiam applicare tenentur; secus enim absurdum esset, ut quis partem dumtaxat minusque praecipuam divinorum officiorum, quae *unum onus* diei efformant, explere deberet. Propterea Ben. XIV. constit.: *Cum semper oblatas* merito statuit quod hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiae, cujus servitio addicti sunt, quicumque in eadem . . . beneficia choralia obtinent et missam conventualem suis respective vicibus celebrabunt. At certum in facto est, quod capellani ecclesiae Volateranae missam conventualem suis respective vicibus celebrare ab immemorabili et capitularibus constitutionibus teuentur. Indubium igitur est, ex Bened. constit. eamdem conventualem applicandam etiam esse a capellanis. Applicatio enim missarum a celebratione nunquam sejungitur, nisi aliter expresse cautum sit, ceu tradunt *Bonacina de sacram.* aliique communiter doctores firmavitque pluries s. Congregatio praesertim in *Tinen. 18. Aug. 1668 lib. dec. 26. pag. 61*, in *Lucana 7. Aug. 1683 lib. dec. 33. pag. 241*, et in *Collen. 18. Septemb. 1683 eod. lib. dec. pag. 310.* Quin ulla contraria consuetudo suffragari possit. ut expresse habet s. Congr. in *Nullius Trium Fontium Missae convent. 14. Martii 1772.**)

De eleemosyna vero missae conventualis applicationibus retribuenda id Ben. XIV. in cit. const. §. 18 huic rei consultum esse docet demandando scilicet, ut eleemosyna *desumatur ex massa distributionum.* At non omnes ecclesiae, ut ipse defensor capituli subdit, unicam massam habent tum fructuum tum distributionum, immo passim Canonici distincta prorsus massa a beneficiatis et capellanis potiuntur. Eo igitur in casu sicut absonum esset, ut Canonici partem distributionum ex massa capellanorum detraherent, non minus incongruum et injustum foret, ut capellani ex illa Canonicorum aliquid desumerent.

Atqui in facto est, massam capellanorum Cathedralis Volateranae distinctam separa-

*) Vd. *supra p. 683.*

tamque omnino semper fuisse et adhuc esse a massa Canonicorum ceu documenta in actis existentia probant; capellani ergo eleemosynam detrahere debent ex propria massa, etiamsi onus celebrationis vi quadam eisdem impositum esset, nec quidquam emolumenti unquam a capitulo habuissent, ut ad rem s. Congr. in *Lucana Missae convent. 14. Mart. 1750* §. *Post* et ad *dub. III. et IV.* necnon in *Januen.**) *Missae convent. 8. Julii 1843*, cujus species huic simillima. Non esse igitur ambigendum concludit, quin pari exitu consimilis causa non absolvatur. Dubia:

I. *An sustineatur conventio diei 1. Januarii 1760 in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An, quae et ex qua massa retribuenda sit capellanis eleemosyna pro applicatione missae conventualis in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: Dilata et scribatur Episcopo, qui doceat, utrum Canonici et capellani unum efficiant corpus capitulare et qui sint reditus utriusque massae.

Die 23. Apr. 1864.

XI. In diebus festis de praecepto tantum.

(Propter tenuitatem reddituum, consuetudinem non applicandi etc.)

Vd. *Missa conv.* (reductio); *p. 737. IX., 778. d.*

Spalaten.

(Conc. Tr. c. 1. s. 23. de ref.)

Archiepiscopus Spalaten. in relatione status suae ecclesiae transmissa de anno 1722 occasione visitationis sac. liminum exposuit, in cathedrali ecclesia decem et octo adesse Canonicos habentes distinctas sed tenues praebendas, presbyteros vero interessentes choro ac assistentiam in divinis aliisque functionibus ecclesiasticis exhibentes ascendere ad numerum triginta circiter.

Ex eadem relatione resultabat, missam conventualem, quae ibi quotidie canitur, non applicari pro benefactoribus et propterea s. Congregatio commisit Archiepiscopo, ut Canonicos ad applicandam quotidie dictam missam pro benefactoribus adstringeret his superadditis verbis: »Si vero Canonici propter tenuitatem reddituum canonicalium petunt aliquam gratiam, supplicent pro eadem (non retardata interim quotidie applicatione) et juxta tenuitatem eorumdem habebitur ratio.«

*) Vd. *p. 750.*

Modo recurrunt Canonici humiliter exorantes pro omnimoda exemptione ab hujusmodi applicationis onere, quo ab immemorabili tempore reperiuntur exempti, ex pluribus juribus et documentis, quae, cum ob eorum paupertatem, ut ipsi asserunt, nec imprimi nec EE. VV. distribui valeant, breviter hic recensentur.

Primo igitur exponunt, eorum praebendas canonicales fuisse dotatas a regibus Ungariae tempore, quo expulsis barbaris nationibus possessores erant Dalmatiae, ideoque praesumendum non sit, istos tam eximios et regios benefactores adstringere voluisse Canonicos ad illam obligationem antidotalem, ad applicationem scilicet missarum conventualium, ad quam respicere solent privati benefactores, sed quod potius in votis unice habuerint officiaturam et decus ecclesiae ac alimoniam ministrorum.

Ad probandam vero hanc regiam dotationem nil aliud ipsi exhibent quam particulam cujusdam bullae Honorii PP. extractam ab eorum archivo, in qua simpliciter legitur confirmata donatio nonnullarum terrarum ipsis facta a rege Ungariae per haec verba: »Terras, quas carissimus in Christo filius noster Ungariae rex illustris infra muros civitatis vobis pia liberalitate donavit, auctoritate vobis apostolica confirmamus.«

Adducunt etiam, quod clerus ecclesiae cathedralis componitur ex 13 Canonicis et 60 ministris inferioribus, et quod massa distributionum inter omnes dividenda constituitur ex unione plurium beneficiorum tam parvi redditus, ut illorum fructus vix ascendant, demptis expensis, ad annuos filippos seu scuta romana 140 vel 150 circiter, ut resultat ex novennio reddituum, quod exhibent in forma authentica. Canonici vero habent quidem praebendas distinctas, sed tenuissimas, quarum aliae tres vel quatuor duae novem vel decem filippos, et una tantum, quae omnium pinguior reputatur, reddit annuos filippos 23 pluribus tamen gravata oneribus, ut ex fide recollectionis anni 1727 subscripta et jurata a singulis praebendatis.

Ad comprobandam hanc tenuitatem praebendarum et massae distributionem exhibent etiam quandam epistolam scriptam de anno 1585 a clar. mem. Card. de Sens de ordine sac. Congregationis, qua ob dictam causam exemit annuente tunc Archiepiscopo dictas

praebendas et distributiones a taxa seminarii; adducunt quoque constitutiones synodales conditas de anno 1690 ab Archiepiscopo Cosmo, ubi in cap. 26 exagerat Antistes, quod ob tenuissimos proventus ecclesiae nunquam erecta nec erigi potuerit praebenda theologalis et in supplementum devenerit ad electionem magistri grammaticae ad formam Concilii in *sess. 5. cap. 1. de refor.*

Demum adducunt, quod nonnulla alia suffragia ipsi applicant pro beuefactoribus in genere, nempe unam missam in aurora, quae celebratur per sacristam singulis diebus festis sanctorum Titularium dictorum beneficiorum, quae reperiantur unita massae distributionum, cum annua eleemosyna lirarum 81, et aliam missam cum cantu ac horas vespertinas in ecclesiis titularibus, quae adhuc reperiuntur, ac plures alias preces quotidie pro eisdem benefactoribus recitari solitas in choro post matutinum, missam cantatam et completorium.

His stantibus supplicant oratores pro declaratione, quod ipsi nulla die teneantur ad applicandam missam conventualem, prout ab immemorabili tempore fuerunt exempti, et quatenus tenerentur, in solis diebus festis de praecepto, quod in hoc casu dignentur EE. VV. eos eximere a dictis aliis oneribus missarum et precum, quas usque adhuc applicarunt pro benefactoribus.

Pluries haec s. Congregatio declaravit, quod Canonici Cathedralium et Collegiatarum tenentur ad applicandam quotidie missam conventualem pro benefactoribus in genere, non obstante quacunque contraria consuetudine quantumvis immemorabili aut tenuitate reddituum, et praecipue in *Squillacen. 17. Martii 1714*, in *Ferrarien. 18. Martii 1719 ad primum*, in *Comen. 11. Maji 1720* et in *Veliterna 14. Martii 1722 ad secundum.*

Attenta tamen tenuitate praebendarum eadem s. Congregatio benigne indulgere solet, ut illa tantum applicetur in diebus festis de praecepto, ut in *Camerinen Missae conventualis 5. Junii 1606*, in *Narnien. 11. Junii 1712*, in dicta *Veliterna 14. Martii 1722 ad tertium dubium*, in *Spoletana 23. Maji ejusdem anni* et in *Pietina 19. Junii 1728.*

Eadem pariter s. Congregatio declaravit, quod ob superadditam seu injunctam hanc applicationem missae conventualis non eximantur Canonici ab applicatione imposterum aliorum onerum et missarum, quae prius applicari solebant pro iisdem benefactoribus, ut in dicta *Ferrarien. 18. Martii 1719 ad quartum dubium*, ubi quaesito:

An supposita obligatione applicationis missae conventualis teneatur capitulum imposterum continuare in recitatione nocturni a mortuis et in celebratione missae cantatae cum applicatione prima die cujuslibet mensis non impedita pro benefactoribus?

responsum fuit:

Affirmative.

Non gravabuntur itaque EE. VV. summa qua pollent sapientia decernere:

I. *An capitulum Spalaten. teneatur quotidie missam conventualem applicare pro benefactoribus?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quae exemptio ab hac applicatione sit eidem indulgenda attenta tenuitate praebendarum?*

III. *An supposita dicta applicatione missae conventualis teneatur capitulum inposterum continuare in celebratione aliarum missarum et quotidiana recitatione precum cum applicatione pro benefactoribus in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I et II: Indulgeri posse ut missa applicetur diebus tantum festis de praecepto.

Ad III: Affirmative.

Die 2. et 23. Julii 1729.

Amerina.

In visitatione acta ab Episcopo Amerino anno 1744 decretum latum fuit, ut Canonici Collegiatae Luniani Sacrum conventuale quotidie agerent, compacto in hanc causam libro particulari: hoc decreto novum onus sibi imponi dolentes Canonici contra omnem retro actorum temporum antiquitatem et immemorabilem quasi possessionem idem Sacrum non agendi amplissimos Patres libello adierunt et bis audito Episcopo causa nunc proponitur definienda.

Multis equidem defendunt Canonici non potuisse hoc novum onus ab Episcopo imponi, tum quia non constat ecclesiam authoritate apostolica erectam fuisse in Collegiatam cum onere quotidianae recitationis horarum canonicarum in choro, tum quia nulla adest communis massa vel aliqua assignatio reddituum in causam hujus quotidiani Sacri-

ficii ejusque applicatione, tum quia quaecumque obligatio veniens ex dispositione juris in vulgato cap.: *Cum Creatura de celebrat. missar.* praescripta dici deberet, tum demum quia, etsi haec omnia non satis essent ad levandos Canonicos ab hoc onere, adstringenda tamen esset obligatio applicationis ad solos dies festos de praecepto, spectata tenuitate reddituum cujuslibet particularis praebendae canonicalis, quae praebendae juxta inventarium, quod factum fuit ex cognitissima constitutione Benedicti XIII. Pontificis optimi maximi, tenuem sane redditum praestant, ideoque sueverunt amplissimi Patres, hac tenuitate spectata, indulgere restrictionem applicationis ad solos dies festos juxta constantem sacri hujus Tribunalis sententiam apud *Ursayam discept. eccles. vol. 21 num. 131.* et constat ex folio edito in causa *Spaletana**) *Applicationis missae conventualis die 23. Julii 1729 thesaur. resol. s. Congreg. vol. 4. fol. 326,* ubi alia responsa collecta fuerunt et conspirat demum epistola encyclica sacratissimi Principis nostri, quae data fuit supra p. 695.

Haec summa est jurium et rationum, quas afferunt Canonici, quas latiori calamo propositas legere poterunt eminentissimi Patres in eorum libello, quem solum habuimus, ut definiant:

An capitulum et Canonici Collegiatae Lumiani teneantur celebrare et respective applicare missam conventualem et quibus diebus in casu?

S. C. resp.: Teneri quotidie; sed attentis peculiaribus facti circumstantiis indulgendum esse pro applicatione omnibus diebus festis de praecepto tantum.

Die 12. Febr. et 12. Mart. 1746.

Terracinen.

In parochiali ecclesia oppidi Magentiae dioecesis Privernen., beatae Mariae Virgini in coelum assumptae dicata, adest capitulum compositum ex Archipresbytero animarum curam exercente et septem Canonicis, qui singulis diebus divinas laudes persolvunt, plura adimplent missarum legata aliasque sacras peragunt de more functiones. Occasione pastoralis visitationis mense Junii anni praeteriti ibi peractae rescivit Episcopus, a capitulo minime applicari missam conventualem. Quapropter praecepit, ut ea quotidie pro benefactoribus in genere applicaretur. Grave nimis sibi onus imponi existimarunt Capitulares; exemptos idcirco sese declarari efflagitant vel quia non constat de legitima erectione parochialis ecclesiae in collegiatam vel quia ex consuetudine quatuor fere saeculorum missam conventualem non applicarunt vel demum quia carent redditibus oneri paribus.

Proponunt in primis, nullam de erectione Collegiatae adesse hominum memoriam nullumque de ea inveniri potuisse monumentum, quamvis omni cura ac diligentia ecclesiae codices fuerint perlustrati. Id unum ex pervetustis libris emergere affirmant ecclesiam ab anno 1400 a pluribus benefactoribus et praecipue a principibus Aldobrandinis tunc Magentiae Dominis bonis immobilibus dotatam fuisse cum onere celebrandi conspicuam missarum quantitatem aliasque functiones peragendi. At eo tempore dicunt Archipresbyterum alios adscivisse sacerdotes, ut facilius unitim pia legata implerentur et unicuique assignatam fuisse praebendam scutorum quinque, praeter distributiones ex praediorum frugibus percipiendas, atque hinc factum fuisse, ut circa annum 1615 presbyteri Collegiatae titulum suae ecclesiae tribuerint sibique Canonicorum nomen usurpaverint.

Addunt, a saeculo usque XIV. et per longam sequentium annorum seriem canonicatus hujusmodi a principibus Aldobrandinis et a dominis terrae Magentiae fuisse collatos, quod quidem Episcopi non permisissent, si ecclesia in collegiatam erecta extitisset. Arguunt idcirco, in eadem ecclesia haberi tantummodo sacerdotum aggregationem, qui legata adimpleant, horas canonicas canunt sacrasque functiones peragunt dictosque sacerdotes nullo modo gravari posse onere applicationis missae conventualis, quod ecclesiis vere legitimeque in collegiatas erectis indictum est.

Provocant deinde ad consuetudinem, de qua animadvertunt, plurium saeculorum decursu missam conventualem non fuisse, quia in tot visitationibus nunquam Capitulares ad celebrationem et applicationem adigere cogitarunt. Inductam proinde dicunt oneris praescriptionem, pro cujus exclusione quadragenariam sufficere sustinent. *Pignatell. consult. eccles. tom. 4. consult. 9. num. 20.* Neque adversus hanc praescriptionem adduci posse nonnullas s. hujus Congregationis resolutiones, cum eae locum habeant quando constat de legitima erectione Collegiatae ac de praeexistenti onere applicandi missam

*) Vd. *p. 760.*

conventualem et de sufficienti pro hujusmodi onere emolumento, neque ulla in oppositum allegari valeat praescriptio.

Denique quoad emolumenta observant, nonnisi quam annua scuta 50 ab unoquoque percipi, scuta nimirum quinque ex praebenda et scuta 45 ex frugum partitione proventia, in correspectivitatem autem hujusce emolumenti praeter quotidianam tum mane tum vespere chori assistentiam atque exequias cum missa et officio, quas gratis pauperibus, pro divitibus autem tenui admodum compensatione peragunt, teneri ad applicandas singulis annis 617 missas lectas et 290 cum cantu, quae in totum missas 907 constituunt. Deficientibus itaque pro applicatione missae conventualis redditibus concludunt, hujusmodi onere minime posse gravari.

Quatenus vero EE. PP. ad illius applicationem Capitulares teneri quoque modo existimarent, rogant pro reductione oneris ad ad dies tantum festos de praecepto ob jam probatam reddituum tenuitatem, cujus causa reductionem sacra Congregatio concessit in *Narnien. Missae 12. Jun. 1712,* in *Veliterna Missae conventualis 14. Mart. 1722,* in *Spoletana Applicationis missae conventualis 5. Decembris 1722 et 23. Julii 1729,* et in *Amerina Missae conventual.**) *12. Mart. 1746.*

Onus celebrandi missam conventualem eamque quotidie applicandi pro benefactoribus in genere, de jure inest ecclesiis cathedralibus et collegiatis, *cap.*: *Cum Creatura de celebr. miss.*, et tradit s. m. *Benedictus XIV.* in constit.: *Cum semper* §. 11**) et seq. Ab hujusmodi autem onere eximuntur ecclesiae, de quarum erectione in Collegiatam non constat, neque ea concurrunt, quae Collegiatam constituunt, licet divina officia quotidie celebrentur et missa canatur, ut docet laudatus Pontifex *instit. 107. §. 2. n. 15. et lib. 3. cap. 8. de Sacrif. missae §. 3.* Hinc presbyteri addicti servitio parochialis ecclesiae terrae Marthae, dioecesis Montis Falisci, qui Canonici appellabantur, judicio s. Congregationis die 12. Februarii 1778 declarati fuerunt immunes ab onere missae conventualis, quia compertum fuit eandem ecclesiam non esse collegiatam, idque etiam declaratum fuit in *Nullius Trium Fontium Missae convent. 4. Apr. 1772****) in cujus causae folio paulo accuratius hac de re agitur. Perpendendum itaque: an ecclesia parochialis B. Mariae Virginis terrae Magentiae sit necne ac dici revera possit collegiata. Nullum profecto habetur de erectione monumentum solumque ex pervetustis quibusdam manuscriptis in illius ecclesiae tabulario asservatis et charactere quasi gothico scriptis resultat eam Collegiatae titulo appellari; et constat etiam presbyteros dictae ecclesiae inservientes ab anno 1480 Canonicos fuisse nuncupatos. Inquirendum, an, quae deficit ex erectione collegialitatis probatio, ex aliis saltem signis atque argumentis erui possit.

Caeterum quatenus Capitulares ad applicationem missae conventualis compelli deberent, prodesse ipsis non posset contraria quaelibet consuetudo. Advertit s. m. Benedictus XIV. in citat. constit.: *Cum semper* §. 17 jam pluries fuisse responsum: »Hujusmodi consuetudinem licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.«

Reddituum vero tenuitas non eximit omnino Capitulares ab onere missae conventualis, sed efficit, ut ad dies festos coercetur, prout monet laudatus Pontifex in *oper. de Sacrif. missae loc. sup. cit.*, et in dicta constit.: *Cum semper* §. *19.* Si ergo EE. PP. adigendos existimaverint presbyteros terrae Magentiae ad missae conventualis applicationem, habenda prae oculis erit reddituum quantitas aliaque onera, quibus praegravantur. Episcopus de more auditus affirmat, nullum erui posse documentum de erectione ecclesiae in collegiatam atque idcirco antiquitus nullimode presbyteros ad residentiam fuisse obstrictos. Testatur de numero missarum deque reddituum quantitate; suam tamen sententiam non pandit eamque expectat ab EE. VV., qui rogantur declarare:

An et quibus diebus capitulum et Canonici collegiatae et parochialis ecclesiae terrae Magentiae teneantur celebrare et respective applicare missam conventualem pro benefactoribus in genere, in casu?

S. C. resp.: Affirmative pro diebus festis et de praecepto tantum.

Die 9. Sept. et 21. Nov. 1772.

Placentina.

Capitulum et Canonici collegiatae ecclesiae s. Mariae majoris castri Arquati Placentinae dioecesis supplicant pro reductione missae conventualis ad dies festos tantum de prae-

*) Vd. *p. 761.*
**) Vd. *p. 695.*
***) Vd. *p. 683.*

cepto attenta tenuitate reddituum praebendarum. Exponunt enim, communes redditus pro officiis tam diuturnis quam nocturnis ac pro celebratione missae conventualis pro benefactoribus non excedere annua scut. 28 et obulos 71 monetae romanae partienda in 29 portiones dividendas in fine cujuslibet anni inter viginti quinque personas, quot sunt Canonici et beneficiati, quoniam Archipresbyter, qui prima et unica est antedicti capituli dignitas, ex pervetusta consuetudine duplicem exigit portionem ejus, quam recipit simplex beneficiatus. Sex vero Canonici praeter propriam portionem tertiam etiam alterius portionis partem habent supra simplices beneficiatos aliosque Canonicos, itaut quilibet simplex Canonicus simplexque beneficiatus residentia continua gravatus, demptis ex communibus redditibus annuis scutis 36 et obul. 30, pro missae conventualis eleemosyna vix accipiat annua scuta octo et obul. 49 prorsus imparia ad honestae vitae sustentationem.

Haec omnia vera esse tantum dixit Episcopus pro informatione de more requisitus suumque votum aperuit juxta petita. Quare sub die 12. Martii 1774 rescriptum fuit: *Episcopo pro meliore informatione et referat de quantitate praebendarum et respective de numero missarum applicandarum a singulis de capitulo, de quantitate reddituum praebendarum et massae distributionum, an inspectis rerum, loci et temporis circumstantiis congrui sunt seu potius tenues ad victum.*

Satisfecit his omnibus Placentinus Antistes transmisitque notulam singularum praebendarum cum earum respective redditibus et missarum oneribus, quae cuique praebendae adnexa sunt et de quibus certior factus fuit in actu suae pastoralis visitationis. Retulit enim in hac postrema sua informatione: *Redditus annuus massae distributionum vix pertingit ad annua scuta monetae rom. 282, quae inter Canonicos et beneficiatos distribuuntur, prout describitur in precibus, quae omnino verae sunt.*

Prosequitur: *Praebendae in eadem ecclesia erectae, comprehenso archipresbyteratu, qui ibi est prima et unica dignitas, sunt viginti quinque. Septendecim ex ipsis habent seorsim onera missarum, prout descriptum reperitur in annexo folio, quae simul ascendunt ad missas annuas bis mille quatuorcentum sexdecim. Non omnes integre celebrantur, cum aliquae praebendae non habeant redditus sufficientes; praebendarii tamen ex obtenta reductione tot celebrant, quot possunt cum annuis redditibus. Caeteri celebrant omnes missas praescriptas.*

Addit insuper: *Redditus praebendarum, quos in actu visitationis volui a Canonicis et praebendariis juramento assertos, sunt prout in praecitato folio et ascendunt collective sumpti ad annua scuta 515. 94, ex quibus biscentum undecim et asses 32 annuatim absorbentur a stipendiis missarum praescriptarum. Quibus ita se habentibus fere nemo ex beneficiatis memoratae Collegiatae, inspectis loci et temporum circumstantiis habet ex proprio respective beneficio et massa distributionum redditus sufficientes ad propriam congruam sustentationem;* concluditque enim his verbis: *Quapropter iterum censeo, benigne indulgendum esse oratoribus, ut deinceps missam conventualem applicent pro benefactoribus in communi tantum diebus festis de praecepto.*

Sacra Congregatio, quoties interrogata fuit super facienda missae conventualis reductione, concurrente praebendarum exiguitate, toties hac spectata pro illius reductione ad dies tantum festos de praecepto respondit, ut in *Camerinen. Missae conventualis 3. Junii 1706 quoad II. dubium,* prout in lib. 56. decret. pag. 170. a tergo, in *Narnien. 11. Junii 1712* lib. 92. decr. pag. 211, in *Veliterna ad III. dubium 14. Martii 1722*, in *Spalaten. Missae conventualis ad I. et ad II. dubium 23. Julii 1729*),* in *Amerina Missae conventualis 1746**),* in *Ariminen. Missae conventualis ad III. dubium 18. Septembris 1751,* et nuperrime per summaria precum in *Alexandrina Missae conventualis 23. Novembris 1776*, et demum *epistola encyclica sa. mem. Benedicti XIV.* quae incipit: *Cum semper* §. *Alii denique***).*

Dignabuntur itaque EE. VV. sapientissime de more decernere:

An et quibus diebus capitulum et Canonici collegiatae ecclesiae s. Mariae Majoris castri Arquati teneantur applicare missam conventualem pro benefactoribus in casu?

S. C. resp.: Pro gratia reductionis applicationis ad dies festos de praecepto tantum.

Die 11. Jan. et 1. Mart. 1777.

Thelesina.

Capitulum et Canonici collegiatae et parochialis ecclesiae s. Laurentii martyris sitae in terra s. Laurentii majoris Thelesinae dioecesis, attenta tenuitate reddituum in distributionibus quotidianis unice consistentium, quos habent, supplicant pro reductione applicationis missae conventualis ad dies festos tantum de praecepto. Narrant enim, redditus cujuslibet Canonici vix ascendere ad annua ducata triginta subjecta oneri celebrandi biscentum triginta missas lectas necnon pluribus officiis satisfaciendi, ita ut, quod superest, impar sit ad honestae vitae sustentationem.

Datae fuerunt, ut moris est, Episcopo literae pro informatione et voto eidemque mandatum fuit, ut referret de annuis redditibus tam singularum praebendarum quam massae et de respectivis oneribus et quantum supersit iis detractis. Episcopus mandatis hisce satisfecit, a Canonicis narrata vera esse dixit illorumque petitioni annuendum esse censuit, ut patet ex illius relatione una cum juribus a Canonicis circumferenda.

Sacra Congregatio concurrente vel praebendarum vel reddituum exiguitate solet semper demandare reductionem missae conventualis ad dies tantum festos de praecepto, veluti plura sunt hujus sacrae Congregationis responsa relata in folio causae *Placentina Missae conventualis* distributo pro Congregatione *diei 11. Januarii proxime praeteriti*, cui etiam *Placentinae*)* in sequenti Congregatione *diei 1. Martii currentis anni* responsum fuit: *Pro gratia reductionis applicationis missae conventualis ad dies tantum festos de praecepto in casu?*

S. C. resp.: Affirmative.

Die 5. et 19. Julii 1777.

Novarien.

In oppido Intri ad Verbanum Lacum dioecesis Novariensis adest collegiata ecclesia sub invocatione s. Victoris. In ea sunt duodecim Canonici, quorum sex praebendam habent distinctam cum animarum curae exercitio, nimirum quoad eorum tres in oppido tantum, quoad alios vero tres extra oppidum in separatis et circumscriptis montibus vallibusque, in quibus non exiguus parochianorum numerus inhabitat et in quibus sunt ecclesiae filiales collegiatae, in parochiales erectae. Caeteri vero sex Canonici honorarii tantum nuncupantur, qui, licet adjutores sint in animarum cura et choro intersint, nullam tamen possident praebendam nec locum habent nec vocem in capitulo.

His praecepit Antistes Novariensis, ut missa conventualis, quae in eadem collegiata ecclesia quotidie canitur, applicaretur pro benefactoribus in genere juxta *encyclicam s. m. Benedicti XIV.*, quae incipit: *Cum semper.* Ab hoc praecepto gravatum se sentiens capitulum humiliter exorat pro exemptione ab hujusmodi indicto applicationis onere nedum quia ab erectione Collegiatae reperitur exemptum, sed etiam quia sex illi praebendati Canonici incumbere debent animarum curae exercitio et missam pro populo singulis diebus festivis applicare tenentur, seu potius pro indicti oneris reductione ad dies tantum festivos de praecepto, attenta reddituum tenuitate.

Episcopus, qui de more fuit auditus, praedicta confirmat ejusque votum addit precibus capituli, ut latius patet ex illius informatione, quae una cum juribus a capitulo circumfertur.

Saepissime sacra Congregatio in similibus propositis reductionum causis, quoties verificentur praebendarum redditus ad onera ferenda prorsus impares, petitam reductionem applicationis missae conventualis ad dies tantum festos de praecepto concessit, ut in *Spalaten.*) Missae conventualis ad I. et II. dubium 23. Julii 1729,* in *Amerina**) Missae conventualis 12. Martii 1746,* in *Ariminen. Missae conventualis ad III. dubium 18. Septembris 1751,* in *Alexandrina Missae convent. 23. Novbr. 1776,* in *Placentina***) Missae conv. 1. Mart. 1777* et in *Thelesina†) Missae conv. 19. Jul. ejusdem anni 1777.*

Proponitur igitur definiendum:

An sit locus exemptioni ab applicatione missae conventualis seu potius illius reductioni ad solos dies festos de praecepto in casu?

S. C. resp.:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et scribatur Episcopo, juxta mentem, nempe ut cogat tres Canonicos, qui regunt ecclesias filiales suburbicarias, ad satisfaciendum diebus festis, qui in eorum hebdomadam incidunt, per vice-parochos aut alios sacerdotes oneri missae pro populo in praedictis ecclesiis filialibus.

Die 26. Junii et 7. Aug. 1779.

---

*) Vd. supra p. 760.
**) Vd. supra p. 761.
***) Vd. supra p. 695.

*) Vd. *p. 763.*

*) Vd. supra p. 760.
**) Vd. supra p. 761.
***) Vd. supra p. 763.
†) Vd. supra p. 764.

Placentina.

Cum Canonici et praebendati collegiatae ecclesiae s. Florentii oppidi Florentiolae propter praebendarum ac distributionum tenuitatem missam conventualem ad formam Benedictinae encyclicae: *Cum semper**) pro benefactoribus applicare non consuevissent, licet a praedecessore Ordinario propriae obligationis commoniti, eos tandem hodierni vigilantissimi Antistitis excitavit solertia. Occasione quippe sacrae visitationis mandavit obtinuitque, ut sibimet ipsis consulentes, non praetermissa interea ejusdem missae applicatione, quoad praeteritum absolutionem et pro futuris temporibus ad dominicos tantum dies reductionem a SSmo Domino nostro efflagitarent.

Super exhibitis precibus igitur auditus de more Episcopus tabellam transmisit, in qua annui proventus uniuscujusque ex triginta et una praebendis, quot illud capitulum constat, fideliter describuntur. Ex illa nempe eruitur, dempto Archipresbytero et quatuor vel quinque antiquioribus Canonicis ac duobus tantum mansionariis, qui pingui redditu potiuntur, reliquos omnes tenuissimos percipere fructus et vix pares nonnullos adnexarum missarum adimplemento quippe qui absque onerum deductione vel tria vel quatuor vel decem vel viginti septem annua scuta minime excedant. Ex massa vero distributionum, refert idem Episcopus, unicuique ex praebendariis, posito continuo chori servitio, *vix summam quatuor scutorum monetae romanae* obvenire ipsius missae conventualis obligatione gravanda, ita ut nemo, si praedicti Canonici et mansionarii excipiantur, promeritam habeat sustentationem eosque dignos, qui exaudiantur, existimet.

Verum sacratissimus Princeps absolutionem oratoribus de transactis omissionibus impertitus alteram instantiae partem ad amplissimum hunc ordinem ablegavit, qui mandavit, Ordinarium admoneri, ut peracta fructuum separatione ad sacrosanctae Tridentinae synodi praescriptum *sess. 21. et 22. de reform.* distributionum massam augeret, qua tenuibus praebendis prospici aliquo modo posse videbatur.

Ast laudatus Antistes repetitis literis fatetur, *se nihil a capitulo praemissae Collegiatae sperare posse,* cum conciliares hac super re sanctiones observantiam sibi caeteroquin optatissimam ea in dioecesi nunquam consecutae sint, utcumque in multis Collegiatis et in ipsa cathedrali ecclesia exiguus valde distributionum cumulus esset. Propositam fructuum separationem executioni demandare, quamvis refragantes sub poenis ecclesiasticis vellet adigere, opus moraliter impossibile autumat, quod propterea ex praedecessoribus Episcopis nemo est aggressus, a quibus intimatae missae conventualis applicationem datum non fuit obtinere, cujus aliqua nunc temporis Canonici saltem cura capiuntur. Hinc ipse quasi mediator et supplex pro capitulo exorat, ut illius petitioni indulgeatur, ne alias perpetuis laqueis Canonicorum et beneficiatorum conscientiae irretiantur, quos diversa ratione paupertate praebendarum ac distributionum deceptos sibimet prospecturos sperandum non est. *Validissime enim* (sunt Episcopi verba) *obstabit exemplum similis reductionis per eamdem istam sacram Congregationem paucis abhinc annis concessae in paribus vel fortasse minus urgentibus circumstantiis tum collegiatae s. Mariae loci Curtis Majoris loci Castri Arquati, quae loca parum distant ambo a Florentiola.* Deinde paulo post subjungit: »*Certe sedulo laborare non destiti omnemque industriam et operam pro modulo meo conferre ut res valde minoris momenti a praefatae ecclesiae capitulo aliisque obtinerem; sed incassum. Quare memoratam fructuum separationem omnino tentare non audeo, utpote quam nimiis et invictis difficultatibus septam video.*

Haec Episcopus; quibus inter summaria precum nuperrime relatis placuit EE. Patribus mandare, ut eadem omnia in folio describerentur.

Nihil praeterea, ultra narrata, sive in facto sive in jure animadvertendum occurrit; quoties enim pleraeque praebendae miserrimae essent, ad levamen illas obtinentium missae conventualis applicationem ad festos dies reducere aequitati consonum existimavit reque vera sacer hic Consessus reduxit, tametsi ex Capitularibus aliquis non mediocrem ex propria praebenda proventum perciperet. Inter multa, quae prostant, exempla in thesauro resolutionum sacrae Congregationis, ad rem nostro in themate favere videtur *Placentina*) Missae conv. 1. Martii 1777*, quae non adhuc in lucem edito volumine in folio

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. supra p. 763.

benigne reassumendo exponitur. Rogantur igitur EE. VV. decernere:

An et quomodo sit locus reductioni applicationis missae conventualis in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad dies festos ad quinquennium et ad mentem.

Die 18. Sept. et 27. Nov. 1779.

Ilcinen.

Consuetudo invaluit in cathedrali ecclesia Ilcinensi, ut Canonici missam pro benefactoribus applicarent dominicis aliisque festis de praecepto tantum, idque factum fuisse asserebatur in vim decreti editi a bo. me. Bernardino Ciani illius civitatis Episcopo, qui apostolica auctoritate suffultus, attenta praebendarum inopia, hanc reductionem fecisse fertur. Cum autem nullimode constaret, an reductio apostolica auctoritate peracta fuerit, idcirco Canonici ad propriae conscientiae indemnitatem reductionis indultum ab EE. VV. efflagitarunt. Propositoque dubio:

An sit locus reductionis oneris applicationis missae conventualis ad dies tantum festos de praecepto in casu?

in Congregatione habita die 28. Julii 1781 impertita quoad praeteritum absolutione dilata fuit causae resolutio mandatumque Episcopo, ut referret de praebendarum qualitate, de annuo illarum redditu ac de oneribus eisdem inhaerentibus.

Mandatis paruit Episcopus, ex cujus literis haec habentur: Archidiaconus, prima dignitas liberae collationis, et cui imminet animarum cura parochianorum ecclesiae cathedralis, quae etiam paroch. existit, habet redditus librarum monetae Senensis 811. onera realia lib. 235, missarum 162, archipresbyteratus lib. 175. onera realia lib. 24. miss. 152, primiceriatus lib. 408, onera realia lib. 120. miss. 168, praepositura lib. 94. onera realia 18. miss. 23, canonicatus sub titulo s. Petri lib. 642. onera realia lib. 54. miss. 44, canonicatus sub titulo s. Margaritae, cui adnexa est parochia, lib. 635. onera realia 248. miss. 116, canonicatus sub titulo s. Laurentii, cui adnexa est parochia, lib. 898. onera realia lib. 153. miss. 116, canonicatus sub titulo sanctissimae Virginis lib. 190. onera realia lib. 21. miss. 84, canonicatus s. Joseph lib. 195. onera realia lib. 24. miss. 34, canonicatus sub titulo s. Crucis lib. 176. onera realia 37. miss. 62, canonicatus sub titulo s. Donatii lib. 573. onera realia lib. 151. miss. 62, canonicatus sub titulo s. Restitutae lib. 390. onera realia lib. 21. miss. 31.

Advertit, quod in calculo reddituum computatae sunt tum distributiones quotidianae, quae non excedunt annua sc. 2. 50. monetae romanae, tum emolumenta incerta parochialia et missae, quae pro benefactoribus a Canonicis applicantur diebus festis. Tandem inquit: Significandum EE. VV. existimo, quod praedicti redditus consistunt praesertim in praediis rusticis, exceptis paucissimis alicujus praebendae urbanis et in regione, sua natura parum fertili et grandinibus obnoxia, quae sunt infortunia non insolita, sed solita, ex quo nonnullis in annis evenit, quod, quamvis juxta decennium redditus pro parte dominicali sunt in supraexpressa quantitate, attamen rustici mediarii eamdem partem dominicam consumunt vulgo: Colle prestanze —, et hujusmodi credita attenta ipsorum rusticorum paupertate nullius sunt exactionis et remanent credita puri nominis. Deficiunt enim in dictis praediis rusticis bestiamina in totum vel in majori parte, unde rectores ex propriis pecuniis in ingressu beneficii ea emere coguntur, ut praefatos redditus suis temporibus percipere valeant.

Dignabuntur EE. VV. reassumere folium Congregationis diei 28. Julii 1781, in quo praesens causa descripta est, ac definire:

An sit locus reductioni oneris applicationis missae conventualis ad dies tantum festos de praecepto in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 3. Aug. et 14. Sept. 1782.

Albinganen.

Collegiata ecclesia s. Nicolai Castri Diani Albinganen. dioecesis quindecim numerat Canonicos. Praebendarum redditus, praeter quam quod exigui sunt, cum fere omnes ex tot censibus percipiantur, ob debitorum paupertatem difficilis sunt exactionis. Parum etiam emolumenti percipiunt Canonici ex massa distributionum quotidianarum; hinc preces dederunt, quibus postulant deletionem oneris applicandi Sacrum conventuale pro benefactoribus.

Episcopus testatur de tenuitate praebendarum et distributionum quotidianarum; inquit enim, *illarum* (loquitur de praebendis) *siquidem vix una scutorum viginti trium sum-*

mam attingit, caeterae vel sex vel trium vel etiam longe minorem, distributiones vero scuta fortasse centum quinquaginta annuatim exhibent inter quindecim Canonicos aequis portionibus dividenda, qui singulis diebus choro intersint, junctis oneribus anniversariorum, viginti quinque, missarum in cantu octuaginta quatuor et privatarum sexaginta circiter et cum onere candelas propriis sumptibus providendi, quae omnia ex praedictis distributionibus scuta detrahunt fere quinquaginta. His etiam computata exigendorum fructuum difficultate, quum maximam esse non inficior, tenues admodum distributiones evadunt, ut obligatione missarum pro benefactoribus gravari capitulum minime reor.

Certum est et satis unicuique notum, quod ex sacrorum canonum dispositione Canonici ecclesiarum cathedralium tenentur quotidie celebrare et applicare missam pro benefactoribus, *cap. Cum creatura de celeb. miss.* Hujus disciplinae observantiam enixe praecipit san. mem. Benedictus XIV. in constitutione: *Cum semper oblatas* §. *11.**) Verum advertens, quod in aliquibus ecclesiis Canonici parum emolumenti perciperent tum ex praebendis tum ex distributionibus quotidianis, idcirco in eadem constitutione §. 19. decernit, ut quatenus praebendarum inopiae occurri non possit mediis praescriptis a s. concilio *sess. 24. cap. 16. de reform.*, tunc habito ad sacram Congregationem recursu applicatio missae conventualis ad dies festos coerceretur.

Et revera s. Congregatio, probata prius praebendarum paupertate, hujusmodi onus ad dies festos reduxit in *Amerina Missae conventualis 18. Septembris 1751* et in *Ilcinen. 14. Septembris elapsi anni.***) Ponderandum an in praesenti casu concurrant circumstantiae, quae reductionem suadeant, ut definiri possit:

An et quomodo sit locus reductioni applicationis missae conventualis in casu?

S. C. resp.: Affirmative pro reductione ad dies festos de praecepto tantum.

Die 11. Jan. et 8. Febr. 1783.

Lunen. Sarzanen.

Occasione, qua Episcopus Lunen. Sarzanen. suam dioecesim et inter caeteras insignem Collegiatam s. Mariae de populo civitatis Pontremoli s. visitatione lustrabat, die 19. Augusti 1768 decrevit, ut Canonici dictae Collegiatae sacram hanc Congregationem adirent pro obtinenda missae conventualis reductione non intermissa tamen illius applicatione quousque petitis sac. haec Congregatio annuisset. Impulerunt plura Episcopum, ut ita decerneret, nempe Canonicorum paucitas; capitulum enim componitur ex octo Canonicis et quatuor dignitatibus; Praepositus vero, cui adnexa est animarum cura, se exemptum esse contendit, Decanus, Primicerius et duo Canonici clerici ex fundatione sunt ab hac obligatione immunes, ex quo fit, ut in septem Canonicos ejusmodi onus refundatur. Et multo magis ita Episcopus decrevit inspecta reddituum tenuitate, qui vix ad sc. 20 efferuntur, cum e converso grave illis incumbat quotidiani servitii onus, cui et alia supracedunt. Consideravit quoque augumentum eleemosynae missarum, quae tempore fundationis non excedebat solidos octo, nunc ad duodecim attollitur. Paruerunt Canonici oblataeque ab iis preces ad Episcopum transmissae fuerunt, qui hactenus dicta in suo responso confirmat et propterea concludit congruum sibi videri, ut missae conventualis obligatio s. hujus senatus aequissimo arbitrio moderetur.

Celebrandae applicandaeque missae conventualis origo repetenda est a primis usque ecclesiae temporibus, quibus in sacris dypticis nomina eorum describebantur, qui sua liberalitate cujusvis ecclesiae patrimonium auxerunt, iis non exclusis, qui, licet bona sua offerrent, non requisiverant tamen ut aliquae pro iis preces funderentur. Cum porro horum diptycorum usus sensim exoleverit perieritque ideo memoria benefactorum, ecclesia tamen eorumdem non oblita conventualis missae pro benefactoribus in genere celebrationem in cathedralibus et collegiatis ecclesiis imperandam esse censuit. Prostant decreta tum Innocentii III. *in cap. Dolentes*, tum Honorii III. in encyclica ad omnes ecclesiae Praelatos in cap. *Cum creatura de cel. missarum*; nullaque consuetudine obliterari eam obligationem posse respondit sacra haec Congregatio in *Tusculana 16. Novembris 1692 lib. 19. decret. fol. 210.*, et ut caetera ommittantur, Bened. XIV. in suis encyclicis literis: *Cum semper oblatas* tum dictae celebrationis necessitatem instauravit tum qualiscumque etiam immemorabilis contrariae consuetudinis excusationem proscripsit §. 14 et 16. (Vd. *p. 695.*)

*) Vd. *p. 695*
**) Vd. *p. 767.*

Non desunt etiam gravissimi doctores, qui in ipso praecepto recitandi in choro horas canonicas intrinsecus contineri et praesupponi docent conventualis missae celebrationem. Sapienter enim animadvertunt horas canonicas tamquam dispositiones ad solemnem Sacrificii actionem praescribi, ita ut actio Sacrificii sit praecipue et primario intenta, cantus vero horarum canonicarum sit praeparatio ad solemnis missae celebrationem, ut bene considerat *Quarti ad rubr. missalis part. 1. tit. sect. prima.*

Nihilominus quando comperta reddituum tenuitas discedere quodammodo cogit a dispositione juris, consuevit hic sacer ordo intacta manente obligatione diurnae celebrationis missae conventualis illius applicandae necessitatem ad solos dies festos de praecepto restringere. Quoad colligere licet ex regestis s. Congregationis, haec quaestio sub formalis dubii disputatione proposita primum fuit annis 1705 et 1706 in una *Camerinen. Missae conventualis*, in qua cum secundo loco quaeratur: *An et quibus diebus celebranda esset missa conventualis?* responsum fuit: *Affirmative, et quotidie;* in secunda vero propositione cum doctum fuisset de praebendarum tenuitate, prodiit rescriptum: *In decisis in casu, de quo agitur quoad dies festos tantum.* Mox in *Veliterna 14. Martii 1722*, cum sub tertio dubio expendendum esset: *An et quae exemptio sive a celebratione sive ab applicatione missae conventualis attenta praebendarum tenuitate sit indulgenda?* S. haec Congregatio dixit: *Posse indulgeri, ut missas applicent diebus tantum festis de praecepto.* Atque ab eo tempore sexcentis vicibus eadem indulgentia usa est S. C. et nuperrime in *Alexandrina Missae conventualis 7. Julii 1770*, in *Placentina 30. Julii 1785*, in *Setina Chori et missae conventualis 10. Decembris ejusdem anni.*

Quaeritur:

An et quae exemptio a celebratione vel applicatione missae conventualis attenta praebendarum tenuitate sit indulgenda in casu?

S. C. resp.: Esse indulgendam exemptionem ab applicatione missae conventualis, exceptis diebus festis de praecepto.

Die 8. Julii 1786.

Laquedonien.

Defecto penitus decimandi jure, quo capitulum cathedralis ecclesiae Laquedoniae fruebatur, quotidianae etiam defecerunt distributiones ipsaeque imminutae sunt canonicales praebendae. Dispensationem idcirco postularunt Canonici ab applicatione missae conventualis pro benefactoribus, testatur EE. Vestris Episcopus: capitulum hujusce cathedralis ecclesiae ex quinque Dignitatibus et septem Canonicis conflatum pro quotidiano chori servitio, cui omnes incumbere debent, adeo emolumentis temporalibus carere, ut nullae sint praebendae nullaeque distributiones quotidianae. Vix vero unumquemque ex iisdem Dignitatibus et Canonicis ex redditibus piorum legatorum percipere annuam circiter summam ducatorum hujus monetae (regni) quinquaginta sex cum dimidio, sed cum onere celebrandi missas circiter 140 ultra ratam missarum conventualium.

Atque ex his censuit, quod deficientibus tum praebendis tum etiam distributionibus quotidianis et praesertim bonis liberis, seu quae a pia et mera fidelium sive benefactorum in genere largitione proveniant, sed omnia oneribus missarum peculiariter sint obnoxia, amplissimam indulgentiam ipsos Canonicos promereri, utpote pauperes, miseros et congruis stipendiis pro quotidiano chori servitio penitus destitutos. Re tamen inter summaria precum in Congregatione 15. Septembris elapsi anni 1787 relata, instantiam Emmi Patres rejecerunt per rescriptum: *Lectum.* Redeunt modo oratores pro gratia iterumque inopia pressi clementiam Vestram implorant.

Inducta primum in cathedralibus ecclesiis insignibusque collegiatis fuit conventualis missa ab Honorio III. in *cap. Cum creatura 11. de celebrat. miss.* semperque habita est ut pars divini officii, *can. De his dist. 12. gloss. in Clement. 1. de celebrat. miss.* In veteri tamen confirmando jure respexit Benedictus XIV. in encyclica: *Cum semper oblatas**) ad tenuitatem praebendarum ac tunc demum onus illud reduci posse permisit ad dies festos, cum caetera deessent remedia a sacro concilio Tridentino proposita in *sess. 24. cap. 15. de reform.*, vel nempe, ut aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, canonicalibus praebendis uniantur vel ut aliquibus ex iis (praebendis) suppressis ad pauciorem numerum reducantur.

Sunt quidem rigidiores doctores, qui neque ex praebendarum tenuitate reducendam

*) Vd. *p. 695.*

esse putant conventualis missae reductionem ac prae caeteris *Monacell. tom. 1. in append. ad dec. de celebrat. miss. num. 12.* Sed non raro hujusmodi reductionem ad dies festos concessit sacra Congregatio, ut in *Narnien. 12. Junii 1712 lib. decret. 62. fol. 211*, in *Veliterna 14. Martii 1722*, in qua ad III. dubium: *An et quae exemptio sive a celebratione sive ab applicatione missae conventualis attenta praebendarum tenuitate sit indulgenda?* responsum fuit: Posse indulgeri ut missas applicent diebus tantum festis de praecepto. In *Spoletana 5. Decembris ejusdem anni*, in *Spalaten.**) *Applicationis missae conventualis 23. Julii 1729*, in *Amerina***) *12. Martii 1746*, in *Alexandrina 23. Novembris 1776*, in *Placentina****) *1. Mart. 1777*, in *Placentina 30. Junii 1785* et in *Setina Chori et missae conventualis 21. Januarii 1786.*

Quae sint canonicales Laquedoniensis capituli praebendae, jam in facto praemonui. Eas censet Episcopus tenues, licet annua cujusque summa ad ducatos ascendat 56, 50. Singuli enim Canonici, praeter quotidianum servitium chori annuo gravantur onere missarum 140, nec tantum eis superest, ut dignitatem suam decenter exhibeant. Utrum vero sperare valeant simplicium beneficiorum unionem, qui decimas amiserunt, vel duodenarius in ecclesia cathedrali imminui debeat Canonicorum numerus, ut reliquorum praebendae augeantur, EE. Patres decernent.

Quaeritur ergo:

An et quomodo sit locus applicationi missae conventualis in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad dies festos de praecepto tantum.

Die 20. Septembris 1788.

Bononien.

Capitulum insignis Collegiatae s. Mariae Majoris Bononiae ex tribus constat Dignitatibus, Priore nempe, Praeposito, Decano et Canonicis undecim. Duae eorum praebendae comprehensis juxta exhibitum statum distributionibus scutorum sunt 230, tertia scutorum 248, quarta scutorum 270. Quatuor aliae scuta excedunt 100, reliquae a scutis 49 summam gradatim attingunt scutorum 92. Ad minores igitur respiciens praebendas reduxit anno 1732 per decretum sacrae visitationis conventulem missam ad dies festos Bononiensis Archiepiscopus Lambertinus postea san. mem. Benedictus XIV. et licet deinde Pontifex ille quotidianam Cathedralibus et Collegiatis praescripserit conventualem in encyclica: *Cum semper oblatas* anni 1744,*) ejus tamen decretum quoad Collegiatam Bononiae in sacris pariter visitationibus confirmarunt successor Archiepiscopus Malvetius ejusque convisitatores anni 1786; edidit decretum: Dicimus et declaramus, rite ac fideliter celebratam fuisse missam conventualem, quae quolibet die festo celebranda erat juxta decretum eminentissimi Lambertini; a quo tamen mutatis circumstantiis quum videatur recedendum atque adeo encylica *Cum semper* Benedicti XIV. debeat ita observari, ut singulis diebus missa conventualis applicetur in genere pro benefactoribus, facultatem facimus capitulo Romam recurrendi, ut liceat illi dumtaxat festis diebus applicare pro benefactoribus, si forte se gravatum sentiat de quotidiana applicatione.

Supplicarunt hinc Canonici EE. Vestris pro confirmatione decreti anni 1722 favetque eminentissimus Archiepiscopus, licet affectos eos censeat Benedictina encyclica. Inquit enim, quod, licet nonnullae praebendae summam scutorum 200 aliquantulum superent, aliae tamen sunt, quae neque centum attingunt. Est etiam, quae sola triginta scuta annua reddit, computatis etiam quotidianis distributionibus (minor praebenda juxta exhibitum statum scutorum est 49. 60.) Unde non negarem, gravamen oriturum esse capitulo, si ad quotidianam missae applicationem adigatur; idque praecipue illis Canonicis, quorum tenuis satis est praebenda. Quum enim gravamen hoc omnes aeque attingere debeat, ii Canonici, qui tenuiores praebendas habent, nimirum onerati manebant; nec aliunde justum videretur esse, ut, quod commune est onus, ad solos illos, qui ditiores obtinent praebendas, reduceretur.

Ad haec addit, quod, si aliquo modo mutatae videantur circumstantiae et auctarium aliquod in redditibus appareat factum a tempore illo, quo decretum visitationis anni 1732 emanavit, si tamen computentur nova

*) Vd. supra p. 760.
**) Vd. supra p. 761.
***) Vd. supra p. 763.

*) Vd. pag. 695.

gravamina, et, quod est caput, caritas rerum omnium, quae ad usum vitae sunt necessaria, his postremis temporibus non parum immutata, evincetur, in aequali, ne dicam pejori, fore nunc statu capitulum et eamdem tenuitatem subsistere, quae Lambertinum ad decretum illud efformandum movit. Atque ita postremo suum aperit votum: Ego quidem adduci non possum, quin existimem, oratores non aliter ac reliquos totius orbis Canonicos et capitula legi illi universali Benedicti XIV. parere debere. Illud etiam affirmo, perperam esse decreto illi anteriori tutos credidisse. At vero cum de dispensatione agitur, non adeo sum animo obfirmatus, ut non crediderim, dictum capitulum posse et illam humiliter expetere et confidere, se obtenturos aliquid, si EE. Patribus id visum fuerit aequum. Mihi certe videretur non ab aequitate alienum iisdem oratoribus, attentis expositis, ex parte morem gerere et relicta obligatione illa, quam hucusque observarunt, ad celebrandam applicandamque saltem alio cujuslibet hebdomadae die missam conventualem pro benefactoribus universim eosdem Canonicos cogere, donec res capitularis in ea, quae laborat, tenuitate reperiatur.

Duo sunt ponderanda, num Benedictina scilicet encyclica derogaverit decreto anni 1732 ac tales sint oratorum circumstantiae, ut reductionem ab eminentissimo Archiepiscopo propositam mereantur. Sarctum profecto decretum illud a Benedicto XIV. tectumque servatum dici posset, dum proprium non ignorans reductionis factum expresse in sua posteriore encyclica reductionem non retractavit, *Felin. in cap. 1. num. 19. de constit., Pignatell. consult. 131. num. 7. tom. 7. tom. 10.* Generalis contra encyclicae dispositio generaliter videtur accipienda, *text. in leg. 1. §. generaliter ff. de legat. praestan. et leg. non distinguendum ff. de recept. arbitr.*, maxime quia amplissimis munita est clausulis cujuscumque consuetudinis et observantiae derogatoriis, quae enixam ostendunt legislatoris voluntatem, *ut §. 14. 16. 17.* encyclicae; ideoque abrogatoria etiam videtur cujuslibet privilegii incompatibilis, ut est decretum anni 1732 cum encyclica, *Pignatell. in cit. consult. 132. n. 7. tom. 10.*

Ex iis de caetero, quae de tenuitate praesertim quarumdam praebendarum observat Emmus Archiepiscopus, locus esse posset reductioni missae conventualis nisi ad formam decreti anni 1732, juxta votum saltem ipsius Archiepiscopi, ad dies scilicet festos aliumque intra hebdomadam, ut in *Amerina**) *Missae conventualis 12. Martii 1746*, in *Aretina 18. Novembris 1769* et in *Placentina 30. Julii 1785.* Notandum vero, quod pleraequae praebendae scuta accedunt 200 et 100 summamque minores attingunt scutorum 69, 80, 92, una excepta scutor. 49, 60. Num ergo ob unicam hanc, non tenuem, sed mediocrem praebendam, integrum eximere liceat capitulum a quotidiana missa conventuali, a Vestra, Emmi Patres, pendet deliberatione.

Quaeritur itaque:

An et quomodo sit locus reductioni missae conventualis in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 24. Novembris et 15. Decembr. 1792.

Die 18. Mart. 1797 resp. S. C.: *Praevio recessu a decisis et reducendam esse applicationem ad dies festos de praecepto.*

Albanen.

Quotidianum chori servitium praestat capitulum s. Barnabae oppidi Mareni et singulis Canonicis scuta annua 42 et obolos 50 ex praebenda obveniunt, quae detractis missarum oneribus ad annua scuta *viginti septem* cohibentur, et praeterea alia annua *decem* in causam distributionum. Rati Canonici se par non habere oneri emolumentum postulant reductionem applicationis missae conventualis ad dies festos de praecepto, quam quotidie celebrant et applicant. Emmus Episcopus instantiae favet. Ait enim: *Ex contemporanea mea relatione ad EE. VV. super suspensione canonicatus vacantis satis compertum est Canonicos collegiatae ecclesiae terrae Mareni, qui gravantur quotidiano chori servitio, nil amplius ex canonicatu percipere praeter alias modicas distributiones inter praesentes quam annua scuta 27, deductis oneribus missarum lectarum eoque praesertim missae conventualis, quam quotidie per turnum applicant et hactenus applicarunt pro benefactoribus in genere. Impar sane*, prosequitur Emmus Episcopus, *videtur haec retributio, nullis adaugenda modis, diutino servitio Canonicorum, cui aliquantulum recreando laudabilis indulgentia videtur, si applicationis hujus quotidianae obligatione sublata ad festos tantummodo dies illa cohiberetur secundum aequitatem notoriam Benedictinae constitutionis.*

*) Vd. p. 761.

In hac siquidem constitutione lata a s. m. Benedicto XIV. diei *19. Augusti anno 1744*, quae incipit: *Cum semper oblatas,**) praescribitur, quod, si praebendae tenues sint, applicatio missae conventualis ad dies festos reducatur. Et s. Congregatio, quoties de redditum insufficientia constitit, reductionem concessit in *Alexandrina Missae conventualis 23. Novembris 1776*, in *Placentina***) *Missae conventualis 1. Martii 1777* et in *Ilcinen****) *14. Septembris 1782* et in *Recineten. Reductionis missae conventualis 24. Januarii 1784.*

Intimius itaque animadvertendum est, an constet de redditum insufficientia, ita ut succurrendum sit Canonicorum inopiae per derogationem oneris, quod proprie ipsorum muneri inest infixumque est. Fatentur ipsi per allatam camerarii fidem, quod ex praebenda scuta 42 et 96 in singulis annis unusquisque percepit et scuta decem ex distributionibus, hoc est canonicales redditus in annuis scutis 52 et ob. 50 consistunt. Cur autem ex hoc redditu detrahendae sint eleemosynae missarum lectarum et cum cantu perinde ac si alteri celebranti persolvendae sint, penitus ignoratur. Quin immo fatendum est ad honestam vitae sustentationem liberam esse unicuique Canonico applicationem in singulos annos 269 missarum, cum ad annuas 66 lectas tantum et 28 conventuales unusquisque ex suo munere teneatur.

Hisce pro veritate praemissis Vestrum erit sequens dirimere dubium:

An sit locus reductioni applicationis missae conventualis ad dies festos de praecepto in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad dies festos.

Die 7. Maji et 18. Junii 1808.

Ferentina.

Capitulum et Canonici Collegiatae s. Agathae attenta tenuitate praebendarum omiserunt applicare missam conventualem pro benefactoribus et nunc coacti ex decreto Episcopi in s. visitatione ad applicationem postulant ejusdem reductionem applicationis ad dies festos in futurum et absolutionem quoad praeteritum. Episcopus refert: *Capitulum decem Canonicis coalescit quotidie choro addictis. Nullus horum praebendam habet, ex qua fructus percipiat, sed omnes Canonici fructuum massae communis, in qua redditus omnes consistunt, sunt aeque participes, si Canonicus excipiatur curam animarum annexam habens, qui et fructibus paroeciae gaudet. Annui redditus mensae capitularis summam scutorum romanorum 265. 50. non excedunt habita ratione pretii legalis, ut vidi in tabella status activi mihi exhibita. Inter caetera onera, quibus massa capitularis premitur, numerantur missae 993 a Canonicis annuatim celebrandae in maxima parte a canonicatuum fundatoribus ordinata, quorum unus singulis diebus festis de praecepto solemniter unam celebrandam voluit. Cunctis porro oneribus impletis parum vel nihil superest Canonicis ex dictis annuis redditibus, quin adsit spes ulla augendi congruam. Fatentur tamen Canonici quolibet anno scutata quindecim circiter singulis contingere ex fructibus massae communis, si ratio habeatur industriae, quae solent augeri. Infirmae ergo vires ejusdem mensae ab omissa celebratione missae pro benefactoribus in genere absolutionem postulare videntur necnon missae cantatae in singulis diebus festis reductionem pati, nisi tamen EE. VV. supradictum missarum numerum 993 ad missam pro benefactoribus in genere quotidie applicandam cohibere placeat.*

Concedenda sane videtur reductio applicationis missae convent., quando concurrit tenuitas praebendarum neque media suppetant, quae Tridentinum *sess. 24. cap. 15. de reform.* praescribit ad succurrendam praebendarum inopiam, quemadmodum cavetur in Benedicti XIV. constit.: *Cum semper oblatas*, et definivit s. Congregatio in *Amerina**) *Missae conventualis 12. Martii 1746* et in *Placentina***) *Missae convent. 1. Martii 1777.* Episcopus testatur praebendas s. Agathae non habere peculiares fructus, sed ex mensa communi singulos Canonicos detractis missarum oneribus, quae ex peculiaribus fundationibus procedunt, vix percipere annua scuta quindecim. Observandum tamen, quod supersunt singulis Canonicis scuta *quindecim* detractis oneribus missarum, quae cum ex fundatiouibus canonicatuum injuncta sint, non minuunt redditus canonicatuum neque earum stipendium detrahendum videtur.

*) Vd. p. 695.
**) Vd. supra p. 763.
***) Vd. supra p. 767.

*) Vd. supra p. 761.
**) Vd. supra p. 763.

Sed quamquam ultra scuta *quindecim* paululum ex missarum eleemosynis augeantur redditus,tenue semper Canonici illi habent stipendium pro quotidiano chori servitio, cum alias s. Congregatio reductionem applicationis missae conventualis concesserit, cum Canonici pro quotidiano servitio perciperent quotannis scuta *viginti quatuor*, in *Syracusana Reductionis missae conventualis 14. Februarii 1803.* Nec spes adest augumenti reddituum teste eodem Episcopo nec augeri posse videntur per reductionem aliorum onerum missarum, quae ex peculiaribus fundationibus derivant. Nam nulla causa subest cur missae hujusmodi reducantur, quarum fundus existunt et potius incerti benefactores quam certi suffragiis privandi sunt.

Ex hac tenuitate fructuum mensae capitularis atque impotentia supplendi exoranda quoque a SSmo videtur absolutio ob praeteritum inadimplementum, quemadmodum concurrente impotentia facere consuevit s. Congregatio caeteris omissis in *Spoletana Missae conventualis ad III. dub. 1. Martii 1729.*

Gaemina proponuntur dubia:

I. *An sit locus reductioni applicationis missae conventualis in casu?*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad dies festos ad formam constitutionis s. m. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas.**)

Ad II: Affirmative applicata infra mensem unica missa cum cantu.

Die 17. Sept. et 17. Dec. 1808.

Civitatis Plebis.

Ecclesia s. Michaelis archangeli in oppido Panicalis ad Collegiatae honorem anno 1618 evecta decem constat Canonicis praeter Archipresbyterum, qui unica est capituli dignitas ac totius oppidi gerit animarum curam. In duas ipsi divisi hebdomadas in choro persolvere ex fundationis lege obstringuntur, sed praebendis valde exiguis sunt praediti, si unus excipiatur Archipresbyter, qui ex sua quidem parochiali praebenda singulis annis scutata centum viginti circiter solet percipere. Etenim annuus trium canonicatuum redditus summam non excedit scutatorum triginta cum onere cuilibet Canonico duas missas pro benefactoribus tertio quoque anno canendi; reliquorum vero canonicatuum annuum fructum vix ac ne vix quidem ad scutata quindecim subductis missarum oneribus pertingere experientia satis compertum est. Cumque hujusmodi fructuum exiguitas suum a canonicatuum fundatione initium forsitan sumat, haec s. Congregatio die 8. Maji 1745 rogantibus Canonicis facultatem concessit *ut attenta tenuitate reddituum missa conventualis pro benefactoribus in genere, donec et quousque eadem tenuitatis reddituum causa perduraverit, diebus dominicis et festis de praecepto dumtaxat applicari possit et valeat.* Verum quemadmodum Canonici antea missam conventualem haud applicare consueverant, ita nec post indultam reductionem unquam praebendis imminere noverant. Hodierni autem Canonici ab Episcopo moniti de onere missae conventualis hunc sacrum adierunt Ordinem ac prae reddituum tenuitate absolutionem, sed insuper omnimodam petierunt exemptionem ab onere Sacri conventualis diebus festis de praecepto applicandi, sin minus congruam postularunt missarum reductionem, quas singuli Canonici ex fundatorum lege celebrare tenentur.

Canonicorum votis propitiam pandit Episcopus animi sui sententiam. In primis enim, quae enarrant Canonici, eadem veritati plane consona esse confirmat; dein subdit: Canonicos, saltem hodiernos, fuisse semper et esse in bona fide se non teneri ad missae conventualis oneris satisfactionem, innixos Episcoporum silentio, tenuitati reddituum et privationi distributionum. Quare aequitati consentaneum mihi videtur, ut quoad missas pro benefactoribus hucusque omissas imponatur unum et alterum officium defunctorum cum applicatione et missa cantata. Quo vero ad missas in totum remittere, existimarem non esse recedendum a concessione alias facta applicandi missas pro benefactoribus singulis diebus dominicis et festis de praecepto tantum et, ut una simul provideatur aliquo modo sustentationi Canonicorum, missae respectivarum praebendarum reducantur totidemque demandentur pro benefactoribus in genere.

Onus applicationis missae conventualis

*) Vd. p. 695.

pro benefactoribus in genere singulis ecclesiis cathedralibus et collegiatis incumbere adeo certi exploratique juris est, ut ab illo immunitatem praestare omnino nequeat nec reddituum exiguitas nec immemorabilis contraria consuetudo nec fundatio a certis benefactoribus sub lege praestitutum celebrandi missarum numerum, quemadmodum colligitur ex notissima Benedicti XIV. encyclica: *Cum semper oblatas,**) atque ex responsis hujus sacri Ordinis in *Ariminen. Missae conventualis 18. Septembris 1751,* in *Nullius s. Rufilli 8. Augusti 1761* et in *Marsorum Missae conventualis 28. Aprilis 1827.* Ad ejusdem praeterea missae applicationem Canonicos omnes atque etiam illos, quibus concredita est animarum cura, etiamsi in Collegiatae erectione nullum sibi quaesiverint compendium, esse in orbem compellendos post memoratam Benedicti XIV. encyclicam tradit haec s. Congr. *in cit. Ariminen. ad II. dub.* et alia *Ariminen. Servitii chori 18. Augusti 1827.*

Immerito igitur Canonici Collegiatae Panicalis hactenus sese immunes arbitrati sunt ab applicatione missae conventualis pro benefactoribus in genere saltem diebus festis de praecepto ad tramites rescripti hujus s. Congregationis. Neque omnimoda in posterum ab ejusmodi onere exemptio apostolicae Sedis privilegio concedenda videtur; siquidem missam conventualem praecipuam esse divini officii partem, immo ad illam ordinari canonicas horas liquet *ex cap. Cum creatura de celeb. missar., Gavant. in rubric. miss. tom. 1. part. 1. tit. 7. rub. 2.,* s. Congr. in *Urbanien. Missae conventualis 19. Julii 1828* §. *Animadvertendum.* Hinc s. Congregationem, tametsi reductionem missae conventualis ad dies festos pluries indulgendam putaverit, veluti docent exempla, quae passim occurrunt in thesauro resolutionum, plenariam nihilominus exemptionem unquam concessisse nullibi invenire datum est.

Verum Canonici oratores exiguis fruuntur praebendis, quotidianis carent distributionibus et assiduum ac grave in choro exhibent servitium; ideoque aut onus applicationis missae conventualis ex apostolica benignitate eis remittatur oportet aut concedenda est reductio missarum, quas ex fundationis lege celebrare obstringuntur. Decet sane Canocos sive ecclesiarum cathedralium sive collegiatarum insignium iis praeditos esse redditibus, qui sustinendo decenti eorum gradui pro loci et personarum qualitate sufficiant, *Concil. Trid. sess. 24. cap. 15. de reform.* Quamobrem s. Congregatio ad tenues augendos canonicatuum redditus, ubi alia non suppeterent media a sacris canonibus statuta, non raro imminutionem missarum aliorumque onerum tribuit, ceu videre est in *Nullius s. Martini 11. Septembris 1820* et in *Nursina Onerum 9. Julii 1828.* Exigui autem censentur canonicatuum et capellaniarum choralium redditus, si cunctis missarum aliorumque onerum subductis impendiis Canonicis et capellaniis scutata saltem triginta vel quadraginta non supersint ad chorale servitium perferendum, quemadmodum docent exempla in *Massanen. Reductionis onerum 24. Decembris 1822* et in *Nullius trium Fontium Unionis Beneficiorum et reductionis missarum 20. Decembris 1828 ad II. dub.*

Quod vero pertinet ad absolutionem praeteritarum omissionum, optima oratorum fides ac praebendarum tenuitas justam praebere videntur causam et eorum preces a vestra, Emmi Patres, humanitate benigne excipiantur.

Sint igitur dubia:

I. *An sit concedenda exemptio ab applicatione missae conventualis etiam diebus dominicis et festis de praecepto in casu?*

Et quatenus negative;

II. *An et quomodo sint reducendae missae ex fundatorum voluntate celebrandae in casu?*

III. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione a praeteritis omissionibus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad III: Affirmative celebratis duabus missis et officiis juxta votum Episcopi.

Die 24. Apr. 1830.

XII. Mansionariorum praebendatorum.

Vd.: *Applicatio missae conv.* (obligat. capellanor. massae p. 750; obligat. Vicarior. praebendator. etc. p. 776)

Lucana.

Antiquissima cathedralis ecclesia Lucensis a s. Paulino Antiocheno suam jactat originem. Primis ecclesiae temporibus et haereditatibus et donationibus et largitionibus principum aucta fuit, quarum tamen nomina edaci temporis dente delata sunt. Norunt eruditi omnes morem fuisse ea tempestate haec nomina sacris diptycis inscribendi, sed variata disciplina mutatisque moribus summi Pontifices constituerunt, ut Sacrum conventuale ageretur pro benefactoribus in genere. Haec sanctissimorum Pontificum providentia transiit demum in legem universalem cognitissima constitutione Honorii III. in *cap. cum Creatura de celebrat. missar.* Pridem tamen Alexander II. Canonicis cathedralis ecclesiae Lucensis, qui neque speciatim neque in genere pro iis, quorum liberalitate redditus et bona nullis oneribus gravata possidebant, preces fundere consuerunt, constitutione sua, quam refert *Ughel. in ital. Sac. in Episcop. Lucens. vol. I. num. 48. constit. 2.* indixit anno 1070, ut *omni die una solemnis missa cum diacono et subdiacono hora tertia cum canonicis horis, sicuti consuetudo deposcit matricis ecclesiae, celebraretur.*

Saeculo XIV. institui in ea cathedrali ecclesia coeperunt beneficia seu capellaniae earumque fundatores, ut mos illius aetatis ferebat, certis sacrorum adjectis oneribus animae suae consuluerunt. Cum autem tenues essent earumdem capellaniarum redditus et ob id servitium negligeretur ecclesiae, Eugenius IV. serenissimae reipublicae precibus ductus capellaniis univit monasterium s. Pantaleonis, dato onere celebrandi quotannis festum et solemne Sacrum agendi in ejus honorem. Redditibus hujus monasterii constituta fuit massa distributionum quotidianarum, quibus capellani ad praestandum ecclesiae servitium allicerentur; aucto inde capellanorum numero aucti quoque fuerunt redditus, nam Innocentius III. univit collegium capellanorum civitatis, data capellanis ecclesiae obligatione implendi onera, quibus collegium illud capellanorum civitatis obstrictum erat. Hac pariter obligatione capellaniis ecclesiae cathedralis unitae inde fuerunt plures ecclesiae, itaut bona omnia, quae possident capellani, sive a fundatoribus assignata sive ex unionibus quaesita, particularibus oneribus sint affecta. Cum denique numerus capellanorum excrevisset omnesque nulla praetermissa die tenerentur choro divinisque officiis interesse, anno 1533 a Canonicis impetrarunt, ut per *tertiariam singulis denis diebus absolvendam interesse eisdem liceret;* satisnamque hac ratione decori et dignitati ecclesiae consultum videbatur.

Post Canonicorum decretum coeperunt capellani onus celebrationis Sacri conventualis, non vero applicationis, subire; summo labore facta fuit anno 1601 tabella, qua ita Sacri conventualis celebratio distributa fuit capellanis, ut eadem die illud agere quilibet eorum teneretur, qua, ut propriis oneribus satisfaceret, Sacrum agere et applicare pro capellaniae suae fundatore tenebatur; et si aliquando propriis non detineretur oneribus, ea die stipendium pro Sacro acciperet ab aedituo illudque applicare tenerentur *per sodisfaccre alle messe manuali della sagrestia,* ut constat ex apertissima Canonicorum confessione emissa in libello oblato sacrae Rituum Congregationi anno 1699 et ex testificatione aeditui ipsius cathedralis ecclesiae. Res ita sese habuerunt ad annum usque 1744, quo anno sacratissimus Princeps noster Benedictus XIV. literis encyclicis jussit, ut in ecclesiis omnibus patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis applicaretur diebus singulis missa conventualis pro benefactoribus in genere. Hoc onus applicationis Canonici cathedralis ecclesiae Lucensis in beneficiatos sive capellanos rejicere tentarunt Obstiterunt capelllani et res ad sacrum Tribunal dilata est.

Auditus fuit Archiepiscopus et causa omnis IV capitibus collecta est. Promotor fiscalis petiit, ut, lite pendente, provideretur; et decretum fuit, ut *per modum provisionis et sine praejudicio jurium capellanorum missae applicarentur per capellanos, reservatis quoad eleemosynam eorum juribus usque ad exitum causae.* Difficultas omnis sedet in primo controversiae capite; disputant enim capellani onus hoc applicationis missae conventualis pro benefactoribus in genere tum ex antiqua ecclesiae consuetudine tum ex speciali Alexandri II. constitutione ad solos Canonicos spectare, cum ipsi solum possideant ea bona, quae collata in ecclesiam fuerunt a piis hominibus, quorum fuga temporis periit memoria, quique ea bona dederunt nullis oneribus adjectis; nam, quae ipsi possident capellani bona, sive a fundatoribus data sint pro dote capellaniarum sive ex unionibus pontificia authoritate factis in massam coaluerint, hoc onus respuunt, cum quaeque oneribus suis certis obnoxia sint. Neque enim Sacrum conventuale applicare tenentur capellani pro iis benefactoribus, qui certo numero Sacrorum constituto in fundatione capellaniae animae suae consuluerunt, ut tradunt *Monacell. formul. legal. in supple-*

*) Vd. p. 695.

ment. ad tom. 1 num. 238 pag. 25, Fargna de jurepatron. par. 2. can. 27. cas. 12. n. 10, ubi ita definitum refert ab hoc sacro Tribunali in *Squillacen. Missae convent. 24. Septembris anno 1712.*

Longe minus hoc contraxisse dicunt capellani ex unionibus factis authoritate Pontificum, cum ex iis non alia subire teneantur onera, quam ea, quibus res unitae gravabantur; ideoque, cum nec monachi monasterii s. Pantaleonis nec collegium capellanorum civitatis nec parochialium ecclesiarum parochi ad applicationem Sacri conventualis tenerentur, ut de his distincte tradunt *Pasqualig. de sacrif. nov. leg. tom. 2 quest. 885. n. 1. et seq., Ursaya discept. eccles. tom. 2. par. 1. discept. 32. per tot.* et sacrum hoc Tribunal in *Montis Flasconen. 12. Februarii 1718,* quod responsum refert sanctissimus Dominus Noster in opere doctissimo *delle feste de' Santi, e del s. Sagrificio della messa par. 2. scss. 2. num. 60. tom. 2,* sequitur inde, ut ne capellani quidem teneantur. Alia addunt capellani, neque enim animus est omnia excerpere, quae habent in eorum libello. Canonici nondum libellum jurium suorum dederunt. Haec sunt causae capita:

I. *An capellani beneficiati seu mansionarii ecclesiae cathedralis Lucanae teneantur applicare pro benefactoribus in genere missas conventuales, quas celebrant per turnum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An iidem beneficiati seu mansionarii teneantur etiam pro non applicatis in casu?*

III. *An ipsis beneficiatis seu mansionariis ultra distributiones assignatas omnibus de choro adstantibus eisdem missis conventualibus debeat eleemosyna pro dictarum missarum conventualium applicatione?*

Et quatenus affirmative,

IV. *An haec eleemosyna sit detrahenda ex massa communi et propria dictorum beneficiatorum seu mansionariorum seu potius ex distincta massa Canonicorum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et amplius.

Ad II: Ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

Ad III: Affirmative et amplius.

Ad IV: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 14. Mart. 1750.

XIII. Vicariorum praebendatorum Cathedralium.

Vd. *Applicat. missae conv.* (obligat. capellanor. p. 750; oblig. mansionar. p. 774; beneficiator. p. 785 et 789.)

Pius VII. fel. rec. apostolicis literis: *De salute animarum diei 16. Julii 1821* editis pro circumscriptione dioecesum in regno Borussico §. 11 constituit: Cathedralium ecclesiarum Trevirensis atque Paderbonensis respectivum capitulum constabit ex duabus dignitatibus..., octo canonicatibus nummerariis et quatuor canonicatibus honorariis atque sex Vicariis seu praebendatis. — Adsignavit insuper redditus quadam proportione cum dictis Canonicis tum Vicariis seu praebendatis. — Ab eo tempore missa conventualis celebrata fuit ordine praestituto tum a Canonicis tum a Vicariis, ita tamen ut Vicarii multo frequentius eam celebrarent et applicarent quam Canonici, isque alternativus ordo confirmatus deinde fuit capitularibus statutis ab Episcopo adprobatis.

Verum in Coloniensi provinciali synodo ultimis hisce annis celebrata de missa conventuali ita statutum est: Missa conventualis quotidie persolvatur et applicetur pro benefactoribus ecclesiae cathedralis et quidem per vices a Dignitariis et Canonicis, quippe quibus id ex beneficiis capitularibus canonica obligatione incumbit. — Transmissis laudatae synodi actis Romam pro ejusdem revisione s. Congregatio constituta super conciliorum provincialium revisione mandavit, ut post citationem concilii Tridenti in eo capite Coloniensis synodi adnotatam adjungeretur etiam encyclica Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas,**) in qua de obligatione missae conventualis a capitulis persolvenda magistraliter agitur. —

At post synodi Coloniensis celebrationem quaestio mota est:

An scilicet ad missam conventualem celebrandam et applicandam tenerentur tantum Dignitarii et Canonici, an etiam Vicarii in capitulo Paderbonensi? —

Rationes quae militabant favore Vicariorum.

Observabatur favore Vicariorum aequitati consonum non videri, ut Dignitarii et Canonici, qui fructus beneficii majores percipiunt, multo rarius quam Vicarii seu Praebendati,

*) Vd. *supra p. 695.*

qui minoris beneficii redditus percipiunt, missam conventualem celebrare et applicare teneantur, praesertim cum ipsimet Vicarii munere etiam exercendi animarum curam in cathedrali ecclesia fungerentur.

Neque obstare videbatur observantia et capitulare statutum ab Episcopo adprobatum, quod hoc onus Vicariorum confirmabat: namque capitulum facultatem non habet condendi statuta, quae licita non sunt nec honesta et sacris canonibus adversantia, maxime cum aliter in provinciali synodo fuerit statutum, quae particularem facit legem pro integra provincia. — Synodi enim provincialis est ea statuere, »quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus ecclesiae ministeriis, quae necessaria erunt, et si qua hujusmodi praescribere pro cujusque provinciae utilitate moribus certam cuique formulam videtur« — *Concil. Trident. sess. 24. de refor. c. 12. in fin. —*

Ea quae militabant favore Canonicorum.

Praemissa constitutione Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas,* qua legitur: Hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiae, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent et missam conventualem suis respective vicibus celebrant. Animadvertebatur, Vicarios, de quibus loquimur, choralibus beneficiis gaudere et partem integri capituli constituere; ideoque et ipsos ad celebrandam applicandamque missam pro benefactoribus in genere teneri. — Quod pluries etiam declaravit in similibus casibus s. Congregatio Concilii, ut videre est in *Auximana 16. Decembr. 1820.*

Caeterum cum praefata constitutio rationem, qua hujusmodi celebrandi et applicandi onus inter choro addictos distribui debeat, peculiariter non determinet, locus videbatur aperiri observantiae et consuetudini, si qua sit; maxime vero si observantia confirmata reperiatur capitularibus statutis ab Episcopo adprobatis, quemadmodum erui potest ex praxi, quam S. C. C. sequitur, ut videre est in *Pientina 17. Februari 1731,* et in *una Burgi S. Domini 16. Martii 1716**).

Neque de gravitate oneris conqueri posse videbantur iidem Vicarii: namque defectui reddituum provisum etiam est in dicta Benedictina constitutione, quae praecipit, ut eleemosyna missae conventualis ex massa distributionum desumatur. — Quod constanter secuta est s. Congregatio, ut in *Ferrarien. 18. Martii 1719,* in qua proposito dubio:

An pro eleemosyna dictarum missarum conventualium teneantur contribuere omnes constituentes corpus capituli sive sint sacerdotes sive diaconi sive subdiaconi et sive participent sive non participent de massa distributionum?

respondit:

Affirmative, sed ex massa distributionum.

Quare si ad tramites juris massa distributionum constituta esset, iidem Vicarii pro gravioris oneris ratione uberiora etiam emolumenta consequerentur.

Verum observabatur, praesenti quaestioni provisum jam videri. — Eadem enim quaestio definita fuerat in casu prorsus simili, proposito in *Monasterien. VV. SS. LL. die 6. Decembris 1846.* — De hujusmodi enim Vicariis vi earumdem literarum apostolicarum constitutis in renovatione capituli Monasteriensis propositum fuit dubium:

An Vicarii ecclesiae cathedralis monasteriensis missam conventualem pro benefactoribus gratis applicare teneantur seu potius illis pro hac applicatione stipendium debeatur a capitulo solvendum in casu? —

Et S. C. respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundum, ex massa conficienda prudenti judicio Episcopi per contributum ex redditibus omnium praebendarum.

Itaque propositum est dubium:

An et quomodo Vicarii ecclesiae cathedralis Paderbonensis celebrare teneantur missam conventualem in casu? —

S. Congregatio re discussa in comitiis diei 28. Januarii 1865 respondere censuit: Affirmative, constituta eleemosyna pro applicatione missae conventualis ex massa conficienda prudenti judicio Episcopi per contributum ex redditibus omnium praebendarum. —

Die 28. Jan. 1865.

Ex iis colliges:

I. Eos omnes, qui beneficium chorale possident quique ad corpus capituli pertinent, teneri ad missam conventualem celebrandam et applicandam pro benefactoribus in genere.

II. Distributionem autem dierum, quibus quisque ad eam celebrandam tenetur, maxime pendere ex invecta observantia statutisque capitularibus. —

*) Vd. *p. 673.*

III. In capitulis recentioris institutionis seu renovatis aequum esse ut omnes contribuant ex suis redditibus ad massam constituendam, ex qua eleemosyna missa conventualis decerpi possit. —

IV. Contributionis autem portionem remitti prudenti arbitrio Episcopi, qui aequa lance habita reddituum et qualitatum personarum ratione eam suo judicio determinat.

c) Obligatio non est applicandi.

Vd. *p. 680.*

I. Si non fuerit facta mentio de applicat. in fundatione?

Vd. *Applicat. missae conv.* (oblig. quotid. decr.: *Alexandrina* §: *Quoad I.* p. 780.)

II. In eccles. non vere cathed. vel collegiatis.

Vd. *Appl. missae conv.* (oblig. quotid., decr.: *Alexandrina* §: *Ab hoc* etc. p. 781; obligat. applicandi pro benef. non est p. 680.)

Encyclica Benedicti XIV.: Cum semper etc. quoad missam convent. respexit patriarchales et cathedrales ecclesias, *non vero parochiales et eas ecclesias, quae per abusum dumtaxat collegiatae nuncupantur**).

Die 16. Junii 1781. *Nullius Sublacen.*

d) Obligatio quotidiana.

Vd. *Missa convent.* (oblig. ad plures etc); *Applicatio missae conv.* (oblig. applicandi pro benefact. in gener. p. 674). *Constit. Bened. XIV. p. 695; p. 760 XI.*

Ariminen.

Cupiens sacerdos Fabricius Amatus, ut in oppido Labiniani Ariminensis dioeceseos, unde illi origo erat, ecclesia collegiatâ esset, testamento, quo decessit anno 1666, damnavit haeredem praestare clero saeculari ejusdem oppidi census haereditarios in sorte sc. 200, dato onere eidem clero multiplicandi fructus fructuumque fructus, donec fundari erigique possent quatuor canonicatus, quorum singulis annui redditus essent sc. 50; statuit onera Sacrorum, quae a Canonicis facienda essent, selegit pro ecclesia collegiata erigenda oratorium s. Josephi, quod erat de jurepatronatus laicorum, formam denique ac tempus eligendi Canonicos praefinivit, ut nempe electio gradatim et per vices fieri deberet, statim ac fructus ad certam summam pervenissent. Defuncto testatore clerus oppidi satius reputans si multiplicum protraheretur, donec uno eodemque tempore fieri posset quatuor canonicatuum erectio, et si Collegiata non in oratorio sancti Josephi, quod nimis angustum erat, sed in ecclesia s. Luciae parochiali ecclesiae s. Joannis annexa et aptior divinis officiis exequendis erigetur, preces obtulit sacro huic Tribunali, quibus postulavit, ut in his defuncti voluntas commutaretur, obtinuitque, quod postulavit, edito rescripto: *Pro gratia juxta petita, dummodo interim celebrentur omnes missae a testatore praescriptae, donec erigantur canonicatus.*

Alium interim canonicatum fundari voluit Angela Berloni, datis clero pro dote sc. 50; Petrus Franciscus Perticarius et duo sodalitia, quae in oppido sunt, obligationem susceperunt certam pecuniam singulis annis praestandi duobus mansionariis, qui eidem collegiatae ecclesiae servirent. Anno tandem 1739 parata omnia erant, ut Collegiata erigetur, sed impedimentum erectioni praestitit Archipresbyter parochialis ecclesiae s. Joannis, qui recusabat collegiatam in ecclesia s. Luciae, quae porochiali suae erat annexa; Archipresbytero sese adjunxit patronatus oratorii s. Josephi, qui renuebat, ut in oratorio Collegiata erigeretur. Res denique composita fuit Archipresbytero permittente, ut ecclesia s. Luciae in Collegiatam erigeretur, dum tamen ipse prima dignitas capituli et Collegiatae constitueretur et archipresbyteri titulum et curam animarum retineret omnesque fructus et redditus ejusdem ecclesiae s. Luciae perciperet. His conventis inter eum et clerum aditus fuit sacratissimus Princeps noster, et facta resignatione archipresbyteratus optimus Princeps ecclesiam s. Luciae constitutione sua in Collegiatam erexit, quam parochialem et matricem esse voluit eique praeesse Archipresbyterum tamquam caput et primam capituli dignitatem cum eodem titulo, cura animarum et redditibus ecclesiae s. Luciae: sex erigi jussit canonicatus, assignatis cuilibet annuis sc. 50 adjectaque lege, ut ex fructibus et redditibus solverentur a singulis annua sc. 16. 67. pro distributionibus quotidianis, quas lucrifacerent ii, qui choro interessent.

Erecta ab Episcopo Ariminensi exequutore literarum apostolicarum Collegiata in ecclesia s. Luciae plures ortae sunt controversiae inter capitulum et archipresbyterum, quas inter quae ad rem pertinet, est de Sacro conventuali. Episcopus Ariminensis motus epistola encyclica sacratissimi Principis nostri, quae hac de re tota est, fretusque decreto sacri hujus Tribunalis capitulo indixit Sacrum

*) Vd. *p. 695.*

conventuale pro benefactoribus in genere. Aegre id ferentes Canonici ad amplissimos Patres venerunt et obtinuerunt audiri, *non retardata tamen celebratione et applicatione.* Disputant itaque non teneri ad hoc Sacrum faciendum; Sacrum enim conventuale agi pro benefactoribus incertis et quorum periit memoria sublatis monumentis fuga temporis, ipsos vero certos habere fundatores certaque onera canonicatibus data in fundatione, ut novo hoc onere gravari non debeant: jus illud, quod, ut nemo ignorat, constitutum fuit ab Honorio Pontifice in cap.: *cum creatura de celebr. miss.,* locum habere posse in antiquis Collegiatis, diversum vero esse in novis, quarum Canonici ea tantum onera subire debeant, quae a certis earum fundatoribus data sunt, non vero teneantur ad Sacrum conventuale pro benefactoribus incertis, ut traditum est a *Barbos. ad concil. Trid. sess. 25. de ref. cap. 5. num. 7, Pasqualig. de sacrific. miss. quaest. 899. num. 2, Monacell. formul. legal. supplem. ad tom. 1. num. 239, Ursaya discept. eccles. tom. 3. part. 2. disc. 23. num. 71, Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. canon. tom. 2. in addit. ad tit. 4. n. 2. et tom. 3. in addit. 9. num. 16.*, et respondit hoc sacrum Tribunal in *Verulana Archidiaconatus 13. Julii 1748 ad dubium V.*, itaut, cum deficiat ratio, qua sacratissimus Princeps noster in epistola sua encyclica jussit ut Sacrum conventuale ageretur et applicaretur, deficere quoque debeat et cessare legis illius dispositio.

Quod si censeant amplissimi Patres teneri capitulum, subeundum hoc onus esse a solo Archipresbytero, qui redditus ecclesiae s. Luciae ab incertis benefactoribus donatos aut relictos percipit solus, praesertim cum redditus archipresbyteratus pingues sint et ad annua sc. 500 ascendant, contra vero redditus canonicatuum tenues, deductis enim oneribus et sc. 16. 67. pro distributionibus quotidianis quatuor primi canonicatus vix reddant annua sc. 2 . 33, quintus vero, qui gravioribus oneribus premitur, vix reddat sc. 20. Addunt Canonici, si forte capitulum ad Sacrum conventuale agendum teneatur, debere Archipresbyterum una cum Canonicis alternis vicibus et per turnum incipiendum ab Archipresbytero et prosequendum a Canonicis juxta ordinem antiquioris temporis, quo recepti sunt, Sacrum agere et applicare idque diebus tantum festis, ut postulant ob tenuitatem redditum canonicatuum et exiguo Canonicorum numero, quibus rationibus saepius id indulsit sacrum hoc Tribunal, ut in *Camerinen. Missae conventualis 22. Maji 1706 ad dub. II.*, in *Narnien. 11. Junii 1712*, in *Veliterna 14. Maji 1722*, in *Spalaten.**) *Applicationis missae conventualis 23. Julii 1729* et in *Amerina***) *Missae conventualis 12. Martii 1746;* ab Archipresbytero et promotore fiscali curiae episcopalis Ariminensis nihil habuimus. Quatuor sunt causae capita:

I. *An Canonici Collegiatae Sabiniani teneantur applicare quotidie missam conventualem pro benefactoribus in genere seu potius teneatur solus Archipresbyter dictae Collegiatae in casu etc.?*

Et quatenus affirmative ad primam partem et negative ad secundam,

II. *An Archipresbyter teneatur per turnum cum Canonicis celebrare et applicare missam conventualem, ut supra, et quomodo turnus sit servandus in casu?*

III. *An sit locus reductioni et quomodo in casu?*

IV. *An Archipresbyter et Canonici terrae Sabiniani teneantur pro tempore praeterito ad applicationem missarum conventualium in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II: Affirmative per turnum incipien. ab Archipresbytero.

Ad III: Pro gratia reductionis ad dies festos tantum attenta et perdurante tenuitate redditum.

Ad IV: Ad D. Secretarium, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 18. Sept. 1751.

Alexandrina.

Anno 1520 Julius Cardinalis Medices postea summus Pontifex renuntiatus nomine Clementis VII. apostolica auctoritate suppressit monasterium ordinis s. Benedicti situm in ea civitatis Alexandrinae parte, quae *Burgolium* vocabatur, ejusque redditus convertit in erectionem Collegiatae in ecclesia divo Petro Apostolorum principi dicata, ei-

*) Vd. *supra p. 760.*
**) Vd. *supra p. 761.*

dem Collegiatae nonnulla etiam beneficia partim liberae collationis partim jurispatronatus laicorum applicavit. Praeter Abbatem, cui jurisdictionem temporalem super clerum et populum tribuit, quatuor constituit dignitates et octo canonicatus, quatuor scilicet presbyterales, binos vero diaconales, totidem subdiaconales, cumque praebendae non essent sufficientibus redditibus ditatae idcirco illarum patronatum obtulit quibusdam familiis, quae earum dotem proventus pro triente saltem augerent.

Postea vero jussa s. m. Benedicti XIII. collegiata abbatia mensae episcopali Alexandrinae unita fuit, idque accidit anno 1728, quo tempore capitulum relicta veteri ecclesia divi Petri ad alteram s. Dalmatii appellari coepit. Decursu tamen temporis ob reddituum decrementum necesse fuit numerum tam Dignitatum quam Canonicorum imminuere, sed anno 1744 binis additis dignitatibus et quatuor canonicatibus defectus suppletus remansit, ita ut hodie capitulum ex quinque dignitatibus et novem canonicatibus constituatur. Nonnulla pro capituli regimine in ipsa erectione statuta fuerunt atque inter caetera canendi missam conventualem pro majori anni parte Dignitatibus injunctum et pro aliquot ferialibus diebus Canonicis presbyteris. Verum hujusmodi methodus circa finem praeteriti saeculi immutata asseritur atque deinceps praefinitum, ut Dignitates per turnum singulis diebus de praecepto et sex Canonici statuta quisque die per hebdomadam missam canerent.

At quoniam juxta hanc methodum onus canendi missam non omnes aeque subibant, ideirco in capitularibus comitiis anni 1764 decretum fuit, ut singuli Capitulares in conventuali Sacro canendo hebdomadam agerent. Missa tamen conventualis nunquam pro benefactoribus in genere fuerat applicata; quod quidem statim ac Episcopo innotuit, non destitit tum per synodales constitutiones tum per decreta visitationum pluries capitulum monere, ut illam ad formam Benedictinae constitutionis pro benefactoribus applicaret. Episcopi monitis et conscientiae stimulis excitati Capitulares preces exhibent, quibus postulant, ut ab hoc onere declarentur immunes vel saltem ad solos dies festos coerceatur et quoad praeteritum absolutio benigne impertiatur.

Quoad I. allegant immemorabilem consuetudinem non applicandi eamque resultare dicunt ex libris onerum missarum, in quibus applicatio nunquam adnotata deprehenditur. Hanc autem consuetudinem consonam esse statutis et constitutionibus capitularibus, cum in fundatione Collegiatae injuncta quidem fuerit celebratio missae conventualis, nulla tamen facta mentione de illius applicatione. Quare adigi non posse putant ad satisfactionem oneris, quod in fundatione Collegiatae injunctum non fuit, *cap. super quibusdam de verb. signif., Pit. discept. 61. num. 27. et 29.*

In omnem vero casum supplicant in II. dubio, ut illud ad solos dies festos coerceatur, cum Capitularium praebendae annua scuta 25 non excedant ac nonnullae etiam minorem reddant fructum et aliis missarum oneribus gravatae sint. Affirmant praeterea valde exiguas esse quotidianas distributiones, nam detractis anniversariis aliarumque missarum eleemosynis vix supersunt annua scuta 188, quae tamen summa inter quatuordecim Capitulares partienda saepissime magna ex parte erogari debet in restaurationem fabricae ecclesiae vel sacrorum utensilium comparationem, pro quibus nulli peculiares redditus sunt destinati. His ergo concurrentibus circumstantiis reductionem indulgere consuevisse ajunt s. Congregationem in *Veliterna 14. Martii 1722 ad III. dub.*, in *Spoletana 23. Maji ejusdem anni* et in *Camerinen. Missae conventualis 4. Junii 1760.*

Episcopus comprobata facti serie refert oratorum praebendas exiguo redditu ditatas esse et plurium missarum satisfactione sive distributive sive collective gravatas. Testatur praeterea, non levem pecuniarum summam fuisse impensam pro constructione novae ecclesiae, turris campanariae et caemeterii et pro supellectilium comparatione. Commendat Capitularium diligentiam in recitandis horis canonicis aliisque peragendis, quae propria munera respiciunt ac demum votum suum aperiens ait:

Ego vero, ut quod sentio promam, non equidem prorsus ab onere praedictam applicandi missam liberandos oratores censerem, sed habita narratorum omnium ratione missarum plus quam sexaginta partim votivarum partim de requie, quae jam canuntur ac plerumque exiguo nullove emolumento, atque etiam tot missarum lectarum, ut superius dictum est, moderationem eos ab apostolica benignitate mereri, ut nimirum festis tantum diebus de praecepto conventualem missam applicare teneantur, saltem donec benefactorum pietate Domino benedicente eo usque redditus capituli oratoris augeantur, ut Alexandrini pro tempore Episcopi judicio quotidiano ejusmodi ferendo oneri pares evaserint.

Canonici Cathedralium et Collegiatarum onus inhaeret non solum canendi in choro horas canonicas sed etiam missam conventualem quotidie celebrandi, prout statuit Honorius III. *in cap. Cum creatura de celebr. miss.*, ubi omnibus ecclesiarum Praelatis laudabilis hujusce disciplinae observantiam his verbis injungit: *Quidam in cathedralibus et conventualibus ecclesiis praetextu missae semel in die pro anniversario celebrandae Sacra missarum solemnia, quae ratione diei vel festi solent solemniter celebrari, culpabili negligentia praetermittunt, quasi non sint obligati Domino et quasi Dominus forte pro tantis obsequiis non sufficeret eis aequa vicissitudine respondere . . . . Mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiae obrepere permittatis, quominus et pro anniversariis defunctorum et pro festo vel feria secundum temporum congruentiam missarum solemnia conventualiter celebretis.*

Hujusmodi vero oneri nullimode adimpletur per solam missae conventualis celebrationem, sed requiritur etiam applicatio pro benefactoribus in genere, ut declaravit sacra Congregatio in *Squillacen. 17. Martii*, in *Camerinen. 9. Junii 1714*, in *Ferrarien. 18. Martii 1719* et in *Comen. 11. Maji 1720* et sa. mem. Benedictus XIV. in celebri constitutione: *Cum semper oblatas**) anni 1744 nedum resolutiones ab hac s. Congregatione editas apostolica auctoritate roboravit, sed insuper declaravit, *ut missa conventualis, quae singulis diebus canitur a choro praedictarum ecclesiarum,* (scilicet cathedralium et collegiatarum) *pro earundem benefactoribus in genere quotidie applicetur eodem prorsus modo, quo missam parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso singulis saltem diebus festis de praecepto applicari debere superius declaravimus.*

Ab hoc tamen onere eximuntur ecclesiae seu presbyterorum consortia, quae verae ac propriae Collegiatae non sunt et apostolica carent institutione, quemadmodum observat laudatus Pontifex Benedictus XIV. *instit. 107. §. 2. num. 15*, ubi ait: *Hoc tamen praecepto* (applicandi videlicet missam conventualem) *neminem unquam ecclesia fecit immunem ac liberum, nisi cum apertissime manifestum fuit, aliquam ecclesiam haud recenseri inter collegiatas, sed ut ajunt inter receptitias aut communales, quamvis in ipsa horae canonicae quotidie persolvantur et missa cum cantu habeatur.* Et rursus *in tract. de sacrific. missae lib. 3. cap. 8. num. 3.* haec habet: *Ab hoc autem onere implicandi quotidie missam conventualem eae tantum ecclesiae immunes sunt, in quibus non omnia concurrunt, quae Collegiatam constituunt, quamvis et divina officia quotidie celebrentur et missa cantetur.* Idque etiam censuit s. Congregatio in *Montis Falisci 12. Februarii 1718*, in *Nullius Trium Fontium**) *Missae conventualis 4. Aprilis 1722* ac in *Terracinen.* et *Privernen. 12. Novembris ejusdem anni.*

Certum est ecclesiam collegiatam ss. Petri et Dalmatii auctoritate apostolica fuisse institutam, id enim apertissime evincit actus fundationis jussu sa. mem. Leonis X. a Cardinali Medices expletus. Dijudicandum ergo: An saltem Capitulares exempti sint ab onere applicandi missam conventualem vel quia illam de praeterito nunquam applicaverint vel quia in bulla erectionis solum de celebratione missae, non autem de applicatione mentio habeatur.

Ad primum praestat animadvertere, quae in citata constitutione: *Cum semper oblatas* tradit laudatus Pontifex Benedictus XIV.: »*Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis etiam immemorabilis in propria ecclesia vigentis se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit hujusmodi consuetudinem licet immemorabilem neminem suffragari.*

Quo vero ad alterum *Monacellus in supplement. ad tom. 1. form. for. eccles. n. 239.* haec habet: *Quando ex lege et statuto fundationis constat de qualitate et quantitate servitii ecclesiae, de numero missarum et horarum celebrandarum a fundatoribus et benefactoribus praescripto, ex eo quia contraria apponere potuerunt . . . cessat dispositio juris communis et interpretandi ratio et lex fundationis ad unguem servanda est.*

Verum hujusmodi opinio non arridet *Pignatello, qui in consult. 324. tom. 1.* exi-

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *p. 683.*

stimat, Canonicos Cathedralium et Collegiatarum obstrictos onere celebrandi missam conventualem, teneri ad illius applicationem in suffragium benefactorum, etiamsi in erectione nullum verbum habitum fuerit de sacrificii applicatione pro benefactoribus. Et cohaeret *Ursaya discept. 32. num. 7. tom. 2. tract. 1.* et s. Congregatio in *Alexandrina 26. Aprilis 1653 lib. 19. decret. pag. 342.* atque in *Burgi s. Domini**) *Missae conventualis*, in qua cum Episcopus occasione s. visitationis injunxisset Canonicis ecclesiae cathedralis applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, conquesti sunt Canonici apud s. Congregationem, eo quia in fundatione onus tantummodo celebrationis, non autem applicationis impositum fuerit, propositoque hac de re die *16. Mart. 1716* dubio:

An sit onus capituli ecclesiae cathedralis quotidianae applicationis missae conventualis in casu etc.?

responsum fuit:

Affirmative; lib. 66. decret. pag. 225.

Verum si Canonicorum praebendae tenues vel plurium missarum oneribus gravatae reperiantur vel congruis non sint ditatae redditibus, indulsit laudatus Pontifex Benedictus XIV., ut reductio oneris missae conventualis ab hac s. Congregatione efflagitari posset, *cujus erit perspecto rerum statu auctoritate apostolica a praedecessoribus Nostris eidem impertita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere ad festos tantummodo dies reducere;* sunt verba saepius memoratae constitutionis: *Cum semper oblatas* §. *Alii.***) Hinc non desunt similium reductionum***) exempla in *Veliterna 14. Marti 1722*, in *Spoletana 23. Jul. 1729*, in *Ariminen. 18. Sept. 1751*,†) in *Alexandrina 28. Julii 1770* et *Cingulana 8. Augusti anni praeteriti.* Habenda proinde ratio est tum de redditibus ecclesiae collegiatae ss. Petri et Dalmatii tum de quotidianis distributionibus necnon de oneribus missarum et anniversariorum, quibus capitulum gravatur.

Denique quoad praeteritum ponderandum an bona fide excusari valeant Capitulares ut ex apostolica benignitate absolutionem mereantur. Hisce ergo perpensis dijudicandum erit:

I. *An capitulum collegiatae ecclesiae ss. Petri et Dalmatii civitatis Alexandrinae teneatur quotidie missam conventualem applicare pro benefactoribus in genere in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit concedendum indultum exemptionis ab onere applicationis missae conventualis in casu?*

III. *An et quomodo quoad praeteritum sit providendum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Dilata, et firmetur status.

Ad III: Ad eminentissimum Praefectum cum Sanctissimo.

Die 18. Dec. 1773 et 22. Jan. 1774.

Callien.

Ut celerius implerentur decreta sacri hujus Senatus, quibus jussum fuerat, ut capitulum ecclesiae cathedralis Calliensis singulis diebus Sacrum, quod vocatur conventuale, canere teneretur, donavit eidem capitulo Benedictus Lupertus Episcopus Calliensis die 28. Julii anni 1706 aurea quingenta, quorum redditus erogari perpetuo deberent in hanc dumtaxat causam Sacri conventualis dietim a capitulo agendi, quod applicari deberet pro benefactoribus in genere. Implevit hactenus capitulum et sacri hujus Tribunalis decreta et voluntatem Episcopi donatoris: cum autem onus hoc diutius non esse ferendum illi visum fuerit, postulat ab eminentissimis Patribus liberari ab onere applicandi singulis diebus Sacrum conventuale pro benefactoribus in genere.

Rationes, quae proponuntur, sunt:

Tenuitas quindecim praebendarum, quibus capitulum illud componitur; ut enim refert Vicarius apostolicus, cui, ut fieri solet, ab hoc sacro Senatu negotium hoc datum fuit, praebendae omnes quotidianarum etiam distributionum habita ratione vix reddunt annua scut. 336. 22, fructus vero annui, qui ex donatione Episcopi percipiuntur, attingunt summam sc. 16. 60; facta igitur partitione universorum reddituum in singulas praebendas inficiari nequit ita tenuem earum redditum esse, ut ex hac tenuitate justa

*) Vd. *p. 673.*
**) Vd. *supra p. 695.*
***) *Applicatio missae conv.* (obligationis reductio concessa p. 786.
†) Vd. *supra p. 778.*

proponatur causa postulandi oneris diminutionem; sicuti enim, ut locus sit oneri Sacri conventualis, non satis est agi de ecclesia cathedrali vel collegiata, sed opus est ecclesiam illam tot habere ministros, ut onus impleri possit, cum onus respondere debeat ministris, a quibus implendum est, ut late disserit *Pignatellus consult. 91. num. 1. vol. 4,* ita non satis est, ut agatur de obligatione vel a lege vel ab homine data, nisi tot praestentur redditus, qui satis esse possint iis, qui obligationem illam implere debent.

Accedit rerum similiter judicatarum authoritas et praesertim in capitulo collegiatae ecclesiae s. Mariae Majoris Bononiae, cujus redditus, licet essent in annua summa scut. 672, quae duplum excedit redditus ecclesiae cathedralis Calliensis, inopiae tamen et tenuitatis causa ademptum Canonicis fuit onus applicandi singulis diebus Sacrum conventuale pro benefactoribus in genere authoritate sacratissimi Principis nostri, qui tunc Bononiensis Archiepiscopus erat, ut ex constanti sacri hujus Senatus sententia, ut ipsemet dissertissime atque elegantissime explicat in suis *notific. vol. 5. par. 4. sect. 2. notif. 19. 19. num. 61. pag. 168. edit. Bononiensis.*

Judicium denique Vicarii apostolici capitulo favet, qui censet absolvendum quidem esse capitulum ab hoc onere, non tamen singulis diebus festis nec omnibus quatuor anni temporibus, festo s. Marci et diebus rogationum necnon die festo s. Gerontii protectoris civitatis, nam diebus hisce omnibus numeratis habetur numerus 102 atque ita fructus omnes donationis factae ab Episcopo Luperto habita ratione taxae Benedictinae in concilio romano integre erogari possunt in onus Sacri conventualis.

Atque his, quae a capitulo proponuntur, perpensis definiendum erit dubium:

An sit locus reductioni applicandi singulis diebus missam conventualem pro benefactoribus in genere in casu?

S. C. resp.: Negative et amplius.

Die 25. Jan. et 8. Febr. 1744.

Certum est et satis unicuique notum, quod ex sacrorum canonum dispositione Canonici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tenentur quotidie celebrare et applicare missam pro benefactoribus: *cap. Cum creatura de celebr. miss.* Hujus disciplinae observantiam enixe praecepit san. mem. Benedictus XIV. in constitutione: *Cum semper oblatas* *) §. *11.* Verum advertens, quod in aliquibus ecclesiis Canonici parum emolumenti perciperent tum ex praebendis tum ex distributionibus quotidianis, idcirco in eadem constitutione §. 19 decernit, ut, quatenus praebendarum inopiae occurrere non possit mediis praescriptis a s. concilio *sess. 24. c. 15. de reform.*, tunc habito ad sacram Congregationem recursu applicatio missae conventualis ad dies festos coerceretur.

Die 11. Jan. 1783. *Albinganen.*

e) Obligatio secundam et tertiam miss. conv. applicandi.

Vd. *Missa conv.* (oblig. ad plures, ad secund. etc); *p. 700* §. *20 etc.*

Tyburtina.

Ortis inter Episcopum Tyburtinum et capitulum cathedralis ecclesiae Tyburis pluribus controversiis, quae triginta novem dubiis sive capitibus complectebantur, optimum visum est sanctissimo Principi nostro, cognitionem illarum tot capitibus dubiisque involutam dare Congregationi particulari. Inter haec capita unum erat ordine decimum, quod ob quaestionis, quae in eo tractabatur, gravitatem dignum visum est, ut universo huic amplissimo Ordini definiendum proponeretur.

Quaestio est:

An Canonici cathedralis ecclesiae statis quibusdam diebus juxta rubricae praecepta duo triaque Sacra cum cantu agentes praeter illud, quod vocant Conventuale, teneantur omnia Sacra applicare pro benefactoribus in genere vel potius satis sit applicatio Sacri conventualis, ut hactenus ab ipsis factum est?

Primum voluit Episcopus, secundum intendunt Canonici.

Ajunt hi: Rubricam alterius Sacri celebrationem, non vero *applicationem* jubere; amplissimum hunc Ordinem ita rescripsisse anno 1727 ad postulata Episcopi Tyburtini, quae fecerat in relatione status ecclesiae: »Ita hactenus a tempore, cujus initium ignoratur, servatum fuisse, nec salva lege, quae a rubrica est, mutandas esse veteres ecclesiarum consuetudines. Praesertim cum haec omnia summa ratione statuta sint; ea enim est tenuitas reddituum capituli et onus im-

*) Vd. *supra p. 695.*

plendi tot Sacra ita gravè, ut impar sit omnibus agendis minuique potius quam augeri onera debeant, cum hujus tenuitatis reddituum causa non teneretur capitulum applicare diebus singulis Sacrum pro benefactoribus in genere, ut monstravit, ea, qua omnibus praestat, sacra jurisprudentia optimus sanctissimusque Princeps noster in suis *notific. vol. 5. par. 4. sect. 2. notif. 16. n. 61. pag. 158. edit. Bonon.*

Episcopus contra: Omne Sacrum, quod cum cantu in ecclesia cathedrali agitur, Conventuale censeri, ut est apud *Scarfant. ad Ceccoper. lib. 3. lucubr. tit. 4. sub n. 45. vol. 2.* atque ob id teneri Canonicos etiam alia Sacra, ut sit in Conventuali, applicare pro benefactoribus in genere, idque ita rescripsisse sacrum hunc Senatum in epistola data in *Brundusina 28. Febr. 1722* et ita respondisse in *Acerrarum 23. Augusti 1727 ad X. dubium*, ut in *thesaur. resol. s. Cong. vol. 4. pag. 104.* Sed haec responsa nihil obesse putant Canonici, quod data fuerint ob rationes particulares, quae in illis speciebus locum habebant, longe vero absint ab hac controversia; tenues enim redditus canonicatuum immunes eos reddere ab hoc onere.

Haec in Congregatione particulari proponebantur: observandum tamen est in illa *causa Acerrarum* ita expressum fuisse dubium:

An dicti Canonici ultra missam conventualem teneantur quoque celebrare missam de feria et an dictam missam conventualem teneantur applicare pro benefactoribus, sive potius sit servanda consuetudo?

Responsum vero fuisse ab hoc amplissimo Ordine:

Affirmative quoad primam et secundam partem et negative quoad tertiam,

ut facile cognoscatur responsum hoc ad rem nostram non pertinere, cum ab hoc sacro senatu non fuerit responsum: Teneri Canonicos *applicare* missam de feria, sed dumtaxat jusserit *celebrationem*, quod implere non renuunt cathedralis ecclesiae Tyburtinae Canonici. Illud etiam monendum est tenuitatem redditum liberasse Canonicos ab onere applicationis in *Camerinen. Missae conventualis 24. Augusti 1743 vol. 12. thes. resol. s. Congr. pag. 156*, in qua proponebatur quartum dubium:

An in Vigiliis, in quibus duplicantur vel triplicantur dictae missae cantatae, sint omnes applicandae vel una tantum in casu?

responsumque fuit:

Affirmative, sed in casu, de quo agitur, attenta tenuitate redditum ex gratia concedendum esse, ut una tantum applicetur.

Videant igitur omnibus perpensis eminentissimi Patres, qua juris ratione definiendum sit dubium:

An ultra applicationem missae conventualis pro benefactoribus applicari etiam debeat pro eisdem secunda et tertia missa pariter conventualis aliquando canenda ad praescriptum rubricae in casu?

S. C. resp.: Ad mentem.

Die 9. Maji et 13. Junii 1744.

Tabella onerum missarum ecclesiae metropolitanae Ferrariae decimo loco describat onus secundae et tertiae missae conventualis, quae, mandante rubrica, sunt celebrandae; non abs re erit referre, quid de illarum celebratione et applicatione mandat san. mem. Benedictus XIV. in constitutione: *Cum semper oblatas; §. 22.**) ait ipse: *Nos ita judicamus idque vobis tenendum indicimus, laudandos nempe et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque missae conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur.*

Die 19. Julii 1783. *Ferrarien.*

Santandarien.

Praeter missam conventualem pro benefactoribus in genere juxta encyclicam Benedicti XIV. alteram ex propriis constitutionibus celebrare tenetur Santandariensis Cathedralis capitulum, ubi ex rubrica occurrit; sed cautum in illis non est de hujus secundae missae *applicatione*. Qua de re ab immemorabili tempore applicari consuevit pro benefactoribus in specie. Verens Episcopus, ne id recte fieret, capitulo inhibuit, quin ultra elapsum annum 1791 absque Sedis apostolicae declaratione aut facultate, assuetam

*) Vd. *p. 700.*

faceret illius applicationem. Propositam declarationem vel facultatem postulat capitulum eique Episcopus ipse ob relativam praebendarum tenuitatem in haec favet verba: Annuus praebendarum redditus, comprehensis distributionibus ad ratam monetae romanae est ejusmodi: Decanatus habet 368 ducata auri de camera; unaquaeque ex quatuor reliquis dignitatibus 287, singuli Canonici 215, portionarii 143, denique capellani 71: Qui omnes redditus tenuissimi sunt attenta rerum caritate. Quapropter aequum censeo, ut s. Congregatio votis capituli satisfacere dignetur.

Dum secundam capitulares constitutiones praescribunt missam conventualem in genere, in genere etiam pro benefactoribus voluisse censentur illius applicationem. Aliter vero suadere videretur Benedictina encyclica,*) nam liberam relinquit secundae missae applicationem, ubi applicari non consueverit, ut in nostro themate, pro benefactoribus in genere. En ejus verba: »Nos ita judicamus, idque vobis tenendum indicimus, laudandos nempe et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant. Qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque missae conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur.« Pontificia autem haec encyclica, licet ad Episcopos Italiae directa, vim fortasse ex identitate rationis habet in Santandariensi etiam dioecesi; nam eadem ibi est naturalis obligatio erga benefactores in genere, et ubi eadem militat ratio, eadem militare debet dispositio, *leg. fin. ff. de rit. nuptiar., Rot. in recen. decis. 136. num. 11. part. 7. et cor. Veri dec. 12. num. 19.*

Quoties vero, non obstante consuetudine applicandi secundam missam in specie, obstrictum censeretur capitulum ad eam applicandam in genere, deliberandum adhuc esset, num permitti ei debeat, quod usu recepit. Pluries hac de re in s. Congregatione actum refert Benedictus XIV. sub §. 21 ejusdem encyclicae receptamque sententiam levandi capitula, quorum tenues essent praebendae, ab onere applicandi secundam et tertiam missam pro benefactoribus in genere. Quales autem sint Santandariensis capituli praebendae, jam ex ore Episcopi notatum est in facto. Haud quidem videntur tenues, sed attento regionis more rerumque caritate eas Antistes ipse appellat tenuissimas, tenuitate scilicet relativa, quam etiam aestimandam censet *Rot. coram Duran. decis. 98. n. 10.* Exemptionis exemplum est in *Reatina 3. Februarii 1753* pluribusque aliis.

Quaeritur itaque:

An et quomodo sit applicanda secunda missa conventualis in casu?

S. C. resp.: Affirmative juxta consuetudinem.

Die 14. Jan. et 3. Mart. 1792.

Teneri capitula Cathedralis et Collegiatarum nedum ad applicationem missae, quando haec a rubrica praescribatur, statuit *Gavant. thesaur. s. rit. part. 1. tit. 3. 4. et 5, Fagnan. in cap.: Cum creatura lib. decret. tit. de celebrat. miss. num. 21*, et definivit sacra Congregatio in *Accerrarum dici 23. Augusti 1727 ad XII. dub.* et in *Balneoregien. Missae parochialis et conventualis diei 8. Julii 1713 ad I. et III. dub.*, verumtamen justa subeunte causa exempta esse capitula ab hoc onere definivit s. Congregatio in *Placentina 30. Julii anni 1785* et in *Setina Chori et missae conventualis 21. Januarii 1786.*

S. m. Benedictus XIV. definivit in constit.: *Cum semper oblatas edit. die 19. Augusti anni 1744 scilicet: Laudandos et confirmandos, ut supra.*

Die 17. Sept. 1814. *Aretina.*

f) Omissa applicatio.

Vd. *Missa convent.* (omissa); *p. 760. XI.*

Quoad missas non applicatas s. Congr. Conc. in *Balneoregien. 9. Augusti 1713 ad 2. dub.* respondit, quod Canonici singuli tenentur a die adepti canonicatus satisfacere missas conventuales non applicatas. Et in *Comen. 11. Maji 1726 ad 2. dub.* eadem s. Cong. respondit, quod parochus applicare debet missas parochiales, quas omisit.

g) Origo.

Celebrandae applicandaeque missae conventualis origo repetenda est a primis usque ecclesiae temporibus, quibus in sacris dypticis nomina eorum describebantur, qui sua

*) Vd. *p. 695.*

liberalitate cujusvis ecclesiae patrimonium auxerunt, iis non exclusis, qui, licet sua bona offerrent, non requisiverant tamen ut aliquae pro iis preces funderentur. Cum porro horum diptycorum usus sensim exoleverit perieritque ideo memoria benefactorum, ecclesia tamen eorumdem non oblita conventualis missae pro benefactoribus in genere celebrationem in cathedralibus et collegiatis ecclesiis imperandam esse censuit. Prostant decreta tum Innocentii III. in *cap. Dolentes*, tum Honorii III. in encyclica ad omnes ecclesiae Praelatos *in cap.: Cum creatura de cel. missarum;* nullaque consuetudine obliterari eam obligationem posse respondit s. Congregatio *in Tusculana 16. Novbr. 1692 lib. 19. decret. fol. 210.*, et ut caetera omittantur *Bened. XIV. in suis encyclicis literis: Cum semper oblatas**) tum dictae celebrationis necessitatem instauravit tum qualiscumque etiam immemorabilis contrariae consuetudinis excusationem proscripsit §. 14. et 16.

Die 8. Julii 1786. *Lunen. Sarzanen.*

Horae canonicae quotidie in choro persolvendae atque etiam missa conventualis singulis diebus pro benefactoribus in genere applicanda. Etenim, scribit Benedictus XIV. in constit.: *Cum semper oblatas §. 14:* »Servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina sacris dipticis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio numquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur tum etiam missae sacrificium offerretur . ., licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Et quamvis sacrorum hujusmodi diptycorum usus sensim defecerit, non idcirco, pergit idem Pontifex, fast est deserere usum et disciplinam orandi pro iis et sacrificium missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.«

Die 18. Augusti 1827. *Nursina.*

h. Reductio.

I. Causae.

Vd. *Applicat. missae conv.* (oblig. in dieb. festis etc. p. 760; reductio concessa; non concessa); *Missa conv* (reductio); *Missa* (reductio).

Sacrae hujus Congregationis sententia est reducendi applicationem missae conventualis ad dies festos tantum de praecepto, quoties praebendarum redditus impares sint ad hoc onus ferendum, prout definitum fuit in *Veliterna ad III. dubium 14. Martii 1722*, in *Spalaten**) *Missae conventualis ad I. et II. dubium 23. Julii 1729*, in *Amerina***) *Missae conventualis 12. Martii 1746*, in *Alexandrina Missae conventualis 23. Novembris 1776*, in *Placentina****) *Missae conventualis 1. Martii 1777* et in *Thelesina*†) *Missae conventualis 19. Julii 1777.*

Die 7. Julii 1781. *Ilcinen.*

In receptitia ecclesia Casalis novi sex sunt beneficiati et Archipresbyter, qui principalem curam habet animarum, qui, licet choro non inserviant, tamen consuetudine missam quotidie conventualem celebrant. Ob reddituum tenuitatem et ecclesiae qualitatem reductionem missae conventualis implorat Archipresbyter et assecutus est ad dies festos per vices. *Cassanen. Missae conventualis et pro populo 22. Nov. 1794 dub. 1.*

II. Reductio concessa.

Vd: *Applicat. missae conv.* (oblig. in dieb. festis etc. p. 760.)

Aretina.

Praescripsit prosequens in constitutione sa. mem. Benedicti XIV. incipien: *Cum semper* Episcopus Aretinus capitulo et Canonicis collegiatae ecclesiae s. Agathae terrae Asciani et imperavit, ut Sacrum agerent quotidie *pro benefactoribus.* Onus hujusmodi grave nimis existimarunt Canonici tum propter tenuitatem reddituum ecclesiae tum etiam ob pervetustam consuetudinem onus illud non ferendi. Supplices proinde adierunt felic. record. Clementem XIII. petentes absolutionem ab applicatione quoad praeteritum omissa, et omnimodam imposterum ab hoc onere exemptionem vel saltem illius reductionem ad dies tantum festos. Precibus ad sac. Congregationem remissis auditoque bis Episcopo nunc ea res judicio subjicitur EE. PP.

Praecipua oratorum excusatio ex reddituum tenuitate desumitur. Ducto quippe calculo fructuum unicuique ex Capitularibus obvenientium subductisque oneribus inquiunt in utilitatem Praepositi vix superesse annua scuta 61. 70; in compendium Archipresbyteri autem scuta 32. 35, singulos vero quatuor Canonicos de massa accipere tantum sc. 19. 85, comprehensis tamen quotidianis distributionibus. Has autem summas percipi, affirmant, ratione quotidiani servitii, quod praestant choro, et ex causa rursus administrationis curae animarum, quae per turnum, singulis nempe sextis hebdomadis, a quolibet ex Capitularibus exercetur.

Addunt incommoda caritatis annonae, tenuissimae missarum taxae coelique intemperiei. Unde inferunt, incongruum esse, ut Capitulares novo quotidianae applicationis onere graventur, cui ferendo exigui capituli redditus impares comperiuntur.

Quod vero respicit omissam tempore praeterito Sacrificii applicationem, excusatione se dignos esse Capitulares existimant, tum ob expositam reddituum tenuitatem tum et maxime ob bonam fidem, in qua hucusque fuerunt, quum nulla in actu erectionis Collegiatae Canonicis injuncta appareat obligatio missam conventualem applicandi, et emolumenti tenuitas praesumptionem induxerit non injunctae applicationis, cui illud non respondebat, ob necessariam proportionem, quae intercedere debet inter emolumentum et onus, *Roland. consult. num. 7. in fin. lib 3, Rot. coram Molin. decis. 84. num. 13.*

Episcopus Aretinus in utraque sua relatione confirmans, quae a capitulo et Canonicis de reddituum quantitate asseruntur, ipsorum petitioni favet. Addit praeterea, nihil de erectione dignitatum et canonicatuum posse affirmare, cum nulla in Collegiatae illius libris extet de erectione memoria, nulla apud incolas loci traditio et neque in tabulario episcopali vetus aliquod monumentum appareat, cum desint scripturae ante annum sexcentesimum septuagesimum, quo infelici incendio omnes conflagrarunt. Advertit tamen, ex reddituum inopia id evenire, ut, cum aliquis canonicatus vacare contingat, nullus inveniatur, qui illud assequi cupiat. Incolae enim Ascianenses admodum rari sunt ad munus idonei; advenae autem a caelo in salubri non immerito deterriti domicilium eo in loco constituere recusant.

Saepius sacra Congregetio declaravit, quod Canonici Cathedralium et Collegiatarum teneantur quotidie missam pro benefactoribus applicare, non obstante reddituum tenuitate aut quavis contraria etiam immemorabili consuetudine. Resolutiones hac super re editas videre praestat in *Ferrarien. 18. Martii 1719. ad I. dub.*, in *Squillacen. 17. Martii*, in *Camerinen. 9. Junii 1714*, in *Veliterna 14. Martii 1722. ad II. dub.*, quas omnes confirmavit sa. me. Benedict. XIV. in sua constitut.: *Cum semper*, anno 1744.*)

Verum ob reddituum tenuitatem, si annua scuta 30 non excedant, reductionem ad dies tantum festos de praecepto indulgendam censuit sacra Congregatio in *Veliterna 14. Mart. 1722. ad III. dub.*, in *Spalaten.***) *23. Julii 1729. ad I. et II. dub.*, quod quidem probavit etiam laudatus Pontifex in relata constit.: *Cum semper §. 19.*, cui postea inhaerens sac. haec Congregatio saepissime hunc reductionis modum probavit et praesertim in *Amerina****) *12. Mart. 1746.*, in *Ariminen. 18. Septemb. 1751.*, et alibi passim.

Saepius pariter actum est de praetermissa quoad tempus praeteritum missae conventualis applicatione. In citata Ariminen. s. Congregatio reductioni indulgens adita clausula »*perdurante tenuitate reddituum,*« quoad omissam pro tempore praeterito missae applicationem respondit: *Ad D. Secretarium, facto verbo cum Sanctissimo.* Die tamen *2. Decembris 1718* denegavit reductionem, quam per supplicem libellum Canonici collegiatae ecclesiae s. Nicolai terrae Meldulae postulaverant, et quoad praeteritum rescripsit: *Quoad praeteritum consulant conscientiae suae.*

In praesenti itaque disputatione consideranda praecipue est redditum tenuitas, et num ea tanta sit, ut locum faciat reductioni ad solos dies festos. Quo vero ad praeteritum statuatur oportet, num bona fides Canonicos possit excusare, praesertim postquam prodiit vulgatissima constitutio sa. me. Benedicti XIV. *Cum semper*, de qua mentio superius habita est.

Vestrum itaque est Emmi P. P. declarare:

I. *An capitulum et Canonici terrae Asciani teneantur applicare missam conventualem pro benefactoribus in casu etc.?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus illius reductioni in casu etc.?*

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *supra p. 760.*
**) Vd. *supra p. 762.*
***) Vd *supra p. 763.*
†) Vd. *supra p. 764.*

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *supra pag. 760.*
***) Vd. *supra pag. 761.*

III. *An et quomodo pro tempore praeterito sit providendum in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: *Affirmative.*

Ad II.: *Affirmative ad formam constitutionis san. mem. Benedict XIV. »Cum semper.«*

Ad III.: *Ad D. Secretarium cum Sanctissimo.*

Die 18. Novbr. et 16. Decbr. 1769.

Mazarien.

Vd. *Mazarien.* p. 800.

Parochialis ecclesia sub invocatione s. Nicolai Barensis oppidi Salem Mazarien. dioecesis anno 1801 a s. m. Pio VII. in Collegiatam erecta viginti quatuor constat Capitularibus, scilicet Archipresbytero, unica dignitate, quatuor supra decem Canonicis et novem beneficiatis. Archipresbytero cura imminet animarum eique suppetias ferre obstringuntur Canonici, quorum praebendae nulli sunt juripatronatus subjectae, omnes propterea tenentur singulis diebus debitisque temporibus missae conventuali interesse ac divina officia recitare et psallere ac processionibus . . . similiter interesse. Erectionis tempore satis amplo fruebatur censu collegiata ecclesia; nam singulis annis Archipresbyter percipiebat scut. 414, Canonici scut. 85, beneficiati scut. 27. At pluribus abhinc annis praebendarum redditus, qui ex decimis et primitiis constituuntur, tum ob vilescens frumenti pretium tum ob exactionis difficultatem adeo decreverunt, ut anno 1824 Archipresbyter scut. 35, singuli Canonici scut. 16 et beneficiati scut. 15 lucrati fuerint. Preces itaque huic s. Congregationi Canonici porrexerunt, ut applicatio missae conventualis ad solos dies festos de praecepto reducatur, aliis vero diebus celebrationi missae conventualis adesse tantummodo Capitulares teneantur.

Rogatus Episcopus de informatione et voto memoratam reddituum imminutionem transmisso statu activo et passivo plene confirmat atque insuper animadvertit de tempore fundationis dictae collegiatae ecclesiae: frumentorum quantitas fuit quotannis in salmis biscentum triginta considerata; ast temporum injuriae paulatim et praesertim novissimis hisce temporibus, quibus frumenti pretia diminuta, segetem quoque imminuerunt et ex nova judiciorum forma exigendi difficultas est adaucta. Qua de re factum est ut praeterito anno tota frumentorum massa ad salmas octuaginta ascenderit et sexta pars fructuum scutorum triginta quinque monetae romanae valorem producens nullo modo sufficeret ad onera solvenda, quae summam capiunt unciarum septuaginta sex monetae Siculae, inter quae tamen missae conventualis onus non adnumeratur.

Infelix istius collegiatae ecclesiae status me praeterito anno coegit, ut clericos chori servitio addictos ad duos tantum reducerem, presbyteros vero ad sex, tria item beneficia minora unum vacans et duo ex primis vacaturis ad tempus suspenderem, annuum quoque salarium ipsius Collegiatae officialibus assignatum diminuerem; ex quibus omnibus summam scut. 95 collegi eamque cum dicta sexta parte pro oneribus Collegiatae adimplendis constituta atque cum aliis sex partibus pro distributionibus assignatis cumulandam judicavi ad effectum, ut solutis prius Collegiatae oneribus in dictis unceis septuaginta sex ea, quae superessent, in distributionibus impenderentur.

Quae cum ita sint, nec meliori pro sequentibus annis spe affulgente, sententiam meam capituli voto conjungens Canonicorum precibus obsequendum existimarem et missam conventualem, de qua agitur, ad septennium reducendam, tradita, si opus fuerit, dioecesis Ordinario gratiam moderandi facultate, prout temporum circumstantiae expostulaverint, nisi aliter EE. VV. Rmis visum fuerit.

Canonicorum preces repellendas profecto suaderent sacri canones, quibus cavetur, ut in ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus missa conventualis qualibet die nedum celebretur, verum etiam pro benefactoribus in genere applicetur, *cap. Cum creatura de celebr. miss.*, quamvis ex canonicatuum praebendis tenues percipiantur fructus, *Fagnan. in cap. Ut Abbas de actat. et qualit. n. 84*, s. Congr. in *Corcyren. Missa conventualis 8. Maji 1824* §. *Conventualis;* siquidem missa conventualis veluti divini officii pars habetur, *cap. de his dist. 2. Gloss., in Clem. de celeb. miss.*

Verum si post cathedralis vel collegiatae ecclesiae erectionem redditus sine possessorum culpa valde decreverint nullaque subsit ratio eos augendi, reductionem applicationis missae conventualis ad solos dies festos de praecepto, celebrata aliis diebus missa conventuali cum interventu capituli, saepius concessit haec sacra Congregatio ac praecipue in *Amerina**) *Missae conventualis 12. Martii 1746. et in Massanen. Reductionis onerum 14. Decembris 1822. ad II. dubium.* Hisce enim reductionibus viam straverat Benedictus XIV. in notissima encyclica: *Cum semper oblatas***) §. *19.* inquiens »Si verum designatam a concilio (Tridentino *sessio 24. cap. 15.* ad levandam canonicalium praebendarum inopiam) viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem concilii recursum habere, cujus erit perspecto rerum statu auctoritate apostolica a praedecessoribus nostris eidem impertita et a nobis etiam praesentium tenore confirmata quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere ad festos tantummodo dies reducere.«

Videant itaque Emi Patres, utrum oratoribus, qui ne viginti quidem scutata singulis annis ex canonicali praebenda in praesens lucrifaciunt, indulgenda sit missae conventualis reductio ob redditum tenuitatem. Sane haec s. Congregatio tenues censuit reditus ac reductionem impertivit, si annui fructus non excederent scut. 30., uti in *Placentina****) *Missae conventual. 18. Septembris 1779.* et in *Alben. 8. Febr. 1785*, et aliquando etiamsi ad scut. 80. pertingerent, uti in *Massanen. Reductionis onerum 14. Decembr. 1822.*

Igitur dirimendum proponitur dubium:

An et quomodo sit locus reductionis applicationis missae conventualis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi ad septennium

Die 18. Mart. et 22. Apr. 1826.

Signina.

Novam in oppido Vallis Montana Signinae dioeceseos collegiatam ecclesiam literis diei 5. Martii 1638 Urbanus VIII. Pontifex constituit, cujus servitio novem Canonicos cum Archipresbytero praeter alios sive mansionarios sive beneficiatos adscripsit. Unusquisque Canonicus horas quotidie tam diurnas quam nocturnas psallendi, missam conventualem aliaque sacra officia juxta ecclesiasticas leges celebrandi onere gravatur. Sua cuique praebenda sexaginta prope scutatorum quotannis symbolam repraesentat, quae, licet non semper integra singulis annis pro temporum varietate percipiatur, plerumque tamen, ducto per decennium calculo, in hanc annuam pecuniae vim coalescit. Diligentibus vero Canonicis scutata sex distributionum titulo quotannis accrescunt. Centena Sacra annuatim Domino offerenda praebendae unicuique inhaerent, praeter duas defunctorum missas cum cantu et absolutione, quibus et totum Capitulum adstare tenetur, et eleemosyna scut. 1. 25. hodie tribuitur, quae jam sc. 3. pro quolibet sacro complebatur. Major haec eleemosyna una cum sorte scut. 1500, qua canonicatum constituebat, cum locorum montium redditu perciperetur, Gallorum infesta occupatione deperiit; quare decima nunc praebenda caeterarum novem fructibus adhuc perseverat. Omnes quoque Capitulares conventualium missarum prope quadraginta simul onere premuntur, necnon quatuor mortuorum cum cantu et absolutione et quinque lectarum, quae omnia quibusvis annis sunt adamussim litanda.

Septem modo Capitularium servitio choris satisfit; Archipresbyter enim animarum curae, qua ex primaeva institutione gravatur, plerumque debet interesse; ex binis vero Canonicis alter insanabili morbo laborat, alter indulto gaudet jubilationis. Quare diuturno chori servitio imminutisque praebendarum redditibus tria haec Capitulares efflagitant; primum, ut, dum caeteri choro intersunt, duobus per turnum frui liceat trium mensium vacatione, quam Tridentini PP. unicuique capitulo indulserunt, donec omnes hoc beneficio potiantur; alterum, ut ab onere officium defunctorum, psalmos poenitentiales et graduales juxta rubricae leges certis diebus recitandi liberentur; postremum, ut unam tantum ex pluribus missis conventualibus, quae aliquoties tam de festo quam de feria canendae occurrunt, applicare pro benefactoribus obligentur.

Excellentissimum Principem Aloysium ab Auria collegiatae ecclesiae patronum quid de hoc sentiret sciscitatus Episcopus Capitularium votis haud abnuentem invenit; imo haec addentem animadvertit »sarà della sua prudenza e saviezza, apporre all' indulto da con-

*) Vd. *supra p. 761.*
**) Vd. *p. 695.*
***) Vd. *supra p. 766.*

seguirsi quelle riserve e cautele, che stimerà più convenienti al buon servizio della chiesa, ed a tener lotani gli abusi, che potrebbero derivare da una tal concessione.« Votum vero suum aperit Praesul amplissimus his verbis: Quoniam exiguus admodum est Canonicorum numerus, expedire mihi non videtur, ut ipsorum preces totaliter exaudiantur ex parte. Bonum scilicet mihi videtur, ut in qualibet hebdomada nonnisi unus ex Canonicis per turnum et alternatim dispensetur a choro, incipiendo ab Archipresbytero usque ad novissimum. Caeterum impossibile videtur, quod gaudeant singuli vacatione a choro per tres menses in singulis annis, quin ecclesiae servitium maximum patiatur detrimentum.« Reliquis vero Capitularium petitionibus indulgens de postrema haec subjicit: »Aequum videtur, ut habeant a S. C. facultatem satisfaciendi huic oneri per applicationem unius missae dumtaxat, remanente tamen onere cantandi omnes praefatas missas, idque in perpetuum.«

Et quoad primum petitionis caput, quod a Canonicis profertur, duabus potissimum causis illud inniti videtur; quarum altera in diuturnitate choralis servitii consistit gravi equidem ac laboriosa, altera vero in imminuto praebendarum redditu versatur. Prior sane causa ac ipsis Tridentinis patribus probata videtur, dum *sess. 24. cap. 12. de ref.* per tres cujusvis anni menses canonicatus, praebendas, portiones ac dignitates obtinentes a choro abesse permiserunt, necnon ab iis juris interpretibus, qui hoc decretum vim suam exercere putant, etiam cum constitutiones ecclesiae totius anni servitium requirant, *Barbosa in C. Trid. h. l. numer. 64, Garcias par. 3. de beneficiis cap. 2. numer. 311 et 312, Reiffenstuel de cler. non residen. §. 4. numer. 121.* Hi enim omnes nimium duram totius anni residentiam existimantes, ut aliquid juxta humanam fragilitatem corporis ac animi recreationi non concedatur, *uni Astoricen.* confidunt, cui S. hunc O. rescripsisse referunt, decreto Conc. Trident. supradicto Canonicis trium mensium absentiam concedi, si ecclesiae constitutiones totius anni servitium imponant.

Huic tamen sententiae aperta refragari Conc. Trident. verba videntur, quae Canonicis trium mensium vacationem indulgent *salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* Praeterquam quod enim illud certum sit Canonicos debere longiori tempore quam eo a Conc. Trid. praefinito ecclesiae suae servitio fungi, si suis constitutionibus ad illud obligentur, *Barbosa par. 3. de off. potest. episc. alleg. 53. num. 116.* et *Fagnanus in c. Licet num. 51. de praebend. et sign.*, testetur s. hanc C., dum ipse vivebat, semper gratiam denegasse vacationis trium mensium, ubi longiori tempore Canonicos divino servitio mancipatos invenit; adest in casu consuetudo, quae constitutiones capituli Vallis Montanae ita est interpretata, ut illud singulis diebus absque ulla intermissione choro obligaret. Hujus igitur quaenam sit vis perpendent EE. VV. Illud tantum adjiciendum puto, esse ad duos menses indultum vacationis concessum in *Atrien. 19. Decembris 1722* ad normam *Farfen. 13. Novembris 1655*, cum Canonici assiduum chori servitium praestare solerent atque ad novem menses illud coarctari exoptarent. Ex quibus sane responsis non inconcinne concludi posset tunc solummodo majorem vacationem denegari, cum capituli statutis longius servitium, quam quod Trid. dispositionibus cautum sit, requiritur, et simul anni pars aliqua ab onere chorali vacua conceditur. *Reiffenstuel. l. cit. n. 119. et 120. et omnes dd. cit.*

Alteram vero causam, quae reddituum imminutione fundatur, legitimam sane apparere, ostendunt s. hujus Cong. decreta in *Romana 18. April. 1722.* et in *Cathacen. 5. Sept. 1799.* Cum enim oneri emolumentum debeat respondere, (S. C. Conc., in *Veliterna Servitii chori §. Factum)* factum saepe est ut ob reddituum exiguitatem majora illis onera reducerentur; quod ob tenues distributiones in una *S. Severini 15. Julii 1725.* contigit, et ob distributionum, quae vix duos quotidie obulos singulis Canonicis praeberent, et praebendarum simul inopiam in *Alexandrina Servitii chori 17. Aprilis 1790* concessum est. Quapropter recte distributionum suarum in annua scut. 6 tenuitatem ac novam praebendae unius deperditioni reparandae suis fructibus obligationem alligare videntur Vallis Montanae Canonici ut aliquo tempore a chorali gravamine liberentur. Idque consonum indulto in *cit. Alexandrina* concesso videtur, quod duobus anni mensibus Capitulares abesse permisit, quamvis more ab initio saeculi XVII. introducto chorali muneri quotidie satisfacerent.

Ast in his rebus divini cultus ratio probe habenda est, qui eo magis promovetur, quo plures in choro divinae psalmodiae assistunt (cap. 12. de constit. §. Verum), quique non promovetur, si e septem choro addictis vel unus quotidie Canonicus dematur, praecipue cum missae conventualis aliorumque cum cantu Sacrorum urget celebratio. Neque illud etiam praetermittendum est in una *Civitatis Castellanae 27. Junii 1807* veluti congruum scut. 30 emolumentum ab hoc S. O. habitum esse, quod singulis Canonicis obveniebat, ut eorum preces rejicerentur, quae choralis alterni servitii quaeque octo super octoginta missarum sive conventualium sive ex legato celebrandarum efffagitabant reductionem. Quod si chorale servitium EE. PP. reducendum putaverint cavendum est, ne adventus et quadragesimae temporibus ac festis anni principalioribus extendatur juxta perpetuam S. hujus C. praxim, prout in *d. Atrien.* et *Alexandrina* atque in caeteris hujusmodi concessionibus habetur.

Alterius, quam petunt, gratiae causam prope nullam, praeter nimium quod e longa divini officii perduratione oriri solet incommodum, Capitulares adducunt. Num ea cum redditum imminutione ac onerum frequentia conjuncta ac secundo Episcopi voto corroborata dispensationi taliusmodi obtinendae sufficiat, pro ea qua pollent prudentia PP. EE. definient. Officium defunctorum, psalmos graduales ac poenitentiales certis aliquot diebus recitari in choro s. Pius V. constit. *Quod a nobis* decrevit et s Rituum Congr. in *Suessana 28. Januar. 1806.* respondit: Ni recitent choro addicti haud ipsos peccare; eadem S. C. in *Barchinonen. 10. Januar. 1806* definivit. Placuit quoque S. huic C. eamdem obligationem psalmos poenitentiales, graduales, officium B. M. Virginis et defunctorum recitandi ad normam bullae s. Pii V. in ecclesia Suessana statuere *(18. Aug. 1708);* quum enim ejusdem obligationis pars quadragesimali tempore compleatur, maximum robur ex eo acquirere videtur, quod quadragesima in vacationis a choro indultis semper excipiatur. Caeterum haud indecorum, ut Canonici hac obligatione liberentur, exinde colligi poterit, quod in iis locis, in quibus neque lex creationis neque statutum neque consuetudo est psalmos poenitentiales aut graduales diebus in rubrica praefinitis recitandi, Canonici compelli non possunt ad hujusmodi recitationem uti *Fagnan. Presbyter n. 32. de celeb. missar., Monacell. in formul. leg. form. 2. tit. 13. n. 1.* et S. C. *Mont. Alti 28. Sept. 1754.*

Easdem, quas attulimus in 1. dubio, causas, ut unius tantum conventualis missae applicationem, ubi plures eodem die celebrandae sunt, obtineant, proferunt Capitulares. Et revera spectata praebendarum tenuitate missae conventualis festis tantum diebus coarctatam fuisse applicationem patet *ex Veliterna 14. Martii 1722, necnon Spoletana ejusdem anni 19. Decembris dub. 3.* et *Placentina 30. Julii anni 1775.* et *Setina Chori et missae conventualis 21. Jan. 1786.* Tenues autem eae censentur praebendae in materia hujusce applicationis, quarum redditus annua scut. 30 non excludit *(Firmana Missae conventualis 30. Novembr. 1793.)* Unde quum ea in causa Canonici 64 scutata libere quovis anno perciperent ac spem haberent brevi ad centum usque nummos praebendas suas fore augendas, applicationi conventualium missarum in feriis quoque celebrandarum coacti sunt. Jampridem enim constit. Bened. XIV., quae incipit: *Cum semper oblatas**), onus conventuales missas pro benefactoribus applicandi, etsi plures eodem die occurrant, firmatum erat, cui permulta S. hujus C. placita sunt conformata. Tale est in *Balneoregien. Missae paroch. et conv. 19. Aug. 1713. dub. 4.* et in *Burgi s. Domini Missae conventualis 16. Maji 1716. dub. 6.* Quare nonnisi evidens praebendarum paupertas potuit Capitulares plurium conventualium missarum applicatione eximere, ceu e S. C. responso in *Camerinen Missae conventualis 24. Augusti 1743* demonstrat; Canonicis enim aliis scut. 20, aliis vero scut. 6 redditum afferentibus, ut hanc veniam obtinerent, proposito dubio, quod numero quartum est: *An in vigiliis, in quibus duplicentur vel triplicentur dictae missae cantatae, sint omnes applicandae vel una tantum in casu?*

rescriptum fuit:

Affirmative, sed in casu, de quo agitur, attenta tenuitate reddituum ex gratia concedendum esse, ut una tantum applicetur.**) An igitur Vallis Montanae capitulo annuendum sit, inspecto reddituum statu ac personarum conditione erit EE. dispicere, praecipue cum ex vetustissima s. hujus Ordinis regula caetera potius onera et chorale pensum quam Sacrorum applicatio reducantur.

---

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *p. 803 n. VII.*

Animadvertendum tandem est non semper septem Canonicorum numero actu choro inservientium Vallis Montanae capitulum concludendum fore, quare proponuntur dubia:

I. *An et quomodo et ad quod tempus Vallis Montanae Canonicis concedenda sit a choro vacatio in casu?*

II. *An et quomodo indulgendum sit capituli precibus quoad psalmos poenitentiales et graduale et ad officium defunctorum, in casu?*

III. *An et quomodo annuendum sit oratorum precibus quoad reductionem applicationis missae conventualis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad duos menses sive continuos sive interpolatos exceptis diebus festis solemnioribus, tempore adventus et quadragesimae de licentia Episcopi et dummodo non absint ultra tertiam partem.

Ad II: Negative et servandam esse consuetudinem.

Ad III: Affirmative.

Die 16. Decb. 1837. et 17. Febr. 1838.

Mazarien.

Extat in oppido Castriveterani Mazariensis dioecesis collegiata ecclesia sub invocatione s. Petri apostoli, in qua primae et secundae erectionis Canonici reperiuntur. Primae quidem erectionis praebendae jam ab anno 1657 institutae fuerunt a quadam praenobili muliere Stephania de Aragona y Cortes, prout manifestum apparet in literis apostolicis Alexandri VII. diei 28. Martii ejusdem anni; aliae vero deinde primis adjunctae, cum Canonicus Bernardus Graffeo anno 1708 duos novos canonicatus instituit iisdem legibus, redditibus et oneribus, quibus primi gravabantur. Uti ergo primis ita novis Canonicis impositum fuit onus tum servitii choralis tum missae quotidianae, (ex speciali obligatione a fundatoribus imposita) annuo constituto redditu unciarum 24 (scutat. 57. 60; tribus enim scutatis singulae unciae respondent, idcirco scutatis 2. 40.) cuique Canonico, quarum duodecim pro chorali servitio, et aliae duodecim pro missa quotidiana ut supra adsignatae fuerunt.

Non semel obortae sunt quaestiones tum super debito applicationis memoratae missae quotidianae tum etiam super ejusdem reductione; iis tamen omissis praemonendum est, hanc sacram Congregationem rogatam a capitulo super missarum reductione ob redditus temporum injuria imminutos die 11. Julii 1846 rescripsisse: »Demptis duodecim unciis pro onere servitii choralis pro reductione missarum ad manualem juxta vires et ponatur in tabella.

Jam vero anni praeterlapsi die 15. Novembris sacerdotes Alexander Messina et Joseph Montesanto Canonici binas possidentes praebendas a Graffeo fundatas supplicem huic sacrae Congregationi libellum exhibuere, quo praemonentes redditus suarum praebendarum ita esse imminutos, ut sibi haud salvae maneant duodecim unciae pro servitii choralis onere a s. Congregatione statutae, liberi adeoque sint a missis ad manualem, ut supra, reductis, Eminentias Vestras rogarunt, che avuto riguardo alla misera tenuità delle prebende, alla restrizione dei tempi alla pecunia, ed al caro prezzo dei viveri e delle vestimenta, vogliano moderare l' obbligo applicationis missae conventualis, qua in propria hebdomada ipsi Canonici Graffeo una cum aliis Canonicis gravantur, ordinando di restar essi e loro successori Canonici dell' eredità Graffeo tenuti alla semplice presenza nelle loro rispettive eddomade. Missam proinde conventualem praedicti Canonici celebrare parati essent, liberam tantum sibi applicationem exoptantes, ut ex eleemosynis aliunde procurandis tenuitati reddituum suarum praebendarum remedium suppeditare valerent. Qua in re consentientes sibi caeteros Canonicos esse professi sunt.

Cum, hujusmodi acceptis precibus, ad Mazariensem Episcopum scriptum fuerit, ut referret de earumdem veritate, de praesenti annuo redditu et oneribus utriusque praebendae necnon de resultantibus ex resolutione sacrae Congregationis diei 11. Julii 1846 et de legitima reductionis causa, Episcopus literis 15. Aprilis decurrentis anni mandatis obsequens H. S. O. retulit, Canonicos praefatae collegiatae ecclesiae obtinuisse in virtù della prelodata risoluzione che in di loro vantaggio sieno prelevate onze dodici annuali mon. sic. per distribuzione corale, dovendosi però destinare il di più, se ne rimanesse, ad applicarne messe, che sono i due pesi imposti loro dal fondatore, restando fermo l'obbligo della messa conventuale, che sono tenuti celebrare a turno. Addit deinde

che la prebenda degli oratori Messina e Montesanto è meno delle onze dodici, di che godono gli altri, non percependo altro ciascuno di essi due che la misera somma di onze 6. 5. pel servizio corale, ed onze 2. 13. per elemosina delle messe conventuali. Ed in considerazione di ciò si fanno umilmente a supplicare il s. Padre di dispensarli dall' applicazione del sacrifizio, restando a di loro vantaggio le onze 8. 18. La domanda a me sembra ragionevolissima molto più ne' tempi attuali, ne' quali i viveri di prima necessità si comprano a caro costo, e le onze 8. 18. non bastano ne pure a provvedere di sole vestimenta un individuo, che è destinato per tutto l'anno al servizio della chiesa; e per tali riguardi sarei di sommesso avviso potersi secondare la dimanda, dando ai due Canonici oratori il solo peso dell' applicazione di una sola messa per l'anima del fundatore.

Profecto de oneribus agitur in fundatione impositis, quae caute custodienda et religiose adimplenda sunt. Quod si sacra Congregatio justis de causis et praesertim ob imminutionem reddituum, qui pares non amplius sint oneribus sustinendis, indulgere solet, ut missae in fundatione statutae quandoque reducantur, ceu prae aliis adduci valeret memorata Mazarien. 11. Julii 1846 in II. dubio super reductione petita a Canonicis ejusdem collegiatae ecclesiae s. Petri, difficiliorem tamen se constanter praebuit, quoties ageretur de reductione missarum conventualium: hujusmodi siquidem missae pro benefactoribus a Canonicis applicari debent ex justissimo pietatis officio, quod non facile remittendum est, ad tradita per Benedictum XIV. in celeberrima constitutione: *Cum semper oblatas.**)

Quoniam vero, ut laudatus Pontifex habet inst. 107. n. 15, ratione paupertatis habita, (ecclesia) permisit diebus solum festis celebrari pro benefactoribus generatim Sacrum conventuale, quod esset quotidie faciendum, idem Pontifex ob tenuitatem reddituum missas conventuales ab hoc sacro Ordine auctoritate apostolica eidem a summis Pontificibus impertita et ab ipso in memorata constitutione confirmata ad festos tantummodo dies reduci posse declaravit et constituit. Et reapse concessis facultatibus non semel usa est sacra Congregatio, quae inter tenues augendos canonicatuum redditus, ubi alia non supperet media a ss. canonibus praescripta, non raro missarum conventualium, .servatis tamen diebus festis, reductionem concessit, ceu videre est, omissis antiquioribus, in *una Campanien. 24. Aprilis et 26. Junii 1857,* in qua proposito dubio super praefata reductione Conventualis: An scilicet et quomodo concedenda foret, responsum prodiit: Affirmative juxta modum, nempe quoad missas conventuales dierum tantummodo ferialium. Ad hujusmodi vero reductionem obtinendam tenues in genere censeri solent praebendarum redditus, qui, demptis oneribus, 30 scutata non excedant, ut sacra Congregatio censuit in *Amerina 18. Septembris 1751;* in *Taurinen. 10. Julii 1790* et in *Camerinen. 14. Decembris 1793.* Atqui in themate redditus praebendarum Graffeo non modo praedictam summam non praetergrediuntur, sed scutata 20 ne quidem attingunt. Quodque etiam notatu dignum est, duo Canonici oratores Graffeo nonnisi applicationem memoratae missae conventualis sibi relaxandam rogant, cum ipsi conventualem, licet cum libera eleemosyna, se in collegiata ecclesia in eorumdem hebdomada celebraturos fore promittant, ne caeteri Canonici ex petita reductione graventur vel ecclesiae decus ac divinorum officiorum cultus detrimentum patiantur. Cujus distinctionis exemplum ab hac ipsa s. Congregatione datum fuisse videtur in *Massanen. 14. Dec. 1823 ad II. dubium.*

Quatenus ergo oratorum precibus annuendum censuerint Emmi Patres, videant utrum in omnibus in votis vel Canonicorum vel saltem Episcopi concedendum sit, cum primi plenariam exemptionem ab applicatione Conventualis exorent, Episcopus vero unam tantum missam pro fundatoris anima loco conventualis celebrandam iisdem injungendum esse censeret: qua in re sedulo attendendum videtur ad superius allata restrictionis verba Benedictinae constitutionis, ad festos tantummodo dies et ad disciplinam hujus sacri Ordinis, a quo plenariam exemptionem unquam concessam fuisse nullibi in thesauro resolutionum invenire datum est, ceu habetur in *una Civitatis Plebis**) *Missae conventualis 24. Aprilis 1830.*

Illud tandem in more hujus sacrae Congregationis positum est, ut reductiones missarum, praesertim vero conventualis, nonnisi ad tempus plerumque elargiantur, veluti col-

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *supra p. 773.*

ligendum prostat ex cit. *Massanen. 14. Dec. 1822*, in qua reductio cohibita fuit ad decennium, et ex *Ariminen. 18. Sept. 1751*, in qua rescriptum fuit: Pro gratia reductionis ad dies festos tantum, attenta et perdurante tenuitate reddituum.

Hisce breviter adnotatis dignentur EE. PP. dirimere dubium:

An et quomodo concedenda sit reductio applicationis missae conventualis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad dies festos de praecepto tantum ad decennium, si tamdiu etc., facto verbo cum SSmo.

Die 20. Decembris 1862.

S. Hippolyti.

Quum an. 1857 Episcopus s. Hippolyti in Austria inferiori morem constitutioni Xisti V.: *Romanus Pontifex* diei 20. Decembris 1585 gerens quadriennalem suae dioecesis relationem perfecisset, innotuit H. S. C. in illiusmodi cathedrali ecclesia officium divinum nonnisi ex parte quotidie persolvi et missam pro benefactoribus non applicari. Quapropter eadem H. S. C. Kalendis Julii 1859 jussit, ut Canonici Cathedralis transmisso libello efflagitarent absolutionem pro praeteritis omissionibus et veniam pro conservanda in posterum eadem consuetudine. Cui quidem mandato obsequentes Canonici haec ad adstruendam pervetustam consuetudinem tamquam rationabilem et confirmatione dignam exposuerunt.

Neostadiensi episcopali sede una cum capitulo ad s. Hippolyti civitatem ex bulla sa. me. Pii VI. diei 29. Jan. 1785 translata nova Cathedralis juribus et oneribus capituli Neostadiensis, quod an. 1468 primum a Paulo II. erectum subversum fuerat an. 1490 in bello ungarico et restitutum translatumque, deinde ad ecclesiam s. Udalrici iterum evanuerat an. 1531, ut accederet bonis mensae episcopalis cladem passae a Turcarum armis, tandem an. 1693 ab Antistite Royas de Spinola excitatum conflatumque fuit ex beneficiis natura et origine sua simplicibus, quibus proinde neque choralis officiaturae neque missae conventualis applicationis onus inhaerebat. Neque ex nova erectione illiusmodi beneficia indolem immutarunt, cum erigens Antistes spondere beneficiatis debuerit,

1 ut officia fundationibus inhaerentia intacta remanerent,

2 ne circa chorum novum onus etiam in futurum imponeretur, nisi quod jam antea libere susceperant, nocturnum scilicet quotidie in ecclesia communiter recitandi.

Quae conditiones in praxim deductae fuerunt usque ad praefatam translationis epocham, qua translati Canonici auctoritate Episcopi Henrici de Kereus moti in eo ad commune praescriptum magis accesserunt, quod bis in diem choro adessent, ut ante meridiem Primam et Tertiam, post meridiem vero vesperas et completorium psallerent vel canerent diebus festis et aliis diebus, quibus et alii clerici choro adesse solerent. Missae tamen conventualis applicatio numquam assumpta fuit.

Sed praeter canoniae originem jugemque observantiam obstitit integro persolvendo officio exiguus septem Canonicorum numerus, qui praeterea diversis aliis praepositi officiis sunt: obstitit defectus reddituum, quibus vicarii chori et cantores remunerari queant. Quibus innixi Canonici s. Sedem exorarunt »*pro gratia approbationis consuetudinis pervetustae in hoc capitulo vigentis in choro nonnisi partem officii divini persolvendi ac libertatis ab onere missam conventualem pro benefactoribus ecclesiae cathedralis applicandi.*

Acceptis hisce precibus Episcopum de more rogavi, ut transmissa particula statutorum ad rem faciente referret super bono jure, sin minus super legitima concessionis causa deque annuo redditu et oneribus praebendarum canonicalium comprehensis distributionibus doceret ac suum votum panderet. Quibus satis Episcopus faciens retulit super bono jure et legitima concessionis causa, vix aut ne vix quidem exemptionem ab integro persolvendo officio probari posse, tum quia refertur in quodam scripto, cui titulus *Casus*, intentionem Episcopi praedicti fuisse, ut Canonici ad integri officii recitationem obligarentur, idque a Canonicis revera Episcopum exegisse. Quod confirmari subdidit ex ejusdem Episcopi literis die 20. Januarii 1692 ad Viennae Nuntium datis, quibus significatur, una cum canonicali dignitate onus quotidiani et perpetui officii adjunctum novis Canonicis fuisse. Accedit Pontificis insequentis anni 1693 responsum, qui gratulabatur de invecto more officium decantandi. Accedunt tamen pastorales ejusdem Pontificis

literae, quibus singuli Canonici praefatae Cathedralis ad chorum obligati renunciati fuerunt. Propositum itaque infert Episcopus Royas fuisse ut integrum persolveretur officium, sed Canonicorum tergiversationibus factum esse, ut idem Episcopus onus chorale quotidianum ad unum nocturnum, vesperas et completorium reduceret. Quod in consuetudinem abiit, donec primus Sanhippolytanus Episcopus literis die 27. Maji 1785 conatus est Canonicos adigere ad matutinum, vesperas et completorium quotidie decantandum. Cum autem id grave nimis prae exiguo Canonicorum numero eorundemque variis officiis deinde agnovisset, onus chorale iterum redegit, ut Tertia, Vesperae et completorium decantarentur exceptis vigiliis pro defunctis cum requiem, in quibus Prima et Tertia praetermitti valeret; in feriis vero etiam Prima recitaretur, matutinum vero in Nativitatis pervigilio, in hebdomada majori et infra octavam Corporis Christi psalleretur. At Episcopus successor an. 1801 constituit, ut recitanda simpliciter forent completorium quotidie, excepta quadragesima, in officiis vero ferialibus et semiduplicibus etiam Tertia et vesperae ac tandem in officio Cleseliano laudes servata consuetudine in diebus festis.

Circa consuetudinem, quae actu viget, ait in festis de praecepto decantari Tertiam, vesperas et completorium, matutinum vero in vigiliis Paschatis et Nativitatis necnon in Coena Domini, feria sexta in Parasceve et Sabbato sancto; in reliquis diebus Primam, Tertiam, vesperas et completorium vel recitari vel decantari, si pars junior cleri adsit: in vigiliis omnium defunctorum matutinum pro defunctis cantari omissis Prima et Tertia, uti etiam omittuntur, quando ex fundationibus matutinum defunctorum sit persolvendum. Quam quidem praxim concludit Episcopus commendari a parvo Canonicorum numero, ab Episcoporum concessionibus, a defectu dotis pro constituendis chori vicariis: *ut adeo* (sunt verba Episcopi) *sancta et apostolica Sedes gratiosissime in posterum ratam habere dignetur ego ipsissime deprecor.*

Quoad missam conventualem animadvertit nullum suppetere documentum comprobans Episcopum Royas, qui caeteroquin obligationem integri persolvendi officii a Canonicis exegit, celebrationem illius missae praescripsisse; quod pariter affirmandum ait de primo Sanhippolytano Episcopo: nullum praeterea subdit adesse vestigium, quod in facto unquam celebrata fuerit; ac usum tantummodo adesse ut post chorum missa praecinatur, quin tamen applicetur. Infert igitur obligationem missae conventualis neque ex primaeva beneficiorum indole neque ex lege erectionis Cathedralis Neostadii neque ex consuetudine scatere nec noviter induci posse ex praescripto constitutionis Benedicti XIV. pro Italia tantum, ut ait, proclamata. Ideoque confidit, fore, ut sancta Sedes ab eadem applicatione suum capitulum etiam in posterum eximere velit.

De annuo tandem canonicatuum redditu refert singulos Canonicos 107 scutata romana, Dignitates vero scutata 166 percipere. Sed cuique praebendae addit inesse onus annuum 128 missarum necnon publicum vectigal pro imperio, pro provincia ac pro municipio, quod singulis Canonicis imponit summam florenorum sexaginta ac septuaginta Dignitatibus. Addit distributiones quotidianas nullas esse in capitulo Sanhippolytano neque communem existere capsam, ex qua stipendium pro missa conventuali depromi valeat, dum econtra eleemosynae et symbolae pietatis vel humanitatis causa frequentiores largioresque a Canonicis prae eorumdem dignitate exiguntur, adeo ut pauca supersint ad honestam eorum substentationem, attenta praesertim victualium aliorumque vitae mediorum caritate necnon publici aerarii angustia, quae capitularis dotis augmentum sperare non sinit. Adjecit praelaudatus Episcopus particulam constitutionum capitularium, quae a prioribus duobus Sanhippolytanis Episcopis inductae dicuntur quaeque superexpositae consuetudini quoad divini officii persolutionem omnino respondent. Atque hisce absolvantur facti circumstantiae, quibus praesens controversia dirimenda proponitur.

Notissimum in jure est, unumquodque beneficium propter officium conferri, officium vero beneficiorum Cathedralium vel Collegiatarum in chorali servitio consistere nemo est, qui nesciat. Clemens namque V. in concilio Viennensi inter caetera diserte sanxit »*ut in cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis locis debitis devote psallatur.*« Quod munus singulis personaliter incumbere declaravit Tridentina synodus *in sess. 24. cap. 12. de reform.* necnon Benedictus XIV. in constit.: *Cum semper oblatas**) *19. Aug.*

*) Vd. p. 695.

1744, in instit. 107. §. 1. et in *synod. dioeces. lib. XIII. cap. 12.* firmavitque S. C. in *Setina Chori 21. Januar. 1786* ac in *Bituntina Servitii chori 15. Septembris 1770.* Quantopere vero ecclesiae semper interfuerit, ut singuli Canonici hujusce munere integre fungerentur, late demonstrant canones, quibus idcirco residentia beneficiatorum praescripta fuit, necnon multae et praemia, quae punctaturae sive fallentiae vulgo audiunt, constituta, ut desides punirentur ac diligentes remunerarentur. Atque ecclesia Neostadii in Cathedralem vix erecta statim ejusdem beneficia evehebantur ad canonicalem dignitatem, cujus substantiale extremum est, ut beneficiato stallum tribuat in choro officii solemniter peragendi causa; ideo dubitari nequit ejusdem capitulo ea omnia esse propria, quae hujusmodi instituto essentialiter ex legis sanctione insunt. Nec alia revera videtur fuisse mens erigentis Episcopi Royas, qui integram officii choralis satisfactionem a beneficiatis exegit. Quin obsit primaeva beneficiorum simplicitas vel quaevis conditio in erectionis limine a beneficiatis adjuncta: illa enim evanuit statim ac beneficia ad canonicalem dignitatem evecta naturam immutarunt, haec vero prouti juri communi et canoniae indoli contraria veluti non adjecta censenda videtur.

Si igitur chorale officium ipsam instituti naturam afficit, capituli constitutiones et Episcoporum concessiones minime illud subvertere aut diminuere valebant, quippe quae juri communi derogare numquam possent. Multo autem minus id praestaret asserta consuetudo, quae incideret in censuram constitutionis s. m. Pii IV.: *In Principis Apostolorum* quamlibet consuetudinem concilio Trid. contrariam nullam et irritam declarantis, ceu monet Bened. XIV. *inst. eccles. 60. num. 7.* Hinc *Barbosa de offic. et potest. Episc. alleg. 33. num. 131. 133.* pluribus allatis auctoritatibus tradit: »*Canonici et qui dignitates obtinent in ecclesiis cathedralibus et collegiatis etiam seclusa consuetudine vel statuto . . . tenentur psallere in choro . . . Omnibus diebus et horis debent Canonici interesse . . . et non possunt juvari aliqua consuetudine quin teneantur omnibus septem horis inservire.*« Sacra autem Congregatio constanter exemptionem ab officio chori denegavit, quae consuetudini licet pervetustae et immemorabili inniteretur, ceu exempla prostant in *Setina 21. Januar. 1786*, in *Albanen. 1789* ac in *Ariminen. Servitii choralis 13. Septembris 1862.*

Neque aliquid petitae exemptioni conferre videtur exiguus Canonicorum numerus vel tenuis praebendarum redditus prae necessariarum rerum caritate et diversis Canonicorum officiis et oneribus. Septenarius enim numerus adeo exiguus censendus haud videtur, ut par ad chorale munus obeundum non sit. Exiguitati vero reddituum facile occurri poterit juxta Tridentinae synodi praescriptionem *in sess. 24. cap. 15. de reform.*, quod scilicet »*liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis* (praebendis) *unire vel si hac ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quorum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere*«. Cui quidem praescripto adhaesit praxis H. S. C. ceu in *Caesenaten. 25. Sept. 1728* et in *Zamoren. 19. Apr. 1738.* Ne vero Capitulares propter alia officia plus nimis a chori servitio distrahantur, immo ut facilius ad servitium alliciantur, consuli facile poterit per quotidianas distributiones, quae in capitulo Sanhippolytano instituendae omnino videntur. Tridentinum namque concilium eas vel ad debitam quantitatem augendas vel de novo inferendas absolute praescripsit cuivis capitulo in *sess. 21. cap. 3. de reform.* Cujus canonis observantiam nunquam confirmare desiit H. S. C. uti in *Cattaren. 13. Febr. 1841*, in *Tridentina 3. Apr. 1841, Monasterien. Visit. ss. LL. 1845, Tergestina 23. Nov. 1850.*

Quoad missam vero conventualem pronum jam esset inferre ex ipsis superexpositis unicuique Canonico pariter eam incumbere. Ea enim est divini officii pars, immo praecipua, ad quam horas canonicas ordinari liquet *ex cap.: Cum creatura de celebr. missae, Gavant. in rubr. miss. tom. 1. part. tit. 7. rub. 2,* s. Congr. in *Mazzarien. 18. Martii 1826* §. *Canonicorum**) et in *Terracinen. seu Privernen. Missae conventualis 15. Sept. 1827.* Diserte vero illiusmodi obligationem in casibus propositis S. C. decrevit quotidie esse explendam, uti in *Camerinen. 6. Junii 1705 et 5. Junii 1706, Tusculana 21. Apr. 1708, Montis Falisci 12. Febr. 1718, Fundana 13. Septembr. et 2. Octobr. 1721*, quod explicita lege deinde sanxit Benedictus XIV. in percelebri constit.: *Cum semper oblatas*, qui praeterea

*) Vd. *p. 788.*

addidit quod »*excusationes ad declinandam quotidianam missae conv. applicationem pro benefactoribus in genere provide e medio sublatae fuerant*«. Hinc nihili faciendam esse contrariam consuetudinem constituit ibidem laudatus Pontifex, uti jam antea declaraverat s. Congr. in *Squillacen. 17. Mart. 1714, Camerinen. 9. Junii 1714, Ferrarien. 16. Mart. 1719* ac alibi pluries. Circa reddituum vero tenuitatem sapienter ipse Pontifex monuit in praefata constitutione §. 19: *Tridentina quidem synodus sess. 24. cap. 15. opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congr. Concilii recursum habere, cujus erit perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a praedecessoribus nostris eidem impertita et a nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere ut alias ad festos tantummodo dies reducere*«. Quin immo quoad ipsam reductionem S. H. Congregatio, quam numquam concessisse omnimodam exemptionem in thesauro resolutionum reperitur, difficilem semet praebuit, aliorum onerum reductionem potius quam Sacrorum indulgens, uti habetur in *Signina 16. Dec. 1822.* Nec mirum; quandoquidem seclusa communi massa eidem applicationi tamquam oneri beneficio adnexo etiam sine eleemosyna satisfieri a singulis debere tradunt *Pignatell. tom. 1. consult. 321. num. 1. et seq., Ursaya tom. 2. p. 1. disp. 32. num. 7. seq.*

Hae quidem sunt circa petita generales juris dispositiones. Attamen perpendendum videtur, quod chorale onus est veluti correspectivum canonicalis honoris et utilitatis, cui si aliquando illud haud respondeat, aequitati consonum esse videtur, ut congrue etiam reducatur. Hinc eadem S. H. C. non dubitavit in variis casibus et pro peculiaribus circumstantiis generalem juris sanctionem emollire. Aliquando etiam vacationes duorum vel trium mensium concessit Canonicis, qui caeteroquin quotidie nullo excepto anni tempore ad chorum tenebantur, uti in *Atrien. 29. Novembr. 1722* et alibi; aliquando attenta reddituum tenuitate vel locorum difficultate vel aeris inclementia et remanente sufficienti Canonicorum numero chori servitium ad turnum per mediarias vel ternarias redigit, uti in *S. Severinae 13. Jul. 1735,* in *Tranen. 22. Novembr. 1738,* in *Civitatis Castellanae Reductionis 6. Augusti 1808,* in *Bituntina Servitii chori 15. Sept. 1770, Firmana Servitii chori 4. Aug. 1817, Conversana Servitii 20. Dec. 1834.* Alias etiam servitium chori reduxit ad dies festos tantummodo, exceptis tamen adventus ac quadragesimae temporibus necnon solemnioribus quibusdam diebus, ut in *Ferentina Servitii chori 2. Aug. 1782,* in *Cathan. Servitii chori 5. Sept. 1699,* in *Castri Maris Servitii chori 30. Jul. 1735, Albanen. 29. Aug. 1739* et in *Casentina 23. Jun. 1838* §. *Canonicos.* Legitimis tandem gravibusque urgentibus causis haud raro s. Congr. indulsit partem tantum divini officii, nempe aliquas chorales horas persolvi, ceu traditur in *Tergestina* et *Justinopolitana 23. Nov. 1854* §. *Respicit.*

Atqui inter legitimas gravesque illiusmodi causas commemorari etiam praebendarum tenuitatem et exiguum choralium numerum traditur in eadem *Tergestina* §. *Legitimae.* Quum igitur in casu hujusmodi causas adamussim referant Canonici ac testetur luculenter Episcopus, congruum videtur, ut eadem benignitas H. S. O. favore capituli effulgeat. Praesertim cum partialem tantum horarum persolutionem concedendo antiquus ordo religiose custodiendus non immutatur, sed illud penitus confirmatur, quod jamdudum ab ipsa Cathedralis erectione servatur et a constitutionibus capitularibus necnon consensu et concessionibus Episcoporum comprobatum fuit. Quae quidem omnia, scilicet jugis et pervetusta observantia, constitutiones capitulares et Episcoporum concessiones, eo magis in pretio habenda videntur, quod legitimam causam ab ipsa tenuitate reddituum et exiguitate numeri Canonicorum forte ab ipso initio habuerint et ab eadem causa ad haec usque tempora cohonestata fuerint. Perpendendum igitur videtur ab EE. VV.: an in casu tenuitas praebendarum et exiguitas numeri Canonicorum revera concurrant eaeque attentis locorum et temporum circumstantiis tales sint, ut legitimam exhibeant excipiendae petitionis causam. Recolam heic in genere tenues censeri praebendas, quae 30 vel 40 scutata quotannis minime reddunt, ceu traditur in *Camerin. 14. Decembr. 1793,* in *Massanen. Red. oner. 14. Decemb. 1822* §.: *Ast* et in *Argentina Servitii chori 23. Junii 1838,* in specie tamen pro peculiaribus circumstantiis S. O. ab hac regula aliquando

recessit ceu prostat in *Cattaren. 13. Febr. 1841* §.: *Profecto.*

Difficilior vero videtur omnimoda missae conventualis exemptio, quae in capitulo Sanhippolytano hucusque obtinuit; hinc enim prostat diserta lex obligans, inde vero deest quodvis exemplum omnimodae exemptionis. Nihilominus animadvertendum videtur in casu specialiter concurrere, quod peculiaria suffragia missarum cuivis beneficiato imposita sint eaque satis gravia, adeo ut quae quotannis celebrentur supplere censeri possint missae pro benefactoribus in genere. Ceterum superallatae causae, quae partialis officiaturae adprobationem mereri videntur, etiam quoad missam conventualem, quatenus integra exemptio reprobetur, aliquam saltem S. O. benignitatem in casu forte expostulant. Hinc referam non infrequenter ob tenuitatem praebendarum vel parvum Capitularium numerum applicationem missae conventualis reductam fuisse ad dies dominicos aliosque festos sive de praecepto sive reductos, uti in *Amerina*) Missae conventualis 12. Martii 1746*, *Placentina 30. Julii 1785*, *Camerinen. Missae conventualis 19. April. 1823*, *Massanen. Reduction. oner. 14. Dec. 1822*, *Civitatis Plebis Missae conventualis 25. April. 1830*, *Mazzarien.**) Missae conventual. 22. April. 1826.* Aliquando etiam eamdem applicationem cohibitam esse ad dies festos de praecepto tantum, uti in *Camerinen. 5. Jun. 1706*, *Narnien. 11. Junii 1712*, *Veliterna 14. Martii 1722*, *Pientina 19. Jan. 1729.* et nuper in *Mazzarien.***) Missae conventualis 20. Dec. 1862.* Haud tamen praetermittam, quod hujusmodi reductiones vel ad tempus vel donec tenuitas redditum perduratura foret concedere consuevit, uti colligi fas est ex *Massanen. 14. Dec. 1822*, *Ariminen. 18. Sept. 1751, ex praecituta Mazzarien. 1862.*

Quatenus vero EE. VV. dijudicaverint praeallatas causas minime suffragari, quominus Canonici in antecessum integre choralia officia explere debuerint, animadvertam ex rescripto Honorii III. in cap.: *Ad audientiam de cleric. non resid.* et Bonifacii VIII. *in cap. unic. eod. tit. in 6.* a percipiendis fructibus et quotidianis distributionibus arceri clericos, qui in suis ecclesis non resident et divinis officiis non intersunt. Quod confirmavit concilium Trid. *sess. 23. cap. 1. de reform.* et sac. Congreg. in *Bracharen. 21. Junii 1788 ad III. dub.* et alibi pluries. Cum ergo juris dispositio sit, ut hisce in casibus illegitime percepti fructus fabricae ecclesiae aut pauperibus loci restituantur, conc. Trid. l. c., sac. Congreg. in *Mindonien. Fructuum 24. Martii 1733* et in cit. *Bracharen.*, Canonici Sanhippolytani in bonum et utilitatem ecclesiae debito cultu defraudatae vel in pauperum loci levamen conferre tenerentur, quod injuste perceperunt. Quandoque, ubi fieri potuit, suppleri omissionibus sacer Ordo jussit, ut in *Balneoregien. 19. Augusti 1713.* Nihilominus posita bona fide condonari solent fructus quamvis male percepti, *L. 48. ff. de acquiren. rer. dom.*, *Garzias de Canonic. cap. 17. n. 23.* Et sac. Congreg. ex eadem causa et attenta redditum exiguitate absolutionem super praeteritis omissionibus indulsit in *Spoletan. Miss. convent. 1. Mart. 1729*, *Feretrana 17. Sept. 1808*, *Mazzarien. 2. Jun. 1821*, *Tranen. Distributionum 20. Decembr. 1862.*

Quibus perpensis erit EE. VV. dirimere dubia:

I. *An Canonici cathedralis ecclesiae s. Hippolyti teneantur quotidie integras horas canonicas in choro persolvere missamque conventualem pro benefactoribus applicare in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An consulendum sit SSmo pro absolutione super praeteritis omissionibus et condonatione fructuum male perceptorum in casu?*

III. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione servitii choralis favore eorumdem Canonicorum in casu?*

IV. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione oneris missae convent. in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative in omnibus.

Ad II. Affirmative in omnibus celebrata unica missa cum cantu, integro adstante capitulo.

Ad III. Affirmative ad horas minores, exceptis diebus festis solemnioribus ac quatuor postremis diebus hebdomadae majoris ad decennium.

Ad IV. Affirmative ad dies festos tantum de praecepto ad decennium.

Die 23. Jan. 1864.

III. Reductio non concessa.

Vd* *Missa conv.* (reduct. non conc.)

Aesina.

Ad petitionem Priorum et confratrum confraternitatis s. Mariae Mortis Aesinae civitatis anno 1744 earum ecclesia fuit in collegiatam erecta, unica inibi instituta dignitate titulo Archipresbyteri et octo institutis Canonicis aequali inter ipsos obligatione celebrandi missas lectas mille quingentas viginti-quatuor distributas in alternas hebdomadas pro benefactoribus dictae confraternitatis, quarum celebrationis onus eidem incumbebat; pro eorum praebendis assignata fuit annua summa scutorum quatuor centum triginta duorum a confratribus ex redditibus ejusdem confraternitatis persolvenda, *ex quibus* (sunt verba apostolicarum literarum erectionis) *Archipresbyter videlicet sexaginta tria, sacrista vero major quinquaginta tria et camerarius quadraginta octo et secundus confessarius alia quadraginta octo et quilibet ex presbyteris ac ex diacono et subdiacono Canonicis respective nuncupandis praedictis singuli quadraginta tria scuta monetae hujusmodi annuatim percipiant et lucrentur.*

Canonici preces nuperrime porrexerunt huic sacrae Congregationi exponentes, ipsos ignorantes encyclicam sa. mem. Benedicti XIV., quae incipit: *Cum semper oblatas,*)* celebrasse quotidie missam conventualem, eam tamen non applicasse pro benefactoribus in genere, habitaque post triennium de ea notitia considerantes onus illius applicationis ipsos ferre non posse, attenta modicitate reddituum, institisse penes praedefunctum Aesinum Antistitem pro absolutione et dispensatione, et ab eo sub die 7. Februarii 1748 absolutos fuisse et dispensatos ab onere applicationis, exceptis diebus festis de praecepto, quod hactenus observatum fuit tam ab ipsis quam ab aliis quatuor Canonicis, qui eorum capitulo fuerunt a piis benefactoribus superadditi particulari constituta praebenda: jure autem dubitantes de praefati Episcopi auctoritate reducendi missam conventualem ad dies tantum festos de praecepto supplicant pro dictae reductionis confirmatione cum absolutione quoad praeteritum.

Literae pro informatione et voto cum relatione annui redditus uniuscujusque canonicatus datae fuerunt hodierno Episcopo, qui exposita confirmat, Canonicos vero, ut exaudiantur, dignos esse arbitratur: »*Ea maxime ductus ratione quod eorum praebendae (si de novem primis Canonicis agatur) detractis missarum oneribus adeo tenues sint, ut vix quidem ad honestam Canonicorum sustentationem sufficiant. Archipresbyter enim praebendam possidet scutorum tantum quadraginta sex; primus sacrista scutorum triginta sex; tertius, quartus et quintus Canonicus scutorum triginta unum; tandem postremi quatuor Canonici praebendam possident scutorum viginti sex, ex quibus detractis insuper expensis pro vestium canonicalium manutentione, pro strenis aliisque de jure et consuetudine expendendis, praebendarum fructus minime ad eorum sustentationem sufficiunt.*

Addit »*quod iidem Canonici missas mille quingentas viginti quatuor ex ipsa institutione quotannis celebrant pro benefactoribus societatis, ex cujus bonis novem praebendae dicti capituli constant, qui quidem missarum numerus ultro exuberat numerum missarum quotidianarum;*« ideoque »*expeditam gratiam concedendam fore judicarem.*«

Requisitus iterum fuit Episcopus, ut referret, quomodo praebendarum primaevus fructus sit imminutus, et: An facta sit separatio pro distributionibus et quae summa unicuique Canonico ex ipsis annuatim obveniat ultra redditum respectivarum praebendarum, et demum: An chori servitium sit quotidianum.

His omnibus satisfecit Episcopus. Is enim retulit, quod »*Dos ex ipsa collegialis ecclesiae institutione a prioribus et confratribus societatis mortis primitus constituta nequaquam imminuta fuit, sed eadem summa scutorum nempe quatuorcentum triginta duorum quotannis et de bimestre in bimestre persolvitur ab oeconomo societatis mortis in manibus Canonici camerarii.*« Subditque »*Cum autem Archipresbyter et Canonici, ut institutionis decreti verbis utar, annuas mille quingentas viginti quatuor missas lectas, alias praefatae confraternitatis onus, inter praedictos Archipresbyterum et Canonicos aequaliter alternis hebdomadis distributis celebrare teneantur, nempe unusquisque eorum missas 170, sequitur, ut unusquisque Canonicus onus scutorum decem et septem sustineat, atque ideo quaelibet praebenda in scutis decem et septem imminuatur*« ita ut »*praebenda Archipresbyteri erit tantum scutorum 46, sacristae majoris 36, camerarii, primi et secundi confessarii 31, diaconi et subdiaconi 26 comprehensis etiam distributionibus quotidianis. Quae quidem provisio insufficiens omnino videtur ad honestam dictorum Canonicorum sustentationem.*

*) Vd. *supra pag. 761.*
**) Vd. *p. 788.*
***) Vd. *supra pag. 792.*

*) Vd. *supra pag. 695.*

Ulterius retulit: »*Facta quidem fuit separatio pro distributionibus ad formam literarum apostolicarum; ex integra enim summa scutorum 432 detrahitur quolibet anno tertia pars in usum distributionum quotidianarum inter Archipresbyterum et Canonicos personaliter inservientes dividendarum juxta decretum erectionis. Hujusmodi autem distributiones nihil revera accrescunt Canonicis personaliter inservientibus nisi in casu, in quo aliquis legitimo cessante impedimento personaliter non inserviat et choro non adsistat, ac propterea quod uni adjungitur, alteri detrahitur.*

Retulitque demum, quod »*chori servitium quotidianum est, cui festis diebus et in majori hebdomada interesse tenentur omnes, feriatis vero diebus alternatim pro medietate,* iterumque in voto est pro postulatae gratiae concessione.

Pro decernenda sufficientia vel insufficientia praebendarum seu beneficii onera et praesertim missarum detrahenda esse respondit sacra Congregatio *diei 19. Martii 1639. lib. 16. decr. pag. 158,* prout refert *Scarfant. lucubr. canon. tom. 2. animadversar. ultimat. num. 22.* Passim enim eadem sac. Congregatio, attenta tenuitate fructuum praebendarum, applicationem missae conventualis reducendam esse ad dies tantum festos de praecepto decrevit in specie in *Amerina*) Missae conventualis 12. Martii 1746,* et in *Placentina**) Missae convent. 1. Mart. 1777.*

Quaeritur:

An et quomodo sit locus reductioni applicationis missae conventualis in casu?

S. C. resp.

Quoad praeteritum ad D. Secretarium facto verbo cum Sanctissimo, quo vero ad futurum, negative.

Die 15. Julii et 5. Aug. 1780.

IV. Reductio iterata.

Vd. *Applicatio missae conv.* (reductio concessa, decr. *Mazarien.* p. 788.)

Mazzarien.

Quam die 22. Aprilis anno 1826 EE. VV. clementiam assequuti sunt ad septennium applicationis missae conventualis reductionem ad solos dies festos de praecepto ob immi-

*) Vd. *supra pag. 761.*
**) Vd. *supra pag. 763.*

nutos admodum praebendarum redditus, qui ex decimis et primitiis constituantur, Canonici parochialis ecclesiae sub invocatione s. Nicolai Barensis oppidi Salem Mazzarien. dioecesis, eandem hodie iisdem perdurantibus circumstantiis prorogandam enixis precibus expostulant.

Supplex oratorum libellus exhibitus est sub die 5. Decembris 1835 ac ad Episcopum pro informatione et voto remissus, qui vergente Martio anni superioris in haec verba respondit: »Injuria temporum necessitatis causae superius (in literis ap. 1826 exaratis) expositae perdurant. Nam et decimarum exactio imminuta et frumenta vilissimo comparantur pretio, ut adeo elapso anno 1835 Archipresbyter scutorum septemdecim, singuli vero Canonici scutorum octo fructus perceperint.

Animadversione tamen dignum existimo, memoratas praebendarum diminutiones non tangere sex Canonicos particularis fundationis, qui praebenda gaudent ab aliis avulsa et super redditibus certis constituta. Hos capitulum meae cathedralis ecclesiae hac de re interpellatum missae conventualis onere liberari haud aequum existimat; libenter vero annuit pro reliquis Canonicis, quorum praebenda est super decimis fundata, ut supra memoravi.

Quae cum ita sint, nec meliori pro sequentibus annis spe effulgente sententiam meam capituli voto conjungens Canonicorum precibus obsequendum existimo et missam conventualem, de qua agitur, ad aliud septennium reducendam, remanente in suo robore obligatione aliorum Canonicorum particularis fundationis missam conventualem pro rata applicandi, nisi aliter EE. VV. visum fuerit.«

Constat ex his eam reddituum inopiam in praebendis canonicalibus perseverare, cujus intuitu EE. VV. placuit vertente 1826 conventualis missae applicationem in casu ad solos dies festos de praecepto cohibere; imo vero constat eos in pessum magis magisque in dies abiisse quin spes melior saltem proxime effulgeat: quare, legitima quum adsit causa, eandem hodie prorogationem assequuturos sibi blandiuntur Samelienses Capitulares.

Sed prorogatio haec, quae redditum deficientium causa concedenda esset, nonnisi eos Canonicos respicere poterit, quorum redditus sunt imminuti, quorum praebendae scilicet ex decimis et primitiis constituuntur,

quae tum ob vilescens frumenti pretium tum ob exactionis difficultatem decreverunt. Hinc videant EE. VV., num merito ab hoc beneficio eos Canonicos excludendos dixerit Episcopus, qui redditus habent certos et imminutioni minime obnoxios.

Deinde vero perpendant, num excusatione ac clementia vestra digni sunt, qui vocentur Capitulares, dum, licet reductionis rescriptum ad mensem Aprilem 1833 cessaverit, tamen nonnisi die 4. Septembr. 1835 preces porrexerunt S. O. ad prorogationem assequendam; ac interim ad normam expiratae reductionis conventualem missam applicaverunt. Profecto absolutionem sibi ominantur Canonici eo, quod securritas gratiae in tanta redditum tenuitate obtinendae eos in bona fide constitutos fecerit in supplicando segniores; confidunt alteram elargiendo reductionis prorogationem a *die prioris expirati indulti,* ut saepe in more fuit.

Rogantur itaque EE. VV. folium sub praefata die 22. Aprilis 1826 exaratum iterum perlegere, quod apposite denuo scribimus, ac respondere ad dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus oratorum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad aliud septennium a die expirati indulti juxta votum Episcopi.

Die 29. Apr. 1837.

V. Reductio partialis.

Vd. *Applic. missae conv.* (oblig. in dieb. festis p. 760.)

Brugnaten.

Capitulum Brugnatensis cathedralis ecclesiae praeter Archidiaconum ex septem constat Canonicis, qui divinas ex more laudes in choro persolvere obstringuntur. Archidiaconus nulla praeditus est praebenda, immo caret etiam quotidianis distributionibus ac solummodo honoris gaudet titulo. Canonici vero exiguis fruuntur redditibus; nam publicis vectigalibus, missarum eleemosynis aliisque subductis oneribus alii scutata tria supra viginti, quidam scutata viginti quinque et unus scutata triginta circiter quotannis lucrantur. Nuperrime autem, ex conventione inter apostolicam Sedem ac serenissimum Sardiniae regem ad statuendam bonorum ecclesiasticorum partitionem inita, capituli redditus aucti sunt annuis libellis tercentis seu scutatis romanis quinquaginta quinque inter Canonicos omnes aequa lance distribuendis. Ex eadem conventione quam primum erigenda est praebenda theologalis, cujus annuum censum conficient libellae quingentae.

In comitiis diei 28. Maji 1796 actum est: utrum memoratae ecclesiae Canonici, qui tenui potiebantur censu et missam conventualem eatenus celebrare non consueverant, Sacrum pro benefactoribus in genere applicare tenerentur, prodiitque responsum: *Affirmative per turnum et quoad applicationem pro benefactoribus in genere diebus festis tantum, non omissa celebratione et applicatione pro fundatoribus in specie per alium juxta leges fundationum.* Verum Brugnatensis Antistes, tenuitatem canonicalium praebendarum suae cathedralis ecclesiae perpendens et Canonicorum obsecrationibus commotus preces obtulit sa. me. Pio VII. facultatemque die 7. Septembris 1708 obtinuit: »di potere per grazia specialissima, non ostante il precedente decreto emanato nell' anno 1796. dalla sagra Congregazione del concilio, ridurre l'obbligo dell' applicazione della messa conventuale per lo spazio soltanto di venti anni a venire alle *sole Domeniche* ad oggetto di recare cosi qualche opportuno sollievo alle ristrettezze del mentovato capitolo cattedrale.« Et quoniam apostolicum hujusmodi indultum suis jam excidit viribus atque eadem fere perseverat reddituum exiguitas, Canonici enixis precibus EE. VV. obtestantur ut illud confirmare dignentur.

Canonicorum precibus obsecundandum arbitratur Episcopus, qui animi sui sententiam aperiens haec scribit: »Cum nullius pene momenti habendae sint libellae tercentum Brugnaten. Canonicis elargitae ac inter eos per capita dividendae, eaedem ferme vigent circumstantiae, quae jam priori causam dederunt obtento rescripto. Hoc unum igitur augmentum a tempore primae concessionis factum, ut reor, haud impedimento erit, quominus EE. VV., si ita placuerit, hisce etiam ultimis precibus faciles aures accomodare possint.

Quum missa conventualis praecipua sit divini officii pars, cap.: *De his dist. 12. Gloss. in Clement. 1. de celeb. missar.*, Canonici oratores nedum singulis dominicis aliisque festis diebus, sed insuper qualibet die missam conventualem canere eamque pro benefactoribus in genere applicare obstrin-

guntur, *cap.: Cum creatura de celebr. missarum,* Benedict. XIV. in notissima constitutione: *Cum semper oblatas.**) At ubi canonicalium praebendarum redditus valde tenues sunt nec ad Canonicorum levandam inopiam suppetit ratio a concilio Trid. *sess. 24. cap. 15. de reform.* designata, hujus est sacrae Congregationis, ut loquitur eadem constitutio §. 19, perspecto rerum statu, *quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere ad festos tantummodo dies reducere.* Hinc s. Congregatio ob tenuitatem reddituum concedendam censuit temporariam reductionem applicationis missae conventualis modo ad dies festos etiam reductos, ut in *Massanen. Reductionis onerum 14. Dec. 1822. ad II. dub.*, modo ad dies tantum festos de praecepto, ut in *Mazzarien. Missae conventualis 22. Aprilis 1826.* Tenues autem hic sacer Ordo existimare solet canonicales fructus, qui cunctis deductis oneribus triginta aut quadraginta scutatorum vim non attingunt, ceu in *Placentina Missae conventualis 18. Septembris 1779*, et in *Nullius Trium Fontium Unionis beneficiorum et reductionis missarum 20. Decembris 1828.*

Jam vero Canonici oratores iterum nunc postulant, ut onus applicationis missae conventualis ad dominicos tantum dies cohibeatur. Erit itaque sapientiae Emorum Patrum decernere: Utrum Canonici, quorum plerique etiam post augmentum reddituum scutata solummodo triginta, ac nonnulli scutata triginta quinque circiter percipiunt, sint voti compotes reddendi vel potius eorum preces penitus rejiciendae.

Dubium:

An onus applicationis missae conventualis sit reducendum ad dies tantum dominicos in casu?

S. C. resp.:

Negative, et ex gratia pro reductione applicationis missae conventualis ad dies festos etiam reductos, ad decennium.

Die 22. Maji et 26. Junii 1830.

VI. Reductio prorogata.

Civitatis Castellanae.

Capitulum ecclesiae cathedralis civitatis Castellanae anno 1833 ab hoc s. ordine postulavit, ut ob canonicalium reddituum tenuitatem obligatione conventualem missam applicandi solveretur; hinc in Congregatione diei 14. Decembris proposito dubio: *An et quomodo sit concedenda reductio applicationis missae conventualis in casu?* responsum latum est: Affirmative ad decennium, firma applicatione diebus festis etiam reductis, et ad mentem. — Haec ita concepta fuit: Scribatur Episcopo, ut inspectis praebendarum et reddituum capitularium circumstantiis necnon habita ratione jurium patronatuum, si quae sint, auditis capitulo et interesse habentibus proponat modum, quo congruo canonicalium praebendarum augmento consulatur etiam per minorum praebendarum extinctionem ac etiam per confectionem massae communis, et transmissis monumentis ad rem facientibus accurate de re universa referat. Decennio expirato iterum ad EE. VV. supplex redit capitulum adprecans — a volergli prorogare un tal apostolico indulto ad altro tempo piu longo, avuto sempre riguardo alla miserabile condizione economica dei prebendatiCanonici alla s. Congregazione ben nota, i quali non poco utile ritraggono da ciò, col potere in tal modo percepire la limosina delle Conventuali, che non applicano. — Dum hae preces Antistiti de more pro informatione remissae sunt, injunctum eidem fuit, ut s. Congregationem de praefatae mentis exequutione instructam redderet. Demandato munere fungens haec ipse habet: »Dum remitto preces hujus capituli ad ipsum sacrum Ordinem, refero, omnimode veritati consonas reperiri, quippe non aucti sed diminuti potius sunt redditus harum praebendarum canonicalium et proinde eaedem causae perseverant, ut prorogationis indultum ita elargiatur, ut saltem per aliud decennium Canonici ipsi ab applicatione missarum conventualium omnibus diebus ferialibus eximantur. De caetero haud parum laboravi et consilium cepi, ut praebendarum tenuitati providerem: hinc vacato canonicatu mense Februarii 1839 per obitum sacerdotis Matthaei Pasquetti, illud suppressi juxta facultates a s. synodo Tridentina tributas, attamen hujusmodi suppressio et etiam aliae usque ad dimidium praebendarum, si conficerentur, fere nihil conferunt ad congruam provisionem Canonicis hujus ecclesiae cathedralis statuendam, cum ex eis fere nihil parum fiat. Beneficia autem minora tenuissima etiam evadunt et pene cuncti jurispatronatus obnoxia, nec sperari possit patronos esse suppressioni assensuros,

*) Vd. *pag. 695.*

etiamsi aliqua vox eisdem reservaretur inter plurimos. Quapropter rem totam considerandam ad sapientius judicium EE. VV. remitto.«

Ad ulteriorem rei notitiam requisitus subinde idem Antistes de annuo redditu suppressae praebendae et de causa, ob quam provideri nequeat etiam unione beneficiorum, auditis patronis, haec addidit: »Redditus suppressae praebendae juxta ultima inventaria in hac cancellaria exhibita comprehensisque oneribus vix pertingunt quotannis ad scutata quadraginta duo romana, quae imparia omnino videntur ad congruum augmentum ceteris tenuibus canonicatibus statuendum; unde redit in themate, ni fallor, rationis momentum, propter quod applicatio missarum conventualium tempore feriali dispensata fuit ad decennium. Ea vero de causa innuebam in meis postremis literis, non esse sperabile patronos assensuros unioni beneficiorum ad canonicatuum incrementum, quia eorum quisque jura nominandi in integra praebenda tuetur et nullam jurium divisionem patitur.«

Quidquid in facto ac in jure animadverti potest, prostat in memoratae Congregationis folio, quod iterum perlegere EE. VV. dignabuntur, ut dijudicent: an Capitulares digni sint, qui vestram consequantur indulgentiam, cum eaedem perseverent circumstantiae, uti testatur Antistes, quae expirato indulto causam praebuere, necnon videant, num post ea, quae admonet idem Episcopus, praefatae mentis exequutio urgenda sit.

Dubium:

An et quomodo sit prorogandum indultum in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad aliud decennium ad formam praecedentis et a die expirati indulti et interim Episcopus curet exequutionem mentis s. Congregationis diei 14. Decb. 1833 vocatis patronis.

Die 6. Decb. 1845 et 10. Jan. 1846.

VII. An satisfit per applicat. unius missae conv. simul applicationi aliarum missarum convent?

Vd. p. *789. Signina.*

Senogallien.

Exstat in Lateranensi solo fundata collegialis ecclesia oppidi Belvedere, cujus Canonici jam inde ab anno 1745 sub die 28. Augusti rogatum adivere sacratissimum Principem, ut attenta praebendarum tenuitate onerumque multitudine a quotidiana missae conventualis celebratione dispensarentur. Votis eorum Pontifex obsecutus per s. Congregationem rescripsit: missam conventualem reducendam ac moderandam esse ad dies tantum dominicos et festos de praecepto, quousque eadem tenuitatis reddituum causa perduraret. Factum inde est, ut sequiori tempore mos inolesceret, unicam missam conventualem festis diebus canendi et absque cantu in ferialibus celebrandi contra rubricae praescriptum, quae plures litandas esse missas jubebat. Quod ubi compertum fuit a Lateranensi visitatore, decreto suo constituit, tot a Canonicis celebrari oportere conventuales missas, quot celebrandas rubrica praecipit. Verum cum hoc grave Canonicis accideret, rem detulerunt ad s. Congregationem, ut inspecto parvo Canonicorum numero reddituumque inopia ipsorum favore decerneret, se cum unica conventuali missa satisfacere posse obligationi aliarum missarum, ad quas ex missalis rubrica tenebantur. Benigne postulationem excepit s. Congregatio et sub die 2. Dec. 1786 rescripsit: ad decennium. Quin etiam alio s. Congregationis rescripto diei 5. Aprilis 1788 obtinuerunt iidem Canonici conventualem illam missam in diebus ferialibus sine cantu celebrari posse quoadusque dicta Collegiata ad plenum decem Canonicorum numerum redintegrata non esset.

Hisce ita se habentibus animadvertunt Canonici, se primo indulto diei 28. Augusti 1745 usos fuisse usque ad hodiernum diem »sulla buona fede..... sebbene non perdurassero scrupulosamente le stesse cause e quelle precipuamente dello scarso reddito delle prebende che allora si espose, non ostante che i capitali e cifre censuarie siano attualmente quelle che esistevano allorche si avanzò il postulato.« Altero indulto diei 2. Decembris 1786 pariter usos fuisse eo quod ignorabant »se dai decessori se ne implorasse ulteriore riferma; conviene però opinare (ut ipsi subdunt) per l' affermativa; dapoichè erano essi d' illibata coscienza.... che in quanto ai presenti non se ne fece premura sulla fiducia, che un tale rescritto fosse perpetuo; avvertendosi che li più dei Canonici sono novelli, e che questi per riverenza riposarono sulle coscienze dei seniori.« Tertio denique indulto diei 5. Aprilis 1788 usos esse ea de causa: »che sebbene fin dal 1848 sia stata la chiesa reintegrata nel pieno numero di dieci Canonici pur tuttavia per ignorarsi il sopracitato rescritto che supponevasi du-

raturo fino all' apertura della nuova chiesa che accade il 1. Aprile 1849, si ommise a tutt'oggi la celebrazione della messa nei giorni feriali cum cantu, avvertendosi però che quantunque il numero come si disse, ascenda a dieci, pure due ne vanno esenti ..... per causa degli studj; aggiungendosi nel secondo il privilegio accordatogli dal testatore dell' esenzione fino agli anni venticinque.«

Idcirco supplices iterum se praebent apud S. V. Ordinem atque enixe postulant:

Primo »di essere nuovamente dispensati dall' obbligo di quelle messe, a cui sono astretti ex rubrica, e di poterle soddisfare, come in antecedenza con una sola messa conventuale,

Secundo: »di essere egualmente dispensati dalla messa quotidiana pro benefactoribus .... implorando ehe un tal peso rimanga pront jacet alle sola domeniche e giorni festivi di precetto.

»Tertio di essere egualmente altresi dispensati dal celebrare la messa conventuale nei giorni feriali cum cantu. Pro praeteritis vero omissionibus petunt etiam una benigna e facile assoluzione, estesa perfino ai defonti.»

Suffragatur ei quaquaversus Lateranensis Archipresbyter, qui posteaquam debitas allegationes transmiserit ita propitiam suam pandit sententiam. »Ex hisce planum profecto videtur praefatum capitulum in eadem conditione versari ac primarum precum; ideoque dignum existimo prorogationis.

Jam nonnulla ex jure praemittenda. Vetus est ss. canonum praescriptio in omnibus cathedralibus et collegiatis ecclesiis missam conventualem quotidie celebrandi; immo juxta generalem rubricam aliquibus anni temporibus secundae quoque ac tertiae missae onus accedit. *Fagnan. in cap. Cum creatura lib. 3. decret. de celeb. miss.* Hanc quam Honorius III. Pontifex maximus invexit disciplinam plenissime restituit Benedictus XIV. sua consit.: *Cum semper**) qualibet sublata consuetudine et non obstante aliarum missarum onere, quo singuli Canonici ex fundatione gravantur. S. Congregatio in *Taur. Miss. conv. 10. Julii 1790* §. *3*, et in *Nepes. Miss. conv. 16. Maji 1789* §. *3*. At hujusmodi missae conventualis obligatio non adeo est rigide interpretanda, ut nullam limitationem recipiat. In veteri enim confirmando jure respexit Benedictus XIV. ad tenuitatem praebendarum ac onus illud reduci posse ad dies festos permisit, cum cetera remedia a concilio Tridentino proposita deficiant. S. C. in *Laquedonien. 20. Septembr. 1788* §. *3* et in *Recineten. Miss. conv. 10. Jan. 1784.* §. *3.*

Neque solum justis de causis moderari ac reduci missae conventuales possunt, sed etiam potest accedente ministrorum insufficientia ab illis canendis dispensari. Cujus rei in casu veluti affini argumentum praebet *Pignatellius Consul. 191 tom. 4*, ubi quaestione proposita: *Utrum in ecclesia cathedrali vel collegiata, in quibus modicus numerus Canonicorum et presbyterorum est, tolerari possit consuetudo cantandi missam conventualem festis diebus dumtaxat?* sic inquit: Puto esse tolerandam: ad inducendum enim obligationem missae conventualis non sufficit quod ecclesia sit cathedralis vel collegiata, sed insuper requiritur, quod habeat sufficientem numerum ministrorum. Quis autem sit sufficiens numerus, auctores non docent. At ego illum esse censeo, qui sufficit pro choro et pro celebratione missae. Unde cum pro missa requirantur saltem personae septem, nimirum celebrans, diaconus et subdiaconus, duo ceroferarii, thuriferarius et acolythus et pro choro saltem quatuor, quia debet esse cum cantu, requiritur quod saltem undecim inservientes sint necessarii, quamquam idem clericus supplere possit pro acolytho et thuriferario.« Ceterum S. C. saepissime reductionem quoad cantum indulsisse, praesertim si de Collegiatis ageretur, ad dies tantum festos abunde prostat ex thesauro ss. resolut.

Porro monendum in themate, valde graves confluxisse in capitulo reductionis et dispensationis causas, tum cum primum postulatio intercessit. Aderat enim insignis praebendarum tenuitas, ita ut deductis omnibus oneribus, la rendita di tutte dieci le prebende, (ut Canonici tunc temporis exponebant) viene a restare circa scudi 100, che sarebbe a ragione di scudi 10 l' anno per ciascuno; ma siccome dette praebende non sono eguali di rendita, cosi la maggior parte di essi non viene a lucrare neppure detta somma; ma alcuni sc. 10, alcuni sc. 7, alcuni sc. 5, ed alcuni sc. 4. Aderat insuper parvus Canonicorum numerus, quia, licet decem canonicatibus Collegiata constaret, tamen unus suspensus fuerat ad vicennium pro ec-

*) Vd. *p. 695.*

clesiae reparatione, alter gaudebat jubilationis indulto, ceteri duo a valde senio confectis Canonicis possidebantur; ex quo fiebat ut nonnisi sex numerari vere potuerint, qui choro inservirent, ac tres tantum, qui in alternativa hebdomadali divinis officiis interessent.

Quibus obiter perpensis, ut concedi valeat praerogativa, quam hodierni Canonici efflagitant, illud probandum venit, quod nimirum eaedem causae concurrant, ob quas tunc s. Congregatio rescripsit, vel saltem hujusmodi, ut petitae iterum indulgentiae locum praebere valeat. Negotium at vero aliquod facessere videtur, tum augmentum canonicalium reddituum, qui hodiedum, subductis oneribus, ad sc. 276, 598 collective conscendunt, ut patet ex ablegato prospectu, tum redintegratus decem Canonicorum numerus, quae rerum adjuncta omnem indultorum rationem infirmare posse videntur. Verum animadvertunt Canonici, etiam in praesens capitulum in eadem conditione versari, ac id temporis erat, quo primum preces obtulit. Requidem vera licet non adeo exigui sint, ut antea, praebendarum redditus, nullum tamen accessisse adnotant fundis capitularibus incrementum nec auctam illorum fuisse in tabulis censualibus aestimationem, praeterquam quod etiam nunc tenues censendi sunt in ordine ad prorogationem obtinendam supradicti redditus, cum major quae habetur ex cunctis capituli praebendis vix attingat scutata 36. 43. 0, dum reliquae modo ad sc. 20, modo ad sc. 18, modo etiam ad sc. 7 cohibentur. Atqui attenta tenuitate non raro s. Congregatio applicationem missae conventualis ad solos dies festos de praecepto moderata est, in *Placentina 30. Julii 1781* et in *Setina Chori et miss. conv. 21. Jan. 1786.* Tenues autem esse redditus, quoties praebendae demptis oneribus vix scutata quadraginta vel saltem triginta non pertingunt, tenuit s. Congr. in *Messanen. 14. Decembr. 1822.* §. *At; Mazarien. 20. Novembr. 1824.* §. *Profecto*, et *Januen. 19. Aprilis 1834.* §. *Constat.*

Quid autem sentiendum sit de denario numero Canonicorum restituto, eruere erit ex eo, quod non omnes se mancipare poterunt servitio chori; quandoquidem duo computandi sunt absentes studiorum causa, quorum alter ex ipsa fundationis lege usque ad vigesimum quintum aetatis annum ob eandem rationem privilegio absentiae potitur. Ex quibus probe intelligitur, immutatis licet circumstantiis, easdem nihilominus consistere essentialiter causas, ob quas etiam hodierni Canonici digni censeri poterunt, quibus eorundem indultorum beneficium tribuatur. Nec id alienum est a s. Congregationis praxi, quae iisdem perdurantibus causis prorogationem impertiri solet.

Dubitari unice posset quoad petitam dispensationem a cantu, cum hodie non amplius tres, sed quatuor saltem choro Canonici inserviant turnatim per hebdomadam; quo in casu missam conventualem cani posse a celebrante cum unico ministro canente epistolam visum fuit, *Suarez. tom. 3. in 3. pag. dist. 87. sess. 1, Castald. in praxi lib. 2. sess. 5. cap. 3.* §.: *dubitari.* Verum etiam quoad hoc, an inspecto (ut habetur in precibus) lo scarso numero dei corali, pel difetto dei mansionarj o cappellani, ed ancora per non potere essere i medesimi coadjuvati dall' organo, valeant dispensationem promereri, id sapientissimo relinqitur EE. VV. judicio.

Quod attinet ad absolutionem, quam Canonici petunt ob omissiones, quae contingere potuerint ex continuo indultorum usu usque ad hodiernum diem, quidquid judicandum sit de bona fide quam pro se allegant, mei tantum muneris est advertere, quoties ab apostolica Sede hujusmodi absolutio data fuerit, semper aliquod onus correspectivum adjectum fuisse: cujus rei recens est exemplum in nuperrima *Vintimillien. Missae conventualis diei 20. Decemb. proxime elapsi anni*, ubi ad 1. dub.:

An et quomodo consulendum sit SSmo circa missam conventualem quotidianam non cantatam neque applicatam in casu?

Et ad 3. dub.:

An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione quoad missas de feria non applicatas in casu?

Ad utrumque responsum fuit: Affirmative celebratis infra annum tribus missis cum cantu, integro adstante capitulo, pro omnibus omissionibus.

Ex hisce definienda profluunt dubia:

I. *An annuendum sit precibus capituli ut cum unica missa conventuali satisfacere possit obligationi aliarum missarum, ad quas ex rubrica tenetur in casu?*

II. *An sit annuendum quoad reductionem applicationis missae conventualis ad dies festos de praecepto tantum in casu?*

raturo fino all' apertura della nuova chiesa che accade il 1. Aprile 1849, si ommise a tutt'oggi la celebrazione della messa nei giorni feriali cum cantu, avvertendosi però che quantunque il numero come si disse, ascenda a dieci, pure due ne vanno esenti..... per causa degli studj; aggiungendosi nel secondo il privilegio accordatogli dal testatore dell' esenzione fino agli anni venticinque.«

Idcirco supplices iterum se praebent apud S. V. Ordinem atque enixe postulant:

Primo »di essere nuovamente dispensati dall' obbligo di quelle messe, a cui sono astretti ex rubrica, e di poterle soddisfare, come in antecedenza con una sola messa conventuale,

Secundo: »di essere egualmente dispensati dalla messa quotidiana pro benefactoribus.... implorando ehe un tal peso rimanga prout jacet alle sola domeniche e giorni festivi di precetto.

»Tertio di essere egualmente altresi dispensati dal celebrare la messa conventuale nei giorni feriali cum cantu. Pro praeteritis vero omissionibus petunt etiam una benigna e facile assoluzione, estesa perfino ai defonti.»

Suffragatur ei quaquaversus Lateranensis Archipresbyter, qui posteaquam debitas allegationes transmiserit ita propitiam suam pandit sententiam. »Ex hisce planum profecto videtur praefatum capitulum in eadem conditione versari ac primarum precum; ideoque dignum existimo prorogationis.

Jam nonnulla ex jure praemittenda. Vetus est ss. canonum praescriptio in omnibus cathedralibus et collegiatis ecclesiis missam conventualem quotidie celebrandi; immo juxta generalem rubricam aliquibus anni temporibus secundae quoque ac tertiae missae onus accedit. *Fagnan. in cap. Cum creatura lib. 3. decret. de celeb. miss.* Hanc quam Honorius III. Pontifex maximus invexit disciplinam plenissime restituit Benedictus XIV. sua consit.: *Cum semper**) qualibet sublata consuetudine et non obstante aliarum missarum onere, quo singuli Canonici ex fundatione gravantur. S. Congregatio in *Taur. Miss. conv. 10. Julii 1790* §. *3*, et in *Nepes. Miss. conv. 16. Maji 1789* §. *3*. At hujusmodi missae conventualis obligatio non adeo est rigide interpretanda, ut nullam limitationem recipiat. In veteri enim confirmando jure respexit Benedictus XIV. ad tenuitatem praebendarum ac onus illud reduci posse ad dies festos permisit, cum cetera remedia a concilio Tridentino proposita deficiant. S. C. in *Laquedonien. 20. Septembr. 1788* §. *3* et in *Recinecten. Miss. conv. 10. Jan. 1784.* §. *3.*

Neque solum justis de causis moderari ac reduci missae conventuales possunt, sed etiam potest accedente ministrorum insufficientia ab illis canendis dispensari. Cujus rei in casu veluti affini argumentum praebet *Pignatellius Consul. 191 tom. 4*, ubi quaestione proposita: *Utrum in ecclesia cathedrali vel collegiata, in quibus modicus numerus Canonicorum et presbyterorum est, tolerari possit consuetudo cantandi missam conventualem festis diebus dumtaxat?* sic inquit: Puto esse tolerandam: ad inducendum enim obligationem missae conventualis non sufficit quod ecclesia sit cathedralis vel collegiata, sed insuper requiritur, quod habeat sufficientem numerum ministrorum. Quis autem sit sufficiens numerus, auctores non docent. At ego illum esse censeo, qui sufficit pro choro et pro celebratione missae. Unde cum pro missa requirantur saltem personae septem, nimirum celebrans, diaconus et subdiaconus, duo ceroferarii, thuriferarius et acolythus et pro choro saltem quatuor, quia debet esse cum cantu, requiritur quod saltem undecim inservientes sint necessarii, quamquam idem clericus supplere possit pro acolytho et thuriferario.« Ceterum S. C. saepissime reductionem quoad cantum indulsisse, praesertim si de Collegiatis ageretur, ad dies tantum festos abunde prostat ex thesauro ss. resolut.

Porro monendum in themate, valde graves confluxisse in capitulo reductionis et dispensatiouis causas, tum cum primum postulatio intercessit. Aderat enim insignis praebendarum tenuitas, ita ut deductis omnibus oneribus, la rendita di tutte dieci le prebende, (ut Canonici tunc temporis exponebant) viene a restare circa scudi 100, che sarebbe a ragione di scudi 10 l' anno per ciascuno; ma siccome dette praebende non sono eguali di rendita, cosi la maggior parte di essi non viene a lucrare neppure detta somma; ma alcuni sc. 10, alcuni sc. 7, alcuni sc. 5, ed alcuni sc. 4. Aderat insuper parvus Canonicorum numerus, quia, licet decem canonicatibus Collegiata constaret, tamen unus suspensus fuerat ad vicennium pro ecclesiae reparatione, alter gaudebat jubilationis indulto, ceteri duo a valde senio confectis Canonicis possidebantur; ex quo fiebat ut nonnisi sex numerari vere potuerint, qui choro inservirent, ac tres tantum, qui in alternativa hebdomadali divinis officiis interessent.

*) Vd. *p. 695.*

Quibus obiter perpensis, ut concedi valeat praerogativa, quam hodierni Canonici efflagitant, illud probandum venit, quod nimirum eaedem causae concurrant, ob quas tunc s. Congregatio rescripsit, vel saltem hujusmodi, ut petitae iterum indulgentiae locum praebere valeat. Negotium at vero aliquod facessere videtur, tum augmentum canonicalium redditiuum, qui hodiedum, subductis oneribus, ad sc. 276, 598 collective conscendunt, ut patet ex ablegato prospectu, tum redintegratus decem Canonicorum numerus, quae rerum adjuncta omnem indultorum rationem infirmare posse videntur. Verum animadvertunt Canonici, etiam in praesens capitulum in eadem conditione versari, ac id temporis erat, quo primum preces obtulit. Requidem vera licet non adeo exigui sint, ut antea, praebendarum redditus, nullum tamen accessisse adnotant fundis capitularibus incrementum nec auctam illorum fuisse in tabulis censualibus aestimationem, praeterquam quod etiam nunc tenues censendi sunt in ordine ad prorogationem obtinendam supradicti redditus, cum major quae habetur ex cunctis capituli praebendis vix attingat scutata 36. 43. 0, dum reliquae modo ad sc. 20, modo ad sc. 18, modo etiam ad sc. 7 cohibentur. Atqui attenta tenuitate non raro s. Congregatio applicationem missae conventualis ad solos dies festos de praecepto moderata est, in *Placentina 30. Julii 1781* et in *Setina Chori et miss. conv. 21. Jan. 1786.* Tenues autem esse redditus, quoties praebendae demptis oneribus vix scutata quadraginta vel saltem triginta non pertingunt, tenuit s. Congr. in *Messanen. 14. Decembr. 1822.* §. *At; Mazarien. 20. Novembr. 1824.* §. *Profecto*, et *Januen. 19. Aprilis 1834.* §. *Constat.*

Quid autem sentiendum sit de denario numero Canonicorum restituto, eruere erit ex eo, quod non omnes se mancipare poterunt servitio chori; quandoquidem duo computandi sunt absentes studiorum causa, quorum alter ex ipsa fundationis lege usque ad vigesimum quintum aetatis annum ob eandem rationem privilegio absentiae potitur. Ex quibus probe intelligitur, immutatis licet circumstantiis, easdem nihilominus consistere essentialiter causas, ob quas etiam hodierni Canonici digni censeri poterunt, quibus eorundem indultorum beneficium tribuatur. Nec id alienum est a s. Congregationis praxi, quae iisdem perdurantibus causis prorogationem impertiri solet.

Dubitari unice posset quoad petitam dispensationem a cantu, cum hodie non amplius tres, sed quatuor saltem choro Canonici inserviant turnatim per hebdomadam; quo in casu missam conventualem cani posse a celebrante cum unico ministro canente epistolam visum fuit, *Suarez. tom. 3. in 3. pag. dist. 87. sess. 1, Castald. in praxi lib. 2. sess. 5. cap. 3.* §.: *dubitari.* Verum etiam quoad hoc, an inspecto (ut habetur in precibus) lo scarso numero dei corali, pel difetto dei mansionarj o cappellani, ed ancora per non potere essere i medesimi coadjuvati dall' organo, valeant dispensationem promereri, id sapientissimo relinqitur EE. VV. judicio.

Quod attinet ad absolutionem, quam Canonici petunt ob omissiones, quae contingere potuerint ex continuo indultorum usu usque ad hodiernum diem, quidquid judicandum sit de bona fide quam pro se allegant, mei tantum muneris est advertere, quoties ab apostolica Sede hujusmodi absolutio data fuerit, semper aliquod onus correspectivum adjectum fuisse: cujus rei recens est exemplum in nuperrima *Vintimillien. Missae conventualis diei 20. Decemb. proxime elapsi anni*, ubi ad 1. dub.:

An et quomodo consulendum sit SSmo circa missam conventualem quotidianam non cantatam neque applicatam in casu?

Et ad 3. dub.:

An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione quoad missas de feria non applicatas in casu?

Ad utrumque responsum fuit: Affirmative celebratis infra annum tribus missis cum cantu, integro adstante capitulo, pro omnibus omissionibus.

Ex hisce definienda profluunt dubia:

I. *An annuendum sit precibus capituli ut cum unica missa conventuali satisfacere possit obligationi aliarum missarum, ad quas ex rubrica tenetur in casu?*

II. *An sit annuendum quoad reductionem applicationis missae conventualis ad dies festos de praecepto tantum in casu?*

III. *An sit annuendum quoad celebrationem missae conventualis sine cantu in diebus ferialibus in casu?*

IV. *An et quomodo consulendum sit SSmo super absolutione a praeteritis omissionibus in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative comprehensis etiam festis suppressis.

Ad III. Negative.

Ad IV. Affirmative celebratis quinque missis cum cantu integro adstante capitulo.

Die 27. Novb. 1852.

VIII. Non satisfit per applicationem missae conv. simul applicationi missae pro populo.

Vd. *Applic. missae conv.* (oblig. Canonici parochi p. 737.)

4) Missae non determinatae.

Ad dubium: Utrum, quando missae def. non sunt prohibitae, possit celebrari missa de req. pro def. vage sumptis, id est, pro quibus communitas debet applicare aliquam vel aliquas missas, quin celebrans sciat determinate, sitne pro sacerdote, pro laico, pro viro etc.?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 16. Febr. 1781.

Vd. *Missa* (descriptio.)

5) Missae in die Commemor. omn. fidel. defunct.

In die commemorat. omn. fid. sacerdotes in missis de requiem possunt Sacrificium applicare ad libitum.

Die 4. Aug. 1663.

Ad dubium: An in die commemor. omn. fidel. def. licitum sit applicare missas in particulari ad libitum celebrantis et a petentibus easdem missas eleemosynam accipere, seu potius debeant applicari missae secundum intentionem s. matris ecclesiae pro omnib. fidel. def., licet pro missis dantur eleemosynae?

S. C. resp.: Detur decret. de 4. Aug. 1663 (ut supra.)

Die 14. Decb. 1709.

6) Missae fundatae.

I. Causae applicandi.

Vd. *Applic. missae fund.* (oblig. p. 816;) *p. 809. III.*

Quamvis onus celebrandi missam distinctum sit ab onere applicandi, ita ut nil repugnet, quia injungi possit celebratio in certo loco absque onere applicationis, ex praesumpta tamen fundatorum mente communiter recepta est sententia in beneficiis et capellaniis, quod beneficiatus ceu capellanus teneatur ad applicationem favore testatoris, licet sola celebratio praescripta fuerit, quoties contraria non pateat illius voluntas vel expresse vel ex urgentibus conjecturis elicita juxta plurimas resolutiones S. C. editas in *Tinnen. Applicationis 11. Januar. 1710, in Senogallien. Missarum 20. Dec. 1731 et in s. Miniatis Applicationis missae 4. Decembris 1734.*

Die 8. Julii 1769.

Beneficiatus seu capellanus tenetur applicare sacrificium pro beneficii fundatore, licet non reperiatur explicite expressum, quoties fundator non declaraverit relinquere sacrificii applicationem in libertate celebrantis. Sic declaravit Sac. Cong. Concilii in *Una Mediolanen. 18. Aprilis 1654 2. Julii 1669, 19. Augusti 1688* et expresse in *Lucana 18. Februarii 1702 apud Monacell. tom. 4. supplem. ad 2. tom. n. 54,* ubi et alia satis ad rem, et in *Ferrarien.*) 26. Martii 1718,* in *Alexandrina 1719,* in *Cornetana**) 23. Junii 1725,* in *Novarien. 22. Novembr. 1727,* in *Florentina***) 24. Julii 1734.* Et saepius alibi. Sic etiam tenent *Barbosa de offic. et potest. Episcopor. tom. 2. allegat. 24. n. 35, Pignatellus tom. 1. cons. 139. n. 13. et 14, Fraxinellus, Bonacina, Homobonus, Azorius* et alii. Maxime si beneficium sit ex recentibus et redditus assignati excedant vel adaequent id, quod vel ex jure vel ex consuetudine solet erogari pro onere applicationis in determinatis locis praescripto; credibile enim est omnino fundatorem principalius voluisse missarum fructum sibi et suis applicari quam loci particularis venerationem.

Beneficiatus, cui injungitur a testatore celebratio missae certis diebus, non explicata celebratione pro se vel pro aliis, debet illis diebus missam applicare pro fundatore ejusdem beneficii, ut s. Congregatio Concilii saepius respondit. *Bened. XIV. De sacrific. missae lib. 3. cap. 9 §. 2.*

Idem dicas, si fundator mandaverit orare pro se in missa; nam praesumitur nomine orationis applicationem designasse; nisi tamen ex aliis conjecturis deducatur etiam fuisse ejusdem fundatoris mentem, ut si, pluribus

*) Vd. *p. 819.*
**) Vd. *p. 822.*
***) Vd. *p. 825.*

capellaniis fundatis, in aliis mandaverit applicationem, in aliis orationem, ut ex resolutionibus s. Congregationis, *ib. §. 3.*

Sacerdos, qui beneficium possidet, in cujus fundatione expresse cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, num possit pro applicatione novum stipendium exigere, non vetatur, sed neque reprobatur contraria sententia id negans et decreta sacrae Congregationis Concilii non apparent: *ibid. cap. 22. §. 7.*

Si tamen nihil expressum sit in fundatione ejus beneficii, quod demonstret testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro testatore, ut ex decretis s. Congregationis. *Ibid.*

Quando certum testator pro missa cum cantu assignavit emolumentum, ex hoc argumentum sumunt doctores volitae applicationis ac praesertim *Fagnan. in cap.: Significatum num. 44. de praeben.*

Die 29. Jan. 1791. *Romana.*

Urgere videntur pro applicatione dispositio juris et fundatoris voluntas. Ex jure siquidem applicationem voluisse censetur missarum, qui certum celebranti assignavit redditum, *Card. de Lugo disp. 20. de Euchar. sect. 1. n. 23, Fagnan. in c.: Significatum n. 44. de praeben.* Dum praestito enim emolumento illarum celebrationem praescripsit, in suam quoque utilitatem voluit fructum, qui in applicatione consistit, *Silvest. verb.: Missa primo n. 11, Abb. cons. 99. volum. 4. in 3. dub. vers. praeterea lib. 2.* Expresse vero fundatoris voluntas ex iis desumi potest verbis: *Teneatur semper in qualibet missa facere commemorationem et orationem pro ipso Grasso.* Haec namque formula applicationem contineri rescripsit s. Congregatio per summaria precum in *Ventimilien. 27. April. 1720* teste *Benedicto XIV.* tunc a Secretis *in tract. de sacrific. miss. lib. 3. cap. 9. §. 3.* Supplicatum porro fuit pro declaratione: *an sacerdos ad celebrationem missae eligendus teneatur illam applicare attentis verbis testatoris »et in ea orare pro anima ipsius testatoris« nulla facta mentione applicationis, cum aliud sit orare, aliud missam applicare?* et sacra Congregatio respondit: *Sacerdotem teneri ad applicationem missae.*

Die 16. Julii 1791. *Mutinen.*

Immunis prima facie videtur missa ab applicatione ob tributum celebranti arbitrium applicandi vel non applicandi. Animadversionem tamen meretur, quod se etiam in id remisit donator illius *charitati.*

Hoc sane pacto desiderium ostendit applicationis, quod vim quandoque in contractu etiam habet praecepti, ut per *text. in leg. 1. ff. mandat. et leg, Si servi mei 44. de negot. gest.* dixit *Rota coram Molin. decis. 469. num. 14.*

Die 26. Nov. 1791. *Nullius Nonantullae.*

Deficiente expressa mentione applicationis tum sane ex praesumpta voluntate est quaestio dirimenda, ut tradit *Benedictus XIV. de sacr. missae lib. 3. cap. 9. num. 3.* Sane praesumendum videtur applicationem voluisse, qui certum reliquit missarum emolumeutum, cum quisque velit ut praescripta celebratio redeat in suam utilitatem autore *Fagnan. in cap.: Significatum de praeben. num. 44, Cardinalis de Lugo disput. 20. de Eucharist. sect. I. num. 23.* et s. Congregatio in *Aconitana 24. Augusti ad I. dub.* et in *Mutinen. Applicationis et reductionis missarum 26. Julii ad I. dub.*

Die 26. Mart. 1803. *Ecclesien.*

Verisimilius est applicationem etiam Sacri voluisse, qui ejus celebrationem demandavit; ita docet sa. mem. *Benedict. XIV. de ss. sacrif. missae lib. 3. cap. 9. num. 2.*, nempe teneri ad applicationem, ubi relictum sit onus celebrandi; et ita pluries definivit s. haec Congregatio et praesertim in *Tinen. Applicat. 18. Augusti 1668 lib. decret. 26. pag. 61,* in *Vicentina 1688 lib. 38. pag. 471,* in *Spoletana 1710 lib. 60. pag 4,* in *Civitatis Plebis 11. Maii 1793.*

Die 23. Julii 1803. *Ecclesien.*

In legatis missarum testator, qui praescripsit celebrationem, voluisse censetur earum applicationem pro suffragio animae suae, quoniam hic praecipuus est celebrationis effectus, *Amostaz. de caus. piis lib. 2. c. 3. n. 39, Pignatell. cons. canon. 139. n. 12. et 15.* Quare pluries respondit haec s. Congregatio ex praesumpta fundatorum mente, capellanos applicare debere missae sacrificium, licet de sola celebratione tabulae fundationis loquutae sint, ut in *Senogallien. Missarum 20. Decembris 1732 ad I. dub.*, in *s. Miniatis Applicationis 4. Decembris 1734* et in *Messanen. 4. Aprilis 1778 §. Quamvis.*

Die 20. Decembris 1823. *Gallien.*

Censet *Benedictus XIV. lib. 3. cap. 9. num. 3. de sacros. miss. sacrif.: Si fundator jusserit, certum sibi missarum numerum applicari, de aliis vero nihil amplius dixerit, quam ut hae celebrentur, ex hoc diverso loquendi modo diversa oritur ratio. Quamobrem aliquando s. Congregatio respondit, nullam obligationem esse applicandi eas missas, quas fundator dumtaxat jusserit celebrari nec quidquam dixerit de earum applicatione. Nam praesumitur, eum, quemadmodum in his quas voluit sibi applicari diserte idipsum jussit, ita reliquarum, de quarum applicatione nihil declaravit, voluisse sacerdoti liberam applicationem relinquere.* Et *Pignatell. cons. 138. n. 5.*

Die 29. Jan. 1791. *Romana.*

Vulgata regula juris est, non celebrationem sed etiam sacrificii applicationem pro anima testatoris censeri injunctam, tametsi de sola missae celebratione, non autem de applicatione mentio facta fuerit, juxta plurimas resolutiones sacrae Congregationis editas in *Tinnen. Applicationis sacrificii 18. Aug. 1668 lib. 26. decret. fol. 61,* in *Collen. Applicationis sacrificii 17. Septembris 1679 lib. 40. decr. fol. 4,* in *Spoletana Applicationis et reductionis missarum 11. Januarii 1710 lib. 60. decr. fol. 4,* in *Romana**) *Reductionis et applicationis missarum 15. Decembris 1714 lib. 64. decr. fol. 485,* in *Ferrarien.***) *Applicationis missarum 26. Martii 1718 lib. 68. decr. fol. 113,* in *Cornetana****) *13. Junii 1725 lib. 75. decr. fol. 313* et in *Florentina*†) *Applicationis missae quotidianae 24. Jul. 1734.*

Notandum tamen est, hujusmodi resolutiones locum habere, ubi res esset de fundatione beneficiorum et capellaniarum cum onere celebrandi missas nullo adjecto onere illas applicandi pro fundatore.

Die 19. Aug. 1775. *Taurinen.*

Sane ex jure applicationem voluisse censetur, qui certum reliquit missarum emolumentum, ut tradit *Fagnan.* in cap.: *Significatum de praebend. num. 44.* Praesumendum est enim, ut quisque velit, quod in suam redeat utilitatem praescripta Sacrorum celebratio, *Card. de Lugo disput. 20. de Eucharist. sect. I. num. 23.* Verum ut bene observat *Bened. XIV. de sacr. miss. lib. 3. cap. 9.* per tot. controversiae hujusmodi ex praesumpta voluntate testatoris dirimuntur. Hinc s. Congr. aliquando pro applicatione stetit, cum illam volitam fuisse ex voluntate testatoris apparuerit, ut in *Aconitana 29. Augusti 1789 ad I. dub.* et in *Mutinen. Applicat. et reductionis missarum 26. Jul. 1791 ad I. dub.*, aliquando e contrario, cum nihil de voluntate constiterit, applicationem rejecit, ut in *Mediolanen. Applicationis missarum 11. Maji 1748.*

Die 19. Junii 1802. *Nucerina.*

II. Causae non applicandi.

Vd. *Applicat. missae fund.* (oblig. p. 816; obligatio non est p. 000)

Jam testator non reliquit par emolumentum, numquam praesumitur, quod de applicatione cogitaverit, ut novissime definivit s. Congregatio in *Nucerina Applicationis et reductionis 19. Junii 1802.*

Die 26. Mart. 1803. *Ecclesien.*

Ex piis fidelium oblationibus Senogalliensis Episcopus beneficium simplex erexit cum onere celebrandi festis diebus Sacrum juxta voluntatem DD. Jacobi Mariae et Petri Pauli ac manutenendi ecclesiam ejusque suppelectilem. Hae missae hebdomadales per centum triginta et amplius annos sunt jugiter pro legantibus applicatae, non item illae fundationis. Praesens beneficii possessor Dominicus Marconi quaesivit: *An applicare pro benefactoribus festivas missas teneatur? Non teneri* S. C. resolvit: *Senogallien. 26. Aprilis 1788.*

Tria demonstrant testatorem noluisse applicationem:

Primum finalis causa legati, quae ea fuit, *ut populus posset santificare la festa e sodisfare il precetto.* Id quod per solam celebrationem impletur, quin necessaria sit applicatio. Et quando missa relicta est in aliam causam quam in suffragium animae, scilicet in honorem alicujus Sancti, tum locum non esse applicationi statuit s. Congr.

Deinde ex impari emolumento relicto. Nam cum ad hanc missam perficiendam extraneus advocandus sit sacerdos, hic certo triplo majorem requirit eleemosynam, si applicare debet, ut testatur Episcopus. Quare, dum testator non reliquit congruam eleemosynam, non censetur voluisse etiam applicationem.

Tandem discretiva, ex qua eruitur, quod in legato missarum confessario relicto applicationem praecepit et in hoc nihil me-

*) Vd. *p. 817.*
**) Vd. *p. 819.*
***) Vd. *p. 822.*
†) Vd. *p. 825.*

minit: »*Nam praesumitur* eum, quemadmodum in his quas voluit sibi applicari disserte idipsum jussit, ita reliquarum, de quarum applicatione nil declaravit, voluisse sacerdoti liberam applicationem relinquere«, ut docet *Benedict. XIV. de sacrif. miss. lib. 3. cap. 9. num. 3.* et *Pignatell. consult. 138. num. 5. tom. 6.*

Die 19. Junii 1802. *Nucerina.*

III. In documentis fundationis non expressa.

Vd. *Applicatio missae fund.* (oblig. est, decr. *Cornetana p. 822.*)

Quod attinet ad missarum applicationem communis quidem est doctorum sententia et concinit judicium hujus s. Ordinis, ut capellanus nedum celebrare, sed etiam applicare teneatur praescriptum missarum numerum, quamvis fundator nullam de applicatione mentionem fecerit, *Bencd. XIV. de sacrif. missa. lib. 3. cap. 9,* s. Congr. in *Ferrarien.**) *26. Mart. 1718* et in *Bononien. Applicationis 16. Septembris 1826,* nisi ex vehementibus indiciis et urgentibus conjecturis applicationem noluisse deprehendatur, quemadmodum pluribus allatis resolutionibus evincitur in *Tridentina***) *Applicationis missarum 27. Febr. 1768* §. *Credibile et seqq.* Porro vehemens hujusmodi habetur praesumptio, ubi testator missarum celebrationem indixerit, ut in ecclesiis divina peragantur mysteria vel ut fideles statis quibusdam diebus et horis Sacrum audire valeant, ceu habetur in *Tricastinen.****) *Applicationis sacrificii 8. Augusti 1714,* in *Mantuana Applicationis 19. Novembris 1718* et in *Novarien. 22. Novembris 1827.*

Die 12. Decembris 1829. *Ariminen.*

Vercellen.

In ecclesia parochiali s. Martini oppidi Arborei dioeceseos Vercellensis simplex est beneficium, quod simplex clericatura vocatur sub titulo s. Joannis Baptistae. Hujus beneficii latet fundatio, itaut nec tempus nec leges nec conditiones nec nomen ipsum fundatoris illius sciat. In hac rerum obscuritate id tantum constat in actis visitationis Episcopi Broglia die 7. Junii 1666, huic beneficio onus inesse duorum Sacrorum agendorum qualibet hebdomada onusque illud impletum fuisse a parocho, qui oe tempore beneficium possidebat, nec tamen constat, an, qui post parochum illum beneficium obtinuerint, onus hoc impleverint. Beneficium hoc ab Optimo Maximoque Principe Innocentio XIII. habuit Franciscus Nizzolinius neque onus implevit, ut illud non impleverat Alexander Bolegnius antecedens beneficiarius. In visitatione acta anno 1738 a cl. mem. Cardinali Ferrerio Episcopo Vercellensi decretum fuit, ut Nizzolinius monstraret oneris implementum, jussumque fuit, Martinus Zanolius, qui beneficii praedia conduxerat, Nizzolinium beneficiarium moneret de hoc decreto. Refert Nizzolinius decretum exequutum non fuisse, quod Cardinalis certior factus fuerit de ultimo statu hujus beneficii ab omni onere immunis et de possessione libertatis, in qua ab annis sexdecim ipse erat Nizzolinius. Cardinalis Ferrerii secutus exemplum, qui nunc ecclesiae Vercellensi praeest, Episcopus in visitatione acta anno 1747 simile tulit decretum et beneficii redditus sequestratione devinxit.

Confugit ad hoc Sacrum tribunal Nizzolinius precibus oblatis, sed audito Episcopo rescriptum fuit die 26. Aprilis anno 1749: *Lectum et adimpleat.* Novas preces obtulit Nizzolinius et rescriptum: *Ponatur in folio, non retardata interim celebratione missarum.* Nunc igitur res proponitur ab Eminentissimis Patribus definienda postulante Nizzolinio, ut sequestratio dissolvatur; necesse enim esse ut fundationis tabulae edantur, quo dignosci possint onera beneficii, cum nequeant Episcopi earum leges variare, ut ex *textu in cap.: Porro de privil.* disserunt *Fagnan.* in *cap.: Conquerente num. 24. et seqq. de cler. non resid., Barbos. ad concil. sess. 25. cap. 5. num. 7, Garz. de benef. part. 7. cap. 1. num. 112, Riccius in prax. for. eccles. part. 4. resol. 462. num. 2, Monacell. formul. tom. 2. tit. 1. S. ad formul. 1. num. 29,* ideoque, cum fundatio ab Episcopo non edatur, jus ei non esse onera beneficio adjiciendi. Neque visitationem anni 1666 fundationis vicem praestare posse, cum non ad instrumentum fundationis referatur, sed ad merum factum illius parochi, qui non ex obligatione adjecta a fundatore, sed ex voluntate sive ex alia qualibet ratione potuit Sacra illa agere qualibet hebdomada. Nullam quoque habendam esse rationem de decreto Cardinalis Ferrerii, quod exequutum non fuit et eadem laborat infirmitate, quod

*) Vd. *p. 819.*
**) Vd. *p. 834.*
***) Vd. *p. 815.*

latum fuerit in fide visitationis anni 1666, quae vicem fundationis supplere non potest. Addit vetusta consuetudine, quae vicem legis obtinet, satis probari immunitatem beneficii ab hoc onere, cum neque ante annum 1666 neque post illum ad nostra haec tempora beneficiarii hoc onus impleverint; probari vero apertius ex ultimo statu, qui in hac beneficiali materia utramque paginam facit praesertim cum ipsa beneficii nuncupatio »simplex clericatura« demonstraret beneficium clericis dari ideoque liberum esse ab onere Sacrorum, quae non aguntur a clericis. Omnem vero dubietatem cessare ex quantitate reddituum hujus beneficii, qui ita sunt tenues, ut onera excludant; suevit enim percipi a beneficiariis annua quantitas scut. 12, nunc vero Nizzolinius percipit annua scut. 14, quae summa non respondet oneribus, quae faciunt annua scut. 20. 80, quibus addendi essent sumptus pro altari et sacra suppellectili, itaut, si beneficium hoc haberet onus duorum Sacrorum qualibet hebdomada, beneficiarius non aliquid lucrifaceret, sed pecuniam suam perperet. Haec Nizzolinius. Dubium est:

An substineatur onus missarum seu potius sit locus remotioni sequestri in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Sept. et 21. Novbr. 1750.

Santandarien.

Animarum curam per turnum gerunt beneficiati balmasetensis parochialis ecclesiae nuncupatae de Balmaseda duplicemque ab immemorabili tempore applicare consueverunt missam, pro populo scilicet et benefactoribus. Secundae praesertim missae ignoratur origo, quum, Santandariensi teste Episcopo, de ea non constet nec ex constitutionibus nec ex fundationum tabellis nec ex libris parochialibus aut visitationum decretis aliove monumento. Apud duos tamen antiquiores beneficiatos traditio est, quod pro iis applicari consuevisset, qui digniori tumulati fuissent pompa in eorum ecclesia ob quotidianas propinquorum oblationes. Ab edita vero Benedicti XIV. encyclica: *Cum semper oblatas*)* solutos se censuerunt beneficiati ab hujusmodi applicatione, veluti, ut ipsi ajunt, ab illa opinionum varietate inducta, quam summus Pontifex in praelaudatae encyclicae paragraphis 1. et 6. erudite refert, quamque e medio tollere summa vigilantia zeloque studet; et per annos 19 missam pro benefactoribus neglexerunt: conscientiae deinde stimulis agitati illius reductionem a Santandariensi Antistite ad annuas missas novem cum cantu totidemque defunctorum nocturnos impetrarunt. At aegre hoc etiam onus ferentes ab EE. Vestris quaerunt: num illud ferre teneantur quoad futurum et adimplere quoad praeteritum, pro quo in casu affirmativae absolutionem postulant.

Refert Episcopus ecclesiam de Balmaseda nunquam in collegiatam erectam fuisse nec beneficiatos uti aut aliquando usos fuisse communi sigillo aut alio collegialitatis signo; annuum vero cujusque beneficiati redditum esse ut plurimum 60 ducata auri de camera nec augeri posse, bona insuper fide oratores omisisse ait per 19 annos missas quotidianas praedictas, fundamentum suae sententiae accipientes ex bulla *Cum semper oblatas,* quam commemorant, ac perdifficile illis putat supplere missas omissas, tum quia in magno numero sunt, tum quia beneficia tenuia. Quapropter si aliquos dies non impeditos habent, his indigent ad missas recitandas pro eleemosyna manuali ad propriam decentem sustentationem satis necessaria.

Atque ita concludit: His omnibus inspectis et quia res nimium dubia videbatur, cum pro obligatione staret possessio et immemorabilis consuetudo, pro libertate vero, quod minime constaret de talis consuetudinis causa verisimillimumque videretur, quod exponunt oratores, scilicet consuetudinem applicandi unam missam quotidie pro populo introductam fuisse ex opinionum varietate et congregationis decretis, quae circa hanc materiam emanarunt, alteram vero pro benefactoribus ex grato benefactorum animo ortum duxisse propter oblationes, quae alias in magna satis quantitate quotidie ad ecclesiam, ut ajunt, a fidelibus deferebantur; ego ipse re ad me per oratores anno 1789 delata ad missas quas referunt reduxi, nihil eis pro omissis injungendo.

Ex iis profecto non est ecclesia Balmasetensis, quibus onus Benedictus XIV. in cit. encyclica imposuit missae pro benefactoribus in genere, quum non sit Collegiata, neque juxta relationem Episcopi ulla habeat collegialitatis signa. Aequa idcirco videri posset petitio oratorum, qui alio ob animarum cu-

*) Vd. *p. 695.*

ram gravantur onere missae pro populo. Immemorabilis contra urget consuetudo celebrandi etiam missam pro benefactoribus, nam contrariam dumtaxat Benedictus XIV. abrogavit consuetudinem, quae ex opinionum varietate inducta fuerat, ut in §. 16. encyclicae, eam vero in fortioribus terminis secundae et tertiae missae conventualis servandam statuit, quae celebrationem constituisset, praecepitque §. 22, ut, qui idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Quomodo autem celebranda esset per oratores missa pro benefactoribus, juxta consuetudinem vel ad formam reductionis, quam Episcopus explevit, ad EE. Vestras pertinet decernere.

Haec quoad futurum: quo vero ad praeteritum, excusari non posse videntur beneficiati ob praetermissam celebrationem ex privata interpretatione encyclicae. Nisi haec ipsa interpretatio, quaecumque fuerit, in argumentum accipiatur bonae fidei, ob quam indulgeri solet absolutio, ut in Congregationis *Olivetanae 7. Maji elapsi anni 1791. ad II. dubium.* Maxime quia ob tenues beneficiorum redditus (si tales conferi valent in annuis scutis 60 auri de camera pro quolibet) perdifficile est oratoribus supplere missas omissas in magno numero, ut censet Episcopus.

Dubia sunt:

I. *An et quomodo sit locus celebrationi missae pro benefactoribus quoad futurum in casu?*

II. *An sit locus illius supplemento seu potius consulendum sit SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam celebrato aliquo missarum numero a SSmo praefiniendo.

Die 12. Maji et 16. Junii 1792.

Brixien.

In ecclesia Terrae de Cecina Messaga ab anno 1300 beneficium sub titulo s. Nicolai erectum exstat, cujus fundationis chirographum non invenitur, sed tantum existit actus cessionis praediorum pro ejusdem erectione, in quo haec fundationis verba relata sunt, quibus fundator jubet »quod ecclesia s. Nicolai ditaretur de bonis suis ita, quod unus presbyter et unus clericus ibi commode stare possent et facere divinum officium.«

Pene innumera a duobus saeculis et amplius exagitari coeperunt dissidia inter beneficiatos et patronos aliumque ejusdem ecclesiae capellanum tum circa obligationes et onera, cum etiam circa jus praesentiae in sacris functionibus peragendis, quae quidem dissidia Episcoporum decretis composita fuerunt, semel etiam per conventionem partium, quam tamen et ecclesiasticae auctoritatis approbatione expressa saltem munitam fuisse non constat.

Nunc itaque ut ea, quae adhuc in incerto manent, statuantur vel jam constituta sed antiquata confirmentur aut immutatis accommodentur rerum circumstantiis, praesertim ex quo annui beneficii redditus ita decrevere temporum vicissitudine, ut in praesens, deductis oneribus, nonnisi ad tercentas circiter libellas austriacas pertingant, quatuor infra scripta dubia sapientissimo EE. VV. judicio definienda subjiciuntur, ut quae onera beneficiato incumbant in posterum certo dignoscere datum sit.

Rogatus Episcopus, ut perquisitis actis ss. visitationum super singulis quaestionum capitibus accuratam informationem transmitteret, haec in apposito libello adnotanda subjecit, quae heic ad pleniorem rei notitiam exscribo:

Si premette, che il beneficio è semplice e di giuspadronato privato, e quantumque il beneficiato sia chiamato rettore della chiesa di san Nicolò sussidiaria alla parrochiale di Toscolano, puro non ebbe mai verun onere di coadjuvazione in cura animarum.

Negli atti della visita apostolica fatta dal glorioso s. Carlo Borromeo nell anno 1580. fù decretato che l'investito dovesse celebrare quotidianamente la messa, senza parola dell' applicazione del sacrificio. Eppure nell' atto anteriore di collazione fatta nel 1535. non si trova parola di questo onere della celebrazione, anzi anche nei posteriori che si rinvennero per più di due secoli, cioé fino all' anno 1737. non vi è cenno di tale celebrazione. Solo che si trovano due decreti de' Vescovi, cioè Marino Giorgi nel 1608, Vincenzo Giustiniani nel 1835. che dichiararono ed impongono al beneficiato di san Nicolò la celebrazione quotidiana della messa, e l'assistenza ai Vesperi in detta chiesa.

Dell' obbligo poi della residenza nulla si trova definito nè prò, nè contro, e solo nell' atto di collazione del beneficio fatta nel 1602 si dice espressamente: Quae (ecclesia) personalem non requirit residentiam.« E quando anche ab origine l'investito avesse obbligo di risiedere, la consuetudine invalsa in questo punto a riguardo di non pochi altri beneficii semplici, della quale non si saprebbe determinare il cominciamento, vi ha a poco derogato. E veramente fino dal 1580 era costituita da quei terrieri la dote ad un altro Sacerdote, al quale venne assegnato anche un legato di Messe, ridotte dalla santa Sede, onde fosse tenuto a risiedere, e celebrare tutte le messe festive ed una feriale ogni settimana, e fare tutte le feste la spiegazione della dottrina cristiana al popolo, ed amministrare i Sacramenti nella chiesa di s. Nicolò. Il quale capellano tuttora esiste, e chiamasi rettore di san Stefano dal titolo della cappellania, di cui è investito, ed esercita gli stessi ufficj nella chiesa della Terra.

Nel 1798 per finire le questioni di preminenca insorte tra il beneficiato, ed il cappellano della Terra, ebbe luogo una transazione, per la quale custodia ed officiatura della chiesa è passato coi relativi oneri all' investito pro tempore della capellania di s. Stefano annessa alla stessa chiesa, e di padronato dei terrieri.

Vero è che questa convenzione non ebbe veruna sanzione dalla autorità ecclesiastica, dall' autorità civile: però si ebbe fin qui senza sentradizione come norma pratica; per cui non si potrebbe stabilire l' obbligo della residenza di questo beneficiato, senza risuscitare molte delle questioni che in addietro lungamente turbarono la tranquillità della Terra.«

Haec quoad remotiora tempora; ad proxima quod attinet, prae caeteris monet, antecessorem hodierni capellani celebrasse vel per se vel per alios missas omnibus diebus festis in ecclesia s. Nicolai, quin tamen noscere datum sit an applicaverit pro suo beneficio; hodiernum vero capellanum nec residere nec missas celebrare.

Ad futurum vero tempus quod attinet, idem Episcopus in ea esset sententia, nimirum: »che venisse fatto obligo al rettore di s. Nicolò di celebrare la messa in quella chiesa tutti i giorni festivi dell' anno, e di assistere in essi alle ecclesiastiche funzioni. Riguardo poi all' applicazione del sacrificio si desiderebbe, che venisse concessa all' Ordinario diocesano la facoltà d' imporre l'obbligo di quel numero di applicazioni che si troversà più conveniente nelle attuali circostanze.«

Ad primum quod attinet dubium, onus praecisae ac personalis residentiae prae primis inferri posse videretur ab ipsa fundationis litera, ita quod unus presbyter et unus clericus ibi commode stare possint et residentiam in loco beneficii et celebrationem per se ipsum divinorum officiorum secumferre videantur, maxime cum necessitas standi seu commorandi imperata censetur in loco capellaniae ad hoc ut impleantur illius onera per se ipsum, juxta naturam ejus dictionis, ex traditis a *Barbosa dict. 110. n. 4, Gratian. discept. 147. num. 16,* uti in fere simili specie docet *Piton. de contr. patr. Alleg. 87. num. 9.*

Denique residentiae legem innuere videtur onerum injunctorum qualitas: quae quidem onera, quamvis a fundatione, quae latet, erui praecise nequeant, praescripta tamen habentur in Episcoporum decretis, quorum in uno ac altero capellanus nedum ad missae quotidianae celebrationem, verum etiam ad assistentiam in succursali ecclesia sacris functionibus praestandam adigitur. Onus vero adnexum assistendi divinis officiis, utut in simplici parochiali, personalem residentiam requirit, *Piton. cit. loc. Alleg. 28. per tot.* In functionibus enim peragendis electa censetur industria et qualitas personae, ut observat *s. Rota in Gerunden. Beneficii 25. Junii 1695 §. Et hujusmodi, coram Caprara.*

Nec caeteroquin missas statutis diebus in determinata ecclesia celebrare, supplicationibus interesse, divina peragere officia cum capellani absentia conciliari possunt ad monitum s. Congregationis in *Feretrana Residentiae 10. Nov. 1819.* Hinc posthabenda videretur observantia non residendi, quae et fundationis legi et naturae onerum capellaniae adversatur.

Praeterea receptum est, etiam capellanias aliaque beneficia simplicia de jure communi residentiam requirere, uti communi calculo edocent *Garz. de ben. part. 3. cap. 2. num. 1, Lotter. de re benef. lib. 3. quaest. 27. num. 8, Piton. loc. cit. alleg. 27. n. 2,* ubi

adnotat, solum ex consuetudine universali hanc residentiam in capellaniis minime desiderari; unde arguit, quod, ubi ex fundationis lege colligi possit, residentiam fuisse volitam expresse vel tacite, hoc in casu, etsi de simplici beneficio agatur, illud afficitur residentiale, tamquam conforme dispositioni juris; immo ibid. num. 13. subdit in dubio etiam judicandum esse pro qualitate residentiali ob eamdem rationem, quod communi juri consentanea sit, cum quo potius, quam cum consuetudine universali exclusiva residentiae testator sese conformasse censetur.

Sed non minoris ponderis subsunt momenta rationum ad excludendam residentiae legem. Primo enim simplicia beneficia juxta hodiernam praxim et invectam generalem consuetudinem oneri residentiae non subjiciuntur, ceu monet *Fagnan. in cap.: Ut Abbates de aet. et qual. praef. num. 74,* sed potest eorum oneribus satisfieri per alium, nisi fundator expressis verbis postulet, ut beneficiatus per se ipsum praescriptas functiones peragat, *Zallinger. lib. 3. tit. 4. decretal. §. 33, Gonzales. in cap. 6. de cler. non resid.* et s. Congregatio in *Montis Alti Dispensationis 3. Augusti 1782 §. Juxta,* et in *Ferentina Residentiae 6. Augusti 1825.* Personalem vero residentiam haud necessario secumferre videntur verba, quae ad fundationem referuntur »quod unus presbyter et unus clericus ibi commode stare possint« cum commoratio disserte ac verbis praeceptivis demandata non fuerit; nihilque demum prohibet, quominus capellanus per alium resideat ac divina officia celebret, eo vel magis quod injuncta onera per seipsum explenda esse a fundatore praescriptum non fuerit nec per alios illa peragi vetitum. *S. Rota coram Mestin. dec. 825. num. 7.* et *coram Priolo decis. 89. num. 8.* Accedit residentiae legem prorsus excludi ex actu collationis beneficii anni 1602, ceu patet ex relatione Episcopi.

Sed praecipuum momentum in observantia et consuetudine positum videtur. Exploratum enim in facto est, ab immemorabili consuetudinem residentiae exclusivam ad haec usque tempora vigere; quam ideo pro lege habendam hac in re docet *Piton. cit. alleg. 28. num. 11,* praesertim quia desunt fundationis tabulae. *Card. de Luca de jurepatr. disc. 60. num. 9, Rota coram Lancetta decis. 360. num. 4.* Tanta enim est immemorabilis observantiae vis et efficacia ut excusare a residentia queat etiam in Collegiatis, quae insignes non sunt, uti ex sententia hujus s. Congregationis testatur *Fagnanus in cap.: Cum omnis de constit. num. 31.* Eoque magis servanda est in praesenti specie haec consuetudo, tum si ratio habeatur ad reddituum tenuitatem, quibus in praesens fruitur capellanus; generalis enim consuetudo non residendi in beneficiis simplicibus in reddituum tenuitate adamussim fundata est, ceu monet *Piton. cit. alleg. 28. num. 11,* cum etiam si peculiaria spectentur adjuncta rerum, quae, uti monet Episcopus, residentiae legem nedum non opportunam, periculosam noxiamque fore suadent.

Sacra haec Congregatio etiam in durioribus casibus contra residentiam aliquando judicavit, aliquando vero residentiam sed causativam tantum, quam vocant, admisit cum facultate scilicet onera adimplendi per alium, sed saepe etiam residentiam praecisam cum lege adimplendi per se ipsum indixit, uti patet ab exemplis, quae subjiciuntur in *Casalen. Capellaniae apud Garz. de benef. part. 2. cap. 1. num. 87.* et *Piton. de contr. patr. cit. alleg. 27. in fin.,* ubi erat casus, quod testator demandaverat ut aedificaretur domus pro capellano, in qua inhabitaret et divinis officiis inserviret, et nisi inserviret et habitaret, posset amoveri et capellania alteri conferri, resolutum fuit: »Capellanum non teneri residere et personaliter missam dicere.« Censuit enim sacra Congregatio, uti adnotat *Garzias*, quod demandata fuisset aedificatio et habitatio domus, ut capellanus vel commodius inserviret vel faceret inservire ecclesiae. Ita pariter censuit in *Asten. 14. Febr. 1699 lib. 49. decretor. fol. 132,* ubi similis erat casus.

In *Auximana* vero testator capellaniam institui jusserat ad altare s. Luciae ecclesiae parochialis Terrae Appigniani, ceu missarum celebrationem cum aliis oneribus injunxerat, et legem residendi et habitandi ejus domum in eadem Terra indixerat. Duo proposita fuere dubia:

I. *An hujusmodi beneficium sit sacerdotale ita ut de illo provisus teneatur per se ipsum missas celebrare et per substitutum non possint impleri?*

II. *An personaliter residere teneatur ita*

ut Emmus Episcopus permittere non debeat, ut per alium onera impleri possint?

Die 13. Novembris 1649 fuit responsum

Ad I: Beneficium, de quo agitur, esse sacerdotale et posse per substitutum onera impleri.

Ad II: Emmum Episcopum posse permittere. Sed proposita causa super dubio:

An rector beneficii s. Luciae Terrae Appigniani personaliter residere ibidem teneatur seu potius per alium tale onus impleri possit in casu?

S. Congregatio die 17. Jan. 1761 respondit: Affirmative ad primam partem ad formam testamenti; in reliquis in decisis de anno 1649.

In *Nepesina Capellaniae*, de qua disserit *Pitonius cit. alleg. 28*, jusserat testator: »che si debba eleggere un prete secolare, il quale debba celebrare tre messe la settimana in detta capella . . . quale sacerdote esso testatore vuole, ordina, e comanda che debba assistere in Mazzano a tutti li divini officii e funzioni che si faranno in qualsivoglia tempo nella chiesa parrocchiale di s. Nicolò in Mazzano.« S. Congregatio censuit, quod capellanus non teneretur quidem celebrare per se ipsum, sed adhuc teneretur continue residere in Terra Mazzani et personaliter inservire omnibus divinis officiis et functionibus peragendis infra annum in ecclesia parochiali, ceu refert *Piton. cit. loc.* In hoc vero casu legi residentiae favebat consuetudo, quae, ut *Pitonius* idem adnotat *ibid. n. 12*, non concurrebat in contrariis resolutionibus superius allegatis.

Tandem in *Ferentina Residentiae* res erat de beneficiato, quem ad divina peragenda officia teneri ex actis ss. visitationum constabat, nec deerant documenta, ex quibus consuetudo residendi probaretur. Ad dubium:

An beneficiatus teneatur ad residentiam in casu?

S. Congregatio die 20. Decembris 1823 respondit:

Affirmative, saltem per alium.

Quoad secundum dubium: Quamvis a generali conceptione verborum »facere divinum officium« satis tuto determinari nequeant onera, quae capellano incumbunt, aliquot tamen decreta Episcoporum praeferunt, ex quibus ac praesertim ex decretis annorum 1608 et 1635 aliquam assistentiam sacris functionibus diebus festivis capellano incumbere videretur. Caeterum in hoc etiam contraria observantia obstat. Perpendendum insuper quomodo hujusmodi assistentia conciliari valeat, quatenus residentiae lege capellanus non obstringatur. Videndum etiam an id saltem expediat, praesertim ubi pristinas praeeminentiarum quaestiones exinde iterum excitari pertimescendum sit.

Ad tertium: Pro celebratione missarum pariter occurrunt Episcoporum decreta, quae de hujusmodi onere capellanis imposito dubitare fortasse non sinunt. Idipsum suadere videntur relata fundationis verba. Agitur enim de vetustissima fundatione, antiquitus autem missae sacrificium designabatur etiam ministerii nomine, ut ex *Gazalez. lib. 3. decret. tit. 38. num. 4*, ibi: Ministerium, hoc est missae sacrificium, quod frequenter ministerium appellatur, et missarum celebratio etiam sub officii nomine comprehendebatur, ut post *can.: De iis distinct. 12.* tradit *Pasqualig. de sacrif. novae legis quaest. 882. num. 4*, ibi: Officium namque divinum, ut modo sumitur, est illud quod est institutum publico modo in ecclesiis peragendum ad colendum Deum et exorandum pro populo, praecipua autem pars cultus divini principaliter venit oblatio sacrificii conventualiter exhibendi!

Acta hisce in terminis penes s. Congregationem quaestio fuit in *Messanen. 4. Apr. 1778.* Quidam testator anno 1357 jusserat: Quod monasterium . . . teneatur de redditibus bonorum meorum anno quolibet presbytero eligendo celebraturo continue divinum officium in ecclesia s. Mariae pro animabus etc. uncias auri tres tribuere; item alter testator an. 1404 mandaverat, quod capellanus haberet certam pecuniae summam pro celebratione divini officii celebrandi annuatim in eadem ecclesia etc. Possessor horum beneficiorum exponebat, praedecessores beneficiatos nullum missarum onus implevisse, quia putarent ad aliud nihil se teneri, nisi ad Deum orandum pro animabus fundatorum, non autem ad missas pro ipsis celebrandas. S. Congregatio die 16. Maji ejusdem anni rescripsit: Quoad praeteritum ad D. Secretarium cum SSmo, quo vero ad futurum, teneri capellanum celebrare missas in altaribus a fundatoribus designatis pro intranti quantitate redditui

ad rationem taxae perpetuae, cum applicatione pro anima respectivorum fundatorum.

Ad missarum applicationem quod attinet, pro ejusdem exclusione perpendi potest, hic fortasse capellaniam non fuisse erectam praecipue ad finem celebrandi sacra, in quo casu esset praesumptio demandatae applicationis, sed fundatorem spectasse potius divinum cultum, ecclesiae servitium et populi commoditatem, unde praesumptio hujusmodi exsultat omnino, juxta ea quae docet s. Congregatio in *Mantuana Applicationis 19. Novembris 1718* et in *Novarien. 22. Novembris 1827.* Praeterea de hac applicatione neque praeceptum aliquod neque praecepti aliqua traditio unquam exstitit. Ac plane ubi ejusmodi obligatio viguisset, non omisissent Episcopi, uti celebrationem, ita et applicationem demandare.

At e contra, quamvis onus celebrandi missam distinctum sit ab onere applicandi, ita ut non repugnet celebratio praescripta in certa ecclesia vel altari absque onere applicationis, ex praesumpta tamen fundatorum mente communiter receptum est, quod beneficiatus vel capellanus celebrare simul et applicare debeat sacrosanctum missae sacrificium in expiationem animae testatoris, licet sola celebratio praescripta fuerit, juxta resolutiones s. Congregationis in *Tinen. Applicationis sacrificii 18. Augusti 1668*, in *Senogallien. Missarum 23. Decembris 1731*, in *Sancti Miniatis Applicationis missae 4. Decembris 1734* ac docet *Benedictus XIV. de sacrif. miss. lib. 2. cap. 9*, quoniam hic est praecipuus celebrationis effectus, ceu perpendit *Amostaz. de causis piis lib. 2. cap. 3. n. 39.* Caeterum fundator divinum cultum populique commoditatem spectare simulque sui spirituali bono consulere potuit. Nam ex reg. 45. jur. n. 6. docemur, in obscuris quod est verosimilius inspiciendum esse. Verosimilius autem est, fundatorem etiam applicationem voluisse. De consuetudine demum nihil certi statui posse videtur; consuetudo enim difficillimae est probationis hisce in rebus, ubi de interno actu applicationis agitur, ceu animadvertit s. Rota in *Hispalen. Applicationis missae pro populo 22. Junii 1762 §. 14 coram Herreros.* Hinc in dubia fundatione censendum est, praeter celebrationem applicationem quoque missarum demandatam fuisse, atque ita saepe docuit haec s. Congregatio.

Perpensis autem, quae in Episcopi relatione adnotantur, et praesertim habita tenuitate reddituum decernent EE. PP.: Quot missas celebrare et applicare debeat capellanus; et quoad applicationem speciatim, an res prudenti arbitrio Episcopi relinquenda sit ceu ipse in votis habet.

Quoad postremum denique dubium absolutio generatim denegari non solet, in dicto aliquo missarum numero compensationis loco juxta s. Congregationis praxim, ubi duo haec concurrant, scilicet bona fides et impotentia supplendi; quorum primum ob incertitudinem onerum, alterum ob exiguitatem reddituum non deesse viderentur in themate.

Proponuntur itaque dubia:

I. *An capellanus teneatur ad residentiam in casu?*

II. *An idem capellanus teneatur diebus festis assistere sacris functionibus in ecclesia s. Nicolai in casu?*

III. *An et quot missas teneatur quotannis celebrare et applicare in casu?*

IV. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione et condonatione quoad praeteritas omissiones in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative etiam per alium.

Ad III: Affirmative in omnibus singulis diebus festis de praecepto in designata ecclesia sive per se sive per alium facto verbo cum SSmo.

Ad IV: Affirmative celebratis decem missis in suffragium animae fundatoris.

Die 2. Maji 1857.

IV. Ad libitum.

Tricastinen.

(Conc. Tr. s. 25. decr. de purgat.)

De anno 1647 Franciscus Ramud sacerdos loci Abolenae sub quibus decessit exaratis tabulis institutis haeredibus universalibus monachis et presbyteris aggregatis ecclesiae collegialis s. Martini ejusdem loci eisdem injunxit illud perpetuum onus: di far dire e celebrare ogni giorno in perpetuo senza discontinuazione alcuna una messa bassa nella chiesa del devoto monastero delle monache stabilito in detto Bolena al titolo

di s. Orsola, et all' ora, che dalla dama superiora di d. monastero gli sarà prescritta e designata per il commodo delle sue monache, ed ogni Lunedì non impedito da festa la detta messa si dirà e celebrerà de' morti per la salute dell' anima del detto signor testatore, e nel fine di essa tutte le monache del detto monastero unite insieme diranno ad alta voce il *De profundis etc.*, ed il sacerdote, chè avrà celebrato la detta messa, dirà l'orazione propria e necessaria con l'assoluzione solita. In oltre i detti monaci ed aggregati saranno parimente obligati di andare e cantare tutti insieme nella capella della Madonna di Avventura edificata nel fine del Ponte di detto Bolena ogni domenica e festa di precetto uno degli Inni della Madonna *Salve Regina*, *Regina Coeli etc.* secondo il tempo e la stagione, che la chiesa è solito di dirli etc., prout latius ex particula testamenti in summar. exhibenda. Ab eo tempore satisfecerunt haeredes oneribus praedictis et siguanter celebrationi missae quotidianae in dicta ecclesia monialium attributa tamen sibimetipsis applicatione sacrificii exceptis diebus lunae, quibus applicatum fuit pro anima fundatoris. Cum autem moniales praetenderint applicationem esse faciendam ad earum favorem, delata fuit controversia coram Episcopo, qui partes consentientes remisit ad hanc S. C. Unde porrectis precibus per eosdem haeredes exquisita fuit ejusdem Episcopi informatio, qui transmittendo enunciatam testamenti particulam credidit esse locum examini: An applicatio fieri debeat pro anima fundatoris, qui juxta doctorum sententiam praesumitur sibi reservasse illud spirituale adjumentum etiam aliis diebus, quemadmodum reservavit in die lunae. Relatis autem precibus in Congregatione diei 16. Martii 1709 visum fuit, exquirere meliorem informationem super quantitate reddituum haereditariorum, de tempore conditi testamenti necnon quomodo in visitationibus et tabellis tale onus explicetur circa applicationem, quidve fuerit hucusque observatum. Respondens vero Episcopus literis s. Congregationis retulit quantitatem reddituum ascendere ad summam bis mille librarum monetae illius regionis dictamque haereditatem consistere in mobilibus sub hasta venditis libris 200 dumtaxat et in censibus sortis mille librarum ad rationem septem et postea extinctis et reinvestitis ad rationem quinque pro centenario; immobilia vero consistere in una domo diruta et a presbyteris vendita scutis centum ac in viridario similiter vendito scutis 24 et in alio praedio valoris librarum 300. Porro in visitationibus et tabellis in sacristia appositis nullam, ait relator, fieri mentionem de applicatione, solitum fuisse dd. presbyteris a die obitus fundatoris sibi tribuere applicationem usque ad annum 1682, a quo tempore usque in praesens applicationem praedictam in uno die veneris factam fuisse ad favorem monialium, ita decernente ipso Antistite pro bono pacis, uti fusius ex relationibus pariter in summar. dandis.

Pro majori hujusce causae dilucidatione addere visum fuit, quod testator in eodem testamento ordinavit, ut in casu, quo monachi et presbyteri haeredes instituti vel nollent acceptare haereditatem sub enunciatis oneribus vel praetenderent eorum diminutionem seu moderationem, tunc cassavit institutionem ipsorum favore factam, quibus legavit quinque solidos dumtaxat ac voluit sua bona devolvi ad moniales s. Ursulae usque ad summam scutorum quingentorum cum eodem onere missae quotidianae et *De profundis* explendo per sacerdotem ipsis benevisum, reliquum vero haereditatis pervenire ad confraternitatem ss. Sacramenti ejusque fructus erogari in faculis pro associatione Venerabilis. Praeterea animadvertere licet, quod scutum secundum usum status Avenionen. constat tribus libris, quae valutantur julii septem cum dimidio monetae romanae juxta dec. 225. par. 16. recen. et quaelibet libra componitur ex viginti solidis. His quoque perpensis EE. VV. erit definire:

An missa fundata per Franciscum Ramud in ecclesia monialium sanctae Ursulae Villae Abolenae sit applicanda pro fundatore, aut pro dictis monialibus aut ad libitum sacerdotis celebrantis?

S. C. C. resp.: Esse applicandum ad libitum sacerdotis celebrantis excepta missa feria secunda applicanda pro anima fundatoris.

Die 18. Julii et 8. Augusti 1711.

V. Obligatio est.

Spoletana.

Jacobus Pastorellus e Castro Lacus instituta haerede universali capella s. Pancratii in parochiali ecclesia Valentini castri reliquit in suo testamento quaedem bona stabilia et census, ut ex eis fundaretur capellania de suo jurepatronatus injuncto onere capellano *quotidie celebrandi missam in dicta capella et in diebus feriatis in aurora et rogare deum pro anima ipsius testatoris et suorum praedefunctorum* etc. Et infra: *Quod capellanus debeat continuo residentiam facere hic in castro Lacus et in casu, quo deficeret in non celebrando missam quotidie, ut supra, in tali casu voluit et mandavit gravari d. capellano julium unum pro qualibet missa non celebrata, dispensandum ad arbitrium d. executoris pro anima ipsius testatoris, declaratione tamen per ipsum testatorem expresse facta, quod Domini Superiores non possint ullo unquam tempore in aliquo rumpere vel minuere voluntatem ipsius testatoris,* uti fusius ex particula testamenti in summar. danda. Hanc autem capellaniam primo loco obtinuit Nicolaus de Nobilibus, deinde vero Marcellus Ferentillus, post cujus obitum capellania caruit rectore per annos 30 ob diminutionem sive inexigibilitatem reddituum ac deperitionem plurimorum censuum. Nuper vero de ea provisus fuit Carolus Petrus Cardonus orator, qui perscrutando contextum fundationis praetensionem excitavit, haud exinde erui onus applicationis sacrificii, unde humiliter recurrit ad s. Congr. pro declaratione, ita tamen, ut, si praefata applicatio statuatur, exoraret pro reductione oneris missarum deleto onere residendi et celebrandi in aurora.

Episcopus Spoletanus informare desuper requisitus per tres expetitas relationes omnia praemissa comprobando pro exclusione applicationis sensum suum aperuit, sin vero aliter, indulgendam censuit reductionem, eo quippe attento, quod, ubi prius annui redditus ascenderent ad scut. 31, postmodum vero sequuta reductione fructuum censualium ab octo ad fere medietatem necnon eorundem inexigibilitate vix modo pertingant ann. summam scutorum 17. Quoad vero observantiam ait informans, duos alios antedictos capellanos quotidie respective applicasse sacrificium pro anima fundatoris ac nullum insuper documentum de praedictis missis adnotatum reperiri in tabella primodictae parochialis ecclesiae neque in visitationibus, una excepta de anno 1630, quam transmisit. Terminum tandem decem dierum jamdiu elapsum relator subdit sese praefixisse Jacobo Pastorello unico patrono et curato ejusdem ecclesiae parochialis assentiente reductioni certis adjectis conditionibus uti latius videre est in praememoratis relationibus cum aliis juribus in summar. exhibendis. Restat igitur, ut ad novas oratoris preces EE. VV. resolvere dignentur:

I. *An Carolus Petrus Cardonus modernus capellanus capellae s. Pancratii de Pastorellis teneatur ad applicationem sacrificii?* Et quatenus affirmative,

II. *An sit locus reductioni missarum, deleto residendi onere et celebrandi in aurora in casu etc.?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative;

Ad II: Affirmative ad manualem in aurora deleto tantum onere residendi.

Die 11. Jan. 1710.

Romana.

(Conc. Tr. decr. de purgat. s. 25.)

Exoriente anno 1614 aeque pia ac nobilis mulier Flaminia Caesia de Sabellis in postremis tabulis decem instituit perpetua beneficia sive capellanias in ecclesia s. Andreae de Valle sub jurepatronatus laicali praestituta adamussim dote loc. mon. 131, quae manuteneri deberent sub inscriptione capellaniarum Caesiarum, ac desuper expediri literae patentes sumptibus haereditatis; eorum vero fructus inter capellanos dividerentur adjuncto cuilibet eorum onere sex missarum hebdomadalium (excepta tantum majori hebdomada, in qua tria sacrificia celebrari debent) tempore a superiore ecclesiae praestituendo pro cultu divino ibi conservando. Quinque insuper ex memoratis sex missis primis quinque diebus cujuslibet hebdomadae offerri pia testatrix voluit in altari privilegiato pro defunctis, videlicet quatuor pro suffragio animae ipsius testatricis, Troili Sabelli, ejus filii, et Cardinalis Petri Donati et Ludovici de Caesiis, quinta missa hebdomadalis pro defunctis, quorum memoria in hoc mundo periit »*la sesta* (sunt verba ipsius testatricis) *si dica ciascheduno sabbato, e sia messa votiva della virgine Maria, quando però dal giorno non fosse impedito da qualche festa solenne, nel qual caso si dica la messa della festa.*« Comminatis tandem quibusdem poenis capellanis, qui oneribus fungi minus curarent, ac praesertim quod pro quolibet sacrificio ommisso duo celebrarentur, nominatisque ex asse haeredibus praeposito et clericis regularibus

praejudicatae ecclesiae testamentarium executorem testatrix nominavit Cardinalem Vicarium Urbis pro tempore, ut latius ex documento in summario exhibendo. Quoniam vero a primaeva institutione capellaniarum fructus locorum montium summam annuatim pertingebant sc. 801. 50. sicque unicuique ex capellanis portio assignabatur sc. 80. 15, at in praesenti hujusmodi imminutis proventibus vix pro eorum quolibet summa remanet scut. 35 annuatim, hinc moderni capellani inixe reductionem missarum expetunt, ut eleemosyna primum assignata instauretur in congruam sibi ipsis eleemosynam reputantes manualem, quam in praesenti recipiunt, tum ex testatricis asserta voluntate cum etiam ex pluribus incommodis ac servitutibus, quibus subjacent, quemadmodum uberius in circumferendis juribus exponunt. Alteram quoque ipsi capellani suppliciter instantiam proponunt pro benigna declaratione, quod nequaquam applicare teneantur missam die sabbato celebrandam. Siquidem testatricem nequaquam voluisse ejusmodi applicationem deducunt ex discretiva, sub qua ipsa disposuit, videlicet tantum quinque missas praeordinasse in suffragium defunctorum, singillatim recensendo animas incruento missae sacrificio sublevandas, sextam vero missam de s. Maria injunxisse pro cultu ecclesiae tum prope contemplato. Perspecta itaque observantia in memoriali adducenda ac relatione R. P. vicesgerentis, quae in summario datur, ubi supramemorata confirmantur ac votum oratoribus propitium profertur, ita tamen quod reductio missarum a celebratione die sabbati, quae sine applicationis onere a praelaudato relatore dijudicatur, exordium habeat, ex eo potissimum, quia minus testatricis animae suffragatur, non gravabuntur EE. VV. sapiens oraculum proferre sub dubiis, monitis patribus memoratae ecclesiae s. Andreae de Valle:

I. *An et quomodo missae sunt reducendae?*

II. *An missa die sabbati sit applicanda?*

S. C. C. resp.

Ad I: Negative et ad Em. Praefectum juxta modum;

Ad II: Negative.

Die 1. et 15. Decbr. 1714.

Burgi.

(Conc. Tr. c. 5. s. 15. de ref.)

In postremo voluntatis elogio, quod de anno 1591 exaravit Franciscus Capuccius, prae ceteris haeredibus injunxit capellaniae erectionem de jurepatronatus familiari cum dote scutor. 500, cujus onera sub hac dispositione praescripsit:

»Capellanus teneatur semper et in perpetuum celebrare et celebrari facere septem officia mortuorum quolibet anno, unum videlicet pro anima Jo. Mariae sui filii, aliud pro anima Fulvii, alterius filii, aliud pro anima Alexandri similiter sui filii, aliud pro pro salute animae d. Elisabeth, et aliud pro salute animae ipsiusmet testatoris, et in quolibet dictorum septem officiorum expendere scutum unum ad supradictam rationem et sic in totum scuta septem pro quolibet anno; dicta vero officia voluit, ut celebrentur in die obitus cujuslibet praenominatorum, ac etiam voluit et disposuit, quod idem capellanus, qui pro tempore fuerit, ut supra teneatur et debeat qualibet hebdomada in aeternum quatuor missas ad altare dictae capellae celebrare, unam scilicet qualibet die sabbati decantandam, alias vero tres in aliis diebus hebdomadae arbitrio ipsiusmet capellani«, ut latius ex documento, quod in summario dabitur. Anno decurrente 1710, cum Episcopus in sancta visitatione compertum habuerit, quod hujusce capellaniae hebdomadales missae nequaquam applicabantur, in relatione status ecclesiae tum exhibita dubium excitavit: an jure id permittere posset, recensita tantum dispositione testatoris, ubi haec onera imponuntur, cum ratione dubitandi a capellano proposita, ex quo testator omisit verba expresse denotantia applicationem. In Congregatione igitur diei 24. Maji jamdicti anni 1710 proposito ejusmodi quaesito EE. PP. fuerunt in sensu: »*Capellanum cogendum esse ad applicationem.* Verum enimvero Alexander Rigi de Alexandris modernus capellanus minus acquiescens ab hac resolutione enixe reclamavit et sub die 1. Junii proxime effluxi rescriptum obtinuit: »*Audiatur non retardata interim applicatione.*« Impraesentiarum itaque orator prae caeteris inquit, nequaquam cogi posse ad applicationem hujusmodi sacrificiorum tum ex asserta voluntate testatoris elicita ex discretivo modo loquendi, cum etiam ex diuturna observantia et modicitate reddituum, quos percipit. Episcopus, qui super precibus auditus fuit, facti serie confirmata tantum addit, proventus capellaniae non excedere summam scut. 22. 77, adeo ut deducta eleemosyna anniversariorum et impensa sac. utensilium supersit tantum

summa scut. 12 circiter pro missis hebdomadalibus. Dignabuntur itaque EE. PP. ex his aliisque uberius adducendis dubium sapienter decernere:

An sit standum vel recedendum a decisis sub die 24. Maji 1710?

S. C. C. resp.: *In Decisis et amplius.*

Die 7. Decbr. 1715 et 11. Jan. 1716.

Florentina.

(Conc. Trid. c. 4. s. 25. de ref.)

Editis anno 1625 ab hac sacra Congregatione notissimis decretis de celebratione et reductione missarum capitulum parochialis et collegiatae ecclesiae s. Laurentii compositum ex capellanis triginta tribus distributionum participantibus aliisque sexdecim non participantibus, sed praehendam omnibus habentibus scut. 15 supplicavit huic sac. Congregationi die 12. Januarii anni 1630, ut missas, quas dicti capellani sine applicatione aliisque receptis eleemosynis celebrabant, reducere dignaretur ad manualem eleemosynam, juxta reddituum proportionem cujuscumque capellaniae, cum onere capellanis injuncto illas pro fundatoribus applicandi, et facultate pro reliquis missis eleemosynam recipiendi, et supplicem libellum sac. Congregatio remisit ad Archiepiscopum Florentinum, qui pro sua conscientia id satuat, quod ad Dei honorem atque ecclesiae servitium magis expedire judicaverit. Archiepiscopus expensis et capellaniarum redditibus, de quarum fundatione non constabat, certum numerum missarum pro fundatoribus applicandarum per capellanos praefixit et inter caetera mandavit, ut capellanus capellaniae conceptionis B. M. V. missas biscentumtriginta ut supra celebraret; modernus capellanus fundationem ejusdem capellaniae in praesens producit, in qua Angela Sandri fundatrix per actum donationis inter vivos expletum ab anno 1458 mandat: eligi unum capellanum ecclesiae s. Laurentii ad officiandum, et qui officiare debeat in dicta ecclesia unum altare seu capellam intitulatam sub nomine conceptionis B. M. V. pro anima dictae Agnolettae etc., ut faciunt alii capellani dictae ecclesiae s. Laurentii in capellis dictae ecclesiae etc., et etiam cum pacto, quod capellanus sic eligendus teneatur et debeat facere quolibet anno in perpetuum duo anniversaria seu officia pro anima dictae Agnolettae etc. in die festo conceptionis B. V. Mariae et alium in die sequenti, in quibus anniversariis celebrentur una missa canenda et viginti missae planae pro quolibet.

Praetendit capellanus abolendum esse onus missarum biscentum triginta modo et forma, quibus supra impositum, ea praecipue ratione, quia verbum *officiare* potius sac. psalmodiam chori in horis canonicis quam celebrationem missarum denotet; Archiepiscopus animadvertit, fundatricem non mandasse ejus capellanum officiare ecclesiam s. Laurentii sed capellam seu altare a se designatum, sicuti reliqui capellani alia altaria officiabant, ideoque ne tot choros in dicta ecclesia fuisse supponatur, quot altaria, censet de celebratione missarum intellexisse, praecipue cum officiare pro ejus anima praeceperit et consequenter est in voto: Oratorem non esse absolvendum ab onere applicandi, nisi in quantum redditus capellaniae non sufficerent pro congrua eleemosyna et habita hac proportione esse augendam seu moderandam taxam missarum biscentum triginta factam.

Ex quibus aliisque ab oratore deducendis EE. VV. sapientissime de more dispicient:

An et ad quae onera missarum et anniversariorum et ad eorum applicationem pro fundatrice capellanus orator teneatur in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative ad duo anniversaria et ad missas ad formam decreti Archiepiscopi.

Die 27. Novb. et 11. Decb. 1717.

Ferrarien.

(Conc. Trid. s. 22. decr. de observ. et evit in celebr. missae.)

Calamellus de Calamellis post fabricatam anno 1348 capellam in cathedrali ecclesia Ferrariensi sub invocatione sanctorum Joannis Evangelistae et Antonii Viennensis duas in illa fundavit capellanias, aliam redditus scutorum centum, aliam redditus scutorum quinquaginta cum onere, quod capellani, verba sunt fundationis, continue celebrent missas, ita quod diebus ferialibus specialiter pro anima ipsius Calamelli patris matrisque suae, fratrum et sororum, suarum nepotum, propinquorum et benefactorum suorum et dominae Catharinae ejus uxoris et omnium fidelium defunctorum missas celebrent mortuorum; si fuerint negligentes, pro qualibet vice solvant denarios sex per

reverendissimum Episcopum convertendos ad dictum usum.

In executionem oneris injuncti capellani quotidie missas celebrarunt et celebrant, sed missas nec applicarunt nec applicant, nisi illis diebus ferialibus, in quibus in calendario dicitur de ea, et pro hujus facti ratione nedum longaevam afferunt observantiam sed ulterius innituntur visitationi factae anno 1689 a clar. mem. Cardinali Cerro Episcopo Ferrariensi, in qua, loquendo de applicatione missarum, quae fieri debeat a capellanis possidentibus capellanias fundatas a Calamello de Calamellis, sic statuit: mandavit celebrari quotidie et cum applicatione sacrificii diebus ferialibus ad tenorem fundationis.

Collato Episcopatu Ferrariensi eminentissimo Domino Cardinali Rufo in Congregatione ab ipsa deputata super visitatione suae dioecesis supposita fuit examini dispositio saepe memorati Calamelli de Calamellis et existimatum fuit, capellanos ab eo institutos nullatenus satisfacere propriae obligationi celebrando quotidie et applicando tantummodo missam diebus ferialibus, in quibus in calendario dicitur de ea, sed teneri ad celebrandum quotidie cum applicatione, ita ut sola differentia inter dies, in quibus sit officium duplex, et inter dies, in quibus duplex officium non sit, consistere debeat in hoc, quod in diebus, in quibus non sit officium duplex, celebrare teneantur missas mortuorum, quas celebrare non debent in diebus officii duplicis, absque eo quod tamen applicationem omittant ullo die, sive sit sive non sit dies officii duplicis.

Ab hoc Congregationis deputatae sensu capellani se gravatos existimarunt et benigne illis concessa ab eminentissimo Episcopo licentia recurrendi ad hanc sacram Congregationem operae pretium est exponere momenta rationum, quae utrique parti assistere possunt.

Dicitur itaque in informatione eminentissimi Episcopi, non posse capellanis suffragari vel observantiam vèl praeteritas visitationes, quia, quando est clara lex fundationis, illa est servanda, et praesidium constitui non potest vel in consuetudine vel in aliorum sensu. Dicitur etiam, applicationem missarum pro anima Calamelli et patris et matris ejusdem et aliorum ipsius propinquorum ad paucos redigi dies, si fiat illis tantum diebus, in quibus in calendario dicitur de ea, cum singulo mense aut pauci aut nulli adsint dies, in quibus sit officium de feria; cumque testator non esset sacerdos sed laicus et consequenter praesumi valeat ignarus feriarum atque dierum, in quibus in calendario sit officium de feria, urget maxima verisimilitudo, quod quocunque die voluerit celebrationem et applicationem missae, et quod nomine dierum ferialium intellexerit, prout vulgus intelligit, eos dies, in quibus celebrari possunt missae privatae defunctorum, quae juxta rubricam dici valent quoque die, praeterquam in festis duplicibus et dominicis. Dicitur denique in citata informatione, nullam esse difficultatem quoad applicationem in diebus ferialibus, cum id expresse dictum fuerit a testatore, idemque judicium ferendum esse quoad applicationem ceteris aliis diebus, cum vera sit doctorum opinio, quod, quando ex verbis aut mente fundatoris non colligitur, quod ipse reliquerit libertatem applicationis sacrificii, illud est pro anima ipsius applicandum.

Et concordant hujus sacrae Congregationis resolutiones. In *Tinen.* etenim *Applicationis sacrificii die 18. Augusti 1668. lib. 26. decretorum fol. 61.*sic legitur: Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam capellania cum onere capellani pro tempore Sacrum faciendi singulis dominicis aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset sacrificium. Ideo Episcopus Tinen. supplicat per sacram Congregationem declarari: an hujusmodi sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum capellani, uti hactenus factum esse comperiit. Die 18. Augusti 1668 sac. Congr. Concilii respondit: Applicandum esse sacrificium pro anima testatoris. Et cum hoc eodem sensu sac. Congregatio processit in *Lucana anni 1683. pag. 241. a tergo,* et in *Collen. ejusdem anni pag. 264. lib. 33.,* et in alia *Collen. anni 1686. lib. 35.*, et in *Vicentina anni 1688. fol. 471. lib. 38,* et in *Spoletana**) *Applicationis seu reductionis missarum anni 1710. fol. 4. a tergo lib. 60.*

Pro capellanis e contra facit primo, quod in re et ad effectum, de quo agitur, attendenda sunt verba fundationis, cumque ex illis non habeatur, nisi quod capellani celebrent quotidie, et quod sacrificium applicent diebus ferialibus, celebratio erit quidem quo-

*) Vd. *p. 816.*

libet die adimplenda, sed applicatio fieri non debebit, nisi diebus ferialibus, diebus scilicet, in quibus in calendario dicitur de ea, cum dies feriales juxta proprietatem sermonis illi sint, in quibus fit officium de feria. Facit secundo, quod dispositio Calamelli de Calamellis dubia ad minus censeri potest. Admissa autem dubietate observantia longaeva ac in visitationibus Episcoporum formiter approbata juxta sensum doctorum de materia tractantium tanti esse debet roboris et momenti, ut ipsi diebus solum ferialibus applicare teneantur, sicut et ipsi et sui praedecessores praedictis solum diebus applicarunt, et sicut Episcopi in suis visitationibus statuerunt. Facit denique tertio discretiva, quae legitur in fundatione Calamelli de Calamellis: »Continue celebrent missas, ita quod diebus ferialibus specialiter pro anima ipsius Calamelli etc. missas celebrent mortuorum,« quasi quod si fundator dies expressit, in quibus voluit applicationem in illis, in quibus non expressit applicationem noluisse dicendus sit; multoque magis, quia demandando quotidianam celebrationem in capella, a se fabricata in cathedrali ecclesia, et nonnullos dies designando, in quibus exoptabat missae applicationem, verisimile admodum est, ut omnibus diebus, respexerit ad servitium cathedralis ecclesiae et ad majorem numerum missarum in ea celebrandarum, et quod aliquibus diebus ultra dictum servitium ecclesiae, voluerit applicationem missarum pro anima sua et pro animabus suorum propinquorum.

Cohaerenter ad hoc sacra haec eadem Congregatio in *Causa Collen. Applicationis sacrificii anno 1685* agendo de quadam dispositione, in qua cautum fuerat, ut capellanus pro tempore missam celebraret omnibus diebus hebdomadae, praeter unum cum hoc quod tres missae qualibet hebdomada celebrarentur de mortuis pro anima fundatoris, censuit: *Capellanum teneri applicare dumtaxat tres missas de mortuis, et non alias.* Item haec eadem sacra Congregatio in alia *Collen. Applicationis sacrificii anno 1689* tractando de quadam capellania instituta cum onere missam quotidie celebrandi hora determinata post terminatum scilicet officium divinum in cathedrali, ut mercatores et scholarum discipuli illi interesse possent, respondit: *Capellanum non teneri applicare sacrificium pro anima fundatoris.* Et demum haec eadem sacra Congregatio in quadam causa *Tricastinen.**) *Applicationis sacrificii missae,* in qua quaestio erat de quadam capellania fundata cum obligatione celebrandi quotidie quadam hora determinata pro commoditate nonnullarum monialium et applicandi qualibet feria secunda non impedita missam mortuorum pro anima fundatoris, respondit anno 1711: *Missam esse applicandam ad libitum sacerdotis celebrantis, excepta missa in feria secunda applicanda pro anima fundatoris,* uti habetur pag. 332. et pag. 358. a terg. lib. 31. decretorum.

His autem pro utraque parte deductis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An capellani instituti a Calamello de Calamellis teneantur quocunque die missam applicare pro anima fundatoris et ejus propinquorum?*

Et quatenus negative,

II. *An teneantur tantummodo applicare missas diebus ferialibus, in quibus in calendario dicitur »de ea«?*

Et quatenus negative,

III. *In quibus diebus teneantur applicare?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative;

Ad II et III: Satis provisum.

Die 12. Febr. et 26. Mart. 1718.

Alexandrina.

(Conc. Tr. s. 22 de observ. et. evit in celebr. miss.)

Anno 1628 Joannes Zucca rogavit patrem praepositum et reliquos patres Somaschae ecclesiae parochialis sancti Sirii civitatis Alexandrinae, ut vellent assignata iisdem eleemosyna celebrare seu celebrari facere missam unam quotidianam in perpetuum in aurora ad altare ipsius Joannis erectum in dicta ecclesia sub titulo s. Caroli ad effectum, ut omnes viatores, laboratores et peregrinantes possint illam commode audire et in apertura januarum hujus civitatis Alexandriae recedere, et ad viaticum et laborerium accedere et pergere; et praevia licentia patris generalis necnon praevia assignatione ducat. 800 patres promiserunt missam quotidie et singulo die, et, si festivo, in honorem beatae Mariae Virginis et Sanctorum dicere et celebrare seu dici et celebrari facere in aurora

*) Vd. *p. 815.*

et tempore congruo, quo valeant laboratores, coltivatores et quivis operarii et viatores et peregrinantes dictam missam audire et ab hac civitate recedere et exire in aperitione januarum hujus civitatis, et in hypothesi, in qua patres deficerent in celebratione, etiam pro unica vice, conventum fuit, ut caderent ab assignatione dictorum ducatorum, uti latius desumitur ex instrumento.

In executionem hujus instrumenti missa fuit punctualiter celebrata et ulterius patres eam applicarunt pro anima pii testatoris; cumque subinde praetensionem excitaverint, quod ad dictam applicationem minime tenerentur et huic praetensioni se opposuerint Dominicus Ruphinus et alii de Zucca causam habentes a Joanne, de hoc onere applicationis in praesenti disputari contingit.

Pro applicatione facit, quod missa est pro fundatore applicanda, licet ipse applicationem non expresserit, juxta resolutionem hujus sacrae Congregationis in *Tinen. Applicationis sacrificii die 18. Augusti 1668. lib. 26. decretorum fol. 61,* cui haec sacra Congregatio temporibus subsequentibus passim adhaesit. Facit ulterius, quod Joannes devenit ad hujus capellaniae fundationem volens in aliqua parte gratias reddere, ac etiam ad implorandam divinam misericordiam, uti legitur in instrumento, haec etenim verba praeseferre videntur obligationem applicandi. Facit denique ipsorum patrum observantia, qui in praeteritum missas celebrarunt et applicarunt non omisso, quod assignamentum factum a Joanne congruum et proportionatum dici debet, quae res favet oneri applicationis.

Putant e contra patres, se ad applicationem non teneri, quia, quando testator de applicatione locutus non est, et, prout hic, aliam expressit causam celebrationis, pro commoditate videlicet viatorum atque peregrinantium, tunc onus celebrationis sibi vindicat locum, sed non illud applicationis, ut in terminis capellaniae fundatae cum onere quotidianae celebrationis quadam hora determinata: acciò molti occupati da negozi possino andare a sentirla, ed in specie li scolari quando escono dalla scuola. Respondit haec sacra Congregatio in *Collen. Applicationis sacrificii 17. Decembris 1679. lib. 4. decret. fol. 4.* et in terminis capellaniae fundatae cum onere celebrationis missae quotidianae *pro satisfactione et octo monialium degentium in monasterio Corporis Christi civitatis Mantuanae* respondit haec sac. Congreg. in *Mantuana Applicationis sacrificii 19. Novembris 1718,* in cujus folio aliae allegantur consimiles resolutiones. Addunt patres, praeteritam observantiam sibi non obesse, cum observantia sibi vindicet locum in re dubia, non re clara, et in hujus sui assumpti comprobationem asserunt, quod assignamentum factum a Joanne non est congruum, habita ratione celebrationis in aurora, si ultra celebrationem diceretur onus adesse applicationis.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An patres congregationis Somaschae teneantur ad applicationem missae celebrandae in aurora in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 4. et 18. Mart. 1719.

Cornetana.

(Conc. Trid. s. 22. decr. de observ. et evit. in celebr. missae.)

Joannes Andreas de Grassis suum anno 1659 condidit testamentum, in quo inter caetera sic disposuit: Lascio per ragione di legato al reverendissimo capitolo e Signori Canonici della Cathedrale di Corneto scudi mille e dugento moneta, acciò li Signori Arcidiacono e Canonici facciano obligo per se stessi e per loro successori in esso capitolo di celebrare in essa chiesa Cattedrale sei messe basse per ciascheduna settimana in perpetuo, cioè quattro de' morti e due del Santo corrente in ciascheduna settimana da celebrarsi in perpetuo ogni mattina all' Alba per commodo de' lavoratori, ed a tale effetto li detti scudi mille e dugento si pongano a frutto.

Acceptatum fuit a capitulo legatum et acceptatio concepta fuit sequentibus verbis: *Missae Joannis Andreae de Grassis celebrandae in aurora absque applicatione*; et missae modo praedicto, hoc est sine applicatione favore animae testatoris, fuerunt celebratae usque ad annum 1693, quo tempore cum clarae mem. Cardinalis Barbadico, instante Petro Antonio Tartaglia testatoris nepote, in sacra visitatione Cornetanae dioecesis decrevisset, missas esse celebrandas in aurora et esse applicandas pro anima testatoris, ab inde citra et usque ad tempus praesens missae hora praedicta fuerunt celebratae necnon applicatae ad tramites citati decreti.

Onus hoc missas praedictas applicandi, utpote ab antiquioribus Canonicis assumptum in obsequium decreti Cardinalis Barbadici, visum est praesentibus Canonicis intollerabile, habitoque ab iisdem recursu ad hanc sacr. Congregationem pro declaratione exemptionis ab onere applicandi missas, de quibus agitur, pro anima Joannis Andreae de Grassis, juxta morem datae fuerunt literae ad Episcopum pro informatione superventisque ejusdem responsionibus, in quibus Canonicorum rationes exponuntur, disputandum in praesenti proponitur dubium ad calcem restrictus referendum.

Porro Canonicorum fundamenta ad sequentia capita reducuntur.

Primum consistit in verbis testamenti, in quibus celebratio demandatur, nec ullum sit verbum de applicatione.

Secundum consistit in legati acceptatione, quae est applicationis exclusiva unacum immediata observantia continuata ab anno 1659 usque ad annum 1693, in qua temporis intercapedine missae fuerunt celebratae sed non applicatae pro anima testatoris.

Tertium desumitur ex verbis ipsius testamenti, in quibus demandatur missarum celebratio in aurora per commodo de' lavoratori; quando etenim in legato exprimitur commoditas eorum, qui missam debent audire, nec ullum sit verbum de applicatione demandata, intelligitur celebratio et non applicatio pro anima testatoris.

Quartum deducitur, ex quo Joannes Andreas testator, quando voluit applicationem, eam expressit, uti desumitur ex aliis legatis missarum, quae relicta fuerunt religiosis ejusdem civitatis Cornetanae, cum dixerit se disponere, ut tot missae celebrentur *per l' anima de' suoi*, hinc inferendo, quod, sicuti quando voluit applicationem eam expressit, signum est, quod eam noluit.

Ultimum demum pro exclusione applicationis argumentum stat in quantitate a testatore relicta, haec etenim modica censetur habita proportione ad aliam pecuniae quantitatem relictam pro missarum celebratione, in quibus expresse applicationem demandavit.

Haec sunt, quae continentur in scripturis Canonicorum et in informatione Episcopi; in eo autem, quod attinet ad hujus sacrae Congregationis resolutiones, *certa esse videtur regula, quod missa est pro fundatore applicanda, licet ipse applicationem non expresserit, sed solum celebrationem,* uti colligitur ex resolutione in *causa Tinnen Applicationis sacrificii die 18. Augusti 1668. lib. 26. decret. fol. 61,* cui etiam eadem sacra Congregatio subsequenter adhaesit, et in qua sic legitur: *Ex dispositione testamentarie antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam capellania cum onere capellani pro tempore Sacrum faciendi singulis dominicis aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset sacrificium; ideo Episcopus Tinnen. supplicat per sac. Congregat. declarari: an hujusmodi sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum capellani uti hactenus factum esse comperiit.*

Die 18. Augusti 1668 sacra Congregatio Concilii respondit: Applicandum esse sacrificium pro anima testatoris.

Quoad punctum vero: An facta expressione celebrationis pro commoditate audientium absque ulla mentione applicationis, applicatio pro fundatore dicenda sit necne demandata, sacra haec Congregatio saepe fuit in sensu: Applicationem non fuisse demandatam, ut in terminis fundationis capellaniae cum onere quotidianae celebrationis quadam hora determinata: *acciò molti occupati da negozii possano andare a sentirla, ed, in specie gli scolari quando escono dalla scuola* respondit sacra Congregatio in *Collen. Applicationis sacrificii 17. Decembris 1679. lib. 40. decret. fol. 4.* et in terminis capellaniae erectae cum onere perpetuae celebrationis missae *all' ora, che dalla dama Superiora del monasterio di s. Orsola gli sarà prescritta e designata per il commodo delle sue monache* respondit haec ead. s. Congregatio in *Tricastinen.**) *Applicationis sacrificii*, quae fuit proposita die 18. Julii et resoluta die 8. Augusti 1711, uti habetur lib. 61. decret. fol. 332. et fol. 358 et ex quo munere fungor secretarii hujus sacrae Congregationis, cum die 19. Novemb. 1718 in *Causa Mantuana Applicationis sacrificii*, in qua agebatur de capellania fundata a Joanne Francisco Conzaga Mantuae Duce in altari majori ecclesiae monasterii monialium Corporis Christi sequentibus verbis: *Cognito, quod ecclesia dedicata sub titulo Corporis Christi dote caret sitque opus capellano, qui ibidem, ut requiritur, celebret missam pro satisfactione et voto venerabilium monialium degentium ibidem, pro se et socio*

*) Vd. *p. 815.*

sive clerico necessariis quoad victum, vestitum et tectum ad sufficientiam, ne de caetero in ipsa ecclesia capellani carentia continua missarum desinat celebratio, quam ad majus meritum et satisfactionem ipsarum dominarum quotidianam esse desiderat, sponte donavit etc., cumque disputatum fuisset dubium: *An capellanus teneatur missam applicare pro suffragio animae fundatoris vel potius teneatur ad solam missae celebrationem in casu?* Responsum fuit: *Negative quoad primam partem et affirmative quoad secundam.*

Et e contra cum in Congregatione habita die 4. Martii 1719 in quadam causa *Alexandrina,*)* in qua agebatur de contractu facto cum patribus congregationis Somaschae ejusdem civitatis, quibus assignata fuit eleemosyna *cum onere celebrandi seu celebrari faciendi missam unam quotidianam in perpetuum in aurora ad altare ipsius Joannis contrahentis erectum in dicta ecclesia sub titulo s. Caroli ad effectum, ut omnes viatores, laboratores et peregrinantes possent illam commode audire et in apertura januarum hujus civitatis Alexandriae recedere et ad viaticum et laborerium accedere et pergere*, disputatum fuisset sequens dubium: *An patres Congregationis Somaschae teneantur ad applicationem missae celebrandae in aurora in casu?* Sacra haec eadem Congregatio die 19. Martii 1719 respondit: Affirmative ex tribus, uti memini, fundamentis in folio relatis, quia videlicet semper patres celebraverant et applicaverant in antecessu, et ulterius, quia eleemosyna relicta erat superabundans, et demum, quia in prooemio dispositionis fundator dixerat, se devenire ad capellaniae fundationem, ut gratias redderet et ad implorandam divinam misericordiam.

Discretiva quoque apposita a fundatore et consistens in hoc, quod idem in aliquo casu meminerit celebrationis et applicationis et in alio casu solius celebrationis, habita fuit ab hac sac. Congregatione aliquando pro argumento, quod testator, ubi voluit, applicationem demandavit, et ubi non demandavit, eam noluit, uti signanter factum est in *Causa Romana**) Reductionis et applicationis miss. die prima et die 15. Decembr. 1714. lib. 64. decret.* Cumque proinde universa haec materia pendeat a conjecturis, ultra caeteras supra relatas pro exclusione applicationis videtur operae pretium esse inquirere: *An sit alicujus momenti pro applicatione, quod testator non solum voluit quotidianam missarum celebrationem, sed etiam praescripsit, quod quatuor missae mortuorum et duae de festo currenti qualibet hebdomada celebrarentur, et quod ulterius in aliis omnibus missis, in quibus expressit applicationem, fundator non meminit animae suae*, sed suorum, ibi: *per l' anima de suoi*, hinc quippe inferri posset, quod animae suae fuisset oblitus, si in aliis missis et signanter in illis, de quibus agitur, pro suae animae suffragio applicationem non demandasset.

Jura circumferentur. Unde onus erit EE. VV. decernere:

An missae sint applicandae in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 23. Junii 1725.

Cornetana.

(Continuatio.)

Pius vir Joannes Andreas Grassi suo postremo elogio anni 1659 legati titulo reliquit capitulo et Canonicis cathedralis ecclesiae Cornetanae summam scutorum 1200, *acciò li Signori Archidiacono e Canonici facciano obligo per se stessi e per loro successori in esso capitolo di celebrare in essa chiesa catedrale sei messe basse per ciascuna settimana in perpetuo, cioè quattro de' morti e due del sabbato corrente in ciascuna settimana da celebrarsi in perpetuo ogni mattina all' alba per commodita de' lavoratori, ed a tale effetto i detti scudi 1200. si pongano a frutto.*« Legatum hoc a capitulo acceptatum fuit per verba: »*Missae Joannis Andreae de Grassis celebrandae in aurora absque applicatione,*« prout revera ad annum usque 1693 in aurora absque applicatione celebratae fuerunt.

Anno vero 1693 censuit Cardinalis Barbadico tunc Cornetanus Antistes easdem missas juxta testatoris voluntatem non solum in aurora celebrandas, sed etiam esse applicandas. Idque ipsum edixit haec sacra Congregatio *sub die 23. Junii 1725;* nam proposito dubio:

An Missae sint applicandae in casu etc.?

responsum fuit: *Affirmative.*

Verum anno 1726 successor Episcopus Bonaventura, perspecta redditui dicti capitalis imminutione in vim facultatis in concilio romano a sa. me. Benedicto XIII. Episcopis elargitae applicationem dictarum missarum reduxit ad annuas missas 242, firma

*) Vd *p. 821.*
**) Vd. *p. 817.*

tamen manente illarum celebratione in aurora pro agricolarum commodo. At deperdita nunc etiam rata capitalis in summa scutorum 50 imminutisque pariter ad annua scuta 46 fructibus residui capitalis scutorum 1150 in censibus investiti, cum ex his sufficiens desit eleemosyna pro eo onere implendo, capitulum et Canonici supplices sunt, ut, firma manente celebratione missarum in aurora, applicationis onus reducatur.

Vicarius generalis Cornetanus auditus refert, fructus dicti capitalis scutorum 1150 in tot censibus investiti vix reddere annua scuta 46. Adeo gravem esse sacerdotum saecularium in ea civitate penuriam, ut difficile reperiatur qui missas in aurora velit celebrare. Nullos descendentes a testatore vel de ejus familia interesse habentes adesse. Concluditque demum: *Ex praemissis deducere mihi liceat expedire summopere petitam et congruam missarum reductionem absque applicatione, ut facilius inveniri possit, qui majori cum lucro tantum onus velit sustinere eo vel maxime quia aliae suspensae pro inserviente et utensilibus perpendendae sunt.*

Atque hinc animadvertendum est, legatum incipere a dote et fundo, deindeque onus injunctum fuisse; legatum ideo taxativum esse. Porro legati redditus modo vix ascendere ad annua scuta 46, missam vero in aurora praesertim ob sacerdotum inopiam impleri non posse videtur, nisi cum eleemosyna obulorum 20 pro qualibet: Solum igitur onus celebrandi missam in aurora exposcere summam longe majorem illa hodierni redditus annuam non excedentis summam scutorum 46. Nihil ergo aequius videri, quam ut vel missarum numerus reducatur vel imminuatur saltem onus applicationis, maxime quia nec testator applicationem expressit nec eadem applicatio umquam facta fuit tempore fundationis proximo, ab anno scilicet 1659 ad annum 1693.

Et quamvis capitulum et Canonici praescriptum onus juxta testatoris praeceptum acceptaverint et ad illius implementum se obstrinxerint, videtur tamen hoc onus acceptatum fuisse quoad missarum celebrationem in aurora absque ulla applicatione; unde eamdem acceptationem ampliari non posse ad missarum applicationem. Caeterum cum manifesta nunc exsurgat laesio cumque nullus presbyter adeo tenui eleemosyna velit onus illud implere, semper hoc ad justitiam et aequalitatem esse reducendum, ut *in Bergomen. Reductionis missarum 19. Junii 1728* et in *Vallisoletana Reductionis anniversariorum 8. Augusti 1761.*

E contra vero ambigi nequit de onere applicationis missarum a Joanne Grassi fundatore praescriptarum, cum idem jam praescriptum fuerit ab hac sacra Congregatione *sub die 23. Junii 1725*, ut in *thes. resol. tom. 3. pag. 184.*

Unica modo inspectio est de ejusdem reductione attenta reddituum legati tenuitate ad onus implendum. Notissima sunt juris canonici principia, de quibus *in Fanen.*) Reductionis missarum 27. Aprilis 1718*, in *Bergomen. Reductionis missarum 19. Julii 1728* et in *Vallisoletana Reductionis anniversariorum 8. Augusti 1761.* Perpendendum insuper est, an testatoris voluntati magis consonum sit potius onus applicationis quam celebrationis in aurora reduci. Testator enim expresse dixit, easdem missas celebrari in ogni settimana all' alba per commodo dei lavoratori, e a tal' effetto li detti sc. 1200 si pongano a frutto.

Decernant itaque eminentissimi Patres:

An et quomodo sit locus reductioni in casu?

S. C. resp.:

Firma remanente applicatione et hora celebrationis missarum esse locum reductioni arbitrio Episcopi, cui scribatur, juxta instructionem, nempe, quod Episcopus praefigat quantum fieri poterit mitiorem taxam perpetuo servandam.

Die 5. Junii et 17. Julii 1779.

Florentina.

Franciscus Maria de Macchiavellis in codicillis, quos condidit die 5. Martii 1726 ab incarnatione et 1727 a nativitate, dotem cujusdam capellaniae, quae sub jurepatronatus ejus familiae jam pridem erecta reperiebatur in ecclesia s. Felicitatis, a summa scutorum viginti quatuor ad annua scuta sexaginta jussit ab ejus haeredibus augeri, imposita capellano lege applicandi juxta ejus mentem sacrificium missae quotidianae, quae prius absque ullo applicationis onere ab eodem capellano celebrabatur, ibi: Item ordino e voglio, che dai miei eredi si acresca l'entrata della mia capella di s. Gregorio

*) Vd. *Missa* (reductio).

posta in s. Felicità di questa città sino alla somma di scudi sessanta, con che pero il capellano pro tempore debba celebrare quotidie, o far celebrare a detto altare la s. messa con applicare il sacrificio per l'anima mia e per chi avrò in mente.

Executores testamentarii, quibus ad certum tempus commissa fuerat haereditatis administratio, ut capellanus dictae missae sacrificium juxta testatoris mentem quotidie applicaret, ultra scuta vigintiquatuor, antiquam praefatae capellaniae dotem, alia scuta sexaginta quotannis ei persolverunt, donec tradita fuit haereditas Marchioni Joanni Baptistae Macchiavelli de Rangonibus haeredi in testamento scripto, contendens qui nonnisi scuta triginta sex, ultra vigintiquatuor, primaevam capellaniae dotem, solvenda esse, judiciali intimatione lacessivit Laurentium de Justis modernum capellanum ad declarandum, an vellet legatum augmenti dotis a scutis vigintiquatuor ad annua scuta sexaginta cum onere applicationis quotidiani sacrificii in codicillis praescripti acceptare, protestans, se alias non soluturum dicta scuta triginta sex, sed potiri velle facultate curandi, ut per alios sacerdotes praefato oneri satisfieret.

Capellanus, hac intimatione recepta, declaravit in actis, se legatum acceptare *ad formam juris, sacrorum canonum, apostolicarum et synodalium constitutionum.* At vero ejusmodi declaratione non contentus Marchio de Macchiavellis alias deinde praedictae suae petitioni consentaneas promovit instantias coram Vicario generali Florentino, a quo post plura utrinque deducta tandem pronunciatum est: »Vigore augmenti annui redditus ultra antiquam dotem usque ad complementum summae scutorum sexaginta monetae Florentinae dictae capellaniae relicti etc. futuros dictae capellaniae rectores teneri ad celebrandas tot missas cum applicatione sacrificii ad mentem supradicti D. de Macchiavellis ad rationem librae unius pro qualibet missa, nempe solidorum viginti pro qualibet missa.«

Ab hoc decreto appellationem interposuit Marchio Joannes Baptista: cumque subinde preces suas sacrae huic Congregationi porrexerit pro habendo super enunciata controversia ejus oraculo, jussus de more Archiepiscopus Florentinus eamdem sacram Congregationem instructam reddere votumque suum aperire, confirmatis hactenus expositis, refert, se ex facultate sibi a san. mem. Benedicto XIII. tributa moderandi perpetua missarum onera ad normam indulti familiis religiosis concessi in concilio romano *tit. 15. cap. 8*, generali decreto pro sua archidioecesi edito die 22. Julii 1726 praecepisse »quod nulla onera missarum perpetua tam pro capellaniis noviter erigendis quam pro officiaturis et aliis annuis piis relictis acceptarentur, nisi cum fundo competenti et signanter pro missa quotidiana, quod saltem esset annuus redditus scutorum sexaginta monetae romanae.

Hac autem posita lege ipse censet, rectorem capellaniae cogi non posse ad missarum celebrationem nisi pro rata factae seu faciendae assignationis, computatis sacrificiis juxta modum taxae superius recensitae; secus enim capellanus, ut ait, supra vires legati gravaretur, cum pro eo, quod respicit missarum applicationem, habenda sit tantum ratio scutorum triginta sex, quae Franciscus Maria nuper augeri jussit, dum alia scuta viginti quatuor pristina, capellaniae dos, nequeunt ullo novo onere praegravari.

Porro huic Archiepiscopi sententiae conformis esse videtur praxis sacrae Congregationis, quae perpetua missarum onera ante eorum acceptationem moderari consuevit ad rationem eleemosynae perpetuae, ut in *Praenestina die 15. Junii 1709 lib. 59. decr. pag. 217*, et in *Romana 6. Febr.* currentis anni relatis inter summaria precum.

Immo postulante eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano declarari: An facultate a summo Pontifice Benedicto XIII. impetrata reducendi perpetua missarum onera juxta formam indulti concessi familiis religiosis necnon Episcopis, qui concilio romano nuperrime coacto interfuerunt, uti posset etiam quoad onera, in quibus nulla contigerat proventuum diminutio, die 26. Julii 1726 ab hac sacra Congregatione rescriptum fuit: Posse haec etiam onera reduci, servata tali proportionis norma, ut pro una missa singulis diebus in perpetuum celebranda percipiatur eleemosyna in annuis scutis sexaginta, ut *lib. 76. decr. pag. 369;* idemque responsum subinde fuit in *Aretina 17. Augusti ejusdem anni pag. 465.*

Ex his inferri posset acceptationem celebrationis et applicationis dictae missae quotidianae factam a modero capellano ad formam juris et constitutionum synodalium admittendam esse, ut in simili casu respondit sacra haec Congregatio die 26. Jan. 1644 in quadam Romana, in qua proposito dubio: *An acceptatio legatorum pro certo numero missarum annuarum, ad quarum celebrationem fructus relicti non sunt sufficientes, et nomine ven. fabricae interpellantur legatarii, an velint illa legata acceptare, et ipsi respondent, se velle acceptare animo obtinendi reductionem, sit de jure admittenda?* rescriptum fuit: Acceptationem ut supra expressam de jure admittendam esse, ut ex *lib. 17. decret. pag. 269.*

Verum tria adversus haec potissimum opponuntur.

Primo, quod capellanus pro celebratione et applicatione dictae missae quotidianae, computatis antiqua dote scutorum viginti quatuor ejusque augmento in scutis triginta sex constituto, reipsa percipiat scuta sexaginta, itaut satisfactum videatur indulto Benedictino necnon Archiepiscopi decreto ad illius normam edito.

Secundo, quod pro augmento dotis dictae capellaniae traditi vel assignati non fuerunt a testatore fundi, quorum redditus progressu temporis diminui possint, sed annua scuta triginta sex quae absque ullo detrimenti aut diminutionis periculo debent ab haeredibus in perpetuum solvi, adeoque onus praedictae missae quotidianae reduci nequeat ad rationem praetensae eleemosynae perpetuae, quemadmodum in specie resolvit sacra haec eadem Congregatio in *Romana Reductionis oneris missarum 22. Martii 1732* et in alia *Romana Reductionis oneris missarum 28. Februarii 1733.*

Et tertio demum, quod reductio missarum eo minus sit admittenda, quia, recusante capellano numerum a testatore praescriptum adimplere, commode possit per alios sacerdotes ab haerede seligendos earum integra celebratio obtineri, quod pro causa validissima non reducendi missarum onera generaliter ponderant *Navarr. cons. 10. de celebr. missar.* et *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 12. num. 34.*

Caeterum ad absolutam causae decisionem neque omittenda penitus videtur altera inspectio, num potius teneatur patronus, ultra saepedicta scuta vigintiquatuor, antiquam capellaniae dotem, alia scuta sexaginta persolvere, quemadmodum statim post obitum testatoris ea solverunt executores testamentarii, vel quia nota iis aliunde foret mens testatoris ita volentis, vel quia sic de jure faciendum esse crediderint, etiam inspectis codicillorum verbis, ob privilegium causae piae, pro cujus adimpleto, ubi major summa est necessaria, debet ab haerede suppleri, juxta roman. in suo singul. consil. 43, quem sequitur *Tiraquell. de privileg. causae piae privileg. 63. in fin.*

Omnibus itaque perpensis placeat Eminentiis VV. decernere:

I. *An missa quotidiana fundata in altari s. Gregorii sine onere applicationis imposterum applicari debeat, stante augmento scutorum triginta sex?*

Et quatenus negative,

II. *An liceat capellano applicare numerum missarum correspondentem taxae dioecesanae vel potius liceat patrono per alios sacerdotes benevisos adimplere celebrationem missarum quotidie cum illarum applicatione in casu?*

S. C. C. resp.

ad I: Affirmative,

ad II: Provisum in primo.

Die 24. Julii 1734.

S. Miniatis.

Societas ss. Annunciatae oppidi Montopolis sub annum 1348 construxit altare in parochiali ecclesia ss. Joannis et Stephani tunc temporis subjecta Episcopo Lucano ibique auctoritate ejusdem Episcopi capellaniam erexit *pro suorum peccatorum remissione, ad laudem et reverentiam omnipotentis Dei et B. M. Virginis et pro ampliatione divini cultus.* In dotem vero ejusdem capellaniae constituit sex annuos modios frumenti, quorum valor vix ascendit ad annua scuta sexdecim, multiplici hoc onere adjecto, nimirum quod capellanus »continuo in dicto altari debeat celebrare et residentiam personalem semper facere in dicta plebe et terra et quod dictus sacerdos eligendus sit et esse debeat extra numerum capellanorum dictae plebis, et non possit nec debeat aliud beneficium ecclesiasticum cum cura et sine cura, quod residentiam exigat, recipere etc., quod capellanus teneatur omni die in dicto altari celebrare, legitima causa excepta, et in dicta

ecclesia celebrationi divinorum officiorum continuo interesse etc., quod sacerdos et quilibet suus successor in perpetuum teneatur omni in festo s. Annunciatae dare prandium plebano necnon Canonicis«. Sunt verba instrumenti fundationis.

At quia proventus annui bonorum, quae in dotem praedictae capellaniae assignata sunt, idonei haud erant pro supportandis dictis oneribus, non satis liquet, num eadem capellania ab initio illius erectionis effectum fuerit sortita; sed hoc unum in facto habetur, quod Episcopus Lucanus, attento hujusmodi capellaniae tenui redditu, anno 1354 praedicta bona custodienda commisit cuidam laico ea sub lege, ut annuum illorum fructum absque ejus licentia nemini traderet; itidemque constat, eidem capellaniae auctoritate Episcopi unitam seu incorporatam fuisse alteram capellaniam sub invocatione s. Francisci erectam de jure patronatus praedictae societatis una cum illius bonis, ex quo factum est, ut annuus redditus capellaniae, de qua agitur, auctus fuerit ad annua scuta 60 monetae Florentinae.

Post hujusmodi unionem tam primus capellanus quam illius successores consueverunt quidem missam singulis diebus in dicto altari celebrare, at illius applicationem, uti asseritur, semper omiserunt, itaut praedicta societas anno 1688 supplex insteterit coram Episcopo s. Miniatis, cui dioecesi addictum fuit praedictum oppidum Montopolis, ut capellanum compelleret ad controversam applicationem dictae missae quotidianae; eadem societas capellanum provocavit ad s. hanc Congregationem, ubi, disceptato hoc dubio:

An capellanus teneatur applicare sacrificium in casu?

die 29. Julii 1690 rescriptum fuit:

Affirmative, ut in lib. 40. decr. pag. 511.

Ad normam hujus resolutionis Alexander Toscanellus dictam capellaniam acceptavit, emissa ad instantiam societatis obligatione missam singulis diebus applicandi; verum deinde contendens se ad hujusmodi applicationis onus non teneri ab hac sacra Congregatione supplex postulavit, ut immunis a dicto onere declararetur. Sacra autem Congregatio die 15. Januarii 1729 iterum instante societate rescripsit Episcopo: *Juris remediis cogat capellanum ad exequenda decreta.* Sed reclamante Alexandro Toscanello adversus istud rescriptum necnon petente missarum reductionem, quatenus ad illarum applicationem teneatur, eadem sacra Congregatio, praehabita Episcopi informatione unacum illius voto die 29. Augusti superioris anni, edidit decretum ita conceptum: »Episcopus praefigat terminum ad deducenda jura in sacra Congregatione, non retardata interim executione praecedentium decretorum, ad quem effectum Episcopus etiam provideat juxta ejus votum, nimirum provideat ad sequestrationem fructuum capellaniae pro satisfactione missarum tempore praeterito a Toscanello non applicatarum, necnon pro applicatione missarum, quae imposterum sunt celebrandae.«

Rebus igitur in hoc statu vertentibus, cum praemissa Alexandri Toscanelli petitio sub dubiis inferius proponendis modo sit discutienda, porro illi obstat regula, qua cautum habetur, non celebrationem solum, sed etiam sacrificii applicationem censeri injunctam, quamvis de applicatione expressa mentio habita non fuerit, juxta resolutiones ab hac sacra Congregatione editas in *Tinnen. Applicationis sacrificii 18. Augusti 1668*, in *Spoletana**) *Applicationis et reductionis missarum 11. Januarii 1710 lib. 60. decr. pag. 4*, in *Romana***) *Reductionis et applicationis missarum 15. Decembris 1714 lib. 64. decr. pag. 485*, in *Ferrarien.****) *Applicationis missarum 26. Martii 1718 lib. 68. decr. p. 107*, in *Alexandrina* †) *18. Martii 1719 lib. 69. decr. pag. 113* et in *Cornetana* ††) *23. Junii 1725 lib. 75. decr. pag. 313* et in *Senogallien. Missarum 20. Decembris 1732 ad I. dubium.*

Immo retento in facto, quod celebratio dictae missae quotidianae a societate ss. Annunciatae non fuerit principaliter ordinata quoad cultum ecclesiae et in commodum populi nec satis constet, capellanos antecessores praedictam missam non applicasse, inferri inde potest, eamdem societatem, in erectione perpetuae hujus capellaniae voluisse capellano imponere onus non tantum celebrandi, sed etiam applicandi sacrificium, uti in consimili casu rescripsit s. Congregatio in *Collen. Applicationis sacrifi-*

*) Vd. *supra p. 816.*
**) Vd. *supra p. 817.*
***) Vd. *supra p. 819*
†) Vd. *supra p. 821.*
††) Vd. *supra p. 822.*

cii 17. Sept. 1679 lib. 40. decr. pag. 4, in *Tricastinen.**) *Applicationis sacrificii 8. Aug. 1711 lib. 61. decr. pag. 358*, in *Mantuana Applicationis sacrificii 19. Novembris 1718 lib. 68. decr. pag. 457* et novissime in *Novarien. 22. Novembris 1727 lib. 77. decr. p. 637*, quin vero ex hoc ipso, quod eadem missa quotidiana ordinata fuerit a confratribus dictae societatis *pro suorum peccatorum remissione, ad laudem omnipotentis Dei et beatae Mariae Virginis et pro ampliatione divini cultus*, arguere licet, injunctum fuisse capellano onus applicationis sacrificii juxta punctualem resolutionem sacrae hujus Congregationis in *Alexandrina*,**) ubi, licet celebratio missae demandata fuisset a fundatore ad commodum peregrinorum, viatorum et laboratorum, attamen, quia idem fundator celebrationem dictae missae etiam reliquit, ut gratias Deo redderet et divinam misericordiam imploraret, die 18. Martii 1719 disceptato dubio: »*An Patres Congregationis Somaschae teneantur ad applicationem missae celebrandae in aurora in casu?*« rescriptum fuit: Affirmative, ut in lib. 69. decr. p. 113.

Adversus haec Alexander Toscanellus potissimum imponit tenuitatem dotis, quae dictae capellaniae in limine illius erectionis fuit assignata, indeque concludit, inverisimile esse, quod societas voluerit capellano injungere onus applicandi dictam missam quotidianam, uti notant *Pasqualig. de sacrific. nov. leg. quaest. 933.* et *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 3. num. 50. et 51.* Expendendum autem est, num ex eo, quod dictae capellaniae unita postmodum fuit altera de jurepatronatus praedictae societatis augmento dotis usque ad sexaginta scuta monetae Florentinae, ratio tenuitatis reddituum primum assignatorum momenti esse possit, cum de caetero ob dotis augmentum, quod supervenit, teneri capellanum ad quotidianam missae applicationem rescripsit sacra Congregatio in *Florentina****) *Applicationis missae quotidianae 24. Julii exeuntis anni.*

Episcopus in literis, quas ad sacram Congregationem dedit sub annum 1726, facti seriem supra expositam distincte recensuit ac deinde ita subjunxit: »Censerem, posse quidem esse locum oratori supplicandi pro reductione onerum arbitrio Eminentiarum VV., stante dubio super tenuitate vel congruitate dotis ab origine assignatae; sed fructum sacrificii missarum ab eodem in praedicto altari celebrandarum utique applicandum fore pro confratribus et pro eorum peccatorum remissione.« In informatione vero, quam nuperrime transmisit, idem confirmans refert: Oratorem oneri missarum, quas antea celebrare et applicare neglexit, hactenus non satisfecisse et non attentis decretis sacrae Congregationis passim dictam missam quotidianam celebrare absque illius applicatione proindeque putat, eumdem oratorem cogendum esse ad controversam sacrificii applicationem sub poena privationis dictae capellaniae.

His igitur ponderatis placeat Eminentiis VV. definire:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 29. Julii 1690?*

Et quatenus affirmative quoad primam partem,

An sit locus reductioni onerum in casu?

S. C. C. resp.

Ad I: In decisis et Episcopus cogat omnino rectorem tam ad applicationem in futurum quam ad satisfaciendum pro neglectis applicationibus in praeteritum.

Ad II: Negative et amplius.

Die 20. Nov. et 14. Dec. 1734.

Lucana.

Ferdinandus de Carolis ecclesiae sub titulo s. Martini in oppido Petrae Sanctae existenti, si in Collegiatam erigeretur, legatum fecit scutorum mille illius monetae, adjecto onere: »di celebrare ogni mattina all' alba una messa, ed in questo mentre i preti debbano in ogni modo dire detta messa alla sopradetta ora, e perchè si giudica, che detti denari renderanno cinquanta scudi, detto testatore intende e vuole, che quattro il mese siano delli preti, che diranno d. messe, e i due, che avanzano, del sagrestano; che sarà di tempo in tempo, e in difetto, che detti preti non eseguissero detta volontà, vuole e comanda, che detta rendita vada alli padri di s. Agostino di detto luogo con il sopradetto obligo, ed in difetto dei frati ritorni alli preti,« sunt verba testamenti sub annum 1633 conditi.

*) Vd. *supra p. 815.*
**) Vd. *supra p. 821.*
***) Vd. *supra p. 825.*

In executionem hujus dispositionis Canonici memoratae ecclesiae, quae in Collegiatam post obitum testatoris erecta fuit, dictum capitale scutorum mille ut supra relictum curarunt investiri in annuos census, deinde vero consueverunt deputare sacerdotem, qui missam hora a testatore praescripta quotidie celebraret absque tamen onere applicationis, assignato illi annuo stipendio scutorum quadraginta quatuor tantum, quippe quin duo solvebantur custodi sacrarii, et alia quatuor ei, qui missae celebrandae signum daret.

Cum vero sub annum 1710 clar. mem. Card. Spada tunc temporis Episcopus Lucanus in actu pastoralis suae visitationis id deprehenderit, ratus praedictum annuum stipendium scutorum quadraginta quatuor impar non esse etiam oneri applicationis praecepit Canonicis, ut coram suo Vicario generali vel coram hac sacra Congregatione rationes deducerent, ob quas missae sacrificium pro anima testatoris ad ea usque tempora applicare omisissent.

Quo decreto edito Canonici praefati coeperunt missam in testatoris suffragium applicare et in hanc usque diem sunt prosecuti ea contenti summa, quae, detractis praedictis sex scutis custodi sacrarii et pulsatori aeris campani persolvi solitis, superfuit.

At nuper exponentes iidem Canonici, nonnullos ex praedictis censibus extinctos fuisse eorumque capitale in summam scut. 400 nondum tuto potuisse reinvestiri, adeout in praesentiarum, deducta summa scutorum sex, quae solvitur praefatis duobus ministris, annua tantum scuta viginti octo remaneant pro sacerdote missam celebrante, sicque, si inposterum praedicta scuta 400 investiri contingat, nonnisi scuta 42 circiter eidem sacerdoti superesse possint, supplices postularunt ab hac sacra Congregatione declarari, quod celebrantes dictam missam quotidianam non habeant onus eam applicandi pro testatore.

Fundamenta, quibus innixae sunt preces Canonicorum, in eo potissime versantur, quod inverisimile sit, testatorem voluisse onus applicationis injungere celebrantibus, tum quia de illo nullam mentionem fecit, tum quia censendum est, ejus mentem unice fuisse directam ad consulendum commoditati artificiorum et agricolarum, tum demum quia stipendium scutorum 48 relictum pro celebratione missae quotidianae sub auroram, si applicatio sacrificii requireretur, non esset par oneri, perspectis gravi non minus incommodo quam periculo contrahendae infirmitatis ob intemperiem aeris in eo praecipue loco ante ortum solis admodum insalubris, causa circumadjacentium paludum juxta testimonium, quod proferunt tres sacerdotes in oppido Petrae Sanctae commorantes. Quae omnia fortius corroborari contendunt ab observantia adeo longaeva et immediate post obitum testatoris subsecuta, dum ab eo tempore usque ad annum 1710 nunquam pro ipso testatore sacrificium applicari consuevit.

Jussus Archiepiscopus de hac re sacram Congregationem edocere confirmata facti serie superius exposita sententiam suam aperiens ita concludit: Quoad primum dubium: »An Canonici celebrantes teneantur ad voluntatem legantis sacrificium applicare,« mihi quidem ad id adstricti videntur, tum quia eam fuisse testatoris voluntatem praesumendum est, dum nihil contrarium expresse declaravit, ut pluries sac. ista Congregatio decrevit, tum etiam quia eleemosyna scut. 4 pro singulis mensibus, quam testator supposuit celebrantem assecuturum, tertio major erat consueta eleemosyna manuali, unde abs re videtur credere, quod testator hanc pinguem eleemosynam non reliquerit celebranti intuitu solius incommodi horae intempestae nulla habita ratione applicationis sacrificii ad suae animae suffragium.

Quoad vero secundum dubium: *Utrum sit locus reductioni*, mea sententia est, quod, nisi placeat EE. PP. obligationem summo mane celebrandi in horam tardiorem differre, (quod equidem aegreferent oppidani assueti frui commodo dictae missae) petitae oneris moderationi benigne annuendum sit, habita ratione fructuum, qui exigi possunt ex scutis mille, et eleemosynae aliarumque expensarum pro missa horis intempestis et cum valetudinis discrimine celebranda.

Pluries de hac materia applicationis sacrificii actum est in sacra Congregatione et praecise in casibus, in quibus injunctum fuerat onus missam certa hora celebrandi ad commodum agricolarum, artificum et peregrinorum, editae sunt resolutiones declarantes: Capellanum non teneri ejus sacrificium pro anima testatoris applicare, ut signanter in *Collen. Applicationis sacrificii 17. Decembris 1689 lib. 40. decret. pag. 3*, in *Tricastinen.*) Applicationis sacrificii 8. Aug. 1711 lib. 61. pag. 358*, in *Mantuana Applicationis sacrificii 19. Novembris 1708 lib. 68. decret. pag. 458* et in *Novarien. 22. Nov. 1727, lib. 77. decret. pag. 637.* At perpendere oportet, resolutiones hujusmodi prodiise in iis casibus, in quibus juxta concurrentes circumstantias conjici poterat, testatorem noluisse onus applicationis injungere, cum de caetero, ubi congruitas assignati stipendii vel alia argumenta in oppositum militarent, haec eadem s. Congregatio censuerit, sacerdotes jussos missam celebrare certa hora teneri ad ejus applicationem pro anima testatoris, licet ab eodem haec expresse in tabulis testamentariis demandata non legeretur, ut in *Alexandrina**) 18. Martii 1719 lib. 69. decret. pag. 43* et in *Cornetana***) 23. Junii 1725*, in qua testator legatum ita conceperat: Lascio per ragione di legato al capitolo e Signori Canonici della cattedrale di Corneto scudi mille e ducento moneta, acciò li Signori Arcidiacono e Canonici facciano obbligo per se stessi e per loro successori in esso capitolo di celebrare in essa chiesa cattedrale sei messe basse per ciascheduna settimana in perpetuo ogni mattina all' alba per commodo di lavoratori; e a tal' effetto li dd. scudi mille e ducento si pongano a frutto, ut in in lib. decr. 74. pag. 343.

Quo vero ad subalternam petitionem Canonicorum, qui supplices postulant, ut saltem reducatur onus missae quotidianae ad rationem eleemosynae perpetuae, si pro anima testatoris applicandum fore sacrificium declaretur, eorum sane precibus favore videntur rescripta sacrae Congregationis in *Praenestina 15. Februarii 1709*, in *Romana 6. Februarii 1734* et in *Nepesina Reductionis onerum*, ubi proposito hoc dubio: *An et quomodo sit locus reductioni onerum in casu?*

die 24. Julii anni mox elapsi rescriptum fuit: Esse locum reductioni ad rationem eleemosynae perpetuae, facta per beneficiatum obligatione non petendi inposterum aliam reductionem.

Omnibus igitur insimul ponderatis deliberandum erit:

I. *An Canonici missam celebrantes juxta legatum Ferdinandi de Carolis teneantur eam applicare pro anima testatoris?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus reductioni in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative;

Ad II: Affirmative arbitrio Episcopi.

Die 29. Jan. et 12. Febr. 1735.

*) Vd *supra p. 815.*
**) Vd. *supra p. 821.*
***) Vd. *supra p. 822.*

Balthazar de Ulloa in testamento, quod condidit anno 1695, praeter alias missas celebrandas in die sui obitus, mandavit: »che si celebrino per l'anima mia e di quelli defonti, alli quali ho qualche obligazione, cinque mila messe basse« constituta singularum eleemosyna ad rationem duorum regalium. Aliud scripsit legatum favore conventus patrum praedicatorum cum onere »che si debba celebrare per me dal suddetto convento perpetuamente un anniversario il giorno seguente a quello de' morti, in suffragio dell' anima mia«; et demum, nulla repetita suffragiorum applicatione, fundavit duas capellanias con una messa quotidiana per ciascuna di esse, cioè due messe basse in ciascun giorno, l'una da celebrarsi alle ore XI, cioè un ora prima di mezzo giorno; quella delle ore XI. nella chiesa parochiale di s. Maria detta de Azoque dell' accennata città de Betanzos; e quella del mezzo giorno nella chiesa parochiale di s. Giacomo della medesima città. Jussit capellanias esse mere laicales pro clericis ab haerede eligendis, cum facultate capellanis tributa, sese promovendi »a titolo di esse e loro beni, come parimente a titolo di patrimonio laicale senza che s' intenda per questa raggione, che l'Ordinario possa fargliene la collazione nè in alcuna maniera ingerirsi« et injuncta onera adimplendi per alium, purchè le accennate messe si celebrino quotidianamente, senza che si manchi a quest' obligo, alioquin mandavit eos removeri et alios eligi propria haeredis auctoritate.

Et pro dote earumdem capellaniarum, ultra stipendium ecclesiis solvendum pro utensilibus, taxative reliquit sex mille ducatos de Vellon ad rationem undecim regalium pro quolibet ducato, quos ab haerede investiri praecepit in bonis stabilibus; et donec investimentum integrae summae perficeretur, quoad primam capellaniam praevidendo casum sequuti partialis investimenti haeredis

conscientiam oneravit »ad effetto, che col frutto di esso celebri, o faccia celebrare il numero delle messe quotidiane corrispondente a detto fruttato dell' enunciato stabile comprato, et quoad secundam capellaniam voluit, quod rata fructuum bonorum emptorum deberet dal convento distribuirsi nella celebrazione di tante messe basse, coll' elemosina di due reali e mezzo; completo autem investimento praescripsit ut quilibet capellanus post recepta bona, fruttino questi poco o assai, debba sodisfare l' obligo della mentovata capellania, celebrando, o facendo celebrare le dette messe quotidiane, che corrispondono alla sua capellania;« et haerede penitus absoluto a quocumque supplimenti onere iterum disposuit, quod »li capellani debbano contentarsi delli beni da comprarsi colli detti 6000 ducati, siano di molto, o poco fruttato, per goderne l' usufrutto mentre saranno possessori di dette capellanie, sodisfacendo con esso le succennate messe, senza che possano chiedere altro.«

Defuncto testatore completisque investimentis electi fuerunt capellani usque ad annum 1731, quo tempore capellaniarum administrationem suscepit patronus, demandata sacerdotibus amovibilibus missarum celebratione. Sed is moriens anno 1757 haeredi injunxit, ut pro missis tempore suae administrationis omissis aut per capellanos plerumque filios vel fratres suos non celebratis, compositionem obtineret a reverenda fabrica sancti Petri; jussis obtemperans Vincentius Antonius Boldany Aguiar haeres hujusmodi compositionem die 20. Novembris 1757 impetravit pro 5500 missis, quarum eleemosynam ipse expressit ad rationem trium regalium de Vellon pro qualibet.

Preces inde obtulit Vincentius praedictus huic sacrae Congregationi et ob tenuitatem reddituum capellaniarum supplicavit declarari: Capellanos non teneri ad applicationem missarum vel reducendum esse illarum numerum. Semel iterumque auditus fuit Episcopus, qui retulit, annuos cujuslibet cappellaniae redditus ascendere ad 132 ducatos monetae Hispaniae et singularum eleemosynam, si missae pro anima fundatoris sint applicandae, attentis horis et ecclesiis assignatis regionis more, computandam esse in ducatis quatuordecim cum dimidio quolibet mense; sed cum redditus ad tantam non ascendant quantitatem, ideo, subjungit, usque nunc vix capellani pro tempore missas adimplebant, praeter dominicam et feriam V. cujusvis hebdomadae, facta pro eis (auctoritate privata) regulatione reddituum;« quamobrem censet, posse oratoris precibus indulgeri.

Urget nunc orator petitam declarationem, quod capellani non teneantur applicare missam pro anima fundatoris, argumento ducto a designatione horae et ecclesiae illarum celebrationis, itaut contemplata videantur potius commoditas populi et ecclesiae cultus ac honorificentia, quam suffragium ipsius fundatoris, ut innuit *Tamburrin. lib. 3. de sacrif. missae cap. 5. §. 3. num. 22;* et propterea ait sufficere debere solam praesentiam et celebrationem in hora et ecclesia designatis, cum facultate applicandi missam pro aliis, ut firmat *Pellizzar. manual. Regul. tom. 2. tract. 6. cap. 3. quaest. 8. n. 19. et 20,* et consonant rescripta hujus sacrae Congregationis in *Tricastinen.**) *Applicationis 16. Julii et 8. Augusti 1711. lib. 61. decr. pag. 332. et 338,* in *Ravennaten. Applicationis missarum 27. Julii et 17. Aug. 1737 ad I. et II. dub. lib. 87. decret. pag. 282. et 309,* et in *Fulginaten. Applicationis 17. Augusti et 7. Sept. 1737. lib. 87. decret. pag. 315. et 349.*

Attenta praesertim discretiva loquutione in aliis duobus legatis missarum, in quibus expressa injungitur applicatio in suffragium testatoris, ut superius praenotavimus, quam applicationem cum non repetierit testator in fundatione capellaniarum, censet eam noluisse, ut videntur innuere resolutiones hujus sacrae Congregationis editae in *Romana Applicationis 8. Februarii 1710. lib. 61. decr. pag. 57,* in *Tricastinen. Applicationis 16. Julii et 8. Aug. 1711. lib. 61. decr. pag. 332. et 358.* et in *Ferrarien. Applicationis sacrificii 11. Junii 1729. lib. 79. decr. pag. 263.* Et his additur nedum facultas tributa capellanis sese promovendi ad titulum illarum capellaniarum, quae, dato onere applicationis missarum etiam per alios celebrandarum, non sufficerent pro congrua synodali, ex adductis per *Piton. discept. eccl. 41. num. 8. et 9,* sed etiam modicitas reddituum, qui non sufficiunt consueto stipendio, juxta relationem Episcopi, quatenus missae forent applicandae; unde vel declaranda erit libertas applicationis vel reducendus erit numerus missarum.

*) Vd. *supra p. 815.*

Perpendendum tamen est primo, quod missa quotidiana ad rationem eleemosynae trium regalium, ut calculatur ab oratore in instrumento compositionis cum rev. fabrica, annuum exigit stipendium ducatorum 99 et sex regalium: quodque, ut retulimus, aliae missae a pio fundatore praescriptae fuerunt ad rationem duorum regalium vel duorum regalium cum dimidio, itaut redditus cujuslibet capellaniae ascendentes ad ducatos 132 longe superarent stipendium missae quotidianae. Et secundo ponderandum, pacifice recipi non posse necessitatem detractionis oneris missarum a titulo ordinationis, juxta resoluta per sac. Congregationem in *Ariminen. die 17. Julii 1723. lib. 73. decr. pag. 333* adhaesive ad affabre extensum discursum san. mem. Benedicti XIV. tunc sac. Congregationis secretarii impressum tom. 2. thesaur. resolut. ejusdem sac. Congr. ad calcem folii pro eadem causa distributi sub die 8. Augusti 1722. pag. 214. et ad alterum elaboratum folium extensum pro Congregatione diei 24. Apr. 1723. Et his attentis definiendum erit ab EE. VV.:

I. *An missae sint applicandae?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sit locus reductioni onerum in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative.

Die 12. Julii 1760.

Firmana.

Inter PP. Minores conventuales oppidi Faleronis Firmanae dioecesis et confraternitatem immaculatae conceptionis in illorum ecclesia erectam die 14. Octobsis 1643 celebratum fuit publicum instrumentum, quo conventuales praedicti de licentia ministri provincialis sese obligarunt, perpetuis futuris temporibus »persistere ad officiandum altaria, scilicet sanctissimi Rosarii et immaculatae conceptionis sub cura praedictae confraternitatis, prout officiarunt usque adhuc, et in eis quolibet mense celebrare et cantare duas missas, videlicet in prima et secunda dominica cujuslibet mensis, excepto, quod, si tales dominicae occurrerent in festivitatibus Paschalis Resurrectionis, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, festorum nobilium et aliarum festivitatum meritorum ipsorum patrum, in quibus casibus licet non cantabunt missas in dictis altaribus, attamen teneri voluerunt ad efficiendum facere oblationem consuetam pro dicta ven. confraternitate: et insuper promiserunt canere duas missas solemnes in dictis altaribus, scilicet unam in die festo dictae immaculatae conceptionis, aliam vero in festivitate sanctissimi Rosarii de mense Octobris singulo anno; et haec omnia adimplere pro annua mercede scutorum octo monetae, et de caetero non amplius petere, juxta conventiones factas,« et respective confraternitas, de licentia Ordinarii, promisit nedum solvere dictam annuam eleemosynam scut. 8, sed etiam tradere praefatis conventualibus *totam quantitatem cerae necessariam pro officiandis dictis altaribus.*

Quum autem in postrema conventus Faleronensis visitatione peracta a ministro provinciali conquesti fuissent sodales immaculatae conceptionis et sanctissimi Rosarii, quod minime applicarentur missae primis et secundis dominicis cujuslibet mensis canendae vigore dicti instrumenti, ideo conventualium et confratrum nomine preces oblatae sunt huic sacrae Congregationi, quibus petebatur, ut quaestio praetensae applicationis supremo EE. VV. judicio definiretur. Datis autem literis ad Archiepiscopum Firmanum ejus Provicarius rescripsit »quod illa instrumenti verba: *celebrare et cantare* videntur intrinsece praesefere applicationem missarum quodque annua largitio cerae albae ac eleemosyna scutorum octo adaequant consuetum stipendium, quod erogari solet pro discreto numero missarum applicandarum cum cantu infra annum.« Et sodales in libello cum relatione Provicarii transmisso defendunt, onus applicationis semper tacite comprehendi in suscepta obligatione celebrandi et canendi missam, nisi constet de contraria benefactoris voluntate, ut innuit rescriptum hujus sacrae Congregationis editum in *Compostellana 12. Julii 1760. ad I. dubium:* magisque hoc onus injunctum videri in praecitato instrumento, ob constitutam eleemosynam scutorum 8, ultra ceram, pro 26 missis cantatis, licet eo tempore eleemosyna manualis non excederet obulos quinque, et illa missae cantatae usque ad haec tempora non excedat obulos viginti, juxta taxam synodalem et depositionem quatuor sacerdotum; nec subdunt habendam esse rationem aliarum functionum, si quas patres conventuales obtendant explere consuevisse in altaribus confraternitatis, quum hae com-

pensentur cum aliis obsequiis a confraternitate exhiberi solitis, occasione festivitatum ex propria obligatione a conventualibus celebrandarum.

Conventuales e contra pluribus argumentis excludere nituntur onus applicationis et primo, quia cultus altarium, cujus prosequutionem in praefato instrumento ipsi promiserunt, non in solis missis cantatis consistit sed in aliis quoque pietatis operibus, quae distincte recensentur a productis testibus. Porro utriusque altaris festivitas celebratur cum missa, primis et secundis vesperis solemnibus, processione, litaniis beatae Mariae virginis et benedictione cum venerabili Eucharistiae Sacramento populo elargita.

Prima et secunda cujuslibet mensis dominica post horam tertiam cum cantu absolutam processio ducitur ante fores ecclesiae et inde canitur missa in respectivo altari conceptionis vel rosarii. In primo altari quolibet die sabbato Quadragesimae fidelium venerationi exponitur Eucharisticum Sacramentum, cum cantu completorii, litaniis b. Mariae Virginis aliisque precibus. Eaedemque sacrae actiones peraguntur tribus diebus festum conceptionis praecedentibus; et die Nativitatis Domini tres missae lectae celebrantur in aurora; atque in reditu sodalium ab alma domo Lauretana de mense Septembris litaniae beatae Virginis canuntur. In alio vero altari integrum rosarium recitatur die ejus festo, et tertia pars cum litaniis qualibet die dominica. Quum autem pro his omnibus peragendis conventuales praestari contendant eleemosynam scut. 8 ultra ceram, ad formam praedicti instrumenti, propterea arbitrantur, neque impositum neque assumptum fuisse onus applicationis missarum, pro quo minime sufficeret eleemosyna tot aliis oneribus gravata, juxta resolutiones hujus sacrae Congregationis in *Ravennaten. Applicationis missarum 27. Julii et 17. Augusti 1737 ad I. et II. dub. lib. 87. decret. pag. 282. et 309,* et in *Fulginaten. Applicationis 17. Augusti et 7. Septembris ejusdem anni lib. 87. decr. pag. 315. et 349.*

Rursus probari autumant hujus oneris exclusionem ex observantia antecedenti et subsequenti. Ante instrumentum siquidem confratres anno 1635 obtulerunt ministro provinciali supplicem libellum, quo postulabant, ut certa statueretur eleemosyna scut. 8. pro consueta officiatura, et minister provincialis rescripsit: »Attentis expositis, cum obligatio duarum missarum cujuscumque mensis sit ad praescriptum sacr. constitut. Urban., nos auctoritate provincialatus, qua fungimur, dicimus et mandamus, quod patres in posterum non possint petere majorem summam pecuniarum pro supradicta obligatione, quam octo scutorum, prout supra narratum est. Sub his autem rescripti verbis putant conventuales, solam honorificentiam et cultum altarium contemplatum fuisse, non autem missarum applicationem, quam ad praescriptum Urbanarum constitutionum in rescripto enunciatarum ajunt faciendam esse pro omnibus religiosis et benefactoribus defunctis ac pro fundatore conventus, ut in constitut. Urban. *cap. 3. regul. tit. 7. num. 11. et 13*; quapropter inferunt promissionem in instrumento factam officiandi altaria, *prout officiarunt usque adhuc,* nequaquam includere onus applicationis, quod usque tunc non habuerunt. Et hoc ipsum desumi contendunt a posteriori centum et ultra annorum observantia, quia non constat fuisse unquam missas applicatas; immo in tabella confecta anno 1696 controversarum missarum ab anno 1717 ad annum 1739 celebratarum eaedem missae describuntur senza applicazione.

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.:

I. *An patres minores conventuales oppidi Faleronis vigore instrumenti anni 1643 teneantur applicare missas cantatas?*

Et quatenus affirmative,

II. *An pro missis cantatis et non applicatis sit locus restitutioni pecuniarum et in qua summa in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum.

Die 29. Aug. et 21. Novb. 1761.

Tridentina.

Incolae Villae Avisii Tridentinae dioecesis, cum saepe ob itineris asperitatem ac distantiam a propria parochia sita in oppido Plebis Fugi Sacris interesse non possent, exstruxerunt in propria villa capellam sub invocatione s. Udalrici et concorditer anno 1488 »saluti animarum suarum providere volentes ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Salvatoris D. N. Jesu Christi ejusque gloriosae Genitricis Virginis Mariae totiusque coelestis curiae et s. Udalrici patroni praefatae capellae capellaniam« erexerunt Ordinarii auctoritate ac reservato sibi jurepatronatus, cum dote marcarum 20 Meranensium praestandarum capellano, qui actu in sacerdotio constitutus existat quique in eodem beneficio residentiam continuam facere teneatur et personalem et perpetuis futuris temporibus quinque diebus in singulis hebdomadis, quando ritus ecclesiae hoc exigit et admittit, celebrare debeat: ac solvere praeterea promiserunt alios decem florenos Athenenses Plebano Fugi pro aliis etiam duabus missis septimanatim dicendis in dicta eorum capella.

Anno autem 1505 Bartholomaeus Concini post constructam aliam capellam sub invocatione s. Lazari perpendens, nimium esse tenuem dotem capellaniae s. Udalrici eam auxit conspicuo praedio adjecta lege, ut capellanus custos esset capellae s. Lazari et pro salute animae suae suorumque in ea celebraret septemdecim missas certis statutis diebus: ac hujus augmenti intuitu incolae Villae Avisii, auctoritate Vicarii capitularis, eidem Bartholomaeo suisque successoribus juspatronatus dictae capellaniae s. Udalrici cesserunt.

Nulla unquam haesitatio fuit, quin capellanus teneatur ad applicationem Sacrorum a Bartholomaeo Concini praescriptorum, alia tamen opinio invaluit quoad missas quinque hebdomadales in erectione anni 1488 injunctas; hinc cum in institutione collata anno 1752 clerico Francisco Concini a patronis praesentato injunctum et fuerit onus celebrandi cum applicatione pro fundatoribus dictas missas quinque hebdomadales, de hoc onere uti injusto ac exorbitanti conquestus ipse et in curia episcopali sed re mature discussa causa cecidit contradicente provocationem; modo de applicationis onere disputatur.

Inquit sacerdos Franciscus capellanus, in fundatione nullum onus applicationis fuisse injunctum: immo hoc censeri exclusum ex fundatorum voluntate, nam solam celebrationem demandarunt, quam expresse imperassent, si eam voluissent, *Pignatell. consult. 139. num. 3. tom. 1, Suarez. tom. 2. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 17. num. 7.*

Certius vero applicationis onus excludi sive inspiciatur causa erectionis capellaniae, quae fuit, ut incolae Villae Avisii facilius Sacra audirent ac ut eis interesse quoque possent valetudinarii, senes, pueri et mulieres, et ut insuper honor ac decus s. Udalrici augeretur, s. Congr. in *Tricastinen.**) *Applicationis 8. Aug. 1711,* sive expendatur collatio tenuis dotis marcarum 20 vix plane sufficientis pro injuncto onere continuae et personalis residentiae, *cap. Non est de praesumpt., Rota coram Falconer. de probat. dec. 5. n. 21.*

Demum recurrit ad perennem observantiam non applicandi per duo saecula cum dimidio et ultra a die fundationis semper servatam: nefas autem esse, ait, de tam longaeva consuetudine haesitare et de incuria ac negligentia redarguere tot vigilantissimos praesules et capellanos, *Rota coram Falconer. de jurepatron. dec. 6. num. 10.* et in *Melphicten. Beneficii 28. Januar. 1757 §: coram eminentissimo Elephantutio.*

Nec obesse, quod capellanus teneatur ad applicandas septemdecim missas a Bartholomaeo Concini praescriptas: advertit enim has ab eo non pro populi commodo, sed *pro animae suae suorumque salute* injunctas fuisse, id ipsum vero neutiquam expressum fuisse in erectione anni 1488, perperam idcirco ab illo onere trahi argumentum ad istud, imo vi discretivae aperte conjici, in fundatione anni 1588 praescriptam quidem missarum celebrationem, non volitam applicationem, *Rot. in Tuden. Servitiorum super bono jure 22. Martii 1757 §. 11 coram Frangipane.*

Contra promotor causarum piarum inquit, Sacra celebrari non posse sine applicatione: injuncta ideo celebratione censeri quoque volitam applicationem nisi expresse, haec arbitrio capellani fuerit relicta, *Amostaz. de caus. lib. 2. cap. 3. num. 49, Pasqualig. de sacrif. nov. leg. quaest. 208. num. 6, Pignatel. consult. canon. 139. num. 12. et seq. tom. 1;* deficiente ideo in fundatione anni 1488 expressa exemptione ab applicatione ad hanc teneri capellanum, *Amostaz. d. cap. 3. num. 49,* et *Pignatell. dict. cons. 139. num. 15.*

Idque certius reddi tum fine erectae capellaniae illuc spectante, ut saluti animarum suarum consuleretur, s. C. in *Romana***)

*) Vd. *p. 815.*

**) Vd. *supra p. 817.*

Reductionis et applicationis missarum 15. Decembris 1714, tum ex congrua dote capellano assignata ad hoc *ut competenter et sacerdotaliter vivere posset, Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 3. num. 5.*

Extraneam vero esse regulam, si voluisset applicationem expresisset: nam cum applicatio sit effectus consecutivus celebrationis, magis spectanda est altera *regula 45. jur. in 6. obscuris, inspiciendum esse, quod est verosimilius,* verosimili autem fundatorum voluntati magis consonum esse, praescriptam celebrationem missarum secumferre applicationem in eorumdem commodum, nisi contrariam ipsi voluntatem patefecerint, *Benedictus XIV. de sacrif. miss. lib. 3. cap. 9. num. 2.*

Demum addit, in institutione sacerdotis Francisci expressam adjectam fuisse legem applicandi missam pro fundatoribus. Cum hac lege possessionem capellaniae nactum fuisse et in ea perseverare: nefas autem esse modo eam legem in institutione adjectam impugnare, cum qua capellaniam habet, eamdemque individuam institutionem in parte proficua et utili acceptare, in odiosis vero rejicere, *Rot. coram Ludovic. dec. 467. n. 5.* et *coram Falconer. de offic. ordin. dec. 20. num. 16.*

Episcopus Tridentinus justitiam decreti suae curiae his verbis tuetur: »Fundamentum istius decisionis probatur in saniori doctrina, quod applicatio censeatur in dubio a fundatoribus optata, si beneficiatus non sit ab ea clare absolutus. Quod autem fundatio anni 1488 majus commodum populi respexerit, sola officiaturam non inducit, quia non fuit unica ratio, sed determinato quinque missarum numero in qualibet hebdomada, fundatores praesumuntur sibi consuluisse eo meliori modo, quo potuerunt, etiam cum applicatione, licet diserte non declaraverint.«

»Porro documentum anni 1505 tantum abest, ut faveat beneficiato, quia potius exemplum praebeat non omittendi applicationem missarum quoque primae fundationis, ad quam fundationem omnino se refert, et utrobique onus impositum missas celebrandi. Nec prima fundationis verba illa: »*saluti animarum providere volentes* et verba augmenti *pro salute animae suae et suorum*« ad missarum celebrationem referuntur sed ad fundationem et augmentum in genere; propterea ab expresso in posteriori vocabulo »et suorum« diversitas non emergit, scilicet, quod missae augmenti, non item primae fundationis, sint applicandae.«

Ad possessionem immemorabilem quod attinet, neque fuit probata neque fortassis probari poterit, cum attestationes exhibitae postrema tempora percuterent. Reputabatur eadem responsio quoad allegatam populi persuasionem. Denique nec argumentum negativum a visitationibus desumptum quidquam prodesse videbatur, potissimum nec probato quod tunc temporis missae non applicarentur.

In istorum confirmationem duo alia congruebant, videlicet, quod ex eadem prima fundatione habeatur, communitatem fundare voluisse missam quotidie celebrandam, propterea que duas missas destinasse pro parocho Fugi: has vero debuisse applicari, si ad eamdem stipendii realem fundationem ipsa communitas devenisset, nemo sane ibit inficias: quod ergo de his duabus obtinet, etiam de aliis quinque eodem documento determinatis dicendum est.

Item quod beneficiatus provisus fuerit de tali stipendio quo decenter vivere potuisset. Jam vero si ad applicationem missarum primae fundationis non teneretur, absque ullo fere onere non modicos fructus perciperet eique non remaneret nisi applicatio 17 missarum ex augmento anni 1505.

Credibile porro et perperam verosimile est, fundatorum voluntate communis invaluit sententia, quod beneficiatus seu capellanus teneatur applicare Sacrificium pro fundatore, licet non fuerit expressum, quoties contraria non pateat illius voluntas vel expressa vel ex urgentibus conjecturis elicita. Hancque ipsam sententiam praesertim confirmavit s. Congregatio in una *Tinnen Applicationis sacrificii 18. Aug. 1668,* in qua sic habetur: »ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam capellania cum onere capellani pro tempore Sacrum faciendi singulis dominicis aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset sacrificium: ideo Episcopus Tinnen. supplicat per sacram Congregationem declarari: An hujusmodi sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum capellani, prout hactenus factum esse comperiit? S. Congr. respondit: Applicandum esse sacrificium pro anima testatoris, *lib. 26. decr. f. 61* et in *Lucana Applicationis sacrificii 7. Augusti 1683* et in *Ferrarien.**) *Applicationis missarum 26. Martii 1718.*«

Haec autem opinio innixa praesumptae fundationis voluntati limitationem potissime patitur in casu, quo fundator non ad applicationem vel suffragium respexit, sed ex alia causa Sacrorum celebrationem injunxit, puta pro commodo populi vel scholarium aut monialium missam audientium; hinc s. Congr. in una *Gallen. Applicationis sacrificii,* in qua agebatur de capellania fundata cum onere missae quotidianae quadam hora determinata »acciò molti occupati da negozj possano andare a sentirla, ed in specie gli scolari, quando escono dalla scuola,« censuit anno 1679. 17. Decembris: Capellanum non teneri ad missae applicationem, *lib. 40. decr. fol. 4;* idemque respondit in *Tricastinen.***) *Applicationis sacrificii 8. Augusti 1711* in terminis capellaniae erectae cum onere perpetuae celebrationis missae »all' ora che dalla Dama superiora del monastero di sant' Orsola gli sarà prescritta e designata per il comodo delle sue monache *lib. 60. decr. fol. 358.*«

Item in una *Mantuana Applicationis sacrificii,* ubi capellania fundata fuerat in ecclesia monialium cum onere celebrationis missarum, quia in vanum exstruuntur ecclesiae, nisi in eis divina dicantur officia et celebrentur missae, cognito quod ecclesia dote caret sitque opus capellano, qui ibidem celebret missam pro satisfactione monialium, proposito dubio: *An capellanus teneatur ad solam missae celebrationem?*

respondit die 19. Novembris 1718: Negative ad primam partem et affirmative quoad secundam.

Item in una *Novarien.,* in qua fundator onus capellano in testamento injunxerat celebrationis unius missae quotidianae in erecto oratorio »per maggior beneficio, e commodità della communità,« et in codicillis praescripserat »che debba celebrare la detta messa nell' aurora in ciascun giorno di festa«, proposito dubio:

An capellanus teneatur applicare pro suffragio animae fundatoris missam celebrandam in oratorio s. Antonii Abbatis?

respondit die 22. Novembris 1727: Negative et orent capellani pro fundatore.

Et in una *Fulginaten. Applicationis missae,* in qua PP. Barnabitae obtinuerant a sodalitio s. Joannis decollati civitatis Fulginei hortum quemdam cum parva area et domuncula sub ea lege: »che detti PP., e successori perpetuamente siano tenuti ed obligati dire e celebrare una messa il giorno nella chiesa della compagnia, e tal messa si debba dire gratis e senz' altra elemosina, come anche siano tenuti amministrare tutti li Sacramenti di confessioni, reconciliazioni, ed Eucharistia a beneficio de' confratri di essa compagnia,« proposito dubio: *an PP. Barnabitae teneantur applicare sacrificium?*

respondit die 7. Septembris 1737: Negative et amplius.

Verum haec ipsa regulae exceptio quantum efficax est, ubi fundator solum populi vel monialium vel scholarum commodum respexit, eo est infirmior, quoties ex aliis argumentis et conjecturis constet, fundatorem non tam ad populi vel ecclesiae commodum, quam ad animae suae suorumque suffragium spectavisse. Hinc s. Congr. in una *Alexandrina**), licet ageretnr de contractu facto cum Patribus congregationis Somaschae, quibus assignata fuerat summa ducat. 800 »cum onere celebrandi seu celebrari faciendi missam unam quotidianam in perpetuum in aurora ad altare sancti Joannis erectum in ecclesia sub titulo sancti Caroli, ad effectum, ut omnes viatores, laboratores et peregrinantes possent illam commode audire et in apertura januarum civitatis accedere et ad viaticum et laborerium accedere et pergere, »cum tamen Patres missas semper applicassent, eleemosyna esset superaundans et fundator in proemio fundationis dixisset, se devenire ad capellaniae fundationem »ut gratias Deo redderet et ad implorandam divinam misericordiam,« proposito dubio: *An PP. Congregationis Somaschae teneantur ad applicationem missae celebrandae in aurora?*

respondit die 19. Martii 1719: Affirmative.

Item in una *Cornetana***) in qua Joannes Grassis legaverat capitulo cathedrali scuta

*) Vd. *supra p. 819.*
**) Vd. *supra p. 815.*

*) Vd. *supra p. 821.*
**) Vd. *p. 822.*

1200 »acciò i signori Archidiacono, e Canonici facciano obbligo per se stessi, e per loro successori in esso capitolo di celebrare in essa Cathedrale sei messe basse per ciascheduna settimana in perpetuo, cioè quattro de' morti, e due del santo corrente ciascheduna settimana da celebrarsi in perpetuo ogni mattina all'alba per commodo de' lavoranti, e a tale effetto gli scudi 1200 si pongano a frutti,« licet onus celebrationis absque applicatione a capitulo acceptatum fuisset, tamen proposito dubio die 23. Junii 1725: *An missae sunt applicandae in casu?* respondit: Affirmative.

Et demum in una *Compostellana*, in qua Balthasar de Ulloa post plura missarum legata injuncta cum expresso onere applicationis duas fundaverat capellanias »con una messa quotidiana per ciascuna di esse, cioè due messe basse in ciascun giorno, l'una da celebrarsi alle ore XI., cioè un ora prima di mezzo giorno, e l'altra alle ore XII., che vale dire, in punto del mezzo giorno,« cum ageretur de capellaniis pinguis redditus longe excedentis eleemosynam missae quotidianae, proposito dubio: *An missae sint applicandae?* respondit die 12. Julii 1760: Affirmative.

Pendet itaque res tota ab interpretatione voluntatis fundatorum. Perscrutandum enim est, qui fuerit finis et causa erectae capellaniae, quae sit vis verborum in fundatione adhibitorum, quot redditus sint assignati et quanti demum momenti sit subsecuta observantia. Proponitur itaque declarandum:

An capellani pro tempore capellaniae, de qua agitur, teneantur missas applicare pro animabus fundatorum, ita ut decretum Vicarii generalis Tridenti sit confirmandum in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative et decretum Vicarii generalis esse confirmandum.

Die 27. Febr. et 26. Mart. 1768.

Continuatio Tridentina.

Novis itaque prolatis juribus, inquit capellanus Concini, onus applicationis in litera fundationis non contineri, cum haec nil aliud capellano pro tempore injungat, quam personalem residentiam et celebrationem quinque missarum singulis hebdomadis. Sustinet autem, onus applicationis nequaquam inferri a demandata celebratione, cum sint haec duo inter se omnino distincta, *Rot. in Hispalen. Applicationis missae pro populo 14. Junii 1751* §. *11. coram Eminentissimo Migazzi* et in *confirmatoria 31. Januarii 1754 coram Cuniliac.* Idque etiam saepius definitum ab hac sacra Congregatione locum quoque habere, ut etiam celebrationis onere gravatus pro missis non celebratis restitutioni eleemosynae esset obstrictus, *Rot. in dicta Hispalen.* et in *Firmana Eleemosynae conventualis 12. Februarii 1751* §. *6. coram Amadeo.*

Idem quoque desumi, ait, ex ipsa mente fundatorum, qui, dum missarum celebrationem demandarunt, id unum in votis habuerunt, ut populi commoditati consultum foret, quemadmodum ex subsequuta capellaniae erectione eruitur. In hoc autem casu applicationem omnino exclusam videri, *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 3. num. 46. et 52, s. Congr. in Collen. Applicationis sacrificii 17. Decemb. 1679,* in *Tricastinen.**) *8. Aug. 1711,* in *Novarien. 22. Novembris 1727* et in *Spoletana 18. Septembris 1751.*

Suadere hoc nititur capellanus nonnullis conjecturis. Advertit primum, missarum celebrationem demandatam fuisse in honorem et cultum s. Udalrici capellae patroni. Infert proinde, volitam nequaquam applicationem, *s. Congr. in Mediolanen. 11. Maji 1748.* Deinde observat, alia plura eaque gravissima onera fuisse capellano injuncta, continuo videlicet personalis residentiae ac assistentiae praestandae infirmis, quod plurimum in pretio habitum fuit in *Fulginaten. Applicationis missae 7. Septembris 1737.* Contra autem tenue stipendium viginti marcarum Meranensium, hoc est scutorum circiter 27, quod praedictis oneribus nequaquam respondet, multo minus aequare potest aliud onus applicationis quinque missarum qualibet hebdomada, quod idcirco nullo modo praesumi debet, *Amostaz. loc. cit. num. 50 et 51;* ac demum observat, parochum plebis Fugi, cui reliquae duae missae qualibet hebdomada per unum eumdemque actum injunctae sunt, onus nunquam subiisse applicationis. Certum vero esse, unam determinationem plura determinare, ad regulam traditam ab *Alexand. in leg. jam hoc jure ff. de vulgar. et pupillar., Rot. decis. 85. num. 19. coram Ludovis., decis. 176. n. 6. cor. Priol., dec. 583. n. 5. cor. Emerix Jun.*

Momenti vero non esse, quod praesens

*) Vd. *p. 815.*

capellaniae status redditum afferat scut. 250, ut testes deposuere. In primis enim, ait, testes hujusmodi esse extrajudiciales nullamque probationem constituere. Monet praeterea, distinguendos esse redditus in prima fundatione assignatos ab aliis, qui ex pia largitione Bartholomaei Concini postea superaccesserunt. Observat enim, quod ipse capellaniae redditus nimium tenues cognoscens ad decentem capellani sustentationem illos quidem auxit, sed auxit etiam onus annuae celebrationis missarum septem supra decem in capella sancti Lazari pro suae suorumque animarum salute nec aliquid innovavit de conventionibus in originaria fundatione contentis. Atque hinc contendit, ex hoc reddituum augmento diversum onus applicationis induci non posse, *Scarfanton. ad Ceccoper. part. 2. lib. 3. tit. 11. num. 6, Rot. dec. 1000. n. 4. cor. Emerix Jun., s. Congr. in Tudertina Capellaniae 12. Martii 1718* et in *Montis Falisci 21. Mart. 1721.*

Et quoad reddituum quantitatem illud etiam ponderandum proponit, in primaeva fundatione nonnisi quam 20 marcas Meranenses capellano fuisse assignatas. Marcam Meranensem respondere valori scuti unius et obul. 35 monetae romanae, *Simon Petrus Bartholom. dissert. de speciebus monetarum Tridentin., Veronen.* et *Mercanen. anno 1749* Tridentini edita. Proindeque Marcus: viginti Meranenses summam non excedere scut. 27, quemadmodum publici etiam cambistae retulerunt, quibus uti deponentibus de re ad proprium officium spectante plena fides est adhibenda, *Capon. discept. forens. sub n. 2. n. 22. tit. de censib. cor. Falconer.* Nec oppositum desumi ex iis, qui ab altera parte afferuntur, auctoribus de marcarum valore differentibus, cum isti non loquantur de marca Meranensi, sed de marca *Argenti puri valente sex ducatos de camera,* ut scribit *Nicol. ad concordat. germanic. tit. 2. de rescript.* §. *20. pag. 35.*

Nil relevare dicit, in fundatione designatos non fuisse dies festos missarum celebrationi, prout fieri debuisse videretur, si populi tantum commoditati fuisset consultum. Observat enim in primis, liberum capellano non fuisse a celebratione diebus festis desistere, cum onus in fundatione his verbis fuerit injunctum: *Capellanus taliter se teneat erga plebanum in Tago, quemadmodum similes capellani in aliis plebibus facere tenentur ita etiam ne per celebrationem ejusdem homines ipsius villae dominicis et festivis ac solemnibus diebus a visitatione plebis abstrahantur, sed ut eo maturius celebret.* Advertit insuper, non solum quinque missarum celebrationem singulis hebdomadis fuisse capellano injunctam, sed praeter eas duas alias plebano Fugi fuisse demandatas, quibus, cum missam quotidianam constituant, infert, populi commoditati singulis festis ac feriatis diebus abunde fuisse consultum.

Perperam vero applicationem desumi posse existimat ex verbis in erectione capellaniae adhibitis »*Saluti animarum suarum prospicere volentes*« respondit enim, deficere additamentum »*et successorum*« quod vi sua onus applicationis importat. Hinc verba illa non aliter intelligi oportere, nisi quod populus eximeretur ab onere adeundi longe dissitam ecclesiam parochialem et sacerdotem apud se haberet, qui diebus singulis Sacrum faceret atque infirmis spiritualem opem praeberet.

Demum recurrit ad observantiam applicationis negativam, per duo saecula cum dimidio et ultra protractam. Id semel et bis probatum fuisse per communitatem Avisii et saepe saepius per capellanos, quorum testimonio plurimum deferri oportere monet *Pignat. consult. 219. sub n. 1. tom. 4, Rot. in Tarraconen. Elcemosynae 28. Januarii 1704 coram Omanna;* id insuper testari quatuor homines terrae Avisii de auditu ac de publica voce et fama deponentes et probare alia jura, quae inter monumenta causae recensentur.

Contra promotor causarum piarum pro applicatione missarum urget innixus regulae a canonistis, a tribunalibus et ab ista sacra Congregatione probatae, quod scilicet injuncta obligatio celebrandi implicitum secumferat onus etiam applicandi, quoties aliter dispositum non constet, *Fagnan. in cap.: Significatum de praeb. et dignit. num. 44, Pasqualig. de sacrif. nov. leg. quaest. 208. num. 6.*

Hanc autem regulam tunc potissimum locum habere ait, cum ex fundatione deprehenditur vel animae tantum saluti vel una cum populi commoditate animarum quoque expiationem fundatores respexisse. In fundatione vero capellaniae, de qua agitur, non aliam fundatorum mentem patere, ex illis verbis in ea expressis: »*Saluti animarum*

suarum providere volentes etc. missam etc. erigere et fundare intendunt,» maxime quia septendecim alias missas a capellano celebrari voluit Bartholomaeus Concini, cum hac expressione »pro salute animae suae et suorum,« qua posita nunquam de onere applicandi fuit dubitatum.

Quod vero respicit observantiam non applicandi, animadvertit primum, ab hodierno capellano allegari non posse, quum institutionem ad capellaniam obtinuerit cum praeciso onere assumptaque obligatione missas pro fundatoribus applicandi. Nefas proinde esse a pactis expressaque conventione resilire, *Rot. cor. Gregor. decis. 467. num. 5. coram Rich., decis. 437. n. 23,* et *cor. Falconer. de offic. Ordin. decis. num. 16.* Nec prodesse protestationem postea omissam de non acceptando onere applicationis, cum ea facto contraria reperiatur nec ullimode in jure attendi mereatur.

Caeterum hujusmodi negativam observantiam nequaquam probari sustinet, si ratio temporum habeatur. Animadvertit enim, capellaniae erectionem desumi ab anno 1488 nec ullum allatum fuisse documentum, quod propria illa tempora respiciat. Quod vero respicit tempus posterius, asserit, nonnulla quidem exhiberi documenta, sed haec observantiam juris dispositioni contrariam concludenter, ut opus esset, non probare.

Et quatenus etiam observantia satis probata dici posset, nihilominus contendit, nullam de ea habendam esse rationem, vel quia paucorum annorum spatium comprehendit vel etiam quia in aliis similibus casibus, non obstante observantia, sacra haec Congregatio applicationi locum esse definivit.

Scitissime hac in re observat san. mem. *Benedictus XIV. de sacrif. miss. lib. 3. cap. 9,* quod demandata per fundatorem beneficii seu capellaniae missae celebratione injunctum quoque censeatur onus applicandi. Nam etsi juxta *regul. 57. jur. in 6. contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda;* nihilominus *inspicimus in obscuris, quod est verosimilius,* ut ex alia *reg. 45. eod. tit.* Verosimilius autem est, eum, qui beneficium seu capellaniam fundavit et onus celebrandi missam imposuit, applicationem etiam voluisse.

Verum quia ex altera juris regula edocemur, praesumptionem a validiore praesumtione vinci, hinc si ex alia causa missae celebratio injuncta deprehendatur, praeterquam in suffragium animae, videlicet pro commoditate populi, tunc regula superius exposita cessat ab eaque receditur, quia applicatio demandata non praesumitur, ut ex variis s. hujus Congregationis resolutionibus relatis in folio praesentis causae distributo *die 27. Februarii superioris anni.*

Tota itaque indago primo loco pendet ab interpretatione voluntatis fundatorum. Dubitari non potest, eos populi commodum prae oculis habuisse, cum capellaniam fundaverint, quia *ipsi homines Avisii propter montis asperitatem, notissime etiam ob aeris intemperiem, ad eamdem plebem ad audiendum missas et divina officia accedere non valeant, praesertim valetudinarii, senes, pueri ac mulieres praegnantes,* atque etiam quia iisdem hominibus *grave foret propter plebis distantiam continuo stare absque sacerdote, ad quem in extremae necessitatis articulo recursum habere possint.*

Verum quia in fundatione adjecta etiam leguntur haec verba: »*Saluti animarum suarum providere volentes*,« inquirendum idcirco est: An ea ostendant, fundatores non tam populi commodo quam animae suffragio prospexisse vel potius locum habere possint exceptiones, quae contra hanc expressionem capellanus proponit.

Perpendendum insuper, an observantia non applicandi satis probetur et an in praesenti casu vim ullam habere possit et debeat; sacra Congregatio observantiam rejecit, etiam in iis casibus, in quibus testatores nullum additamentum apposuerant, ex quo desumi posset ipsos applicationem voluisse, ut in *Tinnen. Applicationis missarum 26. Martii 1718,* et *24. Februarii 1720* et in *Cornetana**) *23. Junii 1725.*

Illud quoque serio animadvertere praestat, quod hodiernus capellanus institutionem obtinuit ad capellaniam, de qua agitur, cum expresso onere ac lege missas pro fundatoribus applicandi. Ea verba decreti: *Te Franciscum praedictum etc. instituimus et investimur cum obligatione pro fundatoribus etc.*

His itaque ponderatis EE. PP. decernent: *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?*

S. C. resp. In decisis et amplius.

Die 26. Aug. et 16. Sept. 1769.

*) Vd. *supra p. 822.*

Melevitana.

Parochialis ecclesia oppidi Birghircariae Insulae Meliten. anno 1630 ad preces Pilippi Borg. tunc ejusdem rectoris per literas apostolicas san. mem. Urbani VIII. erecta fuit in Collegiatam sub titulo s. Helenae reginae, constitutis in ea Praeposito prima dignitate et duodecim Canonicis, qui tenerentur »in ejusdem canonia insimul cohabitare, in eademque ecclesia collegiata singulis diebus horas canonicas tam diurnas quam nocturnas et unam majorem seu conventualem et alteram submissa voce missas aliaque divina officia solita et consueta collegialiter recitare, decantare et psallere eisdemque divinis officiis tam diurnis quam nocturnis et missae conventuali quotidie celebrandae interesse aliisque officiis ecclesiae collegiatae laudabiliter deservire.« Praeposito autem et cuique ex Canonicis assignata fuit ex redditibus ecclesiae et ex annuis scutis 720 Melitensibus donatis a dicto Philippo praebendae nomine annua summa scutorum 25 Melitensium, et titulo distributionum alia annua quantitatis scutorum 30 ejusdem monetae »ultra alia bona, oblationes et eleemosynas eidem collegiatae ecclesiae seu illius fabricae tam per dictum Philippum quam quovis alios christifideles jam forsan donata, relicta et erogata ac relinquenda, donanda et eroganda.

Intuitu vero tantae liberalitatis dicti Philippi summus Pontifex ei concessit praeposituram ac jus nominandi pro una vice septem presbyteros saeculares aliosque quinque presbyteros actu pro totidem canonicatibus: reservatoque jure postea nominandi favore capituli praelationem in assequutione canonicatuum concessit »ipsius Philippi consanguineis tam ex paterna quam ex materna lineis usque ad quartum gradum inclusive, si qui extiterint, illisque deficientibus aliis de familia Borgii in dicta terra tantum oriundis, eisque non extantibus aliis ex eadem terra, et si in ea nulli idonei et qualificati reperiantur, ex insula et dioecesi Melitensi ex patre et matre originariis et ex insula hujusmodi oriundis.«

Imminutis interea capituli redditibus Episcopus in sacra visitatione anni 1758 praebendam cujuslibet Canonici moderatus fuit ad annua scut. 20, distributiones vero ad annua scuta 25 ac praeterea duas suppressit capellanias aliasque expensas et onera reduxit. Verum cum tanta adhuc sit redditum inopia, capitulum nunc instat, ut liberetur ab onere *celebrationis* aut *applicationis* missae lectae, quae ex lege erectionis praeter missam conventualem quotidie habenda est.

Ad I. inquit, erectionis tempore data vix fuisse tam pro praebenda quam pro distributionibus annua scuta 45 Melit. seu scuta rom. 20. 25. Hanc vero quantitatem longe imparem esse ad onus quotidiani servitii ferendum et ad canonicalem dignitatem sustentandam, immo nec ad congruam habendam alimoniam esse parem. Hinc quia missa conventualis, quae inter onera canonica recensetur, omittenda non est, potiori jure indulgendam modo esse exemptionem ab onere celebrationis missae lectae, quae nonnisi accessorie in erectione fuit injuncta, et cujus cessatio statum ecclesiae nihil immutaret, *Fagnan. in cap.: Ex parte ad constit. n. 25,* et *Lara de anniv. lib. 1. cap. 15. per tot.*

Nec congruum videri, ut alia potius onera in erectione adjecta quam onus dictae missae lectae reducantur. Advertit enim, ex reductione servitii ecclesiae aliorumque ejusdem generis onerum nihil emolumenti in Canonicos redire, sed ipsos in primaeva adhuc paupertate versaturos. Insuper ecclesiae statui ac utilitati magis convenire, ut non quae intrinseca ab ea habeantur, ut sunt capellaniae, legata pia, onera missarum aliaque hujusmodi. Ita etiam semper servasse s. Congregationem et praesertim in *Polianen. 13. Julii 1650,* et in *Syracusana 18. Januar. 1730.*

Ad II. inquit, onus celebrandi distinctum esse ab onere applicandi, *Rot. coram Tanar. decis. 33. num. 14;* injuncta ideo in erectione sola celebratione non venire applicationem, *Rot. in Hispalen. Applicationis missae pro populo 14. Junii 1751. §. 11. cor. Emo Migatio,* praesertim quia illius celebratio non in alicujus suffragium sed tantum ad ecclesiae cultum ac decus augendum praescripta fuit, *Quart. de sacrif. missae quaest. 4. punct. 3. §. Dico,* et *Rot. in dicta Hispalen. Applicationis missae pro populo 17. Junii 1765. §. 7. et 8. cor. Rmo Olivatio.*

Et revera nullibi constare, tale onus ante erectionem in ecclesia viguisse, unde omne abesse applicationis argumentum, ut ponderat *Rot. in d. Hispalen. §. 7. et 8. cor. Rmo Olivato.* Nullibi praeterea Philippum Borg. ejusdem suffragium injunxisse, etiamsi alia plura sibi expresse reservaverit satis aequantia exercitam liberalitatem; omnem proinde abesse

praesumptionem, quod idem Philippus sollicitus fuerit de applicatione dictae missae, nam eam quoque expressisset cum aliis, si mens ejus fuisset, ut in sui suffragium celebraretur, *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 3. n. 49.*

Episcopus Melitensis post relatam ecclesiae collegiatae erectionem ac secutam anno 1758 reductionem concludit: »quocirca pro decentiori recurrentium sustentatione annuendum arbitror petitae reductioni missarum quotidie celebrandarum, relicto onere unius missae dumtaxat dietim canendo celebrandae.«

Synodus Tridentina statuit: »In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire vel si hac ratione eis provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint, quorum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicetur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen, ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere, *sess. 24. cap. 15. de ref.*«

Quare s. Congregatio in una *Narnien. mensis Junii 1586* censuit »unionem a capitulo factam juxta formam Concilii *sess. 21. cap. 15.* validam esse, si facta sit antequam beneficia vacent, nec impediri vel per vacationem in mensibus reservatis vel per resignationem, si in resignatione non fuit nominatim facta suspensio unionis,« *lib. 4. decret. fol. 150*, ac in *una Tullen. 16. Martii 1622* remedium adhibuit a concilio Tridentino suggestum, ut consuleret egestati Canonicorum, *lib. 2. decret. fol. 97.*

Verum cessante designato per concilium remedio ac necessitate urgente ad alia recurrendum esse monet Benedictus XIV. in constitut. incipien.: *Cum semper**) *19. Augusti 1744.* §. *Alia:* Tridentina quidem Synodus *sess. 24. cap. 15.* opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri: si vero designatam a concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a praedecessoribus Nostris eidem impartita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere,« prout revera, urgente gravi inopia reductio ad dies tantum festos concessa fuit in *Narnien. 11. Junii 1712*, in *Veliterna 14. Martii 1722*, in *Spoletana 19. Dec. ejusdem anni*, in *Spalaten. Applicationis missae conventualis 23. Junii 1729*, et in *Amerina Missae conventualis 18. Sept. 1751.**)

De II. dubio late actum est in *Tridentina***) *Applicationis missarum 27. Febr.* proxime elapsi. Otii hinc plenum esset idem nunc repetere. Perpensa ideo reddituum canonicalium quantitate dijudicent EE. PP.:

I. *An sit locus reductioni oneris missae lectae in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An Canonici ecclesiae collegiatae terrae Birghircariae teneantur applicare eandem missam lectam in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Dilata, et scibatur Episcopo: Juxta instructionem.

Die 23. Apr. 1768.

Messanen.

Simon della Abella in testamento, quo decessit, condito *die 18. Martii 1357* haeredem universalem instituit monasterium s. Placidi mandavitque: *quod dictum monasterium teneatur et debeat de redditibus omnibus bonorum meorum anno quolibet cuidam presbytero eligendo per fratres dicti monasterii celebraturo continue divinum officium in dicta ecclesia s. Mariae Nuntiatae uncias auri tres tribuere.*

Item Paulus de s. Andrea Messanensis in suo ultimo testamento exarato die *18. Aprilis 1404* ita disposuit: *Volo et mando, quod in ecclesia mea sita in vinea mea de Faro sub vocabulo s. Catharinae habeat capellanus ipsius ecclesiae Augustales decem centivalium meorum, prout hactenus habuit a me tempore vitae meae*

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *Applicatio missae conv.* (reductio p. 786.)
**) Vd. *supra p. 834.*

pro celebratione divini officii celebrandi annuatim in eadem ecclesia annuatim et in perpetuum, necnon quamdam vinculam separatam ab alia vinea mea, quae vocatur la vigna delle Pighe, quae erat Salmarum 12 vini, pro sustentatione vitae ipsius presbyteri celebrantis Divina in eadem ecclesia in perpetuum.

Denique Gratia Camiscia vidua Gerardi Camiscia in supremis suis tabulis scriptis *die 5. Septembris 1404* suae mentis arbitrium his verbis declaravit: *Do et mando et concedo religioso et honesto viro fratri Benedicto de Astasio venerabili Abbati monasterii s. Placidi pro se et successoribus suis nomine dicti monasterii in perpetuum quamdam vineam cum domibus sitam et positam in contrata Calispera cum lege, quod dicti Abbas et conventus anno quolibet in perpetuum teneantur dare sacerdoti celebraturo in altari dictae Gratiae donatricis intus ecclesiam s. Nicolai archiepiscopatus Messanae uncias auri duas.*

Tria haec legata pia seu beneficia nunc possidet Canonicus Joannes Barastrelli Messanensis. Is enim cum comperiisset, ut asserit, praedecessores beneficiatos nullum onus implevisse, quia putarunt, ad nihil aliud se teneri, nisi ad Deum orandum pro animabus fundatorum, non autem ad missas pro eis celebrandas, hinc ipse ex praemissis fundationibus, quarum verba, sensus et intellectus subobscuri sunt, religione percitus, cupiens serenitati propriae conscientiae consulere, humiliter postulat, ut per hanc sacram Congregationem in re adeo ancipiti declaretur, cui oneri tam ipse quam successores in dictis legatis piis vel beneficiis satisfacere teneantur. Atque hinc advertit monasterium s. Placidi, quod est *primi* legati Simonis della Abella patronus, per octo sicula milliaria abesse ab urbe Messanensi, et ab eo pro legato nunc exigi *scuta septem et obulos 20.* Ecclesiam vero sitam in vinea de Faro in vocabulo s. Catharinae, de qua in *secundo* legato Pauli de s. Andrea, ab eadem urbe Messanensi distare duodecim milliariis siculis, necnon modo non exigi primam ejusdem legati partem, quae erat alligata celebrationi divini officii, exigi vero secundam ex pretio Musti *in scutis decem.* Tandemque pro *tertio* legato Gratiae Camiscia modo percipi dumtaxat annua *scuta duo et obul. 40.*

Quae superius relata sunt, tam ex singulis fundationibus quam ex animadversionibus relative ad fructus et distantiam respectivarum ecclesiarum comprobavit Archiepiscopus Messanensis, nullum tamen suum expressit sensum nullumque votum aperuit, sed innuit unice, vel prorsus deperditos vel quam maxime imminutos esse redditus beneficiorum vel legatorum, quae postremo a patronis oratori collata fuerunt.

Videtur enim favore oratoris militare consuetudo orandi solummodo pro testatoribus; nam cum agatur de interpretandis ultimis voluntatibus dubietatem involventibus, plurimum defertur consuetudini, quae, etsi jus novum non constituat, per eam tamen dubiae et subobscurae defunctorum voluntates interpretantur cap.: *Cum dilectus 8. de consuetud., leg. Si de interpretatione 137. ff. de legit.*, hinc constitutum in jure est, meliorem probationem haberi non posse illa, quae desumitur ab observantia, prout in casu, ab anno 1357 ad haec usque tempora continuata, quam in re dubia praecipue spectandam esse declaravit *Rota coram Royas decis. 279. num. 12.* et *in Rec. decis. 220. num. 23. part. 11;* his accedit interpretationem de jure faciendam esse contra eum, qui legem poterat apertius exponere juxta *legale axioma 57. de regul. jur. in 6*, et in dubiis intelligendum est, minus onus fuisse impositum *ex regula 9. et 47 ff. de regul. jur.*, amplexa in *cap. 30. de regul. jur. in 6.* statuente, minimum in obscuris esse sequendum.

E contra vero ponderandum occurrit, quod antedictae dispositiones quatuor ferme abhinc saeculis conditae fuerunt, eaque propter aliquid tribuendum est inscitiae testatorum et notariorum, qui distincte et dilucide proprias vel alienas voluntates non explicaverint, ut haeredes vel judices certi sint, quid testatores senserint sub demandata *celebratione divinorum officiorum.* Praestat enim animadvertere, quod antiquitus missae sacrificium designabatur etiam ministerii nomine, ut *ex Gonzal. lib. 3. decretal. tit. 38. num. 4.* ibi: *Ministerium hoc est missae sacrificium, quod frequenter ministerium appellatur* et missarum celebratio etiam sub officii nomine comprehendebatur, ut *post can. de iis distinct. 12.* tradit *Pasqualig. de sacrif. novae legis quaest. 882. num. 4.* ibi: *Officium namque divinum, ut modo sumitur, est illud, quod est institutum publico modo in ecclesiis peragendum ad colendum Deum et orandum pro populo; siquidem ad hunc finem sunt institutae ecclesiae collegiales cum proventibus ministrorum;*

praecipua autem pars cultus divini est sacrificium et ideo nomine officii divini principaliter venit oblatio sacrificii conventualiter exhibenda.

Hactenus dicta respicere videntur dispositiones Simonis della Abella et Pauli de s. Andrea, non autem dispositionem Gratiae Camiscia, quae nec dubia nec subobscura videtur, ut intelligatur, ejus voluntatem ad missarum celebrationem fuisse directam, dum reliquit *uncias duas sacerdoti celebraturo in altari dictae Gratiae donatricis intus ecclesiam s. Nicolai.* Innuit igitur Gratia donatrix, se de sacrificiis tantum rationem habuisse. Vis tamen est, utrum ipsa in demandanda sacrificii celebratione voluerit etiam illius applicationem pro ejus anima, seu potius arbitrio capellani reliquerit.

Quamvis enim onus celebrandi missam distinctum sit ab onere applicandi, itaut non repugnet celebratio praescripta in certa ecclesia vel altari absque onere applicationis, ex praesumpta tamen fundatorum mente communiter receptum est, quod beneficiatus vel capellanus celebrare simul et applicare debeat sacrosanctum missae sacrificium in expiationem animae testatoris, licet sola celebratio praescripta fuerit, juxta resolutiones hujus sacrae Congregationis editas in *Tinen. Applicationis sacrificii 18. Augusti 1668*, in *Spoletana Applicationis 14. Januarii 1710*, in *Senogallien. Missarum 20. Decembris 1731*, in *Sancti Miniatis**) *Applicationis missae 4. Decembris 1734*, idemque statuit san. mem. *Benedictus XIV. de sacrificio missae lib. 3. cap. 9.*

An autem orator et successores in dictis tribus legatis piis seu beneficiis teneantur unice preces Deo effundere pro testatoribus seu potius pro eis missas celebrare et applicare et in quo numero et qua eleemosyna, munus erit EE. VV. declarare simul et definire.

An et quomodo oratoris precibus sit annuendum in casu?

S. C. resp.:

Quoad praeteritum ad D. Secretarium cum SSmo, quo vero ad futurum teneri capellanum celebrare missas in altaribus a fundatoribus designatis pro intranti quantitate reddituum ad rationem taxae perpetuae cum applicatione pro anima respectivorum fundatorum.

Die 4. Apr. et 16. Maji 1778.

*) Vd. *supra p. 827.*

Bononien.

In testamento, quod condidit anno 1603 Blasius de Monaris, beneficium institui jussit ad altare visitationis beatae Mariae Virginis propriis sumptibus erectum in collegiata ecclesia s. Blasii Civitatis Centi. Pro illius dote reliquit praedium Tornaturarum viginti quinque et beneficiatum adegit *ad celebrandum ad dictum altare* unam missam lectam quotidianam. Primum rectorem dicti beneficii esse voluit sacerdotem Antonium de Monaris, qui *celebrare habeat dictam missam planam quotidianam et in ipsa orare debeat Deum pro anima ipsius testatoris et ejus antecessorum.*

Post istius sacerdotis obitum mandavit eligi *alium proximiorem de sua agnatione et familia;* eo autem non existente jus eligendi beneficiatum detulit ad Archipresbyterum dictae Collegiatae s. Blasii et ad proximiorem de eadem sua agnatione et familia. De anno 1604 ad erectionem beneficii deventum est ejusque rectori in ipso erectionis intrumento per tunc temporis Archiepiscopum Bononiensem mandatum fuit »*quod debeat celebrare missam planam quotidianam ad dictum altare et in ipsa orare Deum pro anima dicti Domini Blasii et illius antecessorum.*

Putarunt beneficiati testatorem haud demandasse missarum applicationem et propterea illius voluntatem satis adimpleri existimarunt celebrando in altari sanctissimae visitationis, quin Sacrum pro ejus anima applicarent. Morem hunc improbavit clar. mem. Card. Malvetius, qui in pastorali visitatione anni 1771 declaravit beneficiatum teneri ad quotidianam missarum celebrationem et applicationem. Cum autem praefati beneficii redditus vix aequarent summam sc. 40 proindeque onus quotidianae celebrationis grave nimis prorsusque impar videretur, hinc dictus Card. Malvetius eodem anno 1771 instante sacerdote Andrea Monarii beneficii rectore decrevit, quod ex redditibus ad dictum beneficium pertinentibus scuta sexdecim detraherentur, quibus rector praebendae nomine frueretur, superextantes vero erogarentur in celebrationem tot missarum, constituta singularum eleemosyna in obulis quatuordecim, nempe duodecim pro celebrante et duobus pro utensilibus. Quodquidem decretum nedum probavit, verum etiam exequi voluit modernus Emus Archiepiscopus in visitatione expleta anno 1780.

Per obitum dicti sacerdotis Andreae Monari vacavit hujusmodi beneficium; cumque non extarent presbyteri a testatore contemplati, Bartholomaeus de Monaris supplex petiit a SSmmo Domino Nostro facultatem nominandi unicum, quem habet filium in undecimo aetatis anno jam constitutum; efflagitavit praeterea deletionem oneris applicandi missam, quia nunquam a testatore demandatum extiterit, vel saltem postulavit, ut applicatio ad certum missarum numerum coerceretur. Ablegatis precibus sac. Congregationi de hisce omnibus judicium EE. VV. hodie exquiritur.

Ad I. inquit, petitam dispensationem denegandam non esse, cum agatur de persona, quae est de familia fundatoris, ab illo passive vocata, et unica in dicta familia, quae capax sit assequendi clericatum; addit praeterea, huic nominationi assentiri Archipresbyterum collegiatae ecclesiae s. Blasii, cui una cum oratore patronatus activus competit. Demum advertit, ejus familiam ingentem pecuniae summam erogasse pro reaedificanda ornandaque capella, in qua erectum est beneficium eamdemque familiam multo gravatam esse filiorum numero et aliquo indigere subsidio. Quae gratiam denegandam non esse existimat in his circumstantiis, cum praesertim dispensatio pueris etiam quinquenium aut sexenium vix excedentibus fuerit impertita.

Ad II. tuetur, ex fundatoris voluntate pandita in ejus testamento desumi, quod ipse celebrationem dumtaxat non vero missarum applicationem voluerit, quod etiam comprobatur ex longaeva observantia, Archiepiscoporum acquiescentia, qui nunquam missarum applicationem demandarunt, ac tandem ex rescripto san. mem. Benedicti XIV., qui beneficii rectori olim permisit, ut, dum missas in altari ssmae visitationis juxta fundationem Blasii Monari celebraret, posset eodem tempore aliud onus adimplere, cui applicatio missarum juncta erat. Fatetur, quod demandata a testatore Sacrorum celebratione volita quoque censeatur illarum applicatio; verum sustinet ab hac regula recedendum esse, quando celebrationis modus praefinitus est. Qua de re, cum Blasius Monari missarum celebrationem indixerit sub lege, ut *orare debeat Deum pro anima ipsius testatoris* et ejus antecessorum, volita tantummodo praesumitur celebratio absque ullo applicationis onere. Quatenus vero utrumque onus celebrationis et applicationis beneficiato inhaerere decernatur, tunc contendit applicationem ad certum numerum esse praefiniendam, nam tali modo et rectoris quieti et fundatoris suffragio magis consulitur, maxime quia praedium beneficii incorporatum reperitur cum aliis bonis ad oratorem spectantibus.

Emmus Archiepiscopus de sua sententia rogatus, quod attinet ad primam petitionem, inquit: »*Constat de erectione et dotatione ab uno ex oratoris majoribus facta deque jurepatronatu in agnatione manente atque adeo ad oratorem spectante. Cum itaque oneribus missarum beneficio adnexis satisfieri per alium sacerdotem possit, veniam oratori puto posse concedi nominandi filium, etsi propter aetatem minus iste sit idoneus ad hujusmodi beneficium, salva tamen et integra obligatione satisfaciendi per sacerdotem iis oneribus, quibus per se non potest satisfacere; nominandi quidem jus non modo ad oratorem pertinet sed ad ecclesiae collegiatae Archipresbyterum, qui oratori non modo non obstat, sed in eodem nominando adolescente cum eo plane consentit.*

De omissa a decessoribus beneficiatis Sacrorum applicatione testatur: »*Eos in ea falsa opinione fuisse onus tantum, ut dicunt, praesentiae non applicationis sacrificii sibi impositum esse, ac propterea nec pro fundatore Sacrum obtulisse nec pro majoribus ejus.*« Addit insuper: »*Verum item esse Andream Monarium ecclesiae collegiatae Canonicum postremumque beneficii rectorem petiisse a san. mem. Benedicto XIV. et impetrasse, ut sibi liceret in altari visitationis eas missas celebrare, quas ut possessor alterius beneficii in alio altari celebrare et applicare tenebatur; hinc uno tempore et in eodem altari duabus obligationibus satisfecisse, uni quidem per praesentiam, alteri vero per applicationem; sed tota haec facultas innitebatur praefatae opinioni rectorum hujus beneficii, quae si vera fuisset, locum etiam et vim obtinuisset contra, si falsa.*« Hanc autem opinionem falsam fuisse deprehendi affirmat ex verbis ejusdem fundatoris ex testamento elicitis, et propterea jure meritoque Card. Malvetium missarum applicationem decrevisse, quod quidem decretum et ipse quoque confirmavit.

Tandem de petitione praefiniendi numerum missarum, quae applicari debeant, Emmus Archiepiscopus haec habet: »*Animadvertendum est testatorem pro beneficii fundo destinasse praediolum, quod in duas dumtaxat partes divisum est; extat autem in una parte domus*

cum omnibus necessariis pro habitatione coloni et agri cultu; etiamsi ergo colonus idem colat alias terras adjunctas huic praediolo proprias ejusdem familiae Monari, videtur tamen adhibita diligentia separari posse fructus praedioli beneficio adnexi ab aliis fructibus adjunctae terrae, licet ab uno eodemque colono utraque terra colatur. Itaque in eam facile sententiam descenderem, prohibendum scilicet auctoritate istius sac. Congregationis oratori, ne amplius redditus beneficii cum aliis redditibus permisceantur, praecipiendum vero, ut ipse orator tamquam filii administrator decem, qui sequantur, annis separatas distinctasque annuorum proventuum beneficii rationes in peculiarem codicem fideliter referat, et elapso decennio cognitisque redditibus beneficii certus missarum celebrandarum numerus sine errandi periculo definiatur. Interim vero debeat absolute quotannis non omittere celebrationem juxta formam decretorum sac. pastoralis visitationis sub obligatione etiam supplendi defectum, quatenus minor esset numerus missarum comparate ad fructus, aut etiam se compensandi, quatenus ob eandem causam major esset. Quod si decennale hoc tempus sac. isti Congregationi longius aequo videretur ad numerum missarum decernendum, arbitrarer judicio periti primo quidem stabiliendam mensuram agri beneficio adnexi tum pretium agri, annuumque ejusdem fructum liberum esse statuendum, ut sic tandem detracta praebenda multo citius constitueretur numerus missarum singulo quoque anno celebrandarum.

Alexander III. scribens Archiepiscopo Cantauriensi Suffraganeis mandavit, *ut nemini infra annum quartum decimum constituto personatum cujuslibet ecclesiae concedere praesumatis, sciturі pro certo, quod inde feceritis, irritabimus et inobedientiam vestram graviter puniemus*« prout habetur *in cap.: Indecorum 3. de aetate et qualit. praeficiend.* Hanc disciplinam renovavit sac. concilium *sess. 23. cap. 6. de reform.*, in quo statuit: »*Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.*

Sustinent *Corrad. prax. dispens. lib. 4. cap. 2. num. 8., Piton. discept. eccles. 13.*, quod ab hac regula receditur, si agitur de persona passive vocata et unica ex contemplata familia. Sac. Congregatio concurrentibus relatis circumstantiis et accedente consensu patronorum quandoque indulsit, ut ecclesiastica beneficia obtinerentur a personis, licet nondum decimum quartum annum expleverint.*) *In Lucana Beneficii seu capellaniae 17. Maji 1749* dispensavit cum puero quadriennii; in *Monasterien. seu Osnaburgen. Canonicatuum 1. Julii 1753* eamdem dispensationem concessit puero quinquennii et in *Beneventana Dispensationis* patronus nominavit ad capellaniam institutam in ecclesia sub invocatione SSmi Nominis Jesu cum onere celebrationis missae quotidianae proprium filium in sexto aetatis anno constitutum sub spe obtinendae dispensationis et proposito dubio: *An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu etc.?*

die 28. Augusti 1799 rescriptum fuit:

Affirmative usque quo orator ad legitimam aetatem pervenerit pro suscipiendo sacerdotio adimpletis oneribus.

Haec de primo dubio, quod vero attinet ad secundum, quaestio oritur inter doctores: an fundator, qui beneficiato onus imposuit celebrandi missam nec ullum verbum de illius applicatione adjecit, censeatur imposuisse etiam onus missam applicandi? *Benedictus XIV. de sacrificio missae lib. 3. cap. 9. n. 1.* affirmativam sententiam tuetur. Admittit, quod juxta *regulam 57. de regul. jur. in 6 contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda,* tamen cum in *regul. 45. eod. tit.* statuatur: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimile,* hinc putat verisimile esse, ut ille, qui beneficium fundavit et onus celebrandi missam imposuit, in ejus suffragium eamdem missam applicari voluerit.

Hanc sententiam secuta est sac. Congregatio in *Tinen. Applicationis sacrificii:* Expositum fuit, quod ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperiebatur fundata quaedam capellania cum onere capellani pro tempore Sacrum faciendi singulis dominicis aliisque festis diebus, nulla adjecta declaratione ad cujus suffragium applicandum esset sacrificium, hinc Episcopus supplicavit declarari: An hujusmodi sacrificium applicandum esset pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum capellani, uti semper factum fuerat. Die *18. Augusti 1668* eadem sac. Congr. respondit: *Applicandum esse sacrificium pro anima testatoris, lib. 26. decret. pag. 61.*

*) Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio nondum insignitus); *Aetas p. 287.*

Ad casum de quo agitur praestat animadvertere, quod alias definivit sac. Congregatio in *Vintimilien.*, cujus haec est facti species: Sacerdos Joannes Hieronymus Luterii instituit haeredem sororem suam eaque sine filiis decedente in omnibus suis bonis substituit hospitale s. Spiritus illius civitatis cum onere celebrari faciendi in ejus ecclesia missam unam quotidianam *et in ea orare pro anima ipsius testatoris.* Aperta favore hospitalis successione ad praedictam haereditatem illius gubernatores petierunt definiri: *An sacerdos ad celebrationem missae eligendus teneatur illam applicare attentis verbis testatoris superius recensitis, videlicet* »et in ea orare pro anima ipsius testatoris« *nulla facta mentione applicationis, cum aliud sit orare, aliud missam applicare?* Die 27. *Aprilis* 1720 prodiit responsum: *Sacerdotem teneri ad applicationem missae, lib. 70. decret. p. 187.* Haec praenotanda erant; superest modo, quod EE. VV. definiant:

I. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?*

II. *An sit locus applicationi missarum et in quo numero in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative usque dum orator pervenerit ad legitimam aetatem, adimpletis interim per alium oneribus.

Ad II: Affirmative ad primam partem: quo vero ad secundam, numerum missarum praefiniendum esse ab eminentissimo Archiepiscopo juxta peritiam faciendam fructuum beneficii, qui integraliter erogari debeant in celebrationem missarum ad taxam perpetuae.

Reliquae non propositae.

Die 11. et 25. Jan. 1783.

Mutinen.

Ex nonnullis praediis annui nunc redditus libellarum regiensium circiter 1120 seu scutorum circiter 53 monetae romanae fundavit anno 1474 Christophorus Grassi beneficium simplex in oratorio seu ecclesia s. Leonardi paraeciae Brixilli imposuitque beneficiato onus celebrandi *in dicta ecclesia singula hebdomada quatuor missas, habitandi firmiter in dicta domo contigua ecclesiae et faciendi semper in qualibet missa commemorationem et orationem pro ipso Grasso.* Fundum vero assignare declaravit *pro dote seu parte dotis dictae ecclesiae et pro sustentatione vitae rectorum,* ut ex authentica fundationis particula.

Ad hoc beneficium nominatus se abstinuit sacerdos Dominicus Borettini a missarum applicatione. De hac vero postulatum ejus nomine fuit EE. Vestrarum oraculum et quatenus responderent pro applicatione, congrua petitur reductio. Die tamen 17. Aprilis elapsi anni 1790 prodiit rescriptum: *Quoad applicationem teneri juxta exposita, in reliquis lectum.* Quum inficiaretur tamen supplicem illum dedisse libellum, EE. Vestris pro iteratione rescripti supplicavit Francisca Grassi Laimieri beneficii patrona remissaeque fuerunt preces ad Mutinensem Episcopum *pro informatione et voto, audito praesertim beneficiato eidemque praefixo termino ad deducendum jura sua in sac. Congregatione, transmissa fundatione.*

Sua coram illo in scriptis ad s. Congregationem transmissis deducere maluerunt jura beneficiatus et patrona. Is vero retulit, quod ex annuo redditu scutorum 53 *congrua eleemosyna missarum 208 annualium in rationem unius julii argentei pro qualibet missa juxta morem regionis detrahi, reliquum dictorum reddituum pro compensatione expensarum occurrentium ad missarum celebrationem et ad commodum beneficiati cedere potest.* Atque hinc conclusit, quod *perspecta fundatoris dispositione humillime sum in voto, beneficiatum teneri ad applicationem. Siquidem in fundatione praedicta eumdem obligatum voluit ad faciendam in qualibet missa commemorationem pro eodem et fundatore.*

Sub primo igitur ex infrascriptis dubiis quaeritur de applicatione. Ne ad eam cogatur, asserit beneficiatus, libere semper per suos decessores applicatas fuisse missas cum simplici fundatoris beneficii commemoratione. Dubitandum insuper censet de veritate et qualitate fundationis, ob antiquas inter bella fluminisque Padi inundationes corruptas scripturas. Eaque tandem admissa inverisimile dicit, volitam a fundatore fuisse missarum applicationem, quae congruum juxta ejus vota non relinqueret redditum *pro sustentatione vitae rectorum.* Quanti autem faciendae sint assertiones istae et praesumptiones, EE. Vestrae decernent.

Urgere contra videntur pro applicatione dispositio juris et fundatoris voluntas. Ex jure siquidem, applicationem voluisse censetur missarum, qui certum celebranti, ut in nostro

themate, assignavit redditum, *Card. de Lugo disp. 20. de Eucharist. sect. 1. num. 23, Fagnan. in cap.: Significatum num. 44. de praeben.* Dum praestito enim emolumento illarum celebrationem praescripsit, in suam quoque utilitatem voluit fructum, qui in applicatione consistit, *Silvest. verb.: Missa primo n. 11., Abb. cons. 89. volum. 4. in 3. dub. vers. praeterea lib. 2.* Expressa vero fundatoris voluntas ex iis desumi potest verbis: »*Teneatur semper in qualibet missa facere commemorationem et orationem pro ipso Grasso.*« Hac namque formula applicationem contineri rescripsit sacra Congregatio per summaria precum in *Ventimilien. 27. Aprilis 1720,* teste *Benedicto XIV.* tunc a secretis *in tract. de sacrif. miss. lib. 3. cap. 9. §. 3.* Supplicatum porro fuit *pro declaratione: »An sacerdos ad celebrationem missae eligendus teneatur illam applicare attentis verbis testatoris: »et in ea orare pro anima ipsius testatoris,« nulla facta mentione applicationis, cum aliud sit orare aliud missam applicare?«* Et sacra Congregatio respondit: *Sacerdotem teneri ad applicationem missae.*

Quo vero ad reductionem, de qua agitur secundo, vix beneficiatus sub quorumdam peritorum fide consistere ait beneficii redditum in annuis libellis 785 seu scutis 38 aut 39, quae detractis oneribus paria non sunt ejus sustentationi, de quo sollicitus etiam fuit fundator. Sed aliter re explorata refert Episcopus; nam redditum evehit ad scuta 53, quorum sufficientem summam cedere testatur *ad commodum beneficiati.* Adverti etiam posset, integrum fortasse *pro sustentatione ejus vitae* aestimandum redditum, licet onus habeat applicationis missarum, quum satis sit juxta voluntatem fundatoris, ut de beneficio vivat.

Dubia sunt:

I. *An sit locus applicationi missarum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus illarum reductioni in casu?*

S. C. resp. Ad I: Affirmative,

Ad II: Negative.

Die 16. Julii 1791.

Burgi s. Sepulchri.

Sacerdos Philippus Farsetti, cum in Urbe anno 1590 rector esset parochialis ecclesiae s. Mariae in *Monticelli*, duos in civitate Burgi s. Sepulchri constituit procuratores eisque mandavit, ut ex suis pecuniis tot emerent census vel bona stabilia ad scuta millia quingenta, quae monasterio ordinis servorum b. M. Virginis dictae civitatis donavit reservato sibi usufructu quoad viveret, se vero defuncto jussit prae caeteris, ut per *ipsos procuratores* solverentur *quotannis in perpetuum scuta triginta monetae expendenda per haeredes et procuratores in paramentis sive ornamentis sacristiae ecclesiae dicti monasterii*, quibus jussit *apponi insignia domus ac familiae Farsettorum.* Quorum intuitu voluit, ut *fratres teneantur quotidie celebrare unam missam parvam ad altare sive capellaniam erectam sub titulo praesentationis beatae Mariae hoc ordine: die dominico de dominica et festo recurrenti; die lunae pro mortuis: die martis in honorem angelorum; die mercurii in honorem beatae Mariae Virginis; die jovis de Spiritu sancto, die veneris de sancta cruce, die sabbathi etiam in honorem beatae Mariae Virginis. Quae quidem missa sit et esse debeat ultima omnium missarum in dicta ecclesia celebranda, id est post missam conventualem sive majorem dictam; et antequam dicta capella celebretur, teneantur fratres sonare majorem campanam per aliquod spatium, et ultimo loco cum triginta ictibus, sicut sonari solet pro mortuis et hoc ad intimandum consanguineis et aliis, si forte pro sua devotione missae hujusmodi interesse voluerint. Et casu quo fratres praestare per mensem cessaverint nec celebraverint, administratores pro tempore de scutis illis triginta relictis fratribus possint propria authoritate et libere valeant celebrare facere per alium sacerdotem in eadem tamen capella et eodem modo et ordine dicto ad libitum et placitum suum cum eleemosyna competenti de illis triginta scutis detrahenda. Ipsi vero fratres nihil pro missa pacta aut summam petere aut praetendere possint et si aliquid superfuerit de dicta eleemosyna sive salario sacerdotis sive capellani, per administratores deputandi, debeat per ipsos administratores pro tempore in ornamentis expendi, quod supererit.*

Alia praeterea legata reliquit scilicet: »*Ut quotannis in perpetuum fratres praefati teneantur celebrare facere in dicta ecclesia et capella respective triginta parvas missas et unam cantatam cum responsorio. Et casu, quo non possent celebrare, tot sacerdotes eodem die anniversarii sui obitus simul cum fratribus monasterii praefati, quot supererunt*

missae dicendae, quanto citius fieri potuerit subsequentibus immediate diebus celebrentur cum omnibus aliis fieri solitis. Et curent dicti fratres et exequutores pro tempore, ut dicantur omnes triginta, et ne fiat fraus in numero earum et pro officio, missis et cera ipsi fratres habeant de dictis fructibus scuta sex similia.« Item mandavit »*ut die festo praesentationis b. M. Virginis praefatae teneantur dicti fratres cantare utrasque vesperas et missam paratam ad altare et capellam praefatam singulis annis in perpetuum et pro eleemosyna dictorum officiorum, cera et aliis necessariis ad id festum celebrandum dari scuta duo.*« Tandem voluit »*Conservari lampadem accensam in perpetuum ante dictum altare dum celebrantur missae et alia Divina in dicta ecclesia, et pro oleo emendo expendi scuta quinque, quod oleum assignetur per exequutores abbatissae et vicariae tertii ordinis in dicta ecclesia existentibus et teneantur sacristiae dare tantum olei, quantum est solitum pro lampade posita ante altare.*«

Missa quotidiana quam reliquit sacerdos Farsetti reducta est *anno 1688* ad annuas missas 180 a Generale ordinis Servitarum munito opportunis facultatibus ab Alexandro Papa VII. concessis. Semper vero tum ante tum post reductionem religiosi nedum celebrationem sed etiam applicationem missae praestiterunt. In hoc tamen defecisse fatentur, quod neque missas celebrarunt ordine a fundatore praescripto neque aere campano pulsato signa dederunt, ut Farsettus jusserat. Quare nunc tria postulant: primum, ut declaretur, num ipsi teneantur ad applicationem; quatenus vero teneri censeatur, tum petunt, ne scuta triginta erogare cogantur in comparandis sacris supellectilibus, prout Farsettus imperavit; tandem implorant absolutionem si in praeteritum missas celebrarunt turbato ordine praescripto neque dato signo ante celebrationem. De his omnibus rogata sententia est P. procuratoris generalis, auditis praesertim administrationibus.

Ipse itaque refert, quod administratores petitioni omnino suffragantur: *quod annuus redditus pro onere Philippi Farsetti est scutorum romanorum triginta in moneta Florentina, pro quibus tenentur patres Burgi s. Sepulchri celebrare missas centum octoginta juxta taxam Concilii romani nempe assium sexdecim cum duobus obolis circiter et dimidio pro qualibet missa,*« quod »*Consuetudo satisfaciendi legato principali missarum prius quotidianarum deinde reductarum, ut dictum fuit, ad centum octoginta, fuit usque ab initio (ut constat ex libris sacristiae) ut missae non solum celebrentur, sed etiam sacrificium applicaretur pro anima Philippi Farsetti,*« quod »*Ecclesia Burgi s. Sepulchri in s. supellectilibus et utnesilibus conficiendis insumpsit scuta triginta, quae ei veniebant singulis annis ex hujusmodi legato pio. Nunc vero sacristia ejusdem ecclesiae satis supellectilibus et utensilibus est instructa.*« Ex his sententiam suam exponit quoad instantias ab oratoribus propositas. Censet siquidem ex rationibus inferius recensendis, quod fratres non teneantur ad applicationem hujus missae, quae ex legato Farsetti procedit. Praeterea tollendam omnino esse putat *obligationem impositam patribus Burgi s. Sepulchri expendendi scuta triginta annua in conficiendis s. supellectilibus cum insignibus familiae de Farsettis. Quanam enim aequitate potuit testator disponere de eo, quod assignavit in eleemosynam celebrationis missarum? Obligatio vero missarum votivarum, quae praescripta sunt singulis diebus infra hebdomadam, difficilis admodum est exequutionis tum propter frequentiam officiorum duplicium tum quia in semiduplicibus dicendae sunt missae pro defunctis. Ad summum relinqui posset obligatio unius missae votivae in qualibet hebdomada non impedita. Idem dictum volo de onere certorum signorum ante missam. Nam cum sit ultima missa, omnes jam sciant ea hora celebrari.*

Primum dubium respicit applicationem missae quotidianae, quam reliquit Carolus Farsetti quamque postea pater generalis pro facultatibus sibi ad Alexandro VII. concessis ad annuas missas centum octoginta reduxit. Fundator quidem jussit celebrationem tantum missarum, nec quidquam de applicatione innuit, adeoque cum in hoc ejus voluntas obscura sit, videtur standum esse regulae in *can. 45. de reg. jur. 126.* expresse: »*In obscuris inspiciendum esse, quod est verosimilius.*« Verosimilius autem videtur, quod injuncta celebratio secumferat applicationem tamquam praecipuum effectum celebrationis ad tradita per *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 3. num. 49, Pasqualig. de sacrif. nov. leg. quaest. 208. num. 6, Pignatell. consult. canon. 139. num. 12. tom. 1, Benedict. XIV. de sacrif. missae lib. 3. cap. 9. num. 2.* Fatemus tamen, haec obtinent, quatenus contraria explorata non sit fundatoris voluntas

etiam ex vehementissimis conjecturis elicita, ut definivit sac. Congregatio in *Ferarien.*) Applicationis missarum 12. Februarii 1718.*

Si quaestio voluntatis instituenda est, maxime obstare videtur oratoribus eorum factum. Nam ab ipso fundationis initio et ante et post obtentam reductionem semper missas se applicasse fatentur ultra spatium centum annorum. Quo facto vel ipsi ambiguam fundatoris voluntatem pro applicatione declararunt' vel ad applicationem tenentur, sin minus ex fundatione, certe quidem ex longaeva observantia et consuetudine, a qua recedere nefas habetur, ut docuit *Rota coram Falcon. de jurepatron. decis. 5. n. 10,* et in *Melphicten. Beneficii 28. Januarii 1757. §. 6. coram Elephantutio.* Tantum vero sibi vindicat centenaria observantia, ut onus inducere possit, licet de eo ex fundatione non constet, ut definivit s. Congregatio in *Romana 20. Maji 1786.*

Nihilominus patres nihil metuunt ab hac observantia, quam processisse ajunt ex errore facti et ex non bene explorata fundatione, adeoque tamquam profluens ex titulo infecto nullo in pretio habenda sit, ut docent *Barbos. ad concil. Trident. sess. 25. cap. 9. de reform. n. 18, Pignatell. consult. canon. 86. num. 20, Rota apud Scarfant. ad Ceccoper. decis. 58. num. 9, Rot. cor. Bich. decis. 162. num. 20.* Duas porro afferunt conjecturas, unde exploratam esse contendunt fundatoris voluntatem. Prima scilicet ex tenui eleemosyna, quam fundator constituit pro missa quotidiana et votiva, scilicet assignavit annua scuta *triginta,* nec eam propriam addixit patribus celebrantibus, sed erogandam voluit in sacris supellectilibus, quae haberent insignia suae familiae Farsetti. Quare si insufficiens erat eleemosyna ad celebrationem, et haec ipsa non in commodum celebrantis, sed prout ipse voluit erat eroganda in s. supellectilibus, censendum non est applicationem voluisse, ut ex cap.: *Non est de praesumpt.* tradit *Rot. cor. Falconer. de prob. dec. 1, n. 11.* Altera conjectura derivatur ex eo, quod Farsettus destinavit certum altare, certam horam, certum modum, quo haec missa celebrari oporteret, scilicet post pulsatum aes campanum *ad intimandum consanguineis et aliis si forte pro sua devotione interesse voluerint,* adeoque de hisce sollicitus fuit fundator, ut, si patres Servitae deficerent, mandaverit exequutoribus testamentariis celebrationem missae per alium sacerdotem. Quare causa dispositionis fuit cultus capellae et commodum fidelium, ut Sacro interesse possent. Quibus concurrentibus non videtur volita applicatio, ut censuit s. Congregatio in *Collen. Applicationis sacrificii 17. Decembris 1679. lib. 40. decr. fol. 4, Tricastinen.*) *Applicationis sacrificii 8. Augusti 1711, Mantuana Applicationis sacrificii 19. Novembris 1718, Novarien. 22. Novembris 1727.*

Quandoquidem EE. PP. censeant patres oratores teneri ad applicationem, tum in *II. dubio* postulant, ut commutata fundatoris voluntate eximantur ab onere erogandi annua scuta *triginta* in comparandis sacris supellectilibus, quibus eorum sacrarium abundat. Aliter ipsi non haberent congruum emolumentum pro onere applicationis, eleemosyna vero missarum propria esse debet celebrantium nec eam testator in alios usus destinare potest.

In III. dubio postulant oratores absolutionem ob neglectum in praeteritum ordinem celebrandi neglectumque signum ante missae celebrationem a testatore praescriptum. Hanc omissionum affert excusationem P. Procurator generalis, quod scilicet *obligatio missarum votivarum, quae praescripta sunt singulis diebus intra hebdomadam, difficilis admodum est exequutionis tum propter frequentiam officiorum duplicium, tum quia in semiduplicibus dicendae sunt missae pro defunctis. Idem dictum volo de onere certorum signorum ante missam. Nam cum sit ultima missa, omnes jam sciant ea hora celebrari.*

Proponuntur dubia;

I. *An patres Servitae Burgi s. Sepulchri teneantur ad applicationem missarum pro legato Philippi Farsetti in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sit locus commutationi voluntatis ejusdem Philippi Farsetti quoad erogationem annuorum scutorum triginta in casu?*

S. C. resp. ad I: Affirmative.

Ad II: Affirmative ad decennium.

Die 14. Junii 1806.

Florentina.

Philippus Medici testamento anni 1598 legavit patribus Servitis di Monte Senario

*) Vd. *supra pag. 819.*

*) Vd. *supra pag. 815.*

florena quindecim cum dimidio, ut erogarentur tria florena cum dimidio per comprare e pagare un barile d' oglio per ciascun anno, e tenere accesa la lampada di mezzo fatta da esso fondatore all' altare dei Sette Beati sepelliti in quel luogo, e per gl' altri Fiorini dodici li detti fratri e convento siano obligati ogni anno in dì di lavorare e potendo ancora in dì di festa continuamente dire una messa piana secondo che corre, ed in quella pregare Iddio per l' anima di esso testatore con far preci segrete, e particolari avanti che si levino dall' altare con dire o un *miserere* o un *De profundis.* Hoc legatum nisi adamussim implessent patres Servitae, deferri voluit ad patres ex Minimorum ordine in civitate Florentiae, quibus quotannis exhibendam mandavit fidem de adimpleto legato, et offerendum reliquit cereum unius librae. Ex hoc legato primum censuerunt patres Servitae applicandam esse missam quotidianam, quae postea die 6. Octobris anni 1610 reducta fuit a patre generali ordinis (quibus facultatibus munito ignoratur) ad tres missas hebdomadales. Sed cum hoc onus esset impar fructibus legati, patres Servitae iterum implorarunt reductionem a sac. Congregatione, quae die 17. Septembris 1750 preces remisit Archiepiscopo Florentino, qui dictas missas, si et quatenus ex simplicibus legatis proveniant, ad rationem unius julii pro qualibet moderetur et reducat etc.

Non constat tamen Archiepiscopum reductionem decrevisse, sed in adversariis tantum adnotatum est, quod consulti theologi statuissent, PP. Servitas ad applicationem non teneri, sed tantum ad recitandas preces, quas testator praescripserat. Abhinc semper ita factum est et celebrans missam conventualem praescriptas preces recitavit. Verum dubitant nunc patres Servitae: num rite hactenus impletum sit legatum, tum quia deficiente nunc lampade a testatore facta, quae in medio e conspectu altaris posita fuerat, duas tantum hinc et illinc ardere fecerunt, tum demum quia cereum non obtulerunt patribus Minimis, postquam Etruriae conventus deseruere. Implorant itaque super hisce sac. Congregationis oraculum. Haec quae exposita sunt confirmat procurator generalis in sua informatione, addit vero haeredes Philippi Medici testatoris tradidisse, prout erat in eorum arbitrio, florena tercentum nempe scuta romana 330 et ob. 75 patribus Servitis pro fundo utriusque legati, quae ab his investita fuerunt in praedio, unde nunc vix redeunt annua scuta romana decem. Expensam porro necessariam pro manutentione lampadis est scutorum sex et obolorum sexaginta. Proposita haec causa per summaria precum in Congregatione diei 2. currentis Maji Vobis placuit, ut in folio describeretur.

Num PP. Servitae teneantur ad applicationem missae, quaeritur in I. dubio. Cum hanc applicationem expresse non praescripserit fundator, investiganda est ex conjecturis ejus voluntas. Onus quidem orandi a testatore injunctum praeseferre videtur obligationem applicationis, ut firmat *Benedict. XIV. de sacrific. missae lib. 13. cap. 9. n. 7.* et sac. Congregatio in *Vintimilien. 27. Apr. 1700.* Haec tamen regula duplicem in casu patitur limitationem: scilicet, quod testator certas praescripsit preces a sacerdote recitandas »con far preci segrete avanti, che si levino dall' altare con dire o un *Miserere*, o un *De profundis.*« Quare sub obligatione orandi injuncta celebrantibus non venit applicatio, cum recitatis praescriptis precibus impleta videatur testatoris voluntas. Deinde cum testator pro hoc legato missae et pro censu annuo unius librae cerae patribus Minimis praestando reliquerit florena annua duodecim, id quod nec de tempore fundationis par erat emolumentum oneri, videtur sane noluisse applicationem, ceu patet ex *Benedicto XIV. de sacrif. missae lib. 3. cap. 9. num. 3, Pignatell. consult. 138. num. 5.*

In II. dubio quaeritur: num PP. Servitae implere teneantur legatum lampadis et oblationis cerei. Nam cum nunc illa deficiat lampas, quae facta erat a testatore et posita in medio e conspectu altaris, sane videtur quod huic oneri supplere possit per lampades, quae a lateribus ardent. Una enim retineri debet ante altare ssmi Sacramenti et altera pro legato esse poterit.

Tandem in III. dubio quaeritur de adimplemento legati, quo injungebatur PP. Servitis cereum offere patribus Minimis, qui Florentiae erant, iisque simul exhibenda erat fides impleti legati. Sed cum non existant amplius patres Minimi, quibus offerrendum quotannis sit cereum et exhibenda fides, sane patres Servitae ab hoc onere soluti videntur.

Ex hisce, si vobis arridents, dubia a PP. Servitis proposita dirimi poterunt:

I. *An patres Servitae teneantur ad applicationem missae ex legato Philippi Medici in casu?*

II. *An patres Servitae retinere debeant pro implemento legati Philippi Medici lampadem separatam ab iis, quae jam ardent in casu?*

III. *An et quomodo implere debeant PP. Servitae legatum cerei in casu?*

S. C. resp. ad I: Affirmative juxta vires ad taxam perpetuae.

Ad II: Affirmative nisi si voluntaria detentio alterius lampadis.

Ad III: Negative durante absentia PP. Minimorum.

Die 30. Maji et 27. Junii 1807.

Bononien.

Bononiensis Antistes Bartholomaeus Rimondi *anno 1401* capellaniam in altari metropolitanae ecclesiae ss. Bartholomaeo et Blasio dicato instituit eique satis amplam assignavit dotem. Rectorem autem onere obstrinxit divinis officiis in eadem ecclesia interessendi cum aliis clericis et missas quatuor ad minus in hebdomada ad dictum altare celebrandi, nisi canonicam habuerit excusationem, et in omnibus ipsis missis *specialem supplicationem et deprecationem ac commemorationem de dicto* D. Bartholomaeo Episcopo Bononiae faciendi.« Quod si capellanus per quindecim dies absque justissimo impedimento *cessaverit missas celebrare et divinis officiis interesse*, statuit, ut caderet *in poenam unius solidi Bononien. pro qualibet missa et die, qua capellanus ipse ibidem non celebraverit, vel quatuor denariorum parvorum pro qualibet hora, qua in dicta ecclesia cum aliis clericis non interfuerit, applicandam sacristiae ecclesiae.*

Capellaniam hanc s. m. Pius VII. anno 1807 in canonicatum erexit ac rectorem onere clericum alendi in fundatione imposito liberavit sed cetera onera beneficio infixa perferenda esse decrevit. Quapropter novi canonicatus possessor quatuor in singulis hebdomadis missas ad altare ss. Bartholomaei et Blasii celebrare, imo suorum praedecessorum vestigiis inhaerens eas in expiationem animae fundatoris etiam applicare non praetermisit. Hodiernus vero canonicatus rector Joseph Zama Mellini in eam venit opinionem, ut a fundatore missarum dumtaxat celebratio, non vero applicatio demandata fuerit; atque hanc ob rem controversiam ad hunc detulit lectissimum concessum. Cumque canonicatus redditus ob publica vectigalia decreverint atque orator onere quoque gravetur pensionem scut. 100 quotannis pendendi Comiti Haerculi Isolani illius in canonicatu immediato antecessori, idcirco, si Emmi Patres non modo celebrationem, verum etiam applicationem missarum a fundatore praescriptam censuerint, earumdem reductionem postulat ad unum Sacrum in qualibet hebdomada per oratorem vel in aliis ecclesiis litandum, si rusticationis aut necessitatis causa Bononia abesse contingat.

Rogatus de more Emmus Archiepiscopus ea, quae supra narravi, confirmat ac praeterea refert, annuos canonicatus redditus detractis etiam missarum oneribus pertingere circiter ad scut. 130. Et quamvis ab animi sui sententia aperienda se abstineat, nihilominus votum transmisit capituli metropolitanae ecclesiae, quod opinioni Canonici Mellini accedit quoad missarum celebrationem, sed *per non privare affatto il fondatore dell' applicazione della messa . . . opina che venga una sola messa mensile applicata nell' avvenire, osservandosi però l' obligo di celebrare con libera intenzione le quattro messe settimanali al prescritto altare, col peso di corrispondere per ogni mancanza un soldo di Bologna pei bisogni della sagrestia, come fu prescritto nella istituzione.*

Quamquam orator non inficietur, antiquam et constantem esse hujus s. Congregationis sententiam, capellanum onere obstringi ad applicationem missae, tametsi fundator, qui missarum demandavit celebrationem, nullum de applicatione adjecerit verbum, ut docent responsa *in Ferrarien**) *26. Martii 1718, in Fundana Applicationis 13. Septembris 1721.* §. *Quoad*, et in *Nucerina Applicationis 19. Junii 1702* §. *In primo;* nihilominus in praesenti casu aliter sentiendum arbitratur. Etenim ex vehementibus indiciis et urgentibus conjecturis, expressa deficiente voluntate, fundatorem noluisse applicationem elicitur, ceu pluries docuit haec s. Congregatio et praecipue in *Ferrarien. Applicationis sacrificii 11. Junii 1729* §. *Super*, et in *Callien. et Pergulana Absolutionis et reductionis 20. Decembris 1823.* §. *Diversa.*

*) Vd. *supra p. 819.*

In themate plures ex hujusmodi conjecturis ait occurrere. Inprimis enim capellania, de qua agitur, vetustae est fundationis, in beneficiis autem antiquis, nisi expressa mandata fuerit applicatio perpetua missarum, celebratio potius ad populi commoditatem ob sacerdotum penuriam quam ad fructum sacrificii percipiendum praescripta praesumitur, quemadmodum tradit *Ferrarien. Bibliot. V. Missa art. 3. n. 14* atque innuit haec sac. Congregatio in *Bononien. Missarum 16. Dec. 1719.* §. *Quoad.* Dein fundator nec certum missarum numerum praescripsit, quoniam missas quatuor *ad minus* qualiter hebdomada celebrari jussit nec, si quas forte capellanus in istis hebdomadis non satisfaceret, eas in aliis hebdomadis celebrari voluit, sed solummodo a capellano quamdam pecuniae vim sacrario ecclesiae dissolvi. Fundator praecipiens specialem pro se in singulis missis deprecationem ac supplicationem illud unum voluisse videtur, quod sacerdos *ad Memento* commemorationem faceret sui; aliud enim esse orare pro anima testatoris illiusque commemorationem facere, aliud sacrificium offerre docent *Suarez. de legib. lib. 6. cap. 1. n. 6*, *Pasqualig. de sacrific. missae quaest. 450. n. 4.* Quapropter concludit Canonicus Mellini, fundatorem solummodo celebrationem missarum ejusque ad memento commemorationem, nullatenus vero missarum pro illius anima voluisse applicationem, eo vel magis, quod, cum ad fructum missae respexerit, jubens pro eo fieri deprecationem, quin applicationem enunciaverit, eam noluisse videatur ad *R. 51. I. tit. 6*, quae tradit contra eum, qui legem dicere potuit apertius, esse interpretationem faciendam.

Verum ex *R. r. 45. cod. tit.* inspicimus in obscuris quod est verosimilius. Porro verosimilius est, eum, qui beneficium fundaverit cum onere celebrandi missas, in eisque sui commemorationem fieri jusserit, maluisse earumdem applicationem. Ita sane censuit hic sacer Ordo, qui in una *Ventimilien. apud Benedict. XIV. de sacrif. missae lib. 3. cap. 9. num. 3.* perscrutantibus gubernatoribus: *An sacerdos ad missae celebrationem eligendus tenеatur illam applicare, attentis verbis testatoris: et in ea orare pro anima ipsius testatoris, quum aliud est orare, aliud missam applicare?*

responsum dedit: *Sacerdotem teneri ad applicationem missae.* Et nuper 16. Julii 1791*) cum quidam Christophorus Grassi beneficium simplex instituens onus imposuerit Sacra celebrandi et faciendi *semper in qualibet missa commemorationem et orationem pro ipso Grasso,* beneficii autem rector vestigia praemens praedecessorum contenderet, nullatenus demandatum fuisse applicationem, proposito dubio: *An sit locus applicationi missarum?* rescriptum prodiit: *Affirmative.* Eamdem quoque tenuit sententiam in *Alexandrina**) *18. Martii 1719* et in *Florentina Legati 30. Maji 1807 ad I. dub.* Et si quando sacra haec Congregatio declaraverit, capellanos nullatenus onere applicationis devinci, sed solummodo teneri ad memoriam fundatoris habendam in orationibus, quae fiunt collecta, vel in memento, id tum solum accidisse reperi, cum fundator instituto aliquo beneficio et imposito rectori onere sibi applicandae missae aliud dein fundaverit beneficium, ubi onus beneficiato injunxerit orandi pro anima sua in singulis missis. Hujusmodi resolutiones prostant in *Ferrarien. 11. Junii 1700 apud Bened. XIV. loc. cit.*, in *Novarien. 22. Novembris 1727* et in *Ferrarien. Applicationis sacrificii 11. Junii 1729.*

Nec praetereundum quod in themate ab anno 1401 ad haec usque tempora rectores capellaniae Rimondi nedum missas celebrarint, verum etiam pro anima fundatoris eas applicarint ideoque ex vetustissima observantia depromitur, fundatorem voluisse etiam applicationem, observantiae enim, quae optima est supremarum voluntatum interpres, tanta tribuitur virtus, ut jus constituat, *Rot. in Januen. Beneficii 4. Martii 1754.* §. *7. cor. Figueroa et decis. 6. num. 3. cor. Olivatio.*

Igitur si EE. VV. Canonicum Mellini ab applicationis onere haud immunem esse censuerint, videant, utrum ejus precibus annuendum sit quoad reductionem translationemque missarum. Reductionem profecto saepius indulsit s. Congregatio, dum justae intercederent rationabilesque causae; justam in themate suppeditant causam major in praesens missarum eleemosyna, graviora tributa principi solvenda, majores pro canonicalis metropolitanae ecclesiae dignitatis honore expensae, pensio scutorum 100 Canonico Comiti Isolani quotannis rependenda atque sumptus insoliti pro restaurandis domibus colonicis et revera superioribus annis pro reaedificanda quadam domo vix satisfuerunt

*) Vd. *Mutinen.* p. 847.

*) Vd. *supra p. 821.*

scuta 80. Quoad translationem vero, cum finis, ob quem testator missas in praescripto altari celebrandas mandavit, honor nempe ac cultus templi, populi commodum pro audiendo Sacro videatur cessasse, quia nunc metropolitana ecclesia missis abundat, videtur etiam concedi posse Canonico Mellini, ut missas celebret ubicumque ei libuerit, cum illi e patria contigerit abesse. Verum etiamsi redditus capellaniae valde decreverint, adeo tamen tenues non evaserunt, ut reductioni missarum locus esse possit, uti ostendunt resolutiones in *Viterbien. 18. Augusti 1794* et in *Civitatis Castellanae 27. Junii 1807* et docuit sacra Congregatio *in Nullius s. Martini Suspensionis nominationis et reductionis onerum 27. Julii 1822.* §. *Congregatio.* Translatio quoque deneganda est, tum quia supremam decedentium voluntatem religiose servare praescribit can.: *Ultima voluntas quaest. 13*, tum quia deest utilitatis ac necessitatis causa, s. Congregatio in *Savonen. Reductionis missarum 18. Augusti 1792*, et in *Casalen. 30. Martii 1822*, §. *Porro.* Dirimenda igitur proponuntur dubia:

I. *An sit locus applicationi missarum in casu?*

II. *An et quomodo sit concedenda reductio et translatio missarum in casu?*

S. C. resp. ad I: Affirmative.

Ad II: Negative in omnibus.

Die 16. Septb. 1826.

Mazarien.

In oppido Castri veterani Mazariensis dioeceseos insignis ac saecularis collegiata ecclesia erecta fuit sub invocatione s. Petri Apostolorum Principis expeditis ad hoc literis apostolicis ab Alexandro VII. die 26. Martii 1657, in quibus Pontifex se referebat ad ea, quae praenobilis ac pientissima mulier Stephania de Aragona et Cortes ejusdem oppidi Principissa in ultimis, queis decessit, tabulis disposuerat ac jus praesentandi ad decanatum principem illius Collegiatae dignitatem, ad thesauriatum, ad decem canonicatus ac tandem ad sex beneficia choralia, inibi erecta, ipsius Principissae descendentibus in perpetuum reservabat.

Pro congrua autem substentatione singulorum Capitularium constituerat pia fundatrix, ut ex fructibus bonorum, quibus praefatam dotaverat ecclesiam, unciae triginta tres Decano, viginti sex thesaurario, quatuor supra viginti singulis Canonicis, sex demum unicuique beneficiato quotannis solverentur: reliquos vero fructus, haud omissa tamen assignatione pro servitio, cultu et sacris ipsius ecclesiae supellectilibus, ad augendum canonicatuum numerum usque ad quartum supra vigesimum ac deinceps praebendarum redditum investimento tradi mandaverat.

Praeter quotidianum chorale servitium hoc tum Dignitatibus tum Canonicis adjectum est onus a fundatrice, ut tam Decanus et Thesaurarius quam singuli Canonici praedicti pro tempore existentes quolibet die in dicta collegiata ecclesia missam conventualem illamque in diebus festivis per se ipsos et non per alios celebrare debeant; in diebus vero solemnibus missa ipsa in cantu a Decano et eo absente a Thesaurario illisque ambobus deficientibus ab antiquiori Canonico dictae Collegiatae decantetur. Praeterea tam Decanus et Thesaurarius quam singuli Canonici praedicti missam privatam singulis diebus, inter quos missam conventualem praedictam, dempta tamen una die cujuslibet hebdomadae pro toto capitulo et octo aliis pro Decano ac sex pro Thesaurario et quatuor aliis diebus in singulos annos, non autem in una et eadem die, ne in dicta collegiata ecclesia servitium divinum deseratur, pro quolibet ex Canonicis respective celebrare debeant.

Haec ita in fundatione constituta sunt. At effectu caruit praescriptum praebendarum augmentum tam quoad numerum quam quoad redditus. Bona enim a fundatrice relicta tractu temporis ita imminuta sunt, ut, quae fundationis tempore uncias biscentum quadraginta tres exaequent, ac proinde canonicalium praebendarum redditus, qui viginti quatuor uncias annuas dabant, nunc ita dimidiati sunt, ut tresdecim uncias cum dimidio non excedant. Cujus tam gravis imminutionis causa in eo fuit, quod census, qui pleraque assignata bona conficiebant quique decunces ferebant fructus, a debitoribus redempti in nova creatione ad formam vigentium bullarum apostolicarum pro trienti vel quincunci fructu constituti fuerunt; itemque quod praedia urbana, quae antiquitus suprema, infima nunc ob temporum vicissitudines pensione locentur.

Quod autem fieri nequivit ex bonis in prima fundatione relictis, aliorum pietate factum est. Canonicus enim Bernardus Graffeo anno 1708 duos alios erexit canonicatus iisdem legibus, redditibus et oneribus, quibus

alii primaevae fundationis instituti fuerant, edicens praesertim quoad onus quotidianae celebrationis »voglio che ognuno di essi Canonici sia obbligato, come al presente sono obbligati gli altri Canonici di detta Collegiata, a recitare le ore canoniche, far l' eddomada, e celebrare quot dianamente in detta chiesa la messa per l' anima mia, e remissione de' miei peccati, ed in ajuto spirituale della casa eccellentissima de' Signori Duchi di Terranova e Principi di questa città.« Ejus exemplum paulo post anno scilicet 1710 secutus est Franciscus Massarolo, ejusdem Collegiatae Decanus, alium sub iisdem omnino conditionibus erigens canonicatum, non excluso onere quotidie celebrandi pro anima sua, sororis Carmelae Leone et parentum. Canonicatus a Bernardo Graffeo fundati pejorem quam alii primaevae fundationis subiere jacturam. Ex unciis enim annuis 24 redditus cujuslibet praebendae nunc ad uncias novem cum dimidio cohibitus est. Contra vero alius a Massarolo institutus suae dotationis retinet integritatem.

Cognita sic fundationum praedictarum natura necnon redditumm imminutione praestat nunc scire quaenam penes capitulum Castriveterani inoleverit praxis et usus tum quoad redditumm perceptionem (qui in solis distributionibus consistunt) tum quoad servitium chorale tum denique quoad missarum implementum.

Primum quod respicit, haec fuit vel ab ipso Collegiatae exordio invecta methodus, ut praebendae in binas aequales partes divisae fuerint, quarum una chorali servitio, altera missae celebrationi addicta est, hoc uno adhibito discrimine, ut fallentiae eorum, qui choro deficerent, interessentibus accrescerent ad tramites fundationis, eorum vero, qui missarum celebrationem omitterent, in ecclesiae vel sacrarii utilitatem cederent, ideoque duobus in libris distinctis eae fallentiae adnotabantur.

Quoad alterum, etsi quotidianum in fundatione chorale servitium fuerit praescriptum, ex longissima tamen consuetudine trimestrium vacationum beneficium quotannis juxta tridentinas sanctiones fuit inductum, quin absentes quotidianas omittant distributiones.

Ad tertium tandem quod attinet, (et hoc est praecipuum hujusce causae caput) ea in Capitularibus invaluit opinio, ut missas, quae praebendis inerant primaevae fundationis, celebrare quidem ipsi tenerentur, minime vero illarum fructum pro fundatoribus applicare; hinc ab ipsis fere erectionis primordiis omnes Capitulares, si pauci excipiantur probatae pietatis ac religionis viri, missas equidem celebrabant, quin tamen earum fructum applicarent, ne ipsa quidem conventuali seclusa, cujus applicationis onus subire coeperunt post editam ad rem anno 1746 ab immort. mem. *Ben. XIV. constitutionem* »*Cum semper.**) — Deinde, imminutis redditibus, ipsam quoque missarum celebrationem omittere rati sunt Capitulares; cumque hodie canonicales praebendae primaevae fundationis ad uncias tresdecim cum dimidio redactae sint, ex iis duodecim titulo choralium distributionum adhuc percipere pergunt, reliqua uncia cum dimidio pro missae conventualis eleemosyna adsignata. Atque enunciatam omissionem, non obstantibus nonnullorum Antistitum monitis, vel ad fundatricis voluntatem exequendam vel ad exquirendum s. Sedis oraculum evenisse asserit capitulum sulla ragione che da principio stabilirono i Capitulari, che metà di prebenda passava per la recita del divino ufficio in coro, e metà per la messa, e si defalcavano le assenze dal coro sopra onze 12. e le assenze della celebrazione sopra le altre onze 12. e quindi essendo mancata la metà delle prebenda, non corrisposero più alla rigorosa celebrazione della messa privata, siccome l' oggetto principale delle Cattedrali e Collegiate è la divina salmodia.«

Quapropter ad omnem hac de re dubitationem eliminandam atque ad conscientiae tranquillitatem assequendam supplex s. huic Ordini adfuit capitulum adprecans »che dichiarasse la parola celebrare per le messe private sentirsi per la sola presenza per mantenersi il culto nella chiesa collegiata, e non già per l' applicazione del sacrificio, e che nell' attuale stato di prebenda in metà non siano tenuti i Capitolari a celebrare le suddette messe in detta chiesa, ma nel caso che verranno aumentate le prebende siano tenuti a celebrare a proporzione dell' aumento.

Alia deinde addidit notanda per haec verba: »Nel caso che la s. Congregazione opinasse dichiarare che le parole — celebrare debeant — importassero applicazione del frutto della messa, almeno l' esecuzione di quest' applicazione avesse luogo dopo l' augmento

*) Vd. *p. 695.*

delle onze 12. di prebenda, ed a proporzione della prebenda agumentata, ch' è quanto a dire, percependo constantemente ogni Canonico, come da principio onze 12. per il servimento corale di officio divino e Messa conventuale, e di più v. gr. percepisse altre onze due, fosse obbligato a celebrare, od anche applicare tante messe private in detta Collegiata, quanto il numero di dette messe corrispondesse alle onze due di augmento, calcolando l' elemosina di ogni messa giusta la tassa diocesana (quae terenis duobus monetae Siculae, obolis sexdecim Romanis respondentibus constituta est), come per esempio attualmente dovrebbe applicare num. 30. messe, che corrispondono adesso ad onze due;« Tandem ut suae petitionis aequitas EE. VV. magis perspecta sit, haec subdidit: »Se la s. Congregazione venisse ad obbligare i Canonici ad applicare cotidianamente la messa privata, la Collegiata sarebbe obbligata a restare estinta, giachè niun Canonico vorrebbe servire gratis, e di più pagare ogni anno di proprio onze 12. alla medesima chiesa; tanto importerebbe l' esser Canonico, ed il conto è chiaro. Ogni sacerdote in questa Comune percepisce ogni anno per limosina di messe onze 24. senza dovere di corizzare. Al contrario il vantaggio del beneficio canonicale, che riporterebbe un sacerdote fatto Canonico, si ridurrebbe (oltre il dispendio inevitabile per vestimenti ed altro) ad intervenire ogni giorno a recitare e cantare mattina e sera le ore Canoniche colla distribuzione di un misero tarì diario; e poi privarsi dell' elemosina di onze 24. annue per messe dovendo applicare cotidianamente per l' obbigo del suo canonicato. —

Caetera, quae Canonicorum petitionibus favent vel adversantur, haurient EE. VV. ex relatione Vicarii capitularis de more super illorum precibus requisiti numeris omnibus absoluta. Hic autem ad binas quaestiones rem totam cohibere videtur: ita enim ille . . : »Hinc duae emergunt quaestiones. *Prior:* Praebendarum canonicalium integritate supposita, prout fuerant in fundatione constitutae, tenebanturne Canonici ad sacrificii fructum pro fundatoribus applicandum vel solam missam in collegiata ecclesia sine sacrificii applicatione celebrandam? *Altera:* Habita ad praesentem praebendarum imminutionem ratione tenenturne Canonici in totum vel in partem aut simpliciter celebrare aut sacrificii fructum applicare, vel muneri suo et propriae conscientiae satisfaciunt cum sola chori interessentia et servitio et missae conventualis applicatione?«

Ad primam quod attinet hisce se rationum momentis tuentur Canonici.

I. Fundatricis et bullarum apostolicarum verba ab ipsis collegiatae ecclesiae incunabulis pro nuda missae in ecclesia collegiata celebratione et non pro sacrificii applicatione fuerunt explicata et prioris aevi Canonici sacrificii fructum minime applicabant, nixi testatricis verbis, quae missarum celebrationem non pro sua anima praescripsit, sed ne cultus in collegiata ecclesia deseratur Ecclesiae autem cultui satis abunde provideri existimarunt, si nuda missae celebratio in ecclesia sine applicatione haberetur. Id magis firmant ex rationum et computorum. libris, ex quibus innotescit, Canonicos in collegiata ecclesia non celebrantes fuisse mulctatos, mulctas vero in ecclesiae commodum fuisse conversas, minime vero in missarum eleemosynam et celebrationem, quod fieri oportuisset, si in celebrandi onere etiam sacrificii applicatio contineretur.

II. Ex quo inferunt, ipsis contrariam consuetudinem, quae centum annos excedit, omnino prodesse et per legitimam praescriptionem ab applicationis onere exemptos censeri.

III. Addunt, antiquos patronos et praesertim illustris fundatricis filiam copiosas missarum eleemosynas Canonicis solitam fuisse elargiri, quod certe non fecissent, si illos in vim canonicatus ad quotidianam missae applicationem cognovisset obligatos. Quinimmo in medium proferunt quamdam illustris patroni sententiam septuaginta ferme annis ab ipsius Collegiatae fundatione emissam, quae post praesentem quaestionem mature examinatam auditisque quamplurium canonistarum votis Canonicos a sacrificii applicatione praeter missam conventualem declaravit immunes.

IV. Contendunt praeterea, quod, quamvis nonnulla s. Congregationis decreta celebrandi onus illud etiam sacrificium applicandi declaraverint, non deesse tamen insignis notae theologos, quos inter doctissimus *Suaresius*, qui beneficia choralia, quibus celebrandi onus datum est, a simplicibus capellaniis et missas celebratoribus distinguunt atque pro his, non pro illis s. Congregationis decreta esse intelligenda. Cujus rei manifestam assignant

rationem »quia capellaniae solent in hunc finem directe institui, ut sacerdotes quotidie vel certis diebus celebrent pro fundatore et juxta mentem illius et ideo capellani simpliciter loquendo contrahunt obligationem celebrandi et applicandi sacrificium juxta mentem fundatoris, nisi oppositum constet. Contra vero canonicatus, portiones, praestimonia et alia similia institui solent principaliter propter officium psallendi et ob similes fines inserviendi ecclesiae et dicendi missam directe ob cultum et decorem ejusdem ecclesiae et ob commoditatem populi. Ergo non habent per se loquendo obligationem applicandi fructum sacrificii, nisi aliunde constet.« Ita conceptis terminis laudatus *Suarez disput. 86 de sacram. sess. 1.*, qui eodem loco paulo ante haec habet verba: »Dico tertio: Quamvis capellani teneantur applicare fructum sacrificii pro fundatore, nisi expresse et clare constet de opposito, non est tamen idem asserendum de Canonicis et aliis similibus beneficiariis. Sed dicendum est, Canonicos per se loquendo non teneri ex vi canonicatus applicare fructum sacrificii, quando tenentur celebrare, nisi constet de tali obligatione. Quare in dubio poterunt pro aliis applicare et stipendium accipere.« »Huic doctrinae consentit *de Lugo de Euch. disp. 21. sect. 15. num. 23* et *Paulus Maria Quarti rubricis missalis romani append. de sacrific. quaest. 4 punct. 3 diffic. 1.*«

Cujuscumque tamen sint ponderis rationes, quibus eorum sententiam tuentur Canonici, fatendum sane est, eam non adeo solido niti fundamento, ut si non penitus convelli nequeat saltem attenuari.

Et certe contra eam facere videntur ipsa testatricis verba, quae unico contextu eademque obligatione missae conventualis pariter et privatae celebrationem mandat. Inde fit, ut, quemadmodum pro conventuali, ita etiam et pro privata Canonicis applicandi onus incumbat. Huic rei pondus addunt memoratae Canonici Graffeo et Decani Massarolo dispositiones, qui fundatricis voluntati se penitus conformare declarantes tres alias canonicales praebendas fundaverunt, imposito celebrationis onere pro eorum parentumque animabus, quae verba non nudam missae celebrationem sed et sacrificii applicationem significant. Nec multum facessit negotii, quod ajunt illustris fundatricis filiam copiosas Canonicis missarum eleemosynas elargiri consuetam: per ipsas etenim Ducissae pietatem supplere credendum est, illis hebdomadae diebus caeterisque aliis, quibus, ut supra innui, Canonicos fundatrix ab onere celebrationis exemerat. Quin et eadem Ducissa scripto publico declaraverat nec suam nec matris voluntatem fuisse, Canonicos a missae applicatione liberare. His omnibus accedunt aliquorum exigui quamvis numeri probatioris tamen vitae ipsius Collegiatae Canonicorum exempla, qui ad sese omni religione exsolvendos nedum quotidie celebrare sed et sacrificii fructum applicare consueverunt. Nec abs re erit ob oculos ponere, quae sapientissimus *Bened. XIV. institut. 56 num. 9* de re tradit adversam refutans Canonicorum opinionem: »Haec de prima quaestione. Pro altera vero: an videlicet attenta praebendarum diminutione muneri suo satisfaciant Canonici missam tantum conventualem applicando et chorale servitium adimplendo, omissa quotidiana celebratione a fundatrice praescripta, has Canonici in medium proferunt rationes.«

Ea fuit initialis illius collegiatae ecclesiae observatio et consuetudo, ut canonicalem praebendam in aequas partes priores Canonici distribuerint, nempe uncias duodecim pro choralibus distributionibus et totidem uncias pro missae quotidianae celebratione assignantes.

Porro ex canonistarum regulis, quas tradit *Benedict. XIV. in suo opere de synodo dioecesana lib. 13 cap. ult.*, compertum est, quod si aliqua proponatur dispositio, quae duo aut plura onera et pia opera adimplenda comprehendat, atque ob redditiuum imminutionem necessarium dignoscatur ad aliquam propositorum onerum reductionem devenire, illa essent opera pia reducenda, quae minus fuerint a testatore dilecta et e contra ea sarta tecta manere, ex quibus majora testatoris animae obventura fore suffragia dignoscatur. Et quamvis incruentum missae sacrificium caeteris aliis operibus piis ex hac ratione esset merito praeferendum, attamen si ex testatoris verbis, tota perlustrata dispositione, eruatur ipsum propensiori affectu ac voluntate reliquorum piorum operum implementum quam missae celebrationem voluisse, tunc missae potius quam reliqua opera pia essent reductioni subjicienda.

Jam vero in facti specie cum certo noscatur in id primum ferri fundatricis mentem et voluntatem, ut collegiata erigatur ecclesia,

censendum est, redditibus imminutis missarum onera potius reducenda quam distributiones quotidianas; sine missarum etenim celebratione collegiata adhuc maneret ecclesia, quae certe, distributionibus sublatis, minime subsisteret. Addunt praeterea Canonici, eorum conditionem ipsis beneficiatis minoribus et choristis deteriorem fore, si praebendae reliquum vel in totum vel ex dimidio in missae celebrationem deberent impendere. Jam etenim chorale servitium vel gratis omnino vel tenuissima mercede cogerentur exsolvere. Quamdam denique promunt praedefuncti hujus Sedis Episcopi Horatii de la Torre dispositionem, cujus auctoritas et judicium fuerat hac de re interpellatum, quippe post maturum examen sub die 4. Aprilis 1809 uni ex dictae collegiatae ecclesiae Canonicis ita respondit: »Dietro una matura discussione fattasi sulle carte relative alla fondazione di cotesta Collegiata fu trovata una somma deteriorazione nelle rendite, per cui si sono minorate ad onze dodici le Prebende dei Canonici, allora nella fondazione stabilite per onze ventiquattro coll' onere della messa giornale. Or vedendo che in questo stato non può adempirsi la volontà del testatore, e per altri motivi avutisi in giusta considerazione, vengo in dire a V. S. Illustrissima, che restando nell' attuale posizione le cose, basti a serenare le coscienze, che si celebri a turno dai Canonici la giornaliera messa conventuale giusta l' intenzione del fondatore.«

Post haec, quae majori qua potui brevitate hactenus exposui, altiori EE. VV. Rmarum judicio relinquitur decernendum, quo bono jure quave bona vel mala fide sese Canonici tueantur. Qua in re illud minime omittendum existimo, utramque propositam quaestionem saepius fuisse et variis temporibus agitatam nec hujus Sedis episcopalis Praesules defuisse, qui in sacris praesertim visitationibus vel testatricis voluntatem adimplendam urgerent vel capitulum adigerent, ut s. Sedem apostolicam de omnibus facerent certiorem illiusque supremum judicium expectarent.

Et haec quidem merito sancita sunt. Quidquid enim sit de rationibus allatis, nequit profecto in dubium revocari, non licuisse Canonicis propria auctoritate reducere vel imminuere missarum numerum in canonicatuum fundatione constitutum eoque magis, quod non immerito dici possit, acceptatum fuisse missarum onus per quemdam quasi contractum utrimque obstringentem, adeoque hujusmodi reductionis facultatem esse Sedi apostolicae reservatam. Fatendum tamen est legitimas gravesque causas Canonicis adsistere, ob quas in praesentiarum a quotidianae sive celebrationis sive applicationis onere eximantur. Inter legitimas enim reductionis missarum causas laudatus *Bened. XIV. loc. cit.* vel reddituum imminutionem vel eleemosynae tenuitatem dioecesanae taxae minime respondentem enumerat; quod utrumque Canonicis favet.

Quoniam vero capitulum ab illustri patrono instanter urget praebendarum incrementum, prout fuerunt in fundatione constitutae, quod cautum etiam fuit in ipso fundationis actu, (hic tamen monitos volo EE. PP. quod, perlecto integro fundationis actu, hanc cautelam reperiri minime datum est) et fore sperat, ut patroni pietas eorum annuat petitioni, ideo oratores Canonici a Sede apostolica enixe petunt:

I. Ut declarare dignetur: an vi fundationis et supposita praebendarum canonicalium integritate simpliciter celebrare vel etiam sacrificii fructum applicare teneantur?

II. Ut attenta actuali reddituum imminutione ad solum chorale servitium et missam conventualem applicandam obligentur et a missae quotidianae vel celebrandae vel applicandae onere eximantur, comprehensis etiam duobus canonicatibus a Bernardo Graffeo fundatis. —

III. Ut casu eveniente incrementi praebendarum, quod a patrono speratur, quotidianae aut celebrationis aut applicationis onere deobligentur et tot celebrationes vel sacrificia in collegiata ecclesia conficiant, quot in ea summa intrabunt, quae eleemosynae dioecesanae taxae respondeat. —

IV. Denique ut a praeteritis omissionibus, in quantum opus fuerit, totum capitulum absolvatur. — Demum votum suum aperiens ita concludit: Oratorum preces et aequitate inniti et dignas quae obsecundentur existimo.

His, quae a Vicario capitulari in elucubratissima, quam exscripsimus, relatione utrinque adnotata sunt, unum et alterum addere juvabit. Et imprimis eam fuisse sacri Ordinis constantem ac perpetuam doctrinam quoad missarum applicationem, ut quandocumque fundatores missas celebrandas mandaverint, nisi expresse applicationem remiserint, semper eas et applicandas esse decreverit absque ulla distinctione inter simplices capellanias et beneficia choralia, quam insinuare videntur oratores capitulares ad tradita per *Suarez in disput. 86 de sacram. sess. 1,* et alios quos proferunt. Et reapse tam in *Reatina Applicationis miss. 12. Januarii 1715,* ad II. dub., quam in *Melevitana*) 23. Aprilis 1768 ad II. dub.* resolutum fuit onus celebrationis, quod inerat Canonicis vel beneficiatis choralibus, ab altero applicationis non posse sejungi.

Immo in *Cornetana**) 23. Junii 1725* similis definitio prolata fuit circa missas a testatore relictas »da celebrarsi all' alba per comodo de' lavoratori,« quamvis Canonici vel in ipsa legati acceptatione eas per haec verba in tabella inscripsissent: »Missae Joan. Andreae de Grassis celebrandae in aurora absque applicatione« et sic per diuturnum tempus servatum fuerit.

Quoad absolutionem de praeteritis omissionibus (quae num a solis Canonicis primaevae fundationis vel etiam ab aliis admissae fuerint et in qua quantitate non satis apparet) videant EE. VV., utrum digni sint, ut ob praebendarum tenuitatem ac proinde ob impotentiam supplendi eam facile consequantur Capitulares, qui missarum celebrationem proprio marte neglexerunt et a quibus e Vicarii capitularis dictis bona fides exulavit.

Tandem pro meo munere animadvertendum censeo, ex praefati Vicarii relatione erui, quod Capitulares, qui fundationis lege quotidie ad chorale servitium adigebantur, e longissima consuetudine trimestrium vacationum beneficio gaudent atque insimul eo tempore distributiones percipere videntur, cum a qualibet mulcta persolvenda tunc eximantur. Quidquid sit de vacationibus, legitima forsan consuetudine invectis, praesertim cum juxta definitionem s. Congregationis relatam a *Garz. de benefic. part. 5. cap. 2. num. 211* absentia trium mensium a concilio Tridentino permissa tunc locum habeat, si constitutio aut consuetudo ecclesiae servitium totius anni requirit, videant tamen EE. VV., an probanda sit etiam observantia Canonicorum distributiones tempore

*) Vd. *supra p. 841.*
**) Vd. *supra p. 822.*

vacationum lucrandi. Cum eae enim ideo sint ordinatae, ut assidui in divino servitio sint Canonici, absentes tempore vacationum minime lucrari eas possunt, sed praesentibus debent accrescere, quacumque contraria, etsi immemorabili, consuetudine seclusa. Haec fuit EE. PP. mens in *Derthonen.*) Constitutionum capitularium 12. Septembris 1829,* ubi ad IV. dubium:

An Canonici absentes a choro tempore vacationum lucrentur quotidianas distributiones?

datum fuit responsum: Negative, ac praescriptionem seu consuetudinem ibi allatam nullius roboris habendam esse judicaverunt; et reproposito dubio in eadem sub die 27. Julii 1844 fuit rescriptum: In decisis.

Post haec recolant EE. VV., quae habet in sua relatione Vicarius capitularis, et dirimant, quae jam a Vicario ipso proposita; hic tamen ad praxim sac. Congregationis redacta subjiciuntur dubia:

I. *An et quomodo Dignitates et Canonici primae fundationis missas privatas applicare teneantur in casu?*

II. *An et quomodo concedenda sit reductio missarum sive celebrandarum sive applicandarum inhaerentium tam praebendis primae fundationis quam aliis a Bernardo Graffeo fundatis in casu?*

III. *An et quomodo reducendae sint missae gravantes praebendam a Massarolo institutam in casu?*

IV. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione a praeteritis omissionibus in casu?*

V. *An et quomodo sit providendum circa trimestrales vacationes in casu?*

Continuatio.

Redeunt ad interpretationis argumentum contendentes verba illa »quotidie celebrari debeant« ad simplex praesentiae onus coangustanda, cum ex sequentibus »ne in dicta collegiata ecclesia divinum officium deseratur« satis appareat ad hunc tantum finem fuisse missas a fundatrice praescriptas, quo in casu applicationis onus minime inhaerere contendunt adducentes Pasqualigi doctrinam qui quoad interpretationem oneris applicationis missae hanc *in quaest. 908. n. 3.* regulam tradit: »Quod si fundator exprimat tantum

*) Vd *Distributiones Canonicor.*

se intendere officiaturam ecclesiae, aut ex verbis et mente ipsius colligatur, eam tantum intendere, remanebit libera celebrandi applicatio sacrificii, atque ideo poterit recipere manuale stipendium, ut notant doctores, siquidem celebrans non plus obligatur quam intendat fundator obligare. —

Idque etiam exornant nonnullis S. H. O. decisionibus, scilicet in *Mantuana Applicat. missae 19. Novembris 1718, Novariensi 22. Novembris 1727, Fulginatensi 7. Septembris 1737,* demum in *Auximana 7. Februar. 1756,* cujus species haec erat: Quidam testator reliquerat minoribus conventualibus annua scuta 15, ut in perpetuum celebrarent per octo anni menses unam missam ad horam aurorae pro mercenariis et operariis. Cum dubitatum exinde fuerit: *An PP. Conventuales s. Francisci terrae montis Filoctrani teneantur saltem imposterum ad applicationem missae etc.?* responsum datum fuit: Negative.

Quin argumentum paritatis desumptum tum a missae conventualis applicatione, cujus celebratio eodem contextu ac privata demandata fuit, tum ex dispositionibus Canonici Graffei et Massaroli officiat. Quoad primum enim animadvertunt illam non fundationis sed sacrorum canonum vi, scilicet ex quo lata fuit constitutio a sa. mem. Benedicto XIV., applicare coepisse Canonicos, ceu in facto relatum est: siquidem ante id tempus contrarium fieri impune potuisse ex satis probabili opinione, auctoritate doctorum suffulta, inducta etiam penes alia capitula, testari inquiunt a *Ceccoper. lucubrat. canon. tom. 2. lib. 3. tit. 13. num. 19 ad 29.* Institutiones vero a Graffeo et Massarolo factae quin obsint, prodesse potius eis evincunt ex eo, quod, cum onus applicationis explicitis verbis praeceperint, praesumitur eos pariter suasos fuisse Canonicos primae fundationis nullimode hac lege fuisse devinctos, secus sese omnino retulissent ad primam fundationem. Atque hic adnotant, quod, licet dicti fundatores legem applicationis indixerint, nihilominus capitulum tunc temporis nonnisi quam ad tramites bullae fundationis atque sub iisdem conditionibus institutiones illas acceptas habuit.

Alterum argumentum ex primordiali ac jugi observantia desumptum, quam probatam satis dicunt ex distincta in fallentiarum libro adnotatione servitii choralis et missae celebrationis necnon ex erogatione mulctarum ob omissam celebrationem in commodum ecclesiae potius quam in aliarum missarum celebrationem, minime enervari posse putant dicto Vicarii capitularis de nonnullis Canonicis probatae conscientiae missam quotidie applicantibus; siquidem id gratis ab eo asserri subsumunt, cum neque scriptum neque traditum de hoc facto aliquid ab eo exhibeatur.

Alteram disceptationem quoad perceptionem distributionum trimestri vacationum tempore quod respicit, quamvis ipsi minime inficientur, illas ex lege frui haud posse ab absentibus, attamen animadvertunt, capitulum continuo dictas distributiones pro praebendis accepisse, eo quia in bulla fundationis nomine praebendae hujusmodi emolumenta designantur: secus ac de aliis, quae a solis interessentibus lucrantur, veluti pro funeribus, anniversariis, nonnullis anni solemnitatibus, necnon de portionibus praebendarum vacantium.

Post haec, attenta redditumm suarum praebendarum tenuitate, enixe postulant, ut, quatenus pro applicandi obligatione definiatur, nisi ab eadem applicatione vel etiam celebratione sacrificii eximantur quoad uncias duodecim, congrua choralis servitii reductio ipsis concedatur necnon ut PP. EE. decernere dignentur, tertiam tantum ipsorum redditumm partem in quotidianas distributiones converti ac reliquas duas praebendae naturam constituere. Ex quo factum est, ut caeteris dubiorum formulis novam adjici rogationem oportuerit, quae choralis servitii reductionem praeseferat, eaque quarto loco exscribetur, reservata ad sextum dubium, quod vacationes respicit trimestrales, provisione quoad propositam distributionum partitionem, quae utpote juri ac praxi quam maxime consona haud improbanda videtur.

Unum tantum pro meo munere animadvertendum existimo, allatas nimirum s. Ordinis resolutiones, ut sese ab applicationis onere dissolvant Capitulares, etsi in dubium nequeant revocari, ideo tamen editas fuisse eas perlegentibus patet, vel quia apertissime fundatorum voluntas alium finem praeferebat quam sacrificii applicationem, ut videre est in cit. *Mantuana 19. Novembris 1718* et *Novarien. 22. Novembris 1727*, vel quia in ipso fundationis actu diversimode cautum fuerat, uti eruitur in cit. *Fulginaten 7. Septembris 1837*. Caeterum S. C. constantissime retinuit juxta vulgatam juris regulam, non

celebrationem solam sed etiam sacrificii applicationem injunctam censeri, licet de sola celebratione, minime vero de applicatione in tabulis exciderit mentio, sicuti in eadem *Fulginaten.* quamplurimae pro hac sententia referuntur resolutiones.

Hinc recolentes, quae alias in hac causa fusius utrinque congesta sunt, EE. VV. mature perpendent: utrum themati vere conveniant rationes, quas innuunt Capitulares, et definient dubia.

S. C. resp. ad supradicta dubia et quidem

Ad I: Affirmative ad formam institutionis.

Ad II et III: Demptis duodecim unciis pro onere servitii choralis, pro reductione missarum ad manualem juxta vires et ponatur in tabella.

Ad IV: Provisum in superioribus.

Ad V: Affirmative celebrata unica missa lecta ab unoquoque Capitularium et alia cum cantu et adsistentia totius capituli.

Ad VI: Praevia sanatione quoad praeteritum pro gratia vacationum trimestralium, amissa tertia parte distributionum, facto verbo cum SSmo.

Die 14. Febr., 30. Maji et 11. Julii 1846.

Municipes oppidi N. anno 1535 simplex beneficium seu capellaniam fundarunt in sua ecclesia paroeciali, sibi juspatronatus reservantes jusserunt capellanum »*deservire in divinis in dicta ecclesia aut per se aut per alium idoneum ejus nomine et quotidie in dicta ecclesia celebrare unam missam, videlicet diebus festivis in cantu et aliis diebus sine cantu.* Dotem autem hujus capellaniae constituerunt in tot bonis stabilibus, quorum redditus nunc, detractis publicis vectigalibus, attingit 430 libellas italicas.

Hi redditus cum impares existimati fuissent jam antea oneribus adimplendis, anno 1581 curia episcopalis mandavit municipio, ut augeret dotem altera tertia parte, quod si non fecisset, comminata est poenam amissionis ipso facto jurispatronatus. At vero id temporis res videtur composita fuisse per reductionem missae quotidianae ad duas missas singulis hebdomadis.

Verum anno 1864 dicti patroni in judicium vocarunt capellanum coram incompetenti judice, idest civili magistratu, ea de causa, ut capellanus singulis diebus missam celebraret juxta legem fundationis.

Reapse tribunal civile jura ecclesiastica invadens non omisit cognoscere causam eamque definire prout optaverant oppidani patroni atque edixit capellanum teneri ad faciendum satis omnibus oneribus in lege fundationis injunctis, quibus neglectis eo ipso capellaniam amitteret.

Sacerdos capellanus, ne per vim capellania privaretur, missam quotidie in ecclesia paroeciali celebrare coactus preces convertit ad s. C. C. exponens, »habita ratione tenuitatis redditus, celebrationis quotidianae aliorumque munerum dubium esse: utrum ipse teneretur missam applicare; et hac de causa se pluries missae applicationem omisisse: attamen ad suam tranquillandam conscientiam se supplicare, ut absolveretur, si opus esset, ab omissis applicationibus et dispensatio indulgeretur ab applicatione in futurum, missae autem quae applicatae non fuerunt attingebant numerum octingentarum.

Animadversiones ex officio. — Tria in quaestionem ex officio revocabantur.

I. Utrum missarum reductio antiquitus habuerit locum, cum authenticum rescriptum deesset?

II. Utrum juxta tabulas fundationis capellanus teneretur ad solam celebrationem, non vero applicationem?

III. Quid judicandum esset de praeteritis omissionibus?

Quoad primum: Quamvis non proferretur reductionis rescriptum, tamen non deesse animadvertebatur suppletorias rescripti obtenti probationes, praesertim ex actis ss. visitationum, in quibus legebatur capellanum teneri *onere celebrationis duarum missarum qualibet hebdomada.*

Quoad secundum: Observabatur praxim esse s. C. C., ut onus applicationis intelligendum sit connexum cum onere celebrationis, nisi contrarium demonstretur; cujus praxis exempla adducebantur, idest *Tinnen. Applicationis sacrificii die 18. Augusti 1668 lib. 26 decr. fol. 61*, ubi legitur: »Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam capellania cum onere capellani pro tempore Sacrum faciendi singulis dominicis aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset sa-

crificium; ideo Episcopus Tinnen. supplicat per s. Congregationem declarari: An hujusmodi sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum capellani, uti hactenus factum esse comperiit?« Cui s. Congregatio respondit: *Applicandum esse sacrificium pro anima testatoris.* Item in *Cornetana**) die 23. Junii 1725.

Quinimo in praesenti themate observabatur, suppetere argumenta dictae connexionis: namque, licet in lege fundationis deesset verbum *applicandi,* haberi tamen consuetudinem applicationis et hujus consuetudinis judicia in ipsa praeceptione facta patronis augendi capellaniae dotem et in obtenta probabili missarum reductione contineri; eamdem consuetudinem antea ipsum capellanum oratorem sequutum esse.

Quoad tertium, animadversione facta, in praesenti themate bonam fidem desiderari, adducebantur tamen causae, quas Episcopus exposuerat, quibus aliqua condonatione dignus senescens ac diligens capellanus videretur.

S. Congregatio Concilii perpensis precibus respondere censuit: *Celebratis missis 80 et injuncta per Episcopum aliqua salutari poenitentia pro gratia absolutionis: de caetero capellanum teneri celebrare et applicare duas missas qualibet hebdomada in ecclesia designata, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Instituta ecclesiastica capellania cum onere celebrationis subintelligi etiam debere onus applicationis, nisi contrarium constet.

II. Sententias latas a laico judice in re ecclesiastica nullo pretio esse habendas.

Die 21. Mart. 1868.

VI. Obligatio non est.

Vd. *p. 817 Romana.*

Si insufficiens erat eleemosyna ad celebrationem et haec ipsa non in commodum celebrantis sed prout ipse fundator voluit erat eroganda, censendum non est applicationem voluisse, ut *ex cap.: Non est de praesumpt.* tradit *Rot. cor. Falconer. de probat. decis. 1. num. 11.* Altera conjectura derivatur ex eo, quod Farsettus destinavit certum altare, certam horam, certum modum, quo haec missa celebrari oporteret, scilicet post pulsatum aes campanum *ad intimandum consanguineis et aliis si forte pro sua devotione interesse voluerint,* adeoque de hisce sollicitus fuit fundator, ut, si patres servitae deficerent, mandavit exequutoribus testamentariis celebrationem missae per alium sacerdotem. Quare causa dispositionis fuit cultus capellae et commodum fidelium, ut Sacro interesse possent. Quibus concurrentibus non videtur volita applicatio, ut censuit s. Congregatio *in Collen. Applicationis sacrificii 17. Decembris 1679. lib. 40. decret. fol. 4, Tricastinen.**) *Applicationis sacrificii 8. Augusti 1711, Mantuana Applicationis sacrificii 19. Novembris 1718, Novarien. 12. Novembris 1727.*

Die 14. Junii 1806. *Burgi s. Sepulchri.***)

Si redditus assignati non adaequent consuetum stipendium, quod erogari solet pro onere missarum cum applicatione, sed sint longe inferiores vel beneficium sit ex antiquis, in quibus pro penuria sacerdotum intendebatur principalius commoditas populi, honor loci vel templi vel Sancti, Marchinus, Navarrus, Rosignolus, Gobat, Fraxinellus Riccius, Genuensis et alii sustinent, capellanum non obligari ad applicationem sacrificii. Attente autem advertendum est, quod super puncto applicationis missarum opinio sacrae Congregationis Concilii est, quod in capellaniis perpetuis cum onere missarum regulariter sacrificium est applicandum pro fundatore, nisi aliud praeseferat ejus voluntas vel expressa vel ex urgentibus conjecturis elicita, ut saepius fuit resolutum et signanter in *Tinen. Applicationis sacrificii 18. Augusti 1668*, in *Lucana Applicationis sacrificii 7. Augusti 1683*, in *Collen. Applicationis sacrificii 28. Augusti ejusdem anni 1683*, non obstante quacumque observantia in contrarium, in *Lucana 18. Februarii 1702 ad 2. dub.*, in *Pisauren. 17. Januarii 1722.* Inter conjecturas autem praeseferentes contrariam mentem fundatoris duae ad praesentem controversiam opportunae approbatae fuerunt ab eadem sacra Congregatione.

Prima videlicet, quando celebratio missae demandata fuerit pro commodo populi aut monialium missam audientium, ut in *Collen. Applicationis sacrificii 17. Decembr. 1679,* in *Tricastinen. Applicationis sacrificii 8. Aprilis 1711,* in *Mantuana Applicationis sacrificii 19. Decembr. 1708* et in *Novarien. 22. Decembr. 1727 ad 1. et 2. dub.*

Secunda est, quando fundator praescribendo certum numerum missarum aliquas

*) Vd. *supra p. 822.*

*) Vd. *supra p 815.*
**) Vd. *supra p. 848.*

applicari pro anima sua expresse mandaverit, et quoad alias vel nihil de applicatione dixerit vel alias remiserit ad arbitrium capellani, quia tunc has posteriores non sibi applicari voluisse praesumitur ex vi discretivae locutionis, ut in *Collen. Applicationis sacrificii 28. Augusti 1683*, in *Romana Applicationis sacrificii 8. Febr. 1710,* in *Tricastinen**) *Applicationis sacrificii 8. Augusti 1711* et in *Ferrarien. Applicationis sacrificii 11. Junii 1729.*

Romana.

(Conc. Tr. c. 4. sess. 22; c. 12. sess. 24. de ref.)

Pleraque inter eximia et religiosa monumenta, quae san. me. Sixtus V. in urbe reliquit, praeclarissima est constructio insignis capellae sub invocatione sanctissimi praesepis in Basilica s. Mariae Majoris. In ea quidem, singulari magnificentia exculta, Maximus Pontifex collegium erexit constans uno Praeposito, sacrista, quatuor capellanis, totidem beneficiatis ac eisdem capellae et collegio quasdam univit abbatias sitas in regno Neapolitano, quarum singulae sunt obnoxiae peculiaribus missarum oneribus, quae in propriis respective abbatiarum locis adimplentur, omnesque dictarum abbatiarum fructus praefatis capellae et collegio incorporavit, ex quibus, certis assignatis redditibus Praeposito et capellanis, quarundam missarum et anniversariorum curam per haec verba eisdem demandavit: *Statuentes et ordinantes, ut Praepositus et capellani praedicti singulis diebus dominicis et festivis missas quatuor, aliis vero diebus tres missas alternis vicibus seu hebdomadatim, juxta providam dispositionem et ordinationem desuper ab eis faciendam celebrare et quotannis tria anniversaria officia mortuorum, unum videlicet pro dicti Pii (scilicet V.) praedecessoris et aliud pro nostra, postquam viam universae carnis ingressi fuerimus, reliquum autem pro parentum et propinquorum nostrorum ac infrascriptorum patronorum animabus, quae tamen non intra dictam capellam nostram sed extra eam in illius vestibulo etc. peragantur*, prout luculentius patet ex bulla ejusdem Pontificis, quae incipit *Gloriosae 58. in ordine bullar. novi §. 12.*

Pro dirigendo autem ordine missarum celebrandarum juxta praescriptum mox relatae bullae confecta fuit desuper tabella a clar. mem. Cardinali Montalto tunc protectore et ejusdem Papae nepote subscripta et in sacristia praelibatae capellae publice affixa, in qua per alternas hebdomadas missarum celebratio capellanis legitur distributa, singulis eisdem injuncto: *Ut si quis sacerdotum, quando tenetur, in sacello quacunque ex causa celebrare non poterit, is sua vice sacerdotem aliquem probatum omnino celebrare curabit, ne in sacra capella fraus divino cultui sua negligentia fiat*: ac tandem in ea Pontifex declaravit, non aliter missas in bulla ordinatas esse celebrandas, quam in eadem tabella forent descriptae, ibi: *Sanctionem bullae, quae ad celebrationem missarum pertinet, in hanc sententiam accipiendam esse sanctissimus D. N. Sixtus Papa V. dixit et servari jussit.*

Jam vero juxta praefatum ordinem missae fuerunt a capellanis usque modo semper celebratae, citra tamen applicationem, quae celebrantibus neutiquam visa fuit demandata neque in bulla neque in tabella, praeterquam quoad tria anniversaria, cum nulla extet memoria retentionis librorum pro dd. missarum adnotatione, nisi quod a paucis annis interim retineatur de mandato Emmi visitatoris apostolici, a quo pariter remissum fuit huic sac. Congregationi dubium resolvendum: an praefatae missae subdantur oneri applicationis; cujus quidem declarationem collegium ipsum pro securitate conscientiae maxime exoptat.

Eminentissimus de Carpineo uti protector d. capellae pro informatione requisitus praemissa comprobando pro exemptione ab applicatione dd. missarum votum suum pandidit, tum quia Pontifex ad cultum divinum excitandum et decorem loci augendum missas demandavit, tum etiam ex discretivo loquendi modo, quo anniversariis applicationem injunxit, non item missis, tum pariter quia in tabella exarata a Cardinali Montalto, vivente Pontifice, demandatur celebratio dumtaxat missarum inter sacerdotes distributa per turnum, nullo verbo facto de applicatione, addita ratione, ne fraus fieret divino cultui, tum tandem ex consuetudine plusquam centenaria non applicandi, quae utqote interpretativa constitutionis omnem removet haesitationem, atque aliis cumulatis rationibus, quae in ejus relatione luculenter extensa et in summario danda leguntur. Quibus sane attentis praelaudatum collegium humiliter exorat EE. VV. pro infrascripti dubii declaratione:

*) Vd. *supra p. 815.*

An Praepositus, sacrista et capellani insignis capellae sanctissimi praesepis in Basilica s. Mariae Majoris teneantur ad applicationem missarum in casu etc.?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 18. Aug. 1708.

Romana.

(Conc. Tr. c. 2. sess. 22. decret. de sacrif. missae sess. 25. decr. de purg.)

Plerasque inter curatas ecclesias filiales subjectas Basilicae s. Laurentii in Damaso extiterat de anno 1594 ecclesia s. Pauli ad Arenulam, quam omni cura solutam una cum duabus contiguis domibus cl. me. Cardinalis Alexander Perettus praefatae Basilicae titularis praevio apostolico beneplacito concessit PP. discalceatis ordinis eremitarum s. Augustini ad effectum eam restaurandi, manutenendi sacrisque supellectilibus instruendi necnon onere hujusmodi adjecto: *Item quod in eadem ecclesia unam saltem missam ad minus singulis diebus festis de praecepto vel de consuetudine et aliam pro defunctis in dicta ecclesia sepultis singula hebdomada celebrare teneantur,* ac ulterius contribuendi quotannis cereum unum unciarum 12 ad usum sacristiae d. Basilicae s. Laurentii atque tandem solvendi summam scutor. 330 pro pretio dd. duarum domorum eidem ecclesiae annexarum erogandam in commodum aliarum parochialium.

Possederunt PP. discalceati d. ecclesiam cum domibus usque ad annum 1619 constructis interim prope eas quibusdam habitationibus, apothecis, fabricis aliisque melioramentis peractis, subindeque mox dicto anno de consensu primodicti titularis et concurrente pariter apostolico beneplacito cesserunt eandem ecclesiam PP. tertii ordinis s. Francisci provinciae Siculae cum iisdem oneribus supra enumeratis, ac itidem eisdem vendiderunt praedictas domos melioratas cum aliis habitationibus tum noviter constructis pro pretio scutor. 4500 solut. a PP. tertii ordinis, una cum aliis supradictis scut. 330 contributis a PP. discalceatis in primaeva concessione, uti fusius ex documentis in summar. exhibendis.

Successive patres tertii ordinis post obtentam praemissorum possessionem enunciatam missam hebdomadalem applicarunt quidem pro sepultis in ecclesia, sed missas injunctas pro diebus festis applicaruut in satisfactionem aliarum eleemosynarum a fidelibus oblatarum sub motivo, quod ex recensitis verbis primae concessionis factae patribus discalceatis non eruatur applicatio, quemadmodum exprimitur pro missa hebdomadali, nempe pro defunctis in ecclesia sepultis. Cumque hoc renovatum fuerit indubium a deputatis visitationis apostolicae super adimplemento onerum missarum, recurrerunt exinde patres ad hanc S. C. pro declaratione.

Aliam porro instantiam iidem PP. promoverunt super quodam relicto Rinaldae Follacchiae. Haec etenim pia mulier circa annum 1682 reliquit ecclesiae Patrum scuta 1150, de quo relicto nullum exhibetur documentum, nisi quaedam apoca alligata in libris conventus et subscripta a procuratore et commissario generali, Priore dicti conventus et alio correligioso hujusce tenoris: *Noi infrascritti PP. del convento di s. Paolo alla regola del terzo ordine di s. Francesco confessiamo sotto la presente giornata 22. Giugno 1622 di aver ricevuto dal signor Cherubino Follacchio scudi mille cento cinquanta moneta contanti, quali sono stati lasciati dalla signora Anna Maria Rinalda Follacchia moglie di esso signor Cherubino alla beatissima Vergine di s. Paolo alla regola avvocata di essa sopradetta defonta per beneficio dell' anima sua, scoondo la disposizione di detto signor Cherubino suo legitimo marito et del padre maestro Bonaventura Rossi suo confessore. Alla quale carità avendo riguardo gl' infrascritti PP. col consenzo e beneplacito di esso signor Cherubino si sono obligati. Primo: di celebrare per l' anima della sopradetta messe due mila, quali si sono cominciate etc. Secondo: s' obligano farle un' anniversario perpetuo nel dì della morte della sopradetta defonta, che fie alli dieci del mese di giugno, e celebrarle anche in quel giorno tutte quelle messe basse, che parerà a detti padri, che si troveranno pro tempore.* Adimpleverunt patres quotannis praefatum anniversarii onus non tamquam ex justitia debito, sed, ut ajunt, ex ultronea gratitudine, sub eo motivo, quod obligatio supradictorum trium patrum fuerit inefficax sine consensu capituli conventualis et summa antedicta scut. 1150 non fuerit investita in aliquo fundo fructifero, ac insuper, quia Rinalda d. summam non reliquerit pro celebratione missarum. Nihilominus moderni patres pro suarum conscientiarum serenitate similiter declarationem exoptant tam super obligatione omnium

dd. onerum quam super eorundem descriptione in tabella, cum caeteroquin eminentissimus Spada protector informare requisitus, qui omnia praemissa confirmavit, favore patrum votum suum protulerit, ut ex relatione in summario danda. Rogantur itaque EE. VV. resolvere infrascripta dubia:

I. *An patres tertii ordinis s. Pauli ad Arenulam teneantur ad applicationem missarum singulis diebus festis praescriptarum in concessione ecclesiae?*

II. *An iidem patres teneantur ex debito justitiae ad celebrationem anniversarii et missarum lectarum in die obitus Mariae Rinaldae Follacchiae vel potius arbitrarie ex voluntaria gratitudine in casu etc.?*

S. C. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 24. Aug. 1709.

Mantuana.

(Conc. Tr. s. 22 de obser. et evit. in celebr. missae.)

In fundatione cujusdam capellaniae facta a Joanne Francisco de Gonzaga Mantuae domino in altari majori ecclesiae monasterii monialium Corporis Christi ejusdem civitatis habentur haec verba: »Magnificus et potens Dominus Dominus Joannes Franciscus de Gonzaga Mantuae dominus attendens, quod in vanum extruuntur ecclesiae nisi in eis divina dicantur officia, celebrentur et missae, cognito, quod ecclesia dedicata sub titulo Corporis Christi dote caret sitque opus capellano, qui ibidem, ut requiritur, celebret missam pro satisfactione et voto venerabilium monialium degentium ibidem, pro se et socio sive clerico necessariis, quoad victum, vestitum et tectum ad sufficientiam provideri, ne de caetero in ipsa ecclesia capellani carentia continua missarum desinat celebratio, quam ad majus meritum et satisfactionem ipsarum dominarum quotidianam esse desiderat, sponte donavit etc.; et ab horum tenore verborum oritur dubitatio: *An capellanus teneatur missam applicare pro anima pii fundatoris?*

Facit pro applicatione, quod missa est applicanda pro fundatore, licet ipse applicationem non expresserit, juxta resolutionem hujus sacrae Congregationis in *Tinen. Applicationis sacrificii die 18. Augusti 1668 lib. 26. decretorum fol. 61,* cui haec sac. Congregatio temporibus subsequentibus passim adhaesit.

Facit e contra, quod ex verbis fundatoris colligi videtur ipsum demandasse missae celebrationem pro commodo monialium, in quo rerum statu celebratio videtur praescripta, sed non applicatio, ut in terminis fundationis capellaniae cum onere quotidianae celebrationis quadam hora determinata, acciò molti occupati da negozii possino andare a sentirla et in specie gli scolari quando escono dalla scuola, respondit haec sacra Congregatio in *Collen. Applicationis sacrificii 17. Decembris 1679 lib. 40. decretorum fol. 4,* et in terminis capellaniae erectae cum onere perpetuae celebrationis missae all' ora che dalla Dama Superiora del monastero di s. Orsola gli sarà prescritta e desiguata per il commodo delle sue monache, respondit haec eadem s. Congregatio in *Tricastinen.**) *Applicationis sacrificii,* quae fuit proposita *die 18. Julii* et resoluta die 8. Augusti 1711, uti habetur lib. 61. decretorum fol. 332. et fol. 358.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An capellanus teneatur missam applicare pro suffragio animae fundatoris vel potius teneatur ad solam missae celebrationem in casu?

S. C. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Die 19. Novb. 1718.

Ferrarien.

(Conc. Tr. Decr. de purg. s. 25.)

In testamento, cum quo de anno 1640 decessit Vespasianus Ferrantes, ultra septem pia legata relicta totidem conventibus regularium onere sex ex illis injuncto: »*di celebrare in perpetuo cento messe da morto per l'anima sua, e de' suoi benefattori*«, alteri vero: »*di celebrare annualmente in perpetuo messe 200 da morto, e pregare Iddio per l'anima sua e de' suoi benefattori.* Demandavit etiam erectionem unius capellaniae sacerdotalis in ecclesia monialium s. Mariae Magdalenae cum dote scut. 1000 monetae veteris Ferrariae constituen. scuta 727. 27 monetae romanae in tot censibus (non exprimitur tamen, cujus anni redditus fuerint) ea lege adjecta quod rector pro tempore »debba esser sacerdote, e sia tenuto sopra

*) Vd. *supra p. 815.*

il carico di sua coscienza a celebrare, o far celebrare quotidiamente alla d. capellania o suo altare una messa il giorno pregando Dio per l' anima di detto testatore, e suoi benefattori.«

Expleta post obitum testatoris erectione capellaniae omnes capellani pro tempore celebrarunt missam quotidianam, sed non constat applicasse sacrificium; cum vero eminentissimus Episcopus in nuperrima pastorali visitatione interrogaverit modernum capellanum, cur missam non applicaret pro testatore,iste pro ratione allegavit nedum praeteritam observantiam suorum antecessorum sed etiam voluntatem ipsius testatoris, qui voluit quidem applicationem sacrificii in praedictis sex antecedentibus legatis piis et apertis verbis hoc expressit, hinc ex regula discretivae locutionis praesumi debeat noluisse eamdem applicationem a rectore controversae capellaniae, quem dumtaxat adstrinxerat ad orandum pro anima sua; nolens tamen praelaudatus eminentissimus Episcopus super hac quaestione suum judicium proferre competentem terminum praefixit capellano ad exquirendum oraculum hujus sacrae Congregationis.

Post haec inventum fuit penes haeredes testatoris quoddam votum insignis theologi P. Pillizzarii suo proprio charactere scriptum juxta judicialem recognitionem desuper factam, qui pro veritate respondit: rectorem hujus capellaniae non teneri ad applicandum sacrificium missae pro fundatore, sed solum ad orandum pro ejus anima ex rationibus, quae adducit et praecipue ex eo, quod juxta propriam verborum significationem aliud sit, orare in sacrificio et aliud applicare sacrificium, *maxime* (ut subjungit idem theologus) *cum vir fide dignus et valde familiaris fundatoris talis capellaniae constanter asseruerit, sibi constare ex ore supradicti fundatoris, mentem hujus in institutione talis capellaniae fuisse solum dare commoditatem monialibus convertitis audiendi missam quotidie et exhibendi Deo cultum hinc consurgendum in templo ipsarum.*

His stantibus proponitur dubium transcriptum et in calce restrictum.

Super hoc puncto applicationis missarum opinio hujus sacrae Congregationis est, quod in capellaniis perpetuis cum onere missarum regulariter sacrificium est applicandum pro fundatore, nisi aliud prae se ferat ejus voluntas vel expressa vel ex urgentibus conjecturis elicita, ut fuit saepe resolutum' praecipue in *Tinen. Applicationis sacrificii 18. Augusti 1668,* in *Lucana Applicationis sacrificii 7. Augusti 1673*, in *Collen. Applicationis sacrificii 28. Augusti ejusdem anni,* ubi: non obstante quacunque observantia in contrarium, in *Lucana 18. Februarii 1702 ad secundum dubium* et in *Pisauren. 17. Januarii 1722.*

Inter conjecturas praesefereutes contrariam mentem fundatoris duae ad praesentem controversiam opportunae approbatae fuerunt ab eadem sac. Congregatione:

Prima videlicet quando celebratio missae demandata fuerit pro commodo populi vel monialium missam audientium, ut in *Collen. Applicationis sacrificii 17. Decembris 1769,* in *Tricastinen.**) *Applicationis sacrific. 8. Augusti 1711,* in *Mantuana Applicationis sacrificii 19. Decembris 1718* et in *Novarien. 22. Decembris 1727 ad primum et secundum.*

Secunda, quando fundator praescribendo certum numerum missarum aliquas applicari pro anima sua expresse mandaverit et quoad alias vel nil de applicatione dixerit vel illas remiserit ad arbitrium capellani, quia tunc has posteriores haud sibi applicari voluisse praesumitur, ex vi discretivae locutionis, ut in *Collen. Applicationis sacrificii 1685*, in *Romana Applicationis 8. Februarii 1710*, et in *Tricastinen. Applicationis sacrificii proposita die 18. Julii et resoluta die 8. Augusti 1711.*

Sed quia in praesenti casu discretiva desumitur, ex quo testator in prioribus legatis piis injunxerit onus applicandi missas, in controversa vero capellania imposuerit solum onus »orandi« pro anima sua, quodque hoc verbum »orare« diversum sit ab applicatione sacrificii, hinc non incongruum videtur adnotare, quod theologi sumentes dictum verbum »orare« juxta ejus propriam et rigorosam significationem putant, illud esse quid distinctum ab applicatione, ut videre est apud *Pellizzar. in supradicto voto,* quod datur impressum, *Suarez. de legib. lib. 6 cap. 1. n. 6, Pasqualig. de sacrific. miss. quaest. 450 n. 4,* aliosque penes *Amostas. de caus. piis lib. 2 n. 10 et per tot.*

Attamen haec sacra Congregatio, ut magis versisimili voluntati et meliori bono fundatorum provideret, contrarium censuit in una *Vintimilien. 27. Aprilis 1720* relata

*) Vd. *p. 815.*

inter summaria precum, dictumque verbum »orare« sumptum fuit in ampliori significatu, ad praeseferendam scilicet applicationem sacrificii, ibi: »*Gubernatores humiliter supplicant pro declaratione: an Sacerdos ad celebrationem missae eligendus teneatur illam applicare, attentis verbis testatoris: »et in ea orare pro anima ipsius testatoris,« nulla facta mentione applicationis, cum aliud sit orare, aliud missam applicare etc.?*

Sacra Congregatio censuit: *Sacerdotem teneri ad applicationem missae.*

Difficultas itaque in eo consistere videtur: an stante dicta diversa locutione testatoris in legatis piis, ubi voluit celebrationem missarum pro anima sua, quam in hac capellania, ubi injunxit onus orandi, argui debeat, testatorem sumpsisse hoc nomen »orandi« in ejus proprio et rigoroso significatu exclusivo applicationis sacrificii.

Circumferuntur jura capellani; non gravabuntur itaque EE. VV. sapientissime de more decernere:

An capellanus, de quo agitur, teneatur applicare sacrificium pro anima fundatoris, vel satis sit, quod illius memoriam habeat in orationibus, quae fiant in collecta aut in memento in casu?

S. C. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Die 11. Juni 1729.

Veronen.

Cum universitas oppidi sancti Felicis Riperiae Benacensis, quod est in dioecesi Veronensi, templum sua pecunia a solo extruxisset et ad sacra divinaque agenda sacramentaque ministranda sacerdotem constituisset, plures fuerunt, qui hoc exemplo perciti, ut quanto magis posset opus hoc pium promoveretur, haeredem bonorum suorum eamdem universitatem instituerunt; sed longissimi anteacti temporis fuga fiebat, ut non omnium servaretur memoria extra hos duos, quorum primus est Jacobus Groffolus, qui die 3. Maji anni 1440 haeredem scripsit universitatem, dato tamen onere praestandi fructus redditusque haereditarios uni seu pluribus sacerdotibus, qui sacra divinaque officia in eodem templo agerent in remedium animae suae et suorum defunctorum: quae solemnis erat et cognitissima formula, qua ea tempestate et antecedentibus etiam saeculis utebantur in hisce piis largitationibus aut relitis; altera, cujus extet memoria, fuit Joanna Cerclina, quae eidem universitati anno 1360 dimidiam duorum praediorum partem reliquit, ut eorum redditibus ab uno sacerdote sacrificaretur in eodem templo in remedium animae suae et suorum defunctorum, et si quid reliquum esset in ornamentum templi impenderetur.

His bonis a piis testatoribus relictis aliisque ab eadem universitate collatis obtinuit universitas ab Optimo Maximoque Pontifice Clemente VII., ut in eodem templo ss. Felicis et Audacti quatuor capellaniae ad quatuor illius altaria erigerentur, facta aequali partitione inter eas bonorum relictorum datoque capellanis onere, singulis diebus Sacrum faciendi agendique divina officia atque ecclesiastica sacramenta ministrandi. Pontificis mandata exequutus est Joannes Matthaeus Gibertus Episcopus ille Veronensis doctis omnibus aevi sui cognitissimus et laudatissimus, qui capellanias erexit et aequali bonorum parte dotavit et praeter antiquum censum quatuor librarum cerae albae ecclesiae Matris s. Mariae Minerbae quotannis praestandum ea, quae summus Pontifex onera injunxerat, capellanis indixit reservavitque universitati jura patronatus ut Clemens constituerat.

Sed Vicarius generalis Episcopi Giberti, qui bona singulis capellaniis adsignanda separaverat, alia iisdem onera adjunxit, quae, ne longiores simus in folio scribendo, legere poterunt eminentissimi patres in luculenta Episcopi Veronensis epistola ad sacrum hunc senatum data, de qua inferiori loco dicemus: alia quoque onera addidit Cardinalis Augustinus Valerius Episcopus Veronensis decreto lato die 23. Octob. anni 1574: his ita constitutis: An singuli capellani Sacra quotidie fecerint eaque pro oneribus fortasse eorum capellaniis annexis *applicaverint* omnino ignoratur. Dubitatum tamen hac de re fuisse anno 1637 refert in eadem epistola is, qui nunc Veronensi ecclesiae praeest Episcopus.

Utut sese res habuerint certum est, pestem an. 1630 ita universam Veronensem dioecesim subvertisse, ut harum capellaniarum redditus maxime diminuti fuerint nullusque esset idoneus sacerdos, qui capellanus esse vellet cultusque sacri templi penitus negligeretur; huic igitur malo medicinam parare cupiens Marcus Justinianus Veronensis Episcopus anno 1643 decreto suo duas capellas

earumque bona et redditus univit declaravitque, ut rector earum censeretur et esset parochus ejusdem parochialis ecclesiae ss. Felicis et Audacti et Praepositus nuncuparetur atque alii duo capellani coadjutores haberentur; onera vero omnia, quae capellaniis data fuerant, in Praepositum transtulit.

Post hoc decretum nulla in his beneficiis evenit mutatio; dubitatum equidem fuit: num tenerentur Praepositus et capellani *Sacrum applicare* pro redditibus, quos ex beneficiis suis perciperent et variae fuerunt cum theologorum tum canonistarum eo tempore sententiae et consultationes, praevaluit tamen antiqua consuetudo Sacra quidem faciendi sed ea applicandi juxta mentem eorum, qui eleemosynam offerrent. Cum autem vetus haec quaestio iterum exorta fuerit, universitas preces obtulit Principi sacratissimo, quibus postulabat ut quaestionem hanc definiret et vel decretum Episcopi Justiniani confirmaret vel legem daret novam. Ad amplissimos igitur Patres delata fuit hujus postulationis cognitio, quae nunc audito jam Veronensi Episcopo responsum expectat.

Rationes Praepositi et capellanorum, quibus negant mutandum esse decretum Episcopi Justiniani et sese immunes faciunt ab onere applicationis, poterunt eminentissimi Patres agnoscere ex eorum libello et praecipue ex diligentissima epistola Veronensis Episcopi, qui rem omnem nitide narrat et redditus horum capellanorum et praesertim Praepositi tenuissimos esse refert. Dubia vero, de quibus agitur, sunt:

I. *An sit observandum decretum Episcopi Justiniani anni 1643 et Praepositus et capellani coadjutores sint immunes ab applicatione Sacrorum, itaut possint recipere eleemosynam ab offerentibus in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo sit providendum?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative adjecto onere duorum anniversariorum, unius nempe pro Joanna Cerclina, alterius pro benefactoribus, facto verbo cum Sanctissimo.

Ad II: Satis provisum.

Die 26. Junii 1745.

Spoletana.

Ecclesiam divo Jacobo apostolo dedicatam habebat Nursiae Hierosolymitanus ordo et capellam in eadem ecclesia habebat sodalitium sub titulo sancti Jacobi. Ab ordine Hierosolymitano cessa fuit ecclesia anno 1698 patribus Congregationis oratorii, qui preces obtulerunt sodalibus, quibus postulabant assignationem eorum bonorum, quorum redditibus stipendium capellano praestabatur, promittentes opera pietatis in ecclesia exercere, ultra onera fabricae et ornamentorum et servandae perpetuo sacrae supellectilis. Placuit postulatio sodalibus, qui cesserunt patribus omnia jura et bona illa, eos subrogando in locum capellani, lege adjecta, ut patres *sieno tenuti a sodisfare tutti li pesi soliti a sodisfarsi dalli capellani passati.* Post haec defunctis, qui tunc vivebant, sodalibus aliisque in defunctorum locum non allectis periit sodalitium et patres omnia bona acceperunt. Onus capellanis injunctum erat faciendi quinque Sacra singulis hebdomadis et undecim die festo sancti Thomae. Hoc onus impletum semper fuit a patribus, sed Sacra numquam applicata fuerunt putantes teneri tantum ad Sacra agenda, non ad ea applicanda. Cum hac de re injecta demum iis fuerit dubitatio, oblatis precibus postularunt ab hoc sacro tribunali, ut declaret: An etiam ad applicationem tenerentur. Auditus Episcopus censuit eos ad applicationem non teneri; rationes, quibus in hanc sententiam perductus fuit Episcopus, repetunt patres in libello earumque haec summa est: non constare ex libris sodalitii de applicatione horum Sacrorum neque verisimile fieri capellanos habuisse onus applicationis, quia tenuissimum stipendium annuum vel scut. 13. 63 vel scut. 19, 12 deductis oneribus, quod capellani percipiebant, respondere non poterat laboribus eorum, ut nil verius videatur quam eos de Sacrorum celebratione commoditatis gratia, non vero de applicatione fuisse sollicitos. Addunt et onera, quae ab ipsis ferri debent tutelae ecclesiae et altaris et sacrae supellectilis, et numerum Sacrorum, quae fiunt in ecclesia,ut satis consultum sit ejus decori et voluntati sodalium etiam sine hac applicatione. Dubium ab eminentissimis Patribus definiendum est:

An patres congregationis oratorii teneantur ad applicationem missarum, de quibus agitur, seu potius ad earum tantum celebrationem in casu?

S. C. resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Die 18. Sept. 1751.

Auximana.

Testamento, quod condidit anno 1623 Jo. Dominicus terrae Montis Philoptrani, legavit PP. Minoribus conventualibus s. Francisci ejusdem terrae annuos florenos 80, qui facinnt sc. 15 monetae romanae, percipiendos ex duobus suis praediis, altero vocato Storachi, altero nuncupato sancti Angeli »ut in perpetuum celebrarent seu celebrari facerent in eadem ecclesia sancti Francisci per octo menses cujuslibet anni unam missam pro qualibet die de mane ad horam aurorae pro mercenariis et operariis et quibuscumque volentibus accedere ad dictam missam.« Quatriduo post contractum eadem de re iniit cum patribus et in instrumento ita se expressit: »cum onere celebrandi per fratres unam missam pro qualibet die in aurora pro servitio et commodo operariorum et mercenariorum, et patres promiserunt in perpetuum qualibet die de mane in aurora celebrare tot missas.«

Rursus alio testamento, quod condidit anno 1625, ita inquit: »pro celebratione nonnullarum missarum celebrandarum de mane in aurora pro operariis.« Tertio denique testamento, quod condidit anno 1630 ait: »Li frati di esso convento siano obligati celebrare una messa al giorno uelli mesi specificati nell' istromento fatto gli anni passati.« Hoc onus patres impleverunt et anno 1688 Petrus Joannes Mascellius possessor praedii Storachi voluit idem praedium ab annua solutione liberare, sed proposito in hoc sacro tribunali dubio:

An conventus et fratres s. Francisci teneantur recipere ab oratore florenos quadringentos eisque receptis praedium Storachi ab annua florenorum viginti praestatione liberare?

Sacrum tribunal »negative« respondit, ut in *lib. 38 decr. pag. 617.*

Nunc autem Innocentius Mascellius, licet neque haeres sit neque affinis neque legatarius testatoris, in jus vocavit eosdem patres contendens eos teneri ad applicationem Sacrorum. Proponitur itaque causa et patres disputant solam celebrationem voluisse testatorem, non etiam applicationem, idque palam fieri ex ratione et causa finali legandi, ut scilicet consuleret commodo operariorum et mercenariorum; constantem hanc esse sacri hujust ribunalis senteutiam, ut, si in fundatione solum commodum populi, monialium, artificum, agricolarum, peregrinorum, sodalium aut similium prae oculis habitum faerit, sola celebratio, non etiam applicatio injuncta dicatur, ut in *Collen. Applicationis sacrificii 17. Decembris 1670 lib. 40 decret. pag. 40* et in *Ferrarien.*) Applicationis sacrificii 11. Junii 1729,* et in *Fulginaten. Applicationis missae 7. Sept. 1737,* et in *Mediolanen. Applicationis missarum 11. Maji 1748.* Id ipsum educi ex tenuitate stipendii scut. 15, quod non respondet oneri sacrificium faciendi hora illa incommoda et ejusdem oneris perpetuitati. Ita denique dicendum esse etiam spectata consuetudine, cum silentibus Episcopis et ministris fabricae sola celebratio non etiam applicatio jacta fuerit a patribus. A Mascellio nihil adhuc habuimus. Dubium est:

An PP. conventuales s. Francisci terrae Montis Philoptrani teneantur saltem in posterum ad applicationem missae celebrandae juxta dispositionem Joannis in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 7. Febr. 1756.

Urbevetana.

Ex pluribus capellanis, qui in cathedrali erant Urbevetana ecclesia, duodecim anno 1498 beneficiatos constituit Cardinalis Valentinus apostolicae Sedis legatus. Pluribus injunctis Sacris et anniversariis participes eos voluit communis massae, ex cumulo fructuum suppressarum capellaniarum confectae, quae nomen illis dedit beneficiatorum de massa. Jamdiu singulis sabbatis in honorem beatae Mariae Virginis, quae dicitur de s. Britio, canebatur missa, quae in antiquissimis constitutionibus capituli, anno 1332 ab Episcopo Tramo evulgatis, conventualis nuncupatur ac pro conventuali habendam esse praecipitur. Hanc igitur missam ab erectione beneficiorum celebrarunt beneficiati; sed eam semper sub conditione applicarunt, quatenus nempe pro beneficiatoribus celebrari deberet, ut iterum anno 1727 Episcopus Elisei decrevit.

Ad sedandos conscientiae stimulos ab EE. Vestris quaerunt hodierni beneficiati: Num ultra communem missam conventualem eam quoque, quam in honorem b. Mariae Virginis canunt, pro benefactoribus applicare teneantur. Hodiernus Emmus Episcopus neque liberae applicationi obesse censet constitutiones anni 1332, eo quod ab aliis fortasse

*) Vd *supra pag. 865.*

presbyteris seu probabilius ab aliis de capitulo, non tamen a beneficiatis haec missa canebatur, cum beneficiatorum erectio sit longe posterior, neque decretum anni 1727, cujus respectu haec habet: Hujusce decreti causam ignoro, rationem tamen non video. Onus enim missae conventualis, et cui omnes ut dixi interesse debent, beneficiatis tantummodo impositum esse agnosco. Forsan hanc quoque missam conventualem noluit Episcopus Elisei, praeter aliam de feria vel de festo occurrente, quam omnes tum Canonici tum beneficiati post Tertiam canere per turnum solent. Ideoque consultum putat beneficiatorum serenitati, si »firma remanente celebratione cum cantu« declaratio prodeat, qua beneficiati ab applicatione missae de beata Virgine eximantur.

Quaenam fuerit hujusce missae origo ignoratur. Verisimile tamen est, aliquam piam habuisse fundationem. Praeteriri ergo non posse videtur illius applicatio pro benefactoribus, quorum memoria fundamentum est missae conventualis. Ex hoc, inquit *Benedictus XIV. in constitutione*: *Cum semper oblatas*,*) quod benefactorum nomina in oblivionem venerunt, non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis et sacrificium missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere originem et rationem desumit. Antiquissimae accedunt constitutiones anni 1726, in quibus eadem missa inter conventuales numeratur. Quanti enim aestimandae sint episcopales illae sanctiones, probat *Pignatell. consult. canon. 109. num. 10 tom. 9.*

Advertendum tamen est, nullam in bulla erectionis beneficiatorum neque de missa b. Mariae Virginis neque de illius applicatione pro benefactoribus mentionem fieri. Novum ergo imponi non posse videtur onus in ea non expressum, *Conrad. in prax. benefic. lib. 2 cap. 10 num. 150, Pignatell. consult. canon. 111 num. 9 tom. 9* et sac. haec Congregatio in *Tudertina capellaniae 12. Martii 1718*, novamque ideirco Episcopi Elisei legem attendendam non esse, ut sacra haec declaravit Congregatio in *Montis Falisci diei 31. Maji 1721*, in qua per rescriptum — clericum Ferdinandum Scaglionum teneri ad onera tantum praescripta a testatrice — abrogata fuerunt onera contra fundationem beneficii imposita ab Ordinario, licet nonaginta annorum spatio adimpleta.

Licet vero induci consuetudine valeat obligatio celebrandi plures missas conventuales, ut statuit *Benedictus XIV. in cit. constit.*: »*Cum semper oblatas*,« aut nulla tamen est in casu nostro consuetudo applicandi missam de b. Maria Virgine pro benefactoribus aut talis fortasse censeri non debet, qualem summus ille Pontifex requirit.

De consuetudine, Emmus inquit Episcopus, non constat quoad applicationem missae de b. Maria Virgine, quin immo vel nunquam applicatam vel sub conditione tantum applicatam fuisse deprehenditur.

Favere etiam oratoribus videtur redditum tenuitas, quae praesumptionem liberae applicationis inducit, quum justa inter emolumentum et onus esse debeat proportio, *Card. de Luc. de fideicomm. disc. 195 num. 9.* Quatenus autem responsurae sint EE. Vestrae pro exclusione applicationis, servanda erit missae celebratio, quia onus celebrandi distinctum est ab onere applicandi, *Rot. cor. Tanar. decis. 133 num. 14.*

Dignentur itaque EE. Patres decernere: *An beneficiati ecclesiae cathedralis Urbis Veteris nuncupati de massa teneantur applicare pro benefactoribus in genere missam beatae Virginis de s. Britio, quam singulis sabbatis canunt ad ejus altare in casu?*

S. C. resp.: Negative juxta votum eminentissimi Episcopi et sufficere commemorationem generalem pro benefactoribus.

Die 15. Septbr. et 24. Novbr. 1787.

Senogallien.

Ex piis fidelium oblationibus erexit anno 1652 Senogalliensis Episcopus in ecclesia s. Liberatae beneficium simplex cum onere celebrandi festivis diebus Sacrum ac manutenendi ecclesiam ejusque supellectilem. Haec in decreto erectionis: »Rector missas in ecclesia praedicta diebus dominicis et festivis ac dnas in qualibet hebdomada, juxta voluntatem praefatorum DD. Jacobi Mariae ac Petri Pauli (quorum etiam legata erecto beneficio attribuit) celebrare debeat et teneatur.« Et haec in altero institutionis rectoris: Cum onere rectori pro tempore satisfaciendi obligationibus per antedictos benefactores impositis ac insuper celebrandi vel celebrari faciendi in dicta ecclesia missas singulis diebus dominicis et festivis ac manutenendi d. ecclesiam et altare de paramentis et supellectilibus. Eidem deinde beneficio aliud accessit trium hebdomadalium missarum legatum. Jugiter ad haec tempora applicatae sunt pro legantibus hebdomadales missae, non item illae fundationis. Post decimum quartum circiter annum a capta hujusce beneficii possessione ab EE. Vestris quaerit sacerdos Dominicus Marconi: An applicare teneatur festivas missas pro benefactoribus. Quatenus vero teneatur, absolutionem postulat ab omissa applicatione ac futuram etiam oneris reductionem.

De more requisitus Emmus refert Episcopus, quod nullus illorum, qui a saeculo et ultra hoc sacerdotio aucti fuere, sacrificium obtulit pro benefactoribus singulis festis diebus, qui occurrerunt, neque unus ex iis, qui hanc cathedram tenuerunt, eos ad sacrificia ut supra offerenda adegit. Itaque nullus, uti communiter putatur, fuit, qui non libere ea obtulerit. — De tenuitate insuper testatur redditum, qui sive indiligentia eorum, qui hoc sacerdotio potiti fuere, sive temporum injuria adeo decreverunt, ut a quadraginta aureorum summa ad septemdecim in praesentia sint redacti. — Et quamvis se a ferendo suffragio super applicatione missarum earumque reductione abstineat, censet tamen quoad praeteritum, quod bona oratoris fides exuberare videtur.

Si verisimilis spectetur piorum oblatorum mens, oblationes potius dedisse censentur, ut suffragiorum participes fierent, idque non semel sac. haec Congregatio declaravit in *Tinen. Applicationis sacrificii 18. Augusti 1668 lib. 26 decret. fol. 61,* in *Spoletana**) *Applicationis et reductionis missarum anni 1710 lib. 60 fol. 4 a terg.,* in *Ferrarien. Applicationis missarum 13. Januarii et 24. Februarii 1720*, et in *Bononien Dispensationis 14. Septembris 1783.*

Si centenaria vero attendatur observantia, quam Senogallienses Episcopi silentio confirmarunt, dubia per eam declarata dici posset oblatorum ac fundatoris beneficii voluntas, *text. in cap.*: *Cum dilectus de consuet.*, maxime, quia pium quemlibet usum oblationes respiciunt, *Petr. ad constit. Anastasii IV. sect. 2 num. 16, Pignatell. consult. 160 num. 21 tom. 4.*

Pro absolutione a praeterita missarum applicatione, quatenus fieri debuisset, bona urget oratoris fides, de qua Emmus testatur Episcopus. Saepe enim hac concurrente Sanctissimo pro illa consuluit sacra Congregatio, ut in *Parmen. 6. Maji 1786*, in *Reatina Absolutionis 24. Martii*, et in *Derthonen. Absolutionis et reductionis missarum 7. Julii elapsi anni ad II. dubium.* Quoad missarum postremo reductionem notandum est, nedum absque culpa oratoris imminutos esse beneficii redditus, sed onus etiam sac. supellectilium ac manutentionis fabricae ei incumbere. In his porro terminis aequam dixit reductionem *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. ult. num. 22,* et sac. haec Congregatio in *Senogallien. Reductionis 10. Maji 1783*, in *Viterbien. Reductionis onerum 8. Maji 1784.* In perpetuo autem, de quo agitur, missarum onere concessa quandoque ob imminutos redditus fuit reductio ad taxam perpetuae, etiam post acceptationem beneficii, ut in *Albinganen. 12. Decembris 1778*, et in *Anconitana Missarum 20. Aprilis 1782.*

Dubia:

I. *An sit locus applicationi missarum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

III. *An et quomodo sit locus reductioni quoad futurum in casu?*

S. C. resp. Ad I: Negative.

Ad II. et III: Provisum in primo.

Die 26. Apr. 1788.

7) Missae pro Haereticis.

Asten.

(Conc. Tr. cap. 1. 2. can. 3. de sacr. missae.)

In regesto librorum conventus PP. Carmelitarum civitatis Astae reperta dudum fuit inter alias haec adnotatio: *Anno Domini 1427 die 24. mensis Januarii nos fratres conventus Asten tenemur et obligamur usque in perpetuum omni die dicere unam missam pro bono statu et conservatione communitatis Magdeburgensis in Zelandria et propter hoc ipsa communitas dedit mihi fratri Francisco de Pergamo Priori conventus nomine et vice conventus januinos ducentos auri* (conflantes scuta 396 argentea romana redden. annuatim similia scuta 13) *qui expositi fuerunt in sedimine, area et horto q. Brunetti Carboni.*

*) Vd *supra pag. 695.*

*) Vd. *supra pag. 816.*

Hoc onus supponitur adimpletum usque ad annum 1661, a quo tempore cessatum ab eo extitit sub ea erronea suppositione, quod pecunia exposita fuisset in fabricam ecclesiae infructiferam et nullius redditus, cum revera, quemadmodum ex aliis documentis postmodum detectum fuit, investita fuerit in stabilibus. Nihilominus PP. modo autumantes ad illud onus non teneri, *eo quod d. communitas hodie sit haeretica et sacrificium esset applicandum pro ejus bono statu et conservatione;* ideo humiliter supplicarunt pro declaratione et, quatenus teneantur, pariter exorant pro oneris reductione tam pro decursis quam pro decurrendis annis.

Episcoqus informare requisitus supranotatam particulam transmittendo praemissa confirmavit censuitque praememoratae missae onus esse a patribus reassumendum, nihil obstante, quod communitas evaserit haeretica, cum pie credi debeat, quod finis eorum, qui tradiderunt sortem, fuerit, ut etiam oraretur pro bono *statu spirituali recuperando, quatenus illum omisissent,* prout omiserunt per haeresis infectionem; sicque putat relator eosdem PP. esse admittendos ad reductionem generalem per religionem obtentam a Sede apostolica de d. anno 1661 ad rationem missarum sex pro quolibet scuto, de quo onere nulla tunc fuit facta mentio, ac idcireo iisdem esse imponendum onus missarum 78 quolibet anno in perpetuum; quo vero ad sacrificia omissa ab anno 1661 attenta eorum bona fide esse absolvendos media celebratione missarum 500, uti fusius ex eadem relatione exhibenda in summar. Superest igitur, ut EE. VV. resolvere non graventur:

An et quomodo in praemissis sit consulendum in casu etc.?

S. C. C. resp.: Teneri ad applicationem licito modo et in futurum pro reductione juxta indultum ap. et dummodo alias eo usi non fuerint et pro praeterito pro celebratione missarum in numero Episcopo beneviso.

Die 29. Mart. 1710.

8) Missae pro Monialibus.

Supplicat Archiep. Quebecens. declarari: An capellani monialium curae praepositi ad missam pro iisdem monialibus diebus dom. et festivis de praecepto applicandam teneantur?

Et S. C. rescribendum censuit: »Non teneri, quum non sint parochi.«

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 7. Dec. 1844.

9) Omissa.

Vd.: *Missa* (omissa); *Missa fund.* (omissa); *Applicat. missae pro populo* (omissa); *Missa conc.* (omissa).

10) Partialis est damnata.

Vd. *inf. n. 11. II.*

Fuit expresse damnatum ab Alexandro VII. in decreto s. Inquisit. die 24. Septembris 1665: »Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem: idque post decretum Urbani VIII.«

Non potest unica missa satisfieri duplici obligationi, applicando uni fructum satisfactorium et alteri impetratorium, prout respondit sacra Congreg. Concilii ad sequens dubium: *An sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione missae v. g. pro defuncto et sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium, et aliud stipendium pro celebratione missae v. g. pro infirmo et sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium, possit unica missa utrique obligationi satisfacere, applicando defuncto satisfactorium et infirmo impetratorium, anve hoc casu locum habeat decretum secundum sacr. Congr. Concil. de celebratione missarum?*

Die 13. Decembris 1659 sacra Congregatio EE. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit: Quoad primam partem non posse satisfacere; quo vero ad secundam: habere locum.

11) Missae pro populo.

I. Alternativa.

Congregatio in casu, quo curae exercitium erat pene Praepositum et beneficiatos, definivit die 4. Maji 1726: »Missam parochialem teneantur alternatim celebrare et applicare«, ut videre est in *Ripana Jurium parochialium 20. Novembris 1762.*

Die 21. Nov. 1801 *Tiburtina.*

II. Applicare potestne parochus simul pro populo et benefactore stipendium praebente?

Oveten.

Vd. *supra n. 10; p. 876. n. III. dub. II:* Deinde.

In relatione; status suae ecclesiae, quam sacr. Congregationi nuper transmisit Episco-

ponderis, ut impedirent, quominus laxae quaedam ea de re opiniones sensim irreperent; quas eadem s. Congregatio reprobavit et summi Pontifices postea damnarunt. Siquidem nonnulli auctores scriptis etiam typis traditis asseruerunt, sacerdoti missam pro alio recepta eleemosyna celebranti licitum esse eleemosynam quoque recipere ab altero cui applicet partem fructus seu valoris sacrificii ipsimet sacerdoti debitam, (nempe *specialem* aut *specialissimam*) et hunc casum non esse comprehensum sub decreto s. Congregationis concilii prohibente duplex pro unica missa stipendium recipi. Verum sacra Congregatio *die 25. Januarii 1659* approbante san. mem. Alexandro VII. declaravit: *Nulli sacerdoti licitum esse praefata ratione sive practextu aliam eleemosynam accipere praeter illam quam accepit ab eo, pro quo missam offerre tenetur, ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis alias per eamdem s. Congregationem concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica missa excipiatur. Fagnan. loc. sup. cit. sub num. 96.*

Similiter eodem anno, referente pariter Fagnano, qui munere secretarii s. Congregationis tunc fungebatur, *loc. cit. sub num. 97.* Auctores aliqui animadvertentes fructum *medium* sacrificii, de quo potest sacerdos pro libito disponere, dividi in *satisfactorium* et *impetratorium*, in ea fuerunt sententia, ut si aliquis sacerdoti daret eleemosynam pro applicatione fructus *satisfactorii* et alius daret eleemosynam pro applicatione fructus *impetratorii*, posset sacerdos unica missa satisfacere utrique obligationi applicando cuilibet fructum petitum. Propositum autem fuit dubium: *An sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione missae ex. gr. pro defuncto et sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium, et aliud stipendium pro celebratione missae ex. gr. pro infirmo et sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium, possit unica missa utrique obligationi satisfacere applicando defuncto satisfactorium et infirmo impetratorium et an in hoc casu locum habeat decretum s. Congregationis concilii de celebr. miss.?*

S. Congregatio die 13. Decembris 1659 respondit ad primam partem: *Non posse satisfacere;* quo vero ad secundam: *Habere locum.*

Hinc inter propositiones ab Alexandro VII. die 20. Septembris anni 1665 damnatas haec recensetur, nimirum VIII: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite recipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentis, idque post decretum Urbani VIII.* Ac praeterea alia X: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam in juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Quoniam vero priora s. Congregationis decreta loquebantur de sacerdotibus accipientibus eleemosynas manuales, non autem explicite de obtinentibus beneficia ecclesiastica, idcirco inter caetera dubia super iisdem decretis excitata quaesitum fuit:

An sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellaniae, legati aut salarii, possunt etiam manualem eleemosynam pro missis votivis aut defunctorum recipere et unicae missae sacrificio utrique oneri satisfacere? Et s. Congregatio in responsionibus ad dubia, quas san. mem. Innocent. XII. adprobavit, respondit: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellaniae, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem missa utrique obligationi satisfacere.*

Hisce praemissis dissimulandum non est autores, qui scripserunt ante vulgatissimam Benedicti XIV. constitutionem: *Cum semper oblatas,* sententiam pro parochis fuisse amplexos. Hos inter recensere liceat *Franciscum Sylvium in 3. part. d. Thomae qu. 83. art. 1. quaest. 17,* ubi quaerit: utrum, qui pro pluribus celebrare debet, satisfaciat celebrando *unam missam pro omnibus*, atque haec habet inter caetera: *Quamvis autem parochus obligatus sit celebrare pro suo populo dominicis praesertim et festis diebus, non videtur tamen illicitum, si aliquando stipendium accipiat ab uno particulari, qui pro se cupit celebrari. Nec obstat, quod a populo sive ex decimis sive aliunde alatur.*

Parocho enim debentur proventus pastorales non precise, ut celebrent ad intentionem populi, sed ratione totius officii pastoralis. Tenetur quidem omnibus festis et dominicis missam in ecclesia parochiali facere, sed aliud est teneri ad eam dicendam, ut parochiani illam

mosynam diebus festis recipere possint et missam applicare pro benefactoribus 'translata tamen ad aliam diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo; proindeque in memorata constitutione *Cum semper etc.* Episcopis facultatem tribuit dispensandi cum parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, *ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipsis sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant, dummodo ad necessariam populi communitatem in ipsa ecclesia parochiali celebrent ea tamen adjecta conditione, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.*

Haec adnotanda erant quoad onus parochis inhaerens applicandi missam pro populo, praecisius tamen ad rem, de qua agitur, nonnulla adhuc animadvertenda supersunt. Non defuere olim theologi et canonistae, qui, licet incruenti sacrificii fructum quoad effectum et, ut ajunt, *in actu secundo* finitum esse professi fuerint, nihilominus existimarunt, quod pluribus applicari posset et singulis omnibus aeque prodesset ac si uni tantum applicatum. Hinc arguebant, licere post acceptam a pluribus eleemosynam omnibus satisfacere per unicum sacrificium, nominatim et expresse applicatum pro singulis, qui eleemosynam tradiderant. Viden. *Fagnan. in cap. Fraternitatem de sepulturis.* Alii vero considerantes triplicem sacrificii fructum, ut apud *Sot. de just. et jur. lib. 3. quaest. 2. art. 2, Cordub. lib. 1. quaest. 3. notat. 4, Navarr. cap. 24. num. 92, Card. Bonna in tract. ascetic. de sacrif. miss. cap. 1. §. 4,* nempe *generalem* seu ut ajunt *generalissimum*, qui in universam redundat ecclesiam et cujus omnes fideles participes fiunt; alium vero *medium* seu *specialem*, de quo illi participant, pro quibus nominatim offertur; tertium denique *personalis*, qui ab aliquibus *specialissimus* dicitur, et de quo ipse sacerdos particeps evadit; admissa hac triplici distinctione affirmare non dubitarunt, tertium hunc fructum *specialissimum* cedi et a sacerdote offerente alteri renuntiari posse et pro hujusmodi cessione et renuntiatione novam eleemosynam a sacerdote percipi.

Has porro sententias, quas san. mem. Benedictus XIV. in opere de *synod. dioeces. lib. 5. cap. 9. num. 4.* subdolas artes appellat, unice ab avaritia excogitatas, et quae a saeculo XIII. in ecclesiam irrepserant, rejecit abrogavitque concilium Lambethense celebratum anno 1281 *apud Harduinum tom. 7. collect. 862. decernen. cap. 2.* in hunc modum: *Nec credat celebrans, se dicendo missam unam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promisit specialiter et in solidum celebrare . . . . Absit enim, ne a quoquam catholico credatur, tantum intentione prodesse missam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forsan dicitur, quantum si mille missae pro eis devotione simili canerentur. Licet ipsum sacrificium, quod est Christus, sit infinitae virtutis, non tamen in sacrificio suae immensitatis summa plenitudinem operatur, alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret nisi unam missam dicere. Operatur enim in hujusmodi mysteriis distributione certa suae plenitudinis, quam ipse eisdem lege infatibili alligavit.* Nihilominus initio etiam saeculi XVI. pravas hujusmodi opiniones nondum fuisse eliminatas constat ex Norimbergensi Germanorum Principum conventu, qui apud Adrianum VI. conquestus est, quod *sacerdotes unius diei missas, ad quas fundationis seu annuae recordationis jure celebrandas obligantur, non semel sed quater, quinquies pluriesque venundant unaque missa duabus, tribus aut pluribus ecclesiasticis beneficiis satisfacere praesumunt.*

Potentiori igitur opus fuit remedio ad hanc corruptelam eradicandam illudque opportune praestitit san. memor. Urbanus VIII., dum anno 1625 approbavit decreta a sancta Congregatione concilii edita, quorum unum numero III. his verbis conceptum erat: Sacra Congregatio *sub obtestatione divini judicis mandat ac praecipit ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerunt, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quin immo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.* Alterum vero num. IV. ita fuerat expositum: Sacra Congregatio *revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis ecclesiasticis ac locis piis, tam saecularibus quam regularibus cujuscumque ordinis, congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum missarum et anniversariorum celebratione aut aliquibus collectis seu ordinationibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

Haec tamen omnia tanti non fuerunt

ponderis, ut impedirent, quominus laxae quaedam ea de re opiniones sensim irreperent; quas eadem s. Congregatio reprobavit et summi Pontifices postea damnarunt. Siquidem nonnulli auctores scriptis etiam typis traditis asseruerunt, sacerdoti missam pro alio recepta eleemosyna celebranti licitum esse eleemosynam quoque recipere ab altero cui applicet partem fructus seu valoris sacrificii ipsimet sacerdoti debitam, (nempe *specialem* aut *specialissimam*) et hunc casum non esse comprehensum sub decreto s. Congregationis concilii prohibente duplex pro unica missa stipendium recipi. Verum sacra Congregatio *die 25. Januarii 1659* approbante san. mem. Alexandro VII. declaravit: *Nulli sacerdoti licitum esse praefata ratione sive praetextu aliam eleemosynam accipere praeter illam quam accepit ab eo, pro quo missam offerre tenetur, ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis alias per eamdem s. Congregationem concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica missa excipiatur. Fagnan. loc. sup. cit. sub num. 96.*

Similiter eodem anno, referente pariter Fagnano, qui munere secretarii s. Congregationis tunc fungebatur, *loc. cit. sub num. 97.* Auctores aliqui animadvertentes fructum *medium* sacrificii, de quo potest sacerdos pro libito disponere, dividi in *satisfactorium* et *impetratorium*, in ea fuerunt sententia, ut si aliquis sacerdoti daret eleemosynam pro applicatione fructus *satisfactorii* et alius daret eleemosynam pro applicatione fructus *impetratorii*, posset sacerdos unica missa satisfacere utrique obligationi applicando cuilibet fructum petitum. Propositum autem fuit dubium: *An sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione missae ex. gr. pro defuncto et sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium, et aliud stipendium pro celebratione missae ex. gr. pro infirmo et sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium, possit unica missa utrique obligationi satisfacere applicando defuncto satisfactorium et infirmo impetratorium et an in hoc casu locum habeat decretum s. Congregationis concilii de celebr. miss.?*

S. Congregatio die 13. Decembris 1659 respondit ad primam partem: *Non posse satisfacere;* quo vero ad secundam: *Habere locum.*

Hinc inter propositiones ab Alexandro VII. die 20. Septembris anni 1665 damnatas haec recensetur, nimirum VIII: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite recipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentis, idque post decretum Urbani VIII.* Ac praeterea alia X: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam in juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Quoniam vero priora s. Congregationis decreta loquebantur de sacerdotibus accipientibus eleemosynas manuales, non autem explicite de obtinentibus beneficia ecclesiastica, idcirco inter caetera dubia super iisdem decretis excitata quaesitum fuit:

An sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellaniae, legati aut salarii, possunt etiam manualem eleemosynam pro missis votivis aut defunctorum recipere et unicae missae sacrificio utrique oneri satisfacere? Et s. Congregatio in responsionibus ad dubia, quas san. mem. Innocent. XII. adprobavit, respondit: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellaniae, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem missa utrique obligationi satisfacere.*

Hisce praemissis dissimulandum non est autores, qui scripserunt ante vulgatissimam Benedicti XIV. constitutionem: *Cum semper oblatas*, sententiam pro parochis fuisse amplexos. Hos inter recensere liceat *Franciscum Sylvium in 3. part. d. Thomae qu. 83. art. 1. quaest. 17*, ubi quaerit: utrum, qui pro pluribus celebrare debet, satisfaciat celebrando *unam missam pro omnibus*, atque haec habet inter caetera: *Quamvis autem parochus obligatus sit celebrare pro suo populo dominicis praesertim et festis diebus, non videtur tamen illicitum, si aliquando stipendium accipiat ab uno particulari, qui pro se cupit celebrari. Nec obstat, quod a populo sive ex decimis sive aliunde alatur.*

Parocho enim debentur proventus pastorales non precise, ut celebrent ad intentionem populi, sed ratione totius officii pastoralis. Tenetur quidem omnibus festis et dominicis missam in ecclesia parochiali facere, sed aliud est teneri ad eam dicendam, ut parochiani illam

mosynam diebus festis recipere possint et missam applicare pro benefactoribus 'translata tamen ad aliam diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo; proindeque in memorata constitutione *Cum semper etc.* Episcopis facultatem tribuit dispensandi cum parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, *ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipsis sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant, dummodo ad necessariam populi communitatem in ipsa ecclesia parochiali celebrent ea tamen adjecta conditione, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.*

Haec adnotanda erant quoad onus parochis inhaerens applicandi missam pro populo, praecisius tamen ad rem, de qua agitur, nonnulla adhuc animadvertenda supersunt. Non defuere olim theologi et canonistae, qui, licet incruenti sacrificii fructum quoad effectum et, ut ajunt, *in actu secundo* finitum esse professi fuerint, nihilominus existimarunt, quod pluribus applicari posset et singulis omnibus aeque prodesset ac si uni tantum applicatum. Hinc arguebant, licere post acceptam a pluribus eleemosynam omnibus satisfacere per unicum sacrificium, nominatim et expresse applicatum pro singulis, qui eleemosynam tradiderant. Viden. *Fagnan. in cap. Fraternitatem de sepulturis.* Alii vero considerantes triplicem sacrificii fructum, ut apud *Sot. de just. et jur. lib. 3. quaest. 2. art. 2*, *Cordub. lib. 1. quaest. 3. notat. 4*, *Navarr. cap. 24. num. 92*, *Card. Bonna in tract. ascetic. de sacrif. miss. cap. 1. §. 4*, nempe *generalem* seu ut ajunt *generalissimum*, qui in universam redundat ecclesiam et cujus omnes fideles participes fiunt; alium vero *medium* seu *specialem*, de quo illi participant, pro quibus nominatim offertur; tertium denique *personalis*, qui ab aliquibus *specialissimus* dicitur, et de quo ipse sacerdos particeps evadit; admissa hac triplici distinctione affirmare non dubitarunt, tertium hunc fructum *specialissimum* cedi et a sacerdote offerente alteri renuntiari posse et pro hujusmodi cessione et renuntiatione novam eleemosynam a sacerdote percipi.

Has porro sententias, quas san. mem. Benedictus XIV. in opere de *synod. dioeces. lib. 5. cap. 9. num. 4.* subdolas artes appellat, unice ab avaritia excogitatas, et quae a saeculo XIII. in ecclesiam irrepserant, rejecit abrogavitque concilium Lambethense celebratum anno 1281 *apud Harduinum tom. 7. collect. 862. decernen. cap. 2.* in hunc modum: *Nec credat celebrans, se dicendo missam unam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promisit specialiter et in solidum celebrare . . . . Absit enim, ne a quoquam catholico credatur, tantum intentione prodesse missam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forsan dicitur, quantum si mille missae pro eis devotione simili canerentur. Licet ipsum sacrificium, quod est Christus, sit infinitae virtutis, non tamen in sacrificio suae immensitatis summa plenitudinem operatur, alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret nisi unam missam dicere. Operatur enim in hujusmodi mysteriis distributione certa suae plenitudinis, quam ipse eisdem lege infatibili alligavit.* Nihilominus initio etiam saeculi XVI. pravas hujusmodi opiniones nondum fuisse eliminatas constat ex Norimbergensi Germanorum Principum conventu, qui apud Adrianum VI. conquestus est, quod *sacerdotes unius diei missas, ad quas fundationis seu annuae recordationis jure celebrandas obligantur, non semel sed quater, quinquies pluriesque venundant unaque missa duabus, tribus aut pluribus ecclesiasticis beneficiis satisfacere praesumunt.*

Potentiori igitur opus fuit remedio ad hanc corruptelam eradicandam illudque opportune praestitit san. memor. Urbanus VIII., dum anno 1625 approbavit decreta a sancta Congregatione concilii edita, quorum unum numero III. his verbis conceptum erat: Sacra Congregatio *sub obtestatione divini judicis mandat ac praecipit ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerunt, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quin immo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.* Alterum vero num. IV. ita fuerat expositum: Sacra Congregatio *revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis ecclesiasticis ac locis piis, tam saecularibus quam regularibus cujuscumque ordinis, congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum missarum et anniversariorum celebratione aut aliquibus collectis seu ordinationibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

Haec tamen omnia tanti non fuerunt

Attenta vero bona fide absolutio quoad praeteritum deneganda non videtur, ceu hisce in casibus in more habet s. Congregatio.

Hisce itaque aliisque momentis rationum, quas Episcopus in sua relatione exponit, perpensis definire rogantur EE. PP. proposita ab eodem Episcopo

Dubia.

I. *An parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante redditumm exiguitate in casu etc.?*

II. *An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu etc.?*

III. *An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur in casu etc.?*

Et quatenus affirmative ad I., II. et III.

IV. *An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius missae liberam habeant applicationem et stipendium pro ea recipere valeant in casu etc.?*

V. *An et quomodo idem concedendum sit sacerdotibus curam animarum non habentibus quoad utramque missam in casu etc.?*

VI. *An et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum in casu etc.?*

S. Congregatio ad supradicta dubia rescripsit

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad III: Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad IV: Negative et Episcopus provideat ad formam constitutionis Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas §. 8.*

Ad V: Provisum in tertio.

Ad VI: Celebrata unica missa ab unoquoque affirmative, facto verbo cum SSmo.

Die 25. Septbr. 1858.

(Anal. I. P. 1860 p. 1350.)

Treviren.

Episcopus Trevirensis sequentia exponit: »Sacra Congregatio Concilii Tridentini decreto 25. Septembr. 1858 edito*) declaravit: »Non licere sacerdoti, qui binam eadem die dicit missam, eleemosynam seu stipendium accipere pro secunda missa.« Qua de re sequentia proponuntur dubia dirimenda.

In multis dioecesis nostrae parochiis existunt fundationes, quae vulgo primissariae vocantur (beneficia et simplicia et curata), quibus provisum est ut dominicis diebus et festis praeter quasdam ferias Sacrum celebretur matutinum. Ejusmodi vero fundationes ob exiguitatem redditui et penuriam sacerdotum plerumque proprio carent sacerdote. Ut autem menti fundatorum, quantum fieri potest, satisfiat, parochi, obtenta binandi facultate, diebus dominicis et festis binam dicunt missam, Sacrum matutinale et Sacrum summum pro populo et in utroque Sacro traditur homilia sive instructio catechetica, pro quo peculiari labore sive industria parochi hucusque ex ejusmodi fundationibus certam percipiunt remunerationem. Sunt et alii parochi, qui diebus dominicis et festis binam dicunt missam, partim in ecclesiis parochialibus partim iu filialibus, quia necessitas moralis id exigit. Non pauci parochi ad ecclesias dissitas per vias asperas tempore aestus, frigoris et nivis tendunt, qui infra Sacrum simul tradunt doctrinam christianam.

Quaeritur igitur

I: *Utrum parochi, qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam dicunt missam et pro fundatoribus primissariarum applicant, salarium ex fundo primissariarum pro peculiari labore percipere possint?*

II. *Utrum parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis, sive in ecclesia parochiali sive filiali dissita, bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant?*

»In *Cameracen.***) *Missae pro populo diei 25. Septembris 1858*, ad quam appellat Episcopus, vetitum omnino deprehenditur parochis binandi facultate donatis pro secunda missa eleemosynam recipere, quamvis, quando paroecia una sit, ab ea pro populo applicanda eximantur. Id quidem pluries alibi decrevit

*) Vd. *supra in hac pagina.*
**) Vd. *p. 904.*

ejus gerunt, dicendum ob identitatem rationis. Hinc in cit. constitut.: *Cum semper oblatas* §: *Quum enim* cautum est, vicarios ecclesiarum parochialium, sive perpetui sint sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte teneri ad applicationem missae pro populo ipsorum curae commisso.

Saepe vero quaesitum fuit: num parochi duabus paroeciis unitis praepositi duplicem applicare sive per se sive per alios missam tenerentur. S. Congregatio autem constanter respondit, parochos hac obligatione minime solutos esse, excepto casu unionis plenariae et extinctivae, ceu formiter discusso articulo declaravit in *Lucen. Applicat. miss. pro populo 11. Martii 1774.* Proposito enim dubio: *An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alios applicare pro populo in casu?*

Responsum prodiit:

Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva et scribatur Episcopo juxta instructionem.

In hac autem instructione sacra Congregatio Episcopum certiorem faciendum esse putavit, se numquam dubitasse, »quod parochi teneantur applicationi supradictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae sunt atque incorporatae; cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochis, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit.« Nec aliter ad hujus doctrinae tramites judicavit in causa *Oveten. Missae pro populo 18. Novembris 1826 ad I. dubium.*

Ad rem de qua agitur facit s. Congregationis decretum nuper editum in *causa Mindonien. Applicat. missae pro populo* proposita inter supplices libellos die 20. Julii 1854, in qua haec duo a parocho qui duas regebat paroecias proponebantur postulata:

I. *An parochi duabus pavoeciis praepositi suo muneri satisfaciunt applicatione solius missae dictis diebus pro suo grege existente in duabus paroeciis, quando isti tantum in una celebrent et alius sacerdos illud facit in altera, qui pro sua intentione applicat?*

II. *Si iidem parochi duplicem celebrando, scilicet in utraque, ut accidit ubi non est alius sacerdos qui pro eis celebret, in una earum poterunt unam applicare pro duobus nonnullis sibi commissis et aliam ad libitum eorum?*«

Sacra autem Congregatio, praevia quoad praeteritas omissiones condonatione et absolntione, censuit:

»Quoad futurum parochum oratorem teneri, donec non constet de omnimoda unione utriusque paroeciae, ad applicationem duplicis missae sive per se sive per alium, necnon teneri ad eamdem applicationem eos sacerdotes, qui vices parochi absentis vel infirmi gerant.«

Ubi itaque parochus duplicem distinctam regat paroeciam atque adeo duplicem parochialem missam celebrare teneatur, videretur pro neutra eleemosynam posse recipere. Difficultas vero in eo est quando nimirum agatur de una tantum paroecia vel de duabus paroeciis unione plenaria et extinctiva conjunctis. Nihilominus etiam in hoc casu s. Congregationis ea mens fuisse constanter videtur, quod parochus binandi facultate auctus nec pro secunda missa, quidquid de applicatione censendum sit, eleemosynam lucrari queat. Ita in *Vintimilien. 19. Dec. 1835,* cum ageretur de concedenda facultate binandi parocho, qui uni praeerat paroeciae, ad dubium:

An sit consulendum SSmo pro concessione petiti indulti in casu?

Respondit:

Affirmative ad decennium, ita tamen ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda missa.«

Quatenus itaque de obligatione in casu gratuitae (etiam quoad ceteros sacerdotes curam animarum non habentes) celebrationis vel applicationis constet, decernendum erit, num sive cum ceteris sacerdotibus dispensandum sit, ut in posterum illi secundae, isti (quos primam saltem missam applicare debere videtur supponere Episcopus) utriusque missae liberam habeant applicationem et eleemosynam habita praesertim ratione indigentiae percipere queant. Cui quidem rei quoad parochos provisum fuit in citata constitutione Benedictina: *Cum semper oblatas,* in qua ad consulendum parochorum inopiae conceditur facultas Episcopis dispensandi cum parochis, ut diebus festis eleemosynam recipere possint et missam applicare pro benefactore, translata ad alium diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo.

Attenta vero bona fide absolutio quoad praeteritum deneganda non videtur, ceu hisce in casibus in more habet s. Congregatio.

Hisce itaque aliisque momentis rationum, quas Episcopus in sua relatione exponit, perpensis definire rogantur EE. PP. proposita ab eodem Episcopo

Dubia.

1. *An parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante redditnum exiguitate in casu etc.?*

II. *An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu etc.?*

III. *An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur in casu etc.?*

Et quatenus affirmative ad I., II. et III.

IV. *An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius missae liberam habeant applicationem et stipendium pro ea recipere valeant in casu etc.?*

V. *An et quomodo idem concedendum sit sacerdotibus curam animarum non habentibus quoad utramque missam in casu etc.?*

VI. *An et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum in casu etc.?*

S. Congregatio ad supradicta dubia rescripsit

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad III: Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad IV: Negative et Episcopus provideat ad formam constitutionis Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas* §. *8.*

Ad V: Provisum in tertio.

Ad VI: Celebrata unica missa ab unoquoque affirmative, facto verbo cum SSmo.

Die 25. Septbr. 1858.
(Anal. I. P. 1860 p. 1350.)

Treviren.

Episcopus Trevirensis sequentia exponit: »Sacra Congregatio Concilii Tridentini decreto 25. Septembr. 1858 edito*) declaravit: »Non licere sacerdoti, qui binam eadem die dicit missam, eleemosynam seu stipendium accipere pro secunda missa.« Qua de re sequentia proponuntur dubia dirimenda.

In multis dioecesis nostrae parochiis existunt fundationes, quae vulgo primissariae vocantur (beneficia et simplicia et curata), quibus provisum est ut dominicis diebus et festis praeter quasdam ferias Sacrum celebretur matutinum. Ejusmodi vero fundationes ob exiguitatem redditnum et penuriam sacerdotum plerumque proprio carent sacerdote. Ut autem menti fundatorum, quantum fieri potest, satisfiat, parochi, obtenta binandi facultate, diebus dominicis et festis binam dicunt missam, Sacrum matutinale et Sacrum summum pro populo et in utroque Sacro traditur homilia sive instructio catechetica, pro quo peculiari labore sive industria parochi hucusque ex ejusmodi fundationibus certam percipiunt remunerationem. Sunt et alii parochi, qui diebus dominicis et festis binam dicunt missam, partim in ecclesiis parochialibus partim in filialibus, quia necessitas moralis id exigit. Non pauci parochi ad ecclesias dissitas per vias asperas tempore aestus, frigoris et nivis tendunt, qui infra Sacrum simul tradunt doctrinam christianam.

Quaeritur igitur

I: *Utrum parochi, qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam dicunt missam et pro fundatoribus primissariarum applicant, salarium ex fundo primissariarum pro peculiari labore percipere possint?*

II. *Utrum parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis, sive in ecclesia parochiali sive filiali dissita, bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant?*

»In *Cameracen.***) *Missae pro populo diei 25. Septembris 1858,* ad quam appellat Episcopus, vetitum omnino deprehenditur parochis binandi facultate donatis pro secunda missa eleemosynam recipere, quamvis, quando paroecia una sit, ab ea pro populo applicanda eximantur. Id quidem pluries alibi decrevit

*) Vd. *supra in hac pagina.*
**) Vd. *p. 904.*

ejus gerunt, dicendum ob identitatem rationis. Hinc in cit. constitut.: *Cum semper oblatas* §: *Quum enim* cautum est, vicarios ecclesiarum parochialium, sive perpetui sint sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte teneri ad applicationem missae pro populo ipsorum curae commisso.

Saepe vero quaesitum fuit: num parochi duabus paroeciis unitis praepositi duplicem applicare sive per se sive per alios missam tenerentur. S. Congregatio autem constanter respondit, parochos hac obligatione minime solutos esse, excepto casu unionis plenariae et extinctivae, ceu formiter discusso articulo declaravit in *Lucen. Applicat. miss. pro populo 11. Martii 1774.* Proposito enim dubio: *An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alios applicare pro populo in casu?*

Responsum prodiit:

Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva et scribatur Episcopo juxta instructionem.

In hac autem instructione sacra Congregatio Episcopum certiorem faciendum esse putavit, se numquam dubitasse, »quod parochi teneantur applicationi supradictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae sunt atque incorporatae; cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochis, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit.« Nec aliter ad hujus doctrinae tramites judicavit in causa *Oveten. Missae pro populo 18. Novembris 1826 ad I. dubium.*

Ad rem de qua agitur facit s. Congregationis decretum nuper editum in *causa Mindonien. Applicat. missae pro populo* proposita inter supplices libellos die 20. Julii 1854, in qua haec duo a parocho qui duas regebat paroecias proponebantur postulata:

I. *An parochi duabus pavoeciis praepositi suo muneri satisfaciunt applicatione solius missae dictis diebus pro suo grege existente in duabus paroeciis, quando isti tantum in una celebrent et alius sacerdos illud facit in altera, qui pro sua intentione applicat?*

II. *Si iidem parochi duplicem celebrando, scilicet in utraque, ut accidit ubi non est alius sacerdos qui pro eis celebret, in una earum poterunt unam applicare pro duobus nonnullis sibi commissis et aliam ad libitum eorum?«*

Sacra autem Congregatio, praevia quoad praeteritas omissiones condonatione et absolutione, censuit:

»Quoad futurum parochum oratorem teneri, donec non constet de omnimoda unione utriusque paroeciae, ad applicationem duplicis missae sive per se sive per alium, necnon teneri ad eamdem applicationem eos sacerdotes, qui vices parochi absentis vel infirmi gerant.«

Ubi itaque parochus duplicem distinctam regat paroeciam atque adeo duplicem parochialem missam celebrare teneatur, videretur pro neutra eleemosynam posse recipere. Difficultas vero in eo est quando nimirum agatur de una tantum paroecia vel de duabus paroeciis unione plenaria et extinctiva conjunctis. Nihilominus etiam in hoc casu s. Congregationis ea mens fuisse constanter videtur, quod parochus binandi facultate auctus nec pro secunda missa, quidquid de applicatione censendum sit, eleemosynam lucrari queat. Ita in *Vintimilien. 19. Dec. 1835,* cum ageretur de concedenda facultate binandi parocho, qui uni praeerat paroeciae, ad dubium:

An sit consulendum SSmo pro concessione petiti indulti in casu?

Respondit:

Affirmative ad decennium, ita tamen ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda missa.«

Quatenus itaque de obligatione in casu gratuitae (etiam quoad ceteros sacerdotes curam animarum non habentes) celebrationis vel applicationis constet, decernendum erit, num sive cum ceteris sacerdotibus dispensandum sit, ut in posterum illi secundae, isti (quos primam saltem missam applicare debere videtur supponere Episcopus) utriusque missae liberam habeant applicationem et eleemosynam habita praesertim ratione indigentiae percipere queant. Cui quidem rei quoad parochos provisum fuit in citata constitutione Benedictina: *Cum semper oblatas,* in qua ad consulendum parochorum inopiae conceditur facultas Episcopis dispensandi cum parochis, ut diebus festis eleemosynam recipere possint et missam applicare pro benefactore, translata ad alium diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo.

in dominicis festisque pro populo applicet. Iterum igitur S. C. R. de sententia requisita, in ordinariis comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata, post auditam a Secretario fidelem relationem ac maturum omnium examen, rescribendum censuit: »Responsionem datam die 27. Februarii 1847 intelligendam esse quoad missam solemnem, de qua quaerebatur; nam proprius ad casum, non obstantibus alias decretis et in facto declaratis, rescribere rata est: Posse quemlibet parochum, accedente justa et legitima causa, adimplementum missae pro populo applicandae alii sacerdoti committere seu per alium sacerdotem hanc missam celebrare facere.«

Atque ita rescripsit S. R. C.

Die 22. Julii 1848.

V. Munus personale est.

Vd. *Stipendium pro missa pro populo; Applicat. missae pro populo* (obligat. non est vicarii perpetui decr.: *Tyburtina*; per substitutum;) *p. 915. II. V.; p. 918; 922.*

Applicationem sacrificii est munus personale, quod parochus per se obire debeat.

Nam sicuti unicuique presbytero injungitur in *Levitic. IX.*: »Accede ad altare et immola pro peccato tuo, offer holocaustum et ora pro te et populo« ita parochus tamquam »omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut dona offerat et sacrificia pro peccatis,« ut apostolus scribit ad *Hebr. V.* Ut igitur omnes presbyteri quoad populum, ita parochus quoad gregem sibi commissum mediatoris munus inter Deum et populum sive gregem assumit. Quare si in iis diebus, in quibus de praecepto divino offerre debet sacrificium, id faceret per alios, muneri certe sacerdotali et officio mediatoris non faceret satis, cum ejus personae haec inhaereant. Hoc autem interest inter applicationem missae pro populo et cetera munia pastoralia, ut in his scilicet praedicatione et sacramentorum administratione satis sit ut populus effectum consequatur, sive illa munera per parochum sive per alios exerceantur, in oblatione vero sacrificii nedum spectatur effectus sed implendum quoque est mediatoris munus, quod per alios adimpleri non potest, ut docet *Thom. Hurtad. tom. 1. resolut. moral. tract. I. cap. 3, resolut. 6. num. 30, Sanchez. in select. de sacrament. discut. 47, Diana. tractat. 4. part. 3. resol. 156, Pasqualig. de sacrific. missae tom. 2. quaest. 855. per tot.* Reque vera hanc thesim probavit etiam haec Congregatio sacra in *Fesulana Missae parochialis 26. Januarii 1771,* in qua proposito dubio:

An parochi applicationi missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem?

rescriptum fuit:

Negative.

Applicatio missae pro populo injungitur iis, quibus animarum cura commissa est et ratione muneris a parochis est implenda, non bonorum, quae possident, ut docet *Monacell. tom. 4. in supplem. ad tom. 7. num. 3.* et saepius definivit sac. Congregatio praecipue in *Ferentina 15. Martii 1735.*

Die 21. Novb. 1801. *Tiburtina.*

Missas pro populo parochus applicare tenetur non reddituum causa, sed ratione officii, *Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de reformat., Benedict. XIV. in constitut.: Cum semper oblatas**) §. *4. et 5,* et *Synod. dioeces. cap. final. num. 4 et seqq., Ferrar. verb.: Missae sacrificium artic. 4. num. 8, Clericat. discord. forens. 29. de benefic. num. 43.* et haec sacra Congregatio in *Neocastren. Missae pro populo ad I. dubium 16. Januarii 1771.*

Die 20. Mart. 1790. *Senogallien.*

VI. Obligatio beneficiatorum curam animarum exercentium.

Vd. *Applicatio missae pro populo* (oblig. eorum, qui curam etc. *p. 896;* oblig. parochor. collegii.); *p. 917.* §. *Quaerit; p. 918* §. *Forte; p. 921; 924.*

Calaguritana.

Cura animarum territorii Oconiensis habitu residens penes Episcopum Calaguritanum exercetur in ejusdem territorii oppidanis a clero Oconiensi, qui viginti tribus constat beneficiatis, quorum quinque in ecclesia matrice Oconiensi resident, tres in pago Correra, duo in quolibet ex sex pagis s. Luciae, Galileae, Redal, Pipaona, Molini et Adealobor, ac reliqui tres in tribus pagis Otervolo, Ruedas et sancti Juliani. Massa unica est omnium beneficiatorum, de qua tamen non aeque omnes participant: nam decem beneficia sunt integrae portionis, quorum redditus est scutorum roman. 107: alia sunt dimidiae portionis annui redditus scutor. roman. 40: alia vero quinque quartae portionis vix annui

*) Vd. *p. 695.*

redditus 14, ut ex Episcopi relatione datum habente diei 8. Januarii 1767.

Idem clerus Oconiensis anno 1711 statuit »che nei luoghi, ove sono due gl' inservienti, siano obbligati a dir messa pro populo tutti i giorni dell' anno, e nei tre luoghi di Otervolo, Ruedas, e s. Giuliano, ove non vi è più di un' inserviente soltanto, sono obbligati a dir messa pro populo tutte le domeniche e feste di precetto, e due giorni la settimana, talchè viene ad essere obbligato ciascuno dei tre inservienti a dir tre messe pro populo ogni settimana.« Hanc autem ordinationem ut nimis gravem ob inopiam reddituum sentientes beneficiati supplicarunt pro reductione applicationis ad solos dies festos dominicos ad formam notissimae Benedictinae constitutionis incipien. *Cum semper 19. Augusti 1744.*)*

Praepositis beneficiatorum precibus in Congregatione diei 15. Januarii proxime elapsi injunctum est Episcopo »ut distincte referret, quaenam in singulis pagis fiat distributio presbyterorum et an pro numero et necessitate animarum eisdem pagis assignentur, an primae, secundae et tertiae portionis presbyterorum assignatio promiscue fiat, an perpetuo pagis remaneant addicti vel potius per vices invicem succedant. Quique ac super re fuerit antiquus mos, quique in praesens servetur. Praeterea an magis e re foret vel pro qualitate pagorum, vel potius ipsos presbyteros pro modo tamen reddituum majori aut minori onere applicationis missae pro populo praegravare, ita quidem, ut pagis ipsis aeque ac presbyteris provisum consultumque remaneat.«

Retulit Episcopus: Territorium Oconiense unum populum unamque parochiam constituere. Beneficiatos omnes unicum pariter corpus ac clerum praeseferre: de unica massa omnes participes esse: singulis pagis attenta necessitate animarum deputari: non perpetuo uni ex pagis addictos esse, sed invicem optione succedere, hinc censet tum ad formam Benedictinae constitutionis tum synodalis legis eos tantum teneri ad unicam missam quotidianam pro populo nimisque gravari per quotidianam in singulis pagis, eo ipso ac omnes conjunctim unum populum unamque parochiam tantum constituunt, ut ex ejusdem relatione, quae inter monumenta causae habetur.

*) Vd *p. 695.*

Nunc itaque clerus supplicat, ut onus missarum pro populo reducatur ad unam tantum quotidianam, turmatim implendam in tota parochia undecim pagis composita. Id consonum esse justitiae, cum una tantum parochia sit unusqe populus, unde nonnisi ad unicam quotidianam missam cogi possint: id etiam aequitatem suggerere, ob tam modicos beneficiatorum fructus impares ad implendum onus statuto anni 1711 nulliter absque apostolica confirmatione injunctum. In caeteris demum se refert ad praeterita distributa monumenta, quae late recensentur in folio diei 12. Decembris 1767.

De onere applicandi missam pro populo, de vi ac mente Benedictinae constitutionis plura habentur in dicto folio 12. Decembris 1767: Advertendum tamen nunc, adhuc ignotum esse: an beneficiati vel pro oppidis, quibus unus tantum residet, vel pro aliis, quibus duo curam exercent, designati sint integrae portionis vel dimidiae vel quartae ac proinde adhuc incerta est necessitas reducendi, causa inopiae reddituum, onus statuti tam diu servatum ac acceptatum. Ponderandum: An diviso animarum exercitio in singulos pagos beneficiati in his curam animarum exercentes teneantur singuli missam pro populo applicare, licet omnes pagi simul sumpti unum populum unamqe parochiam constituant. Singuli enim beneficiati distinctae suae gregis curam habent onusque missae pro populo non solis parochis *sed omnibus, quibus animarum cura commissa est,* injungitur a Concilio Tridentino *sess. 23. cap. I.* Demum perpendendum, quanti momenti sic hac in re, saltem in linea interpretativa, statutum anni 1711, quo non unica missa in tota parochia, sed singulis pagis missa pro populo injuncta fuit. Iterum ergo proponitur definiendum:

An et quomodo sit locus reductioni applicationis missae pro populo in casu?

S. C. resp.: Applicatis duabus missis quotidianis in ecclesia Oconii necnon una quotidiana in pago Corerii pro gratia reductionis ad unam pro diebus festivis et dominicis in quolibet ex caeteris pagis, collatis tamen suffragiis in unum pro toto populo, facto verbo cum SSmo et detracta eleemosyna pro omnibus missis applicandis ex massa communi.

Die 26. Novembris 1768 et 14. Januarii 1769.

Verulana.

Vetustissima prope Taerricem exurgit ecclesia Apostolorum Principi dicata, in eaque septem extant ecclesiastica beneficia, quorum primum archipresbyteratus titulo insignitum et animarum cura gravatum. Archipresbytero ac reliquis beneficiatis a tempore, quod hominum vincit memoriam, onus imminet sive per se sive per substitutum festis diebus canendi vesperas, Archipresbytero missam solemnem celebranti inserviendi, completorium in feriis quadragesimae cantu absolvendi nonnullasque alias peragendi sacras functiones, ac etiam missam pro populo dominicis aliisque festis diebus in orbem applicandi. Nemo certa ac peculiari olim praeditus erat praebenda, sed una ac eadem erat omnium mensa atque ex ea desumi consueverat quidquid necesse foret pro implendis missarum legatis, pro sacris obeundis functionibus et pro tuenda ecclesia; reliqui autem bonorum fructus ita dividebantur, ut singulis beneficiatis aequa et Archipresbytero dupla obtingeret portio. Sed anno 1814 quum Archipresbyter et beneficiati inter se, nulla Sedis apostolicae aut Episcopi impetrata venia, ecclesiae bona distribuerint ac peculiares constituerint praebendas, factum est ut beneficiati ab antiquo et immemorabili desciverint instituto et lucrum quidem omne amplectantur, onus autem eidem adnexum omnino respuant. Quare neque per se neque per substitutos nunc missam pro populo celebrant, punctationi amplius non subjiciuntur, qui sacris absunt functionibus, languet divinus cultus et reliqua onera, quae communi agebantur impensa, interea negliguntur. Aegro id patitur animo hodiernus Archipresbyter Aloysius Ciccolini et sacri hujus concessus auctoritatem implorat, ut omnia in antiquum statum restituantur; cumque ipse unus jam inde ab anno 1824 missam pro populo applicaverit, postulat insuper ut eleemosynae missarum, quas ipse eorum loco obtulit, sibi a beneficiatis persolvantur.

Quae hactenus narravi, tum ex Archipresbyteri precibus tum ex Episcopi informatione depromsi. Postremus haec insuper addit: »Ut executioni mandarentur ea, quae imperastis, Emmi Patres; per publicam notificationem in sacristia ecclesiae s. Petri terrae Turricis affixam monui omnes et singulos beneficiatos dictae ecclesiae, ut in scriptis suam intra mensem ad me deferrent sententiam. Nullus tamen usque adhuc ex beneficiatis comparuit.«

Unusquisque ex beneficiatis habet annuum redditum scutatorum sexaginta circiter. De divisione massae communis conquestus sum beneficiatis, quoties in eam terram accessi sacrae visitationis causa, tum quia arbitrie sese gesserunt tum quia, quod pejus est, nullam partem assignarunt pro manutentione ecclesiae ac sacristiae aliisque expensis cujuslibet generis, ad quas communiter tenebantur: ex quo fit, ut ecclesia et sacristia, populo admirante et obtrectante, etiam necessariis destituta conspiciatur. Et cum in ultima visitatione beneficiatos praesentes adducere nequiverim ad denuo excitandam massam communem, suggessi hodierno Archipresbytero eam reclamanti, audientibus ipsis beneficiatis, ut ad istum sacrum senatum deferret.

Orator Archipresbyter bonum imo optimum habet jus reclamandi de massa communi sublata et de omissione celebrationis missarum pro populo. Quare cum hasce missas de meo mandato idem Archipresbyter celebraverit, ex quo iidem beneficiati ejusmodi onus omiserint, obligandi sunt ad subministrandas eidem Archipresbytero eleemosynas respondentes missis celebratis et ad compensandas quascumque alias expensas factas usque nunc a solo Archipresbytero.«

Quaestio quidem viget inter canonistas: utrum clericis ejusdem ecclesiae liceat proprio marte inire pactionem super modo gaudendi fructibus et emolumentis communis mensae; nam, etsi absque Sedis apostolicae venia ecclesiasticorum bonorum vetita sit alienatio,*) *Extravag.: Ambitiosae de reb. eccl. non alien.*, attamen pactio illa nullam praeseferre videtur abdicationem ac translationem dominii ab uno corpore in alterum, *Card. de Luca de alien. disc. 54. num. 8, Card. Petra comment. ad constit. apost. tom. 5. pag. 438. n. 12.* Sed idem *Card. Petra loc. cit.* post *Gonzal. in decret. ad cap. 1. n. 5. de solut.* docet, ejusmodi pacta inter Capitulares inita successores afficere non posse, nisi summi Pontificis accesserit auctoritas. Quare sacra haec Congregatio communis mensae partitionem et peculiarium praebendarum attributionem modo confirmandam modo respuendam censuit, pro-

*) Vd. *p. 420.*

ut rerum ac temporum circumstantiae suggerere visae sunt. Exempla habentur in *Alatrina Mensae capitularis 28. Apr. 1827.* In themate cum dictis hujus sacri ordinis et monitioni Episcopi inobedientes se ostenderint beneficiati, penitus latet, quibus rationum momentis ipsi adducti fuerint, ut proprio marte communis mensae bona inter se partirentur. Illud vero certum exploratumque est, huic divisioni minime assensum suum praebere hodiernum Archipresbyterum illamque nec aequam nec ecclesiae utilem describi ab ipso Episcopo. Quare videant Emmi Patres quid sit decernendum.

Quod attinet ad missam pro populo, eam procul dubio Archipresbyterum et beneficiatos ab antiquissimis ad haec usque tempora et saltem ab anno 1724 vicissim celebrasse luculentèr elicitur ex libris ecclesiae et ex actis sacrarum visitationum nec ipsi inficiantur beneficiati. Attamen perpendendum est: utrum consuetudo sit juri consona seu potius repugnans nulliusque roboris. Missam nimirum pro populo applicare debent ii, quibus actualis animarum cura commissa est, ut sanxit *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.* et declaravit Bened. XIV. in notissima constitutione *Cum semper oblatas*)* verbis illis: *Mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, teneantur missam parochialem applicare pro populo ipsorum curae commisso.* Immo hoc munus adeo animarum curatoribus inhaeret, ut, nisi legitime impediantur, per se ipsos illud implere debeant, ut respondit *s. Congr. in Comen. Missae parochialis 11. Maji 1720 ad III. et V. dub.*, in *Fesulana Missae parochialis 26. Januarii 1771 ad II. dub.* et in *Castri Albi VV. ss. LL. 18. Julii 1789 ad II. dub.*, nec valeant ex consuetudine in beneficiatos ejusdem ecclesiae transferre, veluti eruitur ex *cit. Castri Albi ad I. dub.*, praesertim si consuetudo ex errore inoleverit. S. Congr. in *Tiburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801* §. *Neque.* Itaque si Archipresbytero s. Petri tanquam animarum curatori imminet onus applicandi missam pro populo suae tantum curae commisso, si hujusmodi ipsius parochi personae inhaeret, abusus et corruptela dicenda est inducta observantia ac propterea nihili facienda.

*) Vd. *p. 695.*

Animadvertit vero Archipresbyter et Episcopus, eam fuisse Tridentini Concilii ac Benedicti XIV. mentem, ut parochi, quavis contraria vel longissima non obstante consuetudine, pro suis quidem ovibus sacrificium offerrent; non autem mens fuit quamcumque abrogandi consuetudinem, qua animarum curam habitualem habentes aut alii ejusdem ecclesiae beneficiati missam pro populo parochi loco litarent. Et revera sacra haec Congregatio in *Camerinen. Missae pro populo 16. Decembris 1820* rogata:

An ad Vicarium, qui actualem gerebat animarum curam, seu potius ad Canonicos primae erectionis, qui habitualis tantum curae honore potiebantur, spectaret onus celebrationis missae pro populo?

responsum dedit:

Affirmative ad quatuor Canonicos primae erectionis ad formam erectionis. Jamvero animarum cura s. Petri Turricis *habitu* quidem residet penes universum illud capitulum (verba sunt Episcopi), actu vero penes solum Archipresbyterum. Haec autem mea opinio in duabus potissimum fundata est rationibus: prima quia exceptis juribus parochialibus, quae important *actu* exercitium curae animarum sive sacramentorum administrationem, reliqua jura parochialia, uti sunt jus sepulturae et jus decimarum, sunt communia tam Archipresbytero quam simplicibus beneficiatis. Est autem pro accidens, quod paucissimis abhinc annis decimae cessaverint omnino, populo eas amplius non subministrante. Semper tamen verum est, quod insit et inhaereat ipsis beneficiatis hoc decimarum jus, statim ac earum oblatio reviviscet. Secunda autem ratio est, quod beneficiati teneantur concurrere pro rata praeter alias etiam ad expensas necessarias pro administratione sacramentorum, uti pro fonte baptismalis, oleo sancto etc.« Hinc rem conficit idem Episcopus inquiens compellendos esse beneficiatos ad missam pro populo in orbem celebrandam et ad solvendam eleemosynam missarum, quas hactenus unus Archipresbyter, ne populus incruenti sacrificii oblatione fraudaretur, singulis diebus festis diligenter celebravit.

Postrema Archipresbyteri petitio, ut scilicet beneficiati neque per se neque per alios choro et sacris functionibus interessentes punctationi subjiciantur, aequa profecto

est ac juris dispositioni consentanea, sacra Congr. in *Melevitana Indulti 15. Decembris 1827 ad III. dub.* Hanc sane disciplinam saepius infringere conati sunt beneficiati eamque ob rem opus fuit, ut Verulani Antistites in sacra visitatione punctaturas statuerent, poenas indicerent in beneficiatos, si librum punctationum non emerent et in punctatores animadverterent, qui suo rite non fungerentur munere.

Hinc proponuntur dubia:

I. *An sit probanda bónorum divisio seu potius redintegranda massa communis in casu?*

II. *An beneficiati teneantur per turnum applicare missam pro populo in casu?*

Et quatenus affirmative,

III. *An beneficiati sint cogendi ad solvendas eleemosynas pro missis ab Archipresbytero celebratis in casu?*

IV. *An beneficiati choro et sacris functionibus non intervenientes sint punctaturis subjiciendi in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II: Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad III. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad IV. Affirmative, et Episcopus provideat ad formam Concilii Tridentini *sess. 21. cap. 3. de reform.* et ad mentem.

Die 21. Nov. et 12. Dec. 1829.

VII. Obligatio capellani expositi.

Vd. *Applic. missae pro pop.* (oblig. eorum, qui curam etc. p. 896; oblig. Vicarii etc.; oblig. coadjutorum parochorum p. 893); *p. 895 n. XIII; p. 917* §. *Quaerit; p. 921, 924.*

Portuen.

Qui late patet fundus sanctae Marinellae in dioecesi Portuensi mari adjacet novem lapidibus distans a Centum-Cellis. Ob non salubrem aerem vix decem perpetuo habitant. Ad tercentum aliquando crescunt, praesertim hyemali tempore, ex pastoribus et agri ejusdem cultoribus atque aliis, qui rusticae rei causa illuc veniunt, inde suos lares repetunt. Aediculam habebat olim sanctae Marinellae, in qua ex collectis eleemosynis Sacrum diebus festis agebatur.

Cl. mem. Cardinalis Franciscus senior Barbarinus novam excitavit parvam ecclesiam dicatam s. Josepho. In ea constituta postmodum fuit ex pietate Caroli Cardinalis Barberini perpetua capellania cum presbytero ad nutum removendo, qui inibi resideret et prius ab eminentissimo Episcopo Portuensi approbandus curam animarum exerceret. Sacratissima Eucharistia et oleum infirmorum in ecclesia servatur ac sacer fons pro baptismate est.

Tam Cardinalis Raynerius de Ilcio anno 1753 quam Cardinalis Camillus Paulutinus in sacra visitatione mandarunt capellano applicationem missae pro populo; quod Emmus Cardinalis Episcopus Fridericus Marcellus Lantes. summa, qua eminet, diligentia et studio religionis renovavit. Renuit capellanus, qui nunc petit declarari ad eam se non teneri.

Ait ecclesiam illam parochialem non esse. Non constare etenim de ejus erectione, uti deberet, auctoritate Ordinarii, sine qua nulla ecclesia parochialis efficitur; *cap.: Nullus 16. quaest. 7, Barbos. de off. et potest. paroch. part. 1. cap. 1. num. 30, Rosa de execut. lit. apost. part. 3. cap. 6. num. 43.*

Excludi hanc qualitatem tum ex ipsa conditione presbyteri, qui nutu possessoris sit removendus, *Fagnan. in cap.: Ex parte num. 16. de offic. vic., Pignatell. consult. 17. num. 40, Piton. disceptat. 108. num. 38*, tum ex voluntate expressa Cardinalis Caroli, qui voluit semper capellaniam mere laicam, nulli unquam in titulum dandam etiam pro patrimonio atque ipsum nomen beneficii ecclesiastici rejecit semper. *Dec. cons. 76. num. 3, Rot. in rec. decis. 408. n. 4. part. 13. et cor. Molin. decis. 78. n. 31*, tum demum quia deficit populus, *Barb. de paroch. part. 1. cap. 1. num. 19, Card. de Luca de paroch. disc. 23. num. 16.* Quapropter extranea esse contendit, quae pro veris parochis, qui populum habent, statuta sunt; nec proinde locum habere constitutionem Benedictinam*) de applicatione.

Itidem ex dispensatione fundatoris se onus habere applicandi missas 350 quolibet anno pro ejus familia et consanquineis. Voluntatem autem fundatoris, qui dotem integram de suo tribuit, ac legem datam in

*) Vd *p. 695.*

ipso *fundationis* limine licet juri contrariam servandam esse, *Vivian. de jurep. lib. 4. cap. 9. num. 56, Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 10. num. 4, Rot. coram Molin. decis. 859. num. 7.*

Ad haec, nullum ibi vel in vicinia esse sacerdotem. Arcessiri non posse ex finitimis oppidis, nisi maximo incommodo ac magno stipendio; ex quo redditus capellaniae adeo imminuerentur, ut difficillimum esset postea invenire, qui capellaniam loco ad valetudinem summe periculoso retineat, cui vitando malo prospexit pietas et largitas fundatoris.

Videnda integra est relatio eminentissimi Episcopi, qui vetera monumenta de ecclesia sanctae Marinellae et nova de ea s. Josephi ac legem fundationis refert expenditque diligenter, deinde addit: »Sola quippe perspecta fundatione capellaniae exploratum sit ejus rectorem sive possessorem effectum esse parochum in gerenda cura animarum consistentium intra fines totius dicti latifundii; reque ipsa eandem animarum curam exercere libere ac independenter a quolibet alio parocho; facile videri idcirco potest, stricto jure teneri ad applicationem missae pro populo, offerre scilicet sacrificium pro ovibus suis juxta censuram s. Concilii in *cap. 1. sess. 23. de reformat.* Tametsi parochus perpetuus non sit, sed amovibilis ex lege fundationis capellaniae neque ulla parochialia emolumenta percipiat, tamen non inde desinat curam animarum habere et veluti pastorem oves suas agnoscere.«

»Contra autem ex iis, quae proponuntur a capellano, haud leviter urgere valet, quod Cardinalis Barbarinus capellaniae fundator noluit eam instituere sub aliqua specie beneficii ecclesiastici, sed quidem sub expressa qualitate laicali, insimulque ad nutum patronorum amovilem, absque eo, quod ullo tempore ista qualitas immutari valeat etiam de ipsorum patronorum consensu, neque assignari alicui clerico pro suscipiendis sacris ordinibus.«

Quod et fortius ipsemet fundator stricte ita disposuit de applicatione quotidiana: »che tutte le messe, quali devono celebrare quotidianamente, le debbano applicare come secche, nempe in suffragium defunctorum familiae suae Barbarinae; e le rimanenti messe (quae sexdecim sunt pro complemento totius anni) potrà il medesimo capellano applicare a suo arbitrio.

Quoties igitur capellano imminet onus tum celebrandi per se ipsum quotidie tum applicandi fere quotidie, sibi esse impossibilis applicatio pro populo singulis diebus dominicis et festis de praecepto, nisi detrahantur applicationes enixe volitae a fundatore.

Nullus autem alius est inibi sacerdos, cui valeat delegari applicatio pro populo; idcirco eum advocare oporteret ex finitimis locis, cui tamen non minor eleemosyna quam obulorum saltem sexaginta adsignari valeret pro quolibet Sacro. Verum si onus hujusmodi capellano adjiceretur, datum non esset et invenire sacerdotem, qui cum discrimine vitae in dicto latifundio insalubris aeris residere vellet.

Sane »praecepto divino mandatum omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves agnoscere, pro his sacrificium offerre,« sunt verba concilii *sess. 23. cap. 1. de ref.*

Quod autem concilium de diebus sacrificii offerendi pro populo non declaraverat, id praestitit sacra Congregatio, quae in una *Lucana 10. Maji 1681* respondit: »Cum praecepto divino*) iis, quibus animarum cura commissa, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, saepe alias s. Congregatio concilii censuit, parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festivis; idem nunc censet quoad parochos istius civitatis et dioecesis, hoc insuper addens, ut detrectantes E. V. pro suo pastorali zelo compellere non gravetur.«

Illudque statuit locum habere omnino, etiamsi parochi congruam non retinerent. In *Nullius Nonantulae,* proposito:

An parochus missam celebrare teneatur et sacrificium applicare pro parochianis in diebus dominicis et festivis, sive habeat congruam sive non?

rescripsit die 10. Maji 1692:

Teneri nec posse eisdem diebus etiam eleemosynam recipere.

Atque etiam, si qui curam habent, nutu amoveri possint. In Ostiensi, in qua parochi Castri romani, Porciliani et Decimae vel

*) Vd *p. 921.*

nullas vel in parte tantum applicabant missas pro populo diebus dominicis et festis iidemque erant amovibiles ad nutum, proposito:

An parochi teneantur missam applicare pro populo diebus dominicis et festis de praecepto in casu?

rescripsit die 29. Januarii 1724:

Teneri, et ad mentem: mens est, ut liberam habeant applicationem tot aliarum missarum ex illis, quas modo celebrant et applicant pro Baronibus, dummodo Barones non teneantur ad celebrari et applicari faciendum ex aliqua fundatione et legato pio.

Notissima est constitutio Benedictina 19. Augusti 1744: *Cum semper**). Videnda tamen est litera fundationis, in qua Cardinalis Carolus capellanum sine causa non amovendum et vere curatum constituendum jussit, qui nominatus debeat approbari ab Emmo et Rmo D. Cardinali Episcopo pro tempore Portuen., ad hoc ut sacramenta necessaria pro salute animarum administrare valeat.

Centum et quindecim scuta annua pro dote super redditibus fundi, cum evictione contra possessores, pro stipendio capellani tribuit »et alia annua scuta decem ad creditum dictae ecclesiae deponenda ad dispositionem Emmi Cardinalis Episcopi pro tempore Portuen. seu illius vicarii generalis, pro necessariis supellectilibus ac pro conservatione murorum, tectorum et solariorum.«

Inter leges *capellano* dedit, quod resideat nella medesima chiesa et cosa come sopra assegnatagli, ed administrare tutti li sacramenti necessari alli abitanti, ed altri esistenti conquenti, e possagieri in detta tenuta, come anche all' infermi secondo il bisagno.

Che il detto capellano sia obligato a sue spese mantenere nella chiesa sudetta la lampada, che dovrà stare di continuo in detta chiesa giorno e notte accesa avanti il SSmo Sagramento, ed a proveder di tutta la cera, che in ciaschedun' anno sarà necessaria per servizio del culto divino e per distribuire secondo il solito nel giorno festivo della purificazione della B. Virgine.

Che il medesimo sacerdote cappellano debba invigilare con ogni attenzione, e solleci-

*) Vd. *p. 695.*

tudine all' eserzicio della cura delle anime di giorno e di notte, ed a tutte l'ore, che bisognerà e che sarà ricercato, si per le confessioni e communioni, si anche per tutto quel di più, che sarà necessario e che apparterrrà alla prefata cura delle anime, e sia tenuto in oltre le feste di precetto doppo la messa cantar le litanie della Madonna, ed insegnare a tutti la doctrina christiana con ogni carità, come anche recitare il rosorio tre volte la settimana, cioè la domenica, mercoledi, e venerdi.

Vuole anche sua Eminenza, che detto sacerdote sia tenuto osservare tutti quei decreti, che si faranno nella visita della detta chiesa dal detto Emmo Signor Cardinal Vescovo di Porto, o suo visitatore, e che tenderanno all' omnimoda osservanza della presente disposizione.

De loco tunc nullus parochus habebat curam. Necesse fuit certe, ut haec Emmi Episcopi ab initio et temporibus sciverint atque ipsi probaverint et ecclesiam uti vere parochialem deinde habuerint, cui necessariis ex pecunia Cardinalis Caroli providendum curarunt, qui capellanos ad curam animarum approbaverunt; qui permiserunt retinere in ecclesia sacrum oleum pro infirmis ac fontem baptismatis, de quo nulli alio parocho jus esset.

Multo magis, quia in ecclesia s. Josephi sanctissima Eucharistia asservatur, quod, nisi *parochialis* ecclesia esset, neque ab ipsis parochis fieri neque ab Episcopis permitti poterat sine Sedis apostolicae auctoritate, ut apertissime edixit sacra Congregatio pluries et de ecclesiis ruralibus, ad quas ipsi parochi ad celebrandum diebus festis accederent et de aliis capellis et ecclesiis intra fines parochiae, in *Nonantulana 13. Januarii 1685,* in *Acheruntina 3. Martii 1668.*

Quemadmodum declaraverat antea anno 1609 de Ordinariis, qui hanc facultatem dare nequeant. Propositis enim dubiis:

I. *An Episcopus possit concedere ecclesiae non parochiali ut in ea retineatur sanctissimum Sacramentum Eucharistiae solum pro adoratione vel requiratur auctoritas Papae?*

II. *Praesuposito, quod Episcopus concesserit licentiam hujusmodi, an Episcopus dictam licentiam revocare possit?*

respondit

Ad I: Id non posse concedi ab Ordinario, sed requiri licentiam Sedis apostolicae;

Ad II: Hujusmodi licentiam fuisse nullam ac propterea ei non esse deferendum nec esse necessariam revocationem.

Atque etiam de ecclesiis *monialium* seu tertiariarum, quae solemnem professionem non emittunt, nisi Sedis apostolicae auctoritas intercederet. Proposito enim variis dubiis in *Salernitana Jurium parochialium 19. Augusti 1702* ad II:

An eaedem oblatae possint in earum ecclesia asservare sanctissimum Sacramentum et sacrum oleum infirmorum absque licentia s. Congregationis et consensu parochi?

respondit:

Non posse sine licentia sacrae Congregationis.

In *Neapolitana Conservatorii ss. Philippi et Jacobi die 2. Januarii 1707*, cum inter preces proponeretur:

An liceret retinere sanctissimum Eucharistiae sacramentum in ecclesia dicti conservatorii absque apostolica auctoritate?

responsum fuit:

Non posse et dentur decreta in *Salernitana.*

Quia vero partes non acquieverant, proposita petitio in folio est die 18. Julii 1708, sed frustra; rescriptum est etenim: »Citra approbationem conservatorii, in decisis et supplicent Sanctissimo.« Immo ipsis de ecclesiis collegiatis absque privilegio seu legitima facultate Sedis apost. idem jus esse responderat die 7. Septembris 1652, dummodo collegiata ecclesia actu parochialis non sit, *lib. 19. decret. fol. 207.*

Quod sacerdos removeri possit, non repugnat cum qualitate curati. Videndum quid faciat, quod fundator hanc capellaniam laicalem voluerit. Num haec appellatio destruat qualitatem curae, quam enixe adeo pro ecclesia et accolis et advenis exoptavit.

Quando autem ecclesia s. *Josephi parochialis* censenda sit sive capellanus curam populi vere exerceat, certa itidem et absoluta lex de applicatione sacrificii sit, quae originem ab ipso jure veteris testamenti agnoscit: »accede ad altare et immola pro peccato tuo, offer holocaustum et ora pro te et populo, *Levit. 9.*«; contra autem *capellanus* ex *fundatione* missas fere omnes pro aliis applicare debeat; nec dos capellaniae ad alium presbyterum e longinquo vocandum idonea suppetat; ipsi sua religione ac prudentia viderint EE. PP. quomodo sit providendum etc.

An capellanus s. Marinellae teneatur ad applicationem missae pro populo in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 19. Julii 1766.

Missam pro populo applicandam esse definivit sacra Congregatio a quinque capellanis curatis paroeciarum ruralium *di Brugine, Arzarello, Campagnola, Priorega, Pontelongo,* quibus capellanis curatis, licet ab Archipresbytero et Canonicis Collegiatae s. Martini nominatis, inest tamen cura actualis earum paroeciarum. *In Patavina Missae pro populo die 8. Martii 1806. (Vd. p. 897.)*

VIII. Obligatio capellani perpetui.

Vd. *Applic. miss. pro populo* (oblig. eorum, qui curam etc. *p. 896*; oblig Vicarii etc.; obligat. coadjutorum parochor. *p. 893.*); *p. 917* §. *Quaerit. p 921; 924.*

Maceraten.

Parochialis ecclesia s. Blasii oppidi Montis Milonis dioecesis Maceratensis a s. m. Benedicto XIV. ad Collegiatae honorem evecta, paroecia vero tres in partes seu regiones fuit divisa, quarum altera ss. Salvatoris, altera s. Mariae, tertia s. Luciae nuncupatur; singulis autem singuli curiones, scilicet uni Praepositus Collegiatae, alteri Canonicus curatus, tertiae beneficiatus curatus fuere addicti. Horum quisque distinctas gregis portiones intra suos limites proprio, ac pleno jure custodit ac regit, unam tamen omnes eamdemque habent ecclesiam, scilicet Collegiatam s. Blasii et missam pro populo non singuli sed unus tantum celebrat Canonicus curatus, cui hoc munus jam inde ab initio fuit demandatum.

Divisione tamen paroeciae non satis erat provisum agricolis, qui prope abbatialem ecclesiam s. Mariae de Rambona morabantur et qui propter nimiam distantiam ab oppido non raro spiritualibus subsidiis carebant. Itaque anno 1819 apostolica intercedente auctoritate erecta fuit capellania curata, cujus rector capellanus curatus perpetuus foret ac parochialia munera exerceret. Territorio ipsi designato, quod antea ad regiones et curatos partim ss. Salvatoris partim s. Mariae pertinebat eique parochiali adscripta est ecclesia abbatialis cum exigua parte adnexarum aedium pro sua residentia, reservatis tamen

nonnullis juribus ecclesiae matricis s. Blasii, quae inferius erunt indicanda. Capellaniam obtinuit sacerdos Joseph de Angelis, qui, utrum pro populo missam diebus festis applicare debeat, provinciarum generalem Maceratensem consuluit ac responsum habuit »quanto all' applicazione della messa pro populo non ne fa alcuna menzione nè nel breve del s. Padre, nè nella Patente dell' Emmo Abbate patrono, ed essendosi reserbati anche varii diritti alla prima chiesa parrochiale, pare, che a questa sola rimanga il peso della messa, non essendosi il capellano posto, che per ajuto dell' intera parrocchia.« Verum, ut majori conscientiae suae tranquillitati consulat idem capellanus curatus perpetuus ab hac s. Congregatione declarari implorat: an ad missam pro populo applicandam teneatur?

Preces remissae Episcopo, ut audito capitulo et transmissa copia literarum apostolicarum erectionis capellaniae referret: utrum agatur de capellano curato constituto in subsidium parochi seu capituli vel potius oratoris cura fuerit proprie dismembrata ab ecclesia matrice et a quo in hac celebretur missa pro populo. Omnia ipse confirmavit, quae superius narravi, et exemplum transmisit apostolicarum literarum s. m. Pii VII., ex quibus patet, quod, cum prope ecclesiam (s. Mariae de Rambona) nonnullae per agrum sparsim censitae reperiantur agricolarum familiae, quae omni plane spirituali subsidio carere noscuntur, electus fuit presbyter, capellani curati illi tributa denominatione, qui familiis praedictis assidua Sacrorum procuratione praesto esset, constituto eidem annuo centum scutor. stipendio, ultra scuta decem pro manutentione lampadis..., et impositum fuit possessori abbatiae perpetuum onus annuatim persolvendi ex praedictae abbatiae fructibus scuta 100 pro congrua sustentatione capellani curati perpetui, per futurum et pro tempore existentem Abbatem commendatarium nominandi et praesentandi ac per Ordinarium loci praevio examine ad curam animarum approbandi, qui omnia et singula parochialia munia in territorio per Episcopum designato seu designando diligenter exercere teneatur, reliqua vero sc. 10 pro lampade etc.

Capitulum vero Collegiatae ab Episcopo interrogatum censet »che il capellano curato di s. Maria di Rambona, che gode la perpetuità, sia stato istallato in sussidio della chiesa parrocchiale matrice, cui apparteneva la porzione di anime ad esso addette, tanto pel titolo di capellano, che gli vien dato nel breve, quanto perchè la prima chiesa parrochiale ha riserbati a se varj diritti, come sono quelli della cera de' funerali, del fonte battesimale, de' registri de' battesimi, come ancora quelli d' intervenire alle processioni sotto la croce della prima chiesa parrocchiale, o sia capitolo, lo che mostra dipendenza, o non perfetto smembramento. La messa pro populo si fa celebrare dalla chiesa matrice, ossia dal capitolo, che in origine aveva un tal peso, soltanto al Canonico curato pro tempore.« Eamdem sententiam amplexus est Episcopus ita informationem suam claudendo: Mihi videtur facta esse capellania curata in subsidium universae parochiae, non vero cura dismembrata ab ecclesia matrice, unde putarem non inductum fuisse novum onus missae pro populo, sed eam tantum sufficere, quae a Canonico curato celebratur pro omnibus, qui olim in integra vetera paroecia censebantur.

Itaque in provicarii generalis epistola, in resolutione capituli Collegiatae et in Episcopi voto habent EE. PP. omnia ea, quae suadere possunt, capellanum curatum perpetuum s. Mariae de Rambona immunem esse ab onere applicandi missam pro populo diebus festis: pauca pro meo munere addam, quae adversari videntur. Parochos enim eosque omnes, quibus animarum cura imminet, divino praecepto teneri pro ovibus suis sacrificium offerre declaravit Tridentina Synodus *sess. 23. cap. 1. de reformat.*: atque haec obligatio ita inhaeret parochis, ut ii quoque teneantur, qui congruo destituuntur stipendio, Benedictus XIV. in celeberrima sua constitutione incipien.: *Cum semper oblatas,**) vel qui incertos habent redditus, *Clericat. foren. discord. 29. de benef. num. 43.*

Ratio est, quia non ad propter sustentationem sed ratione officii applicatio missae pro populo ipsis incumbit, uti animadvertit *Pirching. in jus canon. lib. 1. tit. 31. n. 142* ac tradidit haec sacra Congregat. in *Nonantúlana 10. Maji 1692*, in *Oveten. 12. Januarii 1774***), et in *Nullius Sublacen. Jurium parochialium 29. Januarii prox. praet. ad dubium VI.*

Accedit, in memorata constitutione Benedicti XIV. expresse sancitum fuisse: »Vica-

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *pag. 872.*

rios ecclesiarum parochialium, sive perpetui sint sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte teneri ad applicationem missae pro populo ipsorum curae commisso;... statuimus atque declaramus, quod iisdem diebus festis, quibus populus missae interesse debet, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare et applicare teneantur.» Nemo igitur ex iis, qui actualem animarum curam habent, ab hac obligatione applicandi missam pro populo est immunis, immo quisque separatam custodit animarum portionem eamque jure proprio regit; illam spirituali auxilio applicationis missae diebus festis privare non debet. Distinctam vero ac separatam populi partem capellano curato »perpetuo s. Mariae de Rambona fuisse adscriptam non est ambigendum, cum et apostolicae literae sa. me. Pii VII. de territorio per Episcopum designato seu designando mentionem habeant et Maceratensis Antistes moneat praedictum capellanum parochialia munia exercere in territorio ipsi designato, quod antea pertinebat ad regiones et curatos partim ss. Salvatoris et partim s. Martae.

Capellaniae vero curatae perpetuae erectio a locorum distantia originem habuit et capellanus propriam habet congruam scut. 100 ab Abbate commendatitio pro tempore praestandam. Hinc hodiernae quaestioni omnimode convenire videntur definitiones hujus sac. Congregationis in *Egitanien. Visitationis sac. Liminum;* utraque proposita die 27. Junii et resoluta die 18. Julii 1789, quarum in prima quaesitum fuit:

An et a quibus vicariis seu curionibus sit applicanda missa pro populo in casu etc.?

rescriptum prodiit: Affirmative ab omnibus.

In secunda vero propositum fuit dubium:

An ecclesiarum filialium rectores teneantur missam pro populo applicare seu potius spectet ad parochos ecclesiarum principalium seu matricum in casu etc.?

EE. VV. responderunt:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Dirimendum igitur proponitur dubium:

An capellanus curatus perpetuus missam teneatur applicare pro populo in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 21. Jan. 1826.

IX. Obligatio coadjutorum Canonicor. curam animar. insimul exercentium.

Vd. infra n. XII. p. 894. et n. XIII. p. 895. *Applicat. missae pro populo* (obligat. vicarior. etc. non est, decr. *Ariminen.*); *p. 920 n. XIX;* p. 931 n. XXI.

Spoletana.

Ex unione quatuor ecclesiarum parochialium collegium Canonicorum in templo s. Bartholomaei oppidi Montisfalchi anno 1599 instituit Pontifex Clemens VIII. illudque tum Priore, qui caput collegiatae ecclesiae existeret, tum sex Canonicis, qui cum Priore horas canonicas statis diebus concinerent, instructum voluit. Quod vero attinet ad animarum curam, eam potissimum Priori commendavit, inquiens: *Qui curam animarum parochianorum principaliter exercebat et illis Sacramenta ecclesiastica ministret ceteraque parochialia onera et officia subeat.* Immo spirituali fidelium saluti uberius consulendi cupidus constituit, ut duo Canonici praebendas coadjutorales pro tempore obtinentes *praedictum Priorem in exercitio curae et ministerio Sacramentorum ac onerum et officiorum parochialium per turnum alternis hebdomadalibus vel necessitate occurrente uterque coadjuvare et illi assistere teneantur.* Cumque Canonici coadjutores tenui non secus ac reliqui Canonici fruerentur praebenda, edixit, ut *jura et emolumenta parochialia ratione exercitii curae animarum parochianorum et administratorum Sacramentorum provenientia ad Priorem pro una et ad duos Canonicos coadjutores pro altera illorum medietate pertinere valeant.*

Duos exinde Canonicos coadjutores ex fundationis jure suppetias tulisse Priori in obeunda animarum cura certum exploratumque est; utrum vero missam pro populo in orbem et ipsi jam inde e principio applicaverint, id quidem delitescit in tenebris antiquitatis. Illud vero in dubium adduci nequit, quod Canonici coadjutores ante annum 1760 missam pro populo applicare consueverint; in parochialibus siquidem libris haec leguntur: »*Messe che si applicano pro populo ne' giorni festivi da me Priore Valentino Bechelli e da mici signovi Canonici coadjutovi principiate nella sagra risita di Monsignor Acqua Vescovo di Ipolito nel mese di Agosto 1760.*« Et quoniam Praesuli Loccatelli, dum suam anno 1780 lustraret dioecesim, innotuerat, alterum ex coadjutoribus Barnardinum Plini plurium missarum neglexisse celebrationem, ideo hujusmodi edidit decretum: »*Perspectis missarum applicationibus pro populo Prioris et duorum adjutorum Canonicorum collegiatae ecclesiae s. Bartholomaei terrae Montisfalchi summa cum nostra admiratione apparet, ab anno 1760 usque ad annum 1779 inclusive missas deficere 333, quas infra annum strictim mandamus remitti sub poena trium juliorum pro qualibet missa, per quos spectet, signanter per Canonicum Bernardinum Plini, qui vel applicet vel recurrat.*« Mandatis haud cumulate paruit Canonicus Plini ejusque propterea haeredes anno 1789 a Sede apostolica absolutionem impetrarunt pro missis ducentis quadraginta quatuor, quas ipse, quia *credeva*, ceu narrarunt haeredes, *di non esser tenuto alla celebrazione delle messe pro populo*, celebrare praetermisit. Ceteri autem Canonici adjutores obligationi missae pro populo satis quidem fecerunt, si excipiatur Canonicus Nicolaus Baldaccini, qui ab anno 1787 ad annum 1809 se errore ductum muneri suo defuisse professus est et absolutionem similiter obtinuit.

Nihilominus hodierni Canonici adjutores Jacobus Cirinei et Joannes Baptista Vagnoli gravate ferentes ejusmodi onus supplices huic sacro Ordini nomine capituli dederunt preces, quibus controversiam Emorum Patrum oraculo definiri expostulant.

Archiepiscopus, quem rogaveram de relatione et voto, capitulum Collegiatae audiendum censuit atque istud palam denunciavit, nolle se memoratae quaestioni immiscere seque plane inconsultò libellum nomine capituli fuisse oblatum. Quod vero spectat ad applicationem missae pro populo a Canonicis coadjutoribus explendam »non me latet, inquit Archiepiscopus, id neque posse affirmari ex Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 1* neque colligi indubitanter ex verbis, quibus bulla fundationis concipitur, cum in ea non reperiatur expressum. At sermo hic, ut opinor, haberi nequit, si de consuetudine loquuntur, quae de hac re in dicta Collegiata a remotis temporibus viguit. Et quidem ab anno 1752 ad nostram usque tempestatem tres in eadem ecclesia recensentur Priores: quod horum sane temporum intervallo a Canonicis coadjutoribus mos fuerit servatus Sacra peragendi pro populo, colligitur ex regestro missarum inscripto mense Augusti 1760 atque ex testimonio Andreae Canonici Piceni sub die 24. Augusti 1790, Aloysii Prioris Schinetti sub die 4. Junii 1807 et Nicolai Canonici Baldaccini ac Joannis Baptistae Canonici Cennati sub die 14. Januarii 1831.«

»Quod si causam inquiramus, cur id in praefata ecclesia viguerit et vigeat, ea reperiretur praecipue in sequentibus bullae verbis: *Jura autem et emolumenta etc.* Cum itaque ex hac bullae dispositione coadjutores Canonici usque adhuc receperint, ut nunc medietatem recipiunt decimarum et funerum et quidquid, uno verbo, ex quovis capite obveniat incerti relatae ecclesiae collegiatae Priori, quid aequius quam ut onera quoque, inter quae celebratio missae numeratur pro populo, pro medietate patiantur? Haec adeo ratio est consuetudinis, quam vidimus extitisse per annos pene octoginta, quaeque praesumitur, initium habuisse ex tempore editae bullae, licet hoc nequeat, ut per esset, comprobari ob librorum praesertim amissionem, in quibus adnotabantur missae pro populo annis superioribus celebratae.«

»Missam pro populo ab iis esse applicandam, qui actualem exercent animarum curam, compertissimi juris est. Ita quidem sanxit Tridentina synodus *sess. 23. cap. 1. de reform.* ac declaravit Benedictus XIV. in encyclica: *Cum semper oblatas**) verbis illis: »*Mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, teneantur missam parochialem applicare pro populo ipsorum curae commisso.*« Quinimo onus hujusmodi eo pacto animarum curatoribus imminet, ut eidem, nisi legitimo detineantur impedimento, per se ipsos satisfacere debeant, quemadmodum pluries respondit s. Congregatio ac praesertim in *Comen. Missae parochialis 11. Maji 1720 ad III. et V. dub.*, in *Fesulana Missae parochialis 26. Januarii 1771 ad II. dub.* et in *Castri Albi VV. ss. LL. 18. Julii 1789 ad II. dub.*: nec valeant illud transferre in Canonicos et beneficiatos ejusdem ecclesiae, sicut eruitur *ex cit. Castri Albi ad I. dub.*, nec etiam in vicarios, qui onere gravantur adjuvandi parochum in obeunda animarum cura, licet parochialibus gaudeant emolumentis. Enim vero in *Tiburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801* concinnato dubio:

An vicarii perpetui Castri Madamae teneantur alternatim cum Archipresbytero dominicis et diebus festis applicare missam pro

*) Vd. *p. 695.*

populo seu potius hoc onus spectet ad unum Archipresbyterum in casu etc.?

responsum prodiit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Quae sane juris regula tum solummodo exceptionem patiatur, cum vicarii curati in solidum et aeque ac parochus actualem obeunt animarum curam, veluti perspicue elicitur ex *Ripana Jurium parochialium 15. Decembris 1725 et 20. Novembris 1762.*

Jam vero in themate actualis animarum cura Priori ecclesiae collegiatae commissa est eidemque propterea singulis diebus festis incumbere debet onus applicandi missam pro populo, non autem Canonicis coadjutoribus, qui Priorem in exercitio curae dumtaxat coadjuvare et illi assistere teneantur. Nec aliter suadere posse videntur aut perceptio emolumentorum parochialium aut asserta consuetudo. Etenim onus offerendi Sacrificium pro populo haud parochialium reddituum perceptioni sed officio, quo parochi funguntur, adhaerere docet S. Cong. in *Ferentina 15. Martii 1735* et in *Montis Falisci Reduct. missae pro populo 10. Martii 1828.* §. *Tenuitas*, ac definivit Bened. XIV. in *const. Cum semper* §. *3.*

Quod reliquum est de praescriptione, praeterquam eam abusum et corruptelam vocant Canonici coadjutores, actuum frequentiam ac temporis diuturnitatem, quae ad praescribendum requiruntur, in praesenti casu omnino deesse putant. Quid etenim a Collegiatae fundatione ad annum usque 1760 acciderit, penitus latet, postero autem tempore licet quosdam coadjutores missam pro populo applicasse pateat, Plinium tamen et Baldaccinium huic obligationi pluribus annis haud satisfecisse absolutionis monumenta testantur. Si qua igitur post annum 1760 invehi coepit praescriptio, ea contrariis actibus interrupta dicenda est ad *text. in L. Si stillicidium* §. *ult., L. Si partem quemad. serv. amit.* ac tradit. *Rot. in recent. part. 9. tom. 1. dec. 347.* §. *4*, Sac. Congr. in *Nullius Fori Pompilii Sacrae visitationis 14. Maji 1828* §. *Reque.*

At Prior ecclesiae collegiatae fatetur quidem a jure devium esse, ut parochi ita contraria consuetudine liberentur onere offerendi Sacrificium pro populo sibi commisso, ut nemo alius missam celebret; verum eam Tridentinis Patribus ac Benedicto XIV. denegat insedisse mentem, ut ea abrogaretur consuetudo, qua curam habitualem habentes aut alii ejusdem ecclesiae beneficiarii missam pro populo alternis vicibus cum parocho litarent. Etenim sacri canones, dum animarum curatoribus oblationem sacrificii pro ovibus sibi commissis gravibus verbis praescripserunt, eo potissimum spectasse videntur, ut populus spirituali hujusmodi auxilio numquam privaretur, non autem ut parochi missam pro populo ita per se celebrare obstringerentur, ut onus illud ne ex diuturna quidem consuetudine in vicarios aut alios beneficiarios refundere possent. Profecto hic sacer Ordo in *Camerinen. Missae pro populo 16. Decembr. 1820* rogatus:

An ad vicarium, qui actualem gerebat animarum curam, seu potius ad Canonicos primae erectionis, qui habitualis tantum curae honore potiebantur, spectaret onus celebrationis missae pro populo?

responsum dedit:

Affirmative ad quatuor Canonicos primae erectionis ad formam consuetudinis. (Vd. p. 901.)

Et nuperrime in *Verulana Massae communis et missae pro populo 12. Decembris 1828* proposito dubio:

Utrum beneficiati parochialis ecclesiae apostolorum Principi dicatae, qui ex immemorabili consuetudine missam pro populo in orbem cum Archipresbytero applicare consueverant quique emolumentis ex animarum curae exercitio proficiscentibus fruebantur, tenerentur per turnum offerre sacrificium pro populo?

rescriptum prodiit:

Affirmative juxta votum Episcopi.

Porro Canonici coadjutores collegiatae ecclesiae s. Bartholomaei, qui Priori in exercitio curae assistere debent quique media decimarum ac omnium parochialium emolumentorum parte fruuntur, sacrificium pro populo una cum Priore ex tempore, quod hominum vincit memoriam, litare consueverunt. Hanc sane consuetudinem in eadem ecclesia ante annum 1760 jam viguisse testantur libri parochiales, postea vero ad hanc usque diem fuisse jugiter servatam nedum ipsi libri sed etiam instructi testes fidem perhibent. Denique rem conficit decretum anni 1780 in sacra visitatione editum adversus Canonicum Plini, qui missam pro populo applicare neglexerat: Episcopus enim decretum illud non subscripsisset neque Canonici coadjutores eidem acquievissent, nisi his onus

litandi Sacrum pro populo ex diuturna consuetudine imminere intellexissent; immo haec ipsa coadjutorum aquiescentia cum postera ac diutina observantia potis esset ad eam inducendam obligationem, quae non satis firmo antea niteretur fundamento, *Rot. cor. Emerix decisio 212. num. 4.*, s. Cong. in *Bononien. 22. Maji 1762* et in *Reatina 21. Jul. 1827* §. *Itaque.*

Frustra autem Canonici coadjutores ejusmodi consuetudinem ex supplicibus libellis a Baldaccino et ab haeredibus Canonici Plini oblatis interceptam tuentur. Si loquamur enim »de Canonico Baldaccini (ita Archiepiscopus), audivimus, quid in re die 14. mensis Januarii hujus anni testatus sit, quod non contradicit sed mirifice congruit cum supplicatione anno 1803 reverendae fabricae s. Petri porrecta; in qua legitur: *Credette l'oratore di non essere tenuto al' applicazione della messa pro populo . . . avvertito ch'esso Supplicante era in dovere di applicare, non ha mancato di adempire a questo dovere.* Quid autem dicendum erit de Bernardino Canonico Plini, qui ad hujus muneris observantiam adstrictus per decretum in sacra visitatione editum die 8. Julii 1780 hisce verbis expressum: »*vel applicet vel recurrat*«, numquam vitae suae tempore hunc recursum instituit? Ejus enim haeredum nomine et non suo inscripta est postulatio exhibita anno 1799 rev. fabricae s. Petri ob absolutionem vel compositionem saltem obtinendam supra missis pro populo non celebratis. Ex quibus omnibus patenter eruitur, meo judicio non infirmari onus hujusmodi, sed potius confirmari.

Quae cum ita sint, Emmi Patres definire dignentur:

An Canonici coadjutores teneantur alternatim cum Priore applicare missam pro populo in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 14. Maji 1831.

X. Obligatio coadjutorum parochor. non est.

Vd.: *Applic. missae pro pop.* (oblig. Vicarii etc.); *p. 917* §. *Quaerit; p. 921; 924.*

Curati, qui nomine parochi munia parochialia exercent, cum titulares non sint, sed coadjutores, ad applicationem missae pro populo non tenentur, ut definivit s. Congregatio in *Tyburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801.*

Die 17. Decembris 1803. *Visen.*

Astorien.

Astoricensis Episcopus in Hispania in relatione status ecclesiae suae ad hunc sacrum Ordinem transmissa die 29. Novembris anni 1864 inter alia sequens dubium proposuit:

In hac dioecesi sunt quaedam ecclesiae filiales, quae a presbyteris parochorum adjutoribus pensionem licet parvam a supremo gubernio percipientibus reguntur. Ii coadjutores non missam pro populo in diebus festis applicant. Quaeritur:

Rectene se gerant an e contrario debeant pro populo missam applicare praedictis diebus?

Ad hujusmodi quaestionem resolvendam cum pleniori causae cognitione visum fuit eumdem Episcopum rogare, ut magis referret: an filiales ecclesiae conferantur in titulum perpetuum, suam habeant plebem distinctis a matrice limitibus circumscriptam earumque rectores independenter a parocho sacramenta administrent. Quaesitum insuper est: Quot annui stipendii parochialis reditus sint comprehensis incertis utriusque stolae?

Ad haec itaque respondens Episcopus die 12. Junii anni currentis sequentia retulit:

Ut clarius dubium proponatur animadverto: Filiales paroecias sive ecclesias minime in titulum perpetuum conferri, suam habere plebem distinctam a matrice limitibus circumscriptam earumque rectores (coadjutores) dependenter a parocho sacramenta administrare, annui stipendii parochialis quantitas, non comprehensis incertis utriusque stolae, de quibus inter parochum proprium et coadjutorem conventio fieri solet, sunt 2000 vel ad maximum 2500 regalia. Utriusque stolae stipendia non eadem in singulis dioecesis ecclesiis, sed veluti 300 sive 500 regalia annua percipere poterit coadjutor mediam viam sequendo.

Scitum in jure est applicationem missae pro populo diebus dominicis aliisque festis inter parochialia munera recenseri eamque incumbere jure divino et ratione officii parocho et cuilibet animarum curam actu exercenti, sive perpetuus is vicarius sit sive ad nutum amovibilis. Conc. Trid. *sess. 23.*

cap. 1. de refor., Benedict. XIV. const.: Cum semper *) et sacra Congregatio in *Salamantina* et in *Atrien. 22. Februarii 1862* alibique passim sive in thesauro resolutionum sive inter summaria precum.

Definitum pariter est: Unam tantum missam pro populo applicandam esse, ubi unica sit parochia, ceu in *Alben. 17. Julii 1723* et in alia *Alben. 25. Junii 1862*, licet plures parochiales illi ecclesiae sint unitae unione subjectiva, ceu in *Nuscana 17. Jan. 1756, §: An Canonici.* Praestat igitur inquirere: Utrum in casu agatur de una tantum paroecia vel de totidem paroeciis res sit, quot sunt filiales ecclesiae.

Pro pluritate paroeciarum intelligi possent ea Episcopi verba, quibus refert hujusmodi ecclesias suam habere plebem distinctam, licet divisio haec necessario constitui tantum debuerit, ne confusio oriretur in exercitio jurisdictionis singulis coadjutoribus delegatae. At contrarium suadere videntur, quae idem Episcopus subjungit, unam scilicet ecclesiam esse matricem, caeteras nonnisi adjutrices, ob ingentem numerum fidelium primae subjectorum, quas etiam filiales vocat. Nec aliter insuper reputandum videtur ex dependentia illa, qua hi coadjutores administrant sacramenta, et ex conventione fieri solita inter parochum et coadjutores relate ad incerta utriusque stolae, quapropter istiusmodi rectores seu coadjutores simpliciter capellani appellari deberent.

At ii soli onere missae parochialis obstricti sunt, qui vero proprioque sensu curam animarum gerunt. Quod apertissime apparet tum in aliis tum etiam in supracitata *Alben. 17. Julii 1723*, ubi quaerebatur:

Utrum unus Archipresbyter teneretur missam celebrare pro populo an potius etiam alii Canonici in aliis ecclesiis adjutricibus?

Et sacra Congregatio attenta relatione vicarii capitularis Alben. censuit: Solum Archipresbyterum teneri ad applicandam missam parochialem pro populo diebus festis de praecepto.

Id ipsum praescripsit haec s. Congregatio in *Nuscana 17. Januarii 1756*, ubi docuit: Canonicos collegiatae ecclesiae s. Mariae de Plano teneri unam tantum missam pro populo celebrare diebus festis, licet plures parochiae illi ecclesiae essent unitae. Ad dubium enim:

An Canonici collegiatae ecclesiae s. Mariae de Plano . . . teneantur unam missam pro populo celebrare seu potius tot missas, quot sunt parochiales ecclesiae illi unitae?

Responsum prodiit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Quare etc.

Sacra Congregatio respondit: Prout exponitur: non teneri. Die 9. Decembris 1865. (Anal. J. P. 1866 p. 2262.)

*) Vd. *p. 695.*

XI. Obligatio ex consuetudine introducta.

Vd. *p. 882 decr. Verulana §.: Quod attinet etc.; p. 890 n. IX; p. 901 Camerinen.*

XII. Obligatio est Curatorum ecclesiarum cath. et collegiatarum.

Vd. *Appl. miss. pro pop.* (oblig. Vicarii; eorum qui curam etc. p. 896); et supra n. IX. p. 890, *p. 897 Patavina, p. 920 n. XIX, p. 931 n XXI.*

Sutrina.

(Conc. Tr. c. 1. sess. 23. De ref.)

Regebatur jamdiu ante annum 1585 ecclesia parochialis s. Aegidii loci Tulphae per duos duntaxat presbyteros curatos; sed communitas ejusdem loci cupiens eandem ecclesiam in Collegiatam erigi post eam redactam in formam elegantiorem ac eidem assignata quaedam praedia pro sex Canonicorum manutentione, mox d. anno, praevia auctoritate Ordinarii, exoptatam obtinuit erectionem. Inter caetera conventa in instrumento erectionis, quod datur in summario, illud est, quod cura animarum semper resideret ordine successivo penes duos Canonicos antiquiores, quodque tam ex bonis a communitate assignatis quam ex aliis, quae jam possidebant praefati duo concurati, una et communis massa conflaretur, ex cujus redditibus una cum aliis emolumentis etiam incertis octo partes conficerentur, quarum quatuor duobus Canonicis curatis, duae nempe singulis, adjicerentur, reliquae vero quatuor inter singulos alios quatuor Canonicos pro aequali dividerentur.

Insequenti subinde tempore quinque alii canonicatus eidem Collegiatae fuerunt adjuncti atque a capitulo cum eisdem honoribus et oneribus acceptati.

Cum autem modernus Episcopus in visitatione dioecesis peracta de anno 1704 comperisset tam curatos quam Canonicos dictae Collegiatae nunquam satisfecisse applicationi missae parochialis pro populo, eandem decrevit ab omnibus Capitularibus celebrandam

et applicandam cunctis diebus dominicis et festivis, sed comperta pariter praedicta decreti inobservantia in alia visitatione anni 1706 poenam suspensionis contra inobedientes inflixit. Ab hujusmodi decreto gravati Canonici recurrerunt ad S. C. sub eo signanter motivo, quod onus missam applicandi pro populo insit duntaxat Canonicis curatis, qui duplicem habent reddituum portionem.

Episcopus desuper requisitus informare supradicta confirmat atque fundamentum sui decreti devinciendi omnes Canonicos in eo situm esse asseverat, quod in erectione Collegiatae praebendae sunt communes curatis cum Canonicis, quorum singuli habent futuram successionem vel curam animarum in defectum Canonici antiquioris. Sic igitur monito procuratore Canonicorum dignentur EE. VV. resolvere haec bina dubia concordata:

An onus missae, quae singulis diebus festivis in ecclesiis parochialibus debet ex dispositione juris pro populo celebrari et applicari, integre spectet respectu ecclesiae collegiatae s. Aegidii ad duos curatos dictae ecclesiae sive potius proportionabiliter spectet ad d. curatos quam ad alios Canonicos dictae Collegiatae?

II. *An et contra quos poena suspensionis ipso facto incurrenda comminata per Episcopum Sutrinum ob non celebrationem missae parochialis sustineatur in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

Ad II: Sustineri quoad Canonicos curatos deleta clausula: »ipso facto«, et amplius.

Die 15. Dec. 1707 et 12. Jan. 1709.

Ad dubium 1: *An capellani curati amoviliter a capitulo deputati pro exercitio curae animarum teneantur diebus dominicis et festis missam applicare pro populo?*

2. *An eleemosyna sit iisdem persolvenda ab Archipresbytero vel a capitulo?*

3. *An eleemosyna sumenda sit ex massa distributionum vel ex fructibus praebendae singulorum Canonicorum?*

S. C. C. respondit

Ad 1: Affirmative.

Ad 2: Eleemosynam esse persolvendam a capitulo.

Ad 3: Esse desumendam ex massa distributionum.

Die 18. Mart. 1719 ad 5—7. *Ferrarien.*

XIII. Obligatio non est Curatorum expositorum ecclesiarum cathedr. et collegiat.

Vd. *p. 890. n. IX; p. 885 n. VII; p. 897 Patavina; p. 920 n. XIX.; p. 931 n. XXI.*

Liparen.

Episcopus exponit, in sua dioecesi unam adesse parochialem ecclesiam, quae cathedralis est. Haec parochia plures circum habet insulas inter se multo distantes et unaquaeque insula plures continet pagos, in quorum singulis unum vel duo sunt sacella, pro quibus regendis saltem quadraginta inesse debent sacerdotes, dicti capellani vel capellani curati, quorum officium est, concionari in festis, Sacramenta Eucharistiae, Poenitentiae, extremae unctionis administrare, mortuos benedicere et ad sepulturam comitari. Aliqui eorum etiam baptizant, sed libri baptizatorum sicut et confirmatorum et mortuorum resident penes magistrum capellanum vel parochum in Cathedrali, qui praeest omnibus et ad quem illi referunt adnotationem baptizatorum et mortuorum. Congrua vero uniuscujusque vel multa vel minima vel ad maximum quinque oboli in diem. Populus autem alicujus pagi non vivit pane sed herbis terrae vescitur.

Quibus se ita habentibus censent plures suae dioeceseos theologi, solum parochum Cathedralis teneri ad applicationem missae pro populo, illos vero capellanos nullam exercere animarum curam, tantum ministros esse coadjutores parochi, ideoque non comprehendi in literis encyclicis s. m. Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas**) et SS. D. N. incip.: *Amantissimi Redemptoris***). Et revera ab immemorabili minime missam pro populo applicant.

Nihilominus Episcopus ad suae conscientiae tranquillitatem sequentia dubia declarari supplex expostulat, nimirum:

1. *Istiusmodi capellani an curam exerceant et num teneantur missam pro populo applicare?*

2. *Si affirmative: perpensa egestate dioecesis Ordinarius maximam reperiret difficultatem immo impossibilitatem inveniendi sacerdotem, qui hoc onere sacramenta administret; quin et periculum erit relinquendi aliquas ecclesias sine sacerdote curato, ideoque expo-*

*) Vd. *p. 695.*
*) Vd. *infra p. 942.*

stulat, ut imposterum numerus missarum pro populo applicandarnm reducatur ad festum Nativ. D., Paschatis, Pentec. et ss. Corporis D. tantum.

3. *Praeteritae omissiones, si fuerint, rogat, ut condonentur.*

In posterioribus suis literis addebat Episcopus ad clariorem rei intelligentiam:

1. Quod omnes et singulae praefatae insulae comprehenduntur sub paroecia Cathedralis, etenim in hac unus adest parochus sive magister capellanorum, apud quem servatur liber baptizatorum, confirmatorum, matrimonialium et mortuorum atque unum constituunt territorium, unus est judex et gubernator civilis.

2. Quod parochus applicat pro populo.

S. C. C. resp.

Ad 1: Juxta exposita negative in omnibus.

Ad 2 et 3: Provisum in primo.

Die 23. Mart. 1861.

XIV. Obligatio in qua ecclesia adimplenda est?

Dirimenda erit controversia: Utrum applicatio facienda sit in ipsa ecclesia parochiali seu potius in ecclesia s. Angeli monasterii Asculani celebrata missa cum sola praesentia in ecclesia parochiali, id quod respicit *modum* faciendae applicationis, ad quem respicit altera dubii pars. Jam alias Episcopi dubitarunt: num monachi possent in ecclesia monasterii applicare sacrificium; ex equisita a monachis theologorum sententia censuerunt id fieri posse, tum quia, ubi parochialitas, ut ajunt, residet apud monasterium, onus applicationis pertinet ad monachos, qui in propria ecclesia huic oneri satisfacere possunt, quemadmodum si cura actualis residet penes capitulum, Canonici in propria ecclesia missam pro populo applicant, tum etiam quia sacrificium missae quocunque loco oblatum a parocho proficuum est ovibus, pro quibus sacrificium offerre tenetur.

Die 16. Maji 1806. *Montis Alti.*

XV. Obligatio eorum, qui curam actualem animarum exercent.

Vd. *Applic. missae pro populo* (oblig. Capellan. p. 885, 888; Coadjut. p 890, 893; Vicarii, parochi etc., beneficiator. p. 881; Episcopi, qui simul est parochus *p. 920 n. XIX*; parochorum in ecclesiis monaster.); *p. 931; p. 695; p. 933.*

Cum ex Tridentino *sess. 22. cap. 1. de reform.* ii teneantur pro ovibus suis *sacrificium offerre*, quibus *animarum cura commissa est*, jam tenentur applicare missam pro populo, qui actualem curam exercent, ut declaravit san. mem. Benedictus XIV. *in constit.* edita die 19. Augusti 1744, cujus initium: *Cum semper oblatas*)* et definivit s. Congregatio in *Calaguritana Applicationis missae pro populo 12. Decembris 1764*, in *Oveten. 22. Januarii 1774* et in *Tyburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801.*

Die 14. Apr. 1804. *Patavina.*

Quandoquidem EE. PP. censeant a mansionariis**) applicandam esse missam pro populo, inquirendum superest, num teneantur singuli unoquoque die festo applicare seu potius per turnum. Paroecia quidem in sex partes divisa est, quibus singulis unus praecipuus mansionarius adest itaut videantur sex parochi distincti, qui singuli ad applicationem tenerentur. Sed una est parochialis ecclesia, unus baptismalis fons et liber parochialis, unum tabernaculum et sigillum. Quare una videtur ecclesia parochialis et unica missa pro populo satis habetur, quae alternatim celebranda est ab iis, qui curam exercent, ut definivit s. Congregatio in *Ripana Jurium parochialium 20. Novembris 1762* et novissime in *Visen. Missae pro populo 17. Decembris proxime praeteriti.*

(*Ibid.*)

Hic juvat addere, quae addit eruditissimus P. D. Cajetanus Merati in *thesauro sacrorum rituum tom. 1. part. 3. tit. 12. sub num. 3. circa finem*, ibi: Addo his omnibus auctoritatem nostri P. Antonii Naldi, qui in summa verb.: *Parochus n. 19.* extendit hanc obligationem parochorum etiam ad Praelatos regulares, Episcopos et etiam ad ipsum summum Pontificem. Ait enim praefatus auctor: »Revera non magis debet de jure divino obligari parochus in hoc pro suis ovibus, quam Praelatus regularis pro suis subditis, Episcopus pro sua dioecesi atque etiam summus Pontifex pro universali ecclesia, in quibus proportionaliter esset dicendum, quod de parocho.« Hanc eandem sententiam tenet *Suarez in 3. partem d. Thomae tom. 3. disput. 86. sect. 1. et tom. 4. de religione*

*) Vd. *p. 695.*

**) *Applicat. missae pro populo* (obligatio mansionariorum p. 931).

tract. 8. lib. 2. cap. 3. n. 7, ubi ait: Haec autem jure generaliter loquuntur de omnibus dignitatibus ecclesiasticis habentibus curam animarum annexam, sub quibus sine dubio comprehenduntur etiam praelationes regulares, habent enim sine dubio curam ordinariam et ex officio vere praelationes et dignitates ecclesiasticae sunt.« Ita enim tenent *Pasqualigus de sacrific. novae legis quaest. 847. n. 9. etc., Tambur. de jure Abbatum tom. 2. disp 4. q. 5. n. 5, Thomas Hurdatus resolut. 4. n. 46.* et recentissime *Bernardus Van-Espen. jur. eccl. univers. tom. 1. p. 1. tit. 31. c. 10. et 11. et Rotarius in sua theol. Regularium.*

Patavina.

In castro *Sacci* una est parochialis et collegiata ecclesia sancti Martini. In eo cura animarum ita ex vetusta bulla Eugenii IV. lata *die 2. Octobris anni 1437* exercetur, ut totum castrum una cum suburbiis dispertitum sit in quinque regionibus, quibus singulatim praeest Archipresbyter et quatuor Canonici nec alter in alterius assignatam portionem sese immiscet. Limitrophae huic castro sunt et olim Collegiatae subjectae quinque rurales paroeciae in villis *Bruggine, Arzavello, Compagnola, Priovega, Pontelongo.* Quinque capellani amovibiles, qui nominantur ab Archipresbytero et Canonicis Collegiatae s. Martini et ab Episcopo approbantur, curam animarum exercent. Controversia modo orta est inter Canonicos et capellanos, qui in ruralibus paroeciis resident: num illi aut isti celebrare et applicare teneantur missas pro populo. Cum ab Ordinario mandatum fuerit, ut capellani ad applicationem, tenerentur, nec Canonici huic decreto acquiescere velint, postulatum proponunt capellani, uter ad hanc applicationem teneatur. Vicarius capitularis multa suppeditat inferius recensenda ad hanc controversiam decidendam, ex quibus censet teneri capellanos in respectivis paroeciis ruralibus ad hanc applicationem.

Ex Tridentino *sess. 23. cap. 1. de ref.* ii tenentur pro ovibus suis *sacrificium offerre*, quibus *animarum cura commissa est*, adeoque qui habet actualem curam animarum tenetur ad applicationem missae pro populo, ut declaravit s. m. Bened. XIV. in constit. edita *die 19. Augusti 1744*, cujus initium: *Cum semper oblatas*)* et cohaerenter sacra Congregatio in *Calaguritana Applicationis missae pro populo 12. Decembris 1764*, in *Oveten. 22. Januarii 1774*)*, in *Tyburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801* et in *Patavina Missae pro populo 14. Aprilis 1804.***) Hoc itaque unum inquirendum erit, num cura actualis quinque paroeciarum ruralium resideat penes Archipresbyterum et Canonicos sive potius apud capellanos. Atque in hac re exponam, quae vicarius capitularis in utramque partem deducit. Actualem curam animarum super quinque ruralibus paroeciis sibi vindicant Archipresbyter et Canonici, quibus data est ex constitutione Eugenii IV. *anni 1437.* Cum vero paroeciae hujusmodi olim unitae erant ecclesiae parochiali Sacci, hinc Archipresbyter et Canonici retinent actualem curam super hisce paroeciis. Quo fit, ut non parochi sed capellani deputentur in hisce paroeciis, ut eligantur ab Archipresbytero et Canonicis, ut ab his stipendium illis solvatur, ut sint amovibiles ad nutum. Quibus addunt quod in codicibus parochialibus aliquando adnotatum legitur, quod actus parochiales gesti fuerint a capellanis de licentia Archipresbyteri vel Canonicorum.

Nihilominus vicarius capitularis censet, quod cura actualis resideat apud capellanos. Nam in bulla Eugenii IV., quae portiones Castri Sacci dividit et Archipresbytero et Canonicis assignat, nulla mentio fit de ruralibus paroeciis. Quamquam vero istae essent olim unitae ecclesiae parochiali Sacci, attamen nunc sunt prorsus separatae, cum singulae habeant propriam ecclesiam et distinctum gregem. Non autem quaerendum esse putat, quo nomine appellentur ii, qui paroeciis hujusmodi praeficiuntur, utrum capellani seu potius parochi, cum inspiciendum sit, quae jurisdictio eis tribuatur. Nec etiam si capellani hujusmodi eligantur ab Archipresbytero et Canonicis, ab eisque stipendium accipiant et ad nutum removeri possunt, idcirco hoc jus parochialitatis non tribuit Arpresbytero et Canonicis sed tantum juspatronatus vel curae habitualis.

Caeterum cura actualis data est capellanis. Nam post factam electionem ab Archipresbytero et Canonicis confirmantur ab Episcopo, qui eis facultatem concedit *administrandi tam Sacramenta quam Sacramentalia.* Id quod decretum fuit in s. visi-

*) Vd. *p. 695.*

**) Vd. *p. 872.*

**) Vd. *p. 931.*

tatione anni 1576, ut scilicet capitulum capellanos eligeret et ab Ordinario approbarentur. *Et anno 1609* cum vacaret cura ecclesiae *di Campignola*, injunctum fuit Canonicis, ut capellanum eligerent, et sub poena suspensionis eis prohibitum, ne in administratione curae sese immiscerent. Hinc in contingentibus vacationibus, si opus est, Canonici oeconomum deputant, quod manifesto demonstrat eosdem curam actualem non retinere. Adeo vero capellani independenter a Canonicis curam exercent, ut *anno 1674*, cum Archipresbyter Sacci celebrare vellet matrimonium in ecclesia *Burgine*, veniam a capellano petivit. Et anno 1788 Archipresbyter licentiam impetravit ab Episcopo, ut celebrationi matrimonii in una rurali ecclesia adesset. Hinc concludit quod cura actualis penes capellanos residet.

Ex his deliberandum venit:

An in quinque respectivis ruralibus paroeciis di Burgine, Arzavello, Campagnola, Priovega et Pontelongo missa pro populo applicanda sit ab Archipresbytero et Canonicis Collegiatae s. Martini seu potius a capellanis curatis in casu etc.?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 8. Mart. 1806.

In relatione satus ecclesiae Archiepiscopi Tarraconensis ad sacram hanc Congregationem transmissa *die 22. Decembris praeteriti anni 1806* hoc proponitur *posulatum:*

Cum in dioecesis perlustratione reperissem neminem ex XXVII vicariis ruralibus, qui totidem inserviunt suffraganeis ecclesiis, festis diebus missae sacrificium pro populo offere, eo praesertim, quia nec sunt proprii parochi nec synodo adsistunt nec synodali examine praevio proponuntur nec ipsorum ecclesiae propriam parochiam matrice disjunctam constituant, sed ab illis gerantur dependenter a matricis rectore, in quo residet habitualis cura animarum, tamen attenta considerans eos ab iis, qui perpetui dicuntur, nomine tantum differre non re: quamquam enim a rectoribus nominantur, Ordinarii decreto instituuntur nec nisi ab eodem possunt amoveri suasque vicarias ordinaria auctoritate erectas separatim regunt a matricis rectore, animarum curam in diversis oppidis omnimode implentes, baptismata, confirmationes aliaque suis matriculis vulgo *quinque libris* inscribentes, matrimonia publicantes, licet matricis sit alter contrahentium, caeteraque peragentes, quae ad literam explicantur in constitutione Benedicti XIV. incipiente: *Cum semper oblatas*)*, non dubitavi decretum edere eos constringens ad celebrandum pro populo in diebus festis. Verum cum desuper allatis rationibus hujusmodi decreto resistant, ad eliminandas, quae oriuntur, dubitationes sedandosque conscientiae motus tutius duco EE. VV. super his consulere, ut Vestra responsione cautus certo sciam quid in praesentiarum sim acturus.

Commissum est Archiepiscopo, ut audiret vicarios *in scriptis*. In sua *informatione* respondit: *Nutalibus vicariis jussi, ut mihi in scriptis rationes exponerent, quibus se eximi petunt ab onere missae sacrificium offerrendi pro populo diebus festis; parochos, quorum interest, a quibusque vicarii dependentiam habent et congruam sustentationem suscipiunt, pariter consulere duxi, quorum omnia responsa prospiciens invenio fundamenta et rationes, quibus parochiarum rectores nituntur ad liberandos vicarios nutales ab onere hujusmodi, easdem ad literam esse cum iis, quas EE. VV. patefeci in mea visitatione ad sacra limina. Quapropter addendum solummodo censeo praedecessorem meum Copons, cum conscius fuisset parochos quosdam dubitare, num vicarii missam teneantur pro populo diebus festis offerre, encyclicam literam ad ipsos pertulisse, qua eos declaravit exemptos et liberos. Cujus vestigiis fortasse inhaerens praedecessorum alter Armagna declarationem consimilem ad parochos emisit. Horum omnium a conspectu, nihilque obsistentibus enarratis declarationibus, nec consuetudine servata eorum virtute, constitutionem Benedicti XIV. attente considerans videor ad celebrandum pro populo diebus festis teneri omnes vicarios nutales, quia a rectoribus independenter curam gerunt quique visitationi Episcopi subjecti tenentur in ea parochiales libros (quinque libros vulgariter dictos) exhibere eidem; et tandem in eorum ecclesiis Eucharistiae Sacramentum fidelium venerationi et infirmorum viatico servatur et fontes existunt baptismatis.*

Omnis dubitandi ratio in eo est, utrum in ecclesiis, quae in dioecesi Tarraconensi *suffraganeae* vocantur, cura actualis resideat penes rectorem ecclesiae matricis seu potius

*) Vd. *p. 695.*

apud vicarium *nutalem*, quem ita appellant vicarium ad nutum amovibilem. Nam cum ex Tridentino *sess. 23. cap. 1. de reform.* ii teneantur pro ovibus suis *Sacrificium offerre*, quibus *animarum cura commissa est*, ita tenentur applicare missam pro populo, qui actualem curam exercent, licet sint vicarii ad nutum amovibiles, ut declaravit s. m. Benedictus XIV. in *constit.* edita *die 19. Augusti anni 1744*, cujus initium: *Cum semper oblatas*, et definivit s. Congr. in *Calagurritana Applicationis missae pro populo 12. Dec. 1764*, in *Oveten. 22. Jan. 1774**), in *Tyburtina Applicationis missae pro populo 21. Nov. 1801* et in *Patav. Missae pro populo 14. Apr. 1804.***)

Vicarios hujusmodi nutales negant apud se residere curam actualem, quia nec ecclesiis suffraganeis proponuntur praevio examine nec synodo adsistunt nec habent propriam paroeciam disjunctam a matrice, sed cura ab illis geratur dependenter a rectore. Ex his deducunt, quod non proprio jure curam exerceant, sed tamquam ministri rectoris matricis, proptereaque non ad eos pertineat cura actualis, ut tradunt *Gabriel. cons. 190. n. 10, Card. de Luca de paroch. disc. 22. n. 7, Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. n. 14. n. 100.* Deinde se exemptos ab hac applicatione putant consuetudine atque ex declarationibus vulgatis a praedecessoribus Archiepiscopis *Copons et Armagna.*

Nihilominus modernus vigilantissimus Archiepiscopus censuit Vicarios hujusmodi veros esse parochos et apud eos curam actualem esse, proptereaque decreto suo in s. visitatione edito eosdem ad applicationem missae compulit. Quamquam enim *nutales* appellentur, nomine tamen, non re ipsa a vicariis perpetuis diversi sunt. Nam vicariae, quas regunt, authoritate ordinaria erectae sunt, in eisque vicarii nutales, licet a rectoribus matricis nominati, decreto Ordinarii instituuntur, nec nisi ab eodem Ordinario possunt amoveri. Separatim regunt curas a matricis rectore, fontes baptismatis habent et ss. Eucharistiae Sacramentum in propriis ecclesiis custodiunt, viaticum deferunt, matrimonia publicant, licet alter contrahentium matrici ecclesiae subjectus sit, baptismata in propriis codicibus adnotant, visitationi Episcopi subjiciuntur. Quae omnia evincunt eosdem vicarios licet amovibiles proprie tamen esse parochos et actualem curam animarum habere. Consuetudinem porro despiciendam esse putat Archiepiscopus, cum potius dicenda sit abusus, ubi juri divino et ecclesiastico repugnat, ut docuit *Rota decis. 57. n. 6. cor. Sancetta* et *decis. 91. n. 9. coram Veri.*

Et quamquam Archiepiscopus in sua *informatione* observet, quod vicarii nutales putent se exemptos ab onere applicandi missas pro populo ex declarationibus praedecessorum Archiepiscoporum *Copons et Armagna*, attamen falsa interpretatione capti hoc opinari videntur. In hisce enim declarationibus numquam expresse ab hoc onere vicarii *nutales* eximuntur et idcirco forsan se exemptos putant, quia nominatim hoc eis onus non datur. Sed falsa haec videtur interpretatio. Nam declaratio ab Archiepiscopo *Copons* vulgata fuit *die 22. Septembris anni 1745*, postquam ipse consulerat hanc sacr. Congregationem super nonnullis quaestionibus ortis quoad applicationem missae pro populo et postquam s. haec Congregatio eidem Archiepiscopo pro norma transmisit recentissimam tum constitutionem Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas.* Quod si Archiepiscopus Copons in illa declaratione voluit hanc ipsam constitutionem evulgare ejusque exequutionem decernere, inverosimile profecto videtur, quod ab onere applicationis voluerit vicarios nutales eximere, quando in constitutione Benedictina vicarii amovibiles huic oneri subjiciuntur. Verum oporteret verba ipsius declarationis detorquere, ut vicarii *nutales* saltem ex interpretatione exempti dicerentur. Nam aperte declarat: *Che nelle chiese unite amministrate da vicari con salario e porzione limitata di frutti e rendite resta a carico di questi l'adempimento del sopradetto obligo.* Atqui vicarii *nutales* non alii sunt, quam qui ecclesias *suffraganeas* administrant certo constituto stipendio, proptereaque ex ipsa declaratione Archiepiscopi *Copons*, quam posteriori alia declaratione *6. Augusti 1789* confirmavit Archiepiscopus *Armagna*, ad applicationem Vicarii *nutales* teneri videntur.

Ex his in utramque partem disputatis EE. VV. deliberare dignabuntur:

An 17 Vicarii nutales teneantur ad applicationem missae pro populo, ita ut decretum ab Archiepiscopo in s. visitatione latum sit exequendum in casu?

S. C. resp.: Affirmative in omnibus.

Die 21. Novembris 1807.

*) Vd. *p. 872.*
**) Vd. *p. 931.*

Vici-Equen.

Vicarius capitularis ecclesiae Vici exponit quod capitulum Cathedralis habet curam habitualem et singulis annis eligit aut confirmat parochum de gremio capituli, qui curam animarum exercet eique capitulum annua ducata *quindecim* subministrat. A pluribus annis neglecta fuit celebratio missae *pro omnibus seu pro populo*. Nam missa conventualis quotidie celebratur a Canonicis, sed missa pro populo neque a capitulo neque a parocho celebratur. Quare vicarius vos consulit EE. PP., a quo missa pro populo applicanda sit: *an a capitulo seu potius a parocho*. Super hoc postulato multa perconctatus sum ab ipso vicario, quae vobis ad responsum dandum viam sternerent. In sua informatione refert vicarius constitutiones ecclesiae nihil sanxisse quoad applicationem missae pro populo: parochum numquam eam missam applicasse, quia stipendium pro hac applicatione non recepit: memoriae proditum esse, quod unus ex Episcopis Viciequensibus item intendisset capitulo pro stipendio praestando, sed postea a judicio destitisse: capitulum constare ex septem Dignitatibus et quatuordecim Canonicis, qui tenuissimas habent praebendas, si unam aut alteram excipias.

Cum ex Tridentino *sess. 23. cap. 1. de reform.* ii, quibus *animarum cura commissa est*, teneantur divino praecepto pro ovibus suis *Sacrificium offerre*, sequitur ut ab eis applicanda sit missa pro populo, qui actualem, non qui habitualem curam exercent, quemadmodum definivit s. m. Benedictus XIV. in constitutione: *Cum semper oblatas**), ad cujus normam s. Congregatio semper decernit eos, quibus actualis animarum cura incumbit, teneri ad applicationem missae pro populo, ut caeteris omissis *Calaguritana Applicationis missae pro populo 12. Decembris 1764* et in *Oveten. 22. Jan. 1774.***) Quare si ex his, quae vicarius capitularis proponit, actualis cura residet penes parochum et habitualis penes capitulum, ille non hoc ad applicationem tenetur. Neque hoc onus parochus recusare potest, sive quod sit ad nutum amovibilis sive quod stipendium pro applicatione non habet. Nam etiam vicarii amovibiles, quatenus actualem curam exerceant, coguntur ad applicationem in laudata constitutione Benedictina, et applicatio haec facienda est ratione muneris non stipendii, ita ut parochus si congruam non haberet nihilominus ad applicationem missae pro populo teneretur, ceu definivit s. Congregatio in *Ferentina 25. Martii 1735*. Quare si parochus non habet congruam sufficientem, non potest idcirco ab hoc onere refugere, sed poterit agere juxta decretum Tridentini *sess. 23. cap. 13. de reform.*, ut congruae augmentum consequatur.

Quoad praeteritum modernus parochus, quatenus ad applicationem teneatur, inadimplementum praestare deberet pro tempore quo curam gerit. Utrum ignorantia vel desuetudo videant EE. PP. justa sit causa, cur absolutionem consequatur.

Duo proponuntur dubia:

I. *An et a quo sit facienda applicatio missae pro populo in casu etc.?*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative a parocho actuali.

Ad II: Affirmative.

Die 7. Maji 1808.

Ex constitutione felicis recordationis *Benedicti XIV. edit. die 14. Augusti 1744,* cujus initium: *Cum semper oblatas,* duo haec constituta fuere quoad applicationem missae pro populo, cujus onus ex divino praecepto*) derivare declaravit sacrosancta Tridentina synodus *sess. 23. cap. 1. de reform.* Primum quod missa pro populo applicanda sit ab iis, qui actu exercent curam animarum, propterea que a parochis, vicariis tum perpetuis tum amovibilibus, sive saecularibus sive regularibus, oeconomis ecclesiarum vacantium ac generatim omnibus, apud quos animarum cura actu residet. Alterum vero in citata constitutione praescriptum est, ut ii, quibus onus applicationis injungitur, hoc facere teneantur singulis diebus dominicis caeterisque de praecepto. Et quamquam Episcopi vel alii, qui episcopalem exercent jurisdictionem, in Benedictina constitutione nominati non sint, attamen communis sententia tenet Episcopum aliosque jura episcopalia exercentes, quibus impensius quam parocho animarum cura commissa est, ad applicationem teneri aeque ac alios, qui curam animarum actu exercent, ut tradit *Naldi in Summa verb.: Parochus num. 19, Monacell. for. eccles. tit. 16. formul. 2. num. 24, Girald. jur. pontific. part. 2. sect.*

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *p. 872.*

*) Vd *p. 921.*

83. §. An vero, et caeteri, quos affert *Ferraris biblioth. verb.: Missa artic. 3. num. 11.*

Die 17. Septb. 1814. *Nullius Ferentilli.*

Camerinen.

In oppido sanctae Nataliae Camerinen. dioecesis extabat Collegiata s. Martini, cujus bona ab italico regimine usurpata fuere. Quatuor ex illius Canonicis, qui primae erectionis dicebantur, curam animarum *habitualem* habebant; *actualis* vero cura exercebatur a vicario per capitulum electo et ab Ordinario approbato, eique solvebatur stipendium scutatorum *sexaginta* a Canonicis curatis, qui per turnum missas pro populo in diebus festis celebrabant, prout etiam alia missarum legata bonis capitularis massae infixa adimplebant.

Sequuta bonorum capituli occupatione Demanii nomine anno 1812 assignata est singulis Canonicis pensio scutatorum *nonaginta*, qui prius ex propriis praebendis annua circiter *scutata 110* percipiebant. Vicario vero curato idem stipendium scutatorum *sexaginta* annuatim solutum est. Putarunt tunc Canonici, liberam sibi addicere pensionem, quin amplius tenerentur in posterum legata missarum satisfacere et missam pro populo celebrare. Ita etiam vicarius curatus, qui eamdem ut in antecessum stipendii quantitatem percipiebat, a celebratione missae pro populo sese abstinuit, ita ut quingentum circiter Sacrificia inadimpleta remaneant. Notandum etiam quod ab anno 1812 in posterum nec a Canonicis nec a vicario curato explicetur singulis diebus festis evangelium.

Asserunt Canonici usque ab initio sententiam ea de re rogasse Ordinarii tunc temporis Archiepiscopi Benincasa, qui respondit:

»*Gli obblighi de' legati delle collegiate soppresse sono portati con l' avocazione de' loro fondi al governo.*«

Decursis jam tot annis, quin bonorum restitutio facta fuerit Collegiatae, dubitarunt Canonici, qui adhuc eamdem percipiunt pensionem: An eorum opinio satis esset, ut possent tuta conscientia a praedictis oneribus immunes evadere. Hinc supplices s. hujus Congregationis oraculum postularunt tum quoad applicationes missae pro populo tum quoad satisfactionem legatorum.

Rogavi Archiepiscopum, ut de illorum instantia referret auditis ipsis Canonicis, vicario curato et promotore fiscali. Tum primi tum secundus tuti sunt, ut exemptionem a praedictis oneribus sustineant; at promotor fiscalis, cui sententia sua adhaeret Ordinarius, putat evanuisse obligationem quoad legata, utpote quae infixa erant bonis, quae nondum restituta fuere, secus vero putat quoad applicationem missae pro populo, quae tamquam personale onus ab iis adimpleri debet, qui curam animarum exercent.

S. Tridentina synodus *sess. 23. cap. 1. de reform.* haec decernit: »*Praecepto divino**) *mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere,*« et *sess. 5. cap. 2. de reform.* praecipit omnibus curam animarum habentibus: »*Diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem.*

Has ss. Concilii sanctiones doctissime juxta ejus morem illustravit s. m. Benedictus XIV. in sua notificatione *num. 40. inter impressas*, dum Bononiensem cathedram tenebat. Id ipsum quoad obligationem instruendi plebem salutaribus verbis singulis diebus dominicis aliisque festis statuitur in *s. Concilio romano tit. 1. cap. 4.* et in *constitutione s. m. Innocentii XIII. super ecclesiastica disciplina regnorum Hispaniarum*, quae a s. m. Benedict. XIII. confirmata fuit *const.: In supremo, impressa post concil. rom. in ordine num. 16,* et constanti sententia pluries decrevit haec s. Congregatio ac praesertim in *Comen. 11. Maji 1726,* in *Camerinen. 25. Januarii ejusdem anni*, in *Ferentina 15. Maji 1735* et *Vici-Equen***) *Missae pro populo 7. Maji 1808.* Praesertim vero quoad applicationem missae pro populo omnem dubitationem sustulit celeberrima constitutio ejusdem Summi Pontificis Benedicti XIV., cujus initium: *Cum semper oblatas,****) in qua ita expresse sancitur: »*Licet parochi seu alii animarum curam habentes congruis redditibus destituantur, missa pro populo nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*«

Attamen nec quatuor Canonici, qui curam habent habitualem, nec vicarius, qui actualem exercet, putant modo gravari posse onere celebrandi missam pro populo. Quoad vicarium eidem opitulari videtur observantia, quae sine contradictione admittitur, numquam vi-

*) Vd. *p. 921.*
**) Vd. *p. 900.*
***) Vd. *p. 695.*

carium curatum applicasse missam pro populo, sed huic oneri obnoxios fuisse per turnum quatuor Canonicos primae erectionis. Notandum etiam in facto est, eundem vicarium a tempore sequutae usurpationis bonorum usque modo idem percipere stipendium scutatorum sexaginta a gubernio, quod ante invasionem a Canonicis exsolvebatur. Et licet in laudata constitutione *Cum semper oblatas* quaevis contraria vel longissima consuetudo abrogetur, ut ea non obstante missa pro populo omnino offeratur, nihil tamen sancitum in ea videtur, quo vetita sit consuetudo, ut missa ab habente curam habitualem celebretur.

Canonici vero primae erectionis putant cum suppressione Collegiatae, quae nondum revixit, extinctam in ipsis fuisse curam habitualem ac proinde ab omni illius onere immunes evasisse. At non latet Eminentissimos Patres hanc Collegiatae suppressionem factam fuisse a laica potestate, cui nullum jus esse potest in re spirituali et super bonis ecclesiasticis. Ajunt insuper Canonici, italicum gubernium in stabilienda pensione scut. 90 favore uniuscujusque Canonici praeter legata deduxisse etiam onus missae pro populo; atque inde concludunt hoc idem onus in eum transisse, qui Collegiatae bona adhuc retinet. At contra eos opponit promotor fiscalis distinctionem inter onera, quae fundis inhaerent, quaeque ablatis fundis sive etiam ab illegitima potestate per vim et usurpationem sive etiam peremptis ex inculpabili causa adimpleri non possunt, et onus personale, cujus naturae est applicatio missae pro populo, quod adimpleri debet ex officio, non correspective et pro rata reddituum, quodque vel diminutis vel etiam ablatis bonis haud evanescit, ex superius dictis ac praesertim ex const.: *Cum semper oblatas.*

Nec praetereundum est redditus, cujusque canonicatus ante invasionem fuisse scutatorum 110, ex quibus demenda erat congrua vicarii curati in annuis scutatis sexaginta, sive pro rata scutatorum quindecim pro unoquoque Canonico; unde annuus redditus ad scutata nonaginta quinque reducebatur, injuncto onere servitii choralis.

At enim favore quatuor Canonicorum et contra vicarium curatum animadverti posset a saepiuslaudata constitutione: *Cum semper oblatas* definitum fuisse, eos, qui curam habent *actualem,* sive perpetui curati sive amovibiles sint sive etiam non habeant stipendium pro applicatione, semper ex munere curati teneri ad applicationem missae pro populo, unde videtur hoc onere gravari eos, qui curam *actualem* exercent, non vero illos, qui *habitualis* tantum gaudent honore. Ita s. Congregatio censuit in *Calaguritana Applicationis Missae pro populo 12. Decembris 1764,* in *Oveten. 22. Januarii 1774.**) et in *Vici-Equen.***) *Missae pro populo 7. Maji 1808.*

Aliquid addendum superest quoad praeteritas omissiones. Hae respiciunt tum legata tum missas pro populo. Quoad legata defecerunt fundi pro iis obnoxii et ad ea adimplenda non teneri Canonicos a die expoliationis bonorum putant tum Ordinarius tum promotor fiscalis. Quo vero ad missas pro populo vicario opitulatur bona fides ex consuetudine, cujus vigore hae missae a Canonicis per turnum, non a vicario applicabantur; Canonici pariter in medium afferunt bonam fidem, qua putarunt ab hoc onere exemptos fuisse post obsequutam bonorum usurpationem, praesertim cum Archiepiscopus Benincasa ipsis responderit: »*Gli obblighi de' legati delle Collegiate soppresse, sono portati con l' avocazione de' loro fondi al governo.*« Videant ergo EE. Patres, utrum haec tanti sint, ut bonam fidem non quoad legata tantum, sed etiam quoad missas pro populo, quae in numero circiter quingentum inadimpletae fuerunt, adstruere valeant quaeque necessario requiri pro obtinenda absolutione docuit s. Congregatio in *Narnien. Reductionis 18. Febr. 1783* et in *Firmana 9. Aug. 1817.*

Proponuntur dubia:

I: *An et ad quem spectat onus celebrationis missae pro populo in casu?*

II: *An et a quo tempore sit concedenda suspensio legatorum in casu?*

III: *An et ad quem spectat onus instruendi plebem salutaribus verbis singulis diebus dominicis aliisque festis in casu?*

IV: *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad quatuor Canonicos primae erectionis ad formam consuetudinis.

Ad II: Dilata et Archiepiscopus referat: an et quam compensationem capitulum receperit pro legatis piis.

Ad III: Affirmative ad vicarium curatum.

*) Vd. *p. 872.*
**) Vd. *p. 900.*

Ad IV: Affirmative celebratis sexaginta missis per quatuor Canonicos applicandis pro populo.

Die 16. Decbr. 1820.

Continuatio Camerinen.

Datis igitur literis juxta s. Congregationis in secundo dubio rescriptum haec retulit Archiepiscopus: Requisito capitulo Collegiatae s. Martini oppidi sanctae Nataliae: an et quam compensationem receperit pro legatis piis, de quibus agitur, respondit: nullam compensationem habuisse.

At quoniam ex hoc brevi responso dubitari adhuc poterat: an saltem in ejusdem Collegiatae redintegratione aliquam compensationem recepissent Canonici pro bonis alienatis, iterum idcirco Archiepiscopo literas dedi, ut audito capitulo referret: an Collegiata fuerit redintegrata vel proxime redintegranda foret, et de bonis a publico aerario receptis vel recipiendis in compensationem fundorum alienatorum sive separatim pro legatis sive conjunctim assignatis pro praebenda et distributionibus aliisque oneribus loco pensionis.

Novum exscribo Archiepiscopi responsum in haec verba: »Audivi capitulum, a quo responsum habui, praefatam Collegiatam fuisse redintegratam quoad Canonicos nuncupatos primae erectionis tantum, eidemque restituta fuisse omnia bona, praeter Pistrinum ad usum molendi olivas et terrenum adnexum, et de his nec separatim pro legatis nec conjunctim pro praebenda et distributionibus aliisque oneribus loco pensionis nullam hactenus a publico aerario compensationem habuisse.«

Quare cum canonicatus suppressi eorumque bona a Demanio usurpata fuerint nec ulla pro legatorum satisfactione compensatio Canonicis assignata sit, jure merito ipsi postulare videntur legatorum suspensionem, nam explorati juris est, quod cessantibus beneficii redditibus cessare debeat onerum implementum, *Felin. in c. Cum accepissent num. 19. de constit.; Reinfest. lib. III. decret. tit. 1. de praeb. et dignitat. n. 114.* Pensio autem Canonicis sub italico regimine certe assignata non fuit in titulum beneficii, ut ecclesiae ministrarent et testatorum ordinationibus seu piis legatis satisfacerent. Nam enim de beneficiis ecclesiasticis solliciti non erant ii, qui ipsa beneficia supprimere attentabant et a quibus chorale capituli servitium prohibitum, et gli obblighi dei legati . . . . portati con l' avvocazione de loro fondi al governo, prout defunctus Archiepiscopus de sua sententia rogatus Cononicis, ut sibi tutius consulerent, interrogantibus responderat.

Verum cum canonicatuum suppressio haud legitime facta fuerit, Canonici ex ea dispensari minime poterant ab iis omnibus peragendis, quae adhuc poterant ac debebant peragere. Servitium quidem chorale capitulariter praestare nequibant, utpote a gubernio vetitum, ad illud propterea minime eos teneri dicendum. Piis autem legatis satisfacere nemo umquam prohibuit: poterant ergo illa adimplere Canonici. At debuisse quoque dicendum videtur. Nam licet beneficiorum fructus praecise non perciperent, aequivalens tamen in pensionibus percipiebant emolumentum, quod subrogatum fuisse redditibus canonicatuum suppressorum haec s. Congregatio declaravit in *Nullius Foropompilii 16. Decbr. 1820,* quod magis magisque in casu locum obtinet, cum pensiones Canonicis assignatae praebendarum priores fructus ita aequarent, ut vix aut ne vix quidem eorum redditus imminuti esse viderentur. Quamvis enim in quinque scutatis annuis canonicales redditus imminuti essent, ut ajunt Canonici, chorali tamen servitio, bonorum administratione ac reddituum ambiguitate cum liberati fuerint Canonici, satis superque compensationem pro imminutione videntur recepisse, ac propterea ad onerum quoque seu legatorum satisfactionem fuisse obligatos. Nimis enim aequitati naturali consonum est, ut qui, juxta notissimam *regulam 55. juris in 6,* alicujus rei percipit emolumenta, etiam onera eidem adnexa sufferre debeat, et concordant leges civiles in *l. un. §. 4. ad fin. c. de caduc.* Hinc etiam leges canonicae sanxerunt, quod, qui percipit fructus beneficii, onera quoque suffere debeat, secus autem si fructus percipere non possit, *cap. audientiam 15. de cleric. non resid.* et *c. un. eod. in 6,* praesertim quia beneficium datur propter officium, *c. fin. de rescrip. in 6.*

Videant ergo PP. EE. reassumpto folio praefatae Congregationis diei 16. Decembris anni 1820, quomodo dirimendum sit secundum, quod in eo propositum fuerit, dubium quodque hic reponitur:

An et a quo tempore sit concedenda suspensio legatorum in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus.

Die 9. Febr. et 27. Apr. 1822.

Missam pro populo applicare debent ii, quibus actualis animarum cura commissa est, ut sanxit *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1 de reform.* et declaravit Bened. XIV. in notissima constitutione *Cum semper oblatas**) verbis illis: *Mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, teneantur missam parochialem applicare pro populo ipsorum curae commisso.*

Immo hoc onus adeo animarum curatoribus inhaeret, ut, nisi legitime impediantur, per se ipsos illud implere debeant, ut respondit s. Cong. in *Comen. Missae parochialis 11. Maji 1720 ad III. et V. dub.*, in *Fesulana Missae parochialis 26. Januarii 1771 ad II. dub.* et in *Castri Albi VV. ss. LL. 18. Julii 1789. ad II. dub.*, nec valeant ex consuetudine in beneficiatos ejusdem ecclesiae transferre, veluti eruitur ex *cit. Castri Albi ad I. dub.*, praesertim si consuetudo ex errore inolevit, s. Cong. in *Tiburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801. §. Neque.* Itaque si Archipresbytero s. Petri tamquam animarum curatori imminet onus applicandi missam pro populo suae tantum curae commisso, si hujusmodi onus ipsius parochi personae inhaeret, abusus et corruptela dicenda est inducta observantia ac propterea nihili facienda.

Animadvertit vero Archipresbyter et Episcopus, eam fuisse Tridentini Concilii ac Benedicti XIV. mentem, ut parochi, quavis contraria vel longissima non obstante consuetudine, pro suis quidem ovibus Sacrificium offerent; non autem mens fuit quamcumque abrogandi consuetudinem, qua animarum curam habitualem habentes aut alii ejusdem ecclesiae beneficiati missam pro populo parochi loco litarent. Et revera sacra haec Congregatio in *Camerinen. Missae pro populo 16. Decembris 1820.**)* rogata: An ad vicarium seu potius ad Canonicos primae erectionis, qui habitualis tantum curae honore potiebantur, spectaret onus celebrationis missae pro populo, responsum dedit: *Affirmative ad quatuor Canonicos primae erectionis ad formam consuetudinis.*

Die 21. Novbr. 1829. *Verulana.*

Per epistolam encyclicam s. m. Benedicti XIV.*) cautum est, ut omnes et singuli, qui actu curam animarum exercent et non solum parochi et vicarii saecul. verum etiam regulares omnibus dominicis aliisque diebus festis de praecepto missam parochialem pro populo applicare teneantur. Duplex de hujus constitutionis sensu dubium exortum est:

Num non solum parochi et qui parochi vices fungentes curam primariam exercent, sicut hic habetur consuetudo, sed etiam omnes cum subsidiaria fungentes ad applicandum pro populo diebus festis obligentur? Contra hanc extensionem, quam pauci aut nulli, sequuntur, nobis vox *missa parochialis*, quae tamen solum unicum et ex sensu communi Sacrum solemne**) significat, rationem fundatam porrigere videtur.

Denique dubitatur:

*Num etiam in illis diebus festis, qui, jam pridem auctoritate Sedis apost. interveniente, hic locorum sunt abrogati***) et hodie, ut dicunt, non in foro sed solum in choro celebrantur, ita ut quoque obligatio fidelium ad audiendum Sacrum sit sublata, adhuc obligatio parochi ad applicandum pro populo Sacrum perseveraret?*

Antiqua constitutione Ep. Monasterien. de anno 1772., quae vero in desuetudinem abiit vel etiam numquam in praxim deducta est, statutum fuit quod antiqua obligatio applicandi pro populo abrogatione festorum non tolli intendatur. Et S. eadem C. ad Vaticanas aedes ordinariis in comitiis hac die coadunata audita relatione rescribendum censuit:

Quoad primam partem solum teneri, qui animarum curam *primariam* exercent; quoad secundam partem: juxta alias decreta teneri etiam in festis legitime abrogatis.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 14. Junii 1845.

*) Vd *p. 695.*
**) Vd. *p. 901.*

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *p. 880 n. IV.*
***) Vd. *p 908 n. XVII.*

XVI. Obligatio non est eis, qui curam animar. non habent.

Vd.: Applicat. missae pro populo (Applicare debetne parochus secundam missam parochialem, si binatio etc. p. 876); *p. 872 n. 8; p 917 §. Quaerit.*

Cameracen.

Archiepiscopus Cameracensis sequentia exponit: »Cum decessor meus Emmus Cardinalis Giraud postulasset a fel. rec. Gregorio

XVI, ut sua apostolica auctoritate sancire dignaretur facultatem, quam RR. DD. Belmas, primus a concordato tunc 1801 Cameracensis Episcopus, parochis suae dioecesis propria auctoritate concesserat bis missam celebrandi, in diversis tamen ecclesiis, diebus commemorationis omnium fidelium defunctorum, Purificationis b. M. V., cinerum, feria V. majoris hebdomadae, sabbato sancto et vigilia Pentecostes, ab Emo Cardinali Polidoris, tunc s. Congregationis Concilii praefecto, sequens responsum accipit:

De adjunctis Amplitudinis Tuae precibus cum ad SSmum Dominum nostrum relatum fuerit, placuit eidem Sanctitati Suae eadem et tibi dare responsa, quae ad alios quoque Antistites per hanc sac. Congregationem Concilii transmissa sunt. Ordinariorum scilicet esse de re cognoscere et perpendere: num revera necessitas urgeat, ut sacerdos duas missas celebrare cogatur, nec aliter utendum concessa hac iteratione, quam juxta conditiones ab ipsis apponendas habita locorum, popularium et paucitatis sacerdotum ac proinde verae necessitatis ratione, de qua legitur Bened. XIV. constit.: *Declarasti**) . . . ad Episcopum Oscensem anno 1746, et in ejus opere de sacrificio missae *lib. 3. cap. 5 et 6.* Ipsorum vero conscientia oneratur stricte nec permissio concedatur generaliter, quasi privilegium alicui sacerdoti, sed ob peculiares casus et necessitatis causa ab ipso examinata, qui praeterea monet parochos, quibus facultatem iterum eadem die secundam missam celebrandi concessit, ne eleemosynam vel stipendium a quovis et sub quocumque praetextu pro ea percipiant juxta decreta alias edita a s. Congregatione, sed eam pro populo sibi commisso gratis applicent.«

Porro circa hanc obligationem gratis applicandi missam suborta est apud multos dubitatio, quia

I circumferuntur sequentes S. Rituum Congreg. responsiones: »Parochus Heistermacen in Keken**) hujus dioecesis propter necessitatem populi licentiam obtinuit diebus Dominicis et festivis bis celebrandi in ecclesia parochiali et pro hoc officio suscepto a parochianis, qui alias multo majoribus sumptibus, quod non possunt, sacellanum sustentare tenerentur, remunerationem quandam accipit. Quaeritur: *Num respectu hujus remunerationis obligetur etiam hanc missam secundam, de cujus applicatione nihil stipulatum est, pro populo sive parochianis remunerationem praebentibus applicare pro futuro, uti ipsam missam parochialem, numque pro praeterito propter omissam bona fide hanc applicationem aliquid restituere teneatur?*

II. Deinde saepius in hacce dioecesi contingit propter latitudinem parochiarum, quod in iis sacella inveniantur, ubi dominicis et festivis diebus sive ex fundatione sive ex contractu parochi et parochianorum missa celebrari debeat pro incolarum ab ecclesia parochiali remotorum, in primis seniorum et infirmorum necessitate vel commoditate. Viget consuetudo, quod, si per fundationem vel contractum de applicando Sacro ad certam intentionem nihil statutum sit, in ejusmodi casibus celebrans pro alio stipendio applicet vel ad propriam intentionem. Quaeritur: *Num haec consuetudo, de cujus legalitate dubitatur, pro futuro permittenda et num pro praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis, qui bona fide ea usi sunt?*

S. C. resp.

Ad I: Negative in casu.

Ad II: Posse permitti.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 11. Junii 1845 in *Monasterien.*

Plures theologi, inter quos Emus Cardinalis Gousset *(Theolog. moral. 2. n. 290)* et rever. mem. D. Bouvier, Episcopus Cenomanensis *(de eucharistia cap. 6. art. 3.)* gratuitae hujus applicationis obligationem negant.

Quae cum ita sint, humiliter postulo sequentium dubiorum solutionem:

1. An parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante reddituum exiguitate?

2. An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur?

3. An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur?

Quod si juxta pluries edita a s. Concilii Congregatione decreta haec obligatio supersit

*) Vd. *Missae duae* (non sunt legendae ab uno sacerdote eodem die.)
**) Vd. *p.* 876 n. III.

ac maneat, necessariam dispensationem emisse imploro, ut dioecesis meae parochi, qui bis diebus dominicis et festis celebrant, unius missae, alii vero sacerdotes, qui curam animarum non habent, missae utriusque liberam habeant applicationem ac licite pro iis stipendium percipere valeant, uti hucusque bona fide perceperunt. Ad hanc indulgentiam movere posse videntur multorum res valde angustae et eleemosynae multipliciter ac saepe in bona diversi generis opera erogandae.

Si vero hanc dispensationem s. Congregatio non ducit in futurum concedendam, ipsam humiliter rogo ut pro praeterito saltem attenta bona fide condonationem benigne indulgere dignetur. Hucusque Archiepiscopus.

Praenotandum in facto, sequenti praemissa narratione cl. me. Emum Giraud antecessorem Episcopum Cameracensem confirmationem facultatis binandi pro suae dioecesis parochis postulasse. Pastores et vicarii, qui duabus distinctis et distantibus deserviunt ecclesiis, sive in eadem parochia sive in diversis vicis positis sive illarum una in altera parochia pro tempore pastore orbata existat, hi soli poterunt memorata facultate, scilicet bis in die missam celebrandi, uti in diebus commemorationis etc., ad cujus preces relatum rescriptum prodiit.

In jure autem haec prae oculis habenda videntur. Qui animarum curam exercent, tenentur jure divino applicare missam pro populo sibi commisso, Concil. Trid. *sess. 23. cap. I. de reform.*, s. Congregatio in *Calagvritana Applicat. missae pro populo 12. Decem. 1764* et in *Ovcten.**) *22. Jan. 1774.*; quod quidem onus ita iis inhaeret, ut ab eo vacui ac soluti non censeantur, quamvis tenues sint redditus, cum ad id non obstringantur propter redditus, sed ratione officii, Benedictus XIV. in const.: *Cum semper oblatas*,**) in qua diserte praescribitur, pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere iisdem non licere. Quod si ibid. §. 8 Episcopis facultas tribuitur dispensandi cum parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, licite possint; ea tamen adjicitur conditio, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

Quod vero de parochis, idem de sacerdotibus, qui parocho infirmo aut absente vices ejus gerunt, dicendum ob identitatem rationis. Hinc in cit. constitutione »*Cum semper oblatas*« §. »*Quum enim*« cautum est, vicarios ecclesiarum parochialium, sive perpetui sint sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte teneri ad applicationem missae pro populo ipsorum curae commisso.

Saepe vero quaesitum fuit:

Num parochi duabus parociis unitis praepositi duplicem applicare sive per se sive per alios missam tenerentur?

S. Congregatio autem constanter respondit: Parochos hac obligatione minime solutos esse, excepto casu unionis plenariae et extinctivae, seu formiter discusso articulo declaravit in *Lucen.*) Ap plicationis missarum pro populo 12. Martii 1774.* Proposito enim dubio:

An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alios applicare pro populo in casu?

responsum prodiit »Affirmative exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva et scribatur Episcopo juxta instructionem.

In hac autem instructione s. Congregatio Episcopum certiorem faciendum esse putavit, se nunquam dubitasse, quod parochi teneantur applicatione superdictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae sunt atque incorporatae, cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit. Nec aliter ad hujus doctrinae tramites judicavit in causa *Oveten.***) *Missae pro populo 18. Nov. 1826 ad I. dubium.*

Ad rem de qua agitur facit s. Congregationis decretum nuper editum in causa *Mindonien. Applicationis missae pro populo* proposita inter supplices libellos die 20. Julii

*) Vd. *pag. 872.*
**) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *p. 953.*
**) Vd. *p. 965.*

1854, in qua haec duo a parocho, qui duas regebat paroecias, proponebantur postulata:

I: *An parochi duabus paroeciis praepositi suo muneri satisfaciunt applicatione solius missae dictis diebus pro suo grege existente in duabus paroeciis, quando isti tantum in una celebrent et alius sacerdos illud facit in altera, qui pro sua intentione applicat?*

II. *Si iidem parochi duplicem missam celebrando, scilicet in utraque, ut accidit ubi non est alius sacerdos, qui pro iis celebret, in una earum poterunt unam applicare pro duobus populis sibi commissis et aliam ad libitum eorum?*«

Sacra autem Congregatio, praevia quoad praeteritas omissiones condonatione et absolutione, censuit: Quoad futurum parochum oratorem teneri, donec non constet de omnimoda unione utriusque paroeciae, ad applicationem duplicis missae sive per se sive per alium necnon teneri ad eandem applicationem eos sacerdotes, qui vices parochi absentis vel infirmi gerant.

Ubi itaque parochus duplicem parochialem missam celebrare teneatur, videretur pro neutra eleemosynam posse recipere. Difficultas vero in eo est quando, nimirum agatur de una tantum paroecia vel de duabus paroeciis unione plenaria et extinctiva conjunctis. Nihilominus etiam in hoc casu s. Congregationis ea mens fuisse constanter videtur, quod parochus binandi facultate auctus nec pro secunda missa, quidquid de applicatione censendum sit, eleemosynam lucrari queat. Ita in *Vintimilien. 19. Dec. 1835,* cum ageretur de concedenda facultate parocho, qui uni praeerat paroeciae, ad dubium:

An sit consulendum SSmo pro concessione petiti indulti in casu?

respondit: Affirmative ad decennium, ita tamen ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda missa.«

Quatenus itaque de obligatione in casu gratuitate (etiam quoad ceteros sacerdotes curam animarum non habentes) celebrationis vel applicationis constet, decernendum erit, num sive cum parochis sive cum ceteris sacerdotibus dispensandum sit, ut in posterum illi secundae, isti (quos primam saltem missam applicare debere videtur supponere Episcopus) utriusque missae liberam habeant applicationem et eleemosynam, habita praesertim ratione indigentiae, percipere queant. Cui quidem rei quoad parochos provisum fuit in cit. constitutione Benedictina »*Cum semper oblatas*« in qua ad consulendum parochorum inopiae conceditur facultas Episcopis dispensandi cum parochis, ut diebus festis eleemosynam recipere possint et missam applicare pro benefactore, translata ad alium diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo.

Attenta vero bona fide absolutio quoad praeteritum deneganda non videtur, ceu hisce in casibus in more habet s. Congregatio.

Hisce itaque aliisque momentis rationum, quas Episcopus in sua relatione exponit, perpensis definire rogantur EE. PP. proposita ab eodem Episcopo dubia:

I. *An parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante redditurum exiguitate in casu?*

II. *An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem in die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu?*

III. *An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur in casu?*

Et quatenus affirmative ad I. II. III: IV. An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius missae liberam habeant applicationem et stipendium pro ea recipere valeant in casu?

V. *An et quomodo idem concedendum sit sacerdotibus curam animarum non habentibus quoad utramque missam in casu?*

VI. *An et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad III: Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad IV: Negative, et Episcopus provideat ad formam constitutionis Benedicti XIV. »*Cum semper oblatas*« § 8.

Ad V: Provisum in tertio.

ac maneat, necessariam dispensationem emisse imploro, ut dioecesis meae parochi, qui bis diebus dominicis et festis celebrant, unius missae, alii vero sacerdotes, qui curam animarum non habent, missae utriusque liberam habeant applicationem ac licite pro iis stipendium percipere valeant, uti hucusque bona fide perceperunt. Ad hanc indulgentiam movere posse videntur multorum res valde angustae et eleemosynae multipliciter ac saepe in bona diversi generis opera erogandae.

Si vero hanc dispensationem s. Congregatio non ducit in futurum concedendam, ipsam humiliter rogo ut pro praeterito saltem attenta bona fide condonationem benigne indulgere dignetur. Hucusque Archiepiscopus.

Praenotandum in facto, sequenti praemissa narratione cl. me. Emum Giraud antecessorem Episcopum Cameracensem confirmationem facultatis binandi pro suae dioecesis parochis postulasse. Pastores et vicarii, qui duabus distinctis et distantibus deserviunt ecclesiis, sive in eadem parochia sive in diversis vicis positis sive illarum una in altera parochia pro tempore pastore orbata existat, hi soli poterunt memorata facultate, scilicet bis in die missam celebrandi, uti in diebus commemorationis etc., ad cujus preces relatum rescriptum prodiit.

In jure autem haec prae oculis habenda videntur. Qui animarum curam exercent, tenentur jure divino applicare missam pro populo sibi commisso, Concil. Trid. *sess. 23. cap. I. de reform.*, s. Congregatio in *Calagvritana Applicat. missae pro populo 12. Decem. 1764* et in *Oveten.**) *22. Jan. 1774.*; quod quidem onus ita iis inhaeret, ut ab eo vacui ac soluti non censeantur, quamvis tenues sint redditus, cum ad id non obstringantur propter redditus, sed ratione officii, Benedictus XIV. in const.: *Cum semper oblatas*,**) in qua diserte praescribitur, pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere iisdem non licere. Quod si ibid. §. 8 Episcopis facultas tribuitur dispensandi cum parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, licite possint; ea tamen adjicitur conditio, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

Quod vero de parochis, idem de sacerdotibus, qui parocho infirmo aut absente vices ejus gerunt, dicendum ob identitatem rationis. Hinc in cit. constitutione »*Cum semper oblatas*« §. »*Quum enim*« cautum est, vicarios ecclesiarum parochialium, sive perpetui sint sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte teneri ad applicationem missae pro populo ipsorum curae commisso.

Saepe vero quaesitum fuit:

Num parochi duabus parociis unitis praepositi duplicem applicare sive per se sive per alios missam tenerentur?

S. Congregatio autem constanter respondit: Parochos hac obligatione minime solutos esse, excepto casu unionis plenariae et extinctivae, seu formiter discusso articulo declaravit in *Lucen.**) *Ap plicationis missarum pro populo 12. Martii 1774.* Proposito enim dubio:

An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi tencantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alios applicare pro populo in casu?

responsum prodiit »Affirmative exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva et scribatur Episcopo juxta instructionem.

In hac autem instructione s. Congregatio Episcopum certiorem faciendum esse putavit, se nunquam dubitasse, quod parochi teneantur applicatione superdictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae sunt atque incorporatae, cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit. Nec aliter ad hujus doctrinae tramites judicavit in causa *Oveten.***) *Missae pro populo 18. Nov. 1826 ad I. dubium.*

Ad rem de qua agitur facit s. Congregationis decretum nuper editum in causa *Mindonien. Applicationis missae pro populo* proposita inter supplices libellos die 20. Julii

*) Vd. *pag. 872.*
**) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *p. 953.*
**) Vd. *p. 965.*

1854, in qua haec duo a parocho, qui duas regebat paroecias, proponebantur postulata:

I: *An parochi duabus paroeciis praepositi suo muneri satisfaciunt applicatione solius missae dictis diebus pro suo grege existente in duabus paroeciis, quando isti tantum in una celebrent et alius sacerdos illud facit in altera, qui pro sua intentione applicat?*

II. *Si iidem parochi duplicem missam celebrando, scilicet in utraque, ut accidit ubi non est alius sacerdos, qui pro iis celebret, in una earum poterunt unam applicare pro duobus populis sibi commissis et aliam ad libitum eorum?*«

Sacra autem Congregatio, praevia quoad praeteritas omissiones condonatione et absolutione, censuit: Quoad futurum parochum oratorem teneri, donec non constet de omnimoda unione utriusque paroeciae, ad applicationem duplicis missae sive per se sive per alium necnon teneri ad eandem applicationem eos sacerdotes, qui vices parochi absentis vel infirmi gerant.

Ubi itaque parochus duplicem parochialem missam celebrare teneatur, videretur pro neutra eleemosynam posse recipere. Difficultas vero in eo est quando, nimirum agatur de una tantum paroecia vel de duabus paroeciis unione plenaria et extinctiva conjunctis. Nihilominus etiam in hoc casu s. Congregationis ea mens fuisse constanter videtur, quod parochus binandi facultate auctus nec pro secunda missa, quidquid de applicatione censendum sit, eleemosynam lucrari queat. Ita in *Vintimilien. 19. Dec. 1835*, cum ageretur de concedenda facultate parocho, qui uni praerat paroeciae, ad dubium:

An sit consulendum SSmo pro concessione petiti indulti in casu?

respondit: Affirmative ad decennium, ita tamen ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda missa.«

Quatenus itaque de obligatione in casu gratuitate (etiam quoad ceteros sacerdotes curam animarum non habentes) celebrationis vel applicationis constet, decernendum erit, num sive cum parochis sive cum ceteris sacerdotibus dispensandum sit, ut in posterum illi secundae, isti (quos primam saltem missam applicare debere videtur supponere Episcopus) utriusque missae liberam habeant applicationem et eleemosynam, habita praesertim ratione indigentiae, percipere queant. Cui quidem rei quoad parochos provisum fuit in cit. constitutione Benedictina »*Cum semper oblatas*« in qua ad consulendum parochorum inopiae conceditur facultas Episcopis dispensandi cum parochis, ut diebus festis eleemosynam recipere possint et missam applicare pro benefactore, translata ad alium diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo.

Attenta vero bona fide absolutio quoad praeteritum deneganda non videtur, ceu hisce in casibus in more habet s. Congregatio.

Hisce itaque aliisque momentis rationum, quas Episcopus in sua relatione exponit, perpensis definire rogantur EE. PP. proposita ab eodem Episcopo dubia:

I. *An parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante redditnum exiguitate in casu?*

II. *An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem in die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu?*

III. *An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur in casu?*

Et quatenus affirmative ad I. II. III: IV. An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius missae liberam habeant applicationem et stipendium pro ea recipere valeant in casu?

V. *An et quomodo idem concedendum sit sacerdotibus curam animarum non habentibus quoad utramque missam in casu?*

VI. *An et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad III: Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad IV: Negative, et Episcopus provideat ad formam constitutionis Benedicti XIV. »*Cum semper oblatas*« § 8.

Ad V: Provisum in tertio.

Ad VI: Celebrata unica missa ab unoquoque affirmative facto verbo cum SSmo.

Die 25. Sept. 1858.

XVII. Oblig. in dieb. festivis suppressis, translatis et reductis.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (obligatio parochi in dieb. dominicis pag. 933); *p. 904* §: *Per epistolam;* Const. *Amantissimi p. 942.*

Ponderandae sunt literae encyclicae Pontificis Bened. XIV: *Cum semper oblatas**) sub dato diei 19. Augusti 1744 super applicatione missae parochialis pro populo, ubi §. 7 haec habentur: *Et quia in nonnullis dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto de apostolica nostra auctoritate et consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis christifideles et missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi missae sacrificium, Nos, ut obortae jam dubitationes circa onus applicationis missae parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus missae interesse debet et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare et applicare teneantur.*

Die 20. Apr. 1782. *Tirasonen.*

Camerinen.

Pluribus in romana ditione a san. mem. Pio VI. suppressis diebus festis plerique Camerinensis dioecesis parochi applicare intermiserunt iisdem diebus missam pro populo. Id in sacra noscens visitatione rem Archiepiscopus Camerini ob diversas theologorum sententias definire noluit decrevitque per modum provisionis, ut omissae supplerentur missae, quin injunctum censeretur onus eas applicandi in futurum, quatenus aliter declaratum fuisset. Supplicarunt hinc parochi EE. Vestris pro definitione quaestionis et in sua iterata informatione rationes exposuit Archiepiscopus, cur se immunes autament oratores ab applicanda missa pro populo diebus festis suppressis, de quibus rationibus infra et in quolibet dubio respondendum censuit pro illorum immunitate.

Si qua est, inquit, dioecesis, in qua exonerandi sunt parochi ab applicatione missarum praedictis diebus, haec profecto est. In ea enim plures sunt parochiae locis asperrimis sitae, gravissima incommoda et labores parochis afferentes, eaeque insuper tamen tenues redditus habentes, ut non sint satis parochorum sustentationi et cogantur propterea vitam agere miserrimam, adeo ut in illarum vacatione aegre ac difficillime inveniantur clerici, qui earum velint administrationem assumere. Cur igitur in dubio adigendi sunt parochi ad missae celebrationem applicationemque iis diebus, quibus populus missae adesse non tenetur? Cur potius non relinquitur ipsis facultas, ut missarum eleemosynis suae occurrant necessitati? Hic est ergo sensus meus, nisi constat in contrarium de mente summi Pontificis Pii VI. fel. record., expedire, ut parochi omnino a supradicta applicatione absolvantur.

Hisce profecto rationibus nituntur parochi. Obligationem applicandi missam pro populo ex duplici desumunt lege, ex sacro nimirum *Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de reform.* et *ex famigerata constitutione: Cum semper oblatas Benedicti XIV*).* Loquitur sancta synodus de ea applicatione in genere verbis illis: »Pro his sacrificium offerre«, sed illam determinat Benedictina per haec alia verba: »In dominicis aliisque per annum diebus festis *de praecepto.*« Atque hinc parochi oratores subsumunt, quod dies festi a Pio VI. suppressi »dispensando (verba sunt indulti) non meno dall' obbligo di astenersi dalle opere servili, che da quello di ascoltare la messa« jam amplius non sunt festi de praecepto plene abrogato neque in iis propterea juxta Benedictinam applicari debet missa pro populo.

Obesse videtur oratoribus declaratio edita ab ipso Benedicto XIV. die 19. Aug. 1744, in qua summus ille Pontifex firmam voluit obligationem applicandi missam pro populo in iis dioecesibus, in quibus ex apostolico indulto permissa erant quibusdam diebus festis opera servilia cum obligatione assistendi Sacro. Sed reponunt ipsi, applicabilem non esse hujusmodi declarationem praesenti casui in quo nedum permissa sunt servilia opera, sed remissa etiam est obligatio asisstendi Sacro, in qua principaliter consistit dies festi observantia. Inter se porro correlativas arbitrantur obligationes assistendi Sacro illud-

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *p. 695.*

que applicandi pro populo assistente, ita ut una sublata censeatur et altera *per text. in leg. fin. ff. de acceptil., Fagnan. in cap.: Cum ab ecclesiarum, de offic. Ordinar. n. 43.*

Nec etiam obstare contendunt, quae reverendissimus Passeri, dum erat Vicesgerens Urbis, rescripsit die 18. Julii 1798 Vicario foraneo Priorasi, nempe: »Quelli, che sono per l' affermativa al dubbio anche altrove insorto sopra l' applicazione obbligata pro populo ne' dì festivi per i parochi, si uniformano a' miei sentimenti appoggiati all' addotta ragione, di non esser cioè nell' indulto di riduzione stata abolita la constituzione Benedittina, e s' ingiunge l' obbligo di conservare nel suo rito l' ecclesiastiche funzioni. A tutto questo deve aggiungersi, che il s. Padre, richiesto in simili dubbi insorti in altri luoghi, ha risposto, non doversi privare i Popoli dei vantaggi spirituali mentre gli si accordano temporali.« Tantum enim valere ajunt privatam hanc laudati Praesulis opinionem, quantum illa similium theologorum, quae Vestro subest judicio; et quoad responsum ipsius Pii VI. notant, censeri potius debere *dictum de dicto*, eo quod reverendissimus Passeri, qui illud retulit, eam amplius post deportationem non vidit nec allocutus fuit Pontificem.

Res contra est de dispensatione »non meno dall' obligo di astenersi dalle opere servili che la quello di ascoltare la messa,« quae veluti correctoria juris communis, stricte intelligi debet, ex *cap. 1.* §. *ille de fil. presbyt. lib. 6.* Eam autem concessit Pius VI. »affinchè i tanti giorna lievi, che trovansi nella ramene Republica abbiano una maniera hiu facile, onde precacciarsi colle proprie fatiohe la sossistenza;« ideoque extendi non debere videretur ad parochos, quorum nullam fecit mentionem, neque ad eos levandos ab applicatione Sacro, quae nil commune habet cum finali causa dispensationis. Idque Pontifex ipse non obscuris declaravit verbis illis: Ben inteso, che nei giorni festivi, che si dispensano, l' uffiziatura e le sacre funzioni debbano nelle chiese farsi come in addietro, e senza innovazione alcuna.« Dum enim divina officia sacrasque servavit functiones, servare etiam voluisse censetur missam pro populo, quae praecipua est functio parochialis et divini officii nomine continetur, ut *in can. de iis 13. distinct. 12. ibi:* »Caetera officia publica, id est vesperas, matutinum sive missam aliter quam in principali ecclesia celebrare non liceat«; *glos. in Clement. I. de celebr. miss.* et *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quaest. 38. num. 41.* ibi: »Praecipua pars cultus divini est Sacrificium et ideo nomine officii divini principaliter venit oblatio Sacrificii«.

At commiserandum saltem arbitratur Archiepiscopus plurium parochorum suae dioecesis inopiam, ut libera diebus festis suppressis concedatur omnibus applicatio Sacri. Vitiosa profecto dici valet. Illatio haec a specie ad genus, sed ipsis de caetero indigentibus parochis obstat Benedictina constitutio: *Cum semper oblatas.* Quum enim quaestio esset inter theologos circa applicationem missae pro populo eorumque alii inter pauperes divitesque parochos distinguerent et alii quotidianam applicationis obligationem omnibus tribuerent, provide hinc sciteque Benedictus XIV. absque ulla pauperum divitumque parochorum distinctione statuit, eos omnes, quibus animarum esset cura, diebus tantum dominicis aliisque per annum festis de praecepto celebrare debere missam pro populo, ut levius hoc onus pauperes etiam ferre possent et non omitteretur omnino ipsorum obligatio, quam ex divina repetit institutione sacrum Concilium Tridentinum in cit. *sess. 23. cap. 1. de reform.*

Haec quoad futuram Sacri applicationem. Quo vero ad praeteritam, ab ejus omissione excusari non posse viderentur oratores, qui in conflictu opinionum se constituere non poterant in judices et continuare tenebantur applicationem, donec quaestio a legitima potestate decideretur. Quibus in terminis sacra haec Congregatio denegandam censuit absolutionem in *Bononien. Servitii chori 24. Novembris 1787 ad II. dubium.* Verum ponderare dignentur Emmi Patres, quod testimonio Archiepiscopi plerique oratores sunt pauperes eisque nimis grave esset omissam Sacrorum applicationem supplere. Ex hac porro inopiae causa concessa fuit absolutio in *Pharaonen. Reductionis onerum 16. Decembris ad II. dubium.*

Dubia igitur sunt:

I. *An diebus festis de praecepto a san. mem. Pio VI. suppressis sit applicanda in futurum missa pro populo in casu?*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.
Ad I et II: Affirmative.
Die 28. Mart. 1801.

Quaerendum est: *Utrum parochus Vallisturiae possit applicare missam pro populo festis diebus mobilibus tantum ad formam decreti erectionis parocciae ab Episcopo Caravadossi lati die 9. Augusti 1734?* Tridentinum sane definivit *sess. 22. cap. 1. de refor.*: »*Divino praecepto mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, . . . pro his Sacrificium offerre,*« non tamen designavit, quotis diebus pastores Sacra pro populo facere deberent. Hinc variae doctorum opiniones, quas omnes de medio sustulit s. m. Benedictus XIV. in constit.: *Cum semper oblatas,**) in qua statuit ut missa pro populo applicetur omnibus diebus festis de praecepto, etiam dispensatis quoad opera servilia, in quibus tamen populus missam audire debet.

Quidquid igitur sit, num Episcopus Caravadossi rite potuerit anno 1734 applicationem missae pro populo cohibere ad dies festos mobiles, videtur posteriori Benedictina constitutione, quae lata est de anno 1744, haec Episcopi indulgentia sublata fuisse, quippe quia summus Pontifex constituit, *ut quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine obtinuerit, ut missa pro populo non applicetur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.* Notandum insuper est ex decreto Caravadossi indultum fuisse parochis Vallisturiae, ut pro legatis conjugum Canara diebus festis applicarent. Quae legata cum non habeant praescriptam diem, necesse non est transferre applicationem missae pro populo ad dies feriales.

Die 23. Novembr. 1816. *Casalen.***)

Quaeritur:

I. Se li parrochi siano tenuti continuare ad applicare pro populo la messa nei giorni di quelle feste di un solo precetto, che sono state abrogate?

II. *Se debba continuarsi a dir cantata la messa parrochiale nei detti giorni?*

Et S. R. C. declaravit:

Affirmative ad utramque partem, quia satis declaratum est in praefato brevi apostolico nihil esse innovandum quoad chorum relate ad festa, in quorum occursu sublatum est praeceptum audiendi Sacrum. Quoad vero festa patronorum, cum ista reponenda sint in dominicum diem infra octavam tamquam in diem proprium, simul cum officio et missa transferenda etiam est solemnitas tam quoad forum quam quoad chorum.

Die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc decretum.

Quum per pontificium indultum nihil sit immutandum quoad ecclesiastica officia, recte consequitur, parochos, recurrentibus festis, in quibus populus solutus est ab obligatione audiendi Sacrum, teneri ad applicationem missae pro populo eodem prorsus modo, quo tenebantur priusquam concederetur indultum. Atque ita declaratum fuit a S. C. Concilii *die 28. Martii 1801 in Camerinen**), in qua, propositis duobus dubiis videlicet:

1. *An diebus festis de praeccpto a s. m. Pio VI. suppressis sit applicanda in futurum missa pro populo in casu etc.?*

2. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.?*

responsum fuit
Ad I et 2: Affirmative.

Ad dubium: *An parochi rurales in suburbiis et agris terrae s. Geminiani degentes in dicta die (festiva patroni princip. s. Geminiani) teneantur ad missae applicationem et ad annuntiandum populo abstinentiam ab operibus pro integra observatione praecepti?*

S. R. C. resp.: Affirmative ad utrumque.

Die 27. Mart. 1824.

Nota Gardell. ad hoc decretum.

Si *Benedictus XIV.* in sua constitutione: *Cum semper oblatas,* de obligatione applicationis missae parochialis pro populo ad hanc teneri parochos declaravit, quos inter non leves erant obortae quaestiones, iis etiam in festis, in quibus quoad nonnullas dioeceses, firma obligatione audiendi Sacrum, alterum relaxaverat onus abstinendi ab operibus servilibus: *Nos,* ita inquit, *ut obortae dubitationes circa onus applicationis missae parochialis in hujusmodi diebus festis (*moderatis) *penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam festis diebus, quibus populus missae interesse debet et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare et applicare teneantur.* Praeterea, si ad eamdem applicationem tenentur parochi iis quoque diebus antea festivis, quos *sa. mem. Pius VI.*, utraque obligatione sublata, suppressit, adjecta una tantum conditione, quod in sacris ecclesiae functionibus nihil esset immutandum, veluti declaravit s. Congregatio Concilii, quae sub dubio proposito ab Antistite Camerinensi*):

An diebus festis de praeccpto a s. mem. Pio VI. suppressis sit applicanda in futurum missa pro populo in casu etc.?

sub *die 28. Martii 1801* respondit: *Affirmative*, multo magis potiorique jure ad id tenentur parochi locorum, in quibus patroni principis memoria sub utroque praecepto solemniter recolitur. Et quoniam parochi rurales in suburbiis et agris terrae *s. Geminiani* adnexis venerari patronum debent, quem uti principalem colunt incolae terrae: ideo et iisdem incumbit onus cum applicandi Sacrum pro populo tum annunciandi subjectae plebi abstinentiam ab operibus servilibus pro integra observatione praecepti. Sciscitandi hic locus esse videtur: curnam hujusmodi excitatum sit dubium? Fortene, qui illud discutiendum proposuit, ea in opinione versatur, quod obligatio colendi festum patroni civitatis aut loci non extendatur ad suburbia et paroecias rurales? Vehementer errat, qui ita existimat: nam sub nomine civitatis et loci veniunt etiam suburbia et rurales paroeciae ac propterea horum incolae colere debent cum eadem solemnitate principem patronum ejusdem civitatis aut loci. Ita s. Congr. declaravit in Tridentina sub *die 15. Septembris 1742.* Dubium erat:

An dictum festum (s. Marci evangelistae in oppido Roboreti) *tamquam de praecepto celebrandum ab incolis totius oppidi, vigore constitutionis:* »Universa per orbem« *ab Urbano VIII. anno 1642 emanatae, an vero solum ab iis, qui ejusdem ecclesiae parochiani existunt? Complectitur autem haec parochia et fere totum oppidum, excepto unico suburbio trans pontem?*

et responsum fuit:

Si festum s. Marci erit tamquam patroni oppidi Roboreti . . . vigore constitutionis Urbani VIII. juxta decreta S. R. C., tunc festum s. Marci erit de praeccpto observandum et celebrandum ab incolis totius oppidi, etiam a trans pontem suburbiis. Merito igitur s. Congr. ad utramque dubii partem in casu proposito respondit: *Affirmative.*

Ad dub. I: *An missa paroch. debeat pro populo applicari diebus festis per indultum anno 1802 translatis in dominicam sequentem?*

II: *An sit applicanda diebus festis, qui per Clem. XIV. retenti, anno 1802 auctoritate Pii VII. fuerunt abrogati?*

III: *An sit nunc applicanda etiam diebus festis, qui ab anno 1771 fuerunt per Clem. XIV. suppressi, id est, omnibus festis in catalogo Urbani VIII. recensitis?*

Et quatenus affirmative, Episcopus Namurcensis petit humiliter:

I. *Absolutionem pro praeterito supra missas in festis suppressis hactenus non applicatas per parochos aliosque sacerdotes in sua dioecesi curam animarum gerentes.*

II. *Quoad futurum, attento quod festa per Clem. XIV. suppressa jam a 70 circiter annis celebrari missaque in iisdem applicari desierint, petit idem Episcopus, quatenus S. V. cum clero dioecesis Namur. benigne dispensare dignetur, ita ut obligatio missam pro grege applicandi saltem non excedat dies festos per Clem. XIV. reservatos, quorum catalogus hic est* (scilicet praeter singulos dies dominicos): *Circumcisio, Epiphania, fer. 2. p. Resurr., Ascensio, fer. 2. p. Pentec., Corp. Chr., quinque dies dicati B. V. M., festa ss. Petri et Pauli, s. Steph. protom. et unius tantum principalioris patroni.*

Relatis ss. D. N. per subsecretar. s. C. Concilii adjunctis precibus, datis nomine Amplitudinis Tuae, Eadem S. S. praesentes ad eandem Amplitudinem Tuam dari jussit eidemque notificari juxta resolutiones alias editas a S. C: *Missam pro populo esse a parochis suae dioecesis applicandam omnibus diebus festis, etiam a s. m. Clem. XIV. retentis et deinceps a s. m. Pio VII. die 9. Apr. 1802 suppressis, attentis vero peculiaribus circumstantiis Eadem S. S. facultates necessarias et opportunas eidem Amplitudini Tuae impertita est absolvendi singulos parochos super omnibus omissionibus, injuncta unicuique celebratione unius missae, supplente in reliquis ipsa S. S. de thesauro ecclesiae etc.*

P. Card. Polidorius, Praef.
J. C. Alessi de Castellis, Secr.

Romae 27. Jan. 1842.

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *p. 938.*

*) Vd. *p. 908.*

*) Vd. *p. 908.*

Ad dubium I: *An parochi debeant ss. missae sacrificium pro populo offerre dominicis diebus et iis etiam festis diebus, qui per indultum apost. die 9. Apr. 1802 suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio ab Episcopo dioecesano non fiat?*

II: *An consuetudo unquam legitima haberi possit, vi cujus parochi non applicant pro populo ss. missae Sacrificium aut dominicis aut saltem praedictis festis diebus suppressis?*

S. C. Concilii Trid. interpres censuit rescribendum

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative.

P. Card. Ostinius, Praef.
A. Archiep. Militenus, Secr.

Die 25. Sept. 1847.

Beatissime Pater.

Sacerdos N. parochus ecclesiae in dioecesi A. ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus exponit se multos per annos in diebus festorum a concordato anni 1801 suppressorum missam pro parochianis non applicasse, quoniam ad illud non teneri putabat. Cum vero ad ejus notitiam S. C. Concilii Tridentini recentes decisiones perlatae fuerunt, de praxi propria dubitare coepit Episcopumque A. consulendum curavit, qui auctoritative petenti nullatenus de S. C. decisionibus curandum sententiavit. At cum parochus animadvertisset Ordinarii sui mandatis judicia Sedis apostolicae minime infirmari posse, coepit exinde pro parochianis in diebus festorum suppressorum applicare missam, quod deinceps intendit agere. Nunc ad conscientiae tranquillitatem servandam pro tempore elapso a s. Sede veniam exposcit rogatque, ut aliqua secundum s. Congregationis paternam charitatem ipsi remissio fiat quoad missas, quas indebite sed tamen in bona fide pro parochianis plurimos per annos omisit applicare. Et Deus etc.

Die 1. Martii 1852 SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii sacrae Congregationis Concilii petitam absolutionem et condonationem quoad praeteritum, celebratis tribus missis pro omnibus omissionibus ac firma caeteroquin obligatione quoad futurum applicandi missam pro populo diebus festis etiam reductis, oratori benigne impertitus est.

(Correspond. de Rome 14. Apr. 1852 n. 95. p. 76.)

Bobbien.

Sanctissimus D. N. teterrimam temporum conditionem ac dioecesis paupertatem commiseratus instanti Episcopo die 7. Novembris 1850 facultatem indulsit suspendendi nimirum parochis, qui vere pauperes essent, obligationem applicandi missam pro populo in diebus reductis imposito singulis precum ab eodem Episcopo statuendarum onere. Jam inde properante hujusmodi indulti termino iteratas dedit preces idem Episcopus, quibus primo praecedentis indulti prorogationem postulabat, dein ut parochi nedum ab onere applicationis missae pro populo in diebus reductis omnino exonerarentur, sed etiam iis facultas fieret applicandi annuatim quindecim missas diebus festis de praecepto cum eleemosyna, quae cedere deberet in opus Propagationis Fidei, dum durante praecedenti indulto laudabiliter factum fuisse exponit a singulis parochis indultariis, ut pro quolibet festo reducto eleemosynam solidorum sexdecim lubenter in idem opus offerent.

Nil est quod referam praeconium, quo ipse Episcopus opus propagationis fidei extollit et quam optime hucusque cesserit experimentum largitatis parochorum indulto utentium, ex qua contigit congruam satis eleemosynam collectam fuisse. Quoniam vero nonnulli alii illius ditionis Episcopi idem pro suis parochis urgent indultum, meum hinc puto sacrum ordinem sententiam rogare ut otiosius in hujusmodi negotio procedatur.

Notum in jure est animarum curatores jure divino*) obstringi nedum ad plebem sibi commissam salutaribus verbis instruendam, sed etiam ad sacrificium pro ea offerendum singulis diebus festis. Conc. Trid. *sess. 23. cap. 1. de reform.*, Benedict. XIV. in constit. *Cum semper oblatas.***) Quam obligationem etiam quoad dies festos a sancta Sede suppressos vigere indubitatum est et saepe s. Congregatio declaravit, ut caeteris missis novissime in *Mechlinien. Missae pro populo 25. Septembris 1847*, ubi ad dubium:

An parochi debeant ss. missae sacrificium pro populo offerre diebus dominicis et iis etiam festis diebus, qui per indultum apostolicum die 9. Aprilis 1802 suppressi sunt?

responsum edidit: Affirmative. Nec id onus esse reducendum ratione tenuis paroeciae

*) Vd. *p. 921. 930.*
**) Vd. *p. 695.*

redditus tenuit s. Congregatio in *Ferentina 15. Martii 1775* et in *Viciaequen. Missae pro populo 7. Maji 1808**), quandoquidem non ob congruam sed officii ratione parochus illas celebrare ac pro populo applicare tenetur, sacra Congregatio in *Nullius Sublacen. Jurium parochial. 29. Januarii 1785.* Juris itaque inspecta censura nullum dubium, Episcopi petitionem undequaque fore respuendam, nimirum nedum quoad omnimodam dispensationem ab applicatione missae diebus festis reductis, sed etiam quoad reductionem propositam pro diebus festis de praecepto.

Inficiandum haud tamen est sanctam Sedem benignam quandoque se praebere erga parochos, qui tanta paupertate premuntur ut necessarium omnino sit per missarum eleemosynas suppetitias ipsis ferre. Hac reapse suadente causa, praesertim si alia etiam rerum et locorum adjuncta concurrant, dispensare abnuit ab applicatione missae quoad dies festos reductos nonnullis exceptis tamen diebus, ceu usu venit cum parochis Galliarum, quorum egestatem haud desinunt proprii Episcopi lamentari.

Nec aliam certe ob rationem superius indultum oratori Episcopo elargitum fuisse jam in facto narratum. At suspicandum merito nunc esset, num revera paupertas subsistat vel ejusmodi sit, quae digna agnoscatur levamine. Siquidem juxta ea quae exponuntur parochos per antecessum nil commodi expertos fuisse ex dispensatione quoad festa reducta patet ex eo, quod respondentem iis diebus eleemosynam in opus Propagationis Fidei contulerint; idipsum autem practicandum foret quoad futurum relate ad dispensationem quindecim dierum festorum de praecepto. Num autem ad opus caeteroquin optimum provehendum justitiae debitum posthaberi expediat, judicabunt eminentissimi Patres. Illud autem prae oculis habendum, fere nunquam et nonnisi vehementissimis suadentibus causis pro parochis Italiae hujusmodi indulta prodiisse, etsi haud lateat plures ex iis adeo exigua frui congrua, ut vix Pianae constitutionis taxam pertingat. Unde verendum, ne per hujusmodi concessionem aditus ad relaxandam sanctissimam legem reseretur. Quare etc. Sacra etc. censuit: Negative.

Die 12. Martii 1853.

(Anal. J. P. 1855 p. 1174.)

*) Vd. *p. 900.*

Jamdudum a Clemente Papa XIV. in Austria nonnulla festa abrogata et fideles ab obligatione iis diebus missam audiendi absoluti sunt: *An parochi illis festis, ut dicitur, abrogatis missam pro populo applicare teneantur, quum in bulla diei 22. Junii 1771 desuper edita obligationis hujus expressa mentio haud occurrat?*

S. C. audito voto unius ex Mag. Caerem. respondere censuit:

Affirmative.

Die 8. Maji 1857.

(Dispensatio.)

Beatissime Pater.

Ex literis encyclicis Sanctitas Vestra sub datu die tertia Maji 1858: *Amantissimi Redemptoris*)* omnes parochi et animarum curam actu gerentes tenentur missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare illis etiam diebus, qui apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt; sed cum Paternitatem Vestram minime lateat peculiares esse casus, in quibus hujus obligationis remissio parochis sit tribuenda, hinc supplex et petens persuasum habet hanc sibi in primis remissionem clamare, cum sit pauperrimus et has obligationes persolvere nequiret, nisi demptis necessariis.

Itaque parochus ecclesiae vulgo dictae N. dioecesis N. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter precatur, ut ab his missarum per dies sublatos et translatos supramemoratos intentionibus pro populo sibi commisso applicandis fiat tutae conscientiae immunis et omnino expeditus.

Die etc. SSmus Dnus Noster audita relatione infrascripti secretarii sacrae Congregationis Concilii attentis peculiaribus circumstantiis benigne commisit Episcopo Bituricensi, ut veris existentibus narratis ac dummodo annuum stipendium parochiale non excedat francos nongentum, oratorem super applicatione missae pro populo quoad dies festos suppressos tantum pro suo arbitrio et conscientia ad septennium proximum gratis dispensare possit et valeat.

P. Card. Caterini Praef.

L. † S.

L. Nina, Substitutus.

(Anal. J. P. VI. Ser. 1863. p. 2070.)

*) Vd. *p. 942.*

Episcopus N. sanctissimo Domino Nostro exposuit, amplissimas esse parochias in sua dioecesi, in quibus protestantes commixtim habitant cum catholicis: sufficientes non haberi sacerdotes praeficiendos parochiis seu filialibus parochiarum ecclesiis: e contra multa haberi missarum onera sive fixa sive adventitia; sermonem autem ita prosequebatur:

In his parochiis tam copiosis plurimae existunt missae fundatae; praeterea pro quolibet defuncto adulto tres post diem obitus missae plerumque celebrantur. Pro pauperibus defunctis ab omnibus parochis vi observantiae dioecesanae nonnisi difficillime relaxandae una saltem missa gratis celebranda est. Alii parochiani, qui pro parentibus aliisque cognatis missas fundare nequeunt, in die obitus anniversarias missas celebrari desiderant; item et pro defunctis parvulis missas sic dictas Angelorum aeque ac pro omnibus fidelibus defunctis et in aliis animae et corporis necessitatibus et quidem in propria ecclesia, ut sacrificio missae adesse queant; et magno certe afficiuntur dolore parochiani, si pio huic desiderio parochi satisfacere non possent. His accedunt missae pro sponsis celebrandae. In omnibus fere parochiis existunt piae sodalitates cum plurimis missarum fundationibus aliaeque piae congregationes, quarum sodales collectis eleemosynis Sacra tam pro vivis quam pro defunctis peragenda expostulant, quae aliaque Sacra, si parochus per alium sacerdotem in aliena ecclesia celebrari curaret, facillime incurreret suspicionem neglecti officii. Insuper in dioecesi singularis existit societas sacerdotum sub nomine pacti Mariani, cui omnes dioecesis sacerdotes cum pluribus laicis adscripti sunt, qui pro singulis synodalibus defunctis tenentur missam celebrare vel celebrare facere.

His omnibus accedit, quod pluribus parochis, ob penuriam sacerdotum, etiam vicinarum parochiarum vacantium cura, (et saepius quidem per plures annos) debeat commendari; quo fit ut cumulatis missarum oneribus satisfacere omnino nequeant. Quod si parochus auxilio sacellani saepissime destitutus longiori tempore aegrotat, missae fundatae, ut alias praetermittam, nimium retardantur, quod jamjam in aliis pluribus accidit parochiis copiosis, uno tantum sacerdote gaudentibus, quod certe fideles nonnisi aegerime ferunt.

Ob ejusmodi missarum celebrandarum ingentem numerum et sacerdotum defectum idem Episcopus enarrabat, viginti saltem parochos adesse, qui nullo modo, pluresque alios, qui saltem non plene satisfacere poterant obligationi applicandi missam pro populo diebus festis, qui reducti vel suppressi dicuntur. Quare rogabat hujus obligationis remissionem, quae obligatio dicebatur inducta per literas encyclicas SSmi D. N. diei 3. Maji 1858, quae incip.: *Amantissimi Redemptoris.**)

(Ea quae ex officio adducebantur.)

Parochos aliosque omnes curam animarum actu exercentes divino praecepto**) teneri pro ovibus sibi commissis novae legis sacrificium offerre aperte docuerunt Tridentini Patres *sess. 22. cap. 1. de reform.*, ita ut missae pro populo applicatio recenseri mereatur inter pastoralia munera, quae parocho ratione officii incumbunt; Innocentius XII. in const. diei 24. Aprilis 1699: eaque locum habere debet tam in omnibus dominicis quam in aliis solemnioribus festis juxta notissimam constitut. Benedicti XIV. »*Cum semper oblatas****) et quidem etsi tenues sint paroeciae redditus, sacr. Congr. in *Ferentina 26. Martii 1735* et in *Vicequen. 7. Maji 1808.*†) Haec autem omnia firma manent non modo pro iis diebus festis, qui adhuc a populo servantur, sed etiam pro festis diebus jam suppressis. Summi enim Pontifices, qui christianam plebem ab onere audiendi Sacrum illis diebus liberam reddiderunt, non exonerarunt parochos ab obligatione missam applicandi pro populo, sicuti elucet ex pluribus hujus sac. Congregationis declarationibus, ex ipsa Benedicti XIV. constit. num. 7 et ex praelaudatis literis encylicis diei 3. Maji 1858 SSmi D. Nostri, cujus initium: *Amantissimi Redemptoris*, quibus non novum aliquod onus imponitur, sed rursus tantum praecipitur et declaratur, omnino servandam veterem obligationem, contra quam nulla quamvis antiqua seu etiam immemorabilis consuetudo adduci efficaciter posset, juxt. cit. constit. Benedict. num. 5.

Verum haud esse dubitandum, subjungebatur, quod magna occurrente exiguitate reddituum parochialium in peculiaribus pro re ac tempore aliqua praefatae obligationis remissio parochis tribuatur. In casu tamen agi

*) Vd. *p. 942.*
**) Vd. *p. 921, 930.*
***) Vd. *p. 695.*
†) Vd. *p. 900.*

non videbatur de absoluta reddituum exiguitate, sed de sacerdotum potius penuria, ex quo fiebat ut unus parochus par non esset satisfaciendo oneribus missarum sive quae ex perpetuis legatis sive quae ex fidelium oblationibus in dies provenirent. Utrum autem id legitimam causam exhiberet relaxandi obligationem, judicandum erit ab Emmis Patribus qui sequens dederunt responsum. — Emi Patres re exposita per summaria precum in generalibus comitiis diei 18. Februarii 1865 respondere censuerunt: Negative et ad mentem.

Ex iis colliges:

I. In festis diebus, qui suppressi dicuntur, relaxari necessitate suadente quasdam obligationes favore dumtaxat christiani populi: omnia proinde ecclesiastica officia, quae cum remissis obligationibus cohaerere et per se existere possunt, sarta tectaque manere.

II. Applicationem missae pro populo inter ecclesiastica et pastoralia munera recenseri, quae independenter a praesentia plebis peragi possunt, ideoque ejusmodi obligationem festis diebus, qui suppressi dici solent, nullimode in parochis caeterisque cessare.

III. Quare non est reputanda nova obligatio ea, de qua sermo est in celebri encyclica: *Amantissimi* . . . sed potius declaratio obligationis.

IV. Colliges insuper non esse causam legitimam relaxandi dictam obligationem copiosum missarum numerum, qui ex sacerdotum deficientia impleri non potest.

V. Gravis enim obligatio applicandi missam pro populo ex jure divino descendens, quae urget parochos ratione pastoralis officii ipsis ab ecclesia commissi, non est facile relaxanda: maxime cum non desint alia media satisfaciendi caeteris obligationibus.

VI. In expositis in casu adjunctis opportunum judicatum fuisse extraordinarium medium obtinendi, scilicet facultatem ab apostolica Sede celebrare faciendi missas provenientes ex fundationibus perpetuis etiam extra dioecesim.

Nota.

Dixi medium extraordinarium. Nam in decreto saepe confirmato ab Urbano VIII. et Innocentio XII. §. 9. haec statuta sunt: Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis et capsulas auferant ab ecclesia cum inscriptione illa: eleemosyna pro missis vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

Proposito deinde dubio, quod in eodem generali decreto refertur §. undecimo: »Quaeritur: An hoc decretum prohibeat absolute quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, et quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere? »Cui responsum fuit: non prohibere absolute: ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Cum autem verba illa *infra modicum tempus* nimis extenderentur, iterum s. Congr. Concilii sic tempus determinavit die 17. Julii 1655. Cum in declaratione undecimi impressa super decretis de celebratione missarum celebrandarum permittatur receptio aliorum onerum missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possit omnibus satisfieri, hodie nonnulli Superiores regulares pro conscientiarum, ut inquiunt, quiete denuo quaerant: an dictum modicum tempus celebrandi missas reputetur tempus duorum vel trium mensium? Sacra Congr. etc, respondit: Modicum tempus intelligi mensem. *Lib. 19. decret. pag. 409.*

Verum hoc decretum in precibus ab Episcopo expressis non videtur congruum locum habere potuisse. Agebatur enim de superabundanti missarum celebrandarum numero, quibus satisfieri non poterat ex deficientia sacerdotum; qui insuper sacerdotes ratione munerum, quae obibant, non sine catholicorum admiratione et dolore potuissent oblatas manuales eleemosynas declinare; neque catholicis copia sacerdotum suppettebat, quibus favore sui vel defunctorum missas litandas committerent etc. Quare, ne fideles frustrarentur, unicum supererat medium obtinendi facultatem ab apostolica Sede celebrare faciendi ubique missas provenientes ex fixis oneribus.

Haec facultas implorari debet a Supremo Pontifice, qui solus derogare potest peculiaribus legibus a fundatoribus impositis, qui missas celebrandas reliquerunt in determinatis ecclesiis vel altaribus: quin imo, etiamsi speciales leges non explicite adjecerint in

ejusmodi fundationibns, tamen in illa potius ecclesia missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus eleemosynas confert aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota, ut ait Benedictus XIV. in const. *Quanta cura* diei 30. Junii 1741.*)

Osnabrugen.

Vicarius generalis Osnabrugen. dioecesis ab apostolica Sede deputatus nonnulla suplici libello circa missam parochialem pro ea dioecesi ab amplissimo hoc Ordine declarari aut saltem benigne indulgeri postulat.

Et primo quaerit:

Utrum et pro quibusnam diebus animarum curatores obligati manserint ad applicationem missae pro populo ex iis festis, quae Archiepiscopus Coloniensis Maximilianus Fridericus, dum Osnabrugensem dioecesim administraret, decreto 18. Septembris 1770, s. Sede, ceu ibidem innuitur, approbante, vel quae festa fori abrogavit vel quoad officium ac solemnitatem transtulit ad dies dominicos, adjecta declaratione, quod nemo subditorum imposterum obligatus esset ad audiendam missam et abstinendum ab opere servili illis diebus.

Atque ad rem animadvertit, parochos reliquosque animarum curatores inde a tempore abrogationis fuisse arbitratos, se haud amplius teneri ad offerendum illis diebus pro populo: multos autem ab eo tempore excessisse. Ceteros et in primis eos, qui per multos jam annos munere pastorali functi sunt vel qui pauperiores existunt, adstringere ut omissiones suppleant, nimis durum existimat; et generatim propter varia rerum adjuncta, quomodo sine offendiculo obtineri id queat, vix perspici posse persentit. Petit hinc ut pro praeterito parochi aliique quibus animarum onus inest benigne absolvantur. Pro futuro autem declarationem urget: »*Num nimirum ad applicandum pro populo singulis diebus adigi debeant, num vero benignior sive interpretatio sive indulgentia locum habere possit, ita ut missae istae ad certum numerum, ex. gr. quatuor per annum, sive praefiniendis diebus sive ad libitum pro populo offerendarum reducantur.*

Quamquam prima fronte illud obtinere posse videatur in themate quod, desinente aliquo festo esse de praecepto, desinat insimul parochis onus ea die pro populo offerendi: quandoquidem ex Tridentino canone ac Benedictina constitutione: »*Cum semper oblatas**) onus hujusmodi ad dominicos aliosque per annum dies *de praecepto* cohibitum apparet nec onera ulterius quam par est sint extendenda, utpote in jure odiosa; attamen secus censendum videtur ex mente ac praxi s. hujus Congregationis, quae hujusmodi suppressiones ac translationes festorum perpetuo tenuit fuisse elargitas ad unum plebis levamen, quin aliquid quoad divina officia innovaretur. Reque vera roganti Episcopo Namurcen.:

I. *An missa parochialis debeat pro populo applicari diebus festis per indultum anni 1802 translatis in dominicos sequentes?*

II. *An sit applicanda diebus festis, qui per Clementem XIV. retenti anno1802 auctoritate Pii VII. fuerunt abrogati?*

III. *An sit nunc applicanda etiam diebus festis, qui ab anno 1771 fuerant per Clementem XIV. suppressi, idest omnibus diebus festis in catalogo Urbani VIII. recensitis?*

S. C. respondit: *Juxta resolutiones alias editas missam pro populo esse a parochis applicandam omnibus diebus festis, etiam a sa. mem. Clementis XIV. retentis et deinceps a sa. mem. Pii VII. die 9. Aprilis 1802 suppressis,*« et alibi passim. Decisionis ratio in eo fuisse videtur, quod tam in uno quam in altero ex memoratis reductionis indultis facta fuerit lex, ne aliquid in festis suppressis quoad officium seu chorum innovaretur.

Nec aliter sentiendum esse de abrogatione festorum facta pro dioecesi Osnabrugensi, de qua quaeritur, quum in decreto episcopali id unum legatur, ut scilicet, *nemo imposterum obligatus sit ad audiendam missam et abstinendum ab opere servili;* proinde rem solum fuisse de populo ab illis obligationibus dispensando; quae dispensatio veluti correctoria juris communis stricte accipienda nec extendi ad parochos ab applicatione levandos, quorum nulla facta est mentio, quique nihil commune habent cum finali causa dispensationis, quae fuit, *ut querelis et moribus dissolutis* occurreretur, ceu identico fere modo arguitur in *Camerinen. Missae pro populo 28. Martii 1801.* §. *Res contra.*

Nec contrariam consuetudinem hac super re in pretio habendam esse satis declaravit

*) Vd. *Stipendium missarum* (pro missis manualibus.)

*) Vd. *p. 695.*

s. Congregatio in *Mechlinien. Missae pro populo 23. Febr. 1847 ad II. dub.*, quum imo expresse declaraverit, numquam eam legitimam haberi posse, vi cujus parochi non applicant pro populo ss. missae sacrificium in festis anno 1802 suppressis. Nec secus censuit S. Rit. Congr. in *Monasterien. 14. Junii 1845*, ubi decrevit applicandum esse in festis abrogatis, quamvis referretur antiquam episcopalem constitutionem anni 1772 applicationem in eis praescribentem in desuetudinem abiisse vel etiam nunquam in praxim deductam fuisse.

Post haec nonnulla peculiariter in themate animadvertenda occurrunt et forsan distinctione opus erit ad dubium definiendum. Primo, tametsi applicandi pro populo munus absolute determinatum dicatur ad dies festos de praecepto, adeo ut in iis perseveret ablata licet qualitate festi, aliter tamen censendum videretur, ubi festum tam quoad officium quam solemnitatem in certa dominica celebrandum edicitur, quoniam sub his satis manifeste venit missa parochialis, s. Congr. in cit. *Camerinen. 28. Martii 1801.* §. *Res contra*, adeoque insimul transfertur. Adnotasse insuper juverit, cum festis translatis, de quibus res est, nihil commune habere festa in Galliis translata, in quibus fieri debet applicatio, quoniam in istis sola solemnitas translata est, sed eorumdem officia tam privatim quam publice in ecclesia recitanda et missa de iisdem dicenda est in proprio die, uti ad tramites decreti Card. Caprara 21. Junii 1804 declaravit saepe saepius s. Rituum Congregatio, ceu in *Rhedonen.* et *Cenomanen. 29. Novembris 1851.* Ast in decreto pro dioecesi Osnabrugen. edicitur, nonnulla festa transferri, uti Visitationis S. M. V. etc., *tam quoad officium quam solemnitatem.*

Deinde inter festa reducta enumerantur aliqua, quae nonnisi festa de praecepto particularia esse potuerunt post Urbani VIII. constit. *Universa* 22. Decembris 1642, nimirum (praeter translata Visitationis et Praesentationis B. M. V.) haec abrogata: s. Martini, s. Mariae Magdalenae et s. Catharinae. Porro si in his, quemadmodum alibi in festis sub idem tempus suppressis, passim accidit, neglectae de facto fuissent s. functiones, hujusmodi haud videretur improbanda consuetudo, utpote de re ad jus commune supererogatoria, sed legitima habenda foret, etiam ob praesumptum Ordinarii consensum, a cujus auctoritate cum consensu saltem cleri et populi pendet festorum particularium institutio vel abrogatio. His itaque tam in choro quam in foro abrogatis omnis desiiset ratio parochos dioecesis Osnabrugensis prae aliorum locorum parochis iis diebus applicatione gravandi. —

Ubi judicatum fuerit in omnibus vel plerisque diebus festis in themate reductis applicandi onus perseverasse, relinquitur EE. VV. prudentiae expendendum: num ad pauciores saltem dies in anno illud cohibendum et quomodo quoad praeteritum providendum sit. Qua super re juverit ob oculos habere praxim s. Ordinis pro aliis dioecesibus, praesertim Galliarum, statutam ac jugiter servatam, in eo nimirum posita, ut attentis peculiaribus circumstantiis tribuantur Ordinariis facultates ad tempus reducendi applicationem ad nonnullos dies ex. gr. quatuor ac benigne quoad praeteritas omissiones absolvendi unica missa singulis parochis imposita, ceu factum videre inter alias est in citata *Namurcen.*

Quaerit secundo:

Num tolerandus sit vel necessario moderandus usus, quo alternis vicibus cum parocho alii etiam sacerdotes in partem curae vocati munere pro populo applicandi funguntur?

Siquidem in facto monet in plurimis dioecesis Osnabrugensis ecclesiis praeter parochum unum vel plures adesse sacerdotes opem parocho suppeditantes, qui *sacellani, vicarii* vel *cooperatores* vocantur. Quorum nonnulli ex speciali fundatione stabili beneficio aut officio gaudent, reliqui a parochis in subsidium curae adhibentur ab iisque substentantur. De vicariis et sacellanis addit, eos vi officii vel beneficii adstringi ad certa obeunda munia in adjutorium pastorum, statutis diebus ex. gr. concionando, baptizando, missam aut solemnem aut primam diebus dominicis vel festis alternatim celebrando: et inter eos sunt aliqui pauci, qui tamen vi beneficii vel officii diebus nonnullis, cum scilicet eorum partes sint, tenentur etiam loco pastorum pro populo applicare. Sed hi vicarii et sacellani proprio jure nullatenus assistunt matrimoniis celebrandis, cum ad hoc indigeant speciali pastorum delegatione; et tunc tantum generalem sacramentorum administrationem habent ex commissione, quum ecclesia suo viduata manet rectore.

Quod vero ad simplices cooperatores, hi omnino pendent a pastoribus, a quibus certam

ejusmodi fundationibns, tamen in illa potius ecclesia missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus eleemosynas confert aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota, ut ait Benedictus XIV. in const. *Quanta cura* diei 30. Junii 1741.*)

Osnabrugen.

Vicarius generalis Osnabrugen. dioecesis ab apostolica Sede deputatus nonnulla supplici libello circa missam parochialem pro ea dioecesi ab amplissimo hoc Ordine declarari aut saltem benigne indulgeri postulat.

Et primo quaerit:

Utrum et pro quibusnam diebus animarum curatores obligati manserint ad applicationem missae pro populo ex iis festis, quae Archiepiscopus Coloniensis Maximilianus Fridericus, dum Osnabrugensem dioecesim administraret, decreto 18. Septembris 1770, s. Sede, ceu ibidem innuitur, approbante, vel quae festa fori abrogavit vel quoad officium ac solemnitatem transtulit ad dies dominicos, adjecta declaratione, quod nemo subditorum imposterum obligatus esset ad audiendam missam et abstinendum ab opere servili illis diebus.

Atque ad rem animadvertit, parochos reliquosque animarum curatores inde a tempore abrogationis fuisse arbitratos, se haud amplius teneri ad offerendum illis diebus pro populo: multos autem ab eo tempore excessisse. Ceteros et in primis eos, qui per multos jam annos munere pastorali functi sunt vel qui pauperiores existunt, adstringere ut omissiones suppleant, nimis durum existimat; et generatim propter varia rerum adjuncta, quomodo sine offendiculo obtineri id queat, vix perspici posse persentit. Petit hinc ut pro praeterito parochi aliique quibus animarum onus inest benigne absolvantur. Pro futuro autem declarationem urget: »*Num nimirum ad applicandum pro populo singulis diebus adigi debeant, num vero benignior sive interpretatio sive indulgentia locum habere possit, ita ut missae istae ad certum numerum, ex. gr. quatuor per annum, sive praefiniendis diebus sive ad libitum pro populo offerendarum reducantur.*

Quamquam prima fronte illud obtinere posse videatur in themate quod, desinente aliquo festo esse de praecepto, desinat insimul parochis onus ea die pro populo offerendi: quandoquidem ex Tridentino canone ac Benedictina constitutione: »*Cum semper oblatas**) onus hujusmodi ad dominicos aliosque per annum dies *de praecepto* cohibitum apparet nec onera ulterius quam par est sint extendenda, utpote in jure odiosa; attamen secus censendum videtur ex mente ac praxi s. hujus Congregationis, quae hujusmodi suppressiones ac translationes festorum perpetuo tenuit fuisse elargitas ad unum plebis levamen, quin aliquid quoad divina officia innovaretur. Reque vera roganti Episcopo Namurcen.:

I. *An missa parochialis debeat pro populo applicari diebus festis per indultum anni 1802 translatis in dominicos sequentes?*

II. *An sit applicanda diebus festis, qui per Clementem XIV. retenti anno1802 auctoritate Pii VII. fuerunt abrogati?*

III. *An sit nunc applicanda etiam diebus festis, qui ab anno 1771 fuerant per Clementem XIV. suppressi, idest omnibus diebus festis in catalogo Urbani VIII. recensitis?*

S. C. respondit: *Juxta resolutiones alias editas missam pro populo esse a parochis applicandam omnibus diebus festis, etiam a sa. mem. Clementis XIV. retentis et deinceps a sa. mem. Pii VII. die 9. Aprilis 1802 suppressis,*« et alibi passim. Decisionis ratio in eo fuisse videtur, quod tam in uno quam in altero ex memoratis reductionis indultis facta fuerit lex, ne aliquid in festis suppressis quoad officium seu chorum innovaretur.

Nec aliter sentiendum esse de abrogatione festorum facta pro dioecesi Osnabrugensi, de qua quaeritur, quum in decreto episcopali id unum legatur, ut scilicet, *nemo imposterum obligatus sit ad audiendam missam et abstinendum ab opere servili;* proinde rem solum fuisse de populo ab illis obligationibus dispensando; quae dispensatio veluti correctoria juris communis stricte accipienda nec extendi ad parochos ab applicatione levandos, quorum nulla facta est mentio, quique nihil commune habent cum finali causa dispensationis, quae fuit, *ut querelis et moribus dissolutis* occurreretur, ceu identico fere modo arguitur in *Camerinen. Missae pro populo 28. Martii 1801.* §. *Res contra.*

Nec contrariam consuetudinem hac super re in pretio habendam esse satis declaravit

*) Vd. *Stipendium missarum* (pro missis manualibus.)

*) Vd. *p. 695.*

s. Congregatio in *Mechlinien. Missae pro populo 23. Febr. 1847 ad II. dub.*, quum imo expresse declaraverit, numquam eam legitimam haberi posse, vi cujus parochi non applicant pro populo ss. missae sacrificium in festis anno 1802 suppressis. Nec secus censuit S. Rit. Congr. in *Monasterien. 14. Junii 1845*, ubi decrevit applicandum esse in festis abrogatis, quamvis referretur antiquam episcopalem constitutionem anni 1772 applicationem in eis praescribentem in desuetudinem abiisse vel etiam nunquam in praxim deductam fuisse.

Post haec nonnulla peculiariter in themate animadvertenda occurrunt et forsan distinctione opus erit ad dubium definiendum. Primo, tametsi applicandi pro populo munus absolute determinatum dicatur ad dies festos de praecepto, adeo ut in iis perseveret ablata licet qualitate festi, aliter tamen censendum videretur, ubi festum tam quoad officium quam solemnitatem in certa dominica celebrandum edicitur, quoniam sub his satis manifeste venit missa parochialis, s. Congr. in cit. *Camerinen. 28. Martii 1801.* §. *Res contra*, adeoque insimul transfertur. Adnotasse insuper juverit, cum festis translatis, de quibus res est, nihil commune habere festa in Galliis translata, in quibus fieri debet applicatio, quoniam in istis sola solemnitas translata est, sed eorumdem officia tam privatim quam publice in ecclesia recitanda et missa de iisdem dicenda est in proprio die, uti ad tramites decreti Card. Caprara 21. Junii 1804 declaravit saepe saepius s. Rituum Congregatio, ceu in *Rhedonen.* et *Cenomanen. 29. Novembris 1851.* Ast in decreto pro dioecesi Osnabrugen. edicitur, nonnulla festa transferri, uti Visitationis S. M. V. etc., *tam quoad officium quam solemnitatem.*

Deinde inter festa reducta enumerantur aliqua, quae nonnisi festa de praecepto particularia esse potuerunt post Urbani VIII. constit. *Universa* 22. Decembris 1642, nimirum (praeter translata Visitationis et Praesentationis B. M. V.) haec abrogata: s. Martini, s. Mariae Magdalenae et s. Catharinae. Porro si in his, quemadmodum alibi in festis sub idem tempus suppressis, passim accidit, neglectae de facto fuissent s. functiones, hujusmodi haud videretur improbanda consuetudo, utpote de re ad jus commune supererogatoria, sed legitima habenda foret, etiam ob praesumptum Ordinarii consensum, a cujus auctoritate cum consensu saltem cleri et populi pendet festorum particularium institutio vel abrogatio. His itaque tam in choro quam in foro abrogatis omnis desiiset ratio parochos dioecesis Osnabrugensis prae aliorum locorum parochis iis diebus applicatione gravandi. —

Ubi judicatum fuerit in omnibus vel plerisque diebus festis in themate reductis applicandi onus perseverasse, relinquitur EE. VV. prudentiae expendendum: num ad pauciores saltem dies in anno illud cohibendum et quomodo quoad praeteritum providendum sit. Qua super re juverit ob oculos habere praxim s. Ordinis pro aliis dioecesibus, praesertim Galliarum, statutam ac jugiter servatam, in eo nimirum posita, ut attentis peculiaribus circumstantiis tribuantur Ordinariis facultates ad tempus reducendi applicationem ad nonnullos dies ex. gr. quatuor ac benigne quoad praeteritas omissiones absolvendi unica missa singulis parochis imposita, ceu factum videre inter alias est in citata *Namurcen.*

Quaerit secundo:

Num tolerandus sit vel necessario moderandus usus, quo alternis vicibus cum parocho alii etiam sacerdotes in partem curae vocati munere pro populo applicandi funguntur?

Siquidem in facto monet in plurimis dioecesis Osnabrugensis ecclesiis praeter parochum unum vel plures adesse sacerdotes opem parocho suppeditantes, qui *sacellani*, *vicarii* vel *cooperatores* vocantur. Quorum nonnulli ex speciali fundatione stabili beneficio aut officio gaudent, reliqui a parochis in subsidium curae adhibentur ab iisque substentantur. De vicariis et sacellanis addit, eos vi officii vel beneficii adstringi ad certa obeunda munia in adjutorium pastorum, statutis diebus ex. gr. concionando, baptizando, missam aut solemnem aut primam diebus dominicis vel festis alternatim celebrando: et inter eos sunt aliqui pauci, qui tamen vi beneficii vel officii diebus nonnullis, cum scilicet eorum partes sint, tenentur etiam loco pastorum pro populo applicare. Sed hi vicarii et sacellani proprio jure nullatenus assistunt matrimoniis celebrandis, cum ad hoc indigeant speciali pastorum delegatione; et tunc tantum generalem sacramentorum administrationem habent ex commissione, quum ecclesia suo viduata manet rectore.

Quod vero ad simplices cooperatores, hi omnino pendent a pastoribus, a quibus certam

remunerationem recipiunt atque eam operam praestant, quae annuente Superiore utrinque conventa est; proinde non proprio jure ratione muneris, sed solum ex speciali conventione cum pastoribus inita agunt. Porro quod praesertim sacellanos et vicarios attinet, difficile prorsus futurum putat, totum onus offerendi pro ovibus in personam parochorum rejicere. Quo vero ad simplices cooperatores observat mutationem conventionis fieri posse, quae tamen in aliquibus locis multa difficultate non carebit.

Solemne est, parochos eosque, *quibus animarum cura commissa est, divino praecepto**) teneri pro ovibus suis sacrificium offerre, ut declaravit Concil. Trid. *sess. 23. cap. 1. de refor.* et applicationem missae pro populo recenseri inter munera pastoralia, quae incumbunt parochis atque iis omnibus, penes quos residet cura actualis animarum, ut habetur ex constit. Bened. XIV.: *Cum semper oblatas***) et docet *Pirhing. in jus can. lib. 1. tit. 31. n. 142.* et semper tradidit s. Congr., ut in *Nonantulana 13. Maji 1792*, in *Oveten. 22. Januarii 1774* et in *Tiburtina Applicat. missae pro populo 21. Novembris 1801.* Quinimmo onus hujusmodi eo pacto animarum curatoribus inhaeret, ut eidem, nisi legitimo detineantur impedimento, per se ipsos satisfacere debeant, quemadmodum pluries respondit s. Congregatio praesertim in *Comen. Missae parochialis 11. Maji 1720 ad III. et V. dub.*, in *Fesulana Missae parochial. 26. Jan. 1771 ad II. dub.* et in *Castri Albi VV. SS. LL. 18. Julii 1789 ad II. dub.*, nec valeant illud transferre in vicarios, qui onere gravantur adjuvandi parochum, licet parochialibus gaudeant emolumentis. Reque vera in *cit. Tiburtina Applicat. miss. pro populo 24. Novembris 1804* concinnato dubio:

*An Vicarii****) *perpetui Castri Madamae teneantur alternatim cum Archipresbytero dominicis et diebus festis applicare missam pro populo seu potius hoc onus spectet ad unum Archipresbyterum in casu?*

responsum fuit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Forte ne hujusmodi jus in themate obtineat, obesse posset diuturna contraria observantia, de qua Vicarius generalis edisserit: quippe quia observantiae maxima inest vis in jure. Ast quanti ea habeatur hac desuper re a s. Ordine, ostendunt exempla, quae passim prostant in thesauro resolutionum, ex quibus colligitur ne immemorabilem quidem consuetudinem esse attentendam ceu videre est in cit. *Castri Albi 18. Julii 1789* et nuperrime in *Mechlinien. 25. Sept. 1847 ad IV. dub.*, quod, si quandoque aliter decisum appareat, ceu in *Camerinen.**) *Missae pro populo 16. Dec. 1820*, in *Verulana Massae comm. et miss. pro populo 12. Dec. 1829*, in quibus consuetudo applicandi alternatim tam a parocho quam a beneficiatis admissa fuit, id repetendum est ex eo quod vel in solidum et aeque ac parochus actualem animarum curam beneficiati gerebant vel quia in parocho curae exercitium actuale erat, in illis vero habitualiter manebat vel contra.

Tertio quaerit:

Num parochus, quando missam solemnem parochialem statuta hora celebrare prohibetur, quae ideo ab aliquo sacerdote celebrata fuerit, officio offerendi pro ovibus satisfacere possit per missam simplicem tempore sibi commodo, ipsius tamen diei festi vel dominici?

Praecipua quidem functio parochialis est missa pro populo, quae ideo divini officii nomine continetur; unde ex constanti ecclesiae sollicitudine hortantur fideles, ut ad parochialem missam conveniant, uti advertit *Gonzales. lib. 3. decretal. tit. de parochiis 29, Van.-Espen. jus eccles. part. 2. tit. 5. de celebr. miss. cap. 2. num. 14.* Est enim *missa parochialis conventus fidelium, in quo preces publicas et sacrificium offerunt ministerio pastoris discuntque ab eo, quae vitare quaeve praestare debeant ad propriam salutem et proximi aedificationem*, ad monitum *Gavant. thes. sacr. rit. in rubr. general. comm. et observ. praelim. n. 44.* Hisce attentis nemo non videt quam maxime absonum esse, ut, qua hora fideles ad missam veluti parochialem conveniunt, ea vere parochialis seu pro ipsis applicanda non sit. Si enim parochus ad eam pro populo offerendam tenetur, sequitur eam celebrare debere hora populo congrua et opportuna, ceu declaratum est in *Cassanen. 14. Julii 1767 ad III. dub.* Et antea definitum fuerat in *Comen. Missae parochial. 11. Maji 1740 ad III. dub.*, ubi insuper sub V. dubio quaesitum fuit:

*) Vd. *p. 921, 930.*
**) Vd. *p. 695.*
***) Vd. *Applicatio missae pro populo* (obligat. Vicariorum).

*) Vd. *p. 901.*

An occurrente quod Archipresbyter parochus celebret missam conventualem vel alias legitime absit seu sit impeditus tam in diebus festivis quam ferialibus Quadragesimae, teneatur celebrare facere per alium missam parochialem pro populo?

datum responsum:

Affirmative sed cum applicatione diebus festis tantum.

Quarto demum quaerit laudatus vicarius:

Num declarandum ipsi sit, parochis non licere diebus dominicis et festivis praesente cadavere missam pro defuncto celebrare, applicationem pro populo in alium sacerdotem vel alium diem transferendo: neque id ipsum licere ut voto privatorum vel etiam particularis alicujus fundatoris illis diebus satisfaciant. Ipsis tamen licere ut missam pro populo per sacellanos, cooperatores dominicis et festivis diebus faciant applicare in his casibus, nimirum:

1. Si vera necessitas id exigat.

2. Si parochus sive pro recuperanda sanitate sive pro bono ecclesiae sive ex alia justa causa, consentiente tamen et approbante quolibet casu Episcopo seu Superiore legitimo ecclesiastico, ad aliquod tempus absens fuerit.

Porro prima quaestionis pars satis definita videri posset a s. Ordine in *Fesulana Missae pro populo 16. Junii 1770*, ubi rogatus

I: *An parochi diebus dominicis aliisque festis diebus praesente cadavere teneantur celebrare missam pro defuncto et ad aliam diem possint transferre missam pro populo in casu?* (Agebatur de casu, quo alias tumulandum fuisset cadaver absque missa.)

Et quatenus negative,

II. *An saltem applicationi missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem in casu?*

ad utrumque respondit die 26. Januarii 1771: »Negative.« Quo posito supervacaneum esset quaerere: *An in alium diem vel sacerdotem transferre liceat applicationem pro populo, ut parochus satisfaciat peculiari intentioni vel privati eleemosynam offerentis, quum manifestum per se sit haec a fortiori prohiberi, nisi forte res sit de parochis paupertate laborantibus*, quos Benedictus XIV. in cit. constit. *Cum semper oblatas* §. 7 dispensare Episcopis permisit.

Cum autem legitime impeditus teneatur per alium supplere ex cit. *Comen.*, cui et alia concordant exempla, non est, cur vetitum sit oratori id edicere *si vera necessitas* expostulet. Notasse hinc juverit quod Vicario apostolico *Syraeducis* imploranti facultatem indulgendi aliquoties parochis vicariatus, ut per sacellanos suos pro populo applicarent, s. Congregatio *die 11. Martii 1843* censuit rescribendum: Juxta petita, *in casibus* tamen *verae necessitatis et dummodo ex canonica causa fiat.* Inter legitima vero impedimenta recenseri legitimam absentiam patet ex cit. *Comen.* Et scite orator parochos monebit, quemlibet absentiae casum adprobandum fore ab Episcopo, quod consonum videtur Concilio Trid. *sess. 23. c. 1. de reform.*

Hisce prae oculis habitis definient Emm Patres dubia:

I. *An missa parochialis applicanda sit pro populo diebus festis per indultum 18. Septembris 1770 suppressis vel translatis in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo consulendum sit SSmo super praeteritis omissionibus in casu?*

III. *An et quomodo sit locus reductioni applicationis in casu?*

IV. *An et quomodo admittenda sit alternativa applicatio inter parochos et sacellanos, vicarios vel cooperatores in casu?*

V. *An parochi, quando missam solem. celebrare impediuntur eamque alteri sacerdoti celebrandam committunt, satisfaciant muneri offerendi pro populo per missam simplicem tempore sibi beneviso, ipsius tamen diei festi vel dominici in casu?*

VI. *An parochis liceat diebus dominicis et festis etiam praesente cadavere missam pro defuncto celebrare applicationem pro populo ad alium diem vel sacerdotem transferendo in casu?*

VII. *An idipsum ipsis liceat ut voto privatorum vel etiam particularis alicujus fundationis dictis diebus satisfaciant in casu?*

S. C. resp.: Dilata.

Die 23. Apr. 1853.

XVIII. Obligatio Episcopi.

Vd. *p. 896 n. XV; p. 900* §: *Ex*; et *infra n. XIX. in hac pag.*

Ex Tridentino *sess. 23. cap. 1. de ref.* statuitur »quod praecepto divino*) mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa sit, oves suas agnoscere et pro his sacrificium offerre«, atque idcirco, si Episcopus retinet curam paroeciae Cathedralis, ipse applicare tenetur missam pro populo. Neque si Episcopus tamquam totius dioecesis parochus pro universo grege missam applicat, ut tenent *Bonacin. quaest. ultim. punct. 7. in fine, Gavant. comment. in rubric. missal. part. 3. tit. 12. num. 17. pag. 223, Murga de benef. quaest. 2. sect. 2. num. 597;* idcirco eximi poterit ab applicanda missa pro parochianis. Nam si ipse curam parochialem Cathedralis gerit, nedum pro universo grege sed etiam pro ovibus paroeciae, duo distincta sacrificia offerre debet. Nam curati, qui ejus nomine munia parochialia exercent, cum titulares non sint sed coadjutores, ad applicationem missae pro populo non tenentur, ut definivit s. Congregatio in *Tyburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801.*

Die 17. Decbr. 1803. *Visen.*

Communis sententia Episcopum aliosque jura episcopalia exercentes, quibus impensius quam parocho animarum cura commissa est, ad applicationem teneri aeque ac alios, qui cura animarum actu exercent, ut tradit *Naldi in summa verb.: Parochus num. 19, Monacell. for. eccles. tit. 16. formul. 2. n. 24, Girald. jur. pontific. part. 2. sect. 83.* §. *An vero*, et caeteros, quos affert *Ferraris biblioth. verb.: Missa artic. 3. num. 11.*

Die 17. Sept. 1814. *Nullius Ferentilli.*

Ad dubium: Episcopi tenenturne ad applicationem missae pro ovibus post adeptam possessionem an statim ac electi sunt in consistorio?

S. R. C. resp.: Post adeptam possessionem.

Die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: Quum Episcopus diebus festivis applicare debeat pro ovibus suis, quaeritur:

An Episcopo hisce diebus pontificaliter celebrante Canonici debeant missam conventualem pro benefactoribus cantare, et quando?

S. R. C. resp.:

»Hebdomadarius vel is, cui onus inest missae conventualis, illam celebret lectam vel ante vel post missam pontificalem.«

Die 12. Novembris 1831.

*) Vd. *p. 921, 930.*

XIX. Obligatio Episcopi, qui simul est parochus.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (obligatio estne parochorum duorum in *una* ecclesia servientium, decret. *Visen.* p. 952; obligatio parochorum in ecclesiis monasteriorum.)

(Ex s. Congregatione de propaganda fide.)

Episcopus N., qui in sua dioecesi est etiam parochus unius ex paroeciis, petiit a s. Congregatione de propaganda fide:

An diebus dominicis aliisque festis ipse satisfaceret qua Episcopus et parochus unica applicatione missae pro populo?

Occasione autem, qua Vicarius apostolicus Surimensis nonnulla postulaverat circa applicationem missae pro populo, alia etiam dubia dirimenda sacrae Congregationi pro opportunitate proposita fuerunt circa eamdem materiam, quaeque respiciebant Vicarios apostolicos et missionarios:

An videlicet hi tenerentur applicare missam pro populo et ex quo titulo, an scilicet ex justitia vel ex charitate, sub gravi aut sub levi?

Insuper, praeter haec dubia, quae ad occidentalem ecclesiam referebantur, occasione cujusdam synodi in ecclesia ritus orientalis celebratae, cujus acta pro revisione de more sacrae C. exhibita erant, et alia quatuor dubia prioribus adjecta sunt, in quibus illud praecipue quaerebatur:

An jus, quo, circa applicationem missae pro populo, ecclesia occidentalis dirigitur, eodem modo locum obtineat in ecclesiis orientalis ritus?

Concinnatis itaque dubiis, quae in calce reperies, iisdemque s. C. propositis, attenta gravitate materiae, s. C. distulit hac responsione judicium et resp.: Dilata et scribant duo ex consultoribus theologus alter et alter canonista.

Duo itaque vota et quidem elucubratissima fuerunt s. Congregationi exhibita et quamvis theologus et canonista diversam tenuerint methodum, nihilominus ad metam praestitutam harmonice pervenerunt. Defraudaremus autem lectores nostros fructu haud exiguo, si synoptice saltem non deduceremus in medium cl. jurisconsulti votum.

Votum canonistae.

Jurisconsultus, analytica methodo procedens, in tres partes sui voti materiam divisit, in quarum prima sibi proposuit inquirendum, quid praecipiat jus divinum circa missam pro populo; in altera autem parte quid praecipiat circa missam pro populo jus ecclesiasticum, sive quoad occidentales sive quoad orientales; in tertia vero parte doctrinam expositam singulis applicabat dubiis.

Pars prima.

Quid praecipiat jus divinum circa missam pro populo.

Quoad hanc itaque partem sibi proponebat consultor expendere:

1. *An in jure divino hoc praeceptum habeatur?*

2. *Quasnam comprehendat personas?*

3. *Inter quos limites?*

4. *An praeter praeceptum ratione officii ex justitia possit aliud haberi praeceptum repetendum ex charitate?*

Animadvertebat porro circa primum, viguisse quaestiones inter scriptores quaerentes: *An detur praeceptum ex divino jure applicandi* missam pro populo, et sententia eorum praevaluisse olim videtur, qui docebant celebrationem quidem divino jure praescribi, praesertim animarum pastoribus, non vero ejusdem missae pro populo applicationem. Et in propriam sententiam trahebant Concilii Trid. verba *cap. 1. sess. 23. de ref.*: »Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.« Verum post ss. Congregationum resolutiones et praesertim Pontificum constitutiones non amplius dubitatum est, quin verba C. Trid. pro his sacrificium offerre importarent sacrificii applicationem pro populo. Quaerens proinde positivam divinam legem, qua hoc praeceptum applicandi missam pro populo constitueretur, animadvertebat: Non videri hanc legem primo promulgatam fuisse in *epist. ad Hebraeos c. V. 1. et c. VIII. 3 etc.*, cum s. Paulus his in locis verbis: »Omnis pontifex pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,« praeceptum divinum jam praesupponere videatur. Utitur enim Apostolus hac doctrina veluti medio termino omnibus noto ad aliud demonstrandum. Quare, licet s. Paulus mentionem de hac lege faciat, non tamen hanc legem primo statuit. Ideoque inquirens consultor ulterius, unde ea primo repeti debeat, non aliunde repeti posse censebat, quam ex indole et notione officii pastoralis. Sufficit enim, prout eruitur etiam ex Pauli verbis, ut quis pontifex sit, ut intelligatur constitutus ad sacrificia pro populi peccatis offerenda. Hinc *Calmet in cit. cap. VIII. v. 3.* ait: »Hoc omnibus sacerdotibus, illis etiam, qui in falsis religionibus ministrant, commune est.« Quare, concludebat consultor, officium pastorale sua integritate seu plenitudine secumfert natura sua debitum offerendi sacrificium pro populo.

Hac exposita doctrina facile colligebat, quinam sub hac comprehendantur lege. Secundum enim divinam ecclesiae institutionem officium pastoris, sua integritate seu plenitudine, residet in solis Episcopis. Proindeque soli Episcopi jure divino absoluto tenentur ad sacrificium pro populo offerendum. Et sane ipsemet *Paulus loc. cit.* non ait omnis sacerdos, sed *πᾶς ἀρχιερεῦς*, omnis princeps sacerdotum, omnis pontifex. Quod nomen in Christi ecclesia competit solum Episcopis. Ac omissis patrum testimoniis illud afferebat *Hieronymi epist. ad Fabiol.*, ibi: Ego si fecero, si dixero quid pium, quod reprehensione dignum est, sanctis egredior et polluo nomen Christi, de quo mihi blandior: quanto magis Pontifex et Episcopus, quem oportet esse sine crimine tantarumque virtutum, ut semper moretur in sanctis et paratus sit victimas offerre pro populo, minister dei et hominum.

Caeteri enim, qui curam animarum habent praeter Episcopos, non habent veluti proprium sibique inhaerens pastoris officium ex divino jure, sed illud exercent ex ecclesiastica delegatione et constitutione*) et intra quosdam limites.

Quare cum in ecclesiae jure in parochis dicitur incumbere onus ex divino praecepto

*) *S. Thomas 2. 2. q. 184. art. 6. ad 2. et 3; s. Damasus Papa epist. 9. ad Prosperum, Abulensis in Matth. XVI. q. 87, Cajetanus in s. Thom. 2. 2. q. 184. art. 8;* in hac re consulendae sunt literae apostolicae ad Archiepiscopum Ebredunensem, quae insertae reperiuntur in operibus *Card. Gerdil* sub fine *vol. XV.*, necnon cl. auctor *Nardi in opere italico*, cui titulus: *Dei parochi.*

applicandi missam pro populo, hoc est intelligendum non de divino jure absolute spectato sed de jure divino hypothetice spectato*) Hypothesis autem est triplex, quod nempe

I. Ecclesia commiserit aliqua ratione parochis animarum curam.

II. Quod non commiserit modo mere facultativo, ut missionariis committere solet, sed modo, quo obligatio inducitur.

III. Quod commiserit hanc animarum curam sine ea limitatione, quae excludat obligationem applicandi missam pro populo.

Quare cum tres hypotheses indicatae ex ecclesiastico jure in parochis verificentur, in potestate est ecclesiae quemadmodum illas moderari vel auferre, ita etiam super applicationis officio dispensare; et reapse urgente rationabili causa s. Sedes de facto dispensat.

Descendens deinde consultor ad inquirendum, intra quos terminos hujusmodi divinum praeceptum obliget, consideravit illud non solum in suo genere, quatenus est praeceptum affirmativum**), sed etiam in sua specie suisque proprietatibus. Proprietas autem hujus praecepti est, ut sit impositum per modum *officii*, subjecto proinde inhaerens ad modum habitus, ideoque impletum dici non potest per unum actum durante pastorali officio, sed impletum per quamdam actorum frequentiam, missam nempe applicando aliquoties in anno. Et illud *aliquoties* determinabat eo fere modo, quo theologi determinant similem omnino quaestionem quoties sub gravi quilibet sacerdos in anno celebrare teneatur. In hac enim theologorum quaestione agitur pariter de praecepto affirmativo divino et indeterminato, quod inhaereat sacerdoti per modum *officii*. Verba ritualis: Sacerdotem oportet offerre. Cui quaestioni ita respondet s. Thomas: »Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod sacerdos potest omnino a celebratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare pro populo et sacramenta praebere. Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum . . . . Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur, quod teneatur celebrare in praecipuis festis, et maxime in quibus fideles communicare consueverunt.

Verba autem *in praecipuis festis* subjungit *s. Alphonsus de Ligorio (l. 4. tr. 3. n. 313. §. Dubitatur)* intelligi de tribus praeci-

*) Etiam in constitutionibus Pontificum: *Cum semper oblatas*[1]) et *Amantissimi*,[2]) non dicitur *absolute ex divino praecepto*, sed: *ex divino praecepto descendere.*

**) Praecepta mere affirmativa, ut ostendebat idem consultor, obligant tantum in casu alicujus urgentis necessitatis, seu, ut ait *s. Thomas in 4. sent. dist. 17. quaest. 2. art. 1. quaestiunc. 4. in corp.*, obligant ad tempus determinatum non quidem ex hoc, quod tunc commode impleri possunt, quia sic, si non daret aliquis eleemosynam de superfluo quandocunque pauper offerretur, peccaret mortaliter, quod falsum est, sed ex hoc, quod tempus necessitatem urgentem adducit: et ideo (ex. gr.) non oportet (dicere), quod si statim oblata opportunitate (habens peccatum mortale) non confiteatur, etiamsi major opportunitas non expectetur, aliquis peccet mortaliter, sed quando, ex articulo temporis necessitas confessionis inducitur. Neque hoc ex indulgentia ecclesiae (quae scilicet intra anni spatium confiteri quempiam indulget) quod non teneatur ad statim, sed ex natura praecepti affirmativi, unde ante ecclesiae statutum (in canone *omnis utriusque sexus*) minus debebatur.«

Itaque, ut consultor arguebat, praecisione facta ab ecclesiastica lege, praeceptum affirmativum, de quo agimus, applicandi nempe missam pro populo obligabit quando vera necessitas urget, quae esse potest vel ex parte populi vel ex parte ipsius legis. — At vero haec urgens necessitas ex parte populi in re, de qua fit sermo, dari non potest, ut supra demonstrabitur. — Superest igitur, necessitas ex parte legis, quae, ne dicatur frustranea,

[1]) Vd. *p. 695.*
[2]) Vd. *p. 942.*

suum implementum habere debet. Hoc autem implementum lex consequitur, si una vice, durante pastorali officio, missa pro populo applicet ur, (et sane de simili praecepto affirmativo divino, cujusmodi est illud fidelibus impositum, participandi divinam eucharistiam etiam hoc docent *Paludanus, Gajetanus, Ledesma, Victorix.*), vel, si tempus pastoralis officii breve non sit, certissime legi applicandi missam satisfieret, si missa applicaretur aliquoties durante pastorali officio, prouti de altero dicto praecepto participandi sacram eucharistiam docet, quodam vigore, *Suarez*, si longa nempe sit hominis fidelis vita. Ratio autem clara est, ut enim lex frustranea non dicatur, nulla alia urgente necessitate, sufficit ad suum implementum, ut actus praescriptus, durante munere, una vice emittatur. Quod si multum perduret pastorale officium, quoniam populus mortalis decursu annorum notabiliter renovatur, ob extrinsecam circumstantiam, ne magna populi pars fructu praecepti destituta maneat, posset praeceptum de quo agimus obligare aliquoties, durante officio. Haec esset responsio, si lex de qua agimus considerari posset tantum in suo genere, quatenus est lex naturalis et affirmativa.

cipuis solemnitatibus, in quibus fideles communicare consueverunt, nimirum: Diebus Nativitatis, Paschatis et Pentecostes: quare concludit sententiam longe communiorem eam esse, quae affirmat, sacerdotes non teneri ad celebrandum, nisi ter vel quater in anno . . . Et haec sententia est conformis decreto s. Congregationis Concilii edito mense Novembris 1696 (apud *Monacellium p. 1. tit. 5. form. 9. n. 15*), ubi dictum fuit: Qui sine justa causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter et potest ab Episcopo puniri.« Cui accedit auctoritas Toletani Concilii sive Arandensis habiti sub pontificatu Sixti IV. anno 1473 *cap. 13*, in quo inter alia legitur: »Hortamur praeterea nostrae provinciae praelatos ob reverentiam Jesu Christi, ut ter in anno ad minus celebrent. Si vero secus egerint, graviter in sequenti concilio arguentur.« Et in titulo ejusdem capitis legitur: Quod Episcopi ter et sacerdotes quater saltem in anno celebrent. Judicarunt itaque hujus concilii Patres praeceptum divinum celebrandi Sacrificium obligare pastores ter in anno. Ex paritate itaque rationis consultor censebat, idem dici debere de praecepto applicandi missam pro populo, spectato tantum divino jure.

Post haec negabat consultor hanc obligationem enasci posse ex charitate. Obligatio enim ex charitate oritur tantum ex necessitate alterius, *Suarez de sacrament. disp. 86. sect. I.* et alibi. Subjungebat porro non posse reperiri certum casum, in quo applicatio missae pro populo eidem necessaria sit vel ad consequendam aeternam salutem vel saltem ad servandum justitiae statum.

Porro applicatio missae pro populo dici non potest medium necessarium ad alterutrum vel alium quemlibet finem, sive quia nunquam est medium unicum; non desunt enim alia media, cujusmodi sunt sacramenta vel saltem oratio: sive quia sacrificii fructus nunquam populo deest, quantum sufficiat ad obtinendas gratias. Populus enim Dei participat generalem fructum sacrificiorum, juxta generalem applicationem, quae in canone legitur — pro omnibus orthodoxis atque catholicae fidei cultoribus — Benedictus XIV. *de sacrif. missae l. 3. c. 8* aliique communiter. Ex quo sequitur defectum applicationis fructus medii non esse privationem, sed tantummodo minus copiosam applicationem fructus sacrificii, quae, quantumvis minor censeatur, nunquam insufficiens dici poterit ad obtinendam quamvis gratiam. Insufficientia enim, si habeatur, proveniet tantum ex defectu dispositionis in populo, qui dispositionis defectus inefficacem reddere etiam potest fructum medium, qui confertur per applicationem missae pro populo.

Post ejusmodi directam argumentationem alteram indirectam instituebat consultor. Si enim vera necessitas fructus medii de qua loquimur reperiri posset in populo, certissime ea necessitate premerentur magis infideles, quam fideles, qui aliis destituti sunt mediis. Ex quo fieret, ut in ecclesia praeceptum haberi deberet ex charitate applicandi missam pro infidelibus. Charitas enim omnes, qui sub nomine proximi veniunt, comprehendit, illos omnes scilicet, qui capaces sunt dilectionis activae et passivae Dei, docet *Card. de Laurea tract. de spe et charit. disp. 8. num. 63.* Et ideo omnes illos comprehendit, qui nobis junguntur capacitate participandi eamdem beatitudinem aeternam, *s. Thomas 2. 2. quaest. 23. art. 5. in corp.*, in quo ambitu reperiuntur etiam infideles, qui sunt in stadio viae. Atqui ejusmodi praeceptum ecclesia nunquam cognovit. Ergo etc.

Neque dicas: infideles incapaces esse fructus impetratorii de quo agimus. Haec enim opinio, praeterquam quod a sanioribus theologis rejicitur, in praesenti quaestione intolerabibis redderetur. Repugnat enim indoli ecclesiae ejusdemque auctori, ut medium detur vere et proprie necessarium ad aeternam proximi salutem (secundum praesentem hypothesim), illudque applicari non possit.

Insuper charitas in eo etiam a justitia differt, quod haec urget eos tantum, qui aliquo assumpto munere vel obligatione adstringuntur; illa e contra omnes urget, qui possunt verae proximi necessitati conferre remedium in sua positum potestate: omnes ergo sacerdotes pro populo applicare tenerentur. Quandoquidem ignorat nemo, plures adesse christianitates derelictas, quae hoc auxilio sunt destitutae. Et futilis esset excusatio dicentis: Si ego scirem; si ego praesens essem etc., cognitio enim non deest et praesentia non exigitur. Atqui ecclesia nunquam hoc praeceptum cognovit. Ergo etc.

Pars secunda.

Quid praecipiat circa missam pro populo

jus ecclesiasticum sive quoad Occidentales sive quoad Orientales.

Gradum itaque faciens jurisconsultus ad secundam sibi propositam exponendam partem quaerebat: in quas personas jus ecclesiasticum protenderit praeceptum divinum, de quo in priori parte egimus, et ad quodnam tempus; prius autem de Occidentalibus deinde de Orientalibus sermonem instituit.

In ecclesia occidentali ante Tridentinum Concilium non videtur fuisse universalis lex, quae obligationem determinaret applicandi missam pro populo, licet non deessent consuetudines et leges particulares, quae aliquas dioeceses vel provinciam obligarent et ad certos dies. In quaestione enim, quae agitabatur:

An parochi tenerentur applicare vel tantum celebrare? qui hanc alteram sententiam defendebant, explicatis aliqua ratione verbis Tridentinis *c. 1. sess. 2. de reform.*, eam tuebantur hoc argumento: quia nullo jure positivo neque beneficii institutione applicatio missae pro populo praecipitur, uti notat *Barbosa de officio et potest. Episcopi p. 2. alleg. 24. n. 23,* alii vero, qui priorem sententiam secuti sunt, innitebantur solummodo Tridentinis verbis nullamque antecedentem universalem legem adduxerunt. *Clericatus discord. forens. p. 1. disc 29; Monacellus form. leg. tit. 16. form. 2. n. 18. et seqq., Pasqualigus de sacrif. novae leg. q. 852; Fagnanus in cap.: Fraternitatem de sepult. n. 92, Reiffenstuel in tit. celeb. miss. n. 22. et seqq., Benedictus XIV. instit. 18. num. 4. et seqq. etc.*

Quinimo, (prosequebatur jurisconsultus) in Concilii Tridentini capite per accidens haec obligatio cum aliis pastoralis officii memoratur, ut inde deducatur necessitas, quae pastores urget ad residendum; in eo enim legitur: »Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbique divini praedicatione etc. pascere... quae omnia nequaquam ab his impleri possunt, qui gregi suo non assistunt,.... sacrosancta synodus eos admonet etc.« Quae Tridentina dispositio supponit obligationem applicandi missam pro populo, cujusmodi ea est, quae ex jure divino deduci potest, sive absolute, si agatur de Episcopis, sive hypothetice, si agatur de caeteris, qui parochiale beneficium obtinent. Nihilominus ex communi consensu, accedentibus authenticis declarationibus, ea generalia verba veluti fundamentum habita sunt legis ecclesiasticae generalis.

Ad rem autem consultor declarabat verba illa: *Omnibus, quibus animarum cura commissa est.* Multi sunt qui dicuntur habere animarum curam.

Primo illi sunt, qui beneficium aliquod habent, cum quo directe et principaliter connectitur ejusmodi officium, ut sunt Episcopi et parochi, quocumque vocentur nomine.

Secundo illi, qui in casu dicti beneficii vacantis vel etiam illi, qui actu officium exercent, dum cura habitualis aliis inest, vel in alio simili casu personam alienam repraesentant, cujus officium exercent; tales sunt vicarii curati, sive perpetui sive temporanei et amovibiles; vicarii apostolici, qui suspensa Episcoporum nominatione mittuntur ad regendam ecclesiam canonico erectam in sedem episcopalem vel illi administratores ecclesiarum pariter episcopalium, qui ponuntur in locum Episcopi absentis, de cujus vita ignoratur, vel alicujus Episcopi a divinis suspensi etc.

Tertio pastorum coadjutores, qui non subintrant in eorum locum, sed coadjuvant, cujusmodi sunt capellani a parochis stipendiati, etiamsi constituuntur in aliqua succursali ecclesia, vel Suffraganei, si de Episcopis agatur, qui dari solent non populo sed Episcopo, ut eum coadjuvent in Pontificalibus tantum, *Rigantius in reg. 1. cancel. §. 7. n. 87. et 81.*

Quarto illi, qui tantum ex charitate sacramenta administrant, cujusmodi sunt quidam sacerdotes regulares vel etiam saeculares, qui diebus saltem festis assistunt alicui paroeciae derelictae: ad quem ordinem referri possunt missionarii, qui, commendabili generositate in longinquas regiones emigrant vel ad serendam Christi fidem vel ad colendam eamdem fidem in christianis populis, in quibus nunquam paroeciae canonice erectae sunt, vel etiam illi vicarii apostolici inter missionarios, qui in easdem regiones proficiscuntur, in quibus nunquam erecta fuit episcopalis sedes. Hi omnes dici possunt, quibus animarum cura commissa est. Verum opinabatur consultor, tantum illos sub Tridentina lege comprehendi, qui ad duos priores ordines referuntur.

Ut hoc ostenderet praemisso principio, quo nulla obligatio debet ultra claram obligationis sententiam extendi, in examen revocabat Tridentinum decretum, secundum quod illi tantum animarum pastores tenentur ad sacrificium pro populo offerendum, qui a concilio in eodem capite obligantur ad residendum. Qui vero sint, qui in eo capite ad residentiam obligentur, indicantur hisce verbis:

I. Omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus ecclesiis quibuscumque quocumque nomine et titulo praefecti.

II. Curati inferiores et alii quicumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent.

Porro hisce verbis illi tantum comprehenduntur, qui ad primum supra indicatum ordinem pertinent et aequalitate rationis etiam illi, qui ad alterum spectant ordinem. Qui enim in locum alterius ponitur, ut personam repraesentet et omnia ejusdem exerceat officia, pro una eademque persona habetur. Ceteri ergo ab obligatione applicandi missam pro populo soluti manent. Et sane illi, juxta Tridentinam legem, tenentur sacrificium offerre, qui tenentur agnoscere oves suas. Porro neque capellani stipendiati a parochis neque Suffraganei in Pontificalibus tantum, qui Episcopis dantur et non populo, neque quilibet alius, qui alicui derelicto populo succurrit non ex titulo pastorali, oves proprias habent. Ejusmodi proinde viri sub ea lege non comprehenduntur. Neque dicas: si missionarii oves proprias non haberent, illae oves essent sine pastore. Falsum siquidem est eas esse sine pastore, quando sunt oves Petri.

Haec autem omnia confirmabantur authenticis declarationibus. Et ut brevitati studeret consultor, satis sibi fuit in medium deducere constitutionem: *Cum semper oblatas* Benedicti XIV.,*) qui in more habebat omnia decreta abunde recolere, quae ante se emissa fuerant. In hac porro constitutione nominantur tantum

1. Possessores beneficii parochialis etiam tenuis;

2. Vicarii parochiales etiam amovibiles ad nutum vel ad breve tempus constituti.

Et missa pro populo appellatur *missa parochialis pro populo*, veluti exclusive propria illius, qui possidet parochiale beneficium, vel vicarii, qui illius loco ponatur. Reliqui ergo, qui in tertio et quarto ordine numerantur, excluduntur, quos laudatus Pontifex neque ignorare neque silentio praeterire poterat, si aliter censuisset.

Hanc doctrinam confirmabat ulterius consultor auctoritate doctorum, inter quos nullum reperire valuit, qui ultra dictas personas hanc obligationem protenderet. Quinimo *Ferraris verb.: Missae sacrificium art. 3, Giraldi pag. 2. sect. 85* §. *Circa praelatos*, quaerentes:

An alii sint, qui saltem ab aliquibus putentur obligati ad applicationem missae pro populo? non alios indicant, quam Praelatos regulares pro suis subditis, ideo, quia in suos exercent ex stricto officio parochiale munus. Nihilominus proposita hac quaestione apud apostolicam Sedem, prouti refert *Giraldi*, bis insoluta mansit. Quod est notatu dignum. Illi enim, qui prae ceteris videri possent sub Tridentina lege comprehensi, essent ejusmodi regulares Praelati, qui verius quam parochi proprias habent oves. Parochorum enim oves sunt tandem oves Episcopi. Cui sententiae accederet auctoritas *Suarez, Merati, Pasqualig., Tamburin., Rotar., Hurtad., Naldi, Ferrar., Monacell., Clericat., Donati, Murg.* aliorumque. Attamen ex firmo principo, quod obligationis verba strictae sunt interpretationis, forte sententia lata non fuit. Et quod magis est, neque de hac re mentionem fecit Benedictus XIV. in dicta constitutione. Quod si haec reperimus circa regulares praelatos, majori ratione idem retinendum est circa eos, quos tertio et quarto loco recensuimus, quos ad missam pro populo obligatos usque adhuc dixit nemo.

Hisce adhuc consultor non contentus ad excludendos apertius ab hac obligatione eos, quos tertio et quarto loco numeraverat, alia adducebat argumenta, quae praesertim missionarios attingebant. Missionarii enim comparari possunt cum iis sacerdotibus, qui ab Episcopis exorati ad aliquam paroeciam derelictam ex charitate accedunt, ut ibi sacramenta administrent. Ejusmodi autem sacerdotes, communi existimatione, nunquam habiti sunt obligatione obstricti ad missam applicandam pro populo, licet sua generositate saepe eam applicare soleant. Quod si differentia intersit, ea in favorem cedit missionariorum. Ergo quemadmodum illi, ita isti ab obligatione, de qua agimus, exclusi cen-

*) Vd. *p. 695.*

seri debent. Neque dicas: »Missionarios interdum stipendia recipere;« nam ejusmodi stipendia, si quae sint, ad vitam alendam tribuuntur, eleemosynae tantum titulo, ut charitatis opera exercere possint.

Quinimo ostendebat consultor eamdem vigere existimationem circa missionarios, ac viget circa dictos sacerdotes. Id autem argumentando eruebat ex testimonio *Roderici tom. 1. quaestionum regular. q. 35. art. 5*, in quo instituta quaestione:

Utrum Religiosi Indiarum sint curati? ita respondet: »Respondeo dicendo, quod Episcopus potest praeficere monachum de licentia Abbatis ecclesiae parochiali saeculari, prout tradunt etc. Attamen Religiosi Indiarum nec per breve Pii V. nec per capitula provincialia sunt curati Indorum, quia unumquodque recipitur per modum recipientis: modus autem hic recipiendi in Indorum populis officium parochi nunquam fuit receptus a fratribus per modum curatorum et ut curati: semper enim fugerunt fratres hoc grave onus suis humeris imponere. Item quia ante hoc breve Pii V. certissimum erat, quod fratres non erant curati; hoc enim petebant Episcopi ab eis, et ipsi renuebant: ergo neque postquam venit dictum breve; consequentia patet; quia in brevi nihil Religiosis injungitur ut curatis etc.« Item *Pellizzarius Manuale Regularium tract. 8. c. 2. sect. 3. num. 90.*

Cui accedit etiam ecclesiae praxis, ex qua eruitur missionarios addictos non esse alicui sedi canonico titulo neque habere ordinariam facultatem administrandi sacramenta, quae duo sunt parochis essentialia, sed eis officium tribui propagandi catholicam fidem inter varia infidelium et haereticorum loca et administrandi conversis ad fidem sacramenta necessaria, facultatibus plus vel minus extraordinariis, ceu notat *Card. de Laurea in tert. sentent. tom. 3. p. 2. disp. 18. art. 1. n. 15. et seqq.*, in quo inter cetera scribit: »Munus missionarii est evangelium fidemque catholicam in locis suae missionis paganis, Judaeis atque haereticis praedicare et sacramenta eis necessaria juxta facultates sibi concessas a mittente ministrare.« Quare quantum distent a parochorum indole eorumdemque obligationibus unusquisque intelligit.

Secundum autem expositam usque adhuc doctrinam pluries respondit S. C. de propaganda fide. Et sane circa missionarios Pekinenses anno 1798 eorum Episcopus, quasdam retulit circumstantias, ob quas idem opinari videbatur, dictos missionarios teneri ad applicationem missae pro populo. Animadvertebat enim Episcopus ille missionarios non modo exercere omnia parochialia officia juxta leges ecclesiasticas sed etiam inter eos et alios Sinenses presbyteros quoddam discrimen vigere; namque isti libere percurrebant missionum loca intra districtus limites, dum e contra illi observabant strictam in urbe, in qua constituti erant, residentiam. Attamen s. Congregatio respondit: provisum per decretum 28. Januarii 1798 a Sanctitate sua probatum. In quo decreto declaratum fuerat: »Nullo modo parochos esse sed simplices verbi Dei praecones.«

Item, anno 1804, dubium propositum fuit: »*An missionarii Sinarum Cocincinae et Siami teneantur pro christianis, quibus ad tempus ministrant, missam applicare non solum diebus dominicis et magnis solemnitatibus sed etiam aliis diebus festis, quibus christiani missam quidem audire tenentur, sed servilibus operibus vacare possunt?*« Cui responsum est: In decisis sub die 5. Februarii 1803. Haec autem decisio his verbis emissa fuerat: »Quaestionibus, quas A. E. de missarum applicatione proposuit, S. C. respondit: Juxta ea, quae jam alias decreta fuerunt, neque vicarium generalem neque coadjutorem vicarii apostolici uti nec ipsum vicarium apostolicum ulla teneri obligatione ex justitia applicandi missam diebus festis pro populo, cui praedictis titulis praesunt; sed ex charitate tantum id decere, ex quo nulla absolutione opus esse pro omissa Sacrorum applicatione per se patet.

Post haec unum vel alterum responsum, quod aliquam parere posset difficultatem, in examen revocabat consultor, nimirum responsum datum vicario apostolico de Curacao die 12. Septembris 1843, quod est sequens: »Ad alteram autem quaestionem quod attinet: *utrum scilicet operarii vicariatus antedicti diebus festis etiam abrogatis missam pro populo celebrare teneantur?* scias, volumus, in paroeciis canonice erectis missionarios parochos, hoc est curam animarum habentes, teneri ex justitia, missionarios vero alios utcumque eamdem curam gerentes nonnisi ratione charitatis.« Quam responsionem, circa ultimum incisum, contendebat consultor, non posse facile cum ceteris conciliari, atque hunc esse casum opinabatur, a cujus decisione esset recedendum. Nonnullis insuper animadversis circa unam vel alterum responsionem, quas

ostendebat omnino conformes caeteris decretis, breviter indicabat dies, quibus eadem lex occidentales pastores urget, juxta notas constitutiones: *Cum semper oblatas**) et *Amantissimi.***)

Hisce itaque omnibus, quae breviter attigimus, copiosissime a consultore disputatis sermo instituendus erat circa jus, quod in re, de qua agimus, apud Orientales obtinet. Ex documentis, quae consultor prae oculis habebat, haec duo simul collegit:

I. Vestigia adimplementi legis, de qua agimus, non reperiri nisi in locis perpaucis iisque subjectis influxui latino, aeque nobis exhibere regulam non uniformem sed variam.

II. Circa reliquas orientales regiones aut certe nosci eam legem in usu non esse aut saltem ignorari et non sine gravibus conjecturis in usu non esse videri.

Quaerebat proinde consultor, in hisce adjunctis quid agendum et quaenam esset regula sequenda circa easdem orientales regiones. Considerata praxi, quam usque adhuc tenuit s. Congregatio, eam sequi oportere opinabatur. Ejusmodi autem praxis ad haec quatuor capita facile sibi reduci posse videbatur:

I. Lex applicandi missam pro populo, quoad ejus substantiam, urget etiam parochos orientales.

II. Ad modum quod attinet sive ad dies, quibus impleri debeat, si reperiatur statutus mos aut lex apud eos vigens, dummodo aperte irrationabilis non sit, servari debet.

III. Quatenus hic mos vel lex non habeatur, determinari debet juxta leges occidentis.

IV. Quod si difficultas occurrat, concedi potest reductio magis vel minus gravis, secundum indolem difficultatum, quae reperiantur; quae si penitus sint exclusivae, concedit potest dispensatio, injuncta tamen obligatione orandi pro populo in iisdem missis, quae applicari debuissent.

Ejusmodi autem regulas rationabiles et conformes omnino esse juris principiis ostendebat consultor. Et ad primam quod attinet regulam, ex qua reliquae consequuntur, non quidem ex lege ecclesiastica occidentali eam erui existimabat, cum alia videatur fuisse usque adhuc disciplina occidentalis circa rem, de qua agimus, sed eam demonstrabat ex intentione ecclesiae in institutione officii parochialis et consequenter ex natura officii ejusdem. Certum siquidem est, ecclesiam instituisse parochiale officium per modum muneris pastoralis, ibicumque parochus constiterit, sive in occidente sive in oriente. Ex quo consequitur omne id, quod officii pastoris est proprium, salvis iis, quae capacitatem presbyterorum superant vel sine ulla dubitatione fuerunt ab eo officio exclusa, cujusmodi est jurisdictio in foro externo; cetera, vi institutionis, intelligi debent etiam parochorum propria. Et quemadmodum necesse non est allegare particularem legem, ut concludi possit, parochum vi sui officii teneri oves suas agnoscere verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere etc., quacumque in regione parochus sit constitutus, sive in occidente sive in oriente, ita opus non est adducere legem, ut ostendatur, vi sui officii teneri pro ovibus suis sacrificium offerre.

Ratio secundae regulae a s. Congregatione identidem servatae petitur ex eo, quod ecclesia orientalis consuetudinibus legibusque propriis dirigitur nec legibus occidentalibus obstringitur, nisi vel rei natura vel voluntas expressa s. Sedis id exigat. Rei autem natura, in praesenti casu, non designat determinatos dies, proindeque superest, ut rationabilis mos vel lex hos dies determinans servetur.

Ratio tertiae regulae ex eo petitur, quod in praxi necessarium est, ut determinatus existat missarum numerus, et conforme est ss. canonibus, ut ad hunc finem applicetur ea lex, quae in altera ecclesiae parte viget. Etenim

1: Ad normam ss. canonum uniformitas, quantum fieri possit, servanda est.

2: Quia in casibus similibus ecclesia eamdem regulam secuta est, uti patet ex more citandi canones conciliorum provincialium.

3: Quia juxta cap. 1. *de novi operis nunciat.* in defectu canonum applicantur ipsae civiles leges, a fortiori ergo adhiberi debent ecclesiasticae leges, quae vigent in altera ecclesiae parte.

4: Quia lex occidentalis, in praesenti casu, convenientiam habet non localem sed intrinsecam et ideo omni in loco suam vim exerit. Si vero hujus regulae applicatio difficultates reperiat, dubitandum non est, applicandam fore quartam regulam, quemadmodum usque adhuc servatum fuisse videbatur. Agitur enim de materia, super qua, cum de parochis agitur, etiam totaliter dispensari potest; jus enim divinum parochos non cognoscit, quo-

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *p. 942.*

rum existentia tota repetitur ab ecclesiastica institutione: neque causa deest juste dispensandi, ex difficultatum natura deprompta.

Pars tertia.

Ea, quae disputata sunt, dubiorum formulis applicantur.

Ex doctrina amplissime a se exposita depromebat consultor singulis dubiis, quae occidentalem ecclesiam respiciunt, accuratam responsionem. Priori dubio respondendum esse opinabatur: Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus Sedes episcopalis ac paroeciae canonice erectae jam sint atque ad eas vicarius apostolicus et missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant.

Secundo dubio: »Provisum in primo.«

Tertio dubio: »Decere ex charitate« vel potius: »Vitandam esse locutionem: — teneri ex charitate, — dicendum autem esse: Decere ex charitate; — idque ita, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat.« —

Dubio quarto: Provisum in tertio.«

Responsio ad quintum dubium post ea, quae dicta sunt, pendebat ex judicio ferendo super facto: *An videlicet in eo vicariatu essent paroeciae canonice erectae?* Porro ex relationibus earum missionum eruebat consultor ejusmodi paroecias non adesse. Constabat enim in facto: Anno 1816 catholicos Surinenses ecclesiam nullam habuisse, anno 1820 religionis status vere miserabilis dicebatur.

Attamen difficultatem prima fronte gignere videbantur haec, quae sequuntur. Ex relationibus habitis anno 1844 ad quaesitum 29: »*An ibi adsint parochi vel tantummodo simplices missionarii?* responsum fuerat a vicario apostolico: Praefectus R. D. Groof est parochus civitatis Paramaribo et missionarius Gerardus Schepers parochus est Nicheriensis, a praefecto delegatus.

Ad quaesitum 32: »*Quot sint parochiae?* responsum fuit: Tres sunt parochiae, nempe 1: in civitate Paramaribo, 2: in leprosorum constitutione Batavia, 3: in superiore parte Nicheriae.

Item ad quaesitum 30: »*An parochi sint perpetui vel ad nutum amovibiles et an missam celebrent festis diebus pro populo?* Responsum fuit: R. D. praefectus parochus est perpetuus, parochus autem delegatus ad nutum amovibilis. Tam parochi quam missionarii, si aegritudine non arceantur, quotidie celebrant missam eamque dominicis et festis pro populo appllicant.

Investigabat porro consultor: *An veri parochi illi dicendi sint vel potius simplices missionarii et an paroeciae debeant potius dici simpliciter ecclesiae?* Etenim idem vicarius apostolicus ad quaesitum 21, quo petebatur a quo ejusmodi parochi eligerentur, responderat: Parochus eligitur a s. Congregatione de propaganda fide. Sacra autem Congregatio, non parochum sed tantum missionarium seu missionis praefectum eligit. Item ad quaesitum 33, quo indicari debeant fines singularum paroeciarum, responderat: Parochiarum fines sunt Oceanum, ripae, flumina et silvae vacuae. Praesenti autem tempore, ex literis aliisque documentis colligebatur, missam pro populo ab omnibus missionariis applicari, nonnisi pro devotione, omnesque generico missionarii nomine« appellari. Ex his aliisque similibus validis conjecturis consultor arguebat: Neque veros parochos ea in missione haberi neque veras parochias ideoque quinto dubio respondendum esse opinabatur: »Negative et dentur decreta 28. Januarii 1780 et 5. Februarii 1803.« Haec decreta supra relata sunt.

Circa dubium sextum animadvertebat consultor, deesse elementa ad judicandum necessaria; nam ab Episcopo significari saltem debuerat: an paroecia, de qua est sermo, unita sit episcopali mensae unione plenaria et extinctiva vel secus. Si enim unio plenario et extinctivo titulo non sit, unius missae celebratione non videbatur Episcopus satisfacere posse duplici obligationi. Ad rem afferebantur ea, quae leguntur in causa *Nisen. Applicationis missae pro populo diei 17. Dec. 1803*, agitata apud s. C. Concilii §. *Ex Tridentino*, ibi: »Ex Tridentino statuitur, quod praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre; atque idcirco, si Episcopus retinet curam paroeciae cathedralis, ipse applicare tenetur missam pro populo, neque si Episcopus, tanquam totius dioecesis parochus, pro universo grege missam applicat, idcirco eximi poterit ab applicanda missa pro parochianis. Nam si ipse curam parochialem cathedralis gerit, nedum pro universo grege sed etiam pro ovibus paroeciae duo distincta sacrificia offerre debet...

Id quod optime noscit vigilantissimus Episcopus, dum nihil aliud postulat, quam ut suo sumptu missa alternatim a parochis applicetur. Quamquam vero applicatio missae pro populo ita pastoribus imposita sit, ut per se et non per alium substitutum eam implere debeant: attamen, si quod subsit necessarium impedimentum, eisdem s. Congregatio permittit, ut per alios supplere possint. Impeditus autem legitime videtur Episcopus, ne applicationem pro parochianis praestare possit, dum id pro universo grege facere tenetur.« Item in §. *Merito* ejusdem causae, necnon in altera causa *Nullius Sublacen. 12. Septemb. 1824.* §. *Rursus*, ibi: »Atque ita hoc onus (missae pro populo) personam parochi, curam actualem habentis, respicit, ut si Episcopus curam actualem retineat paroeciae cathedralis, etiam ab ipso Sacrum pro populo sit peragendum. Neque, si Episcopus tamquam totius dioecesis parochus pro universo grege missam applicet, idcirco eximi poterit ab applicanda missa pro parochianis, uti admonet etc.«

Quando enim unio plenaria facta non sit, remanet titulus et officium, quod natura distinguitur ab episcopali titulo et officio; et ideo distincta remanent onera iisdem adnexa. Ejusmodi autem doctrina locum videbatur obtinere in praesenti casu, in quo Episcopus utrumque titulum nominabat, adeo ut paroecia non consideraretur uti pars dioecesis ab ab Episcopo peculiariter administrandae; et ceteroquin ejusmodi paroeciarum uniones mensae episcopali, ob quas titulus et parochi officium extinguantur, fieri non solent. Verum ad modum quod attinet exequendi hanc obligationem, consultor non praetermittebat insuper adnotare, duplicem legem opponi. Prima quae declarat hanc obligationem personalem esse et ideo prohibet eis implementum per substitutum; altera est quae determinat dies festos et prohibet translationem sine dispensatione, const. *Cum semper oblatas.* Quinimo non videbatur per seipsum laudatus Episcopus dictam paroeciam administrare posse, quae distat a Cathedrali viginti circiter passuum millia. Quare opinabatur consultor respondendum esse quinto dubio: »Juxta exposita negative et ad mentem; mens autem consultoris erat, quod, si Episcopus in urbe (paroecia) non constituerit vicarium pro paroeciae administratione, hunc constituere deberet et per eum satisfacere quoque obligationi missae pro populo; in determinatione autem congruae ratio haberetur dicti oneris, juxta §. 9. constitutionis: *Cum semper oblatas.*

Ejusmodi autem consultoris opiniones plenissime probatae a s. Congregatione fuerunt, prouti ex sequentibus patebit.

Dubia.

I. *An vicarii apostolici et missionarii, qui quovis modo suscipiunt animarum curam in aliquo determinato loco, teneantur indiscriminatim ex justitia applicare missam pro populo diebus festis?*

Et quatenus negative,

II. *In quosnam vicarios apostolicos et missionarios ejusmodi onus incumbat?*

III. *An illis, qui ex justitia non tenentur, responderi debeat: Decere ex charitate vel teneri ex charitate ad applicandam missam pro populo?*

IV. *An, probata formula: teneri ex charitate, haec intelligi debeat de obligatione sub gravi?*

V. *An vicarius apostolicus Surinae ceterique missionarii ejusdem vicariatus teneatur ad missam applicandam pro populo?*

VI. *An Episcopus, qui officium parochi exercet, applicatione missae pro suis dioecesanis satisfaciat quoque obligationi, qua tenetur ob parochiale officium?*

VII. *Si idem Episcopus non satisfaciat obligationi parochi propriae quoad applicationem pro populo, quid dicendum super praeteritis omissionibus?*

S. C. de propaganda fide discussis quaestionibus in comitiis habitis die 23. Martii 1863 respondere censuit

Ad I: Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus Sedes episcopalis ac paroeciae canonice erectae jam sint atque ad ea vicarius aposolicus et missionarii missi sint ut legitimorum pastorum vices gerant.

Ad II: Provisum in primo.

Ad III: Vitandam esse locutionem: *Teneri ex charitate*, dicendum autem esse: Decere ex charitate, idque ita, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat.

Ad IV: Provisum in tertio.

Ad V: Negative et dentur decreta 28. Januarii 1780 et 5. Februarii 1803.

Ad VI. Juxta exposita negative et ad mentem.

Ad VII: Ad D. Secretarium cum SSmo.

Dubiorum autem formulae, orientales ecclesias respicientes, quibus Emmi Patres in eadem Congregatione responderunt, sunt sequentes:

Dubia.

I. *An obligatio applicandi missam pro populo, quae secundum jus ecclesiae occidentalis imponitur Episcopis et parochis, locum pariter habeat in iisdem personis ritus orientalis?*

Quatenus affirmative,

II. *An quoad dierum determinationem servari debeant leges et consuetudines rationabiles, quae vigere reperiantur in aliquibus dioecesibus ejusdem ritus?*

III. *An in defectu talium legum et consuetudinum ejusmodi dierum determinatio fieri debeat juxta normam et integram extensionem legum occidentalium?*

IV. *An ob graves rationes et circumstantias locus fieri possit alicui reductioni dierum, qui determinati sunt a legibus occidentalibus, et deveniri etiam ad totalem dispensationem, obligatione tamen injuncta orandi pro populo in iisdem missis, quae applicari pro eodem deberent?*

Eodem die et anno s. Congregatio respondere censuit

Ad I: Affirmative.
Ad II. Affirmative.
Ad III. Negative.
Ad IV. Provisum in tertio, et ad mentem.*)

Die 23. Mart. 1863.

Ex iis inter alia plura colliges:

I. Ex natura pastoralis officii in ecclesia divinitus instituti sicut obligatio eruitur agnoscendi oves suas easdemque pascendi verbi divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo etc., ita etiam erui obligationem offerendi pro his sacrificium.

II. Hoc autem pastorale officium, sua integritate, in Episcopis ex divino jure residere.

III. Ex ecclesiastico autem communi jure parochis committi hujus pastoralis officii partem, quae ex sese et ex ratione, qua committitur, sufficiens est ad gignendas dictas obligationes.

IV. Ea namque ratione committitur, ut assumptione parochialis officii parochus fiat pastor proprius concrediti gregis, quamvis talis pastor et concreditus grex immediatae vigilantiae et sollicitudini pastorali subsint altioris ordinis pastoris, qui est Episcopus.

V. Hinc colliges, multum differre a parochis missionarios, qui ex missione seu delegatione sacr. Sedis vel etiam Episcoporum pro suis dioecesibus, praecones tantum sunt divini verbi et mysteriorum Dei dispensatores.

VI. Quare ex divino jure multoque minus ex ecclesiastica lege missionarii non tenentur offerre sacrificium pro popnlo, quamvis eo animo sint plerumque comparati, ut non solum sacrificium pro populo offerant sed etiam animam suam dènt pro fratribus suis.

XX. Oblig. ex jure divino derivat.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (obligatio Episcopi, qui simul est paroch. p. 921.)

Onus applicationis missae pro populo ex divino praecepto derivare declaravit sacrosancta Tridentina synodus *sess. 23. cap. 1. de reform.*

Die 17. Sept. 1804. *Nullius Ferentill.*

Onus applicandi pro populo a se avertere non possunt parochi ex consensu parochianorum, cum a jure divino impositum sit et a parochis impleri debeat ratione muneris non bonorum et congruae, quam possident, ut tradit *Monacell. tom. 4. in supplem. ad form. 7. n. 3.* et definivit s. Congregatio in *Ferentina 15. Martii 1735* et in *Tyburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801.*

Die 17. Julii 1802. *Comen.*

*) Mens autem sacrae Congregationis fuit, quod secundum opportunitatem inculcaretur Episcopis ecclesiae orientalis obligatio, qua etiam in ea gravantur animarum pastores applicandi aliqua vice missam pro populo; et in eo, quod ad determinationem spectat dierum, iisdem exponeretur disciplina occidentalis ecclesiae, ut ex hac normam habeant ad dignoscendum, usque dum ea convenire posset in eorumdem dioecesibus, et quocumque in casu ad proponendum sac. Sedi eas moderationes, quas necessarias putaturi essent. Adeo sapiens et aequa est disciplina s. Sedis!

XXI. Obligatio mansionariorum Cathedralis.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (oblig. eorum, qui curam actual. exercent n. XV. p. 896; obligatio Episcopi, qui simul est parochus, p. 920.); *pag. 890, 894, 895.*

Patavina.

Cathedralis et parochialis ecclesiae Patavinae cura geritur per sex mansionarios curatos. Quamquam una sit ecclesia, unus fons et liber parochialis, unum tabernaculum et *sigillum*, attamen paroecia dispertita est in sex mansiones, quibus singulis unus praecipuus mansionarius adest sacramenta ministrans, cathechesim exponens caeteraque independenter gerens, quae ad curam animarum pertinent. Caeterum mansionarii habitare possunt intra limites universae paroeciae praeter duos, qui aedes apud ecclesiam positas habitant, ut nocte intempesta et casibus inopinis opem infirmis ferre possint. Qui vero ex mansionariis senior est quique *custos* appellatur, in tumulatione cadaverum psalmos praecinit. Capitulum vero Cathedralis jurisdictionem exercet super universum clerum eidem addictum. Retinet sigillum et librum parochiale, participat de emolumentis funerum, functiones exercet, jura paroeciae defendit.

Statuta vero ecclesiae praescribunt, ut *curam paroeciae ecclesiae Patavinae loco Archipresbyteri exerceant mansionarii.* In sacris autem visitationibus Episcopi consueverunt appellare mansionarios *legitimos parochos habentes mansionarias in titulum.* Hinc capitulum, quoties mansionarios praesentat, his utitur formulis: *Mansionariam, cui cura imminet animarum, tibi, qui praevio diligenti examine ad formam concilii Tridentini habilis et idoneus ad eam regendam repertus et approbatus fuisti, conferimus et assignamus.* Et curia episcopalis praesentatum a capitulo approbat his verbis: »*ut in ecclesia cathedrali tamquam perpetuus mansionarius parochus sacramenta, quae ad parochum mansionarium spectant, administrare et curam animarum exercere possis et valeas, tibi coram nobis a tribus examinatoribus examinato, idoneo reperto et approbato licentiam damus et approbamus, te monentes, ut pro recta administratione ea serves, quae in constitutionibus sacris rectoribus ecclesiarum et curatis praescripta sunt.*

Oritur modo quaestio: *Num mansionarii teneantur ad applicationem missae pro populo et utrum singuli singulis diebus festis, an saltem per turnum?* Negant id mansionarii, affirmat capitulum et alterum in alteros onus hujusmodi rejicit. Consultus est vicarius capitularis, qui remisit rationes utrinque in scriptis adductas et inferius recensendas. Ipse vero putat, quod cura actualis animarum spectat ad *mansionarios tamquam legitimos parochos habentes mansionarias in titulum non veluti coadjutores capituli amovibiles, quo vero ad consuetudinem applicationis missae die festo celebratae pro populo, nihil aliud addere possum, nisi temporibus praeteritis et modo nonnullos ex mansionariis etiam nostrae aetatis rectaeque conscientiae semper diebus festis de praecepto missam celebrasse ac celebrare pro populo.*

Eo redire videtur quaestio: Num cura actualis paroeciae Cathedralis Patavinae resideat penes mansionarios vel apud capitulum. Nam cum ex Tridentino *sess. 23. c. 1. de reform.* ii teneantur pro ovibus suis *sacrificium offerre*, quibus *animarum cura commissa est*, jam tenentur applicare missam pro populo, qui actualem curam exercent, ut declaravit san. mem. Benedictus XIV. *in constit.* edita *die 19. Augusti 1744*, cujus initium: *Cum semper oblatas*)* et definivit s. Congregatio in *Calaguritana Applicationis missae pro populo 12. Decembris 1764*, in *Oveten. 22. Januar. 1774**)* et in *Tyburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801.*

Mansionarii contendunt se esse coadjutores capituli, quod curam exercet, idque ex hisce conjecturis deducunt. Ajunt capitulum exercere jurisdictionem supra ecclesiam parochialem, nominare mansionarios, participare emolumenta funerum, retinere usum stolae, custodire sigillum et libros parochiales, exercere omnes functiones praesertim distributionis palmarum et candelarum, benedictionis aquae, defendere omnia jura parochialia. Hisce accedit, quod Episcopi in s. visitationibus numquam mansionarios adegerint ad celebrationem missae pro populo et *Joannes Clericatus in suo opere discordiae forenses discord. 20. per tot.* probat, quod penes capitulum sit cura animarum.

Ad haec capitulum respondit, quod mansionarii revera habeant curam actualem. Nam tum ex statutis ecclesiae tum ex de-

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *p. 872.*

cretis s. visitationum proprii verique parochi appellantur. Reque vera ita eis conceditur mansionaria, ut primum examen subeant ad praescriptum Concilii Tridentini, quod ad veros parochos pertinet. Nam coadjutores parochi nec examen subire debent, et ad libitum removentur. Contra vero mansionarii Cathedralis Patavinae paroeciam retinent in titulum et sacramenta curamque animarum independenter gerunt. Quae vero capitulum retinet et exercet ea referri possunt ad curam habitualem, quam solum *Clericatus in loc. citat.* tribuit capitulo.

Quandoquidem EE. PP. censeant a mansionariis applicandam esse missam pro populo, inquirendum superest: Num teneantur singuli unoquoque die festo applicare seu potius per turnum? Paroecia quidem in sex partes divisa est, quibus singulis unus praecipuus mansionarius adest itaut videantur sex parochi distincti, qui singuli ad applicationem tenerentur. Sed una est parochialis ecclesia, unus baptismalis fons et liber parochialis, unum tabernaculum et sigillum. Quare una videtur ecclesia parochialis et unica missa pro populo satis habetur, quae alternatim celebranda est ab iis, qui curam exercent, ut definivit s. Congregatio in *Ripana Jurium parochialium 20. Novembris 1762* et novissime in *Visen.**) *Missae pro populo 17. Decembris proxime praeteriti.* Quod si hoc onus mansionariis inesse videatur, sane consulere debent propriae conscientiae quoad omissum in praeteritum implementum. Quae omnia pertinent *ad modum*, de quo in proposito dubio quaeritur:

An et quomodo mansionarii ecclesiae cathedralis Patavinae teneantur ad applicationem missae pro populo in casu?

S. C. resp.:

Affirmative per turnum et mansionarii consulant conscientiae suae.

Die 14. Apr. 1804.

XXII. Obligatio Orientalium.

Vd. *Applicatio missae pro populo* (oblig. Episcopi, qui simul est parochus p. 920 etc..)

Ad dub. I. *An obligatio applicandi missam pro populo, quae secundum jus ecclesiae occidentalis imponitur Episcopis et parochis, locum pariter habeat in iisdem personis ritus orientalis?*

Quatenus affirmative,

II. *An quoad dierum determinationem servari debeant leges et consuetudines rationabiles, quae vigere reperiantur in aliquibus dioecesibus ejusdem ritus?*

III. *An in defectu talium legum et consuetudinum ejusmodi dierum determinatio fieri debeat juxta normam et integram extensionem legum occidentalium?*

IV. *An ob graves rationes et circumstantias locus fieri possit alicui reductioni dierum, qui determinati sunt a legibus occidentalibus et deveniri etiam ad totalem dispensationem, oligatione tamen injuncta orandi pro populo in iisdem missis, quae applicari pro eodem deberent?*

S. Congregatio de propaganda fide in comitiis habitis respondere censuit

Ad I: Affirmative.
Ad II: Affirmative.
Ad III: Negative.
Ad IV: Provisum in tertio et ad mentem.*)

Die 23. Mart. 1863.

(Anal. J. P. 1866 p. 2032.)

XXIII. Obligat. missionariorum parochorum.

Vd. *Applic. missae pro populo* (oblig. Episcopi, qui simul est parochus p. 920 etc..)

Ad dub. I: *An vicarii apostolici et missionarii, qui quovis modo suscipiunt animarum curam in aliquo determinato loco, teneantur indiscriminatim ex justitia applicare missam pro populo diebus festis?*

Et quatenus negative,

II. *In quosnam vicarios apostolicos et missionarios ejusmodi onus incumbat?*

III. *An illis, qui ex justitia non tenentur, responderi debeat:*

Decere ex charitate vel teneri ex charitate ad applicandam missam pro populo?

IV. *An probata formula — teneri ex charitate — haec intelligi debeat de obligatione sub gravi?*

Sacra Congregatio de propaganda fide discussis quaestionibus in comitiis die 23. Martii 1863 respondere censuit

Ad I: Negative: dummodo non agatur

*) Vd. *p. 952.*

Vd. *p. 930* §. *Mens.*

de locis, in quibus sedes episcopalis ac paroeciae canonice erectae jam sint, atque ad ea vicarius apostolicus et missionarii missi sint ut legitimorum pastorum vices gerant.

Ad II: Provisum in primo.

Ad III: Vitandam esse locutionem — teneri ex charitate; — dicendum autem esse: — decere ex charitate, — idque ita, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat.

Ad IV: Provisum in tertio.

(Anal. J. P. 1865 p. 2032.)

XXIV. Obligatio parochi est in diebus festivis et dominicis.

Vd. *Constitut. Bened. XIV.*: *„Cum semper oblatas“ p. 695; Parochus* (functiones); *Applicatio missae pro populo* (obligatio eorum, qui curam animar. gerunt p. 896; obligatio parochorum pauperum *p. 983.*); *p. 924.*

Asculana.

Qui suburbanam filialemque regebat ecclesiam s. Mariae de Monte de jurepatronatus communitatis Montis Galli Sacrum in ea diebus festis terque in singulas hebdomadas profestis celebrare tenebatur eique vicissim communitas ex statuto anni 1572 habitationem praestabat in oppido unumque quolibet bimestri florenum pro manutentione lampadis ad altare ss. Sacramenti. Ea, ut fertur, eversa ecclesia translatum fuit juspatronatus ad alteram s. Bernardini seu b. Mariae de Plataea in loco nuncupato il Balzo, cujus rector Canonicus Aloysius Ridolfi annuum habet redditum scutorum circiter 60 pretiumque olei et cerae a communitate in scutis 12. Duo adversus eum reluctantem ab EE. Vestris postulavit communitas, ut missam nempe diebus festis aliisque tribus in hebdomada profestis et praeteritas omissiones supplere cogeretur.

Nullum Asculani Episcopi testimonio sive de fundatione beneficii s. Bernardini sive de missarum reductione monumentum. Refert tamen, quod ex fide exarata de anno 1708 per Joannem Brunori Priorem de illo tempore communitatis Montis Galli, Franciscum Ventura de eodem loco et ex pastoralibus visitationibus dein factis reductionem missarum ad solos dies festos desumi posse videtur, cum tam in illa quam in his enuncietur onus celebrationis missarum diebus tantum festivis. Quoad applicationem missarum vero haec habet: Si intueatur rubrica quarta statuti anni 1572, applicationis onus evinci posse videtur. Nam in illa demandatur rectori celebratio trium missarum in qualibet hebdomada et singulis diebus festivis, quae simplex celebrationis missarum indicatio sat est pro desumenda sacrificii applicatione, nisi apertissime ostendatur, missarum celebrationem unice requiri et rectoris arbitrio remitti, ut fructum sacrificii, cui libuerit, attribuat. Quod magis in casu locum habere videtur, quia ante praesumptam reductionem fiebat a rectoribus beneficii applicatio, ut ex juratis depositionibus duorum sacerdotum, qui capellani munus exercuerunt. Quod si mens convertatur ad enunciativam visitationis peractae de anno 1729 et ad inventarium in hac curia exhibitum sequenti anno 1730 a Carolo Felicelli rectore, applicationis onus exclusum iri videtur ob rationem, quod tam in hoc quam in illa expresse enunciatur, inesse onus beneficio celebrationis omnibus diebus festis absque applicatione.

Primum ex tribus infrascriptis dubiis applicationem respicit missae diebus festis. Ad hanc excludendam, ignotam urget rector fundationem beneficii; nam simplex celebrationis onus applicationem in antiquis excludit, teste *Ferrar. in biblioth. verb.: Missa art. XII. XIII.* Distincta sane est obligatio celebrandi, de qua loquitur statutum, ab altera applicandi; et una potuit sine altera ad meram populi commoditatem induci, *Rot. cor. Olivat. decis. 487. num. 8. et seq.* et s. Congregatio in *Mediolanen. Applicationis missarum 11. Maji 1748.* Eoque minus ad applicationem teneri contendit, quia expresse in visitatione anni 1729 et inventario sequentis anni exclusa fuit et quia statutaria non percipit emolumenta. Vix enim, ut asserit, annua a communitate consequitur scuta novem; habitatione caret.

Veriorem dicit communitas magisque receptam sententiam, quod applicationem etiam voluisse censeatur, qui missarum celebrationem praestito emolumento demandavit. Ita *Fagnan. in cap. 11. num. 44. de praeben., Pignatell. consult. 139. num. 12. et 16. tom. 1* pluribusque allegatis sacrae Congregationis resolutionibus, Benedict. XIV. *de sacr. miss. lib. 3. cap. 9. num. 2.* Rectoris autem stipendium, veluti ab ipsa et populo proficiscens, in annuis probat scutis circiter 72, quorum 60 ex fructibus beneficii, 12 ex sua

praestatione. Remque confirmat ex observantia: nam quatuor de applicatione testantur decessorum rectorum capellani; eamque ad annum 1770 notatam vidisse affirmat in codice missarum ecclesiae vicarius foraneus, licet ex attestatione hodierni capellani, sacristae et publici notarii, nedum in codice, sed in antiqua etiam tabella vitiata appareat adnotatio. Neque obesse ait enunciativas visitationis anni 1729 et posterioris inventarii de obligatione celebrandi absque applicatione. Altera enim emissa fuit inaudita communitate et confirmata non apparet in sequentibus visitationibus annorum 1753 et 1757, auctorem habet altera rectorem beneficii, qui inventarium confecit.

A resolutione primi dubii resolutio pendet secundi. Si immunis enim judicabitur rector a futura applicatione, nec ejus vitio verti poterit praeterita illius omissio. Si aliter Emmi Patres de illa decernent, de bona quaerendum erit vel mala fide, qua ab anno 1770 omissa fuit applicatio. Ex bona fide similem EE. Vestrae remiserunt omissionem in *Melevitana Confirmationis statuti 20. Decembris elapsi anni 1788*, ex mala capellanum ad eam supplendam damnarunt in *Bononien. Reductionis servitii chori 24. Novembris 1787 ad II. dubium.* Qua autem fide applicationem omiserit Ridolphius, ex iis conjici potest, quae notata sunt ad primum dubium.

Pauca de tertio dubio rector, de statuaria scilicet trium missarum celebratione diebus profestis. Iterum enim hic de imminuta queritur communitatis praestatione iterumque ademptam urget habitationem, quasi idcirco defecerit correspectiva ejus obligatio. Praesumpta etiam addi posset hujusce celebrationis reductio, tum ex antiquis testium depositionibus anni 1708, cum ex pastoralibus visitationibus annorum 1729, 1753 et 1757, in quibus mentio fit de una missa diebus festis.

Ad observantiam contra restituere nititur municipalem legem communitas, ne pii habitatores loci del Balzo in aliquibus etiam profestis diebus spirituali careant missarum fructu, maxime, quia grave capellano non esset statutarium onus, cum quotidie fere in ecclesia s. Bernardini sponte sua celebrat.

Dubia sunt:

I. *An rector ecclesiae s. Bernardini oppidi Montis Galli teneatur quolibet die festo in d. ecclesia celebrare et applicare missam pro populo in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit providendum pro missis non applicatis in casu?*

III. *An idem rector teneatur in eadem ecclesia s. Bernardini ter in hebdomada cujuslibet mensis diebus feriatis Sacrum facere pro populi commoditate in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus.

Ad II: Consulendum Sanctissimo juxta mentem.

Ad III: Negative.

Die 29. Aug. 1789.

Confirmatur decretum Congreg. Concilii super obligatione parochorum applicandi sacrificium pro populo in diebus festivis.

Innocentius Papa XII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum emanavit super quodam dubio pro parte venerabilis Fratris moderni Episcopi Pistorien. et Praten. Congregationi hujusmodi proposito decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Pistorien. et Praten.

Cum parochi ecclesiarum Pistorien. et Praten. inter varias opiniones doctorum involuti negligant in dies celebrationem et respective applicationem sacrificii pro populo juxta dispositionem sacrorum canonum et Concilii Tridentini, Episcopus ad consulendum nedum propriae verum etiam dictorum parochorum conscientiae supplicat declarari:

An parochi teneantur omnibus diebus festis applicare sacrificium pro populo sive non?

Die 14. Februarii 1699 sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit: Dandas esse resolutiones alias hac de re editas et signanter in *Nullius Nonantulan. Eminentissimo Abbati 30. Augusto 1698*, tenoris, ut infra: Cum praecepto divino*) iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, saepe

*) Vd. *p 921, 930.*

alias sacra Congregatio Concilii censuit: parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, et praecipue in dubio applicationis sacrificii proposito et respective resoluto sub die 10. Maji 1692 his praecisis verbis concepto: *An parochus missam celebrare teneatur et sacrificium applicare pro parochianis in diebus dominicis et festis, sive habeat congruam sive non?*

Sacra etc.: Juxta alias declarationes censuit teneri nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere; ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres quoad parochos Nonantulanae dioecesis, addentes insuper, quod E. V. pro suo pastorali zelo detractantes parochos compellere non gravetur.

J. Cardinalis Sacripantes Praefectus.

F. Nuptius, Secretarius.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Episcopo gratiam facere volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere etc.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 24. Aprilis 1699.

(Bull. r. t. XII. p. 315. Ed. Luxbg.)

Cum in hac constitutione jubeat Pontifex: »*sic in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere,*« et declaret: »*irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari,*« sequitur manifeste, parochos sic strictissime obligatos, uti etiam expost pluries a sacra Congregatione Concilii fuit resolutum, praesertim in *Pampilonen. 17. Novembris 1702 et 31. Maji 1705* et in *Camerin. 28. Jun. 1704*, ut refert *Merati t. 1. fol. 331. sub n. 3*, ubi plura ad rem. Unde omnino est sic semper tenendum, nulla habita ratione ad tenuitatem congruae parochorum, quia excusatio ita fuit semper rejecta, et signanter in *Narniensi*, ubi, cum nonnulli parochi illius dioecesis, qui nisi tenuissimam congruam pene scutorum viginti aut triginta non habent, recursum habuissent ad sacram Congregationem pro aliqua dictorum decretorum moderatione et exposuissent, a parochianis tamquam miserabilioribus congruam augeri non posse, et quod congruae alimentariae numquam derogatum censetur, quia qui altari servit de altari vivere debet et bovi triturranti os claudendum non est, et ideo aliqua mitiori provisione cum ipsis indulgendum esse postulassent, ne parochiales illae et cultus divinus desererentur aut cogerentur facere, quod non decet, adhuc prodiit rescriptum, quod servare deberent decretum emanatum in *Nonantulana*. Sic sibi significatum fuisse de mense Julii 1711 ab Episcopo illius civitatis refert *Monacell. tom. 4. in supplementum ad 3. tom. num. 121.* Ratio autem horum decretorum est, quia parochus, non ratione sustentationis sed ratione *officii* tenetur sacrificium pro populo applicare. Nam sicut, qui ducit uxorem pauperem sine ulla vel parva dote, se excusare non potest nec se subtrahere ab oneribus matrimonii, ut docent communiter doctores, ita, qui acceptat parochiam exilis redditus, tenetur onera parocho injuncta adimplere: argumentum etenim a matrimonio carnali ad spirituale optime concludit, cum pari passu ambulent et parochus sibi imputare debet, si sponsam pauperem acceptavit, ut perdocte tenet *Pirhing. in jus canonic. lib. 3. tit. 23. num. 19.* Immo, ut refert et tenet *Ursaya instit. crim. lib. 1. tit. 20. §. 3. n. 137*, ubi est consuetudo quod parochi celebrent ad benedictiones nuptiales impertiendas et pro sepeliendis mortuis, non possunt ipsis diebus pro eadem missa eleemosynam accipere, s. Congr. in *Civitate Castelli 8. Augusti 1648 lib. 18. decis. fol. 466*, in *Aretin.*

18. Aprilis 1629 lib. 14. decret. fol. 78 et in *Fanen. 1. Septembris 1620 lib. 14. decr. fol. 153.*

Ne vero a scrupulosis dubitetur: an sui redditus sint pingues vel tenues, et sic: an obligentur applicare quotidie vel solum diebus festivis, notandum et sciendum est, quod illi parochi dicuntur habere redditus pingues et sic obligati ad quotidie celebrandum pro ovibus suis, qui habent tales ac tantos redditus, ut ex iis possunt honeste juxta suam qualitatem, consideratis considerandis, sufficientissime se sustentare, licet ultra honestam suam sustentationem parum aut nihil superflui remaneat. Illi autem censentur habere redditus tenues et consequenter obligati applicare pro suis ovibus solum diebus festivis, qui ex iis non possunt se sufficienter et honeste sustentare juxta suam qualitatem. *Sic communiter doctores.*

Ostien.

(Conc. Tr. c. 1. s. 23. de ref.)

Quatuor soli adsunt in dioecesi Ostien. parochi, qui propter aeris insalubritatem sunt ad nutum amovibiles, et quorum institutio non fit per concursum, cum praesententur a dominis feudorum et praevio examine approbationem et institutionem recipiant ab eminentissimo Ordinario.

Primus ex his parochis est illa civitatis Ostiensis. Degunt in ea quinquaginta circiter homines et parochus recipit ab eminentissimo Ordinario menstrua scuta octo, et singulis diebus festis de praecepto missam parochialem applicat pro populo.

Secundus parochus est ille Castri romani. Quinquaginta homines degunt in hoc castro et parochus recipit quolibet mense a Marchione Sacchetto domino Castri scuta sex et obulos viginti, et hic missam parochialem pro populo non applicat, sed duodecim missas quolibet mense celebrat et applicat juxta Marchionis intentionem.

Tertius parochus est ille Porcigliani. In hoc loco degunt homines septuaginta et parochus recipit a Barone de Nero domino loci scuta sex cum dimidio quolibet mense et hic applicat missam pro populo diebus tantum dominicis.

Quartus parochus est ille Decimae. Degunt in hoc loco decem homines et parochus habet a Marchione Torregiano domino loci sc. 8 cum dimidio quolibet mense et hic missam pro populo non applicat sed duodecim missas celebrat et applicat quolibet mense juxta intentionem Domini.

Numerus animarum in praedictis locis augetur tempore hyemali tum pro cultura agrorum tum pro custodia animalium, sed parochi nihil unquam ultra recipiunt praeter menstruam quantitatem supra recensitam, ita ut nulla alia habeant emolumenta sive certa sive incerta: cumque promotor fiscalis mensae episcopalis, ut muneri suo satisfaciat et ut quemcunque scrupulum amoveat, operae pretium esse censuerit recurrere ad hanc s. Congregationem, instando pro declaratione: *An praedicti omnes isti parochi teneantur missam pro populo applicare diebus omnibus festis de praecepto?* et eminentissimus Ordinarius se remittat judicio hujus sacrae Congregationis, quaeritur in praesenti: Quid sit respondendum?

Quoad parochorum obligationem missam applicandi pro populo, de eadem mentio habetur *sess. 23. cap. 1. de reform.*, ibi: *Cum praecepto divino*) mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre;* postrema haec etenim verba juxta veriorem intelligentiam non solam missae celebrationem nec solam applicationem fructus generalissimi, sed medii fructus applicationem important, et sic specialem ejus pro populo applicationem, uti late ostendit *Fagnan. in cap.: Fraternitatem num. 92. et seqq. de sepulturis,* et facit illud *Levit. 9.*, ibi: *Accede ad altare et immola pro peccato tuo, offer holocaustum et deprecare pro te et pro populo,* uti praedictum textum ponderando prosequitur eminentissimus Cardinalis Ursinus in *sua synodo Sypontina cap. 32. de parochis §. 5.*

Quoad applicationem ejusdem sacrificii pro populo diebus festis, sive parochi habeant congruam sive non et sive sint amovibiles sive perpetui, constans fuit affirmativa usque adhuc hujusce sacrae Congregationis sententia, uti habetur ex resolutionibus plena manu cumulatis tam antiquis quam recentibus apud *Monacell. in formul. legal. tom. 1. pag. 32. num. 4. et seqq., tom. 2. pag. 219. n. 18. et seqq. et tom. 4. pag. 101. sub num. 121* et hae resolutiones fuerunt a summo Pontifice Innocent. XII.**) confirmatae per suas literas

*) Vd. *p. 921. 930.*
**) Vd. *p. 934.*

apostolicas in forma Brevis die 24. Apr. 1699 impressas apud *Cleric. in disc. forens. disc. 29. de benef. sub num. 43,* et concordat resolutio in *Forosempronien. Missae parochialis 8. Februar. 1716 lib. 66. decret. pag. 55. a terg.*, ita ut sola adesse videatur differentia inter antiquas et recentiores hujusce s. Congregationis resolutiones, quod in antiquioribus dictum fuit, parochos habentes pingues redditus teneri quotidie missam applicare pro populo, quod in recentioribus non fuit admissum, uti videri potest in allegata *Forosempronien.* in responsione ad secundum dubium; cum enim in eo quaesitum fuisset:

An parochi habentes pingues redditus teneantur quotidie applicare missam pro populo?

responsum fuit: *Negative.*

Plana haec esse videntur juxta sensum hujus s. Congregationis. Id autem, quod speciali nota dignum esse videtur in praesenti, est, quod parochi nihil a populo recipiunt, cum id, quod habent, consequantur a dominis Castrorum; onus itaque erit EE. VV. animadvertere, quanti ad rem, de qua agitur, valeat haec circumstantia, et sic decernere:

An parochi teneantur missam applicare pro populo diebus dominicis et festis de praecepto in casu?

S. C. C. resp.:

Teneri et ad mentem. Mens est ut liberam habeant applicationem tot aliarum missarum ex illis, quas modo celebrant et applicant pro Baronibus, dummodo Barones non teneantur ad eas celebrari et applicari faciendum ex aliqua fundatione aut legato pio.

Die 29. Jan. 1724.

Post editam anno 1774 constitutionem san. mem. Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas *)* parochi ecclesiarum s. Mariae catholicae et s. Nicolai de Latinis a quotidiana missae pro populo applicatione cessarunt eamque diebus tantum dominicis et festis imposterum applicarunt. Dubitatum tamen fuit jure: An perperam ita se gesserint, proindeque die 26. Januarii anni praeteriti Eminentissimi PP. injungendum censuerunt Vicario apostolico, ut inquireret, quibus fundamentis inniteretur consuetudo quotidie applicandi in unaquaque parochia missam pro populo et an ad aliquam dispositionem et specialem causam ea referri congrue posset.

*) Vd. *p. 695.*

Ut injuncto sibi muneri satisfaceret Vicarius apostolicus, acta transmisit pastoralium utriusque ecclesiae visitationum, quae fusius recensentur in folio diei 13. Julii ejusdem anni, quod opportune ad causae definitionem resumi nunc poterit. Iis autem perpensis non una fuit EE. VV. sententia, sed scissis in diversa suffragiis nulla in sequenti Congregatione diei 3. Augusti prodiit resolutio fuitque demandatum, ut dubium ea de re iterum proponeretur.

Denuo proinde earundem ecclesiarum parochi supplicant pro dubii definitione et innixi memoratae constitutioni sa. me. Benedicti XIV., cujus vigore jus sibi fuisse contendunt applicationem missae pro populo ad dies tantum dominicos et festos coercere, sustinent, nulla ratione ad onus gravissimum quotidianae applicationis posse compelli, attentis praecipue exiguis parochiarum redditibus, qui ad congruam quidem parochorum sustentationem sufficiant.

Nec quidquam obesse per antiquam consuetudinem, quod scilicet praedecessores parochi quotidie applicaverint, cum difficultas, quae ex hac consuetudine oriri posset, diluatur ex actis visitationum annorum 1612 et 1655, ex quibus deprehenditur, onus tantummodo inesse parochis quotidianae missae applicationis in majori utriusque ecclesiae altari celebrandae, quod quidem ad aliud omnino diversum onus praeterquam ad illud applicationis missarum pro populo referri debet, cujus implementum ad certum altare non est coercitum.

Idque clarius desumi ex actis visitationis ecclesiae s. Mariae catholicae anni 1681, ubi haec habentur: »Quotidiana missa ex obligatione curae, quae celebratur per eosdem curatos per girum.« Neque attendendum esse postremam visitationem anni 1733, in qua de ejusdem ecclesiae oneribus haec leguntur: »Celebratur in altari majori pro populo quotidie per rev. Archipresbyterum«, quia, cum ex antiquioribus visitationibus constet missam in altari majori, non quidem pro populo, *sed ratione curae* fuisse applicatam, existimari debet, visitatorem fuisse deceptum, dum missarum onus applicationis missae pro populo transtulit.

Sed etiamsi praedecessores parochi quotidie missam pro populo applicaverint, contendunt nihilominus, ex voluntaria illorum applicatione ac nimia erga parochianos charitate ob-

stringi successores non posse ad subeundum onus, quod de jure non inest, cum nunquam in necessitatem transeant, quae ex alicujus voluntate procedunt.

His aliisque jam alias deductis assueta maturitate perpensis dijudicandum erit:

An parochi ecclesiarum s. Mariae catholicae et s. Nicolai de Latinis teneantur missam applicare quotidie pro populo vel tantum dominicis et festis diebus in casu etc.?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 25. Jan. et 15. Febr. 1772.

Casalen.

Regiones *Vallisturiae, Rivi, Casaleggi* subjectae olim erant parocho *Oladegni*. Lis exarsit inter hunc et incolas, qui, ut curae animarum melius consultum foret, proprium parochum postulabant. Sopina lis fuit inita transactione, qua deputatus fuit vicarius curatus ad nutum Episcopi amovibilis et parocho Oladegni subjectus, qui curam illarum regionum administraret. Verum nova excitata est controversia, postquam Defendens et Maria conjuges Canara plures (quas mox exponam) dispositiones de re sua fecerunt, in quibus nonnulla bona vicario Vallisturiae reliquerunt. Sed nova pariter successit perpetua concordia communi omnium interesse habentium placito conciliata, vi cujus haereditaria bona conjugum Canara cessa fuerunt in causam congruae assignandae novo parocho, quem in iis regionibus constituendum consensere. Quare Episcopus Casalensis Caravadossi edito solemni *decreto die 9. Aug. 1734* a paroecia *Oladegni* eas regiones dismembravit eisque novum in ecclesia s. Grati parochum constituit, cui praeter munia parochialia onus imposuit: *Missam item omnibus dominicis ac aliis festis de praecepto et feria VI. hebdomadis Passionis D. N. J. C. cum applicatione sacrificii juxta mentem viduae Mariae Canara celebrare, reliquis autem festis mobilibus pro populo etc., et autoritate sua ordinaria, qua fungitur, necnon sub reservatione beneplaciti apostolici, quatenus opus sit, ac omni meliori modo dispositiones et pias ordinationes dictorum conjugum de Canara commutavit, mandando etc. in omnibus prout in dicta conventione praepositum et expressum legitur.*

Quae fuerint dispositiones conjugum Canara praestat nunc cognoscere. Scriptis tabulis testamenti anno 1702 haeredes nominarunt patres Carmelitas excalceatos Hastenses injuncto onere peragendi propriis sumptibus spiritualia exercitia in *paroecia Oladegni*, ad praeterea solvendi vicario *Vallisturiae*, quantum, dum viverent, ipsi conjuges subministrare consueverant. Post hanc scriptam institutionem, subverentes conjuges, ne hoc onus patres Carmelitae acceptum ferrent, per publicum instrumentum *diei 20. Martii 1707* hoc eveniente casu declararunt, ut tunc omnia haereditaria bona delata essent parocho *Oladegni*, ita ut detractis aliis injunctis oneribus (quae inter erat stipendium concionatori solvendum) medietatem fructuum haereditatis parochus erogaret in celebrationem missarum ad eleemosynam *florenorum quatuor* et missae solemnis cum cantu die sacro divo Joseph in ecclesia s. Quirini; alteram medietatem vicario *Vallisturiae* traderet.

Viro suo Defendenti superstes Maria Canara rogato instrumento die *9. Aprilis 1796* donavit ecclesiae *s. Grati Vallisturiae* geminos census, unumquemque in sorte *scutorum 150* ad hoc, ut vicarius tria Sacra faceret in hebdomadas singulas, constituta consueta eleemosyna, et quod ex fructibus supererat, in anniversarium erogaret. Rursus alio stipulato instrumento die *15. Julii 1722* Maria Canara bona stabilia et mobilia suo patrimonio post obitum viri quaesita donavit vicariis pro tempore *Vallisturiae* hisce injunctis oneribus, scilicet: peragendi quotannis novendiales ante festum diem s. Josephi, celebrandi missam diebus sacris s. Annae et s. Joannis Evangelistae et feria VI. hebdomadis Passionis, tradendi quotannis certam quantitatem olei nucis et tandem hisce impletis oneribus ex residuo redditu tot sacrificia offerendi cum eleemosyna florenorum quatuor.

In conventione itaque, cujus paulo ante memini, tum patres Carmelitae tum parochus *Oladegni* omnia jura, quae illi ex testamento *anni 1702*, iste ex instrumento *anni 1707* in haereditatem conjugum Canara experiri poterant, cesseruut novo parocho *Vallisturiae* ac patribus Carmelitis assignatum fuit capitale haereditarium, ut singulis quatuor annis exercitia spiritualia alternatim in paroecia *Oladegni et Vallisturiae* peragerent, subministratis tamen a parochis viaticis, hospitio et victo.

Itidem parocho Oladegni capitale assignatum fuit, unde stipendium concionatoris solveret. Reliqua vero bona haereditaria conjugum Canara novo parocho *Vallisturiae* pro congrua assignata fuere.

Modernus parochus Vallisturiae sacerdos Carolus Odisio statim ac *anno 1814* promotus ad parochialem s. Grati novit applicandam esse missam pro populo solis festis mobilibus, anceps haesit, cum perspectam haberet constitutionem Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas**) editam anno 1744, quae, ut singulis diebus festis applicetur, praescribit. Nihilominus fretus decreto erectionis et observantia praedecessorum Sacrum pro populo festis mobilibus tantum obtulit, attamen, ut tutiorem suam redderet conscientiam, supplici libello quaesivit, num posset applicare missam pro populo solis festis mobilibus et aliis diebus festis de praecepto pro anima conjugum Canara, quemadmodum in decreto erectionis paroeciae statuitur; et quatenus teneatur missam pro populo applicare omnibus diebus festis ad normam constitutionis Benedictinae, tunc attenta tenuitate congruae postulavit reductionem earum, quas pro conjugibus Canara applicare tenetur, ad unam vel ad summum ad geminas missas in singulis mensibus. Rogatus vicarius capitularis de consuetudine quoad praeteritum, de quantitate congruae, de eleemosyna necessaria et tandem de sua sententia respondit nihil certum sciri de consuetudine servata a praedecessoribus, sed praesumendum eos sese conformasse decreto erectionis *diei 9. Augusti 1734* scilicet applicasse diebus festis missam pro conjugibus Canara et festis mobilibus pro populo: annuos vero redditus paroeciae calculari ad scuta *sexaginta* ab oneribus immunia: eleemosynam necessariam pro missis celebrandis diebus festivis requiri in obulis *viginti-quinque monetae romanae*, se vero putare reductionem legatorum Canara concedendam esse. —

His acceptis literis *die 17. Februarii 1816* rescriptum fuit: *Doceat de singulis piis oneribus implendis ex donationibus conjugum de Canara et exhibeatur status activus et passivus paroeciae comprehensis incertis ex decennio depromptis cum distinctione redditum proveniens ex bonis a dictis conjugibus donatis, applicata interim omnibus diebus festis missa pro populo.* Ex notulis a parocho Odisio exhibitis constat ea esse onera ex donationibus conjugum de Canara, quae superius exposui, praeter ea onera recenset parochus Odisio: *Missam* pro populo, *anniversarium* ex legato Cantino, *annuam* praestationem olei nucis, *cereum* quotannis ecclesiae matrici *Oladegni* offerendum, *expensas* pro hospitio excipiendis patribus Carmelitis singulis octo annis, dum ad peragenda spiritualia exercitia accedunt: itidem porro vino et hostiis missarum et pro manutentione fabricae, quae nunc reparationibus indiget: *vectigalia*, quae ducto decennali culculo ad annua scuta *viginti* pertingunt. Redditus vero, qui percipiuntur ex bonis donatis a conjugibus Canara, statuit ex decennali supputata ratione in annuis scutis octoginta, quibus addit sc. 2. 24 pro legato sex missarum solemnium et alia scuta *decem* ex incertis ut ajunt stolae.

Quaerendum primum est: *Utrum parochus Vallisturiae possit applicare missam pro populo festis diebus mobilibus tantum ad formam decreti erectionis paroeciae ab Episcopo Garavadossi lato die 9. Augusti 1734?*

Tridentinum sane definivit *sess. 22. c. 1. de ref.*: *Divino praecepto**) *mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est ... pro his sacrificium offerre*, non tamen designavit quotis diebus pastores Sacra pro populo facere deberent. Hinc variae doctorum opiniones, quas omnes de medio sustulit s. m. Benedictus XIV. in *constit. Cum semper oblatas*, in qua statuit ut missa pro populo applicetur omnibus diebus festis de praecepto; etiam dispensavit quoad opera servilia, in quibus tamen populus missam audire debet.

Quidquid igitur sit, num Episcopus Garavadossi rite potuerit anno 1734 applicationem missae pro populo cohibere ad dies festos mobiles, videtur posteriori Benedictina constitutione, quae lata est de anno 1744, haec Episcopi indulgentia sublata fuisse, quippe quia summus Pontifex constituit, *ut quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine obtinuerit, ut missa pro populo non applicetur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.* Notandum insuper est a Garavadossi indultum fuisse parochis *Vallisturiae*, ut pro legatis conjugum Canara diebus festis applicarent, propter quae legata, cum non habeant praescriptam diem, necesse non est transferre applicationem missae pro populo ad dies feriales.

Quatenus vero EE. PP. in eam veniant sententiam, ut parochus *Vallisturiae* omnibus diebus festis de praecepto missam pro populo applicare teneatur, ut propterea ad dies feriales transferri debeat applicatio pro le-

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *p. 921, 930.*

gatis Canara; tunc attenta tenuitate congruae postulat idem parochus horum legatorum reductionem, ita ut ad summum duas missas in menses singulos applicare teneatur.

Meminisse oportet conjuges Canara non reliquisse applicationem missae diebus festis, sed trium missarum hedomadalium et praeterea tot quot detractis aliis oneribus ex superextantibus redditibus celebrari possent. Quare, cum jam Episcopus Garavadossi (ignoratur quibus facultatibus auctus) horum onerum reductionem concesserit, profecto, ut nova nunc reductio concedatur, obesse videtur constans hac de re s. Congregationis judicium, praesertim in *Romana Reductionis 24. Novembris 1804.*

Postulatur vero haec reductio ob congruae tenuitatem. Tantum nunc habet parochus, quantum eidem in erectione paroeciae assignatum fuit. Habet scilicet annua scuta *sexaginta* ab omnibus libera, ut vicarius capitularis affirmat, et praeterea incerta stolae in annuis scutis decem. Congrua autem tanta esse debet, quanta *pro rectoris aut parochiae necessitate decenter sufficiat. Trident. sess. 23. cap. 13. de reform.* Cum vero parochi hanc congruam paroeciae *Vallisturiae* acceptarint et onera semper impleverint nec ulla detur probatio, redditus ab initio assignatos decrevisse, hoc in casu non esse locum augmenti congruae alias decrevit s. Congregatio in *Ferentina Unionis 20. Februarii 1802* et *in Ariminen. Supplementi congruae 15. Januarii 1803.**) Quod si nunc augeatur parocho onus applicandi omnibus diebus festis missas pro populo, eas tamen parochus celebrare tenetur ratione muneris pastoralis ac etiam sine stipendio, ut *ex laudata constit. Bened. XIV.* statuit s. Congregatio in *Neocastren.***) *Missae pro populo 26. Januarii 1771* et in *Casanen. Missae conventualis et pro populo 12. Novembris 1794.* Nihilominus pro temporum conditione videant EE. PP: num congrua augenda sit, cum id facere permittat saepius allegata *Constitutio Benedictina* pro obvenientibus circumstantiis, et si alia deficiant media, num succurrendum sit indigentiae rectoris *Vallisturiae* per reductionem legati Canara ad duas missas singulis mensibus, quemadmodum ipse postulavit.

Tertium dubium ex officio propono. Nam Episcopus Garavadossi non poterat legatum conjugum Canara reducere, sed recurrendum erat ad s. Sedem apostolicam ex decreto Urbani VIII., ita ut sanatione nunc opus sit, parochus vero Odisio ex quo tempore constitutio anno 1744 lata fuit *Benedictina*, quae missae pro populo applicationem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto a pastoribus fieri decrevit, absolutione quoad praeteritum indigere videtur.

Tria proponuntur dubia:

I. *An in paroecia Vallisturiae applicanda sit missa pro populo ad formam constit. Benedicti XIV.: Cum semper oblatas, seu potius ad formam decreti Episcopi Caravadossi anni 1734 in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam,

II. *An et quomodo sit locus reductioni legati conjugum de Canara in casu?*

III. *An sit consulendum SSmo pro sanatione et absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II: Affirmative ad duas missas hebdomadales tantum.

Ad III: Affirmative.

Die 23. Novbr. 1816.

Camerinen.

Cum nonnulli ex parochis intra fines ducatus et dioecesis Camerinen. unum dumtaxat principem patronum in unoquoque loco sub utroque praecepto venerandum colendumque contenderent, scilicet s. Venantium Camerinensem, posthabitis peculiaribus cujusque loci patronis principalibus, in quorum festis sese exemptos assererent ab onere applicationis pro populo, prout per plures annos egerant, institutum fuit in C. ordinaria S. R. dubium pro declaratione:

An festum utriusque principis patroni status scilicet Camerinen. et uniuscujusque loci celebrandum foret sub utroque praecepto et num parochi omnes in praefatis festis tenerentur applicationi missae pro populo? Ac tandem quid agendum pro hujusmodi applicationibus omissis? ut in supplici libello sequentis tenoris:

Emi, e Ami Signori. »Lo stato di Camerino, che forma provincia separata affatto dall' Umbria e dal Piceno, venera come protettore principale s. Venanzio Martire, e ne celebra la festa con rito doppio di 1. classe, coll' ottava, e ne osserva la festa di precetto.«

*) Vd. *Congrua parochi* (augmentum.)
**) Vd. *p. 950.*

»Quasi tutti i singoli Paesi contenuti dentro i limiti di esso stato, hanno i rispettivi particolari protettori principali canonicamente detti, confermati dalla sagra Congregazione de' Riti, e assegnati ai medesimi sempre dal calendario diocesano di Camerino col rito conveniente a tali Santi di doppio di 1. classe coll' ottava, e con tal rito se ne celebra effettivamente in ogni luogo la festa.«

»Costa apertamente dalla constituzione della s. m. di Urbano VIII., che comincia *Universa*, §. *2;* non che da moltissimi celebri autori, segnatamente dai Salmanticesi, Ferraris, Merati etc., che tanto l' una, che l' altra festa di tali protettori del luogo contenuto nella stessa provincia, siano di precetto coll' obbligo di ascoltare la messa, e di astenersi dalle opere servili.«

»Alcuni parrochi ciò non ostante sono fissi nel sostenere, che la festa del protettore del luogo particolare non è di precetto, perchè si osserva di precetto la festa del protettore della provincia, e si dispensano dall' apolicare pro populo, e permettono le opere servili.«

Per togliere tali disordini, e quelli, che da essi derivano, si supplica per la formale dichiarazione, che l' una e l' altra festa dello stato e ducato di Camerino è precettiva, e che sono tenuti a rimettere, o ad ottenere l' assoluzione per le messe pro populo da essi tralasciate. Che etc.

S. eadem R. C., ad relationem Emmi et Rmi D. Card. de Somalia eidem C. Praefecti ac relatoris, habita prius informatione de praemissis per R. Vic. cap. Camerinen. scripto pandita respondit: »Servandum esse de praecepto utrumque festum et parochos teneri ad applicationem missae pro populo, et ad D. Secretarium cum SSmo. Die 21. Martii 1817.

Facta autem per me infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo D. N. relatione Sanctitas Sua S. C. sensum approbavit et confirmavit atque in posterum servari mandavit annuitque pro absolutione quoad praeteritum.

Die 25. Martii 1817.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

S. C. responsum conforme est dispositioni literarum apostolicarum Urbani VIII. PP. dat. Idibus Sept. anni 1642 pro observatione festorum, ubi, enumeratis distincte festis in universa ecclesia sub utroque praecepto servandis, ad peculiaria regnorum, provinciarum, civitatum, locorum quod attinet, sancitum legitur quod eodem modo videlicet, cum praecepto audiendi Sacrum et cessandi a servilibus, recolantur etiam festa unius ex principalioribus patronis in quocumque regno sive provincia et alterius pariter principalioris, in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contingat. Cum autem civitates et loca, quae nomine veniunt status seu ducatus Camerini, minime pertineant ad provincias limitrophas, sed unam separatam provinciam constituant, ideo, juxta formam praefatae constitutionis, nedum tenentur ad solemnia festi principalis patroni universi status, qui est s. Venantius Martyr, verum etiam ad alterum principalis patroni (si quis habeatur electus et confirmatus, juxta formam decretorum generalium 23. Martii 1630) civitatis seu loci ac proinde etiam parochi in respectivis civitatibus, oppidis vel pagis ad applicationem sacrificii pro populo tenentur.

Indubii juris est, cui animarum cura commissa sit, oves suas pascere et sacrificium pro eis offerre teneri, ut statuit *Concilium Trident. sess. 23. cap. I. de reform.* et *Benedict. XIV.* in superius notata constitutione declaravit, non solum parochos perpetuam habentes curam animarum sed et temporaneam seu amovibiles vicarios curatos ad id onus teneri, cui per se satisfacere debent omnibus diebus, in quibus missam audiendi praeceptum populo incumbat. Et hoc passim confirmavit sacra Congregatio.

Die 14. Decbr. 1822. *Massanen.*

S. Tridentina synodus *sess. 23. cap. 1. de reform.* haec decernit: »*Praecepto divino**) *mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere,*« et *sess. 5. cap. 2. de reform.* praecipit omnibus curam animarum habentibus: *Diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et carum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem.*

Has ss. Concilii sanctiones doctissime juxta ejus morem illustravit s. m. Benedictus XIV. in sua notificatione *num. 40 inter impressas,* dum Bononiensem cathedram tenebat. Id ip-

*) Vd. *p. 921, 930.*

sum quoad obligationem instruendi plebem salutaribus verbis singulis diebus dominicis aliisque festis statuitur in *s. Concilio romano tit. 1. cap. 4* et in *constitutione s. m. Innocentii XIII. super ecclesiastica disciplina regnorum Hispaniarum*, quae a s. m. Benedict. XIII. confirmata fuit *const.: In supremo*, impressa post concil. rom. in ordine num. 16 et constanti sententia pluries decrevit haec s. Congregatio, ac praesertim in *Comen. 11. Maji 1726*, in *Camerinen. 25. Januarii ejusdem anni*, in *Ferentina 15. Maji 1735* et *Vici-Equen Missae pro populo 7. Maji 1808.**) Praesertim vero quoad applicationem missae pro populo omnem dubitationem substulit celeberrima constitutio ejusdem summi Pontificis Benedicti XIV., cujus initium: *Cum semper oblatas*, in qua ita expresse sancitur: »*Licet parochi seu alii animarum curam habentes congruis redditibus destituantur, missa pro populo nihilominus omnino inposterum ab ipsis debet applicari.*«

Die 16. Decbr. 1820. *Camerinen.*

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis gratiam et communionem cum apostolica Sede habentibus.

Pius Papa IX.

Venerabiles fratres. Salutem et apostolicam benedictionem.

Amantissimi Redemptoris Nostri Christi Jesu unigeniti filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut, veluti optime nostis, venerabiles fratres, humana indutus natura non solum saevissimos pro nostra salute cruciatus atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui corporis sanguinisque sacramento nobiscum semper morari ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in coelum rediens ad dexteram patris nos et sui numinis praesentia et tutissimo spiritualis vitae praesidio communiret. Neque contentus nos tam insigni ac plane divina dilexisse caritate, beneficia beneficiis cumulans suique in nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.

Namque se aeternum sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech suum in catholica ecclesia sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem sacrificium, quod ipse ad universum humanum genus a peccati jugo ac daemonis captivitate vindicandum et redimendum in ora crucis pretiosissimo suo sanguine effuso semel peregit, pacificans sive quae in coelis sunt sive quae in terra usque ad consumationem saeculi permanere decrevit et quotidie fieri ac renovari jussit per sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suae passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incruento missae sacrificio, quod conspicuo sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quae Deo Patri nos reconciliavit quaeque omnem merendi, placandi, impetrandi ac satisfaciendi vim habens »illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui, licet resurgens a mortuis jam non moritur et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur*)«

»Atque haec est munda illa oblatio quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse praedixit. Ac pari sollicitudine studioque ipsa pietissima mater nunquam cessavit suos fideles filios commovere, hortari et inflamare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum sacrificium frequentissime convenirent, praecipiens, ut eidem omnibus de praecepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

Jam vero cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, Venerabiles Fratres, sacrosanctum missae sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso et hujusmodi obligationem ex divino praecepto**) descendere juxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis gravissimisque verbis edoceat: praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his

*) Vd. *p. 900.*

*) S. Gregor. M. Dialog. lib. 4. cap. 58.
**) Vd. *p. 921, 930.*

sacrificium offerre.*) Notissimae quoque Vobis sunt felicis recordationis Benedicti XIV. decessoris nostri literae die 19. Augusti anni 1744 latae**), quibus de hac obligatione copiose sapienterque loquens ac Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans ad omnes controversias, quaestiones dubitationesque amovendas clare aperteque declaravit et constituit, parochos aliosque omnes animarum curam actu habentes debere missae sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus dominicis aliisque de praecepto festis diebus et illis etiam, quibus ipse in nonnullis dioecesibus dierum de praecepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi Sacri audiendi satisfacere deberent. Non mediocri jucunditate perfundimur, Venerabiles fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum dioecesium statu cum summa vestri nominis laude ac pari animi nostri gaudio ad Nos et hanc apostolicam Sedem, veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores hujusmodi sui muneris obligationem diligenter implere dominicis et aliis, qui adhuc ex praecepto servantur, diebus, quibus missae sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Quae quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans praesentem aeque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam donumque poenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit ac, licet peccatis nostris graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justae animadversionis severitate ad clementiam traducitur; ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animae nondum plenum purgatae sublevantur; ea obtinentur quoque temporalia bona, si tamen potioribus non officiant; ea Sanctis et in primis immaculatae sanctissimaeque Dei genitrici virgini Mariae eximius quidam honor cultusque conciliatur. Quocirca ex apostolorum traditione divinum missae sacrificium offerimus »pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adjumentum illorum animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima.

Cum igitur nihil sit majus, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento missae sacrificio, quia idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus Noster Jesus Christus Deo pro omnium salute per sacerdotes offertur et immolatur, idcirco sancta mater ecclesia tanto divini sui sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditia ac puritate perageretur debitoque sacrarum caeremoniarum ac rituum apparatu cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et majestas vel externa quoque specie magis eluceat et fideles ad rerum divinarum, quae tam in admirabili ac venerando sacrificio occultae continentur, contemplationem excitentur. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis jamdiu praetermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de praecepto erant colendi juxta constitutionem felicis memoriae Urbani VIII. decessoris pariter nostri et quibus haec apostolica Sedes annuens variis sacrorum Antistitum postulationibus ac prae oculis habens causas rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de praecepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi Sacrum essent exempti. Ubi enim haec benigna sanctae Sedis indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi Sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earumdem regionum parochi commemoratis diebus sacrosanctum missae sacrificium pro populo applicare cessaverint nec defuere, qui ejusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

Nos igitur de spirituali universi dominici gregis nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti ac non parum dolentes, ex hujusmodi praetermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum praesertim noscamus, hanc apostolicam Sedem docuisse, parochos diebus

*) Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.
**) Vd. *p. 695.*

festis etiam reductis debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis romani Pontifices decessores nostri enixis sacrorum Antistitum petitionibus ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis et gravibus verum temporum ac locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem praedecessores Nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur, quo antea peragi solebant, cum enunciata Urbani VIII. constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes pontificia rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino accipienda et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam ut haec sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de hujusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas praesertim Congregationes sive Concilii*) sive fidei propagandae**) sive sacrorum rituum***) sive etiam per sacram poenitentiariam saepissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis atque in consilium adhibitis nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congregationis tridentinis decretis tuendis interpretandisque praepositae hanc vobis, venerabiles fratres, encyclicam epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedule diligenterque observandam. Quamobrem hisce literis declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex hujus apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII. constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur. Quod vero attinet et festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet, quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum missa pro populo sit a parocho applicanda, quando quidem missa, quae praecipua officii divini pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

Nunc vero paterni animi nostri charitate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob apertam consuetudinem memoratis diebus missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus auctoritate Nostra apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, indultum ab hac apostolica Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi hujusce indulti beneficio perfrui pergant juxta tamen conditiones in indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant.

Dum autem haec statuimus et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, venerabiles fratres, ut parochi majore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi missam pro populo diligentissime satisfacere glorientur, serio considerantes uberrimam coelestium praesertim munerum ac bonorum copiam, quae ex hac incruenti divinique sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curae commissam abunde redundat. Cum vero Nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua hujus obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis, velimus, ab omnibus nostram Concilii Congregationem unice esse adeundam ad hujusmodi obtinenda indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a nostra Congregatione fidei propagandae praeposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates. Nihil plane dubitamus, venerabiles fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum dioecesium parochis, nulla interposita

*) Vd. *p. 908 etc.*
**) Vd. *p. 920. n. XIX.*
***) Vd. *p. 910.*

mora, sedulo manifestare velitis, quae in nostris literis de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum missae sacrificium suprema nostra auctoritate confirmamus ac denuo constituimus, volumus, praecipimus et mandamus. Ac persuasissimum quoque vobis est, vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant ac studiose observent, quae a Nobis in hisce literis statuta atque sancita sunt. Optamus autem, ut harum literarum exemplar in tabulario episcopalis cujusque vestrum curiae perpetuo asservetur.

Cum autem, venerabiles fratres, probe noscatis, sacrosancto missae sacrificio maguam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam parochos praesertim aliosque divini verbi draecones et eos, quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari, ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant, explicent ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem sacrificio ea quae par est fide, religione ac pietate religiosissime intersint, ut divinam misericordiam et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum dioecesium sacerdotes ea morum integritate, gravitate eaque totius vitae innocentia, sanctitate emmineant, quae illos omnino decet, buibus unis datum est divinam consecrare hostiam ac tam sanctum tamque tremendum perficere sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud impleant et continenter memores dignitatis ac coelestis potestatis, qua praediti sunt, virtutum omnium splendore ac salutaris doctrinae laude refulgeant summaque animi contentione in divinum cultum divinasque res et animarum salutem incumbant ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes et mortificationem Jesu in suo corpore semper circumferentes puris moribus et mundo corde placationis hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

Denique nihil nobis gratius, venerabiles fratres, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam ac simul vobis addamus animos ut majore usque alacritate pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire et intentissimo studio dilectarum ovium saluti incolumitatique consulere.

Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quae ad majorem vestram ac dioecesium vestrarum utilitatem procurandam conducere posse noverimus. Interim vero coelestium omnium munerum auspice studiosissimae nostrae in vos voluntatis testem accipite apostolicam benedictionem, quam intimo cordis affectu vobis ipsis, venerabiles fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantiae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die 3. Maji 1858 Pontificatus Nostri anno duodecimo.

(Anal. J. P. III. Ser. 1858 p. 1026.)

In relatione status ecclesiae N. Episcopus exposuit, antiquam vigere consuetudinem, ut parochi in dominicis aliisque festis diebus de praecepto cantent missam confraternitatum, quae in eorum paroecialibus ecclesiis erectae sunt, eamdemque missam non quidem non pro populo ipsis commisso applicare, sed juxta mentem eorum, pro quibus solemnitates celebrant.

Cum vero Episcopus in una pastorali encyclica hujusmodi consuetudinem abusum vocaverit parochosque vel per se vel, si impediti fuerint, per alium missam pro populo applicare teneri declarasset, parochi non pauci repraesentarunt id fieri non posse; quare visum quodammodo est Episcopo posse parochos cantare missam confraternitatum, eamdem applicantes pro populo et aliam missam celebrare die feriali infra hebdomadam cum applicatione juxta intentionem confraternitatum.

SSmum itaque D. N. adprecatus est, ut declarare dignaretur: an dicta agendi ratio probari mereretur, secus provideret sapientia sua, prout melius in Domino expedire indicasset.

Disceptatio synoptica.

Commemorato Trid. Concilii *cap. 1. sess. 21. de ref.* necnon constitutione Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* *) et const. SSmi

*) Vd. *p. 695.*

D. N. *Amantissimi Redemptoris**) ac multis S. C. Concilii resolutionibus, quae obligationem celebrandi applicandique missam pro populo diebus festis in parochos incumbere declarant, inter caetera animadvertebatur, consuetudinem contrariam ut irrationalem esse rejiciendam; agi enim de obligatione, quae ex jure divino**) derivet quaeque personalis sit nec per alios impleri possit nisi legitimis de causis juxta const. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, neque in alias dies posse transferri nisi ob rationem in eadem const. expressam. De qua re, cum in *Fesulana die 16. Junii 1770* sacr. Congregationi Concilii proposita essent dubia:

I. *An parochi in dominicis aliisque festis diebus praesente cadavere possint celebrare missam pro defuncto et in alium diem transferre missam pro populo applicandam in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An saltem applicationi missae pro populo suppleri possit per alium sacerdotem in casu?*

responsum prodiit ad I et II: *Negative.*

Item in *Mechlinen. die 25. Sept. 1847* per summaria precum exposita cum quaesitum fuisset:

An parochi missam pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediantur, an vero per alium huic muneri satisfacere possint?

responsum est: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum dubium:

An et quomodo sustineatur consuetudo in casu?

S. Congregatio Concilii petitione Episcopi perpensa in comitiis diei 30. Martii 1867 respondit: *Negative et ad mentem.*

Ex dictis colligi potest:

I. Obligationem applicandi missam pro populo declinari non posse vi consuetudinis.

II. Eamdem obligationem esse personalem simul et realem, ita ut interveniente canonica causa aut necessitate, qua parochus eam celebrare non possit, per alium eam applicare teneatur.

III. Eamdem obligationem urgere parochos diebus dominicis et festis neque in alios dies nisi ex causa legitima transferri posse.

IV. Neque eam consuetudinem probari, commutandi scilicet intentionem, ita ut missa, quam diebus festis solemniter celebrari pro aliquibus fidelibus contingat, pro populo applicetur, et pro iisdem fidelibus infra hebdomadam alia missa celebretur et applicetur.

XXV. Obligatio estne parochi trium unitarum parochiarum pro singulis?

Vd. *Applic. missae pro pop.* (oblig. paroch. duabus parochiis p. 953; et supra *p. 876 n. III; pag. 881 n VI; p. 904 n. XVI;* obligatio parochorum collegii, infra p. 958); *p. 948 n. XXVI.*

Alatrina.

In relatione quam occasione visitationis sacrorum liminum Alatrinus Episcopus transmisit ab hac s. Congregatione definiri postulat: *Sitne cogendus parochus unitarum ecclesiarum parochialium s. Simoneis, s. Luciae et s. Silvestri non solum duas, ut hactenus praestitit, sed tres missas pro populo applicare, et respective ut applicentur curare singulis diebus festis?* Narrat porro anno 1835 auctoritate apostolica parochialem s. Simeonis unitam fuisse alteri parochiali s. Luciae, deperditum vero unionis decretum, *deprehendi tamen ex actis s. visitationis Episcopi Guerra etc. ad annum usque 1720 per sacerdotem a parocho singillatim deputatum in ecclesia ipsa s. Simeonis singulis diebus festis celebratum pro populo religiose fuisse, ne omissum alterum in ecclesia s. Luciae.* Anno 1724 in libro utriusque paroeciae, cujus frons a Vicario generali dicti Episcopi Guerra inscripta est, adnotatum legitur: *Unam tantum missam applicandam pro populo, eam nempe,* ut narrando prosequitur idem Episcopus, *quae primum celebrari consuevit in s. Luciae, nunc autem, interdicta ecclesia, celebretur in s. Simeonis.* Sequenti anno tertia parochialis s. Silvestri praedictis auctoritate ordinaria unita fuit, *quin parochus Sacrum pro populo facere non solum in s. Silvestri verum et s. Luciae templo unquam omiserit.*

In ea est opinione Episcopus, quod antecessor Episcopus Guerra, qui concilio romano sub Benedicto XIII. aut per se aut per procuratorem interfuit, usus datis in eo facultatibus duas missas pro populo applicandas in ecclesiis s. Simeonis et s. Luciae ad ad unam reduxerit; advertit tamen, alia missarum onera ab eodem imminuta legi, hoc autem non legi. Rogat itaque, ut s. Congregatio rem definiat per congruum infrascripto dubio responsum.

Praemittendum videtur, quod juxta famigeratam regulam in *c.: Sicut unire 8. de excess. praelator.* plures paroeciae possint insimul uniri aut *extinctive* aut *subjective* aut *aeque principaliter.* Certum videtur, quod, si plures paroeciae extinctive uniantur, nulla amplius adest aut adesse potest obligatio applicationis missae; destruitur enim per dictam unionem paroecia, quae extinguitur neque amplius populum et parochum habet, ita ut absurdum esset inquirere: an in ea ulla vigeat obligatio missae pro populo applicandae. Verum si unio objectiva est multoque magis si aeque principaliter, tunc, sicuti antiquus populus et antiqua paroecia existunt, ita vigere quoque praeceptum debet applicationis missae pro populo, quod veluti a divino jure*) descendens explicavit Tridentina synodus *sess. 24. cap. 1.* et Benedictus XIV. in encyclica: *Cum semper oblatas***) ad universos Episcopos Italiae. Ita alias sensit s. haec Congr. *in Lucen. Applicationis missae pro populo 26. Februarii 1774 resolut. die 12. Martii dicti anni.****)

Post dictas encyclicas literas Episcopus Lucen. in Galaecia edixerat pro universa sua dioecesi, ut parochi, qui duas haberent unitas paroecias, duas item missas pro populo applicarent vel applicari curarent. Delata fuit s. huic Congregationi edicti justitia quaesitumque:

An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alium applicare pro populo in casu etc.?

Respondit autem s. Congregatio: *Affirmative exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva et scribatur Episcopo juxta mentem.*

Porro unionem parochialium s. Simeonis et s. Luciae (quaestio enim nulla esse potest de parochiali s. Silvestri, in qua missa pro populo sine contradictione applicatur) non fuisse omnimodam et extinctivam, cum tabulae unionis deficiant; ab effectibus tantummodo cognoscere possumus. Semelac igitur liquet ex Episcopi narratione longo post unionem intervallo applicatas in utraque ecclesia fuisse missas pro populo; ex hac ipsa observantia legitima factorum praesertim absconditorum interprete colligere tuto possumus unionem non fuisse extinctivam. Praeterquam cum unioni beneficiorum jura repugnent magisque a jure discedat extinctiva unio quam caeterae, hinc in qualibet implexitate contra illam praesumendum est.

Dissimulandum non est in quadam *Nuscana 17. Januarii 1756* quaesitum ab hac s. Congregatione fuisse: *An Collegiata s. Mariae del Piano, quae ex unione octo ecclesiarum parochialium et septem non parochialium coaluerat, teneretur applicare tot missas pro populo, quot erant unitae parochiales?*

S. Congregationem dubio, quod in haec verba conceptum erat: *An Canonici collegiatae ecclesiae s. Mariae del Piano oppidi Martellae Nuscanae dioecesis teneantur unam tantum missam pro populo diebus festis celebrare seu potius tot missas, quot sunt parochiales ecclesiae illi unitae in casu etc.?*

respondisse: *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.**)

Sed forte causam resolutioni praebuit omnimoda et extinctiva dictarum parochialium unio, quae, licet in extensione folii subjectiva vocetur, tamen sub hac nuncupatione significari voluit unio extinctiva, ut ex dicti folii lectione patet. Forte aliquid etiam tributum est immemorabili consuetudini, de qua pariter in dicto folio.

Quod addit Episcopus de sua credulitate scilicet dubitare se, quod reductae fuerint hae missae vigore facultatum a concilio romano Episcopis, qui per se vel per procuratorem illi interfuerunt, datarum, id ab ejus calamo incaute excidisse putandum est. Si enim neque missae in fundatione impositae neque per contractum susceptae huic indultariae reductioni subsunt, quanto minus hoc de quo agitur onus, quod intrinsecum est ipsi paroeciae, cum ipsa paroecia natum, a jure divino repetitum, et quod per institutionem a parocho susceptam acceptatum per quasi contractum videri debet.

Superfluum erit animadvertere, quod, qualecumque futurum sit s. Congregationis judicium de celebratione missae pro populo etiam in paroecia s. Luciae, ea prius restaurari debet et ab interdicto Episcopi liberari.

---

*) Vd. *p. 942.*
**) Vd. *p. 921, 930.*

*) Vd. *p. 921, 930.*
**) Vd. *p. 695.*
***) Vd. *p. 953.*

*) Vd. *p 956.*

Parochus ab Episcopo monitus, ut sua jura deduceret, si vellet, in s. Congregatione, dedit epistolam ad eumdem Episcopum, in qua sua jura enarrat et declarat se aut non posse aut nolle ea in contradictorio judicio defendere. Quae graviora in hac epistola, quam Episcopus ad s. Congregationem transmisit, occurrant jura, haec duo sunt. Primum invariabilis observantia ab anno 1720 in praesens, absque eo quod umquam Episcopi in suis visitationibus jusserint, ut duae missae pro duabus ecclesiis s. Luciae et s. Simeonis celebrarentur. Alterum quod, licet in uno ex antiquis libris parochialibus ante annum 1720 pro utraque dicta ecclesia duplex missa pro populo adnotetur, id tamen erronee a parocho tunc temporis fuerit adnotatum. Errorem autem ex eo colligi, quod alteri ex dictis ecclesiis legatum fuerit praedium cum onere celebrationis missae singulis diebus festis, ut ex antiquo inventario, cujus particulam refert; ex quo factum putat, ut ille parochus per aequivocum descripserit uti celebratam pro populo missam, quae in dicti legati implementum celebratur. Deperdito postmodum dicto praedio a dicta celebratione cessatum fuisse atque hinc factum, ut post annum 1719 non amplius duae sed una tantum celebrata reperiatur missa pro populo. Affert et alteram praetensi erroris probationem: Narrat adesse alios libros antiquiores eo, in quo duae missae pro populo adnotantur, et in iis unicam tantum missam pro populo describi.

Definiendum itaque ab EE. VV. est dubium:

An parochus s. Simeonis, s. Luciae et s. Silvestri teneatur in unaquaque ex dictis ecclesiis parochialibus per se aut per alium applicare missam pro populo dominicis aliisque festis diebus in casu?

S. C. resp.:

Dilata et scribatur Episcopo juxta mentem, et mens est, ut referat super expositis per parochum.

Die 20. Aug. 1785.

XXVI. Obligatio estne parochorum duorum vel plurium in una ecclesia parochiali servientium?

Vd.: *Applicat. missae pro populo* (obligatio parochorum collegii p. 958.)

Montis Alti.

Ecclesia parochialis s. Luciae, quae est in terra Porculae Montis Alti dioecesis, ineunte saeculo XIV. duos habebat rectores, capellanos etiam nuncupatos, quorum nominatio ad communitatem spectabat, et singuli curam animarum exercebant pro medietate. Anno autem 1654 unitae illi fuerant auctoritate ordinaria rurales ecclesiae s. Joannis, s. Petri, s. Mariae de Fora et s. Mariae Capo de Valle ac post unionem anno 1572 conferri coepit, ad nominationem pariter communitatis, clericatus seu tertii rectoris locus in dicta ecclesia s. Luciae, cum assignatione ruralium et simplicium ecclesiarum s. Petri, Joannis et s. Mariae de Fora fructuum, praefatae sanctae Luciae perpetuo unitarum: enunciaturque in provisione alterius portionis Curatae facta anno 1590, quod dicta ecclesia s. Luciae per duos rectores et tertium clericum regi et administrari consuevit.

Et anno 1608 san. mem. Paulus V. suis literis apostolicis confirmavit concordiam initam inter communitatem Porculae et rectorem ruralium ecclesiarum s. Mariae de Ossibus et s. Benedicti, qua praedictae ecclesiae declarantur curatae, decrevitque, »quod occurrente vacatione dd. ecclesiarum s. Mariae et s. Benedicti, praevio concursu juxta formam Concilii Tridentini, separatim providere debeant,« quodque illarum rectores tenerentur curam animarum exercere »prout antea, unacum aliis dictae ecclesiae s. Luciae rectoribus et parochis«. Quinque igitur rectores postea numerati fuerunt in ecclesia s. Luciae, sed Episcopus Montis Alti anno 1643 ad evitandam confusionem promiscui exercitii curae, ut cavetur in sacro Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 13. de reformat.*, oppidum et territorium divisit in quinque parochias singulisque rectoribus assignavit suos distinctos limites, cum onere administrandi Sacramenta suis tantum parochianis et separatos libros parochiales retinendi, nihil de caetero innovando quoad reliquas functiones explendas in ecclesia s. Luciae. Et in provisionibus tum apostolicis tum factis ab Ordinario post annum 1720 rectores praedicti appellantur portionarii curati.

Cum vero antecessor Episcopus Montis Alti anno 1757 decrevisset, ut singuli rectores praedicti, qui modo quatuor sunt, ob suppressionem alterius portionis factam ab

Episcopo Sabino missam pro populo celebrare et applicare tenerentur omnibus diebus festis, ad formam notissimae encyclicae san. mem. Benedicti XIV., onus hujusmodi excutere cupientes rectores hanc sacram Congregationem adiverunt pluribusque exhibitis documentis, ex quibus praemissam facti seriem collegimus, disserebant, ipsos uti portionarios curatos unum constituere formalem ecclesiae rectorem unamque propterea teneri missam pro populo applicare per turnum: attenta praesertim tenuitate redditui singularum portionum.

Auditus fuit praefatus Episcopus, et etiam ille, qui nunc praeest ecclesiae Montis Alti, qui in transmissis relationibus decretum defendunt triplici ratione:

Primo quia oratores non portionarii sint, ut enunciatur in recentissimis provisionibus secutis post annum 1720, sed veri rectores aliarum parochialium, quarum cura translata est ad ecclesiam s. Luciae seu verius pro commoditate populi in ea exercetur, ut colligitur ex actis visitationis ecclesiae s. Mariae de Ossibus peractae anno 1645, in quibus enunciatur: »Haec ecclesia erat parochialis, sed translata fuit cura intus terram in ecclesia s. Luciae cum aliis«, et innuunt quoad praedictam ecclesiam et alteram s. Benedicti literae apostolicae san. mem. Pauli V. superius enunciatae.

Secundo quia singuli rectores distinctas habent parochias certumque populum suae curae creditum, juxta divisionem parochiarum factam anno 1643, quae adhuc observatur; et ideo cum veri parochi sint, sive originarie sive ob secutam divisionem, missam singuli celebrare pro populo teneantur sibi commisso, juxta declarationem san. mem. Benedicti XIV., qui in encyclica: »*Cum semper* **)« relata inter ejus constitutiones *103. §. 4. tom. 1.* inquit: »Mens Nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii saeculares verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicunque etiam specifica et individua mentione digni teneantur missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.«

**) Vd. *p. 695*

Tertio tandem quia onus applicandi missam pro populo diebus dominicis singuli fassi sint sibi imminere in inventariis Episcopo exhibitis, tum anno 1712 tum anno 1749, et propterea idem onus evitare nequeant aliis etiam festis diebus, postquam in praefata encyclica Benedictina declaratum fuit: »Non solum dominicis sed etiam omnibus diebus festis applicandam esse missam parochialem pro populo, non obstante quacunque reddituum tenuitate«; *ibidem* §. *5. et 6.*

Oratores autem innixi enunciativis vacationibus ecclesiae s. Luciae et curae animarum eisdem inhaerenti *pro medietate*, *pro parte* etc., quae leguntur in provisionibus factis annis 1514, 1549, 1573, 1590, 1720, 1722, 1732 ac praetensae qualitati beneficiorum simplicium eidem ecclesiae s. Luciae unitorum ac reddituum tenuitati in circumferendo libello contendunt, unam semper fuisse in terra Porculae ecclesiam parochialem, ut etiam testatur loci magistratus, ipsosque curam animarum in illa exercentes portionarios de jure, non veros rectores dicendos esse, etiamsi vera esset unio aliarum parochialium et non obstante etiam divisione parochiarum facta pro commodo exercitii curae, cum plures unius ecclesiae rectores simul dari nequeant, ad tradita per *Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 20. num. 110. et 114.* et *Rot. decis. 225. num. 4. part. 19. recent.*, ideoque simul omnes teneri unicam missam pro populo alternatim applicare sive per turnum, ut in similibus terminis plurium exercentium curam animarum definivit haec s. Congregatio in *Ripana Jurium parochialium die 4. Maji 1726* approbando decreta Cardinalis Petra, in quorum IV. cavetur: »Missam vero parochialem teneantur alternatim celebrare et applicare«, ut *in lib. 76. decret. pag. 254*, quae rursus fuerunt confirmata die 20. Novembris superioris anni, et idem censuit etiam in terminis aliarum parochialium unitarum in *Romana Jurium parochialium 19. Augusti 1744 ad V. dub.*, rescribendo: »Eadem alternativa locum habeat in applicatione missae pro populo«, *lib. 94. decret. pag. 444.* et in *Nuscana 17. Januarii 1756*, in qua proposito dubio:*)

An Canonici collegiatae ecclesiae s. Mariae del Piano oppidi Mantellae Nuscanae dioecesis teneantur unam tantum missam pro populo diebus festis celebrare seu potius tot

*) Vd. *p. 956.*

missas, quot sunt parochiales ecclesiae illi unitae?

responsum fuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, ut in *lib. 106. §. 4*, in qua tamen causa contendebat capitulum, uniones fuisse subjectivas et extinctivas tituli antiquarum parochialium, nec parochiae erant distinctae.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.:

An missa parochialis in diebus festis applicanda pro populo veniat celebranda a singulis rectoribus ecclesiae s. Luciae terrae Porculae seu potius alternatim ab hebdomadario in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 30. Julii et 27. Aug. 1763.

Neocastren.

Parochiali ecclesiae s. Mariae Catholicae, quae matrix est in oppido Maidae, tres praesunt parochi, alteri vero parochiae s. Nicolai de Latinis inserviunt alii quatuor parochi omnesque in utraque ecclesia tamquam veri parochi animarum curam alternis hebdomadis exercent, ita tamen, ut juxta casuum contingentias quilibet parochiae necessitatibus occurreret. A tempore autem, cujus initii memoria non extat, consueverunt parochi unam missam pro populo singulis diebus per turnum in unaquaque ecclesia applicare. Postquam vero anno 1744 prodiit notissima constitutio s. m. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas**), missam parochialem ad dies dominicos aliosque festos de praecepto, juxta sententiam tunc temporis Neocastrensis Episcopi, coercere existimarunt.

Verum occasione sacrae visitationis praedicti parochi a vicario apostolico petierunt declarari: *An unico in unaquaque ecclesia oblato Sacrificio satisfactum foret oneri iis injuncto, quibus animarum cura commissa est?* Censuit vicarius apostolicus a propositi dubii declaratione abstinere illudque sapienti EE. VV. judicio definiendum remisit. Dum autem de eo quaerebatur in Congregatione diei 7. elapsi mensis Julii, illud etiam in quaestionem deductum est: *An iidem animarum rectores suo oneri adimplerent per applicationem Sacrificii, quae, etsi ante Benedictinam constitutionem singulis diebus fieri consuevisset, nihilominus post d. constitutionem ad dies tantum festos coercita?* Quapropter dilata alterius dubii resolutione demandatum fuit, ut reproponeretur causa, addito altero dubio, quo inquireretur etiam, quibus diebus dicti parochi ad applicationem missae tenerentur.

De utroque proinde dubio hodierna die agendum est ac de primo quidem respiciente applicationem missarum ab uno tantum ex parochis per turnum seu potius a singulis in unaquaque ecclesia pro populo adimplendam habita ratio fuit in folio distributo pro Congregatione *die 16. Junii currentis anni*, cujus reasumptione EE. PP. deprehendent quidquid ea super re animadversione dignum occurrit. De altero autem, quod vertitur circa dies, quibus Sacrificium applicari debeat, perspecta jam sunt, quae san. mem. Benedictus XIV. retulit in relata constitutione: *Cum semper*, de excusationibus a parochis proponi solitis, ut ab applicationis onere sese eximerent, deque pluribus sacrae Congregationis decretis ad id eos cogentibus. Haec enarravit: *Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus et, quatenus opus sit, auctoritate apostolica iterum praesentium tenore decernimus et declaramus, quod, licet parochi seu alii ut supra animarum curam habentes congruis praefinitis redditibus destituantur et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum dioecesibus seu parochiis obtinuerint, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*

Deinde vero haec declaravit: *Dum tamen diximus animarum curam habentes missae Sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie aut quotiescumque celebraverint ad praedictam applicationem pro populo teneri. Equidem sacrosancta Tridentina synodus sess. 24. cap. 14. praecipit Episcopis curare, ut sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solemnibus missarum Sacra faciant etc. In pluribus autem synodalibus Episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos esse dies, quibus animarum pastores missas celebrare debent. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare et applicare teneantur, et quamvis compertum habea-*

**) Vd. *p. 695.*

mus, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit: Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo applicare debere, eum vero, qui uberioribus hujusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri, cum tamen pariter Nobis perspectae sint, tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiae parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint, tum etiam multorum querellae adversus hujusmodi decretum, tamquam plus aequo rigide excitatae, Nobis innotescant: Idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare: Nobis abunde satisfactum fore Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto etc.

In praesenti casu certum est, parochos oratores missam pro populo quotidie applicare consuevisse nec alia ratione ab hujusmodi consuetudine recessisse nisi quia vigore mox relatae Benedictinae constitutionis hujusmodi onus in dominicis tantum festisque diebus sibi inhaerere existimarunt, proindeque ad eos tantum dies missae applicationem, auctorante quoque Episcopo, coercere existimarunt. Jurene aut injuria id fecerint, EE. PP. dijudicabunt.

Quaeritur

I: *An parochi ecclesiarum s. Mariae Catholicae et s. Nicolai Latinis teneantur singuli applicare missam pro populo seu potius possint unam tantum missam in unaquaque ecclesia per turnum applicare in casu?*

II: *An eandem missam teneantur applicare quotidie vel tantum dominicis et festis diebus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad I. partem, affirmative ad II.

Ad II: Dilata et scribatur juxta instructionem.

Die 15. Decbr. 1770 et 26. Jan. 1771.

Sutrina.

Collegiatae sancti Aegidii ecclesiae oppidi Tulpharum duo praesunt rectores, qui distinctam ab antiquissimo tempore animarum curam per separatas regiones exercent. Ex hoc dubitans Sutrinus Episcopus, quum contra praeteritam observantiam ad duplicem tenerentur missam pro populo, eos per decretum visitationis ad exquirendum sacrae hujus Congregationis oraculum coegit. Mandatis paruerunt sub spe continuandi illius applicationem alternis vicibus; retulitque Episcopus, quod *populus, qui alteri ex parochis subditur, ita in proprium agnoscit, ut ab eo unice pendeat, ubi sacramenta sint ministranda aut funera solvenda, neque alter succedit, nisi altero deficiente, quo casu si quae obveniunt emolumenta, illi cedunt qui ovem e proprio grege curavit.* Testatus insuper fuit, quod *quilibet e rectoribus distincto concursu paroeciam adit* paremque a communitate habet pensionem, quae *Sanctissimo* annuente in locum decimarum subrogata fuit. *Quae non dividuntur aequaliter, sunt funerum emoluments. Horum partitio anno vertente fieri solita est, isque e rectoribus majorem tollit partem, cujus in regione major fuerit defunctorum numerus.* Nullibi tandem constare ait de origine divisionis paroeciae; hodiernos vero rectores *haud libenter oneri cedere, quod nunquam sentire in aliis visitationibus jussi sunt.*

Licet unicam parochi duo regere valeant ecclesiam, *Girald. animadv. et addit. ad Barbos. de offic. et potest. paroch. cap. 1. n. 44*, et sac. Congregatio in *Tyburtina parochialis 25. Martii et 9. Julii 1757*, distincti tamen censentur, ubi separatum habent gregem, *Monacell. part. 1. tit. 2. form. 3. num. 3, Piton. discept. 160. num. 10, Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 2. num. 82, Zipoeus respons. unic. n. 2. de eccles. aedificat.* Utrique ergo Tulpharum rectori, qui teste Episcopo distinctam exercent animarum curam distinctumque habent redditum, onus esse videretur applicandi missam pro populo ex dispositione *sacri Concilii Tridentini sess. 23. cap. 1 de reform.*

Plura tamen in eorum animadversionibus per Episcopum transmissis notant parochi, ut unitatem suadeant parochiae, ob quam una etiam celebranda esset missa pro populo. Eam prae omnibus desumunt ab unitate ecclesiae, altaris ss. Sacramenti, fontis baptismalis et repositorii olei sancti. Haec omnia enim distincta esse deberent distinctis parochis, quibus propriam idcirco decernit parochialem *Tridentina synodus sess. 21. cap. 4. de reform., Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gl. 6. num. 22. et seq.* Communionem addunt librorum parochialium a duplici saeculo et

ultra, quos tamen singuli habere debent parochi ad praescriptum *sacri Concilii Tridentini sess. 24. cap. 1. et 2. de reform. matrim., Ritual. roman. substit. formulae scribendae in libris habendis apud parochos, in fin. . .*, eorum insuper inscriptionem singulari parochiae nomine defunctorum nempe et matrimoniorum *sotto la cura della chiesa di s. Egidio* vel *sub parochia s. Aegidii*, ac individuum tandem in illis nomen *correctores vel compagni nella servitii.*

Qua de re alterne semper evangelium et christianam exposuerunt doctrinam; promiscue alias fecerunt functiones; jurisdictionem in integrum oppidi districtum ac universos etiam oppidanos, alterutro absente vel infirmo parocho, absque delegatione exercuere. Notandum immo rogant, quod eadem de causa expediri consueverunt a Sutrina cancellaria matrimoniales pagellae sub formula: *Vobis admodum rev. rectoribus ven. ecclesiae collegiatae et parochialis s. Aegidii terrae Tulpharum nostrae Sutrinae dioecesis licentiam concedimus denunciandi in tribus diebus festivis matrimonium inter N. N. et, dummodo inter ipsos nullum intercedat canonicum impedimentum, ad conjungendum juxta ritum S. R. E. et sac. Concil. Tridentini formam licentiam pariter damus atque tribuimus.* Plurimique etiam faciendum censent silentium praecedentium Episcoporum et clar. mem. Cardinalis Pamphilj, qui consuetudinem noverunt celebrandi unam missam pro populo nec improbarunt.

Divisionem autem regionum et populi factam ajunt pro commodiori exercitio curae in iis praesertim, quae dilationem non patiuntur, ut sunt administratio ss. Viatici et extremae unctionis; idque confirmant exemplo parochialis ecclesiae Suriani, cui quatuor in solidum praesunt curati, qui licet totidem distinctas regiones distinctas tamen non regunt paroecias et unicam applicant missam pro populo. Nec aliter sentiendum putant ex duplici concursu; nam parochi omnes, quin ad alterius nominationem cum simplici examine non instituuntur, sive unicam sive distinctas regant paroecias, per concursum admitti debent, *sac. Concil. Tridentini sess. 24. cap. 18 de reform.*

Deliberandum itaque:

An et quot missae sint applicandae pro populo in casu?

S. C. resp.:

Applicandam esse unicam missam.

Die 16. Julii 1791.

Visen.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (obligatio Episcopi, qui simul est parochus, p. 920.)

Iisdem verbis, quibus modernus Episcopus Visensis utitur, postulatum vobis EE. PP. proponam, quod ipse in relatione status ecclesiae exponit.

Ait: Sibi innotuisse, quod quidem in praedecessorum suorum mentem non venit, nullam umquam missam pro populo a Cathedralis parochis celebratam fuisse. Ut primum defectum hunc perspectum habuit illico jussit singulis dominicis festisque diebus alternatim ab ipsis parochis unicum pro populo expensis quoque oratoris sacrificium offerri. Unicum inquam. Licet enim paroeciae Cathedralis quatuor vulgariter dicantur quatuorque egomet illas hucusque dixissem ex eo, quod quatuor sunt presbyteri, qui in quadripartito territorio curam exercent, attamen missa pro populo unica esse videtur, quia unica ecclesia unicumque tabernaculum est. Insuper curati ipsi non proprie titulares sed revera coadjutores sunt. Adimplent enim parochialia munia nomine Episcopi, cui parochianorum cura immediate incumbit. Ideo ipsemet Episcopus orator approbationem et confirmationem annunciatae providentiae implorat.

Quibus ut EE. VV. congruam dare possint responsionem, quaedam in parte observanda sunt, quae ipse Episcopus Visensis suppeditat in relatione status ecclesiae. Ecclesia namque Visensis inter antiquiores Lusitaniae accensetur. Sed quo tempore Mahomedani eas regiones tenebant, unita fuit ecclesiae Colimbrensi usque dum Alphonsus Henriquesius depulsis invasoribus ecclesiam Visensem ad primaevam dignitatem episcopalem restituit. Universa nunc dioecesis dividitur praeter Cathedralem in quinque archipresbyteratus, qui curam exercent per alios nonaginta sex parochos nuncupatos annuales, quippe quos ad nutum amovibiles, ecclesiae vero cathedralis cura late patet per totam civitatem et per suburbium. Amplum hoc est territorium, quod multis dissitisque pagis constat quodque repartitum est inter totidem capellanos curatos non perpetuos et titulares sed coadjutores et amovibiles, qui pro parochiali ecclesia unicam Cathedralem habent.

Hos capellanos curatos praesentabat capitulum Cathedralis. Sed antecessor Episcopus Gregorius de Attaide hanc jurisdictionem sibi vindicare coepit instaurato opportuno judicio, quod absolutum est per onerosam transactionem autoritate apostolica confirmatam, ex qua deinceps Episcopi Visenses parochiam Cathedralis per quatuor capellanos curatos a se nominatos exercuerunt.

Merito igitur Episcopus modernus de applicatione missae pro populo in paroecia Cathedralis sollicitus est.

Cum enim illa paroecia caret hac applicatione, destituitur illo sacrificio, quod quisque parochus tenetur offerre pro portione ovium sibi commissa, dum Episcopus pro universo grege missam applicare cogitur. Sed cum unica sit ecclesia et unicum tabernaculum et cura immediate Episcopo incumbat, dum curati nomine Episcopi parochialia munia praestant, profecto unica videtur constituta paroecia, licet inter parochos quadripartitum sit territorium, quo diligentius curam obire possint. Ubi vero unica est paroecia, licet plures sint parochi, unam tantum missam pro populo celebrandam et applicandam esse definivit sac. Congregatio in *Balneoregien. Missae parochialis et conventualis 19. Aug. 1713*, in qua proposito VII. dubio:

»*An quatenus missa parochialis sit celebranda in diebus festivis a Canonicis curatis in parochia Contradae Reholae sufficiat celebratio et applicatio unius missae pro populo seu potius ambo Canonici curati tenentur ad applicationem supradictae missae?*

rescriptum fuit:

Sufficere unicam celebrationem et applicationem.

Ex Tridentino vero *sess. 23. cap. 1. de reform.* statuitur, quod »praecepto divino *) mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre,« atque idcirco, si Episcopus retinet curam paroeciae Cathedralis, ipse applicare tenetur missam pro populo, neque, si Episcopus tamquam totius dioecesis parochus pro universo grege missam applicat, ut tenent *Bonacin. quaest. ultim. punct. 7. in fin., Gavant. comment. in rubric. missal. part. 3. tit. 12. num. 17. pag. 223; Murga de benefic. quaest. 2. sect. 2. num. 597*, idcirco eximi poterit ab applicanda missa pro parochianis. Nam si ipse curam parochialem Cathedralis gerit, nedum pro universo grege, sed etiam pro ovibus paroeciae duo distincta sacrificia offere debet. Nam curati, qui ejus nomine munia parochialia exercent, cum titulares non sint sed coadjutores, ad applicationem missae pro populo non tenentur, ut definivit sac. Congregatio in *Tyburtina Applicationis missae pro populo 21. Nov. 1801.*

Id quod optime noscit vigilantissimus Episcopus, dum nil aliud postulat, quam ut suo sumptu missa alternatim a parochis applicetur. Quamquam vero applicatio missae pro populo ita pastoribus imposita sit, ut per se et non per alium substitutum eam implere debeant, ut praescripsit s. Congregatio in *Fesulana Missae parochialis 26. Januar. 1771*, attamen, si quod subsit necessarium impedimentum, quominus per se applicare nequeant, eisdem s. Congregatio permittit, ut per alios supplere possint, ut in *Comen. Missae parochialis et conventualis 11. Maji 1720* ad V. dubium. Impeditus legitime videtur Episcopus, ne applicationem pro parochianis praestare possit, dum id pro universo grege facere tenetur. Probanda itaque videtur providentia ab ipso suscepta usque dum alio modo consulatur exercitio curae Cathedralis. Id quod Episcopus secum deliberare profitetur in relatione status ecclesiae. Optandum quidem esset, ut tam ampla paroecia divideretur ita, ut cura actualis vicariis perpetuis concedatur, qui missas pro populo applicent et cura habitualis penes Episcopos remaneat.

Dubium proponitur:

An unica missa pro populo et a quo sit applicanda in casu?

S. C. resp.: Affirmative sumptibus parochi et ad mentem.

Die 17. Decbr. 1803.

XXVII. Obligatio parochor. duab. vel pluribus parochiis praepositorum.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (oblig. parochi trium unitar. etc. p. 946); et supra *p. 876 n. III.*; (obligatio vicariorum etc. non est, decr.: *Ariminen.*) Vd. *p. 904 n. XVI; p. 969 n. XXXII.*

Lucen.

Decennio post editam a san. mem. Benedicto XIV. notissimam constitutionem: *Cum semper oblatas**), in qua multa de applicatione

*) Vd. *p. 921, 930.*

*) Vd. *p. 695.*

missae pro populo diserte praescripsit et declaravit, Episcopus Lucensis in Galaecia nonnulla anno 1755 ad illius normam condidit statuta. Inter cetera mandavit, ut parochi, qui duas insimul unitas parochias haberent, non una tantum diebus festis sacrificii applicatione contenti essent, sed in una parochia per se ipsos, in alia vero per alterum sacerdotem missam pro populo celebrare atque applicare tenerentur. Non omnibus tamen haec arisit ordinatio. Hinc pluribus episcopali mandato plaudentibus, aliis vero contradicentibus res eo devenit, ut pugnantium opinionum discrepantia ad haec usque tempora protracta fuerit et adhuc perseveret. Itaque Josephus Didacus Gutierez rector parochiae de Meilan, cui altera unita reperitur, dubius quid agere debeat, pro conscientiae serenitate quaestionem ab EE. VV. definiri supplicat.

Episcopus hodiernus de more auditus refert, parochorum voluntatem explorasse eorumque sententias sedulo requisivisse, quas tamen adeo inter se discordes reperiisse dicit, ut nihil certi constitui possit. Quare e re sua censuit rationes pro utraque parte exponere, ut ex earum accurato examine certum proferri valeat super proposita controversia judicium.

Et sane, qui onus duplicis applicationis inhaerere existimant parocho duabus parochiis praeposito, innituntur synodalibus dioecesis constitutionibus anni 1669, quibus applicatio missae pro populo animarum rectoribus ita praecise injungitur, ut, si in distinctis sui regiminis ecclesiis bis eodem festo celebraverint, utramque missam pro suo respective populo applicare teneantur, quacumque alia obligatione postposita nulloque a fidelibus accepto stipendio. Huic sanctioni sese conformavit anno 1755 Lucensis Episcopus, dum Benedictinam constitutionem promulgavit et observari jussit et, ne quid ad parochorum sublevandam inopiam deesse videretur, eandem quam laudatus Pontifex Benedictus XIV. indulserat moderationem et ipse permisit, ut scilicet parochi vere pauperes alteram ex missis accepta eleemosyna pro benefactore applicare possent, dummodo ad aliam infra hebdomadam diem applicationem pro ovibus suis transferrent. Synodales hac de re constitutiones conformes asserunt dispositioni Concilii Tridentini necnon constitutioni Benedictinae et s. hujus Congregationis judicio, quia, cum populus ad audiendam missam diebus festis adigatur, aequum videtur, ut parochus pro populo sacrificium offerat propitiationis et laudis. Atque haec ratio non solum militat pro uno parocho, qui uni tantum parochiae praeest, sed etiam pro parocho, qui duabus vel pluribus parochiis inserviat, cum in unaquaque parochia populus assistat ad adimplendum praeceptum. Praeterea advertunt festis praecipue diebus teneri parochum fidei rudimenta docere ac fidele pabulo verbi Dei et Sacramentorum administratione reficere, atque idcirco congruum esse, ut etiam pro populo orare et sacrificium offerre teneatur. Et quamvis unus parochus diversis regendis parochiis sit propositus, non tamen convenire, ut populus unius vel alterius parochiae spirituali auxilio applicationis missae privetur, sed unumquemque populum sacrificii fructu potiri debere, cum praesertim ab unoquoque populo stipendia parochus accipiat. Denique putant adigendum parochum in diversis parochiis missam sive per se sive per alium applicare, quia in qualibet parochia celebrare ex officio debet missam parochialem et juxta receptam auctorum opinionem a sac. Congregatione probatam tenetur parochus ad applicationem missae pro populo, quoties ex officio celebrare teneatur.

Verum contrariae opinionis adsertores affirmant, neque in constitutione s. m. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* neque aliis in locis verbum ullum fieri de onere applicationis in diversis parochiis uno parocho commissis, licet saepius actum fuerit tam de facultate concedenda parochis bis eadem die celebrandi, quam de aliis rebus ad materiam de celebratione et de applicatione missae illustrandam atque explicandam apprime opportunis.

Sustinent idcirco parochiarum unionem non prae se ferre onus duplicis applicationis, quia, cum unus sit parochus, unus etiam quoad spiritualia censendus est populus. Exemplum desumunt a capitulis ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum, quae, licet aliquibus diebus missam conventualem bis celebrent, nihilominus unam tantum missam applicando satisfaciunt. Haec omnia confirmant frequentiori dioecesis consuetudine, quam attenta plurium parochorum inopia praeservandam esse contendunt. Ac demum innituntur constitutionibus metropolitanae synodi Compostellanae anni 1746, ubi declaratum fuit, satis

esse parochis, qui duas missas eadem die celebrare debent, si unam tantum applicent pro populo, nisi ex consuetudine aut unione aut alio speciali titulo ad utriusque applicationem cogantur.

Quoad assertam consuetudinem Episcopus observat, quod, licet invecta revera extitisset, non tamen probari posset fuisse ab Episcopis admissam vel toleratam, resistente praesertim episcopali decreto, de quo mentio supra habita est. Parochorum vero inopiae jam satis consultum dicit et juxta rerum circumstantias magis in posterum provisurum confidit. Caeterum Episcopus summopere optat et enixe rogat pro definitione dubii, ut quaestionibus jamdiu vigentibus tandem aliquando finis imponatur. Ipse tamen pro sua opinione affirmativam sententiam tuetur, ut scilicet parochi, qui duabus praesunt parochiis, ad duplicem applicationem per se et per alium teneantur, ex rationibus superius expositis, *quibus ultro subscripserunt gravissimi et doctrina praestantes viri, quotquot in hac urbe consului.*

Addit, *applicationem utriusque missae pro populo, quo modo potui, non consiliis modo et exhortationibus sed, ubi tulit casus, praeceptis quoque promovere studui, quo et meam et meorum subditorum conscientiam in tuto ponerem.*

Non inopportune in re, de qua agitur, praenotandum videtur, ecclesiarum unionem tribus modis fieri posse, ut ait *Gonzal. in comment. cap.: Sicut unice 8 de excess. paelat. num. 3.* Uniantur licet ecclesiae, quando unum corpus ambo efformant et una ex duabus ecclesiis constituitur, *cap.: Cum dilectus de his, quae vi, cap.: Recolentes de stat. monach.* Et haec unio communicationem quoque privilegiatam importat, ita quidem ut de juribus unius ecclesiae alia quoque particeps evadat, *cap.: Novit ne sed. vacan.* Praeterea uniuntur aliquando ecclesiae, servata tamen earum distinctione, sed una superior et principalis, alia inferior et accessoria evadit. In isto casu ecclesia inferior seu subjecta proprium nomen amittit et assumit nomen ecclesiae principalis, cujus privilegiis potitur, *cap.: Recolentes de stat. monach.*, sed propria jura non amittit, quin immo illa in ecclesiam superiorem per communicationem transfundit, *cap.: Quia monasterium de relig. dom.* Denique fit unio ecclesiarum, quando utraque in suo statu permanent nec una alteri subditur, sed tanquam consociatae in pari gradu censentur aeque cathedrales aut parochiales. Verum ratione unionis ad earum regimen unus rector praeficitur, quamvis quaelibet jura sua suaque privilegia sine commixtione vel imminutione retineat.

Sane quando ecclesiae parochiales aut subjective aut aeque principaliter uniuntur, utriusque parochiae populus distinctum corpus efformat et unusquisque sua jura retinet, inter quae maxime recensetur incruenti sacrificii participatio per oblationem, quae fiet a parocho diebus saltem festis. Hinc sa. mem. Benedictus XIV. in constitutione: *Cum semper oblatas* prudenter admodum ac rite declaravit in §. *Quum enim,* vicarios ecclesiarum parochialium, sive perpetui sint sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte teneri ad applicationem missae pro populo ipsorum curae commisso. Nemo autem inficiabitur parochos duabus ecclesiis praepositos curare debere, ut in unaquaque ecclesia diebus festis missa celebretur, cui fideles interessendo ecclesiastico praecepto satisfaciant.

Jam vero onus audiendi missam diebus festis ea praecipue de causa injunctum fidelibus videtur, ut uno animo unoque spiritu cum sacerdote celebrante Deum exorent et opem divinae misericordiae per Jesum Christum implorent; atque idcirco speciali ratione pro se et populo preces et sacrificium offerre debet sacerdos, qui *pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,* quemadmodum ait Apostolus in *epist. ad Haebraeos 5. 1.*

Verum enim vero non obscure Concilium Emeritense saeculo VII. celebratum parochis indixit, ut in singulis ecclesiis missam celebrarent, et pro *singulis quibusque ecclesiis,* (id est fidelium coetibus) illam applicarent. Sic enim statuit *cap. 19*: *In parochiis multae sunt ecclesiae constitutae, quae a fidelibus factae aut paucum aut nihil de rebus videntur habere. Sacerdotali ergo decreto presbytero uni plures extant commissae; proindeque salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque ecclesiis, in quibus presbyter jussus fuerit ordinatione praeesse, pro singulis diebus dominicis sacrificium Deo procuret offerre.*

Quod ergo in praesenti casu dijudicandum sit, viderint EE. PP., qui rogantur prae oculis habere relata dioecesis Lucensis synodalia decreta atque Episcopi praeceptum

necnon Compostellanae dioecesis constitutiones assertamque consuetudinem ac praeterea perpendere: An sacerdotes, qui vicariam parochis in alterutra ecclesia operam praestant, habendi sint quoad hunc saltem actum applicationis missae pro populo tamquam vicarii, sive amovibiles sive perpetui, ecclesiarum parochialium, qui ex Benedictina constitutione ad applicationem adiguntur?

Quaeritur:

An parochi duabus ecclesiis parochialibus propositi teneantur dominicis aliisque festis missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alium applicare pro populo in casu?

S. C. resp.:

Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva et scribatur Episcopo juxta instructionem.*)

Die 26. Febr. et 12. Mart. 1774.

Nuscana.

Erecta fuit a Nuscano Episcopo initio saeculi XVI. in Collegiatam ecclesia parochialis s. Mariae del Piano Terrae Montellae unione octo parochialium ecclesiarum septemque non parochialium, quae erant aut intra eamdem terram aut in ejus suburbiis. Cum autem de validitate hujus erectionis atque unionis jure dubitaretur, Magnus ille Pontifex Leo X. anno 1515 constitutione sua erectionem atque unionem confirmavit. Erant in ea Collegiata Archipresbyter, Primicerius et duodecim Canonici: Archipresbyter duas canonicales portiones accipiebat, sed cum tenues essent redditus, ideo Leo X. duos canonicatus primum suppressit, inde minuit etiam redditus Archipresbytero, ut unam et dimidiam tolleret canonicalem portionem. Hac unione cura animarum translata fuit in capitulum, quod habitualem habet. Actualis dudum exercebatur ab Archipresbytero et duobus Canonicis, inde vero juxta Leonis X. constitutionem praepositi fuerant et nunc praeponuntur a capitulo singulis illis octo parochialibus vicarii ad nutum amovibiles, tenuissimo annuo stipendio octo ducatorum. Suevit capitulum Sacrum conventuale pro benefactoribus et post literas encyclicas sacratissimi Principis nostri aliud etiam pro populo agere: sed in nupera visitatione decrevit Episcopus, ut tot agerentur Sacra pro populo diebus festis, quot sunt parochiales ecclesiae unitae. Commovit capitulum hoc onus delatisque precibus Sanctissimo Domino Nostro postulavit ab hoc onere liberari. Data fuit Amplissimis Patribus de hac postulatione cognitio auditoque jam Episcopo Nuscano, qui totus est, ut decretum suum defendat, causa nunc Eminentissimis Patribus definienda proponitur.

Disputat capitulum non debere singulis festis tot Sacra pro populo agere, quia unio a Summo Pontifice sive facta sive confirmata non fuerit aeque principaliter sed subjective ideoque extinctae parochiae titulo incongruum sit, ut Sacra pro populo agi debeant, quando deest parochia: subjectivam fuisse unionem liquidum fieri, quia summus Pontifex usus sit verbis: *Unimus, adnectimus incorporamus,* quae subjectivam unionem praeseferunt, quia data fuerint capitulo et ecclesiae collegiatae omnia jura, redditus, fructus, emolumenta, quae ad ecclesias illas parochiales spectabant, quia data fuerit capitulo facultas deputandi sacerdotes ad nutum amovibiles in iisdem ecclesiis parochialibus unitis, qui consequenter nudi sunt ministri capituli curam habitualem habentis, ut anno 1708 definitum fuit a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium consultationibus praeposita. Haec omnia demonstrare unionem subjectivam. Accedere consuetudinem immemorabilem et tenuitatem reddituum, ex qua fit, ut nequeat capitulum hoc onere gravari; neque ad rem pertinere, quod ait Episcopus, Sacra pro populo agenda esse a vicariis, cum hi non habeant ecclesias illas in titulum, neque aliis oneribus gravandi sint in tanta stipendii eorum tenuitate, quanta fert tenuitas reddituum capituli. Haec a capitulo in suo libello. A promotore fiscali curiae episcopalis Nuscanae nihil habuimus. Dubium est:

An Canonici collegiatae ecclesiae s. Mariae del Piano oppidi Montellae Nuscanae dioecesis teneantur unam tantum missam pro populo diebus festis celebrare seu potius tot missas, quot sunt parochiales ecclesiae illi unitae in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 17. Januar. 1756.

Oveten.

Parochiales ecclesias s. Mariae in Campos et ss. Salvatoris de Salave Ovetensis di-

*) Vd. infra *p. 957* §. *In hac.*

oecesis ducentis abhinc annis ita inter se unitas esse constat, ut unus sit eorum rector unusque populus, licet in unaquaque ecclesia independenter ab altera praecipua exerceantur parochialia jura. Hujusmodi ecclesiarum parochi, quotquot usque adhuc fuere, unicam tantum diebus festis pro populo applicarunt missam, hodiernus vero parochus minus recte se gerere verens EE. VV. oraculum sibi exquirendum ducit ac declarari postulat: *An unam vel potius binas missas applicare teneatur?* Addit tamen, admodum grave sibi futurum onus per alium sacerdotem singulis diebus festis secundam applicandi missam.

Episcopus pro informatione et voto rogatus, ea, quae supra narravi, plene confirmavit votumque suum aperiens inquit: »*Non possum asserere convenientissimum fore, ut non binas, sed unicam tantum missam pro populo diebus dominicis et aliis festis parochum applicare teneri s. Cong. decernat.*

Qui animarum curam exercent, tenentur jure divino*) applicare missam pro populo sibi commisso, *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.*, sacra Congregatio in *Calaguritana Applicationis missae pro populo 12. Decembris 1764* et in *Oveten. 22. Jan. 1774,***) iisque hoc onus applicationis dominicis aliisque festis diebus ita inhaeret, ut non eximantur, etiamsi redditus tenues sint, cum ad id non obstringatur propter redditus sed ratione officii, Benedictus XIV. constit.: *Cum semper oblatas* ***) et s. Congregatio in cit. *Oveten.* §.: *Quaesitum.* Quinimmo parochi, qui duabus praesunt ecclesiis insimul unitis unione subjectiva vel aeque principali, in utraque ecclesia missam pro populo singulis diebus festis applicare debent. Enimvero in *Lucen* †) *Applicat. missae pro populo 26. Februarii 1774* requisiti Emmi Patres:

An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneatur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alium applicare pro populo in casu etc.?

responsum dederunt die 12. Martii ejusdem anni: *Affirmative exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva et scribatur Episcopo juxta instructionem.*

In hac autem instructione Emmi Patres Episcopum certiorem faciendum esse putarunt, ipsos numquam dubitasse, *quod parochi teneantur applicationi supradictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae atque incorporatae, cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterutrius evaserit.*

Hoc unum itaque in praesenti casu inquirendum superest: *Utrum parochiales ecclesiae s. Mariae et ss. Salvatoris insimul unitae fuerint unione plenaria et extinctiva vel potius unione subjectiva aut aeque principali?* Jam vero hanc unionem haud renuntiandam esse extinctivam in primis suadet memorata instructio, quae extinctionem efflagitat tituli alterutrius ecclesiae unitae, parochus autem orator se rectorem appellat ecclesiarum s. Mariae in Campos et ss. Salvatoris de Salave ac proinde quaelibet ex ecclesiis suum retinet titulum. Accedit, quod per unionem extinctivam ex duabus una fiat ecclesia sicque jura alterutrius ecclesiae extinguantur seu transferantur in aliam, *Fagn. in cap.: Exposuisti n. 34. de praeb., Reiffen. in lib. 3. decret. tit. 12. n. 41.* In themate vero neutrius ecclesiae jura in alteram translata sunt, sed in utraque ecclesia independenter ab altera fatente parocho ac teste Episcopo praecipua exercentur parochialia jura. Quocirca unio, de qua agitur, characteres praesefert unionis aeque principalis, quae ambae ecclesiae suum retinent titulum honorisque gradum, licet unius rector fiat etiam rector alterius, *argum. can.: Ex temporis 16 q. 1, Garz. part. 12. de benef. cap. 2. n. 37, Reiffenst. loc. cit. n. 51.*

Contra animadvertere praestat in *praedictis paroeciis* (inquit Episcopus) *etiam post unionem non duos populos sed unum esse populum*, quod quidem unionem extinctivam fuisse ostenderet; quando enim ecclesiae parochiales aut subjective aut aeque principaliter uniuntur, utriusque parochiae populus distinctum corpus efformat, s. Congregatio in *Sutrina**) *Missae pro populo 16. Julii 1791* §. *Licet* et in *Lamacen. 30. Julii 1795* §. *Ex.*

Nec praetereunda biscentenaria observantia applicationis unius tantum Sacri, quae praesumptionem inducit, memoratas ecclesias

*) Vd. *p. 921, 930.*
**) Vd. *p. 872.*
***) Vd. *p. 695.*
†) Vd. *p. 953.*

*) Vd. *p. 951.*

extinctive fuisse unitas, aut saltem exemptionis titulum a duplici sacrificio tribuere potest, *Card. de Luca de jurepat. dis. 9. n. 17.* et *s. Congregatio in cit. Lamacen. §. Ex.*

Quatenus tamen EE. VV. parochum ad duplex Sacrum teneri decreverint, decernant quoque: num oratori concedenda sit absolutio quoad praeteritas omissiones et reductio quoad futurum. Commendabilem enim actualem parochi religionem ac grave incommodum, quod in oratorem ex duplici applicatione redundaret, justam suppeditare reductionis causam docet *s. Congr. in Civitatis Castelli 17. Aprilis 1790* et in cit. *Lamacen. §. Quatenus.*

Nihilominus videant Emmi Patres: utrum potius expediat tribuere oratori facultatem applicandi infra hebdomadam alterum Sacrum, quemadmodum *Bened. XIV. in constitutione Cum semper oblatas* ad consulendum parochorum inopiae concessit Episcopis potestatem dispensandi cum parochis, ut diebus festis eleemosynam recipere possint et missam applicare pro benefactore translata ad alium diem infra hebdomadam applicationem missae pro populo.

Itaque proponuntur dubia:

I. *An parochus duplicem teneatur applicare missam pro populo in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus reductioni missarum in casu?*

III. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II et III: Provisum in primo.

Die 18. Nov. et 23. Dec. 1826.

Ad dub.: Quum parochus praeter suam ecclesiam parochialem aliud beneficium curatum obtinuerit cum alia adnexa ecclesia parochiali, an in festis adigatur utramque missam quam celebrat applicare pro populo vel teneatur ad applicationem pro sibi commissis ovibus unius tantum de duobus sacrificiis, veluti dioecesanus Ordinarius, cui dubium proposuit, ei rescripsit?

S. C. resp.: Utramque missam applicare tenetur pro populo utriusque sibi commissae parochiae.

Die 7. Sept. 1850.

(Correspond. de Rome 1850—51 4. Mart 1851 n. 57. p. 206; decr. S. R. C. Gardell. n. 5146 ad 4.)

XXVIII. Obligatio collegii parochorum plurium ecclesiarum alicujus oppidi.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (obligatio estne parochi trium etc. p. 946; obligatio estne parochorum p. 953); *p. 948 n. XXVI, p. 931 n XXI.*

Calaguritana.

Quae duae in oppido Encisci extant parochiales ecclesiae sex numerant filiales paroecias nuncupatas Navalfax, Villar, Pojales, Garranzo, Rudeas, Escurquilla. Harum regimini quatuordecim praesunt parochi, quorum octo Sacramenta administrant in duabus oppidi ecclesiis, reliqui vero filialibus paroeciis inserviunt. Nulla inter parochos est ecclesiarum divisio, sed anno quolibet die 14. Septembris unusquisque juxta ordinem antianitatis illius paroeciae curam assumit, quam sibi praeeligere placet.

Quamvis tamen in diversa loca animarum cura sit dispertita et a diversis rectoribus exerceatur, unus nihilominus est populus, una paroecia, idque etiam in formali judicio definitum asseritur. Ignoratur prorsus a quo tempore parochiae fuerint institutae solumque constat anno 1547 quatuor pagis Pojales, Ruedas, Garranzo et Escurquilla parochum fuisse assignatum. Parochi omnes cum collegium constituunt et communem habent reddituum massam, sed non omnes de hac massa aeque participant, nam quinque integram portionem, tres vero dimidiam, reliqui autem quartam lucrantur, atque hinc primi scuta 110, alii scuta 55, postremi tandem scuta solum 27. 50. percipiunt. Ab immemorabili tempore consueverant parochi octingentas quatuordecim missas pro populo celebrare, quarum septingenta et triginta ab octo beneficiatis in oppido, aliae vero septuaginta quatuor a reliquis in pagis residentibus applicabantur. Initio praesentis saeculi grave nimis missarum onus existimantes parochi de reductione cogitarunt earumque numerum ad centum viginti quatuor redigere statuerunt, addito tamen onere choro inserviendi certis infra annum diebus horis matutinis et vespertinis, idque ab anno 1715 ad haec usque tempora observarunt.

Nuper autem exorta inter ipsos dubitatio est de sequutae reductionis validitate proindeque pro quiete eorum conscientiae S. C. supplicant, ut excedentem 814 missarum numerum, quae ante annum 1714 celebrabantur, ad quantitatem 124 coerceat. Afferunt enim, nullo statuto vel conventione numerum missarum pro populo celebrandarum fuisse unquam praefinitum, sed solum consuetudinem invectam ex pinguioribus, quibus tunc parochi fruebantur, redditibus, ex modico, quo tunc vivebant, sumptu: postea vero imminutis fructibus auctoque victualium pretio necessariam deprehendi reductionem, ne parochi, dimidiae praesertim et quartae portionis, victum mendicare cogantur.

Quo vero ad quantitatem praefiniendam sustinent, habendam esse rationem tum tenuitatis reddituum tum etiam gravitatis onerum curae animarum et choralis certis anni diebus residentiae. Provocant deinde ad encyclicam san. mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*).* Ac demum advertunt, rem esse de uno populo pluribus ecclesiis pro mera commoditate adscripto et de uno clero iisdem ecclesiis inserviente, atque insuper observant, missarum eleemosynam ex communi massa fore detrahendam, quemadmodum resolutum fuisse dicunt pro clero Oconiensi in alia *Calaguritana Applicationis missae pro populo 14. Jan. 1769**),* quae quidem resolutio causam praebuit praesentis dubii disputationi.

Episcopus refert, nullum inter clerum et oppidanos Encisi initam fuisse circa missarum numerum translationem nec peculiarem aliquam eleemosynam fuisse praestitutam solumque ab immemorabili tempore consuevisse parochos pro populo applicare missas 814 singulis annis, quas inter se ita partiebantur, ut octo parochi ecclesiis Encisi inservientes missas 736, reliquas vero missas aliarum ecclesiarum rectores celebrarent. Hanc autem methodum fuisse servatam ad annum usque 1715, quo tempore ob deficientiam oblationum, quae pro missis conventualibus praestari solebant, nonnullorum theologorum consilio missarum numerum ad 124 fuisse coercitum. Testatur praeterea, emolumenta parochorum, qui integram portionem lucrantur, ducatos biscentum de Veilon monetae Castellae non excedere: Che gli oratori giustamente istanuo per la moderazione e riduzione del peso delle messe pro populo, qualora la lora pretensione riguardi le 814 messe, perchè tal numero lo reputo esorbitante per la poca congrua, che oggidì godono quei beneficy. Attendendo altresi all' essere troppo limitato il suffragio, che presenta pro populo quello di 124 messe, che annualmente si ripartono tra 14 titoli, potrà la sagra Congregazione arbitrare quel mezzo equitativo, che più consentaneo sembrerà all' EE. VV.

Certum est parochos, qui curam animarum exercent, teneri ad applicationem missae pro populo, prout ex Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 1. de reformat.*, ibi: »Cum praecepto divino*) mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere et pro his Sacrificium offerre etc.« Ne ab hujusmodi onere eximi possunt parochi, qui ob praebendarum tenuitatem congruos non habent redditus, cum non ratione sustentationis, sed ratione officii sacrificium pro populo offerre debeant, *Piringh. in jus canon. lib. 3. tit. 23. num. 19*, sacra Congregatio in *Nonantulana 10. Maji 1692.*

Immo parochorum querelas postulantium reductionem missarum ex causa tenuitatis reddituum rejectas fuisse asserit *Monacell. in supplement. ad tom. 7. num. 121.*

Quo vero ad dies, quibus parochi missam pro populo celebrare debeant, invecta olim distinctio fuit, ut, qui pinguioribus redditibus fruerentur, singulis diebus, qui autem tenuem praebendam possiderent, diebus tantum festis ad applicationem tenerentur. Hanc tamen distinctionem sustulit san. mem. Benedictus XIV., qui ad eliminandas quaèstiones de majoribus vel minoribus ecclesiarum parochialium redditibus, qui ad congruam parochorum sustentationem sufficerent, die 19. Augusti 1749 encyclicam ad Italiae Episcopos dedit epistolam incipien.: *Cum semper oblatas*, in qua haec edixit: »Opportunum censuimus Fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum festis diebus de praecepto, cum praedicti dominici aliique festi dies sint, in quibus juxta praeceptum Concilii Tridentini *sess. 5. c. 2. et sess. 24. c. 4.* quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet etc.

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *p. 881.*

*) Vd. *p. 921, 930.*

Ponderandum itaque in praesenti casu, quo modo parochi duarum ecclesiarum Encisci aliarumque filialium, quae unum populum et unam parochiam constituunt, praecepto applicationis missae pro populo adimplere teneantur. Praestat hac de re referre s. hujus Congregationis resolutiones, quae juxta circumstantias variis temporibus prodierunt. In civitate Balneoregii ex duobus capitulis una erecta fuit Cathedralis et animarum cura pro ea civitatis parte, quae Civita nuncupabatur, commissa extitit uni ex Canonicis, pro altera vero parte, quae appellabatur Rota, duobus aliis Canonicis fuit demandata. Pluries hinc subortae sunt contentiones circa applicationem missae pro populo, ad quas dirimendas propositum inter caetera fuit dubium:

An, quatenus missa parochialis sit celebranda in diebus festis a Canonicis curatis in parochia Contradae Rotae, sufficiat celebratio et applicatio unius missae pro populo seu potius ambo Canonici curati teneantur ad applicationem supradictae missae in casu?

Et s. Congregatio die 19. Aug. 1713 respondit: Sufficere unicam celebrationem et applicationem.

Cum parochialis ecclesia s. Mariae de Plano oppidi Montellae Nuscanae*) dioecesis erecta fuisset in collegiatam praevia unione octo ecclesiarum parochialium et septem non parochialium et singulis octo paroeciis ex constitutione san. mem. Leonis X. totidem vicarii ad nutum amovibiles fuissent constituti, Episcopo visum est, unumquemque eorum teneri ad applicationem missae pro populo. Renuerunt vicarii hujusmodi onus subire, ex eo quia unionem non aeque principaliter sed subjective factam asseruerunt. Re delata a s. Congregatione quaesitum fuit:

An Canonici collegiatae ecclesiae s. Mariae de Plano oppidi Montellae Nuscanae dioecesis teneantur unam tantum missam pro populo diebus festis celebrare seu potius tot missas quot sunt parochiales ecclesiae illi unitae in casu etc.?

Et die 17. Januarii 1756 rescriptum fuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Parochialis ecclesia s. Luciae terrae Porculae, quae est sub dioecesi Montis Alti,**) a duobus parochis regebatur, quibus post sequutam aliarum ecclesiarum unionem alii duo accesserunt, omnesque portionarii sunt appellati, Episcopus distinctos parochiae limites unicuique assignavit, cumque dubitatum hac de causa fuisset: »*An missa parochialis in diebus festis applicanda pro populo veniat celebranda a singulis rectoribus ecclesiae Luciae Porculae seu potius alternatim ab hebdomadario in casu etc.?* prodiit die 27. Augusti 1763 responsio: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius.

In territorio Oconii, qui locus intra limites Calaguritanae*) dioecesis existit, collegium adest beneficiatorum, qui curam animarum exercent et, licet in diversis ejusdem territorii pagis resideant, unum tamen corpus et unum clerum constituunt. Supplicarunt itaque beneficiati pro reductione missae pro populo ad tramites Benedictinae constitutionis disputatumque die 14. Januarii 1769 fuit dubium: *An et quomodo sit locus reductioni applicationis missae pro populo in casu?* Sacra vero Congregatio sequentem edidit resolutionem: »Applicatis duabus missis quotidianis in ecclesia Oconii necnon una quotidiana in pago Corerii pro gratia reductionis ad unam pro diebus festivis et dominicis, in quolibet ex caeteris pagis, collatis tamen suffragiis in unum pro toto populo, facto verbo cum Sanctissimo et detracta eleemosyna pro missis applicandis ex massa communi.«

Tandem in oppido Maidae, quod extat in dioecesi Neocastriensi**), duae adsunt parochiales ecclesiae, una scilicet sanctae Mariae de Catholica, quae matrix est et unitam habet alteram ecclesiam s. Mariae de Berlina atque a tribus parochis regitur, alia vero s. Nicolai de Latinis, cui anno 1741 adnexa fuit parochialis ecclesia s. Nicolai in Platea eique quatuor parochi inserviunt. Hi omnes ab immemorabili tempore consueverunt unam missam pro populo in unaquaque ecclesia singulis diebus celebrare, sed post evulgatam Benedictinam constitutionem ad dies tantum festos fuit coercitum; verum conscientiae stimulis perculsi earumdem ecclesiarum rectores sacrae Congregationi supplicarunt, ut declararet: *An unico in unaquaque ecclesia oblato sacrificio oneri missae pro populo satisfaceret?* Hinc duo proposita fuerunt dubia:

*) Vd. *p. 956.*
**) Vd. *supra p. 948.*

*) Vd. *p. 881.*
**) Vd. *supra p. 950.*

I. *An parochi ecclesiarum s. Mariae Catholicae et s. Nicolai de Latinis teneantur singuli applicare missam pro populo seu potius possint unam tantum missam in unaquaque ecclesia per turnum applicare in casu?*

II. *An eamdem missam teneantur applicare quotidie vel tantum dominicis et festis diebus in casu?*

Et die 26. Januarii 1771 rescriptum fuit

Ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II: Die 15. Februarii 1772: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Haec sunt, quae in praesenti causa animadvertenda existimavi. Vestrum nunc erit Emmi PP. decernere:

An et quomodo sit locus reductioni missarum pro populo in casu?

S. C. resp.:

Pro gratia reductionis ad unam missam singulis diebus festis pro qualibet ex ecclesiis parochialibus oppidi Encisi, necnon pro reductione ad unam missam pariter diebus festis in aliis filialibus ecclesiis per turnum celebrandam, collatis tamen suffragiis in unum pro toto populo et detracta eleemosyna ex massa communi, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 23. Mart. et 8. Maji 1773.

XXIX. Oblig. parochi non est in dieb. ferialibus.

Vd. *Applic. missae pro pop.* (oblig. paroch. non est infra hebdomadam p. 963; obligatio quotidiana non est p. 985.)

Firmana.

Sacerdos Marcus Merini parochus ecclesiae sub titulo s. Mariae Gratiarum sitae in oppido Petrioli Firmanae dioecesis, cui paroeciae unita reperitur suburbana ecclesia s. Ginnesio dicata, preces porrexit huic sacrae Congregationi narrans suae paroeciae redditus tenuissimos esse ipsumque geminis inter caetera gravari oneribus, nimirum *primo* applicandi missam pro populo feria secunda cujuslibet hebdomadae, praeter eamdem applicationem missae pro populo faciendam in omnibus diebus festis de praecepto, et *secundo* bina celebrandi missarum officia, unum scilicet secunda dominica mensis Maji et alterum die 15. Augusti cujuslibet anni, propterea supplicavit pro exemptione ab implemento dictorum onerum, quorum institutor penitus ignoratur.

Pro informatione et voto requisitus Archiepiscopus omnia a parocho narrata vera esse dixit confirmavitque; in voto tamen fuit liberandi parochum ab onere applicandi missam pro populo feria secunda cujuslibet hebdomadae: *ut parochiae regimen sustinere commodius valeat.* Secus autem quoad missarum officia, quoniam ea non ad parochialem ecclesiam pertinent, sed ad alteram suburbanam et parochiae unitam ecclesiam, quae peculiares suos habet redditus et a qua parochus non modicum consequitur emolumentum.

Hoc non obstante parochus sua jura deducit propugnatque, utriusque ecclesiae redditus pro una tantum mensa ratione unionis esse considerandos. Probat enim, sed in genere et collective tantum, utriusque ecclesiae redditus ascendere ad annua scuta 77 et obulos 85, onera vero ad annua scuta 62 et obul. 36, quibus subductis a redditibus superesse pro parocho tenuissimam summam scutorum quindecim circiter prorsus imparem pro congrua illius sustentatione juxta praescripta in constitut. s. Pii V. 47., quae incipit: *Ad exequendum*, de qua *Rota decis. 746. num. 10. part. 8. recent.*

Quo posito sustinet orator, utrumque onus esse delendum. Instat enim pro abolitione oneris applicationis missae pro populo qualibet feria secunda ex triplici rationum momento et primo, quia prorsus ignoratur illius origo vel fundator; secundo, quia populus ad eam non accedit, et tertio, quia parochus illam applicat omnibus diebus festis juxta constitutionem sa. mem. Benedicti XIV., cujus initium est: *Cum semper**) diei 19. Augusti 1744, et juxta ejusdem Pontificis sententiam panditam in ejus opere *de synodo dioecesan. cap. final. num. 4. et 5.* Urgetque pariter, abolitionem pati debere missarum officia, quia tenuissimi sunt redditus, unde parochus valeat sustentari.

Attamen sacra Congregatio, deficientibus redditibus, in sensu fuit pro suspensione, non autem pro abolitione seu deletione oneris missarum, ut videre est in *Sedunen.* proposita *die 29. Julii 1775* et resoluta *die 19. Augusti ejusdem anni.*

Pertinet igitur ad Amplissimos Patres definire:

An sit locus deletioni oneris missae die Jovis ac officiorum generalium in casu?

*) Vd. *p. 695.*

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Archiepiscopi.

Die 7. Junii et 5. Julii 1777.

Ad dub.: An Prior collegiatae ecclesiae s. Jacobi, tanquam parochus, teneatur applicare pro populo quotidie?

S. C. C. resp.: Negative et teneri solum diebus festis.

Die 2. Mart. et 16. Maji 1739.

Fundana.

(Conc. Tr. s. 22. decr. de observ. et evit. in celebr. missae.)

In oppido Valliscursae tres extant parochiales ecclesiae, prima s. Martini, quae habet Archipresbyterum et duos Canonicos nuncupatos, secunda s. Angeli, quae habet parochum et duos pariter Canonicos nuncupatos, tertia s. Mariae, quae pariter parochum et duos alios habet Canonicos et omnes hi diebus festivis in altera ex dictis ecclesiis per turnum conveniunt ad canendam missam et uuusquisque iisdem diebus festivis missam parochialem applicat pro populo.

Diebus vero ferialibus tam parochi quam Canonici in altera ex ecclesiis per turnum missam celebrant juxta antiquam consuetudinem et in ordine ad hanc missam, quae diebus ferialibus modo praedicto celebratur, orta est controversia: *An eadem esset pro populo applicanda?* Cumque de hac re actum esset in visitatione facta ab Episcopo anno 1707, Episcopus censuit ex rationibus coram se deductis: *Non adesse dictam obligationem;* delataque subinde controversia ad s. Congregationem Episcoporum et Regularium fuit ejus cognitio a dicta Congregatione remissa ad hanc sacram Congregationem, in cujus remissionis sequelam disputanda proponuntur dubia ad calcem hujusce restrictus referenda.

Multae ab hac s. Congregatione statutae sunt regulae quoad applicationem missarum et in eo quidem, quod attinet ad parochos, pluries resolutum fuit: *eosdem teneri missam pro populo applicare singulis diebus festis, licet congram non habeant,* et resolutiones fuerunt confirmatae a sa. mem. Innocentio XII. in suis literis apostolicis in forma Brevis expeditis die 24. Aprilis 1699*) et impressis apud *Clericat. discord. 29. de benef. sub num. 43.*

*) Vd. *p. 934.*

Quoad missam conventualem eadem in cathedralibus et collegiatis ecclesiis singulis diebus est applicanda pro benefactoribus ad terminos *textus in cap.: Creatura de celebr. miss.* et ad terminos resolutionis in *Camerinen.* Missae conventualis 6. Junii 1705 et 5. Junii 1706, *quinimo si cura animarum sit penes Canonicos, iidem tenentur diebus festis applicare pro populo et ulterius satisfacere oneri missae conventualis pro benefactoribus applicandae,**) juxta resolutiones editas in *Viterbien. 31. Martii 1808* et in *Balneoregien. 19. Augusti 1713,* sed *hoc onus missae conventualis solum respicit ecclesias cathedrales et collegiatas,***) ita ut si aliqua ecclesia probet se non esse collegiatam, ab hoc onere dicatur exempta, juxta casum disputatum et resolutum in *Montis Falisci Missae conventualis 12. Februarii 1718.*

Rursus quando *disputatio exorta est circa missas conventuales in praeteritum non applicatas,* quando aderat obligatio applicandi, sacra haec Congregatio consuevit relaxare rigorem et Episcopo demandare, ut non ad integram mensuram missarum, quae erant applicandae et applicatae non sunt, celebrare faciat et applicare, sed cum aliqua aequitativa diminutione, ut resolutum fuit in causa *Comen. Missae conventualis et parochialis 11. Maji 1720* in responsione ad secundum.

Quoad reliqua deinde dubia respicientia missarum applicationem, nisi aliter ex circumstantiis desumatur, statim ac aliquis demandavit missas celebrari, intelligitur, quod voluerit eas etiam pro anima sua applicari juxta antiquam et semper retentam resolutionem in *Tinen. Applicationis Sacrificii 18. Augusti 1668 lib. 26. decret. fol. 61.* ibi: *Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam capellania cum onere capellani pro tempore Sacrum faciendi singulis dominicis aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione ad cujus suffragium applicandum esset sacrificium. Ideo Episcopus Tinen. supplicat per s. Congregationem declarari: An hujusmodi sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum capellani, uti hactenus factum esse comperiit.* Die 18. Augusti 1668 s. Congregatio respondit: *Applicandum esse sacrificium pro anima testatoris.*

*) Vd. *p. 737.*
**) Vd. *p. 778. c. II.*

Haec sunt, quae opere pretium esse censui adnotare, ut ad manus omnium sint opiniones in hac s. Congregatione receptae.

Cumque in causa, de qua nunc agitur, obligatio applicationis desumi contendatur potissimum ex antiqua consuetudine, onus erit EE. VV. decernere:

I. *An parochi aliique beneficia possidentes in ecclesiis s. Martini, s. Angeli et s. Mariae Valliscursae teneantur missas tres celebrandas per turnum applicare pro populo et benefactoribus etiam diebus ferialibus, unam nempe in unaquaque dd. ecclesiarum?*

II. *An ad dictum onus teneantur pro praeterito et a quo tempore in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Provisum in primo.

Die 13. Sept. et 2. Oct. 1721.

XXX. Oblig. non est parochi, infra hebdomadam ad eccles. filial. accedentis, pro incolis filialibus applicandi.

Vd. *Applic. missae pro populo* (oblig. non est dieb. fer. p. 961); *p. 969 n. XXXII.*

Novarien.

Placuit cl. mem. Cardinali Joanni Antonio Serbelloni olim Episcopo Novariensi sejungere ac dismembrare a parochiali ecclesia s. Mariae Majoris Vallis Vigliettii communitates Albonii et Druonii et in novam parochialem erigere ecclesiam s. Sylvestri ejusdem communitatis Druonii, injuncto onere hominibus et vicinis dictorum locorum Druonii et Albonii solvendi singulo anno curatis dictae parochialis ecclesiae s. Mariae eam primitiam et alia solita ac cum pactis, modis ac formis, prout in facto reperitur. Renuentibus vero dictis hominibus impositum onus subire plures hinc ortae sunt lites, quas tandem diremit transactio inita anno 1659 cum rectoribus ecclesiae s. Mariae Majoris.

Inter caeteras concordiae pactiones altera haec fuit: »Quod communitates et homines Druonii et Albonii teneantur dare et solvere omni anno in quolibet festo Nativitatis D. N. Jesu Christi usque in perpetuum libras 170 imperiales praefatis curatis et eorum successoribus . . . . et illam quantitatem casei usque modo dari solitam et consuetam . . . . et libras tres imperiales pro recognitione baptismatis singulo anno usque in perpetuum.« Altera vero: »Quod ipsi curati et eorum successores teneantur, videlicet aliquis eorum, singulo die Mercurii cujuslibet hebdomadae ire ad celebrandum in ecclesia s. Sylvestri de Druonio missam unam tantum.«

Negligere coeperunt progressu temporis parochi pactionum implementum. Eas idcirco primum excitavit curia ecclesiastica Novariensis decreto anni 1649; iterumque in eamdem negligentiam ipsos relapsos damnavit anno 1764 Vicarius generalis mandans »praedictos RR. parochos debere singulis diebus Mercurii celebrare missam in ccelesia s. Sylvestri illamque applicare pro eisdem communitatibus«. At die 7. Junii jusdem anni ipsemet Vicarius generalis, priori suspenso decreto, jura tantummodo partibus reservavit.

Variis interim hinc inde peractis apud senatum Taurinensem homines tandem Druonii et Albonii preces sacrae Congregationi porrexerunt, petentes confirmationem decreti Vicarii generalis, quo parochi ad missae celebrationem adiguntur. Super hisce precibus audito prius Episcopo concordata fuerunt dubia in calce conscripta.

Ad I. inquiunt homines communitatum Druonii et Albonii, transactionem clarum praeseferre onus parochis injunctum celebrandi missam per se ipsos. Sustinent enim verba illa: »ipsi curati teneantur ire,« non solum significare discessum e loco et accessum ad ecclesiam sancti Sylvestri, sed indicare etiam restrictionem et personalitatem, praesertim ob verba immediate adjecta videlicet *aliquis eorum, Rot. decis. 1178. num. 4. et decis. 680. num. 8. coram Cero et cor. Ansaldo dec. 382. num. 23.* Perperam proinde in re tam clara disceptari.

Onus autem hujusmodi jure parochis impositum fuisse affirmant. Cum enim ipsi jura in transactione sibi reservaverint, quae omnimodam dependentiam ecclesiarum Druonii et Albonii evincunt et certissimum comprobant parochiale munus ipsis inhaerens, aequitati idcirco maxime consonum esse, ut ipsi per se ipsos et non per alios onus missae statuta die Mercurii celebrandae subire

teneantur, *Fagnan. in cap.: Extirpandae* §. *Qui vero num. 4. de praebend., Piton. discept. eccles. 42. num. 17*, eo vel magis, quia sublato personali onere, communitates praedictae ex transactione nihil utilitatis reportassent eaque tota parochis cessisset, quod est contra transactionis indolem et naturam, *cap. qui sentit. de reg. jur· in 6 leg. secundum naturam de reg. jur.*, *Rot. dec. 1232. num. 4. cor. Lancett.*

Nec attendendum, quod nulli praejudicium inferatur sed impleatur pactum celebrationis missae etiam quando parochi per alium huic oneri satisfaciant. Respondent enim, frustra de ratione disceptari, quoties placuit de certo modo specialiter convenire. Necesse in alterius partis arbitrium pactum adimplere per aequipollens, cum ad implementum quisque teneatur ea praecisa forma, quam contrahentes statuerunt, *leg.: Si insulam* et *leg. a Titio ff. de verb. oblig., Rot. dec. 275. n. 5. part. 14. Recen., dec. 745. num. 11. et 12. coram Emerix Jun. et cor. Falconer. decis. n. 3. tit. de empt.*

His adjiciunt observantiam, de qua constare ajunt ex decreto Episcopi Novariensis anni 1649, qui re mature perpensa parochos adegit ad implementum oneris per se ipsos juxta literam transactionis. Adduntque ita semper fuisse usn servatum et exequutum. Favere proinde tum rem judicatam tum pacificam observantiam, quarum alterutra satis esset ad rem etiam dubiam declarandam, *leg. Si de interpretatione ff. de legib., Castren. cons. 348. in fin. lib. 1, Rot. cor. Coccin. dec. 1609. n. 2. et cor. Lancett. dec. 115. n. 14.*

Ad II. Animadvertunt, constantem esse s. Congregationis sententiam pro regula amplexam, ut non celebratio solum sed etiam sacrificii applicatio injuncta censeatur, quamvis de applicatione mentio expresse habita non fuerit. Ab hac regula eo minus recedendum in praesenti casu, quo parochi praeter libras 170 imperiales, quas in compensationem applicationis et incommodi recipiunt, jus etiam habent honorificum cogendi homines Druonii et Albouii ad interessendum divinis officiis in ecclesia s. Mariae Majoris certis temporibus peragendis. Hinc inferunt quod, si parochi decimas et honores sibi vindicant jure parochialitatis, eodem etiam jure missam applicare teneantur, quamvis decimae pro missarum eleemosyna minime sufficerent, juxta decretum *Concil. Trident. sess. 24. cap. 1 de reform.* et statuit Benedict. XIV. in constit.: *Cum semper.**)

Parochi s. Mariae Majoris ad I. contra tuentur, obligationem celebrandi per se ipsos non censeri inductam, cum expressa in transactione non legatur, *Fagnan. in cap.: Ut Abbates num. 52 et seq. de aetat. et qualitat., Adden. ad dec. 108 cor. Ludovic. n. 15., Rot. dec. 825 cor. Merlin.* Verba autem transactionis importare tantummodo onus celebrationis, quod adimpleri potest per alium, quoties expressa prohibitio deficiat, *Pignatell. tom. 7. consult. 2. num. 4. et seqq., Rot. in Tudertina 5. Maji 1728 cor. Calcagnin.*, et in *Majoricen. Beneficii 27. Martii 1743.* §. *9 cor. Vicecomite*, maxime quia missae celebratio singulis diebus Mercurii designata fuit pro commodo et utilitate populi Druonii, ne scilicet is die, qua parochus s. Sylvestri adire tenetur Albonium ad Sacrum peragendum, careret missae sacrificio.

Proferunt ipsi quoque observantiam, quae in dubio transigentium mentem declarat, *leg. Si de interpretatione ff. de legib., Rot. cor. Mollin. dec. 579 num. 21. tom. 2.* De hac constare asserunt ex depositionibus testium affirmantium, parochos retroactis temporibus tam per se quam per alios, absque ulla dd. hominum querela, oneri celebrationis missae satisfecisse. Ita testari praesertim de facto proprio sacerdotem Joannem Baptistam Borgis, qui pluries pro dd. parochis missam celebravit. Hisce autem testibus informatissimis et de facto proprio deponentibus plurimum esse deferendum, *Farinac. de testib. quaest. 63. num. 35, Rot. coram Mantic. decis. 6. num. 9, et cor. Ludovis. dec. 172. n. 5.*

Addunt, onus hoc apud ipsos fuisse etiam ante transactionem, qua non aliud actum fuit, quam celebrationis diem praefinire. Tunc autem parochis licuisse onus implere per alium. Hinc illaesam mansisse libertatem etiam post transactionem, quae aliter non disponit expresse, cum transactio sit contractus stricti juris neque ad casus non expressos trahi possit, *Bald. in leg. sub praetextu num. 7, Cyriac. controv. 874 num. 9, Urceol. de transact. quaest. 8. num. 5, Rot. cor. Molines. dec. 827. num. 12. part. 2. tom. 5*; praesertim quia post transactionem non solum aucta non fuerunt, sed longe imminuta emolumenta et primitiae parochis solvendae; quare inverosimile est iri voluisse in pactionem, ut novum onus parochis adjiceretur.

*) Vd. *p. 695.*

Ad II. ajunt, missae applicationem nec ex verbis transactionis neque ex transigentium mente posse desnmi. Literam transactionis ferre dumtaxat onus celebrationis, ab hoc autem onere inferri non posse ad obligationem applicationis, cum hoc sit onus a celebratione diversum, *Barbosa ad Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. num. 4. in fin., Pignatell. consult. 138. num. 3. tom. 1, Rot. in Hispalen. Applicationis missae 14. Junii 1751. cor. Emo Migazzi.*

Mentem vero transigentium eam fuisse, ut prospiceretur populi utilitati, quemadmodum referunt testes; hinc inferri, volitam quidem fuisse celebrationem, non vero applicationem, *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 3. num. 46, Pignatell. tom. 1. consult. 138 n. 3*, fortius, quia ante transactionem parochi ad solam celebrationem tenebantur, et quia rursus in aliis locis, quae membra sunt ecclesiae matricis s. Mariae Majoris et ad quae singulis hebdomadis accedunt, nullum habent onus applicationis.

Hac autem super re sibi favere contendunt observantiam eamque desumunt tum ex testimonio sacerdotis de facto proprio deponentis, cui plurimum adhaerendum existimant ad excludendam applicationem, *Pignatell. consult. 219, num. 1. tom. 4, Rot. in dicta Hispalen. cor. Elephantutio* §. *3*, tum etiam ex deficientia libri seu tabulae, in qua vel onus applicationis recenseatur vel aliquis ex curatis aut alter missas ibidem celebratas conscripserit, ut fieri de more debuisset. Et in quavis dubietate standum esse pro applicationis exclusione, cum in dubio pro oneris exclusione sit ferendum judicium, *leg. quidquid 99. ff. de verb. oblig., Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 3. num. 48, Pignatell. tom. 1. consult. 38. num. 4.*

Nihil faciendum esse dicunt votum Vicarii generalis Novariae adhaerentis applicationi. Observant enim, sac. Congregationem non Vicario sed Episcopo supplicem libellum remisisse ejusque votum requisivisse. Vicarium in hac ipsa causa sententiam pronunciasse anno 1764 favore communitatum ac proinde quasi coactum mentem suam aperuisse secundum id, quod decreverat. Ipsum praeterea valde suspectum ex eo habendum esse, quod mentionem nullam fecerit posterioris decreti, quo sententiam a se latam revocavit. Falsum denique ex eo dignosci, quod onus applicationis tacite injunctum dixerit, etiamsi non fuerit expressum.

Duae itaque sunt quaestiones: *altera de celebratione per se ipsum, altera de applicatione.* Ad utriusque resolutionem praestat inprimis animadvertere, ad inducendum onus celebrationis per se ipsum necesse non esse, ut in fundatione cautum id fuerit verbis expressis, sed satis esse, id colligi posse ex aequipollentibus verbis, *cap.*: *In his de verb. oblig., Fagnan. in cap.: Ut Abbates de aetat. et qualit. num. 76.* Quare cum quidam testator disposuisset, ut sui haeredes nonnulla bona darent cuidam clerico »cum onere, ut cui dederint ille teneatur pro anima etc. celebrare annuam missam cantatam in qualibet annali die mortis ipsius testatoris,« proposito dubio:

An is, qui vult consequi tale legatum, debeat esse sacerdos et teneatur per se ipsum missam celebrare?

sac. haec Congregatio die 28. Junii 1605 respondit: Quoad celebrationem missae posse etiam huic oneri satisfacere per alium, nisi fundationi, praeter expressa, insint alia verba, quae significent, ut per se ipsum id muneris expleat.

Alii esse possunt casus, in quibus obligatio celebrandi per se ipsum, tametsi nominatim non dicta, injuncta nihilominus censeri debeat aequipollenter ex tenore dispositionis et ex vi verborum, quibus testatores usi sunt in onere imponendo. Ex his casibus nonnullos a sac. Congregatione definitos hic infra subjicio ad quaestionis ornatum. Post sequutam cujusdam capellaniae erectionem, cum praesentari debuisset capellanus, »qui serviat in divinis eidem capellae et ibidem continue divina celebret, missam et officia nocturna et diurna et residentiam continuam faciat juxta ecclesiam s. Andreae et serviendo d. capellae«,

quaesitum fuit: *An rector ejusdem capellae teneatur residere et subire onera per se ipsum?* Et sac. Congregatio die 20. Julii 1600 censuit: Rectorem teneri residere et munia hujusmodi explere per se ipsum.

Praeterea in disceptationem venit fundatio his verbis concepta: »Quod capellani et quilibet illorum debeat dicere pro anima mea in capella 192 missas recitatas quolibet anno in perpetuum . . . Item quod sit presbyter bo-

nus christianus, bonae vitae et famae, et non habeat onus alicujus officii nec obtineat aliquam praebendam, vicariam, rectoriam nec curatum nec aliquod aliud beneficium, sed quod solum debeat se occupare et assistere servitio istius meae capellae et non in aliqua alia re sive praebenda.« Dubitatum fuit: *An capellanus teneretur praecise per se ipsum celebrare?* Die 12. Maji 1606 responsum fuit: Secundum ea, quae proponuntur, teneri celebrare per se ipsum.

Insuper actum est de alia fundatione, in qua haec legebantur: »Omne incrementum et lucrum proveniens ex summa 500 scutorum dari debeat capellano, qui dictae societati in divinis inserviat..., et quod Sylvester Oliverius, si voluerit pro capellano societatis inservire, caeteris praeferri debeat.« Sac. autem Congregatio censuit die 23. Februarii 1608: Ex dictis verbis, quae Sylvestrum praeferri mandant, eum per se ipsum inservire teneri.

Denique aliis omissis post dotationem cujusdam capellaniae propositum fuit examen conditionum, quae in ea legebantur, videlicet »ut beneficialis ipsius ecclesiae seu capellae rector omni die seu saltem quinquies in hebdomada missam in dicta ecclesia celebrare teneatur, justo tamen impedimento cessante, et si negligens fuerit vel remissus ad celebrandam ipsam missam seu ipsam missam non celebraverit, beneficiatus incurrat poenam solidorum... pro qualibet vice convertendam in utilitatem ecclesiae.« Sac. Congregatio hac super re consulta decrevit: »Ex verbis fundationis teneri obtinentem hujusmodi beneficium per se ipsum celebrare« ut refert *Fagnan. in citat. cap.: ut Abbat. n. 78.*

Secus vero constanter respondit, quoties a fundatione abessent verba, quae saltem aequipollenter personale hujusmodi onus praeseferrent, ut variis adductis resolutionibus probat *Fagnan. eod. in loc. num. 65. et seq.* et *Pignatell. consult. canonic. lib. 7. tom. 2.*

Exemplum prae omnibus habetur in *Januen. Capellaniarum*, in qua religiosi Carmelitae contendebant, injunctum capellanis fuisse onus celebrandi per se ipsos, quod elicere conabantur ex verbis a testatore adjectis: »Primieramente debbano pagare ogni anno il provento di luoghi dieci di essi ad un sacerdote da essi eligendo, che dovrà celebrare ogni giorno all' Alba per commodità della povera gente.« Et inferius: »Quando stimassero, che quel sacerdote, che dirà detta messa non avesse sufficienza o genio per far lé scuole.« Insuper haec addiderat: »Dicendo però la messa quotidianamente, ed offereudo il Sacrificio.« Ac demum ita dispositionem concluserat: »Li sudetti sette cappellani dicano a vicenda un mese per uno la messa all'Alba, per non dar sempre questo incommodo al maestro della scuola.« Sacra enim Congregatio hac perpensa dispositione die 14. Aprilis 1726 rescripsit: Posse satisfieri oneri celebrationis missarum etiam per alium.

Ponderandum est itaque: num verba illa transactionis: »Quod ipsi curati et eorum successores teneantur, videlicet aliquis eorum singulo die Mercurii cujuslibet hebdomadae ire ad celebrandum,« quamvis non aperte implicite tamen et aequipollenter personale onus importent celebrandi per se ipsos, num insuper quidquam quoad dictum personale onus desumi possit ab observantia vel saltem ex juribus parochialitatis, quorum aliqua parochi s. Mariae Majoris sibi reservarunt.

De altero disputationis capite Vicarius generalis Novarien. haec habet: »Censui onus celebrandi ab obligatione applicandi nullatenus sejungi posse, sequendo hujusce supremae Congregationis regulam, juxta quam onus applicationis censetur tacite injunctum, etiamsi non exprimatur, quoties verbis expressis aut validis conjecturis non apparet de contraria voluntate ejus, qui missas celebrari mandavit; istamque regulam eo certius in casu sequendam putavi, quia ex toto transactionis contextu ne minima occurrit conjectura, volitam fuisse dictae missae celebrationem ad solum populi commodum, satisque congruum est missae stipendium, ut respondere valeat incommodo parochorum et consuetae eleemosynae missarum cum applicatione.« *)

Circa eamdem rem plura dicta sunt in folio causae, cui titulus *Tridentina Applicationis missarum dici 27. Februarii proxime elapsi.* Videndae etiam resolutiones in *Camerinen. Celebrationis missarum 25. Martii et 18. Aprilis 1722*, in *Ferrarien. Applicationis sacrificii 11. Junii 1729*, in *Mediolanen. Applicationis missarum 11. Maji 1748.*

Ex his itaque dignoscent EE. PP. quid respondendum sit sequentibus dubiis:

I. *An parochi ecclesiae s. Mariae Majoris Vallis Viglietii et eorum pro tempore successores teneantur, scilicet aliquis eorum, singulo die Mercurii cujuslibet hebdomadae ire ad celebrandum per se ipsum missam in ecclesia curae s. Sylvestri de Druonio in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An iidem parochi teneantur applicare dictam missam pro populo curae s. Sylvestri in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative et amplius.
Ad II: Negative et amplius.
Die 14. Maji et 4. Junii 1768.

*) Vd. *p. 806 n. 6. I; p. 809 n. III; p. 816 n. V*

XXXI. Obligatio parochi non est deficiente populo.

Montis Alti.

Quae olim in agro Montis Elpari ruralis erat paroecia, cui nomen s. Petri de Roncone, ea ad oppidum translata fuit imperio s. m. Alexandri IV., ceu constat ex bulla data *die 11. Julii 1256.* Hanc ecclesiam possidebant moniales Damianistae, quae erant Asculi in monasterio s. Angeli, quod postea traditum fuit patribus Montis Qliveti eisque unita bona omnia, quae a monialibus possidebantur et a paroecia s. Petri in oppido Montis Elpari, ut constat ex altera bulla s. m. Pii II. edita die 12. Augusti anni 1660. Paroecia hujusmodi s. Petri numquam habuit certos limites, sed certis constabat familiis, quae anno 1791 prorsus exaruerunt, et abhinc populo omnino caruit. Monachi Olivetani, qui antea celebrationem missae pro populo cum sola praesentia in parochiali ecclesia s. Petri praestabant et applicationem in ecclesia s. Angeli monasterii Asculi faciebant, cessarunt ab applicatione, postquam anno 1791, ut antea dictum est, paroecia s. Petri omni prorsus populo orbata remansit.

Qua ex re in s. visitatione commotus modernus Episcopus Montis Alti censuit Vos consulere EE. PP. propositis in relatione status ecclesiae postulatis: Utrum deficiente populo paroeciae s. Petri tenerentur Monachi missam pro populo nihilominus applicare diebus festis vel saltem tenerentur sacrificium offerre die s. Titularis et aliquando intra annum. Eidem itaque commissum est, ut auditis Monachis referret, quae ad dirimendam controversiam essent opportuna, suamque adderet sententiam. Ex transmissa informatione praeter ea, quae superius exposita sunt quaeque Episcopus confirmat, haec scire praestat. *Hanc ecclesiam jam in oppido constitutam et fontem baptismatis retinuisse comperio ex actis s. visitationis anni 1698 et decimas praediales exegisse usque ad praesentem diem et propria quaedam bona habuisse ab anno 1664 ad annum usque 1736. Ex actis enim plurium ss. visitationum intercipiendos redditus minitati sunt Episcopi, nisi decreta exequutionem habuissent et hi redditus in scutatis 95 in visitatione indicantur. Census omnium bonorum, quae a monachis s. Angeli in Monte Elparo habentur et ad Moniales s. Petri pertinebant, nunc in publica census tabula ad scuta 6700 constituitur. Saepius Episcopi cum Monachis de hac ecclesia disceptarunt. Novi etenim ex tabulario ab anno 1592 usque ad annum 1736 in eadem ecclesia obligationem celebrandi bis in mense fuisse. Immo superioribus temporibus bis in hebdomada sacrificatio constituta erat, ex cujus oneris neglectu quatuor minarum decreta prodiere. Sed ab eo tempore, id est ab anno 1736 ad diem nostrum (nescio, an jure legitimae translationis aut reductionis) sacrificia non fiunt. Fuit et altera quaestio usque ab anno 1721 renovata anno 1737 de missae applicatione pro populo. Celebrabatur enim cum praesentia, ut ajunt, in ecclesia Montis Elpari, applicatio vero in monasterio Asculano reservabatur. De qua re cum theologorum opinionibus monachi contendissent liberum id esse parocho, Episcopos decessores siluisse reperio. Sed tamen longaevi Abbatis et cum laude nominandi moderni Valeriani Malaspinae dignissimo testimonio usque ad annum 1791, quo defecit paroecia, in monasterio s. Angeli Asculano applicatio pro populo facta est, non omissa in Monte Elparo celebratione cum sola praesentia in festivis diebus. De tempore, quo missa non amplius pro populo offertur, quod a me quaeritur, jam a tempore defectus animarum id factum est, videlicet ab anno 1791, quo unica familia Nissa tribus animis comprehensa in Ripana dioecesi novas sedes sibi comparavit, cujus superstes adhuc unus est.*

Primum dubium respicit controversiam quoad celebrationem et applicationem missae pro populo duasque habet partes. Primum quaeritur: *Num monachi Olivetani teneantur ad celebrationem missae pro populo, licet populus in paroecia s. Petri prorsus deficiat?* Deinde: *Quatenus teneantur, num celebrare possint hanc missam cum sola praesentia in ecclesia parochiali et applicationem facere in altera ecclesia s. Angeli monasterii Asculani?*

Cum applicatio missae pro populo facienda sit a parocho ratione sui muneris, ut definivit s. Congregatio in *Tyburtina Missae pro populo 21. Nov. 1801,* hinc censet Episcopus, quod persistente adhuc munere parochiali facienda sit applicatio, nihilominus quod populus deficiat, maxime *cum adhuc ecclesia maneat* (ut ipse sua informatione prosequitur) *et populi oblationes conferantur, cum decimae exigantur, adsint etiam defunctorum corpora et jus omne in monachos honoris et utilitatis derivatum sit ea lege, ut onera sancte solvantur, praesertim cum populo de Monte Elparo, licet de alia paroecia onus adhuc sit solvendi et sine sacrificio nullum ei commodum obveniat.*

Contra monachi in scriptis mihi exhibitis contendunt quod ex Tridentino *sess. 23. cap. 1. de reform.* mandatum sit parochis *oves suas agnoscere et pro his sacrificium offerre,* et ex *constit. Benedicti XIV. Cum semper oblatas*)* §. *2.* eisdem parochis injunctum esse*: Missam parochialem applicare pro populo ipsorum curae commisso.* Quare, licet munus parochiale secumferat onus offerendi sacrificium pro ovibus suis, attamen deficiente populo cessat parochis obligatio, ut pro ovibus, quibus carent, sacrificium offerant. Quo fit, ut, licet ecclesia parochialis haberet bona et perciperet adhuc decimas, non tenerentur Monachi missam pro populo applicare. Etenim haec applicatio facienda est non ratione congruae sed ratione officii parochialis. Caeterum negant monachi, quod bona quae possident et jus decimandi pertineant ad ecclesiam parochialem. Nam haec bona spectabant olim ad moniales Damianistas, ut constat ex bulla Alexandri IV. edita anno 1256, cujus initium: *Religiosam vitam*, et postea ex unione facta a Pio II. in monachos Olivetanos transierunt. Decimae vero plerumque super bonis propriis a monachis exiguntur, neque probatur, quod ex jure decimandi parochiali derivent. Quin ad hanc applicationem cogi possint, seu quod sepulchra defunctorum in parochiali ecclesia s. Petri existant seu quod incolae Montis Elpari decimas solvunt et privantur hoc sacrificio. Nam parochi teneantur offerre sacrificium pro ovibus suis, inter quas defuncti recenseri non possunt, ac proinde ubi deficit populus non tenentur applicare pro defunctis. Ex decimis vero, quas pensitant incolae Montis Elpari monasterio, non sequitur ut ipsi possint cogere parochum s. Petri ad applicationem, cui ipsi non subsunt nec decimas ei tradunt ob jus parochiale.

Haec in utramque partem quoad obligationem applicandi missam pro populo. Si EE. PP. suffragia in affirmativam sententiam inclinant, tum et altera dirimenda erit controversia: utrum applicatio facienda sit in ipsa ecclesia parochiali seu potius in ecclesia s. Angeli monasterii Asculani celebrata missa, cum sola praesentia in ecclesia parochiali, id quod respicit *modum* faciendae applicationis, ad quem respicit altera dubii pars. Jam alias Episcopi dubitarunt: *Num monachi possent in ecclesia monasterii applicare sacrificium* et exquisita a monachis theologorum sententia censuerunt id fieri posse, tum quia ubi parochialitas, ut ajunt, residet apud monasterium, onus applicationis pertinet ad monachos, qui in propria ecclesia huic oneri satisfacere possunt, quemadmodum, si cura actualis residet penes capitulum, Canonici in propria ecclesia missam pro populo applicant, tum etiam quia sacrificium missae quocumque loco oblatum a parocho proficuum est ovibus, pro quibus sacrificium offerre tenetur.*)

Secundum dubium respicit missas, quae a monachis celebrandae sunt in ecclesia parochiali. Episcopus affirmat olim in hac ecclesia s. Petri bis in hebdomada et posterius bis in mense celebratas fuisse missas, sed haec Sacra ab anno 1736 omissa fuisse constat, idque factum necne fuisse ex obtenta reductione aut translatione omnino latet. Nunc Episcopus putat teneri monachos ad celebrationem saltem in die festo s. Titularis et aliquando intra annum. Neque in hac re monachi repugnant. Nam testes producunt se celebrationem ultro praestare diebus dominicis et in die festo s. Titularis.

Tertium dubium respicit absolutionem quoad praeteritum, quatenus EE. PP. censeant eos teneri ad applicationem missae pro populo, quam omiserunt ab *anno 1791,* vel ad celebrationem aliarum missarum. Sane in eis non deficit bona fides, cum missam pro populo applicare neglexerint ea opinione ducti, quod omnino haec obligatio cessaret, postquam populus parochialis omnino defecit. Pro caeteris vero missis incertum est num

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *p. 896 n. XIV.*

ipsi reductionem vel translationem obtinuerint, ut Episcopus affirmat.

Concurrente vero bona fide absolutio quoad praeteritum concedi solet, ut passim definivit sac. Congregatio et praecipue in *Romana Reductionis ad II. dubium 17. Aprilis 1771.*

I. *An et quomodo per patres Olivetanos sit applicanda missa pro populo in parochiali ecclesia s. Petri Montis Elpari in casu?*

II. *An et quando sit locus celebrationi missarum intra annum in eadem ecclesia s. Petri in casu?*

III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative durante deficientia populi.

Ad II: Affirmative omnibus diebus festis de praecepto et die festo s. Titularis.

Ad III: Affirmative celebratis infra annum missis centum pro omnibus omissionibus.

Die 17. Maji 1806.

XXXII. Obligatio estne parochi duas missas pro populo applicandi, ut hactenus mos erat, et Episcopus potestne concedere licentiam binandi?

Vd. *supra p. 876. n. III; p. 953. XXVII.*

Salamantina.

Episcopus Salamantinae dioecesis in Hispania in relatione status ecclesiae suae ad hanc s. Congregationem die 27. Septembris 1857 transmissa sequentia exposuit:

»Ducentae circiter paroeciae in hac dioecesi extant, quae aliam ecclesiam filialem sibi adnexam habent, in qua parochus diebus dominicis et festis per annum secundam missam celebrat: et circa hanc consuetudinem diversa dubia suboriuntur, super quibus declarationem necessariam a sacra Congregatione humiliter expostulo. Et primo animadvertere debeo, quod fidelium numerus juxta has ecclesias commorantium valde varius est: in aliquibus sunt quinque aut decem, in aliis ducenti immo et sexcenti. Distantia a matrice modo ad milliarium non attingit, modo sunt duo, tria aut quatuor milliaria. Valde difficile foret etiam post exquisitam investigationem definire: utrum hae ecclesiae, nunc filiales, fuerint aliquando ecclesiae matrices seu verae paroeciae.«

Quaerebat igitur:

»1. *Utrum haec consuetudo secundam missam celebrandi toleranda sit in omnibus praedictis ecclesiis adnexis, ubi hic mos ita invaluit, ut populus etiam jus ad illam exigendam existimet se habere?«*

»2. *Utrum parochus necessario debeat illam secundam missam applicare pro populo sicuti primam vel liberam retineat illius applicationem cum stipendio?«*

»3. *Utrum licentiam dare queat Episcopus ad illam secundam missam celebrandam in casibus similibus et in locis ubi talis consuetudo usque adhuc non invaluit?«*

»4. *Utrum praesertim praedictam licentiam concedere possit tempore collationis messium, cum plurimi operarii in uno praedio seu villa concurrunt, qui certe missam non audient, nisi parochus secundam in eo loco dicat, ex eo quod alius sacerdos ad illam dicendam haberi non possit?«*

Ut securiori via ad hujusmodi proposita dubia resolvenda s. Congregatio procederet, visum est eumdem Episcopum rogare, ut magis praecise referret de omnimoda deficientia sacerdotum, quibus per alium celebrari posset in filialibus ecclesiis et utrum ecclesiae modo filiales nuncupatae dotem aliquam seu congruam distinctam a matrice haberent, perquisitis ea propter actis curiae ac ss. visitationum.

Promoto tunc interea temporis Salamantino Praesule ad Burgensem archiepiscopatum ipsius successor hodiernus Antistes injuncto mandato satisfecit literis 25. Maji 1859 ad H. S. O. transmissis in quibus haec habet:

»Praedecessoris nostri, inquit, mens, ni fallor, in primo postulati dubio fuit interrogare de iteratione sacrificii, de qua loquitur *Benedictus XIV. lib. 6. cap. 8. num. 2. et 3. synodi dioecesanae*, ubi haec habet: »Quidquid vero sit de hujusmodi theologorum quaestionibus, hodie unus dumtaxat superest casus, quo sacerdoti fas est uno eodemque die geminum offerre sacrificium, si nempe idem parochus duarum parochiarum curam gerat, quae ad invicem longo satis intervallo dissocientur, ex quo fiat, ut vix aut ne vix quidem utriusque paroeciae populus in unam se conferre possit ecclesiam ad Sacrum audiendum. In quo rerum statu consors omnium opinio est, parochum nedum posse sed plane teneri bis eodem die missam celebrare ac, postquam in una parochia missam expleverit, ad aliam accedere, ne alterutrius ecclesiae

populus die festo a Sacro audiendo excludatur. Attamen praefati summi Pontificis verba ad mentem Suae constitutionis »*Declarasti Nobis*« *) sunt intelligenda, in qua aperte tradit: Tunc solummodo permitti potest die festo missarum celebrationem iterari, ne alterius parochiae populus solemni sacrificio careat, cum nemo praeter parochum adest, qui in altera ex parochiis celebrare valeat. Ast ubi alii suppetunt sacerdotes, qui in secunda parochia rem divinam facere possint, praedictae disciplinae indulgentia locum non habet.«

Hac in dioecesi sicuti in Oscensi, quae constitutionis Benedictinae occasionem dedit, aliisque Hispaniarum quamplurimis multi sunt casus duarum parochiarum, quae sub uno eodemque rectore ab antiquo sociatae sunt et in ambabus a parocho diebus festis missae sacrificium celebratur. Cum autem praelaudatus Pontifex nomen parochiae adhibeat in his textibus, existimavit, ut opinor, antecessor noster, vocem hanc stricte esse intelligendam, ita ut permissio duplicem missam celebrandi solummodo locum habeat in illis parochis, quibus duarum parochiarum disjunctarum seu stricte sumptarum cura injuncta sit, non vero in iis quibus, licet duorum populorum vel ecclesiarum regimen gerant, una tantum sit stricte dicta parochia ex duobus populis seu ecclesiis composita, cujus altera matrix, altera vero filialis seu adnexa dicitur, cujus generis abs dubio sunt hujus dioecesis ecclesiae, unius ejusdemque pastoris regimini subjectae.«

Deinde ita pergit:

»1. Omnibus nota est omnimoda deficientia sacerdotum, qui ecclesiis filialibus seu adnexis modo supra exposito, tamquam parochorum coadjutores, inservire vel saltem in diebus festis celebrare possint. Ob vicissitudines, quas passa est Hispana ecclesia, tantopere imminutus est clericorum numerus, ut propter eorum inopiam frequenter cogantur Episcopi eidem parocho praeter propriam aliam parochiam distinctam committere, donec de idoneo provideatur rectore. Hisce in angustiis quomodo invenientur qui in ecclesiis filialibus seu adnexis diebus festis missam celebrent?«

»2. Non minore notorietate constat de deficientia mediorum ad clericos in hisce adnexis ecclesiis alendos; quae quidem causa fuit saeculis elapsis, cur hae ecclesiae modo filiales nuncupatae alteri adnectarentur seu consociarentur, ut ab uno eodemque parocho regerentur et ita congruam sustentationem parochus haberet. Si enim hoc factum est, quando ecclesia Hispana decimarum aliarumque obventionum jure potiebatur, quomodo in praesentiarum ad egestatem redacta provideri potest filialibus ecclesiis de sacerdotibus, qui diebus festis in illis missam celebrent?«

»3. Olim congrua parochorum, qui duas ecclesias, matricem nempe et filialem, regebant, ex decimis seu ex fructibus amborum populorum constituebatur, nunc vero quantitas pecuniaria decimarum subrogatione assignata est, et pro congrua parochi et pro fabricae seu cultus necessitatibus singulis parochis assignata est quantitas certae pecuniae juxta parochiarum quadruplicem classem seu categoriam, quin majorem dotem recipiant, qui duas ecclesias, matricem scilicet et filialem regunt, quam qui unam tantum ecclesiam sive populum, cum nulla ratio habeatur harum adnexarum ecclesiarum ad parochi sustentationem definiendam. Uno verbo: Parochi, qui duorum populorum vel ecclesiarum canonice et permanenter adnexarum atque unicum beneficium constituentium curam gerunt, eamdem congruam percipiunt ac alii qui uni tantum populo vel ecclesiae praesunt, si intra eamdem categoriam adnumerentur. Idem accidit in dotatione pro fabricis assignata, quae quidem in primo casu sumptibus duarum ecclesiarum applicatur, in secundo vero uni tantum ecclesiae, licet eadem sit pecuniae quantitas.« Hactenus Episcopus vel potius Episcopi, nunc ergo ad rem propositam.

Liquido constat ex historiae ecclesiasticae monumentis a primis ecclesiae temporibus usum obtinuisse, ut sacerdotes pluries una eademque die divina mysteria celebrarent, *Christianus Lupus in scholiis ad decr. 1. Alex. II. tom. 3. operum fol. 197. edit venet., Edmundus Martene de antiq. eccles. ritib. l. 1. cap. 3. art. 3, Card. Rona rer. liturg. lib. 1. cap. 18. §. 5. et seqq., Pontas in dictionar. cas. conscient. v. Missa casu 15,* donec sive sub Leone IV. ann. 847, ut nonnulli opinantur, sive sub Alexandro II. ultra dimidium saeculi undecimi seu potius sub Innocentio III. anno 1212 Sacrum uno eodemque die iterari sacerdoti vetitum fuit.

*) Vd. *Missae* (duae non sunt legendae ab uno sacerdote etc.)

Interrogatus enim laudatus Pontifex a Wigornien. Episcopo: »Utrum presbyter duas missas in eadem die valeat celebrare? respondit (*cap.: Consuluisti 3. de celebr. miss.*): Excepto die Nativitatis dominico, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare. Quo in capite cum verbum *sufficit* non simplex consilium contineat nec convenientiam aliquam commendet, sed veram necessitatem verumque praeceptum inducat, uti aperte docet Benedictus XIV. in sua constitutione ad Oscensem Episcopum »*Declarasti Nobis*«, jure consecutum est, ut Innocentiana responsio naturam verae legis induerit in universa ecclesia observandae, excepta tantum causa necessitatis, quae eodem die iterari sacrificium postularet. Quaenam porro hujusmodi debeat esse necessitas, non parum inter doctores disputatum est, praesertim cum glossa ipsa in cit. *cap.: Consuluisti* hujusmodi necessitatis causam addiderit honestatis vel utilitatis, dummodo res sit non de utilitate celebrantis sed missam audientis. *Abbas in dict. cap. n. 2.* aliique. Hodie vero praesertim post memoratam Benedictinam constitutionem communis est theologorum sententia, qua necessitatis casus ad missam eodem die iterandam is in praxi reputetur, quo presbyter duas paroecias habeat et in alterutram nequeat populus convenire nec alius praesto sit sacerdos praeter parochum, qui missam valeat celebrare. Nec basimilis ad hunc effectum reputatur esse etiam casus, quo parochus, etsi minime praesit duabus paroeciis, vel duos tamen regat populos adeo inter se dissitos, ut alter ipsorum parocho celebranti nullatenus adstare valeat ob maximam locorum distantiam vel, tametsi una tantum sit ecclesia, in qua missa a parocho iteranda sit, universus tamen populus in ea insimul adesse non possit. Hi quippe duo casus eodem jure censendi sunt, uti post *Theophilum Raynaudum tom. 17. oper. edit. Lugdun. pag. 8.* animadvertit laudatus Pontifex Benedictus XIV. in cit. sua ad Episcopum Oscensem constitutione. His ergo occurrentibus circumstantiis, omnino deficiente alio sacerdote qui aliud sacrificium offerre valeat, legitima, juxta hodiernam ecclesiae disciplinam, aderit iterandi sacrificii necessitas. Quacumque propterea alia causa remota sive ex deficientia mediorum, quae suppeditandae alio sacerdoti pro missae sacrificio eleemosynae non sufficiant, sive ex quacumque consuetudine etsi vetustissima, quae adduci aliquando potuit, uti revera obtinebat in casu Benedictinae constitutionis relate ad parochos Oscensis dioecesis, sacrificium iterare parocho non licebat, uti doctissime demonstratum est ab Emmo Zelada in voto quod edidit in *Dertusen. 20. Augusti 1768.* In quo nonnullae etiam afferuntur resolutiones hujus s. Congregationis, ex libris decretorum desumptae, quibus H. S. O. ob deficientiam supradictae necessitatis constanter iterando sacrificio locum non esse respondit.

His positis ad ea modo veniam quae propius attingunt dubia ab Episcopo Salamantino proposita. Nihil ipse in praemissis ad sua dubia habet de vera deficientia alterius sacerdotis praeter parochum, qui secundam missam celebrare valeret in filialibus ecclesiis, sed in medium solummodo profert quandam consuetudinem, qua per ipsos parochos missae sacrificium iteratur. Praesul vero, qui eamdem modo regit ecclesiam, jam ab initio suarum literarum mentem praedecessoris sui explicans juxtra tramites actualis ecclesiasticae disciplinae super iteratione sacrificii, non in vim consuetudinis, resolutionem dubii ab EE. VV. rogat, sed ex deficientia sacerdotum, quae necessariam reddere videtur sacrificii iterationem.

Generica nimis existimari forsan deberent ea, quae laudatus Episcopus refert de hujusmodi defectu sacerdotum. Cum enim, ut superius videre est in suis literis, de universali loquatur imminutione clericorum in Hispania, quam omnibus notam esse ait, dubitari adhuc posse videtur, utrum reapse in omnibus supradictis ecclesiis vel in aliquibus saltem absolute deficiat sacerdos, qui secundam missam possit celebrare. Viderint tamen EE. VV.: utrum ex ipsa universali deficientia sacerdotum, qui in ecclesiis filialibus seu adnexis tamquam parochorum coadjutores inservire vel saltem in diebus festis celebrare possint, satis certo argui valeat, eam praecise adesse in casu necessitatis causam, quae ad iterandum sacrificium requiritur?

Ceterum filialium a parochiali ecclesia distantia ab uno circiter lapide usque ad tria et quatuor milliaria protenditur et fideles, etsi in multis ecclesiis usque ad biscentum et sexcentum ascendant, in nonnullis tamen nonnisi quinque vel decem tantum reperiuntur. Qua peculiari circumstantia motus recolendum esse duxi responsum ab Emmis Patribus

editum die 12. Januarii 1847 in *Lingonen.* per summaria precum proposita. Agebatur pariter in supplici libello Lingonensis Episcopi de consuetudine, qua nonnulli animarum pastores missam iterabant eodem die, et insimul proponebatur, adesse quamdam communitatem uno circiter milliario a parochiali separatam et viginti circiter personis constantem; duplici proinde responsione preces dimissae fuere, nempe: »Scribatur Episcopo ut concedat bis missam celebrandi licentiam, quatenus eae circumstantiae et praecisae necessitatis casus concurrant, quos Bened. XIV. in sua constitutione »Declarasti Nobis« requirit; in casu vero quem idem orator (Episcopus) proponit licentiam esse concedendam.« EE. Vestrarum ergo sapientiae erit judicium ferre, utrum dubia Salamantini Episcopi eamdem mereri valeant responsionem.

Nunc expendenda veniunt quae in supra memoratis casibus peculiariter respiciunt vel obligationem missae pro populo vel iteratae missae stipendium.

Extra omnem controversiam positum est, animarum curatores, sive parochi proprie dicti fuerint sive vicarii perpetui ecclesiarum parochialium aut etiam ad nutum amovibiles et brevi etiam tempore curae animarum addicti, jure divino*) teneri missam applicare pro populo sibi commisso; *Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.*, Benedict. XIV. constitut.: *Cum semper oblatas***) §. *Qui enim*, et passim s. Congregatio in thesauro resolutionum. Quod quidem onus ita ipsis inhaeret, ut magna etiam occurrente exiguitate reddituum nonnisi de speciali facultate ab applicatione missae statutis diebus valeant dispensari, eaque insuper adjuncta lege, ut infra hebdomadam totidem ipsi missas applicare teneantur pro populo, quot in festis pro pio aliquo benefactore eleemosynam offerrente celebraverint.

Hac posita obligatione non raro ab hac sacra Congregatione quaesitum est, quid relate ad missam pro populo ab iis parochis foret observandum, qui duabus paroeciis essent addicti, et constanter H. S. O. respondit, hujusmodi parochos minime solutos esse a missae applicatione pro utriusque parochiae populo, nisi forte paroeciae plenaria et extinctiva fuerint unione conjunctae, ceu formiter discusso articulo declaratum habetur in *Lucen. Applicationis missarum pro populo 12. Martii 1774,**) in qua proposito dubio: »*An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alios applicare pro populo in casu?* Eminentissimi Patres responderunt: Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva, et scribatur Episcopo juxta instructionem.« Instructio vero continebat s. Congregationem numquam dubitasse, quod parochi teneantur applicationi supradictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae sunt atque incorporatae, cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit. Nec secus ab hac doctrina judicatum fuit in *Oveten. 18. Nov. 1826,***) etsi Emmi Patres decreverint: Parochum ecclesiarum s. Mariae in Campos et ss. Salvatoris de Salave Ovetensis dioecesis ad duplicem applicandam missam non teneri. Eo enim in casu agebatur de ecclesiis a ducentis annis ita inter se unitis, ut, licet in unaquaque ecclesia independenter ab altera praecipua exercerentur parochialia jura, unus tamen erat populus. Qua ratione ductus Episcopus ipse ajebat: »Non possum non asserere convenientissimum fore, ut non binas, sed unicam tantum missam pro populo parochum applicare teneri sacra Congregatio decernat;« merito igitur Eminentissimi Patres in Episcopi vota cesserunt.

Illud ergo esset inquirendum in praesenti quaestione, cujusmodi nempe sit unio, qua ecclesiae filiales, de quibus agitur, adnexae vel consociatae fuerint paroeciis in Salamantina dioecesi. »Valde difficile foret, ita Episcopus in sua relatione, etiam post exquisitam investigationem definire, utrum eae ecclesiae, nunc filiales, fuerint aliquando ecclesiae matrices seu verae paroeciae.« Quibus verbis satis indicare videtur, in dubio etiam quod aliquando fuerint, easdem filiales ecclesias nunc reapse non esse proprie dictas parochias.

Idque magis etiam hodiernus Antistes ex-

*) Vd. *p. 921, 930.*
**) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *supra p. 953.*
**) Vd. *supra p. 956.*

plicat in citatis suis literis 25. Maji 1859, dum ait, in sua dioecesi adesse parochos, quibus, licet duorum populorum vel ecclesiarum regimen gerant, una tantum sit stricte dicta parochia ex duobus populis seu ecclesiis composita, cujus altera matrix, altera vero filialis seu adnexa dicitur, cujus generis abs dubio sunt hujus dioecesis ecclesiae, unius ejusdemque pastoris regimini subjectae. Cum igitur ex utriusque Episcopi relatione parochi supradicti non binas proprie dictas parochias, sed unam tantum administrent, consequens inde foret, ut de una tantum missa pro populo obligati esse viderentur, nisi potius ex supramemoratis Episcopi verbis »duorum populorum regimen,« »parochia ex duobus populis composita« dubitari adhuc liceat, binos ab iisdem parochis regi populos plane distinctos, etsi in uno eodem pastore conjunctos. Non ea proinde in casu occurrere videretur unio, quae plenaria et extinctiva dicenda foret, sed potius subjectiva, servato scilicet supradictis ecclesiis titulo filialium, quo a parochialibus distinguerentur; quod quidem argui etiam posset a diuturna consuetudine, qua iidem parochi alteram hucusque missam in dictis ecclesiis filialibus celebrare soliti fuerunt; quae quidem consuetudo, etsi non adducenda tamquam causa necessitatis pro iteratione sacrificii, praesumptionem saltem inducit unionis ecclesiarum non extinctivae.

Tandem, quidquid EE. VV. decernendum judicaverint super hujusmodi obligatione applicandae missae pro populo in supramemoratis ecclesiis filialibus, quoties contigerit, ut vel parochi non ratione duplicis regiminis, sed ob causam necessitatis superius allatam, vel sacerdos quicumque, nullam animarum curam gerens, bis eodem die celebret, mens hujus sacrae Congregationis constanter fuisse videtur, nullam omnino pro secunda missa recipi posse eleemosynam. Sic in *Ventimilien. 19. Decembr. 1835* ad dubium:

»*An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti indulti (iterandi missam) in casu?*

respondit: »Affirmative ad decennium, ita tamen, ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda missa« et nuperrime in *Cameracen.**) *Missae pro populo 25. Septbr. 1858 ad II. et III. dubium*: »*An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam pro populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu et an vicarii et alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrant, . . . secundam et ipsi missam pro populo gratis applicare teneantur in casu?*

responsum prodiit

Ad II: »Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.«

Ad III: »Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.«

Resolvenda ergo Emmtiis Vestris proponuntur dubia:

I. *An et quomodo consuetudo secundam missam celebrandi in praedictis ecclesiis adnexis, ubi hic mos ita invaluit ut populus etiam jus ad illam exigendam existimet se habere, toleranda sit in casu?*

II. *An parochus necessario debeat illam secundam missam applicare pro populo sicut primam vel liberam retineat illius applicationem cum stipendio in casu?*

III. *An licentiam dare queat Episcopus ad illam secundam missam celebrandam in casibus similibus et in locis, ubi talis consuetudo usque adhuc non invaluit, in casu?*

IV. *An praedictam licentiam concedere possit tempore collectionis messium, cum plurimi operarii in uno praedio seu villa concurrant, qui certe missam non audirent, nisi parochus secundam in eo loco diceret, ex eo quod alter sacerdos ad illam dicendam haberi non possit in casu?*

S. C. resp.

Ad I et III: Affirmative judicio Episcopi nulla habita ratione consuetudinis et quatenus in unoquoque casu concurrant circumstantiae necessitatis ad formam constitutionis Benedictinae et declarationis sacrae Congregationis diei 14. Octobris 1843 relatae in *Cameracen.**) *Missae pro populo 25. Septbr. 1858.*

Ad II: Dentur resolutiones in *Cameracen. diei 25. Septembris 1858.**)

Ad IV: Provisum in praecedentibus.

Die 22. Febr. 1862.

Vd. etiam *Acta ex iis etc. vol. I. p. 7.*

*) Vd. *supra n. XVI. p. 904.*

*) Vd. *p. 904.*

Ex quibus omnibus breviter colliges:

I. Extra verae necessitatis casus missam iterare non licere.*)

II. Hujus necessitatis existentiam agnoscendam esse ab Episcopo singulis in casibus, prae oculis habito criterio seu norma, quam tradit Benedictus XIV. in constit.: *Declarasti,* et in ejus opere de *Sacrificio Missae lib. 3. c. 5 et 6.*

III. Qua necessitate cognita Episcopum permittere debere hanc missae iterationem, non quidem generaliter et ad instar privilegii, sed secundum cognitam necessitatem, appositis etiam conditionibus opportunis a sacerdotibus omnino servandis.

IV. Neque allegari posse consuetudinem, quamvis immemorabilem, veluti titulum ad missam legitime iterandam, quae consuetudo ex se sola dicenda est potius corruptela.

V. Colliges insuper, nunquam recipi posse eleemosynam pro secunda missa celebranda, quicumque sit, qui eam celebret, neque ad hanc eleemosynam recipiendam allegari posse titulum egestatis seu defectus reddituum.**)

VI. Immo parochum teneri secundam pro populo, sicut primam, gratis, diebus festis applicare in parochiis unitis, excepto casu in quo parochiarum unio talis sit, ex qua unica prorsus parochia exurgat.

*) Excipe festum Nativitatis diem vel, ubi privilegium concessum est missam iterandi, diem comem. omnium defunct.

**) Errant itaque auctores illi etiam recentiores, qui docent extra Italiam posse recipi eleemosynam pro secunda missa, quando redditus tenues sunt, qui assignantur pro implemento proprii officii vel ex vi consuetudinis. Errant pariter cum docent extra Italiam parochos non teneri missas applicare pro populo, vigentibus illis rationibus, ac cum dissimulant const. Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas,*[1]) utpote ad Italiae Episcopos directam non distinguentes constitutiones, quae ad aliquam determinatam provinciam ideo diriguntur, ut in ea peculiare jus statuant, ab iis quae, quamvis ad unam provinciam oeconomice dirigantur, tamen commune jus declarant. Et reapse s. C. Concilii in dirimendis dubiis circa missam pro populo extra Italiam exortis secundum hanc constitutionem constanter judicavit: necnon S. C. de Propaganda Fide,[2]) in varias orbis partes, pro opportunitate, veluti legem servandam hanc constitutionem transmisit. Caeterum quilibet in hac re praetextus sublatus est per constit. regnantis Pontificis, quem Deus incolumen diu servet, quae incipit: *Amantissimi Redemptoris*[3])

Aliter est judicandum, cum agitur de locis missionum,[4]) in quibus paroeciae canonice erectae non sunt.

[1]) Vd. *p. 695.*
[2]) Vd. *p. 920. XIX.*
[3]) Vd. *supra p. 942.*
[4]) Vd. *Applicatio missae pro populo* (obligatio missionariorum, p. 932.)*; p. 925 etc. §. Hisce.*

XXXIII. Obligatio parochorum Canonicorum in ecclesiis cathedral. et collegiatis.

(Conc Tr. c. 1. sess. 23; c. 5. s. 25. de ref.)

Vd. *Applicat. missae pro pop.* (obligat. Coadjut. Canon. p. 890;) *Applicat. missae conv.* (oblig. Canonici parochi praecipue decr. *Pientina* p. 737; decr.: *Januen.* p. 744; decr. *Cajetana* p. 747.)

Ad dub. 1. *An parochi Cathedr. et Colleg., qui sunt primae Dignitates vel membra earundem, excusentur ab applicatione sacrificii diebus dominicis et festis per missam conv., quae in choro quotidie canitur, aut ultra praedictam conv. parochi supradicti teneantur celebrare et applicare suprascriptis diebus pro parochianis?*

2. *An, quando per turnum ad supradictos parochos spectat missam conv. canere diebus dominicis et festis, teneantur iidem celebrari facere pro parochianis aliam missam propriis sumptibus?*

S. C. resp.

Ad 1: Negative quoad primam, affirmative quoad secundam partem;

Ad 2: Affirmative.

Die 31. Mart. 1708.

Ad dub.: *An Praepositus Collegiatae s. Columbani terrae Blandrati sub poenis a statuto ecclesiae comminatis tenatur per se vel per alium omnibus diebus dominicis et tribus diebus in hebdomada celebrare, ita ut nullus dies festus remaneat sine missa parochiali vel in quibus diebus?*

S. C. resp.: Tenetur sub poenis a jure praescriptis.

Die 27. Maji 1713.

Ad dub.: *An onus applicandi missam lectam paroch. pro populo spectet ad Abbatem curatum colleg. et parochialis ecclesiae terrae Angri?*

S. C. C. resp.: Spectare ad Abbatem.

Die 1. et 15. Decbr. 1708.

Ad dub. 1. *An Canonici colleg. et parochus s. Georgii Syracus. de tempore vacationis praepositurae potuerint omittere celebrationem et applicationem missae paroch. pro populo?*

Et quatenus negative,

2. *An et quomodo sint cogendi pro tempore omissionis eandem missam pro populo adimplere seu satisfacere quam primum?*

S. C. resp.

Ad 1: Negative;

Ad 2: Prout de jure.

Die 15. Juni 1709.

Ad dub. 1. *An in eccl. cathedr. et paroch. Balneoregii ultra missam conv. sit celebranda et applicanda diebus festivis missa paroch. a Canonicis per turnum sive potius a Canonicis curatis?*

2. *An occurrente, quod Canonici curati vel alii Canonici celebrant missam conv. per turnum diebus dominicis et festivis de praecepto, tunc teneantur per alium celebrari facere missam paroch.?*

3. *An, quatenus missa paroch. sit celebranda in diebus festivis a Canonicis curatis in parochia Contradae Rhotae, sufficiat celebratio et applicatio unius missae pro populo, seu potius ambo Canonici curati ad applicationem supradictae missae teneantur?*

4. *An Canonicus curatus ecclesiae paroch. Contradae, ubi residere tenetur, exemptus a servitio chori teneatur per turnum cantare et applicare in Cathedr. missam convent. et celebrare aliam missam in aurora, quae celebratur per turnum in dicta ecclesia ab omnibus Canonicis tam diebus festivis quam ferial.?*

5. *An occurrente, quod celebret per turnum missam conv. vel aliam in aurora diebus festivis de praecepto, tunc teneatur per alium celebrari facere missam paroch. in ecclesia paroch.?*

S. C. resp.

Ad 1: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam;

Ad 2: Affirmative.

Ad 3: Sufficere unicam celebrationem et applicationem.

Ad 4: Negative.

Ad 5: Provisum in quarto.

Die 8. Julii et 19. Aug. 1703.

Priorem ecclesiae colleg. eundemque parochum applicare pro populo teneri solum diebus festis et diebus a Conc. Tr. statutis.

S. C. C. die 26. Maji 1639. *Tolentina.*

Ad dub.: *An Canonicus curatus praeter missam conv. celebrandam in ecclesia paroch. et colleg. teneatur ipse diebus festis applicare aliam missam pro populo?*

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 13. Apr. 1715. *Amalphitana.*

Idem responsum fuit capitulo colleg. oppidi Caldarolae sub die 28. Junii 1704 et 9. Junii 1714.

Ad dub.: *An Dignitates et Canonici colleg., quibus incumbit cura animarum, teneantur ad eandem applicationem (missae nempe conv.) dictis diebus festivis, quibus debent applicare pro populo, vel possint applicare simul pro populo et pro benefactoribus in casu?*

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negat. quoad secundam et amplius.

Die 11. Febr. 1731.

Ad dub. I: *An ultra missam conventualem sit celebranda ab Archipresbytero parocho missa parochialis diebus festivis hora congrua pro populo et pro eo applicanda?*

II: *An idem facere debeat in diebus ferialibus Quadragesimae, in quibus in ecclesia parochiali habentur conciones, cum vel sine applicatione?*

III: *An occurrente, quod Archipresbyter parochus celebret missam conventualem vel alias legitime absit seu sit impeditus tam in diebus festivis quam ferialibus Quadragesimae, teneatur celebrare facere per alium missam parochialem pro populo, ut supra?*

IV: *An Archipresbyter teneatur satisfacere missas etiam parochiales hucusque non applicatas?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative:

Ad II: Affirmative sed sine applicatione.

Ad III: Affirmative sed cum applicatione diebus festis tantum.

Ad IV: Affirmative et ad mentem.

Die 11. Maji 1720. *Comen.*

Ad dub. 1: *An Canonicus parochus ecclesiae cathedralis Hortanae teneatur applicare missam pro populo omnibus diebus festis, vel potius sufficiat missa conventualis, quae a capitulo per turnum quotidie applicata fuit et applicatur pro populo?*

Et quatenus affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam,

2: *An capitulum ultra missam conventualem teneatur per turnum omnibus diebus festis applicare aliam missam pro populo?*

Et quatenus negative,

3: *An capitulum teneatur praestare Canonico parocho eleemosynam pro applicatione missae pro populo?*

S. C. C. resp.

Ad 1: Affirmative ad primam partem et negative ad secundam;

Ad 2: Provisum in primo.

Ad 3: Affirmative.

Die 8. Aug. 1744.

Urbevetana.

Ut Sacrum pro populo, quod anteacto tempore negligebatur in cathedrali ecclesia Urbevetana, deinceps ageretur, optimum duxit Episcopus ad id urgere capitulum et quamvis Canonici, qui ab Archipresbytero onus hoc implendum esse putabant, metu poenarum obtemperassent, id tamen egerunt emissa semper protestatione; ideoque ad rem finiendam satius esse putarunt amplissimum hunc Ordinem adire et nunc audito jam, ut fieri solet, Episcopo, qui disertissima respondit epistola, controversiae definitionem expectant. Contendunt itaque Archipresbyterum, qui parochi officium substinet, teneri Sacrum pro populo festis diebus agere, idque etiam, si cura tantum actualis penes eum sit (uti plurimis probationibus curam tantum actualem apud Archipresbyterum esse monstrat capitulum), uti aperte definitum est a sacratissimo Principe nostro in constitutione: *Cum semper**) §. *Cum enim, quae in lucem hominum edita fuit vol. XIII. Thesauri resol. sac. Congr. pag. 221.* Unde arguunt Archipresbyterum non posse Sacri hujus stipendium petere atque accipere vel a capitulo vel a massa distributionum, alias nullum hoc casu Archipresbyter ferret onus, quod implere ipse teneretur, cum ratione onerum, quae fert et ferre debet, distincta atque uberiori caeteris Canonicis praebenda potiatur et omnes curae obventiones et decimarum compendia lucrifaciat: idcirco, ubi Sacrum hoc agant ejus coadjutores, postulare rationem juris, ut ab Archipresbytero, qui eos eligit, debitum ipsis solvatur stipendium sua non aliena sive capitulari pecunia; adjumentum enim, quod illi praestant, in utilitatem et commodum cedit dumtaxat Archipresbyteri, qui per se ipsum omnia agere teneretur.

Caetera, quae in libello capituli latissime proponuntur, excipere noluimus, ne folium nimis excrescat: jura Archipresbyteri ignoramus, nondum enim ea nobis tradidit: ejus vero coadjutores seu vicarii, qui non a capitulo sed ab Archipresbytero in judicium vocati fuerunt, immunes declarari postulant ab hoc onere ferendo, quod nutu amovibiles sint tenuique annuo stipendio scutorum 15 conducti alieno nomine parochialia agant officia. Petunt itaque, ut authoritate sacri hujus Senatus solvatur eis Sacrorum pro populo agendorum eleemosyna ex massa distributionum, uti fieri ajunt a Canonicis pro Sacro conventuali et definivit hic amplissimus Ordo in causa *Ferrarien. die 18. Martii anni 1719 ad VII. dubium.* Omnibus igitur expensis pertinet ad splendidissimos Patres tria, quae sequuntur, controversiae capita definire:

I. *An missa parochialis sit celebranda per turnum a capitulo ecclesiae cathedralis Urbevetanae seu potius ab Archipresbytero vel a vicariis amovibilibus?*

Et quatenus affirmative quoad secundam vel tertiam partem,

II. *An Archipresbytero sit solvenda eleemosyna a capitulo aut vicariis sit solvenda ab Archipresbytero vel a capitulo?*

Et quatenus affirmative vel quoad primam partem vel quoad tertiam,

III. *An eleemosyna desumenda sit ex massa distributionum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem; quoad secundam et tertiam: missas esse celebrandas per Archipresbyterum sive per se sive per vicarios et amplius.

Ad II: Negative ad primam partem, et quoad secundam: eleemosynam esse solvendam vicariis ab Archipresbytero, et amplius.

Ad III: Provisum in praecedenti et amplius.

Die 18. Decbr. 1745.

Fulginaten.

In sacrario collegiatae ecclesiae SSmi Salvatoris civitatis Fulginei publica extat missarum tabella, in qua ejusdem Collegiatae Priori, cui animarum cura adnexa est, onus injunctum legitur celebrationis missae singulis diebus dominicis et qualibet feria II. cujuslibet hebdomadae, pro reliquis vero diebus missarum onus aliis Canonicis impositum noscitur. Consueverunt praedecessores Priores missam diebus dominicis celebrare tamquam parochi, in feriis autem secundis uti Priores. Dubitans tamen sacerdos Christophorus Marcelli hodiernus Prior et parochus: An hoc modo satisfactum remaneat oneri celebrationis missae parochialis a Tridentina synodo et a Benedictina constitutione iis praescripto, qui animarum curam exercent, id ipsum ab EE. VV. declarari postulat, ut conscientiae suae consulat et tutam agendi rationem successoribus proponat. Super hac petitione auditus fuit Episcopus, qui in suis literis ad sacr. Congregationem datis refert, onera missarum, quae tum a Priore tum a Canonicis Collegiatae SSmi Salvatoris adimplentur, transcripta indistincte reperiri, absque ulla sive testamenti sive dominationis sive legati adnotatione et absque ulla temporis aut notarii mentione, in quadam pervetusta tabella usque ab anno 1612 exarata, quae in sacrario ejusdem Collegiatae palam exposita conspicitur et in nonnullis Episcoporum visitationibus, ex quibus dicta tabella desumpta fuit.

Addit nullimode erui posse: An Prior diebus dominicis sive pro ovibus suis sive ob aliam causam missam celebrare teneatur, cum praedecessores Priores missarum celebrationem simpliciter et absque ulla designatione adnotaverint in libris ad id destinatis et ab anno 1643 confectis. Ac demum rationes exponit, ob quas hodiernus Prior existimat, suos antecessores diebus quidem dominicis *uti parochos* missam pro populo applicasse, in feriis vero secundis *uti Priores*.

Primo, inquit, *quia, si missarum tabella sit attendenda, quemadmodum singuli Canonici unam missam certa hebdomadae die debeant celebrare, ita orator uti Prior in qualibet feria secunda jam celebrat. Neque satis intelligere profitetur, quam ob causam, quoticscumque diebus dominicis sacrificium pro ovibus neutiquam offeratur, duplex onus subire uti Prior debeat, eaque propter in subeundis oneribus Prioris conditio non veniat Canonicis saltem comparanda. Canonicis quidem titulo dumtaxat et praecedentia excellit, si tamen oratorem respicias uti parochum, iisdem Canonicis est major, cum et actualis et habitualis animarum cura sit Priori omnino commissa; ideoque in qualibet feria secunda se Canonicis aequando uti Priorem, diebus vero dominicis eosdem Canonicos exsuperando ut parochum pro ovibus missam applicare orator dijudicat.*

Secundo, quia a nullo unquam Ordinario aut sacras peragente visitationes aut missarum recensente onera fuit applicatio pro ovibus decreta atque pronuntiata, cui profecto applicationi ne Episcopus Josaphat Baptistellius quidem consuluit; qui tamen in dioecesana synodo multo ante Benedictinam constitutionem celebrata et praevio istius sac. Congregationis examine propter accerrimam universi cleri contradictionem typis deinde commissa in cap. VII. §. 7 ita decreverat:

Verum frustranea esset residentia parochorum, nisi etiam verbo Dei et Sacramentis oves suas pascerent; ideo omnes saltem quolibet die festo de praecepto, quo parochiani missam audire tenentur, in propria parochiali hora populo commodiore in ullius privati gratiam non invertenda eam celebrare non omittant illamque pro ovibus suis, sive habeant sive non habeant congruam, omnino applicent, absque eo quod pro tali missa eleemosynam accipere aut illam pro aliis applicare valeant.

Ex his inferi, dicit, ab hodierno Priore tam Episcopum Baptistellium quam alios Fulginatenses Episcopos in ea fuisse sententia, ut missa ad praescriptum tabellae diebus dominicis celebranda pro ovibus applicata fuerit et applicari debeat; alioquin Episcopi et praesertim Baptistellius aut in pastoralibus visitationibus aut in recensendis missarum oneribus hujusmodi applicationi consuluissent. Post haec subdit nihil prorsus inveniri de fundatione paroeciae et prioratus, unde intelligi valeat, quid cautum fuerit de missa diebus dominicis applicanda.

Capitulum Collegiatae, quod s. Congregatio audiri mandavit, nihil hac super re aut opponendum aut animadvertendum censuit.

Praeter ea, quae in Episcopi relatione continentur, juvat etiam adnotare tabellam, de qua superius sermo habitus est, sic inscribi: »*Tabella, in qua continentur, quae pertinent ad ecclesiam collegiatam et parochialem sancti Salvatoris*« et in ea recenseri onera missarum cuilibet Canonico inhaerentia ac inprimis de Priore sic legi: »*Admodum R.*

*) Vd. *p. 695.*

D. Cherubinus Barnabo Prior tenetur celebrare die dominico et die lunae« postea vero pro aliis hebdomadae diebus singulos Canonicos numerari.

Sacrosanctum missae sacrificium ab animarum pastoribus applicandum pro populo ipsorum curae commisso expresse praescribit Tridentina synodus *sess. 23. cap. 1. de ref.* Exortis autem super hoc pluribus controversiis sa. mem. Benedictus XIV. ad eas penitus praecidendas notissimam anno 1744 edidit constitutionem incipien.: *Cum semper oblatas,* *) qua declaravit gravissimo huic oneri satisfieri minime posse, nisi ii, qui animarum curam exercent, sacrificium missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum festis diebus de praecepto. Videndum igitur: An hujusce legis praescripto satisfaciat Prior Collegiatae SSmi Salvatoris, dum diebus dominicis missam celebrat vigore oneris descripti in tabella, in qua tamen nulla de applicatione legitur expressio.

Ponderandum: an celebratio diebus dominicis Priori injuncta prae se ferre possit adimplementum oneris inhaerentis animarum pastoribus, quamvis hujusmodi onus non solum dominicis sed singulis per annum festis diebus impositum dignoscatur.

Hisce perpensis dignabuntur Emmi PP. decernere:

An Prior collegiatae ecclesiae SSmi Salvatoris per celebrationem missae diebus dominicis juxta tabellam possit satisfacere oneri missae pro populo in casu?

S. C. resp.:

Affirmative, ita tamen ut teneatur etiam aliis diebus festis applicare missam pro populo ad formam constitutionis sa. mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas.*

Die 17. Julii et 7. Aug. 1773.

Archidiacono ecclesiae collegiatae oppidi Carticoti, qui est prima dignitas et cui animarum cura incumbit, eleemosyna ex massa communi pro celebratione missae pro populo debetur. *Fanen. 29. April. 1780. dub. 1. confirmat. 15. Julii ejusdem anni et 20. Januarii 1781.*

Ac eidem a die motae litis debetur. *Ibid. dub. 2.* confirmat. *ibid.*

Episcopus dioecesis N. extra Italiam relationem status suae dioecesis fecerat s. Sedi juxta const. Sixti V., quae incipit: *Romanus Pontifex* diei 20. Decembr. 1585. Ex ea relatione innotuit, capitulum Cathedralis non rite satisfacere officiis choralibus. Hujus rei rationem quaesivit s. Congregatio Concilii.

Facta a Canonicis expositione et recepta Episcopi relatione constitit, post multas vicissitudines anno 1693 iterum conflatum fuisse capitulum coadunatis quibusdam beneficiis simplicibus, impletis a Canonicis officiis, quae cum illis beneficiis cohaerebant: Episcopum, qui capitulum erexit, praescripsisse obligationem persolvendi integrum divinum officium: nihilo tamen secius paullatim in eo capitulo usum quemdam inductum esse cantandi diebus festis de praecepto Tertiam, vesperas et completorium, matutinum vero in vigiliis Paschatis et Nativitatis necnon in coena Domini, Parasceve et Sabbato sancto: in reliquis diebus recitandi vel cantandi, si pars junior cleri adsit, Primam, Tertiam, vesperas et completorium: in vigiliis omnium defunctorum cantandi matutinum, omissa Prima et Tertia, quae etiam omittebantur, quando ex lege fundationum matutinum defunctorum erat persolvendum.

Hic autem usus pluribus de causis pedetentim inductus fuit, videlicet ob parvum Canonicorum numerum, qui etiam aliis dioecesis muneribus fungi deberent; ob quasdam Episcoporum concessiones; ob carentiam dotis pro constituendis chori vicariis seu beneficiariis. Quas ob rationes Episcopus ipse deprecabatur s. Sedem, ut ratam ejusmodi consuetudinem habere dignaretur.

Quoad missam conventualem nullum aderat vestigium a primaeva capituli erectione, quod indicaret eam praescriptam esse et fuisse celebratam, quamvis usus vigeret missam post chorum cantandi, quin tamen ea pro benefactoribus applicaretur: variis autem de causis idem Episcopus deprecabatur, ut haec consuetudo servaretur.

Tenues autem erant redditus, quos Canonici percipiebant.

Itaque s. Congregationi proposita fuerunt die 23. Januarii 1864 quatuor, quae sequuntur, dubia:

I. *An Canonici cathedralis ecclesiae teneantur quotidie integras horas canonicas in choro persolvere missamque conventualem pro benefactoribus applicare in casu?*

*) Vd. *p. 695.*

Et quatenus affirmative,

II. *An consulendum sit SSmo pro absolutione super praeteritis omissionibus et condonatione fructuum male perceptorum in casu?*

III. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione servitii choralis favore Canonicorum in casu?*

IV. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione missae conventualis in casu?*

Quibus rescriptum fuit

Ad I: *Affirmative in omnibus.*

Ad II: *Affirmative in omnibus, celebrata unica missa cum cantu, integro adstante capitulo.*

Ad III: *Affirmative ad horas minores, exceptis diebus festis solemnioribus et quatuor postremis hebdomadae majoris, ad decennium.*

Ad IV: *Affirmative ad dies fectos tantum de praecepto, ad decennium.*

Quas quidem resolutiones SSmus D. N. adprobavit.

Ejusmodi resolutiones transmissae fuerunt ad vicarium capitularem, vacante interea sede episcopali, ut executioni mandarentur. Convocato a vicario capitulo Canonici statuerunt normam juxta resolutionem ad III. et IV., quam sequi deinceps deberent, quae quidem norma est tenoris, qui sequitur:

1. *Omnibus diebus ferialibus per hebdomadam Capitulares recitabunt in choro quatuor horas minores, idest Primam, Tertiam Sextam et Nonam immediate ante missam cantatam, quae juxta morem hujus ecclesiae singulis diebus per hebdomadam pro devotione populi a sacerdote quodam juniore celebrari solet.*

2. *Diebus dominicis et festis de praecepto, quae in foro observantur, cantabunt in choro solam Tertiam immediate ante Sacrum solemne et nihil aliud ante meridiem; deinde post meridiem similiter hora consueta cantabunt in choro vesperas et completorium.**)

*) Ratio hujus dispositionis a Canonicis adducta est: »quia ecclesia cathedralis simul est parochialis, ideoque post Sacrum solemne, quod celebratur hora nona antemeridiana, ob continuas functiones sacras, quibus frequens populus fidelis adstare solet, usque ad horam undecimam et quod excedit tempus vacans non reperitur. Accedit, quod populus hic ab antiquo tempore assuetus est post meridiem vesperis in choro cantatis dominicis et festis diebus interesse pro sua devotione, quam piam populi consuetudinem turbare ac destruere non videbatur consultum.«

3. *Festa solemniora haec tria declarantur: Festum Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes.*

4. *Ea autem exceptio festorum solemniorum ita observatur, ut non integrum officium in choro cantetur vel recitetur, sed nocturni quidem et Tertia, vesperae item et completorium; laudes vero (praeterquam in festo Pentecostes), item Prima, Sexta et Nona in choro non recitentur, sed privatim tantum.*

Quoad resolutionem ad IV. dubium hanc normam statuerunt:

1. *Dies festi de praecepto intelliguntur sensu stricto, exclusis nempe diebus dominicis et exclusis festis abrogatis, quae in foro non celebrantur.*

2. *In hisce diebus festis de praecepto Canonici per turnum cantant Sacrum solemne hora nona et applicant pro benefactoribus ecclesiae cathedralis; in Sacro solemni reliqui Canonici intersunt pro more. Iisdem porro diebus missa parochi, qui et ipse est Canonicus ecclesiae cathedralis, pro populo applicatur mane hora septima, qua frequens populus ex more hujus civitatis post primam concionem habitam hora sexta cum dimidio sacro missae sacrificio adstare solet.*

3. *In festis autem Episcopi, quae assignantur in caeremoniali Episcoporum, quoniam Episcopus applicat pro populo et Sacrum solemne hora nona cantat, Canonicus ille, qui est simul parochus, liberum se putans ab onere applicandi pro populo mane hora septima post primam concionem applicat pro benefactoribus ad modum missae conventualis, quin Canonici in choro eidem missae adsint.*

Hanc Canonicorum deliberationem ratam habuit vicarius capitularis salvo jure Episcopi sede plena aliter disponentis.

Novus Episcopus dein constitutus, aequa lance omnibus consideratis, maluit totum negotium iterum s. Congregationi subjicere. Quamvis enim rectam in omnibus non fuisse videret interpretationem a capitulo factam, tamen, expositis difficultatibus eas resolutiones undequaque executioni mandandi, modum quemdam alium s. Congregationi proposuit, ut scilicet diebus festis de praecepto communibus et dominicis usus capituli retineretur et adprobaretur, recitata tamen Prima

ac Tertia, ut ad tres dies festos solemniores adjungeretur solemne festum Corporis dominici, ut in quatuor hisce solemnioribus festis capitulum recitaret matutinum cum laudibus, Primam et Tertiam, item vesperas et completorium, facta quoad reliquas minores horas Ordinario facultate dispensandi ab eadem recitatione in choro, si absque gravi difficultate eaedem in choro recitari non possint etc.

Quoad missam conventualem monebat, Canonicos obligatione teneri aliarum missarum, quae ex parte capituli persolvi deberent pro benefactoribus praebendarum singularium et speciatim officii defunctorum cum missa cantata de requiem singulis mensibus pro quodam praecipuo benefactore: item pro singulis Episcopis benefactoribus, ita ut sibi videretur ex quadam aequitate posse sufficere missae conventualis celebratio illis diebus festis de praecepto, quibus nunc capitulum eam celebrabat.

Disceptatio synoptica.

Nonnulla *ex officio* observabantur circa interpretationem resolutionum a Canonicis datam; quamvis enim diebus festis difficultates adessent (quae consistebant in perturbatione ordinis sacrarum functionum quae celebrari in ecclesia cathedrali solebant cum frequentia populi) recitandi omnes minores horas: ejusmodi difficultates causam quidem suppeditare potuisse petendi novam indulgentiam a s. Sede, non autem proprio marte eas relinquendi.

Circa dies festos solemniores observabatur, in decreto Clementis X. die 15. Decembris an. 1703 edito sequentia inveniri, nempe: In oratoriis privatis non licere celebrare diebus *Paschatis, Pentecostes, Nativitatis C. D. aliisque festis solemnioribus*: praeterea in epistola transmissa a praefecto s. Congregationis Rituum die 6. Septembris 1781 ad Episcopum Vasionem., qua declaratur mens s. Congregationis ejusdem circa quamdam resolutionem, haec referi: Decernimus et declaramus juxta dispositionem caeremonialis quatuor a ministris assumenda esse pluvialia *in festis solemnioribus*, scilicet *Natalis D. N. J. Christi et Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, in festo Corporis Christi, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M V. et Omnium Sanctorum, s. Tituluris ecclesiae et Patroni civitatis et ecclesiae dedicationis.* Quae epistola refertur in Gardelliana collectione sub decreto 4384. Quare non recte dies festos solemniores cohibuisse Canonicos ad tres dictas solemnitates; et contra resolutionem S. C. pariter esse partialem recitationem his diebus divini choralis officii. Quoad celebrationem missae conventualis s. Congregationem eam ex indulgentia cohibuisse *ad dies festos tantum de praecepto*, neminem autem ignorare sub diebus festis de praecepto venire etiam dies dominicos.

Circa parochi officium applicandi missam pro populo observabatur, nullum reperiri parochum ab hujusmodi obligatione exoneratum, quod Episcopus sive in solemnibus diebus sive in aliis missam pro grege sibi commisso celebret: quod si ita statuendum esset, cum Episcopus non applicet exclusive pro paroecia cathedralis ecclesiae sed pro tota dioecesi, omnes dioecesis parochos exoneratos fore dicendos quod est absonum.

Commemorabatur denique regula statuta a Benedicto XIV. in celebri const.: *Cum semper oblatas,**) quando parochus, qui sit Canonicus, diebus festis teneatur canere ex turno missam conventualem; quo casu alium subrogari debere ad applicandam missam pro populo.

His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda dubia:

I. *An sit standum in decisis seu potius consulendum sit SSmo pro ampliori reductione servitii choralis in casu?*

II. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione super praeteritis omissionibus in servitio chorali et condonatione fructuum male perceptorum in casu?*

III. *An et quomodo consulendum sit SSmo favore Canonici parochi super omissionibus celebrationis missae pro populo in casu?*

S. Congregatio Concilii causa cognita respondere censuit

Ad I: In decisis juxta modum, nempe juxta votum Episcopi quoad horas canonicas, non vero quoad numerum festorum solemniorum: et ad mentem: mens est ut Episcopus moneat Canonicos, inter festa solemniora esse recensita in suprarelata epistola Emmi Card. praefecti s. Congregationis ss. Rituum diei 6. Septembris 1781 ad Episcopum Vasionen., proinde singulis his diebus modum choralis officiaturae ab eodem Episcopo propositum servandum esse:

*) Vd. *p. 695.*

praeterea ne dubitari quidem posse inter dies festos adnumerari potissimum dominicos.

Ad II. Affirmative, celebrata unica missa cum cantu, integro adstante capitulo et injuncta cuilibet Capitulari celebratione unius missae lectae intra mensem pro benefactoribus.

Ad III. Affirmative celebratis missis decem pro populo infra duos menses et Episcopus moneat parochum, eum teneri per se ad applicationem missae pro populo his etiam diebus, in quibus Episcopus pontificaliter celebrat in Cathedrali, per alium vero his festis, in quibus uti Canonicus canere et applicare debet missam conventualem pro benefactoribus.

Die 24. Aug. 1867.

Ex quibus colliges:

I. Capitula cathedralia, quae fuerint erecta ex cumulatione beneficiorum simplicium, imposita Canonicis obligatione implendi officia cum iisdem beneficiis connexa, teneri etiam generatim ad persolvenda caetera choralia munera, quae juxta communem ecclesiae disciplinam persolvi debent.

II. In immutatione enim status beneficiorum simplicium in praebendas seu mensam capitularem, quamvis officia illis ex fundatione adnexa impleantur, succedunt tamen alia officia, quae sunt propria novi status, ad quem constituendum beneficia illa disponuntur.

III. Ejusmodi tamen choralia munera, urgentibus rationabilibus causis, per apostolicam auctoritatem, quae sola jus commune moderatur, juxta rerum adjuncta cohiberi.

IV. Colliges insuper, quaenam solemnitates intelligi soleant per verba: *dies festi solemniores.*

V. Neque parochum excusari a celebranda applicandaque missa pro poplo, quod Episcopus eam celebret in paroeciali ecclesia et pro populo sibi commisso applicet.

XXXIV. Obligatio parochorum in ecclesiis monasteriorum.

Vd.: Applicat. missae pro populo (obligatio eorum, qui curam animarum exercent p. 896; obligat. Episcopi, qui simul est parochus p. 920); vd. *p. 698. n. 10.*

Nullius Ferentilli.

In relatione status abbatiae Nullius Ferentilli anno 1809 propositum fuit a capitulo Lateranensi, quod quasi episcopalem jurisdictionem exerceat, dubium: *An teneretur diebus festis missam pro populo applicare?* Hujusce dubii solutio pendet a pluribus facti circumstantiis, quas exponit capitulum, prius hic enucleandis, antequam de jure disceptetur.

Cum inter Episcopum Spoletinum et capitulum Lateranense controversiae ortae essent et ille contenderet abbatiam sitam esse intra fines dioecesis Spoletinae, hoc vero contenderet esse omnino separatum, facta est concordia probante Urbano VIII., in qua utrinque conventa distributio jurisdictionis.

Quamquam capitulum contenderet abbatiam esse territorium separatum, attamen, cum in ea concordia fassum esset territorium illud stare intra limites dioecesis Spoletinae, haec Episcopo in concordia concessa fuere jura: ut expeditio literarum apostolicarum dirigeretur Episcopo seu Vicario seu Dignitatibus et Canonicis dioecesis et inscriberentur *Spoletana seu Nullius*: ut Episcopus qua delegatus sacrosanctae Tridentinae synodus visitaret ecclesias abbatiae servata forma praescripta ab eadem synodo et procurationem exigeret: ut ordinandi suscipere tenerentur ordines aut saltem dimissorias ab eodem Episcopo, cui praeterea competeret jus consecrationis altarium et administratio Sacramenti chrismatis: ut concursus pro ecclesiis parochialibus abbatiae peragendi essent coram Episcopo vel ejus Vicario et parochos ejusdem abbatiae intervenire oportere synodo, quatenus ab Episcopo Spoletino essent intimati.

Capitulo vero Lateranensi haec adscripta fuere jura: ut omnem reliquam jurisdictionem, praeterquam in casibus superius exceptis, super toto abbatiae territorio exerceret, proptereaque omnimodam jurisdictionem in causis ecclesiasticis, civilibus, criminalibus haberet: ut eidem competeret jus approbandi confessarios et concionatores, publicandi indulgentias fasque esset Vicario capitulari mittere Spoletum in feria V. majoris hebdomadae saltem subdiaconum, ut olea sancta acciperet.

Ex constitutione felicis recordationis *Benedicti XIV. edit. die 14. Augusti 1744*, cujus initium: *Cum semper oblatas**) duo haec constituta fuere quoad applicationem missae pro populo, cujus onus ex divino praecepto**) derivare declaravit sacrosancta Tridentina sy-

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *p: 921, 930.*

nodus *sess. 23. cap. 1. de reform.* Primum quod missa pro populo applicanda sit ab iis, qui actu exercent curam animarum, propterea que a parochis, vicariis tum perpetuis tum amovibilibus, sive saecularibus sive regularibus, oeconomis ecclesiarum vacantium ac generatim omnes, apud quos animarum cura actu residet. Alterum vero in citata constitutione praescriptum est, ut ii, quibus onus applicationis injungitur, hoc facere teneantur singulis diebus dominicis caeterisque de praecepto. Et quamquam Episcopi vel alii, qui episcopalem exercent jurisdictionem, in Benedictina constitutione nominati non sint, attamen communis sententia tenet Episcopum aliosque jura episcopalia exercentes, quibus impensius quam parocho animarum cura commissa est, ad applicationem teneri aeque ac alios, qui curam animarum actu exercent, ut tradit *Naldi in summa verb.: Parochus num. 19, Monacell. for. eccles. tit. 16. formul. 2. num. 24, Girald. jus. pontific. part. 2. sect. 83. §. An vero,* et caeteros, quos affert *Ferraris biblioth. verb.: Missa artic. 3. num. 11.*

Cum igitur quaeritur: Quis pro populo abbatiae Ferentilli applicare missam debeat, hoc primum statuendum erit: Quis illius populi actu animarum curam gerat. Neque hoc querendum tantum videretur, si controversia omnis rediret inter capitulum Lateranense et praefectum, qui a capitulo delegatur, ut abbatiam administret. Hoc enim casu certum esset, quod cura animarum *actu* resideret penes praefectum, *habitu* penes capitulum; propterea que hoc onus praefecto incumberet, cum capitulum prout caetera corpora moralia huic obligationi ex constitutione Benedictina nequaquam *expresse* subjiciantur, neque saltem *implicite*, cum obligatio hujusmodi imponatur illis tantum, qui curam actualem exercent, inter quos neque ex latiori interpretatione venire possunt *corpora moralia*, quae *habitu* et non *actu* curam retinere possunt.

Patet igitur ex his controversiam omnem eo revocandam esse: Utrum hoc onus rejiciendum sit in Episcopum an vero in praefectum capituli Lateranensis.

In facto siquidem adnotavimus jura sive munia episcopalia super territorio abbatiae Ferentilli divisa fuisse inter Episcopum Spoletinum et capitulum Lateranense ex ea concordia, quae inita est probante Urbano VIII. Itaque judicium erit EE. PP.: An potior jurium et munerum pars Episcopo ex concordia attributa sit an vero capitulo, ita ut statui possit uter ex his in abbatia Ferentilli curam animarum gerat.

Ac primum in jure retinendum est exemptionem, qua fruuntur Abbates a jurisdictione Episcoporum, eamdem ubique non esse, cum modo *passivam* habeant exemptionem, modo *activam* jurisdictionem in clerum et populum et hanc vel *privative* exerceant vel *cumulative* cum Episcopis, ut tradit *Card. Petra comment. ad const. apost. t. 1. p. 127. n. 3. et seqq.* Hinc apud canonistas vulgatissima distinctio Abbatum in tres species.*) Prima species (verba sunt Bened. XIV. *de synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. num. 2.*) *est eorum, qui certo praesunt generi personarum existentium intra septa alicujus ecclesiae sive monasterii cum passiva exemptione a jurisdictione Episcopi qui subsunt immediate romano Pontifici. Secunda species est Praelatorum habentium jurisdictionem activam in clerum et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi dioecesim: et hujusmodi Praelati improprie tantum dicuntur esse Nullius. Tertia species est Praelatorum, qui jurisdictionem habent activam in clerum et populum alicujus vel plurium locorum, quae omnino avulsa et separata sunt a cujuslibet Episcopi dioecesi. Quapropter dicuntur constituere quamdam quasi dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis, quae ordinis episcopalis sunt, omnia exercet, quae ad episcopalem jurisdictionem pertinent. Hujus generis dicuntur vere et proprie Nullius et veris annumerantur Ordinariis locorum.*

Actus vero, unde episcopalis jurisdictio emergit, enumerat *text. in cap. conquerente de offic. jud. Ordinar.*, scilicet: *Canonicam obedientiam, subjectionem et reverentiam, institutionem et destitutionem, correctionem ac reformationem ac censuram ecclesiasticam, jurisdictionem quoque causarum omnium ad forum ecclesiasticum de jure spectantium, poenitentiae et Sacramentorum omnium, quae ab Episcopo sunt recipienda, collationem, synodum et synodatici seu cathedratici nomine duos solidos, quartam decimationum et mortuariorum, visitationem; quoque annuam,* quos actus canonistae omnes ex *Glossa in transcripto cap. conquerente* dividunt in illos, qui ad *legem jurisdictionis*, aliosque, qui ad *legem dioecesanam* pertinent, ut tradit *Gonzalez. comment. in decret. lib. 1. tit. 31. cap.*

*) Vd. *Abbas p. 85.*

16. n. 1. lit. E., et *Pirrhing. in jus canon. lib. 1. tit. eod. §. 2. n. 41, Reifenstuel. eod. lib. 1. et tit. in §. 4. num. 84.*

Post haec observent Emmi Patres, quae jura adscripta fuere in concordia Episcopo Spoletano, quae capitulo Lateranensi. Illi datum est jus exequendi literas apostolicas, visitandi abbatiam qua delegatus ex Tridentina synodo, exigendi dimissoriales, consecrandi altaria, administrandi Sacramentum chrismatis, advocandi ad synodum parochos abbatiae. Capitulo vero Lateranensi jurisdictio in causis ecclesiasticis, civilibus, criminalibus et matrimonialibus et approbatio confessariorum et concionatorum atque libertas recipiendi oleum sacrum in feria V. majoris hebdomadae sive alibi, quo ei libitum fuerit.

Dubium proponitur:

An et cui incumbat onus applicandi missam pro populo in abbatia Ferentilli in casu?

S. C. resp.:

Incumbere Episcopo Spoletano firma obligatione applicationis parochorum abbatiae pro singulis populis sibi commissis.

Die 17. Sept. et 14. Decbr. 1814.

XXXV. Obligatio parochorum pauperum.

Vd. *Applicatio missae pro populo* (obligat. eorum, qui curam animar. gerunt p. 896; obligat. parochor. in diebus festivis etc. p. 933; reductio non concessa.); *p. 935 §. Cum in; p. 913 §. Ex; 954 Et.*

Licet congrua sit exigua nec aliis modis augeri valeat ad praescriptam quantitatem, nihilominus parochi, quamdiu curam retinent, applicare tenentur, ut controversia intimius scrutata statuit s. Congregatio *in Civitatis Castellanae 26. Aug. 1628 lib. 13. decret. p. 62.* et in *Forosempronien.**) *Missae parochialis proposita die 25. Januarii et resoluta die 8. Februarii 1716,* in quo disputato dubio: *An parochi, de quibus agitur, non habentes congruam teneantur applicare missam pro populo saltem diebus festis, ita ut sint cogendi?*

responsum fuit: Affirmative et dentur decreta alias hac de re edita et signanter in *Civitatis Castellanae* etc.

Attenta vero aegestate id solum indulsit s. Congregatio, scilicet posse ab iis parochis ad aegestatem sublevandam stipendium accipi, licet diebus festis praebeatur, et sacrificium, quod pro populo celebrandam fuerat, offerri pro illo, qui stipendium tradiderit, ea tamen conditione, ut alio hebdomadae die pro populo illud offerentes suo muneri satisfaciant, ut *Benedict. XIV. in institut. 10. num. 6.* refert hanc mentem fuisse s. Congregationis in *Ostien.**) *29. Januar. 1724* et ipse Pontifex factus expresse declaravit in alleg. constit. *Cum semper oblatas etc.***)

Diei 17. Julii 1802. *Comen.*

Forosempronien.

Jam pridem Forosemproniensis Praesul sacris Apostolorum liminibus veneratis in obsequium notissimae constitutionis Sixtinae coram EE. PP. relationem status ecclesiae luculenter elaboratam exhibuit, in qua praeceteris recensuit, quod intra dioecesim quamplures habet parochias adeo tenues, ut nec deductis oneribus earum proventus pertingant summam scut. 30 monetae romanae neque ex paupertate parochianorum augumentum facile consequi potest; proindeque rectores missam pro suis ovibus offerre negligunt etiam diebus festivis; cumque pro munere pastorali praelaudatus Episcopus sedulo eos monuerit de hujusmodi parochiali onere, promptiores animadvertisse subtexit ad animarum curam dimittendam potius quam praeceptis parere: ancipiti itaque cura idem Praesul distinetur, numquid in hujusmodi casus angustia parochi praedicti teneantur saltem diebus festivis parochialem missam pro suis ovibus applicare, itaut poenis sint cogendi, quo huic muneri satisfaciant. Nec minus dubius haeret idem ipse Episcopus: num alii parochi, quorum ecclesiarum pingues redditus ad 200 usque scuta similis monetae ascendunt, teneantur nedum festivis diebus sed etiam quotidie missae sacrificium applicare pro ovibus ex debito parochialis officii. Ad enixas igitur preces praelibati Episcopi relatis hisce dubiis in Congregatione diei 18. Maji anni proxime elapsi rescriptum prodiit:

Ponantur in folio.

Hinc supremo jussui obsequendo modo bina proponuntur dubia, monito agente Episcopi, ut sapiens prodeat EE. VV resolutio:

I. *An parochi, de quibus agitur, non ha-*

*) Vd. *in hac pagina.*

*) Vd. *p. 936.*
**) Vd *p. 695.*

bentes congruam teneantur applicare missam pro populo saltem diebus festivis, ita ut sint cogendi?

II. *An parochi, de quibus agitur, habentes pingues redditus, teneantur quotidie applicare missam pro populo?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et dentur decreta, et amplius;

Ad II: Negative.

Die 25. Jan. et 8. Febr. 1716.

Applicandi pro populo praeceptum obligat non obstante reddituum defectu, cum ad id teneatur animarum pastor non causa reddituum sed ratione officii, ut docuit Concilium Tridentinum et Benedictus XIV. in constit.: *Cum semper etc.**) ac in suo opere de synodo dioecesana *cap. fin. 24. et seq.* et haec sacra Congregatio in *Neocesaren. Missae pro populo ad I. dubium 26. Januarii 1771* et in *Senogallien. 20. Martii 1790.*

Die 14. Decembris 1822. *Massanen.*

Tenuitas reddituum haud justam suppeditare videtur causam, quamobrem orator ab onere, quod ei jure divino**) imminet, vel ex parte levetur. Animarum siquidem curatores non pro ratione reddituum sed ex munere, quo ipsi funguntur, missam pro populo applicare tenentur, *Antonel. de jurib. cleric. lib. 2. part. 6. num. 2*, ac propterea, etiamsi congrua exhibitione destituantur, nihilominus a sacrificio pro populo quolibet die festo celebrando non eximuntur, *Bened. XIV. const. Cum semper* et s. Congreg. in *Oveten.****) *Missac pro populo 18. Nov. 1826* §. *Qui.* Quinimmo Benedictus XIV. potius quam reductionem ejusdem missae parochis egenis impertiretur tribuit Episcopis facultatem cum parochis dispensandi, ut diebus festis eleemosynam a benefactoribus recipere possint et missam pro illis applicare, translata ad alium diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo, *cit. constitut.*

Die 15. Mart. 1828. *Montis Falisci.*

Omnes animarum curatores, licet congruis redditibus destitutos, teneri ad applicationem missae pro populo singulis diebus festis cautum jure est: nec id oneris ullo unquam praetextu remitti consuevit; idque unum egentioribus curionibus concedi aliquando ab Episcopis fas est, ut quae Sacra diebus festis pro populo exsolvere debuissent, ea peragant in hebdomada, operaturi rei divinae festo die pro iis qui eosdem eleemosyna donarint. Bened. XIV. *cit. constit.*

Die 29. Jan. 1853. *Aesina.*

*) Vd. *p. 695.*
**) Vd. *p. 921, 930.*
***) Vd. *p. 956.*

XXXVI. Obligatio parochi privatim celebrantis.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (per Substitutum p. 1005; Missa privata vel solemnis etc. n. IV. p. 880.); *p. 918* §. *Tertio*

Camberien.

Emmus et Rmus D. Cardinalis Alexius Billiet Archiepiscopus Camberiensis a sacra Rituum Congregatione sequens dubium declarari petit: In dioecesibus Sabaudiae opportunum visum est, ut missa diebus dominicis et festivis applicetur pro populo, cui populus ipse adstare consuevit, et idcirco haec applicatio fit a vicario, quando is alternative missam parochialem celebrat. Hinc quaeritur:

I. *An ejusmodi usus servari et retineri possit?*

II. *Utrum applicatio fieri semper debeat a parocho etiam privatim celebrante?*

S. C. rescribendum censuit

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative juxta alias decreta.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 20. Decembris 1864.

XXXVII. Obligatio parochi in dominicis et festis, in quibus cadit processio rogationum.

Quum juxta decretum diei 12. Martii 1836 in Tridentina ad dubium X. celebranda sit missa rogationum, quando processio fit, hinc quaeritur:

I. *An die 25. Aprilis occurrente in dominica in ecclesiis, ubi unicus est sacerdos, missa cum cantu rogationum valeat etiam pro adimplendo onere missae parochialis?*

II. *An in ejusmodi missa omitti debeant Gloria et Credo?*

III. *An haec missa decantari debeat tono feriali?*

S. C. resp.: Juxta alias decreta affirmative in omnibus.

Die 14. Augusti 1858.

XXXVIII. Obligatio quotidiana non est.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (obligatio estne parochorum duorum in *una* ecclesia servientium decr. *Neocastren.* p. 950); *p. 983 Forosempr.*

Ad dub.: An Prior collegiatae ecclesiae s. Jacobi, tanquam parochus, teneatur applicare pro populo quotidie?

S. C. resp.: Negative et teneri solum diebus festis.

Die 2. Mart. et 16. Maji 1739.

XXXIX. Obligatio unius etiamsi plures simul curam actualem exercent.

Vd. *Appl. missae pro populo* (oblig. mansion. etc. p. 931; oblig. eorum, qui curam actual. etc. p. 896; oblig. Coadjut. Canon. p. 890; obligatio estne parochorum duorum etc. in *una* ecclesia servientium p. 948.)

Quandoquidem EE. PP. censeant a mansionariis applicandam esse missam pro populo, inquirendum superest: *Num teneantur singuli unoquoque die festo applicare seu potius per turnum; paroecia quidem in sex partes divisa est, quibus singulis unus praecipuus mansionarius adest itaut videantur sex parochi distincti, qui singuli ad applicationem tenerentur.* Sed una est parochialis ecclesia, unus baptismalis fons et liber parochialis, unum tabernaculum et sigillum. Quare una videtur ecclesia parochialis et unica missa pro populo satis habetur, quae alternatim celebranda est ab iis, qui curam exercent, ut definivit s. Congregatio *in Ripana Jurium parochialium 20. Novembris 1762* et novissime in *Visen.**) *Missae pro populo 17. Decembris proxime practeriti.*

Die 14. Apr. 1804. *Patavina.***)

XXXX. Oblig. ad unam missam, si plures parochiae unitae sint ecclesiae collegiatae etc.

Vd. *Appl missae pro populo* (obligat. collegii parochor. etc. decr.: *Calaguritana* §.: *Cum parochialis etc.* p. 958); *p. 953 XXVII; p. 958 XXVI; p. 946 XXV.*

XLI. Obligatio Vicarii apostolici.

Vd. *Applicatio missae pro populo* (oblig. Episcopi, qui simul est parochus p. 920.)

LXII. Obligatio Vicarii perpetui et amovibilis.

Vd. *Applicat. missae pro populo* (oblig. capellan. p. 885, 888; Coadjutor. p. 890, 893; Curator. p. 894, 895; eorum, qui curam etc. p. 896), *p. 976 Urbevet.*

*) Vd. *p, 952.* **) Vd. *p. 931.*

Egitanien.

Prae caeteris anno 1779 ad EE. Vestras retulit Egitaniensis Episcopus, plures in sua dioecesi, curionatus nomine, parochiales esse ecclesias, matricibus adnexas earumque amovibiles vicarios seu curiones vel missam pro populo celebrare sub conditione vel penitus negligere, eo quod ex synodali decreto anni 1747 ab hoc onere immunes essent; Vestrum in id oraculum postulavit. In secunda deinde relatione anni 1785 tenorem ex praescripto dedit synodalis decreti in haec verba: Plures sunt in hac dioecesi ecclesiae filiales, quarum parochi amovibiles (curiones apud nos, vulgo Puras dicuntur) per legem synodalem obstringuntur, ut missam pro populo dominicis festisque diebus celebrent; indeque multae lites conscientiarumque perturbationes: multi enim ex curionibus praedictis, quia non habent congruam portionem suae honestae sustentationi assignatam, synodali praecepto non satisfaciunt. Quia vero filiales ecclesiae aliud non sunt, quam quaedam capellae in subsidium parochialium institutae et erectae, ut parochiani distantes a parochialibus ecclesiis Sacramenta recipere missamque audire commodius possent, ita tamen, ut parochiani remanerent matricum ecclesiarum, quibus decimas persolvunt et in quibus missae pro populo dominicis festisque diebus applicantur: ideo non obstante lege synodali declaramus, praedictarum ecclesiarum filialium et annexarum curiores missam pro populo offerre non teneri, exceptis tamen curionatibus illis, qui aliis ecclesiis parochialibus non sint adnexi, in quibus praedictam legem synodalem volumus observari.

De requisita hinc curionatuum erectione ita retulit: Qua ratione, quibusve cum oneribus curionatus seu vicariae praedictae fuerint erectae, certe asserere non licet; hujusmodi enim erectionum acta non inveniuntur. Sex tantum hujusmodi erectionum acta inveni in archivis curiae episcopalis, ex quibus constat, auctoritate ordinaria et ad instantiam populorum erectas fuisse commodioribus locis novas ecclesias parochiales sub titulo filialium, in ipsisque constitutos vicarios amovibiles, quorum muneris esset Sacramenta ministrare caeteraque parochialia officia obire in parochianos novis parochiis addictos et a principalibus ecclesiis segregatos, seu ut ajunt, dismembratos; firma tamen remanente obligatione eorundem parochianorum persolvendi

ut antea rectoribus titularibus decimas et primitias impositoque eisdem rectoribus onere tribuendi novis curionibus suae sustentationi congruam portionem ac insuper reficiendi capellas majores et sacraria earumdem respective ecclesiarum filialium iisdemque necessaria ad divinum cultum subministrandi. Unam tantum erectam fuisse anno 1610 cum onere imposito, ut ex parochianis unus de unaquaque domo in signum recognitionis matricem ecclesiam adire ibique missam audire teneretur singulis annis in die Nativitatis B. M. V. Alteram vero nuper erectam cum onere parochianis imposito tribuendi singulis annis ecclesiae matrici unum denarium argenteum in die Nativitatis D. N. Jesu Christi etiam in signum recognitionis. Vidi etiam in actis unius nuper erectae impositam ab officiali meo fuisse ipsius ecclesiae vicario obligationem applicandi missam pro populo. E contrario vidi in actis erectionis alterius, erectam fuisse anno 1762 sub titulo curionatus seu capellaniae amovibilis, in qua administrantur Sacramenta per sacerdotem, apud ipsam residentiam facturum vicesque parochi gesturum. In hujusce erectionis sententia praetenditur, istius naturae esse omnes ecclesias filiales istius dioecesis.

Hujusmodi erectionum causam tribuit parochianorum distantiae a parochialibus ecclesiis cum maximis locorum difficultatibus. Ac modum postremo addidit instituendi curiones. Curiones, inquit, seu vicarii praedicti per rectores principales annuatim et in scriptis praesentantur Ordinario, a quo approbantur jurisdictionemque accipiunt, ut parochiale officium exerceant a die Nativitatis s. Joannis Baptistae usque ad eumdem diem sequentis anni. Quoties vero rectores principales curiones non praesentant usque ad diem b. Jacobi Apostoli, moris est, et synodali lege statuitur, ut eo anno praesentatio devolvatur ad Ordinarium. Eos vero monuisse dixit ad deducenda jura sua coram sacra Congregatione; sed quidquid juris et facti cor. EE. Vestris adducere fas erat, tum parochi tum capellani coram proposuerunt; ad sac. vero Congregationem referre nullus forsan auderet. Praeter ea, quae jam EE. Vestris exposui, certe nihil, quod ad rem faciat, deprehendi potest: neque enim in publico dioecesis tabulario inveniuntur, exceptis a me jam memoratis. Vestrae igitur, Emmi Patres, deliberationi infrascriptum proponitur dubium.

Quilibet sane, cui animarum cura commissa est, oves suas pascere et Sacrificium pro eis offerre tenetur, ut statuit Tridentina synodus in *sess. 23. cap. 1. de reform.*, et Benedictus XIV. in constit.: *Cum semper oblatas**) 19. Augusti 1744 declaravitque sac. haec Congregatio in *Ovcten.***) *Missae pro populo 26. Febr. 1774.* Haec vero requiruntur, ut verus quis dicatur parochus, quod certam suo nomine administret parochiam quodque de necessitate ministret, ab eoque parochiani necessario recipiant Sacramenta, *Gloss. in Clement. Dudum, verb. impendat de sepultur., Barbos. de offic. et potest. paroch. part. 1. cap. 1. num. 27 et seqq., Reclus. de re paroch. part. 1. tit. num. 53. et seqq., Ferrar. verb.: Parochia num. 11. et seqq.* Quae in nostro themate sit curionum potestas et officium et quales eorum curionatus, jam habent EE. Vestrae ex praemissa relatione Episcopi; ac luculentius desumere poterunt ex formula ipsorum institutionis, hisce verbis concepta: Quoniam nobis innotescit scientia et morum probitas N. N. sacerdotis, eidem committimus curam parochialis ecclesiae N., in qua Sacramenta ministrabit caeteraque omnia parochialia munia exercebit et apud eamdem residebit a die Nativitatis s. Jo. Baptistae currentis anni usque ad eumdem diem anni proxime futuri, emolumentaque omnia lucrabit, quae de jure debentur. Omnibus dictae ecclesiae parochianis injungimus et in virtute obedientiae praecipimus, ut dictum N. N. tamquam proprium parochum agnoscant eidemque in omnibus ad parochiale officium spectantibus obediant.

Dubium esse posset: Num suo potius quam principalium rectorum nomine haec omnia exerceant curiones. Nonnulli enim ex eorum parochianis matrices semel in anno ad audiendum Sacrum adeunt; nonnulli decimas et primitias vel argenteum denarium Titularibus in signum subjectionis persolvunt. Quaedam etiam Titulares in curionatibus exercent; nam testimonio Episcopi vel ex longa consuetudine apud filiales ecclesias resident ibique, ubi major parochianorum numerus assistit, parochiale officium exercent; apud ecclesias vero principales habent vicarios amovibiles et alii curionibus deficientibus aut non existentibus parochianos suis ecclesiis filialibus addictos tanquam suos agnoscunt eisdemque Sacramenta ministrant; ipsique parochiani adeunt nonnunquam matrices eccle-

*) Vd. *p. 695.* **) Vd. *p. 872.*

sias ad missam audiendam diebus festis et paschalem communionem suscipiendam ibique fiunt denuntiationes matrimoniorum, quando parochi titulares non adeunt filiales ecclesias missam conventualem celebraturi. Inde autem cum eodem Episcopo inferri posset, segregatas non esse curionales ecclesias a matrice earumque actualem etiam administrationem apud principales rectores remanere, quasi illorum nomine animarum curam exerceant curiones, ut decessor censuit Episcopus, qui hac eos de causa ab applicatione missae pro populo liberavit.

Quamvis autem stricti juris sit paroeciarum decisio, nec facile praesumatur, ubi contraria praesertim concurrant argumenta: *Ferrar. verb.: Dismembratio in addit. num. 8. et seqq.*, cessat tamen odii causa in simplice separatione curae actualis; et satis sunt ad eam suadendam indicia, *Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 12. num. 17. et seqq.* Primum hujusce separationis indicium desumi posset ex impellentibus erectionis curionatuum causis, parochianorum scilicet distantia a parochialibus ecclesiis itinerumque difficultate. His enim de causis paroeciarum separationem praescribit *Alexander III. in cap. Ad Audientiam, de eccles. aedifican.*, et sac. Concil. Trident. *sess. 21. cap. 4. de reform.*, vereque per eam constitutae censentur distinctae parochiae, *Barbos. de paroch. cap. 1. num. 25., Monacell. part. 1. tit. 2. form. 3. n. 4., Piton. discept. 160. num. 10., Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 12. num. 82, Zipaeus respons. unic. num. 2. de eccles. aedifican.* Secundum dismembrationis indicium est assignatio congruae sive ex matricibus sive a parochianis pro sustentatione curionum. Haec namque veris tribuitur parochis, ut per cit. *cap.: Ad audientiam, de eccles. aedifican.* observat *Monacell. part. 1. tit. 2. form. 3. n. 4.* Accedit tertium antiquae legis, ex quo curiones tanquam veri parochi applicare tenebantur missam pro populo. Et quartum denique alterius ex recentioribus sub expressa ejusdem applicationis obligatione.

Onera autem, quibus curionum subditi erga matrices earumque rectores gravantur, reputari possunt honoris signa, juxta cit. *cap. Ad audientiam, de eccles. aedifican.* et parochialem fortasse qualitatem in filialibus ecclesiis confirmant, *Fagnan. in d. cap. n. 8. et seqq., Monacell. part. 1. tit. 2. form. 3. num. 13.* Jurisdictionales quorumdam rectorum actus unum vel alterum respiciunt curionatum et particulari nituntur consuetudini, quae jus non constituit universale, text. in *can. Illud, distinct. 12*, ibique *Gloss. verb. contrario more, Piton. discept. eccles. 101. num. 10.* Tenuis curionum congrua, ob quam inquit Episcopus plerumque opus esse sacerdotes compellere, quos obedientiae praecepto propriis militare stipendiis coactos durum conqueri et clamitare, quod ulterius onus offerendi missas pro populo sibi imponatur: tenuis, inquam, congrua nil parochiali detrahit qualitati: neque enim redditum causa, sed ratione officii applicare tenentur parochi missam pro populo, *Ferrar. verb.: Missae sacrificium art. 3. num. 8, Clericat. Discord. forens. 29. de Benefic. num. 43.* Eorum vero inopiae succurri posset vel per mendicatas eleemosynas diebus festis juxta constitutionem Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas* 19. Augusti 1744 vel aliis modis, de quibus text. in *cap. fin. de offic. Ordinar.* et *can. ecclesiasticum 12. quaest. 1, Fagnan. in cap. Ad audientiam de eccles. aedifican. num. 6.*

Curionum quoque amovibilitas eos ab applicatione missae pro populo non excusaret, quatenus veri ex praemissis censerentur parochi, *Monacell. in formul. tom. 1. pag. 32. num. 4. et seqq.* et *tom. 2. pag. 219. n. 18. et seqq.*, et sac. Congregatio *in Forosemproniен.**) *Missae parochialis 8. Febr. 1716. lib. 66. decret. pag. 55,* in *Ostien.***) *Parochiae castri romani* et *Decimae 29. Januarii 1724*, in qua agebatur de vicariis ad nutum amovibilibus et mensuali dumtaxat stipendio proviso et in *Oveten.****) *22. Januarii 1774.* Et decretum denique anni 1747, quo liberati fuerunt ab hujusmodi applicatione, sub judice est, et a rectissima pendet EE. Vestrarum sententia super parochiali curionatuum qualitate.

Quaeritur ergo:

An et a quibus vicariis seu curionibus sit applicanda missa pro populo in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ab omnibus.

Die 27. Junii et 18. Julii 1789.

Ad dub. 1: *An Anton. Pervenantius vicarius perpetuus uti exercens curam animarum in ecclesia b. V. M. de planctu teneatur celebrare et applicare pro populo Sacrificium singulis diebus festis vel potius tale*

*) Vd. *p. 983.* **) Vd. *p. 936.* ***) Vd. *p. 872.*

onus spectat ad archiconfraternitatem mediantibus ejus capellanis?

2: *An et quibus diebus ultra festivos cujuscunque hebdomadae idem vicarius uti exercens curam animarum teneatur celebrare et applicare Sacrificium pro ecclesia vel potius spectet ad archiconfraternitatem?*

3: *An pro Sacrificiis in praeteritum non celebratis seu non applicatis possit vicarius et archiconfraternitas, quatenus teneatur, excusari a satisfactione supplenda?*

S. C. C. resp.

Ad 1: Affirmative quoad primam partem, negative ad secundam.

Ad 2: Teneri Pervenantium in diebus Sabbati ad celebrationem non autem ad applicationem.

Ad 3: Negative et quoad numerum arbitrio Emmi Episcopi.

Die 28. Mart. 1711.

Sicuti parochi aliique animarum curam exercentes ad missae applicationem pro populo tenentur, ut ex s. Concil. *Trident. sess. 23. cap. 1,* et quidem ratione officii, non ratione reddituum, ita fructuum tenuitas non eos redimit ab hujusmodi applicationis onere, *Piringh. in jus canon. lib. 3. tit. 23. num. 19, Barbos. de offic. et potest. paroch. part. 1. cap. 11. num. 11, Fagnan. in decretal. cap.: Fraternitatem de sepultur. n. 93. et 95, Monacell. in supplemen. ad tom. 7. n. 121.* Attamen sa. mem. Benedictus XIV. *in encyclica: Cum semper oblatas**) arbitrio Episcoporum commisit, ut pro temporum circumstantiis proque onere applicandarum pro populo missarum possent congruam vicariis perpetuis aut temporaneis decernere, sive cum congrua iisdem non fuisset juxta s. Pii constitutionem assignata.

Die 9. Septembris 1786. *Assisien.*

Ad applicationem missae pro populo tenentur etiam vicarii amovibiles, quos penes est actualis cura, ut declaravit *Bened. XIV. in const.: Cum semper oblatas* §. *6,* ut proinde ad applicationem compelli possint Viceparochi hujusmodi, quibus actualis cura animarum commissa est, quamvis nec in titulum paroeciam obtineant nec in ea perpetui sint atque ad nutum expelli possint, ut statuit s. Congregatio in *Aegitanien. Visitationis s. liminum 18. Junii 1789.*

Die 17. Julii 1802. *Comen.*

In urbe N. exstitit olim paroecia prioralis s. Michaelis, cui ab immemorabili tempore adnexae fuerunt duae aliae paroeciae: una s. Venantii, altera s. Petri.

Parochus s. Michaelis a remoto tempore prospiciebat duabus illis poroeciis unitis per capellanum seu coadjutorem. Hic capellanus festis praesertim diebus s. Venantii ecclesiam petebat missam aliaque parocialia munera expleturus.

Verum, venientibus annis, hic agendi modus parocho gravis et paroecianorum s. Venantii praesertim desideriis haud respondens videri coeptus est. Quare inter hos et illum, inita conventione, statutum fuit, ut capellanus amovibilis ad nutum parochi continue apud ecclesiam s. Venantii residere teneretur, aedificatis prius vel refectis populi sumptibus paroecialibus aedibus. Hac de causa adsignati fuerunt capellano redditus in determinata frumenti tritici quantitate, partim a parocho, partim vero a s. Venantii paroecianis rependenda.

Res ita processisse videntur usque ad annum 1825. Eo enim tempore Episcopus, apostolicis praeditus facultatibus, prioratum ecclesiae s. Michaelis suppressit atque incorporavit ecclesiae plebanae s. Facundini ejusdem urbis *cum omnibus juribus, pertinentiis, honoribus et oneribus adjunctis.*

Antiquitus, ut dixi, capellanus a parocho constituebatur: sed hodie haud amplius ab ipso sed ab Episcopo praeficitur et unius ecclesiae s. Venantii curam gerit. Ratio et annus, quo id fieri coeptum est, latet, prout latet, utrum et a quo missa pro populo applicata fuerit. Nec mirum si haec ignorantur, quandoquidem, gallico dominante milite, archivum ecclesiae s. Michaelis flammis traditum fuit. Illud tamen unum certum apparet, post annum scilicet 1849 per Episcopos onus missae pro populo capellano demandatum fuisse; sed Episcoporum jussa numquam exsecutioni mandata sunt.

Quamobrem, anno vertente 1868, hodiernus Episcopus in actu s. visitationis decretum edidit quod sequitur: »Quum ex actis »ss. visitationum hujus dioecesis, et praeser»tim 8. Octob. 1573, 28. Novembris 1615, »2. Novembr. 1638 constet ecclesiam s. Venan-

*) Vd. *p. 695.*

tii esse vere paroecialem ecclesiam, dicimus »parochum eiusdem ecclesiae ad missam pro »populo teneri. Et quum in s. visitatione »ibidem per nos peracta 6. Novembris anni »praeteriti de hujusmodi adimplemento cer»tiores facti non fuerimus, injungimus, ut, »infra duos menses a Data hujusmodi, actua»lis ejusdem ecclesiae parochus de adimple»mento certos nos reddat vel absolutionem »ab omissis a s. Sede apostolica obtineat: volentes insuper ut in posterum applicetur,... »prout de jure.«

Ex hujusmodi episcopali decreto capellanus s. Venantii, se gravatum existimans, preces s. Congregationi obtulit, quibus postulavit, ut declararetur: 1° an pro populo s. Venantii applicari deberet diebus festis missa vel potius satis esset missa, quam applicaret plebanus s. Facundini: et quatenus affirmative ad primam partem: 2° an missa applicari deberet a dicto plebano potius quam a rectore ecclesiae s. Venantii.

Hoc accepto libello de more Episcopo rescriptum est, ea de causa, ut, transmisso exemplo decreti editi in s. visitatione et audito plebano s. Facundini referret, an ecclesia s. Venantii constitueret veram paroeciam in titulum erectam, seu potius esset mere succursalis, suamque in re panderet sententiam.

Mandatis obsecutus Episcopus inter cetera rescripsit: »Naturam et characterem ecclesiae s. Venantii ut agnoscerem, quae praesto sunt monumenta investigavi. Quod si tempus, in quo haec ecclesia illi s. Michaelis unita fuit, sciri non potest, certum tamen est, ante annum 1573 id evenisse. Ex actibus enim s. visitationis apostolicae anni 1573 habetur, quod tunc jam haec unio exsisteret, et dum hoc habetur, habetur etiam, dictam ecclesiam esse paroecialem; legitur siquidem: *non intermittendo eandem visitationem devenit ultimo ad paroecialem ecclesiam s. Venantii adnexam prioratui s. Michaelis.* Quod clarius ex praescriptionibus Priori s. Michaelis tum factis: voluit enim ille Episcopus per coadjutorem provideri ecclesiae s. Venantii, quam paroecialem vocat, et residere hunc coadjutorem jussit. Utrumque ex sequentibus eruitur: *Ipse Prior adjungat sibi aliquem coadjutorem idoneum pro officiatura et cura duarum paroecialium s. Venantii et s. Petri adnexis suo prioratui, et extra terram deserviat per substitutum, qui assidue resideat in loco ipso s. Venantii et suppleat necessitates loci s. Petri, quum utraque paroecia in filiarum numero non differat.* Nec aliter habetur in s. visitationis actibus anni 1615, quum legatur: *Visitator se contulit ad paroecialem ecclesiam s. Venantii unitam prioratui s. Michaelis*: reprehenditur Prior, qui non providet dictae ecclesiae per capellanum residentem *in aedibus presbyteralibus ad hunc effectum parochianorum sumptibus constructis.* In s. visitatione ab eodem Episcopo peracta anno 1638 dicitur ecclesia supradicta *membrum s. Angeli* et vocatur ecclesia cum animarum cura per haec verba: *ecclesia praedicta est curata et cura exercetur a capellano amovibili ad nutum.* Idipsum legitur in s. visitatione alterius Episcopi, ubi habetur: *Illmus.... se contulit ad ecclesiam paroecialem s. Venantii membrum prioralis ecclesiae s. Michaelis.*«

Episcopus juxta mandatum percontatus est plebanum s. Facundini, qui rescripsit: conjunctam fuisse ecclesiae plebanae s. Facundini, uti filialem, eam ecclesiam s. Venantii: eandem ecclesiam et terram esse partem paroeciae ejus plebaniae; id clare erui ex jure quod plebanus pro tempore haberet exigendi omnes decimas a paroecianis; ex obligatione, quam idem plebanus haberet dandi illis candelas die festo Purificationis: erui quoque ex titulo capellani-curati quo appellaretur presbyter, qui eam ecclesiam administraret; ex exemptione (prout fertur) qua frueretur idem presbyter applicandi missam pro populo diebus festis ante annum 1849: id denique erui ex quadam portione, quam illi paroeciani retribuerent capellano-curato sub titulo officiaturae seu residentiae. Ejusmodi notitias ostendere, plebanum s. Facundini esse quoque parochum ecclesiae s. Venantii. Se autem, notitiis deficientibus, rationem adducere non posse, cur post annum 1849 pro capellano-curato ejus ecclesiae inceperit applicatio missae pro populo.«

Disceptatio synoptica.

Ea quae ex officio sunt animadversa.

Commemorata Tridentini Concilii doctrina *cap. 1 sess. 23 de refor.*, in quo Patres describentes pastorale munus edixerunt: *Quum praecepto divino**) *mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbique divini praedicatione etc. pascere:* com-

*) Vd. *p. 921 930.*

memorata doctrina s. C. C. jugiter declarante onus applicandi missam pro populo in parochos incumbere ratione paroecialis officii, id confirmante const. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas**): animadversum est, saepe quaestionem agitatam fuisse, num parochi duabus paroeciis unitis praepositi duplicem applicare, sive per se sive per alios, missam tenerentur; et s. Congregationem constanter respondisse, parochos ab hac obligatione haud esse solutos, excepto casu unionis plenariae et extinctivae, ceu, discusso articulo, declaravit in *Lucen.***) *Applicationis missae pro populo die 26. Febr. 1774.* Proposito enim dubio: »an parochi duabus paroecialibus ecclesiis praepositi teneantur dominicis »aliisque festis diebus missam in unaquaque »ecclesia sive per se sive per alium applicare pro populo in casu«? Emi Patres respondere censuerunt: *Affirmative, exceptis tantum paroeciis unitis unione plenaria et extinctiva; et scribatur Episcopo juxta instructionem.* In hac instructione rescribi jussit ad Lucensem Episcopum: »*Sacram Congregationem numquam dubitasse, quod parochi teneantur applicationi supradictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis paroecialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae atque incorporatae sunt; quum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis paroecialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterutrius evaserit.*

Hoc posito, illud inquirendum esse in themate observabatur, qua unione copulata fuerit ecclesia s. Venantii cum ecclesia antiquitus s. Michaelis, nunc s. Facundini. Quod ut accuratius disquiretur, consideratae sunt variae unionis species, quae in hujusmodi quaestionibus solent considerari.

Consideratum est, juxta canonicam jurisprudentiam tres distingui unionum species, ex diversitate modi, quo beneficia uniuntur: alia enim uniri *accessorie* seu per modum *subjectionis*, quando unum ita adnectitur alteri, ut, mediante ea adnexione seu incorporatione, evadat *membrum subjectum, inferius, accessorium, adhaerens illius ac dependens ab eo, cui unitur*, de quo exemplum est in textu in cap. *Quia monasterium, de religios. domib.* et Glossa id tradit in cap. 1, *Ne sede vacant.* verb. *Uniendo*, ibique *Fagnanus n.* 3, *Gonzalez* ad *Reg.* 8. *Cancell.* aliique.

Alia uniri *aeque principaliter*, quando duo beneficia seu duae ecclesiae vel plures ita connectuntur, ut neutra alteri subjiciatur, sed unaquaeque sua jura, privilegia, praeeminentias ac titulos retineat; de qua unionis specie ita loquitur *Gonzalez ad Regulam 8. Cancell. Glos. 5* §. *7 n. 29*: »tertio modo fit unio duarum dioecesium vel »ecclesiarum quoad caput et gubernatorem, »ut utraque remaneat cum suis propriis bonis et juribus distinctis, separatis et non »communicatis prius, sed habeat unum dumtaxat Episcopum et rectorem, et quaelibet »retineat sua privilegia et jura et statuta, »ut accidit in episcopatu Viterbiensi et »Tuscanensi; quia, licet sint duae dioeceses, »unus tamen solus Episcopus est. Et quum »Episcopus rescribit super concernentibus »jurisdictionem et administrationem episcopatus Viterbiensis, se nominat Episcopum »Viterbiensem et Tuscanensem: si vero super concernentibus episcopatum Tuscanensem, se inscribit Episcopum Tuscanensem »et Viterbiensem, semper anteponendo nomen illius dioecesis, in qua consistit res, de »qua agitur.«

Consonat *Leuren. For. benf. p.* 3 *sect.* 2 *v.* 1 *q.* 83 *n.* 2, qui rem ita declarat: »verum »idipsum distinguendum: videlicet ut unus »sit rector duarum ecclesiarum, dupliciter »fieri potest, nempe vel accidentaliter in »hac persona tantum ex quadam particulari »commendatione, ipsarum ecclesiarum statu »nullimode immutato (quam etiam unionem »potius de facto, quam de jure, uti et per»sonalem tantum et accidentalem vocat, *Card.* »*de Luca ad Trid. disc.* 8 *n.* 33), vel ex »perpetua unione dictarum ecclesiarum, *Card.* »*de Luca* in *Miscell. disc.* 1 *n.* 38. Qui »etiam ibidem ait, hanc posteriorem unionis »speciem in Cathedralibus praesertim magis »in usu esse, quae tunc vere et de facto inter se habentur pro duabus invicem distinctis, quamvis unum habeant Gubernatorem, qui quoad se dicitur unus et idem, »sed quoad eas habetur pro duplici homine »diverso seu discreto«.

Alia denique uniri *incorporative* seu *promiscue*, scilicet quando unum vel plura beneficia ita uniantur, ut de duobus vel pluribus unum tantum efformetur et in unum corpus coalescant; quae quidem incorporativa vel promiscua unio fieri potest per specialem subjectionem unius ad alteram per quandam absorptionem, vel promiscue per quandam adaequationem, ex quibus unionibus resultat privilegiorum communicatio, ita ut remaneat et communicetur id, quod in alterutro beneficio seu ecclesia unita majus fuerit: *Pitonius discept. eccles.* 9 *n.* 46; et praesertim *Reclus. p.* 1 *tit.* 11 *de tripl. union. n.* 130 *et seqq.*

Posita hac triplici unionis specie quaerere sibi solere auctores, quaenam species unionis in dubio sit praesumenda: atque tradere, in dubio praesumendam esse unionem aeque principaliter factam, non autem accessorie et subjective, quum haec unio reputetur odiosa; multoque minus promiscua, quum haec praeterea rarior sit: *Garzias de Benef. p.* 12 *c.* 2 *n.* 7; *Leuren. for. benf. p.* 3 *sect.* 2 *c.* 1 *q.* 881, aliique.

Ad dignoscendum vero utrum unio censenda sit accessorie vel aeque principaliter facta, inspiciendum imprimis esse tenorem literarum, quibus beneficia uniantur, eosdemque auctores tradere, ecclesiam uniri accessorie per verba: *Ecclesiam vel beneficium illi beneficio unimus, adnectimus vel incorporamus:* contra vero aeque principaliter uniri per verba: *illud et illud beneficium unimus.* De qua re tamen adnotandum, quod, licet quandoque verba, prout sonant, soleant indicare unionem accessorie factam, attamen magis substantia et mens consideranda sit, quam nuda verba, ita ut ad arguendam unionem aeque principalem ne verbum quidem *incorporamus* aliquando difficultatem ingerere valeat: *Pignatell. t. 1 consult. 223 n. 13.*

Hisce consideratis, inquirendum supererat, quanam unione copulatae fuerint paroeciae, de quibus agimus. Atque animadversum est, subjectivam videri peractam fuisse unionem, quum ecclesia s. Venantii titulum servaverit, paroecialis appellata jugiter fuerit, distinctum populum haberet, tamquam membrum alterius habita, quae quidem et cetera ejusmodi simul juncta excluderent tum secundam tum tertiam unionis speciem.

Exsistente autem eujusmodi unione consequi, missam pro populo s. Venantii esse celebrandam: neque consuetudinem adversus exercitium hujus pastoralis muneris posse suffragari Benedicto XIV. edicente in allegata constitutione: »*Decernimus et declaramus . . . quod, licet antiqua seu etiam immemorabilis consuetudo in ipsorum paroeciis obtinuerit, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus in posterum ab ipsis debeat applicari.*«

Sed inquirendum tamen supererat, ad quem spectaret ejusmodi onus, capellanumcuratum vel potius ad rectorem s. Facundini. De qua re animadversum est, certum esse, eos omnes, qui actualem animarum curam exerceant, ad missam pro populo applicandum teneri, sive parochi sint sive oeconomi sive capellani sive ad breve tempus deputati vel ad nutum amovibiles: Benedictus XIV. in dicta const. *Cum semper oblatas*, et S. C C. passim; nominatim vero in *Teracinen.* die 4. Martii 1799, in qua proposito dubio: »An capellani-curati amovi»biliter a capitulo deputati pro exercitio »curae animarum teneantur diebus domini»cis et festis missam applicare pro populo?« responsum fuit: *Affirmative.*

Quare capellanum s. Venantii, quum actu exerceret animarum curam, debere ipsum missam pro populo non tantum celebrare sed etiam applicare concludebatur.

Nihilominus ponderatum et rationes in praesenti themate non deesse, quae aliud suaderent: spectata namque rei origine rectorem s. Facundini habuisse integram et actualem paroeciarum unitarum curam, quum usus fuerit altero presbytero tamquam coadjutore seu vice-parocho: idque patere quoque tum ex jure eligendi, deputandi removendique capellanum, quo per saeculum et amplius potitus fuerat, tum ex jure exigendi universas decimas a populo s. Venantii, necnon ex onere subministrandi candelas diribendas die purificationis B. M. V. sacra: e converso tenues esse redditus pro capallano constitutos, neque videri in his redditibus assignandis comprehensum fuisse onus applicandi missam pro populo s. Venantii, quae, uti fertur, antea non applicabatur.

His aliisque consideratis propositum est resolvendum

Dubium:

»An et a quo applicanda sit missa pro »populo diebus dominicis et festis in casu?«

Resolutio. S. Congregatio Concilii, causa cognita die 4. Septembris 1869, respondere censuit: *Affirmative in ecclesia s. Venantii expensis parochi s. Facundini.*

Ex quibus colliges:

*) Vd. *p. 695.* **) Vd. *p. 953.*

I. In singulis paroeciis singulas applicandas esse missas pro populo dominicis festisque diebus.

II. Neque interesse, an paroeciae unitae fuerint alteri tamquam principali: quousque enim paroeciae aliqua reali ratione distinctae maneant, jus illud paroecianorum habendi sibi applicationem missae, singulis paroeciis inhaerens, haud cessat.

III. Quare parochum, qui plures paroecias unitas regit, tot pro populis missas applicare debere, quot sint paroeciae unitae sibi subjectae.

IV. Excipi tantum casum, quo ea ratione paroeciae fuerint unitae, ut suppressis quoque titulis una prorsus ex plurium commixtione aut absorptione evadat.

V. Neque suffragari contrariam inductam consuetudinem etsi immemorabilem. Ea enim consuetudo adversaretur muneri pastorali, quod originem suam repetit a divino jure, quamquam ex ecclesiastica lege sit presbyteris ex parte commissum atque determinatum.

VI. Onus applicandi missas pro populo in eos omnes incumbere, qui actu exercent animarum curam, sive eam exerceant nomine proprio sive nomine alieno.

VII. Eos tamen, qui nomine alieno animarum curam exerceant, retributionem habere debere a parocho titulari, si in redditibus adsignatis ejusmodi onus consideratum non fuerit.

VIII. In praesenti themate, paroecias ita fuisse unitas, ut titulo et re distinctae manerent.

IX. Parochum titularem per capellanum vicarium prospicere paroeciae s. Venantii, adsignatis eidem redditibus, qui non comprehenderent onus celebrandi missam pro eo populo.

X. Quare, urgente capellanum officio applicandi eam missam, parochum titularem rependere debuisse, justitia exigente, ejusdem missae eleemosynam.

XLIII. Obligatio non est vicarii perpetui vel amovibilis.

Vd. *Applic. missae pro populo* (oblig. capellan. p. 885, 888; coadjutor. p. 890, 893 etc.; curator. p. 894, 895; eorum, qui curam animar. non exercent p. 904.)

Tyburtina.

In oppido Castri Madamae una est parochialis ecclesia et duo olim erant parochi, qui per alternas hebdomadas curam animarum exercebant. Instante Episcopo Tyburtino ann. 1767 sac. Congregatio statuit, ut, cum alter ex his parochis vita functus esset, unus constituatur parochus superstes nulla ipsi accessione emolumentorum facta, sed datis duobus vicariis perpetuis, qui eum adjuvent in cura animarum, ab Ordinario pro tempore approbandis, redditus vero tam certi quam incerti vacaturae partionis aequaliter inter eosdem dividendi assignentur. Ita factum est anno 1789, quo e vivis ereptus est alter ex parochis Castri Madamae Anselmus Caponetti. Tum enim modernus Episcopus Tyburtinus vacantem portionem curatam suppressit duosque instituit vicarios curatos Andream Panardo et Bernardum Dalmirami, qui, cum ex institutionis lege tenerentur ad animarum parochianorum curae exercitium in solidum, semper ab eo tempore una simul cum parocho munera parochialia obierunt, et praesertim missas pro populo vice mutua applicarunt.

Verum controversia orta est inter Archipresbyterum et vicarios, qui independenter a parocho exercere posse jactabant, ex quo vicarii jure proprio non delegato in ejus paroeciae administratione uterentur. Re ad s. hanc Congreg. delata responsum est: Non posse vicarios jura parochialia exercere, nisi de consensu et licentia Archipresbyteri, prout videre praestat in folio *Tyburtinae Parochialis 16. Maji 1792.* Hinc Panardus ratus se parochum non esse cessavit ab applicatione missae pro populo. Utrum vero jure id faciat, exquirit nunc ab EE. PP. Episcopus Tyburtinus de suo voto interrogatus exponit hinc jura Archipresbyteri Justini, illinc vicarii Panordo rationes et tandem concludit:

Teneri vicarios Castri Madamae missas pro populo applicare sicuti applicavere et applicant vicarii Cantaluppi et Vallis frigidae et orator ipse parochus applicavit usque ad annum 1792.

Constat nunc apud omnes quod parochi et ii, quibus animarum cura commissa est, divino praecepto*) teneantur pro ovibus suis Sacrificium offerre, ut declaravit Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1. de reform.* et applicatio missae pro populo recensetur inter munera pastoralia quae incumbunt parocho ratione sui officii, ut post constit. Innocent. XI., cujus initium: *Nuper***), datam die 24, Aprilis 1692 et Benedicti XIV., quae incipit: *Cum semper oblatas**) edita die 19. Augusti 1744 docet *Piringh. in jus can. lib. V. tit. 31. num. 141* et semper tradidit sac. Congregatio in *Nonantulana 10. Maji 1692,* in *Calaguritana Applicationis missae pro populo 12. Decembris 1764* et in *Oveten.***) *22. Januarii 1774*, in *Pistorien. et Praten.****) *24. Apr. 1699.* Eo igitur reddit quaestio: Num hoc applicationis onus sit personale†) parochi, qui teneatur per se ipsum et non per alios Sacrificium offerre. Negat Archipresbyter Justinus hoc onus applicationis esse personale, quia parochus non tenetur personaliter exequi munera pastoralis officii sed ipsorum executionem dirigere atque advigilare gregi, *Pasqualigo de Sacrific. missae tom. 2. quaest. 853. num. 8.* Et sac. Congregatio in casu, quo curae exercitium erat penes Praepositum et beneficiatos, definivit die 4. Maji 1726: Missam parochialem teneantur alternatim celebrare et applicare ut videre est in *Ripana Jurium parochialium 20. Novembris 1762* et saepe alias statuit quod parochus legitime impeditus possit per alios applicare ut in *Viterbien. 31. Martii 1708 ad II. dub.* et in *Comen. Missae parochialis et conventualis ad V. dubium 11. Maji 1720.*

Hinc deducit, quod, si parochus potest per alios applicationi facere satis, certe quidem in terminis eo magis ad hoc onus teneantur vicarii, quibus ex decreto institutionis injunctum est *curae animarum parochianorum exercitium in solidum.* Nam exercitium curae parochialis constat tum ex oblatione Sacrificii tum ex verbi divini praedicatione tum Sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo. Quae omnia ex praecepto divino††) proficiscuntur et propria sunt pastoralis officii, ut declarat sac. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1. de reform.* Quare aut poterunt vicarii haec omnia supterfugere onera eo praetextu, quod sint munera personalia parochi et propterea nullum praestare curae exercitium, ad quod ex institutione in solidum tenentur, aut si cetera obire debent munera de consensu et licentia Archipresbyteri, recusare non poterunt missae pro populo applicationem, quae eodem jure ac cetera parochialia munera censetur. Maxime cum vicarii percipiant redditus tum certos ex bonis tum eventuales ex *stola*, qui ad suppressam portionem curatam pertinebant, et semper missam pro populo usquedum applicaverint. Quae observantia plurimum sibi vindicat cum nec sit contra jus scriptum nec a fundatione discrepet et ab ipsis vicariorum gestis defluat, *Rota in Colonien. Vicariae 6. Apr. 1762.* §. *14. coram Olivatio,* et in *Tarraconen. Beneficii 1. Junii 1761.* §. *13. cor. clar. mem. Cardinalis Parraciano.*

Haec Archipresbyter Justinus. At vicarius Panardo contendit applicationem Sacrificii esse munus personale, quod parochus per se obire debeat. Nam, sicuti unicuique presbytero injungitur in *Levitic. IX.*: Accede ad altare et immola pro peccato tuo, offer holocaustum et ora pro te et populo, »ita parochus tamquam omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum ut dona offerat, Sacrificia pro peccatis, ut Apostolus scribit ad *Hebr. V.* Ut igitur omnes presbyteri quoad populum, ita parochus quoad gregem sibi commissum mediatoris munus inter Deum et populum sive gregem assumit Quare, si in iis diebus de praecepto divino offerre debet Sacrificium, id faceret per alios, muneri certe sacerdotali et officio mediatoris non faceret satis, cum ejus personae haec inhaereant. Hoc autem interest inter applicationem missae pro populo et cetera munera pastoralia, ut in his scilicet praedicatione et Sacramentorum administratione satis sit ut populus effectum consequatur, sive illa munera per parochum sive per alios exerceantur, in oblatione vero Sacrificii nedum spectatur effectus, sed implendum quoque est mediatoris munus, quod per alios adimpleri non potest, ut docet *Thom. Hurtad. tom. I. resolut. moral. tract. II. cap. 3, resolut. 6. num. 30, Jo. Sanchez. in select. de Sacrament. discut. 47, Diana tractat. 4. part. 3. resolut. 156, Pasqualigo de Sacrific. missae tom. 2. quaest. 855. per tot.* Reque vera hanc thesim probavit etiam sac. haec Congregatio in *Fesulana**) *Missae parochialis 26. Januarii 1771*, in qua proposito dubio: *An parochi applicatione missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem? rescriptum fuit: Negative.*

Dum vero ad Archipresbyterum Castri Madamae pertinet habitualis et actualis cura, ad ipsum pertinere videtur applicatio missae pro populo. Nam aliquando sac. Congregatio parochis quidem indulsit, ut per alios possent applicare missam, sed tum demum

*) Vd. *p. 921. 930.* **) Vd. *p. 934.*

*) Vd. *p. 695.* **) Vd. *p. 872.* ***) Vd. *p. 934.*
†) Vd. *p. 881.* ††) Vd. *p. 921. 930.*

*) Vd. *p. 1014.*

cum legitime impediti per se non poterant, ut in superius allegatis *Comen et Viterbien*, in quibus tamen injunxit parochis, ut suis sumptibus id facerent. Si vero in *Ripana* statuit, ut parochus una cum vicariis alternatim missam pro populo applicaret, id statuit, quia compertum habuit, quod vicarii una cum parocho habebant curam actualem. At in praesenti specie vicarii ex institutione tenentur *ad curae exercitium in solidum*, sed non habent curam actualem quoties ex san. hujus congregationis resolutione munera parochialia non possunt exercere sine consensu et licentia Archipresbyteri. Quare cum non sint parochi nec actualem curam habeant, velut simplices coadjutores forte cogendi sunt ad munera personalia parochi, scilicet ad applicationem missae pro populo, quae per alium impleri nequit.

Neque obstare videtur, si vicarii Castri Madamae percipiant redditus tam certos quam incertos suppressae portionis curatae. Nam applicatio missae pro populo injungitur iis, quibus animarum cura commissa est, et ratione muneris a parochis est implenda, non bonorum, quae possident, ut docet *Monacell. tom. 4. in supplem. ad tom 7. num. 3.* et saepius definivit sac. Congregatio praecipue in *Ferrentina 15. Martii 1735*; iterumque obstare non videtur observantia, ex qua vicarii sponte hactenus alieno huic muneri satisfecerint. Siquidem ad illud tenentur parochi consuetudine etiam antiqua seu immemorabili non obstante, ut ait Benedict. XIV. in citata constit.: *Cum semper oblatas*. Procul autem a requisito immemorabilis distat asserta consuetudo, cum quae initium forte habuerit ex errore, quia mempe vicarii se veros parochos putabant, ideo eo minus Archipresbytero suffragatur, juxta regulam, de qua *Fagnan. in cap.: Conquerente num. 24. de cleric. non residen., Rota in Romana Jurium parochialium quoad sacristam minorem 24. Junii 1744. §. 9. coram cl. mem. Card. Riminaldo.* Ex quibus conflata est quaestio quae proponitur EE. VV. in infrascripto dubio:

An vicarii perpetui Castri Madamae teneantur alternatim cum Archipresbytero dominicis et diebus festis applicare missam pro populo seu potius hoc onus spectet ad unum Archipresbyterum in casu? S. C. resp.:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 21. Novbr. 1801.

Ariminen.

Ineunte anno 1742 supremus Pontifex Benedictus XIV. datis apostolicis literis duas suppressit parochias in terra s. Archangeli Ariminen. dioecesis existentes, quarum prima s. Agathae, altera s. Michaelis titulo erat insignita. Harum bona omnia emolumenta ecclesiae ss. Rosarii addicta fuere, quae unica parochialis simulque insignis Collegiata fuit constituta. Cura habitualis capitulo, actualis duobus vicariis perpetuis totidemque coadjutoribus ad nutum capituli amovibilibus demandata est, ea tamen lege, ut servata pristina divisione populorum unus ex vicariis populo s. Agathae, alter populo s. Michaelis praeficeretur.

Quoniam vero duae vicariae perpetuae (ita vicarius capitularis) constitutae sunt per modum unius et habent unicam ecclesiam parochialem et unicum rectorem principalem nempe capitulum, etsi retenta fuerit distinctio antiqua duorum populorum, tamen ab initio usque in praesens unica missa pro populo diebus festis celebrata fuit alternatim a duobus vicariis perpetuis . . . . . Moderni vicarii perpetui autumant, alterum eorum die, quo non tenetur missam applicare pro populo, posse eam celebrare in quacumque ecclesia etiam rurali, modo prius muneri audiendarum confessionum sacramentalium satisfecerit.

Hinc orta est controversia inter vicarios et capitulum, negantibus illis sese teneri ambos missam pro populo celebrare et applicare, affirmante hoc hujusmodi onus illis inhaerere, imo vero Canonici cunctis suffragiis hunc articulum constitutionibus capitularibus addiderunt: *Ambo vicarii perpetui debent et tenentur per se omnibus diebus festis missam celebrare in ecclesia collegiata ad populi commoditatem.*

Quum vero sabbato majoris hebdomadae alter ex vicariis ad domos benedicendas ante meridiem sese conferre soleat, alter benedictioni fontis baptismalis adsit, ex hoc etiam capite alia quaestio exorta est ac proinde Capitulares novum paragraphum suis constitutionibus addiderunt, qui sic sonat: *Sabbato sancto utrique vicarii perpetui adsint benedictioni fontis baptismalis faciendae a Canonico hebdomadario.*

Detrectantibus has novas leges vicariis res delata est ad H. S. C., a qua Canonici postulant:

1. Se ambedue i vicarii perpetui siano tenuti per se a celebrare la s. messa nell' unica chiesa parochiale cioè in Collegiata in tutti i giorni festivi.

2. Se ambedue i vicarii perpetui debbano nel Sabbato santo assistere alla solenne benedizione del fonte battesimale che si fa dal Canonico eddomadario.

3. Se ambedue i vicarii perpetui siano tenuti ad applicare la messa pro populo.

Rogatus hisce super rebus vicarius capitularis ut informationem et votum utque documenta ad rem facientia transmitteret, is ea exposuit, quae hucusque narravimus, deductiones utriusque partis cum documentis opportunis ad H. S. C. detulit, animi tamen sui sensum minime aperiendum duxit.

Acriter Canonici defendunt, obligationem inesse vicariis perpetuis missam diebus festis ad populi commoditatem celebrandi; de obligatione tamen missam pro populo ab utroque vicario applicandi dubitative tantum loquuntur, nihil afferentes quod eamdem suadere videatur. Imo vero aperte asserunt: *Essersi fin qui dai vicarii perpetui applicata pro populo una sola messa alternativamente per la ragione che la parochia e unica è ciò secondo la dichiarazione di . . . Monsig. Giambattista Stella Vescovo di Rimini, il quale in occasione della visita pastorale fatta in s. Archangelo nel mese di Maggio 1758 dichiarò a voce a Pietro Montanari vicario perpetuo di questa Collegiata per le pertinenze della soppressa parochia di s. Agata, ed a Giacomo Panti vicario perpetuo della soppressa parochia di s. Michele, che i due vicarii curati rappresentavano secondo la lettera apostolica di Benedetto XIV. un solo curato, ed erano due per modum unius, e che la messa pro populo nei giorni festivi dovea celebrarsi a vicenda dai predetti due vicarii, come da un loro scritto del giorno 6. Decembre 1758, esistente in questo archivio particolare.*

Quibus praemissis, animadvertunt, per literas apostolicas erectionis ecclesiae sanctissimi Rosarii in insignem collegiatam facultatem capitulo concessam fuisse condendi *quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta ac sacris canonibus . . . . . minime contraria et per Ordinarium loci examinanda et approbanda*; atque inde colligunt, facultatem inesse capitulo id constitutionibus suis addere, quod in ampliorem divini cultus decorem cedat, prout in praesenti casu fieret, si obligatio imponeretur utrique vicario celebrandi diebus festis missam ad populi commoditatem.

Deinde observant esse quidem unam ecclesiam parochialem, duos tamen populos invicem distinctos duosque parochos eorum spiritualem curam gerentes ac proinde ambobus inesse onus pascendi populum eumdemque spiritualiter aedificandi, nisi muneri suo deesse velint, ut notat *Barbos. ad Conc. Trid. sess. 23 c. 14 de ref.* Sed non aedificationi, verum admirationi et scandalo esset populo parochus ille, qui diebus festis, pinguiori inhians eleemosynae, non in sua sed in aliena ecclesia celebraret.

Huic obligationi uterque vicarius subesset (pergunt), etiamsi alteruter alternis vicibus applicare teneretur, quia *obligatio ad celebrandum et obligatio ad applicandum sunt diversae*, ut ait *Barbos. de off. et potest. paroch. c. 11 n. 10.* Ac proinde si a prima obligatione fortasse eximantur propter unitatem parochiae, ab altera certe sese vindicare non poterunt propter populi distinctionem, cumque obligatio haec ab obligatione pascendi procedat; ubi duo sunt populi, duo adesse debent pastores, qui eos pascant.

Cum vero Conc. Tridentinum *sess. 22. decret. de observ. et evitand. in celebrat. missae* statuerit praemonendum esse populum, *ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis accedat*, inutilem hanc praescriptionem evasuram contendunt, si in parochiali ecclesia non adsit proprius parochus, a quo *vis et usus* sacramentorum doceatur, *necnon inter missarum solemnia aut Divinorum celebrationem sacra eloquia et salutis monita . . . . vernacula lingua singulis diebus festis vel solemnibus explanentur eademque in omnium cordibus . . . . inserantur*, ut idem Conc. *sess. 24 cap. 6. de ref.* praescribit.

Hac profecto de causa factum fuisse volunt, ut sapientissimus Pontifex Benedict. XIV. in const. *Cum semper oblatas*)* permiserit quidem Episcopis, ut facultatem concederent iis vicariis perpetuis, qui vere inopes essent, recipiendi eleemosynas pro missis diebus festis celebrandis, sed hoc ea lege eis permisit, ut *ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali celebrarent*; ex quo concludunt, majorem esse

*) Vd. *p. 695.*

commoditatem quam applicationem pro eodem, cum ab hac Pontifex dispensaverit, illam semper in suo vigore esse voluerit.

Quod vero spectat adsistentiam vicariorum benedictioni fontis baptismalis, haec tantum adnotant, juxta leges sacrorum canonum omnes parochos ecclesiarum filialium teneri adesse in ecclesia matrici, cum fons benedicitur; potiori ergo jure ad hoc teneri omnes vicarios, cum sacra haec functio in ecclesia matrici peragitur.

Ad haec tamen ipsi vicarii regerunt, juxta literas apostolicas erectionis servatam quidem fuisse antiquam populorum divisionem et distinctionem eisque duos vicarios praepositos fuisse, qui curam spiritualem proprii et separati gregis exercerent, sed relate ad ecclesiam et sacras functiones unum esse parochum, unam ecclesiam atque idcirco unum solummodo sacerdotem teneri diebus festis missam pro populo celebrare et applicare; habere capitulum facultatem condendi nova statuta, sed non quae in damnum tertii cedant; probari a se distinctionem inter obligationem celebrandi et applicandi, sed cum ad hanc non teneantur, neque ad primam teneri, cum unica tantum non modo applicatio sed etiam celebratio missae parochialis a s. canonibus praescribatur; concessisse Benedictum XIV. vicariis egenis, ut applicationem missae pro populo infra hebdomadam different, non vero ab eadem dispensasse: neque multo minus celebrationem tantum non distulerit, ut populus praecepto audiendi Sacrum satisfaceret et Dei verbum excipere posset, quod a se praestari atque ad hanc rem unam missam satis esse: neque aliam fuisse mentem Tridentinorum Patrum hac super re, quia unam tantum missam parochialem memorant, non duas aut plures. Quod si Canonicis non satis consultum spirituali populi necessitati, cum bona omnia parochialia capitulo adjudicata sint atque hanc ob causam imposita eidem fuerit obligatio celebrandi quotidie per turnum ultimam missam, quae hodie ad solos dies festos cohibita est. Quoad assistentiam benedictioni fontis baptismalis ajunt idcirco alterum vicarium non adesse, quia longinquum iter aggressurus est ut domibus parochianorum per agros dissitis benedicere possit, ac propterea legitime impeditum esse censendum. Ceterum hanc consuetudinem in ipsa etiam Cathedrali vigere.

Haec ab utraque parte. Quid vero de hac controversia judicandum sit, ex iis deducitur, quae suis literis apostolicis Benedictus XIV. constituit. In iis siquidem ille Pontifex paroecias s. Agathae et s. Michaelis, in quas oppidum s. Archangeli partiebatur, *illarumque respective titulum et parochialitatem perpetuo suppressit et extinxit illisque suppressis et extinctis perpetuo erexit et instituit ecclesiam tunc confraternitatis ss. Rosarii in saecularem et insignem collegiatam, quae etiam parochialis et unica in dicta terra existere debeat etc.* Ex quibus apparet, ecclesias s. Agathae et s. Michaelis unitas fuisse ecclesiae ss. Rosarii unione extinctiva atque unicum in ea parochum fuisse constitutum, capitulum nempe, cui cura habitualis delata est, et eos, qui curam actualem gerunt, non plurium parochorum vicarios sed unius tantum esse debere. Sed cum singuli parochi singulas missas pro populo celebrare et applicare diebus festis teneantur, sequi inde videtur eos vicarios, qui unius parochi vices gerunt, ad unicam missam diebus festis teneri.

Atque in hunc sensum S. H. Congregatio hujusmodi controversias centies resolvit. In *Ripana Jurium parochialium 20. Nov. 1762* refertur Emmum Petra circa curam actualem unius ejusdemque ecclesiae, quae penes Praepositum et beneficiatos erat, auctoritate sibi ab H. S. C. delegata haec statuisse: *Doctrinam christianam tam Praepositus quam beneficiati simul publice docere debeant statutis temporibus: missam vero parochialem teneantur alternatim celebrare et applicare; in eaque qui celebrat evangelium explicet.* Quod decretum Emi Patres in omnibus approbarunt et servari mandarunt.

In *Lucen*) Appl. missae pro pop. 26. Feb. 1774* proposito dubio: *An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alium applicare pro populo in casu?* responsum fuit die 12. Martii ejusdem anni: *Affirmative exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva, et scribatur Episcopo juxta instructionem.* Qua in instructione Eminentissimi Patres inter alia docent Episcopum, ipsos nunquam dubitasse, *quod parochi teneantur applicationi supradictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae atque incorporatae fuerint, cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit.*

*) Vd. *p. 953.*

Id ipsum praescripserat H. S. C. in *Nuscana*) 17. Jan. 1756,* ubi docuit, Canonicos collegiatae ecclesiae s. Mariae de Plano teneri unam tantum missam pro populo diebus festis celebrare, licet plures parochiales illi ecclesiae essent unitae. Ad dubium enim: *An Canonici colleg. ecclesiae s. Mariae del Piano . . . teneantur unam missam pro populo diebus festis celebrare, seu potius tot missas, quot sunt parochiales ecclesiae illi unitae?* responsum prodiit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

In *Balneoregien. Missae paroch. 19. Aug. 1713* ad VII. dub.: *An, quatenus missa parochialis sit celebranda in diebus festivis a Canonicis curatis . . , sufficiat celebratio et applicatio unius missae pro populo seu potius ambo Canonici curati teneantur ad applicationem supradictac missae?* rescriptum fuit: *Sufficere unicam celebrationem et applicationem.* Quae sententia firmata etiam fuit nuperrime ab EE. VV. in *Alben. Applicat. missae pro populo* relata inter supplices libellos die *25. Jun. huj. anni.*

In his S. C. resolutionibus id notatu dignum est, nullam dari distinctionem inter obligationem applicandi et obligationem celebrandi, sed semper ab utriusque pluralitate eximi parochos, quoties agatur de unica parochiali, cui plures ecclesiae unitae fuerint unione extinctiva, licet a pluribus actualis cura geretur.

Circa benedictionem fontis baptismalis, cum haec ritu solemni et magna celebritate fieri debeat, eidem interesse tenentur clerici omnes, qui solent et debent adstare, juxta ea quae notantur per *Gavant. verb.: Baptismus n. 37. 38, Frances. de eccles. cathed. cap. 19. n. 124 et seq.* Itaque cum vicarii perpetui sint veri collegiatae ecclesiae beneficiati, ipsis etiam onus incumbere deberet assistendi benedictioni fontis baptismalis. Verum in praesenti themate cum longinquitas regionum requirere videatur, ut alter ex vicariis antemeridianis horis incipiat domibus benedicere, erit EE. VV. judicare: utrum ille ab hac functione frequentanda legitime excusetur ob hoc parochiale ministerium obeundum, ac proinde: utrum satis sit, ut alter eorum tantum supradictae benedictioni adsit.

Quare proponuntur sapientiae EE. VV. dubia:

I. *An uterque vicarius perpetuus teneatur omnibus diebus festis missam in parochiali ecclesia pro populo celebrare et applicare in casu?*

II. *An uterque vicarius perpetuus benedictioni fontis baptismalis adesse debeat in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Negative.

Ad II. Iterum proponatur.

Die 24. Septemb. 1864.

Continuatio.

Hujusmodi ergo mandatis obsequens et rogans EE. VV., ut reassumere dignentur folium praedicta die 24. Septembris distributum, nonnulla heic afferam ad pleniorem propositae quaestionis disquisitionem.

Doctissimus Pontifex Benedictus XIV. *justit. eccl. 1. n. 1.* palam docet, fontium baptismalium consecrationem inter ea adnumerari, quae sapienter instituta sunt ad christianorum pietatem et religionis cultum sacro majoris hebdomadae tempore magis excitandum. Et comprobata antiquissimae hujus disciplinae observantia auctoritate tum s. Basilii Magni, qui hanc consuetudinem ab Apostolis traditam et in posteros derivatam testatur, tum s. pariter et magni Gregorii, qui in sacramentario accurate et diligenter hujus vetustissimi ritus ordinem complectitur, addit eamdem disciplinam et superioribus temporibus retentam fuisse et nunc etiam religiose observari; cumque sancitum sit, quod fontis baptismalis consecrationi Canonicorum collegium ceterique ecclesiae administri simul interesse debeant, refert, non semel declaratum esse per sacras Congregationes hujusmodi oneri subjectos esse in ecclesia cathedrali Canonicos et clericos universos, qui eidem fidem suam et nomen dederunt, in aliis vero ecclesiis parochos et reliquos sacerdotes et clericos iisdem

*) Vd. *p. 956.*

adscriptos, prout etiam habent *Braschius in promptuario synod. cap. 5. n. 29 in causa Savonen. 17. Novembris 1691*, et *Card. Petra constit. apost. t. 3. const. Jun. IV. sect. un. n. 19*, ubi refert sacram Congregationem in praefata *Savonen.* respondisse: Parochos in ecclesiis cathedralibus quibus subjiciuntur adesse debere, cum solemnis consecratio fontis baptismalis quotannis renovatur, ut reapse egomet ipse adnotatum inveni in *lib. decr. 41 pag. 296.*

Hac posita doctrina dubitari non posse videtur, utrumque vicarium, qui parochi munus exercet, interesse teneri consecrationi fontis, quae solemni ritu in ecclesia ss. Rosarii peragitur. Huic vero obligationi calculum profecto afferunt verba ritualis romani, quibus parochi fidelium domibus Sabbato sancto benedictionem alia aqua, quam quae ex sacro fonte ante chrismatis infusionem hauritur, impertiri prohibentur. En verba ritualis: »*Parochus sive alius sacerdos . . . . cum ministro deferente vas aquae ex benedictione fontium ante infusionem chrismatis acceptae visitet domus suae parochiae.*« Qua ordinatione, si Catalanum audiamus, *comment. in ritual. rom. par. 2. cap. 4.*, contrarius usus directe impingere dicendus esset in ecclesiae praeceptum, cujus tanta vis est, ut exinde praefatus auctor censoriam virgam arripiat contra nonnullos abusus, et praesertim in illos parochos, qui occasione visitationis urbium persaepe hujusmodi benedictionem, quae propter mysticam suam significationem Sabbato ante Paschatis festum peragenda est, nonnullis diebus anticipare audent. In qua proinde minime adhibere possunt aquam noviter et solemniter benedictam. Et hujusmodi abusum e medio tollendum ea etiam ratione Catalanus existimat, quod in vastis parochiis peragi praescripta die facile valeat domorum benedictio adhibitis a parocho aliis sacerdotibus, qui in hoc obeundo munere opem ipsi praebere facile possint. Suffragantur autem Catalano tum rituale romanum, quod de parocho aut alio sacerdote in sua rubrica loquitur, tum s. Carolus Borr. in *concilio provinciali VI. tit. de sacramental.*, tum denique praxis, quae in hac alma urbe obtinet. In themate ergo facile concludendum erit: Vicarios perpetuos s. Agathae et s. Michaelis a memorata obligatione interessendi benedictioni fontis non esse exonerandos.

Haec pro meo munere animadvertenda duxi super secundo dubio. Cum vero occasione novae hujus causae propositionis ille, qui res agit Canonicorum, petierit, ut primum etiam dubium iterum judicio EE. VV. subjiceretur, grave non sit, rogo, ut rursus perpensis rationum momentis in folio diei 24. Septembris distributo dijudicent Emtiae Vestrae: Utrum uterque vicarius, dato etiam quod unius tantum missae pro populo applicatio in casu injungenda sit, saltem quoad celebrationem utramque missam perlitare in parochiali ecclesia teneatur? Quod ut obtineant Canonici in novis eorum literis animadvertunt, populi commodum exigere, ut diebus festis abundent missae in parochiali ecclesia, cum major iis diebus sit fidelium frequentia, et incongruum videatur, ut, qui curam animarum exercet quique quotidie forsan in sua ecclesia celebrat, in dominicis aliisque festivitatibus ab eadem abscedat majoris lucri missam celebraturus.

Sub consueta igitur formula proponam EE. VV. resolvendum:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An uterque vicarius perpetuus benedictioni fontis baptismalis adesse debeat in casu?*

S. c. resp.

Ad I. In decisis et amplius.

Ad II. Affirmative.

Die 26. Novb. 1864.

XLIV. Obligatio vicarii capitularis non est.

Ad dubium: *Vicarii capitulares teneantur — ne ad missae applicationem pro ovibus Sede vacante?*

S. R. C. resp.: Negative, die 12. November 1831.

XLV. Omissa.

Vd. *Applic. Missae pro pop.* (obligatio est vicar. perpet. etc. decr. diei 28. Mart. 1711 ad 3 p. 988; *oblig. in dieb. fest. de praecepto suppressis etc.* decr. *Camerinen* p. 908; oblig. parochorum est etc. decr. *Asculana* p. 933.)

Aretina.

Sacerdos Laurentius Meini parochus s. Mariae a Pernina adeo podagra laborat, ut

pedibus stare non possit neque propterea missas celebrare neque reliqua parochialia munia obire valeat. Fatetur se usque ad diem 22. Maji 1806 missas omisisse in numero sexcentum quinquaginta sex, quarum centum quinquaginta ex iis sunt, quas ratione officii pro populo applicare tenetur, reliquae quingentae viginti sex ad legata pertinent. Se imparem affirmans ad implenda haec missarum onera, neque per se attenta valetudine, neque per alios, cum et capellani stipendium solvere et famuli debeat, qui ei assideat, absolutionem postulat. Episcopus in sua informatione refert in s. visitatione peracta die 31. Augusti 1806 reperisse adnotatas in libris missas septuaginta novem tantum applicatas pro populo ab anno 1790, sed parochum juratum affirmare per alium, cum ipse morbo impeditus fuerit, perplures applicasse, ut centum quinquaginta tantum deficiant. »Quod vero (hisce verbis prosequitur informatio) spectat ad satisfactionem omissarum, non negaverim oratorem omnimoda laborare impotentia easdem per se adimplendi, cum morbo podagrae laboret, ut stare non possit· Id tamen non impedit, quominus per alium valeat satisfacere, cum ejus ecclesiae redditus centum quadraginta quatuor scutorum florentinorum summam demptis incertis ad minus constituant, ut constet ex periti ad id specialiter deputati demonstratione. Notandum insuper est, quod ecclesiae bona ex ipsius incuria sunt notabiliter in deterius versa.«

Causa cur absolutio poscitur ob praeteritum inadimplementum est impotentia supplendi, cum orator morbo vexatus per se celebrare non possit. Sed Episcopus opponit, quod ex congrua percipit annua scuta florentina centum quadraginta quatuor, ut ex his per alium posset praeteritas implere omissiones. Verum si per alium missas sexcentum septuaginta sex celebrare cogatur, requiritur summa scutorum centum et unum et obolorum quadraginta, ita ut non posset aliis expensis supplere praecipue capellani curati, et ipse non haberet, unde infirmam sustineret valetudinem. Quare cum inadimplementum non proveniat ex mala fide sed ex impotentia, aliqua miseratione dignum videtur, ut saepe alias concurrente impotentia indulgentiam adhibuit s. Congregatio, et praecipue in *Romana Reductionis 21. Augusti 1788.* Videant igitur EE. PP. utrum expediat ita ei a SSmo absolutionem quoad praeteritum exorare, ut infra praefiniendum tempus omissa pro populo sacrificia offerat nonnullasque missas celebret pro reliquis omnibus omissionibus.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative applicatis etiam per alium infra annum missis 150 pro populo et aliis 50 pro reliquis omissionibus collective applicandis.

Die 24. Jan. et 28. Febr. 1807.

XLVI. Reductio.

a) Concessa.

Vd. *p. 881 n. VI. p. 908 n. XVII; 942* Constit.: *Amantissimi.*

b) Non concessa.

Comen.

In regione, quam vocant Valle di Muggio, inter alpes Helveticas sita curam animarum olim excercebat capitulum loci Balermae. Quum tamen experientia compertum esset saepe habitatores spiritualibus destitui subsidiis, quippe quia saeviente hyeme impervium erat iter ad paroeciam, hinc factum est, ut universa vallis dispertita esset in multis vice-paroeciis, quae dicuntur di Sagno, Caneggio, Bruzella, Monte, Gabbio, Casima, Muggio, e Scudellato. Singulis hujusmodi vice-paroeciis praepositi fuerunt tot vicarii favore capituli Balermae, quod jure matricitatis nonnullas annuas functiones in iisdem paroeciis sibi retinuit. Hisce vicariis data est congrua per simbolam a parochianis exigenda, quae plerumque non excedit annua scuta sexaginta monetae romanae, quaeque prae inopia familiarum in parte etiam persaepe remanet inexasta. Ex his vice-paroeciis illa di Scudellato recentioribus temporibus erecta est ex dismembratione alterius di Muggio. Parocho sive vicario di Scudellato pro congrua assignata est tum collecta ex parochianis, ex qua percipit quotannis scuta romana 28, tum beneficium de jure patronatus laicali familiae Clericetti, ex quo redeunt quotannis scuta 31 cum onere missae festivae, cujus celebratio translata fuit in actu applicationis ad dies feriales.

Quibus conjunctis cum incertis emolumentis in annuis scutis septem vicarius ille in causam congruae lucratur annua scuta 66.

Cum vero nunc inter belli calamitates, quae illas regiones gravarunt, vicarii collectam a parochianis difficilius exigant, pretia rerum nimium aucta sint, deprecantur a s. Congregatione reductionem missae pro populo ad dies festos solemniores. Parochus vero di Scudellato suo nomine postulat reductionem festivi oneris, quod adnexum est beneficio sibi in causam congruae assignato, ad annuas missas triginta.

Parochiani ab hac reductione missae pro populo non dissentiunt. Nam in divisione paroeciarum declararunt nolle se parochos huic oneri missae pro populo subjectos. Patroni vero beneficii adnexi paroeciae di Scuddelato expresse consensum reductioni praebent. Episcopus Comensis confirmat ea, quae superius exposita fuerunt, addit, quod hujusmodi vice-parochi sunt ex illo genere vicariorum, qui tenentur ad celebrationem missae pro populo ad normam const. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*).* Onera autem ait vice-parochis incumbentia sunt ea ipsa, quae ceteris animarum rectoribus competunt. Ceterum regiones illae satis steriles majori quam reliquae premuntur inopia, ac aliunde cariori pretio victualia comparanda sunt. Nullum hisce temporum angustiis suppetit remedium supplendi vel augendi congruam. Nonnulli ex vice-parochis cum non habeant, unde vivere possint, plures pro dimissione jam insteterunt, ac pertimescendum ne hortamenta mea negligere cogantur ob inopiam. Quod vero pertinet ad instantiam vice-parochi di Scudellato, haec notat reductionem vero missarum, quam vice-parochus Scudellati exorat, misserimum esse remedium. Voti ergo essem, ut a s. Congregatione praefatorum vice-parochorum precibus indulgeatur.

Primum dubium pertinet ad instantiam, quam vice-parochi proponunt super reductione missae pro populo. Negant primum se teneri ad applicationem missae pro populo, quia proprie parochi non sunt.

Nam neque formalem capiunt possessionem neque ad titulum hujusmodi paroeciae Sacris se ordinari possunt, cum velut vicarii amovibiles reputentur, quos parochiani in nova divisione paroeciarum ab hoc onere missae pro populo liberatos declararunt.

Addunt praeterea, quod, licet ex s. Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 1. de reform.* declaratum fuerit, quod a jure divino*) procedat applicatio missae pro populo, attamen nunquam a jure divino statutum est, quoties in anno sit applicanda; ex constitutione Benedictina: *Cum semper oblatas* procedit praefatum applicationis onus singulis diebus festis. Hinc concludunt, quod ex tenuitate reddituum parochorum, quorum aliunde congruae consuli nequit, concedenda sit reductio missae pro populo, ne vice-parochi egestate coacti paroecias derelinquant. Hanc reductionem alias concessam fuisse constat a s. Congregatione ex literis in relatione status ecclesiae redditis Episcopo Allbinganensi sub die 4. Maji 1697 in haec verba: Respondentes autem postulatis circa parochos suae dioecesis non valentes ex tenuitate reddituum sacrificium pro populo applicare Amplitudini tuae remittendum esse censuerunt EE. PP. ut, quod expediens hac in re judicaverit, decernere valeat, dummodo tamen in aliquibus saltem diebus solemnioribus praefati parochi sacrificium celebrare non praetermittant, ut constat ex *libr. 19. visit. sac. limin. pag. 62.*

Verumtamen ad applicationem missae pro populo tenentur etiam vicarii amovibiles, quos penes est actualis cura, ut declaravit citata constit. Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas § 6.*, ut proinde ad applicationem compelli possint vice-parochi hujusmodi, quibus actualis cura animarum commissa est, quamvis nec in titulum paraeciam obtineant nec in ea perpetui sint atque ad nutum expelli possint, ut statuit sac. Congregatio in *Aegitanien. Visitationis sac. liminum 18. Junii 1789.* Neque hoc onus a se avertere possunt ex consensu parochianorum; cum a jure divino impositum sit, a parochis impleri debeat ratione muneris, non bonorum congruae, quam possident, ut tradit *Monacell. tom 4. in supplem. ad form. 7. n. 3* et definivit sac. Congregatio in *Ferentina 15. Martii 1735.*, et in *Tyburtina* **) *Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801.*

Hinc est, quod, licet congrua sit exigua nec aliis modis augeri valeat ad praescriptam quantitatem, nihilominus parochi, quam diu curam retinent, applicare tenentur, ut con-

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd *p. 921, 930.*
**) Vd. *Applicat. missae pro populo* (obligatio non est vicarii etc. *p. 992.*)

troversia intimius scrutata statuit sac. Congregatio in *Civitatis Castellanae 26. August. 1628. lib 13. decr. p. 62.* et in *Forosempronien.*) Missae parochialis praeposita die 25. Januarii* et *resoluta die 8. Februarii 1716*, in qua disputato dubio: *An parochi, de quibus agitur, non habentes congruam teneantur applicare missam pro populo saltem diebus festis, ita ut sint cogendi?* responsum fuit: Affirmative et dentur decreta alias hac de re edita et signanter in *Civitatis Castellanae etc.* Attenta vero egestate id solum indulsit sac. Congregatio, scilicet posse ab iis parochis ad egestatem sublevandam stipendium accipi, licet diebus festis praebeatur, et sacrificium, quod pro populo celebrandum fuerat, offerri pro illo, qui stipendium tradiderit, ea tamen conditione, ut alia hebdomadae die pro populo illud offerentes suo muneri satisfaciant, ut Benedict. XIV. in instit. 10. num. 6. refert hanc mentem fuisse sac. Congregationis in *Ostien,**) 29. Januarii 1724* et ipse Pontifex factus expresse declaravit in allegat. constit.: *Cum semper oblatas §. 7.*

Quoad instantiam parochi Scudellati, de qua est secundum dubium, postulat hic reductionem missarum, quae adnexae sunt beneficio in partem congruae eidem assignato. Ex fundatione ei festivum onus incumbit, quod annuas secumfert missas 82. Onus idem in applicatione translatum est ad dies feriales, cum parochus diebus festis missas applicare pro populo teneatur. Redditus, qui integre quotannis percipiuntur, in summa scutor. triginta unius suppetunt celebrationi missarum, quo casu non probata insufficientia reddituum semper sac. Congregatio reductionem missarum rejecit passim, et praecipue in *Segnisien***) Reductionis missarum 16. Aprilis 1799* maxime cum vice-parochus percipiat scuta viginti octo ex collecta a parochianis et scuta unum et triginta ex redditibus beneficii ita ut habeat summam scutorum quinquaginta, quae pro congrua vicariorum, qui perpetui sunt, assignavit sac. Pontifex Pius V. in sua const., cujus initium: *Ad Exequendum*, edita die 1. Novembris 1567.

Nihilominus Episcopus testatur, quod ob aucta rerum pretia et calamitates, quae in illis regionibus bella attulerunt, parochus Scudellati inopia prematur. Huic vero indigentiae succurri nequit ordinariis remediis praescriptis a sac. Conc. Tridentino *sess. 24. cap. 13. de reform.* Quo casu ad levandam indigentiam parochorum reductionem missarum concessit sac. Congregatio in *Albinganen. 12. Decembris 1778.* Et in *Anconitana Missarum 20. Aprilis 1782.* et in *Novarien. Reductionis missarum 23. Novembris 1793.* Caeterum animadvertendum est, quod haec reductio missarum, quae adnexae sunt beneficio, tum locum habere poterit quatenus denegetur in primo dubio reductio missae pro populo. Nam parochus Scudellati una cum reliquis a se hoc onus repellere postulat, unde, cum reducto onere missae pro populo consequeretur augumentum congruae, non esset concedenda haec altera reductio missarum, quae beneficio adnexae sunt, sin vero harum reductio EE. PP. concedenda videtur, tum ab eorum arbitrio pendet numerus, ad quem reducendae sint. Parochus postulat, ut ad triginta annuas reducantur.

Unum hinc alterumque proponitur dubium:

I. *An et quomodo sit locus reductioni missae pro populo in casu?*

II. *An et quomodo sit reducendum missarum onus adnexum beneficio unito paroeciae Scudellati in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative et ad mentem.

Ad II: Negative.

Die 17. Julii 1802.

Continuatio.

Mens autem fuit, quod scriberetur Episcopo, ut permittat oratoribus applicationem missae pro populo diebus ferialibus ad formam const. Benedict. XIV.: *Cum sumper oblatas*, durantibus actualis inopiae circumstantiis. Iterum nunc vice-parochi reductionem implorant, cum translatio missae pro populo ad dies feriales nil eorum indigentiae opitulctur. Episcopus testatur, quod, cum vice-parochi hujusmodi in causam congruae vix habeant scuta annua quadraginta monetae romanae, non possint sibi comparare, quae ad victum sunt necessaria in alpinis montibus et vallibus, in quibus habitant. Cum vero, ut eorum congruae augeantur, non suppetant remedia praescripta a s. Concilio Trid., parochi dederunt Episcopo novissinas

*) Vd. *Applicat. missae pro populo* (obligatio paroch pauperum p. 936.)
**) Vd. *p. 936.*
***) Vd. *Missa* [reductio concessa, non concessa].

et uniformes instantias pro absoluta respectivarum vice-paroeciarum dimissione, nisi ipsis aliunde provideatur, saltem cum exoneratione absoluta applicandi pro populo missas festivas de praecepto, cum aliunde dispensatio jam a s. Congregatione Concilii super primis precibus iisdem vice-parochis elargita missae festivae applicationem supplendi per hebdomadam nihil omnino suffragetur nec attentis locorum angustiis et miseriis ulla sperari possit missarum eleemosyna. Ne igitur vice-paroecias praefatas pastoribus spoliari contingat, necessarium fore testamur, ut Sedes apostolica imploratum miserrimum remedium absolutae exonerationis applicandi missam festivam pro populo iisdem vice-parochis elargiatur.

Haec, quae habet Episcopus, serio animadvertant EE. PP. et reasumpto folio Congregationis diei 17. Julii 1802 dignentur deliberare:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. R. resp.:

In Decisis.

Die 15. Jan. 1803.

Montis Falisci.

Intra limites dioecesis Montis Falisci prope lacum Vulsinii surgebat olim castrum, quod Bisentii nomine innotescebat; sed labentibus annis ob rerum discrimina solo ita fuit aequatum, ut nostris hisce temporibus vix vestigia intueamur; ecclesia tamen parochialis adhuc existit, ad eamque accedunt nonnulli pecudum pastores, qui casas incolunt per agros extructas. Parochi autem qualibet domo carentes suisque ovibus, huc illuc dispersis, jamdudum orbati in finitimis locis sedem collocare consueverunt. Hodiernus parochus Paulus Moretti moram ducit in oppido Capitis Montis, quod tertio distat lapide a memorata ecclesia: verum singulis diebus festis Bisentium proficiscitur vel sacerdotem illuc mittit, qui in ecclesia parochiali Sacrum faciat et semel in anno sacramentales quorundam custodum ovium confessiones excipiat, licet iidem pastores Deum veneraturi ac Sacramenta suscepturi aliam haud longe dissitam adire soleant ecclesiam patribus Reformatis concreditam. Hujus vetustissimae paroeciae fructus aut temporum injuria aut rectorum negligentia adeo decreverunt, ut modo triginta septem scutata quotannis attingant; ex quibus si missarum stips, tuitio ecclesiae et publica vectigalia detrahantur, tria dumtaxat supra decem parocho supersunt scutata. Hinc praefatus parochus enixe ab hac sacra Congregatione postulat, ut applicatio missarum pro populo ad unam in quolibet mense reducatur.

Emus Episcopus pro informatione et voto requisitus sic mentem suam aperuit: »Nil mirum si bonus pastor ovibus suis hac illac dispersis crassique aeris pertaesus ecclesiam parochialem, cujus erectionis memoriam aetas penitus oblitaverit, reliquerit, onere tamen retento ad eam singulis diebus festis accedendi, ut Sacrum dumtaxat pro alicujus pecudum custodis commodo agere illiusque sacramentales confessiones semel in anno audiret. Hujus paroeciae fructus ita paulatim decreverunt, ut modo argenteos nummos (italice scudi) triginta septem circiter soleant quotannis aequare, quorum, missarum stipe alioque aere alieno detracto, vix tres supra decem parochi favore supersunt. Jure hinc meritoque spes nobis maxima effulget, Emos Patres oratoris precibus benigne fore indulturos, annuendo scilicet, ut missarum applicatio ad unicam tantum in quolibet mense sit circumscripta, ea tamen mente, ut omnium benefactorum aliorumque interesse quomodolibet habentium animabus debeat suffragari, ne sit, qui ex hujusmodi providentia aliquod detrimentum patiatur.«

Rationum momenta, quibus innititur parochus pro assequenda missarum pro populo reductione, sunt ipsa reddituum tenuitas; beneficia enim eriguntur nedum ad onera implenda, sed etiam ad congruam alimoniam ministris ecclesiae suppeditandam, s. Congregatio in *Neapolitana Reductionis 18. Martii 1826* §. *Si* et in *Senogallien. Reductionis 28. Aprilis 1827.* §. *Jam vero.* Hinc eadem s. Congregatio imminutis beneficiorum proventibus, si nulla adsit ratio illos augendi, onerum reductionem concedere consuevit, uti ostendunt exempla in *Senogallien. Reductionis missarum 10. Maji 1784,* et in *Viterbien. Reductionis onerum 8. Maji 1784.*

In themate redditus paroeciae valde sunt tenues nullaque effulget spes illos augendi. Nec aliquid negotii facessere videtur, petitam reductionem spectare missas pro populo; siquidem orator potius quam parochi capellani nomen meretur, quemadmodum perpendit Emus Episcopus ita edisserens: »Ecquis

porro in hoc rerum loco non fateatur, illius ecclesiae rectori capellani nomen satius convenire, ut si parochum adpellitemus fucum profecto facere ei videamur? Ecquis praeterea inficias iverit, rectam expostulare rationem, ut in adeo paupere regno missarum applicationi, aequitate duce, quoquo modo prospiciatur?«

Verum haec s. Congregatio parochorum querelas, qui onus applicationis missae pro populo detrectabant, jugiter respuere consuevit, veluti testatur folium in *Oveten.**) *Missae pro populo 22. Januarii 1774.* §. *notum,* probe sciens, animarum pastores jure divino**) esse obstrictos nedum ad plebem sibi commissam salutaribus verbis instruendam, sed etiam ad sacrificium pro ea singulis diebus festis offerendum, *Conc. Trid. sess. 23 cap. 1. de reform., Benedict. XIV. in constitutione*: *Cum semper oblatas.****)

Tenuitas autem reddituum haud justam suppeditare videtur causam, quamobrem orator ab onere, quod ei jure divino imminet, vel ex parte levetur. Animarum siquidem curatores non pro ratione reddituum sed ex munere, quo ipsi funguntur, missam pro populo applicare tenentur, *Antonel. de jurib. cleric. lib. 2. part. 6 num. 2,* s. Congreg. in cit. *Oveten.* §. *Ab onere,* ac propterea, etiamsi congrua exhibitione destituantur, nihilominus a Sacrificio pro populo quolibet die festo celebrando non eximuntur, *Benedict. XIV. cit. const.* §. *3,* et s. Congreg in *Ovcten.*†) *Missae pro populo 18. Novembris 1826,* §. *Qui.* Quinimmo Benedictus XIV. potius quam reductionem ejusdem missae parochis egenis impertiretur, tribuit Episcopis facultatem cum parochis dispensandi, ut diebus festis eleemosynam a benefactoribus recipere possint et missam pro illis applicare, translata ad alium diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo, *cit. constit.* § *5.*

Nec similiter quidquam officit, quod exiguus subditorum numerus in oratoris paroecia supererit. Cum enim animarum curatores intra paroeciae limites residere teneantur, etiamsi in illa tres vel quatuor incolae remanserint, uti respondit haec s. Congreg. apud *Fagnan. in cap. Extirpandae* §. *qui vero n. 11 et 56 de praebend.*, eo magis ad missae applicationem pro populo singulis diebus festis obstricti dicendi sunt, *Garzias de benef. part. 3. cap. 2. n. 179, Barbos. de offic. et potest. parochi part. 1. cap. 8. n. 4,* s. Congr. in *Ostien.**) *Parochiae decimae 29. Januarii 1724.* Dubitari autem non posse videtur, quin orator tamquam verus parochus sit habendus, ipse enim se beneficium cum animarum cura possidere fatetur Emus Episcopus templum Bisentii, in quo erectum est beneficium illud, appellat ecclesiam parochialem, ejus rectorem pastorem vocat, certum exploratumque est, olim Bisentii extitisse paroeciam, ac latet ejus suppressio; qui supersunt in agro, licet perpauci incolae, spirituali subsunt ipsius oratoris jurisdictioni. Cum igitur in dubium revocari non possit, oratorem unicum ac verum esse curatorem animarum antiqui Castri Bisentii ac propterea onere devinci pro iis Sacrificium quolibet die festo offerendi, Emi Patres decernere dignentur:

An et quomodo sit locus reductioni missae pro populo in casu?

S. C. resp : Negative.

Die 15. Mart. et 26. Apr. 1628.

Spiren.

Episcopus Spirensis SSmmo D. Nostro supplices preces obtulit, quibus ob sacerdotum penuriam, praecipue vero ob praegrande onus missarum in unaquaque hebdomada celebrandarum, quo plures suae dioecesis parochi gravantur, veniam rogat vel omnino remittendi maturo praemisso examine et pro urgente necessitate vel saltem ad pauciores missas reducendi nonnullis parochis obligationem applicationis missae pro populo in diebus festis legitime suppressis.**)

Refert enim: »In dioecesi Spirensi major pars incolarum protestantium confessioni adhaerens in oppidis et pagis cum catholicis permixtim habitat, qua ex causa plurimae parochiae catholicae nimium extensae sunt, amplectentes multas late circumcirca filiales et annexas. Et quod maxime dolendum est, in permultis ejusmodi parochiis extensis et copiosis ob penuriam sacerdotum et nimiam exiguitatem proventuum ecclesiasticorum unicus tantummodo sacerdos sacris fungitur officiis. Inter parochos triginta duos, quorum

---

*) Vd. *p. 872.* **) Vd. *p. 921. 930.*
***) Vd. *p. 695.* †) Vd. *p. 956.*

*) Vd. *p. 936.* **) Vd. *p. 908. 942.*

singulae parochiae duo, tria, quatuor, quinque et sex millia parochianorum excedunt, sexdecim tantum sunt, qui gaudent auxilio sacellani, in aliis sexdecim parochiis nonnisi singuli existunt sacerdotes, inter quos insuper septem sunt, qui omnibus diebus dominicis et festivis binando in ecclesia parochiali et filiali dissita Sacris fungi debent. Aliae viginti quinque parochiae cum pluribus filialibus et annexis, quae parochianos mille et quingentos usque ad duo millia complectuntur, quatuor exceptis, unius tantum curae commissae sunt sacerdotis, quorum decem omnibus diebus dominicis et festivis in duabus ecclesiis dissitis celebrare tenentur.

In his parochiis tam copiosis plurimae existunt missae fundatae; praeterea pro quolibet defuncto adulto tres post diem obitus missae plerumque celebrantur. Pro pauperibus defunctis ab omnibus parochis vi observantiae dioecesanae nonnisi difficillime relaxandae, una saltem missa gratis celebranda est. Alii parochiani, qui pro parentibus aliisque cognatis missas fundare nequeunt, in die obitus anniversaria missas celebrari desiderant; item et pro defunctis parvulis missas sic dictas Angelorum, eaque ac pro omnibus fidelibus defunctis, et in aliis animae et corporis necessitatibus, et quidem in propria ecclesia, ut sacrificio missae adesse queant, et magno certe afficerentur dolore parochiani, si pio huic desiderio parochi satis facere non possent. In omnibus fere parochiis existunt piae sodalitates cum plurimis missarum fundationibus aliaeque piae congregationes, quarum sodales collectis eleemosynis Sacra tam pro vivis quam pro defunctis peragenda expostulant, quae aliaque Sacra si parochus per alium sacerdotem in aliena ecclesia celebrari curaret, facillime incurreret suspicionem neglecti officii. Insuper in dioecesi Spirensi singularis existit societas sacerdotum sub nomine pacti Mariani, cui omnes dioecesis sacerdotes cum pluribus laicis adscripti sunt, qui pro singulis sodalibus defunctis tenentur missam celebrare vel celebrari facere.

His omnibus accedit, quod pluribus parochis ob penuriam sacerdotum etiam vicinarum parochiarum vacantium cura, et saepius quidem per plures annos, debeat commendari; quo fit, ut cumulatis missarum oneribus satis facere omnino nequeant. Quodsi parochus auxilio sacellani saepissime destitutus longiori tempore aegrotat, missae fundatae, ut alias praetermittam, nimium retardantur, quod jamjam in aliis pluribus accidit parochiis copiosis uno tantum sacerdote gaudentibus, quod certe fideles nonnisi aegerrime ferunt.

Rebus in dioecesi Spirensi sic stantibus supervenit epistola encyclica Romae die 3. Maji 1858 *) data, qua omnibus parochis aliisque animarum curam actu gerentibus in dioecesi viginti sex per annum missarum pro populo in diebus festivis reductis applicandarum nova obligatio injungitur. Cumulatis hisce oneribus persolvendis, cum multi parochi meae dioecesis sane impares se conspicerent, ex onerata conscientia instanter ad me preces direxerunt, ut pro clementissima hujus obligationis remissione rogarem. Et re vera in dioecesi Spirensi, uti ex supra allatis patet, viginti saltem parochi existunt, qui obligationi missas in diebus festivis reductis pro populo applicandi satis facere omnino, plures alii saltem in toto satis facere nequeunt.«

Parochos aliosque omnes curam animarum actu exercentes divino praecepto **) teneri pro ovibus sibi commissis novae legis sacrificium offerre aperte docuerunt Tridentini Patres *sess. 22. cap.* 1. *de reform.*, ita ut missae pro populo applicatio recenseri meretur inter pastoralia munera, quae parocho ratione officii incumbunt, uti Innocentius XII in const. diei 24. Aprilis 1699; ***) eaque locum habere debeat tam in omnibus dominicis quam in aliis solemnioribus festis juxta notissimam constitut. Benedicti XIV.: *Cum semper* †) et quidem etsi tenues sint paroeciae redditus, sacra Congreg. in *Ferentina 26. Martii 1735*, et in *Viccequen.* ††) *7. Maji 1808*. Haec autem omnia firma manent non modo pro iis diebus festis, qui adhuc a populo servantur, sed etiam pro festis diebus jam suppressis; summi enim Pontifices, qui christianam plebem ab onere audiendi Sacrum illis diebus liberam reddiderunt, non exonerarunt parochos ab obligatione missam applicandi pro populo, sicuti elucet ex ipsa Benedicti XIV. constit. *num. 7*, et ex praelaudatis literis encyclicis diei 3. Maji 1858,

*) Vd. *p. 942.*
**) Vd. *p. 921 930.*
***) Vd *p. 934.*
†) Vd. *p. 695.*
††) Vd. *p. 900.*

cujus initium, *Amantissimi Redemptoris*, quibus non novum aliquod onus imponitur, sed rursus tantum praecipitur et declaratur omnino observandam esse veterem obligationem, contra quam nulla quamvis antiqua seu etiam immemorabilis consuetudo adduci efficaciter posset juxta citatam constit. Benedictinam *n. 5.*

Verum haud dubitare licet, quod magna occurrente exiguitate reddituum parochialium in peculiaribus casibus pro re et tempore aliqua praefatae obligationis remissio parochis tribuatur. In casu tamen res non est, ut videtur, de absoluta reddituum exiguitate, sed de sacerdotum potius penuria, ex quo fit ut unus parochus par non sit satisfaciendo oneribus missarum sive quae ex perpetuis legatis sive quae ex fidelium oblationibus in dies proveniunt.

Utrum id legitimam exhibeat causam petitam remissionem elargiendi, erit EE. VV. decernere, nisi potius aliud lubeat adhibere remedium, quod ipsa Benedictina constitutio in §. 8 suppeditat, transferendi nimirum ad aliam infra hebdomodam diem missae pro populo celebrationem, quae praedictis festivis diebus incumberet.

Quare etc.

S. Congregatio respondit: Negative et ad mentem.

Die 18. Februarii 1865.

(Anal. J. P. 1866. p. 2260.)

XLVII. Satisfieri non potest insimul applicationi missae conventualis.

Vd. *Applic. missae convent.* (Oblig. Canonici parochi *p. 737.*) ; *p. 974 n. XXXIII.*

XLVIII. Per Substitutum.

Vd. *Applic. missae pro populo* (Oblig. parochor. plurib. *parochiis praepos.* decr: *Lucen p. 953;* obligatio parochi privatim celebrantis, p. 984; translatio, causae, *p. 1013,* non concessa *p. 1014, p. 916* decr. *Osnabrugen.); p. 974 n. XXXIII; p. 880 n. IV; p. 737 n. IX.*

Celebris est constitutio *Cum semper oblatas*) 103. tom 1. bullarii sa. mc. Benedicti XIV.* Videnda insuper est *institutio 107.* ejusdem san. mem. Pontificis, in cujus §. *2. num. 14.* habetur: *Si quis addictus choro animarum curam pariter obtineat et ob eam causam diebus festis pro populo rem divinam facere debeat, non speraret utrique praecepto satisfacere, celebrans nempe eamdem missam pro populo ac pro benefactoribus suae Cathedralis aut Collegiatae. Quare decrevit ecclesia a sacerdote ejusmodi, si Sacrum conventuale faciat tanquam Canonicus aut beneficiatus, rem divinam pro benefactoribus generatim applicandam esse et alium sacerdotem accersendum eodem die, qui pro populo celebret.*

Die 7. Aprilis 1781. *Null. Ferentilli.*

Liceat necne parochis Cathedralis aliarumque Collegiatarum dioecesis Castri Albi celebrare per beneficiatos vel alios sacerdotes missam pro populo, seu potius teneantur per se ipsos? Id ipsi affirmant innixi statuto ecclesiae sancti Vincentii d'Abrantes, in quo sub §. 1. singulis praescribitur ejus beneficiatis: »celebrare la messa conventuale pro populo nell' altare maggiore; qual' obbligo è annesso ancora agli economi, che servono nel luogo dei beneficiati assenti, siccome finora si è pratticato.« At duo quaerenda: Utrum eximi per statutum valeant parochi ab applicanda per se ipsos missa pro populo et num particularis unius ecclesiae lex reliquas afficiat? Negat quoad primum Tridentina synodus in *sess. 23. cap. 1. de reform.* ac post eam *Ferrar.* verb.: *Parochus num. 19. annot. 2.* et sac. haec Congregatio in *Fesulana*) missae parochialis 26. Januarii 1771*, in qua ad secundum dubium: *An (parochi) saltem applicationi missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem?* rescripsit: Negative. Et negat quoad secundum *text. in cap. fin. de constitut. in sexto,* et *in leg. fin. ff.* et *cod. de jurisdict. omn. judic.* Despiciendam vero censet Episcopus observantiam tanquam abusum et corruptelam ac veluti inductam ex avaritia parochorum, qui missam, che hanno da offrire per il suo populo, la dicono secondo l'intenzione del particolare benefattore, vale a dire in utile proprio.

Die 27. Junii 1789. *Castri Albi.*

Saepe alias statuit s. Congregatio, quod parochus legitime impeditus possit per alios applicare, ut in *Viterbien 31. Martii 1708. ad II. dub.* et in *Comen. Missae parochialis et conventualis ad V. dub. 11. Maji 1720.*

Die 21. Nov. 1801. *Tiburtina***).

*) Vd. *p. 695.*

*) Vd. *p. 1014.*
**) Vd. *Applic. missae pro populo* (obligatio non est vicariorum etc. p. 992.)

Quamquam applicatio missae pro populo ita pastoribus imposita sit, ut per se et non per alium substitutum eam implere debeant, ut praescripsit s. Congregatio in *Fesulana Missae parochialis 26. Januarii 1771*, attamen, si quod subsit necessarium impedimentum, quominus per se applicare nequeant, eisdem s. Congregatio permittit, ut per alios supplere possint, ut in *Comen. Missae parochialis et conventualis 11. Maji 1720 ad V. dubium.*

Die 17. Decbr. 1803. *Visen.*)*

Ad dubium: *An occurrente, quod archipresbyter parochus celebret missam conventualem vel alias legitime absit seu sit impeditus tam in diebus festivis quam ferialibus quadragesimae, teneatur celebrari facere per alium missam parochialem pro populo?*

S. C. resp.: Affirmative, sed cum applicatione diebus festis tantum. Die 11. Maji 1720.

R. P. a Secretis S. C. de Prop. Fide sacri hujus Ordinis definitioni sese subjecit de mandato SSmi sed petit facultatem a vicario ap. Syraeducis indulgendi aliquoties parochis vicariatus ut per sacellanos suos implere possint onus applicationis missae pro populo.

S. C. C. censuit rescribendum: pro facultate indulgendi parochis vicariatus, ut per sacellanos missam pro populo applicare possint in casibus verae necessitatis et dummodo ex canonica causa fiat, facto verbo cum SSmmo. Factaque de praemissis per Subsecret S. C. relatione SSmo, Eadem Sanctitatis resolutionem S. C. in omnibus benigne approbavit et confirmavit; proptereaque eadem S. C. supradictam facultatem superius descriptae resolutionis forma ac tenore in omnibus et per omnia impertita est.

P. Card. Polidor. Praef. S. C.
Alessi de Castellis. Secr.

Die 11. (13.) Martii 1843.

1. An parochi ipsi ss. missae sacrificium pro populo offere debeant, si legitima causa non impediantur, an vero per alium, ex. g. sacellanum aut presbyterum advenam huic officio satisfacere possint?

2. Quid censeri debet de consuetudine, vi cujus parochus diebus dominicis et festis missam privatam pro pio aliquo benefactore applicat et nullo legitimo impedimento detentus onus celebrandi missam pro populo in alium sacerdotem transferet?

S. C. resp.

Ad 1: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica.

Ad 2. Consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam.

Die 25. Sept. 1847.

Dum superiori anno 1847 tertio Kalendas Martii S. R. Congregatio in una vicariatus Ruremondensis in Hollandia*) ad dubium IV. declaravit: Parochum posse vel per alium in dominicis applicare pro populo sacrosanctum missae sacrificium, etiam privatim celebrando, quin teneatur applicare missam solemnem, qui celebrationem interdum committat alii sibi beneviso sacerdoti; super hac ipsa declaratione novum in praesentiarum proponitur dubium, quod fundatur in declarationibus et decretis alias a sacris Congregationibus Urbis latis et a quibus omnino exigitur ut parochus in dominicis festisque pro populo applicet. Iterum itaque sacra Congregatio Rituum de sententia requisita in ordinariis comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata post auditam a R. P. D. secretario fidelem relationem ac maturum omnium examen rescribendum censuit: Responsionem datam die 27. Februarii 1847 intelligendam esse quoad missam solemnem, de qua quaerebatur; nam propius ad casum non obstantibus alias decretis et in facto declaratis rescribere rata est: posse quemlibet parochum, accedente justa et legitima causa, adimplementum missae pro populo applicandae alii sacerdoti committere seu per alium sacerdotem hanc missam celebrari facere. Atque ita rescripsit die 22. Julii 1848.

(Correspond. de Rome Ed. II. 1488—49 p. 41.)

Si quis paroeciae gerendae praepositus tamquam insimul unus de capitulo adstrictus sit missam conventualem applicare pro benefactoribus, alteram, si festus dies sit, per alium applicare tenetur pro populo, pluries s. Congregatio decrevit, ceu ceteris missis in *Januen.***) *Servitii chori et miss. pro populo 17. Aprilis 1834, ubi ad 2. dubium:*

*) *Applic. missae pro populo p. 952*

*) Vd. *p. 880 n. IV.* **) Vd. *p. 744.*

»*An et quomodo concedendum sit indultum satisfaciendi unica missa conventuali applicationi missae pro populo eorum curae commisso seu potius sint adigendi Canonici curati ad utrumque onus singillatim exsolvendum in casu?* datum fuit responsum: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*«

Die 29. Jan. 1853. *Aesina.*

Prima quaestionis pars satis definita videri posset a s. Ordine in *Fesulana Missae pro populo 16. Junii 1770,* ubi rogatur:

I. *An parochi diebus dominicis aliisque festis diebus praesente cadavere teneantur celebrare missam pro defuncto et ad aliam diem possint transferre missam pro populo applicandam in casu* (agebatur de casu quo alias tumulandum fuisset cadaver absque missa)?

Et quatenus negative,

II. *An saltem applicationi missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem in casu?*

Ad utrumque respondit die 26. Januarii 1771: »Negative.« Quo posito supervacaneum esset quaerere: An in alium diem vel sacerdotem transferre liceat applicationem pro populo, ut parochus satisfaciat peculiari intentioni vel privati eleemosynam offerentis, quum manifestum per se sit haec a fortiori prohiberi; nisi forte res sit de parochis pauperitate laborantibus, quos Benedictus XIV. in constit. »*Cum semper oblatas**) §. 8 dispensare Episcopis permisit.

Cum autem legitime impeditus teneatur per alium supplere ex *Comen. 11. Maji 1720 ad III. dub.*, cui et alia concordant exempla, non est cur vetitum sit oratori id edicere, si vera necessitas expostulet. Notari hinc juvat, quod vicario apostolico Syraeducis imploranti facultatem indulgendi aliquoties parochis vicariatus, ut per sacellanos suos pro populo applicarent. S. Congregatio die 11. Mart. 1843 censuit rescribendum: juxta petita in *casibus tamen verae necessitatis et dummodo ex canonica causa fiat.* Inter legitima vero impedimenta recenseri legitimam absentiam patet ex cit. *Comen.* Et scite orator parochos monebit, quemlibet absentiae casum approbandum fore ab Episcopo, quod consonum videtur Concilio Trid. *sess. 23. c. 1. de reform.*

Die 23. Aprilis 1853. Osnabrug.)*

XLIX. Substitutio non concessa.

Vd. *Appl. missae pro populo* (transl. non concessa decr. *Fesulana* diei 26. Jan. 1771, per substitutum *p. 1005.*)

L. Substitutio dubia.

Januen.

Exstat in Januensi civitate ecclesia s. Pancratii antiquitus fundata exornataque per quatuor nobiles ejusdem civitatis familias de Pallaviciniis, Calvis, Riccis, Falomonicis, quibus proinde sa. me. Clemens VIII. anno 1593 apostolico brevi indulsit, ut ipsae familiae ac servientes et famuli ac familiares penes eas commorantes et conviventes praedicta ecclesia uti propria parochiali omnimode uterentur nec aliae subessent, etiamsi non in ecclesiae ejusdem districtu sed alibi in quacumque civitatis parte habitarent. Ceteris hodie extinctis unica superest Pallaviciniorum domus, penes quam juspatronatus cum memorato privilegio parochiali coaluit; et modo sex ejusdem familiae aedes hinc illinc per civitatem sitae cum quadraginta fere personis parochiam s. Pancratii constituunt.

Porro hodiernus parochus Franciscus Bancalari inde ab anno 1838 nominatus suas officii partes laxiori quodam pede commetiri non dubitans habet in more aedes parochiales diebus ferialibus deserere et in locum extra prima civitatis moenia situm se conferre ibique noctes passim ducere, relicto saeculari famulo ad ss. Sacramenti custodiam, qui possit etiam urgente necessitate ad parochum ecclesiae s. Marcellini non valde dissitum convolare, quocum de Sacramentis infirmantibus ministrandis intentionem habet.

Nec etiam semper dominicis festisque diebus missae sacrificium personaliter sibi celebrandum putat in ecclesia parochiali, dummodo alium sacerdotem ibi celebraturum relinquat, nec habendam in dominicis concionem ad populum, quam consuetudine, ut ait, innixus hora vespertina diei Sabbati praemittere solet, ut ipse festis diebus coram pia quadam congregatione, cujus moderator

*) Vd *p. 695.*

*) Vd. *Applicatio missae pro populo* (obligatio in diebus festivis suppressis etc. p. 916).

adest, Sacrum facere ibique evangelizando operam utilius navare possit. Quibus omnibus gravati laudatae gentis gubernatores dictaequae ecclesiae patroni nimirum Rmus Alerames Archiepiscopus Pergen., Ignatius, Alexander et Franciscus ex Marchionibus Pallaviciniis preces ac dubia ut infra dirimenda amplissimo huic Ordini obtulere.

Requisitus pro informatione et voto vicarius capitularis, audito parocho, exposita confirmat, adjungens antecessores residentiam in domo paroeciali observasse. De cetero redditus paroeciae admodum tennes esse, cohiberi nimirum ad libellas 383 et cent. 33. praeter libellas 32 ex quadam capellania cum onere celebrandi et applicandi totidem missas, quum incerta emolumenta sint longe exigua propter exiguum parochianorum numerum. Morem vero habendi concionem in vesperis sabbati parochum ab antecessore saltem accepisse.

Parochus autem inprimis urget se residentiae legem minime laedere, cum parochia non sit territorialis seu certis limitibus circumscripta et locus commorationis sit citra civitatis moenia. Ad demonstrandum praeterea facile periculum animarum haud pertimescendum, exhibet quemdam ecclesiae suae statum, ex quo apparet, inde ab anno 1839 baptizatos ex patronorum familiis tres, ex famulatui addictis novem; celebrata matrimonia septem et quatuor, ex mortuis sex et octo fuisse. De cetero se nunquam per totam hebdomadam abesse in loco non admodum remoto; id quod propter aeris intemperiem et humidam obscuramque domum parochialem antecessoribus etiam in usu fuisse asserit. Se mane ad ecclesiam semper regredi ibique celebrare, praecipue in festis reductis. In hebdomada sancta nunquam abesse nec etiam in solemnioribus, quando quaedam praecipue functiones peragendae occurrunt. Immo ex quo tractatus initus fuerit inter ipsum et patronos coram vicario capitulari, die scilicet 2. Februarii anni curr., se duobus festis in ecclesia parochiali, tribus vero in oratorio memoratae congregationis missam dicere juxta modum ab ipso vicario indicatum.

Denique idem parochus nonnulla contra patronos gravamina subnectit eaque tollenda ab hac s. Congregatione efflagitat; inter quae imprimis quaeritur sibi nihil communicari de statu reddituum beneficii, quorum mentionem fecit Breve Clementis VIII. quosque legatis auxit Marchio Vincentius Pallavicinius. A patronis quoque assignandam esse credit habitationem pro sacerdote, si quem ipse juxta edictum vicarii capitularis in ecclesia sua relinquere teneatur, cum quondam ejusmodi domus extiterit. Addit enim quaerelas de clerico sine ipsius consensu eligendo, cui ecclesiae res cum parochi responsabilitate committendas ait, necnon de sumptibus pro cultu anticipatim ab ipso solvendis. Dubium demum movet an dimissis ab ipso emolumentis, quae ex officio directoris praedictae congreg. percipit, a patronis augeri debeat congrua parochialis admodum tenuis.

Quod dubium cum ceteris infra exscriptis ut resolvatur, haec notanda videntur. Residentia*) personalis et laboriosa curionum, licet adhuc inter doctores controversia vigeat, an sit juris divini, Benedictus XIV. *de Synod. diocces. lib. VII. cap. I. num. 2*, quam in partem affirmativam resolvi ab universis fere monet *Fagnan. in cap. Ex parte, de cleric. non resid. num. 25*, dubii tamen prorsus expers est, eam pastorali muneri ita inhaerere, ut tamquam basis quaedam fideli omnium officiorum explemento subesse censeatur. Quam proinde a sacr. Concilio Tridentino et ss. Pontificibus s. Pio V., Innocentio XIII. et Benedicto XIII. severe inculcatam, imprimis quoad parochos Congregatio haec interpres strictissime servandam semper edixit, prout cum aliis testis habetur *Garcias de benef. par. 2. cap. 2. num. 179.* Jam vero ex ipsa pastoralis officii natura profluit, continuam esse debere nec in ea exemplum de Canonicorum vel etiam Episcoporum residentia desumptum valere, *Fagnan. cap. Clericos. num. 8. et* 15. *tit. cit.* Quare cum inter canonistas nonnulli, veluti *Navar. Manual. cap. 52. num. 121,* opinionem inducere non dubitarent, in *cap. 1. Conc. Trident. sess. 23.* idem prorsus quod de Episcopis etiam de parochis quoad residentiam statui iisque exinde relicto habili vicario per longius quoddam tempus discedere absque Episcopi facultate licere, haec sac. Congregatio declaravit, quod parochus nec possit per hebdomadam abesse non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato.« *Garcias cit. par. 3. cap. 2. de benef.* et *Fagnan. cap. Relatum. de Cleric. non resid. num. 32.* De uno tamen alterove die certam esse et

*) Vd. *Residentia.*

communem affirmativam sententiam necnon declarari universali consuetudine ait *Reiffenstuel de cleric. non resid. §. 3. num. 78.* et de biduo testatur *Giraldi par. 2. sect. 37. not. 1*, quod nihilominus *Barbosa de off. et pot. parochi par. 1. cap. 8. num. 74* aliique valde limitandum tradunt. Sic etiam quando haec sac. Congregatio rescripsit, ex causis tunc deductis licere parocho sex vel septem dies abesse, intelligendum semper erit de causae rationabilitate et honestate, ita ut sufficiens sit ad petendam et concedendam Ordinarii licentiam. *Fagnan. loc. alleg. num. 26.*

Porro nec sufficit parochum habitare ubicunque intra suae parochiae limites, sed ut possit per se ipsum satisfacere officio suo ac promptius occurrere animarum periculis tenetur residere in aedibus parochialibus nec in aliis, nisi ubi domus parochialis deest, habitare permittitur. *Barbosa de off. et pot. paroch. par. 1. cap. 8. num. 34, Pignatel. tom. 7. cons. 4. num. 7.* Quod pluries ab hac s. Congregatione decisum refert *Fagnan. cap. Extirpandae* § *qui vero num. 12. et sequ. de praeb.* Ita de parocho quodam Ravennaten., qui intra civitatem parochiam obtinens et in aedibus ecclesiae seu intra limites parochiae diu noctuque non residens eidem ecclesiae tamen in divinis inserviebat, rescriptum fuisse refert idem *Auctor. loc. cit. num. 14.* cogendum in posterum residere in domo ecclesiae, vel si non habeat, in propinquiore intra limites parochiae. Et iterum orta dubitatione: an rector quidam ecclesiam parochialem obtinens et habens domos parochiales satisfaciat residentiae habitando in domibus propriis ipsius rectoris intra tamen parochiae limites consistentibus, responsum fuit: teneri habitare in domibus parochialis ecclesiae. Quod si interdum s. Congregatio dispensationem hac in re indulsit, ita ut parochus alibi intra parochiae districtum habitaret, respicere tamen voluit non tam ad ipsos parochiae limites quam ad ecclesiam parochialem, injungens domum esse conducendam ecclesiae quam maxime vicinam. *Barbosa in loc. cit. num. 34.*

Excusare ea in re minime poterit domus incommoda, aeris intemperies vel reddituum tenuitas. Consulta namque s. Congregatio: an exoneretur quis a residentia, quia fructus omnes ecclesiae reservati reperiantur et nihil remaneat pro rectore, vel quia ecclesiam parum a civitate distantem obtineat vel quia operam literis det in eadem civitate ita tamen, ut singulis diebus dominicis sit in ecclesia, vel ob aeris intemperiem? . . . Responsum dedit: In nullo ex his casibus excusari. *Fagnan. cap. Extirpandae. loc. cit. num. 6.* Et in una *Sarzanen. 13. Novemb. 1627* censuit eadem s. Congreg., parochum non excusari quin intra parochiam residere debeat, quamvis non adsit commoda domus parochialis et sit magna aeris intemperies et retineat capellanum in parochia et ipse accedat singulis diebus festis. *Barbosa allegat. num. 36*, qui etiam addit, licentiam non residendi in domo parochiali hodie nullo modo concedi, nisi forte unico casu, ubi parochus degat in paterna intra parochiae fines existente propter honesta servitia et sui majus commodum, sciente quidem et tacente Episcopo.

Denique residentiae leges non relaxantur, etsi numerus animarum sit valde exiguus; unde s. Congregatio ad dubium: an parochus teneatur residere, etiamsi essent in illa parochia tres tantum vel quatuor incolae? respondit: »Teneri«. *Fagnan. ibid. num. 11.* Quae non minus patent ex sequenti decreto. Cum Episcopus Gallien. edixerit: »ut parochialium ecclesiarum rectores in suis ecclesiis resideant, petit Angulus curatus parochialis ecclesiae s. Angeli, an et ipse teneatur residere, cum redditus ecclesiae sint tenuissimi, ejus antecessores super hominum memoriam nunquam resederint, ecclesia ipsa duobus fere millibus passuum dumtaxat a civitate distet et sex vel septem familias tantum habeat, neque ipsi parochiani quidquam curent de residentia parochi? s. Congregatio censuit: Oratorem non excusari a residentia.« *Pignat. tom. 7. cons. 4. num. 9.*

Attamen ut parochi etiam partes expediantur, imprimis cum *Fagnano* monendum, quae statuta sunt de residentia non omnimode amare intelligenda videri, *cit. cap. Relatum num. 38. cum Gloss. in Clem. 1 de for. compet. et Cardinal. in h. loc. qu. 12. num. 21.* Accedit quod curionum residentia explicari debet humano modo: neque enim quasi compedibus alligati tenentur semper esse praesentes suae ecclesiae, sed danda est vacatio, ut ait *Reiffenstuel de cleric. non resid. § 3. num. 8.* Quapropter Conc. Trid. *cap. 1. sess. 23. de ref.* generatim fatetur, eos, qui paulisper absunt, non videri abesse,

quippe qui statim reversuri, juxta illud: brevi reversa uxor nec divertisse videtur, *leg. quidquid in calore, de reg. jur.* Hinc est quod doctores concludunt, posse parochum ex causa, quae sibi legitima videatur, per unum alterumve diem, immo per sex vel septem dies abesse sine alia licentia Episcopi, dummodo interim idoneum vicarium relinquat neque obstet specialis constitutio Episcopi. Ita *Navarrus manual. cap. 52. cum Azorio, Castro Palao, necnon Possevinus de off. curati cap. 1. num. 13.* et *Reiffenstuel loc. alleg.* Nec obstare dicunt declarationem s. Congregationis, parochum non posse per hebdomadam abesse; quia scilicet haec ipsa declaratio excipiendo dumtaxat integram hebdomadam videtur oppositum sensisse de sex vel septem diebus, *arg. leg. Quaesitum* § *denique de fundo instructo.* Adnotant insuper quod sac. Congregatio interrogata per parochum Orlien.: An liceret sibi ab ecclesia sex vel septem dies abesse causa invisendi suos parentes senes et pauperes? responderit: Licere, prout refert *Fagnan. dict. cap. Relatum num. 25. et 26*, quamvis ipse Fagnanus putet, s. Congregationem hic tantum loqui de causae honestate, ita ut ad concedendam ab Ordinario licentiam sufficiat.

Verum in themate quaestio haud vertitur de residentia intra paroeciae limites, sed de habitatione in domo parochiali. Et quidem omnes plane rationes hic in unum concurrunt, aeris intemperies et domus humida atque incommoda, reddituum summa tenuitas et parochianorum exiguus numerus, qui per civitatem dissiti nunquam fere nisi tempore paschali ecclesiam parochialem adire solent. Praeterea domus conducta non tantum distat ab ecclesia, sed parochus mane semper revertitur ad parochialem, ibique ut plurimum celebrat et urgente necessitate vocari etiam potest ad Sacramentorum administrationem. Nec etiam continuo, sed passim discedere solet. Quibus ex causis antiquitus nonnumquam concessam fuisse licentiam inhabitandi aliam domum testis est *Barbosa de off. et pot. parochi par. 1. cap. 8. num. 36.* Minus tamen recte idem auctor ex negativis quibusdam responsis postea ab hac sacra Congregatione datis concludere videtur, eandem licentiam jam amplius tribuendam non esse. Perpendendum potius erit: an quid damni vel incommodi exinde parochianis eveniat? Hoc enim ut praecaveatur, leges de inhabitando aedes parochiales latae censentur. *Pignat. tom. 7. cons. 4. num. 7.*

Quid, quod idem Pignatellus adjicit, tolerari posse quod parochus paroeciae tenuis paucarum animarum non resideat in parochia, quousque per unionem alicujus beneficii vel alio modo suppleatur ejus congruae, dummodo accedat illuc ad celebrandum festis diebus et quando vocatur pro Sacramentorum administratione; sac. Congreg. Episcop. et Regular. 10. Jan. 1579. Quod vero haec. s. Congregatio in simili casu contrarium aliquando edixerit, putat factum esse propter obstantem Episcopi constitutionem; si enim tolerare illud Episcopus voluerit, obediendum esse a parocho statuitur. At in casu praesenti, ubi de re saltem leviori agitur, ne in visitatione quidem pastorali quidquam de residentia parocho injunctum est.

Quo vero ad alteram dubii partem, tenetur parochus justa ex causa abesse volens sive cum licentia sive absque ea relinquere vicarium ab Episcopo approbatum, qui pro se populo serviat, uti expresse mandat Conc. Trid. *cap. 1. sess. 23. de refor.* et SS. PP. Innocentius XIII. constitutione »*Apostolici ministerii*« 13. Maji 1723. et Benedictus XIII.: *In Supremo militantis* denuo praeceperunt. Notat tamen *Barbosa in op. suepius laud. par. 1. cap. 8. num. 51* cum Possevino, si quando rector justam ob causam discedat, sufficere vicini curati deputationem, quia, licet hic non habeat ordinariam jurisdictionem nisi super gregem suum, tamen ita est admissus, ut si aliqua jurisdictio delegari possit, sicut de antiquo jure poterat, prout colligitur ex Conc. Trid. *sess. 23. cap. 15. de ref.* Quod enim Concilium de approbatione vicarii ab Episcopo facienda decrevit, intelligendum ita videtur, ut examen ad Episcopum, deputatio vero ad parochum spectet: *Giraldi p. 2. sum. constit. sect. 87. p. 932;* et proinde deputatio vicini curati sub hoc respectu nulla laborat difficultate.

Quoad secundum dubium, cum in parochum imprimis regula cadere censeatur, non debere per alium, quod facere possit per seipsum si quidem in curae commissione electa est industria personae, *cap. Quia nonnulli* §. *qui vero de cleric. non resid.* et *cap. Clericos, de off. Vicarii, Fagnan. in cap. Cum omnes, de constit. num. 36.* et haec. s. Congregatio declaraverit: Cogendos esse rectores parochiae ad subeunda per se ipsos, et non

per substitutos omnia munia, ad quae parochi tenentur, *Giraldi par. 1. sum. constit. sect. 87. in not. pag. 939.*, haec omnia de dominicis potissimum festisque diebus intelligenda merito erunt. Quid enim parochus abesse poterit, ubi divina Concilii Tridentini auctoritate omniumque quotquot celebres sunt theologorum consensu parochiani non quidem obligantur, severe tamen monentur ecclesiam parochialem adire? Qua ex re haec s. Congregatio strenue semper invigilavit, ne parochi, etiamsi alias iis tribueretur discedendi licentia, ultra festos dies abesse permitterentur, prout colligendum ex doctrinis sup. alleg. Et quidem tenentur in dominicis aliisque festis diebus suis subditis missam celebrare, in propria scilicet ecclesia et non in alia. *Barbosa de off. et pot. par. 1. cap. 11. n. 3.* Unde s. Congreg. in *Lucana 15. Sept. 1629* censuit, onus injunctum parocho Tempagnani se transferendi diebus festivis ad parochialem alterius villae Antrocoli ibique Sacrum faciendi esse abrogandum. *Barbosa cit. loc.*

Debet etiam per se celebrare nec per alios, nisi aliquando justa ex causa impeditus fuerit. *Navar. in manual. cap. 25. num. 135*; *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 10. cap. 24. qu. 2. et 3, Molfes. in sum. theol. mor. tract. 3. cap. 14. num. 16, Possev. de off. curati cap. 2, Barbosa cit. op. num. 5.* Excusari proinde parochus difficile posset, qui exceptis solemnioribus vel etiam, ut nuper in casu nostro coram Vicario capitulari statutum rector ecclesiae s. Pancratii refert, tribus festis inter quinque in aliena ecclesia celebrare solet, licet hoc majori cum fructu spirituali fiat. Primum enim ovibus suis obligari videtur, deinde ceteris poterit inservire. Quodsi a materiali residentia »nulla excusat consuetudo nec secundum s. Congregationem servitium Episcopi aut paucitas ovium«, ut ait *Pignat. loc. saepius alleg. num. 4.*, pari ratione fidelium non parochianorum utilitas a residentia formali et laboriosa haud excusabit. Si verò ad haec reddituum maxima tenuitas accedit, s. Congregatio aliquando quidem concessit licentiam non residendi, injunxit tamen accedendum esse parocho ad ecclesiam festis diebus, uti supra expositum.

Ad alteram dubii partem notandum occurrit, Conc. Trid. iteratis quidem mandatis graviter praecipere parochis onus concionandi populis suis frequenter inter missarum solemnia vel per se vel per alios, si impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, ut in *sess. 5. cap. 2, sess. 22 de sacrif. missae cap. 8, sess. 23. cap. 1* et *sess. 24. cap. 7. de reform.* Quam ob rem haec s. Congregatio rescripto ad Episcopum *Meliten. lib. 6. decret. p. 109* monuit, ut parochi huic officio iis potissimum diebus satisfacere studerent: et P. Innocentius XIII. constitutione ad Hispaniae Episcopos directa eadem denuo severe inculcavit, non obstante quacumque etiam immemoriali consuetudine vel beneficii summa tenuitate et ovium paucitate. *Giraldi par. 2. sum. constit. sect. 8. not. 2. pag. 816.* Necnon ex eadem hac s. Congregatione parochus admonere debet populum, ut in diebus dominicis et festis majoribus propterea frequentet suas parochias, *Barbosa de off. et pot. par. 1. cap. 14. num. 12.* Haec omnia sane tam ex decentia, propter diei sanctificationem, quam maxime ex populi utilitate procedere in promptu est; siquidem hisce diebus opera servilia mundanaque cessant atque cum laboribus curae et distractiones.

Nihilo tamen minus praeceptum absolutum esse tantum videri posset de concione in genere non omittenda, cum imprimis conveniant theologi et canonistae, derogatum esse per generalem consuetudinem obligationi audiendi concionem in parochiali, *Barbosa de off. et pot. Episcopi par. 3. alleg. 76. num. 34*, necnon parochus possit concionem omittere, ut postea opportunius suppleat, prout cum *Salmer.* notat *s. Alphons. lib. 3. tract. 3. num. 769.* Quare ambigendum esse videtur, quin pro stabiliendo tempore concionis potissimum respiciatur ad loci circumstantias majoremque utilitatem. Insuper hac in re plurimum importare parochianorum paucitatem, conditionem et consuetudinem per se naturalis ratio patet. Et quidem in casu saltem 35 abhinc annis consuetudo habendi concionem in vesperis cum litaniis et benedictione inducta necunquam a tribus ultimis Archiepiscopis Januen. reprobata invenientur. Nec a parochiana familia, licet an ita fieri posset dubitaverit, ejusmodi usus derogationem postulari liquet.

Ad tertium dubium gradum faciendo regula certa est, congruam semel assignatam non esse augendam, *Gregor. decis. 429. num. 2, Pignatell. tom. 10. cons. 126 num. 1*, imprimis ubi tantos per annos antecessores contenti fuere, *Barbosa jus eccles. lib. 3.*

cap. 13. num. 183. Tenuitas enim beneficii opponi quidem potest in ipsa impetratione, sed post collationem ejusmodi oppositio non est juridica nec excusare potest parochum; nam ex eo, quod semel consensit, quamvis paupertate laboret, non potest amodo dissentire, sed debet propriis manibus victum quaerere. *Fagnan. cap. Conquerente de cleric. non resid. num 6.* Quare s. Congregatio Episcoporum et Regularium in *Cusentin. Congruae 31. Julii 1693* edixit: Congruam semel assignatam non esse augendam, nisi superveniat notabilis mutatio et intersit nova rationabilis causa, quod etiam ex Rotae decis. habet *Ferraris* ad verb.: *Congrua art. 2. num. 50.* At vero mutatio notabilis vel nova ratio minime in eo esse videtur, quod parochus juxta munus et officium suum nunc facere id teneatur, quod antea faciendum non curavit.

Accedit ex constitutione Pii V. »*Ad Exsequendam*« §. *2.* sufficientem censeri posse congruam, dummodo infra argenteos 50 non sit assignata et saltem ratio semper habenda erit inter alia et fructuum quantitatis, onerum atque officii, prout sane ex Rot. decis. docet idem Ferraris *loc. cit. num. 7* et sac. Congregatio in *Asculana 21. Junii 1827.* et *Nepesina Restaurat. ecclesiae s. Pancratii;* qui propter exiguum parochianorum numerum nullo fere onere gravatur, plus quam annuos 50 argenteos accipit, ab augumento congruae excludi facile videbitur. Praetereundum denique non est, jam ante 30 circiter annos auctam fuisse congruam parochi s. Pancratii, siquidem antiquitus ea in lib. 80 consistebat. His tamen non obstantibus rationes haud leves pro augenda congrua praesto esse videntur. Pervulgatum enim est jam *cap. Extirpandae de cleric. non resid.* et deinde Concil. Trid. *sess. 24. cap. 13. de reform.* id potissimum providisse, ne parochi imposterum honestis mediisdestituti et inopia laborantes sua officia negligerent. Licet hinc jam fuerit congrua assignata, si tamen exinde minime sufficiens ea judicetur, curandnm erit ab Ordinario, ut illi, ad quos pertinet, quam primum dictae congruae supplementum conficiant, ut monet *Rota* in *Asculan. Augmen. congr. 10. Maji 1756* §. *2 cor. Elephantutio*; qua super re maximopere deferendum esse Episcopi judicio monet *Frances. de eccles. cathedr. cap. num. 111, Pignatell. consult. 44. num. 10. tom. 8, Rota decis. 2158. num. 48. cor. Coccino*, cum a Concilio nil fuerit in specie definitum.

Quamobrem, quamvis juxta Pianam constitutionem etiam quinquaginta scutor. symbola congrua videatur, attamen hujus s. Congregationis constans est praxis, ut scutata centum quantum fieri possit parocho assignentur, veluti patet ex una *Civit. Castellanae 24. Novembr. 1821, Tudertina 27. Aprilis 1822.* §. *Ut haec*; *Aesina Congruae 31. Januarii 1835.* §. *Animadvertendum*, et *Asculana Liter. apostolic. 25. Junii 1836.* Immo in citata Aesina, ubi parocho annua scutata 53 et insuper 42 ex administratione pii cujusdam legati necnon alii fructus ex quadam capellania obveniebant, nihilominus censuit augendum aliis scut. triginta. Et quidem merito, ceu advertit *Reiffenstuel. lib. 3. tit. 35. num 23.;* quandoquidem tempore, quo edita fuit haec bulla (s. Pii V.) videlicet 1567, omnia saltem in suis partibus fuerint in longe viliori pretio, adeo ut his temporibus respectu praecedentis illius temporis necessaria vitae vix duplici pretio acquirantur (et quidem in eunte saeculo superiori haec scribebat auctor); consequenter ubi tempore illo quinquaginta vel centum scutata pro honesta sustentatione sufficiebant, hodie centum vel ducenta necessaria sint, adeoque etiam temporis ratio merito habenda sit juxta illud vulgare: »concorda tempora et concordabis jura.«

Ceterum eo minus negotium facessere videbitur Piana dispositio, quoties animadvertatur constitutionem illam pertinere dumtaxat ad vicarios perpetuos illarum ecclesiarum parochialium, quae aliis ecclesiis, monasteriis, collegiis, beneficiis et locis piis unitae sunt, ceu todidem verbis declaravit Pont. Innocentius XIII. constit. *Apostolici ministerii,* confirmata a Benedicto item XIII. et inserta in Concilii Romani appendice *num. 16. fol. 220.* §. *10.* Nec juvabit opponere exiguum parochianorum numerum: quae enim parochum a residentia laboriosa excusare non censentur, nec consequenter patronis in excusationem cedere fas esset. Videndum potius quinam sint fructus bonorum ecclesiae, quod ne Ordinarius quidem exploratum habere videtur. Ex iis enim patronos teneri et compelli posse ad congruam portionem rectoribus assignandam tradit *Fagnan cit. cap. Extirpandae num. 12.*

Dirimere dignabuntur Emi Patres sequentia dubia:

I. *An parochus ecclesiae s. Pancratii teneatur continuo residere per se vel per idoneum vicarium, quoties ex legitima causa discedat, in domo parochiali seu potius sufficiat vicini parochi deputatio in casu?*

II. *An idem parochus teneatur singulis diebus festis missam per se in ecclesia parochiali celebrari necnon concionem ad populum habere in casu?*

III. *An et quomodo augenda sit congrua parochialis in casu?*

S. C. resp.

Ad I., II. et III.: Dilata et coadjuventur probationes exhibita bulla erectionis.

Die 31. Julii 1852.

LI. Translatio.

a) Causae.

Vd. *Applic. miss. pro pop.* (per substitut. p. 1005; oblig. paroch. paup. p. 983; *p. 910* §. *Quaerendum*; *p. 916. decr. Osnabrugen.*

Licet congrua sit exigua nec aliis modis augeri valeat ad praescriptam quantitatem, nihilominus parochi, quamdiu curam retinent, applicare tenentur, ut controversia intimius scrutata statuit sac. Congregatio in *Civit. Castellanae 26. August. 1628 lib. 13. decr. p. 62* et in *Forosempronien*) Missae parochialis propositae die 25. Januarii et resoluta die 8. Februarii 1716*, in qua disputato dubio: *An parochi, de quibus agitur, non habentes congruam teneantur applicare missam pro populo saltem diebus festis ita ut sint cogendi?* responsum fuit: Affirmative et dentur decreta alias hac de re edita et signanter in *Civitatis Castellanae.*

Attenta vero egestate id solum indulsit sac. Congregatio *scilicet: Posse ab iis parochis ad egestatem sublevandum stipendium accipi, licet diebus festis praebeatur, et sacrificium, quod pro populo celebrandum fuerat, offeri pro illo, qui stipendium tradiderit, ea tamen conditione, ut alio hebdomadis die pro populo illud offerentes suo muneri satisfaciant, ut Benedict. XIV. in instit. 10. num 6.* refert hanc mentem fuisse s. Congregationis in *Ostien*) 29. Januarii 1724.* et ipse Pontifex factus expresse declaravit in constit.: *Cum semper oblatas**)* §. 7.

Die 17. Julii 1802. *Comen.*

Prima quaestionis pars satis definita videri posset a s. Ordine in *Fesulana Missae pro populo 16. Junii 1770,* ubi rogatur:

I. *An parochus diebus dominicis aliisque festis diebus praesente cadavere teneatur celebrare missam pro defuncto et ad aliam diem possit transferre missam pro populo applicandam in casu?* (Agebatur de casu quo alias tumulandum fuisset cadaver absque missa).

Et quatenus negative,

II. *An saltem applicationi missae pro populo supplere possit per alium sacerdotem in casu?*

Ad utrumque respondit die 26. Jan. 1774: »*Negative.*« Quo posito supervacaneum esset quaerere: An in alium diem vel sacerdotem transferre liceat applicationem pro populo, ut parochus satisfaciat peculiari intentioni vel privati eleemosynam offerentis, quum manifestum per se sit haec a fortiori prohiberi nisi forte res sit de parochis paupertate laborantibus, quos Benedictus XIV. in const. *Cum semper oblatas* §. 8. dispensare Episcopis permisit.

Die 23. Apr. 1853. *Osnabrug.***)*

Beatissime Pater.

Gregorius Scherr Archiepiscopus Monaco-Frisingensis orator humillimus Beatitudinis Vestrae humillime supplicat pro facultate dispensandi cum parochis eorumque vicariis ad hoc, ut urgente aliqua necessitate applicationi pro populo *festis diebus a s. mem. Clemente XIV. suppressis* faciendae diebus proxime sequentibus non impeditis satisfacere possint.

De qua gratia etc. etc.

Sanctissimus Dominus noster audita relatione infrascripti Secretarii sacrae Congregationis Concilii suprascriptis Archiepiscopi oratoris precibus annuens facultates necessarias et opportunas eidem benigne impertitus

*) Vd. *Applicat. missae pro populo* (obligat. parochor. pauper. p. 983.)

*) Vd. *Applic missae pro populo* (obligat. parochi est in diebus festivis etc. p. 936).

**) Vd. *p. 695.*

***) Vd. *Applic. missae pro populo* (obligatio in diebus festiv. suppressis p. 916.)

est ad hoc, ut quoties diebus festis suppressis applicanda sit missa pro peculiari aliquo benefactore vel pro defuncto praesente cadavere vel pro sponsis, pro suo arbitrio et conscientia memoratis parochis eorumque vicariis gratis indulgere possit, ut per septennium proximum tantum applicationem enunciatae missae pro populo ad sequentem diem vel proximam non impeditam libere ac licite transferre valeant.

Die 4. Julii 1860.

A. M. Eps. Tuscul. Card. Cagiano Praef.
A. Quaglia, Secretarius.

Sanctissimus Dominus noster, audita relatione infrascripti Pro-Secretarii sacrae Congregationis Concilii, supradictis Archiepiscopi oratoris precibus annuens facultatem per septennium proximum tantum servata in omnibus forma et tenore praecedentis concessionis eidem Archiepiscopo oratori benigne impertitus est.

Die 29. Mart. 1867.

D. Cardinalis Caterini Praef.
Petrus Archiep. Sardianus
Pro-Secretarius.

b) Non concessa.

Fesulana.

In relatione status suae ecclesiae reverendissimus Episcopus Fesulanus sequens s. Congregationi proposuit dubium: *An parochi in dominicis et aliis de praecepto diebus praesente cadavere possint onus applicandi pro populo rejicere in unam ex sequentibus feriis, ut missam celebrent pro anima defuncti, quando potissimum nequit per alium sacerdotem suppleri, ideoque tumulandum esset cadaver sine missa, contra rubricam ritualis romani praecipientis, ut missa quantum fieri potest non omittatur.* Hac super re sapientissimum EE. VV. judicium desideratur; quare non incongruum existimavi sequentes subjicere animadversiones.

In rituali romano *tit. de exequiis* ita habetur: *Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit retineatur, ut missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur.* Et merito quidem ritus hic vetustissimus nuncupatur, cum de eo, tanquam de re, quae fieri jam consueverit, mentionem fecerit d. Augustinus *lib. 9. confess. cap. 12. num. 4.* funus matris suae his verbis describens: *Cum ecce corpus elatum est, imus et redimus sine lacrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, juxta sepulcrum posito cadavere, prius, quam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi.* Id patet ex Concilio Valentino Hispaniae *cap. 4.*: *Post oblatum in ejus commendationem Sacrificium Deo mox sepulturae tradat.* Idem quoque ex d. Gregorio Turonensi in vitis Patrum de s. Lupicino: *Celebratis missis cum summo honore gaudioque sepultus est.* Ac demum, ut alia plura omittam, hoc etiam deprehenditur ex duplici M. S. codice, Remensi scilicet, et Ratoldi Abbatis saeculo X. exarato, cum in utroque recenseantur exequiarum officia et fiat mentio Sacrificii, quod pro defuncto offertur, priusquam cadaver terrae mandetur. Praecise vero in postremo codice sic legitur: *In ecclesia autem requiescet corpus defuncti, quoadusque pro ejus anima missa canatur et offeratur ab omnibus, quibus fuerit visum.* Apud *Hugonem Menardum in not. Sacrament. s. Gregorii Magni not. 680.*, consul. quoque *Martene de antiq. eccles. rit. lib. 3. cap. 15.*

Hic autem ritus tanti a pluribus habitatus fuit ac adeo religiose exacteque observatus, ut post decretum Innocentii III. *cap.*: *Consuluisti de celebr. miss.*, quo statutum fuit: *Excepto die Nativitatis dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare*: interpretes verbum illud *necessitatis* exculcantes declaraverint: *Sed quam dicit necessitatem? Respondeo si celebravit de die et postea etiam moriatur aliquis . . . Unde potest unam celebrare de die et aliam pro defuncto.* Et juxta hunc relati decreti sensum in synodo Oxonien. sub Stephano Archiepiscopo Cantuariensi anno 1222 celebrata definitum fuit: *Ne sacerdos quispiam missarum solemnia celebret bis in die exceptis exequiis defunctorum, cum videlicet corpus alicujus in ecclesia fuerit eodem die tumulandum, et tunc prior missa de die, posterior pro defuncto celebretur.* Plura de his perpensa sunt in voto a me exarato in *causa Derthusen ad diem 20. Augusti 1768. tom. 37. resolut. pag. 28. num 9. et seq.*

Huic tamen opinioni certos limites modumque imponendum nonnulli existimarunt, quos inter gloriosae in aevum memoriae Benedictus XIII. qui *serm. 6. secundi trigesimi de purgatorio* his verbis suam sententiam exponit: *Obsoletam quidem hanc opinionem existimo habita tamen ratione, si cadaver die festo sepulturae tradendum sit in aliqua parochia, quae per unicum sacerdotem administretur: tunc enim canone ductus Innocentii III. et illis praesertim verbis*: Nisi causa necessitatis suadeat: *audacter sentio, duo sacrificia per sacerdotem celebranda, unum nempe de festo ejusdem dici, alterum pro defunctis pro expiatione praesentis defuncti, cum praesertim in mea dioecesi in usum converterim ritum vetustissimum, ne cadaver ullum sine missae sacrificio tumulo mandetur.*

Haec sane eo solum consilio referenda duxi, ut ostenderem, antiquissimum esse ritum celebrandi missam praesente cadavere defuncti, antequam sepulturae tradatur; atque etiam pateret, ritum hunc quantum fieri potest non esse omittendum. Hinc noscitur contrariam consuetudinem, si alicubi fortasse invaluit, esse penitus reprobandam, quemadmodum illam reprobavit s. Rituum Congregatio in *Januen. 12. Julii 1628* his verbis: *In die depositionis dicenda est missa pro defuncto, non obstante contraria consuetudine.* Hujusmodi enim consuetudo, quae adversatur legibus piisque institutionibus ac defunctos fraudat potiori suffragio ac viventes privat solatio postremaque amoris significatione ea die praestanda, qua ab ipsis sejungi in terris perpetuo debent, haud digna profecto est, quae probetur, sed potius respicienda est tamquam abusus, ut advertit P. *Cavalieri tom. 3. oper. liturg. cap. 3. decret. 1. n. 5.*

Caeterum dissimulandum non est, rituale romanum enixe quidem inculcare ut defunctorum cadavera cum sacrificio sepulturae tradantur, non tamen id absolute praecipere, quemadmodum eruitur tum ex verbis illis supra relatis, *quantum fieri poterit, retineatur*, tum ex aliis, quae sequuntur: *Si quis die festo sit sepeliendus, missa propria pro defunctis praesente corpore celebrari poterit, dum tamen conventualis missa et officia divina non impediantur magnaque diei celebritas non obstet.* Ac rursus: *missa vero si hora fuerit congruens ritu pro defunctis ut in die obitus praesente corpore non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas aut aliqua necessitas aliter suadeat.* Qua quidem de re complures Episcopi in suis synodalibus constitutionibus hortati sunt parochos, ut antiquissimum hunc ritum exequerentur, non tamen absolute id praeceperunt. Placeat, prae omnibus exempla desumere ex iis, quae summi Pontifices Benedictus XIII. et Benedictus XIV. statuerunt atque explicarunt, cum prior Beneventanam ecclesiam regeret, alter vero Bononiensi praeesset. Ille enim in concilio provinciali XV. habita anno 1698 constitutione, quae in appendice ejusdem concilii legitur, cap. 9. n. 5 dixit: *E finalmente si esortano i parochi a voler celebrare gratis almeno una messa di requie presente il cadavere, quando il defonto sia veramente miserabile* Hic autem in *instit.* 36, cum de missae celebratione in die depositionis loqueretur, inquit: *Ad hoc parochos ipsos obstringere nolumus, qui singulis diebus festis Sacrum pro populo offerre tenentur, quemadmodum ex sacris sanctionibus constituitur.*

Quae hactenus perpensa sunt ritualis romani rubricas concernunt. Praestat nunc aliqua perpendere quoad onus parochis inhaerens sacrificium pro ovibus sibi commissis applicandi. Apertissimo Tridentini Concilii decreto *sess. 23. cap. 1. de reform.* statutum legitur: *Cum praecepto divino**) *mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere et pro his sacrificium offerre etc.* Super hujusce decreti intelligentiam nonnulla variis temporibus exorta sunt dubia, praesertim quoad dies, quibus parochi missam pro populo applicare teneantur, prout constat ex supplemento ad dictionarium, *Pontas verb.*: *Missa cas. 4.* Hinc sa. me. Benedictus XIV. ad omnes imposterum controversias penitus dirimendas in constit.: *Cum semper oblatas***) *18. Augusti 1744. tom. 1. bullar. n. 103.* definivit, ut, qui animarum curam exercent, sive pingues sive tenues habeant redditus, *sacrificium missae pro populo celebrent et applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto.*

Verum laudatus summus Pontifex illorum parochorum inopiam commiserando, qui fere ex eleemosynis, quas a fidelibus pro missarum celebratione recipiunt, vivere coguntur, facultatem Episcopis concessit cum iis dispensandi *ad hoc, ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offe-*

*) Vd. *p. 921. 930.* **) Vd. *p. 695.*

rente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo, requiratur, libere et licite possint et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

Quo vero ad eos, qui et canonicalem praebendam obtinent et parochialem simul curam exercent, idem Pontifex mandavit, *ut missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret appliceique.**)

Ex his itaque plura inferre licet: Ac primo quidem onus applicandi missam pro populo, quod ex praecepto divino ducit originem, absolute imponi ac praecipi omnibus animarum curae praefectis: Celebrationem vero missae pro defuncto in die depositionis praesente cadavere optari maxime, non tamen injungi. Liquet praetera ab applicatione missae pro populo praefinitis diebus parochos posse dispensari, ubi adeo tenues habeant redditus, ut quasi ex missarum eleemosynis vivere cogantur; tunc enim facultas eisdem ab Episcopis concedi potest onus hujusmodi ad alium ex ferialibus diebus transferendi.

Patet denique quod parochi, si ab applicatione sacrificii pro populo diebus festis impediantur ob missam conventualem, quam ratione praebendae canonicalis applicare debent pro benefactoribus, applicationi missae pro populo per alium supplere teneantur; hinc sequitur, quod neque in isto casu potest parochus sacrificium pro populo differe multoque minus ab eo eximi.

Caeterum ubi suppletio haec defectu alterius sacerdotis haberi non potest, abs re non erit perpendere, quae adnotat *P. Cavalieri tom. 3. oper. liturg. cap. 8. ad decret. 15. num. 3.* Haec sane ille habet: *Quoniam tamen missa festiva uberiorem prae feriali non affert fructum, et dilatio v. g. e die dominica in feriam secundam vix aliquod detrimentum infert, quod et cavetur penitus si missa in paecedenti anticipetur sabbato; nos diceremns, quod, etsi superius tradita universim sint observanda, scrupulose tamen hac in re non est adeo progrediendum, ut, si vel levis vel infrequens occurrat causa, non possit parochus in diebus festivis pro aliis celebrare, quin missam pro populo per alium teneatur supplere, sed ipse easdem celebrare valeat in sequenti feria, et multo magis in praecedenti anticipare. Has inter causas connumeramus casum missae habendae praesente corpore aut argumentum ob necessitatem aliquam vel occasione alicujus peculiaris festivitatis, in qua ultra celebrationem a populo vel confraternitate exigitur applicatio missae vel pro hac consuetum est stipendium tribui. In hisce casibus aliisve similibus populus non censetur nec rationabiliter esse potest invitus nec consuetis eleemosynis defraudatur parochus, qui, si teneretur per alium supplere missam pro populo in ruralibus ecclesiis clero destitutis, vix id praestare posset, et ultra deperditionem consuetarum eleemosynarum persaepe cogeretur sine missa intumulare defunctorum corpora nec satisfacere votis populi.*

Haec ille post Benedictinam constitutionem scripsit.

Omnibus proinde aequa lance libratis Emi PP. definient:

I. *An parochi in dominicis aliisque festis diebus praesente cadavere teneantur celebrare missam pro defuncto et ad aliam diem possint transferre missam pro populo applicandam in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An saltem applicationem missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Die 16. Junii 1770 et 26. Jan. 1771.

12) Applicatio missae a Regularibus.

Applicatio missae facta a religioso subdito praevalet applicationi factae a superiore et sic valet illa subditi, et non illa superioris, licet subditus peccet graviter contra obedientiam applicando contra intentionem praelati, ut tradunt communius doctores cum *Pasqualig. qu. 183, Raynaudo sect. 2. p. 2. n. 8, Peyr. tom. 1. de subdito* §. *Unico,*

*) Vd. *p. 737, IX.*

Suarez etc. Et ratio est, quia potestas applicandi sacrificium recipitur in collatione Ordinis et a Christo sacerdoti confertur adeoque non potest ab ullo Christo inferiori limitari, ut non valeat applicatio a sacerdote facta, cum talis actio cum omni suo fructu subsit immediate soli dominio operantis, cujus intentionem non potest supplere aut mutare Superior.

13) Applicatio missae a regularibus praelatis pro suis subditis.

Circa Praelatos regulares inquit *Pater Giraldi exposit. jur. pontif. part. 2. sect. 85. pag. 925*: »Animadvertendum est responsum Congreg. Concil. ad dubium, quod iisdem verbis, quibus repetitum legitur in folio ejusdem Congregat. sub die 15. Martii 1710, transcribo: Dubium missae pastoralis seu parochialis et conventualis. Instante pridem de anno prope defluxo fiscali sac. Congregat. visitat. apostol. coram Congreg. a SS. D. N. (Clemente XI.) deputata super revisione onerum missarum Urbis, quatenus compellerentur omnes et singulae ecclesiae regularium quotidie celebrare et applicare missam conventualem pro benefactoribus necnon adigerentur omnes et singuli praelati regulares tamquam suorum subditorum pastores, nimirum Generales, Provinciales, Guardiani, Priores omnesque alii Superiores cujuscumque ordinis, regulae et instituti offere et applicare sacrificium missae pro eorum ovibus, scilicet pro eorum religiosis subditis, eodem prorsus modo, quo pro suo populo tenentur parochi: eadem Congregatio deputata decrevit, priusquam in praemissis resolutionem caperet, exquirendum esse oraculum hujus sac. Congreg. Conc.; quo quidem decreto approbato a SS. D. N. sub die 17. Febr. praelibati anni recurrit idem fiscalis ad hanc sac. Congregat., in qua, citatis procuratoribus generalibus religionum, in Congregat. diei 1. Julii ejusdem anni 1709 rescriptum prodiit: Respondebitur in casibus particularibus. Subinde dicta die 15. Martii, citato speciatim per eumdem fiscalem procuratore generali ordinis sancti Augustini, concordata et proposita fuerunt decidenda haec tria dubia:

I. *An P. Generalis totius ordinis Eremitarum s. Augustini, Vicarius generalis ac omnes et singuli Provinciales ac Priores seu Superiores locales et conventuales ejusdem ordinis teneantur sacrificium missae parochialis seu pastoralis pro eorum ovibus, scilicet pro eorum regularibus subditis offerre et applicare?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo et quibus diebus hoc idem sacrificium applicare teneantur?*

III. *An et quomodo et quibus diebus omnes et singulae ecclesiae regularium praelaudati ord. Eremitar. s. Augustini teneantur celebrare et applicare missam conventualem pro benefactoribus in casu?*

Sed s. Congregatio distulit resolutionem, ad quam nunquam amplius devenit: factis enim perquisitionibus tum a me in regestis dictae Congregat. Concilii tum a moderno P. procuratore generali s. Augustini in suo archivio nullum repertum est monumentum datae resolutionis. In bibliotheca tamen Angelica penes conventum s. Augustini de Urbe asservantur responsiones ad dictum dubium contra promotorem fiscalem.«

14) Applicatio missae stipendiis pluribus acceptis.

Non potest recipi stipendium pro pluribus sacrificiis et unum solum sacrificium offerre, ex eodem Alex. VII. damnante hanc propositionem in ordine decimam: »Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offere: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento affirmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.«

Nec potest unica missa satisfieri duplici obligationi applicando uni fructum satisfactorium et alteri impetratorium, prout respondit sacra Congr. Concilii ad sequens dubium: *An sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione missae v. g. pro defuncto et sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium et aliud stipendium pro celebratione missae v. g. pro infirmo et sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium, possit unica missa utrique obligationi satisfacere applicando defuncto satisfactorium et infirmo impetratorium? Anve hoc casu locum habeat decretum secundum s. Congr. Concil. de celebratione missarum?* Die 13. Decembris 1659 sacra Congregatio EE. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit: Quoad primam

partem non posse satisfacere; quo vero ad secundam: habere locum.

Ex quibus manifeste patet non posse sacerdotem alicujus Congreg. unica missa satisfacere duplici obligationi, quam habet applicandi missam, et pro eo, a quo stipendium recepit, et pro presbytero suae congregationis defuncto, quia ex sua conventione et lege congregationis aeque stricte obligatur applicare pro isto ac pro illo, a quo stipendium recepit, cum virtualiter etiam ab ipso censeatur recepisse stipendium, et ratione juris acquisiti a defuncto in consimilibus applicationibus factis pro suis confratribus, dum adhuc in vivis ageret, et ratione juris, quod habet ipse ad paria suffragia, dum e vivis discesserit. Et sic pariformiter loquendum et concludendum venit de regularibus, qui nullatenus a quovis alio stipendium recipere possunt pro illis missis, quas ex suis constitutionibus et praecepto sui superioris tenentur applicare pro suis religiosis defunctis. Sic enim ab omnibus est absolute tenendum, cum Alexander VII. die 29. Januarii 1659 consimilem sententiam sac. Cong. supra allatam approbaverit et jusserit publicari et transmitti ad Episcopos et Generales regularium ordinum, ut ipsi doctrinam hujusmodi per suos poenitentiarios et confessarios ac lectores respective insinuari, doceri atque in tractatibus moralibus per eosdem imprimendos evulgari pastorali vigilantia curarent; et sic fuit publicatum die 27. Octobris 1659.

15) Vivens probabilius invalide applicat animabus purgatorii omnes missas pro se defuncto applicandas.

La Croix l. 6. part. 2. n. 1334 et alii, quia applicatio operis non est in potestate illius, pro quo offertur, sed pendet ab intentione operantis: Offerens autem, qui suo tempore offeret v. g. pro me, non offert secundum hanc meam intentionem sibi incognitam, seu offeret, ut prosit mihi, ideoque si tunc mihi prodesse poterit, proderit; si autem mihi prodesse non poterit et offerens non substituat aliam intentionem, a Deo distribuentur secundum interpretativam voluntatem offerentis, ut cum s. Thoma tenent *Pasqualig. quaest 76, Raynaudus part. 1. n. 32. et alii multi.*

Approbatio.

1) Confessarii.

Vd. *Confessarius* (approb.)

2) Pro cura animarum exercenda.

Vd. *infra n. 4. 5. etc.*

3) Parochi iterata.

Vd. *Examen parochi.*

4) Sacerdotis saecularis pro cura animarum.

Vd. *Cura anim. exercenda in Cath.* (decr. diei 16. Nov. 1709. *Assiss.*); *Vicar. perpet. et tempor.*; *Confessar.* (approb.) *Examen parochi*; *Approb. sacerdot. regul. p. 1019*; *Cura animar.* (exercita sine approbatione.)

Pragen.

(Conc. Tr. c. 2. sess. 24. de ref.)

I. *Ad dub.*: *An pro exemptione a jurisdictione ordinaria Archiepiscopi sufficiat sola nominatio seu deputatio presbyteris saecularibus facta a superiore D. Joannis Hierosolymitani in ecclesiis dicti ordinis pro cura animarum, quamvis ex causa non admitteretur ab Archiepiscopo sive ejus consistorio ad curam animarum et administrationem sacramentorum?*

II. *An praefati nominati seu deputati ad dicta beneficia curata teneantur examen subire et professionem fidei emittere coram Archiepiscopo vel ejus consistorio, antequam curam animarum exerceant?*

III. *An itidem teneantur praestare juramentum ad curam animarum debite obeundam coram Archiepiscopo sive ejus consistorio et quomodo?*

IV. *An dictus Archiepiscopus sive ejus consistorium pro praedictis exigendis procedere possit jure ordinario sive potius delegato?*

V. *An dicti nominati seu deputati in dictis ecclesiis, postquam reportaverint ab Archi-*

episcopo licentiam pro exercenda cura animarum, teneantur se conformare constitutionibus quoad omnia in ordine ad sacramentorum administrationem et curam animarum?

VI. *An dictis presbyteris saecularibus ut supra nominatis seu deputatis in praefatis ecclesiis et ab Archiepiscopo examinatis et idoneis repertis teneatur idem Archiepiscopus concedere licentiam exercendi curam animarum?*

Et quatenus affirmative,

VII. *An in hujusmodi licentiis Archiepiscopus valeat sibi reservare facultatem eam revocandi ad sui beneplacitum seu potius debeat eam concedere pure et simpliciter?*

VIII. *An Archiepiscopus debeat exprimere se procedere authoritate delegata, dum procedit contra dictos presbyteros exercentes curam animarum, ita ut, hoc non expresso, non teneantur illi ei obedire, etiam in concernentibus curam animarum?*

IX. *An Archiepiscopus praedictos presbyteros exercentes curam animarum in casu non paritionis ejus praeceptis possit plectere poena revocationis licentiae exercendi curam animarum?*

S. C. resp.

Ad I: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Ad II: Affirmative quoad examen et professionem fidei ad formam Concilii.

Ad III: Affirmative.

Ad IV: Dilata.

Ad V: Affirmative.

Ad VI: Affirmative.

Ad VII: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam partem.

Ad VIII: Affirmative.

Ad IX: Recurrant in casibus particularibus.

Die 14. Jan. 1708.

Postea iterum propositis dubiis

S. C. resp.

Ad I, II et III: In decisis.

Ad IV: Jure delegato.

Ad V et VIII: In decisis.

Die 9. Junii 1708.

Ad dub. I. *An vicarii electi ab eminentissimo protectore examinari et approbari debeant ab examinatoribus synodalibus curiae episcopalis Eugubinae sive potius admittendi sint ad exercitium curae animarum statim ac habiti fuerint idonei a praefato eminentissimo protectore independenter a praedicto examine in casu etc.?*

II. *An vicarii electi ut supra ab eminentissimo protectore confirmari et approbari debeant a reverendissimo Episcopo Eugubino ante exercitium curae animarum, sive potius suscipere possint exercitium curae independenter a qualibet confirmatione et approbatione dicti reverendissimi Episcopi in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 28. Aug. 1773. *Eugubina.*

Parocho (sanctuarii domus Lauretanae) aegrotanti licet sui loco deputare sacerdotem sibi benevisum ex approbatis tamen ab Episcopo pro administr. sacramenti baptismalis.

Resol. a Bened. XIV. edita die 24. Augusti 1705.

(Bull. ejusd. t. II. Append. III.)

5) Sacerdotis regul. pro cura animarum.

Vd. *Episcopus* (jurisdictio quoad eccles. paroch. regul.); *Vicarius perpet. et tempor.* (ecclesiarum cum monasteriis etc.); *Ordin. regul.*; *Cura animar.* (exercenda a regul.); *Administratio sacramentorum a Regularibus*, supra *p. 207, ubi etiam constitutio: Inscrutabili*; *Regulares (parochi).*

Vd. *Archidiaconus regular.*

Urbanus PP. II. Hugoni Abbati Cluniacensi.

Liceat vobis seu fratribus in ecclesiis vestris presbyteros eligere, ita tamen ut ab Episcopis vel ab Episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant, quam si committere illi quod absit ex pravitate noluerint, tunc presbyteri ex apostolicae Sedis benignitate officia celebrandi licentiam assequantur.

Die 9. Jan. 1097.

(Bull. r. t. II. p. 177 Ed. Aug. Taur. 1859.)

Paschalis PP. II. Hugoni Abbati Cluniacensi.

Liceat vobis cum juribus vestris presbyteros eligere, ita tamen, ut ab Episcopis vel Episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant; quam si committere illi quod absit ex pravitate noluerint

tunc presbyteri ex apostolicae Sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur. Die 15. Novembris 1113.

(Ibid. p. 212).

Calixtus PP. II. Pontio Abbati Cluniacensi.

Ecclesiae omnes, quae ubilibet positae sunt, seu capellae vestrae et coemeteria libera sint et omnis exactionis immunia, praeter consuetam Episcopi paratam et justitiam in presbyteros, si adversus sui ordinis dignitatem offenderint; liceatque vobis seu fratribus vestris presbyteros eligere, ita tamen ut ab Episcopis vel ab Episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant, quam si committere illi, quod absit, ex pravitate noluerint, tunc presbyteri ex apostolicae Sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur.

Anno 1120.

(Ibid. p. 304.)

Honorius PP. II. Petro Abbati Cluniacensi.

Liceat vobis seu fratribus vestris in ecclesiis presbyteros eligere, ita tamen, ut ab Episcopis vel Episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant. Quam si committere illi, quod absit, ex pravitate noluerint, tum presbyteri ex apostolicae Sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur.

Anno 1125.

(Ibid. p. 352.)

Lucius PP. II. Petro Abbati Cluniacensi.

Liceat vobis seu fratribus vestris in ecclesiis vestris presbyteros eligere, ita tamen, ut ab Episcopis vel ipsorum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant. Quam si committere illi, quod absit, ex pravitate noluerint, tunc presbyteri ex apostolicae Sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur.

Anno 1144.

(Ibid. p. 500.)

Eugenius PP. III. Petro Abbati Cluniacensi.

Liceat vobis seu fratribus vestris in ecclesiis vestris presbyteros eligere, ita tamen, ut ab Episcopis vel ipsorum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant, quam si committere illi, quod absit, ex pravitate noluerint, tunc presbyteri ex apostolicae Sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur.

Anno 1146.

(Ibid. p. 529.)

Eugen. PP. III. Conrado Abbati monasterii Tegernsee.

In parochialibus autem ecclesiis, quas tenetis, sacerdotes idoneos eligatis et Episcopo praesentetis; quibus si idonei fuerint, Episcopus cum abbatis consensu curam animarum committat, ut ejusmodi sacerdotes de plebis quidem cura Episcopo rationem reddant, vobis vero pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a dioecesano suscipietis Episcopo si quidem catholicus fuerit et ea gratis et absque pravitate vobis voluerit exhibere; alioquin liceat vobis catholicum, quem malueritis, adire Antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat.

Anno 1150.

(Ibid. p. 560.)

Licet Episcopo removere regulares curam exercentes, qui ab ipso non sunt approbati. Die 20. Nov. 1734. *Constant.*

Alexand. PP. III. Willielmo Priori ecclesiae s. Guthberti de Kateford.

In parochialibus ecclesiis, quas tenetis, liceat vobis de fratribus vestris sacerdotes eligere et Episcopo praesentare, qui de plebis quidem cura eidem Episcopo, de rebus vero temporalibus ad ipsam ecclesiam pertinentibus vobis debeant respondere.

Die 22. Jan. 1161.

(Ibidem p. 668.)

Alexand. PP. III. Aladae abbatissae monast. ss. Joan. et Andr. Pictav. dioec.

In parochialibus ecclesiis, quas tenetis, liceat vobis capellanos eligere et Episcopis repraesentare, quibus si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ita quod illi de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere.

Anno 1169.

(Ibid. p. 717.)

Lucius PP. III. Isenrico Abbati monasterii Admontensi.

In parochialibus ecclesiis sive capellis,

quas tenetis, liceat vobis sacerdotes eligere et Episcopis praesentare; quibus si idonei fuerint, de plebis cura quidem Episcopo, vobis autem de temporalibus debeant respondere.

Die 22. Julii 1185.

(Bull. r. t. III. p. 26. Ed. Aug. Taur. 1858).

Ad dub. I: *An parochi regulares, etiamsi sint Abbates, possint a Superioribus regularibus ad curam animarum destinari illamque exercere sine approbatione Episcopi?*

II. *An regulares dari in coadjutores dictorum parochorum possint a Superioribus regularibus sine expressa licentia Episcopi, sive potius sit in potestate Episcopi in approbatione confessariorum regularium limitare eorumdem facultates non solum quoad tempus sed etiam quoad personas et loca, in quibus debent confessiones audire?*

III. *An liceat sive Abbatibus sive parochis regularibus, praesertim Cisterciensibus, pro libitu et sine licentia Episcopi pro parochiis modo unam modo alteram ecclesiam sive capellam, in qua Sacramenta a parochis administrantur fidelibus dioecesis Omolucensis, constituere?*

IV. *An Praelati regulares, ubi habent purum juspatronatus parochiarum acquisitum vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo praesentare sacerdotes saeculares, ut antea laici tenebantur, an vero possint substituere monachos eosque pro libito, non salutato Episcopo, removere?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad III: Negative.

Ad IV: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 7. Junii et 2. Aug. 1755.

Constantien.

Magnus Prior Alemaniae ordinis Hierosolymitani praevio examine et approbatione commissarii curiae episcopalis Constantiensis in oppido Friburgi commorantis curam quinque parochialium ecclesiarum, nimirum Heitersheim, Grissen, Bremgasten, Schlat et Espach, quae ad magnum illius prioratum spectant, nonnullis religiosis ex Seraphico ordine minorum conventualium commisit.

Verum Episcopus Constantiensis praetendens solvi debere nonnullas taxas ex praedictis ecclesiis necnon authumans dictos regulares non fuisse legitime approbatos ad curam animarum primum jussit, dictas taxas sibi praestari atque eosdem patres novo subjiciendos esse examini; deinde non obstante appellatione, quam interposuerat Magnus Prior, et obtinuit ab Austriae regimine praefigi eidem Magno Priori terminum quatuor dierum pro sui decreti executione; vix elapso praedicto termino neglectaque inhibitione Nuntii apostolici apud Helvetios impetravit a memorato Austriae regimine, ut proventus dictarum ecclesiarum manciparentur praefatique patres ab earum cura et administratione exularent sub duplici fundamento, primo quod curae et regimini ejusmodi ecclesiarum praeficiendi sint presbyteri seculares, non autem regulares; secundo, quia dicti religiosi non fuerint ab Episcopo examinati et ad curam animarum approbati.

In hoc rerum statu Magnus Prior instetit coram praefato Nuntio apostolico pro purgatione attentatorum et decretum favorabile obtinuit. Episcopus vero, interposita appellatione, curavit, jura sua tueri coram A. C., qui agnoscens decisionem hujusmodi controversiae potissimum pendere a quadam resolutione sacrae hujus Congregationis sub ann. 1667, edita his verbis: »Bajulivi s. ordinis Hierosolymitani capellanos ad curam animarum exercendam collocari non possunt, nisi praevia Episcopi approbatione, qui, ut ejusmodi cura per sacerdotes regulares exerceatur permittere nec potest nec debet, censuit, hac de re exquirendum esse oraculum sacrae hujus Congregationis, in qua proinde habita jam relatione Episcopi Constantiensis facti seriem supra expositam confirmantis ejusque jura mordicus tuentis, atque acceptis literis memorati Nuntii, qui post relatam eamdem facti speciem supplicat, ut compellatur Episcopus ad purgandum attentata in spretum suae inhibitionis patrata, modo assumendum est examen dubiorum, quae infra describentur.

Porro, quod attinet ad primi dubii decisionem, quae potissimum pendet ab illa inspectione, num cura et administratio dictarum parochialium committi possit personis regularibus, statim sese offert vulgatissimum illum axioma, quod beneficia saecularia saecu-

laribus, regularia regularibus sunt conferenda, juxta canonicas sanctiones, de quibus in cap.: *Cum de beneficio de praeben. in 6*, et in *cap.: Nullus de elect. eodem lib. 6*, et in *Clement.: Ne in agro* §.: *Caeterum*, et §. *Sane de stat. Monach.*, cum aliis apud *Fagnan. in cap.: Cum ad nostram. n. 3. de elect.*; ita quidem, ut beneficium saeculare nec etiam in commendam vero religioso dari possit juxta regulam 43. cancellariae apostolicae, atque collatio seu institutio personae regularis in beneficio saeculari ipso jure irrita et invalida existat, uti advertunt *Garz. de benef. par. 7. cap. 10. n. 2. et seq.*, *Tamburin. de jur. Abbat. tom. 3. disp. 9. quaest 8.*, *Pellizar. in manual. Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 4. sect. 4. q. 1. n. 104*, *eminentissimus Petra in commentar. ad const. 1. Anastasii IV. sect. 2. n. 15.*

Immo praetermissis antiquioribus ecclesiae legibus, quae sive ex dispensatione sive ex jure communi elargiebantur monachis multoque magis Canonicis regularibus facultatem assequendi beneficia saecularia, quibus animarum cura adnexa erat, *cap.: Quod Dei timorem. de stat. monach.* et *Fagnan. in cit. cap.: Quod Dei timorem*, et late *Thomassin. de benef. tom. 1. lib. 3. cap. 22. et seqq.*, dummodo tamen iidem monachi seu Canonici regulares de uno ad alium ordinem non fuissent translati, uti sancitum fuit a sacrosancto Concilio Tridentino *sess. 14. de reform. cap. 11.* in fin., ex jure novissimo cautum habetur, quod ad beneficia saecularia etiam curatas incapaces existant non solum monachi, uti colligitur ex pluribus resolutionibus sacrae hujus Congregationis, quas late referunt *Fagnan.* in *cap.: Quod Dei timorem num. 17. et seqq. de stat. monach.* et *emminentissimus Petra tom. 2. ad constit. 1. Anastasii IV. sect. 1. n. 26.*, verum etiam Canonici regulares, sive de uno ad alium ordinem regularem translati fuerint sive etiam in eodem ordine permaneant, juxta decretum a sacra Congregatione Episcoporum et regularium negotiis praeposita approbante san. mem. Clemente X. editum, ubi statuitur: »Ut imposterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonicis regularibus sancti Augustini Congregationis Lateranensis quamvis non translatus ad curam animarum in ecclesiis saecularibus etiam de jurepatronatus in perpetuum seu ad tempus quocumque titulo exercendam admittatur, nisi praeter Abbatis generalis licentiam expressum quoque Sedis apostolicae indultum accedat, quod juxta sacrorum ministrorum penuriam et prout animarum postulabit utilitas in contingentibus casibus concedetur: »Idemque comprobatur ex praxi sacrae hujus Congregationis, quae religiosis et Canonicis regularibus dispensationem ad assequendas ecclesias saeculares curam animarum adnexam habentes pluries denegavit, et signanter in una *Canonicorum regularium ss. Salvatoris die 17. Julii 1723.* et in *Colonien. Dispensationis 9. Februarii 1732.*

Et quamvis regulares praefici possint parochialibus ecclesiis eorum monasteriis unitis, id tamen procedit dumtaxat in casu, quo eaedem ecclesiae subjective, nimirum tam quoad temporalia quam quoad spiritualia fuerint monasterio unitae, *arg. Clement. 1. de excess. Praelat. ibiq. Gloss. verb.: Mensam, Barbos. de offic. et potest. Episcop. alleg. 72. n. 189., Engel in jus can. lib. 3. tit. 37. n. 11., Reifenstuel. eod. loc. n. 8.* et resolvit sacra haec Congregatio in *Ratisbonen*). Juris deputandi Vicarium*, ubi cum disceptatum fuerit:

*) Ratisbonen.

(Conc. Tr. c. 7. sess. 7. de ref.; c. 11. s. 25. de regul.)

Supplices exposuerunt Sanctissimo D. N. Abbas et monachi coenobii in Waldsassen ordinis Cisterciensium, quod apostolica Bonifacii IX. et Sixti IV. auctoritate intercedente quamplures jamdicto monasterio perpetuo unitae exstiterunt parochiales ecclesiae praesertim in Tirsenreut, Beuthel, Wondreb et Falkembergh cum expressa facultate eas moderandi per monachos ad nutum amovibiles, sive per saeculares sacerdotes; at consistorio episcopalis ecclesiae Ratisbonensis modo in controversiam revocante hujusmodi libertatem praeficiendi monachos animarum curae eosque pro animi sententia removendi praelibati Abbas et monachi Sanctissimum eundem D. N. apostolicarum constitutionum vindicem exoptarunt, contendentes nullimodo ab Episcopo perturbari posse in jure deputandi parochos amovibiles, etiam ex praelibati monasterii regularibus, proindeque liberum quoque sibi ipsis esse, collapsam assertam prioralem domum in civitate Tirsenreut a fundamentis restituere pro uberiori animarum beneficio. His itaque precibus ad sac. hunc concessum rejectis expeditae fuerunt consuetae literae pro informatione Ordinario Ratisbonensi, qui nuper, ut par est, obsequendo mandatis, redditis literis, unionem praelibatarum parochialium minime inficiatur, prae caeteris vero subtexit, quod ab immemoriali tempore eis praeesse solent saeculares sacerdotes tamquam vicarii perpetui, qui ad Abbatum praesentationem ordinaria auctoritate instituuntur et licet ut relator ipse prosequitur retroactis temporibus omnes explorati fuerint aditus subinferendi monachos ad nutum amovibiles, nulla unquam illuxit ratio morem immutandi. Hinc consistorio Ratisbonensi apostolicarum sanctionum dispositionem satis eludere contendente, eo praesertim quia nullatenus effectum sortitae fuerint, dignabuntur EE. VV. ex his aliisque latius utrimque adducendis pro eorum sapientia decernere

I. *An vicarii deputandi ab Abbate monasterii Waldsassen parochiis, de quibus agitur, sint deputandi perpetui seu potius temporanei?*

Et quatenus affirmative quoad secundam partem,

II. *An sit liberum Abbati deputare in praedictos vicarios temporaneos etiam monachos sui monasterii in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I. Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Ad II. Affirmative.

Die 29. Julii 1713.

I. *An Vicarii deputandi ab Abbate monasterii Waldsassen parochiis, de quibus agitur, sint deputandi perpetui seu potius temporanei?*

Et quatenus affirmative quoad secundam partem,

II. *An sit liberum Abbati deputare in praedictos vicarios temporaneos etiam monachos sui monasterii in casu?*

Die 29. Julii 1713 rescriptum fuit

Ad I. Negative ad primam partem, et affirmative quoad secundam.

Ad II. Affirmative, ut *in lib. 63. decr. pag. 311.* Secus autem est in casu, quo unio dictarum ecclesiarum *accessorie* et quoad temporalia tantum facta fuerit; tunc enim, quia in iis constitui debet rector seu vicarius perpetuus, *arg. cap.: Lateranensis 31. de praeben., cap.: In ecclesiis, 3. de privil.*, et *cap: unic. eod. tit. in 6.*, et statuerunt Tridentini Patres *sess. 7. cap. 7.* et *sess. 24. cap. 3. de reform.*, idcirco ad eas deputari non potest persona regularis, cujus instituto repugnat beneficiorum collatio seu institutio in titulum perpetuum, *Felin. in cap.: Nostra de rescript., Covarr. in cap. 2. de testam. num. 3., Reiffenstuel in jus can. lib. 3. num. 7., Garz. de benef. par. 7. cap. 10. num. 20.*, et in his terminis sacra haec Congregatio in *Ratisbonen*) Parochialis 19. Maji 1708* ad dubium ita conceptum:

*) Ratisbonen.

Vacante nuper de anno 1706 per obitum Jo. Ignatii Lickleder parochiali ecclesia in Lauterbach nuncupata hujus dioecesis Abbas monasterii s. Emerami ordinis s. Benedicti, sub eodem obtentu, quod dicta parochialis sub eodem titulo s. Emerami, quae antea fuisse fertur de jurepatronatus ejusdem monasterii ac ad eam praesentari consuevisset presbyter saecularis, usque ab anno 1379 ordinaria auctoritate Conradi tunc Episcopi Ratisbonen., subsequuta approbatione facta a Cardinali Pileo auctoritate apostolica, plenarie unita et incorporata fuerit eidam monasterio, cum facultate praesentandi presbyterum regularem jam praesentavit concistorio episcopali patrem Joachim Millher. Atqui renuente eodem concistorio hujusmodi praesentationem admittere, contendente fore praesentandum presbyterum saecularem, recursum habuit Abbas antedictus ad hanc S. C; hinc administrator illius episcopatus informare jussus refert praememoratae renuentiae fundamenta in ea posita esse, quod ab immemorabili seu a ducentis annis longaevus pervigeat usus in eadem parochiali praesentandi presbyterum saecularem, uno duntaxt excepto Coelestino Schroatznalder: quod insuper incongrua sit religiosorum extra septa monasterii vita a communi mensa et regulari disciplina remotior, quod tandem ea dioecesis saecularibus presbyteris abundet.

Altera praeterea ejusdem administratoris novissima supervenit relatio, in qua animadvertit, duplicem in Lauterbach existere erectam parochialem ecclesiam, unam scilicet s. Andreae in Oberlauterbach, alteram s. Emerami in Niederlauterbach nuncupatam. Ad utramque ab Abbate ordinis s. Benedicti occasione vacationum fuisse praesentatos presbyteros saeculares a loci Ordinario approbatos; sed hanc ultimam, inquit, modo destitutam esse animarum cura uti latius videre est in utraque relatione in summar. exhibenda una cum aliis documentis, quibus sane inspectis erit EE. VV. sapienter declarare dubium jam concordatum:

An praesentatio facta a patre Abbate s. Emerami ad parochialem ecclesiam Lauterbach vacantem per obitum quondam Jo Ignatii Lickleder de P. Joachim Millher regulari sustineatur in casu etc?

S. C. resp.:

Negative et amplius.

Die 19. Maji 1708.

Continuatio.

Ad preces ipsorummet recurrentium non proposita haec causa descripta in folio ex benignitate reassumendo diei 13. Aprilis dudum elapsi pro componenda controversia super institutione facta a consistorio episcopali Ratisbonen. sacerdotes saeculares in parochiali ecclesia in Lauterbach absque praesentatione Abbatis monasterii s. Emerami, necnon super provisione unius vel

»An praesentatio facta a P. Abbate s. Emerami ad parochialem ecclesiam Lauterbach

duorum parochorum tam in ecclesia s. Andreae quam in alia s. Emerami, ea modo partibus monitis reproponitur sub *iisdem dubiis ab EE. VV. definiendis:*

An institutio sacerdotis saecularis facta a consistorio Ratisbonensi absque praesentatione Abbatis monasterii s. Emerami patroni ecclesiae paroch. in Lauterbach sustineatur?

II. *An sit locus provisionis duorum parochorum tam in ecclesia s. Andreae in Oberlauterbach quam in altera ecclesia s. Emerami in Niederlauterbach vel potius provisioni unius parochi tantum in utraque ecclesia?*

S. C. resp
Ad I. Negative.
Ad II. Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam
Die 11. Maji 1709.

Spiren.

Ad vacantem parochialem ecclesiam in Eppingen, qui pagus est in dioecesi Spirensi, saecularem sacerdotem praesentandum esse a Priore conventus Carmelitarum in Hirschorn Uvormatiensis dioecesis, qua patrono ejusdem ecclesiae, definivit curia episcopalis Spirensis, rejecta nominatione P. Matthaei Carmelitani a dicto Priore facta, illiusque sententia per curiam metropolitanam Moguntinam confirmata est; verum appellatione interposita ad tribunal A. C., quae deinde remissa fuit ad hanc sacram Congregationem, suam tuetur Prior facultatem deputandi ad exercitium curae dictae Parochialis religiosum ejusdem ordinis ad sui nutum amovibilem, vigore duplicis indulti apostolici et immemorabilis observantiae.

Porro in literis apostolicis Gregorii XII., sub dat. 15. Septembris 1409., juxta productum exemplum approbanda committitur Decano Spirensi donatio portionis decimarum, cum jurepatronatus laicali dictae Parochialis Eppingensis, quam in usum fabricae conventus Hirschornensis pollicitus fuerat nobilis laicus illius fundator, reservata tamen congrua pro vicario perpetuo in eadem Parochiali instituendo: et Decanus literarum apostolicarum exequutor, certa portione fructuum Parochialis reservata pro congrua vicarii perpetui, donationem decimarum et jurispatronatus pro conservatione et reparatione dicti conventus, ejusque ecclesiae factam approbavit die 12. Junii 1410., adhibitis tamen verbis unionem ipsius ecclesiae parochialis exprimentibus.

Anno autem 1847 Prior dicti conventus sub narrativa, quod dicta Parochialis Eppingensis et altera Parochialis in Hessloch Moguntinae dioecesis fuissent authoritate apostolica perpetuo unitae, annexae et incorporatae eidem conventui, reservata congrua portione fructuum pro perpetuis vicariis in illis constituendis, quodque non semper inveniri possent sacerdotes, qui dictas vicarias recipere et ipsis parochialibus ecclesiis deservire vellent, alias literas apostolicas impetravit a san. mem. Innocentio VIII., quibus Priori et fratribus ejusdem conventus facultatem indulsit summus Pontifex, »quod de caetero, sunt verba earundem literarum, perpetuis futuris temporibus decedentibus modernis dictarum parochialium ecclesiarum vicariis, eisdem ecclesiis parochialibus per presbyteros idoneos saeculares vel dicti ordinis regulares ad vestrum nutum amovibiles in divinis deservire et animarum curam parochianorum illarum exerceri facere, Dioecesanorum locorum vel cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, libere et licite possitis.«

Latet, quo tempore, vigore Innocentiani indulti, patres Carmelitae coeperint deputari in curatos Eppingenses; attamen in diario Hirschornensi a secretariis juratis conventus conscripto legitur anno 1544: Parochum Eppingensem fuisse P. Sebastianum Felbaum et anno 1558. P. Thomam Froschen. Notatur pariter in eodem diario, quod amissam dudum parochiam Eppingensem conventus recuperavit anno 1621 et in ea positus fuit parochus Philippus Eltzi quodque anno 1642 parochi munus obibat P. Nicolaus Spey et anno 1647 P. Joannes Philippus Eltzi; et demum continuata describitur series parochorum Carmelitarum, qui in Eppingen fuerunt post recuperatam iterum parochiam e manibus haereticorum: nempe die 14. Novembris 1698, P. Eugenius: die 13 Decembris ejusdem anni P. Conradus: anno 1714 P. Gabriel: anno 1716 P. Dominicus, anno 1728 P. Avertanus, quem ad curae exercitium admisit clar. mem, Cardinalis Schonborn, tunc Episcopus Spirensis, praevia remotione presbyteri saecularis ab ipso deputati: et anno 1725 P. Christianus ultimus dictae Parochialis possessor, defunctus anno 1754. Et cum diario concordare asseritur tum ecclesiasticus protocollus haereticorum Eppingensium, in quo adnotantur duo baptismata collata annis 1645 et 1646 a P. Joanne Philippo Eltz, pastore nuncupato, tum liber baptismalis catholicorum, in quo enunciantur omnes praedicti parochi Carmelitae, qui curam exercuerunt ab anno 1698. Vigore itaque literarum apostolicarum Gregorii XII. autumat Prior substineri posse subjective suo conventui unitam fuisse Parochialem controversam illamque propterea obtineri posse ab ejusdem conventus religiosis ad nutum amovibilibus, ut firmat *Barbos. de offic. et potest. Episc. allegat. 72. num. 189.* et definivit haec sacra Congregatio in *Ratisbonen.*) Juris deputandi vicarium 29. Julii 1713.* Et, si quae dubietas oriri posset circa qualitatem unionis a praefatis literis Gregorianis erutae, eam ad effectum deputationis religiosi in vicarium amovibilem censet auferi per posteriores literas Innocentii VIII. in quibus expresse tribuitur Priori et fratribus conventus Hirschornensis facultas deputandi in eadem Parochiali *presbyteros idoneos saeculares vel dicti ordinis regulares ad nutum amovibiles*, quum sit in potestate summi Pontificis, regulares idoneos reddere ad assequendum beneficia etiam saecularia, ut in terminis similis indulti

*) Vd *supra p. 1022.*

vaccantem per obitum quondam Ignatii Lickleederer de P. Joachim regulari sustineatur in casu?

concessi congregationi Cassinensi et canonizati ab hac sacra Congregatione anno 1638 disserunt *Murga in comment. ad constitut. Alias etc. Urbani VIII. n. 3.* et *Card. Petra in comment. ad constit. I. Anastasii IV. sect. 1. num. 50. tom. 2. p. 17.*

Et licet sacrum Concilium Tridentinum *sess. 7. cap. 7. de reform.* permiserit Episcopis deputare vicarios perpetuos in ecclesiis unitis sublatis contrariis privilegiis et exemptionibus, attamen defendit Prior conciliarem sanctionem nedum limitari quoad monachos et mendicantes, quibus a s. Pio V. in constitutione: *Ad exquirendum 47. §. 5.* tribuitur facultas deputandi regulares ad nutum Superiorum amovibiles in Parochialibus conventui vel monasterio unitis; sed insuper opinatur, eam a Concilio abrogari facultatem deputandi vicarios amovibiles, quae competit ex dispositione juris vigore subjectivae unionis, non autem si competat vigore particularis privilegii, cui numquam censetur derogatum per legem generalem, ut notat *Mayr. in decret. lib. 5. tit. 33. num. 160.*, maxime cum agatur de regulāribus, quibus a pluribus summis Pontificibus datum fuit, ut eorum privilegia non possint revocari, nisi integro inserto illorum tenore, vel, ut usus obtinuit, nisi specialis et individua fiat illorum mentio, ex deductis per *Gueber. de privileg. tract. 1. disputat. 4. sect. 3. num. 16. et seq.*

Minimeque adversari contendit aut praetensam obreptionem indulti Innocentiani, erutam ex ibidem praesupposita unione facta auctoritate apostolica, aut superventam copiam presbyterorum saecularium, ob quorum penuriam idem indultum concessum fuit. Obreptionem porro nec subsistere arbitratur, attenta unione sequuta vigore literarum Gregorii XII., nec, si subsisteret, examinari posse, antequam impetretur oris aperitio. Et superventam presbyterorum saecularium copiam disputat, aut nullo pacto adimere causam finalem indulti vel solum vel aeque principaliter consistentem in utilitate conventus a Pontifice contemplata in proaemio et in dispositiva suarum literarum: aut solum adimere causam privilegii negative, ob cessationem causae concedendi, non autem contrarie, reddendo usum privilegii injustum et illicitum, prout requiritur ad privilegium rite concessum evertendum, *Pirhing. in jus. canon. lib. 5. tit. 33. num 169, Engel ibidem num. 20.* et *Anaclet. num. 187.* et *Grueber de privileg. tract. 1. disputat. 5. sect. 2. num 14. et seq.*, ubi firmat insuper, opus esse, ut pro adimendo privilegio causa esset etiam perpetua, quod affirmari non posse praetenditur de cessata penuria sacerdotum, quae ob frequentissima bella et haereticorum factiones in illis partibus potest iterum accidere.

Atque demum subjungit, plenam erui facultatem deputandi regulares ad nutum amovibiles a sola observantia duobus saeculis pacifice continuata cum laude et populi utilitate, juxta exhibitas testium depositiones, quin per curiam episcopalem unus afferatur actus in contrarium juxta firmata per *Rotam in Nullius seu Celsonen. Parochialis super bono jure 3. Decembris 1728. §. Et sane, coram clar. mem. Card. Aldrovando* et *7. Februarii 1735. §. 5. et seq. coram clar. mem. Card. Calcagnino.* Et licet certae non asserantur probationes sequutae amotionis, attamen tribuendum esse disserit arbitrariae facultati Superiorum, quod noluerint semel deputatos amovere, neque ex hoc sublatam censeri amovibilitatem, nisi praeter actus negativos asserantur positivae contradictiones cum acquiescentia removere debentis, praesertim in regularibus, qui ex voto obedientiae pendent a nutu Superioris, ut firmat *Rota cor. Lancetta decis. 273. n. 13. et seq.* et definivit sac. Congregatio in *Narnien. Jurisdictionis 13. Julii 1669. lib. 26. decret. p. 257.*

Verum ab Episcopo tum in transmissa relatione tum in circumferendo libello excipitur, suspectam esse fidem assertarum literarum Gregorii et Innocentii, quum illarum non exhibeatur autographum. Et illas Gregorii XII. nedum abrogatas videri a Martino V., non constituto de praetensae unionis exequutione ante hujus electionem, ex deductis per *Card. Petra ad constitut. unic. Joann. XXIII. sect, unic. n. 9. tom. 4. pag. 393.*, et *Rigant. ad regul. 13. cancellar. num. 2. et 30,* sed insuper nullam inducere subjectivam unionem, quum solum loquatur de approbanda decimarum et jurispatronatus donatione, reservata congrua vicario perpetuo. Verba autem exequutoris unionem exprimentia vel inutilia esse, uti excedentia limites delegationis, ad firmata per *Rotam in Sedunen. Unionis 6. Junii 1655. §. 19. cor. bon. mem. Vicecomite,* vel esse interpretanda de unione accessoria et quoad temporalia tantum, ob praeservatum juspatronatus et jus nominandi vicarium perpetuum, quae duae circumstantiae repugnant unioni subjectivae, ut de jurepatronatus dixit *Rota in Sedunen. Parochialis super regularitate 10. Januarii 1757. §. 6. coram bon. mem. Borrull;* et de Vicario perpetuo in *Valentina Vicariae 12. Februarii 1734. §. 5. cor. Emmo Crescentio* et in *Sedunen. Unionis 5. Aprilis 1756, §. 4. cor. Illmo D. Almae Urbis gubernatore.*

Exclusa vero subjectiva unione subditur, nihil prodesse indultum Innocentii VIII., tum quia obreptitium est, uti supponens unionem sequutam autoritate apostolica, quae revera non eruitur ex praecedentibus literis Gregorii XII., et ideo attendi non meretur, ut probat *Rota in decis. 614. num. 11. et seq. coram Ansaldo,* tum quia redditum fuit inexequibile per primaevum non usum quadraginta, immo fere septuaginta annorum, qui effluxerunt usque ad assertam primam nominationem Carmelitanorum sequutam anno 1554., ad tradita per *Rotam in Valentina Vicariae 12. Februarii 1734 §. 23. coram eminentissimo D. Card. Crescentio,* tum demum quia cessavit causa finalis inopiae sacerdotum saecularium, qua sublata cessare quoque debet privilegium deputandi regulares, ut notat *Card. Petra ad constitut. I. Anastasii IV. sect.*

respondit:
Negative.
Et in *Herbipolen.**) *Ecclesiarum parochialium* proposito dubio: *An Abbas monasterii s. Michaelis extra moenia Bambergae ordinis Benedictinorum teneatur praesentare rectores seu curatos ad ecclesias Ezelchirchen et Gremsdorf, qui sint presbyteri saeculares ab Episcopo instituendi vel potius liberum eidem sit praesentare regulares sui ordinis in casu?*

1. num. 29. tom. 2. pag. 9. Praeterea contenditur, Innocentianum indultum sublatum fuisse per concilium Tridentinum *sess. 7. cap. 7. de reform.* praecipiens deputationem perpetuorum vicariorum, non obstante quocumque privilegio, et constitutionem 47. S. Pii V., qua moderato concilii rigore tribuitur mendicantibus facultas deputandi suos religiosos in vicarios amovibiles, revocatam in hac parte expresse fuisse in constitutione: *In tanta 9. §. 3. et 6. Gregorii XIII.*

Circa observantiam denique reponitur, inutilem eam esse, tum quia innixam abrogato privilegio Innocentii VIII., ut firmat *Rota in Argentina Parochialium 30. Aprilis 1745. §. 20. et 21. et 10. Junii 1746. §: Sublato coram clar. mem. Card. Millino*, tum quia recentissimam incipientem ab anno 1698, quum nulla ratio habenda sit vel de libro haereticorum, vel de privato diario conventus ad probandum antiquiores parochos; attenta praesertim notoria illius regionis revolutione circa catholicam religionem, quandoque permissam quandoque vetitam, itaut in illis anfractibus potuerit religiosus ad curam bonorum in Eppingen residens sacramenta ministrare in defectum parochi, tum tandem quia interversam a posterioribus institutionibus per religiosos reportatis cum clausulis saecularitatis ecclesiae praeservativis »*per commendam*« et: »*sine consequentia* etc.« atque ideo tolerandum non esse diutius ab eisdem parochiam occupari contra populi et principis saecularis vota, et contra saecularis beneficii naturam et disciplinam sacrorum canonum, sed esse praesentandos presbyteros saeculares juxta definita ab hac sacra Congregatione in *Ratisbonen*[1]) *Juris praesentandi 19. Maji 1708.* et in *Herbipolen* [2]) *Ecclesiarum parochialium 19. Septembris 1722.* et in *Constantien. 20. Novemb. 1734. ad I. dubium lib. 84. decret. pag. 529* et in *altera Herbipolen* [3]) *Parochialis 5. Decembris 1750.* et firmavit *Rota in dicta Argentinen. Parochialium 30. Aprilis 1745. §. 4. coram clar. mem. Card. Millino.*

Erit itaque ab EE. VV. definiendum:

I. *An Superior conventus ordinis Carmelitarum in Hirschorn teneatur praesentare ad animarum curam in Eppingen sacerdotem saecularem vel potius valeat deputare sacerdotem regularem?*

II. *An sacerdotes ut supra praesentandi vel deputandi amoveri possint ad nutum ipsius conventus superioris in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et amplius.

Ad II. Provisum in primo.

Die 18. Julii 1761.

*) Herbipolen.

(Conc. Trid. c. 10 s. 24. de ref.)

Episcopus Herbipolensis mandavit Abbati monasterii s. Michaelis ordinis s. Benedicti extra moenia Bambergae, quod ad monasterium revocaret patrem Bonifacium sub obtentu, quod male exerceret curam animarum in ecclesiis parochialibus Ezelkirchen et Gremsdorf, et quod idoneum loco illius clericum saecularem praesentaret; sed respondente Abbate se patrem Bonifacium esse revocaturum, dummodo sibi daretur facultas praesentandi alium monachum Patrem videlicet Idelphonsum, exorta est inter eosdem controversia: an Abbas dicti monasterii s. Michaelis teneretur praesentare ad ecclesias praedictas presbyteros saeculares, qui essent ab Episcopo instituendi, vel potius eidem esset liberum praesentare regulares sui ordinis.?

Actum fuit de hac controversia in Congregatione habita die 27. Aprilis 1720 et contendente Episcopo memoratas ecclesias parochiales esse beneficia saecularia et admissam fuisse praesentationem ab Abbatibus factam in personis suorum monachorum ab anno tantum 1660, quo tempore propter acatholicorum invasiones et bellum suevicum magna aderat penuria clericorum saecularium, hinc inferendo non debere esse modo liberum Abbati praesentare regulares sui ordinis, sed mutatis in praesenti rerum circumstantiis debere praesentare curatos, qui sint presbyteri saeculares et qui ab Episcopo pro tempore institutionem reportent, nulla fuit capta resolutio, sed responsum, quod hinc inde coadjuvarentur probationes, et quod ab Episcopo exhiberentur institutiones.

Facta fuit hinc inde coadjuvatio probationum et reliqua demandata sunt adimpleta. Quocirca ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere:

An Abbas monasterii s. Michaelis extra moenia Bambergae ordinis Benedictinorum teneatur praesentare rectores seu curatos ad ecclesias Ezelkirchen, et Gremsdorf, qui sint presbyteri saeculares ab Episcopo instituendi vel potius liberum eidem sit praesentare regulares sui ordinis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad primam et negative ad secundam partem dubii.

Die 19. Sept. 1722.

Herbipolen.

Post longam possessionem Abbatum monasterii Amorbacensis praesentandi monachos ad exercendam curam animarum in quatuor parochialibus ecclesiis nempe Amorbach, Zell, Buchen et Holderbach, ut etiam ad primissaria beneficium est, quod habet sacerdos, ut vicariam et adjutricem operam parocho praestet in administratione sacramentorum aliisque officiis ad animarum curam spectantibus, orta est controversia inter promotorem fiscalem curiae episcopalis Herbipolensis et Abbatem Amorbacensem de praesentatione ad parochialem et primissariam in Buchen, contendente promotore fiscali non posse Abbatem Amorbacensem praesentare ad hanc parochialem et primissariam monachos sui ordinis, sed teneri ad praesentandos sacerdotes saeculares; contra Abbate Amorbacensi contendente jus sibi esse et facultatem praesentandi monachos ex bullis Bonifacii IX. et Innocentii VII. Pontificum maximorum et ex longa consuetudine et possessione, in qua Abbates sunt monachos praesentandi. Re igitur in judicium deducta, consilium episcopale, ut facile intelligi potest, secundum promotorem fiscalem pronunciavit, sed delata appellationis causa ad curiam metropolitanam Moguntinam revocata fuit sententia et pronunciatum fuit: Jus esse Abbati Amorbacensi nominandi regulares ad parochiam et primissariam. Venit igitur in hac sententiarum varietate causa haec ad amplissimum hoc tribunal duobus collecta capitibus, quorum primo de Parochiali agitur, altero de Primissaria.

Narrat promotor fiscalis Abbates Amorbacenses ex titulo jurispatronatus sibi perpetuo asseruisse facultatem et jus praesentandi rectorem et primissarium ecclesiae in Buchen atque ex hoc jurepatronatus non monachos, sed saeculares sacerdotes praesentasse etiam post ea tempora, quibus additae dicuntur bullae Bonifaciana et Innocentiana, ut monstrat duplici indice horum saecularium sacerdotum, altero eorum, qui rectores fuerunt, deducto ab anno 1485 ad annum usque 1642, altero eorum, qui primissarii fuerunt, deducto ab anno 1535 ad annum usque 1693.; vetat enim antiquitas temporis ut altius regredi possit. Post haec tempora necessitate adactos fuisse Uvircemburgenses seu Herbipolenses Episcopos, ut ad parochiales ecclesias regendas monachi e claustris evocarentur, vastata incendio belli suevici Franconia universa et dispersis ministris ecclesiarum, qui sese alio receperunt vastitatem fugientes; ob id regulares praesentatos fuisse ab Abbatibus Amorbacensibus, non perpetuo tamen, sed per intervalla, et cum saecularium sacerdotum copia deesset, eo tempore, quod excurrit ab anno 1642 ad annum 1663: Episcopos Herbipolenses id solum prae oculis habuisse, ut ad eum statum res restituerentur, quo erant ante teterrimum illud suevicum bellum, et ob id curasse ne parochi ab Abbatibus amoverentur ad nutum; resignationes parochorum et primissariorum praevia tantum causae cognitione admisisse; literas institutionum dedisse eadem formula, qua dari solent iis, qui ecclesias obtinent in titulum; hunc animum, ut sacerdotes saeculares praesentarentur, declarasse in pluribus epistolis atque in ipsis literis institutionum, in quibus expressum fuit admitti regulares *ex sola gratia*, nec ipsos Abbates Amorbacenses dubitasse monachorum admissionem *petere ex sola gratia*, idque etiam factum fuisse in ultima parochialis ecclesiae vacatione, quae obtigit anno 1735., post quam lis orta fuit.

Ex his, quae ex facto proponuntur, transgreditur promotor fiscalis ad ea, quae juris sunt.

Urget cognitissimam sacrorum canonum dispositionem, qua vetitum est regularibus parochias obtinere, qua cautum est, ut beneficia regularia regularibus, saecularia saecularibus conferantur; urget et Constantiensis et Tridentini Concilii decreta notissima de unionibus, e quibus nullam habendam esse rationem, disputat de bullis Bonifaciana et Innocentiana, etiamsi de veritate earum nulla esset suspicio, quas tamen, uti apogryphas, commenticias et falsas rejicit tum pluribus rationibus tum quia nulla earum mentio sit in posterioribus literis apostolicis Pii II. datis anno 1460., quibus monachi Amorbacenses facultatem impetrarunt exercendi curam animarum in duabus ex supradictis ecclesiis nempe in Amorbach et in Zell: a consuetudine et possessione nullum esse posse Abbatibus Amorbacensibus praesidium disputat promotor fiscalis, quod requiratur immemorialis, hic autem, facta temporis computatione, ne centenariam quidem adesse; necessitate pressos Episcopos permisisse, ut regulares praesentarentur, ex hac necessitate nullum oriri potuisse jus monachis; uniones non a potestate pontificia pendere: Episcopos animum suum declarasse epistolis pluribus et literis institutionum, admissiones regularium fieri ex sola gratia, agnovisse id Abbates Amorbacenses et petiisse, ut ex sola gratia monachi admitterentur.

Si omnia, quae in libello promotoris fiscalis proponuntur, hic congregare animus esset, folium in volumen excresceret; ab Abbate Amorbacensi nihil hactenus habuimus; duo causae capita haec sunt:

I *An Abbas monasterii Amorbacensis praesentare teneatur presbyterum saecularem ad ecclesiam parochialem in Buchen seu potius praesentare valeat aliquem ex monachis praedictis monasterii?*

II. *An teneatur etiam praesentare presbyterum saecularem ad beneficium primissariae in Buchen seu potius facultatem habeat praesentandi monachum ipsius monasterii?*

S. C. resp.:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, quoad utrumque.

Die 22. Aug. et 5. Dcbr. 1750.

Die 27. Aprilis 1720 distulit resolutionem jussitque: hinc inde coadjuvari probationes et per Episcopum exhiberi institutiones; deindeque sub die 19. Septembris 1722 ita rescripsit:

Affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam, ut *in lib. 72. Decr. pag. 458.*

Neque praetermittendum est, quod beneficia regularia alicujus ordinis non solum possunt conferri dumtaxat religiosis illius ordinis, uti sancivit sacrosancta Tridentina synodus *sess. 14. de refor. cap. 10*, ibi: »Regularia beneficia, in titulum regularibus professis provideri consueta, cum per obitum,

[1]) Vd. *supra p. 1023.*
[2]) Vd. *p. 1026.* [3]) Vd. *p. 1026.*

resignationem vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius ordinis vel iis, qui habitum omnino suscipere et professionem emittere teneantur, et non aliis, ne vestem lino lanaque contextam induant, conferantur;« verum etiam beneficia unius monasterii assequi non potest religiosus alterius monasterii, tametsi fuerit ejusdem ordinis, ad textum expressum in *cap.: Cum singula §.: Prohibemus de praeben. n. 6*, ubi Bonifacius VIII. ita decrevit: »Prohibemus insuper, ne prioratus vel ecclesiae aut administrationes seu officia unius monasterii consueta per ejusdem monachos gubernari committantur deinceps absque auctoritate Sedis ejusdem alterius monasterii monachis gubernanda, nec hactenus commissa dimittantur eisdem, sed per eos, ad quos pertinet, libere ordinentur.«

Hisce ita praejactis Episcopus Constantiensis demonstrare nititur, quod ad curam et administrationem praedictarum ecclesiarum deputari debeant vicarii perpetui, juxta textum in *cap. unic. de capell. monac. in 6*, et sacrum Concilium Tridentinum *sess. 7 cap. 7 de refor.* et *Pianam constitutionem 47 §. 3 et 4*, indeque infert earum regimen committi posse dumtaxat presbyteris saecularibus, minime vero regularibus, quippe qui nequeunt beneficia, repugnante eorum instituto, in titulum perpetuum obtinere atque idcirco juxta praefatam resolutionem sub annum 1667 ab hac sacra Congregatione editam utpote jure communi et s. Concilio Tridentino conformem omnino exequendam sibi licere praedictos religiosos ab earum ecclesiarum cura libere amovere; attento praesertim, quod idem religiosi ad exercitium curae animarum in memoratis ecclesiis deputati fuerunt, nullo praevio examine nullaque praecedente Episcopi approbatione omnino requisita tam a sacro Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 11. de Regular.*, quam a constitutionibus *s. Pii V. c. 47. §. 5.* et *Gregorii XV.**) et in specie vicariorum, qui deputantur ad ecclesias spectantes ad religionem Hierosolymitanam rescripsit sacra haec Congregatio in *Fanen. anno 1581. lib. 3. decr. p. 20*, et in *Caesaraugustana* eodem anno *d. lib. 3. decr. p. 47. ad XI. dub.*

At adversus haec Magnus Prior tria opponit.

Primo, omnia beneficia ad religionem Hierosolymitanam spectantia esse manualia proindeque vicarios seu eorum rectores ut-

*) Vd. *p. 208.*

pote ad nutum amovibiles posse deputari regulares.

Secundo, per lapsum octoginta vel etiam centum annorum dictas ecclesias administrari consuevisse a praedictis fratribus Franciscanis ideoque ex vi hujusmodi longaevae consuetudinis statum saecularem earumdem parochialium ecclesiarum in statum regularem migrasse, *cap.: Cum de benefic. 10. de praeben. in 6*, et tradunt *Passerin. in cod. cap.: Cum de beneficio n. 15*, et *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. glos. 7. n. 8.*

Tertio demum, praedictos PP. examinatos et approbatos fuisse a commissario Episcopi moram Friburgi trahente. Unde concludit, a cura dictarum ecclesiarum removeri ab Episcopo non potuisse, uti resolvit sacra haec Congregatio in *Comen. sub annum 1581. lib. 3. decr. pag. 49. et 52.*

Haec sunt praecipua rationum momenta, quae pro resolutione primi ex dubiis infra describendis occurrunt ponderanda. Quae autem pertinent ad secundum, ubi quaeritur de attentatis, ex ipsa facti specie superius exposita facile conjicitur, in quo ea constituantur. Quod vero demum spectat ad alteram controversiam ab Episcopo itidem promotam super exactione primorum fructuum et nonnullarum taxarum a praedictis ecclesiis, de qua agendum erit in examine tertii dubii, idem Episcopus in medium profert instrumentum transactionis initae sub annum 1612, ubi ad sedulas contentiones inter ipsum et dictum Magnum Priorem exortas de hac solutione conventum fuit, et rursus affirmans in literis, quas nuperrime ad sacram Congregationem dedit, se praedictos primos fructus et taxas *realiter et effective erogare pro conservatione et repartitione domus incarceratorum clericorum, pro ministris inibi iisdem inservientibus, pro sustentatione clericorum emeritorum et pro tuenda immunitate ecclesiastica, pro pauperibus et his similibus*, putat, id alienum haud esse a canonicae disciplinae institutis, sed conforme tum juri communi, *argum. cap.: Jacobus de Simon.*, tum sanctioni sacri Concilii Trident. *cap. 14. sess. 24.* de refor., tum denique constitutioni 104. sancti Pii V. et constitutioni 51. Innocentii XII., ubi declaratur: licitum esse aliquid ex fructibus beneficii exigere seu persolvi, dummodo in pios usus convertatur.

Et consentanee ad haec consuetudinem quantumvis immemorabilem, juxta quam aliquid persolvitur occasione canonicatus et

praebendae seu alterius cujusque beneficii, improbandam esse utpote irrationabilem, si id, quod exigitur, cedat in utilitatem et privatum commodum Canonicorum vel aliorum, statuit s. Congregatio in *Polignanen. anno 1584. lib. 4. decr. pag. 9*, et recentius in *Brugen. 3. Septembris 1729*, ubi proposito dubio:

»*An toleranda sit consuetudo immemorabilis de praestando convivio per capellanum noviter receptum, seu potius improbanda?*

responsum fuit:

Negative ad primam partem et affirmative ad secundam, *ut in lib. 79. decr. pag. 433.*

Eam vero attendendam esse, si modo id, quod persolvitur, in usus pios erogetur, tradunt *Joann. Andr. in citat. capit.: Jacobus de Simon., Butr. ibidem, num. 4, Hostien. n. 2, Zabarel. n. 3, Bich. num. 8, Fermosin. tract. crim. in cap.: Jacobus 44. quaest. 1. n. 14. de Simon., Tondut. quaest. canon. cap. 47. n. 3. et sequ. tom. 1, Ripa cons. 1. n. 11. de Abitr.*, et pluries declaravit eadem sacra Congregatio et signanter in *Avenionen. anno 1586. lib. 4. decr. pag. 189*, in *Segobien. 11. Julii 1590*, in *Leodien. 8. Octobris 1592. lib. 8. epist.*, in *Aquilana 27. Aprilis 1630. ad III. dubium*, in *Caesaraugustana 19. Novembris 1653. lib. 19. decr. pag. 287*, in *Tudertina 19. Februarii 1633. lib. 4. decr. pag. 709*, in *Cassanen. 3. Decembris 1718*, ubi ad dubium conceptum his verbis:

»*An consuetudo vigens in ecclesia matrice s. Mariae Majoris civitatis Marathae exigendi a quolibet presbytero admittendo ad participationem missae communis ejusdem ecclesiae carolenos decem sit servanda in casu?*

rescriptum fuit:

Affirmative, dummodo fiat depositum in capsa sacristiae, et quod depositum erogetur in usum ejusdem sacristiae tantum, et amplius.

Verum ex opposito Magnus Prior contendit, praedictam transactionem, cui potissimum nititur Episcopus, attentendam non esse, tum quia eidem obstat constitutio Joannis XXII., qua Episcopo Constantiensi vetitum est, ne quid occasione approbationis vicariorum ad dictas parochias aliaque beneficia ad religionem Hierosolymitanam spectantia exigat, tum etiam, quia eadem transactio labe simoniaca sit infecta ex eo, quod controversa solutio conventa fuerit in beneficium et commodum ipiusmet Episcopi, non autem in utilitatem ecclesiae aut alterius loci pii.

Tandem ad absolvendam hujus causae discussionem non abs re erit ponderare, quod praedicta transactio in ea parte, qua concordatum fuit, primos fructus beneficii solvi debere Episcopo, adversari videtur constitutioni 104. s. Pii, quae onus novo Canonico aut beneficiato impositum pro fabrica vel sacrario ecclesiae ea temperat conditione, ut medios fructus unius anni non excedat, sic enim habet §. 4: »Statuimus, ut, ubicumque hujusmodi fructus et distributiones fabricae vel sacristiae aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiae vel fabricae aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati praedicti integre percipiant.«

Fusius haec fuerunt exposita, ut, quid momenti habeant, Eminentiae VV. commodius expendere possint ac sapientissime determinare

1. *An sit exequenda resolutio diei 15. Januarii 1667, itaut liceat Episcopo Constantiensi amovere regulares exercentes curam animarum?*

2. *An constet de attentatis, itaut sint reficienda damna et interesse?*

3. *An Episcopo Constantiensi debeantur taxae in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Constare de attentatis.

Ad III: Negative.

Die 20. Novb. 1734.

Lucana.

Ecclesia parochialis s. Mariae Curtis Orlandingorum nuncupatae in Lucana civitate existens, cum jam pridem a quodam ejus rectore in favorem P. Joannis Baptistae Cioni congregationis Matris Dei fuisset renunciata, ut bonis et redditibus illius ecclesiastici beneficii congregationis ejusdem necessitatibus aliquo modo fieret satis, postmodum ecclesia ipsa una cum animarum cura eidem adnexa et suis redditibus et proventibus perpetuo praefatae congregationi Matris Dei fuit unita a s. m. Gregorio XIII. per bullam anni 1583, quae incipit: »Ex injuncto,« in qua, ad praesentem quod attinet controversiam, haec ha-

bentur verba: »Licet dictis confratribus per se vel alium vel alios suorum et dictae fraternitatis nomine ecclesiae et annexorum jurium ac pertinentiorum ac bonorum praefatorum corporalem, realem ac actualem possessionem propria auctoritate libere apprendere et perpetuo retinere curamque dictorum parochianorum per se ipsum seu unum vel plures ex eis ad id deputandos, qui alias idoneus seu idonei sint, exerceri facere ac fructus, redditus ac proventus praefatos percipere, exigere, servare ac in suos et praefatae confraternitatis usus et utilitatem convertere Dioecesani loci aut cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita etc.«

Porro in vim hujus clausulae ab eo temporis usque in praesens reputarunt patres congregationis huic ecclesiae praeficiendos exemptos esse ab onere subeundi examinis ad curam animarum, ceu non ambigitur hujusmodi exemptione illos perpetuo gavisos fuisse, quamvis cum dependentia ab Ordinario pro tempore curam exercuerint, et ab eodem literas patentes ad parochi subeunda officia acceperint. Nihilominus existimans actualis Archiepiscopus haud consistere hujusmodi privilegium exemptionis, contingente nuper vacatione paroeciae, novum parochum a praedicta congregatione designatum ad examen vocare non dubitavit. Quod quidem aegre ferentes patres ejusdem congregationis oraculum hujus s. Ordinis hac desuper re percontari, supplici oblato libello, e re sua duxerunt, quo tota controversia haec spectat.

Informationem ac votum ut moris est rogavi tum Archiepiscopum tum procuratorem generalem congregationis Matris Dei. Primus haec in facto ac in jure animadvertenda, post ea, quae narrata sunt, subjicit: »Contigit, ut ultimis ex annis ab illis patribus ter immutatus fuerit individuus, qui animarum curam exerceret; novissime vero ad hujusmodi munus designatus fuerit quidam ex illa congregatione juvenis sacerdos, qui, licet bonis moribus praeditus, tamen de illius idoneitate dubium mihi suboriebatur. Ne igitur meo hac super re gravissimo muneri deficerem et dispositionibus inhaerens tum s. Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 11. de regularibus* tum s. m. Benedicti XIV. in constitutione 109. de jurisdictione, quae incipit: *Firmandis* §. *16*)*, praedictum sacerdotem ad examen vocavi, ut agnoscerem, utrum idoneus esset ad curam animarum.«

Se nimis gravari arbitrati sunt patres congregationis Matris Dei asserentes sibi ex praedicta bulla apostolica anni 1583 privilegium exemptionis ab hujusmodi examine competere; rem autem re ita non habere suadere conatus sum tum ex dispositionibus praefatis Concilii Tridentini et Benedicti XIV. tum ex sensu bullae ipsius, quam adducunt quaeque, ni fallor, solummodo agit de perpetua beneficiorum unione et non solum Tridentini dispositionibus nullimode derogat verum etiam statuit et decernit, quod ad curam parochianorum deputandus seu deputandi *idoneus vel idonei sint.* Posita autem exemptione, quae obducitur, quomodo ego judicium ferre possem de idoneitate parochi, qui, ut ipsi fatentur oratores, a mea pendet jurisdictione? Quodnam mihi medium adimplendi munus, quod strictissime a ss. canonibus mihi imponitur? Denique in literis patentibus, quae a meis praedecessoribus curato pro tempore s. Mariae Curtis Orlandingorum datae sunt, dicebatur »constito nobis de idoneitate etc., uti patet ex actis hujus archiepiscopalis cancellariae. Ergo saltem, cum de idoneitate dubium fuit, electus examen subiit ad curam animarum, alioquin, quod de ejus idoneitate constitisset, asseri non potuisset.« Ceterum sententiam s. Ordinis et ipse praestolatur, ut et dissentionibus via occludi queat et suae conscientiae tranquillitati consultum sit.

Contra disserit congregationis procurator generalis inquiens: »Sembra non essere fuori di ragione i PP. di s. Maria Cortelandi, se credono che i praesentati alla parrochia della loro chiesa dal capitolo generale, non vadano soggetti all' esame dell' Ordinario; poichè quando ancora sia dubbia la indicata clausola della bolla d' investitura del 1583, la consuetudine ab immemorabili quae est optima legum interpres, sa che la presunzione favorevole stia dalla parte dei PP. sndetti. Ed invero non farebbe poca meraviglia, che 20. tra Vescovi ed Arcivescovi, che hanno governata la chiesa di Lucca dal 1583. fino al presente Arcivescovo, abbiano ceduto ad un diritto tanto importante, se non avessero veduto che la bolla surriferrita favoriva i PP. Cortelandini. Dirò di più, che non da un solo degli Ordinari di Lucca è stata richiesta la bolla per essere esaminata, e specialmente dall' Arcivescovo Manci uomo come

*) Vd. *p. 1032.*

a tutti è noto, versatissimo nel diritto Canonico; e tanto egli, che gli altri hanno creduto esser favorevole ai sudd. padri, o almeno ne sono rimasti in tali dubbii, che non hanno richiesto l' esame dei presentati alla parrochia. È da osservarsi ancora, che i padri Francescani di Viareggio città del Dominio Lucchese, affacciarono ratto il citato Arcivescovo Mansi equale privilegio, ma esammate le rispettive lettere apostolichee furono ravvisate dissimili, per la qual cosa fù rigettato il privilegio vantato dai padri Francescani, e fù rispettato quello dei padri di Cortelandini.

Posta adunque la consuetudine immemorabile, colla quale, secondo gravi dottori si prescrive contro qualunque legge canonica, ancorchè vi sia opposta la clausula: non *ostante qualunque consuetudine* anche futura, posta l' interpretatione della bolla o almeno rispettata l' oscurità della medesima in favore dei PP. suddetti da 20. Ordinari, quatro dei quali Cardinali, mi sembra, ripeto, che non siano fuori di ragione i sudd. padri, se credano, che il presentato dei loro Religiosi alla parrochia di Cortelandini sia esente dall' esame del Ordinario.

Che se fosse opposta l'interruzione della consuetudine, rispondo che ciò è stato permesso solo in quest' ultimi anni sotto il presente Monsignor Arcivescovo pro bono pacis, ma però si sono riserbati i padri di Cortelandini, di fare esaminare il dubbio a cotesta s. Congregazione, come ne ha mostrato desiderio anche l' istesso Monsignore Arciprete.

Ubi juris communis dispositio spectetur, dubium non est, quin regulares etiam qui parochias administrandas susceperint ab Ordinario valeant examini subjici, seu diserte statuit Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 11. de regularibus*, ibi: »In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in eis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi sita sunt. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi ejusdem consensu ac praevio examine per eum aut ejus vicarium faciendo, exempto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus et exceptis etiam iis monasteriis seu locis, in quibus Abbates, Generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus Abbates aut alii regularium Superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochianos exercent salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in praedicta loca vel personas jurisdictionem exercent.« Momentum igitur quaestionis in praetensi privilegii interpretatione consistit. Qua super re decernent EE. VV.: an ea excipienda sit interpretatio, quam relatae clausulae »Dioecesani loci aut cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita,« appingere videtur Archiepiscopus, ut scilicet ad postremam dumtaxat orationis partem referatur seu potius ad integrum ejus tenorem extendatur, ceu contendunt PP. congregationis Matris Dei ex recepta regula: »Clausulae ultimo loco positae ad omnia antecedentia connexa referuntur.« Ceterum quod in bulla cantum fuerit, ut ad paroeciam deputandi idonei sint, id privilegii vi et efficaciae minime adversari iidem perpendunt. quatenus idoneitatis cognitio non Ordinario sed Superiori regulari vel capitulo electorum commissa censenda sit; nec ceteroquin praesumendum, ut a capitulo generali virorum religiosorum ille ad parochi munus obeundum eligatur, qui moribus vel scientia incapax aut indignus sit.

Quod si tamen ambiguam saltem consensuerint EE. VV. bullae sententiam super exemptione, videant quanti facienda sit diuturna duorum saeculorum et amplius observantia, qua praecipue nituntur oratores, sive haec in linea interpretativa sive in praescriptiva sumatur; utroque enim in casu maximam esse observantiae vim nemo ignorat. In hoc tamen perpendenda circumstantia, cujus meminit Archiepiscopus, quod nimirum in literis patentibus, quae a curia parochis s. Mariae datae sunt, dicatur: »Constito Nobis de idoneitate etc.,« quod quidem argumento forsan esset, examen candidati a curia ipsa fuisse institutum, quamvis exploratum sit, aliunde etiam de idoneitate constare posse.

Sed facti ac juris momentis utrimque collatis erit EE. VV. definire quod proponitur

Dubium:

An constet de exemptione parochi pro tempore s. Mariae Curtis Orlandingorum ab onere

subeundi examen coram curia archiepiscopali in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 27. Febr. 1858.

Benedictus PP. XIV.

(Vd. Constit. Greg. XV. *Inscrutabili*, supra p. 208.)

Firmandis atque asserendis ecclesiasticae disciplinae regulis studiose intenti praedecessores nostri romani Pontifices consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiae curam animum adjicere easque apostolicas constitutiones opportune promulgare, quibus gliscentes morum corruptelas resecarent et inordinatas humanae arrogantiae praesumptiones reprimerent. Cui rei obtinendae utilissimum plane experti sunt vel antiqua patrum constituta renovare, interpretari aut declarare vel competentium romanae curiae tribunalium sive congregationum judicata et responsa colligere, confirmare aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire videretur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sane ratione fel. record. praedecessor noster Clemens Papa X. per suam constitutionem, quae incipit »*Superna*«*) datam XI. Cal. Junii anno MDCLXX, inhaerendo pluribus resolutionibus congregationum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium ac Tridentini Concilii interpretationi auctoritate apostolica praepositorum, multa constituit circa debitam a regularibus erga Episcopos locorum ordinarios observantiam et subjectionem tam in petenda eorum licentia et benedictione pro verbi Dei praedicatione in ecclesiis etiam suorum respective ordinum habenda quam in approbatione et facultate ab eisdem obtinenda pro administrando saecularibus poenitentiae sacramento. Ita pariter se gessit recolendae memoriae praedecessor noster Innocentius PP. XII., quum ad normam plurium resolutionum congregationis concilii praefatae certos sacrarum ordinationum regulas et singulorum Episcoporum jura in proprios subditos praefinivit, lata constitutione 54, quae incipit: »*Speculatores,***)* sub datum 4. Novembris anni 1694.

*) Vd. *infra p. 1053.*

**) Vd. *Ordinatio Subditorum alienorum.*

§. 1. Hanc ipsam rationem Nos ipsi secuti sumus in apostolicis nostris literis, quarum initium est »*Sacramentum poenitentiae*«*) anno 1741 Calendis Junii datis, in quibus nonnulla decrevimus et statuimus adversus sacerdotes in sacramentali confessione suos poenitentes ad turpia sollicitantes, juxta declarationes in causis hujus generis diversis temporibus et casibus prolatas a congregatione venerabilium fratrum nostrorum romanae ecclesiae Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum. Idipsum nuperrime egimus, dum venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis encyclicas literas dedimus sub die 19. Augusti hujusce anni 1744, quarum initium est: »*Cum semper oblatas,*«**) quibus a praedictae congregationis Concilii Tridentini interpretis resolutionibus et placitis neutiquam discedentes plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum curam gerentes missam pro populo applicandi diebus saltem festis de praecepto, tum etiam ecclesiarum cathedralium et collegiatarum Canonici aliique de earum gremio, missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a Nobis servatum iri declaramus, dum Episcoporum jura, quod attinet ad visitationem ecclesiarum parochialium ad regularium monasteria pertinentium, hac nostra perpetuo valitura constitutione asserere atque ut infra definire et constituere in animum induximus.

§. 2. Animarum curam in saeculares personas exercentes in iis ecclesiis, quae monasteriis seu domibus virorum aut mulierum adnexae sunt, sive ipsi regalares sint sive saeculares, sacri Tridentini Concilii praescripto *sess. 25. cap. 11. de regularibus, subesse debent immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi praedicta monasteria sunt sita,*« exceptis dumtaxat iis monasteriis seu locis, in quibus Abbates, Generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus Abbates aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in praedicta loca vel personas jurisdictionem exercent.«

*) Hanc constitutionem vd. sub verbo: *Sollicitatio.*

**) Vd. *p. 695.*

§. 3. Cum itaque nonnulli sacerdotes ab episcopali jurisdictione exempti, quos neque parochos neque animarum curae addictos esse constaret, ausi fuissent aliquibus christifidelium matrimoniis interesse sine praevia Episcopi aut parochi licentia, quaesitum fuit: *utrum hujusmodi sacerdotum correctio atque in eosdem animadversio ad Episcopum, an vero ad eorum superiores privative spectaret?* Cumque ii privativum ejusmodi jus ex eo deducerent, quod Tridentina synodus loco citato, dum *facultatem tribuit Episcopis corrigendi et puniendi sacerdotes ab eorum jurisdictione exemptos in his, quae ad animarum curam et sacramentorum administrationem pertinent,* de iis dumtaxat sacerdotibus loquitur, qui vel parochi sunt vel animarum curam exercent, cujusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur; futilem hanc vanamque praesumptionem reprimere statuit fel. record. praedecessor noster Gregorius PP. XV. ac de consilio Congregationis sacri Concilii Tridentini interpretis edita constitutione, quae incipit: »*Inscrutabili*,«*) data Nonis Februarii anno incarnationis Dominicae 1622 decrevit ac declaravit »*ut deinceps tam regulares quam saeculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasteriis seu domibus regularibus aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis sive regularibus sive saecularibus incumbentem exerceant sive alias ecclesiastica sacramenta aut unum ex illis ministrent, praevia Episcopi licentia et approbatione, sive quoquo modo in dictae curae exercitio aut in eorumdem sacramentorum vel alicujus ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant, in his, quae ejusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani Episcopi, tanquam Sedis apostolicae delegati, plene in omnibus subjiciantur.*«

§. 4. Hac controversia per constitutionem Gregorianam e medio sublata non ideo ab aliis quaestionibus et litibus circa idem rerum genus promovendis cessatum fuit; pluraque dubia tam in Congregationibus sanctae romanae ecclesiae Cardinalium quam in auditorio Rotae frequenter agitata et resoluta fuerunt circa peculiarium quorumdam actuum naturam:

An scilicet iidem censendi essent ad animarum curam seu ad sacramentorum administrationem pertinere et consequenter, an Episcopus in visitandis regularium ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, posset necne suam circa hujusmodi actus jurisdictionem exercere; tum etiam: *an hoc aut illud monasterium dici posset ordinaria et principalis sedes Abbatis generalis seu capitis ordinis idcoque ecclesia hujusmodi monasterio adnexa, quamvis parochialis foret, Episcopo in visitatione subjecta non esset?*

Cum igitur resolutiones in praedictis curiae nostrae tribunalibus circa hujus generis quaestiones identidem captas earumque rationes et fundamenta diligenter et considerate perpenderimus, consilium quoque et sententiam audierimus aliquot ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus aliorumque virorum in juris canonici scientia praestantium, nonnulla super his de apostolicae potestatis plenitudine decernere deliberavimus ac praesenti nostra constitutione inviolabilem quamdam normam praefinire, qua posita, omnes de caetero lites et controversiae praedictis de rebus, si fieri possit, penitus eliminentur atque omnia submoveantur obstacula, quae debitam decretorum sacri Tridentini Concilii executionem in re tam gravis momenti impedire aut retardare hactenus consueverunt.

§. 5. Optimo sane consilio ab Episcopis pastoralem visitationem aggredientibus praemitti solent in singula dioecesis loca aliqui sacerdotes missionarii, qui ante ipsorum adventum praedicationibus verbi Dei et administratione sacramentorum poenitentiae et eucharistiae spiritualem populorum profectum et animarum salutem, qui potissimus est pastoralis visitationis scopus, studeant promovere. Inventi sunt autem ex iis regularibus, quorum ecclesiis incumbit parochialis saecularium cura, qui in dubium revocarent:

An hujusmodi missionarios sive saeculares sive alterius instituti vel ordinis regulares ab Episcopo missos tamquam visitationis suae praenuntios in propriis ecclesiis et domibus ad exercenda muncra eisdem commissa admittere et recipere ipsi tenerentur?

quod dubium, quum in Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis et consultati-

*) Vd. *p. 208.*

onibus Episcoporum et regularium praeposita examinatum fuisset sub die 31. Augusti anni 1668, affirmative resolutum fuit: »*ut scilicet praedicti missionarii etiam a regularibus parochis seu curatis libenter excipi debeant omnibusque rebus juvari, quibus ad injunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit.* Quod Nos quoque probamus et auctoritate apostolica confirmamus atque in posterum (quoties id opus esse prudenti Episcopi arbitrio judicatum fuerit) ab omnibus hujusmodi parochis seu curatis praecipimus observari.

§. 6. Sed et in ipso visitationis cursu atque etiam extra illam aliqui regulares de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio solliciti hanc Episcopis controversiam moverunt: *utrum iis liceret in ipsorum regularium ecclesiis seu parochialibus seu non parochialibus sacramentum confirmationis administrare?* Quae quidem controversia in Congregatione Concilii partibus plenissime auditis *pro Episcopis decisa fuit,* quemadmodum et Nos generaliter et sine exceptione eandem definimus.

§. 7. *In exequenda vero pastorali visitatione ecclesiarum parochialium, quae a regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia ecclesiarum hujusmodi altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo sanctissimum eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum tabernaculum,* fontem quoque baptisterii, si adsit, item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet, pulpitum ecclesiae, e quo parochus jus habet verbi Dei juxta praecipuum ministerii sui munus annunciandi; sacrarium pariter ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex pro sacramentis tam intra ecclesiam quam extra illam decenter administrandis; sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum, coemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum praeter res supra enunciatas omnia sacra vasa, quibus vel particulae consecratae servantur vel sacra olea sive in baptismo sive in extrema unctione adhibenda vel aqua baptisterii vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.

§. 8. Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi, cujus quidem, si regularis sit, agendi rationem in iis, quae spectant ad observantiam proprii ipsius regularis instituti, non est Episcopi requirere, quum ad ipsius superiorem regularem privative id pertineat; licet tamen Episcopo vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius parochi seu curati, etiam regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierint, rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad populi aedificationem vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini Congregatio sapienter decrevit et Nos etiam earumdem praesentium tenore decernimus et statuimus.

§. 9. Ad personalem quoque parochi visitationem proindeque ad Episcopi jus et officium pertinet ea occasione examinare: an titulo legitimo parochus etiam regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad synodum vocatus iverit! an Congregationes seu conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet, an onera, quae secumfert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia an missam pro populo applicaverit diebus festivis de praecepto; an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a sacro Tridentino concilio praescripta sunt, populum verbi Dei praedicatione et pueros in fidei rudimentis christianaeque doctrinae praeceptis instruendo; an statis diebus excipiendis fidelium confessionibus vacet: an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet et sacramenta ecclesiae tempestive conferat; an pueros et puellas ante susceptionem sacramenti confirmationis, tum etiam ante primam eorum communionem opportunis instructionibus erudierit; an, priusquam fideles ad matrimonia in faciem ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter contrahentes impedimentum existere eosdemque libere matrimonio consentire ac demum in doctrina christiana maxime vero in praecipuis religionis nostrae mysteriis illos instructos esse; denique an parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum baptizatorum, ubi fons baptismalis adsit in ipsius ecclesia, tum sacro chrismate confirmatorum, libros etiam matrimoniorum et status animarum.

§. 10. Uno verbo quidquid Episcopus a

parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere et exigere potest; atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronunciare ac meritas in eumdem poenas statuere, in *quo nihilominus Episcopi facultates minime privativae sunt, sed praesul regularis jus cumulativum cum ipso habet,* ita tamen, ut si aliter a superiore regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, hujus, non vero illius decretis sit standum, prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete judicatum fuit, Nosque auctoritate apostolica probamus, confirmamus atque decernimus. Privativum tamen Episcopi jus est in parochianorum mores inquirere ac, si quae inter ipsos scandala obortа fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus de iis cognoscere eaque opportunis remediis resecare et reformare: nec enim superioribus regularibus in hujusmodi saecularès parochiae subditos ulla competit jurisdictio.

§. 11. *Eveniente autem casu, quo vel Episcopus vel superior regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum eademque privandum esse judicaverint,* quoniam hujusmodi parochis, sine praevia Episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis superioribus deputati iidemque ad nutum sint amovibiles, dubitatum propterea fuit:

An Episcopus posset ad hujusmodi remotiones procedere sine superioris regularis consensu et an remotionis causas eidem adducere easque verificare deberet, tum etiam: An regularis superior ad similem remotionem et privationem suo jure deveniens consensum Episcopi exquirere suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur?

Qua de re supradicta Congregatio Concilii decrevit:

Hujusmodi parochos tam ab Episcopo quam a superiori regulari, aequo jure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse nec unum alteri causas judicii sui aperire multoque minus probare et verificare debere.

Id quod a Nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

§. 12. Postquam vero Tridentina synodus loco superius laudato declaravit, praedictos curatos seu parochos tam saeculares quam regulares animarum curam exercentes in monasteriis seu domibus religiosis, quibus hujusmodi cura personarum saecularium incumbit, subesse debere immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, quod quidem, juxta magis receptam tribunalium hujus nostrae curiae sententiam, intelligitur de jurisdictione Episcopi ordinaria, non vero de delegata; *illa tamen monasteria seu loca ibidem a concilio excipiuntur, in quibus Abbates aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent, salvo nihilominus eorum Episcoporum jure, qui alia quapiam ex causa seu titulo majorem in praedicta loca vel personas jurisdictionem exercent.* Quare nonnullis Episcopis contendentibus, licere sibi, saltem tanquam delegatis a sede apostolica, in parochos praedictos sive in parochianos aliquem jurisdictionis actum exercere, Congregatio Concilii respondit, quod ubi Abbas aut superior regularis suam probat jurisdictionem episcopalem et temporalem in ipsos parochos et parochianos, et contra Episcopus probare nequit ampliorem in eosdem jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debet Episcopus tam a visitatione quam ab alio quocumque jurisdictionis actu in hujusmodi parochos et parochianos. Quod quidem veluti ipsius Concilii decretis consonum Nos etiam apostolica confirmatione roboramus.

§. 13. Similiter ab Episcopi jurisdictione, visitatione et correctione etiam *in his, quae ad animarum curam et sacramentorum administrationem spectant, praedicta sancta synodus excipit tam saeculares quam regulares parochos, qui animarum curam exercent in iis monasteriis seu locis, in quibus Abbates, Generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent*: quae exceptio sive limitatio pluribus controversiis occasionem praebuit. Et primo, an ad inducendam hujusmodi exemptionem ab episcopali visitatione satis sit, quod in aliquo monasterio resideat Abbas regularis, licet is ordinis sui generalis non existat. Super quo praefata Concilii Congregatio pronunciavit, non sufficere Abbatis cujuslibet residentiam, nisi sit Abbas totius ordinis sui generalis. Tunc enim Tridentinum concilium simplices Abbates aut regularium superiores nominat, quum ab

Episcopi jurisdictione ac visitatione eximit parochos ecclesiarum seu monasteriorum, in quibus Abbates aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem exercent; qua jurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices Abbates aut superiores regulares gaudere, quamvis non sint ordinum Generales. De Abbatibus autem Generalibus seu ordinum capitibus tunc loquitur eadem sancta synodus, quum a jurisdictione et visitatione episcopali exemptos esse indulget eorum monasteriorum seu locorum parochos, in quibus Abbates, Generales praedicti aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum judicari et censeri debere statuimus, minime attenta distinctionis nota, quae in plerisque concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum »Abbates,« aliudque »Generales,« utpote quae nullatenus reperitur in exemplari authentico actorum ipsius concilii, quod in archivo Sedis apostolicae in arce sancti Angeli asservatur quodque, ut genuinam hujus loci lectionem certo cognosceremus, diligenter inspici fecimus; proindeque a praedictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

§. 14. Altera quaestio est: An ad obtinendam exemptionem ab episcopali jurisdictione et visitatione sufficiat, quod aliquod monasterium superioris generalis sedes ordinaria existat, an vero praeterea requiratur, ut ipsum monasterium sit caput ordinis. De quo, quidquid alii opinati fuerint, decernimus sufficere, quod monasterium seu domus sit ordinaria et principalis sedes superioris generalis, prout a Congregatione concilii constanter judicatum fuit, quum verba Tridentini, de capitibus ordinum loquentia, non ad loca sed ad personas praesulum regularium in iis locis residentium referantur.

§. 15. Tertio dubitari contingit: *An exemptio ab Episcopi visitatione, quam Tridentina synodus, ut supra, concedit ecclesiis parochialibus eorum monasteriorum, in quibus resident Abbates, Generales aut capita ordinum, ad alias quoque parochiales extendatur, quae praedictis monasteriis unitae sunt et ab iisdem dependent?* Sed quum de aliis hisce ecclesiis unitis taceant conciliaria decreta neque porro eadem ratio honoris cujusdam et reverentiae habendae erga superiores ordinum generales in propriis monasteriis vel ecclesiis residentes locum habeat in aliis parochialibus, eisdem monasteriis, ut praefertur, unitis, quod pluries Congregatio concilii censuit, hujusmodi scilicet ecclesias unitas minime exemptas esse a jurisdictione et visitatione Episcopi, quamvis illae a parochis regularibus administrarentur, id ipsum Nos, praedictae Congregationis resolutionibus inhaerentes decernimus et constituimus.

§. 16. Quaesitum fuit quarto loco: *An ratione exemptionis a jurisdictione Episcopi, quae competit supradictis rectoribus ecclesiarum residentialium superiorum generalium, et propter eorundem rectorum omnimodam subjectionem jurisdictioni et correctioni praedictorum generalium regularium, jus aliquod et jurisdictio attributa sit iisdem superioribus generalibus in saeculares subditos hujusmodi ecclesiarum sive parochianos, an vero dicendum sit jus istud ad Episcopum privative pertinere?*

Super quo decernimus: Episcopo plenam et privativam jurisdictionem competere in parochianos, ad eundemque Episcopum pertinere non solum propriam auctoritatem et consensum (praevio examine per se ipsum vel per vicarium suum faciendo) interponere, quotiescumque superior hujusmodi generalis aliquem sive saecularem sive regularem parochum seu curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam in praedictis ecclesiis animarum curam personarum saecularium deputare voluerit, sed etiam si Episcopus hujusce parochiae regimen a supradictis parochis exemptis sive saecularibus sive regularibus non recte administrari cognoverit, posse ipsum et aliquando etiam debere pro sui officii munere apud Superiorem generalem instare, ut parochum seu curatum hujusmodi ab animarum cura removeat, implorata quoque, quatenus opus sit, apostolicae Sedis auctoritate; si nempe Generalem praedictum aut reluctantem aut parocho plus aequo faventem invenerit.

§. 17. Praecipua in hac materia quaestio illa fuit:

Quaenam essent monasteria, in quibus Abbates generales seu capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, contendentibus nonnullis, quodlibet monasterium aut locum quemlibet, in quo Abbas generalis sive caput ordinis manet inibique moratur, sedem ipsius ordinariam principalem dici oportere,

ita ut ejusdem monasterii aut loci parochus ab episcopali jurisdictione et visitatione immunis statim fiat. Verum vaga et arbitraria hujusmodi sedes, qua a sola Superioris generalis praesentia natura sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur.

Qua propter quum Nobis compertum sit, in aliquibus ordinum regularium constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia Superioris generalis ejusque curiae, in aliis vero ordinibus, ubi constitutiones de eo nihil statuant, eandem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam; quoties de ordinum hujusmodi Superioribus generalibus agatur, *eorum sedem ordinariam principalem ad effectum, de quo agitur, illam esse et censeri decernimus, quae ab ipsorum constitutionibus vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribi dignoscitur;* idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo quacunque de causa Superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis sede haberi praecipimus, licet ipse Generalis ibi actu non resideat.

Quod si aliqui sint religiosi ordines seu congregationes, quorum constitutionibus vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo Abbas generalis seu caput ordinis residere debeat, nullum monasterium pro ejusdem generalis sede ordinaria principali ad effectum eximendi parochum ab Episcopi jurisdictione et visitatione ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse Superior generalis in eo degat absque consuetis ministris, quos in ordine regendo socios habet, *sed illud duntaxat monasterium pro sede Generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse Superior generalis seu caput ordinis initio generalatus elegerit pro sua stabili residentia et officialium seu ministrorum praedictorum.* Verum si, facta semel hujusmodi electione, eandem postmodum variare praesumpserit, *declaramus, neque monasterium initio electum neque alterum, etiamsi cum sua curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae et principalis generalitiae sedis habiturum.*

§. 19. In omnibus autem praemissis exemptionum casibus salvum semper atque illaesum esse volumus eorum Episcoporum jus, si qui sunt, qui supradictas parochiales ecclesias earumque rectores visitare consueverint, nimirum tam illas, quae monasteriis seu domibus iis adnexae sunt, in quibus generales ordinum superiores sedem ordinariam principalem vel a suorum ordinum constitutionibus vel ab inveterata consuetudine praefinitam habent, quam eas, quae ab ipsis superioribus generalibus alias pro ordinaria principali residentia fuerint electae, et nihilominus, hujusmodi residentia durante, Episcopi visitationi, jurisdictioni et correctioni subjectae fuerint.

§. 20. Decernentes praesentes nostras literas et in eis contenta quaecunque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo jus vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, seu alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae vel sufficienter aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcunque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu pari et de apostolicae potestatis plenitudine simili concesso vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse: sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter et incusse observari.

§. 21. Sicque et non aliter in praemissis censeri atque ita per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae romanae ecclesiae Cardinales, etiam de latere legatos et apostolicae Sedis praedictae nuntios, aliosve quoslibet quacunque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et inter-

pretandi facultate, judicari et definiri debere: ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Die 6. Novb. 1744.

(Constitut. 109. Benedicti XIV. e bullario ejusd. t. I. p. 432.)

Ecclesias parochiales aliaque officia ad animarum curam spectantia in Indiis occidentalibus Hispanarum Regi subjectis etiam saecularibus clericis seu presbyteris conferri posse conceditur, contrariis non obstantibus.

Benedictus XIV. Episcopus.
Servus Servorum Dei.
Ad futuram rei memoriam.

Cum nuper carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Hispaniarum Rex catholicus per dilectum filium nostrum Joachimum S. R. E. presbyterum Cardinalem Portocarrero nuncupatum, ad sua suorumque regnorum negotia apud Nos et apostolicam Sedem gerenda specialiter deputatum, et voce et scripto Nobis repraesentari curaverit, opportuna aliqua apostolicae auctoritatis nostrae providentia opus esse in Indiis occidentalibus ipsius Regis dominio subjectis super hoc, quod in iis regionibus parochiae, doctrinae aliaque munia et officia ad animarum curam pertinentia per regulares dumtaxat obtinentur et administrantur, in vim quarumdam literarum apostolicarum a recolendae memoriae praedecessore nostro sancto Pio Papa V. die 24. Martii anni 1562 editarum et incipientium: *Exponi Nobis*, quibus aliorum etiam romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum confirmationes accesserunt, ex quo fit, ut universus clerus saecularis illarum partium, quantumvis a multo jam tempore et numero frequens et moribus atque doctrina conspicuus esse dignoscatur, ab iisdem parochiis, doctrinis caeterisque officiis atque muneribus animarum curam concernentibus omnino exclusus remaneat; qua quidem de re quum Venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi et Episcopi per easdem Indiarum regiones constituti non semel apud ipsum Ferdinandum Regem conquesti fuerint, idcirco ipse, pro sua prudentia, magnopere expediens in domino fore judicaret, ut, quamvis etiam eorumdem Antistitum votis et saecularis cleri rationibus obstarent praedecessorum nostrorum romanorum Pontificum constitutiones, Nos, hodierni temporis circumstantias perpendendo ab illis longe diversas, quibus hujusmodi provisiones emanarunt, eisdem constitutionibus derogando praedictis Archiepiscopis et Episcopis liberam facultatem concederemus, ut dictas parochias, doctrinas aliaque munia et officia ad animarum curam spectantia, regularibus personis hucusque conferri solita, in posterum etiam saecularibus clericis seu presbyteris conferre libere et licite possent: Nos, omnibus mature perpensis, quum regiam hanc petitionem non modo sacris canonibus sed etiam praedicti sancti Pii Pontificis menti et dictorum praedecessorum nostrorum ac Sedis apostolicae institutis conformem agnoverimus, hanc rem ejusmodi esse gaudemus, ut liceat Nobis ea verba usurpare, quibus olim magnus praedecessor noster Innocentius Papa III. Castellae Regem est alloquutus: Cum personam tuam inter christianissimos reges et catholicos principes speciali dilectionis praerogativa in Domino amplexemur, preces ac petitiones tuas, in quibus possumus, libenti animo exaudimus et ad ea gratanter intendimus, quae Serenitati regiae novimus complacere, ut videre est in ipsius Pontificis epistolarum *regest. XIII. lib. I. epist. IV.*

§. 1. Sane, quemadmodum negari nequit, ex veterum canonum lege monachos et regulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse, de quo diserte pronunciat Innocentius III. in sua decretali: *Quod Dei timorem, tit. de statu monachor.* per haec verba: Et per antiquos canones etiam monachi possunt ad ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari, ex quo debent praedicationis officium, quod privilegium est, exercere: ita certum nunc est, ex recentiori canonica disciplina interdictum esse regularibus parochialem curam assumere sine dispensatione apostolica; quae dispensatio a romano Pontifice non aliter concedi solet, quam si pro ea instet Episcopus; ab Episcopo autem sollicitanda non est nisi ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat: qua de re rescriptum adest Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, relatum a celeberrimo scriptore *Fagnano in commentar. ad cit. cap. Quod Dei timorem num. 17. de statu monachor.* in haec verba conceptum: Cum fuerit requisitum:

An Regularis possit praefici curae animarum ab Episcopo sine dispensatione apostolica?

Sacra Congregatio censuit: Non posse nisi accedente dispensatione, quae non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate vel utilitate ecclesiae.

In eandem sententiam deinceps alia complura decreta prodierunt a summis Pontificibus confirmata. Quibus inter se collatis nostroque diuturno studio et labore diligenter ponderatis ad definiendam veterem controversiam super capacitate Canonicorum regularium Lateranensium et sanctissimi Salvatoris nuncupatorum ad obtinenda beneficia curata et residentialia apostolicam constitutionem septimo Idus Julii anno Domini 1745 edidimus, incipientem: *Quod inscrutabili*, quae in bullario nostro impressa est tomo I. num. 135 atque etiam, una cum dissertatione super hoc a Nobis exarata inserta fuit a diligentissimis editoribus in commentariis Joannis Baptistae Rigantii ad regulas cancellariae apostolicae: in qua nempe constitutione decretum fuit, praedictos Canonicos, utpote veros regulares, apostolica dispensatione indigere, ut hujusmodi beneficia assequantur; tametsi a sanctorum monachorum consortio non sejuncti regulae inserviant laxiori, ut de ipsis loquitur praedictus Innocentius praedecessor in *citato cap.*: *Quod Dei timorem de statu monachor.*

§. 2. Ab hac norma minime recessisse putandus est laudatus praedecessor sanctus Pius V., dum per suas allegatas literas: *Exponi Nobis*, religiosos viros ad parochias assequendas in partibus Indiarum maris oceani aliaque parochialia munia exercenda habiles reddidit; sed hanc suam concessionem ea ratione constabilivit, quod scilicet ipsi regulares eo usque in dictis partibus officio parochi functi fuerant additis sequentibus verbis, »propter presbyterorum defectum.« Quibus nimirum verbis satis ostenditur, hujusmodi literarum dispositionem locum habere dumtaxat, ubi desint nec haberi possint presbyteri saeculares ad animarum curam exercendam idonei; juxta declarationem editam a felicis recordationis praedecessore nostro Innocentio Papa X. per literas apostolicas datas die 14. Maji anni 1647 et in bullario romano relatas tomo V. inter ejus Pontificis constitutiones num. 32, quarum initium est: *Cum sicut accepimus*, ubi de hac ipsa Piana constitutione loquendo statuit illam non suffragari nisi in locis, ubi est defectus parochorum.

§. 3. Haec olim per Nos ipsos, dum in minoribus constituti Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum secretarii munere fungebamur, latius deducta fuerunt occasione propositionis cujusdam *Causae Mexicanae*, quae diebus 4. Julii et 8. Augusti anni 1722 in eadem Congregatione discussa fuit, ut videre est in tomo II. thesauri resolutionum dictae Congregationis Concilii. Et quamvis ad instantiam tunc existentis Archiepiscopi Mexicani, contendentis liberam sibi fieri facultatem, ut parochiales ecclesias atque doctrinas, quas regulares privativo jure sibi vindicabant, conferre posset etiam presbyteris saecularibus, quos magno numero et requisitis qualitatibus praeditos in sua dioecesi adesse asserebat, nihil tunc definitive rescriptum fuerit: nihilominus hanc generaliter sententiam ab ipsa Congregatione admissam receptamque meminimus ac pro certo testamur, quod nempe, deficientibus tantummodo presbyteris saecularibus, praedicta Piana constitutio locum habere deberet. Ideo autem nullum in ea causa decretum tunc editum fuit, quia, quum praedicta Piana constitutione ad instantiam Regis catholici primum emanaverit et omnes Indiarum occidentalium regiones comprehendat, nihil prudenter decerni posse visum fuit, nisi et decreta desuper edenda ad catholicorum regum notitiam deducerentur, et non solum quid Mexicanae dioecesi, sed etiam quid aliis Indiarum ecclesiis atque dioecesibus contingeret et magis opportunum foret, certis relationibus innotesceret.

§. 4. Quare, quum hodie ex parte ipsius Regis catholici opportuna super hoc providentia requiratur, hanc vero Archiepiscoporum, Episcoporum aliorumque Ordinariorum dictarum regionum preces vehementer exposcant, cumque hujusmodi preces et canonicis sanctionibus consentaneae et ipsius s. Pii praedecessoris menti minime adversantes et hujus demum apostolicae Sedis sensui institutoque conformes esse dignoscantur, cum denique aequum non sit, ut ejusmodi privilegium, quod eo tempore concessum fuit, quum in Indiis occidentalibus presbyterorum saecularium copia non aderat, his etiam temporibus parem vim habeat, dum cleri saecularis numerus satis amplus ibidem existit pluresque sacerdotes saeculares ad animarum

curam idonei caeterisque optimis dotibus instructi reperiuntur: idcirco Nos, praedicti charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis catholici instantiae libenter annuentes ac etiam motu proprio et certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine praesentium literarum tenore praedictis Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis dilectis filiis, in Indiis occidentalibus constitutis, permittimus et concedimus, ut, non obstantibus praemissis sancti Pii V. praedecessoris literis aliisque in earum confirmationem ab hac eadem apostolica Sede emanatis, (quibus etiam, quatenus opus sit, earundem praesentium serie ac dictis motu, scientia et potestatis plenitudine derogamus), saeculares clericos seu presbyteros quoscumque, quos scilicet, praevio examine, juxta ea, quae in Concilio Tridentino statuta sunt, idoneos et habiles repererint, ad parochias, doctrinas et alia quaecumque munia et officia ad animarum curam pertinentia, prout ipsis opportunum in Domino visum fuerit, admittere et assumere eisque etiam parochiales ecclesias hujusmodi aliaque ecclesiastica perpetua beneficia, quibus animarum cura imminet, in titulum conferre dictosque presbyteros seu clericos de illis providere possint et valeant; ad quem effectum Nos ipsis necessarias omnes et opportunas facultates concedimus et impertimur.

§. 5. Quia vero ex hac concessione nostra minime sequetur, quin regulares praedicti plures adhuc parochias atque doctrinas in Indiarum occidentalium regionibus et in praesens retinere et in posterum adipisci valeant, aliunde autem Nobis relatum est, nonnullos hujusmodi regulares animarum curam exercentes contendere, se Episcopis et Ordinariis locorum, in officio officiando dumtaxat, ut ipsi loquuntur, subjectos esse: ideo Nos ad quarumcumque inordinationum pericula avertenda rectaeque disciplinae leges asserendas intenti dicimus et declaramus, hujusmodi regulares curam animarum gerentes in iis quidem, quae concernunt eorum regularis instituti observantiam, Episcopo nullatenus subjectos esse, sed a suis Superioribus regularibus quoad haec privative dependere; in his autem, quae vel ad ipsum spectant exercitium curae animarum vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent, Nos ipsarum praesentium tenore declaramus eosdem regulares etiam Episcopis aliisque locorum Ordinariis subjectos esse ideoque ab eisdem Episcopis et Ordinariis eorumque visitatoribus, aeque ac a suis regularibus Superioribus, in his omnibus corrigi posse; siquidem impossibile non est, ut alicujus ex ipsis vitae ratio talis esse dignoscatur, quae cum animarum regimine minime conveniat et fidelibus parochiae subditis spirituale detrimentum et scandalum pariat. Hoc idem, canonicis sanctionibus et Concilii Tridentini decretis inhaerentes, jamdudum statuimus atque decrevimus, per nostras sub plumbo literas datas 12. Kal. Decemb. anno 1744, quarum initium est: *Firmandis atque asserendis,**) et impressae sunt in bullario nostro tomo I. num. 109, quae, cum ad Indias etiam occidentales se extendant, ibidem quoque executioni mandari debent et inviolabiliter observari: Quod idem decernimus de duabus regulis in eadem constitutione nostra ex apostolicae Sedis decretorum auctoritate constitutis, quarum una est, quod in omnibus rebus, in quibus regulares animarum curae praepositi Episcoporum simul et regularium praelatorum jurisdictioni cumulative subsunt, si aliter ab uno, aliter ab alio Superiore judicari contingat, Episcopi judicium regularis Superioris judicio semper praeferri debet: altera vero est, quod, quum regulares nonnisi cum amovibilitatis qualitate animarum curam exercere valeant, tam Episcopus quam regularis Praelatus, quoties ita in Domino expedire judicaverint, regularem parochum ab hujusmodi cura valent removere, ita ut neque regularis superior compelli possit hujusmodi remotionis causas Episcopo significare, neque Episcopus ad similem remotionem procedens regulari Praelato notas facere teneatur causas, quibus ad id adductus fuerit.

§. 6. Quoniam vero fieri alicubi potest, maxime autem in novis populorum ad fidem reductionibus, ut regulares parochos mutare, etiam cum saeculares sacerdotes non desint, minime expediat: idcirco Nos eorundem Episcoporum aliorumque Ordinariorum Praesulum prudentiam admonemus, ut in hujusmodi circumstantiis et ubicumque res optime constitutas invenerint nec ullam eas immutandi necessitatem revera adesse compererint, ab innovationibus abstineant; et tam hoc jure, quod ipsis competere asseruimus, quam ea facultate, quam Nos eisdem per has nostras literas impertiti sumus, ita utantur, quemmodum aequitatis ratio et animarum utilitas, ad quam unice respicere debemus, requirent ac suadebunt; super quo Nos eorundem Episcoporum et Ordinariorum Praesulum conscientiam oneramus.

§. 7. Denique ne quis unquam aut ullibi, cujuslibet ordinis aut instituti regularis, ad animarum curam exercendam sine praevio examine et approbatione Episcopi seu Ordinarii localis assumi possit, earundem praesentium serie statuimus atque decernimus, prout alias statutum decretumque per Nos fuit, tam in praecitatis nostris literis quam in aliis 5. Kal. Martii anni ab Incarnatione Domini 1745 editis et in bullarii nostri tomo II. num. I. impressis, quarum initium est: *Quamvis ad confirmandum;* quaeque et iisdem sacrorum canonum ac Tridentinae synodi necnon provincialium et synodalium conciliorum in ipsismet Indiarum regionibus habitorum sanctionibus innixae sunt et tam ad Occidentales quam ad Orientales Indias se protendunt ac utrobique inviolabilis legis vim obtinere debent.

§. 8. Praesentes quoque literas et in eis contenta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis jus vel interesse habentes aut habere praetendentes, cujusvis status aut ordinis, congregationis et instituti, etiam hic de necessitate specialiter exprimendi, existant, iisdem non consenserint, nec ad ea vocati et auditi neque causae, propter quas praesentes emanaverint, satis adductae, probatae aut verificatae fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut consensus interesse habentium, aliove quolibet defectu notari, impugnari aut in controversiam et judicium vocari, etiam ad effectum obtinendae aperitionis oris aut restitutionis in integrum adduci posse; sed semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios effectus sortiri et obtinere ac illis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari atque etiam ab omnibus, ad quos respective pertinet et pertinebit in posterum, inviolabiliter observari volumus et decernimus: sicque et non aliter in praemissis judicari et conferi per quoscumque ordinarios et delegatos judices, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales eorumque Congregationes nec apostolicae Sedis Legatos seu Nuncios aliosque quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, ac etiam irritum et inane decernentes, quidquid ab eorum quolibet in contrarium judicari et decerni seu scienter vel ignoranter attentari contigerit.

§. 9. Non obstantibus praedictis sancti Pii Papae V. aliisque romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in eorundem confirmationem, etiam in forma specifica, editis literis.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 8. Novb. 1751.

(Constit. 51. Bened. XIV. tom. III. bullarii ejusdem.)

*) Vd *supra p. 1032.*

Regulae observandae

in anglicanis missionibus ab apostolicis Vicariis necnon a sacerdotibus missionariis saecularibus ac regularibus.

Venerabilibus Fratribus, Episcopis, Vicariis apostolicis et dilectis filiis, sacerdotibus tam saecularibus quam cujusvis ordinis et instituti etiam societatis Jesu regularibus, missionariis apostolicis anglicarum missionum.

Benedictus Papa XIV.

Venerabiles Fratres, dilecti Filii. Salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicum ministerium, quod vos, venerabiles fratres, dilecti filii, tanta cum alacritate suscepistis, satis superque admonere vos et assidue in memoriam revocare non dubitamus, praeceptum mandatumque supremi Pastorum Principis Jesu Christi Apostolos suos edocentis, cujus divina legatione in procuranda aeterna christifidelium salute fungimini cooperatores, nimirum, ut mutua vosmetipsi invicem charitate diligentes opus vobis injunctum consummare satagatis, quo debitam laboribus vestris mercedem in coelis a justo remuneratore Deo recipere valeatis. Nobis sane, qui gravissimas sacrosancti apostolatus curas et omnium ecclesiarum sollicitudinem gerentes pene deficimus, nihil accidere potest molestius, quam cum accepimus scissuras esse inter vos, propter quas propagatio catholicae fidei et christifidelium salus retardatur. Ea propter, ut opportunum consentaneumque praecidendis et e medio auferendis dissidiis, quae jamdudum inter vos

curam idonei caeterisque optimis dotibus instructi reperiuntur: idcirco Nos, praedicti charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis catholici instantiae libenter annuentes ac etiam motu proprio et certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine praesentium literarum tenore praedictis Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis dilectis filiis, in Indiis occidentalibus constitutis, permittimus et concedimus, ut, non obstantibus praemissis sancti Pii V. praedecessoris literis aliisque in earum confirmationem ab hac eadem apostolica Sede emanatis, (quibus etiam, quatenus opus sit, earundem praesentium serie ac dictis motu, scientia et potestatis plenitudine derogamus), saeculares clericos seu presbyteros quoscumque, quos scilicet, praevio examine, juxta ea, quae in Concilio Tridentino statuta sunt, idoneos et habiles repererint, ad parochias, doctrinas et alia quaecumque munia et officia ad animarum curam pertinentia, prout ipsis opportunum in Domino visum fuerit, admittere et assumere eisque etiam parochiales ecclesias hujusmodi aliaque ecclesiastica perpetua beneficia, quibus animarum cura imminet, in titulum conferre dictosque presbyteros seu clericos de illis providere possint et valeant; ad quem effectum Nos ipsis necessarias omnes et opportunas facultates concedimus et impertimur.

§. 5. Quia vero ex hac concessione nostra minime sequetur, quin regulares praedicti plures adhuc parochias atque doctrinas in Indiarum occidentalium regionibus et in praesens retinere et in posterum adipisci valeant, aliunde autem Nobis relatum est, nonnullos hujusmodi regulares animarum curam exercentes contendere, se Episcopis et Ordinariis locorum, in officio officiando dumtaxat, ut ipsi loquuntur, subjectos esse: ideo Nos ad quarumcumque inordinationum pericula avertenda rectaeque disciplinae leges asserendas intenti dicimus et declaramus, hujusmodi regulares curam animarum gerentes in iis quidem, quae concernunt eorum regularis instituti observantiam, Episcopo nullatenus subjectos esse, sed a suis Superioribus regularibus quoad haec privative dependere; in his autem, quae vel ad ipsum spectant exercitium curae animarum vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent, Nos ipsarum praesentium tenore declaramus eosdem regulares etiam Episcopis aliisque locorum Ordinariis subjectos esse ideoque ab eisdem Episcopis et Ordinariis eorumque visitatoribus, aeque ac a suis regularibus Superioribus, in his omnibus corrigi posse; siquidem impossibile non est, ut alicujus ex ipsis vitae ratio talis esse dignoscatur, quae cum animarum regimine minime conveniat et fidelibus parochiae subditis spirituale detrimentum et scandalum pariat. Hoc idem, canonicis sanctionibus et Concilii Tridentini decretis inhaerentes, jamdudum statuimus atque decrevimus, per nostras sub plumbo literas datas 12. Kal. Decemb. anno 1744, quarum initium est: *Firmandis atque asserendis*,*) et impressae sunt in bullario nostro tomo I. num. 109, quae, cum ad Indias etiam occidentales se extendant, ibidem quoque executioni mandari debent et inviolabiliter observari: Quod idem decernimus de duabus regulis in eadem constitutione nostra ex apostolicae Sedis decretorum auctoritate constitutis, quarum una est, quod in omnibus rebus, in quibus regulares animarum curae praepositi Episcoporum simul et regularium praelatorum jurisdictioni cumulative subsunt, si aliter ab uno, aliter ab alio Superiore judicari contingat, Episcopi judicium regularis Superioris judicio semper praeferri debet: altera vero est, quod, quum regulares nonnisi cum amovibilitatis qualitate animarum curam exercere valeant, tam Episcopus quam regularis Praelatus, quoties ita in Domino expedire judicaverint, regularem parochum ab hujusmodi cura valent removere, ita ut neque regularis superior compelli possit hujusmodi remotionis causas Episcopo significare, neque Episcopus ad similem remotionem procedens regulari Praelato notas facere teneatur causas, quibus ad id adductus fuerit.

§. 6. Quoniam vero fieri alicubi potest, maxime autem in novis populorum ad fidem reductionibus, ut regulares parochos mutare, etiam cum saeculares sacerdotes non desint, minime expediat: idcirco Nos eorundem Episcoporum aliorumque Ordinariorum Praesulum prudentiam admonemus, ut in hujusmodi circumstantiis et ubicumque res optime constitutas invenerint nec ullam eas immutandi necessitatem revera adesse compererint, ab innovationibus abstineant; et tam hoc jure, quod ipsis competere asseruimus, quam ea facultate, quam Nos eisdem per has nostras literas impertiti sumus, ita utantur, quemmodum aequitatis ratio et animarum utilitas, ad quam unice respicere debemus, requirent ac suadebunt; super quo Nos eorundem Episcoporum et Ordinariorum Praesulum conscientiam oneramus.

*) Vd *supra p. 1032.*

§. 7. Denique ne quis unquam aut ullibi, cujuslibet ordinis aut instituti regularis, ad animarum curam exercendam sine praevio examine et approbatione Episcopi seu Ordinarii localis assumi possit, earundem praesentium serie statuimus atque decernimus, prout alias statutum decretumque per Nos fuit, tam in praecitatis nostris literis quam in aliis 5. Kal. Martii anni ab Incarnatione Domini 1745 editis et in bullarii nostri tomo II. num. I. impressis, quarum initium est: *Quamvis ad confirmandum;* quaeque et iisdem sacrorum canonum ac Tridentinae synodi necnon provincialium et synodalium conciliorum in ipsismet Indiarum regionibus habitorum sanctionibus innixae sunt et tam ad Occidentales quam ad Orientales Indias se protendunt ac utrobique inviolabilis legis vim obtinere debent.

§. 8. Praesentes quoque literas et in eis contenta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis jus vel interesse habentes aut habere praetendentes, cujusvis status aut ordinis, congregationis et instituti, etiam hic de necessitate specialiter exprimendi, existant, iisdem non consenserint, nec ad ea vocati et auditi neque causae, propter quas praesentes emananaverint, satis adductae, probatae aut verificatae fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut consensus interesse habentium, aliove quolibet defectu notari, impugnari aut in controversiam et judicium vocari, etiam ad effectum obtinendae aperitionis oris aut restitutionis in integrum adduci posse; sed semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios effectus sortiri et obtinere ac illis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari atque etiam ab omnibus, ad quos respective pertinet et pertinebit in posterum, inviolabiliter observari volumus et decernimus: sicque et non aliter in praemissis judicari et conferi per quoscumque ordinarios et delegatos judices, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales eorumque Congregationes nec apostolicae Sedis Legatos seu Nuncios aliosque quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, ac etiam irritum et inane decernentes, quidquid ab eorum quolibet in contrarium judicari et decerni seu scienter vel ignoranter attentari contigerit.

§. 9. Non obstantibus praedictis sancti Pii Papae V. aliisque romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in eorundem confirmationem, etiam in forma specifica, editis literis.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 8. Novb. 1751.

(Constit. 51. Bened. XIV. tom. III. bullarii ejusdem.)

Regulae observandae

in anglicanis missionibus ab apostolicis Vicariis necnon a sacerdotibus missionariis saecularibus ac regularibus.

Venerabilibus Fratribus, Episcopis, Vicariis apostolicis et dilectis filiis, sacerdotibus tam saecularibus quam cujusvis ordinis et instituti etiam societatis Jesu regularibus, missionariis apostolicis anglicarum missionum.

Benedictus Papa XIV.

Venerabiles Fratres, dilecti Filii.
Salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicum ministerium, quod vos, venerabiles fratres, dilecti filii, tanta cum alacritate suscepistis, satis superque admonere vos et assidue in memoriam revocare non dubitamus, praeceptum mandatumque supremi Pastorum Principis Jesu Christi Apostolos suos edocentis, cujus divina legatione in procuranda aeterna christifidelium salute fungimini cooperatores, nimirum, ut mutua vosmetipsi invicem charitate diligentes opus vobis injunctum consummare satagatis, quo debitam laboribus vestris mercedem in coelis a justo remuneratore Deo recipere valeatis. Nobis sane, qui gravissimas sacrosancti apostolatus curas et omnium ecclesiarum sollicitudinem gerentes pene deficimus, nihil accidere potest molestius, quam cum accepimus scissuras esse inter vos, propter quas propagatio catholicae fidei et christifidelium salus retardatur. Ea propter, ut opportunum consentaneumque praecidendis et e medio auferendis dissidiis, quae jamdudum inter vos

exortae, saepe saepius emergere ac magis invalescere plenissime docti vehementer dolemus et pristinae animorum concordiae conciliandae et in perpetuum confirmandae remedium afferremus; primum quidem non solum exhibita Nobis utriusque partis rationum momenta per Nos ipsos accurate expendimus, sed nonnullis etiam venerabilibus fratribus nostris sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus negotiis Congregationis propagandae fidei praepositis examinanda mandavimus; deinde vero iisdem Cardinalibus ad Nos accitis eorumdem sententiam consiliumque requisivimus. Quos postquam Nobiscum convenire et consentire comperimus, haec, quae sequuntur, statuimus, decrevimus et a vobis districte servanda proponimus et mandamus.

§. 1. Cum ab anno 1688 constitutum fuerat, ut missio anglicana per quatuor apostolicos Vicarios administretur, qui Episcopi in *partibus infidelium* existant, cumque sui limites et confinia praescripta sint, in quibus ipsorum singuli suo munere perfungantur; nihil omnino immutetur in iis omnibus, quae pertinent ad eosdem Vicarios apostolicos eorumque deputationem et limites, quos modo indicamus.

§. 2. Cum nonnulla seminaria et collegia instituta sint, ex quibus missionarii cleri saecularis in angliam mittuntur, nulla diligentia et cura praetermittatur, ut alumni ad sacras missiones obeundas destinati optimis moribus, pietate, ingenio, doctrina exornentur et ut periti sint in exercendis functionibus ecclesiasticis et cantu Gregoriano, quantum fieri poterit, imbuti. Praeses collegii Duacensis in Belgio, literis datis die 25. Januarii, Congregationem de propaganda fide sincere certiorem fecit de ratione, qua alumni in praedicto collegio instituuntur. Hisce proinde literis per honorificum responsum redditum fuit. Romae existit collegium anglicanum a sancto Thoma nuncupatum, curae ac disciplinae Patrum societatis Jesu commissum, cujus visitationem susceperunt jussu praedecessoris nostri Clementis XII. duo Cardinales vita jam functi, Davia scilicet et Riviera, sustinuitque secretarii munus Cardinalis Monti vitam adhuc agens, qui id temporis munus a secretis Congregationis de propaganda fide gerebat. Itaque plurima statuta fuere, peculiari decreto summi Pontificis confirmata, quod die 28. Septembris anno 1739 in lucem emanavit. Sancitum inprimis est, ut eodem in collegio duo praeceptores in posterum commorentur, quorum unus controversiis et sacris scripturis explanandis, alter theologiae morali tradendae incumberet; eorumque lectiones anglicanae missionis utilitati forent maxime accommodatae. Quamobrem operam suam impendat Cardinalis, cujus in fide et patrocinio collegium *pro tempore* recipitur, ut executioni mandentur, quae eadem in visitatione salubriter decreta fuere; atque illud in primis, quod paulo ante innuimus, quippe quod ad finem propositum unice conducere videatur. Pariter compertum est, collegium Ulissipone Anglis recipiendis erectum esse; alterum Parisiis, Hispali unum, Vallisoleti alterum. Verumtamen cum eorumdem institutio atque existentia, nihil praeterea, innotescat, curae erit a Secretis Congregationis de propaganda fide, consiliis cum Cardinale primo pontificiae ditionis administro collatis, ut dentur literae Nunciis apostolicis in Lusitania, Gallia et Hispania commorantibus, ut impensius de praedictis collegiis inquiratur eorumque gubernatio omnino explorata fiat. Neque id eo tendere opinandum est, ut quidquam detrahatur auctoritati vel regimini cujuscumque, qui legitima ipsorum fruatur possessione, sed eo dumtaxat fine, ut inter Nos eosdemque plenissime conveniat iis in rebus, quae ad alumnos spectant ex seminariis in Angliam ad missiones obeundas profecturis.

§. 3. Quoniam vero versantur in Anglia missionarii ex familiis regularibus, scilicet societatis Jesu, sancti Benedicti, s. Dominici, s. Francisci, Carmelitarum excalceatorum, cavere omnino debent earum Provinciales, ne in missionarios deligant nisi viros numeris omnibus absolutos, singulari nimirum pietate, ingenii dotibus praeditos, quae ad tantam provinciam tamque laboriosam requiruntur. Quamobrem, ne ob immodicum eorum numerum perturbationes et incommoda oboriantur, ipsis regularium Provincialibus immutabiliter praescribitur, ut eos dumtaxat in Angliam mittant, qui vel sacellis regiis praefici debeant aut apud aliquem nobili sanguine natum versari aut in locis, quae pro regularibus fundata et constituta sunt. Porro a missionibus anglicanis se repelli intelligant regulares, qui ex propria natione non obtinent coenobium vel provinciam in catholicis regionibus: iis tamen, qui ibidem in praesentiarum commorantur, revertendi necessitas non infertur. Enim vero cum Hiberni sacerdotes ad sustinendam insulae ejusdem missionem deputentur, quae plurimos sapientesque expetit operarios, cumque in Anglia permulti sint sacerdotes indigenae tam saeculares quam regulares, consentaneum esse arbitramur, si iidem ipsa in patria labores suos potissimum impendant et praedicti Hiberni sacerdotes missionariis Anglis tunc solum cooptentur, cum horum paucitas id exigere videatur ideoque a vicariis apostolicis Angliae ad missionem exoptentur et evocentur.

§. 4. Sed, ut ad vicarios apostolicos revertamur, praeter eam omnem auctoritatem, quae ipsis communis est in propriis confiniis cum quolibet Ordinario in sua civitate et dioecesi, apostolica sancta Sedes facultates *formulae secundae* ipsis elargitur, cum potestate illas simplicibus sacerdotibus, qui idonei videbuntur, communicandi, iis tamen exceptis, quae vel in ordinem episcopalem unice spectant vel exerceri sine sacrorum oleorum usu minime possunt. Nihil proinde recensitis Vicariis deest, quod ad sanum regimen et directionem tam regularium quam cleri saecularis conducat, qui nullas in hanc diem controversias excitavit, quae debitam Vicariis apostolicis obedientiam et subordinationem labefactarent.

§. 5. Attamen quoniam inter privilegia, quibus gaudent regulares, cuilibet peculiari ordini a summis Pontificibus attributa illud adnumeratur, per quod regulares familiae ab episcopali vel ordinaria auctoritate eximuntur vel sanctae Sedis jurisdictioni immediate subjiciuntur, ne altercationes ea de re in posterum enascantur, quas plurimas elapsis temporibus constat extitisse et in dies suboriri, necessitas postulat, ut finis aliquando iis imponatur: quod ita praestari oportet, quemadmodum inferius exponemus.

§. 6. Itaque regulares missionarii, cum provinciam adventaverint, ubi sacras missiones obire debent, apostolicum Vicarium convenient, uti facere semper consueverunt, in cujus ditione ministerium apostolicum suscepturi sunt. Siquidem institutum canonicum est, sacri Concilii Chalcedonensis auctoritate firmatum, nemini advenae in Sacris constituto licere ordinem, quo se insignitum asserit, exercere adeoque Sacrum peragere, si sacerdotem se esse profiteatur, nisi literas authenticas Ordinarii palam faciat testimoniumque exhibeat, se nullo suspensionis vel irregularitatis vinculo irretiri. Ita *Canon. 7. dist. 71,* cui apprime consentit sacrum Concilium Tridentinum *sess. 22. de sacrificio missae* decreto *de observandis et evitandis in celebratione missae,* et *cap. 13. sess. 23. de reform.* Porro hujusmodi praescriptum regulares etiam respicit, quoties extra dioecesim versantur, in qua ad sacros ordines promoti fuere; proindeque susceptum ordinem exercere minime possunt, praesertim in ecclesiis, quae ad propriam sodalitatem non spectant, nisi prius Episcopis aut Vicariis generalibus vel foraneis Superiorum suorum documenta proferant, quibus et obtenti ordinis testimonium et libertas ab omni canonico impedimento irregularitatis vel suspensionis perspecta fiat: quamobrem id etiam est in mandatis regularibus missionariis, ut nimirum Vicariis apostolicis ea ratione, qua dictum est, sese exhibeant, ubi ad missionis locum pervenerint.

§. 7. Nullus saecularis sacerdos poenitentiae sacramentum administrare potest, qui actualis parochus non existat vel idoneus ad id in praemisso examine repertus non fuerit, quod Ordinarius loci, ubi confessiones excepturus est, de eo habere potest. Idem de regularibus sacerdotibus edicitur, quoties velint saecularium confessiones audire, quemadmodum ad literam decernitur a Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 15. de reform.*, quo in loco derogat sacrum Concilium privilegio cuicumque et consuetudini immemorabili, quae contrarium praeseferret, inquiens: *privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.* Idque eo vel magis, quod a summo Pontifice s. Pio V. ea in constitutione, cui initium est: *Romani Pontificis, 133. bullarii romani tom. 2.*, declaratum est, praedictam Concilii Tridentini sanctionem ad omnes quoscumque regulares extendi vel mendicantes vel non mendicantes, quamvis lector atque magister in sacra theologia praefulgeat et potestas saecularium confessiones excipiendi illi facta fuerit a suis Superioribus regularibus. Sancto Pio V. omnino consonat Urbanus VIII. in constitutione, quae incipit: *Cum sicut accepimus, 92. bullarii tom. 4*, per quam amplissime rescidit privilegium quodcumque alias regularibus attributum, cujus praetextu saecularium confessiones exciperent, priusquam examen sustinuerint et consensum ab Ordinario dioecesano impetraverint. Ac ne regularium familiae, quae, nisi expresse nominentur, se minime comprehendi putant, ab eadem con-

stitutione immunes se jactarent, eas nominatim et singulas recensendas optimum duxit. Ultimo tandem s. Pontifex Clemens X. edita constitutione: *Superna*)* ita firmavit: *Religiosis ab Episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos non posse in alia dioecesi eas absque Episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi religiosi jam fuerant approbati.*

§. 8. Quare si insistamus canonicis institutis, quae superius numeravimus, nullum afferri potest impedimentum Ordinario, quominus examen indicat sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, per quos poenitentiae sacramentum in locis ipsius jurisdictioni subjectis administrandum est; regulares, inquam, in examen vocare potest Ordinarius, si velint saecularium confessiones excipere. At vero quoniam missionarii, et inprimis regulares, longa et difficilia suscipiunt itinera, relictis coenobiis, in quibus versantur, ut in Angliam ad obeundas missiones se conferant, ne dubietas admissionis ad confessiones audiendas in subeundo examine illos ab apostolico munere deterreat, cavebunt inposterum, antequam relinquant monasteria, in quibus degunt, et in Angliam tendant, cavebunt, inquam, examen ad confessiones saecularium audiendas subire coram Ordinario et examinatoribus loci, in quo situm est monasterium, et consequi testimonium, quo idonei declarentur; quod insuper poterit indicari Vicariis apostolicis in Anglia commorantibus per literas Ordinarii, qui ad examen eos excepit et peritos idoneosque indicavit. Quod si cuiquam ex regularibus commodius atque itineri opportunius videretur Bruxellis ante apostolicum Nuncium propriae scientiae periculum facere, id erit eorum in libitu, cum utraque ratione duplex auferatur incommodum, unum scilicet, ne regulares animum mentemque dimoveant a missionibus anglicanis, eo timore, ne a Vicariis apostolicis admittantur ad saecularium confessiones excipiendas; alterum vero, ne iidem Vicarii destituantur auctoritate adprobandi illos, qui intra limites suae jurisdictionis poenitentiae sacramentum velint administrare. Etenim duos omnino actus complectitur adprobatio, quorum primus ad intellectum, alter spectat ad voluntatem. Propriun enim est intellectus, debita ac necessaria scientia in examinato deprehensa, illum confessionis muneri obeundo aptum existimare. At nonnisi voluntatis est, facultatem confessionum audiendarum liberam plenamque facere, sententiamque de eo proferre, qui adprobatori subjicitur. Primum itaque ab examinatore praestatur, cujus fidei et integritati innititur atque acquiescit, qui confessiones audiendi facultatem, in limitibus et confiniis sibi assignatis, impertitur. Alterum immediate peragitur ab ipsomet Superiore, cujus est praedictam facultatem concedere.

§. 9. His itaque constitutis, cum regularis examinatus jam et idoneus judicatus, uti diximus, sese offerat Vicariis apostolicis cumque id perpendi minime debeat tanquam urbanitas aliqua seu ceremonia, cum insuper Vicarius apostolicus opportunam facultatem elargiri intelligat ad suscipiendas fidelium confessiones, qui ditione sua continentur: absoluta penitus hac ratione controversia omnis judicari deberet. Caeterum confessarii munus regularibus deferri potest sine temporis determinatione vel cum limitatione: quod luculenter constat tum ex brevi a summo Pontifice Urbano VIII. dato Cardinali de Sandoval anno 1639 inserto a *Cabasutio in theoria et praxi juris canonici lib 1. cap. 10. num. 13*, tum ex recensita constitutione Clementis X. *Superna ad §. 4.* Porro hujusmodi facultates ad praestitutum tempus collatas, post elapsum temporis intervallum, jus competit Ordinario vel abrogandi vel eas renovandi et sacerdotem ad novum examen compellendi. Facultates vero nulla cum temporis limitatione delatae nonnisi cum ipso officio desinunt nec suspendi propterea possunt sine nova causa, quae confessiones directe respiciat, quemadmodum patet ex constitutione: *Cum sicut accepimus*, ab Innocentio X. in lucem edita 32. §. *2. bullarii tom. 4*:

An Episcopus regularem pro confessionibus semel approbatum sine nova causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis?

Respondetur: *Regulares alias libere ab Episcopo, praevio examine, approbatos ad audiendas confessiones personarum saecularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova causa eaque ad confessiones ipsas pertinente.*

Quae cum ita sint, ut omni dissidio aditus

*) Vd. *infra n. 5. p. 1053.*

occludatur, decernimus atque statuimus, ut facultas superius exposita, a Vicariis apostolicis regulari examinato et approbato concedenda, ad sexennium extendatur, atque ad aliud sexennium sine praevio examine confirmetur, cum regulares missionarii, iis peractis, quae *num. 20.* exponentur, anglicanae missionis exercitium denuo suscipient.

§. 10. In medium igitur proferri minime potest tam breve Summi Pontificis Urbani VII., quod incipit: *Britannia*, vulgatum anno 1631, quam bulla ejusdem Pontificis: *Plantata*, edita anno 1633, aut aliud quodcumque documentum ad firmandam regularium independentiam a Vicariis apostolicis in administratione poenitentiae sacramenti aliorumque sacramentorum. Brevia enim et hujusmodi documenta emissa fuere, antequam quatuor Vicarii apostolici in Anglia constituti forent, cum omni auctoritate, quae competit cuilibet Ordinario in sua civitate et dioecesi. Quamobrem sancito libero et tranquillo ordinariae Episcoporum auctoritatis exercitio, eo ipso definivit regularium immunitas pro sacramentis administrandis, quae tunc temporis iisdem concessa fuit, cum praedictum liberum exercitium nullatenus permittebatur, quemadmodum regulares ipsi luculenter agnoverunt et confessi sunt in celebri disputatione Parisiis habita, quae in collectione judiciorum *tom. 3. p. 45.* continetur. Accedit praeterea, quod idem prorsus decretum fuit pro statuendo Indiarum orientalium regimine, nequicquam refragantibus amplius s. Pii V. et Gregorii XIV. privilegiis, ut legere cupienti innotescet ex nostra constitutione: *Quamvis ad confirmandum tom. 2. nostri bullarii.* Eadem plane ratione cum in praesentiarum constitutum sit regimen Vicariorum apostolicorum finem habere debet recensita regularium missionariorum immunitas, iis delata, antequam praedictis Vicariis apostolicis regimen et ordinaria auctoritas tribueretur et sua cuilibet confinia assignarentur. Notae et pervulgatae sunt controversiae agitatae et discussae in Congregatione de propaganda fide anno 1701 et 1702 inter Macai Episcopum, Vicarios apostolicos Sinarum atque regulares missionarios, qui tueri conabantur, ob sua privilegia licitum sibi esse sacramenta administrare et quolibet parochiali officio perfungi, quin ab Episcopo et Vicariis apostolicis penderent. Porro cum sapienter Congregatio animadvertisset, ab Innocentio XII. fel. rec. suos praefinitos fuisse limites cuilibet Vicario apostolico, decrevit atque mandavit, ne cuiquam missionario vel saeculari vel regulari imposterum liceret poenitentiae sacramentum saecularibus impertiri vel aliis parochialibus officiis fungi, quidquid in contrarium praeseferent privilegia iis concessa, quin prius facultatem obtinuisset ab ecclesiastico Superiore, ab Episcopo nimirum, quoties sacramenta administranda essent in ejus dioecesi, vel a Vicario apostolico, si in ipsius ditione id foret peragendum. Haec enim habet decretum vulgatum die 14. Februarii anno 1702: *Missionariis autem sive saecularibus sive regularibus etiam societatis Jesu non liceat etiam vigore suorum privilegiorum sacramenta administrare aut alia munia parochialia obire, nisi de licentia praefatorum Ordinariorum sive Vicariorum apostolicorum, in quorum respective provinciis aut dioecesibus eosdem missionarios commorari contigerit.* Haec profecto luculenter ostendunt nullatenus esse provocandum ad immunitatis privilegia anglicanis missionariis concessa, antequam in Anglia Vicarii apostolici constituerentur. Idque discussum etiam fuit in peculiari Congregatione de his negotiis habita *die 6. Octobris an. 1695*, cujus decreta Innocentius XII. Brevi dato *die 5. Octobris anno 1696* confirmavit. Accedit decretum emissum ab universa Congregatione de propaganda fide *die 16. Augusti anno 1645*, quod nostro brevi sub *die 5. Septembris anno 1745* firmatum fuit.

§. 11. Cum ab hac sancta Sede animadversum sit, plurima saepe contingere in regionibus longe dissitis, quibus ut consulatur, peculiares dispensationes et privilegia; quandoque opportuna, quandoque etiam ad animarum regimen necessaria requiruntur; ad quae obtinenda difficile cum sit Romam confugere, eadem sancta Sedes in more habuit habetque in praesenti, Episcopis in remotioribus provinciis commorantibus quasdam facultates impertiri, quibus uti possint vel immediate vel per inferiores sacerdotes a se designatos: atque idem plane cum missionum praefectis atque apostolicis Vicariis facere consuevit. Verumtamen cum nec Episcopi nec missionum praefecti in Anglia hoc tempore versentur, supervacaneum est facultates recensere, quae his vel illis deferuntur. Sedem habent in Anglia Vicarii apostolici, qui sibi commissis provinciis praesunt, atque iis dumtaxat *formulae secundae* facultates tribuuntur; proindeque regulares Angliae missionarii iis

stitutione immunes se jactarent, eas nominatim et singulas recensendas optimum duxit. Ultimo tandem s. Pontifex Clemens X. edita constitutione: *Superna*)* ita firmavit: *Religiosis ab Episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos non posse in alia dioecesi eas absque Episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi religiosi jam fuerant approbati.*

§. 8. Quare si insistamus canonicis institutis, quae superius numeravimus, nullum afferri potest impedimentum Ordinario, quominus examen indicat sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, per quos poenitentiae sacramentum in locis ipsius jurisdictioni subjectis administrandum est; regulares, inquam, in examen vocare potest Ordinarius, si velint saecularium confessiones excipere. At vero quoniam missionarii, et inprimis regulares, longa et difficilia suscipiunt itinera, relictis coenobiis, in quibus versantur, ut in Angliam ad obeundas missiones se conferant, ne dubietas admissionis ad confessiones audiendas in subeundo examine illos ab apostolico munere deterreat, cavebunt inposterum, antequam relinquant monasteria, in quibus degunt, et in Angliam tendant, cavebunt, inquam, examen ad confessiones saecularium audiendas subire coram Ordinario et examinatoribus loci, in quo situm est monasterium, et consequi testimonium, quo idonei declarentur; quod insuper poterit indicari Vicariis apostolicis in Anglia commorantibus per literas Ordinarii, qui ad examen eos excepit et peritos idoneosque indicavit. Quod si cuiquam ex regularibus commodius atque itineri opportunius videretur Bruxellis ante apostolicum Nuncium propriae scientiae periculum facere, id erit eorum in libitu, cum utraque ratione duplex auferatur incommodum, unum scilicet, ne regulares animum mentemque dimoveant a missionibus anglicanis, eo timore, ne a Vicariis apostolicis admittantur ad saecularium confessiones excipiendas; alterum vero, ne iidem Vicarii destituantur auctoritate adprobandi illos, qui intra limites suae jurisdictionis poenitentiae sacramentum velint administrare. Etenim duos omnino actus complectitur adprobatio, quorum primus ad intellectum, alter spectat ad voluntatem. Proprium enim est intellectus, debita ac necessaria scientia in examinato deprehensa, illum confessionis muneri obeundo aptum existimare. At nonnisi voluntatis est, facultatem confessionum audiendarum liberam plenamque facere, sententiamque de eo proferre, qui adprobatori subjicitur. Primum itaque ab examinatore praestatur, cujus fidei et integritati innititur atque acquiescit, qui confessiones audiendi facultatem, in limitibus et confiniis sibi assignatis, impertitur. Alterum immediate peragitur ab ipsomet Superiore, cujus est praedictam facultatem concedere.

§. 9. His itaque constitutis, cum regularis examinatus jam et idoneus judicatus, uti diximus, sese offerat Vicariis apostolicis cumque id perpendi minime debeat tanquam urbanitas aliqua seu ceremonia, cum insuper Vicarius apostolicus opportunam facultatem elargiri intelligat ad suscipiendas fidelium confessiones, qui ditione sua continentur: absoluta penitus hac ratione controversia omnis judicari deberet. Caeterum confessarii munus regularibus deferri potest sine temporis determinatione vel cum limitatione: quod luculenter constat tum ex brevi a summo Pontifice Urbano VIII. dato Cardinali de Sandoval anno 1639 inserto a *Cabasutio in theoria et praxi juris canonici lib 1. cap. 10. num. 13*, tum ex recensita constitutione Clementis X. *Superna ad §. 4.* Porro hujusmodi facultates ad praestitutum tempus collatas, post elapsum temporis intervallum, jus competit Ordinario vel abrogandi vel eas renovandi et sacerdotem ad novum examen compellendi. Facultates vero nulla cum temporis limitatione delatae nonnisi cum ipso officio desinunt nec suspendi propterea possunt sine nova causa, quae confessiones directe respiciat, quemadmodum patet ex constitutione: *Cum sicut accepimus*, ab Innocentio X. in lucem edita 32. §. *2. bullarii tom. 4*:

An Episcopus regularem pro confessionibus semel approbatum sine nova causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis?

Respondetur: *Regulares alias libere ab Episcopo, praevio examine, approbatos ad audiendas confessiones personarum saecularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova causa eaque ad confessiones ipsas pertinente.*

Quae cum ita sint, ut omni dissidio aditus

*) Vd. *infra n. 5. p. 1053.*

occludatur, decernimus atque statuimus, ut facultas superius exposita, a Vicariis apostolicis regulari examinato et approbato concedenda, ad sexennium extendatur, atque ad aliud sexennium sine praevio examine confirmetur, cum regulares missionarii, iis peractis, quae *num. 20.* exponentur, anglicanae missionis exercitium denuo suscipient.

§. 10. In medium igitur proferri minime potest tam breve Summi Pontificis Urbani VII., quod incipit: *Britannia*, vulgatum anno 1631, quam bulla ejusdem Pontificis: *Plantata*, edita anno 1633, aut aliud quodcumque documentum ad firmandam regularium independentiam a Vicariis apostolicis in administratione poenitentiae sacramenti aliorumque sacramentorum. Brevia enim et hujusmodi documenta emissa fuere, antequam quatuor Vicarii apostolici in Anglia constituti forent, cum omni auctoritate, quae competit cuilibet Ordinario in sua civitate et dioecesi. Quamobrem sancito libero et tranquillo ordinariae Episcoporum auctoritatis exercitio, eo ipso definivit regularium immunitas pro sacramentis administrandis, quae tunc temporis iisdem concessa fuit, cum praedictum liberum exercitium nullatenus permittebatur, quemadmodum regulares ipsi luculenter agnoverunt et confessi sunt in celebri disputatione Parisiis habita, quae in collectione judiciorum *tom. 3. p. 45.* continetur. Accedit praeterea, quod idem prorsus decretum fuit pro statuendo Indiarum orientalium regimine, nequicquam refragantibus amplius s. Pii V. et Gregorii XIV. privilegiis, ut legere cupienti innotescet ex nostra constitutione: *Quamvis ad confirmandum tom. 2. nostri bullarii.* Eadem plane ratione cum in praesentiarum constitutum sit regimen Vicariorum apostolicorum finem habere debet recensita regularium missionariorum immunitas, iis delata, antequam praedictis Vicariis apostolicis regimen et ordinaria auctoritas tribueretur et sua cuilibet confinia assignarentur. Notae et pervulgatae sunt controversiae agitatae et discussae in Congregatione de propaganda fide anno 1701 et 1702 inter Macai Episcopum, Vicarios apostolicos Sinarum atque regulares missionarios, qui tueri conabantur, ob sua privilegia licitum sibi esse sacramenta administrare et quolibet parochiali officio perfungi, quin ab Episcopo et Vicariis apostolicis dependerent. Porro cum sapienter Congregatio animadvertisset, ab Innocentio XII. fel. rec. suos praefinitos fuisse limites cuilibet Vicario apostolico, decrevit atque mandavit, ne cuiquam missionario vel saeculari vel regulari imposterum liceret poenitentiae sacramentum saecularibus impertiri vel aliis parochialibus officiis fungi, quidquid in contrarium praeseferent privilegia iis concessa, quin prius facultatem obtinuisset ab ecclesiastico Superiore, ab Episcopo nimirum, quoties sacramenta administranda essent in ejus dioecesi, vel a Vicario apostolico, si in ipsius ditione id foret peragendum. Haec enim habet decretum vulgatum die 14. Februarii anno 1702: *Missionariis autem sive saecularibus sive regularibus etiam societatis Jesu non liceat etiam vigore suorum privilegiorum sacramenta administrare aut alia munia parochialia obire, nisi de licentia praefatorum Ordinariorum sive Vicariorum apostolicorum, in quorum respective provinciis aut dioecesibus eosdem missionarios commorari contigerit.* Haec profecto luculenter ostendunt nullatenus esse provocandum ad immunitatis privilegia anglicanis missionariis concessa, antequam in Anglia Vicarii apostolici constituerentur. Idque discussum etiam fuit in peculiari Congregatione de his negotiis habita *die 6. Octobris an. 1695*, cujus decreta Innocentius XII. Brevi dato *die 5. Octobris anno 1696* confirmavit. Accedit decretum emissum ab universa Congregatione de propaganda fide *die 16. Augusti anno 1645*, quod nostro brevi sub *die 5. Septembris anno 1745* firmatum fuit.

§. 11. Cum ab hac sancta Sede animadversum sit, plurima saepe contingere in regionibus longe dissitis, quibus ut consulatur, peculiares dispensationes et privilegia; quandoque opportuna, quandoque etiam ad animarum regimen necessaria requiruntur; ad quae obtinenda difficile cum sit Romam confugere, eadem sancta Sedes in more habuit habetque in praesenti, Episcopis in remotioribus provinciis commorantibus quasdam facultates impertiri, quibus uti possint vel immediate vel per inferiores sacerdotes a se designatos: atque idem plane cum missionum praefectis atque apostolicis Vicariis facere consuevit. Verumtamen cum nec Episcopi nec missionum praefecti in Anglia hoc tempore versentur, supervacaneum est facultates recensere, quae his vel illis deferuntur. Sedem habent in Anglia Vicarii apostolici, qui sibi commissis provinciis praesunt, atque iis dumtaxat *formulae secundae* facultates tribuuntur; proindeque regulares Angliae missionarii iis

solum facultatibus perfruuntur, quas obtinent ab apostolicis Vicariis, qui sane eas communicare aliis possunt, uti ex *formula secunda* manifestum est: *Praedictas facultates communicandi, non tamen illas, quae requirunt ordinem episcopalem vel non sine sacrorum olcorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis, qui in ejus dioecesi laborabunt.* In recensitis notatu dignum imprimis est vocabulum illud *idoneis*, quo cognitio indicatur, quam largitor facultatum habere debet de illo, qui ipsas consequitur, an videlicet idoneus existimetur. Hinc et arbitrium examinis de illo instituendi subsequitur, quoties ejus scientia ad facultatem exercendam aliunde non innotescat. Observationem illud etiam exigit, quod necessitas non infertur Vicario apostolico, ut omnino praedictas facultates communicet, sed, veluti commodum quoddam, hujusmodi potestas illi delata est pro animarum utilitate: quod quidem unquam non opportunum, saepius etiam necessarium est, cum Superior omnia per se praestare minime valeat. In arbitrio Vicarii apostolici positum quoque est vel omnium suarum facultatum sacerdotem participem facere vel aliquas tantummodo communicare. Nam Vicarius apostolicus in hoc facultatum genere specialis sanctae Sedis delegati personam gerit, cui liberum est subdelegare, nedum ex communi jure, verum etiam ex singulari auctoritate illi demandata: cumque in delegantis potestate constitutum sit suspendere vel omnino etiam auferre factam delegato procurationem, ex his omnibus illud consequitur, in Anglia scilicet, quod jam dictum est, eas tantum facultates per Vicarium apostolicum collatas a missionariis exerceri posse: Ille siquidem cum apostolicus depositarius earumdem existat, communes eas facit cum sacerdotibus saecularibus aut regularibus aut retinet (quod repetere supervacaneum non erit) dignoscendo, an revera idonei sint, aliquas tantummodo, non omnes communicando ac denique eas suspendendo penitusve auferendo. Attamen summopere commendatur humanitas in examine peragendo; insuper debita et prudens cautio in suspendendis vel adimendis facultatibus, quae semel concessae fuerunt. Nec opus est, ut facultates exprimantur, quas Vicarius sibi reservare aut quas sacerdotibus saecularibus vel regularibus elargiri debet quaeve uni potius quam alteri sint impertiendae; id enim arbitrio relinquitur Vicarii apostolici, qui, cum in loco consistat et personas dignoscat, quibus facultates conceduntur, et animarum necessitates animadvertat et casuum frequentiam, decernere facilius potest, quae magis opportuna et salutaria videantur. Inter caeteras illa adnumeratur facultas, per quam copia fit sacerdoti bis Sacrum peragendi uno eodemque die, licet id expresse prohibeatur *cap.*: *Consuluisti, de celebratione missarum*; cui tamen derogatur ob necessariam causam, videlicet ob sacerdotum paucitatem vel cum eorum numerus, qui diebus festis tenentur Sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut, nisi alicui sacerdoti duas missas eodem die celebrandi potestas concedatur, ecclesiae mandato plures non satisfacerent: quod copiose declaratum est constitutione 3. in praesenti nostro pontificatu emissa et Osceusi Episcopo*) inscripta, *tom. 2. bullarii.* Hinc facile apparet abusus intollerabilis, quae patraretur, si cuipiam sacerdoti rem divinam faciendi bis in diem facultas tribueretur eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret, quantoque magis sacerdos peccaret, si missae sacrificium bis uno die conficeret sine opportuna Vicarii apostolici concessione vel sub populi necessitatis praetextu eam peteret atque obtineret, licet reipsa plurium eleemosynarum cupiditate ad id moveretur.

§. 12. Adprobationis necessitatem, quam diximus competere cuilibet Vicario apostolico in sua provincia non solum quoad saeculares sed etiam quoad regulares sacerdotes, qui saecularium confessiones sint excepturi, necessitatem pariter ab ipsis accipiendi facultates *formulae secundae*, quae praedictis Vicariis apostolicis a sancta Sede tribuuntur una cum potestate eas communicandi sacerdotibus saecularibus et regularibus, ut illis solummodo missionarii utantur, quemadmodum superius exposuimus: has, inquam necessitates subsequitur actualis administratio curae animarum et sacramentorum, ac proinde in iis, quae ad utrumlibet horum capitum spectant, nedum missionarii saeculares sed etiam regulares subjiciuntur jurisdictioni et correctioni Vicariorum apostolicorum.

Personae tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad eandem curam et administrationem sacramentorum pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi sitae sunt.

*) Vd. *Missae* (duae non sunt legendae ab uno sacerdote eodem die.)

Haec ferme habet *Concilium Tridentinum sess. 25. de regularibus cap. 11.*

§. 13. Quamvis autem in hoc *cap. 11.* non derogetur privilegiis, quae hanc in rem producere possent regulares, nihilo tamen minus, quia hujusmodi derogatio apertis verbis exprimitur *cap. 22. novissimae ipsius sessionis 25. de regularibus*, ideo haec ipsa complectitur singula capita anteriora ipsius *sessionis 25. de regularibus*, ac propterea recensitum etiam caput undecimum, quemadmodum enunciatum est constitutione Innocentii XIII., quae incipit *Apostolici ministerii*, confirmata a Benedicto XIII. in altera, quae incipit: *In supremo* data anno 1724 num. 23: *Sciant omnes derogationem hujusmodi non ad ea tantum referri, quae in praedicto capite* (id est 22.) *continentur, sed etiam ad alia, quae in singulis superioribus* (ideoque etiam in cap. 11.) *ejusdem sessionis constituta sunt.*

§. 14. Superioribus annis suscitata a nonnullis fuit infirma nimis controversia, nempe in dubium revocata fuit praedicta Concilii Tridentini dispositio et contendebatur eos tantum regulares affici, qui parochi existant, alios vero regulares sacerdotes, qui, licet parochi non sint, tamen sacramentum aliquod saecularibus administrent, vel nullimode comprehendi vel si comprehendantur id referendum esse ad eos solummodo, qui rem *de facto* agerent et sine praevia Ordinarii facultate. Verum Gregorius XV. edita constitutione *Inscrutabili*,*) declaravit regulares sacerdotes, qui vel parochi sunt vel aliquod administrant sacramentum *sive alias ecclesiastica sacramenta aut unum ex iis ministrent sive id praestent praevia Episcopi licentia et approbatione aut agant de facto absque ulla auctoritate*, subesse debere in iis omnibus, quae curam vel administrationem sacramentorum spectant, jurisdictioni et correctioni Ordinarii tanquam Sedis apostolicae delegati: *In his, quae hujusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani Episcopi, tanquam Sedis apostolicae delegati, plene in omnibus subjiciuntur.* Idem prorsus renovatum est in bulla *Cum sicut 34.* Innocentii X. §. 4. *in bullario romano tom. 5.* tum in constitutione *Firmandis.*)

*) Vd. *p. 208.*

§. 15. Jus hujusmodi in regulares sacerdotes delegatum in iis, quae animarum curam sacramentorumque administrationem concernunt, cessare certum est, cum eorum quicquam sui regularis instituti observantiam aliquo modo violaret; id enim Ordinarii muneris non est, sed respectivi Superioris regularis: *Cujus quidem agendi rationem in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius regularis instituti*, non est Episcopi inquirere, cum ad ipsum Superiorem *regularem privative id pertineat*: Verba ipsa sunt recensitae constitutionis *Firmandis* §. *8.* Non ignoramus sacrum Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 3. de reformat.* nulla admissa distinctione decrevisse, quod regularis *extra monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii praetextu, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc a Sede apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valet*; atque hinc factum esse, ut dubium a nonnullis proponatur: *utrum commorantes missionarii regulares apud privatos atque ut plurimum seorsim, ut in Anglia contingit, utrum,* inquam, *praedicti regulares, veluti religiosi extra monasteria viventes censendi sint ac propterea Ordinarii jurisdictioni tanquam apostolici delegati in omnibus subjecti?* quod definitum est in allata Innocentii X. constitut. 34: *Cum sicut* §. *15.*

Quandoquidem tamen illud perpendi debet, regulares scilicet anglicanae missioni destinatos proficisci in bonum sanctae nostrae religionis eorumque mansionem in privatis domiciliis, non item in monasteriis, ex publici regiminis legibus dimanare, quibus coenobia quaecumque prohibentur; aequum profecto est, ut recenseri non debeant ad instar illorum, qui extra proprium monasterium vitam agunt, atque hinc subsunt omnimodae Ordinarii jurisdictioni, quemadmodum sancitum fuit a summo Pontifice Clemente VIII. in suis literis apostolicis in forma brevis editis anno 1601, quae incipiunt: *Quorumcumque religiosorum*, recensitis in constitutione: *Quamvis*, quae ordine est *prima* praesentis nostri pontificatus *tom. 2. bullarii.* Quamobrem cum iis potius procedendum est veluti cum regularibus in propriis monasteriis degentibus, qui, si aliquod crimen foris pa-

*) Vd. *supra p. 1032.*

trarent, scandalum populo afferens, insistente Ordinario, ut puniantur, plecti debent a suo Superiore regulari, qui insuper tenetur inflictam castigationem ipsi Ordinario indicare: *Regularis intra claustra monasterii degens, si extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus, a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit*: Haec habet sacrum Concilium Tridentinum *sess. 25. de regularib. cap. 14.* Quibus apprime insistens ipsemet summus Pontifex Clemens VIII. alteram vulgavit constitutionem, cui initium fecit *Suscepti muneris*) 39. bullarii romani tom. 3,* ubi accurate animadvertit atque enunciavit quidquid ad eorum executionem conducere videretur.

§. 16. Harum ope regularum, quae non ad libitum effectae nec recentes, sed juris canonici et sacri Tridentini Concilii auctoritate suffultae necnon anteriorum Pontificum constitutionibus firmatae sunt, dubitandum non est, quin perfecta interesse debeat consensio inter Episcopos et regulares missionarios eorumque Superiores, dummodo reipsa in eorum animis vigeat, quod juvat sperare, verum pacis et concordiae desiderium. Atque ea animorum conjunctio eo vel magis speranda, quod ipsorum juri atque auctoritati certi limites et confinia praefinita sint. Siquidem non deest Superioribus regularibus privativum jus in proprios religiosos, qui sui instituti observationem perfregerint. Quod si ab iisdem quodquam gravioris notae crimen perpetratur atque in primis, si contra bonos mores deliquerint, non destituuntur Superiores eos castigandi facultate nec conquerendi locus Vicario apostolico relinquitur, si ab eodem Superiore post acceptam faoti notionem debita punitio non omittatur: adeo ut Vicarius apostolicus, quod supra indicatum est, se in eam rem ingerere nullatenus possit, nisi forte contingeret, ut regularis Superior vel nihil praestaret vel aequas poenas a reo minime desumeret. Habent itidem Vicarii apostolici, utpote sanctae Sedis delegati, potestatem supra regulares in iis omnibus, quae animarum curam et sacramentorum administrationem respiciunt. At vero hujusmodi jus non solum iis competit, verum etiam regularibus Superioribus, quibus concessum est suos religiosos animarum regimen sive sacramentorum administrationem male exercentes punire. Porro jus privativum Ordinarii complectitur tantum actus, quos ipse ratione ministerii sui tenetur peragere in bonum populi et disciplinae regularis parochi demandati.

§. 17. Ne autem de jure cummulativo, quod habent tam Vicarii apostolici quam regulares Superiores in regulares, qui vel parochi existunt vel qui sacramenta administrant, ulla oboriatur disceptatio, decretum jam est, ut dissidente Ordinario Superiore vel Episcopus ille sit sive Vicarius apostolicus, a regulari Superiore, prioris sententia alterius praestet opinioni; itidemque, ut, cum velit Superior regularis ab animarum regimine et sacramentorum administratione regularem sibi subditum removere, efficere id possit, quin prius Ordinarium de causa certiorem faciat: quod vicissim ab Ordinario fieri posse tenendum est secluso debito causam patefaciendi regulari Superiori. Adeatur superius recensita constitutio *Firmandis*)* praesentis nostri pontificatus, ubi auctoritate veterum decretorum id fusius declaratum et confirmatum est. Nec regularis ab officio suspensus vel amotus ullimode valet appellationis beneficio mandati executionem impedire vel protrahere, sed post praestitam obedientiam, ad proprium tuendum nomen innocentiamve vindicandam, si eam laesam existimaret, reclamationibus unice locus erit et excusationibus suo judici competenti ferendis, uti praescribitur in superius allata constitutione: *Inscrutabili* Gregorii XV.,**) atque in alia posteriori, cui initium: *Ad militantis***)* §. *19.*

§. 18. Ne felici Britaniae missionum regimini quicquam deesse videatur, subsequentes adnectuntur regulae, quibus praetermissis haud omnino obtinetur, quod vehementer exoptatur. Sedulo igitur incumbant Vicarii apostolici, ut missionarii saeculares probe honesteque in omnibus se gerant, quo aliis bono exemplo sint; et imprimis sacris officiis celebrandis opportunisque institutionibus populo tradendis atque infirmis opera sua sublevandis praesto sint, ut a publicis otiosorum coetibus et cauponis omnimode caveant, addita

*) Vd. *Regulares* (extra claustra delinquentes.)

*) Vd. *supra p. 1032.*
**) Vd. *supra p. 208.*
***) Vd. *supra p. 583.*

etiam suspensionis poena cuilibet, si quis ad easdem divertere non vereretur. At potissimum ipsimet Vicarii omni, qua possunt ratione, severe tamen, illos puniant, qui de publico regimine cum honore sermonem non haberent. Quandoquidem illi in Anglia versantur, non ad rumores et perturbationes excitandas, sed sanctae catholicae religionis servandae causa; iique excipiendi, qui divino spiritu afflati et sanctis fidei mysteriis apprime instructi se promptos paratosque ad eam amplectendam exhibent, cum interim a quibuslibet conversionibus debeant abstinere, quae utpote sine praeviis debitisque conditionibus peractae non modo nullam utilitatem, sed damna potius et incommoda plurima solent afferre. In iis autem, quae missionarios regulares spectant, munus suum Vicarii apostolici prae oculis semper ferant, quo tenentur in eorum actiones intendere semper in illis, quae animarum curam sacramentorumque administrationem respiciunt; necnon auctoritatem pariter sibi delegatam comminiscantur. Caeteras vero praedictorum regularium corruptelas, si quae contigerint, si nimirum eorum quisquam cauponas et coetus otiosos frequentaret seu publico regimini obloqueretur, sive denique alienis negotiis sese immisceret; has, inquam, corruptelas reparare studeant remediis superius expositis atque a Concilio Tridentino desumptis, quibus Regulares afficiuntur, qui in monasterii scandalum aliquod committunt.

§. 19. Inprimis curae sit Superioribus regularibus missionarios indistincte nequaquam mittere, sed, quod dictum jam est, eos deligere, qui et vitae probitate atque sufficienti opportunae doctrinae copia tales existant, ut sibi traditum ministerium probe complere valeant: praeterea studeant praeficere in Anglia unum ex religiosis, cui visitatio sibi subditorum singulos in annos obeunda committatur, qui diligenter eorum vivendi rationem ad examen revocet et congestarum eleemosynarum usum perscrutetur. Sic enim fiet, ut quaelibet negotiationis suspicio de medio tollatur et incommodis quibuslibet et malis provide consulatur; porro visitator ipse de his, quae gerenda sunt, conferat cum Vicariis apostolicis, ut et ipsi auxiliarem manum praebeant atque ita scandalis quibuslibet aditus occludatur.

§. 20. Quandoquidem, degentibus missionariis regularibus in Anglia extra monasteria in privatis domiciliis et saeculares vestes adhibentibus, qua sane carerent, si in monasteriis degerent, inauditum minime esset, si etiam religiosa corda mundano pulvere sordescerent, ideo edicitur cuilibet missionario, ut post singula sexennia ad catholicas regiones sese restituat, propriae familiae regularis claustra subeat, religiosum induat habitum ibique per tres integros menses commoretur atque interim spiritualibus exercitiis per quindecim dies sedulo incumbat. Hinc est, quod Vicarii apostolici, quorum arbitrio atque prudentiae, uti expositum est, committitur potestas communicandi missionariis facultates *formulae secundae*, ipsam *ultra sexennium* non debebunt prorogare, sed impertiri ad summum *ad sexennium et interim ad libitum*, eamque, si consentaneum judicaverint, simili modo restituere, cum regulares absoluto jam praescripti secessus tempore ad missionem revertentur.

§. 21. Etsi regularis Superior, qui statuit aliquem ex suis religiosis a sacramentis administrandis sive a missionibus exercendis removere, ex superius allatis non teneatur remotionis causam Vicario apostolico significare et eadem ratione liberum sit Vicario apostolico, insciis atque inconsultis iisdem Superioribus, contra missionarios regulares, quos delinquentes in sacramentis administrandis vel ineptos atque rudes negligentesve in suo munere adimplendo deprehenderit, animadvertere, prout ipsi expedire videbitur, tamen consentaneum erit, si unanimi voluntate et consensu rem gerant, ne missiones operariis destituantur et uni missionario amoto alter continuo subrogetur, qui ejus subeat vices; idemque exhibeatur officium a Superioribus regularibus cum apostolicis Vicariis, ubi velint suos in alium locum transferre vel eos revocare in catholicas regiones, atque uno eodemque tempore successores expediant, videlicet ne missio necessariis operariis careat.

§. 22. De fundationibus nihil omnino innovetur; sed tam saeculares quam regulares in earum possessione perseverent, quas in praesentiarum obtinent; atque adeo sacramenta etiam confessionis omnibus indiscriminatim per eos administrentur in urbibus et oppidis muro circumdatis, ubi limites praefiniti non sunt: ea plane ratione, qua in nostris civitatibus ad confessionem adprobati ab Episcopo sine ulla loci vel pe-

culiaris ecclesiae limitatione, in qua confessiones possint excipere, in qualibet urbis ecclesia confessiones audiunt, debitis tamen officiis cum ipsius rectore antea persolutis. Verum missionariis in pagis et apud ruricolas commorantibus non liceat sacramenta nec etiam poenitentiae extra praescriptos limites administrare, cum ad confessiones extra confinia excipiendas necessaria omnino sit Vicarii apostolici licentia, cui illa subjicitur provincia. Etenim apud Nos etiam confessarius ab Episcopo pro saecularibus adprobatus in sua dioecesi extra dioecesim eam facultatem exercere nequit sine alterius Episcopi adprobatione, in cujus ditione poenitentiae sacramentum administratur, etiamsi poenitens subsit Episcopo, qui illum ad confessiones excipiendas adprobavit. Idque constat ex bulla *Superna**) Clementis X.; solus enim parochus a moralis theologiae scriptoribus eximitur, qui, si forte extra dioecesim versetur, sui parochiani ibi degentis confessiones potest audire, quamvis ab Episcopo loci, ubi sui parochiani se praebet confessarium, adprobationem ad confessiones non obtinuerit. Necessaria igitur omnino est Vicariorum apostolicorum licentia, ut missionarii in pagis vel agris commorantes poenitentiae sacramentum ministrent intra limites cuilibet illorum respective subjectos. Attamen ipsosmet Vicarios apostolicos hortari non praetermittimus, ut meminerint valde consentaneum esse (nisi aliqua legitima causa contrarium persuaserit) facultates illis elargiri saltem ad confessiones excipiendas. Quandoquidem vero licentiae administrandi sacramenta, quae conceduntur missionariis campestribus, ut plurimum certis limitibus arctari solent, extra quos nulla ipsis ministrandi facultas permittitur, quamvis locus, ubi sacramenta vellent conferre, intra limites Vicario apostolico subjectos contineretur, qui permissionem ministrandi impertitus est, tamen Vicarium apostolicum adhortamur, ut facilem se praebeat missionario campestri sacramenta aliquando conferendi extra limites ipsi praefinitos, nisi forte legitimum aliquod impedimentum id fieri prohibeat.

§. 23. Haec omnia proficuam animarum curam et pacem concordiamque inter missionarios, faustum denique Vicariorum apostolicorum regimen respiciunt. At quoniam a viris optimis et fide dignis indicatum fuit consentaneum fore, si definiatur, utrum regularibus, qui vel in regiis sacellis vel in locis pro illis fundatis, sive apud Nobiles commorantur, liceat indulgentias suis ordinibus concessas evulgare, ideo, ut omnes molestae tricae evitentur, sequens regula proponitur, quae executioni demandari omnino debet. In bonum anglicanae missionis adprobantur quilibet pietatis actus, preces, jejunia atque opera meritoria, quae a sancta romana ecclesia comprobantur. Ad indulgentias quod spectat ipsis operibus adnexas ratione privilegiorum, quae uni vel alteri regularium ordini a summis Pontificibus concessa fuerunt, suspenduntur: atque, ut fideles spirituali sanctarum indulgentiarum emolumento tranquille et copiose simul perfruantur, cuilibet Vicario apostolico auctoritas in ditione sui vicariatus conceditur, ut quater in annum in iis solemnitatibus, quae ipsis magis opportunae videbuntur, indulgentiam plenariam impertiantur, quam lucrari possint quicumque poenitentiae sacramento expiati et sacra eucharistia refecti sacellum aliquod visitabunt, ubi missae sacrificium celebratur, pacem ecclesiae suae a Deo rogabunt paratique erunt pauperes aliqua eleemosyna pro suis viribus sublevare vel catechismo et sacris concionibus frequenter interesse, quoties absque gravi incommodo id fieri liceat, sive infirmis aut morti proximis operam suam christiana charitate praebere; et quoniam non deerunt, qui vel carcere aut gravi morbo sive alia legitima causa impediti praescripta pietatis officia minime poterunt adimplere, singuli Vicarii apostolici potestatem habeant ea commutandi et alia, quae perfici valeant, decernendi. Porro ne morientes e vita decedant sine benedictione in *articulo mortis* et sine indulgentia ipsi conjuncta, iisdem Vicariis apostolicis facultas conceditur, ut illam impertiant atque etiam sacerdotes alios subdelegare possint, qui eam morientibus elargiantur, servata tamen forma, quae indicitur in constitutione hujus nostri pontificatus tempore in lucem evulgata, quam hisce regularis ad majorem commoditatem adjungimus.

§. 24. Ultimo tandem, cum anglicanae missionis perduratio principum catholicorum ministris, Nobilibus catholicis fundationibusque jam constitutis accepta referri debeat, eos magnopere adhortamur, ut illos tantum sacerdotes saeculares vel regulares suis sacellis inservire permittant, qui se prius ob-

*) Vd. *infra p. 1053.*

tulerint Vicariis a[illegible]olicis et obtentas ab illis adprobationes ex[illegible] buerint: secus enim contingere posset, ut p[illegible]eter eorum voluntatem admittatur aliquis pr[illegible]elebrando missae sacrificio in sacellis et adm[illegible]inistrandis sacramentis, qui vel sacerdos minime existat vel si fuerit sacerdos, suspensionis fortasse vel irregularitatis vinculo obstringatur.

§. 25. Porro omnia et singula hujusmodi a Nobis, prout praemittitur, statuta et decreta, quo firmius subsistant et serventur exactius, tenore praesentium apostolica auctoritate, quatenus opus sit, confirmamus et apostolicae firmitatis robore communimus et districte servanda praecipimus et mandamus, salva tamen in praemissis nostra successorumque nostrorum romanorum Pontificum et ejusdem Congregationis Cardinalium propagandae fidei auctoritate. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et a vobis et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et ejusdem S. R. E. Cardinales, eorumdemque Cardinalium Congregationes et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis sive sub plumbo sive in simili forma brevis expeditis quorumcumque praedecessorum nostrorum literis et praesertim felicis recordat. Urbani Papae VIII., quarum initium est: *Britania non minus etc.*, necnon: *Plantata in agro dominico etc.*, aliisque constitutionibus et ordinationibus necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum et institutorum etiam societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 26. Caeterum Vos, venerabiles fratres, dilecti filii, per Domini Nostri Jesu Christi charitatem, qui animas nostras pretioso sanguine redemit, rogamus et in Domino hortamur, ut non in contentione et aemulatione, sed induentes eumdem Dominum Nostrum Jesum Christum perficiatis opus vestrum. Ad cujus prosperi successus auspicium apostolicam benedictionem studiosae nostrae voluntatis pignus Vobis, venerabiles fratres, dilecti filii, peramenter impertimur.

§. 27. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transsumptis seu exemplis etiam impressis et ab ejusdem Congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum praefecto et secretario pro tempore existentibus subscriptis ac sigillo ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 12. Maji 1753.

Cajetanus Amatus.

(Constitut. XVI. Benedicti XIV. tom. IV. bullarii ejusdem.)

Placentina.

Ad dub.: *An liceat Priori et Canonicis regularibus s. Isidori Legionensis exerceri facere curam animarum ecclesiae parochialis s. Mariae de Monte Syon in Villa de Herrin per presbyterum saecularem vel alicujus ordinis regularem ad eorum nutum amovibilem, sine Ordinarii Placentini licentia, approbatione et examine in casu?*

S. C. C. resp.;

Negative.

Die 9. Febr. 1760.

6) Sacerdotis regul. jam approbati.

Vd. *supra p. 1041* constit.: *Apostolicum minist.* §. *9; Administratio Sacrament. a Regularib.* supra p. 207, praecipue constit. *Inscrutabili* supra p. 208.

Colonien.

Sacerdotes, qui confessarii munere funguntur pro certo parocho coadjuvando vel

indeterminate per universam Coloniensem dioecesim, dicuntur approbati ad curam subsidiariam, sive, ut ajunt, secundariam, quia praevio examine facultatem obtinent a curia archiepiscopali vel usque ad revocationem duraturam vel ad certum tempus limitatam, ut valeant sacramentales confessiones excipere de venia, quorum interest, verbum Dei praedicare aliaque sacramenta animarum curatoribus incumbentia ad requisitionem eorumdem administrare.

Ii autem, sive regulares sint sive saeculares, cum ad aliquam promoventur parochiam aut perpetuam vel amovibilem, iterato se subjiciunt examini novamque obtinent approbationem pro cura, quam vocant primariam, non quidem indefinite, sed pariter ad certum tempus, ut plurimum septem annorum, itaut elapso tempore denuo renovetur examen.

Hunc morem, quem Abbas Steinfeldensis ordinis Canonicorum regularium Praemonstratensium non improbat quoad caeteras parochias suo ministerio unitas, servandum non esse defendit quoad parochiam in Dumovald pleno jure incorporatam abbatiae, cui praeficere posse arbitratur ad sui libitum regularem alias ab Ordinario approbatum ad curam secundariam, non repetito examine novaque non obtenta approbatione ad illam ecclesiam speciali. Ob interpellationem itaque hodierno rectori ecclesiae factam a curia archiepiscopali, ut se novo examini exponeret specialemque impetraret approbationem ad illius curam primariam, praesens suscitata est controversia, quae de consensu partium a s. m. Bened. XIV. remissa fuit ad hanc sac. Congreg.

Et disputat nunc Abbas, ecclesiam parochialem in Dumovald plenarie unitam esse abbatiae Steinfeldensi suaeque jurisdictioni subesse, ut enunciatur in antiquo instrumento anni 1347 et in aliis recentioribus documentis. Allegat etiam immemorabilem consuetudinem »instituendi et destituendi actualem rectorem in eadem parochia, talem tamen, qui antea examinatus fuisset in synodali examine, quique approbatus et idoneus esset repertus generice ad curam animarum, quin postmodum, ob institutionem ad eandem parochiam Dumoaldensem ab Abbate factam, novo se praesentare examini teneretur« ut exponit in sua relatione reverendissimus Nuncius Coloniae, qui testatur vidisse documenta originalia, a quibus desumit Abbas argumenta hujus consuetudinis. Et in illius comprobationem afferuntur enunciativae quoad *institutionem et destitutionem* emissae per antecessores Abbates in relationibus ecclesiarum exhibitis curiae archiepiscopali anno 1647 et 1656, quibus adjungitur argumentum a negativa, quod curia archiepiscopalis nullum actum in contrarium ad haec usque tempora ostendit.

Propterea, infert Abbas, omnem hujus parochiae curam habitualem et actualem per ipsum retineri et coadjutoris partes explere vicarium in eadem deputatum, juxta firmata per *Rot. in Burgen. Jurisdictionis* super exercitio actuum parochialium 4. Decembris 1722. §. *Supposita cor. Gamaches*, unde posse in vicarium assumi regularem ad curam secundariam approbatum literisque testimonialibus ferme universis aliis expediri solitis favore vicarii ad primatiam curam deputati commendatum, quin opus sit nova approbatione novoque examine, quod in eodem munere iterari non posse definivit *Rota in Burgen cor. Ansald. dec. 358, cor. Lancet. dec. 582, cor. Falcon. tit. de off. ord. dec. 7. la. 1.* et *cor. Crispo dec. 343.*

Praesertim attento jure instituendi et destituendi, quod sicuti adimit Ordinario institutionem auctorizabilem, ita plenam tribuit facultatem Abbati committendi curam, cui maluerit, ut plene firmat *Rota in d. Burgen. Jurisdictionis super commissionem curae cor. Falcon. tit. de miscel. dec. 13. sub n. 3, cor. Crispo dec. 341. n. 3.* et *cor. Gamaches 2. Decembris 1722.* §. *Quo praemisso.* Et in his terminis putat sustinendam esse immemorabilem consuetudinem, quae ad summum dici posset praeter, non contra, Concilium.

Curia vero archiepiscopalis contendit, inviolabilem esse dispositionem sacri Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 11. de regul.*, ut examine et approbatione Episcopi indigeant quicumque praeficiendi sunt ad exercitium curae animarum, etiam in parochiis, quae sunt regularibus subjectae —: Nec ibi aliqui etiam ad nutum ammovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu ac praevio examine per eum vel ejus vicarium faciendo;« vicarium etiam amovibilem parochialis unitae non esse simplicem coadjutorem, quidquid dictum fuerit ad alium effectum in dd. decisionibus in causa *Burgen.*, sed esse verum parochum cum omnimoda cura actuali deputandum ad formam *constitutionis s. Pii V. l. 47.* §. *5.*

et alterius *constitut. s. m. Benedicti XIV.* in ejus bullario tom. 1. cap. 109. §. 9: Institutionem auctorizabilem nequaquam praescribi posse contra Ordinarium sine jurisdictione activa in populum, qua caret Abbas in parochia Dumoaldensi biduo distante a sua abbatia, ut distinguit *Rota d. Burgen. coram Falconer. de miscell. dec. 13. num. 1. et 3;* et ideo approbatum pro cura secundaria deputari non posse ad curam primariam certae ecclesiae sine novo examine, sine nova approbatione Ordinarii, ut firmat *Rot. dec. 71. num. 9. cor. Merlin.*

Nec putat adversari decisiones in d. causa *Burgen.*, cum loquantur de parocho iterum non examinando quoad curam animarum ejusdem parochiae, ad quam fuit approbatus, ut etiam in his terminis loquuntur *Barbos. de Jur. eccles. univers. lib. 3. cap. 6. n. 48. et 49.*, et *Pignatell. in cons. 133. n. 7. tom 1.* Et consuetudinem neque probari neque probatam relevari, cum suffragari nec etiam posset expressum privilegium, ob derogationes contentas in Concilio et in constitutionibus praefatis, ut novissime definitum est ab hac sac. Congr. in *Palentina 9. Februarii* proxime praeteriti. His itaque perpensis definiendum erit ab EE. VV.:

An regularis ad exercitium curae animarum in ecclesia Dumoaldensi plene incorporata abbatiae Steinfeldensi ordinis Praemonstratensis ab illius Abbate deputatus et alias ab Ordinario Colonien. praevio examine synodali ad excipiendas confessiones, de venia quorum interest, praedicandum verbum Dei aliaque sacramenta parochis incumbentia ad eorum requisitionem administranda approbatus teneatur se subjicere novo examini pro approbatione ad curam animarum dictae ecclesiae in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative, et amplius.

Die 10. Maji 1760.

Ad dub.: *An Episcopi possint in sua dioecesi prohibere regularibus ad confessiones audiendas approbatis ab antecessoribus Episcopis vel ab Episcopis alienarum dioeces., ne amplius confessarii munus exerceant sine ipsorum nova approbatione et licentia, non obstante bulla »Cruciatae« et contra regulares transgressores valeant procedere ad suspensionem, censuram et alias canonicas poenas?*

S. C. E. et R. resp.:

Servandam esse omnino constitutionem VII. Clem. X. incip. »*Superna*« non obstante bulla *Cruciatae*, quae in hac materia nihil novi juris induxit, neque quoad poenitentes neque quoad confessarios.

Die 9. April. 1698.

Confirmat. est hoc decret. per *constitutionem Innoc. XII. die 6. Sept. 1698.* (Bull. r. t. XII. p. 305.)

Clemens X.

Episcopus. Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Superna magni Patrisfamilias praeordinatione creditum Nobis universalis ecclesiae mysticum agrum circumspecta providentia custodire atque excolere (quantum ex alto conceditur) satagentes animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant dissidia inter villicos et operarios componi, jurgia tolli, scandalis atque offensionibus aditus praecludi, ut, quibus una fides, una mater ecclesia et unus dominus, qui charitas est et pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum atque anima una; sic etenim evulsis opportune zizaniis, dum plantamus et rigamus, incrementum dabit Deus; quo benedicente messis multa fructu centesimo coeleste in horreum congregabitur.

§ 1. Sane cum sacri Concilii Tridentini decretis provide statutum fuerit, ut regulares cujuscunque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint ac de eorum licentia etiam in ecclesiis suorum ordinum praedicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant; in ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo praedicare possint, atque ut nullus saecularis sive regularis etiam in ecclesiis suorum ordinum contradicente Episcopo praedicare praesumat. Itidemque cum nullus sacerdos regularis possit confessiones saecularium etiam sacerdotum audire nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale beneficium obineat aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem,

quae gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen et approbationem ejusmodi in aliquibus dioecesibus excitatas fuisse; ex quibus controversiae et dissensiones permultae in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quae per Sedem apostolicam religiosis ordinibus concessa fuerunt.

§. 2. Nos attendentes, quod alias diversis temporibus praedictae dubitationes et controversiae nonnullis praedecessorum nostrorum summorum Pontificum constitutionibus earumque declarationibus definitae fuerint, ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis magisque dissensionum tollantur semina et in posterum firmior in agro dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, apostolatus officio novis apostolicis literis muniendas duximus et roborandas. Itaque de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium et dilectorum filiorum romanae curiae Praelatorum pietate, doctrina et prudentia praestantium et matura deliberatione nostra atque ex certa scientia hac generali et perpetuo valitura constitutione decernimus et declaramus:

§. 3. Regulares, qui in ecclesiis sui ordinis praedicare voluerint, teneri ab Episcopo dioecesano benedictionem petere; praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in praedictis quidem ecclesiis licere regularibus praedicare; eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis apostolicae delegato censuris aliisque poenis ecclesiasticis in vim constitutionis fel. record. Gregorii XV. praedecessoris nostri, incipientis: *Inscrutabili Dei**) *providentia*, coërceri et puniri posse. Episcopum tamen absque justa et rationabili causa contradicere non debere; et hujusmodi benedictionem teneri etiam regulares petere, si in quibuscumque oratoriis sui ordinis sermonem coram populo vel in ecclesiis aut ad crates monasteriorum sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum regularibus in ecclesiis, quae suorum ordinum non sunt, praedicare volentibus illos, quamvis ab universitatibus aut a magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemmorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit, et licentiam praedicandi semel iisdem concessam ob rationales causas licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere regularibus, quin in ecclesiis suorum ordinum praedicent.

§. 4. Ad haec religiosos ab Episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos non posse in alia dioecesi eas absque Episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum saecularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii. Itidemque confessores extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Caeterum in monasteriis ac etiam collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam Praelatos regulares quam confessores regularium eorundem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque et indistincte absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in dioecesi propria admittendos. Quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in dioecesi Episcopi approbantis

*) Vd. *p. 208.*

quovis anni tempore etiam paschali et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla parochorum vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorundem infirmorum parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones praecipi: sufficere tamen ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

§. 5. Et eos, qui dictis religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quae incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus vicario aut ab antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi seu licentias illi concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis regularibus significare, sed Sedi apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

§. 6. Porro si regulares cum scandalo aut alias inhoneste vivant vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur a confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum praecipua ministri sacramenti poenitentiae qualitas sit vitae integrita ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus regulares a semet-ipso approbatos suspendere aut repellere a confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per *Mare Magnum* aliaque privilegia regularibus cujuscunque ordinis, instituti aut societatis etiam Jesu concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas regulares a Sede apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio aut deinde apostolicis etiam decretis sublata atque extincta, si quae habebant, absolvendi a casibus Episcopo reservatis.

§. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi apostolicae reservatis non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem regularem confessorem in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere regularibus etiam satisfacta parte absolvere poenitentes a censuris quoad externum et judiciale forum et absolutos ab eis in foro poenitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori judicio et contentioso. Quinimmo censuris ecclesiasticis irretitos et denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi a regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus regularium apostolicis privilegiis coram Episcopo ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur si dictorum privilegiorum verba obscura sint et ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis apostolicae judicio, prout alias constitutione praedecessoris nostri felic. rec. Clem. IV. statutum fuit, esse requirendam.

§. 8. Decernentes sic et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate et dignitate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac s. romanae ecclesiae Card. etiam de latere legatos, Vicelegatos et Nuncios et quosvis alios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere. Irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc.

Romae die 21. Junii 1670.

(Constit. VII. Clement. X. Bull. r. t. V. p. 305. Ed. Luxenbg.)

A q u a.

1) Baptismalis.

(Obligatio benedicendi.)

Benedictus PP. XIV.

VV. FFr. Episcopis Regni Serviae.

Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis justique timoris ab infidelibus incussi communis et naturalis aqua vel etiam ea, quae pro lustrationibus benedicitur, in baptismi administratione adhibeatur ac temere omittatur usus aquae ad hunc praecise effectum benedictae juxta praescriptum ritualis romani, Vix enim sine maxima incuria vel inani timore (juxta sensum etiam Albani Concilii) evenire potest, ut in ecclesiis parochialibus, ubi illae existunt, baptismales fontes statutis temporibus et ritibus non benedicantur aut sacrorum oleorum ad hoc sufficiens copia non suppetat.

Die 2. Febr. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 1306 §. 20.)

2) Pro benedictione et reconciliatione ecclesiae.

Ruben.

Aderat in civitate Ruben. ecclesia sanctissimi rosarii spectans ad PP. ordinis Praedicatorum, sed prorsus incongrua et ruinae proxima, adeo ut iidem PP. novam ecclesiam construere cogitarunt ejusque fundamenta juxta ritum a pontificali romano praescriptum ab Episcopo benedicta fuerunt. Reservarunt tamen in dicta antiqua ecclesia quaedam altaria pro divinis officiis aliisque functionibus ac etiam pro retentione sanctissimi Sacramenti; sed ob ruinam de proximo eventuram aliaque inconvenientia in dictis altaribus haec omnia amplius peragi non poterant, et ad eundem usum destinata fuit portio novae ecclesiae ac etiam pars claustri, claudendo omnia opportunis cum tabulis; dictusque locus januam habet in via publica aliamque ex parte novae ecclesiae pro patrum commoditate. Ut omnia rite fierent, petierunt iidem PP. aquam benedictam ab Episcopo pro dictae provisionalis ecclesiae benedictione, ea tamen denegata fuit; post obitum Episcopi Rubensis iidem patres aquam benedictam obtinuerunt ab Episcopo Vigilensi et cum ea absque ulla alia licentia provisionalem ecclesiam seu oratorium ut supra erectum benedixerunt, ibique a sex mensibus circiter Sacra persolvunt.

Factum ut supra expositum huic sacrae Congregationi refert Vicarius capitularis ejus exquirens oraculum: an dicta parva ecclesia supponenda sit ecclesiastico interdicto aliisque poenis canonicis, demandando iisdem patribus, quod saepedicta altaria, in quibus prius sacrificium offerri consueverat, ad decentem formam redigantur et restaurentur, vel potius sit permittendum, ut in illa erecta intra claustrum celebretur.

Procurator generalis ordinis late exponit necessariam fuisse dictam provisionalem ecclesiam; ejus pars, uti existens in eodem situ, in quo erat antiqua, nulla indigebat benedictione, et quod claustrum uti eidem annexum sub eadem ratione cadere debeat; sed ulterius, quod ex constitutione *Pretiosus san. mem. Benedicti XIII. in §. 33.* expresse conceditur fratribus sui ordinis facultas benedicendi novas ecclesias cum aqua ab aliis Episcopis benedicta, ibi: *Hoc amplius, quod, ubi dioecesanus Episcopus renueret aquam a se benedictam concedere, possint et debeant iidem fratres a quocumque catholico Episcopo aquam in ejus dioecesi benedictam ad praedicta praestanda accipere et asportare.*

Demandat sac. Concilium Tridentinum, quod extra ecclesiam et in oratoriis in privatis domibus existentibus missae celebrari non debeant, prout ex dicto Concil. *sess. 22. cap. unico de observan. et vitan. in celebr. miss.*; sed quoties ecclesia seu oratorium est publicum habetque januam in via itaut accessus cuique pateat nec desunt alia necessaria requisita, de quibus apud *Barbos. ad Concil. dicto cap. unico num. 22*, non comprehenditur sub prohibitione dicti decreti Concilii Tridentini, ut tradit idem *Barbos.* et respondit haec sac. Congregatio in *Florentina 2. Decembris 1628. lib. decr. 13. fol. 568*, et in *Compsana 31. Maji 1704. ad II. dubium lib. decr. 54. fol. 226. a tergo.*

Attamen antiqui canones aliaeque ecclesiae constitutiones expresse disponunt, quod non valet in ecclesiis et oratoriis publicis sacrosanctum missae sacrificium celebrari, nisi illa fuerint Episcopi auctoritate consecrata vel benedicta aut saltem visitata et recognita opportuna ad missarum celebrationem, juxta *textum in canon missar. 12*, et in *canon. 15 de consecrat. distinct. 1.* Et refert *Azzor. Institut. moral. par. 1. lib. 10. cap. 26. in princip.; Bonacin. tom. 1. de sacram. disput. 4. quaest. ultim. punct. 9. num. 9.; Barbos. de offic. et potestat. Episcopi par. 2. allegat. 23. num. 1 et num. 4*, ubi ait, quod per Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. unico de observan. et vitan. in celebrat. missar.* sublata censentur omnia privilegia ante Concilium concessa favore FF. Minorum et Praedicatorum, nisi illa fuerint post Concilium confirmata.

Dignabuntur itaque EE. VV. sapientissime de more respondere:

1. *An licita sit celebratio missarum in oratorio, de quo agitur?*

Et quatenus negative,

2. *An et quomodo sit providendum in casu?*

S. C. C. resp.

Ad 1: Affirmative et amplius.

Ad 2: Provisum in primo.

Die 10. Mart. et 28. Jul. 1731.

Archiconfraternitas.

Vd. *Confraternitas.*

Archidiaconatus.

Vd. *Archidiaconus* (definitio p. 1062; quoad examen p. 1063 n. 10; p. 1066 n. 13.)

1) Dignitas et munus.

Archidiaconi nomen amplissimam ac primariam in jure innuit dignitatem. Is enim collector erat collationum pecuniaeque ecclesiasticae. Is partes praebendasque suas distribuebat Canonicis, clericis, pauperibus et fabricae ecclesiae, idoneos, quos nosset, ad ordines et beneficia Episcopo praesentabat causasque fere omnes fori episcopalis audiebat ac terminabat, *can. I. dist. 25*, et *can. Si in plebibus 20. dist. 63*, ac propterea veluti natus Episcopi Vicarius habebatur, *text. in cap. 1. de offic. Archid.* et ipsiusmet Episcopi ala et oculus dicebatur. *Can. Diaconi et seqq. dist. 93*, *Trid. in cap. Cum Dignitates I. sess. 24.*

Immo tanta erat Archidiaconi dignitas, ut illum majorem post Episcopum ejusque Vicarium esse rescripserit Innocentius III. in *cap. Ad haec 7. de off. Arch.* Propterea hic etiam ipsi Archipresbytero praeeminebat, licet minor esset ordine.

Hinc tanta dignitas, quae jure communi prima est, cuique etiam nunc competit jus adsistendi Episcopo generales ordinationes habenti, promovendos evocaturus, *Benedictus XIV. in const. Ex quo dilectus 25. tom. 2. bullarii*; quosque indignos non noverit veluti dignos praesentandi, *Benedictus XIV. de syn. diocces. lib. V. cap. 3. n. 4.*, ut ad diaconium ac presbyterium s. matre ecclesia per Archidiaconum postulante evehantur, tanta dignitas inquam vilescere videretur, si Archidiaconus Archipresbytero veluti subjectus eidem suppetias ferre deberet in cura animarum perferenda, et praesertim in doctrina christiana pueris explicanda, quod lectoris proprium est, atque sic fieret, ut dignitas haec non ad augendam servandamque ecclesiasticam disciplinam juxta Tridentini mentem *sess. 24. cap. 12. de ref.* erigeretur, sed potius ipsa honore, gradu ac splendore minueretur, unde aliqua potius ex reliquis praebendis quam haec s. Pii V. nomine nuncupata in dignitatem erigenda videretur. Sed prius ac quidquam decernant eminentissimi Patres animadvertant rogo, modo non

esse amplius juxta vetustiorem disciplinam de dignitatibus ac praesertim de archidiaconatu judicandum, cum hodie dignitates omnes nonnisi honorificum nomen ac praecedentiam retineant, *Fagnan. in cap. Ad haec de praeb. num. 22.*

Profecto archidiaconalis dignitatis hodie vix umbra superest, sunt equidem ecclesiae, ubi Archidiaconus primam obtinet dignitatem, sunt vero et aliae, in quibus Archidiaconi secundum et tertium obtinent locum, ut in cathedrali ecclesia Aversana, ubi primam dignitatem Decanus, secundam Cantor, tertiam Archidiaconus tenet.

Die 9. Febr. 1822. *Comaclen.*

Decretales recensent potissimum inter dignitates Archidiaconum et Archipresbyterum, *cap. 1. de offic. Archid.*, et *cap. 1. de offic. Archipr.*

Die 20. Nov. 1830. *Imolen.*

2) Origo.

Sicuti olim in singulis ecclesiis sub directione Episcopi concessus fuit presbyterorum, qui collegium quoddam constituerunt, ita in ecclesiis cathedralibus post saeculum III. idem concessus quodammodo retentus est, hoc ad minimum sensu, ut plures in iis essent presbyteri. His primitus praeerat Episcopus; et sic alium directorem hoc collegium non requirebat. Segniores vero paulatim facti Episcopi ea, quae proprie ad suum officium spectabant, aliis delegarunt et vel diaconis vel presbyteris commiserunt. Unde Archidiaconi et Archipresbyteri orti sunt, qui hoc intuitu vicarii nati Episcoporum dicuntur.

Episcopum sublevabant Archipresbyteri et Archidiaconi in officio sacro, si vel morbo vel alia justa de causa rem divinam facere nequiret; *c. 1. d. 25*; *Thomass. de veteri et nova eccl. discipl. lib. 2. par. 3. in fine.* Cura iis quandoque committebatur pauperum, aegrotantium, viduarum, pupillorum et peregrinorum; *Concil. Carthagin. IV. cap. 17.* In potestate tamen erat Episcopi, utrum curam hanc Archipresbytero an Archidiacono committere vellet. *Idem Concil. Carthagin. IV. l. cit.*

Quod Archidiaconorum dignitas antiquissima sit in ecclesia et fere a temporibus Apostolorum repetenda, innuere videtur et ipse *Thomassin. vet. et nov. eccles. discipl. part. 1. lib. 2. cap. n. 1.**) Num vero ad id officii assumeretur is, quem Episcopus arbitratu suo vel potius quem Diaconi de se, utpote magis *industrium* elegissent, non constat inter eruditos. Tu interim consule *Thomas. cit. loc. n. 2. 4 et 12.* At nunquam in ecclesia occidentali ad ejusmodi dignitatem evehebatur, qui antiquior erat in ordinatione, ut certe visum est *Salmasio de primatu Pap.* Num vero idem obtinuerit in ecclesia orientali, et praesertim constantinopolitana, haud satis liquet, *Thomas. eod. n. 11. (Ferrar.)*

3) Suspensio.

Causa aeris alieni suspensio per septennium archidiaconatus dignitatis ecclesiae collegiatae B. M. V. oppidi Urceani interveniente consensu communitatis patronae obtenta fuit. A nova perseverante causa ad alium sexennium fuit indultum prorogatum. Sed Paulus Ercolani interea fuit a communitate patrona nominatus; et novam suspensionem ex defectu ejusdem communitatis consensus nullam fuisse autumavit. Hinc actum fuit in s. Congreg. de rescripti viribus super nova archidiaconatus suspensione et decretum prodiit: eam sustineri debere. *Fanen. 10. Januar. 1784. dub. 1.*

Qua de causa validam non esse provisionem dicti archidiaconatus pariter definivit. *Ibid. dub. 2.*

Necnon eidem Ercolani esse locum regressui ad suum canonicatum jussit. *Ibid. dub. 3.*

---

*) Primus tamen, qui hoc nomine usus sit, fuit Optatus Milevitanus *lib. 1*, ubi de Caeciliano, quem sub saeculi III. finem *Archidiaconum* fuisse scribit

Archidiaconus.

1) Aetas.

Vd. *Archidiaconus* (electio p. 1063.)

2) Num capellanum secum ducere possit?

Archidiaconus ecclesiae metropolitanae et promotor fiscalis curiae archiepiscopalis Ravennae in nulla possessione est ducendi secum ad latus proprium capellanum in publicis supplicationibus, quae sunt cum interventu sive sine interventu Archiepiscopi, ita ut non sit danda manutentio in casu.

Die 31. Augusti 1793. *Ravennaten.*

3) Capitulum convocare potest.

Vd. infra n 11. IV. p. 1064.

Archidiaconus, ad quem de consuetudine ecclesiae spectat, absente Decano, convocare capitulum, in eo proponere ac resolutiones accipere, id potest etiamsi non sit in Sacris, cum iste sit actus jurisdictionis, qui competit Archidiacono etiam in Sacris non constituto, at ad Decanum non spectat ratione ordinis, sed antiquitatis et superioritatis; sac. Cong. Conc. referente *Nicol. Garc. de benefic. p. 3. c. 4. num. 26.*

Jus convocandi capitulum pro negotiis capitularibus convenit Archidiacono ecclesiae cathedralis et Canonicis, ordine successive, privative quoad Episcopum ejusque Vicarium Generalem. *Ibid. dub. 7.*

Postulationem tamen capitulum convocandi singulis secundis dominicis cujuslibet mensis absque praevia ulla denunciatione s. Congreg. improbavit. *Ibid. dub. 8.*

Itidemque denegavit, ut eidem Archidiacono denunciarentur negotia in capitulo peragenda actu, quo Canonici pro illius convocatione instant. *Ibid. dub. 9.*

Rossanen.

Capitulum metropolitanae ecclesiae civitatis Rossani cum nulla ferme scripta lege, re, usu ac traditione magis antea regeretur, ex mandato s. hujus Ordinis anni 1855 antiqua nonnulla statuta ad vigentis disciplinae normam componere, nova conficere et in unum corpus redigere curavit. Statuta sic digesta et scriptis edita comitiis capitularibus pluries habitis a singulis Canonicis examini supposita et communi suffragio communita fuere. Convenit tamen inter Canonicos ut antequam ederentur et metropolitanae regulam ad legem constituerent Archiepiscopo approbanda deferrentur. Qui ceteris fere omnibus articulis probatis illum moderari censuit, qui inscribebatnr sub n. 92. cap. 19. ad jus convocandi capitulum pertinens, hisce conceptus verbis: »Capitulum ubi convocari continget, Archidiaconus, qui locum eminentiorem inter omnes obtinet, ex jure sibi specialiter debito, suo ipsius arbitratu convocabit, et eo impedito hoc jus devolvitur ad alias dignitates, ab ipso tamen ad aliam proximiorem semper graduatim descendendo.« Quem per haec verba: »Capitulum ubi congregari continget, qui dignior fuerit ex eo, de Archiepiscopi vel illius Vicarii generalis licentia per schedulam ad triduum ad valvas sacristiae officium, in qua quae tractanda sunt praenotentur, convocabit, pulsata de sero antecedenti campana etc.«

Statuta ita recognita, in nonnullis correcta et approbata, Archiepiscopus ipse iterum curavit a capitulo confirmari ac subscribi, ceu factum est ab omnibus paucis exceptis mansionariis ac duabus primis dignitatibus, Archidiacono et Decano metropolitanae ecclesiae. Scilicet hi postremi perpendentes eorum jus laesum iri, ubi in convocatione capituli necessaria foret licentia Archiepiscopi vel ejus Vicarii generalis, subscribere recusarunt, ac insimul contra formiter protestati sunt. Nihilominus protestationibus posthabitis edictali lege lata Archiepiscopus statutorum corpus a se probatum et auctoritate sua munitum fuisse significavit, addita clausula: sanantes auctoritate Nobis quomodolibet permissa et competenti defectus omnes sive juris sive facti, si qui in illis irrepserint.

Quamobrem ad s. Congregationem confugere e re sua duxit Archidiaconus Vincentius Lefosse nomine etiam Decani expostulans ut jus, quod ipse uti prima dignitas habet convocandi capitulum, libere et non impetrata venia Ordinarii exercere sibi ad normam juris et consuetudinis metropolitanae ecclesiae liceat.

Preces ad Archiepiscopum ipsum ablegavi, ut audito capitulo in scriptis et transmissa

particula statutorum ad rem facientium referet de praecedenti consuetudine super asserto jure convocandi capitulum suique animi sententiam aperiret. Una cum sua relatione transmisit Archiepiscopus supra relatam particulam statutorum ac praeterea alteram particulam quae ad rem hanc refertur excerptam a synodo dioecesana habita sub Archiepiscopo Lucio Sanreverino anno 1594, quae extat sub titulo »de capitulo« cap. 11., et sic se habet: »Capitulum ubi congregari continget, qui dignior fuerit ex eo, de nostra vel Vicarii generalis licentia convocabit, subscripta prius a Nobis vel a Vicario Nostro schedula, in qua ea quae tractanda sunt in capitulo praenotentur, pulsata prius de sero campana etc.« Remisit praeterea capituli formiter in capitulari aula convocati testimonium scriptis exaratum et subscriptum quoad consuetudinem hac in re vigentem, quo scilicet Canonici »intesi i più anziani capitolari e i passati procuratori del Rmo capitolo, che erano informati dei fatti, hanno conchiuso che ogni volta che si è dovuto esso convocare se n' è data prima partecipazione a Monsignor Arcivescovo per un atto di ossequio, e per esso alla Rma curia; anzi hanno conchiuso che molte volte l' invito è stato sottoscritto dall' Arcivescovo stesso, o dal suo Vicario Generale, come si trova stabilito nell' antico sinodo diocesano di Lucio Sanseverino fù Arcivescovo di Rossano.«

Id ipsum confirmant testimonio suo plures antiquiores Canonici, quo nimirum, a seconda della nostra rispettiva età, fin dall' anno 1812 a tutt' oggi, chi per anni sei, chi per anni quattro, chi per anni tre, e chi per replicate volte, abbiano sostenuto la procura dell' amministrazione capitolare, e conosciamo in coscienza e sul nostro onore, che quante volte abbiamo avuto bisogno nell' esercio di nostra carica di convocare il Rmo capitolo, sempre ci siamo diretti per il permesso di convocarlo dall' Arcivescovo pro tempore, o dalla Rma curia, e dietro un tal permesso si è affisso il viglietto di tenersi il capitolo, firmato talune volte dall' Arcivescovo, altre volte dal Vicario, ed alle volte dall' Arcidiacono, e, questi impedito, da altre dignità, e così si è sempre praticato, anche prima che fossimo entrati nel corpo capitolare.

Archiepiscopus demum ipse haec adnotanda adjicit, quod »i due Ricorrenti Signor Arcidiacono e Signor Decano inavvedutamente hanno avanzato ricorso contro gli statuti capitolari di questa chiesa, mentre sono poco o nulla informati dei fatti, perchè il primo per gli acciacchi di sua salute non ha quasi mai assistito al coro, e, sono circa sette anni, non esce di casa; ed il secondo non è entrato nel capitolo che da 10 anni a questa parte; ed al contrario fra i sottoscritti al voto capitolare oltre di esservi che conta 40, chi 50, e chi anche di più anni di servizio al coro, si trovano quelli che hanno esercitato varii ufficii nel capitolo stesso. Ed io medesimo posso assicurare, che in tutto il tempo che sono stato al governo di questa chiesa, non si è convocato giammai il capitolo, senza che me ne abbiano prima chiesto il permesso, e nei primi anni ne sottoscrissi ancora l' invito, che in prosiequo a togliermene d' imbarazzo permisi che l' avesse firmato la prima dignità. Anzi spesso ho assistito di persona alle sessioni capitolari, firmando gli atti in qualità di presidente, ad imitazione de' miei predecessori, come costa dagli antichi libri esistenti nell' archivio capitolare.

E contra Archidiaconus in suis precibus jus suum pluribus protueri adnititur. Primo siquidem probat, integrum esse capitulo sese convocandi, quin ulla opus sit Ordinarii licentia, praesertim cum de rebus agatur, quae docet *Ferraris V. capit. art.* 1. Juris vero, inquit, sanctionem ex consuetudine confirmat, poichè in tutti i tempi ab immemorabili gli Archidiaconi esercitarono questo diritto indipendentemente da ogni licenza de' Vescovi. Così si è praticato ne' nove anni dell' arcidiaconato del Ricorrente; il quale essendo quasi settuagenario, si ricorda pure che cosi praticò il suo antecessore, e prima di questi lo avevano anche praticato D. Francesco de Stefano, ed il suo Zio D. Mariano Arcidiacono Lefosse ne' 13. anni che visse decorato di questo beneficio, perchè con lui conviveva in famiglia. E sebbene questi due ultimi qualche volta la fecero da Vicari capitolari o da provicarii generali, sempre però convocarono il capitolo sotto il nome di Arcidiaconi, indipendentemente da ogni licenza del Vescovo.«

Hinc non obstare subsumit idipsum praescriptum esse in synodo dioecesana anni 1594. Nam praeterquam quod dispositio haec uti aliae plures, quae in praecitata synodo continentur, utpote capituli juribus adversantes,

nunquam receptae usu fuerint; accedit ex contraria consuetudine hanc antiquatam et abrogatam fuisse legem, ubi aliquando suis viribus constitisset. Exploratum enim est, consuetudinem legitime praescriptam leges tollere et abrogare, praesertim si consuetudo juris communis dispositioni sit consentanea. Nec meliori consilio captari praesidium ab approbatione et subscriptione majoris partis Canonicorum statutariae hujusmodi dispositioni apposita. Nam primo perpendit, Capitulares subscriptores in manifestam incidisse contradictionem, quippe qui, cum antea collegialiter et solemniter congregati diligente peracto examine, primaevam statutorum collectionem probaverint, in quibus liberum ac independens hujusmodi jus convocandi capitulum in prima dignitate et sucessive ac graduatim in aliis sancitum extiterat; deinde vero exemplar ab Archiepiscopo propositum, in quo contrarium quoad hunc articulum statuebatur, subscribere non dubitarunt. Praeterea sustinet nec capitulo nec Ordinario expoliare licere beneficiatum juribus, queis fruitur ex lege et censuetudine et quorum in quasi possessione ac exercitio versatur.

Nec silentio demum praeterit, subscriptiones hujusmodi singulatim, minime vero collegialiter, uti opus erat, peractas fuisse, quod quidem factitatum etiam asserit in testimonio reddendo quoad consuetudinem convocandi capitulum, cui nimirum extracollegialiter Canonici subscripserunt. Moneo tamen nullo id documento firmari, aliter imo saltem quoad hunc alterum actum rem sese habuisse patet ex tenore voti capitularis apud acta extantis.

In jure haec praenotanda occurrunt, nimirum, quod, cum pertineat ad primam dignitatem jus convocandi capitulum ex *textu in cap.: Cum inter de elect.* et inter canonistas *Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 35. n. 1, Piton. Discept. eccles. 123. part. 4. n. 2*, haec proinde facultas convocandi de jure illi competens debet esse libera, absoluta et independens ab alterius cujuscumque Superioris licentia, ita ut neque ipse Episcopus praetendere de jure valeat, non posse capitulum congregari sine ejus licentia, ut resolvit s. Congregatio in *Cursulen. 9. Maji 1637*, quam refert *Crispin. in tract. de visitat. part. 2. §. 30. n. 2.* ibi: »S. Congregatio Concilii censuit, posse Canonicos convocare capitulum absque Episcopo, sine illius licentia, nisi agatur de rebus mensae episcopalis.« Et consonat altera resolutio s. Congregationis Episcoporum et Regularium *in Brundusina 17. Jan. 1654* apud *Pignatell. Consult. 154. n. 7. tom. 4.* ibi: »La Sagra Congregatione ha risoluto, che il capitolo sia libero di congregarsi quando vuole, purchè non sia in pregiudizio del culto divino, onde non si può obbligare a domandar licenza,« ea nimirum ratione, quod capitulum tamquam collegium legitime erectum cum suo capite, qui in themate est Archidiaconus, habet ex jure facultatem se congregari, quoties sibi placuerit absque licentia Superioris, ut praeter *Piton. in cit. loc. n. 4.* notat *Monacell. in formul. part. 11. tit. 6, form. 11. n. 18, Barbos. cit. loc., Pignatell. cit. loc., s. Rota decis. 112. n. 9. part. 7. recent. coram Coccino, decis. 2174. n. 11, in Hispalen. Juris praesidendi in capitulo 2. Jul. 1700 §. Minusque, coram dell' Olmo;* neque potest Episcopus impedire aut prohibere sine justa causa, quominus pro libito capitulum se congregare possit, *Ceccop. lugubr. canon. lib. 4. n. 15*, addito *Ferraris Bibliot. canon. V: Capitulum artic. 1. num. 10 et 11.* Qui insuper docet, Episcopum congregare posse capitulum pro casibus tantum, in quibus juxta ss. canones tenetur ejus votum vel consilium exquirere, sed in aliis casibus spectantibus ad suam dignitatem juxta praescriptum Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 6 de refor.* Id autem integrum ei non esse cum agitur de actibus capitularibus, qui spectant ad capitulum uti capitulum, quia pro rebus spectantibus ad ipsum capitulum remanet intacta et illaesa sua jurisdictio, ut addit Tridentinum Concilium *loc. cit.*, ubi: »Caeteris autem in rebus capituli jurisdictio et potestas, si qua ei competit et bonorum administratio, salva et intacta omnino relinquatur.

Nihilominus haec juris dispositio limitanda venit, ubi contraria adsit consuetudo; quamobrem hactenus pro convocatione capituli non requiritur licentia Episcopi, quatenus sit solitum sine illa congregari, ceu resolvit s. Congregatio EE. et RR. in *Neritonen. 20. Aug. 1601. apud Pignatell. cit. consult. 154. tom. 4. n. 7*, ibi: »Essendo il capitolo in possesso di adunarsi senza del Vescovo e del Vicario, non si deve in ciò fare altra novità;« unde a contrario sensu, ubi haec quasi possessio deficiat et consuetudo favore Episcopi vigeat, ejus licentia pro convocatione necessaria est. Ita *Pigna-*

tell. loc. cit. n. 1, Ferraris l. c. n. 7. Nam in hac materia observantia et consuetudo praecipue spectanda venit, quae nimirum omne fert punctum, ceu ad rem docet *Pitonius cit. discept. 123. n. 26*, quamvis consuetudo adversetur juris dispositioni favore capituli ejusque Archidiaconi, cui servitus imponitur et subjectio petendi licentiam.

Itaque momentum quaestionis omnino a consuetudine pendet. Pugnant inter se, quae hac de re utrimque ab Archiepiscopo et ab Archidiacono afferuntur. Quisque enim consuetudinem sui favore praependit. Archiepiscopus porro assumptum probat nedum ex synodali statuto vetustissimo, unde huic consentaneae consuetudinis praesumptio saltem enascitur, verum etiam ex testimonio Canonicorum, insuspecto plane, utpote qui contra Archidiaconus, quamvis nullum documentum proferat, de facto tamen proprio testatur et in re quae assistentiam habet juris. Quoad contrarium vero Canonicorum testimonium excipit quod latum non fuerit collegialiter, sed a singulis separatim et quidem ob timorem reverentialem subscriptum ex ipsius Archiepiscopi insinuatione, atque idcirco utpote illegale ac suspectim nullius momenti illud esse contendit.

Quibus utrimque perpensis definient EE. PP. dubium:

An Archidiaconus cathedralis ecclesiae, ad quem spectat convocare capitulum, teneatur petere licentiam ab Archiepiscopo vel ejus Vicario generali pro convocandis Capitularibus in casu?

S. C. resp.:

Negative, certiorato tamen Archiepiscopo de qualibet capitulari conventione, et salvis juribus Archiepiscopi ad formam sanctorum canonum.

Die 30. Jan 1858.

4) Definitio.

Archidiaconus sic dictus est quasi princeps diaconorum seu primus inter diaconos; graeca enim significatione *Archos* denotat *primum seu principem* et *diaconus ministrum, dist. 21. cap.: Cleros et Clericos.* Et primis Apostolorum temporibus in singulis civitatibus episcopalibus septem diaconi constitui solebant, ut constat ex *cap. 6. Actuum Apostolorum* et ex *cap.: Diaconi septem 13. dist. 93*, ex quibus, qui caeteris antiquior erat, appellabatur Archidiaconus et ejus officium erat curare, ut caeteri diaconi rite suo munere fungerentur, ut inter alios refert *Azorius part. 2. instit. lib. 3. cap. 14. quaest.* 1. *(Ferrar.)*

5) Ut Diaconus inserviens.

Archidiaconi cathedralis Oveten. non habentes temporalem praebendam adnexam tenentur exercere officium diaconale in missis conventualibus alternando cum Canonicis, a quocumque missa celebretur.

Die 8. Augusti 1760. *Oveten.*

Archidiaconi et Dignitates ejusdem Cathedralis adnexam habentes temporalem praebendam tenentur in iisdem missis conventualibus subire officia diaconale et subdiaconale in duplici turno cum Canonicis ratione nimirum dignitatis et praebendae.

Ibid. dub. 2.

Archidiaconi et Dignitates et Canonici ejusdem Cathedralis pro exercitio dictorum officiorum assumere tenentur qualitates ad id ab ecclesiae statuto praescriptas sub poenis contentis in concilio provinciali Compostellano anni 1565.

Ibid. dub. 3.

6) Differentia inter Archid. et Vicarium general.

De Vicario gen. et Archidiacono advertendum est, quod isti inter se sic differunt:

Primo, quia Archidiaconus est perpetuus ratione dignitatis, cui officium Vicarii est annexum, ideoque vocatur Vicarius natus et a jure datus, et Vicarius generalis est temporaneus, revocabilis et Vicarius ab homine constitutus.

Secundo, Archidiaconus habet jurisdictionem propriam ab episcopali distinctam ideoque datur appellatio ab Archidiacono ad Episcopum; et Vicarius generalis habet idem tribunal cum Episcopo, *cap.: Romana 3. de appellat.*, nec datur appellatio a Vicario ad Episcopum, *cap.: Non putamus 2. de consuetud. in 6.*

Tertio, mortuo Episcopo vel civiliter vel physice expirat jurisdictio Vicarii generalis, non tamen Archidiaconi, *gloss. in cap.: Ut Archidiaconus 1. de officio Archidiac. verb.: Vicarius. (Ferrar.)*

7) Distributiones et fructus quando percipit?

Vd. *Archidiac.* (protonotarius p. 1068).

8) Doctor quando esse debet?

Archidiaconus habens jurisdictionem contentiosam debet esse doctor promotus in publico gymnasio seu universitate, alias ei non suffragatur, cum doctoratus ex privilegio ad hujusmodi dignitatem nequaquam promoveri possit, *ex bulla 63.* s. Pii V. Sacra Congr. Conc, quam referunt *Squilant. de privileg. cler. c. 4. num. 114, Navarr. in regul. canon. conc. 4. n. 4, Nicol. Garc. part. 7. c. 7. n. 40.* Archidiaconus, qui vel curam animarum habet vel jurisdictionem juxta *titul. de officio Archidiaconi* in omnibus ecclesiis, ubi fieri potest, debet esse magister seu doctor aut licentiatus in theologia vel jure canonico; *Conc. Trid. sess. 24. cap. 12.* et *Sacra Cong. Conc.* referente *Piaseco in praxi Episcop. part. 2. c. 5. num. 20.* Archidiaconus, qui vere cura animarum et omni prorsus jurisdictione caret, non comprehenditur in citato decreto Concil. Trident. *sess. 24. c. 12.* quoad qualitatem doctoratus vel licentiaturae in eo requisitam; Sac. Cong. Conc. referente *Piasco in praxi Episc. par. 2. c. 5. num. 20.* Si vero Archidiaconus sit prima dignitas in Cathedrali, debet esse doctor, quamvis non habeat curam animarum nec contentiosam jurisdictionem, Sac Congr Conc. *in Adrien. 1. April. 1628.* Postea tamen pluries statuit contrarium et signanter *in Lavellen. 12. Januarii* et in *Cortonen. 16. Febr. 1704.* apud *Monacell. tom. 3. supplement. ad 1. tom. n. 212.* Vide ipsum ibi, ubi multa habet ad rem et dicit, quod clausula in bullis provisionis archidiaconatus apponi solita, scilicet »*Quod infra annum lauream doctoralem suscipere tenearis*,« potius de stylo scriptorum quam ex voluntate Papae hodie apponi, et ideo tamquam vana a Sac. Congregatione Concilii spernitur. *(Ferrar.)*

9) Electio.

Archidiaconi ex ordine erant diaconorum, sed eorum principes et ratione habita meritorum ab Episcopo ut plurimum eligebantur. Hinc male *Salmasius* Archidiaconum dictum putat, qui ordinatione esset antiquior; nam ille eligebatur, quem diaconi *industrium noverant*, uti *Hieronymus epist. 146. n. 1.* loquitur; et quamvis Archidiaconum a diaconis electum videtur tradere *loc. cit.* idem s. doctor, tamen plerumque Archidiaconi ab Episcopis constituebantur. *Sozomen.*, *Ambrosius*, vide etiam *Selvagium, antiquit. christian. lib. 1. pag. 2. §. 4.* Nunc autem ut quis in Archidiaconum eligi possit, requiritur aetas 55 annorum. *Maschat. instit. canon. tom. 1. (Ferrar.)*

Nobilis vir Curtius Rufini dotem constituit archidiaconatus ecclesiae collegiatae Pergulae et jus eligendi Archidiaconum detulit capitulo et Canonicis, qui contendunt per schedas clausas, alii per secreta suffragia esse electionem peragendam. At s. Congreg. fieri debere per suffragia secreta juxta votum Episcopi resolvit. *Eugubina Electionis 7. Septembr. 1793. dub. 3.*

10) Quoad examen ordinandorum et parochorum.

Vd. *infra n. 13. p. 1066.*

Archidiaconus quamvis *ex cap.: Ad haec 7.* et *cap.: Ut nostram 9. de offic. Archidiacon.* deberet examinare ordinandos illosque Episcopo praesentare, tamen hodie non tenetur Episcopus ipsum vocare, ut intersit examini ordinandorum, ut colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 22. c. 7.* et expresse decrevit sacra Congr. *sub die 21. Jun. 1617.* Sic etiam non tenetur Episcopus eum vocare, ut intersit cum examinatoribus synodalibus nec ipse debet cum ipsis necessario intervenire examini instituendorum ad Parochiales, ut colligitur ex Concil. Trid. *sess. 24. c. 18* et expresse decrevit sacr. Congreg. Cum enim, ut refert *Fagnan, in cap.: Ad haec, de offic. Archidiacon. n. 25.* et *Pignatell. tom. 4. cons. 181. num. 17*, in sacra Congr. Concilii Trid. quaesitum esset:

1. *An facultas de jure antiquo competens Archidiacono examinandi nedum promovendos ad sacros ordines sed etiam instituendos in ecclesiis, ut habetur in cap.: Ad haec 7 de offic. Archidiaconi, sit sublata per Conc. Trident. dispositionem, quae habetur sess. 24. cap. 18, ubi quoad ecclesias parochiales hoc munus demendatur examinatoribus electis in synodo?*

2. *Quatenus sit derogatum praerogativae Archidiaconi, ut non possit solus haec facere, an saltem debeat intervenire cum examinatoribus, licet ipse non sit unus ex deputatis in synodo?*

Sacra Congreg. resp.

Ad 1: Concilium privasse Archidiaconum sua facultate examinandi.

Ad 2: Non debere, nisi sit unus ex deputatis in synodo.

11) Habitus et praesentia in choro.

Vd. *Archid.* (praeeminentia etc. in choro p. 1068.)

Verulana.

Episcopus Verulanus archidiaconatum erexit, servata forma et legibus fundationis et literarum apostolicarum et primum a Thoma Jabonio fundatore et patrono praesentatum sacerdotem Caesarem Crescentium de Angelis ipsius Episcopi Vicarium generalem instituit; institutus vero praesentibus omnibus ejusdem Cathedralis Canonicis, tribus tantum exceptis legitimo impedimento distentis, in novae dignitatis possessionem immissus fuit eique primum in choro locum primamque in capitulo vocem Canonici assignarunt. Brevi tamen tempore pax et quies inter Archidiaconum et Canonicos locum habuerunt; plura inter eos orta sunt dissidia, quae ad hoc sacrum tribunal delata fuerunt et nunc ab Eminentissimis Patribus decem, quae sequuntur, collecta capitibus expediri et dissolvi debent:

I. *An Archidiaconus ratione duplicis praebendae teneatur ad duplum omnium expensarum pro manutentione ecclesiae et sacristiae seu potius ad instar omnium aliorum Canonicorum tam seniorum quam noviter erectorum et a quo tempore sint expensae per Archidiaconum conferendae?*

II. *An jura sacristiae debita a singulis Canonicis in actu ingressus debeantur ab Archidiacono in consueta summa scut. duodecim vel potius in dupleratione antedictae duplicis praebendae?*

III. *An Archidiaconus habeat vocem in capitulo?*

IV. *An et ad quem spectet convocare capitulum?*

V. *An Archidiaconus teneatur ad officium hebdomadarii et respective ad missas conventuales et parochiales per turnum?*

VI. *An Archidiacono solemniter celebranti teneantur Canonici etiam primae erectionis inservire in officio diaconi et subdiaconi?*

VII. *An Archidiaconus processionaliter incedens possit incedere solus vel in comites supportare unum vel geminos alios Canonicos seniores et an possit deferre cereum majoris ponderis vel potius ejusdem ponderis, prout deferunt alii Canonici?*

VIII. *An ad Archidiaconum spectet praesidentia in choro et ad quem effectum?*

IX. *An Archidiaconus praeter rocchettum et mantellettam violaceam gestare possit in choro aliisque functionibus ecclesiasticis etiam vestem violaceam?*

X. *An Archidiaconus de quocumque habitu indutus et indistincte per civitatem Verulanam incedens gestare possit tibialia violacea et signum pariter violaceum in pileo, atque uti collariollo violaceo in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam a die captae possessionis, et amplius.

Ad II: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius.

Ad III: Affirmative.

Ad IV: Spectare ad Archidiaconum.

Ad V: Negative.

Ad VI: Dilata.

Ad VII: Non posse incedere solum nec deferre cereum majoris ponderis.

Ad VIII: Affirmative ad effectum expressus in *Eugubina 12. Martii 1746.*

Ad IX: Affirmative.

Ad X: Negative.

Die 13. Julii 1748.

12) Jurisdictio.

Vd. *Archidiac. regul.* (confirm. Episcopi decr. *Monasterien.* p. 1069); vd. *supra* n 8 p. 1063; n. 6 p. 1062; n. 13 p. 1066. *Archidiacon.* (munus p. 1066; quoad examen p. 1063).

Hodie attendenda est cujusque ecclesiae specialis consuetudo, cum ista juri communi scripto in officiis praevaleant; *cap.: Cum olim 6. de consuetud.* et *cap.: Ad haec 2 de excessib. Praelator., Innocent. in cap. tit. Archidiaconus 1. de offic. Archid., Silvester in summ. verb.: Archidiaconus num. 1.* et *glossa in cit. cap.: Ad haec 2. de excessib. Prael. verb.: consuetudines*, ubi dicit quod jurisdictio Archidiacoui potius ex consuetudine, quam ex jure juvatur. In quibusdam igitur ecclesiis Archidiaconus exercet jurisdictionem in clericos et parochias civitatis et in certum districtum adjacentem, qui fines archidiaconatus dicuntur.

Archidiaconus habet jurisdictionem propriam ab episcopali distinctam ideoque datur appellatio ab Archidiacono ad Episcopum; et Vicarius generalis habet idem tribunal cum Episcopo, *cap.: Romana 3. de appellat.*, nec datur appellatio a Vicario ad Episcopum, *cap.: Non putamus 2. de consuetud. in 6.*

Mortuo Episcopo vel civiliter vel physice expirat jurisdictio Vicarii generalis; non tamen Archidiaconi, *gloss. in cap.: Archidiaconus 1. de offic. Archidiac. verb.: Vicarius.*

Sed neque habet facultatem et jurisdictionem ad multa alia, quae sibi a jure ipso sunt specialiter interdicta, ut committere curam animarum vel dare institutionem auctorizabilem; *cap.: Cum satis 4. de officio archidiaconatus*, dare literas dimissoriales ad ordines; *cap.: Significasti 3. cod. tit.*, exercere jurisdictionem in regulares *cap.: Dilecto 10. cod. tit.*, excommunicare, *cit. cap.: Dilect. 10. eod. tit.*, suspendere ad longum tempus, *cap.: Veniens ad nos 1. de excessib. Praelator.*, unire ecclesias, *cap.: Sicut unire, eod. tit. de excess. Praelator.*, causas matrimoniales cognoscere, *cap.: Accedentibus 12. eod. tit. de excess. Praelator.*, deponere beneficiatos, *cap.: Suffragancis 11. election.*

Tractu temporis jurisdictio etiam Archidiacono accessit. Eam ab initio tamquam ab Episcopo delegatam in minores tantum clericos exercuit, deinde vero jurisdictio omnis cum voluntaria tum contentiosa in universam dioecesim mandata Archidiacono fuit, ut omnino esset Episcopi Vicarius generalis in Occidente aeque ac in Oriente, ubi tamen non adeo effraenis praesertim in clericos superioris gradus auctoritas fuit; qua de re abunde *Thomas. vet. et nov. Eccles. discipl. p. I. l. II. cap. 17. 18. et 19.*

Verum cum Archidiaconis diutissime et sine ullo limite fuerit ab Episcopis delegata jurisdictio, haec sensim, ut in ejusmodi concessionibus evenire solet, ordinaria existimata fuit et propterea etiam sede episcopali vacante exercita. Hinc auctoritas Archidiaconorum non modo in laicos et minores clericos sed in presbyteros et archipresbyteros ipsos extendebatur. Sed eorum potestatem in archipresbyteros fuisse per decretales constabilitam ob relatam inibi spurium quoddam monumentum ejusmodi auctoritatem Archidiaconis tribuens, tradit *Van-Espen jus eccles. univers. part. 1. tit. 12. cap. 1. n. 4. per tot.* Ex eo insuper factum, ut Archidiaconi sacerdotii accessione injuriam sibi fieri putarent, Hieronym. *in Ezech. cap. 18, Petr. Blesens.* Quamobrem gradui Archidiaconi quemdam restituendum decernitur in *canon. 8. dist. 74*, quod eum Episcopus, ut loco dignitateque moveret aliumque sibi amicum instituerat Archidiaconum presbyterum ordinaverat. Tanta autem in exercenda jurisdictione fuit Archidiaconorum avaritia, ut nonnullae prodierint Conciliorum sanctiones eam coercentes et ulterius ansam dederit laicis, ut archidiaconatus invaserint, quo ditescere sic possent; *Thom. cit. opere c. 19. n. 2. et 3.* Avaritiae insuper Archidiaconorum accessit, quod sic agere post annum Christi millesimum coeperint, ut suo magis quam vicario jure agere viderentur; unde haud esse ferendum fuit visum, non presbyteros presbyteris praeesse eisque necessitas imposita presbyteratus. Tandem eorum quoque contumacia in Episcopos fecit, ut hi paulatim jurisdictionem repeterent suam, quam Vicariis generalibus pro arbitrio amovibilibus demandarunt. Hos vero libris decretalium recentiores esse patet ex dictis reque vera mentio est in Sexto.

Verum amplissimam ejusmodi Archidiaconorum jurisdictionem adhuc hodie in aliquibus ecclesiis stare, tradit *Van-Espen loc. cit. num. 22*, quod et exemplis ecclesiae Leodiensis et ecclesiae s. Jacobi Lovanii demonstrat *n. 22. 23. et 24.*

In plerisque etiam ecclesiis belgicis consuetudinem ademisse Archidiaconis omnem plane jurisdictionem contentiosam, salva tamen eis extrajudiciali cura et sollicitudine tam in clerum quam in populum affirmat c. l. n. 22.

Si plura cupis cum ad veterem tum ad praesentem disciplinam spectantia, praeter hic laudatos auctores adire potes *Morin. de s. ordin. p. 3. ex. 16. cap. 3, Sirmond. tom. 1. oper. p. 967.* caute legendum *Bohemer. ad tit. decretal. de offic. Archidiac.* et *Zypaeum consult. can. ad cund. tit. (Ferrar.)*

Ad dub. I: *An praesente vel etiam absente Archidiacono a civitate vel dioecesi sede vacante possit coadjutor in archidiaconatu assumere administrationem et omnia in ejus locum adimplere, seu potius in casu absentiae jurisdictio spectet ad capitulum in casu?*

II. *An Archidiaconus possit eamdem jurisdictionem exercere per suos vicarios in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I.: Quoad primam partem negative

in omnibus, ad secundam partem affirmative in casu absentiae tantum Archidiaconi de tempore vacationis sedis.

Ad II.: Affirmative.

Die 12. Febr. 1729.

13) Munus.

Vd. *Archidiac.* (definitio p. 1062; jurisdictio p. 1064; regularis p. 1069 n. 18.)

Archidiaconi auctoritas est sic adaucta, ut Vicarius Episcopi in omnibus esset, ut expresse dicitur in *c. Ut Archidiaconus 1. de* offic. Archidiaconi, his verbis: *Ut Archidiaconus post Episcopum sciat se Vicarium esse ejus in omnibus etc.*, et *cap.: Ad haec 7. eodem titulo* dicitur: *Secundum vero romani ordinis constitutionem major post Episcopum et ipsius Episcopi Vicarius reperitur;* et tenet *Rota part. 11. dec. 160. num. 22.* et *part. 14. decis. 189. num. 17. et 19*, ubi dicit Archidiaconum esse Vicarium Episcopi, licet non assumptum ab Episcopo, sed datum a jure habentem perpetuam vicariam et ordinariam jurisdictionem.

Immo sic excrevit Archidiaconi auctoritas, ut nedum Vicarius natus Episcopi fuerit constitutus sed etiam Episcopi oculus appellatus, ut in epistola divi Clementis Papae, *cap.: Diaconi ecclesiae 7. dist. 93. Diaconi ecclesiae sint tamquam oculi Episcopi;* et in *cap.: Ad haec 7. de officio Archidiaconi*; Innoc. III. sic expresse ait: *Item in epistola b. Clementis Papae praedecessoris nostri oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per episcopatum prospiciens, quae corrigenda viderit, corrigat et emendet.* Et in epistola Evaristi *cap.: Diaconi 12. dist. 93: Diaconi qui quasi oculi videntur esse Episcopi,* et in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 12. v. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi.*

Multa de jure communi pertinent ad officium Archidiaconi.

Primo: Clericis et ministris ecclesiae praecipere omnia ea, quae ab ipsis juxta suos gradus sunt obeunda, et de tertio in tertium annum, si Episcopus non possit, dioecesim totam visitare et cuncta, quae emendatione et correctione indigent, corrigere et emendare; *cap.: Ut Archidiaconus 1. de offic. Archidiaconi.* Hodie tamen dioecesis visitatio debet fieri per Episcopum vel eo impedito per suum Vicarium generalem quolibet anno, vel saltem quolibet biennio compleri, si dioecesis sit nimis ampla et vasta: Trid. *sess. 24. de reformat. c. 3.*

Secundo: Ad ipsum spectat ecclesiasticum et divinum officium disponere, lectiones clericis distribuere, acolythos instituere et omnes alios clericos dirigere in iis, quae in altaris ministerio agere debent; *cap.: Officium vero 2. eodem tit.*

Tertio: Ad Archidiaconi officium pertinet principaliorem sacrorum vasorum et ecclesiae custodiam habere; *cap.: Ea quae 3. de eodem titulo.*

Quarto: Ad ipsum attinet ecclesias sui archidiaconatus semel in anno visitare nec saepius, nisi forte talis causa emerserit, propter quam ipsum oporteat praefatas ecclesias visitare; *cap.: Mandamus 6. eodem titulo.* Quoad hoc tamen statuit Conc. Trident. *cit. sess. 24. et c. 3.* quod Archidiaconi, Decani et alii inferiores in ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant assumpto notario de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantum visitare et visitationis suae rationem Episcopo intra mensem reddere et depositiones testium ac integra acta ei exhibere teneantur, non obstantibus quacumque consuetudine, exemptione vel privilegio.

Quinto: Ad Archidiaconum pertinet institutio corporalis tam in beneficiis quam in dignitatibus sicut etiam examinatio clericorum ordinandorum et eorum, qui beneficiis ecclesiasticis praeficiendi sunt, ita tamen ut postea Episcopo praesententur et ab eo approbentur; *cap.: Ad haec 7.* et *cap.: Ut nostrum 9. eod. tit.* Quantum vero ad examen promovendorum ad ordines, hodie ex Conc. Trid. *sess. 23. cap. 7. de reformat.* Episcopo cum assistentia virorum peritorum competere dignoscitur. Et quantum ad examen eorum, qui praeficiendi sunt ad Parochiales, est statutum a Tridentino *sess. 24. c. 18*, quod hoc spectet ad examinatores synodales.

Ast hodie attendenda est cujusque ecclesiae specialis consuetudo, cum ista juri communi scripto in officiis praevaleat; *cap.: Cum olim 6. de consuetud.* et *cap.: Ad haec 2. de excessib. Praelator., Innocent. in cap. tit. Archidiaconus 2. de offic. Archid.* et *in cap. Cum olim 6. de consuet., Silvester in summ. verb.: Archidiaconus num. 1.* et *glossa in cit. cap.: Ad haec 2. de excessib. Prael. verb.: Consuetudines*, ubi dicit quod jurisdictio Archidiaconi potius ex consuetudine quam ex jure juvatur.

Illud exploratum est, ab initio Archidiaconos minime ea fuisse donatos jurisdictione, qua posterioribus temporibus et praesertim post Decretalium Gregor. IX. libros polluisse, nemo est qui ignorat. Olim enim praecipuum eorum munus erat intra ecclesiam, in qua vice Episcopi officia inter diaconos ac minores clericos dividebant. Sacra etiam cujusque ordinis instrumenta, cum ii ab Episcopo ordinabantur, porrigebant, *Concil. Carthag. IV. can. 5, 6 et 9,* Eucharistiam distribuebant vel ipsis presbyteris, licet id indiscriminatim permissum quoque erat omnibus diaconis, ut habetur *dist. 93*, ubi hujusmodi mos improbatur variaque relata sunt conciliorum decreta, audaciam et ambitionem coercentia diaconorum, qui etiam supra presbyteros sese extollebant: aliaque tandem intra ecclesiam peragebant diaconi, quae habes penes *Thom.* praesertim *cit. oper. cap. 18. num. 2.*

Extra ecclesiam quoque munia Archidiaconorum se extendebantur, cum iis pupillorum viduarum et peregrinorum cura fuerit demandata, *Thom. dict. cap. 18. n. 10*, collectam e communione pecuniam inter clericos distribuerint, laudat. auct. *d. cap. 18. n. 2*, de moribus ordinandorum a laicis et clero retulerint, *Conc. Chalced. act. 10*, juniores clericos edocuerint, quae scire singulos oporteret, sive ad mentes instituendas sive ad formandos mores, *Concil. Carthag. IV. can. 9, Greg. Turon. hist. lib. 6. c. 36. (Ferrar.)*

14) Praeeminentia et praecedentia.

Vd. *supra n. 11. p. 1064.*

a) Ante Archipresbyterum.

Ob tantam elevatam auctoritatem et dignitatem Archidiaconus antefertur Archipresbytero et Archipresbyter Archidiaconi jurisdictioni subjacere tenetur; *c. Ad haec 7. de offic. Archidiaconi*, ubi sic expresse dicitur: *Archipresbyteri, qui a pluribus Decani nuncupantur, ejus jurisdictioni se noverint subjacere.* Cum enim Archidiaconus ratione majoris jurisdictionis et ministerii immediatius ministret et assistat Episcopo, quam ipse Archipresbyter, debet ei praecedere, quamvis ordine sit ei inferior; sicuti Cardinales, ex quo immediatius assistant Summo Pontifici, ut ejus administrent negotia, ratione hujus majoris officii et administrationis praecedunt Episcopos ordines majores. Adeoque debet de jure praecedere Archipresbytero, quamvis non sit sacerdos, ut tenuit etiam *Rota p. 3. dec. 244. num. 2. et seq.* Si tamen sit sacerdos, cum in tali casu sit par in ordine et major in administratione, debet praecedere Archipresbytero, absente Episcopo, in celebratione missarum in diebus solemnibus et aliis solemnioribus functionibus, prout decrevit S. R. Congr. *in Regiensi 9. Decemb. 1600.* his verbis: *Censuit sac. Congr. Archidiaconum dictae ecclesiae, qui prima dignitas post pontificalem existit et sacerdos nunc est, non quidem ex obligatione, sed ex sua voluntate et devotione in decantatione missarum in diebus solemnibus, delatione sanctissimi Sacramenti, benedictione candelarum, cinerum, palmarum et aliis hujusmodi actibus et functionibus sacerdotalibus, Episcopo absente, praeferendum esse Archipresbytero neque allegatam consuetudinem, quae legitime probata non fuit, eidem Archipresbytero ad excludendum Archidiaconum sacerdotem in casu, de quo agitur, suffragari.* Sic etiam *in s. Agathae Gothorum 23. Martii 1629* et in *Juvenacensi 17. Novemb. 1697.* et in *Baren. 19. Januar. 1615.* et *Rota part. 3. dec. 244. 11. Decemb. in Viterbien. Celebrationis missarum.*

Excipitur tamen casus, in quo de eadem Cathedrali concurrat in funeralibus Archidiaconus, qui est prima dignitas, et Archipresbyter, qui est secunda et cui incumbit cura animarum et defert stolam, quia, cum Archipresbyter, dum in ecclesia facit officium, praecedat Archidiacono, ei praecedere debet etiam in via, nulla probata ex alterius parte consuetudine in contrarium. Sic sac. Congr. R. in *una Trojana die 14. Maji 1613.* declaravit: dandam esse praecedentiam Archipresbytero ratione stolae, ut refert *Lavor. verb. Lucubr. tom. 1. tit. 2. c. 3. num. 211, Barb. Juris eccles. univers. lib. 1. cap. 25. de Archidiac. n. 49. et collect. 40. Apostol. decis. n. 23. et de Canon. et Dignitat. c. 5. num. 49.*)*

*) Cathedralium Archidiaconi *majores* dicebantur, *minores* rurales. Vide *Cangium* in *glossario.* Utrique suas singulis fere mensibus synodos habebant, de quibus confer cl. *Antonium Schmid in dissertatione de synodis archidiaconalibus et archipresbyteralibus in Germania.* Heidelbergae 1773.

b) Super Canonicos.

Vd. *Archidiac.* (praeeminent. etc. in choro.)

In quibusdam dioecesibus Archidiaconus habet tantum praeeminentiam inter Canonicos sine ulla jurisdictione et administratione. In quibusdam aliis nequidem habet praecedentiam ad omnes, sed hanc habet alia prima dignitas. In quibusdam aliis nullus est Archidiaconus et ejus officium peragit Archipresbyter vel Praepositus vel Decanus vel Primicerius vel alia prima dignitas diverso nomine nuncupata. Sic *Azorius part. 2. institut. lib. 3. cap. 14. quaest. 7, Card. Tuschus verb. Archidiaconus concl. 482. num. 1,* Barb. *lib. 1. Juris eccles. c. 24. n. 37. (Ferrar.)*

Canonicis presbyteris contendentibus praecedentiam super Archidiaconum, eo quod ipse sit in diaconali ordine constitutus,

S. C. C. resp.: praecedentiam spectare ad Archidiaconum.

Die 26. Sept. 1643.

Ad dub.: *An debeatur praecedentia Praeposito Cathedr. Segnen adversus Archidiaconum?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 26. Mart. et 9. Apr. 1718.

c) In choro.

Vd. *Archidiac.* (habitus etc.)

De Archidiaconi officio, dignitate et praeeminentiis plurima saepe saepius in dies disposita sunt a sacris Congregationibus, quae ut commode ab omnibus sciri possint placet hic referre, prout referuntur a variis doctoribus et signanter a *Barbosa in Collectan. apostolicar. decis. verb.: Archidiaconus, de Canonicis et Dignitatibus cap. 5. et lib. 1. Juris ecclesiast. univers. c. 24.* In choro igitur tamquam prima dignitas post pontificalem aliis superior et major habetur, et ipsi in choro permanenti spectat in principio matutini, horarum canonicarum ac vesperarum intimare *Pater noster,* quo dicto eidem pariter spectat sua manu signum dare, ut incipiatur *Domine labia etc.* vel *Deus in adjutorium meum etc.*; ipsi etiam ad Primam pertinet dicere: *Dies et actus nostros etc., Adjutorium nostrum* et: *Deus nos benedicat etc.,* ad completorium: *Noctem quietam etc., Benedicat et custodiat nos etc.* et in fine horarum et matutini, *Dominus det nobis etc.* et antequam per ipsum detur signum finis, nemo officio expleto e choro egredi valet. Ita sac. Congreg. Episcop. et Regul. in *Theatina sub die 28. April. 1617.* Sic etiam in *Aprutina 18. April. 1627.* et in *Cassanen. 16. Septemb. 1633.*

Archidiacono competit jus exercendi munus praefecti chori, eoque absente vel impedito idem jus competit Praeposito et successive alteri digniori de capitulo semper tamen absente Episcopo.

Die 7. Apr. 1781. *Camerin.*

d) Quoad Vicar. generalem.

Licet Archidiacono solita sedes in choro adimi non possit, attamen Vicarius generalis Episcopi illum tam in choro quam ubilibet praecedere debet, ut declaravit sacra Congr. Episcop. et Regul. in *Theatina 6. Julii 1618.* Vicarius enim generalis absente Episcopo debet habere primum locum super omnes Dignitates et Canonicos, non obstante consuetudine aliisque in contrarium, sicuti censuit etiam sacra Congr. in *Andrien. 7. Augusti 1610.* et in *Ferrarien. 20. Decembr. 1614.* et in *Militen. 15. Julii 1619,* ubi: quod praecedit capitulo et clero. Dummodo tamen ipse non sit de gremio capituli, quia tunc sedere debet in suo stallo canonicali, si distributiones quotidianas lucrari velit, ut pluries decrevit sacra Congr. *(Ferrar.)*

15) Professionem fidei a novo Canonico excipere potest.

Coram Archidiacono vel eo absente altero digniore fieri debet fidei professio et juramentum eidem a novo Canonico praestari, non autem competit eidem jus novos Canonicos ad possessionem canonicatuum admittendi sed ad capitulum.

Die 7. Apr. 1781 n. 4. *Camerinen.*

16) Protonotarius.

(Quoad fructus et distributiones archidiaconatus.)

Archidiaconus, qui ex privilegio est protonotarius, non lucratur fructus et distributiones sui archidiaconatus, si cum habitu protonotarii in ecclesia, choro et processionibus ac divinis officiis assistat, sac. Congr. Rit. *in Asculana in Apulia 6. Martii 1610.* Et si voluerit in ecclesia uti habitu protonotarii, reputatur tamquam extraneus et ei locus assignandus est non inter Dignitates et Canonicos, sed post Abbates, eadem sac. Congreg. in dicta *Asculana.* Nec potest in publicis functionibus, in assistentia Episcopi et aliis actibus sibi tamquam Archidiacono competentibus uti habitu protonotarii, sed suo habitu canonicali, eadem sacra Congr. in dicta *Asculana in Apulia 19. Nov. 1611.* Potest tamen uti habitu protonotarii in actibus non competentibus sibi tamquam Archidiacono, eadem sacra Congreg. in dicta *Asculana* et in *Nullius terrae Pisciae 19. Januarii 1612.*

17) Quot in dioecesi?

Vd. *infra n. 18.*

In quibusdam dioecesibus non unus tantum sed plures Archidiaconi sunt constituti, qui totam dioecesim in certas partes distributam regunt tamquam Vicarii Episcopi perpetui. *(Ferrar.)*

18) Regularis.

(Confirmatio Episcopi et jurisdictio.)

Monasterien.

Amplissima dioecesis Monasteriensis in plures districtus dividitur et in unoquoque jurisdictionem exercet Archidiaconus tanquam Vicarius Episcopi. Plerique ex Archidiaconis saeculares sunt at nonnulli etiam regulares eo, quia archidiaconalis jurisdictio adnexa reperitur vel abbatiae vel praeposituraе vel alteri regulari dignitati.

Inter Archidiaconos regulares recensetur Praepositus in Clarholtz ordinis Praemonstratensis, cui praeposituraе unitus est archidiaconatus locorum *Belen et Lette.* Ad eamdem praeposituram anno 1766 electus fuit a capitulo Praemonstratensium religiosus Franciscus Philippus de Meseren. Is confirmationem et collationem officii archidiaconalis petere ab Episcopo recusavit cumque nihilominus archidiaconalem jurisdictionem exerceret, Episcopus edicto vetuit, ne eidem, donec confirmationem impetrasset, obedientiam praestarent parochus et parochiani, quos interim Vicario suo generali subjici eique obsequi mandavit.

Hoc intellecto Praepositus, praetextu inquirendi de necessitate petendae confirmationis, rogavit primum Vicarium generalem, ne publicaret edictum; deinde petiit a capitulo Cathedralis Monasterien., ut inhiberet publicationem, sed ab utroque rejectus, promisit per literas Vicario generali datas et confirmationem postulaturum, sub certis tamen modis, conditionibus ac reservationibus. At fidem postea non solvens prosequi curavit sacrae Rotae tribunali causam longe ante vigentem super exercitio archidiaconalis jurisdictionis.

Facile Praeposito fuit victoriam per contradictas reportare; sed cum promothor fiscalis rem omnem supplici libello exposuerit sa. mem. Clementi XIII., remissa illa fuit judicio sac. hujus Congregationis et modo definiendum proponitur dubium in calce transcriptum.

Cumque nondum exhibita sint jura Praepositi, ea tantum hic enarrantur, quae a promothore fiscali deducta sunt.

Contendit itaque idem promothor fiscalis, electionis confirmationem ss. canonum praescripto requiri sub poena nullitatis, *cap. 3. et 9. de elect.* et *cap. fin. eod. tit. in 6, Loter. de reb. benef. quaest. 27. num. 1. et 2. lib. 1., Passerin. de elect. cap. 33. num. 55, Leuren. For. benef. tom. 2. sect. 2. cap. 3. quaest. 418. n. 1.,* illaque deficiente nullum electo esse jus exercendi administrationem, ne sub specie quidem oeconomatus, *cap. Avaritiae de elect. in 6., Barbos. de offic. Episcopi part. 3., Passerin., Loter. et Leuren. loc. cit.* Nec sufficere confirmationem, quam concedit Praelatus regularis ratione praeposituraе, cum simul requiratur confirmatio Episcopi ratione archidiaconatus, qui eisdem Episcopo immediate subjicitur, *Hostien. in sum. tit. de elect. §. a quo confirmanda, Engel. in Jus. can. tit. §. 4. n. 50.*

Dubitari autem minime posse, quin Praepositus tanquam Archidiaconus locorum Beelen et Lette subsit Episcopo Monasteriensi, cum certum sit, Archidiaconos juxta ss. canones jurisdictionem archidiaconalem exercere tanquam Episcopi Vicarios, *ad text. in cap. 1. de offic. Archid., Hostien. in cap. 7. et cap. 10. num. 24. eod. tit.* Et Archidiaconi munus eo spectare, ut per ipsum episcopalis sollicitudo sublevetur atque adjuvetur, *cap. ad haec de offic. Archid. gloss. ibid., Fagnan. ibid. num. 3, Piton. discept. eccles. 61. num. 50.,* unde est, ut Archidiaconus oculus Episcopi nuncupetur, *cit. cap. ad haec, Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. de reform.* Nec dubitandum, quin Episcopo debita sit etiam subjectio ab eo Praelato regulari, cui concredita sunt jura archidiaconalia, *Rot. coram Fulconer. tit. de offic. ordin. dec. 10. num. 10. et dec. 11. n. 8.*

His addit ordinariam Archidiaconi jurisdictionem, licet directe profluat a jure, indirecte tamen venire ab homine sive ab Episcopo Archidiaconum instituente vel confirmante, *Anaclet. in jus canon. lib. 1. tit. 23. num. 6. et seq., Lauren. de Episc. Vicar. tract. 4. quaest. 624. num. 2*; plures actus ab Archidiacono sine Episcopi licentia exerceri non posse, *cap. 4. 5 et 8. de offic. Archid., Bellamer. num. 8, Barbos. num. 1. et 6, Leuren. loc. cit. quaest. 358. num.* 4. Praecipue vero vetitam Archidiaconis esse dioecesis visitationem absque Episcopi licentia, ut observant canonistae omnes in *cap. 1. de offic. Archid.*, et statuit *Concil. Trident. sess. 24. cap. de reform.*

Hinc infert, nihil obstare, Praepositum de Clarholtz ut regularem exemptum esse ab Episcopi jurisdictione atque immediate Praelato regulari subjectum, quia nihilominus tanquam Archidiaconus locorum Beelen et Lette Episcopo subest, in cujus dioecesi eadem loca existunt, *Rot. coram Falconer. de offic. Archid. d. decis. 10. num. 10. et decis. 11. num. 8.*

Maxime quia Archidiacono adnexa est cura animarum, *cap.: Dudum §. 54. Licet de elect., can. Perlectis dist. 25., cap. 1 et 7. de offic. Archid., gloss. in cap.: Cum in cunctis 7. §. 1. verb. Archidiaconum de elect.*, cujus exercitium tunc demum Archidiaconi suscipiunt, cum ab Episcopo dioecesano instituuntur vel confirmantur, ut notant canonistae in *cap. 4 de offic. Archid., Hostien. n. 7, Joan. And. num. 14., Bellamer. num. 4. Panorm. sub num. 2.*

Id ipsum comprobare nititur promothor antiquissimis concordatis Episcopum inter et capitulum cathedralis ecclesiae initis, quorum observantia a singulis Episcopis solemni juramento promittitur. In his autem caveri dicit, nequaquam posse Episcopum Archidiaconos confirmare, nisi fuerint a capitulo praesentati. Hac itaque deficiente confirmatione vetitum Archidiaconis asserit exercitium jurisdictionis, quae tota tunc residet penes Vicarium generalem, atque advertit, antiquissimam esse consuetudinem confirmandi Archidiaconos, ut ad exercitium jurisdictionis admittantur.

Immerito vero Praepositi exemptionem desumi posse ex constitutionibus Eugenii III. et Gregorii IX. Primo enim inquit has continere clausulam: *Salva Sedis apostolicae auctoritate et dioecesani Episcopi canonica justitia et reverentia*, cujus vigore illaesa manent jura Episcopi, etiam quoad Archidiaconorum confirmationes, *Rot. in recent. decis. 349. num. 41 et 42. part. 12.* Observat deinde, privilegium illud eidem suffragari quidem posse tamquam praeposito regulari, non vero tanquam Archidiacono adnexam habenti curam animarum, quum ad exercitium nemo admittendus sit, nisi a dioecesano Episcopo fuerit approbatus, institutus vel confirmatus, *Concil. Trid. sess. 7. cap. 3. sess. 24, cap. 18. de reform., sess. 25. cap. 11. de Regular., s. Pius V. constit. 47, Gregor. XV. constit.: Inscrutabili,*) Benedict. XIV. constitut. 109.**) tom. 1. bull., constit. 1. tom. 2, constit. 51.***) tom. 3, constit. 16. tom. 4.†)*

Inane vero praesidium quaeri a contraria consuetudine non petendi confirmationem, cum ea probari nunquam possit, immo exclusa remaneat, non solum ex vetustissimis concordatis supra relatis, sed etiam ex literis confirmationis postremis temporibus ab immediato hodierni praepositi antecessore obtentae; insuper ex decreto capituli Cathedralis Monasterien., quo rejectus fuit recursus ab eodem praeposito habitus: atque ex facto aliorum omnium ordinis Praemonstratensis praepositorum, qui, si Archidiaconi etiam fuerunt, confirmationem expostularunt. Sustinet etiam, quod cum confirmatio Archidiconorum procedat ex dispositione juris requirentis Ordinarii institutionem vel confirmationem ad exercendam curam animarum, et elidendam idcirco contrariam quamlibet constitutionem, unicus etiam actus sufficiat, *Rot. coram Buratt. decis. 914. num. 8, coram Bich. decis. 290. num. 31, coram Falconer. de offic. Archid. dec. 16. num. 13*, immo, etiamsi praedecessores Episcopi neglexissent Archidiaconos confirmare, nihilominus nequaquam sublatum esset jus successoris, qui Concilii Tridentini decreta observare satagat: *Card. de Luca de praemin. disc. 7. n. 29, Piton. discept. eccles. 10. n. 42.*

Contendit denique, nullam habendam esse rationem de geminis decisionibus, quae prodierunt in *causa Monasterien. Jurisdictionis 10. Martii 1694. coram Emerix. Jun. et 22. Junii 1767. coram R. S. D. de Comi-*

*) Vd. *supra p. 208.*
**) Vd. *p. 1032.*
***) Vd. *p. 1038.*
†) Vd. *p 1041.*

tibus, cum utraque contumacialis fuerit et praecedens judicatum revocaverit. Plura autem congerii, ut suadeat, earumdem decisionum fundamenta non subsistere et a praesenti quaestione esse prorsus extranea.

Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 3. de reform.* de Archidiaconis aliisque, quibus jus est alicujus dioecesis ecclesias visitandi, haec statuit: »Archidiaconi autem, Decani et alii inferiores in iis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto notario de consensu Episcopi, deinceps per se ipsos tantum ibidem visitare.« Decretum hoc ita intelligi posse nonnulli existimarunt, ut de Episcopi tantum consensu notarius assumi deberet, qui acta visitationis perscriberet, non tamen, ut illius consensus ad explendam visitationem requireretur. Hanc fuisse videtur sententiam Francisci Ricardoti Atrebatensis Episcopi, qui Concilio Tridentino interfuit, et qui in aperitione sessionis 25. coram Patribus perorasse fertur. In sua enim dioecesana synodo habita anno 1577. *tit. de visit. cap. 1.* declaravit: »Cum in hac dioecesi nostra parochialium ecclesiarum visitatio ex antiqua consuetudine sit penes Archidiaconos ecclesiae nostrae, quibus ex decreto Trident. Concilii mandatur, ut visitationem hanc adjuncto notario nostro personaliter obeant etc. Quibus verbis innuisse videtur Concilium Tridentinum nil aliud quoad Archidiaconorum visitationem statuisse, nisi ut ea assumpto notario Episcopi et personaliter expleri deberet.

Alii tamen e converso arbitrantur, eam fuisse Tridentinorum Patrum mentem, ut Archidiaconi aliique inferiores Praelati, quibus visitandi jus est, actum visitationis nonnisi de Episcopi consensu explere possint.

Interpretationem hanc magis congruam existimat *Van Espen in jus eccles. univ. part. 1. tit. 12. cap. 1. sub num. 17* eamque desumit ex sequentibus verbis relatis Concilii decreti, quibus praecipitur, ut visitatores etiam a capitulo deputandi, ubi capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur. Hanc praeterea Archidiaconorum subjectionem Episcopo debitam probant reliqua ejusdem decreti verba, quibus injungitur, ut Episcopo ipsi Archidiaconi vel alii inferiores visitationis factae infra mensem rationem reddere et depositiones testium ac integra acta ei exhibere teneantur, non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili atque exemptionibus et privilegiis quibuscumque.

Ulterius animadverti debet, nihil frequentius verbisque magis perspicuis fuisse a Concilio Tridentino dispositum, quam quod nullus sive saecularis sive regularis ad curam animarum admittatur, nisi praevia Ordinarii approbatione vel confirmatione. Id sane statutum fuit *sess. 7. cap. 13* et *sess. 24. cap. 18. de reform.* Id praecipue *sess. 25. cap. 11. de Regular.* in haec verba: In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur nisi de ejusdem consensu ac praevio examine per eum aut ejus Vicarium faciendo.« Sanctionem hanc variis temporibus renovavit *Benedict. XIV. constit.: Firmandis*) 109. tom. 1. bull., constit.: Quamvis 1. tom. 2., const.: Cum nuper**) 51. tom. 3.* et *constit.: Apostolicum ministerium***) 16. tom. 4.*

Operae igitur pretium erit perpendere: an praeposito Clarholtz ut Archidiacono paroeciarum Beelen et Lette tam de jure quam ex consuetudine in suo archidiaconali districtu animarum cura competat, ita ut hac ratione Episcopi Monasteriensis confirmatione indigeat; formula confirmationis addita in literis expeditis ab Archidiacono antecessore est hujusmodi: Cum hoc nostram exonerantes conscientiam, tuam vero, utpote quem in partem oneris deligimus, onerantes, ut juxta ss. canonum et Concilii Tridentini praecepta parochias tuae administrationi commissas personaliter vel legitimo obstante impedimento per qualificatum commissarium bis in anno accurate et sollicite visites et non tam interesse privatum quam finem principalem hujus visitationis, videlicet fidei orthodoxae promotionem, malorum morum correctionem vitiorumque extirpationem, indeque per poenitentias potissimum canonicas spectes et attendas aliaque, quae muneris nostri archi-

*) Vd. *supra p. 1032.*
**) Vd. *supra p. 1038.*
***) Vd. *supra p. 1041.*

diaconalis sunt, zelo divini honoris ductus perficias, ita ut relatione administrationis annua, quam absolute desideramus, a te accepta s. Sedi apostolicae de hujus ecclesiae a Deo nobis concreditae peritiorem ac pleniorem rationem suo tempore reddere valeas.

Superest modo, ut Emi PP. dijudicent:

An praepositus in Clarholtz confirmationem episcopalem reportare teneatur pro exercitio praetensae jurisdictionis archidiaconalis in paroeciis de Beelen et Lette in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 16. Sept. et 16. Decbr. 1769.

19) Residentia.

Alexander Maria Piantanida cathedralis ecclesiae Archidiaconus a residentia dispensari nequit, etsi gravitatem oneris subeundi residentiam et sese a Batista, ubi suorum adest consanguineorum domus, ad civitatem insalubris aeris s. Florentiae, ubi sita est Cathedralis, transferendi, ex sui archidiaconatus redditibus ostendisset.

Die 28. Julii 1781 dub. 1. *Nebien.*

20) Subscriptio.

Archidiacono in edictis per eum editis non licet nomen proprium inscribere cum illis verbis: *Dei et apostolicae Sedis gratia Archidiaconus etc.*

Die 20. Febr. 1649.

21) Vox in capitulo.

Archidiaconus ecclesiae Collegiatae ss. Petroni et Prosperi terrae Lugi vocem activam et passivam in actis capitularibus factis ac faciendis habet, praeter ea, quae massam capitularem respiciunt, nam ille dotem ex massa communi distinctam habet. *Imolen. Distributionum 30. Maji 1772. dub. 3*, confirmat. *8. Maji 1773.* et *15. Sept. 1787.*

Archiepiscopus.

1) Appellatio ad synodum provincialem.

Vd. *Jurisdictio Archiepiscopi,*

Licet Archiepiscopus jure polleat adunandi synodum provincialem eique praeesse, attamen est illa inferior nec ejus decreta derogare potest ut lata a Superiore, nempe ab Episcoporum corpore, in quo major jurisdictio consistit, quam in peculiari Episcopo, *Suarez lib. 6. de leg. cap. 15. n. 4.* Hinc potest ab Archiepiscopo appellari ad synodum provincialem, *glossa in cap. penult. de appell. in 6.*

2) Censuram non pot. revocare latam ab Ordinario.

Non potest Archiepiscopus revocare censuram latam a proprio Ordinario contra appellatum, *cap. Romana §. Sententias, de appellat. in 6.*

3) Constitutiones condendi facultas.

Novae constitutiones obligantes totam provinciam condi nequeunt ab Archiepiscopo nisi in Concilio provinciali et de consensu suorum Suffraganeorum, quod si secus egerit, lata constitutio irrita habetur et ipse gradus sui periculo subjaceat, *can. Nullus Primas 9. quaest. 3, Suarez lib. 4. de legib. c. 5, Pirh. lib. 1. decret. tom. 11. n. 4. et alii.*

4) Definitio.

Vd. *Archiepiscop.* (Metropol.)

Archiepiscopus sic dicitur tamquam primus seu princeps omnium Episcoporum suae provinciae; Archos enim graece primum vel principem sonat; *cap. Cleros verb.: Archiepiscopus, dist. 21.*

Primum eorum nominum, quae veluti honoratiora tractu temporis accesserunt dignitati episcopali, fuit quidem illud *Metropolitae*, mutuatum procul dubio a civitate Metropoli, quae civili regimine totius provinciae mater et caput erat et inter caeteras urbes eminebat. Quo factum fuit, ut Episcopus illius urbis et in ecclesiastico regimine reliquis honoratior digniorque haberetur. Metropolitarum originem juraque a temporibus usque Apostolorum repetunt *Usser de origin. Episc. et Metropolit., Petr. de Marca de concil. t. 6. cap. 1. num. 9.* aliique, qui et Eusebium divumque Joannem Chrysost. suae sententiae auctores habere ex eo putant,

quia hic in *epist. 1. ad Timoth.* et ille in *hist. eccles. lib. 3. cap. 4.* narrant, a Paulo Apostolo Titum fuisse constitutum Episcopum ecclesiarum totius insulae Cretae.

Duplex fuit apud Graecos Archiepiscopi notio; prima usurpata saepius prioribus saeculis, posterioribus altera. Qui multas suo nutu regebant provincias, ii, quo ab aliis secernerentur, Archiepiscopi saepe appellati sunt, Patriarchae essent sive Exarchi; unde in conciliis eum honoris titulum Alexandrino, Antiocheno, Constantinopolitano, Ephesino, immo et romanis Pontificibus Coelestino I. et Leoni M. datum legere est. Plures illis suberant Metropolitae, quorum singuli singulis praesidebant provinciis. Primatibus haud absimiles erant Archiepiscopi et Seleuciae, et Aethiopiae, quorum uterque et *catholicus* dictus est et multis praeerat Metropolitis; sed ille Antiocheno parebat Patriarchae, hic Alexandrino. Alter postea inductus est Archiepiscoporum ordo, qui priori nomine quidem similis erat, re vero multo inferior, cum ii nec provincias haberent nec suffraganeos Episcopos, sed nudo nomine, honoris causa, Archiepiscopi dicerentur. Qua id de causa factum, vide apud *Cautelium p. 1. histor. Metrop. dist. 1. cap. 4. num. 3.*

5) Dispensatio super defectu aetatis, ordinum et aliorum impedimentorum favore Archiepiscopi ecclesiae Olomucensis.

Dilectissimo filio Nostro
Rudolpho Archiduci Austriae.

Pius PP. VII.
Dilectissime fili Noster.
Salutem et apostolicam Benedictionem.

§. 1. Quas in florentissima adhuc aetate provectas virtutes praetefers cum literarum scientia et summo augusti generis splendore conjunctas, faciunt, ut, quae in rem tuam esse accipimus, ea libenter omnia concedamus.

§. 2. Cum per obitum cl. me. Mariae Taddaei sanctae romanae ecclesiae presbyteri Cardinalis de Trautmansdorff-Weinsberg nuncupati ex concessione et dispensatione apostolica ecclesiae Olomucensis Archipraesulis ecclesia ipsa pastoris solatio destituta remaneat et ejus successoris electio ad dilectos filios metropolitanae illius ecclesiae capitulum ex eadem apostolica concessione aut alias pertineat, te, qui jam antea a cl. me. defuncti Archipraesulis Antonii Theodori ejusdem s. romanae ecclesiae presbyteri Cardinalis de Colloredo nuncupati in regimine et administratione dictae metropolitanae ecclesiae in coadjutorem perpetuum cum futura ad tui favorem successione, praevia Nostra super defectu aetatis, ordinum aliorumque impedimentorum dispensatione designatus fueras, licet ob notas temporum perturbationes a munere hujusmodi suscipiendo postea abstinueris, nunc tamen ad majorem Dei gloriam et catholicae religionis praesidium in Archiepiscopum memoratae ecclesiae eligi posse capitulum ipsum plurimum desiderat. Nobis propterea per literas humiliter supplicasti, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur piis votis tuis, quantum in Domino possumus, benigne annuere votentes teque a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, imperiali celsitudini tuae, ut, etiamsi ecclesiasticae militiae adscriptus non reperiaris, per memoratum capitulum, quamquam de suo gremio non sis nec aliis juxta dispositiones statutorum, privilegiorum, indultorum et consuetudinum ipsius ecclesiae qualificatus non existas, servatis alias servandis, in Archiepiscopum eligi et sic electus electioni hujusmodi consensum praestare libere et licite et valide possis, ita ut electio de persona tua ad dictam metropolitanam ecclesiam ut supra facienda valida et efficax sit tibique suffragetur in omnibus et per omnia perinde ac si in sacris ordinibus constitutus et de gremio capituli esses et vocem activam et passivam in eo haberes, itemque juxta illius statuta, privilegia atque consuetudines et alias debita qualificatus reperieris, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus ac tecum desuper de speciali dono gratiae dispensamus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas nullo unquam tempore quovis praetextu, etiam ex eo, quod aliquis ex capitulo Olomucensi vel alii in praemissis interesse habentes ad eadem praemissa vocati non fuerint nec illis consenserint aut alias ex quavis causa etiam quantumvis legitima de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retrac-

tari aut in controversiam quovis modo vocari posse, sed ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac tibi in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam de latere legatos et apostolicae Sedis nuncios aliosque quoscumque etiam qualibet praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 10. Martii 1719.

(Bull. rom. Contin. t. XV. p. 200. Edit. Romae.)

6) Excommunicatio eorum persecutorum etc.

Excommunicationem latae sententiae speciali modo romano Pontifici reservatam incurrunt omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

(Constit. Pii IX. 4. Idus Octob. 1869.)

7) Jurisdictio.

Vd. *Jurisdictio Archiepiscopi.*

8) Translatio in sedem episcopalem.

Vd. *Episcopus* (translatio.)

Majoricen.

Cum R. P. D. Alphonsus Lassus Archiepiscopus Calaritanus a regia catholica majestate praesentatus fuerit SSmo D. N. pro ecclesia Majoricen., eadem catholica Majestas petiit a S. Sua, ut idem praesentatus in ecclesia Majoricen. possit nomen Archiepiscopi et usum pallii et crucis retinere. Et cum ab eodem SSmo D. N. memoriale ad S. Rituum Congregationem remissum fuerit, eadem s. Rituum Congregatio censuit, eidem Archiepiscopo Calaritano, ad ecclesiam Majoricen. transferendo, concedendum esse, si ita SSmo D. N. placuerit, ut nomen sive titulum tantum Archiepiscopi in ecclesia Majoricen. retinere possit, sed non usum pallii nec crucis. Et ita censuit etc.

Die 16. Octobris 1604.

(Annal. J. P. Ser. VII. p. 37. n. 133. Ed. Romae 1864.)

9) A quo tempore hic titulus introductus est?

Vd. *Archiepiscopus* (definitio.)

Archipresbyter.

1) Distributiones.

Ad dub. *1. An Archipresbyter Collegiatae oppidi Ossulae uti Canonicus ante laudum suae idoneitatis possit gaudere distributionibus quotidianis?*

2. An idem tamquam Canonicus teneatur facere Septimanam per turnum caeteraque adimplere ut alii Canonici sub poena amissionis quotid. distributionum?

S. C. resp. *ad 1:* Affirmative.

Ad 2: Affirmative et quoad munus diaconi et subd. dilata.

Die 17. Mart. et 14. Apr. 1714.

2) Missam convent. celebrare et applicare debet.

Vd. *Applicatio miss. conv.* (oblig. Archipresbyt. pag. 685.)

Ad dub.: *An in eccles. cathedr. Tusculana Archipresbyter teneatur celebrare missam conv. juxta turnum vel potius sit exemptus?*

S. C. C. resp.: Dilata.

Die 21. Apr. 1708.

Iterum proposito eodem dubio S. C. C. sub 13 Apr. 1709. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam partem et amplius.

3) Praecedentia.

Vd. *p. 1067 n. 14. a.*

4) Ecclesiae colleg. cum cura animarum.

(Electio a quibus facienda?)

Tarrentina.

Animarum curam in collegiali ecclesia ssmae Deiparae ab angelo salutatae loci Cryptaliae Tarentinae dioeceseos gerit prima ejusdem collegii dignitas Archipresbyteri nomine decorata; quam, veluti s. Sedi reservatam, pluries datariam apostolicam in superioribus vacationibus contulisse hodiernus Archiepiscopus testatur. Verumtamen elato anno 1781 Archipresbytero prodiit capitulum denuncians Archiepiscopo ejus temporis Capecelatro ad ipsum privative pertinere novi Archipresbyteri nominationem absque concursu, ob assertam unionem paroeciae ab immemorabili favore capituli peractam. Scire namque praestat capitulum haud minimam sibi vindicare partem in iis, quae parochi sunt; nimirum sacramenta administrat, emolumenta funeraria percipit et quid aliud hujusmodi. Sed Archiepiscopus, Capitularium praetensa posthabita, concursum indixit, in quo electus quidam Ragusa literis collationis post biennium fuit a s. Sede donatus.

Magis magisque exasperatis ob id Capitularium animis adeo exarsit jurgium, ut illud delatum ad regium consilium vulgo *Real camera d. S. Chiara,* nedum in discrimen revocari videretur jus s. Sedis conferendi archipresbyteralem dignitatem, verum et Archiepiscopi jus quoad ceteras dignitates ac canonicatus inficiabatur. Omne tamen dissidium composuit amica concordia die 26. Januarii 1785 utrinque solemniter obsignata regioque vallata assensu, qua relate ad Archipresbyterum, de quo unice refert in praesentiarum verba facere, cavebatur, ut »*si dovesse in ogni vacanza presentare dal corpo capitolare una terna fissata con maggioranza de' voti di soggetti meritevoli, e l' eccellentissimo Arcivescovo pro tempore sia tenuto. . . di scegliere fra questi il più abile etc.*« Cavebatur demum »*che la spedizione delle bolle, come ben anche il possesso delle rispettive dignità, e canonicati sia sempre della curia arcivescovile di Taranto, e non già di Roma.*«

Ad tramites hujusce conventionis moderata undique atque expleta fuit prima, quae obtigit anno 1802, archipresbyteratus provisio; nimirum idem paciscens Archiepiscopus, nullo praehabito concursu, sed ad solam Capituli ternariam praesentationem, quemdam Petrum Felicem Maggiulli ejusdem Collegiatae Canonicum Archipresbyterum elegit. Non ita vero evenit in altera vacatione anni 1811; quippe pervasis jam a gallico milite temerario ausu cunctis tum regiis tum ecclesiasticis juribus in Neapolitana ditione, provisus de archipresbyteratu ab illo dominante fuit Vincentius Maranò, silente omnino capitulo, etiam postquam legitimo instaurato regimine; irritam istius possessionem petiit obtinuitque Archiepiscopus a s. Sede sanari per expeditionem literarum apostolicarum.

Mox viduata anno 1848 animarum cura, dum in eo erat hodiernus Archipraesul, ut ad concursum habendum pro nova provisione edicta evulgaret, capitulum eidem restitit, contendens locum haud fieri posse concursui ad paroeciam, quam asseverabat sibi ab immemmorabili plenario unitam, sed potius servandam exequendamque fore concordiam anni 178[illegible], cujus vigore ipsi fas erat tres exhibere viros, ut inter hosce Archipresbyteri electio ab Ordinario expleretur.

Archiepiscopus vero haud quaquam hujusmodi praetensae acquiescens passus potius est ut controversia omnis a capitulo S. H. O. deferretur ejusque sapientissimo judicio definiretur. Preces proinde ea super re ab eodem capitulo oblatas remisi de more Archiepiscopo, ut audito promotore fiscali atque exquisitis ab eodem capitulo documentis scitu opportuna traderet suumque panderet votum.

Porro concors Archiepiscopi et promotoris sententia in eo est, ut capituli petitio veluti juri ac facto contraria rejiciatur omnino, ex rationibus inferius enucleandis. Capitulum autem exhibet statum ecclesiae descriptum anno 1659 ab Archipresbytero Antonio Caraglio, quo ex notionibus ibidem relatis probare nititur »*che la cura delle anime della popolazione di Grottaglie principaliter et primario modo trovasi penes capitulum; de secundario poi et minus principaliter penes Archipresbyterum, e che nell' insieme ciascuno di essi adempisce a quella parte che gli risguarda.*« Subnectit praeterea edicta Archiepiscoporum; concordiam anni 1785 necnon bullam institutionis ab Ordinario editam anno 1802; quaeis, in summario relatis, utitur lectissimus capituli vindex ad adstruendum clientis jus

nominandi absque concursu Archipresbyterum, ita ferme in sua circumferenda allegatione argumentando.

Ea est jure canonum vis plenariae unionis beneficii parochialis erga aliquod capitulum vel collegium, ut per ipsam omnimoda jurium ac onerum incorporatio operetur; ipsi capitulares fiant parochi principales, quum penes ipsos titulus perpetuo resideat; atque proinde habeant jus deputandi vicarium vel perpetuum vel temporaneum ab Ordinario examinandum et instituendum, qui ipsorum vice munus parochiale exerceat, ceu post constit. s. Pii V. *Ad exequendam* §. *4.* tradunt cum comm. *DD. Pichler jur. can. lib. 3. tit. 5.* §. *27*, *Barbosa de offic. et potest. Episcopi alleg. 72.* §. *189.* Atqui de unione paroeciae pleno jure facta capitulo Cryptalensi minime ambigendum, quippe luculenter eam probant tum subsequens erectio ejusdem parochialis ecclesiae in collegiatam, quam etiam insignem dixit Clemens Papa VIII. in sua bulla obsignata die 15. Julii 1596, tum memoriae ac monumenta relata in codice capitulari statuti locum obtinente utpote continens statum ecclesiae diligenter exscriptum ab Archipresbytero Caraglio, tum etiam iterata Antistitum decreta, in quibus omnibus dissertis verbis edicitur animarum curam penes capitulum principaliter et primario residere; injuria itaque prorsus denegaretur eidem capitulo jus illud, quod ss. canones eidem elargiuntur, nominandi nimirum quem ad sui vicem in cura gerenda aptum idoneumque censuerit. Id siquidem necessario secumfert natura ipsa muneris parochialis, quia semel ac animarum cura in capitulum principaliter migravit, ipsum capitulum evadit perpetuus parochus, et qui munus actu et secundario absolvit, haud magis quam ipsius capituli mandatarius habendus, et neminem latet mandatarium a mandante esse eligendum.

Addit, eo minus de hujusmodi jure esse ambigendum, quo magis illud agnitum confirmatumque per Archiepiscopos Tarentinos actis solemnibus fuit, quos inter memoratu dignus Capicius Latro, qui anno 1781 in suo pro recta ssmi Viatici delatione edicto haud affirmare dubitavit »*Trovandosi la cura dell' anime di questa nostra terra penes capitulum etc.*« et, quod majoris momenti est, anno 1785 lubens concordiam obsignavit, in qua sancitum disserte fuit favore capituli jus praesentandi Archipresbyterum »*come colui, che deve disimpegnare la cura attuale del capitolo;*« quae porro verba haud quaquam ex Archiepiscopi ore prodiissent nec adeo facilis in probanda concordia fuisset, nisi persuasum ipsi plene foret de capituli jure.

Facile hinc ex dictis arguere est extraneam prorsus themati evadere concursus formalis legem. Haec enim a Tridentina synodo necnon a s. Pio V. provide nimis indicta suam tantum vim obtinet, quum res est de parochialibus collativis, quae in titulum conferuntur quaeque reapse vacare dicuntur per mortem rectoris habentis praeter titulum integrum etiam animarum onus; quia hoc in casu ratio ipsa suadet necessarium esse, ut ille ad gravissimum munus eligatur, qui praeceteris ad unum contendentibus, severius cunctis scrutatis, magis idoneus emerserit. Sed longe abest rem eodem pacto in iis curatis ecclesiis procedere, quae capitulo uniuntur; siquidem redit per unionem curam in eodem principaliter et continuo residere; qui autem capituli vices obit in exercitio, secundario et repraesentative tantum munera absolvit; proinde desinit concursus necessitas, ubi nec par muneris gravitas immineat, nec aequalis in homine aptitudo, caeteroquin per simplex examen scrutanda, desideretur. Rem post cit. *constit. s. Pii V.* §. *3.* latissime cum communi tradunt *Van-Espen. Jur. eccles. univ. par. 2. sect. 3. tit. 3.* §. *5. et 6*, Rota *decis. 48.* §. *1. ad 12. par. 10. Recent.* et in *decis. 211. num. 4. ad 9. tom. 1. coram Biochio,* cum aliis ibid. relat.

Quae omnia optime accommodari putat ipse orator Cryptaliensi capitulo; quippe reipsa primario et principaliter curam animarum in eo residere, in Archipresbytero autem nonnisi secundario, rem compertissimam dicit ex documentis exhibitis, potissimum vero ex memorato statu ecclesiae anni 1659 ubi, praeterquamquod patulis verbis id enaratur, traditur etiam talia per capitulum munera exerceri, emolumenta percipi et respective onera substineri, ut minime ea conciliari possent, nisi reapse principalis animarum cura penes ipsum resideret. Reque vera capitulum nullo habito respectu ad Archipresbyterum aut per se sacramentorum administrationem suscipit aut tres ex Canonicis seligit, quibus sacramentorum procurationem cumulative cum Archipresbytero committit; procuratorem insuper mortuorum eligit, jura parochialia et obventiones sibi applicat. Sique e contra

nonnulla munera a vicario curato fiunt, ea congruo a capitulo stipendio donantur. Sic pro concione ad populum habenda quinque ducatorum stipendium quotannis nanciscitur, totidemque annua ducata recipit titulo applicationis missae pro populo, ceu pariter et congruam mercedem obtinet, quoties Tarentum vel mittit sacerdotem sacris chrismatibus comparandis vel ipse accedit die solemni s. Cataldi ut praestet obedientiam.

Nec minus de praecipua capituli parochialitate suadent decreta saepius ab Archiepiscopis edita; inter quae memoratu dignum est illud anni 1774, quo provisum est accuratae sacramentorum administrationi et adsistentiae aegrotis diligenter praebendae a singulis Canonicis, severis etiam comminatis poenis in transgressores.

Rem demum omnem perimi jugi collationum observantia dicit, in quibus nulla concursus mentio facta reperitur, ceu praesefert status vel ipse jam memoratus sub articulis 19 et 23, ubi adamussim argumentum de collegialitate ecclesiae ex eo desumitur, quod paroeciae adnexa absque concursu conferatur. Cujusmodi observantia eo vel magis in praetio habenda, quia in partium contradictione ac rei cognitione plena confirmata fuit per memoratam concordiam anni 1782, quae veluti lex posteriori aetate fuit agnita ac servata, ceu evenisse deprehenditur in vacatione anni 1802, ubi Petrus Maggiulli ad unam capituli praesentationem absque concursu in parochiale munus ac presbyterale beneficium immissus ab Archiepiscopo fuit.

Quin vel minimum turbare valeat capituli jus articulus X. conventionis initae anno 1818 inter sanctam sedem et cameram Neapolis, ubi, postquam statuta fuerit alternativa mensium pro provisione canonicatuum liberae collationis inter Ordinarios et ipsam s. Sedem, concluditur: »*La prima dignità* (etiam Collegiatarum) *sarà sempre di libera collazione della s.' Sede.*« Hanc siquidem dispositionem minime complecti beneficium, de quo quaeritur, arguit laudatus orator, primo quia ibi agitur de dignitate tantum, quae primam vocem in conventibus et in choro locum habet; hic vero res est de beneficio curato quod principaliter universo capitulo inhaeret: deinde sub uno eodemque articulo complectitur canonicatus ac dignitates *di libera collazione;* proinde haud locum sibi vindicat, ubi de beneficiis agitur, quorum jus-patronatus sive ad laicos sive ecclesiasticos pertinet, quo in casu ad patroni praesentationem perficienda est provisio.

Quo sane loci et illud observatum vult, nullum reapse intercedere discrimen quoad curam animarum inter patronum ecclesiasticum et Cryptaliense capitulum, quippe quod ex memorata concordia anni 1818 tres electos praesentare valet Antistiti, ut inter ipsos digniorem seligat, ceu practicatur a patronis ecclesiasticis. Quod juris exercitium adeo justum compertum fuit ab Ordinario, ut non dubitaverit convenire quod »*la spedizione delle bolle, come ben anche il possesso delle respettive dignità e canonici sia sempre della curia arcivescovile di Taranto e non già di Roma*« atque ad praemissorum observantiam »*obligare se stesso in detto nome e suoi successori Arcivescovi.*«

Verumtamen postquam haec omnia strenue cumulaverit orator ad capituli jus tuendum, ipsum capitulum in obsequium s. Sedis paratum, sub specie amicae compositionis ineundae, profitetur ad praesentationem trium idoneorum eidem s. Sedi faciendam, seposito loci Ordinario; dummodo tamen integrum continuo maneat ipsi jus praesentandi quos ad parochiale munus idoneos judicaverit.

Plura at vero occurrunt quae de archipresbyteratus libertate seu ut rectius loquar de reservatione ejusdem favore s. Sedis suadere videntur. Agitur enim de prima ecclesiae collegialis dignitate cui animarum cura imminet. Neminem profecto fugit, in quibuscumque veris collegiatis principalem dignitatem, quae decem ducatos aureos de camera excedat, semper esse s. Sedi reservatam ex regula IV. cancellariae, si peculiares casus excipias a concordatis vel alio speciali jure mutuatos. *Rigant. ad dict. reg. tom. 1.* §. *2. num. 6.*, *Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 7. num. 81, Rota cor. Ansaldo decis. 14. num. 2.* et *cor. Lancetta dec. 728. num. 6.* Idque etiamsi dignitas adnexam habeat animarum curam, quia collegialitas et parochialitas sunt compatibiles in eadem ecclesia etiam ad effectum reservationis dictae regulae, ceu iisdem terminis docet cum ipso *Rigant. loc. cit. num. 23 Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 14. num. 43, Piton. discep. 116. num. 12, Gonzal. ad reg. 8. canc. gloss. 6. num. 71.*

Quapropter ad declinandam hujusce dispositionis vim onus capitulo actori incum-

beret probandi vel, quod archipresbyteratus non sit prima Collegiatae dignitas vel quod decem ducatos non excedat vel obstent concordata vel demum praetensa vicaria quae a dignitate existat, ita ut eam vincat, trahatque ad se veluti accessorium. Sed nil horum omnium magis arduum atque factis ac juri magis repugnans. Siquidem beneficium, de quo quaeritur, veluti prima dignitas communiter reputatur et habetur vel ab ipso capitulo, utpote talis fuit continuo a s. Sede, capitulo minime contradicente, collata: primum inter Canonicos ac caeteras dignitates locum et honorem obtinet: praebendam longe majorem ducatis decem habet. Jam vero haec omnia abundant, ut beneficium aliquod censeatur dignitas ad effectum ut sit reservata vigore regulae IV. ad tradita per *Rigant. tom. 1. comment. ad dict. reg.* §. *1. num. 12*, et *Rotam decis. 342. num. 2. part. 9.* et *decis. 596. num. 5. p. 18. tom. 2. recent.* Concordata autem quin obstent, favent omnino reservationi; quemadmodum indubium est dignitatem semper potiorem esse quovis alio simplici beneficio vel vicaria, itaut in dubio haec ab illa trahantur, ac sub reservatione veniat veluti accessorium quod suum sequitur principale. *Leuren. par. 3. sect. 2. cap. 1. quaest. 881. num. 2. et quaest. 883. num. 7, Puteus decis. 442. num. 4. lib. 1.*

Et parumper admissa hypothesi postremo casui contraria, tunc necessarium esset capitulo probare beneficium parochiale fuisse reapse eidem subjective unitum. Atqui parochialium maxime beneficiorum improbatas conspicimus uniones a Trid. synod. *sess. 24. cap. 13. de ref.*, quod pariter sentit *Rota cor. Molines decis. 1316. cum comm. DD.* Versamur enim in materia nimis odiosa ac juri communi repugnante, veluti cultus divini diminutiva, ut docet *Calderin. cons. 13. vers. id de reb. eccles. non alien.* Hinc est quod in dubio numquam praesumitur facta unio, sed ad eam omnino requiruntur clarae, univocae atque concludentes probationes ex notatis a *Ventrigl. in prax. part. 2. adnot. 8.* §. *2. num. fin., Garz. de benef. par. 12. cap. 2. num. 226, Card. de Luca de paroch. disc. 37.*, et in dubio an aeque principaliter vel subjective facta fuerit unio, aeque principaliter factam fuisse semper est praesumendum, quum in hoc casu minus laedatur ecclesia vel beneficium unitum, argum. *ex cap.: Cum singulae de praeb. in 6, Rebuff. in prax. tit. de union. num. 20, Leuren. tom. 3. sect. 2. cap. 1. quaest. 882. num. 2.*

Quanti autem sint facienda ea, quae adducuntur ad unionem adstruendam facile intelligere est. Misso enim quod nullum instrumentum vel bulla vel quid aliud aequipollens proferatur, si insuper intimius inspiciantur documenta adducta, nec levis quidem ex iis probatio habetur, quae animum proclivem reddat ad admittendam unionem. Reque vera manuscriptus status ecclesiae anni 1659 totus in eo potius esse videtur, ut tradat methodum, qua exerceri suevit in ea ecclesia animarum cura, in qua, quia de facto partem obtinent Capitulares, ideo forsan edicitur primario residere penes capitulum: traditur insuper ibidem capitulum ipsum jura funeraria aliasque obventiones percipere. Idem dicas de edictis latis ab Archiepiscopis circa rectam sacramentorum administrationem atque adsistentiam infirmis praebendam.

Verumtamen haec omnia longe aliter quam plenam paroeciae unionem juriumque spiritualium transfusionem indigitare posse videntur. *Non omnis enim actus,* (ait Leuren. sect. 2. cap. 1. quaest. 881. part. 3. num. 2. in fin.) *qui superioritatem aliquam vel respective subjectionem importat, denotat hunc effectum unionis subjectivae, quum ad protectionem vel juspatronatus vel tributum vel consuetudinem id referri possit citra omnem etiam unionem,* consonat *Card. de Luca loc. cit. disc. 38. num. 40, Rota cor. Aldrovando in Urbevetana Parochialium die 13. Martii 1733.* §. *9.* Idipsum in themate evenire potuit, ut scilicet capituli participatio in administratione sacramentorum ac emolumentorum perceptione vel ex statuto vel ex consuetudine vel actu erectionis ecclesiae receptitiae in collegiatam promanaverit, ceu prostant aliarum ecclesiarum exempla, quae refert s. Congr. *Sypontina 1. Decemb. 1736.* et praecipue *in Urbevetana 31. Maji 1766*, ita ut methodus illa oneris potius quam juris vel privilegii indolem praeseferat, ceu reipsa in sensu oneris et non juris loquuntur superius memorata Archiepiscoporum edicta. Eo igitur minus licebit ex hisce unionis argumentum adstruere.

Quid quod, si res penitius perpendatur, corruit prorsus argumentum unionis desumptum a parochialitatis exercitio, veluti illud in capitulo principaliter residente. Legitur in memorato codice status ecclesiae sub §. 5:

»*Quoad baptismum omnes de capitulo sacerdotes possunt infantes in ecclesia baptizare, dummodo pro prima vice ab Archipresbytero licentiam obtineant.* In §. 13: »*Quoad Eucharistiam pertinet ad Archipresbyterum in feria V. in coena Domini aliisque diebus pro adimplemento paschalis praecepti, eoque impedito alii ab ipso substituuntur.*« In §. 17: *Eucharistia infirmis defertur a substituto Archipresbyteri et aliquando ab alio praevia licentia.*« Demum §. 22: »*Quoad extremam unctionem, quamvis ministrari soleat a sacristis, incumbit tamen Archipresbytero invigilare ut serventur ea quae praescripta sunt.*« Jam igitur, si Archipresbyteri delegatione indiget capitulum ut parochianis sacramenta nonnulla administrare valeat, sique in reliquis dependentia ab eodem habenda est, indubium profecto argumentum habetur jus parochiale principaliter et privative penes Archipresbyterum esse, quod aedepol pugnat cum idea subjectivae unionis erga Capitulum. Quid tamen, si, quisquis demum sit usus promiscue cum Archipresbytero munera parochialia exercendi, abusionem potius ille redoleat? Quamplures profecto hac super re s. Ordinis declarationes habentur, quae hujusmodi methodos in paroeciis improbant atque mandant per unum privative exercendam esse animarum curam.

Deficientibus quapropter probationibus unionis necessario ferendum videtur pro libertate ecclesiae et status beneficii parochialis collativi, *ad text. in cap.: Cum non ignores, de praeb.* et *cap.: Cum de benef. eod. tit. in 6, Rota in Leodien. Pastoratus 25. Junii 1742.* §. *5. coram Millino*, et in *Taurinen. 5. Apr. 1756.* §. *2 et 3 coram Caprara.* Quinimmo argumenta ineluctabilia id suadent. Narrat in sua relatione Archiepiscopus, et ex adverso haud inficiatur, literas apostolicas quatuor collationum a s. Sede expletarum penes acta curiae existere, in quibus mentio fit etiam concursus. Porro inde DD. unanimiter argumentantur pro libertate collationis, quia, etsi verum generice sit provisiones apostolicas beneficii statum haud immutare, *Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 20. num. 161,* attamen plurimum valent ad ejus statum declarandum; *Rota in Nucerina Jurisp. decis. 126. num. 12. coram Cavaller., Corrad. prax. benef. lib. 1. cap. 6. num. 369*, quia nimirum praesumitur, quod Pontifex illud contulerit secundum ejus statum praeexistentem ac secundum illius naturam, *Corrad. loc. cit. num. 307.* Nil autem magis adversatur unioni subjectivae, quam status collativus, utpote supponens qualitatem beneficii per se subsistentis nec ab alio dependentis, *Lotter. de re benef. loc. cit. quaest. 28. num. 104. et 178, Murg. de benef. quaest. 2. num. 100, Rota in Urbevetana Parochialium 13. Mart. 1733.* §. *16. cor. Aldrovando.* Repugnat pariter unioni collatio per concursum, cum absoluti juris sit in Parochialibus unitis, utpote extra status collativi sphaeram versantibus, non requiri formam concursus unice praescriptam pro veris et propriis Parochialium collationibus, uti post memoratam constit. s. Pii V. ponderat *Garz. de benef. par. 9. cap. 2. num. 289. et seq., Leuren. loc. cit. quaest. 883. num. 2., Rota decis. 496. num. 6. par. 18. Recent.*

Quid inde sentiendum de concordia anni 1785, ex qua capitulum observantiam etiam arguere videtur, nemo non videt. Siquidem primo occurrit, Episcopo nullatenus licuisse in servitutem redigere beneficium, cujus praecedens status liberum illud adstruebat. *Rota decis. 321. num. 23. par. 10. recent., Garz. de benef. par. 5. cap. 9. num. 130, Ricc. in prax. jurispatr. decis. 190;* eo vel magis quia non Episcopo collatio pertinuisset, sed utpote reservatione affectum, de jure privativo s. Sedis agebatur. Quisvis igitur actus ut ejusmodi jus perimere valuisset ipsius s. Sedis consensu perfici opus erat; quo deficiente nullius roboris ille manet ex regula juris, qua docemur, rem inter alios actam alteri nec prodesse nec obesse posse. Adde concordiam illam initam fuisse eo adamussim tempore, quo pessimo hominum consilio jura s. Sedis a Dominatione neapolitana pervadebantur atque proinde amicabiles relationes inter turbata utrinque manebant. Adde demum, unicam tantum fuisse patratam a capitulo nominationem anno 1802 ad tramites concordiae.

Verumtamen etsi iterato pluriesque capitulum nominasset, nihil inde officeret.

Primo, quia quaecumque observantia intercisa mansit ex posteriori actu apostolicae sanationis ultimae provisioni, quae habetur veluti nova provisio, quod proinde sufficiens est ad praeservanda jura s. Sedis fundata in apostolicis reservationibus, ut in specie notat *Tondut. quaest. benef. lib. 1. cap. 104. cir. fin., Rota coram Ansaldo decis. 78. num. 72. et coram Aldrovando loc. sup. cit. n. 24.*

Secundo, quia contra regulas cancellariae renovari solitas sub cujusque pontificatus initio nec introducitur nec progreditur quaevis consuetudo juribus s. Sedis adversativa. Rota *coram Aldrovand. loc. cit. n. 25.*

Tertio demum, quia regulae omnes decreto irritanti in amplissima forma munitae comperiuntur, cujus pariter ea virtus ac effectus est, ut omnem prorsus efficaciam auferat cuicumque consuetudini, quae in praejudicium Datariae jam invaluerit, et ex quocumque temporis lapsu coalescere potuerit, uti unanimiter tradunt *Garz. de benef. par. 5. cap. 1. num. 454. et seq., Rota decis. 580. num. 24. et 26. par. 4. tom. 3. recent.* et *decis. 91. num. 6. et seqq.*, et in *Tridentina Archipresbyteratus 3. Febr. 1722. §. Rejectis, coram Calcagnino.*

Post quae late tradita ad praetensum capituli jus profligandum supervacanea evadit disquisitio circa concursum, praemittendum illud sit necne archipresbyteratus provisioni. Hisce nihilominus complecti potest doctrina juris hac super re, nimirum, seclusis casibus unionis subjectivae ac extinctivae tituli beneficii parochialis, in quibus cura exercetur per vicarium amovibilem absque titulo, vel jurispatronatus laicalis aut mixti, in reliquis casibus paroeciarum collativarum vel unitarum aeque principaliter vel earum, in quibus cura actualis sit penes vicarium perpetuum, vel demum in paroeciis jurispatronatus ecclesiastici collatio fieri debet semper praevio concursu. Pro omnibus videndus *Van-Espen. Jus eccles. un. par. 2. tit. 22. de concurs. ad paroch.* Ad quam ex hisce parochialitatis speciebus pertineat beneficium, de quo quaeritur, judicent EE. Patres. Utcumque autem se res habeat, recolendum in themate venit collatum fuisse a s. Sede per concursum in anteactis vacationibus. Porro *Rigantius in comment. ad reg. IV. §. 2. n. 24 et 25. tom. 1.* opportune tradit quod, licet in provisione dignitatis, cui unita est cura animarum, necesse non sit, ut praecedat concursus, »*solent tamen* (sunt verba auctoris) *aliquando datarii illum ordinare tantummodo pro instructione animi summi Pontificis, ad effectum, ut ex actis concursus ad datariam transmittendis certiores reddi possint de scientia et idoneitate concurrentium.*«

Superest ut Emi Patres definire dignentur:

An et quomodo constet de jure capituli Cryptaliensis nominandi Archipresbyterum, seu potius sit locus liberae collationi in casu?

S. C. C. resp.:

Negative ad primam partem, quoad secundam provisum per concordatum.

Die 20. Apr. 1850.

Die 27. Nov. 1852 resp. S. C.: *In Decisis.*

5) Foraneus seu ruralis celebrans in variis functio ibus; ejus praecedentia.

Ariminen.

Ad dubium: *An Archipresbytero ss. Viti et Modesti competat jus peragendi processionem die festo ss. Corporis Christi privative ad parochos s. Justinae, s. Martini ad Ripam, s. M. Magdalenae de Callis aliosque parochos plebanos et an parochi plebanatus teneantur eadem die inseresse eidem processioni?*

respondit S. Congreg.:

Servetur solitum, et amplius.

Die 17. Maji 1768, confirm. *15. Julii 1775.*

Idem Archipresbyter in respectivis ecclesiis parochialibus plebanatus invitandus est ad formam constitutionum synodalium. *Ibid. 15. Julii 1775. dub. 7.*

Idem non potest in omnibus festis et functionibus celebrandis in ecclesiis parochialibus plebanatus privative quoad parochum ecclesiae vesperas et missam solemniter canere, sed potius ad libitum rectorum earundem ecclesiarum. *Ibid. dub. 8.*

Nec in cadaverum associationibus ad parochiales ecclesias peragendis cum interventu parochi proprii praecedere debet parocho proprio. *Ibid. dub. 9.*

Ariminen.

Ad dubium: *An in functionibus atque exequiis in iisdem ecclesiis plebanatus celebrandis et peragendis ad Archipresbyterum ss. Viti et Modesti spectet missam solemnem celebrare functionesque agere atque in omnibus quoad parochum aliosque sacerdotes plebanatus praecedere et praeeminentiam habere in casu?*

respondit Sac. Congregatio: Negative.

Die 17. Maji 1768.

Et reproposita causa decrevit: Negative quoad parochum; in reliquis serventur constitutiones synodales cl. mem. Daviae et Massae *15. Julii 1775. dub. 10.*

Civitatis Castellanae.

Archipresbytero sive parocho ecclesiae s. Andreae terrae Vallerani jus competit faciendi processiones generales et alias, in quibus convenit totus clerus; quoad processionem Corporis Christi servetur transactio; in reliquis processionibus particularibus ecclesiae s. Victoris: Negative.

Die 27. Januar. 1778.

Eidem competit jus praeeminentiarum super clerum et sacerdotes dictae terrae in omnibus functionibus, in quibus intervenit totus clerus.

Ibid. dub. 3.

Ei licet ingredi alteram ecclesiam parochialem s. Victoris et alias quascumque sitas extra districtum suae paroeciae cum stola et cruce elevata in processionibus et functionibus publicis duci et celebrari solitis cum interventu totius cleri; in reliquis negative.

Ibid. dub. 4. et 5.

Civitatis Castellanae.

Ad dubium: *An dicto Archipresbytero sint assignanda alia signa praeeminentialia, et signanter receptio cum honore facienda a presbyteris ecclesiae B. M. V. de Ruscello inservientibus divinis officiis, ac etiam missae canendae pro defunctis occasione asportationis cadaverum?*

respondit s. Congregatio:

Quoad receptionem in processionibus publicis, de quibus supra, servetur Caeremoniale; in reliquis negative.

Die 27. Jan. 1778.

Archipresbytero s. Andreae Terrae Vallerani non licet ducere processiones particulares ejusdem ecclesiae extra ambitum suae parochiae.

Die 10. Septembris 1782.

Forolivien.

Absente vel impedito Archipresbytero coadjuto s. Petri in Trento competit Archipresbytero coadjutori praecedentia et manutentio tum in ordine sedendi cum in processionibus aliisque functionibus ecclesiasticis et actibus sive publicis sive privatis supra Archipresbyterum s. Martini in Barisano aliosque parochos Congregationis in casu.

Die 29. Augusti 1795.

Impediti vel nolentes Archipresbyter s. Martini in Barisano aliique parochi Congregationis s. Petri in Trento exercere solemnia aliasque ecclesiasticas functiones in eorum respective ecclesiis possunt ad illa peragenda quem malint substituere; at vero jus illa exercendi non competit Archipresbytero s. Petri in Trento nec eo absente vel impedito ejus coadjutori.

Ibid. dub. 2.

Terracinen.

In prima rogationum processione, quae aeque ac secunda et tertia egreditur ab ecclesia matrice et in qua ejus Archipresbyter stola amictus preces egrediendo praeciuit et agris deinde benedicit, debent preces eaedem ab ipsomet Archipresbytero absolvi in ecclesia beneficiata s. Michaelis Archangeli, in qua dicta prior processio confici solet; non vero ab eodem Archipresbytero deponenda est stola in actu ingressus ad ecclesiam eamdem, ad hoc, ut parochus s. Michaelis Archangeli ipsas absolvat preces et sacrae huic functioni finem imponat in casu etc.

Die 27. Martii 1802.

In secunda dictarum rogationum processione, quae aeque ac prior et tertia egreditur ab ecclesia matrice, et cujus Archipresbyter preces pariter egrediendo praecinit agrisque benedicit, debent ab eo absolvi preces in ecclesia s. Nicolai; non vero, deposita ab isto stola, continuandae in ea absolvendaeque sunt preces et finis sacrae functioni imponendus ab aliquo ex Patribus conventualibus, neque in eorum defectu a parocho dictae beneficiatae ecclesiae s. Michaelis Archangeli in casu etc.

Ibid. dub. 3.

6) Habitus et sedes in synodo.

Archipresbyteri rurales sedere debent in synodo infra vicarios foraneos, nisi usus invaluerit, ut promiscue cum parochis assideant. Bened. XIV. *synod. dioeces. lib. 3. cap. 10. num. 7.* Quibus vestibus Archipresbyteri rurales uti debeant, dum synodo intersunt, ritus servandus est uniuscujusque ecclesiae. *Bened. XIV. ibid. lib. 3. cap. 11. n. 9.*

Archipresbyteratus.

(Dignitas &c.)

Tolentina.

Ad dub. I. *An archipresbyteratus erectus in ecclesia cathedrali Tolentini de anno 1743 sit vere et proprie dignitas in casu?*

II. *An Archipresbyter possit compartici-pare de bonis, decimis, jurispatronatibus, legatis aliisque juribus generaliter relictis dictae ecclesiae cathedrali aut capitulo ejusdem usque ad diem 25. Maji 1743 in casu?*

III. *An Archipresbyter possit intervenire et habere suffragium in capitulis seu resolutionibus capitularibus faciendis super dictis bonis et juribus in casu?*

IV. *An idem Archipresbyter teneatur ad contributionem ratae scut. 5. 85. pro expensis ordinariis ad dictum capitulum annuatim spectantibus, et ad ratam expensarum extraordinarium in casu?*

V. *An modernus Archipresbyter teneatur ad dictas expensas tam ordinarias quam extraordinarias causam habentes de praeterito post adeptam ab eo possessionem archipresbyteratus in casu?*

VI. *An idem Archipresbyter teneatur etiam ad contributionem expensarum factarum occasione expeditionis indulti cappae magnae in casu?*

VII. *An et cui debeantur emolumenta functionum peragendarum ab Archipresbytero in locum Archidiaconi absentis in casu?*

VIII. *An occasione dictarum functionum teneantur Canonici inservire Archipresbytero, prout juxta consuetudinem inserviunt Archidiacono, in casu?*

S. C. resp. ad I: Affirmative.

Ad II: Negative.

Ad III: Negative et amplius.

Ad IV: Dilata et scribatur: juxta instructionem.

Ad V: Dilata ut supra.

Ad VI: Negative et amplius.

Ad VII: Deberi Archipresbytero.

Ad VIII: Affirmative et amplius.

Die 1. Febr. 1766.

Decretales recensent potissimum inter dignitates Archidiaconum et Archipresbyterum, *cap. 1. de offic. Archid., et cap. 1. de offic. Archipr.*

Die 20. Nov. 1330. *Imolen.*

Montisfalisci.

Ferdinandus Franciosi sacerdos e terra Cryptarum, dioecesis Montisfalisci, peracto concursu, die 3. Augusti superioris anni Archipresbyteralem eamdemque Parochialem in Collegiata s. Joannis Baptistae ejusdem terrae consecutus est, quae aliquibus ante mensibus ex renunciatione vacaverat, quam in manu summi Pontificis ediderat Angelus Romagnoli. In apostolicis canonicae institutionis literis, quoties praebendae sermo incidit, illud positum et enunciatum est, eamdem non mere Parochialem sed uti dignitatem in Collegiata s. Joannis existere; adeoque onus eidem Ferdinando impositum est »*ut intra annum proximum gradum magisterii in theologia vel doctoratus aut licentiaturae in decretis in aliqua approbata studii generalis universitate susciperet.*«

Hujusmodi clausulae oppositione gravatum se esse existimans Ferdinandus supplici oblato libello hunc sacrum Ordinem exoravit, ut eadem ex apostolicis literis deleatur. Exposuit enim, archipresbyteratum, quo potitur, tamquam mere Parochialem ab hac sacra congregatione declaratum ac talem omni tempore ad hosce usque habitum esse, ac propterea nonnisi ex errore a Dataria veluti dignitatem reputatum fuisse sibique academici assumendi gradus onus injunctum. Addidit insuper eo enixius in eam rem sese contendere, quod non modo id cederet in sui damnum ob sumptus et labores, qui subeundi sibi forent, sed et in detrimentum sui gregis quem aliquo tempore deserere oporteret, tum successorum suorum, quibus idem onus in perpetuum immineret.

Supplicem hunc libellum administratori apostolico illius dioecesis remittendum censui, qui de veritate expositorum referret suamque sententiam aperiret. Quibus mandatis accurate Praesul obsequens literis 12. Aprilis

currentis anni plura documenta inseruit, quorum rationem expendere aggredior.

Recolendum esse reor, quod Eminentiae Vestrae jam probe norunt, *primo* scilicet ex Tridentina synodo *sess. 24. cap. 12. de reform. verb.: hortatur*, cautum esse, ut in Cathedralibus et Collegiatis insignibus dignitates iis dumtaxat conferantur, qui magistri sint vel doctores vel etiam licentiati in theologia aut jure canonico. *Secundo* ex regula quarta cancellariae primarum dignitatum collationem etiam in Collegiatis apostolicae Sedi esse reservatam. Plurimum itaque ad rem, de qua agitur, interest inquirere: an archipresbyteratus Collegiatae s. Joannis titulo dignitatis insignitus fuerit et an perpetuo ac sine interruptione ab apostolica Dataria collatus. Jam vero huc pertinent documenta ab administratore apostolico transmissa. Inter ea prae primis sese offert folium hujus s. Congregationis in causa, cui titulus »*Montisfalisci Archipresbyteratus*« quod plene concordare cum autographo asservato in tabulario s. Ordinis recognovi, ut patet ex *lib. decret. 29. pag. 316. et seq.* In ea porro propositum fuit dubium hisce conceptum verbis:

»*An dictus archipresbyteratus* (ecclesiae s. Joannis oppidi Cryptarum) *censendus sit parochialis vel prima dignitas in Collegiata?*

Et S. Congregatio *die 12. Decbr. 1676* respondit:

Archipresbyteratum censendum esse parochialem. Post hujusmodi folium sequitur notula singularum vacationum e cancellariae episcopalis tabulario deprompta, quae ab eo anno ad haec usque tempora contigerunt. Porro in octo vacationibus, quibus locus factus est ab anno 1676 usque ad annum 1793, institutionis literae, quas modo Dataria, modo curia Montisfalisci expetivit, archipresbyteratum numquam uti dignitatem appellant, sed parochialem perpetuo nominant. Imo in literis a Dataria expeditis anno 1793 de archipresbyteratu diserte renunciatur: »*Cujus, dum ille vacat, collatio, provisio et omnimoda alia dispositio ad pro tempore existentem Episcopum Montisfalisci, non tamen alio vel aliis aut etiam ad alterius praesentationem vel electionem, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, spectare dignoscitur.*«

Vacavit paulo post archipresbyteratus ac die 24. Dec. 1796 a Dataria literae institutionis Josepho Marenghi juris utriusque Doctori datae fuerunt, in quibus pro prima vice de archipresbyteratu legitur: *Qui inibi Parochialis et forsan unica dignitas existit.* Vacavit iterum septem post annos ob renuntiationem in manu summi Pontificis emissam; ac in collatione die 31. Februarii anni 1803 archipresbyteratus absolute dignitas principalis inibi existens edicitur. Insuper primum clausula adjecta reperitur: *Volumus praeterea, quod infra annum proximum gradum magisterii in s. theologia aut licentiaturae in aliqua approbata universitate suscipere teneatur.*« Vita functo Archipresbytero mense Majo 1817 factoque rursus vacationi loco anno 1825 Dataria apostolica archipresbyteratum ambabus vicibus contulit eamdemque clausulam adjectam voluit. Notandum tamen, quod nullus ex tribus hisce Archipresbyteris gradum academicum sibi comparare studuerit, ita ut singuli eo prorsus gradu destituti vitam et praebendam dimiserint, prouti constat ex testimoniali fide, quam subscripsere quatuor ex antiquioribus et primoribus Collegiatae Canonicis.

Episcopalem Montisfalisci cathedram occupante Emmo Viro Clarelli archipresbyteralis parochia suo rectore viduata est eaque occasione (quemadmodum colligitur ex epistolio diei 18. Martii 1854 a. c. m. Card. Spinola Pro-Datario ad laudatum Card. Clarelli conscripto) dubium exortum est:

An collatio ad Episcopum Faliscodunensem juxta declarationem de qua superius hujus sac. Congr. vel ad Datariam apostolicam pertineret ex eo, quod in quatuor ultimis vacationibus tanquam dignitas fuerat appertissime renunciata?

Attamen cum nullum judicium extaret, ex quo legitimus hujusce attributi tituli usus comprobari posset, Cardinalis Pro-Datarius Emmum Clarelli deprecabatur, ut in cancellaria episcopali inquirendum curaret: an documenta ibidem invenirentur, ex quibus s. Joannis archipresbyteratum ad dignitatem evectum fuisse, adeoque status mutationem post relatam hujus s. Congregationis declarationem passum fuisse constaret. Quem exitum Emmi Clarelli inquisitiones tunc habuerint, ex actis non liquet: sed res indubii facti est, Emmum Clarelli pacifice ac sine ulla contradictione archipresbyteratum Angelo Romagnoli rite concessisse. Eamdem praeterea inquisitionem nequaquam neglexit administrator apostolicus sive in tabulario

cancellariae episcopalis sive in altero Collegiatae s. Joannis: at ex testimonio cancellarii et secretarii capitularis Collegiatae ostenditur, nullum apparere vestigium, ex quo archipresbyteratum ad dignitatem assurrexisse colligatur.

Caeterum Episcopus administrator postquam haec, quae retulimus, documenta recensuit, ita concludit: *Qua de re cum nullo modo constet archipresbyteratum illum esse dignitatem, sed parochum Archipresbyteri titulo insignitum, haud anceps haeret animi mei sensus. Sed volui narrator esse.*

Ne aliquid vero non referam ex iis, quae acta constituunt, silentio non praeteribo oratorem Ferdinandum Archipresbyterum ea jam doctrinae laude commendari, quae forsitan ad academicum gradum recipiendum suumque munus parochiale amplissime sustinendum requiritur. Praeterquamquod enim in peracto concursu ad archipresbyteratum fuit primo loco approbatus, ab Episcopo Datariae commendatus et ab eadem definitive nominatus et institutus, prostat etiam in actis folium publicae ephemeritis vulgo »*Giornale Romano*« ad diem 16. Sept. 1859 continens articulum pag. 840, ubi narratur, Ferdinandum Franciosi in Seminario Montisfalisci eo tempore alumnum centenas et amplius theses ex theologia, s. scriptura ac historia ecclesiastica publice disputandas ac tuendas assumpsisse. Cujus disputationis exitus sequenti testimonio ibidem commendatur: »*Il giovane sacerdote estemporaneamente con precise risposte ed acconcie distinzioni accompagnate da ampia erudizione dileguò tutte le difficoltà per guisa che la colta udienza ammirò la svegliatezza del suo ingegno e la profondità de' suoi studii.*« Denique administrator apostolicus dignum eum duxit, quem judicis et examinatoris prosynodalis officio augeret ac decoraret ceu ostendit epistola in eam rem eidem Ferdinando conscripta.

Rationum momenta, quae contra Ferdinandi petitionem in medium afferri possunt, hujusmodi sunt. Certum in primis induhitatumque est, ecclesiam s. Joannis Baptistae terrae Cryptarum Collegiatae titulo ornatam esse. Proposito enim dubio penes hanc sac. Congregationem die 13. Sept. 1856 in *Montisfalisci Collegiatae*:

An constet de Collegialitate ecclesiae s. Joannis Baptistae terrae Cryptarum in casu?

Emmi Patres responderunt:

»*Affirmative et amplius.*« Cumque hujusmodi quaestio prima et unica vice resoluta fuerit cum clausula *et amplius*, merito concludendum esse videtur cunctis omnium Patrum votis affirmativam responsionem prodiisse. Exinde consequitur, ut Archipresbyter, qui collegii illius princeps et caput est, dignitatis titulo minime carere dicendus sit. Dignitatis siquidem titulo honestari solet caput Collegiatae dum haec erigitur; et dum praefata quaestio anno 1856 agitabatur, Episcopus illius temporis ab existentia dignitatis in eo coetu presbyterorum ad Collegialitatis praerogativam asserendam arguebat.

Secundo loco ex iis quae supra statuimus liquido elucescit, archipresbyteratum a Dataria in quatuor statibus, qui penultimam vacationem praecesserunt, uti dignitatem perspicuis verbis denominatum fuisse. At vero nemo nescit titulum a sacratissimo Principe ex certa scientia alicui tributum satis esse, ut ipse eodem titulo potiri censendus sit, ex *Lotter. de re ben. lib. 1. quaest. 14. n. 41.*

Tertio loco in iisdem statibus non modo archipresbyteratum uti dignitatem Dataria compellavit, quin insuper clausulam adjecit, qua eumdem ad gradum academicum infra annum adipiscendum, prouti de dignitatibus fieri solet, teneri praescripsit.

Quarto denique, tametsi archipresbyteratum dignitatem non esse concedendum foret, non idcirco sequeretur quod Ferdinandus a gradu assumendo sese excusare valeret. Nemo siquidem inficias iri praesumpserit, nullatenus summo Pontifici vetitum esse praecipere, ut ii etiam beneficiati, qui alias jure canonico ad lauream obtinendam minime teneantur, ex speciali pontificio praescripto ad eamdem sibi comparandam valeant adstringi. Jamvero ita reapse mandatum esse in literis eidem Ferdinando a Pontifice expeditis manifesta res est; nihil itaque eidem reliquum est, nisi ut apostolicae praescriptioni omnino pareat.

Attamen nec sua desunt oratori Ferdinando argumenta ad exhibitam petitionem sustentandam. Et revera ex eo quod s. Joannis ecclesia Collegiatae titulo fulgeat, minime necessario sequitur quod Archipresbyter ejus caput dignitatis gradum praeseferat, quandoquidem Collegiata stare utique potest, etsi ejusdem caput dignitatis honore destituatur. Nam ad Collegiatam constituendam

satis tantum est juxta *cap. Novit. 4. De his quae fiunt a Prael.*, ut Canonici unum corpus efforment, ita ut adsit caput et adsint membra collegii. Hinc *Frances. de Cathedr. cap. 22. num. 39.* docet: *Ad essentiam ergo collegii plures in unum corpus collecti requiruntur, qui sint in potestate pares in collegio.* Eamdem doctrinam tradunt *Lotter. de re benef. lib. 1 quaest. 14. num. 2, Barbosa Jus eccl. lib. 2. cap. 6. num. 10.* Eisque adstipulatur interpretum sententia; necnon haec sacra Congregatio pluribus in causis ac nominatim in *Marsicana Vocis in capitulo 30. April. 1729.* §. *De jure*, in quo adductis auctoritatibus melioris notae doctorum et Rotae edicitur: Dignitates de jure communi non esse de capitulo idemque videre est in *Guadalaxarien. Electionis 3. Aprilis 1841.* §. *Ad alterum.* Nec aliter se res habet praeterquam quatuor in casibus nimirum: *nisi* (ceu sac. Congr. *in Tolentin. 11. Jan. 1766* §. *Quemadmodum) dignitati sit adnexa praebenda canonicalis vel nisi in erectione e capitulo effecta fuerit, vel nisi ex peculiari sanctione capitulorum vel a consuetudine id obtinuerit.* Ita porro jus commune conciliat *Card. de Luca disc. 46. n. 5. de benef.* et sacer Ordo in allatis locis cum consuetudine, quae in Italia frequentior est, ut dignitates capituli partem efficiant. Ceteroquin non pauca afferri possent exempla, in quibus Collegiatae comperiuntur sine dignitatibus, quanquam ex doctrina *Devoti Just. can. lib. 1. tit. 3. sect. 7.* §. *60.* Dignitas est penes corpus universum.

Secundo neque meliori omine objicitur, archipresbyteratum ut dignitatem semel et iterum a summo Pontifice fuisse denominatum, perinde ac id satis sit, ut hujusmodi titulus actu ac valide eidem adjunctus fuerit. Perspicua siquidem est constitutio synodi Viennensis, quae adest inter Clementinas *de sententia excom. cap.*: *Si summus Pontifex sub titulo cujuslibet dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione vel literis nominet, honoret seu quovis alio modo tractet per hoc in dignitate illa ipsum approbare, non intelligatur aut quidquam ei tribuere novi juris.* Quam constitutionem pro suo instituto romani Pontifices constanter ac perpetuo retinuerunt et confirmarunt, ceu novissime testatus est s. m. Gregorius XVI. in *constitut.: Sollicitudo, Non. Aug. an. 1831*, in qua et ipse eam disciplinam suae vocis calculo roboravit. Animadvertendum est etiam, quod hujusmodi status mutatio post declarationem hujus sac. Congregationis an. 1676 et subsequentem observantiam non levis momenti habenda sit, potissimum ob collationis causam: nam si archipresbyteratus dignitas declararetur, illius conferendi jus non amplius ad curiam episcopalem et Datariam alternis mensibus, ut hactenus fieri consuevit, spectaret, verum ab apostolica Dataria tantummodo semper et nullo habito discrimine conferendus esset. Et his accedit, quod inquisitione facta in tabulariis tum Datariae tum curiae episcopalis tum capituli Collegiatae nullum judicium invenire datum est, ex quo hujusmodi mutationem evenisse dignoscatur.

Tertio loco, quando apostolicae Datariae opinio insederat, archipresbyteratui inesse dignitatem, nil mirum quod Archipresbyterum gradu instructum voluerit: id quod et in hac vacatione Ferdinando praescripsit eodem errore ducta, contra quem sese ipse Ferdinandus opponit. Caeterum jam supra adnotavimus, eos Archipresbyteros, quorum in bullis ejusmodi clausula adjecta fuit, nullum sibi exhibuisse negotium gradus comparandi ac sine eo mortem obiisse. Id autem certe non in spretum neglexerunt: erant enim omnes tum doctrina tum pietate et obsequio conspicui erga apostolicae Sedis mandata; sed potius ex bona fide, propterea quod archipresbyteratum dignitatem non esse, nullumque ex eorum decessoribus laurea aliove gradu praeditum fuisse compertum habebant.

Quarto denique, nemo certe inficiabitur posse Pontificem maximum novum onus Archipresbytero imponere: at hic non quaeritur quid facere ipse valeat, sed potius quid facere voluerit. Quoniam vero ceteroquin praesumendum est, Pontificem sese juri communi conformare voluisse, hinc arguitur, quod, si insolitam gradus assumendi obligationem Ferdinando imposuerit, ea id ratione fecisse dicendus sit, quia, prouti reapse ex bullarum contextu elucescit, archipresbyteratum dignitate auctum existimaverit, etsi id ipsum solida demonstratione hucusque comprobatum non sit. Neque hic praetereundum Concilii Tridentini sanctionem de gradu a dignitatibus gerendo per se vim legis minime praeseferre sed potius diserte protenditur, nullimode vero ad Collegiatas simplices, qualis est Collegiata s. Joannis terrae Cryptarum. En verba synodi: »*Hortatur etiam s. synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri*

cancellariae episcopalis sive in altero Collegiatae s. Joannis: at ex testimonio cancellarii et secretarii capitularis Collegiatae ostenditur, nullum apparere vestigium, ex quo archipresbyteratum ad dignitatem assurrexisse colligatur.

Caeterum Episcopus administrator postquam haec, quae retulimus, documenta recensuit, ita concludit: *Qua de re cum nullo modo constet archipresbyteratum illum esse dignitatem, sed parochum Archipresbyteri titulo insignitum, haud anceps haeret animi mei sensus. Sed volui narrator esse.*

Ne aliquid vero non referam ex iis, quae acta constituunt, silentio non praeteribo oratorem Ferdinandum Archipresbyterum ea jam doctrinae laude commendari, quae forsitan ad academicum gradum recipiendum suumque munus parochiale amplissime sustinendum requiritur. Praeterquamquod enim in peracto concursu ad archipresbyteratum fuit primo loco approbatus, ab Episcopo Datariae commendatus et ab eadem definitive nominatus et institutus, prostat etiam in actis folium publicae ephemeritis vulgo »*Giornale Romano*« ad diem 16. Sept. 1859 continens articulum pag. 840, ubi narratur, Ferdinandum Franciosi in Seminario Montisfalisci eo tempore alumnum centenas et amplius theses ex theologia, s. scriptura ac historia ecclesiastica publice disputandas ac tuendas assumpsisse. Cujus disputationis exitus sequenti testimonio ibidem commendatur: »*Il giovane sacerdote estemporaneamente con precise risposte ed acconcie distinzioni accompagnate da ampia erudizione dileguò tutte le difficoltà per guisa che la colta udienza ammirò la svegliatezza del suo ingegno e la profondità de' suoi studii.*« Denique administrator apostolicus dignum eum duxit, quem judicis et examinatoris prosynodalis officio augeret ac decoraret ceu ostendit epistola in eam rem eidem Ferdinando conscripta.

Rationum momenta, quae contra Ferdinandi petitionem in medium afferri possunt, hujusmodi sunt. Certum in primis indubitatumque est, ecclesiam s. Joannis Baptistae terrae Cryptarum Collegiatae titulo ornatam esse. Proposito enim dubio penes hanc sac. Congregationem die 13. Sept. 1856 in *Montisfalisci Collegiatae*:

An constet de Collegialitate ecclesiae s. Joannis Baptistae terrae Cryptarum in casu?

Emmi Patres responderunt:

»*Affirmative et amplius.*« Cumque hujusmodi quaestio prima et unica vice resoluta fuerit cum clausula *et amplius*, merito concludendum esse videtur cunctis omnium Patrum votis affirmativam responsionem prodiisse. Exinde consequitur, ut Archipresbyter, qui collegii illius princeps et caput est, dignitatis titulo minime carere dicendus sit. Dignitatis siquidem titulo honestari solet caput Collegiatae dum haec erigitur; et dum praefata quaestio anno 1856 agitabatur, Episcopus illius temporis ab existentia dignitatis in eo coetu presbyterorum ad Collegialitatis praerogativam asserendam arguebat.

Secundo loco ex iis quae supra statuimus liquido elucescit, archipresbyteratum a Dataria in quatuor statibus, qui penultimam vacationem praecesserunt, uti dignitatem perspicuis verbis denominatum fuisse. At vero nemo nescit titulum a sacratissimo Principe ex certa scientia alicui tributum satis esse, ut ipse eodem titulo potiri censendus sit, ex *Lotter. de re ben. lib. 1. quaest. 14. n. 41.*

Tertio loco in iisdem statibus non modo archipresbyteratum uti dignitatem Dataria compellavit, quin insuper clausulam adjecit, qua eumdem ad gradum academicum infra annum adipiscendum, prouti de dignitatibus fieri solet, teneri praescripsit.

Quarto denique, tametsi archipresbyteratum dignitatem non esse concedendum foret, non idcirco sequeretur quod Ferdinandus a gradu assumendo sese excusare valeret. Nemo siquidem inficias iri praesumpserit, nullatenus summo Pontifici vetitum esse praecipere, ut ii etiam beneficiati, qui alias jure canonico ad lauream obtinendam minime teneantur, ex speciali pontificio praescripto ad eamdem sibi comparandam valeant adstringi. Jamvero ita reapse mandatum esse in literis eidem Ferdinando a Pontifice expeditis manifesta res est; nihil itaque eidem reliquum est, nisi ut apostolicae praescriptioni omnino pareat.

Attamen nec sua desunt oratori Ferdinando argumenta ad exhibitam petitionem sustentandam. Et revera ex eo quod s. Joannis ecclesia Collegiatae titulo fulgeat, minime necessario sequitur quod Archipresbyter ejus caput dignitatis gradum praeseferat, quandoquidem Collegiata stare utique potest, etsi ejusdem caput dignitatis honore destituatur. Nam ad Collegiatam constituendam

satis tantum est juxta *cap. Novit. 4. De his quae fiunt a Prael.*, ut Canonici unum corpus efforment, ita ut adsit caput et adsint membra collegii. Hinc *Frances. de Cathedr. cap. 22. num. 39.* docet: *Ad essentiam ergo collegii plures in unum corpus collecti requiruntur, qui sint in potestate pares in collegio.* Eamdem doctrinam tradunt *Lotter. de re benef. lib. 1 quaest. 14. num. 2, Barbosa Jus eccl. lib. 2. cap. 6. num. 10.* Eisque adstipulatur interpretum sententia; necnon haec sacra Congregatio pluribus in causis ac nominatim in *Marsicana Vocis in capitulo 30. April. 1729.* §. *De jure*, in quo adductis auctoritatibus melioris notae doctorum et Rotae edicitur: Dignitates de jure communi non esse de capitulo idemque videre est in *Guadalaxarien. Electionis 3. Aprilis 1841.* §. *Ad alterum.* Nec aliter se res habet praeterquam quatuor in casibus nimirum: *nisi* (ceu sac. Congr. *in Tolentin. 11. Jan. 1766* §. *Quemadmodum) dignitati sit adnexa praebenda canonicalis vel nisi in erectione e capitulo effecta fuerit, vel nisi ex peculiari sanctione capitulorum vel a consuetudine id obtinuerit.* Ita porro jus commune conciliat *Card. de Luca disc. 46. n. 5. de benef.* et sacer Ordo in allatis locis cum consuetudine, quae in Italia frequentior est, ut dignitates capituli partem efficiant. Ceteroquin non pauca afferri possent exempla, in quibus Collegiatae comperiuntur sine dignitatibus, quanquam ex doctrina *Devoti Just. can. lib. 1. tit. 3. sect. 7.* §. *60.* Dignitas est penes corpus universum.

Secundo neque meliori omine objicitur, archipresbyteratum ut dignitatem semel et iterum a summo Pontifice fuisse denominatum, perinde ac id satis sit, ut hujusmodi titulus actu ac valide eidem adjunctus fuerit. Perspicua siquidem est constitutio synodi Viennensis, quae adest inter Clementinas *de sententia excom. cap.*: *Si summus Pontifex sub titulo cujuslibet dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione vel literis nominet, honoret seu quovis alio modo tractet per hoc in dignitate illa ipsum approbare, non intelligatur aut quidquam ei tribuere novi juris.* Quam constitutionem pro suo instituto romani Pontifices constanter ac perpetuo retinuerunt et confirmarunt, ceu novissime testatus est s. m. Gregorius XVI. in *constitut.: Sollicitudo, Non. Aug. an. 1831*, in qua et ipse eam disciplinam suae vocis calculo roboravit. Animadvertendum est etiam, quod hujusmodi status mutatio post declarationem hujus sac. Congregationis an. 1676 et subsequentem observantiam non levis momenti habenda sit, potissimum ob collationis causam: nam si archipresbyteratus dignitas declararetur, illius conferendi jus non amplius ad curiam episcopalem et Datariam alternis mensibus, ut hactenus fieri consuevit, spectaret, verum ab apostolica Dataria tantummodo semper et nullo habito discrimine conferendus esset. Et his accedit, quod inquisitione facta in tabulariis tum Datariae tum curiae episcopalis tum capituli Collegiatae nullum judicium invenire datum est, ex quo hujusmodi mutationem evenisse dignoscatur.

Tertio loco, quando apostolicae Datariae opinio insederat, archipresbyteratui inesse dignitatem, nil mirum quod Archipresbyterum gradu instructum voluerit: id quod et in hac vacatione Ferdinando praescripsit eodem errore ducta, contra quem sese ipse Ferdinandus opponit. Caeterum jam supra adnotavimus, eos Archipresbyteros, quorum in bullis ejusmodi clausula adjecta fuit, nullum sibi exhibuisse negotium gradus comparandi ac sine eo mortem obiisse. Id autem certe non in spretum neglexerunt: erant enim omnes tum doctrina tum pietate et obsequio conspicui erga apostolicae Sedis mandata; sed potius ex bona fide, propterea quod archipresbyteratum dignitatem non esse, nullumque ex eorum decessoribus laurea aliove gradu praeditum fuisse compertum habebant.

Quarto denique, nemo certe inficiabitur posse Pontificem maximum novum onus Archipresbytero imponere: at hic non quaeritur quid facere ipse valeat, sed potius quid facere voluerit. Quoniam vero ceteroquin praesumendum est, Pontificem sese juri communi conformare voluisse, hinc arguitur, quod, si insolitam gradus assumendi obligationem Ferdinando imposuerit, ea id ratione fecisse dicendus sit, quia, prouti reapse ex bullarum contextu elucescit, archipresbyteratum dignitate auctum existimaverit, etsi id ipsum solida demonstratione hucusque comprobatum non sit. Neque hic praetereundum Concilii Tridentini sanctionem de gradu a dignitatibus gerendo per se vim legis minime praeseferre sed potius diserte protenditur, nullimode vero ad Collegiatas simplices, qualis est Collegiata s. Joannis terrae Cryptarum. En verba synodi: »*Hortatur etiam s. synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri*

potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris et doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico.

Hisce rationum momentis utrinque libratis videant Emmae Vestrae quid respondendum sit dubio:

An et quomodo annuendum sit oratoris precibus in casu?

S. C. resp.:

Affirmative facto verbo cum SSmo, et notificetur ministris Datariae apostolicae pro futuris vacationibus.

Die 25. Junii 1864.

Archivium.

1) Capituli cathedr. et colleg.

Vd. *infra Constit. Bened. XIII.: Maxima.* §. *3. 8.*

a) Clavis.

Vd. *Archiv. parochiale p. 1095 Nucerina; p. 1088.* §. *10. 11.*

Ad dub.: An claves archivii capitularis colleg. Oppidi Ossulae servari debeant penes Archipresbyterum vel potius penes Canonicos a capitulo deputatos?

S. C. resp.:

Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Die 17. Mart. et 14. Apr. 1714.

In archiviis capitulorum duo Canonici praeficiendi sunt cum diversis clavibus et ad biennium; ita tamen, ut alter tantum per vices mutetur, et novus sit cum antiquiori. Constit. Sixti V.: *Provida* 1587.

Periculo vero suo asservanda recipiant per instrumentum et successoribus scripta consignent coram deputato a capitulo. Ideoque inventarium fiat in libro et ea, quae ad praebendas singulorum Canonicorum attinent, in illud inserantur vel saltem exempla authentica. Nec auferri neque describi quidquam liceat sine capituli consensu; quod si detur exscribi, fiat in loco archivii seu capituli coram praefectis archivii. *Ibidem.*

b) Obligatio.

Capitula tam Cathadralis quam Collegiatae habere debent archivium in loco tuto ecclesiae eique praeficiuntur duo Canonici cum clavibus diversis, atque ibi asservantur sigillum capituli, decreta capitularia, libri omnesque scripturae spectantes sive ad universos sive ad singulos Canonicos. *Gratian. discept. forens. cap. 142. n. 27, Scarfant. ad Ceccop. lib. 4. tit. 16. n. 14,* neque per Canonicos extrahi queunt a capitulari grammatophylacio autographa instrumenta, ceterique libri, cum nec ipse Episcopus jure polleat ex capitulari tabulario extrahendi scripturas mensae episcopalis, licet cogere queat Canonicum archivistam, ut sibi ostendat scripturas vel earum exemplar exhibeat, *Pignatell. consult. can. 66. n. 1. tom. 1, et cons. 16. n. 4. tom. 8., Ferrar. Bibliot. can. verb. Capitulum art. 1. n. 12.*

Die 28. Apr. 1827. *Alatrina.*

Servari debent apud capitula cathedralia rationum libri et scripturae; *Franc. de eccles. cathedr. cap. 22. num. 23.* et *cap. 23. per tot.* et sac. Congregatio in *Ferrarien. Confraternitatis 14. Septembris 1782. ad IX.*

Die 21. Junii 1788. *Asculana.*

2) Confraternitatis.

In archivio proprio confraternitatis ss. Sacramenti terrae Bondeni asservari et custodiri debent omnes libri, scripturae et monumenta ad eam spectantia ad nutum Ordinarii loci; s. Cong. C. die 14. Septembris 1782. dub. 9. *Ferrarien.* (Vd. *p. 1087.* §. *4.)*

3) Ecclesiasticum.

(Constitutio et Dispositio.)

Benedictus XIII. Episcopus.
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Maxima vigilantia, quam majores nostri in rerum suarum monumentis ad posterorum

memoriam retinendis semper adhibuerunt, adeo testata et passim literis tradita est, ut nostris verbis praedicari minime egeat; nihil enim frequentius in veterum Patrum scriptis sacrisque conciliorum et ecclesiae sanctionibus legitur, quam scrinia, tabularia, archiva, conditoria et armaria, a temporum atque hominum injuria servandis rerum gestarum documentis, chartis, diplomatibus, codicibus instrumentisque constructa, unde fides et veritas rerum ad successorum recordationem transmitti posset. Nec tantum veteres quidem romani Pontifices antecessores nostri singularem hanc providentiam in custodiendis ejusmodi actis et monumentis identidem ostenderunt, sed caeterarum quoque ecclesiarum pastoribus tantae rei gravitas maxime innotuit, proptereaque rerum sibi creditarum testes literas ad instructionem futurorum summa fide servari voluerunt, quippe qui probe noscent, quantae inde utilitates manarent. E recentioribus ecclesiasticae disciplinae reparator insignis, beatus Carolus Borromaeus S. R. E. Cardinalis et Archiepiscopus Mediolanensis in concilio provinciali I. non uni suae, sed caeterorum etiam Antistitum ecclesiis, sacrae suae Metropoli contributis, summe cavit ob illarum jura sarta tecta servanda de archivis et tabulariis in singulis episcopatibus speciatim erigendis, peculiares canones promulgari statuens, quod et Nos tam gravem et piam disciplinam prae oculis habentes olim in concilio nostro provinciali I. Beneventano, Deo favente, statuimus, majorum exempla secuti, qui in suis constitutionibus non solum Romae, sed praecipue in universis regionibus et civitatibus beati Petri Apostolorum Principis temporali imperio subjectis archiva et tabularia erigi jusserunt, ne scripturae ad res publicas attinentes dispergerentur.

§. 1. Quum vero ad aures nostras rumor pervenerit, in multis episcopatibus et ecclesiis rem tam providam utilemque non sine privato et publico damno negligi, quod, nisi opportuno remedio tollere satagamus, incommoda ecclesiarum facile in immensum crescent, Nos ex debito pastoralis officii constitutionem a Pio V. antecessore nostro pro archivis sedium episcopalium utriusque Siciliae olim vulgatam et fraudes ac subreptiones scripturarum, quae tempore sedium vacantium perpetrabantur, etiam respicientes necessarium putavimus nonnullas alias ordinationes et statuta his nostris apostolicis literis perpetuum rubor habituris edere tenoris sequentis, videlicet:

§ 2. Ut omnes Patriarchae, Metropolitae, Archiepiscopi, Episcopi et Praelati inferiores, Ordinarii locorum nullius dioecesis, jurisdictionem episcopalem exercentes, in tota Italia eique adjacentibus insulis, qui in suo palatio episcopali locum tutum nec cuivis facile adeundum, pro servandis in eo scripturis ad dignitatem et jurisdictionem episcopalem sive ordinariam, mensam et forum suae curiae pertinentibus non habent, statim de loco tantae rei destinando serie cogitent, in quo loco tuto, congruo, non humescenti, unde scripturis lapsu temporis pernicies ulla inferatur, loculi, plutei et armaria, recipiendis scripturis et codicibus apta, disponantur et diligenter clausa custodiantur. Quoad archiva et tabularia olim erecta iidem Praelati pro sua vigilantia eorundem statum sedulo recognoscant, illorum aptae capacitati atque ordini, ut, quoad fieri potest, structura et dispositio omnium archivorum sit uniformis, intra sex menses post harum publicationem provisuri.

§. 3. Hic idem terminus sex mensium injungitur quibuscumque capitulis ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, tam insignium quam non insignium, ut locum opportunum juxta modum jam judicatum disponant in aliqua mansione cathedralis vel collegiatae ecclesiae, ubi commode serventur et custodiantur scripturae, jura et status eorumdem capitulorum respicientes. Seorsum vero armarium habeatur pro scripturis ad jura et statum particularem ecclesiarum cathedralium et collegiatarum attinentibus. Volumus enim, ut archiva capitulorum ab illis, quae sunt ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, omnino distinguantur; ideoque in prospectu et facie, sive anteriori parte cujuscumque archivi sive armarii exterius scribatur, cujusnam sit illud archivum, an scilicet ecclesiae an vero capituli.

§. 4. Haec observanda etiam praecipimus a quocumque Abbate, Priore vel Superiore regulari cujuscumque ordinis, etiam mendicantium, etiam societatis Jesu vel cujuscumque instituti, etiam speciali nota digni necnon hospitalis beati Joannis Hierosolymitani, scilicet pro dispositione, constructione seu constitutione archivi in loco apto, modo, quo supra, intra claustra propriae domus, monasterii seu conventus; idemque omnino executioni mandandum curent abbatissae vel

priorissae et superiores cujuscumque monasterii monialium et sacrarum virginum domuumque piarum mulierum, quae conservatoria appellantur, quaeque per haec scripta non intendimus approbare. Similiter haec eadem constitutio nostra in construendis archivis observetur ab ecclesiis receptitiis, collegiis, seminariis, convictibus, congregationibus, confraternitatibus, hospitalibus, montibus pietatis aliisque locis piis cujuscumque generis et quocumque nomine censeantur, sub administratione rectorum, ministrorum et officialium temporaneorum sive perpetuorum existentibus.

§. 5. Omnes jamdicti Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii locorum et Superiores regularium utriusque sexus, ut supra, postquam congesserint et clauserint vel disposuerint scripturas in archivio extructo, omni diligentia et sollicitudine earumdem catalogum et inventarium conficiendum et cum brevi singularum scripturarum synopsi et lemmate vel summario describendum curent; Episcopi et Ordinarii eumdem catalogum et inventarium a notario seu cancellario curiae episcopalis vel ordinariae, aut, eo impedito, ab alia persona, per eum substituenda, confici curent coram se ipsis seu Vicario generali vel alia persona ab iisdem substituenda, idemque catalogus et inventarium ab eodem notario seu cancellario singulis paginis subscribatur. Catalogus vero in fine totius operis a Praelato, postquam ipse accurate et sedulo recognoverit singulas paginas diligenter conscriptas fideliterque a notario seu cancellario propriae curiae vel a persona ei substituta exaratas, subscribatur. In seminariis autem episcopalibus archivum ut supra erigatur et inventarium scripturarum per publicum notarium, ab Episcopo sive Ordinario eligendum, qui non sit cancellarius curiae episcopalis sive ordinariae, conficiatur coram Vicario generali aut alia persona ecclesiastica a praedictis Ordinariis substituenda et coram uno ex deputatis seminarii, ad horum beneplacitum, etiam alterius vicibus, cum subscriptione illius, qui eidem confectioni interfuerit, ut supra.

§. 6. Catalogus et inventarium archivii capitulorum ecclesiarum cathedralium et collegiatarum per archivistam, ut inferius dicetur, a capitulo eligendum, conficiatur coram duobus Canonicis antiquioribus et peritioribus Cathedralis et Collegiatae eo ordine et subscriptione, quam supra memoravimus. Inventarium tamen et catalogus archivi ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, distincti ab archivo capituli, per hominem a proprio Episcopo sive Ordinario deputatum, coram Vicario generali vel persona ecclesiastica, ab ipsis Ordinariis eligenda, necnon Canonico antiquiore ecclesiae cathedralis vel collegiatae, appositis subscriptionibus eorumdem, conficiatur, ut supra. Inventaria et catalogi scripturarum, quae in archivis monasteriorum et locorum regularium servantur, eodem, quem diximus, ordine conficiantur per archivistam regularem ipsius monasterii seu conventus, ut inferius, eligendum et coram Abbate vel Superiore monasterii, et antiquiore ex monachis regularibus monasterii vel conventus: qui quidem Abbas vel Superior suam subscriptionem apponere debeant.

§. 7. In monasteriis monialium inque domibus piis, quae conservatoria nuncupantur, inventarium et catalogus conficiatur et subscribatur, ut supra, per hominem ab Episcopo sive Ordinario deputatum, coram proprii monasterii confessario et abbatissa vel priorissa sive superiore et vicaria.

§. 8. In ecclesiis conventualibus seu receptitiis, collegiis et seminariis, seorsum a seminariis episcopalibus, ut supra, memoratis, in convictibus, congregationibus, confraternitatibus, hospitalibus, montibus pietatis aliisque locis piis, ut supra, inventarium et catalogus coram primo officiali et camerario cum eorum subscriptione per archivistam, si ibi erit, alias per virum idoneum ab administratoribus eorumdem locorum deputatum conficietur.

§. 9. Hujusmodi inventarii et catalogi, sic, ut diximus, confecti, duo exemplaria inter se prorsus similia conficiantur, quorum unum in archivo ipso episcopali servetur, alterum apud Praelatum dioecesis, ut supra, antiquiorem Canonicum Cathedralis vel Collegiatae, Abbatem vel Superiorem monasterii aut conventus, abbatissam vel priorissam aut superiorem monasterii monialium et conservatorii rectorem vel primum officialem locorum piorum, respective ut supra, ita tamen, ut praefuncti suo munere successoribus illud tradant.

§. 10. Eadem archiva duabus clavibus, et seris inter se diversis aperiantur, quarum una, quoad archiva episcopalia sive Ordinariorum, a Praelato sive Ordinario servabitur,

altera a cancellario seu notario curiae episcopalis vel ordinariae. Archivi autem seminariorum episcopalium una clavis ab Episcopo sive Ordinario, altera ab archivi praefecto, per Episcopum sive Ordinarium eligendo, cum consilio deputatorum eorundem seminariorum custodiatur. Archivi capituli ecclesiae cathedralis vel collegiatae unam clavim ejusdem archivi praefectus servabit, aliam Canonicus antiquior.

§. 11. Ubi mos est, ut beneficiati ecclesiae cathedralis vel collegiatae archivum habeant distinctum a capitulari, de more unam ejus clavim retineat beneficiatus antiquior, alteram beneficiatus archivi praefectus sive archivista, ut inferius dicetur, eligendus. Ubi vero beneficiatorum archivum una cum capitulari conjunctum haberi consuevit, ejus claves juxta eandem consuetudinem retineantur; siqne ab uno ex beneficiatis retineri consuevit, ita pariter observetur. Si vero beneficiati carent archivio separato et distincto neque scripturas ad sua jura pertinentes in archivo capitulari conservant, tunc jubemus atque praecipimus Patriarchis, Archiepiscopis et Ordinariis, ut archivum cum armariis seorsum erigendum curent, modo superius memorato, et scripturarum conservationi prospiciatur. Quoad vero particulare archivum ipsius ecclesiae cathedralis et collegiatae una ex ejus clavibus a Canonico ejusdem ecclesiae cathedralis et collegiatae, per Episcopum sive Ordinarium deputando, altera vero ab ipso Episcopo sive Ordinario retineatur. In monasteriis seu conventibus regularium una ex clavibus archivi a Superiore conventus, altera ab archivista retineatur, In monasteriis monialium piisque domibus, quae conservatoria appellantur, una ex clavibus per abbatissam vel priorem aut superiorem localem, altera per confessarium monasterii aut conservatorii custodiatur. In aliis locis supra memoratis unam archivi clavim rector vel primus officialis custodiat, alteram archivista, ut inferius, eligendus.

§. 12. Quotanis mense Januarii inventario sive catalogo scripturarum illae scripturae adjungantur, quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae fuerunt.

§. 13. Episcopi et Ordinarii tempore visitationis, ex praescripto sacrosancti Concilii Tridentini faciendae, archivum episcopale sive ordinarium omnino visitent et archivum ecclesiae cathedralis vel collegiatae, nimirum armaria, in quibus jura ecclesiae cathedralis vel collegiatae custodiuntur, et scripturas ac jura eadem recognoscant, praesentibus duobus Canonicis antiquioribus et peritioribus capituli. Archivum scripturarum, quae statum et jura capituli cathedralis tantum respiciunt, pariter visitent, exploraturi, utrum scripturae sint bene dispositae, secundum instructionem huic nostrae constitutioni adjungendam, idque agant una cum duobus Canonicis antiquioribus, nec tamen possit Episcopus sive Ordinarius rimari scripturas, quae res ejusdem capituli respiciunt. Praeterea Episcopus sive Ordinarius archivum beneficiatorum cum duobus ex eorum numero antiquioribus pariter visitet, diligenter observaturus, utrum hujus nostrae constitutionis ordinationes adimpleantur. Ubi vero beneficiatorum archivum cum capitulari commune est, in ejus visitatione sibi adjungat duos beneficiatos praeter duos Canonicos antiquiores, ut illud pariter, ut supra dictum est, visitet.

§. 14. Episcopi et Ordinarii, quoad archiva ecclesiarum aliorumque locorum, hoc ipsum agant ad tenorem hujus nostrae constitutionis, quam ubique observari curent, ita tamen, ut in iis locis, in quibus visitationem jure ordinario peragere possunt, eodem jure ordinario archiva praedicta visitent. In locis vero, in quibus iidem Episcopi et Ordinarii jure delegato visitationem peragere possunt, hujusmodi etiam jure delegato memorata archiva explorare et executionem eorum, quae hac nostra constitutione traduntur, promovere possint et debeant, inque relatione sua tempore visitationis sacrorum liminum facienda separatim referant statum archivorum. Praelati vero *Nullius*, ad visitationem sacrorum liminum non accedentes, quolibet triennio evoluto doceant Congregationem S. R. E. Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini de statu archivi deque observatione hujus nostrae constitutionis, et Cardinalis Praefectus, ubi opus fuerit, illam docere eos cogat.

§. 15. Itidem Generales, Provinciales et Visitatores cujuscumque ordinis et instituti regularis ut supra in suis visitationibus, quas facient in singulis monasteriis et conventibus regularium ac monialium sibi subjectarum, peculiariter quaerant, an singula in hac nostra constitutione comprehensa adamussim servata fuerint ac serventur, poenisque in

eadem contentis inobedientes ad observantiam etiam juris remediis compellant. Iidem visitatores suis Superioribus in relatione visitationis statum archivorum in dictis monasteriis et conventibus visitatis a se repertum referant; seque executioni hujus constitutionis sedulo invigilasse omnino doceant; pro qua executione, ubi necessitas tulerit, Superiorum auctoritatem implorare non desinant. Immo in capitulis provincialibus et generalibus Superiores conventuum et monasteriorum seu provinciarum de observantia hujus nostrae constitutionis, quoad archiva erigenda et conservanda in suis monasteriis seu conventibus, rationem hujusce rei exigant.

§. 16. In singulis capitulis Cathedralium seu Collegiatarum quotannis inter caeteros officiales archivista ex corpore capituli eligatur. Idem pariter de monacho seu religioso in monasteriis seu conventibus regularium agatur, ubi caeteri officiales a conventualibus, sive a Superioribus eliguntur, qui facultatem habeant eligendi officiales eorundem monasteriorum sive conventuum. In reliquis locis piis sive confraternitatibus, superius memoratis, ubi adest collegium, inter caeteros officiales ab eo eligi solitos omnino eligatur archivista pro fideli custodia dictorum respective archivorum. Ubi vero non eliguntur officiales ab Ordinario vel deest collegium eos electurum atque homo, archivistae muneris capax, tunc rector dicti loci pii custodiat archivum vel aliquem virum probum et fidelem pro ejusdem custodia deputet.

§. 17. Praelati sive utriusque sexus Superiores suae ecclesiae scripturas archivo inferendas curent, secundum instructionem inferius recitandam.

§. 18. Ordinarii, priusquam inventarium archivi sui concinnandum curaverint, sedulo inquirant chartas scripturasque usurpatas, alio distractas atque dispersas; quod praesertim sede vacante contingere solet; et quacumque necessaria remedia adhibeantur, ut eaedem scripturae archivo restituantur vel ubi lateant manifestetur. Qui non sunt Ordinarii coram Ordinariis, auxilium judiciarium praestantibus, agant pro scripturarum recuperatione inque archivum suum translatione.

§. 19. Decessurus vel ad longum tempus extra dioecesim abiens Episcopus, Praelatus sive Ordinarius inventarium scripturarum archivi, suo sigillo obsignatum, teneatur omnino dare proprio confessario aut alicui superiori regulari ejusdem civitatis cum syngrapha receptionis tradatur, juxta memoratam Pii V. praedecessoris nostri constitutionem. Superior autem novo electo Episcopo seu Ordinario vel antiquo illuc redeunti idem inventarium tribuat, restituta syngrapha receptionis Superiori. Si tamen obitus jam dicti confessarii vel superioris ante novi Episcopi seu Ordinarii electionem sive reditum supradictum evenerit, tunc inventarium et syngrapha memorata confessariis eorum respective, adhibita simili cautione, tradantur et executioni demandetur, quod ipsis morte praeventi adimplere nequiverint.

§. 20. Obeunte Praelato capitulum, antequam ad Vicarii capitularis electionem deveniat, diligenter inquirat, an inventarium scripturarum archivi episcopalis, quod penes se servare debebat, reperiatur, agnoscatque an impleta fuerit praedicta nostra dispositio, qua traditio inventarii proprio confessario facienda decernitur, ut superiori regulari tribuatur: quod inventarium si repertum fuerit, capitulum illud superiori regulari, ab eo tute et fideliter usque ad novi Praelati electionem custodiendum, tradere teneatur. Si autem idem inventarium minime fuerit neque constiterit, fuisse traditum modo, quo supra, tunc debeant duo antiquiores Canonici archivi claves penes se suscipere idemque archivum coram duobus testibus presbyteris non capitularibus suis propriis sigillis exterius munire, ut a clavibus minime reserari possit. Nec capitulum vel Vicarius capitularis ejusdem archivi sigilla disrumpere aut reserare audeant aut possint, nisi prius iidem duo Canonici antiquiores, fractis sigillis et aperto archivo coram duobus presbyteris non capitularibus, scripturas ipsas contulerint cum inventario authentico, quod juxta nostram hanc dispositionem in eodem archivo servandum est. Si vero minime repertum fuerit inventarium in archivo, jamdicti duo Canonici teneantur manu publici notarii accurate duplex inventarium scripturarum archivi, ut supra, conficere, quorum unum in archivo servetur, alterum superiori regulari, ut supra, tradatur: alias si hujus nostrae constitutionis et dispositionis transgressores extiterint et archivum reserare praesumserint, praeter poenas generales inferius imponendas, tam capitulum quam Vicarius capitularis obstricti sint cuicumque detrimento, quod inde

evenire contigerit, parti et fisco ob scripturas ex archivo subreptas; necnon aliis poenis arbitrio successoris Episcopi seu Ordinarii subjaceant.

§. 21. Post obitum Episcopi claves archivii apud duos Canonicos, a capitulo deputandos, remaneant, nec commissario apostolico, sede vacante, ullo pacto tradantur: sed tantum permittatur, ut ille una cum Canonicis deputatis in archivo scripturam aliquam, suae commissioni necessariam, scrutari possit: inde tamen nullam transferat, cum novus Episcopus a capitulo scripturarum ex archivo episcopali translatarum omniumque ad ecclesiam seu mensam episcopalem pertinentium rationem exigere debeat, ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 16. de reformatione.*

§. 22. Ex archivis non liceat efferre scripturas sine Praelati vel Superioris facultate illas exscribendi easdemque post triduum in suum locum restituendi, ubi syngrapha receptionis, triduano tempore limitata, reponatur Hanc syngraphan scripturas recipiens sua manu in codice ad hoc retinendo in eodem archivio subscribat, Ordinariis tamen locorum reservata facultate prorogationis temporis, quae moderate concedatur.

§. 23. Ad processus quacumque occasione postulante facile inveniendos, volumus, ut notarii, tabelliones et actuarii unius mensis spatio ab expeditione causarum, archivistae eosdem processus quoscumque, criminales, civiles et quamcumque rem continentes, ecclesiasticam vel temporalem, tradere teneantur, per eum in archivo reponendos atque servandos: quos pariter inventario scripturarum singulatim recensebit sub poena transgressoribus privationis officii et futurae ad id obeundum inhabilitatis, praeter alias poenas, in hac constitutione sancitas. Ubi archivistas et scripturarum custodes mutari contigerit, hic successoribus suis omnes scripturas, per publicum documentum inde confectum, exhibeant; alias hi aeque ac successores de scripturis deficientibus rationem reddant.

§. 24. Denique, ut prospiciatur conservationi scripturarum, ad ecclesiam, parochias, capellanias, altaria, loca pia et causas quoque pias pertinentium, quae per collationem vel nominationem seu praesentationem canonicam vel quocumque alio modo reguntur et administrantur per virum ecclesiasticum vel saecularem, non vero per collegium, et propterea difficilius est archivium, secundum jamdictam instructionem formatum constituere, volumus, ut Ordinarii in visitationibus pro suo arbitrio et prudentia eidem scripturarum conservationi provideant, erectionem archivii fieri mandantes regulasque praescribentes, quas rei aptiores fore cognoverint, subjectae instructioni se conformare pro opportunitate curantes.

§. 25. Omnium et singulorum hactenus expositorum executionem sub praecepto sanctae obedientiae quibuscumque, ut supra, personis, respective, injungimus, ab iisque servari volumus et mandamus; immo rursus Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque Ordinariis, habentibus usum Pontificalium, sub poena suspensionis ab eorum usu, arbitrio summi Pontificis, capitulis autem ecclesiarum cathedralium et collegiatarum sub poena interdicti, reliquis ecclesiasticis saecularibus in sacris constitutis sub poena suspensionis a divinis, regularibus utriusque sexus suspensionis ab officio et privationis vocis activae et passivae, saecularibus sub poena excommunicationis majoris; quarum censurarum et poenarum absolutio et relaxatio reservetur romano Pontifici.

§. 26. Curent propterea universi Praelati supradicti et Superiores regulares omni diligentia quaelibet hac nostra constitutione contenta undequaque observari, ad avertendum praejudicium grave, quod imminere posset ecclesiis ex occultatione jurium, pro quorum custodia et conservatione ipsi pro viribus laborare tenentur ex onere assumpto in ipso limine receptionis suae dignitatis et muneris: proindeque inobedientes nedum juris remediis ad observantiam eorum, quae hac constitutione vulgantur, cogere possint, sed debitis poenis in eos, qui muneri suo deerint, animadvertere non omittant.

§. 27. Decernimus autem easdem praesentes de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari aut in jus vel controversiam vocari nunquam posse, sed illas semper perpetuo validas et efficaces fore suosque plenarios effectus sortiri atque ita per quoscumque judices, etiam causarum palatii apostolici auditores et camerae clericos ac S. R. E. Cardinales, sublata eis quavis aliter judicandi vel interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; irritum

quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 28. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus apostolicis de non tollendo jure quaesito et quorumvis capitulorum, ecclesiarum, monasteriorum aliorumque piorum locorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, exemptionibus, immunitatibus, a Nobis et praedecessoribus nostris, sub quibuscumque tenoribus et formis et cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessis ac in futurum concedendis. Quibus omnibus, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis in suo robore alias permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium exemplaribus manu et sigillo cujusvis publici notarii vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§. 29. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae institutionis, voluntatis, mandati, statuti et ordinationis infringere vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum 1727 XVIII. Kal. Julias.

Notissima est dispositio concilii romani praecipientis, ut ab unaquaque ecclesia caute et diligenter asserventur scripturae et monumenta ad illam pertinentia; quare *tit. 12. cap. 6.* sic mandat: Hinc ad ecclesiarum monumenta servanda tuto in unaquaque ecclesia cathedrali praesertim collegiata et parochiali, ubi tamen instituta non sunt archiva, quamprimum instituenda praecipimus. Scripturis omnibus ad eas pertinentibus compulsatis, recensitis et summatis cum suo indice seu catalogo archivistae manu subscripto: Quod in hospitalibus, confraternitatibus locisque aliis piis consimilibus fieri mandamus, ne scripturae per manus aberrantes, deperdantur vel iniqua usurpantium cupidine rapiantur et occultentur. Si cui vero ecclesiae vel pio loco proprii non suppetant instituendi vires archivi, a singulis in episcopali archivo speciali constituatur armarium, in quo libri et scripturae omnes suo ordine reponantur.

Die 14. Septbr. 1782. *Ferrarien.*

4) Episcopi.

Vd. *p. 1086. n. 3.*

a) Auctoritas publica.

Episcopale archivium auctoritatem habet publici archivii.

Die 21. Apr. 1792. *Caesenaten.*

b) Extractio.

Vd. *Archivium* (Scripta); vd. *p. 1091.* § *22.*

Documenta, quae adinstar secreti confessionalis in episcopalibus cancellariis deponuntur, non possunt exinde extrahi, quamvis necessaria sint in judicio civili ad usum probationis. N. N. suo testamento edixerat, ut sua conjux sibi superstes esset haeres usu fructuaria cum onere, ut alimenta praestaret cuidam Titiae et filio hujus Alexandro: haeres autem proprietarius esset iste Alexander, qui si decesisset improles, filios Mariae, suae ex sorore nepotis, substitutos voluit.

Maria statim post mortem testatoris in judicio civili actionem de testamenti nullitate promovit contendens Alexandrum esse ex adulterio testamentoris filium. Quod ut concludenter constare posset, petivit, ut quaedam documenta, quae in cancellaria archiepiscopali deposita affirmabat, in lucem edi juberentur. Hinc judices civiles decreverunt: *Constare del' diritto di Maria a conseguire l'esibizione de' documenti mediante il compulso.*

Cum autem Ordinarius huic decreto parere detractaret, penes S. C. Episcoporum et Regular. reclamatum est, contendente eodem Ordinario: *che i documenti di N. N. (testatore) furono confidati a me quasi come a maniera di sacramentale confessione e per impulso di timorata coscienza.*

S. C. in plenario conventu audito voto consultoris propositoque dubio: *Se e come si abbiano a comunicare i richiesti documenti all' accennato Tribunale di ....; o piuttosto imporre sull' oggetto un perpetuo silenzio?*

Emmi Patres rescripserunt: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Die 25. Febr. 1842.

c) Obligatio habendi.

Advertendum est concilium romanum *tit. 12. cap. 3.* Episcopis demandasse, ut in episcopio et loco quo possit tutiori simul et commodiori archivum retineatur atque in illo *curiae processus atque scripturae omnes tam ad Episcopi mensam quam ad dioecesim etiam universam pertinentes suo ordine reponantur.* Prae oculis pariter habenda est resolutio sacrae Congregationis in *Civitatis Castellanae* et *Hortanae die 8. Junii 1624,* in qua:

Episcopum in una ex dictis civitatibus existentem posse per seipsum cognoscere causas alterius civitatis vel dioecesis adhibito notario sibi beneviso tam in processibus conficiendis quam in actis visitationum conscribendis, sed tamen debere eum habere rationem, ut id non passim, sed raro et aequa ex causa fiat, et in arduis tantum et gravioribus negotiis, ne constitutio unionis eludatur dicto lib. 12. decret. pag. 173.

Die 14. Sept. 1782. *Viterbien.*

Scripturae et instrumenta, quae conficiuntur et rogantur a cancellario Episcopi, tamquam cancellario, servari debent in Episcopi cancellaria, non autem transferri debent ad archivium communitatis, sac. Congreg. Concilii in *una civitatis Castelli 19. Sept. 1625,* ut constat ex sequenti attestatione ad literam relata a *Pignatello tom. 4. consul. 210. num. 3:*

»Nos Scipio S. R. E. presbyter Cardinalis sanctae Susannae fidem facimus et attestamur in regesto literarum sacrae Congregationis Concilii extare literas ad Vicarium Perusinum una cum libello infrascripti tenoris videlicet:

Admodum R. D. Cum actum esset in sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum de asservatione scripturarum fori episcopalis civitatis Castelli inter Episcopum et communitatem ejus civitatis sacra Congregatio auditis partibus censuit: Scripturas omnes rogatas a cancellario episcopali, tamquam illius curiae cancellario, esse asservandas et custodiendas in cancellaria ipsius Episcopi, et ne ejusmodi scripturarum separatione oriantur controversiae et scandala, tibi, quod facimus, committendum duxit, ut illuc te transferas et scripturas in folio his literis adjuncto exaratas, ac si quae aliae rogatae fuerint a cancellario episcopali, tamquam illius curiae cancellario, separes a scripturis archivii communitatis et ad cancellariam ipsius Episcopi deferendas cures; quod pro tua diligentia sedulo efficies et bene valebis in Domino.

Romae 19. Sept. 1625.

Et exinde enumeratis omnibus scripturis pertinentibus ad curiam episcopalem sic praecise respondit: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit scripturas expressas, ac si quae aliae rogatae fuerint a cancellario episcopali, tamquam cancellario illius curiae, esse asservandas in cancellaria ipsius Episcopi.

Romae 15. Novembr. 1625. Vide apud *Pignatell. loc. cit. num. 4.*

Quinimmo potest Episcopus per dictum praeceptum facere aliis notariis, quod exhibere debeant in cancellaria episcopali acta seu rogitus illorumque exemplaria spectantia ad monasteria monialium.

Sacra Congregatio Episcop. et Regul. in una *Eugubina* 31. Januar. 1596.

d) Quae sunt asservanda?

Vd. *Archiv. ecclesiast. p. 1086.*

Quod in episcopali archivo sit asservandum, ex decreto sacrae Congregationis Concilii Tridentini discimus; nempe: Processus et acta civilia, criminalia et mixta facta in foro episcopali, sententiae in iisdem causis latae, compositiones cum reis requisitis, praecepta et decreta quaecumque inter personas ecclesiasticas aut etiam laicas in causis spiritualibus vel alios ad forum pertinentes, edicta cujusvis generis, statuta et ordinationes ecclesiarum, mandata, procurae pro negotiis episcopalibus, scripturae mulctarum et poenarum, item supplicationum et absolutionum, acta synod., visitationes ecclesiarum monasteriorum necnon piorum locorum cum decretis, registra bullarum apostolicarum ad eamdem curiam directarum, collationes et institutiones beneficiorum eorumque concursus et renunciationes ac permutationes et scripturae omnes beneficiales, instrumenta traditionis possessionis eorumdem, erectiones Parochialium, beneficiorum, capellaniarum et fontis baptismalis, acta cognitionum, ca-

nonizationum personarum tam ecclesiasticarum quam laicarum seu mixtarum, scripturae concernentes executionem dispensationum matrimonialium et aliarum literarum apostolicarum, remissiones denunciationum, divortia et aliae matrimoniales scripturae, explorationes voluntatum novitiorum, licentiae profitendi et aliae hujus generis scripturae ad moniales spectantes, interpositiones auctoritatis et decreti in renunciatione novitiorum et alienationibus aliarum personarum fori episcopalis, et instrumenta dotis monialium; licentiae accedendi ad monialium monasteria aut in ea ingrediendi, scripturae consecrationis ecclesiarum, altarium, coemeteriorum, campanarum etc. Item professiones fidei; itemque visitationes liminum; scripturae ordinationum et collationis chrismatis, monitoria ad finem revelationis, approbationes confessariorum et curatorum, dimissoriae et commendatitiae, licentiae pro parochis, Canonicis aliisque clericis abscedendi a dioecesi cum literis testimonialibus, erectionis seminarii, locationis in emphyteusim bonorum episcopatus, feudalium ejusdem mensae et aliorum beneficiorum.

S. C. C. die 8. Dec. 1626. *Comen.*

S. Congregationis Concilii decretum.

Instetit R. P. D. Josephus Ugolini Praefectus archiviorum, ad evitanda scandala et controversias inter Episcopos et communitates civitatum, ut iterum declaretur a S. C.: an servandae sint in cancellaria episcopali sequentes scripturae rogatae a cancellario episcopali tamquam illius curiae cancellario, videlicet:

Processus et acta civilia, criminalia et mixta facta in foro episcopali, sententiae in iisdem causis latae.

Compositiones cum reis inquisitis in curia episcopali.

Praecepta et decreta quaecumque inter personas ecclesiasticas aut etiam laicas, in causis et negotiis spiritualibus vel aliis ad forum ecclesiasticum pertinentibus.

Edicta cujusvis generis, statuta et ordinationes ecclesiarum, mandata procurae, pro gerendis negotiis episcopatus.

Scripturae mulctarum et poenarum, item supplicationum et absolutionum; acta synodi, visitationes ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum, earumque decreta.

Regesta bullarum apostolicarum ad eamdem curiam directa.

Collationes et institutiones beneficiorum eorumque concursus et renunciationes et permutationes et scripturae omnes beneficiales.

Instrumenta traditionis possessionis eorumdem beneficiorum; uniones beneficiorum, erectiones Parochialium, beneficiorum, capellaniarum et fontis baptismatis.

Acta cognitionum, canonizationum, patronatus tam clericorum quam laicorum seu mixtorum.

Scripturae concernentes executiones dispensationum ac aliarum literarum apostolicarum.

Remissiones denunciationum et aliae scripturae matrimoniales.

Explorationes voluntatum novitiorum, licentiae profitendi et aliae hujus generis scripturae ad monasteria spectantes.

Interpositiones auctoritatis decreti et in renunciatione novitiorum et alienationibus aliarum personarum fori episcopalis et instrumenta dotis monialium.

Licentiae accedendi ad monasteria monialium aut in ea ingrediendi.

Scripturae consecrationis altarium, coemeteriorum, campanarum et hujusmodi.

Item professionis fidei: item scripturae visitationis Liminum, scripturae ordinationis et collationis chrismatis.

Monitoria ad finem revelandi.

Approbationes confessariorum et curatorum, dimissoriae et commendatitiae, licentiae pro parochis, Canonicis et aliis clericis discedendi a dioecesi cum literis testimonialibus.

Scripturae erectionis et institutionis seminarii.

Item locationis in emphyteusim bonorum episcopatus et aliorum bonorum ecclesiasticorum.

Ac praeterea ut declaretur, an idem procedat super quibuscumque contractibus permutationum, alienationum bonorum mensae episcopalis, alienationum bonorum ecclesiasticorum. sive ad loca pia sive ad legata pia etiam laicalia pertinentium.

S. C. Eminentissimorum S. R. E. Card. Concilii Tridentini interpretum inhaerendo declarationibus alias factis rescripsit:

Scripturas omnes in superius descripto folio etiam postremo loco indicatas et si quae aliae rogatae fuerint a cancellario episcopali tamquam illius curiae cancellario, esse asservandas in cancellariis episcopalibus.

Die 9. Julii 1825.

5) Pro libris administrationis bonorum ecclesiast.

Vd. *supra p. 187. n. 3. Aquinaten*

6) Parochiale.

Vd. *Archivium ecclesiasticum p. 1086.*

Nucerina.

Intra fines Nucerinae dioecesis binae simul unitae reperiuntur paroeciae, quarum altera sita est in villa Liceti sub invocatione s. Sabinii, altera in contermino pago Gavillii sub titulo s. Erculani. Quonam praecise tempore quave de causa earumdem unio contigerit non constat. In more tamen hucusque fuisse fertur, ut rector munia parochialia in alterutra quidem ecclesia alternatim fere perageret, residentiam vero Liceti haberet, ubi amplioribus commodioribusque aedibus perfruebatur Quum vero parochus nuper propriam sibi domum extruxerit penes Gavillium ibique morari coeperit, Liceti incolae acriter ea de re conquesti sunt, atque oblato libello die 26. Augusti 1863 haec S. H. O. exponenda curarunt: »*Circa 400 anni sono alla loro parrocchia di Licto fu unita la comparrocchiale di Gaville, dichiarando si nell' istromento di unione che Liceto sarebbe stata la madre, e Gaville la figlia dando a questa due sole messe al mese nei giorni di Domenica, e in tutto l' altro che restasse Liceto intatto, com' era prima. Le cose fin qui hanno caminato in pace e bene, com' era stato stabilito nell' unione. Adesso il nostro parroco arbitrariamente ha lasciato la residenza delle case parrocchiali di Liceto dove è stato sempre, ed è andato ad abitare a Gaville, dove si ha fabbricato ne' suoi terreni un casino, perchè in Gaville alla chiesa vi ha una sola e piccola cammera a piano terra e a tetto. Ciò posto il popolo di Liceto fa istanza affinchè il parroco ritorni alla solita residenza di Liceto, perchè*

1. non abitando le case parrocchiali, queste vanno a deteriorarsi:

2. perchè la chiesa rimane sempre chiusa:

3. perchè la lampada rimane spesso smorza, giacchè viene custodita da un inquilino, che poco ci attende:

4. perchè nen vogliono perdere i loro diritti, e desiderano godere di quei vantaggi spirituali, che porta con se la residenza del parroco.... perchè il sunnominato loro parroco in quest' anno li ha privati.... di un triduo prima della festa del loro protettore, della novena del s. Natale, della messa nei venerdi di Marzo con le solite funzioni, il giovedi santo del sepolcro, della benedizione la sera in tutte le feste dispensate della s. messa; funzioni tutte, ch' erano solite a farsi nella loro chiesa parrocchiale.

Di più ha portato a Gaville il calice ed ostensorio di argento, il Crocifisso e Lanternoni per le processioni, cose tutte fatte dalla compagnia (id est confraternitate s. Sacramenti) *di Licto, e sempre conservate nella chiesa parrocchiale di Liceto.*

Nell' archivio vi erano tre chiavi, una la teneva il parroco, le altre due una per ciascuno i Sindaci: adesso se ne trova una sola, che la tiene il parrocco, cose tutte che il detto popolo umilmente reclama.«

Rogatus Nucerinus Ordinarius pro informatione et voto haec sedulo retulit »Quamvis diligentissime acta hujus curiae ecclesiasticae generalis perlustraverim, nullum prorsus tabularum vestigium quas in suis precibus indigitant Licetani invenire datum fuit. At si non inficiari audeam quod ab oratoribus tam firmiter ac aperte asseritur, neque tamen plenam fidem eorum dicta mereri putarem. Agitur enim de paroeciarum unione, quae vi alicujus decreti fieri potuit, quin ulla tabularum solemnitas servaretur: agitur de re antiquissima, et quamvis praedictae tabulae fuerint exaratae, nil mirum quod diuturno temporis lapsu sint tandem deperditae. Quidquid vero sit, hanc penes curiam generalem plura sacrae visitationis decreta sarta tecta asservantur et ea praesertim ab Episcopo Camagliani edita anno 1573 tanquam hujus Nucerinae dioeceseos visitatore apostolico, quae cum sint accuratissima, non parum lucis in tanta notitiarum obscuritate effundere valent.«

»Et primo eruitur hoc monumento ecclesias parochiales s. Sabinii de villa Liceti ac alterius s. Erculani de Gavillio a Dioecesani jurisdictione fuisse omnino exemptas easque obnoxias Abbati pro tempore monasterii s. Emiliani prope Saxi ferrati civitatem, ad quem ipsa collatio pertinebat. Eruitur insuper quod ante Camagliani sacram visitationem jam vigeret praedictarum ecclesiarum unio atque unus rector ad explenda munera parochialia cum quadam alternativa designaretur. Eruitur demum, ut Gavillii ecclesia tum ob ejus antiquitatem tum ob reddituum atque familiarum amplitudinem alteri de Liceto praeemineret.«

»His praenotatis haud scitum quo Licetani innitantur fulcro, ut matricis qualitatem vindicare velint suae ecclesiae respectu alterius de Gavillio. De hac enim praerogativa nulla equidem mentio facta est in citato decreto, ex quo immo argumenta deduci queunt, quae potius denegare quam assentiri suadeant. Revera Licetanae ecclesiae deest antiquitas, qua corruente et matricis qualitas nisi antiquiorem esse posse filialem, et minus antiquam matricem admittatur, quod absurditatem plane redoleret. Desunt ei certi honores, quos ecclesiae matrices modo plures modo pauciores a filialibus reservare sibi solent, et re ipsa nullum horum signum occurrit in ecclesia Gavillii, ex quo semel ut ita dicam praestitiss colligatur. Deest causa, deest origo, quare una parochialis ecclesia dicatur matrix, altera filialis. Proprie enim dicuntur matrices et filiales ecclesiae, ubi nova parochialis ecclesia erecta est divisione facta ab antiqua, instituto in nova vero officio parochiali et remanente in antiqua una cum officio parochiali intra contradictiores limites tantum certo honore respectu divisae plebis. Ad quae stabilienda atque fulcienda nisi adlaborent Licetani, non videtur quod reipsa sed nomine tenus haec matricis qualitas eorum ecclesiae tribuatur. Ex quo vero fonte hujusmodi suboriatur opinio non est equidem perspectum: at censerem, ut ex plenitudine illorum jurium invaluerit, quibus ecclesia s. Emiliani has super paroecias sibi subjectas potiebatur: nam earum dependentia ab ecclesia antiquiori atque digniori, uti erat illa s. Emiliani, potuit procul dubio tale ingerere obsequium, quo prima matrix, aliae duae filiales appellarentur. Et re quidem vera plura extant judicialia acta, quae non leve praebent judicium, quod res ita obtigisset. In his enim cum praedictae duae paroeciae membra habeantur, merito consequitur, ut ecclesia s. Emiliani illarum caput esse dicatur. En ratio fortasse cur filiali Cavilii ecclesia adhuc nuncupetur. At re intimius inspecta haec qualitas tam impropria nil aliud evincit, quam praefatas duas paroecias communem originem et dependentiam habuisse, qui Licetanis faveat vel jura Gavillianorum turbet atque laedat. Utraque igitur paroecia par est censenda, ac neutra potior evadit ut matricis praerogativam sibi queat usurpare. Quod vero attinet ad rectoris residentiam, utrum nempe Cavillii aut Liceti residere debeat, quaestio non est sane recens, cum usque ab anno 1573 sub Episcopo Camagliano a Licetanis fuisse permotam videatur. At ipse neque dirimere voluit neque blandiri curavit. Nam rationibus hinc inde perpensis, ac praesertim antiquitate qua praestat ecclesia Cavillii, necnon tenuioribus illius Liceti proventibus opinionem tantummodo edixit non amicam certo ipsis Licetanis, eo quod improbare nesciverit, ut parochus si ipsi libeat penes etiam Gavillium immorari possit, ceu constat ex disertissimis decreti verbis: »verum pro reddituum tenuitate (id est Liceti) et antiquitate alterius (nempe Gavillii) non improbaretur si rector in altera earum resideret.«

»Quae opinio arbitrii sane expers et naturae unionis consona apprime videtur. Etenim in pluribus Remmorum Episcoporum decretis dictas ecclesias modo asseritur esse simul unitas, modo ad invicem, modo denique esse comparochiales. Alternativa quoque missarum aliarumque sacrarum functionum est inter utramque statuta, ac ita distribuuntur, ut duarum ecclesiarum aequalitas omnino fere servetur. Tandem quod praedictae paroeciae nullam inter se praeseferant distinctionem, Episcopus affirmare non dubitavit ac proinde decernere, ut onus reficiendi tum ecclesias tum parochiales domus ad unamquamque plebem pertineret, uti patet ex decreto diei 10. Decembris 1856, ubi superiora quae diximus recoluntur. Quae omnia si perpendantur, modus atque indoles peractae unionis in comperto esse videntur. Quid enim in jam allatis decretis reperitur, quod vel suppressionem unius aut alterius ecclesiae denotet vel ob jam suppressam alteri accresceret? vel quod aliquam indicet subjectionem qua una appareat principalis, altera accessoria ut a principali jura atque honores haec mutuetur? Nulla equidem decretorum verba huc spectant: immo dictiones simul, ad invicem comparochiales, satis ostendunt, talem obvenisse paroeciarum conjunctionem, quae nil earum juribus officeret, nil immineret, sed ex duabus una coalescens, utraque aequis rationibus consistat ac duae maneant ecclesiae, quibus unus rector praeficiatur atque animarum curam exerceat. Quapropter non aliam unionis speciem, in casu de quo agitur, locum obtinuisse arbitror, quam eam quae dicitur principalis, cujus effectus est, ut unumquodque beneficium jura sua ac privilegia integra servet atque eadem maneat beneficiarii conditio, quin cohiberi possit, ut potius

in una, quam in altera paroecia suam figat residentiam.«

»Hucusque de juribus: nunc ad ea quae sunt facti. Et illud primo recolam, quod ex diuturnissima parochorum observantia dimanat. Perspectum est enim eos fere semper penes Licetum resedisse, ubi parochialis aedes satis ampla et commoda habetur, qua certo non gaudet Gavillium, cum domo nimis parva atque indecora potiatur. Qua ex circumstantia clare inde patet, quod, si Liceti domum inhabitaverint rectores, non tam eorum electioni quam necessitati tribui debet. In praesentiarum haec necessitas minime urget modernum parochum, eo quod prope villam de Gavillio proprio aere privatam domum extruxerit ac ibi resideat. Et quamvis interruptio veteris observantiae haud denegari queat, tamen non putarem quod haec et arbitrio laboret et in animarum perniciem vertatur. Omne enim arbitrii specimen cito concidit, dummodo parochis factam esse facultatem residentiae locum sibi eligendi concedatur; multo dein minus pertimescendum erit aliud grave malum, nam si animadvertatur, parochiam de Gavillio pluribus constare animabus pluresque familias de Liceto esse eidem commodiores, praesertim quae in villa degunt Collestacchi, haec duo ob actualem rectoris residentiam assequeremur, nimirum ut majori parti christifidelium ad propriam paroeciam facilior pateret aditus ac rector eorum spirituali bono majori cura atque sollicitudine advigilare posset.«

»Pauca tandem pro coronide addam de parochialibus functionibus in ecclesia Liceti praetermissis necnon de sacris utensilibus, quae ad praefatam ecclesiam spectare tantum dicuntur. Quamquam vera sit alternativae legis transgressio, non est tamen laudati parochi culpae omnino tribuenda: namque partim articulario morbo, quo ipse interdum afficitur, debetur, partim ex eo quod pons supra flumen Sentinum, quo duae paroeciae limitantur, sit jamdiu collapsus ac ejus ruina impediat, quominus hyemali praesertim tempore ob aquarum copiam ad Liceti villam commode transvehatur. Quoad vero utensilia sacra, quibus confraternitas Corporis Christi de Liceto potitur, ex diplomate archiconfraternitatis ss. Sacramenti super Minervam edito anno 1776 eruitur, quod praedictum sodalitium pro communi paroeciarum bono et utilitate fuerit erectum, cum verba ipsius diplomatis ad utramque referri et utramque amplexari videantur. Qua posita communione jura quoque ac bona communicari debent, ideoque dictorum utensilium usus, qui obtinuit in Gavillio pro quibusdam diebus solemnioribus, arbitrii nota haud affici mereretur.«

Hisce Ordinarius adjecit decretorum exemplaria, quibus suffultus in prolatam sententiam devenit; necnon elenchum incolarum utriusque ecclesiae, quo demonstratur, Gavillium septem super quadraginta familiis constare, quae populum 241 capitum conflant, Licetum vero triginta duas familias recensere, quae 191 capita simul exhibent.

Monitis interesse habentibus ut propria jura, quatenus vellent, ulterius deducerent, Licetani protulerunt decretum anni 1718, quo praescriptum fuit, ut rector alternatim celebraret in unitis ecclesiis, exceptis solemnioribus festis Nativitatis, Purificationis, Paschatis et Pentecostes, quibus Sacrum Liceti perlitare teneretur. Exhibuerunt pariter testimonium praecedentis parochi, qui affirmat vetustissimam se perlegisse memoriam in Licetano tabulario. Exhibuerunt tandem undecim testes, qui ea comprobant, quae in libello exposita sunt tum quoad parochi residentiam tum quoad praetermissas functiones, tum quoad defectum clavium tabularii penes syndicos, ex quo verendum ajunt, ne documentum aliquod ad rem praesentem faciens furtim subtrahi valeat. Parochus vero nihil deducere censuit.

Qua super re dum sapientissimum EE. VV. judicium contendentes praestolantur, breviter ego quaedam juris animadversiones pro meo munere subjiciam. Ac recolam primum canonicis sanctionibus ac praesertim *sess. 23. cap. 1. de reform. Trident. synod.* solemniter parochis injunctum fuisse, ut in propriis ecclesiis resideant. Cujus parochorum obligationis adeo rigida interpretatio penes H. S. C. semper obtinuit, ut eadem non semel rescripserit, parochum cogendum esse residere in domo parochiali vel in propinquiori, nec eidem licere habitare in ecclesia filiali sita in destrictu parochiae, ceu pluribus allatis exemplis referunt *Bened. XIV. instit. n. 18, Barbosa de officio et potestate parochi, part. 1. cap. 8. n. 37.* Haud igitur ambigendum quod parochus taxative et formaliter apud plebem ecclesiamque cui praeest morari debeat. Dubium vero exoriri posset, ubi unicus rector duabus vel pluribus ecclesiis unitis foret praefectus.

Triplici enim modo fieri potest unio duarum ecclesiarum. Primo scilicet, quo binae ecclesiae ita conjungantur, ut in unum corpus omnino coalescant, neutra in suo proprio ac individuo esse perseveret, sed privilegiis, juribus, consuetudinibus, praerogativis ad invicem communicatis ex utriusque unione nova veluti et individua ecclesia exoriatur. Quod unionis genus *incorporativum* seu *promiscuum* nuncupari solet: *Fagnan. cap. Novit. ne sede vac. n. 2.* et *cap. Exposuisti n. 34. de praebend., Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. n. 28, Reclus. part. 1. tit. 11. de tripl. unione n. 3. et 25.* Altera unionis species ea est, quae dicitur *accessoria* seu *per viam subjectionis*, quae tum locum habet, cum ecclesia quaedam alteri ita accedat, ut sua primaeva jura ac privilegia penitus amittat alteriusque privilegiis et praerogativis perfruatur, cui adhaeret tamquam accessorium principali ac membrum capiti, ceu tradunt *Fagnan. in dict. cap. Novit. n. 3, Gonzalez loc. cit. gloss. 5. §. 7. n. 27, Reclus. loc. cit. tit. 11. n. 2. et 6.* Tertio tandem modo unio dicitur fieri *aeque principaliter*, cum duae pluresve ecclesiae ita conjunguntur, ut neutra alteri subjiciatur vel alterius jura ac privilegia acquirat, sed in primaevo suo esse distincto ac independenti utraque perseverans personaliter potius unita videatur, quatenus unica est persona, quae utrique regendae praeficitur. Ita pariter *Fagnan. in eod. cap. Novit. num. 1, 9, 10, cap. Expostulasti n. 34, Reclus. cit. tit. 11. num. 4, 5, 30, Gonzalez gloss. 5. §. 7. num. 29.*

Ne autem unio incorporativa confundi valeat cum unione tum subjectiva tum aeque principali, praetereundum non est unionem incorporativam communicationem praeseferre jurium et praerogativarum per viam, ut ajunt, adaequationis et attributionis, qua uni accrescit ecclesiae, quod praestat in altera juxta *gloss. in cap. Novit.*, ibique DD. cum *Pitonio discept. eccles. 9. num. 46.*, ideoque ecclesias sic unitas ita incorporari ac veluti commisceri, ut una ab altera nec separari nec distingui amplius possit, *arg. ex § 27. Instit. de rer. divis., Reclus. de tripl. unione part. 1. tit. 11. n. 130 et seq.* Contra autem in unione aeque principali nulla confusio aut communicatio aut incorporatio obtinet, sed quaevis ecclesia in suo statu, honore ac dignitate perdurat, *Piton. discept. eccles. 9. n. 5. §. 46, Pignatell. cons. 223. n. 17. tom. 1.* In unione vero subjectiva locum quidem habet jurium ac praerogativarum communicatio, quatenus jura et privilegia dignioris inferiori accrescunt, una tamen ecclesia ab altera ita distinguitur, ut merito agnosci valeat quaenam sit accessoria et quaenam principalis, ceu tradunt doctores in *cap. Extirpanda 60. §. qui vero de praebend. et dignit.*

Quibus praenotatis circa diversas unionis species perspectum jam esse in jure videtur quoad parochi residentiam, quod, ubi unus rector duabus ecclesiis unitis praeficiatur, teneatur in digniore residere; quod si minime constet, quaenam ecclesia sit dignior, residere cogatur in frequentiori. Verum, quoties unio ecclesiarum contigerit non accessorie et subjective sed aeque principaliter, tunc parochus pro suo lubitu et arbitrio possit in alterutra morari, prouti decisum refert *Nicol. Garc. de benefic. part. 3. cap. 2. n. 179, Barbosa de offic. et potest. parochi part. 1. cap. 8. n. 9. 10. 11, Fagnan. in lib. 3. decretal. de praeb. cap. Extirpanda §. qui vero n. 31 et 32.*

Superest igitur ad praesentem controversiam dirimendam ut sedulo in facto definiatur, quaenam unionis ratio inter utramque ecclesiam intercedat. Ac favore quidem parochi animadvertendum occurrit, unionem ecclesiarum vel beneficiorum esse rem facti, eamdemque odiosam ideoque probationis onus integre ad eum spectare, qui unionem invocat. Ubi vero constet quidem de unione duarum ecclesiarum, haud tamen definiri valeat cujusnam indolis ac rationis ea sit, semper aeque principalis eadem praesumitur, id quod minus est ac libertati perpetuo favet. Ita sane *Card. de Luca annotat. ad Conc. Trid. disc. 8. n. 30, Gratian. discept. forens. 893, Gonzalez gloss. 5. c. 7. n. 134.* Atqui, licet de unione in casu dubitari nequeat, nullatenus tamen Licetani demonstrant eam esse accessoriam ac subjectivam, adeo ut ecclesia Gavillii renuncianda sit filialis prae matrici ecclesia Liceti. Deest enim in casu decretum unionis aut aliquod authenticum documentum, ex quo id legitime erui possit.

Neque in defectu authentici unionis decreti legitima suppetunt indicia aut adjuncta, quibus eorumdem adstruatur sententia. Siquidem hinc defectus clarae superioritatis notae in ecclesia Liceti, inde vero major frequentia populi, redditiuum copia ac praesertim antiquitas (quae pro ecclesia Gavillii militare animadvertebatur jam ab anno 1573) arguerent potius matricitatis dignitatem favore

ecclesiae Gavillii. Alternativa vero parochialium munerum obligatio, perfecta distinctio bonorum ac magis etiam distinctio tituli utriusque ecclesiae rectius inuunt unionem, de qua agitur, aeque principalem esse ac fuisse. Cui posteriori sententiae suffragatur decretum s. visitationis diei 10. Decembris 1856, in quo, cum exorta esset controversia super onere reficiendarum ecclesiarum et domorum parochialium Liceti et Gavillii, praescriptum fuit, ut unaquaeque plebs propriae ecclesiae suis sumptibus prospicere deberet propter unionem ecclesiarum aeque principalem, quae realem distinctionem bonorum secumfert. Perpensis itaque adjunctis et indiciis in casu occurrentibus pro parochi libertate videretur lis definienda.

Post haec, quae pro parte parochi recolenda censui super residentia, quae est princeps controversiae caput, paucis agam de his, quae pro eo afferri possunt quoad reliquas functiones, quas ex alternativa lege parochus peragere Liceti debet; testis est Ordinarius parochum non obsistere diligenti oneris satisfactioni eamdemque veniam mereri quoad praeteritas omissiones, utpote morbo atque itineris difficultate impeditum. Quoad bonum vero parochi jus utendi confraternitatis suppellectilibus in ecclesia Gavillii recolam Innocentium III. summopere commendasse ut sodalitium ssmi Corporis Christi in qualibet paroecia institueretur. Traditum praeterea est ab H. S. O. in *Ferrarien. Confraternitatis 14. Septemb. 1782 ad III. dub.* et in *Feretrana Confraternitatis 12. Decemb. 1829 ad III. dub.* sodalitatem hujusmodi teneri ad impensas necessarias pro cultu ssmi Sacramenti et ad ea omnia obsequia praestanda ecclesiae parochiali, quae Episcopus jusserit. Dicendum igitur videtur juxta mentem laudati Pontificis confraternitatem, de qua agitur, erectam fuisse non in utilitatem unius ecclesiae Liceti, sed ipsius paroeciae, quae utraque ecclesia constat, proindeque utrique ecclesiae sua obsequia praestare debere atque impensas et suppellectiles exhibere.

De jure tandem syndicorum retinendi claves parochialis archivii nihil habet Ordinarius: dubitare igitur forte posset de usu et consuetudine, quem invocant oratores. Quinimo, ubi etiam de consuetudine constaret, dubitare adhuc liceret an inter abusus esset potius amandanda. Certum enim videtur jus retinendi claves archivii parochialis privative ad parochum spectare, ceu in duriori forsan casu decisum fuit ab H. S. C. in *Carpentoracten. 15. Sept. 1781.* Cum enim capitulum ecclesiae, ubi extabat parecia, jurisdictionem in ipsam paroeciam sibi competere autumaret et jus detinendi clavem archivii idcirco sibi vindicaret, propositum fuit dubium:

An custodia codicum parochialium currentium debeat privative spectare ad eosdem curatos seu vicarios curatos, seu potius custodiendi sint sub duplici clavi, quarum una saltem retineatur a capitulo in casu?

responsum prodiit:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Favore tamen oratorum non immerito forsan animadverti posset, quod, licet desit in casu authenticum unionis decretum, suppetunt tamen indicia, ex quibus unionis indoles argui valeat. Adstat sane in primis praecedens parochus, qui testatur de vetustissima memoria in archivio asservata, in qua matricitas ecclesiae Liceti diserte enunciatur. Adstat ipsemet Ordinarius, qui refert quod »*filialis ecclesia Gavillii adhuc nuncupatur.*« Prostant denique plura praeeminentiae indicia, quae ecclesiae Liceti arrident. Ea enim commodioribus parochialibus aedibus est praedita, in ea sodalitium est erectum, residentia parochi ab immemorabili aetate obtinuit ac sacrae functiones in solemnioribus anni festis peragi consueverunt. Quae omnia simul juncta magni ponderis videntur praeseferre probationem super praeeminentia ecclesiae Gavillii, ut inferri inde debeat parochum ibi residere teneri.

Sed iis etiam praetermissis favere nihilominus oratoribus videtur consuetudo et observantia immemorabilis; deficiente namque diserta lege, qua certe definiatur unionis indoles, ut locus residentiae parocho praescribatur, immemorabilis observantia videretur parochi libertatem coarctare et residentiam determinare. Consuetudo enim legitima legis vim habet juxta *text. in cap. fin. de consuet.* et in *L. De quibus §. ex non scripto ff. de leg., Rigant. ad reg. 2. cancell. §. 2. n. 107.* Quinimo in supposito etiam quod ex lege unionis parochus ubi mallet morari posset, observantia immemorabilis praesto oratoribus esset, ut praesumi posset alius quilibet melior titulus, quo parochum adigere possent Liceti residere, ad tramites *L. Doc. jure §. diutius ff. de aqua quotid., Rota in Barchin-*

onen. Jurium parochialium 3. Martii 1777. §. 2. cor. Ratto; S. Congr. in *Anagnina Nominationis 25. Januar. 1825. §. Animadvertendum.*

Nec minori jure oratores conqueri videntur de translatione supellectilium sodalitii ssmi Corporis Christi eorumdemque usu in ecclesia Gavillii. Quamvis enim concedi vellet confraternitatem praestare debere easdem suppellectiles ecclesiae parochiali, id tamen porrigi minime deberet ultra cultum ssmi Sacramenti nec eorundem custodiam ac possessionem subtrahere confratribus, qui propriam sedem et institutionem habent in ipsa ecclesia Liceti, ceu diserte innuunt haec diplomatis erectionis verba: »*Dilectis confratribus confraternitatis ssmi Corporis Christi in ecclesia parochiali ss. Savini et Erculani Castri Liceti . . . canonice errectae salutem etc.*« Sed insuper, constituta unione aeque principali, quam Ordinarius adstruit, bona, jura ac privilegia unius ecclesiae sunt necessario ab altera distincta ac divisa. Cum igitur sodalitium institutum fuerit in ecclesia Liceti, inferendum videtur confratres praestare teneri suppellectiles et obsequia propriae ecclesiae parochiali Liceti, minime vero ecclesiae Gavillii.

Quoad clavem tandem parochialis archivii, parocho in genere sit jure concredita, cum numquam legibus cautum fortasse videatur, ne jus retinendi ejusdem claves cumulative acquiri possit etiam alteri ex peculiari statuto vel consuetudine. Jamvero referunt testes ab oratoribus producti »*che nell' archivio ci erano tre chiavi e queste si tenevano una dal parroco, e le altre due una per ciascuno dei sindaci.*

Dignentur igitur EE. VV. dirimere:

I. *An parochus teneatur residere in ecclesia Liceti seu potius in alterutra ecclesia unita morari valeat in casu?*

II. *An liceat parocho transferre res confraternitatis ssmi Corporis Christi iisque uti in ecclesia Gavillii in casu?*

III. *An archivium parochiale custodiri a parocho possit sub unica clavi, seu potius jus competat etiam syndicis illud custodiendi sub triplici clavi in casu?*

S. C. resp.: Dilata.

Die 26. Novbr. 1864.

Quaelibet ecclesia habeat archivium, in quo scripturae ad eam pertinentes serventur, *cap.: Ad audientiam 14. de praescript.*, ibique *Barbos. num. 5*, ne alias deperditionis periculo subjaceant vel aditus populo intercludatur illas cum opus fuerit inspiciendi.

Die 18. Julii 1772. *Firmana.*

Cum Leo XII. in restauratione ecclesiae collegiatae Ophidanae capitulo omne onus et curam omnimodam trium illius oppidi parochiarum imposuisset, curam autem ab aliquibus ex Canonicis gerendam decrevisset, hinc orto dubio: *Parochis an capitulo archivii parochialis constructio, ss. supellectilium emptio omniumque manutentio incumberet?*

S. C. resp.: Omnia ad capitulum pertinere.

Die 20. Jan. 1838. *Asculana.*

7) Scripta efferendi facultas et tempus.

Vd. *Archivium Episc.* (extractio).

S. M. Benedicti XIII. in constit., cujus initium; *Maxima vigilantia*)* §. *22.* ita disposuit: *Ex archiviis non liceat efferre scripturas sine Praelati vel Superioris facultate, illas scribendi easdemque post triduum in suum locum restituendi, ubi singrapha receptionis triduano tempore limitata reponatur. Hanc syngraphan scripturas recipiens sua manu in codice ad hoc retinendo in eodem archivio subscribat, Ordinariis tamen locorum reservata facultate prorogationis temporis, quae moderate concedatur.*

Die 25. Maji 1816. *Placentina.*

---

*) Vd. *infra p. 1086.*

Arma.

(Num delatio Clericis licita sit?)

Clerici cum legitima causa juxta sacros canones dispensati et ab Episcopo licentiam habentes gestandi arma non comprehenduntur sub bannimentis laicalibus.

Sac. Cong. Immunitatis *in Carinolen. 2. Julii 1647, Bellocastren. 18. Junii 1618.*

Curia saecularis non potest a Clericis arma deferentibus prohibita auferre.

Sac. Cong. Immunit. *in Adjacen. 18. Martii 1631.*

Laici auferrentes arma a Clericis excommunicationem incurrunt.

Sac. Cong. Immunit. *in una Nullius Abbatiae s. Vincentii in Vulturno 26. Februarii 1695.*

Curia laicalis non potest sine licentia Episcopi ad carceres perducere Clericos cum armis prohibitis repertos, licet postea ipsos curiae episcopali consignet.

Cong. *in d. Adjacen. 18. Martii 1631.*

Licet Episcopus possit concedere licentiam absolute executoribus curiae saecularis, ut perscrutentur, an Clerici arma deferant, et quod carcerent, si repererint ipsos cum armis, ita tamen, ut ad carceres ecclesiasticos statim conducantur, tamen non expedit, nec Episcopus debet dare licentiam generalem.

Sac. Cong. *in Adjacen. 18. Martii 1631.*

Aliquando injungitur Archiepiscopo, ut personali zelo curet per Clericos non deferri arma et deferentes condigne puniat; quod si curia saecularis illos carcere attentaverit, procedat juris remediis pro defensione libertatis et jurisdict. ecclesiasticae.

Sac. Cong. Immunitat. *in Tarentina 1. Sept. 1643.*

Arma Clerici carcerati consignanda sunt a laicis curiae episcopali.

Sacr. Cong. *in Papien. 29. Sept. 1674.*

Episcopis non licet arma concedere clericis pro sola voluptuosa venatione, quia ex sacra Congregatione Immunitatis fuit declaratum licere Episcopis concedere Clericis licentiam gerendi arma solum cum legitima causa juxta sacros canones.

Die 2. Jul. 1647. *Carinolen.*

Die 18. Junii 1658. *Bellocasten.*

»Statuit s. Trid. Synodus, ut quae alias a summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita et honestate, cultu doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus necnon saecularibus negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur. Nec appellatio excusationem hanc, quae ad morum corruptionem pertinent, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quam primum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas Deo vindice poenas persolvant.«

Sess. 22. c. 1. de ref.

Concilium Mediolanense absolute decrevit: »Idcirco edicimus, ne Clerici arma cujusvis generis ferant; quod si Episcopus probabili justaque de causa id eis permittendum judicaverit, tunc scripto impetrata venia ipsis uti liceat, non tamen publice, nisi rei aut facti necessitas postulet: omnino balista, hastis et sclopeto aliisque hujus generis instrumentis uti ipsis interdicimus.« *I. part. 1. tit. de armis etc. p. 18.*

Ex bulla s. Pii V. *Cum vices*, 12. Februarii 1575 prohibitum est, deferre pugiones aut cultellos aut quodvis genus armarum brevioris mensurae trium palmorum sub poena laesae Majestatis, ipso facto incurrenda; Legati vero, Gubernatores et officiales licentiam dantes peccant mortaliter et incurrunt excommunicationem ac suspensionem a Divinis, non tamen reservatam; et si sint Legati a latere, incurrunt pontificiam indignationem, non vero dictas censuras.

Citata constitutio Pii V. confirmata et innovata est sub poenis laesae Majestatis, et rebellionis ab Alexandro VIII. constit.: *Et si cuncta, Augusti 1690* pro toto statu ecclesiastico, comprehensis etiam legationibus et civitatibus Bononiae, Ferrariae, Beneventi etc. vetando insuper sub iisdem poenis nedum dictorum armorum retentionem, sed etiam fabricationem et venditionem; ac declarando in hac sua constit. ac Pii V. comprehendi quoscumque clericos tam saeculares quam regulares, cujuslibet ordinis, etiam militarium

et s. Joan. Hierosolymitani ac alios quomodolibet immunitate personali gaudentes.

Episcopis non licet arma concedere clericis pro venatione, sed solum cum legitima causa juxta sacros canones, *Carinolen. 2. Julii 1647* et in *Bellocastr. 18. Junii 1618.*

Arma seu insignia.

(Vd. *Insignia.*)

Aromataria.

Regulares et Moniales possuntne eam pro saecularibus tenere?

Vd. *Sacerdos* (medicus.)

Regulares non possunt aromatariam tenere nisi pro seipsis, quo casu visitari non potest a protomedico.

S. Congr. Episc. et Regul. *in una Neapolitana 9. Januarii 1602.*

Idipsum declaravit s. Cong. Immunitatis *in Barchinonensi 21. Novembris 1635.*

Pro solo tamen fine lucri et negotiationis nequeunt regulares aromatariam tenere, cum negotiatio causa lucri sit in sacris canonibus expresse prohibita et signanter in Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. celebrato; *par. 17. c. 3.* his verbis: *Secundum instituta praedecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici causa lucri negotientur.* Et sic decrevit s. Cong. Concilii *in Camerinen. 28. Februarii 1603. ad 3.*

Permitti potest regularibus et monialibus praesertim pauperibus vendere medicinalia suae aromatariae, ea renovandi gratia, maxime pretiis moderatis.

Die 26. Maji 1602 *in Neapolitana.*

Nec obstat decretum s. Congr. visitationis apostolicae edit. 29. Aug. 1637, in quo prohibetur omnibus regularibus exercere *ullam artem venalem sive aromatariam etc.*, quia ipsum decretum non habet locum extra urbem, ut declaravit s. Congr. *in Neapolitana 5. Oct. 1646* et constat ex verbis ejusdemet decreti, ibi: *Regularium in urbe ejusque districtu existentium.*

De aromataria, quibus conditionibus permittatur Regularibus, plene disserit Rota *in Barchinonen: Aromatariae 27. Junii 1687 et 8. Maji 1688. coram Rondinio 2. Junii 1690. cor. Manuel. 14. Januar. 1692. cor. Caccia, 7. Maji 1736. cor. Calcagnino* et quando iis dici nequeat satisfactum; consule idem Tribunal *in Barchinonen. Aromatarior. 12. Januar. 1746. cor. clar. mem. Milin.*

Bened. PP. XIV.

Essendo Noi appieno informati, che sino dall' anno 1722 in una particolare Congregazione composta della fel. mem. di Clemente Papa duodecimo nostro predecessore allora Cardinal Corsini, del fù Cardinal Paolucci, e del reverendissimo Cardinal Annibale Albani Camerlengo della santa romana chiesa, e di alcuni prelati, specialmente deputata dalla fel. mem. d' Innocenzo Papa XIII. altro nostro predecessore, tenutasi li 25. Gennaro detto anno, inerendo al decreto precedentemente emanato dalla Congregazione della Visita delli 29. Agosto 1637, e della risoluzione presa li 9. Decembre 1720, fù stabilito, che niuno de' regolari di qualunque sorta, anche Cassinensi, dell' ordine de' predicatori, Compagnia di Gesù, e Minimi, potesse per se, nè per altri, nè anche a nome della religione, esercitare l' arte dello speziale, fuori che per servizio de' loro religiosi, e che dalli medesimi non si potessero vendere medicamenti preparati, o non preparati, di qualunque genere, ai secolari, o anche donarli, sotto pretesto di amicizia, o di familiarità, siccome fù approvato dal detto nostro predecessore Innocenzo XIII., a riserva della Teriaca, e balsamo apoplettico, che permise potersi vendere dalli medesimi regolari, ottenutane la licenza dal reverendissimo nostro Cardinal Vicario; E che in oltre il nostro detto predecessore Clemente XII. si degnò confermare il sudetto stabilimento, e decreto della medesima congregazione con un suo breve in data li 20. Luglio 1733 del tenore seguente:

Clemens Papa XII.
Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Alias a congregatione particulari tunc existentium S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc in minoribus constituti eramus, ac romanae curiae praelatorum ac medicorum, a fel. record. Innocentio XIII. praedecessore nostro specialiter deputata, ad favorem dilectorum filiorum aromatariorum de urbe emanavit decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

§. 2. Die 25. Januarii 1722 sacra Congregatio deputata, in qua interfuerunt eminentissimi et reverendissimi domini Cardinales Paulutius, almae urbis Vicarius, Corsinus et Annibal Albanus S. R. E. Camerarius, ac reverendi patres domini Collicola thesaurarius generalis camerae apostolicae, Marefuscus auditor SS. D. N. PP., Pallavicinius secretarius s. Congregationis visitationis apostolicae et ego vicesgerens et secretarius, necnon illustrissimus D. Nicolaus de Michelangelis medicus a secretis SS. D. N. PP. et D. Pasculus unus de collegio medicorum, inhaerendo decreto s. Congregationis visitationis apostolicae edito die 19. Augusti 1637 et resolutioni seu voto emanato a Congregatione praecedenti in hac causa habita die 9. Decemb. 1720, juxta majorum suffragiorum calculum, stetit in decisis seu in resolutis, juxta modum, nempe censuit: insinuandum et consulendum esse sanctissimo domino nostro PP. Innocentio XIII. feliciter regnanti, ut omnino prohibeantur omnes et singuli regulares utriusque sexus in hac alma urbe ejusque districtu degentes, etiam Cassinenses, Fratres praedicatores, societatis Jesu, Minimi aliique omnes quorumcumque ordinum et congregationum, ne per se neque per alios nec etiam religionis nomine artem aromatariam praeterquam suorum religiosorum aut alumnorum usibus exerceant, ac insuper ne ullo modo saecularibus aut aliis religiosis et ecclesiasticis pharmaca aut medicamenta sive composita sive non composita, sive praeparata sive non praeparata nec etiam theriacam, mitridatum, hyacinthum, balsamum, chinam, rhabarbarum atque resullas chimicas cujusvis generis aut speciei, neque sub praetextu amicitiae aut familiaritatis aut alio quovis titulo, causa vel colore vendant, permutent aut donent, praevia etiam revocatione omnium et singulorum decretorum seu rescriptorum cujuslibet sacrae Congregationis quocunque tempore latorum, etiamsi fuerint cum brevibus apostolicis, clausula sublata et decreto irritanti communitis, approbata seu confirmata, ullo modo concedentium regularibus seu monialibus licentiam vendendi theriacam, hyacinthum, balsamum, medicamenta chimica aut alia quaecunque cujusvis generis et speciei, sub poenis superioribus utriusque sexus religiosorum contravenientibus, consulentibus aut quoquo modo tolerantibus, suspensionis a divinis ipso facto irremissibiliter incurrendae, privationis vocis activae et passivae, prohibitionis in posterum exercendi aut exercere faciendi aromatariam in eorum domibus, monasteriis atque conventibus, etiam pro eorum usu, ac ulterius confiscationis ejusdem aromatariae per R. P. D. thesaurarium generalem faciendae, cum facultate procedendi etiam per solam inquisitionem, et applicandi tertiam partem illius secreto denunciatori.

Et facta relatione SS. D. N. Sanctitas Sua praefatam insinuationem seu resolutionem laudavit et approbavit cum his tamen declarationibus et limitationibus, nempe, *ut in praefata generali prohibitione non intelligantur comprehensi fratres hospitalarii s. Joannis de Deo urbis et districtus*, etiam juxta vota nonnullorum RR. PP., sed iis licitum sit non solum aromatarias in eorum conventibus et hospitalibus pro infirmorum, religiosorum atque alumnorum usibus habere, sed etiam de eis vendere pharmaca et medicamenta saecularibus, religiosis et ecclesiasticis quibuscunque, dummodo praefatae aromatariae quolibet anno per medicos et pharmacopolas deputandos ab eminentissimo Cardinali Vicario visitentur, ac insimul totum lucrum, quod ex ejusmodi venditione retrahetur, pro manutentione aromatarium et sustentatione et augmento hospitalium in eorum conventibus seu domibus existentium ac infirmorum inibi degentium seu in beneficium

ecclesiarum et sacristiarum uniuscujusque domus aut conventus integre et fideliter erogetur, cujus cognitionem eidem eminentissimo Cardinali Vicario remisit. *Respectu vero aliorum regularium voluit et declaravit Sanctitas Sua, posse eis indulgeri ac permitti venditionem theriacae et balsami apopletici tantum, pro majori publico bono*, dummodo obtineant ab eodem Cardinali Vicario licentiam in scriptis, ad tempus ejus arbitrio duraturam et lucra exinde retrahenda in beneficium ecclesiarum et sacristiarum uniuscujusque eorum domus, monasterii aut conventus simili modo erogent. Et ita prohiberi, servari et respective exequi omnino mandavit sub poenis ut supra expressis. Non obstantibus quoad supradicta omnia et singula in praesenti decreto contenta, constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque ordinum, sive congregationisCassinensis, fratrum praedicatorum, societatis Jesu, Minimorum aut aliorum quorumcunque tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationum, societatum ac cujuslibet alterius instituti etiam necessario et individue exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum et aliorum quorumcunque regularium locorum necnon illorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibus, quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, sacra Congregatio Sanctitatis Suae auctoritate specialiter et expresse derogat, caeterisque contrariis quibuscunque. Et ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, voluit eadem s. Congregatio, ut praesentes ordinationes in valvis basilicarum s. Joannis Lateranen. et principis apostolorum de urbe et in acie campi florae, ut moris est, affixae, omnes, ad quos pertinent, ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent: utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae die 2. Martii 1722.

Episcopus Bojanen. vicesgerens praefatae Congreg. particularis secretarius.

Joseph Cianetti secretarius.

§. 3. Cum autem, sicut pro parte dictorum aromatariorum nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique apostolicae firmitatis robur adjicimus, decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 20. Julii 1733.

F. Cardinalis Oliverius.

§. 4. E che in esecuzione di esso breve fù publicato sotto li 11. Octobre 1735 un editto del reverendissimo Cardinal Vicario, con cui rivocandosi ogni e qualunque privilegio, sotta pena della suspensione a Divinis ai superiori delle religioni, ed altre pene ivi contenute, si proibisce di esercitare la speziaria nelle lore case, monasterii e conventi, e di vendere li sudetti medicamenti, eccettuata la detta teriaca, e balsamo apopletico, come dalli medesimi breve ed editto a noi similmente esibiti, non ostante, che per parte de' medesimi regolari fossero giuridicamente dedotte le loro ragioni, ed avessero in scritto rilevati avanti la sudetta congregazione i motivi della loro libertà di vendere li medesimi medicamenti, quali furono riconosciuti

insussistenti e pregiudiziali al ben publico ed economia del principato, per non essere sottoposte le loro speciarie alla visita de' protomedici, e consoli de' speziali: ad ogni modo hanno sempre cercato li sunnominati regolari di eludere in qualche maniera il detto breve e risoluzione della prenominata congregazione. E perchè dopo il maturo esame, che ne fù fatto, anzi dopo di esser state ridotte con decreto approvato dalla fel. mem. di Clemente XI. similmente nostro predecessore delli 8. Gennaro 1721 le speziarie publiche de' secolari al numero di sessanta, per non esservi il sufficiente mantenimento delle medesime in numero maggiore, merita pur troppo la conferna da noi tanto il sudetto breve del defonto sommo pontifice, quanto la precedente risoluzione della prefata congregazione; tanto più che a norma delle sudette provisioni, anche dagli altri prencipi d' Italia n' è stato abbracciato consimile sistema. E noi mossi da puro zelo di giustizia, e dall' amore verso li nostri sudditi di questa nostra città di Roma, abbiamo determinato di confermare, ed approvare non tanto il sudetto breve, quanto anche l' editto come sopra fatto publicare dal reverendissimo Cardinal Vicario, e la risoluzione precedentemente presa dalla sudetta congregazione sopra la riduzione del numero delle speziarie, e rimuovere perciò ogni ostaculo, e pretesto, con ordinare la perpetua osservanza ed essecuzione, come in appresso.

§. 5. Avendo pertanto nella presente cedola di nostro moto proprio per espresso, e di parola in parola come sopra registrato l' intero tenore del sudetto breve promulgato, delle condizioni, e dichiarazioni in esso espresse, come anche il tenore dell' editto come sopra fatto publicare dal reverendissimo Cardinal Vicario, e della sudetta risoluzione precedentemente presa dalla sunnominata congregazione per la riduzione del numero delle speziarie, ed ogni altra cosa necessaria d' esprimersi: di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema potestà confermiamo, ed in tutto, e per tutto, ed in tutte le sue parti e circostanze approviamo, ed autorizziamo il sovraccennato breve, e l' editto del reverendissimo Cardinal Vicario, e la precedente risoluzione presa dalla sudetta congregazione particolare sopra la riduzione delle speziarie di questa nostra alma città di Roma; e perciò vogliamo ed ordiniamo, ed espressamente comandiamo, che quelli, e quella, e tutte le cose ivi contenute, ed espresse debbano sempre, ed in perpetuo avere il loro pieno effetto, ed esecuzione, e che debbansi in ogni futuro tempo inviolabilmente osservare da ogni, e qualunque persona quanto si voglia privilegiata, e privilegiatissima, anche ecclesiastica, e luogo Pio, de' quali dovesse farsi special menzione, nè che sotto qualsisia pretesto, e causa, benchè incognita, ed inopinata, si possa mai impugnare, nè controvertere la piena, e total osservanza, ed esecuzione delli medesimi breve, editto e risoluzione della sudetta congregazione; anzi che per il sudetto effetto della di loro totale e pienissima osservanza, ed esecuzione irritiamo, rivochiamo, e cassiamo ogni, e qualunque licenza, e permesso di poter vendere qualunque specie di cose, e da qualsivoglia persona anche in dignità constituita fosse stato, e respettivamente concessa tacitamente, o espressamente a qualunque ecclesiastico regolare dell' uno, e l' altro sesso, di qualunque ordine, congregazione ed istituto, e luogo Pio, contro la forma del sudetto breve, ed editto del reverendissimo Cardinal Vicario, e così irritati, rivocati e cassati restino ora e perpetuamente di niuna forza, e valore, perchè così è mente, e volontà nostra precisa ed espressa.

Dato dal nostro Palazzo apost. di Monte Cavallo, questo di 14. Nov. 1740.

(Bull. Bened. XIV. tom. I. n. VI.)

ecclesiarum et sacristiarum uniuscujusque domus aut conventus integre et fideliter erogetur, cujus cognitionem eidem eminentissimo Cardinali Vicario remisit. *Respectu vero aliorum regularium voluit et declaravit Sanctitas Sua, posse eis indulgeri ac permitti venditionem theriacae et balsami apopletici tantum, pro majori publico bono*, dummodo obtineant ab eodem Cardinali Vicario licentiam in scriptis, ad tempus ejus arbitrio duraturam et lucra exinde retrahenda in beneficium ecclesiarum et sacristiarum uniuscujusque eorum domus, monasterii aut conventus simili modo erogent. Et ita prohiberi, servari et respective exequi omnino mandavit sub poenis ut supra expressis. Non obstantibus quoad supradicta omnia et singula in praesenti decreto contenta, constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque ordinum, sive congregationisCassinensis, fratrum praedicatorum, societatis Jesu, Minimorum aut aliorum quorumcunque tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationum, societatum ac cujuslibet alterius instituti etiam necessario et individue exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum et aliorum quorumcunque regularium locorum necnon illorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibus, quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, sacra Congregatio Sanctitatis Suae auctoritate specialiter et expresse derogat, caeterisque contrariis quibuscunque. Et ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, voluit eadem s. Congregatio, ut praesentes ordinationes in valvis basilicarum s. Joannis Lateranen. et principis apostolorum de urbe et in acie campi florae, ut moris est, affixae, omnes, ad quos pertinent, ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent: utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae die 2. Martii 1722.

Episcopus Bojanen. vicesgerens praefatae Congreg. particularis secretarius.

Joseph Cianetti secretarius.

§. 3. Cum autem, sicut pro parte dictorum aromatariorum nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique apostolicae firmitatis robur adjicimus, decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 20. Julii 1733.

F. Cardinalis Oliverius.

§. 4. E che in esecuzione di esso breve fù publicato sotto li 11. Octobre 1735 un editto del reverendissimo Cardinal Vicario, con cui rivocandosi ogni e qualunque privilegio, sotta pena della suspensione a Divinis ai superiori delle religioni, ed altre pene ivi contenute, si proibisce di esercitare la speziaria nelle lore case, monasterii e conventi, e di vendere li sudetti medicamenti, eccettuata la detta teriaca, e balsamo apopletico, come dalli medesimi breve ed editto a noi similmente esibiti, non ostante, che per parte de' medesimi regolari fossero giuridicamente dedotte le loro ragioni, ed avessero in scritto rilevati avanti la sudetta congregazione i motivi della loro libertà di vendere li medesimi medicamenti, quali furono riconosciuti

insussistenti e pregiudiziali al ben publico ed economia del principato, per non essere sottoposte le loro speciarie alla visita de' protomedici, e consoli de' speziali: ad ogni modo hanno sempre cercato li sunnominati regolari di eludere in qualche maniera il detto breve e risoluzione della prenominata congregazione. E perchè dopo il maturo esame, che ne fù fatto, anzi dopo di esser state ridotte con decreto approvato dalla fel. mem. di Clemente XI. similmente nostro predecessore delli 8. Gennaro 1721 le speziarie publiche de' secolari al numero di sessanta, per non esservi il sufficiente mantenimento delle medesime in numero maggiore, merita pur troppo la conferna da noi tanto il sudetto breve del defonto sommo pontifice, quanto la precedente risoluzione della prefata congregazione; tanto più che a norma delle sudette provisioni, anche dagli altri prencipi d' Italia n' è stato abbracciato consimile sistema. E noi mossi da puro zelo di giustizia, e dall' amore verso li nostri sudditi di questa nostra città di Roma, abbiamo determinato di confermare, ed approvare non tanto il sudetto breve, quanto anche l' editto come sopra fatto publicare dal reverendissimo Cardinal Vicario, e la risoluzione precedentemente presa dalla sudetta congregazione sopra la riduzione del numero delle speziarie, e rimuovere perciò ogni ostaculo, e pretesto, con ordinare la perpetua osservanza ed essecuzione, come in appresso.

§. 5. Avendo pertanto nella presente cedola di nostro moto proprio per espresso, e di parola in parola come sopra registrato l' intero tenore del sudetto breve promulgato, delle condizioni, e dichiarazioni in esso espresse, come anche il tenore dell' editto come sopra fatto publicare dal reverendissimo Cardinal Vicario, e della sudetta risoluzione precedentemente presa dalla sunnominata congregazione per la riduzione del numero delle speziarie, ed ogni altra cosa necessaria d' esprimersi: di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema potestà confermiamo, ed in tutto, e per tutto, ed in tutte le sue parti e circostanze approviamo, ed autorizziamo il sovraccennato breve, e l' editto del reverendissimo Cardinal Vicario, e la precedente risoluzione presa dalla sudetta congregazione particolare sopra la riduzione delle speziarie di questa nostra alma città di Roma; e perciò vogliamo ed ordiniamo, ed espressamente comandiamo, che quelli, e quella, e tutte le cose ivi contenute, ed espresse debbano sempre, ed in perpetuo avere il loro pieno effetto, ed esecuzione, e che debbansi in ogni futuro tempo inviolabilmente osservare da ogni, e qualunque persona quanto si voglia privilegiata, e privilegiatissima, anche ecclesiastica, e luogo Pio, de' quali dovesse farsi special menzione, nè che sotto qualsisia pretesto, e causa, benchè incognita, ed inopinata, si possa mai impugnare, nè controvertere la piena, e total osservanza, ed esecuzione delli medesimi breve, editto e risoluzione della sudetta congregazione; anzi che per il sudetto effetto della di loro totale e pienissima osservanza, ed esecuzione irritiamo, rivochiamo, e cassiamo ogni, e qualunque licenza, e permesso di poter vendere qualunque specie di cose, e da qualsivoglia persona anche in dignità constituita fosse stato, e respettivamente concessa tacitamente, o espressamente a qualunque ecclesiastico regolare dell' uno, e l' altro sesso, di qualunque ordine, congregazione ed istituto, e luogo Pio, contro la forma del sudetto breve, ed editto del reverendissimo Cardinal Vicario, e così irritati, rivocati e cassati restino ora e perpetuamente di niuna forza, e valore, perchè così è mente, e volontà nostra precisa ed espressa.

Dato dal nostro Palazzo apost. di Monte Cavallo, questo di 14. Nov. 1740.

(Bull. Bened. XIV. tom. I. n. VI.)

Aspersio aquae.

In benedictionibus estne necessaria?

Galliarum.

Cum nonnulli Vicarii generales in Gallia s. Indulgentiarum Congregationi dubium exposuerint:

Utrum benedictio coronarum quarumlibet etiam s. Dominici et septem dolorum fieri valide et licite queat solo signo crucis, quin adhibeatur formula consueta benedictionis et aspersio aquae lustralis?

Et quatenus negative, *dispensationem imploraverint ea omittendi?*

S. C. I. die 29. Februarii 1864 respondendum censuit:

Pro coronis rosarii et septem dolorum servandam formulam, cum responsa s. Congregationis dierum 11. Aprilis 1840 et 7. Januarii 1843 non comprehendant casus, de quibus agitur in precibus. Quoad dispensationem: Non expedire.

Datum Romae ex secretaria s. Congreg. Indulgentiarum die 20. Augusti 1864.

Philippus Can. Cossa Substitutus.

(Anal. I. P. 1864. p. 1119).

Assistens.

1) Canonici Collegiatae.

Tranen.

In civitate Baruli Tranensis dioecesis praeter capitulum a s. Maria majore nuncupatum binae extant veteres ecclesiae, quarum altera a s. Jacobo, altera a s. Sepulchro nomen habent. Harum utrique Collegiatarum honoribus ab immemorabili, uti fertur, frui datum, Collegiatae atque earum participantibus Canonicorum nomen tributum fuit: Mos etiam in iisdem inolevit, ut in missis cum cantu diebus solemnioribus Archipresbytero celebranti, qui parochus est et caput totius cleri, presbyter adesset pluviali indutus, ac adhiberentur tempore consecrationis quatuor vel sex clerici intorticia ferentes, in vesperis vero aeque solemnioribus ex utroque celebrantis latere ministri pluviali etiam induti.

Haec autem aegre prorsus ferentes Canonici capituli s. Mariae majoris, judiciali curiae oblato libello, expostularunt:

1. Ut ecclesiis s. Sepulchri et s. Jacobi inhibeatur titulum Collegiatarum assumere et earum sacerdotibus participantibus Canonicorum titulum:

2. Ut hi prohibeantur in vesperis atque missis solemnibus presbyterum assistentem adhibere, pluviale et sex vel quatuor intorticia etc.

3. Obligentur Archipresbyter s. Mariae majoris genuflexorium cum tapete viridi et pulvinari parare, quoties hic cum cruce et habitu chorali pro sacris functionibus ad eorum ecclesias accedat.

Contestata igitur lite confectoque processu die 30. Martii 1853 definitiva curiae sententia prodiit, qua declaratum est:

1. Capitulum collegiatae ecclesiae s. Mariae majoris civitatis Baruli nullum jus habere, ut ecclesiae s. Sepulchri et s. Jacobi ejusdem civitatis in vesperis atque missis solemnibus prohibeantur presbyterum pluviali indutum et clericos sex vel quatuor intorticia deferentes adhibere; sed super hoc ab Ordinario sacrorum Rituum Congregationem esse consulendam.

2. Jus etiam non habere impediendi, quominus praedictae ecclesiae quibusdam collegialitatibus honoribus gaudeant, quorum per diuturnam consuetudinem in legitima possessione sunt, praesertim ut ipsae collegiatarum et participantes Canonicorum titulo tantum nuncupative sint insiguiti, neque hoc dignitati ecclesiae s. Mariae majoris, quae est collegialis forsan insignis, posse officere.

3. Archipresbytero s. Mariae majoris nullum jus esse ingrediendi cum habitu et cruce in praefatas ecclesias et genuflexorium illic,

vel alibi habendi tapete viridi ornatum et pulvinari.

Tandem damnavit, praefatum capitulum s. Mariae majoris ad expensas totius judicii etc.

Ab hac sententia cum appellasset capitulum s. Mariae majoris, causa ad S. H. O. jurisdictionem delata est ac sub tribus tantum dubiorum formulis ad folii calcem exscriptis proponitur. Scire enim praestat controversiam super titulo Collegiatarum et Canonicorum ecclesiis s. Jacobi et s. Sepulchri earumque participantibus tributo nunc omnino desiisse, postquam sacratissimi Principis Nostri munificentia utraque ecclesia ad insignis Collegiatae honorem evecta est, apostolicis literis datis sexto idus Junii anni 1853. Sed propositis dubiis alterum addendum contendebat Capituli s. Mariae majoris procurator, respiciens judicii expensas, ad quas reficiendas capitulum idem damnatum est. Verum cum id a s. Ordinis disciplina alienum videretur, ac altera pars vehementer obsisteret, exhibitam instantiam ad sapientissimum EE. VV. judicium remittendam censui, de qua in separatis libellis benigne recolendis ratio habetur.

Archiepiscopus una cum actorum processu diffusam transmisit informationem in summario Collegiatarum s. Jacobi et s. Sepulchri recolendam, in qua de ceteris quaestionibus has inter et capitulum s. Mariae majoris exortis agit, quae tamen in separata judicii sede cognoscendae erunt.

Heic autem juverit ea tantum exscribere, quae ibi quoad tertium dubium speciatim disseruntur:

In riguardo (ita Ipse) alla controversia del genuflessorio, debolmente opino doversi tenere innanzi agli occhi:

1. Che l' Arciprete di s. Maria maggiore non ha alcun privilegio speziale per tale onorificenza;

2. Che la bolla di Clemente XII. di S. M. non può servirgli di titolo speciale, perchè fa menzione del genuflessorio nella parte enunciativa, e non nella dispositiva;

3. Che se avesse qualche privilegio speciale non potrebbe avvalersene, se non ai termini della costituzione del Supremo Pontifice Pio VII. pubblicata nel dì 4. Luglio 1823. com' è sviluppato nella scntenza;

4. Che egli è una dignità puramente ventosa della collegiata di s. Maria maggiore soggetta in tutto e per tutto alla giurisdizione dell' Arcivescovo di Trani;

5. Che questa non ha alcuna matricità propria sull' altre chiese di Barletta;

6. Che il genuflessorio ricoperto di tappeto verde di seta talmente ampio che discende dalla parte d' avanti a formare lo strato, ed ornato di cuscino appiè ed al di sopra, come si pretende dall' Arciprete di s. Maria maggiore, è una insegna Pontificale di prima classe. Su queste basi sembra regolare il doversi decidere che egli non abbia dritto di avvalersi di questa onorificenza prelatizia sì nelle chiese del s. Sepolcro, e di s. Giacomo che nelle altre di Barletta.

Sembra tanto più giusto darsi una tal latitudine, perchè i defonti Arcipreti di Barletta nel principio adopravano il genuflessorio nella loro chiesa Collegiata; poi verso la fine del secolo passato profittando di tempi torbidi l' estesero per usurpazione a tre chiese di Monache in occasione, che essendo uno di essi rivestito dell' ufficio di Vicario foraneo fu incaricato dall' Arcivescovo Tranese di funzionare in alcune monacazioni. L' Arciprete attuale poi non solamente vorrebbe mettere questo nuovo uso nelle chiese del s. Sepolcro e di s. Giacomo, ma anche da poco tempo ha cominciato a praticarlo in altre chiese, anche in occasione che accede colà per uffici privati, per esempio ad ascoltare le confessioni; anzi da qualche mese ha cominciato ad introdurre la pratica di tenerlo esposto in chiesa di s. Maria maggiore non nelle sole occasioni di giorni solenniori, come prima, ma quasi permanentemente. Chi non ravvisa a prima fronte essere del massimo interesse, che sia sradicato quest' abuso turbatore dell' ordine, della gerarchia ecclesiastica e della pace delle altre chiese?

Credo molto utile che l' Eminenza Vostra Reverendissima in riguardo agli abusi della chiesa di s. Maria maggiore non solamente tenga presenti le deduzioni del promotore fiscale racchiuse in questo processo, ma anche il volume delle produzioni relativo al modo illegale, col quale si provedono in quella Collegiata i Canonicati, che ho rimesso alla s. Congregazione con mia relazione con data di jeri. In quel volume si contiene un foglio di Mons. Trasmondi dato 11. Giugno 1796 col quale egli deplora l' usurpazione del genuflessorio fatta dall Arciprete di s.

Maria maggiore nelle chiese delle monache e solamente accenna come una vaga diceria, che dalla s. Congregazione de' riti avesse ottenuto un decreto per farne uso nella sola sua Collegiata; decreto però che egli non ha potuto mai esibire a questa mia curia.«

Ad primum et alterum dubium quod attinet, defensor capituli s. Mariae majoris triplici ex capite jus huic vindicat prohibendi, quominus adversaria collegia in solemnibus missis ac vesperis presbyteros, pluviali indutos, ac sex vel quatuor clericos intorticia ferentes adhibeant, ex jure scilicet praeventionis ex qualitatibus Collegiatae ac matricis, quibus S. M. M. capitulum pollet. Firmissimum enim in jure esse contendit, quod, qui praevenit in adoptando titulum vel insignia honoris vel in functione et solemnitate peragenda, hoc ipso jus habeat prohibendi ne alii in sui praejudicium haec ipsa imitentur, juxta ea quae saepe tradit *Card. de Luca signanter in Miscell. eccl. disc. 32. num. 5., in disc. 10. num. 9. de praeem.*, et *in summa de praeem.* §. *4. num. 90*, eo vel magis, si, ut in casu, antiqua sit aemulationis contentio inter ecclesias et ecclesiasticos, ceu idem auctor apposite firmat *in Misc. loc. cit.*

Porro de qualitatibus Collegiatae et quidem perinsignis ac matricitatis, unde supra ceteras Baruli ecclesias praefulget ecclesia S. M. M., dubitari amplius non posse post plures res judicatas rotales, in quibus hae qualitates frustra licet contradicentibus adversariis ecclesiis s. Jacobi et s. Sepulchri obfirmatae sunt. Nihil autem officere, quod istae eaedem ecclesiae in Collegiatas erigi nuper obtinuerint; nam praeterquam quod insignes, uti asserit, non fuerint declaratae, accedit in apostolicis literis sarta tectaque servata fuisse jura omnia praecedentiae, quibus super clero et ecclesiis s. Sepulchri et s. Jacobi capitulum s. Mariae majoris potitur.

Nihil pariter obesse, quod definitum adhuc non fuerit an haec matricitas propria sit seu potius impropria, juxta varias matricitatis species a *Card. de Luca in summa de praeem. num. 14.* recensitas, unde ejus effectus cohiberi ex adverso vellent ad meram praecedentiam et ad antepulsationem campanae in sabbato sancto. E contra enim, dato etiam quod matricitas in casu inferioris sit notae, nihilominus omnimodam praeeminentiam ac honorificentiam eam secumferre contendit; quandoquidem inter species matricitatis nihil intersit quoad praecedentiam et praeeminentiam ac unica inter eas differentia in hoc consistat, quod ecclesia proprie matrix jura jurisdictionalia in ecclesia filiali exercere valeat et parochialia jura decimarum et emolumentorum percipere, quod quidem jus maternitas improprie dicta non tribuit, ceu quaestione inter easdem partes acta in terminis distinguendo tradit s. Rota in *Tranen. Praeem. super reservatis 3. Junii 1715* §. *superfluum, coram Scotto.*

Atqui praeeminentiae hujusmodi qualitatem, quae ecclesiae S. M. M. uti collegiatae perinsigni ac matrici competit, quamvis non importet ut ceterae inferiores ecclesiae ab ea dependeant eique subdantur in actibus proprii muneris et officii, importare tamen *subordinationem in illis, quae respiciunt majores titulos, majores modos solemnitatum et majorem dignitatem*, arguit cum s. Rota *in decis. 281. num. 9. part. 15. Recent.* Exinde vero ortum ducere jus prohibitivum, ne praeeminentiae honor in nudum recidat nomen ac titulum, ubi omnibus inferioribus ecclesiis pari ratione se gerere cum ecclesia matrice integrum sit.

Demum in jure, ex apostolico privilegio et in facto ob constantem consuetudinem probat jus esse capitulo S. M. M. in sacris functionibus hujusmodi honorifico apparatu uti, qui recenter, ceu testes deponunt, ac nullo legitimo titulo in adversariis etiam ecclesiis invectus est.

Quoad tertium dubium controversum privilegium primo vindicat a decis. rotali *in Tranen. Praeeminentiae 18. Martii 1629. coram Caccia*, ubi §. *Haec autem* edicitur ibi: *Primo constat, quod ecclesia S. M. M. est collegiata insignis et archipresbyteralis ejusque Archipresbyter est prima dignitas habens sedem in choro et ante sedem genuflexorium cum tapete et pulvinari, atque in celebratione missae solemnis multas praerogativas episcopales etc.* Quae confirmantur in altera *Tranen. Matricitatis 16. Januarii 1690. coram eodem Caccia* §. *Rursus* et in altera *Tranen. Praeeminentiarum super reservatis 20. Februarii 1713* et *in confirmatoria 3. Junii 1715 coram Scotto, aliaque confirm. 19. Nov. 1717 coram Ansaldo.*

Vindicat secundo ex apostolicis literis Clementis XII. incipien. *In suprema,* datis tertio idus Julii 1731, in quibus asseritur, quod obtinens archipresbyteratus dignitatem

in ecclesia S. M. M. tam in primodicta collegiata ecclesia illiusque choro et presbyterio, quam in aliis ecclesiis (nempe s. Jacobi et s. Sepulchri supra recensitis) interessendo genuflexorio cum pulvinari et tapeto viridi ... gaudet. Perperam vero objici, nudam hanc enunciativam esse ideoque nullam habendam in pretio. Reponit enim cum s. Rota *in cit. Tranen. Praeemin. super reservatis, 20. Febr. 1713* et *in confirm. 12. Nov. 1717 coram Ansaldo*, quod, cum enunciativae *a suprema potestate prodierint, intrat regula, quod suppositum ab habente potestatem disponendi habetur pro dispositione.* Perpendit insuper, id repugnare fini in bulla proposito, qui fuit ut lites aliquando tandem compescerentur, certo constabilitis ecclesiae S. M. M. privilegiis, quae controversiis materiam praebebant, ceu in ultima ejusdem bullae parte Pontifex insinuare visus est, prohibens, quominus ecclesia praedicta *super praemissis* a quopiam ullo unquam tempore inquietari aut perturbari posset.

Idem jus demum vindicat ex decreto s. Rituum Congregationis diei 13. Septembris 1670, quo *censuit Archipresbyterum ecclesiae S. M. M. manutenendum in possessione jurium honorificorum ... ac demum usus sedis in choro et presbyterio et ante sedem genuflexorium cum apeto et pulvinari absente tamen Archiepiscopo, ipso vero praesente nullam ex praedictis praerogativis et honorificentiis competere declaravit.* Quod confirmavit etiam decreto diei 15. Februarii 1710.

Hinc ad rem minime facere ejusdem Congregationis declaratorium decretum diei 27. Augusti 1822 a s. m. Pio VII. confirmatum.

Primo, quia ibi ea ad canonicarum sanctionum praescriptum revocantur, quae antea providissime constituta, pravo deinceps usu atque a concedentium voluntate plane absono pervertuntur, quod tamen non verificatur in casu, cum nullus concessi privilegii abusus probetur.

Deinde, quia in Clementina bulla privilegia ecclesiae Barulitanae concessa minime sub limitationibus similium gratiarum comprehendi sancitum est.

Postremo, quia privilegium hoc modificationem jam passum est, ex relato S. R. C. decreto, quod privilegium coercuit ad casum absentiae Episcopi.

Nec utilius obtrudi consensus Archiepiscopi pro usu privilegiorum ad tramites ejusdem declaratorii decreti, tum quia haec conditio refertur ad solemnitates extraordinarias, quae in ecclesia extranea contingant, non vero ad solemnitates majores ordinarias in aliqua ecclesia fieri solitas; tum quia in casu ex bulla Clementis XII. privilegia ita ecclesiae S. M. M. concessa sunt, ut iis perpetuo uti ipsa possit, diserte cavens Pontifex ne Archiepiscopus quovis indulto s. Sedis uteretur, *ut effectus hujusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet;* tum demum quia nunquam defuit in themate Antistitum Tranensium consensus, neque deerit unquam, quoties Archipresbyter privilegio utatur eo modo, quo semper usus est, ob pacta, quae s. Sede probante intercessisse ait ecclesiam inter Barulitanam et Archiepiscopos Tranenses, in quibus privilegia haec diserta reservata fuere.

Patrocinator Collegiatarum s. Jacobi et s. Sepulchri quoad primum et secundum dubium adversarii capituli petitionem evertere satagit primo ob non jus actoris; deinde ob probatam favore utriusque Collegiatae facultatem iis utendi honoribus ac solemnitatibus, quae impugnuntur. Itaque negat in primis ecclesiae S. M. M. jus praedictos adhibendi honores in vim bullae Clementinae, quae praecipue ipsa nititur. Siquidem monet in parte dumtaxat *narrativa*, minime vero in *dispositiva* de hisce mentionem fieri. Atqui tralatitii juris esse, narrativas in apostolicis literis contentas ita longe abesse, ut probationem constituant, ut potius ipsae opportuna justificatione indigeant, ad monitum *De Rosa de exec. liter. apost. part. 1. cap. 7. num. 4.* et *s. Rotae in decis. 24. num. 1. part. 2. recen.* Eo vel magis, quia narrativa in casu expressa fuit cum clausula illa »*sicut accepimus*« quae potius facti dubietatem in ipso concedente demonstrat, *Rosa part. 1. cap. 7. num. 181.* ac ideo nullius efficaciae habenda est juxta ea, quae disserit *s. Rota decis. 170. num. 1. part. 3. recen.*

Nequidquam vero prodesse, quod apostolicae literae datae fuerint *motu proprio* et *ex certa scientia*, ut ideo justificatione non egeant. Contendit enim primo verba illa non ad universa narrata protrahi, sed ad ea tantum referri, quae respiciunt causas motas et adhuc vigentes super praeeminentiis, quas ad se avocare. Pontifex declaravit, observat secundo, etiam in contraria hypothesi non consequi, veluti probatam retinendam fore veritatem expositorum, sed tantum quod Pontifex ex mera sua voluntate gratiam impertiri

voluerit, ceu docet *cit. De Rosa part. 2. cap. 7. num. 46*, nec excludi, posse narrata impugnari. *S. Rota coram Seraph. dec. 1484 num. 10.* Nec magis prodesse quod literae apostolicae exequutoriali curiae decreto munitae fuerint; quandoquidem constat, eas nemine citato nullaque praevia justificatione exequutioni demandatas fuisse, ita ut totum capituli adversarii jus in mera adsertiva consistere putandum sit.

Verum, dato etiam hujusmodi honores ad capitulum S. M. M. spectare, haud exinde tamen inferre licet eidem jus esse prohibere, quominus aliae ejusdem civitatis ecclesiae iisdem utantur honoribus; necesse enim foret, jus, quod objicitur, *privativum* demonstrari, de qua tamen privativa in apostolicis literis ne verbum quidem existit.

Eoque minus privativum jus argui posse ab adserta matricitate. Nam praeterquam quod matricitas in casu non propria sit, sed impropria ac lato sensu sumpta, uti patet ex rotalibus decisionibus hac desuper re editis, accedit etiam nec verae matricitati praetensa competere jura. Neminem quippe unum inter canonistas adesse monet, qui de privativo matricis usu quoad intorticia, ministros vel presbyterum assistentem verba faciat; omnes vero nihil praeter aliquod honoris signum in limine erectionis reservandum, ac praecedentiam ratione anterioritatis ecclesiis matricibus competere tradunt, uti post *text. in cap.: Ad audientiam de eccles. aedif., Fagnanus ad idem cap. num. 8., Card. de Luca de paroch. disc. 36. num. 5, Monacell. form. praet. tom. 2. num. 12. et seq.*

Demum quamlibet evanescere controversiam, postquam, contradicentibus licet Canonicis S. M. M. ac assertam matricitatem opponentibus, ecclesiae s. Jacobi et s. Sepulchri ad insignes Collegiatas evectae sunt et iisdem honoribus ceteris Collegiatis tribui solitis auctae; iisdem imo vestibus exornatae, quibus Capitulares adversarii utuntur.

Porro nedum ob non jus actoris, verum etiam ob bonum Collegiatarum jus adversarii capituli intentionem elidi. Itaque ad ministros quod attinet in vesperis solemnibus adhibendos, nititur defensor dispositione *Caeremonialis Episc. lib. 2. cap. 3. tit. de vesperis etc.*, ubi praeceptivis verbis ritus hic praescribitur servandus in Collegiatis; idemque declaratum fuit a S. R. C. in *Sypontina 8. Maji 1631. ad 2. dub.* Ad missam pariter quod spectat et intorticia ad finem praefationis accendenda praesto esse rubricam missalis romani, sub tit.: *Ritus servandi in celebr. missae* §. *VIII. de Canone missae usque ad consecr. num. 8.* uti disponitur, ibi: *In missa solemni ad finem praefationis accenduntur duo saltem intorticia, quae extinguuntur post elevationem calicis etc.* Haud vero difficultatem facessere dictionem »*saltem*« quae indicat dumtaxat limites, infra quos quid non liceat praestare, minime vero excludere, ut praeter eos quid praestetur et fiat. *S. Rota dec. 129. num. 4. part. 14. rec.* et in consimili casu *Ursaya discept. eccles. part. 1. disc. 9. num. 148 et seq.*

Tandem quoad presbyterum solemni missae adsistentem utitur auctoritate S. R. C. in una *Oriolen. Praeeminentiarum 4. Martii 1747 apud Gardel. sub num. 4092* et praesertim *in Caesenaten. 29. Martii 1559 apud eumdem Gardel. sub num. 1825*, uti proposito dubio:

An videatur tollerabilis consuetudo, ut dignitatibus solemniter celebrantibus presbyter adsistens pluviali indutus adsistat?

Sac. Congregatio respondere mandavit: *Servari consuetudinem legitime tamen praescriptam, et si eadem praescripta non fuerit, quousque contrarium non probatur, nihil innovari.* Porro cum in praefatis resolutionibus certum ad praescribendum tempus definitum fuerit, ad summum longi temporis consuetudo requisita censenda erit; quam nimirum ad triginta vel quadraginta annos extendi manifestum est, ex *text. in Leg. sicut in rem C. de praescript.* et *in cap. 5, 6 et 9 eod. tit.* Hanc vero nedum triginta vel quadraginta annorum, sed immemorabilem potius in ecclesiis s. Jacobi et s. Sepulchri vigere consuetudinem plane evinci ex plurium testium depositione ac ex ipsa informatione Archiepiscopi colligi, cujus assertioni in rebus suae dioecesis omnimoda fides tribuenda est.

Quoad tertium dubium confirmat defensor, primum praetensum ibi privilegium numquam competisse Archipresbytero S. M. M., quandoquidem eo desuper nulla alia afferatur probatio quam apostolica bulla Clementis XII. Atqui in parte tantum bullae narrativa de hoc privilegio sermonem esse, unde ea hic redeunt expendenda, quae circa nullam narrativae partis efficaciam superius disputata sunt; accedit in bulla de usu tantum materiali,

non vero de jure utendi genuflexorio verba fieri. Usum autem hujusmodi, secluso apostolico privilegio, minime tolerandum saepe S. R. C. edixit, praesertim anno 1705 apud *Gardell. num. 440.*

Contendit secundo, quod, etsi privilegium hoc ex Clementina bulla demonstraretur, nihilominus uti abrogatum in praesens habendum esset.

Rem conficit ex constitutione s. m. Pii VII. anni 1823 incip.: »*Decet Romanos Pontifices*«*) in qua insignia episcopalia capitulis ac dignitatibus concessa correcta et abrogata sunt, confirmatis S. R. C. decretis apposite editis. Notum autem est ex *Caeremon. Episc. lib. 1. cap. 12.* genuflexorium panno viridi coopertum ad insignia episcopalia pertinere. Praeterea in decreto declaratorio S. R. C., postquam universa numerata fuerint pontificalia insignia, quae capitulis apposito privilegio permitti possunt, articulo ultimo cautum est, ut capitula, quae amplioribus privilegiis se aucta arbitrantur, peculiaria haec jura ad s. Congregationem perpendenda deducant, ut quod opportunum visum fuerit decernatur. Quamobrem, concludit, ea insignia, quae in praefato decreto diserte permissa non sunt, vetita censenda esse, donec peculiaris S. R. C. approbatio non demonstretur; praesertim cum constitutio Piana clausulis munita fuerit quibuslibet privilegiis et consuetudinibus derogatoriis. Igitur, cum inter insignia non recenseatur genuflexorium, profecto eo uti amplius non posse Archipresbyterum S. M. M., quamvis ex apostolico privilegio id antea sibi licuisse fingeretur, quousque nimirum privilegium ipsum non fuerit ad S. R. C. deductum ab eaque noviter sancitum.

Postremo contendit, saltem ratione abusus, de quo Archiepiscopus testatur, hoc privilegio Archipresbyterum S. M. M. privandum esse, juxta ea, quae docet *Reiff. in decret. lib. 5. tit. 33. num. 176.* In casu vero nullam jam de hoc privilegio rationem habendam esse, ex quo Archipresbyter eodem pluribus ab hinc annis in ecclesiis s. Jacobi et s. Sepulchri usus non fuerit, ceu ex testibus constat. Jam vero, privilegia affirmativa cum gravamine aliorum concessa amitti per non usum, ubi iis utendi sese dederit occasio, docet idem auctor *loc. cit. num. 205.*

*) Vd. *Decr. auth. S. R. C. Edit. Mühlbauer t. III. p. II. p. 635. 638.*

Hisce utrinque breviter enucleatis proponuntur dubia:

I. *An capitulo s. Mariae majoris jus competat prohibendi, quominus capitula s. Jacobi et s. Sepulchri adhibeant in vesperis solemnibus ministros pluviali indutos in casu etc.?*

II. *An eidem capitulo s. Mariae majoris jus competat impediendi, quominus praefatae Collegiatae in missis solemnibus presbytero assistente utantur et adhibeant quatuor vel sex clericos intorticia deferentes post praefationem usque ad elevationem calicis in casu etc.?*

III. *An eadem capitula s. Jacobi et s. Sepulchri teneantur parare pro Archipresbytero s. Mariae majoris genuflexorium cum tapete viridi et pulvinari, quoties hic cum cruce et habitu chorali ad eorum ecclesias accedit in casu etc.?*

S. C. C. resp.:

Ad I. II. et III. Negative.

Die 31. Mart. 1855.

2) Dignitatis Collegiatae.

S. Miniatis.

Pium opus ss. Salvatoris nuncupatum antiquitus Ficecli aderat laicorum administrationi concreditum: cujus inter cetera onera a piis testatorum dispositionibus provenientia et illud recensebatur celebrationis missarum quinque pro singulis anni hebdomadis a Francisco Mecucci anno 1525 relictum. Saeculo superiore cunctis oneribus praedictis satisfaciebant PP. conventuales s. Francisci, qui ecclesiam ss. Salvatoris administrabant. Hisce verumtamen ob infandas temporum vicissitudines expulsis Episcopus Bruno Fazzi, qui per id temporis dioecesim s. Miniatis regebat, ut spiritualibus populi indigentiis occurreret, die 21. Junii 1783 duas capellanias in ecclesia illa erexit, quarum rectoribus curam piis omnibus legatis satisfaciendi necnon alia complura onera imposuit, redditu annuorum scut. 80. unicuique praestituto. Praeterea die 22. Octobris anni 1783 Episcopus idem utramque capellaniam, auctorante etiam sa. m. Pontifice Pio VI., transtulit cum iisdem redditibus atque oneribus in ecclesiam collegiatam Ficecli, et laici administratores pii operis ss. Salvatoris praefinitam ab Episcopo retributionem diligentissime repraesentarunt.

Sub anno 1789 Magnus Hetruriae Dux Petrus Leopoldus I. per motum proprium diei 9. Novembris opus pium laicale suppressit illudque cum Collegiatae capitulo conjunxit ac fudit »con tutte le sue entrate,

ragioni, diritti, pesi, ed aggravi.« Cujusmodi motus proprius executioni statim a capitulo fuit demandatus per solemne instrumentum diei 8. Januarii 1790. Posteriore die Canonici in capitulum congregati deputandum statuerunt Archipresbyterum »in loro procuratore e gestore per fare tutto quello e quanto avrebbero dovuto fare loro Sigg. coadunati presso SS. Mma e Rma il Vescovo di s. Miniato ad oggetto dismembrare dalle due uffiziature o cappellanie predette il legato Mecucci per costituirne una nuova uffiziatura per sempre ed in perpetno col titolo di sagrestanato e con animo di accrescere l' assegnamento all' uffiziante.« Reque vera Episcopus decretum die 5. Octob. anno 1790 edidit, quo praebendam pro sacrista erexit eique redditum scut. 30 annuorum e legato Mecucci, cujus onera a sacrista erant implenda, assignavit praeter incerta emolumenta ac praestationem annuorum scut. 10. a capitulo persolvendam. Atque insimul decrevit praebendam ejusmodi conferendam semper fore sacerdoti a collegio capitulari extraneo. Episcopale decretum executionem deinceps obtinuisse videtur, praeterquam ea in parte, qua cavebatur ut praebenda sacerdoti conferretur: haec siquidem fere semper clericis in minoribus ordinibus constitutis collata fuit in titulum sacri patrimonii.

Res ita perductae sunt ad mensem Junium anni 1833. Quo tempore Vicarius capitularis, ut necessitati consuleret honorarium statuendi pro moderatore chori, decretum in haec verba protulit: »ora per quanto detta uffiziatura (sagrestanato) sarà vacata abilitiamo ed autorizziamo il Capitolo di Fucecchio patrono a conferirla e a disporre nel modo che crederà conveniente, ferma però la natura degli obblighi e la necessità di concertare l' occorrente con Noi e coll' Ordinario pro tempore di s. Miniato quando si trattasse di notabili variazioni che riguardassero la sostanza, e lo abilitiamo ed autorizziamo altresì a staccare l' annua rendita di scudi 10. aggiuntivi colla deliberazione del dì 10. Agosto 1790. per servirsi di detta somma o nell' onorario del Corista, o in ciò che crederanno più proficuo alla massa capitolare, qualora l' impiego di Corista fosse da altri gratuitamente disimpegnato.« In vim hujus decreti capitulum commisit sacristae munus alteri ex Canonicis, cui annuam solummodo praestationem scut. 10. elargiebantur, ab eoque retentum fuit ad mensem usque Aprilis anni 1847. Subinde vero usque ad annum 1855 modo unum modo alterum deputavit sacerdotem tenui pensione libell. 20. aut ad summum libell. 26. 13. 4. persoluta. Tandem Canonicus Joseph Benvenuti nulla prorsus capitulari deliberatione praeeunte officium ac munia sacristae usurpavit: isque uti Vicarius generalis hodierni Episcopi enarrat, »per non sottostare alle pene inflittegli con decreto da Monsignor Vescovo Pierazzi, per aver celebrato due messe pubblicamente in un giorno festivo, adduceva la gran ragione che aveva due obblighi da sodisfare, e se il Vescovo volevache i preti non celebrassero due messe al giorno, diminuisse gli obblighi.«

Cum res ecclesiae hoc pacto in pessum ire perspiceret Episcopus, per Vicarium suum die 10. Decembris 1827. decrevit: »doversi annullare, conforme annulliamo, il decreto proferito da Monsignor Pierazzi Vicario generale capitolare nel dì 10. Giugno 1833. in quella parte unicamente e tassativamente che riguarda la uffiziatura del sagrestanato, e richiamiamo pienamente in vigore il decreto di Monsig. Brunone Gazzi proferito nel dì 5. Ottobre 1790. in ogni sua parte ed in ogni disposizione, menochè in quella che riguarda l' aumento fatto alla detta uffiziatura dal capitolo di Fucecchio colla deliberazione del dì 13. Agosto 1790. nella somma di scudi dieci. Sul qual proposito autorizziamo il capitolo predetto a devenire ad una nuova deliberazione colla quale stanzii nuovamente l' aumento come sopra, nella somma però non minore di scudi cinque.«

Hujus decreti fundamentum vel ipsum nutare putat capitulum. Hinc supplex adit s. Congregationem, ut definiat utrum sustineatur erectio praebendae pro sacrista ab Episcopo sub die 5. Octobris anni 1790. peracta absque suprema sanctione summi Pontificis, et in praejudicium Canonicorum, quibus obligatio injuncta fuit deligendi sacerdotem extra capituli gremium.

Ordinarius in suis litteris de perenni capituli hujus pervicacia in decretis episcopalibus proculcandis quaeritur ac relationem transmittit a Vicario generali exaratam, in qua facta omnia, superius collecta, ex ordine enucleantur. In ea insuper, quoad controversiae meritum, animadvertitur, Episcopum Fazzi neque immutasse testatoris Mecucci voluntatem neque eidem quidquam aut demisse aut adjecisse, sed tantummodo praebendam erexisse in collegiata ecclesia Phocensi pro

sustentatione sacristae, atque huic onus imposuisse, quod antea laici administratores pii operis s. Salvatoris (postea suppressi) impleri curabant, videlicet celebrationem missarum quinque in unaquaque hebdomada. Porro Episcopis nullibi vetita in universo jure canonico reperitur istiusmodi praebendarum erectio, nisi suprema s. Sedis auctoritas intercedat. Eam autem ejusque modum et conditiones nequit omnino impugnare capitulum, siquidem ipso auctore ac suasore decretum illud ab Episcopo fuit evulgatum.

»Giova osservare (ita in sua relatione Vicarius generalis) che non il Vescovo Fazzi, ma il capitolo di Fucecchio fu il motore della erezione della nuova uffiziatura del sagrestanato... Nel 13. Augosto 1790. il capitolo di Fucecchio deliberava con voti favorevoli dieci, nessuno contrario, come appresso: »Avuta considerazione all' attuale stato e rendite del loro capitolo, alle spese ed oneri non indifferenti del medesimo, ed alle incombenze che dovranno eseguirsi dal soggetto nel ministero e qualità di sagrestano, aumentarono, conforme aumentano lo stipendio, che sopra, di scudi dieci l' anno, sopra li scudi 30. suddetti, onde viene a formarsi l' annua prebenda per il sagrestano in somma di scudi 40. l' anno, con di più tutti gli incerti soliti lucrarsi per un tale uffizio; obbligando ora per quando ecc. nella migliore e più valida forma i beni e rendite del loro capitolo e chiesa collegiata.« E simultaneamente facevano premurosa istanza al Vescovo di s. Miniato, perchè devenisse »più presto che fosse possibile alla formale erezione dell' uffizio di sagrestano per una persona ecclesiastica nella loro chiesa collegiata con tutti gli oneri, pesi ed aggravi, diritti e prerogative che a forma dei sacri canoni sono dovuti e si competono a persone costituite in tal ministero, incompatibile con qualunque altro permanente e residenziale dentro la Collegiata, che fuori.«

»Nel 5. Ottobre 1790. Monsig. Brunone Fazzi Vescovo di s. Miniato, volendo insieme provvedere la predetta chiesa collegiata di altro sacerdote, acciò il popolo alle sue cure commesso avesse maggior comodo di assistere ai divini uffizii, e specialmente al divino uffizio della s. Messa,« decretava in conformità delle capitolari deliberazioni ed erigeva la implorata uffiziatura col titolo di sagrestanato assegnando alla medesima li scudi 30. del legato Mecucci, e la rispettiva soddisfazione degli obblighi, e li scudi 10. aumentati dal Capitolo con più gl' incerti ed emolumenti e con tutti quei pesi ed oneri di che in dette deliberazioni . . . Dal detto fin qui chiaramente manifestasi che la erezione della uffiziatura detta del sagrestanato non fu per niente un arbitrio del Vescovo Fazzi, ma piuttosto una favovevole accoglienza che il Vescovo aveva fatto delle istanze del capitolo.«

»Nè fu arbitrio del Vescovo il volere che l' uffiziante fosse sacerdote, giacchè questo uffiziante e doveva celebrare le messe del legato Mecucci, ed esercitare altri uffizii sacerdotali; e il Vescovo si poneva in armonia col *Ceremoniale lib. 1. cap. 6.*, il quale oltre al dichiarare nelle cattedrali e nelle collegiate necessario l' uffizio di sagrestano, vuole che l' eletto sit in sacerdotali ordine constitutus.« Nè fu arbitrio del Vescovo il volere che a rettore della uffiziatura fosse eletto un sacerdote estraneo al capitolo, giacchè tali erano le domande replicate ed insistenti del capitolo stesso, che fosse cioè, quella uffiziatura »incompatibile con qualunque altro ministero permanente e residenziale dentro la Collegiata, che fuori di essa.«

Verumtamen nimis grave ac noxium Canonicis esse decretum Episcopi Fazzi subdit capitulum in eo, quod attinet ad sacerdotalem qualitatem eligendi, aut saltem in eo, quod respicit conditionem deputandi sacerdotem extra capitulare collegium. Canonicales praebendae tenuissimae sunt, quoniam annua scut. septem super triginta non excedunt comprehensis distributionibus choralibus. Utilius propterea, inquit, Canonicis esset aequitatique magis consonum, ut mos servetur, qui, episcopali illo decreto seposito, apud capitulum per tot annos valuit, dispertiendi nimirum inter Canonicos onus litandi missas pii legati Mecucci et clerico officium sacristae committendi.

Altera nunc succedit controversia ab Archipresbytero contra capitulum excitata. Sciendum praeprimis, capitulo Phocensi addicta fuisse anno 1790 bona quaedam ad supressas nonnullas sodalitates primitus pertinentia atque onera missarum iisdem adnexa in capitulum ipsum fuisse translata, constituto earum numero ad nongentum et viginti quinque, quae celebrari annis singulis debuissent, »ita tamen (hic textus decreti ab Episcopo tunc temporis evulgati) ut omnibus diebus festis novem Canonici seu alii sacerdotes ce-

lebrent juxta intentionem testatorum hora ab Archipresbytero designata, reliqua vero sacrificia quae supersunt celebrentur ad arbitrium Archipresbyteri in aliis diebus, in quibus adest major concursus populi,« assignata pro quolibet Sacro eleemosyna duorum juliorum. Canonici bonorum horumce possessores cum evasissent, missas diebus festis celebrandas inter sese distribuerunt ac suae singuli praebendae imposuere ut redditum cujusque a scut. sex ad viginti hac methodo extollerent. At vero tempore insequenti complurium missarum celebrationem praetermiserunt. Qua de re capitulum ineunte anno 1829 supplex adiit hanc sac. Congregationem, eique una cum aliis dubiis statum Collegiatae, Canonicorum onera et absolutionem ab omissionibus praeteritis spectantibus tertium et quartum dubium proposuit, seu pandit folium causae, cui titulus: »*S. Miniatis, Absolutionis, reductionis et translationis dici 14. Januarii 1829*,« in haec verba:

»*An sit probandum augmentum praebendarum ad scut. viginti in casu?*

An et quomodo sit concedenda reductio missarum 925 in casu?

Porro votum Episcopi favebat intentioni capituli. Is enim referebat: »Sarebbe opportuno di accordare la sanatoria delle messe non celebrate . . . Sembrerebbe utilissimo stabilire che le messe 925 delle soppresse compagnie in detto numero stabilite con Vescovile decreto . . . siano ridotte in perpetuo a messe annue 100. da celebrarsi a carico della massa capitolare, o divise tante per ciascheduno dei dodici Canonici, o' soddisfatte queste messe, del rimanente prodotto della massa capitolare permettere ai Canonici predetti che riscuotano legittimamente ogni anno scudi fiorentini venti a titolo di prebenda, più le corali distribuzioni . . . a condizione però che ciascuno dei dodici Canonici applichi ogni anno le messe 41. e che gli porta d' obbligo la sua prebenda in limine fundationis, e che tutti o almeno sei per turno celebrino in Collegiata in tutti i giorni festivi se riformati che d' intiero precetto facendo il comodo del popolo, ma senza obbligo di applicazione.«

Rescripsit s. Congregatio ad III. et IV.:

Affirmative juxta votum Episcopi.

Quapropter inhaerens Episcopus s. Congregationis responsis ac voto a se dato executoriale tulit decretum, quo augmentum praebendarum probavit, missas 925 ad centum reducit quolibet anno celebrandas, percepta eleemosyna libellae unius a massa capitulari. »Ast (subjungit decretum) ne ecclesiae servitium minuatur; dum favorem omnem ecclesiasticis viris impertimur, volumus, decernimus et statuimus singulis festis diebus tum reformatis quam non reformatis per sex saltem Canonicos in ecclesia collegiata missam ad populi commoditatem, horis statuendis, servato inter eos turno, diligenter celebrandam, quamvis eorum arbitrio applicandam.«

Modo Archipresbyter Collegiatae reclamat eo, quia hasce missas diebus festis litandas Canonici vel praetermittunt vel eas celebrant horis cujusque arbitrio distributis, ita ut, quo tempore major populi pars ad ecclesiam accedit, eo adamussim plerumque desint missae.

Ordinarius hac in re animi sui sensum aperiens inquit: »I lamenti elevati dall' Arciprete Montanelli per ciò che ha riguardo alla trascurata celebrazione delle messe festive hanno base pur troppo, e la popolazione della terra di Fucecchio ha in ogni tempo reclamato vivamerte sul servizio dovuto da quel clero quanto alla celebrazione delle messe nei dì festivi, le quali da che coloro se le hanno obbligate, e cui ne è confidato il disimpegno o sono omesse per recarsi altrove, attrati da una più pingue eleemosina, o come avvienne il più delle volte, si celebrano da essi in Collegiata a capriccio e senz' ordine in ore contemporanee, per cui sovente nelle ore medie, cioè dalle sette alle dieci specialmente nella stagione estiva nessun sacerdote si vede soddisfare al suo obbligo. Ne si creda che intorno a siffatto disordinato sistema i Vescovi che mi hanno preceduto abbiano dissimulato. Anzi ripetutamente e con esortazioni, moniti, minaccie, e provvedimenti in iscritto hanno richiamato energicamente all' osservanza in proposito de' loro doveri que' Canonici e quelli uffizianti, ma però senza mai alcun costrutto. Trasmetto intanto copie di alcuni ordinamenti . . . che di tempo in tempo venivano a quel proposito decretati dai miei predecessori. In alcuni di questi, e precisamente nei decreti dei 12. Ottobre 1840 e dei 23. Febraro 1849 si trova perfino dichiarata la sospensione ipso facto a divinis contro coloro che non si fossero uniformati all' analogo orario che veniva all' uopo stabilito. Questi medesimi ordinamenti però non hanno mai raggiunto l' intento cui erano diretti, poichè o non sono stati attesi, o la loro osservanza non si è protratta che a brevissimo tempo, anzi dal non essersi di poi proceduto contro coloro che poteva credersi essere incorsi nelle censure sancite nei citati decreti, se ne è inferita una tacita revoca del superiore agli ordini da esso emessi, deducendosi altresi che il superiore stesso dovesse avere inteso dispensare i Canonici dalla presenza delle sei messe festive che vedonsi prescritte nel citato decreto esecutoriale dei 13. Giugno 1829 in quanto che i ridetti Canonici siansi formati il concetto che un tale onere non fosse che una mera disposizione Vescovile.

»È ora da osservare, che molte e sensibilissime siano sventuramente le defezioni di quel collegio Capitolare anco per altri lati come in vari affari stati portati a codeste s. Congregazioni mi è avvenuto incidentalmente di avvertire . . . e lo scopo di queste rivelazioni sarebbe appunto quello di provocare dalla Suprema autorità apostolica un provedimento radicale pel riordinamento delle cose; su di che quando sembrasse troppo energico quello di una soppressione di tal corpo morale, mediante il quale rimarebbe di troppo contristato anco quel popolo tanto affezionato al decoro delle sacre funzioni, credo per altro che sia inevitabile l' adottamento di altra misura repressiva, ed a tal proposito mi si paleserebbe provido espediente che venisse tolta a quel capitolo ogni amministrazione, che ora è da esso direttae causa di tanti guai e contese, avocando le amministrazioni stesse al Vescovo, o a persona di sua fiducia, senza alcuna dipendenza dallo stesso capitolo, e a questo venisse interdetto in pari tempo ogni o qualunque comizio.«

Ad causae subjectum propius accedens monet Ordinarius onus sex missarum pro singulis diebus festis ad tramites resolutionis s. hujus Congregationis diei 24. Januarii 1829 reapse nimis grave Capitularibus esse, attenta tenuitate maxima praebendarum, quarum unaquaque quadraginta annuis missis oneratur praeter chorale servitium, dum redditus cujusque vix attingit annua scut. viginti non comprehensis distributionibus. Ad haec, »è da notare come in quella chiesa collegiata ci siano nove uffiziature, alcune delle quali essendo laicali o legati pii, si ritengono dai laicali o da chi non sia sacerdote, per cui ordinariamente la soddisfazione degli oneri relativi è commessa a quei sacerdoti appunto che ivi sono incardinati come Canonici. Devo inoltre avvertire essermi statto fatto presentire, come, qualora venissero richiamati i Canonici alla rigorosa presenza delle sei messe in ciascun giorno festivo, essi poi rifiuterebbero di presentarsi alla soddisfazione degli obblighi delle uffiziature, inconveniente cui non sarebbe inverosimile potesse darsi luogo. Oltre di che è da notarsi che quando dovessero aver luogo le precitate sei presenze dei Canonici, mancherebbero poi i sacerdoti per soddisfare tutte le altre inerenti alle uffiziature; tanto più che nella medesima terra di Fucecchio esistono altre chiese ove colla debita regolarità si celebrano varie messe.

»Il temperamento ora che remissivamente proporrei, sarebbe, che le presenze dei Canonici prescritte in num. di sei dal rescritto della s. Congregazione del Concilio dei 24. Gennaro 1829 fossero ridotte al più ad una soltanto dà soddisfarsi a turno settimanale, o mensile, e si prescrivesse poi autorevolmente all' Ordinario di redigere un orario stabile obbligatorio per tutti sia Canonici, sia uffizianti o uffiziature, cui tutti dovessero deferire docilmente sotto quelle pene che non sarebbe inopportuno venissero dalla stessa s. Sede tracciate e prescritte dovendo augurarsi che la voce dell' oracolo Sopremo potesse raggiungere più efficacia di quello non hanno fin qui sortiti gli ordinamenti vescovili.«

Capitulum sua jura deducens huc omnia cohibet argumenta: ait nempe, haud quaquam in facto constare quod sodalitates, quarum bona addicta sibi fuere anno 1790, positiva ulla obligatione ad celebrationem missarum tenerentur vel ex contractu vel ex testamento. Ac reapse ad s. hanc Congr. referebat anno 1829 Ordinarius, uti folium citatae causae testatur: »se si fanno le più diligenti indagini sopra gli antichi libri e memorie che alle compagnie soppresse appartengono, meno che di messe 71 per diversi obblighi e benefattori de' quali risulta l' esistenza di un titolo di giustizia, delle altre sembra che si possa congetturare con fondamento essere stata la origine la spontanea volontà dei fratelli che per riconoscenza verso i loro benefattori o per procurarsi de' mezzi più facili di attendere alle opere di pietà ne stabilirono la celebrazione.«

Quare, subdit capitulum, quum aucta massa

capitulari ex unione bonorum ad sodalitates suppressas pertinentium Episcopus onus missarum 925 (a s. Congregatione dein reductarum) Canonicis injunxit, nullo jure cogente id gessit: ac, licet illius temporis Capitulares huic oneri sese subjecerint et onus hujusmodi aequis partibus assumpserint, id tamen sine causa egerunt. Obligationem vero sine causa susceptam minime sustineri tradunt *per text. in cap. si cauto de fide instr., Mantica de tacit. et ambig. lib. 14. tit. 3, Grassi de except. cap. 40.* et *s. Rota decis. 263. num. 3. 4. cor. Cavalerio* et *decis. 259. num. 5. cor. Durano.*

Neque ad sex missas diebus festis celebrandas adstringi se ullimode putant Canonici ex decreto exequutoriali die 13. Junii 1829. edito ab Episcopo post resolutiones s. hujus Congregationis diei 24. Januarii 1829. Quandoquidem dubia illa pro reductione missarum hoc super supposito promota fuere, quod scilicet vera atque efficax obligatio Canonicos ad celebrationem missarum adigeret. Capitulum autem rigide nunquam servavit exequutoriale decretum Episcopi, non secus ac minime servaverat antecedentia decreta: proinde, re adhuc integra, obligationem improvide susceptam impugnari hodie posse existimat. Denique non sine damno prorsus intolerabili cogi posse objicit Capitulares ad celebrandas missas diebus festis juxta praedictum exequutoriale decretum. Etenim recusare tunc ipsis opus esset celebrationem missarum, e quibus pinguior perciperetur eleemosyna: atque ita subsidia ad vitae sustentationem, cui profecto canonicalis praebenda impar est, imminuerentur.

Brevem quoque defensionem exhibet Archipresbyter. Negat ipse capitulum sine causa onus litationis missarum suscepisse. Recolit namque, per publicum contractum diei 2. Augusti 1790 capitulum bona sodalitatum recepisse, suscepta insimul obligatione satisfaciendi omnibus missarum piorumque legatorum oneribus. Causa igitur ac titulus obligationis in ipsa bonorum translatione favore capituli peracta extat. Neque capitulum in ea obligatione quidquam impendebat de bonis suis: nam eleemosyna, obolorum viginti pro quolibet Sacro, e redditibus adnexorum bonorum fuit constituta. Hinc singuli Capitulares, ut in suamet defensione fatetur capitulum, praebendam a scut. sex ad scut. viginti auxerunt et missarum onus aequis partibus assumpsere.

Recolit insuper capitularia acta, e quibus eruitur obligationem praedictam iterum iterumque agnovisse capitulum. Hoc in constitutionibus sacristae traditis anno 1791 sub §. 5. et 6. legere est: »Non permetterà il sagrestano che nei giorni delle domeniche, feste precettive fra settimana, in quelle nelle quali ricorra l' obligo di ascoltare la s. messa, come pure in quelle di speziale devozione della Collegiata, sia celebrata nel tempo stesso più di una messa . . . E siccome tutti i rettori dei canonicati hanno l' obbligo di celebrare la messa nella Collegiata e quella applicare secondo la loro respettività, e turno nei divisati giorni, così questi non dovranno ricusare di essere diretti dal loro sagrestano riguardo all' ora, tempo, intervallo, fra l' uno e l' altro Sacrificio.« Hoc e capitulari deliberatione diei 12. Februarii 1813. patet, Canonico infirmo, qui praebendae redditum in scut. 20. flagitabat, negata fuisse scut. 14, quia hoc in retributionem oneris missarum persolvendi ad formam decreti diei 20. Martii 1784. retentum est. Recolit episcopalia omnia decreta, quae spiritualium quoque poenarum metu Canonicos ad suscepti missarum oneris implementum identidem revocarunt. Ait demum, ea sub lege capitulum anno 18 9 reductionem missarum obtinuisse, ut in posterum »singulis festis diebus tam reformatis quam non reformatis per sex saltem Canonicos in ecclesia collegiata missa ad populi commoditatem horis statuendis servato inter eos turno diligenter« celebraretur, ut habet exequutoriale decretum Episcopi. Profecto, si commodum utilitatemque ex eo decreto percipit capitulum, nequit illud in eo quod incommodum atque onus prae se fert impune rejicere.

Tertia hisce accedit controversia inter Archipresbyterum pariter et Capitulares magna animorum contentione fervens. Sac. Rituum Congregationem anno 1857 adiverat Archipresbyter, ut non pauca, a capitulo sibi refutata, privilegia vindicaret ac praesertim ut Canonici cogerentur inservire ei tanquam ministri non solum in missa solemni sed etiam in vesperis aliisque ecclesiasticis functionibus. Hac de re s. Congregatio mandavit Episcopo, ut articulum XIV. capitularium constitutionum ita reformaret: »Praedictum vero ministerium diaconi et subdiaconi in missa solemni tantum per Archipresbyterum celebranda Canonici capitularem pergradum exercere debent sive per se sive per

alios de capitulo.« Patet id e decretis sac. Congregationis Rituum in causa *S. Miniatis dici 24. Aprilis 1857.* Atqui renuit major capituli pars huic decreto obtemperare et contendere vicissim coepit Archipresbyter, debere unum ex Canonicis in solemnibus missis indutum pluviali sibi inservire pro presbytero adsistente. Rediit igitur ad s. Congregationem Rituum, ut hoc etiam privilegium sanciretur, utque Canonici ad prioris decreti observantiam compellerentur. Prodiit verumtamen die 17. Martii 1859 rescriptum ex audientia SSmi, quo cavebatur, ut s. Congregatio Concilii »de praesenti quaestione judicium ferat una cum aliis quaestionibus apud eam jam pendentibus et ipsum capitulum Phocense spectantibus.«

Episcopi relatio haec habet: »solo alcuni pochi di mala voglia, e solo per prevenire sconcerti si sono adattati a prestarsi come ministri all' Arciprete nelle messe da esso celebrate in canto nei dì solenniori dell' anno, intorno a che devo ora anco notare come nella notte del s. Natale dell' anno 1858 testè caduto, essendo avvenuto che inancassero per cause legittime due di quei pochi Canonici che sogliono prestare il loro ufficio di ministri all' Arciprete, altri due soli dei presenti alla sacra funzione condiscesero e si disposero di fatto a pararsi a quella messa solenne notturna, per cui mancando il terzo (per il sistema che vi è di farsi uso puranco dell' assistente in piviale) l' Arciprete indispettito, di carattere urtante, com' egli è, e meno prudente, indossatosi gli abiti sacerdotali, si recò all' altare con un solo chierico, e così cantò senza alcuno dei ministri ordinari la messa. Questo fatto fece suscitare un sordo bisbiglio nella numerosa popolazione che trovavasi raccolta nella chiesa, che potè però in qualche modo nel momento sedarsi; ma terminata la messa, e dato luogo al canto delle laudi, varii del popolo incominciarono a fare schiamazzo, suonare i campanelli degli altari, facendo fischi, battendo mazze sulle panche e negli usci, per cui dovevano accorrere alcuni gendarmi per prevenire ulteriori sconcerti, i quali dipoi portarono anco i Canonici al ritorno che essi fecero alle rispettive loro case, temendosi di qualche personale insulto »»Allegationes insimul, utrinque exaratas, transmittit monens«« la lettura di dette memorie, non ostante le calde insinuazioni rispettivamente da me dirette perchè fossero con animo pacato, prudente, e veritiero ad esprimere il loro pensiero e rilevare i loro titoli, con aver fatto puranco avvertire la trasmissione che delle stesse memorie sarebbesi da me fatta alla s. Sede, può dare un' idea sulla malaugurata divisione che trovasi in quel corpo morale, stato costantemente il tormento anco dei miei Venerabili antecessori in questa sede pel suo spirito indisciplinato, intollerante, borioso, e causa di continui scandali in quella popolata terra. Siffatto anormale stato di cose a riguardo di quel medesimo clero non ho io omesso di segnalare incidentemente a questa s. Sede in diversi affari .... Esaurito inefficacemente ogni temperamento a rivendicare l' ordine e la disciplina nel preenunciato clero, io non ravviserei ora altro espediente che quello della soppressione della Collegiata, estremo invero ardito, ma che io prevedo ormai unico.«

Archipresbyter ut obligationem Capitularium eidem inserviendi pro diacono, subdiacono ac presbytero adsistente demonstret, plures invocat capitulares conclusiones, queis sane resistere hodierni Canonici nequeunt, cum obligationes ab antecessoribus susceptas servari opus sit a successoribus, qui eorum fruuntur praebendis, ad tradita per *Rotam in rec. decis. 391. num. 23. par. 15.* et *decis. 58. num. 9. par. 18.* Inter quas emicant conclusiones diei 3. Januarii 1789, quibus Canonici »premendo al capitolo loro di conservare la consuetudine immemorabile non mai interrotta nella loro collegiata che uno di loro Sigg. Canonici nelle messe solenni Arcipresbyterali serva vestito di Piviale nell' ufficio di assistente, convennero di esser pronti a far ciò in tutte le occorrenze ad ogni destinazione che di uno di loro venisse fatta all' occorrenza dal loro Sig. Arciprete pro tempore, con voti favorevoli 9. Item etc. riconosciuto che il turno fra di loro Sigg. Canonici adunati per servire in qualità di diacono e subdiacono delle messe solenni Archipresbyterali non sortiva quei buoni effetti che si erano creduti nell' introdurlo, vennero nella determinazione di eleggere per ministri delle messe solenni suddette quatro Canonici etc.« Idipsum comprobari subdit e constitutionibus capitularibus anni 1826, quae expressam harum obligationum praebent mentionem. Eas vero constitutiones, etsi corrigendas jusserit sac. Rituum Congregatio quoad art. XIV., cohibita obligatione ministrandi pro diacono et subdiacono ad missas

solemnes tantum, nemo ambiget quin capitulares sive relate ad correctionem hanc sive relate ad caetera omnia in constitutionibus comprehensa servare illas religiose debeant.

Quoad hasce constitutiones abs re non erit praemonere inter reliqua dubia sac. huic Congregationi proposita mense Januario anni 1839 hoc etiam extitisse:

»*An constet ecclesiam s. Joannis Baptistae esse collegiatam in casu?*

Quod ab FE. PP. dimissum fuit per rescriptum:

Consulendum SSmo pro sanatione, quatenus opus sit, adjecta lege ut infra sex menses conficiantur constitutiones ad formam concilii romani.«

Resolutionem s. Congregationis summus Pontifex confirmavit; atque hinc Episcopus in executionem rescripti statuit »praefatam ecclesiam ... jam Collegiatae tituli a fel. rec. antistite Brunone Fazzio ... anno 1782 decoratam auctoritate, qua fungimur apostolica, vere collegiatam esse statuimus, decernimus .. Constitutiones capituli, quas anno 1826 decreto nostro probavimus, iterum probandas esse servandasque statuimus, declarantes eas pro illis sufficere, quas infra sex menses S. C. Concilii jusserat conficiendas.« Jam vero constitutiones suas nefas est capitulo violare, quoniam ipsae ad instar juris communis omnes Canonicos ligant, ceu docet *Pignatell. consult. 76. num. 6. tom. 4.* Nec eas quidquam contrarium juri praeseferre in hoc ait Archipresbyter. Primo enim in episcopali bulla, qua anno 1782 Collegiata fuit instituta, quaeque per posteriorem summi Pontificis sanationem robur accepit, legitur: »duodecim canonicatus una cum totidem presbyteris seu clericis saecularibus in Sacris tamen constitutis, qui unum collegium cum Archipresbytero constituant et faciant, perpetuo erigimus et instituimus cum honoribus et oneribus universis, cum signis et insigniis aliarum Collegiatarum nostrae dioecesis.«

Haec profecto, inquit, aperte innuunt Archipresbyterum esse praesidem collegii non modo per ea verba »unum collegium cum Archipresbytero constituant,« sed etiam per subsequentia »cum honoribus et oneribus ... aliarum Collegiatarum nostrae dioecesis.« Etenim neque collegium sine capite fingi potest neque latet aliarum dioecesis Collegiatarum hanc esse praerogativam, ut caput collegii sit Archipresbyter. Cui addendum est, in capitularibus constitutionibus anni 1826 Archipresbyterum appellari »praesidem Collegiatae et capituli Phocensis« ... ut hactenus fuit. Hoc posito juri est procul dubio conveniens, collegii praesidi eos honores atque ea privilegia a Capitularibus tribui. Deinde, licet praesidis qualitas negari Archipresbytero velit, nequidem contra jus est ut sese obligent Canonici ad ministerium ei praedicto modo exhibendum. Praetereundum postremo non est, canonicales praebendas ex fundationis lege presbyterales absolute non esse. Fert enim bulla erectionis Collegiatae: »cum totidem presbyteris seu clericis saecularibus in Sacris tamen constitutis.« Quare eo vel minus dedecet officium ministrorum in solemni missa Archipresbytero praestari a Canonicis Ex altera capitulum praeter multa, quae nulla adducta facti probatione enarrat, capitularia acta ante pontificiam veniam erectionis Collegiatae gesta spernenda esse contendit, quia Collegiatae existentia absque ea admitti neutiquam valet. Notum namque est Episcopos facultate erigendi Collegiatas minime pollere, *Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 92. 73., Card. Petra ad constit. 7. Innocentii IV. sec. 2. num. 8. tom. 3.,* et *S. C. C. in Cathanien. Erectionis Collegiatae 1. Sept. 1691. apud Petram loc. cit. num. 11.* et in ipsa causa *S. Miniatis Absolut., reduct. et translat. diei 24. Januar. 1829.* Longe minus Canonicos obligant constitutiones anni 1826. Hae siquidem non a capitulo sed ab Episcopo redactae fuere, neque cuiquam Canonicorum pro acceptatione oblatae unquam sunt, quum possessionem canonicatuum aquisivere. Neque factum aut acquiescentia antecessorum hodiernis Canonicis objici posset, quia onus inserviendi Archipresbytero haud egredi personas, quae huic sese subjecere, nec sine suprema ecclesiae auctoritate imponi potuisse futuris quoque Canonicis capitulum regerit.

Praeterea ad capitularia acta, constitutiones et Canonicorum acquiescentiam uno velut ictu explodendas addit, nullo prorsus monumento probari quod Archipresbyter sit dignitas Phocensis capituli. Ei itaque, uti primo inter aequales, nullae praeeminentiae vel praerogativae ex jure debentur, teste s. Rituum Congregatione *in Maceraten. 3. Augusti 1839*, »ibi« Nullam distinctionem nullamque praeferentiam competere Praeposito ecclesiae s. Salvatoris Maceratensis uti primo inter aequales et uti parocho.« Quocirca

quidquid contra receptum jus vel firmatum vel agnitum hucusque fuit nullo in pretio habendum est, ceu docuit S. haec C. in *Anagnina Servitii chori et distributionum 20. Novembris 1819.*

Super haec in suis allegationibus alia sibi competentia privilegia tuetur Archipresbyter, alia capitulum negat atque eorum exercitium ut inhibeatur postulat. Cum vero haec omnia promotae in exordio litis instantiae sint penitus extranea, supervacaneum de iisdem disserere censui.

Itaque dirimenda ab EE. VV. sunt dubia:

I. *An sustineatur episcopale decretum diei 5. Octobris 1790 super erectione praebendae pro sacrista in casu?*

II. *An et quomodo sit locus celebrationi sex missarum singulis diebus festis tam reductis quam non reductis in casu?*

III. *An et quomodo teneantur Canonici Archipresbytero ministrare in solemnibus missis in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative ad tramites novissimi episcopalis decreti diei 10. Decembris 1857.

Ad II: Affirmative, facta reductione ad duas missas singulis diebus festis, firmis manentibus caeteris oneribus ad formam resolutionis s. Congregationis diei 24. Januarii 1829, confecto ab Episcopo horario pro celebratione earumdem missarum ad majorem populi commoditatem, et statuta mulcta trium libellarum contra quemlibet transgressorem pro qualibet vice.

Ad III: Affirmative ad tramites decreti s. Congregationis Rituum diei 24. Aprilis 1857, et cum assistentia alterius Canonici pluviali induti.

Die 14. Jan. 1860.

Assistentes Episcopi.

1) In Ecclesia cathedrali.

Vd. *p. 1125 n. 2.*

Brictinorien.

Ex dispositione sacerdotis Nicolai Pretini Archipresbyteri s. Mariae de Castro novo erecta fuit in cathedrali ecclesia Brictinorii capellania in titulum perpetui simplicis beneficii, cujus onera ipse fundator his verbis expressit: »Vult dictus D. Nicolaus, quod rector dictae capellaniae ultra celebrationem missarum singulis diebus teneatur et obligatus sit, nisi infirmitate aliqua vel alio legitimo impedimento impeditus fuerit, dictos Rmos Episcopos (scilicet Brictinorienses) a palatio episcopali ad ecclesiam et ab ecclesia ad palatium episcopale deducere et reducere, si tamen pedestres venient Rmi Domini Episcopi et dum Rmus Dominus Episcopus reperitur in sua ecclesia cathedrali sive in alia in civitate Brictinorien. ac suburbanis et vacet divinis officiis et aliis muneribus episcopalibus, idem rector praedictae capellaniae teneatur assistere et inservire dicto Domino Episcopo, et ad arbitrium illius perinde ac si esset unus ex familiaribus suis.«

Prohibuit tamen, ne successores post erectionem Episcopi capellaniam conferrent alicui de sua familia neque ei, qui illius familiaris jam fuisset aut imposterum futurus esset. Reservavitque patronatum Episcopo pro tempore, cui facultatem quoque dedit erigendi dictam capellaniam in canonicatum ecclesiae cathedralis firma tamen remanente obligatione de celebrandis missis singulis diebus et deducendo et reducendo dictum Rmum Episcopum eidemque in ecclesia inserviendi.«

Primus capellaniae possessor fuit ipsemet fundator Nicolaus Pretini, cujus favore facta collatio fuit sine ulla prorsus obligatione, dum ipse viveret. Eo autem defuncto anno 1609 Episcopus Brictinorien. de consensu capituli capellaniam in unum erexit ex iis tribus canonicatibus, quos Episcopus antecessor suppresserat, illumque contulit sacerdoti, qui ipsi a secretis inserviebat, recepto juramento adimplendi fundationis onera.

Anno 1636 vacavit iterum canonicatus collatusque fuit Petro Paulo de Mastris, qui tamen, cum subinde electus fuisse rector parochialis ecclesiae s. Appollinaris de Collina nec idcirco posset personaliter degere Brictinorii et Episcopo inservire in ejus functionibus episcopalibus in ecclesia cathedrali ac

in aliis ejusdem civitatis ecclesiis, illum anno 1660 permutavit cum simplici beneficio a Jacobo Ventura de Fabris possesso.

Aliae deinde sequutae sunt canonicatus vacationes. Interim vero instante anno 1676 Dataria apostolica discuti debuit in sacra Congregatione dubium:

»*An talis canonicatus sit ita residentialis, ut hac ratione sit incompatibilis cum alio beneficio residentiali?*

responsumque fuit:

Affirmative.

Qua de re anno 1701 provisus de canonicatu extitit Philibertus Benaglia ea expressa lege, ut decreto sacrae hujus Congregationis obtemperaret. Anno autem 1741 s. m. Benedictus XIV. motu proprio ac literis in forma Brevis expeditis canonicatum contulit Antonio Mariae Presi familiari suo, ob cujus resignationem s. m. Clemens XIII. ad illum anno 1759 promovit Stephanum Bertaccini caeremoniarum magistrum Episcopi Brictinoriensis. Denique sequuto istius obitu canonicatus anno 1765 collatus fuit Petro Carolo Paolucci, cujus reluctantia subeundi munia in fundatione imposita hodiernae disputationi praebet occasionem.

Inquit promotor fiscalis curiae episcopalis Brictinorii canonicatui Pretini obligationem inesse inserviendi Episcopo. De hac autem obligatione constare ex clara litera fundationis. Onus hujusmodi fuisse ab Ordinario approbatum, eo ipso, quod instante Nicolao Pretini suamque voluntatem patefaciente quoad singulas conditiones et onera beneficio injungenda idem Ordinarius decretum erectionis adjecit, quo omnia narrata tacite reperita et approbata censentur, *Card. de Luca de Regal. disc. 5. num. 4., Pacion. allegat. 150. n. 6* et *allegat. 152. n. 4., Rot. in Colonien. Abbatissatus 25. Aprilis 1757. §. 6. cor. Frangipane.*

Praesertim quia Ordinarius tenetur omnes conditiones fundatori benevisas etsi juri contrarias approbare, dummodo turpes non sint, impossibiles et contra substantiam beneficii. *Piton. de controv. Patron. alleg. 66. n. 241.* et *alleg. 80. n. 7, Rota cor. Emerix jun. decis. 1241. n. 6.*

Tanto magis, quia neque aliae conditiones a fundatore appositae de quotidiana missae celebratione aut de facultate Episcopo tributa in canonicatum erigendi simplex beneficium ab eo institutum repetitae aut expresse confirmatae fuerunt in decreto factae erectionis, et nihilominus de hisce conditionibus nulla unquam orta est controversia.

Provocat deinde ad status, qui fundationem immediate subsequuti sunt, et quorum vis maxima esse debet ad fundationis qualitatem interpretandam, *Amostaz. de causis piis lib. 2. cap. 3. n. 21, Piton. discept. eccl. 17. n. 48.* Animadvertit, in prima post obitum fundatoris sequuta canonicatus collatione praestitum a novo Canonico fuisse juramentum de adimplendis omnibus canonicatus oneribus, eumdemque Canonicum monitum ab Episcopo fuisse, ne sine Episcopi licentia abesset. Observat insuper, Petrum Paulum de Mastris, post obtentum beneficium curatum s. Appollinaris canonicatum ea de causa resignasse, quia adimplere non poterat onus personaliter degendi Brictinorii, ut Episcopo inserviret. Addit, hanc Congregationem innixam tum literae fundationis tum subsequutae observantiae, quorum utrumque anno 1676 fuit expositum, canonicatum hujusmodi declarasse residentiale et cum alio quolibet beneficio prorsus incompatibile.

Idque servatum fuisse dicit post decretum sacrae Congregationis, cum canonicatus anno 1701 collatus fuit sacerdoti Philiberto Benaglia. Perperamque opponi tres prostremas provisiones, tum quia quadragenariam non complent tum etiam, quia, si prima excipiatur, aliae potius favent, cum provisi aliqua ex parte ac per aliquod tempus suo muneri satisfecerint et personale servitium Episcopo praestiterint.

Pergit hinc ad praecisam servitiorum qualitatem et peculiares causas, in quibus illa praestanda sunt contenditque canonicatus possessorem non solum teneri ad inserviendum Episcopo in solemnioribus functionibus, quemadmodum quilibet Canonicus ex juris dispositione tenetur, ut in *Caerem. Episcop. cap. 15, sac. Congreg. Rituum in Hispalen. 1592*, sed etiam ad alias quascumque functiones minus solemnes, quas Episcopus quovis in loco civitatis peragere voluerit. Ampliora haec servitia ex eo deducere conatur, quod fundator eadem servitii onera firma manere voluerit etiam in casu, quo beneficium in canonicatum erigeretur, cum inanis fuisset hujusmodi expressio, si onera tantummodo cuilibet Canonico inhaerentia injungere intellexisset.

Addit insuper, fundatorem non unam vel alteram solemnem functionem indigitasse, sed generice servitium demandasse praestandum Episcopo, *dum vacat divinis officiis et aliis muneribus episcopalibus.* Id autem verificari putat, quoties Episcopus ordinis, chrismatis, poenitentiae et eucharistiae sacramenta administrat ac praeterea, cum sanctimoniales visitat easque religioso habitu induit, cum conciones habet vel aliud quodlibet pietatis ac religionis opus in quavis ecclesia exerceret, alias inutiliter fundator Episcopo jus tribuisset utendi ministerio Canonici *ad ejus arbitrium, perinde ac si esset unus ex familiaribus suis.*

Advertit etiam, fundatorem prohibuisse, quominus Episcopus *alicui de sua familia* beneficium confere posset idque non alia de causa factum asserit, nisi ut familiarium numerus novi beneficiati accessione Episcopo augeretur. Observat, fundatorem Episcopo facultatem tribuisse erigendi beneficium in canonicatum, atque ex hoc infert, quod sicuti ante beneficii erectionem in canonicatum servitia a beneficiato praestanda diversa erant ab iis, quae Canonicis ex juris dispositione inhaerent, ita post erectionem similia quoque esse debeant servitia non ratione canonicatus sed ex causa veri famulatus praestanda.

Et hac etiam in re provocat ad observantiam, qua constare dicit, Petrum de Mastris anno 1660 canonicatum dimisisse tanquam incompatibile eo, quia degere teneretur Brictinorii ad effectum inserviendi Episcopo: et Canonicum Bertaccini, licet Foropompilii commoraretur ibique canonicatum possideret, nihilominus suum semper famulatum ex lege fundationis Episcopo exhibuisse.

Nihilque obstare putat, quod capellaniae possessor ex decreto visitationis anni 1616 teneatur ultimam missam in cathedrali celebrare. Existimat enim onus hujusmodi non esse incompatibile cum lege fundationis, vel quia nunquam accidit, ut servitia in meridie Episcopo exhibeantur, vel quia Episcopus juri suo cedere potuit et permittere, ut ea hora a servitio recederet. Caeterum concludit, quod, si grave nimis videatur onus celebrandi ultimam missam, fas erit agere in congruo judicio pro istius oneris abrogatione.

Atque haec quoad primum dubium respiciens servitia Episcopo praestanda, quo vero ad alterum super celebratione missae quotidianae promotor fiscalis ab illius examine pro nunc abstinendum censuit, prout ex ejus declaratione in actis emissa, et EE. VV. forsan circumferenda. Id autem factum dicit, quia ob reddituum tenuitatem usque ab anno 1641 vigore pontificii Brevis sequuta est missae quotidianae reductio ad tres missas qualibet hebdomada, ea tamen lege, ut, si redditus augeantur, quotidianae missae celebratio reassumatur.

Hinc caute procedendum existimavit, ne perpetuae reductioni adhaerere videretur; sed liberum esse voluit Episcopo, Canonicum possessorem compellere ad quotidianam missae celebrationem, quatenus decursus temporis redditus fuissent adaucti. Verum sacerdos Paolucci temporaneae hujusmodi suspensioni non acquiescens alterum quoque dubium subscribi curavit, quod ipso instante ac mordicus urgente proponitur. Verum nec super primo nec super secundo dubio, quamvis pluries monitus et a longo jam tempore expectatus, quidquam adhuc deduxit.

Duo hac in causa potissimum expendenda videntur. Primum scilicet: an possessori canonicatus Pretini onus incumbat praestandi Episcopo servitia, qua quidem in re habenda prae oculis est fundationis litera, subsequuta observantia, et sac. Congregationis responsum anno 1676 editum. Alterum vero respicit modum et peculiares functiones, in quibus teneatur inservire. Non incongruum proinde erit ante omnia recensere servitia ab omnibus Canonicis ex juris dispositione praestanda.

A concilio Tridentino *sess. 24. cap. 13. de reform.* id unum cautum reperitur, ut Canonici debeant *Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire.* Hoc servitii genus clarius exprimitur in *Caeremoniali Episcoporum cap. 15.* his verbis: »Cum Episcopus rei divinae peragendae causa ad ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit sive alter, debent Canonici omnes in eorum ecclesiastico et canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere eumdemque cappa indutum ex ea aula sive camera, quam ad hoc destinavit, ad ecclesiam progredientem comitari et deducere.«

Et paulo infra: »In redeundo idem ordo servetur.« Idque a Canonicis observandum esse, quamvis Episcopi palatium ducentis passibus ab ecclesia cathedrali distaret, pluries declaravit sac. Rituum Congregatio, praesertim in *Turritana 26. April. 1704. ad VI*

apud Monacell. tom. 4. supplem. ad tom. 3. num. 193.)*

Verum quia Caeremoniale Episcoporum indistincte loquitur de accessu Episcopi ad ecclesiam, idcirco saepius hac de re subortae sunt controversiae judicio sac. Rituum Congregationis pro definitione subjectae. Praecipue autem anno 1592 nonnulla proposita fuerunt dubia ab Archiepiscopo et capitulo Hispalensi, relata a *Pignatell. consult. 83. n. 3,* atque inter caetera quaesitum fuit:

I. *An, quando contigerit, ut missa per eumdem Archiepiscopum solemniter celebranda vel aliae functiones pontificales sint exercendae extra metropolitanam in alia ecclesia ejusdem civitatis vel suburbiorum, possit similiter compellere complures, ut sibi inserviant et assistant, etiamsi ipsa ecclesia esset collegiata et in ea Dignitates et Canonici existerent?*

II. *An Dignitates et Canonici et capitulum teneatur Archiepiscopum accedentem ad ecclesiam diebus festis cappa indutum comitari et quo loco?*

III. *An etiam in reditu debeant eum reducere et ad quem locum?*

IV. *An si privatim ad ecclesiam venerit, sit ei obviam eundum, rediens sit reducendus et quomodo?*

Sacra Congregatio respondit

Ad I: Licere Archiepiscopo eosdem compellere, quoties ad alias ejusdem civitatis et suburbiorum ecclesias accedit ad aliquod speciale munus exercendum.

Ad II.—IV.: »Dignitates, Canonicos et capitulum debere ad cubiculum accedere, ubi Archiepiscopus induitur cappa, et eum ad ecclesiam venientem debito cum honore comitari. In reditu debere etiam saltem usque ad ostium domus ipsum Archiepiscopum associare. Ei vero venienti sine cappa nonnullos ex Dignitatibus et Canonicis ad ostium ecclesiae et in reditu similiter usque ad ostium ecclesiae ipsum comitari debere.« **)

Et hujusmodi responsa s. m. Clemens V. die 17. Junii ejusdem anni apostolica auctoritate confirmavit.

Praeterea ad Dignitates et Canonicos Cathedralis pertinet Episcopo assistere Pontificalia exercenti etiam in ecclesia collegiata vel parochiali neque id incumbere Canonicis Collegiatae vel presbyteris Parochialis, etiamsi sufficiens adsit presbyterorum numerus, quemadmodum declaravit sac. Ritum Congregatio in *Calaguritana 1. Julii 1601,* in *Bononien. 20. Aprilis 1602,* et in *Brundusina 15. Julii 1617.**) Hinc cum pro parte capituli Cathedralis Isernien. narratum fuerit, quod Episcopus Pontificalia exercens extra Cathedralem adhibere consueverat simplices presbyteros inservientes, neglectis Canonicis Cathedralis, petitumque extiterit, ut declararetur, an id conveniret? Eadem sac. Congregatio respondit: Non convenire, sed Canonicos Cathedralis in casu proposito inservire debere etiam extra Cathedralem et non alios inferiores.

Haec sunt servitia a jure praescripta quaeque a Canonicis Cathedralis sunt Episcopo exhibenda. Comparanda modo sunt, quae fundator canonicatus Pretini injunxit, ut inde dijudicari valeat, an illius possessor ad ea tantum subjiciatur seu potius ad graviora teneatur. Id autem ex fundatione et ex aliis omnibus circumstantiis serio perpendendis desumi poterit.

Prohibuit fundator, ne Episcopus »possit conferre dictam capellaniam alicui de sua familia neque alicui, qui alias fuerit ejus familiaris nec futurus sit in futurum.« Mandavit insuper »quod rector capellaniae teneatur et obligatus sit, nisi infirmitate aliqua vel alio legitimo impedimento impeditus fuerit, DD. rev. Episcopum a palatio episcopali ad ecclesiam et ab ecclesia ad palatium episcopale deducere, si tamen pedestres venient rev. Episcopi et dum rev. Episcopus reperitur in sua ecclesia cathedrali sive in alia in civitate tam Brictinorien. ac suburbiis et vacet divinis officiis et aliis muneribus episcopalibus, idem rector praedictae capellaniae teneatur assistere et inservire D. rev. Episcopo, et ad arbitrium illius, perinde ac si esset unus ex familiaribus suis.« Hujusmodi vero onus firmum manere voluit etiam in casu, quod capellania in canonicatum erigeretur; ac tandem addidit: si dictus rector negligens fuerit, puniatur ad arbitrium Rmi D. Episcopi, qui pro tempore erit.

Ex his itaque verbis deducenda est ser-

*) Vd. *Decreta auth. S. R. C. Edit. Mühlbauer t. I. p. 492.*
**) *Ibid. p. 486. n. 1. a.*

*) *Ibid. p. 453 c.*

vitiorum qualitas a Canonico praestanda et ex iis dijudicandum, quibus in casibus teneatur Episcopum comitari. Ac demum non est praetereundum, quod sequuta anno 1676 discussione super residentia a possessore canonicatus praestanda ejusque incompatibilitate cum alio residentiali beneficio inter caetera, quae deducta tunc extiterunt, narratum quoque fuit, assignatum quidem fuisse istius canonicatus possessori stallum in choro, sed semper infimum, eumque considerari tanquam Canonicum supranumerarium nec notari praesentem nec punctari absentem neque habere vocem in capitulo neque ad functiones vel actus capitulares vocari.

Omnibus proinde perpensis, quae hac in causa notatu digna occurrunt, EE. VV. dijudicabunt:

I. *An, quomodo et in quibus functionibus possessor canonicatus Pretini teneatur praestare servitia Episcopo in casu?*

II. *An ratione ejusdem canonicatus teneatur ad celebrationem missae quotid. in casu etc.?*

S. C. resp. ad I: Affirmative in omnibus ad formam fundationis.

Ad II. Satis provisum in Brevi apostolico anni 1641.

Die 14. Decbr. 1771 et 11. Jan. 1772.

Cunen.

Capitulum cathedralis ecclesiae Cunecensis constat ex tribus dignitatibus, scilicet Priore, Archipresbytero, Praeposito et quindecim Canonicis. Singulis dignitatibus ex fundationis lege imminet animarum cura: hinc Prior seu prima dignitas animarum curam exercet in ecclesia cathedrali, Archipresbyter in ecclesia s. Mariae de Plebe, Praepositus in ecclesia s. Ambrosii. Secundam ac tertiam dignitatem anno 1646 fundavit Carolus Bonada ea lege, ut »non siano obligate alla totale residenza canonicale conforme sono obligati gli altri signori Canonici, attesa la cura d' anime che hanno«, quam quidem legem probavit s. m. Clemens XI. apostolicis literis anni 1703 inquiens: *Moderato juris rigore quoad residentiam canonicalem ipsis Archipresbytero et Praeposito juxta fundatoris voluntatem, ne animarum cura, parochialibus ecclesiis respective incumbens, negligatur.*« Paulo post certatum est: utrum memoratae dignitates, dum in suis ecclesiis Cunecensis civitatis parochi munere fungerentur, tamquam choro praesentes censendae forent ac propterea quotidianas lucrarentur distributiones; verum quaestionem omnem diremit hic sacer Ordo edito responso: Archipresbyterum et Praepositum esse admittendos ad participationem fructuum et distributionum pro tempore, quo choro non interveniunt, quatenus eodem tempore sint actualiter occupati ministerio suarum paroeciarum, uti videre licet in *Montis Regalis Distributionum 6. Decembris 1732.* Res ita cesserunt ad nostra usque tempora, quibus civitate Cunei ad sedem episcopalem evecta primus Episcopus Amedeus Bruno in dioecesana synodo anni 1827 caetera inter decreta sancivit, ut »functionibus pontificalibus, quae a nobis peraguntur in ecclesia cathedrali, Dignitates et Canonici omnes intersint: prima autem dignitas vel ille, qui illius absentis aut quoquo modo impeditae vices gerit, designet pridie Canonicos, qui Episcopo pontificaliter celebranti aliisve divinis officiis adsistenti ad amussim, quavis in curia ablegata, ac juxta Pontificalis romani et Caeremonialis Episcoporum regulas inserviant. Ita enim Tridentini mens (sess. 24. de reform. c. 12) per omnes facilius adimplebitur.«

Synodali hujusmodi lege jura sua laesa existimans Archipresbyter s. Mariae de Plebe nec sibi fas esse reputans suam ecclesiam solemnioribus anni festivitatibus derelinquere et a sacramentorum administratione desistere ut Episcopo solemni ritu in ecclesia cathedrali Sacris operanti inserviat, oraculum hujus sacrae Congregationis ea de re sibi poscendum censuit, ne alterutri ipso suo desse videatur muneri.

Episcopus, quem rogaveram de informatione et voto, respondit: Decretum suae synodi ita esse accipiendum, ut non absolute adigantur dignitates hujus capituli ad servitium Episcopi, sed dumtaxat habita prudenter ratione actualis servitii curae animarum impendendi, atque ita posse sententias et munera amice conciliari pro zelo gloriae divinae et fidelium aedificatione.

Explorati quidem juris est, Dignitates et Canonicos omnes cathedralis ecclesiae Episcopo ibidem Pontificalia exercenti adsistere ac inservire debere, *Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform., s. Rituum Congregatio in Hispalen. 17. Junii 1492. apud Pignatell. consult. can. 83. tom. 5.*, immo licitum esse Episcopo juris adhibitis remediis integrum

compellere capitulum una cum omnibus de clero cathedralis, ut sibi adsistat, respondit haec s. Congregatio in *Giennen.*) 19. Junii 1728. ad IX. dub.* ac tradit *in Brictinorien. Servitiorum 14. Dec. 1771.* §. *Praeterea,**)* nisi tamen quisquam sit legitima causa impeditus, quemadmodum rescripsit S. R. C. *in cit. Hispalen. ad IX. dubium* et docet *Scarfanton. ad Ciccoper. animad. in lib. 3. tit. 7. n. 9.* Illud itaque nunc inquirere necesse est, utrum animarum cura a secunda et tertia dignitate extra cathedralem ecclesiam obeunda justam legitimamque suppeditet causam, quamobrem eaedem dignitates ab onere adstandi proprio Antistiti rem divinam solemni ritu facienti immunes sint habendae.

Jam vero Amator Lobetti Archipresbyter s. Mariae de Plebe rem adeo certam et perspicuam existimat, ut Emos Patres legem synodalem abrogaturos confidat. Etenim qua Praeposito, qua Archipresbytero ex fundationis lege incumbit regimen animarum, ideoque praecipuum eorum munus est oves sibi commissas verbi divini praedicatione, sacrificii oblatione et Sacramentorum administratione pascere ac regere festis praesertim ac solemnioribus diebus, in quibus populus majori se frequentia ad suam assolet conferre ecclesiam. Hac sane de causa fundator cavit, ut memoratae dignitates *non siano obligate alla totale residenza canonicale conforme sono obligati gli altri Canonici,* et s. Congregatio *in cit. Montis Regalis* rescripsit: Eisdem dignitatibus tribuendas fore quotidianas distributiones, quamvis choro non intersint, dum in suis ecclesiis curae incumbunt animarum.

At si animarum cura solvit dignitates obligatione divinas laudes persolvendi in choro, justam quoque praebere debet causam, ne ipsae Episcopo Pontifici in morem Sacris operanti inservire compellantur, cum idem subsit spirituale parochianorum detrimentum, sive dignitates choro adsint sive Episcopo inserviant. Hinc apposite *Clericat. de benefic. et pens. discur. 71. n. 6.* scribit, quod Canonici curam animarum habentes, si in diebus festis solemnioribus obligarentur inservire Archipresbytero loco diaconi et subdiaconi in missa solemni, cogerentur intermittere administrationem sacramentorum poenitentiae et eucharistiae etc. Hoc autem esset magnum absurdum, quia quilibet debet vacare proprio officio, et officium Canonicorum, curam habentium animarum, eos obligat inservire animabus, non autem Archipresbytero. Concinit *Rot. in Gerunden. Distribut. 30. Aprilis 1711.* §. *Atque haec cor. Lancetta* et in *Bobien. Exemptionis 27. Januar. 1719.* §. *Quoniam cor. de Gamaches.* Ne itaque dignitates Cunecenses curam animarum suis praebendis adnexam habentes divino praecepto pascendi plebem sibi commissam deesse adigantur, eximendae sunt ab onere inserviendi Episcopo Pontificalia obeunti, eo magis quod sacrarum functionum decori nihil detrahatur ex earumdem dignitatum absentia ob satis amplum reliquorum Canonicorum numerum.

Aliter tamen quaestionem definiendam contendit capitulum inquiens nullius esse ponderis rationum momenta ab Archipresbytero in medium prolata, quippe quae nimium probant. Etenim probarent Canonicos, quorum praebendis cura imminet animarum, diebus saltem festis immunes esse a divinis laudibus in choro canendis; quod quidem adversum tenet tum fundationum legibus tum sacris canonibus tum hujus sacrae Congregationis resolutionibus relatis in *Arimin. Servitii chori 18. Augusti 1827.* §. *At vero,* et colligitur ex ipsamet *cit. Montis Regalis,* qua statutum fuit Archipresbyterum et Praepositum lucrari quotidianas distributiones atque a choro eo tempore dumtaxat esse exemptos, quo animarum cura distenti in suis ecclesiis occupantur. Probarent eosdem solutos esse a missa conventuali in orbem festis diebus canenda, licet hanc quorundam opinionem reprobaverit Benedictus XIV. in encyclica: *Cum semper oblatas* §. *17*)* jubendo: A Canonicis et beneficiatis in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exercentibus missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicari alterumque substitui, qui ipsorum loco missam pro populo celebret et applicet. Idem sensit haec s. Congregatio in *Fesulana Missae conventualis et pro populo 28. Maji 1796,* et in *Ariminen. Servitii chori 18. Augusti 1827.***) Probarent Canonicis curatis haud onus incumbere Dignitati vel Canonico missam canenti ministrandi in officio diaconi vel subdiaconi, quamvis haec sacra Congregatio contrariae adhaeserit sententiae rescribendo

*) Vd. *p. 1129.*
**) Vd. *p. 1122.*

*) Vd. *p. 700.*
**) Vd. *p. 705.*

Canonicos, qui parochialibus oppidi Campibassi praeerant ecclesiis, Archipresbytero Collegiatae s. Mariae Majoris sacras obeunti functiones inservire debere uti diaconos et subdiaconos ad formam statuti, quemadmodum legitur in *Bojanen. Praeeminentiarum 19. Aprilis 1760 ad I. et II. dubium.*

Ita fractis Archipresbyteri argumentis facile, subdunt Canonici, intelligitur suis stare viribus sanctionem Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 12. de reform.* ac Caeremonialis Episcoporum *lib. 1. cap. 26,* qua omnes Dignitates, Canonici aliique Capitulares proprio Episcopo, dum pontificio ritu Sacris operatur in ecclesia cathedrali, assistere ac inservire obstringuntur. Nec Archipresbyter ad exemptionem sibi quaerendam causari potest curam animarum: Pontificalia enim ab Episcopo haberi solita octo dumtaxat singulis annis numerantur ac hora circiter secunda ante meridiem peragantur, ideoque vix fieri potest, ut parochorum absentia a suis ecclesiis quidquam fidelibus afferat detrimenti. Praeterea malis omnibus satis superque occurri potest, si animarum coadjutoribus, quibus praeditae sunt dignitates, paroeciarum custodia interea committatur, veluti hactenus se gessit Prior ecclesiae cathedralis, quin ullam exinde parochianorum animae subierint jacturam. Hisce tandem calculum addit resolutio hujus sacri Ordinis in *Alben. Praebendae parochialis 16. Sept. 1826.* Duo siquidem Albensis Cathedralis Canonici suis praebendis adnexas regebant parochiales ecclesias atque, ut animarum saluti singulis festis nonnullisque aliis diebus commodius vacarent, omnimodam iis diebus postularunt exemptionem a choro, quin jacturam facerent quotidianarum distributionum, quas ceteroquin suas non fecissent, si choro, dum nullo detinerentur impedimento, abfuissent. Annuit s. Congregatio, sed juxta votum Episcopi, scilicet exceptis diebus solemnioribus, in quibus Episcopus pontificaliter celebret, quoad missam et vesperas.

Verumtamen censet Cunecensis Episcopus eique adstipulatur promotor fiscalis, minime expedire, ut memoratae dignitates adigantur ad assistendum suo Antistiti, dum pontificio ritu Sacrum est facturus, si animarum cura eo tempore impediantur. Quare s. Rituum Congregatio in *Ferentina 3. Septembris 1661* rogata:

An Episcopus possit compellere parochos ad praestandam sibi consuetam assistentiam in missis et vesperis pontificalibus?

respondit:

Affirmative, sed addidit: *Praecavendum tamen, ne quid detrimenti animarum servitio contingat, quo tempore parochus Episcopo in divinis famulatur.*

Erit igitur sapientiae Eminentissimorum Patrum definire:

An Archipresbyter et Praepositus teneantur inservire Episcopo Pontificalia obeunti in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative, dummodo actu non impediantur ab assistentia animarum, ad formam fundationis et approbationis s. m. Clementis XI.

Die 12. Decbr. 1829.

2) In Ecclesia collegiata.

Vd. *p. 1122. Praeterea etc.*

Casertana.

Vicarius generalis Episcopi Casertani die 13. Octobris 1821 Vicarium foraneum Magdaluni monuit, Episcopum postridie sacram visitationem esse aperiturum in collegiata ecclesia Magdalunensi necnon ha stabilito, che si presti l' obedienza da tutto il clero secondi gli statuti, e la consuetudine. Magdalunum se contulit Casertanus Episcopus et circa meridiem diei 14. praedicti mensis ad Collegiatam accessit una cum tribus suae Cathedralis Canonicis et Vicario generali. Canonici Collegiatae, cum jus assistendi Episcopo sacras functiones peragenti praelative etiam ad Canonicos Cathedralis habere contendant, aegre tulerunt, Canonicos praedictos ad assistentiam Episcopo praestandam venisse. Hinc jurgia et scandala, quorum narrationem consulto omitto: agnoscent enim EE. PP. omnia, quae contigerunt ex memoriali ac summario ab utraque parte distribuendo. Magdalunenses Canonici, ne jus assistendi Episcopo, quod sibi competere affirmant, in posterum dissidii causa sit, postulant, ut EE. VV. de eodem jure decernant.

Praeterea in Casertana dioecesi consuetudo viget, ut obedientia quotannis Episcopo praestetur ab universo clero. Antiquitus hanc obedientiam Magdalunenses universi cleri dioecesis morem secuti per suos deputatos praestabant die 8. Maji, in qua memoria

apparitionis s. Michaelis Archangeli festive recolitur: verum asserunt, mutatam quoad clerum Magdaluni fuisse methodum ab Episcopo Vincentio Rogadei, qui statuit, praestandam esse a Magdalunensibus obedientiam die 29. Junii ss. Apostolorum Petri et Pauli martyrio dicata, qua die idem Episcopus quotannis Magdalunum se conferebat: hanc itaque Episcopi Rogadei dispositionem servari petunt.

Remissae preces fuerunt Casertano Episcopo pro informatione et voto, qui sententiam suam quoad utrumque caput contra Collegiatae capitulum aperuit, prout noscent EE. PP. ex summario ejusdem Episcopi nomine typis impresso. Duo igitur dubia, alterum de assistentia, alterum de obedientia, in hodiernis comitiis proponuntur.

Quoad primum declarant Canonici Collegiatae, se quaestionem non instituere de jure capituli Cathedralis Episcopo assistendi, si capitulariter cum Episcopo interveniant; hoc enim jure idem capitulum pollere ultro concedunt, atque ad hunc casum omnes, quotquot afferri possunt, resolutiones a sac. Congregatione Rituum editas pertinere contendunt. Id unum negant, hujusmodi jus Canonicis Cathedralis competere, si uti singuli vel ab Episcopo invitati intersint. Defensor capituli Collegiatae probare conatur, Canonicos Magdaluni immemorabili pacifica possessione usque ad hoc tempus gavisos fuisse assistendi Episcopo sacras peragenti functiones in collegiata ecclesia et intra praedictae civitatis ambitum, non obstante Canonicorum Cathedralis interventu: ex qua immemorabili pacifica possessione jus oriri ad manutentionem obtinendam concludit, *Instit. lib. 4. tit. de interdictis* §. *Retinendae*, *Posthius de manutentione observat. 15. n. 14. et 18.*: etsi de juribus incorporabilibus agatur, prout sunt praeeminentiae aliaque hujusmodi, *Rota* in *Gerunden. Juris praesidendi super manutentione 15. Apr. 1768. num. 3. cor. Veri*, et in *Terracinen. Manutentionis 7. Junii 1779.* §. *2. cor. Herzan.*

Possessione omnem sublatam esse controversiam dicunt Magdalunenses Canonici, quum ipsis denegari nequeat manutentio: possessioni vero justum accedere titulum propugnant. Pluries enim s. Rituum Congregatio et Rota romana praecedentiam concessit Canonicis Collegiatae, etiam praelative ad Canonicos Cathedralis, qui, si singuli cum Episcopo accedant, hoc casu capitulum Cathedralis minime repraesentant, *Card. de Luca de praeeminent. disc. 17. per tot., Pignatell. Consult. canon. 25. num. 5. tom. 10., Piton. Discept. eccles. 149. n. 1. et seq.* Praeterea in praeeminentiarum quaestionibus attendenda est consuetudo, cujus tanta est vis, ut ad jus tribuendum sufficiat, *Piton. citat. discept. 149. n. 9, Rota in Recent. decis. 214. n. 4. part. 4. t. 2.* Inde vero inferunt Canonici Magdalunenses vel ex jure vel ex consuetudine ad ipsos pertinere, ut Episcopo assistentiam praelative ad Canonicos Cathedralis, cum Episcopo uti singulos intervenientes, licet invitatos, praestent.

Qui vero jura Episcopi et capituli Casertanae Cathedralis tuentur, ajunt concilium Tridentinum statuisse, ut Canonici Cathedralis compellantur Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire: quae sanctio non jus tribuit, sed onus Canonicis imponit et, cum generalis sit, generaliter est accipienda de Episcopo in quolibet dioecesis loco solemniter celebrante; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ad text. in *cap.: Quia circa 21. de privileg.* Plures autem afferunt s. Rituum Congregationis resolutiones, quae assistentiam Episcopo praestandam esse a Canonicis Cathedralis decernunt, ac praesertim in *Florentina 20. Novemb. 1628*, in qua definitum fuit: Canonicos Cathedralis non solum teneri sed etiam cogi posse, ut Episcopo inserviant, quando accedit ad alias ecclesias extra Cathedralem ad sacras functiones exercendas: quod clarius quoque fuit contradicente parte statutum in *Melevitana 21. Januarii 1741;* in responso enim ad dubium V. decretum fuit: Canonicos Cathedralis ab Episcopo invitatos praecedere debere Canonicos Collegiatae. Tandem excludere conantur assertam consuetudinem, uti ex eorum memoriali colligent EE. PP., et concludunt a Canonicis Cathedralis, ab Episcopo invitatis, assistentiam eidem Episcopo esse praestandam; Canonicos vero Collegiatae compellendos esse, ut functionibus interveniant, ne scandalum renovetur, quod die 14. Octobris 1821. contigit, qua universi Magdalunenses Canonici Episcopum deserere non dubitarunt.

Quoad obedientiam capitulum Magdalunense non negat, illam quotannis Episcopo esse praestandam; sed novam servandam esse methodum ab Episcopo Rogadei inductam

contendit duplici ex capite: tum quia lex a legitima potestate lata nunquam fuit abrogata, tum quia successiva observantia ab anno 1812 ad annum 1820 vim ac robur accepit. De Episcopi auctoritate dubitari nequit, praesertim cum sanctio illa ob justam et rationabilem causam lata fuerit, nempe ut Episcopus non duos tantum deputatos sed universum clerum Magdalunensem ob oculos haberet. Accedit, in synodo habita anno 1815 fuisse confirmatam: idque pluribus argumentis ac praesertim testimonio decem sacerdotum probare nituntur Canonici Magdalunenses. Consuetudinem vero testium assertione evincunt.

At negant Episcopi defensores, legem immemorabili consuetudine firmatam, s. Rituum Congregationis decreto roboratam, ab universa dioecesi servatam ita abrogari ab Episcopo posse, ut abrogatio successores obligare valeat. Praeterea sine causa abrogationem (si qua extat) accidisse contendunt. Poterat enim et potest Episcopus semper et quandocumque dioecesim visitare; inutilis igitur, immo irrationabilis causa fuit de visitando nempe clero Magdalunensi, quam ad abrogandam legem Episcopus Rogadei attulit.

Quod vero attinet ad synodum dioecesanam, negant illam fuisse perfectam; namque responsum fuit ab omnibus, qui interfuerunt: Non placet: neque in vulgus prodiit ulla illius praetensae synodi constitutio et omnino desideratur Episcopi approbatio seu confirmatio, a qua obligandi vim accipiunt, quae in synodo decreta fuerunt.

Deest itaque illius synodi promulgatio, a qua obligatio servandi ejus decreta incipit, *Benedictus XIV. de synodo dioecesana lib. 13. c. 4. n. 2 et 3.* Si igitur abrogari nequaquam potuit antiqua lex, immemorabili consuetudine nixa, si revera minime fuit abrogata: concludit Episcopus obedientiam praestandam esse a clero Magdalunensi die 8. Maji, prout illam omnes alii dioecesani praestant.

Caetera EE. PP. habent in memoriali utrinque distribuendo, ut dirimere possint, quae proponuntur dubia:

I. *An Canonicis ecclesiae collegiatae Magdaluni competat jus assistendi Episcopo in sacris functionibus intra ambitum praedictae civitatis, etiam praelative ad Canonicos ecclesiae cathedralis non capitulariter sed uti singulos cum Episcopo intervenientes vel ab eo invitatos in casu?*

II. *An, qua die et quomodo quotannis obedientia praestanda sit Episcopo in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, die octava Maji per deputatos.

Die 2. Aug. 1823.

Continuatio Casertana.

Capitulum et Canonici Magdaluni beneficium novae audientiae impetrarunt: ideo in hodiernis comitiis causa allegationibus utrinque distributis iterum proponitur.

Omnis tamen quoad primum dubium contentio nunc est, utrum Episcopo singulos Canonicos invitare liceat; Canonici enim Cathedralis Casertanae praelationem Magdalunensibus concedunt, si non invitati et singulariter ipsi collegiatam Magdaluni ecclesiam adeant; et vicissim Canonici Magdaluni ad capitulum Cathedralis digniorem locum pertinere non negant, si ejusdem Cathedralis Canonici ab Episcopo invitati capitulariter interveniant. De his igitur, quae pacifica sunt, nulla exquiritur definitio.

Jus suum Collegiatae Canonici a consuetudine desumunt; probare siquidem conantur, hanc semper in Magdalunensi civitate consuetudinem viguisse, ut ipsi, praelative etiam ad Cathedralis Canonicos, Episcopo sacras functiones peragenti assistentiam praestent. Quam consuetudinem plurimi faciendam esse asserunt in praeeminentiarum quaestionibus, uti pluries definivit Rota praesertim in *Recent. part. 2. decis. 234. num. 1*, et *part. 8. decis. 216. num. 3;* eamque in casu praesenti servandam esse dicunt, cum sit juri apprime consentanea. Plures namque afferunt s. Rituum Congregationis resolutiones et doctorum auctoritates, quae Collegiatae Canonicis jus assistendi Episcopo concedunt, si Canonici Cathedralis non interveniant capitulariter, etiamsi adsint ab Episcopo invitati, immo etiamsi convisitatores sint: quia nempe tunc neque capitulum repraesentant neque unum efformant corpus cum Episcopo. Quando vero Canonici adsint capitulariter, indicat *Rota in Ampurien. seu Civitaten. Praecedentiae 19. Aprilis 1660. cor. Meltio*, quam refert *Pignatell. consult. canonic. tom. 3. consult. 18. num 6. et seq.*, quando scilicet

incedunt cum cruce et corpus faciunt. Concludunt itaque Magdalunenses Canonici, jus Episcopo assistendi ad se pertinere, nisi Canonici Casertani capitulariter interveniant, ideoque recedendum esse a decisis.

Qui vero Episcopi et Cathedralis jura tuetur, assertum Collegiatae privilegium a consuetudine petitum omnino negat; cum illud non probent Canonici Magdalunenses et actore non probante reus sit absolvendus, *Leg. 2. ff. de probat.* Quo vero ad jus contendit, Episcopo jus esse Cathedralis Canonicos, quos velit, invitandi; qui si intersint, cum digniores sint, assistere Episcopo tenentur. Pluries enim s. Rituum Congregatio declaravit, in ecclesiis parochialibus vel collegiatis assistentiam Episcopo ad Canonicos Cathedralis pertinere, si cum Episcopo sint, non ad presbyteros vel Canonicos Collegiatae, in qua Episcopus Pontificalia exerceat, et praesertim in *Brundusina 15. Julii 1617*, in *Urbevetana 17. Septembris 1639*. Idque valere quoque dicit, si Episcopus singulos invitet, eadem s. Rituum Congregatio in *Aliphana 9. Januarii 1743*; hinc Cathedralis ejusque Canonicorum favore respondendum esse concludit.

Quoad secundum dubium obedientiam Episcopo praestandam respiciens Canonici Collegiatae novam ab Episcopo Rogadei inductam methodum servandam esse dicunt; quae cum sit consuetudine firmata jus tribuit ac titulum ad rem. Antiquam vero methodum Episcopus Rogadei mutavit accedente capituli consensu, saltem tacito, et novam synodali constitutione roboravit: non licet igitur hanc intervertere, nisi ex illis alterutrum saltem accedat. Legitime namque ab antecessore praescripta sunt a successore servanda, nisi ea legitime abroget. Addunt denique Magdalunenses numquam praestitisse obedientiam die 14. Octobris 1821; cum certa esse debeat ejusdem obedientiae praestandae dies neque quotannis eam mutare liceat: indeque inferunt, injuria illa die Episcopum obedientiam sibi praestari petiise.

Cathedralis vero defensor in decisis respondendum esse propugnat, cum antiqua methodus numquam legitime fuerit abrogata; et quamvis eam ab Episcopo Rogadei mutatam fuisse concederetur, suo proprio jure successor Episcopus Gualtidri, qui eadem auctoritate pollet, illam revocare ad observantiam potuerit. Caetera vero habent EE. PP. in citato folio 2. Augusti superioris anni, quod resumere precor et in distributis utrinque allegationibus, ut dirimere valeant quae proponuntur dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu?*

S. C. resp.

Ad I. In decisis, dummodo Canonici Cathedralis accedant ab Episcopo invitati.

Ad II. In decisis, et amplius.

Die 20. Mart. 1824.

3) In missa privata.

Arianen.

Quamvis ab antiqua consuetudine, ut praetenditur, Canonici Cathedralis Arianen. nunquam adstricti fuerint ad praestandam assistentiam Antistiti privatim celebranti usque ad annum 1689, ab eo vero tempore b. m. Episcopus Bonavilla ob ejus infirmitates, ut asseritur, consuevit missam privatam in sui palatii sacello celebrare cum assistentia duorum Canonicorum; renuentibus autem modo Canonicis d. assistentiam moderno Episcopo privatim celebrare valenti in Cathedrali praestare idem Episcopus desuper auditus retulit, praefatum ejus praedecessorem ab anno 1689 semper fuisse in quasi possessione exigendi a Canonicis servitium assistentiae in missis privatis nedum in Cathedrali verum etiam in privato sacello, et ipsumet quoque in Cathedrali tamen celebrantem per cursum quatuor annorum et ultra continuasse in eadem quasi possessione, nemine reluctante; qua attenta consuetudine petit ab EE. VV. illius observantiam demandari pro manutentione ejus possessionis; e contra vero Canonici asserentes d. assistentiam gratis praestitam fuisse a duobus dumtaxat praefati Episcopi Bonavilla familiaribus et tempore, quo divina officia non celebrantur, idcirco enixe EE. VV. deprecantur pro declaratione:

I. *An Canonici etiam tempore divinorum officiorum teneantur assistentiam praestare Episcopo missam privatam celebranti in ecclesia cathedrali?*

II. *An Canonici assistere volentes Episcopo in dicta missae celebratione tempore, quo divina officia celebrantur, sint punctandi?*

S. C. C. respondit

Ad I: Negative;

Ad II: Affirmative.

Die 19. Apr. et 17. Maji 1704.

4) In Ordinationibus.

Innocentius XIII. ad Episcopos Hispaniae.

Noverint autem Episcopi se debere per semetipsos, secluso aegrotationis casu, ordines conferre et sacrorum ordinum collationem statutis a jure temporibus ac in cathedrali ecclesia vocatis et adstantibus Canonicis publice habendam esse, vel si in alio dioecesis loco, semper tamen in ecclesia quantum fieri poterit digniori ac praesente clero ejusdem loci.

Dat. Romae die 23. Maji 1723.

(Bull. r. t. XIII. p. 63. Ed. Luxbg.)

Giennen.

Exortis nonnullis controversiis inter Episcopum et capitulum Giennen. super modo celebrandi sacras publicas ordinationes concordata fuerunt dubia infra exponenda; cumque in ultima Congregatione habita die 23. Septemb. 1726 Episcopus institerit pro aliqua provisione capienda et capitulum protestatum fuerit, se nullam velle facere oppositionem, sed solummodo expectare responsum super dubiis jam subscriptis et infra referendis, praedicta die editum fuit sequens decretum: *Episcopus celebret sacram ordinationem ad altare majus vocatis et praesentibus Canonicis et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro ea die transferatur ad aliud altare, et missa solemnis ab Episcopo celebranda deservire possit pro missa conventuali.«*

Haec sunt, quae hucusque gesta sunt in hoc negotio. Ex juribus autem circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An Episcopus Giennen. vigore dispositionis sac. Concil. Trident. sess. 23. de ref. cap. 8. et constitut. s. m. Innocentii XIII. incipien.: »Apostolici ministerii« et alterius sanctissimi Domini nostri illius confirmatoriae possit vel debeat temporibus a jure statutis celebrare functionem ordinum generalium ad altare majus ecclesiae cathedralis?*

Et quatenus affirmative;

II. *An occasione praedicta possit ibidem pontificaliter celebrare missam conventualem ad sabbatum designatum loco illius, quae celebrari a capitulo deberet cum assistentia omnium praebendatorum et aliorum de choro?*

Et quatenus negative;

III. *An ob dictam functionem ordinationum in praedicto altari explendam possit cogere capitulum, ut horam consuetam pro horis canonicis et missa conventuali anticipet vel postponat, ita tamen, ut ultra horas debitas neutra ex dd. functionibus protendatur?*

IV. *An possit celebrare dictam functionem ordinationis ad altare majus, non obstante, quod juxta consuetudinem vigentem in omnibus cathedralibus in Hispaniarum regnis ad altare majus adsit tabernaculum, in quo asservetur sanctiss. Eucharistiae Sacramentum?*

Et quatenus negative;

V. *An possit compellere capitulum et Canonicos, ut pro explenda ordinatione aliisque functionibus pontificalibus transportari faciant SS. Eucharistiae Sacramentum ad aliud altare ecclesiae?*

VI. *An possit Episcopus impediri, quominus in dicto altari solemnem et generalem ordinationem faciat sub practextu consuetudinis, ex quo nunquam in dicto altari per Episcopum facta sit celebratio ordinum?*

Et quatenus affirmative;

VII. *An Episcopus teneatur praedictam functionem explere in aliqua ex capellis ecclesiae et quatenus capellae non sint capaces, teneatur illam explere in sacristia?*

Et quatenus affirmative;

VIII. *An in hoc casu possit Episcopus capitulum cogere, ut anticipet vel postponat horam consuetam pro horis canonicis celebrandis, ne celebratio ordinum chorum impediat vel chorus ipsam ordinum celebrationem?*

IX. *An Episcopus ad formam supradictae conciliaris dispositionis, sive ordinationem celebret ad altare majus ante vel post horarum celebrationem sive ad aliquam ex capellis sive in sacristia Cathedralis, possit cogere integrum capitulum et omnes Canonicos ad assistendum functioni ordinationis generalis et quibus poenis, seu potius contentus esse debeat assistentia illorum, qui in functionibus pontificalibus eidem Episcopo ex praescripto Caeremonialis vel ex consuetudine ecclesiae assistere debent?*

X. *An Episcopo accedenti ad ecclesiam cathedralem pro explenda solemni ordinatione vel pro interessentia divinis officiis vel aliis quibusvis functionibus, sive associetur a toto*

capitulo sive a solis duobus deputatis, debeat parari nedum faldistorium seu genuflexorium in loco, ubi Episcopus functionem facere seu eidem assistere debet, verum etiam aliud simile, etsi diversum in apparatu, aut, antequam ad fidem suam accedat, orare possit ad tabernaculum sanctissimi Sacramenti, vel saltem loco faldistorii seu genuflexorii parari debeat pulvinar cum tapeto, super quo orare possit, seu potius servanda veniat consuetudo, praesertim si sit immemorabilis, juxta quam Episcopo ad ecclesiam accedenti nec faldistorium nec pulvinar parari solet, super quo Episcopus oret, antequam ad locum suum accedat?

S. C. C. resp.: Ad Dom. Secretarium cum SSmo juxta mentem. (Vd. infra §. *Praestat.*)

Die 11. Jan. 1727.

Iterum propositis dubiis S. C. resp.

ad I: Posse et debere nisi adsit rationabilis causa arbitrio Episcopi judicanda;

ad II: Affirmative;

ad III: Posse, dummodo non excedat spatium unius horae altra horas consuetas;

ad IV et V: Servetur Caeremoniale;

ad VI et VII: Satis provisum in primo;

ad VIII: Satis provisum in tertio;

ad IX: Dilata;

ad X: Servetur Caerem. Ep. l. 1. c. 12.

Die 2. Aug. 1727.

Tertio repropositis dubiis S. C. resp.

ad II: In decisis juxta resolutionem noni dubii;

ad III: Praevio recessu a decisis arbitrio et prudentiae Ordinarii;

ad IX: Posse cogi juris remediis integrum Capitulum unacum omnibus de clero Cathedr., ut assistat Episcopo sol. cum cantu missam ordinationum ad altare majus celebranti.

Die 19. Juni 1728.

Alatrina.

Occasione visitationis ss. liminum idem Alatrinus Episcopus aliam quaestionem proponit ab hac sac. Congregatione decidendam, quae in infrascriptis dubiis continetur.

Primam quod attinet, an scilicet Episcopo generalem ordinationem in ecclesia cathedrali habenti jus sit omnes Canonicos non obstante alternativae privilegio, cujus vi septem tantummodo per hebdomadam inserviunt, compellere, ut adsint eidem s. ordinationi, praemittenda sunt s. Concilii verba tum *sess. 24. cap. 12:* »*Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia et Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire,*« tum *sess. 25. cap. de reform.*, ibi: »*Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus ac in cathedrali ecclesia vocatis praesentibusque ad id ecclesiae Canonicis publice celebrentur.*«

Hinc cum s. Rituum Congregatio rogata alias fuisset suum proferre judicium in quaestione, quae inter Hispalensem Archiepiscopum et capitulum versabatur, num scilicet Archiepiscopus, non solum quando Sacrum solemni ritu celebrat sed etiam cum pontificales alias functiones exercet, praeter dignitates etiam universum capitulum cogere queat ut assistat, s. illa Congregatio respondit: *Posse Archiepiscopum ex decreto s. Concilii Tridentini cap. 12. sess. 24. de reform. supradictos compellere, ut sibi assistant et inserviant*, ut refert *Scarfanton. ad Ceccoper. in animad. ad lib. 3. tit. 7. num. 26.*

Et pressius s. haec Congregatio in Causa *Giennen. Celebrationis ordinum,*)* in qua sub nono dubio quaerebatur:

An Episcopus ad formam conciliaris dispositionis, sive ordinationem celebret ad altare majus ante vel post horarum celebrationem sive ad aliquam ex capellis sive in sacristia Cathedralis, possit cogere integrum capitulum et omnes Canonicos ad assistendum functioni ordinationis generalis et quibus poenis, sive potius contentus esse debeat assistentia illorum, qui in functionibus pontificalibus eidem Episcopo ex praescripto Caeremonialis vel ex consuetudine ecclesiae assistere debent?

Postquam quinquies rescripsit: *Dilata*, tandem *19. Junii 1728* respondit: *Et quoad novum dubium non resolutum decrevit posse cogi juris remediis integrum capitulum una cum omnibus de clero Cathedralis, ut assistant Episcopo solemniter cum cantu missam ordinationum ad altare majus celebranti, et ad mentem.*

Praestat autem ex registris s. Congregationis proferre, quae fuerit eo in casu illius mens. *Et mens s. Congregationis est, quod, quando Episcopus velit s. ordinationem celebrare cum solemni ritu pontificali, in cantu debet esse ad altare majus et cum assistentia diaconi et subdiaconi et capituli et omnium de choro, ut in sabbato sancto disponit Caeremoniale Episcoporum, missa tunc deserviente pro conventuali; extra hunc casum totum capitulum non teneri illi assistere, sed sufficere assistentiam et praesentiam duorum saltem Canonicorum.*

*) Vd. *p. 1129.*

Cum itaque quaestio ab Alatrino Episcopo proposita casum respicere videatur generalis ordinationis in missa pontificali solemni ritu ad altare majus peragendae vel limitari ad illum s. Congregationi responsum queat, dubitandum haud videretur, quin omnes omnino interesse Canonici debeant, ne eis quidem exceptis, qui per hebdomadam non inserviunt. Ex pandita namque s. Congregationis mente ii omnes de capitulo adesse debent, *qui in sabbato sancto interesse jubentur.* Cum ergo Alatrini Canonici nulla eo die alternativa fruantur, jam consequens esse videretur, ut omnes adesse debeant.

Caeterum et paucitas Canonicorum accedit, quorum septem tantummodo per hebdomadam inserviunt, ita ut tam parvus Canonicorum numerus haud sufficiens videatur pro solemni ritu, de quo agitur. Postularet ergo ecclesiae necessitas, ut ii Canonici, qui per eam hebdomadam exemptione fruuntur, revocari ea singulari et rarissima occasione ad servitium possent, quemadmodum in longe duriori casu exemptionis non solum ab interessentia sed etiam a residentia, quae iis datur, qui per quadraginta annos ecclesiae cum laude inservierunt, haec eadem ecclesiae necessitas permittit Episcopo, ut eos ad suae ecclesiae obsequium revocare possit, ut sapienter monet *Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. 9. §. 5*, ibi: *Hoc tamen jubilationum privilegium tantisper imminuit, quod, licet beneficiatus hujusmodi neque choro interesse neque in loco residere teneatur, potest nihilominus ad ecclesiae servitium rursus ab Episcopo revocari, si propter illius absentiam divini cultus ratio detrimentum aliquod subire dignoscitur.*

Ex his autem parata videtur responsio resolutioni hujus sac. Congregationis in *Tudertina anni 1573. relat. in lib. 1. decret. pag. 110*, in qua dubio, quod disceptabatur:

An retinentes dignitates canonicatusque in cathedrali ecclesia Episcopo Pontificalia obeunti omnes assistere teneantur vel major pars suppetat, et posito quod non, an recusantes assistere mulctari possint?

respondit: *Omnes teneri, salvis tamen singulorum legitimis vacationibus.*

Isthaec enim generalis resolutio traduci ad eum casum non potest, qui semel aut bis anno continget et in quo, si medietas Canonicorum abesset, omnino indecore pontificalis missa celebraretur.

Secundum dubium quod attinet: an scilicet, quatenus affirmativo responso primum definiatur, liceat Episcopo reluctantes Canonicos pecuniaria poena atque etiam spirituali plectere, non videtur de spirituali moderata tamen et legitimum modum non excedente, dubitari ullatenus posse, cum imo ea animadvertendi ratio congruentior ut plurimum sit judici ecclesiasticas culpas punienti et reis sacras canonum sanctiones violantibus. Verum neque ambigendi locus est quoad potestatem infligendi mulctam pecuniariam. *Benedictus XIV. in suo opere de synodo dioecesana lib. 10. cap. 9*, postquam canonicas sanctiones modo permittentes modo improbantes hujusmodi mulctas, postquam sanctissimos viros alios quidem faventes alios repugnantes retulit, litem omnem de potestate a Tridentino finitam animadvertit *sess. 25. cap. 3. de reform.*, in quo potestas decernendi pecuniarias mulctas Episcopis vindicatur, ut *ibidem §. 6.*

Quaeri itaque solum poterit, num e sua prudentia facturus sit Episcopus, qui in casu, de quo agitur, mulctam pecuniariam indixerit. Porro cum supposita interessendi necessitate jam pecuniariam poenam, fallentiam nempe, Canonicus solvat, videri forsan posset haud licere Episcopo aliam pecuniariam mulctam superaddere. Sed ne prae tenuitate poenae justum episcopale praeceptum contemnatur a Canonicis, onus hoc veluti quodammodo novum considerantibus imprudens fortasse non erit haec pecuniaria mulcta, cujus infligendae et aliis poenis animadvertendi potestatem in Canonicos non interessentes ultra admissionem distributionum in Episcopo agnoscit sac. haec Congregatio in *Castellanaten. 7. Junii 1659. Episcopus quaerit: an saltem in quadragesimae et adventus tempore vel in aliis solemnibus festis possit antedictum beneficiatum et quemcumque alium, qui legitimo careat impedimento, remediis extraordinariis aliquarum poenarum praescriptarum cogere, cum alias non curent, quod quidquid residendo et interveniendo est lucri aliis accrescat?*

Sac. Congregatio respondit: *Licere etiam per alias poenas.*

Canonici moniti, ut deducerent jura sua si vellent non comparuerunt.

Dubia sunt:

I. *An Episcopo Alatrino generalem ordinationem statutis a jure temporibus in cathedrali ecclesia habenti Canonici omnes adesse teneantur non obstante privilegio alternativae?*

Et quatenus affirmative,

II. *An renuentes coerceri possint poena pecuniaria et spirituali?*

S. C. C. resp.

Ad I. Affirmative, et detur decretum in *Giennen. Celebrationis ordinum* et amplius.

Ad II. Affirmative pro poena pecuniaria tantum arbitrio Episcopi.

Die 20. Aug. 1785.

Assistentia.

1) Cleri in functionib. pontifical. Episcopi.

Interamnen.

Cum primum Interamnensi ecclesiae praeesse coepit modernus Episcopus, muneris sui putavit esse nonnulla ferre decreta, quae vitam et honestatem clericorum et decus domus Dei respiciebant. De quibus certior factus est clerus per edictum non publice vulgatum (ne in offensionem populi rediret) sed lectum die 14. Januarii anni 1802 in concessu habito resolutionum casuum moralium. In hoc duo prae ceteris jussa leguntur scilicet: Che tutti gli ecclesiastici, o chierici, eccettuali li soli parocchi, e quelli che per legitime cause fossero da noi dispensati concorrano, e siano assistenti in cotta a tutti li pontificali, che saranno da noi tenuti nel decorso annale sotto la sudetta pena pecuniaria (nempe scutor. trium), che faremo esiggere rigorosamente dai trasgressori a favore della compagnia del santissima sacramento. Itidem: Che similmente tutti gli ecclesiastici e particolarmente i parocchi si portino in ogni mese alla resoluzione de' casi morali, e ciascuno preparato per la resoluzione di quello, che alla sua classe appartiene. Per rapporto a' confessori resta già dichiarata la pena nella loro patente, se trasgrediranno, riguardo poi agl' altri sacerdoti a nostro arbitrio, oltre che non saranno mai presi in considerazione per proviste ecclesiastiche, nè respettivamente nell' avanzarli all' ordinazione. Quibus decretis commoti presbyteri simplices Interamnenses ad s. Congregationem pro abrogatione reclamarunt. Auditus est Episcopus Interamnensis, qui in sua informatione multas adduxit inferius recensendas rationes, quamobrem haec decreta tulerit et sint imposterum observanda. Quare sac. Congregatio jussit per rescriptum diei 17. Julii proximi praeteriti: Scribatur Episcopo, qui praefigat terminum interesse habentibus et reclamantibus ad deducendum jura sua in s. Congregatione, non retardata interim exequutione edicti diei 14. Januarii proximi praeteriti.

Refert Episcopus se tempus praestituisse usque ad primam audientiam post aquas non retardata interim praefati edicti executione. Verum inpervicacia contradictores hi obstinatiores facti non mea tantum sed verius istius s. Congregationis mandata spernentes in primis vesperis pontificaliter celebratis die 14. Augusti, nempe in pervigilio b. Mariae Virginis principalis hujus cathedralis ecclesiae patronae accedere noluernnt, cum ingenti laicorum scandalo, utpote quos non latebant hinc mea et istius s Congregationis imperata et illinc dictorum presbyterorum spretum. Nec satis aliqui ex eis majorem addiderunt audaciam, ut scilicet ad cathedralem ecclesiam non jam in choro non habitu talari et superpelliceo induti sed brevi se contulerint ibique intra populum et coram Episcopo in spretu quodammodo exultantes constiterint, ut quisque dignosceret, se omni occupatione, quominus accederent, solutos voluntarium non necessarium spretum commisisse. Contendit Episcopus in laudata informatione presbyteros simplices et clericos omnes ad interventum in Pontificalibus Episcopi teneri tum ex decreto sancti Zephirini Pontificis tum pressius ex synodalibus constitutionibus publicatis Interamnae ab Antistite Andreassi. Haec enim jubent in cap. 7:

»Clerici quicumque celebranti Episcopo et Pontificalia exercenti tonsura, talari veste ac superpelliceo decenter ornati adsistant et inserviant eumdemque una cum Canonicis ab ipsa aula seu palatii camera ad cathedralem ecclesiam deducant, prout hactenus laudabiliter observatum est atque in novo Caeremoniali disponitur sub animadversione ad arbitrium. Impediti vero de causa nos monere debebunt.«

Quae synodalis sanctio, unde praecedens etiam observantia deducitur, non quidem gravis videri debet, cum quinquies aut septies in anno advocat ad ecclesiam presbyteros vix per unam horam. Hinc exempla hujus sanctionis allegat in constitutionibus Metropolitanae Firmi latis ab Archiepiscopo Borgia, ecclesiae Aesinae ab Episcopo Fonceca, ecclesiae Fulginatensis ab Episcopo Baptistelli publicatis, et alias multas hujusmodi constitutiones.

Quamquam Episcopus non diffiteatur, hanc synodalem constitutionem fuisse inobservatam, attamen ex hoc concludit necessarium fuisse edictum, quo revocarentur ad observantiam constitutiones et tepefactus cleri favor excitaretur. Aliter, si sub specie inobservantiae abusus tolerari deberet, numquam sane evelli posset, maxime cum ab hoc edicto non reclamet major et sanior cleri pars, sed quidam tantum presbyteri simplices, qui in otio tabescunt et per civitatem vagantur servitio addicti laicorum.

Haec habet Episcopus, ut suum edictum tueatur. Presbyteri simplices reclamant tantum ab obligatione et poena injuncta, nisi Pontificalibus Episcopi et resolutioni casuum moralium intervenerint. Caetera edicti capita de habitu, vita et honestate clericorum venerantur. Hinc EE. VV. allegationem exhibent, in qua demonstrare contendunt hujus edicti nullitatem, scilicet, quia publicatum non fuit; et hac deficiente publicatione lex obligat neminem, ex *text. in cap.: Ne captandae concess. praebend.* et tradit *Rota coram Emerix jun. decis. 57. num. 7*, injustitiam, quia Tridentina synodus *sess. 24. cap. 12. de reform.* jubet tantum Cathedralis Canonicis et beneficiatis Episcopi celebranti et alia Pontificalia exercenti assistere et inservire. Unde canonistae deducunt, quod simplices sacerdotes neque officium neque beneficium habentes in ecclesia cathedrali cogi per Episcopum non possint ad inserviendum sibi et Cathedrali, *Pignatell. consult. 56. n. 6. tom. 3, Nicol. lucub. canon. lib. I. tit. 22. num. 3 et 4; Monacell. adnot. ad form. 4. num. 32. tom. I.* et definivit s. Congregatio in *Segnen. Decretorum 22. Nov. 1749*, in qua proposito dubio:

An aliud decretum in visitatione editum, quo praecipitur, ut omnes presbyteri praeter legitime impeditos interesse teneantur missae sacrificio per unum Canonicum cum expositione ss. Sacramenti quolibet die Jovis celebrari solito, similiter sub eadem poena sustineatur?

responsum fuit: Negative et esse hortandos, sed non cogendos.

Neque sibi obitare putant decretum s. Zephirini, de quo nulla mentio facta est in collectione decretalium, sed tantum in breviario romano sub die 26. Augusti lect. III. Nam cum illud Pontifex saeculo tertio ecclesiam tenuerit fervescente adhuc sub Severo Imperatore persequutione, vixit semper in hypogeis, a quibus sub Antonino traductum fuit ad martyrium teste *Natal. ab Alexand. histor. eccles. ad saecul. III. cap. 2 tom. 4.*

Hinc cum toto pontificatus tempore tredecim ordinasset presbyteros, septem diaconos, Episcopos tredecim, nil mirum si jusserit, ut pusillus clerus adesset Episcopo facienti rem divinam. Pace tamen ecclesiae restituta, cum singuli presbyteri ecclesiis addicti fuisseut, primum in vita communi, deinde in singulari per distinctas cuique assignatas praebendas, ea certe invaluit recentior disciplina, ut, qui ecclesiae cathedrali sive per beneficium sive per officium inservirent, ii tantum pontificanti Episcopo adesse tenerentur. Ad constitutiones quod attinet synodales Episcopi Andreasi, eas quidem in desuetudinem abiisse defendunt sub fide capituli Cathedralis testantis pro veritate et conscientia nullam omnino in hac ecclesia Interamnensi viguisse umquam aut vigere consuetudinem, per quam simplices sacerdotes interesse cogantur Pontificalibus ab Episcopo in solemnioribus peragi solitis, proptereaque eos nullo unquam tempore ad id indicta poena fuisse coactos, sed tantummodo eorum nonnullos pro arbitrio et devotione quandoque illis interfuisse et interesse: quare concludunt, quod potestate ordinaria non poterat modernus Episcopus cogere presbyteros simplices sub poena pecuniaria.

Nam etiam in casu, quod ob parvum

numerum Canonicorum et mansionariorum ecclesiae servitium detrimentum potiatur; tunc solum ex autoritate sac. Congregationis possunt compelli presbyteri, qui habent beneficia et capellanias in Cathedrali ad inserviendum missis solemnioribus, assignato tamen emolumento ex redditibus Cathedralis, ut tradit *Monacell. ad not. ad form. 4. tit. 14. num. 6. tom. 2.* Unde eo magis injustam vocant praemissam interessendi coactionem quoad omnes sacerdotes et simplices clericos utpote latam absque necessitate, cum Cathedralis Interamnensis sufficienti juxta ipsos praedita sit inservientium numero.

Quamobrem nil ad rem conferre ajunt aliarum ecclesiarum constitutiones, cum non ab exemplis judicandum sit, sed ex legibus, ut docet *Barbos. axiom. 86. num. 3, Rot. in recent. decis. 328. num. 82. part. 11,* et in *Romana Laudemiorum et quindeniorum 27. Januar. et final. cor. Canilliac.*

De altero edicti capite, quo compelluntur omnes sacerdotes et clerici ad interessendum resolutioni casuum moralium, contendunt definitum fuisse, quod clerici et sacerdotes saeculares non confessarii hortari, nunquam tamen cogi possint, ut docet *Pignatell. consult. can. 17. tit. 8. num. 6, Monacell. adnot. ad form. 15. tit. 3. num. 2,* et sac. Congregatio in *Civitatis Plebis Conferentiae casuum 15. Martii 1692.* interrogata:

An Episcopus possit compellere Canonicos, confessarios caeterosque presbyteros Cathedralis sub poena pecuniaria, ut accedant ad congregationem casuum conscientiae?

respondit:

Posse compellere omnes sacerdotes saeculares confessarios, etiamsi Canonici sint; caeteros vero non posse compellere sed hortari.

Rursus quaesitum est in *Ariminen. Conferentiae casuum conscientiae 17. Julii 1699* de synodali decreto, quo interesse congregationi casuum cogebantur sacerdotes cujuscumque conditionis, curati, economi, confessarii clerique omnes in Sacris constituti sub poena juliorum trium locis piis applicanda; atque s. Congregatio rescripsit: Dandum esse decretum Civitatis Plebis.

Ex quibus EE. VV. deliberandum proponitur:

An, quomodo et quae decreta Episcopi sint exequenda in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus ad formam tamen concilii romani *tit. 5. cap. 9.* quoad collationes casuum conscientiae.

Die 20. Nov. 1802.

Continuatio.

Presbyteros simplices beneficiis in Cathedrali non fruentes cogi non possunt, ut Pontificalibus interessent. Id enim jubetur in Interamnensi synodo, quae in illa dioecesi observatur. Quare si abusus aliquis irrepsit, maxime vacante sede episcopali, poterat modernus Episcopus aliquod illius synodi caput ad observantiam revocare.

Nec sibi obest defensor putat vel sanctio concilii Tridentini vel s. Congreg. responsum in praeterita causae propositione allegatum vel demum inobservantia ipsius synodi quoad hanc interessentiam. Tridentinum namque *sess. 24. cap. 12. de reform.* jubet quidem Canonicis et beneficiatis Episcopo celebranti et alia Pontificalia exercenti assistere et inservire. Cum tamen taxativis non utatur dictionibus, non sequitur, ut compelli nequeant presbyteri simplices, quando vel ex constitutionibus synodalibus vel ex consuetudine ad interventum obligantur. Responsum vero in allegata *Segnen.* non tangit praesentem casum, cum ageretur de interventu missae, quae singulis hebdomadis per Canonicum in feria V. celebrabatur. Oppositam vero inobservantiam negat probatam esse in facto sive in jure quidquam prodesse. Nam ex testimonio capituli Cathedralis probatur tantum, quod non viget nunc Interamnae consuetudo, ex qua presbyteri simplices Pontificalibus Episcopi intersint, sed numquam affirmatum est, quod synodus Andreassi inobservata sit. Cum vero ex ipsa synodo exploratum sit, quod antea obtinebat consuetudo, ex qua presbyteri simplices Pontificalibus interessent, hinc posterior inobservantia allegari nequit contra constitutiones synodales, ut tradit *Rota decis. 136. num. 21. cor. Ansaldo, decis. 259. num. 12. cor. Molines.* Nam ex voluntate legislatoris vim accipit lex, non ab acceptatione populi, ut docet *Bened. XIV. de synod. dioecesan. lib. 13. cap. 4. num. 3.*

Maxime, cum nunc major cleri pars, Canonici, beneficiati, parochi et etiam multi ex simplicibus sacerdotibus reprobant undecim illos presbyteros, qui ab edicto reclamarunt,

et necessarius profecto sit eorum interventus, ut Pontificalia juxta rubricam celebrentur. Nam Canonici et beneficiati in stallo manere debent ita ut opus sit aliis, qui ad altare ministrent. Quoad vero interventum collationi casuum conscientiae allegat *cap. 9. tit. 15. Concilii romani,* in quo disponitur: »Operae pretium ducant Episcopi omnemque curam ac diligentiam adhibere non desistant quousque congregationes tum in civitatibus tum in dioecesibus per omnes de clero Sacris initiatos, Canonicos, parochos et confessarios semel in unaquaque hebdomada certoque designando die et sub certa poena pecuniaria contra contumaces habeantur.« Unde concludit quod presbyteri simplices collationi casuum conscientiae intervenire debeant.

Defensor vero presbyterorum in nova allegatione distribuenda hoc primum in jure statuit, quod Episcopus a clericis suae dioecesis nequeat servitia petere, quae in jure expressa non sunt, *canon. quia cognovimus 6. caus. 10. quaest. 3. cap. conquerente 16. de offic. Ordinar. num. 8,* ibique *Abbas num. 1.* et *Fagnanus num. 8, Van-Espen. in jus ecclesiastic. part. 2. tit. 2. cap. 1. §. 1.* Hanc regulam ipse defensor extendit ad decreta synodalia, ut in iis, quae praeter jus sunt et tangunt interesse cleri, nihil statuere possit nisi universo clero non tantum capitulo consentiente, *Monacell. formul. legal. in adnot. ad form. 3. part. 1. tit. 5. num. 25, Bolletti disquisit. clerical. part. 1. tit. de exempt. cleric. §. 2. num. 5; Pignatell. consult. 72. num. 2. tom. 1.* Nullo vero juris loco cautum esse defendit, quod presbyteri simplices teneantur interesse Pontificalibus Episcopi. Nam Tridentinum in *sess. 23. cap. 16. de reform.* praescribit, ut clericus suis fungatur muneribus in illa ecclesia, in qua adscriptus est, et in allegat. *sess. 24. cap. 12. de reform.* nominat Canonicos et beneficiatos, ut Episcopo Pontificalia exercenti adsint, ut ex hoc ademptam fuisse Episcopo facultatem cogendi alios ecclesiasticos tenent *Nicol. lucubrat. canonic. lib. 1. tit. 22. num. 4, Monacell. adnot. ad form. 4. n. 32. tom. 1* et definivit sac. Congregatio in *Isernien. 18. Julii 1543,* in *Sarnen. Servitii ecclesiae 17. Junii 1790.*

Negat porro, quod Interamnensis Episcopus potuerit compellere presbyteros simplices ad interessendum in Pontificalibus ex eo, quod in synodo Andreassi jubeantur interesse. Nam cum ex jure non teneantur hoc servitium praestare, contendit, quod ex lege synodali obligari non poterant, nisi accedente observantia ipsorum constitutionum. Contraria enim consuetudo sciente et prudente legislatore observata abrogat legem scriptam, ut post *text. in §. penultim. instit. de jur. natur. gent. et civil.* tradit *Voet. in pandect. lib. 1. tit. 3. num. 37, Pignatell. consult. canonic. 195. num. 7. tom. 9, Rota in Comen. Funerum 17. Aprilis 1752. §. 7. coram Matthejo.* Praeter ea, quae in praeterita propositione attulit ad probandam contrariam consuetudinem, nunc utitur facto Cardinalis Rapaccioli immediatus Episcopi Andreassi successor, qui tam longe abfuit quod adigeret presbyteros simplices ad interessendum Pontificalibus, quin immo sodalitium s. Luciae rogavit, ut concederet quod quatuor capellani ipsius servitio addicti Pontificalibus interessent. Ex hoc igitur facto, ex testimonio capituli et magistri caeremoniarum concludit, quod synodus Andreassi penitus inobservata fuit.

Ad alterum edicti caput, quod collationes casuum conscientiae respicit, contendit, quod ex concilio romano presbyteri simplices intervenire non teneantur. Nam licet loquatur in genere de clericis in Sacris constitutis, attamen postea meminit de Canonicis, parochis, confessariis, ita per adjunctas species genus superius expressum cohibitum censetur in *Beneventana Lesionis super restitutione capitalis 6. Maji 1768. §. 4. coram Azpuru.* Ita dispositionem concilii interpretavit sac. Congregatio in responso 15. Septembris anni 1751 transmisso ad visitationem ss. liminum Episcopi Interamnensis, quem consuluit ut cogeret parochos et confessarios. Tandem postulat moderationem mulctae pecuniariae inflictae quoad caetera capita edicti. Nam immoderata dici debet in scutis tribus, quam alias sac. Congregatio ad duos carolenos cohibuit in *Larinen. Decretorum synodalium 30. Augusti 1732.*

Ex his EE. VV. deliberandum proponitur:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.: In decisis et amplius.

Die 26. Mart. 1803.

In sacra Congregatione concilii diei 20. Sept. 1704 disceptata est haec causa Trojana cum sequentibus dubiis:

1. *An simplices sacerdotes nullum habentes beneficium in Cathedrali Trojana nullumque ex ipsa retrahentes emolumentum teneantur assistere servitio dictae ecclesiae singulis diebus de praecepto?*

2. *An constet de attentatis?*

3. *An suspensio a divinis lata contra sacerdotes simplices substineatur?*

Quibus Emmi PP. rescribere dignati sunt:

Ad I. et II: *Affirmative.*

Ad III: *Negative, et ad Dominum Secretarium cum agente Episcopo juxta mentem.*

Eadem causa iterum proposita fuit in comitiis ejusdem sacrae Congregationis diei 23. Junii 1742, limitata vero ad capellanos sodalitatum, ut sequitur:

1. An quoad presbyteros capellanos nuncupatos confraternitatum ss. Annunciationis et s. Leonardi sit servanda resolutio diei 20. Sept. 1704 seu potius isti teneantur seu possint observare servitium et aliqua quoad eosdem injuncta et stabilita in statutis dictarum confraternitatum in casu?

2. An iidem presbyteri seu capellani teneantur Canonicis divina officia peragentibus inservire cum pluviali vel in ministerio diaconi vel subdiaconi vel alias et quomodo in casu?«

3. An et qui teneantur ad expensas hujus litis in casu?«

4. An duobus Canonicis ad urbem transmissis ad effectum adsistendi huic liti debeatur indultum absentiae et lucrandi distributiones in casu?«

S. C. respondit

Ad 1: Dilata, et proponatur dubium super adsertis statutis utriusque confraternitatis, citatis interesse habentibus, non retardato interim per presbyteros capellanos servitio Cathedralis juxta resolutionem anni 1704.

Ad 2: Servetur solitum.

Ad 3: Expensas detrahendas esse ex massa capitulari.

Ad 4: Affirmative pro tempore a die discessus usque ad hodiernam et ad alios quindecim tantum post praesentem resolutionem pro redditu.

Post haec anno 1773 die 20. Martii ex tribunali Innocentiano a. c. decretum editum est, quo idipsum executioni mandandum jubebatur et probabilissime hanc ob causam, quod s. C. Concilii suam illam declarationem judici Innocentiano pro executione transmiserat. Subsequenti tempore sine querela res processerunt usque ad annum 1836, quo lis hactenus consopita acrius exarsit.

Cum enim Episcopus tam per se quam ex aliorum reclamationibus deprehendisset, chorale servitium in Trojana Cathedrali adamussim non peragi, et potissimum tam ferialibus quam festis diebus missam conventualem sine diaconi et subdiaconi ministerio decantari, acriter hac de re monuit Canonicos certumque dierum terminum iisdem *suo decreto diei 10. Dec. 1836.* praestituit, quo documenta exhiberent, quibus demonstrarent obligationem servitii praestandi in Cathedrali ad simplices Trojae sacerdotes pertinere.

Tum Canonici exemplum decreti Innocentiani protulerunt; quod cum quasi non authenticum et aliis multis substantialibus defectibus refertum rejecisset, *die 14. April. 1837* decretum edidit, quo jussit: »Che dall' intimazione del presente decreto tutti i Canonici per giro siano tenuti di prestare l' assistenza di diacono e suddiacono nelle messe cantate conventuali festive, e di più sempre che noi assistiamo parimenti alla messa conventuale due per volta, cominiciandosi da' più anziani.«

Contra hujusmodi decretum Canonici appellationem ad sacram Congregationem Episcoporum et Regularium interjecerunt; ideoque sequens dubium, servato juris ordine, concordatum est: *An decreta Episcopi 10. Dec. 1836 et 14. Aprilis 1737 super adsistentia ministrorum et capellanorum in Sacris peragendis sint confirmanda vel infirmanda?*

Haec decreta infirmanda esse tuebantur Canonici tribus praesertim de causis:

1. *Dispensatione synodali,* qua clericis et sacerdotibus Trojanae civitatis imponitur obligatio praestandae adsistentiae in Sacris cathedralis ecclesiae.

2. Immemorabili consuetudine, quam testabatur ipsa synodus et resolutio S. C. C., de qua supra.

3. Tandem ipsius hujus resolutionis definitione et decreto etc.

E contra contendebat Episcopus hujusmodi obligationem Canonicis inhaerere et contrariam consuetudinem rejiciendam esse uti abusum et corruptelam.

Quod pertinet vero ad Canonicorum objecta, replicabat, non esse in facultate synodi

simplicibus sacerdotibus hanc obligationem imponere, ut definivit S. C. C. *in Americana 13. Junii 1639. lib. 16. dec. p. 137;* allatam consuetudinem illud ad summum importare, ut possit quidem Episcopus, si velit, sacerdotes ad praestandam adsistentiam adigere, non vero idipsum possint Canonici, qui proinde lege, quae soli favetEpiscopo, non possint ipsi frui, aliter enim esset contradictio inter ea, quae statuunt DD. et S. C.; tertio tandem Concilii declarationem favere similiter Episcopo dumtaxat, non autem Canonicis, qui nullam illa in causa gerebant personam. Tandem, licet haec omnia aliqua fortasse ponderatione digna fuissent, antequam ederentur statuta nuncupata: *Pii Stabilmenti*: quibus sodalitia ss. Annunciatae et s. Leonardi in unum conjuncta fuerunt et eorumdem capellanis imperatum est, ut diebus festis et solemnioribus officium divinum cum sacris aliis functionibus celebrare teneantur: nunc tamen nullo pretio sunt habenda, cum capellani materiali detineantur impedimento, ne Cathedrali intersint, et caeteroquin hujusmodi statuta sanctionem pontificiam et regiam cumulatissime obtinuerint. Igitur proposito dubio in partium contradictione die 25. Sept. 1840. Emmi Patres rescripserunt: *Ad S. C. Concilii jam praeventum: nihil interim innovetur quoad servitium Cathedrali per presbyteros praestandum, juxta resolutionem ejusdem sacrae Congregationis Concilii.*

Stabien.

In causa Stabien. seu Castri Maris vertente inter Episcopum et Canonicos cathedralis ecclesiae Castri Maris ex una et ecclesiasticos eorumque deputatos ex altera partibus de et super infrascriptis dubiis, nempe:

1. An liceat ecclesiasticis Castri Maris proprias causas ecclesiarum, pauperum et miserabilium personarum tueri in tribunalibus laicorum in casu etc.?

Et quatenus negative,

2. An possint agere vel comparere per se vel per procuratorem in dictis tribunalibus pro eorum causis civilibus activis contra laicos absque licentia Episcopi in casu etc.?

3. An simplices sacerdotes cogi possint ad interessendum et assistendum functionibus ecclesiasticis, quae fiunt in Cathedrali per Episcopum et Canonicos ad formam edicti in casu etc.?

4. An sit tolerandus presbyter, qui sub nomine fiscalis assistat in choro Canonicis et aliis de Cathedrali Divina peragentibus in casu etc.?

5. An clerici dictae civitatis teneantur quotidie assistere divinis officiis, quae peraguntur in Cathedrali in casu etc.?

6. An ad dictam assistentiam cogi possint poena librarum trium cerae aliisque poenis, arbitrio Episcopi in casu etc.?

7. An simplices sacerdotes non confessarii et clerici cogi possint poenis pecuniariis, censuris aliisque poenis ad interessendum conferentiis casuum conscientiae, quae fiunt in collegio Societatis Jesu in casu etc.?

Sacra Congregatio EE. et RR. S. R. C. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, visis relationibus Episcopi Castris Maris ac juribus ab utraque parte informante deductis referente Emmo Grimaldo ad suprascripta dubia infrascriptum in modum respondendum censuit, videlicet

Ad I: Affirmative.

Ad II: Provisum in primo.

Ad III., IV., V. et VI: Negative.

Ad VII: Non esse cogendos, sed hortandos.

Romae 8. Maji 1716.

F. Cardinalis de Abdua.
(L. S.) V. Archiep. Damascens. secret.

(Annal. J. P. 1865. p. 1912.)

Sarnen.

Antiquae sed controversae consuetudinis morem sequutus in ecclesia Sarnen. modernus ejus Episcopus tam in actu visitationis quam in edicto particulari post dictam visitationem publicato praecepit omnibus sacerdotibus dictae civitatis, etiam simplicibus et nullum beneficium in Cathedrali seu Collegiata obtinentibus, ut singulis festis de praecepto aliisque consuetis diebus servitio praedictarum ecclesiarum statutis horis assisterent sub poena suspensionis ipso facto incurrenda et aliis arbitrio.

Contra hoc praeceptum habito per eosdom sacerdotes recursu ad hanc s. Congregationem et super eo Episcopo audito, consuetudinem dictorumque sacerdotum adscriptionem servitio praedictarum ecclesiarum alle-

gante, partibus informantibus, dignabuntur EE. VV. decernere:

An dictum praeceptum substineatur?

S. Congr. rescripsit: Negative, et dentur literae remissoriales Episcopo si velit.

Die 17. Junii 1690.

(Annal. J. P. 1865. p. 1920.)

Trojana.

Vigore cujusdam consuetudinis per testes non tamen formiter receptos assertae, cum procurator fiscalis curiae episcopalis praetenderet simplices sacerdotes, quamvis nullum in ecclesia cathedrali beneficium obtineutes nullumque etiam ex ea emolumentum percipientes, nihilominus teneri ad servitium ibidem praestandum singulis diebus festis de praecepto necnon eosdem simplices sacerdotes non parochos neque confessores interesse tamen debere congregationem casuum et lectioni theologiae moralis, propositum fuit in Congregatione habita die 18. Febr. 1702 duplex dubium, alterum nempe:

An iidem simplices sacerdotes singulis diebus festis de praecepto ecclesiae praedictae servitio assistere tenerentur?

et alterum:

An congregationi casuum et lectioni theologiae moralis intervenire deberent?

Ad 1. responsum tantummodo fuit:

Coadjuventur probationes super consuetudine et testes formiter examinentur.

Ad 2. Esse hortandos dumtaxat, non autem cogendos.

Decisione praedicti primi dubii ab oraculo hujus s. Congregationis adhuc pendente reverendissimus Episcopus existimans interdictam sibi non esse continuationem possessionis, in qua reperiebatur, compellendi praefatos simplices sacerdotes supradictis diebus ad servitium ecclesiae reddendum, plures ex eis a divinis interim suspendit. Verum S. Cougregatio omnibus ita suspensis facultate celebrandi usque ad exitum causae per modum provisionis restituta eidem Episcopo terminum duorum mensium praefixit usque a die 17. Maji 1702 ad suas faciendas probationes; quo elapso, causa iterum proponeretur.

Quamvis autem intra terminum praefixum promotor fiscalis per formale testium examen probationes suas non fecerit, plurima tamen ex antiquarum et recentiorum visitationum libris, ex synodalibus constitutionibus antiquis pariter et recentibus atque ex propria ipsorum simplicium sacerdotum confessione documenta cumulavit, ut probationes per testes faciendas uberius supplevisse putet. Ideoque partibus informantibus EE. VV. infrascripta dubia nunc definienda exhibentur.

1. An simplices sacerdotes nullum habentes beneficium in cathedrali ecclesia Trojana, nullum ex ipsa retrahentes emolumentum, teneantur assistere servitio dictae ecclesiae singulis diebus de praecepto?

2. An constet de attentatis?

3. An suspensio a divinis lata contra sacerdotes simplices substineatur in casu?

S. C. C. rescripsit

Ad 1: Affirmative;

Ad 2: Affirmative;

Ad 3: Negative et ad D. prosecretarium cum agente Episcopi juxta mentem.

Die 20. Sept. 1704. *(Ibid.)*

Ad dub.:

1. An simplices clerici, quamvis beneficiati, sed nullum ab ecclesia cathedrali recipientes emolumentum, teneantur eidem ecclesiae inservire in Divinis, publicis processionibus intervenire et assistere Episcopo pontificaliter celebranti?

2. An supradicti clerici teneantur in feria V. Coenae Domini adimplere praeceptum paschale recipiendo sanctissimum Eucharistiae Sacramentum per manus Episcopi pontificaliter celebrantis etc. sive potius possint supradicti clerici dictum praeceptum paschale adimplere in propriis parochiis in casu?

S. C. resp.

Ad 1: Affirmative moderata poena.

Ad 2: Affirmative ad primam partem. *(Ibid. p. 1921.)*

Clericos non participantes etiam adscriptos (nisi extet consuetudo) non esse cogendos ad servitium chori sine ullo emolumento. Et clericos possidentes beneficia in dioecesi tantum teneri ad publicas processiones.

Die 22. Nov. 1686. *(Ibid. p. 1923.)*

2) Cleri in functionib. non pontifical.

Vd. supra *p. 811.* decr. *Brixien.; p 1130 decr. Alatrina.*

Setina.

Ad dub. 1: *An beneficiati erecti in ecclesia s. Rochi civitatis Setinae teneantur assistere*

functionibus explendis in ecclesia cath. ejusdem civitatis in diebus praescriptis ab eorum constitutionibus?

2. *An praedicti beneficiati teneantur assistere praefatis functionibus diebus, in quibus in eorum ecclesia celebrantur festivitates?*

3. *An Canonici cath. ecclesiae Setinae teneantur intimare horum beneficiatis s. Rochi pro accessu ad dictam ecclesiam cath. occasione celebrandarum functionum ipsisque durantibus eisdem beneficiatis dare stallum sive sedem in choro?*

4. *An et qua poena iidem beneficiati mulctandi sunt qualibet vice, qua eandem assistentiam non praestent?*

5. *An eisdem beneficiatis collegialiter procedentibus ad ecclesiam cath. licitum sit crucem elevare intra limitem parochiae cathedr. et cum eadem cruce ingredi eandem ecclesiam?*

S. C. resp.

Ad 1: Affirmative;

ad 2: Affirm. ad formam constitutionum;

ad 3: Affirmat. ad primam partem, nisi hora sit praescripta in tabella horaria; ad secundam partem: esse assignandas sedes distinctas a clericis semiuarii, inferiores tamen illis Canonicorum;

ad 4: Affirmative arbitrio Episcopi;

ad 5: Negative.

Die 18. Decbr. 1762.

Continuatio Setinae.

Non adhuc absoluta controversia est. Eam nunc utraque sodalitia instaurant, quae beneficiatis accedunt ac petunt, ut leges iuitio ab Episcopo statutae, quas idem Episcopus fundator sibi explicandas seu corrigendas reservavit, nunc explicentur, corrigantur ac moderentur, ne alias servitium desit propriae ecclesiae sodalium, qui integram dotem pro beneficiis erigendis e suo censu praestiterunt.

Auditus, uti debebat, antequam causa ad judicium rediret, hodiernus Episcopus est. E re erit ejus verba exscribere: »Verum ad parcendum expensis et ad divinum cultum in beneficiatorum ecclesia magis augendum in dies, cum revera multitudo populi in ea confluat ad sacramenta poenitentiae praesertim percipiendae, censerem eosdem beneficiatos teneri tantummodo ad inserviendum ecclesiae cathedrali, totiesquoties Episcopus solemniter celebrabit dato eis per capitulum decenti loco in choro ab illo sacerdotum simplicium et clericorum sejuncto necnon facta eis facultate ab EE. VV. concedenda causa dicti accessus vexillum Crucis elevare non in signum jurisdictionis sed potius ad honorem, fortius quia ab anno 1750 usque ad praesens illud elevare nemine contradicente consueverunt.«

Non acquiescit capitulum judicio Episcopi. Hiuc causa proponitur super iisdem dubiis propugnante capitulo sua jura contra beneficiatos ac novos contradictores, qui ad causam venerunt, sodales.

Allegat primum falso atque usurpato nomine sodalitiorum instaurari litem a beneficiatis, quorum sola pecunia actitatur: patere id manifesto ex *actis* et ex ipso sodalium per non bonam artem extorto suffragio.

De eo autem, quod intrinsecus controversiam respicit, ait, onera imposita beneficiatis cum expresso sodalium consensu: ea convenire commodissime cum cultu ecclesiae s. Rochi: frequentiam populi talem ibi non esse, ut ex absentia beneficiatorum statis diebus et horis illius celebritas imminuatur; alioquin si frequentior populus accederet, ecclesiam illam capacem non esse. Plures esse alias in civitate Setina ecclesias, in quibus Sacramenta administrantur civium non minus quatuor millia.

Satis provisum affirmat per Episcopum Palambella, ut scilicet beneficiati porsolvaut divina officia in sua ecclesia hora ante ut in tempore Cathedrali adsiut, sicuti alibi fieri solet.

Hodiernum Episcopum de studio ac favore erga beneficiatos taxat: in partes eorum ivisse, quas cum capitulo non paucas agit per universa haec urbis tribunalia Novum hoc judicium est destruere fundationis leges, quarum executionem beneficiati juramento promiserunt. Nisi ex alio apparere quidem Episcopi infensum animum, ex hoc tantummodo, quod proprio iugenio addidit statuendum esse beneficiatis decentem locum in choro; qui locus jam datus erat et de quo loco nec ipsi beneficiati quaerelam ullam aut verbum ullum proferre audent.

Videnda sunt omnia ex capituli scriptis atque expectandae responsiones ex alia parte. Interim advertendum, Episcopum decessorem in ipsa fundatione explicandarum legum, quae sua solum auctoritate constabunt, potestatem expresse sibi reservasse. Videndum

num haec potestas legitime successores sequatur, num, etsi nec servata potestas fuisset expresse, prohibeantur Episcopi successores in ejusmodi rebus moderari leges, quas Episcopi dederunt, et quae nullius, nisi Episcopi auctoritate munitae sunt. Maxime cum capitulum aliunde jus ullum non habet, sive quod de suo aliquid primo tribuerit sive quod postea ex diuturno ac longaevo usu praescripserit.

EE. PP. cuncta suo judicio perpendent, ut perpetuo duraturam tranquillitatem litigantibus ferant.

Petitur:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 23. Junii 1764.

Ad dub.: An beneficiati cogendi sint choraliter interesse summo Sacro in diebus solemnioribus, dominicis et publicarum precum?

S. C. resp: Affirmative.

Die 14. Mart. 1767.

3) In Matrimoniis contrahendis.

Vd. *Domicilium; Parochus proprius*; *Matrimon.* (contrahendum cor. parocho proprio; assistentia); *Capellanus militaris* (facultates; quoad matrimon.)

Associatio cadaveris.

Vd. *Sepultura.*

1) Associantes clerici saeculares.

Adjacen.

Duae in civitate Bastiae adsunt paroeciae, quarum altera s. Mariae, altera s. Joannis Baptistae nuncupatur. Cum praedicta civitas capitulis collegiatis careat, functiones omnes ecclesiasticae in iisdem paroecialibus ecclesiis a sacerdotibus, qui in cujusque paroeciae districtu commorantur, sub respectivi parochi dependentia, habitualiter persolvuntur, unde *abituati* vulgo nuncupari solent. Sed vero beneficiis ac certis proventibus paroeciae destitutae sunt adeoque sacerdotes praedicti gratuitum servitium praestare coguntur, exceptis eventualibus obventionibus, quas a funeribus aliisque ex pietate fidelium demandatis functionibus ipsi lucrantur suasque faciunt.

Jam vero occasione funerum controversia nuper orta est inter utriusque paroeciae rectores. Putat enim parochus s. Joannis in ducendis funeribus praelative invitandos esse ab haeredibus, in numero tamen ipsis beneviso, sacerdotes mancipatos servitio ecclesiae parochialis, ad quam defunctus pertinebat, ita ut liberum iisdem non sit ceteros alterius paroeciae sacerdotes vocare, nisi antea sacerdotes omnes ecclesiae paroecialis et tumulantis defuncti fuerint acciti. E contra parochus s. Mariae contendit, positum esse in arbitrio haeredum, salva obligatione vocandi parochum, invitandi quos et quot voluerint sacerdotes, quamvis ad alteram paroeciam pertineant, etiam iis omnino posthabitis, qui paroeciae defuncti inserviunt.

Re ad Episcopum delata hic animi sui sententiam favore parochi s. Joannis pandit parochisque suasit, ut ita in posterum sese gererent. Attamen quamvis parochus s. Mariae consilio Episcopi principio acquiescere videretur, postea satius duxit supremum s. hujus Ordinis judicium percontari, proposito dubio ad folii calcem legendo.

Rogatus idem Episcopus informationem et votum, auditis parochis, mandatis hisce accurate ipse satisfecit et parochorum deductiones transmisit.

Itaque parochus s. Joannis resolutione innititur s. hujus Congregationis in causa *Nullius seu Montis Casini diei 25. Jan. 1726* acta inter capitulum et presbyteros ecclesiae matricis et parochialis s. Mariae Collis Terrae Peschi Costantii ex una parte et universitatem dicti loci ex altera, ubi ad dubium IX. hisce verbis conceptum:

An liceat haeredibus defunctorum vocare ultra parochum presbyteros sibi benevisos et excludere integrum capitulum ecclesiae matricis ab associatione cadaverum tumulandorum tam in ipsa ecclesia matrici quam in aliis ecclesiis, in quibus electa fuerit sepultura?

S. Congregatio respondit

Ad IX: Licere haeredibus defunctorum solum parochum vocare, sed quatenus alios presbyteros vocare velint, esse praeferendos illos ecclesiae matricis in numero ipsis haeredibus beneviso. Nec difficultatem facessere observat; rem fuisse in ea causa de ecclesia matrici adeoque aliquibus veluti privilegiis super ceteras ecclesias aucta, cum matricitas quibuslibet aliis ecclesiis parochialibus convenire possit, ac revera agebatur eo in casu de ecclesia parochiali.

Addit non eo praetensionem suam spectare, ut praelative vocari debeant omnes sacerdotes, qui in suae paroeciae districtu commorantur, sed ii tantummodo, qui ecclesiae paroeciali habitualiter et sine ulla certa ac designata mercede inserviunt. Nihil ea propter officere, quae in contrarium afferuntur ss. Congregationum decreta, quatenus in iisdem fortasse de sacerdotibus in genere ageretur vocandis praelative, vel non; aliud vero jure merito censendum, siquidem de sacerdotibus res sit, qui ecclesiae parochiali ratione habitualis servitii addicti fuerint.

De consuetudine inquit: In more habuisse civitatis familias vocandi quidem quos mallent ad suorum funera defunctorum, sed ita convenienter hujusmodi usas perpetuo fuisse libertate, ut parochiali clero nunquam quaerelae causam praebuerint. Ast postquam actualis parochus s. Mariae paroecialem curam assumpsit, res immutatae sunt et plures parochiani s. Joannis praedicti parochi s. Mariae studiis faventes et de propriae ecclesiae ejusque cleri utilitate nullimode solliciti vel malo etiam animo in eum acti, illum pro maxima parte a funeribus excludere coeperunt, accitis in exclusorum locum alterius paroeciae sacerdotibus; quae res aemulationis inter utrumque clerum et scandali causa profecto est.

Ex alia parte parochus s. Mariae plura ss. Congregationum EE. et RR. et SS. Rituum decreta allegat, ex quibus liberum hac in re arbitrium haeredum appertissime sancitur. Decreta sunt sequentia:

Ad haeredes et non ad parochum spectat vocare quot et quos libuerit.

S. Congr. Episc. et Regular. 4. Jan. 1794.

Eadem S. Congregatio censuit:

Esse ad libitum disponentium seu ipsorum haeredum convocationem cleri et fratrum quos ipsi maluerint. 7. Sept. 1688.

Item: *Parochi contra voluntatem haeredum nequeunt impedire clericos ne veniant ad funus.*

Sac. Rituum Congr. 23. Apr. 1633.

Praeterea: *Haeredes possunt vocare numerum religiosorum sibi benevisum in deferendis cadaveribus,* eadem s. Congr. 21. Nov. 1627 necnon 30. Aug. 1601: *Et tunc destinatos clericos ab eis (haeredibus) et non alios vocare debebit parochus.*

Et in Ferrariensi 7. Sept. 1631 censuit: *Parochum posse ad libitum vocare ad funus clericos quos voluerit, nisi aliter disponant haeredes defuncti, quorum voluntas est servanda.* Nullimode vero obesse autumat resolutionem s. Congregationis in *Nullius* seu *Montis Casini* superius relatam, ex quo ibi de ecclesia *privilegiata* seu matrici, et non simpliciter parochiali, ageretur.

Affert etiam pro sua parte consuetudinem »*secondo la quale* (sunt ejus verba) *le famiglie specialmente facoltose oltre il clero della propria parrocchia, un certo numero ordinariamente minore, non mai maggiore, di sacerdoti appartenenti all' altra parrocchia*«; quam quidem consuetudinem vetustissimam appellat et numquam interruptam.

Super hac vero consuetudine adnotat Episcopus, quod si observaretur ea ratione, quam parochus s. Mariae exponit, nullus adesset disputationi locus; sed e contra parochus s. Joannis quaeritur, quod parochiani sui ad funera vocare soleant clerum s. Mariae, notabili parte alterius suae paroeciae cleri posthabita.

Episcopus autem sequentibus rationum momentis tuetur sententiam suam:

1. Perchè ci è sembrato, siccome ci sembra, che il d. decreto dell 1726 della s. Congregazione del Concilio, che è il più recente, dovesse interpretarsi in un senso naturale, equo, convenevole, e giusto, che è quello di dar la preferenza ai preti abituati della chiesa parrocchiale del defonto, i quali prestando gratuitamente a questa i loro servizii, è troppo giusto ch' essi partecipino di preferenza dei piccoli casuali provenienti dalle cerimonie funebri, tanto più che se non prestassero i detti servizii, le sagre funzioni non si farebbero colla dovutu pompa e decenza.

2. Perchè ci sembra che i detti decreti prodotti dal parroco di s. Maria, che sono

d' una data molto più antica, diano bensì agli eredi la libertà d' invitare i preti ch' essi vogliono, quando si tratti d' invitare i preti della stessa parrocchia del defonto, senza relazione ai preti di un altra parrocchia, supratutto quando il defonto deve essere sepellito nella propria parrocchia; ma non già quando si agisce di preti appartenenti a parrocchia straniera stati motivati da ragioni locali, che non esistono da pertutto, e per conseguenza ponno variare secondo che variano le circostanze delle persone, dei tempi, e dei luoghi.

3. Perchè in Francia, dopo il concordato, non avendo più le chiese alcuna dotazione, nè beneficii per i loro preti, il casuale è divenuto per essi l' unica risorsa, e secondo i principi generali della legislazione ecclesiastica, i fideli di ciascuna parrocchia devono provvedere di preferenza ai bisogni delle loro chiese e del loro clero.

4. Quanto alla consuetudine invocata dal parroco di s. Maria, diremo ch' essa qualunque si sia non può acquistare forza di legge per la ragione che in tutte le altre parrocchie di questa nostra diocesi, e segnatamente in questa nostra città Vescovile, ove esistono due chiese parrocchiali, si pratica tutto il contrario, cioè non s' invitano dagli eredi ai funerali i preti d' una parrocchia estranea. che dopo di avere esaurito il numero dei preti della parrocchia del defonto. Or, perchè una consuetudine abbia forza di legge, deve essere introdotta da una Comunità perfetta, la quale sia di sua natura perpetua, capace di un Governo politico, e per se bastante a conseguire il fine, per cui fu istituita, cioè la pace e la tranquilità publica, come un regno, una provincia *sui juris*, una diocesi, e non una o due parrocchie. Di più, perchè una consuetudine possa acquistar forza di legge, è necessario ch' essa sia utile al bene comune, e che v' intervenga il consenso virtuale ed interpretativo di chi è fornito della potestà legislativa.

Egli è ben vero ch' era uso in Bastia che le famiglie dei defonti facessero liberamente i loro inviti pei funerali, ed esercitavano esse questo diritto con molta moderazione e convenienza, talmente che il clero parrocchiale non avea motivo di lagnarsi, ma poi una tal costumanza ha aperto la strada ad una soverchia e dannosa libertà contro la quale e l' attuale parroco di s. Giovanni e il suo predecessore hanno resistito, e si sono opposti in quest' ultimi tempi, dirigendosi a questa nostra curia per ottenere che si togliesse questo abuso. Egli ha finalmente cessato, dopo che Noi abbiam consigliato i due sudetti parrocchi a voler dare la preferenza al clero addetto in qualche modo al servizio della parrocchia del defonto. Questa misura che vien praticata dopo di alcuni mesi, e alla quale il parroco di s. Maria ci ha scritto dapprima di volersi volentieri sottomettere, ha perfettamente ristabilito l'ordine e la tranquillità, e si è osservato che nei diversi funerali occorsi nella parrocchia di s. Giovanni, gli eredi, dopo di aver invitato di preferenza i sacerdoti impiegati in qualche modo al servizio di questa, hanno pure invitato in tutto o in parte i sacerdoti dell' altra parrocchia.

Ora il parroco di s. Maria non si mostra più contento dell' adottata misura, e domanda che la contestazione venga terminata per mezzo di un vostro decreto. Noi non amiamo meglio che una vostra decisione. Non possiamo però astenerci dall' osservare che se, come egli lo desidera, venisse decretato che le famiglie sono assolutamente libere d' invitari i sacerdoti ch' esse vogliono, lasciando anche da parte la parrocchia del defonto, e che rendono a questa dei servizii gratuiti, succederanno in Bastia lotte scandalose. Per una parte il clero di s. Maria combatterà per appropriarsi un casuale che materialmente si spetta al clero di s. Giovanni; e per l' altra il clero di s. Giovanni combatterà per impedire di venirne spogliato; si agirà presso delle dette famiglie, e si contraporranno influenze ad influenze contrarie con iscandolo dei fedeli.

Doctores, qui hujusmodi quaestionem pertractant, quos inter praecipue *Pignatell. consult. 205. tom. 4, Passerin. de hominum statu et offic. tom. 2. quaest. 187. art. 4. observ. 6. num. 174, Card. de Luca de paroch. disc. 46, Card. Petra ad constitut. 2. Clementis IV. num. 25. tom. 3,* tradunt in libertate haeredum positum esse determinandi pompam funeris et invitandi quos et quot voluerint sacerdotes sive regulares sive saeculares, sive ad paroeciam defuncti pertineant sive extranei sint, salva obligatione vocandi proprium parochum defuncti. Excipiunt tantummodo casum immemorabilis consuetudinis in contrarium pro praelatione scilicet capituli vel cleri ecclesiae parochialis, propterea quod

consuetudo haec censetur assignasse eidem capitulo vel clero emolumenta in locum decimarum.

Verum quidem est a *Pignatell. loc. cit.* et *Pitonio discept. eccl. 50. tom 1.* admitti etiam consuetudinem quadragenariam ad hujusmodi jus privativum vel saltem praelativum inducendum, ex ea nempe ratione, quod consuetudo haec rationabilis videtur, et non coactiva haeredum defuncti, ut praecise evocent clerum, sed solum inducit praelationem ejusdem cleri in casu, quo haeredes velint funus associari per alios extraneos; quae quidem praelatio inquit *Piton. loc. cit. num. 14.* est in jure fundata, cum clerus inseriat ecclesiae parochiali, ut adeo aequum valde ipse arbitretur, ut extraneis praeferri debeant clerici ecclesiae parochialis in associatione funerum suorum parochianorum. Nihilominus Pitonius ipse *ibid.* testatur, se in causa succubuisse super hac quaestione, non obstante allegata consuetudine, quia in facultativis, ut est materia vocationis ad funera, legitima consuetudo non inducitur sine contradictione et acquiescentia subsecuta, ut firmant *Card. Petra loc. cit.* et totidem verbis advertit *folium* s. Congregationis in *Bononien. 26. Martii 1763. §. Verum.*

Huic porro sententiae adstipulantur plura decreta ss. Congregationum a praefatis auctoribus relata, quorum nonnulla superius exscripta sunt. Accedunt resolutiones hujus sanctae Congregationis, quae manucitantur in causa *Nullius seu Sublacen. Funerum 11. Aprilis 1761* et in *Eugubina Jurium parochialium 11. Martii 1762.* Ceteris autem omissis satis heic sit referre resolutionem in cit. *Bononien. 22. Maji et 3. Julii 1762*, in qua proposito dubio:

An pro associatione cadaverum invitari praelative debeant religiosi dicti conventus, quatenus praeter parochum actualem invitari velint alii presbyteri, sive clerici saeculares vel regulares, sive potius sit in testatorum vel haeredum libertate invitare presbyteros vel clericos sibi benevisos, vel saeculares vel regulares cujuscumque ordinis, etiam ad exclusionem religiosorum dicti conventus?

Quamvis cura habitualis penes praedictum conventum ordinis Servorum B. M. V. resideret, s. Congregatio respondit:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

In Congregatione diei 23. Aprilis 1763 causa ultimo proposita stetit in decisis.

Sed vero rationem tantummodo immemorabilis consuetudinis habere visa est s. Congregatio, si quando in contrariam sententiam concessit. Ita quidem in relata causa *Nullius Montis Casini* pro vocatione praelativa presbyterorum ecclesiae matricis aderat consuetudo immemorabilis a partibus admissa in facto concordato, ceu in positione originali se recognovisse testabatur secretarius tunc temporis s. Congregationis in cit. causa *Bononien. 26. Mart. 1763. §. Verum.* Idemque attenta immemorabili consuetudine statuit s. Congreg. in cit. *Nullius Sublacen. Funerum 25. Apr. 1761.*

Attamen quidquid ad stricti juris censuram censendum sit, inficiandum non est, aequitati valde consentaneum esse hujusmodi praelationem, quae tribuitur clero cujusque paroeciae, ad quam defunctus pertinet.

Congruit etiam dispositio statuti cleri romani *cap. 5. §. 14.* ubi statuitur:

In casu tamen, quo ecclesia, de qua levatur seu ad quam defertur cadaver, congregationem presbyterorum seu proprios capellanos haberet, qui vellent funeri accedere, parochus primo illos admittere debebit, etsi adhuc locus remaneat de aliis numerum supplere.

Perpendendum itaque: an in casu peculiaria quae concurrunt adjuncta rerum eamdem aequitatis rationem adhibendam suadeant, ita ut locus sit prudenti judicis arbitrio pro concessione praelationis, quia ceteroquin vix est quod haeredum vel partum interesse queat unum vel alterum clerum vocari, cum eadem merces alterutri retribuenda sit; quo quidem in casu exclusio cleri paroeciae defuncti esset quaedam species malignitatis vel aemulationis, ceu inquit *Card. de Luca de parochis disc. 46. num. 5*, ubi hisce verbis concludit:

Nimium quidem refert statui dictam libertatem, quodque evocatio Canonicorum et clericorum ipsius ecclesiae sit voluntaria, et ad summum habeat illam necessitatem, quam inducat d. lex aequitatis et congruentiae pro sola praelatione in concursu aequali ad tollendum jus privativum illasque suffocationes, quae ex illo resultare solent.

Proponitur dubium:

An haeredes teneantur vocare praelative ad funera sacerdotes addictos servitio ecclesiae parochialis defuncti seu potius sit in illorum libero arbitrio vocandi sacerdotes alterius paroeciae, etiam ad exclusionem praedictorum

sacerdotum ad paroeciam defuncti pertinentium in casu?

S. C. resp.:

Attentis peculiaribus circumstantiis in casu de quo agitur: affirmative ad primam partem juxta votum Episcopi; negative ad secundam.

Die 27. Julii 1861.

2) Associantes clerici regulares.

Vd. *p. 1140 n. 1.*

Concedit Papa quod regulares non possint prohiberi associare corpora defunctorum et quod curati non possint cogere haeredes defunctorum celebrari facere missas in suis ecclesiis parochialibus.

Urbanus VIII. Papa.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum, Procuratorum generalium ordinum praedictorum s. Francisci, s. Augustini et b. Mariae de Monte Carmelo discalceatorum nuncupat. Nobis expositum fuit, quod alias a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibas, sacris ritibus praepositis, emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet: Instantibus Procuratoribus generalibus ordinum praedicatorum, sancti Francisci, s. Augustini et calceatorum Carmelitarum, declarari

Primo: an liceat curatis, salvis eorum juribus parochialibus, impedire, contra voluntatem haeredum defunctorum, ne regulares curati ad funus corpora defunctorum ad quavis ecclesias deferenda, una cum parochis et clericis processionaliter associent.

Et ad hoc S. R. C. Congregatio respondit: Regulares in casu proposito non posse impediri.

Secundo: an praedicti curati possint cogere haeredes seu executores testamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in ecclesiis regularium, missas celebrari faciant in ecclesiis parochialibus?

S. R. Congregatio respondit: Non posse cogere.

Die 23. Aprilis 1633.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes decretum praeinsertum apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent: Nos illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes supplicationibus, illorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 25. Junii 1633.

(Bull. r. t. V. p. 250, ed. Luxbg.)

3) Associatio in hospitali defunctorum.

Bononien.

Saeculis XIII. ac XIV., uti commemorat Benedictus XIV. in sua *institutione ecclesiastica 63.* §. *5*, cives Bononienses aemulantes pietatem Gastonis de Viennensi provincia in Galliis celeberrimi in curandis aegrotis necnon Guidonis de Monte Pessulo, cujus virtutem perspectam habens Innocens III. Romam eum accivit, ut nosocomium ab ipso Pontifice fundatum et nuncupatum s. Spiritus in Saxia moderaret, duo nosocomia in illa civitate exstruxerunt, quorum primum a s. Maria Vitae dictum fuit, alterum a s. Maria Mortis. Duo haec nosocomia moderata fuerunt a duobus sejunctis archiconfraternitatibus, quae ab ipsis nosocomiis nomen habebant quaeque suos eligebant capellanos, qui curam spiritualem erga aegrotos impenderent suam.

Anno 1694 exorta est controversia inter praedictos capellanos et curiones, intra quorum paroeciarum limites nosocomia existebant, quoad jus ducendi funera decentium in nosocomiis, atque proposita fuit penes hunc s. ordinem sub die 13. Februarii praefati anni sub sequentibus dubiorum formulis:

I. *An liceat capellanis hospitalium sanctae Mariae de Vita et s. Mariae de Morte extra illu associare cadavera fidelium in dictis hospitalibus defunctorum ad alias ecclesias, in quibus praefati fideles sibi elegerint sepulturam vel proprium habeant sepulcrum?*

II. *An hujusmodi jus spectet privative ad proprium parochum domicilii dictorum defunctorum?*

Resposum fuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Sequiori tempore, id est c. a. 1724 confratres hospitalis s. Mariae de Vita in consilium venerunt aedificandi novum nosocomium intra limites paroeciae s. Mariae a charitate nuncupatae, quae a religiosis tertii ordinis s. Francisci regebatur. Ne autem inter capellanos novi nosocomii ac praedictos religiosos in posterum, quoad jurisdictionem quaestio revivisceret, quaedam concordia seu transactio rogata fuit per publicum instrumentum ab officialibus confraternitatis et Franciscalibus religiosis sub die 11. Septembris anni supradicti 1724, quae postmodum per apostolicum beneplacitum confirmata fuit. Praestat praefatae transactionis verba referre: »Sponte per se ipsos et ex persona R. R. parochi dictae parochialis ecclesiae suosque in dicto conventu successores permissive consenserunt, licere praefatis DD. officialibus et confratribus praedictae Illmae archiconfraternitatis s. Mariae de Vita seu administratoribus pro tempore dicti novi hospitalis mediante capellano seu capellanis pro tempore ejusdem hospitalis administrari facere sacramenta in dictis hospitale et ecclesia cunctis infirmis aliisque ministris et inservientibus in eodem hospitale ceterosque omnes alios actus parochiales exerceri facere, etiam quoad sepulturam mortuorum cum libera exemptione ab omnibus juribus parochialibus in eisdem hospitale, ecclesiis et coemeteriis exceptis solummodo et reservatis matrimoniis.

Vice autem versa praedicti D. D. Assumpti et procuratores dictorum D. D. officialium et confratrum correspective ad praedicta titulo hujusmodi concordiae pactique per dictos D. D. eorum principales illorumque in dicto munere et administratione respective successores solvere promiserunt et se obligarunt dictis R. R. Patribus eorumque in dicto conventu successoribus stipulantibus et acceptantibus libras triginta bon. monetae currentis singulis annis.«

Omnibus humanis divinisque versis anno 1798 suppressae fuerunt archiconfraternitates s. Mariae de Vita ac de Morte necnon conventus PP. Franciscalium tertii ordinis. Rebus inde restitutis ad regendam parochiam s. Mariae de charitate adlectus fuit sacerdos saecularis ac unito hospitali s. Mariae de Vita etiam nosocomio s. Mariae de Morte cum suis redditibus illius regimen coepit committi nonnullis administratoribus laicis.

Tum quum anno 1831 ad gubernandam paroeciam s. Mariae de charitate adlectus fuit sacerdos Augustinus Ricci perspexit ipse capellanos tum private tum publice et solemniter associare cadavera defunctorum in nosocomio nuncupato s. Mariae de Vita et Morte ad publicum coemeterium, quod jam antea exstructum fuit.

Sollicitus jurium parochialium et ut conscientiae suae provideret ad tramites decreti executorialis, quod super resolutione diei 13. Februarii anni 1694 superius relata tulit Emus Archiepiscopus Boncompagni sub die 28. Julii anni insequentis 1695 quoque statuit, »ut nullus ex dictis capellanis, quovis sub praetextu inde (a praedicta resolutione) recedere valeat sub poena suspensionis a Divinis eo ipso incurrenda, et parochi permittentes aut tolerantes inobservantiam eorumdem decretorum noverint suspensionem a Divinis etiam ipsos incursuros,« statim ad Emum Archiepiscopum Opizzoni fe. re. querimoniam detulit ac anno 1836 ab eo petiit, ut impediret, quominus nosocomii capellani cadavera defunctorum solemniter deferrent ad publicum coemeterium vel ad ecclesiam divi Rochi, ut inibi cadavera deponerent, contra jura parochialia sibi competentia.

Alias etiam eamdem petitionem penes curiam archiepiscopalem ingeminavit nullumque aliud retulit responsum, nisi quod sua jura penes apostolicam Sedem deferret, quod demum perfecit anno 1851. Nam sub die 9. Decembris supplicem dedit libellum, quo ad tuenda sua jura parochialia plura exposcere videbatur penes hunc s. ordinem, postmodum vero in suorum jurium allegatione penes curiam exhibita vindicari sibi petiit jus tantum associandi cadavera decedentium in nosocomio Vitae et Mortis ad publicum coemeterium vel ad aliam ecclesiam, si solemniter illuc transferantur, idque peragi a capellanis nosocomii prohiberetur.

Licet illico demandatum fuerit Emo Archiepiscopo, ut auditis in scriptis hospitalis moderatoribus ac parocho s. Mariae charitatis de resultantibus s. Congregationem certioraret suamque panderet sententiam, ab hac ferenda Emmus vir se omnino abstinuit ac nonnisi sub die 5. Maji proxime elapsi anni 1855 Vicarius capitularis, vacante archiepiscopali sede, allegationes praefatorum

moderatorum ac parochi transmisit, quas concinatim exponam ad enodandum dubium in calce proponendum.

Haec expendit pro suo jure tuendo parochus s. Mariae de charitate. Extra dubitationem est, esse officium parochiale ducere funera, nec illud spectare posse ad capellanos confraternitatum sive hospitalium nisi ex legitima concessione. Praeterquam quod id colligere fas est ex resolutione hujusce s. Congregationis in themate lata die 13. Februarii anni 1694, quae tamquam res judicata habenda est in casu, de quo quaeritur, comprobari posset sive ex plurimis aliis resolutionibus aliarum Congregationum sive ex sententiis canonistarum. Sufficiat addere resolutionem s. Congregationis apostolicae visitationis sub die 16. Decembris anni 1695 latam ad instantiam rever. Domini Sabatini parochi s Nicolai in carcere Urbis contra Archiepiscopale s. Mariae de Consolatione. Quaesivit in quarto dubio tunc proposito praedictus parochus:

»*An liceat ministris Consolationis Urbis associare cadavera alibi tumulanda cum cruce et ab hospitale ad locum Catenae et impedire parochum, ne accedat pro illis ad januas hospitalis?*«

Responsum fuit; *Negative.* Inter canonistas autem *Sabel. Summ. Divers. tract. ver. hospitale num. 5.* docet: Si contingat in hospitalibus defunctis alibi tumulari vel sepeliri ex eorum electione vel alia de causa, tunc hospitalia et eorum rectores licet sacerdotes nullum jus habent circa quartam vel alia funeralia nec possunt cum stola et cotta associare cadavera, quae in aliorum ecclesiis sepeliuntur, cum vere parochi non sint.«

Quod jure statutum est, etiam synodali constitutione confirmatum fuit in archidioecesi Bononiensi, in qua confraternitatum capellanis sub poena suspensionis prohibetur perturbare jura parochorum in ducendis ac celebrandis funeralibus.

Siquidem in synodo Emmi Archiepiscopi Boncompagni cl. me. *lib. 5. cap. 6.* legitur:

»Quod si confrater moriens sepulturam elegerit in oratorio, assistat parochus officio, missam cantet et idem servetur in anniversario, quoties facienda sit absolutio, nec capellanus societatis jura parochialia perturbet sub poena suspensionis ipso facto aliisque arbitrio nostro infligendis.«

Nec subsidium illum, prosequitur parochus, sumere sibi valent administri sive capellani s. Mariae de Vita et Morte ex concordia seu transactione anni 1724, quae si rite expendatur, sartam tectamque reliquit resolutionem anni 1694 hujusce s. Congregationis nullumque aliud jus tribuit capellanis quoad sepulturam nisi cadavera deferre ad ecclesiam sive coemeteria hospitali adnexa. Clara per se sunt transactionis verba, quibus edictum fuit, capellanis licere omnes ceteros actus parochiales praeter sacramentorum administrationem exercere »etiam quoad sepulturam mortuorum cum libera exemptione ab omnibus juribus parochialibus in eisdem hospitale, ecclesiis et coemeteriis,« non autem si cadavera deferenda sunt ad alias ecclesias et coemeteria extra hospitale, quod quidem si partes voluissent, exprimere debuissent.

Profecto transactio est stricti juris ideoque stricte interpretari debet. *Rota decis. 181. num. 17. cor. Corio, decis. 523. num. 4 c. Pamphil., Rocca decis. jur. select. cap. 185. num. 19.*

Nec extendi potest de casu ad casum, qui cum non sit in transactione expressus, remanere debet sub dispositione juris communis. Eadem s. *Rota decis. 767. num. 3. coram Corio*, ibi: »Hoc igitur posito, casus iste in transactione non comprehensus remanebat sub dispositione juris proptereaque, quemadmodum pendebat a nuda parochi voluntate, quando funus a defuncto vel ejus haeredibus non fuit praescriptum, illud peragendi cum majori vel minori honorificentia; ita e converso debet esse in plena libertate testatoris aut heredum praescribere modum et formam funeris.« Pressius s. Rotae auditorium in *Valentina Jurisdictionis dici 26. Junii 1754. coram Figuera num. 15.* At vero jactata haec independentia accipienda ac restringenda est ad sacramentorum administrationem et ad eos actus, qui exerceri solent ac possunt a Vicario ex apostolico privilegio, et in quorum possessione manutentionem obtinuit hospitale, sed non usque adeo ampliari debet, ut neget etiam excludatque subjectionem parochialitati ecclesiae s. Martini, illi nimirum parochialitati, quae nunquam sublata censetur, nisi claris perspicuisque probationibus demonstretur aut juris canonici favor assistat.

Praeterea contendit parochus frustra ad observantiam sui favore confugere administratores et capellanos nosocomii. Siquidem hi opponunt, ab anno 1725, quo exstructum

fuit novum hospitale s. Mariae de Vita, cadavera decedentium vel condita fuisse in coemeteriis hospitali adnexis vel ducta fuisse ad coemeterium nuncupatum s. Joannis in foro Bovario vel exposcentibus eorum familiis ad ecclesias paroeciales translata fuisse, ducentibus funus capellanis hospitalis. Quoad cadavera tumulata in coemeteriis hospitali adnexis reponendum est, quod id factum fuit vigore tansactionis anni 1724, nil ideo mirum, si parochus haud accitus fuit eorum funeribus, neque hic agitur de funeribus celebrandis intra septa hospitalis. Quoad cadavera a nosocomio s. Mariae de Vita ducta ad coemeterium s. Joannis in foro Bovario, id accidere haud potuit, nisi post unionem alterius nosocomii s. Mariae de Morte; ad quod dictum spectabat coemeterium semperque privatim illuc egenorum cadavera translata fuerunt, quod in themate non impugnatur, in quo tantum agitur de solemnibus cadaverum associationibus. Tandem quoad illorum cadavera, quae ex parentum voluntate ad ecclesias paroeciales translata fuerunt, gratis omnino asseritur ab administratoribus hospitalis. Nam quoties id accidit, semper parochus duxit funera, uti pluries evenit ipsi moderno parocho s. Mariae charitatis usque ad annum 1815, nuperrime vero actuali parocho ecclesiae s. Gregorii. Quod si confugiant ad observantiam associandi cadavera ad publicum coemeterium, monet quod hoc exstructum fuit anno 1801, quod parochus hodierni praedecessor obstitit huic suorum jurium laesioni usque adeo ut nollet amplius recipere canonem retribuendum juxta concordiam anni 1724, indigne ferens, quod ea capellani hospitalis abuterentur ad paroecialia jura usurpanda. Modernus vero parochus vix ubusum capellanorum cognovit, penes archiepiscopalem curiam pro suorum jurium vindicatione institit anno 1835, a qua cum responsum tulisset ut ad s. Sedem recurreret, id tandem executus est.

Jam vero, ut jura parochi praescribantur, requiritur saltem quadraginta annorum tempus, etiam si ecclesia alia sit quae uti velit praescriptione, *cap.: Ad aures 6*, et *cap.: Illud 8. tit. de praescriptionibus.* Requiritur legitimus titulus et bona fides. *Schmalzgrueber Jus eccl. univ. par. 3. tit. 26. de praescript.* Allegari insuper nequit praescriptio, si decurrente legitimo tempore intercesserint reclamationes, interpellationes atque recursus. *Surd. cons. 235. num. 46, Grat. discept. for. cap. 918. num. 44, Rota decis. 585. num. 16. cor. Coccin.* et *dec. 689. num. 22. coram Corio;* et interrumpitur per actum contrarium subsecutum intra terminum a lege inductum ad praescribendum, *Abb. cons. 19. num. 2. vers. ex tertio lib. 2, Felin. cons. 2. num. 6, Rota cor. Puteo decis. 385. num. 1.* Administratores autem et capellani hospitalis nunquam ostendere poterunt, ipsos solemniter duxisse ad publicum coemeterium exstructum anno 1801 cadavera decedentium in hospitale per lapsum quadraginta annorum sine reclamatione, interpellatione et recursu parochorum. Quippe aliter se res habuit; etenim supra jam relatum est, quod per praedictum tempus parochi duxere funus eorum, quorum cadavera ex voluntate parentum ad paroeciam ab hospitale translata fuerunt. Carent praeterea bona fide et legitimo titulo, quum haud ignorare voluerint resolutionem s. Congregationis anni 1694.

Demum obesse haud potest parocho s. Mariae charitatis, quod ipse perceperit canonem in transactione adsignatum, uti administri hospitalis praesumunt, quia illum accepit non ob solemnia funera deducenda a capellanis, sed ob illos tantum titulos, qui in transactione expressi reperiuntur.

Haec sunt, quae parochus Ricci in vindiciam suorum parochialium jurium detulit. Contra administratores hospitalis s. Mariae de Vita et Morte contendunt, ad hujus capellanos jus pertinere ducendi funera solemniter ad publicum coemeterium pro illorum cadaveribus, qui in eodem hospitali diem ultimam obierunt, idque primum in vim transactionis anni 1724. Tralatitium in jure est, quod transactio valet super juribus parochialibus necnon juribus administrandi sacramenta, si accesserit beneplacitum apostolicum. Atqui in themate transactio intercessit, cui robur adjicitur ab apostolica auctoritate. Siquidem in transactione anni 1724 edictum fuit, quod capellani hospitalis s. Mariae de Vita independenter a parocho sacramenta administrare possent non solum, verum etiam omnes alios actus exercere parochiales etiam quoad sepulturam, quod certe importat jus ducendi funus ad sepulturam, quocumque loco ea posita sit. Verba autem, quae sequuntur, in »iisdem hospitale, ecclesiis et coemeteriis« referenda sunt ad alia immediate praecedentia, ita ut sensus sit, quod hospitale, ecclesiae et coemeteria ejusdem exempta esse debeant ab omnibus juribus parochialibus.

Insuper observantia est interpretativa seu declarativa omnium statutorum et super illis omnem adimit difficultatem. *Card. de Luca de Cred. disc. 13. n. 15.* et *de judic. discur. 35. num. 65, Rota cor. Pamphil. decis. 530. num. 3,* et ita operatur, ut, sicuti fuerat inconcusse antea servatum, ita observari debeat in posterum, *text. in cap.: Cum dilectus de consuetudinibus*, et *in leg.: Si de interpretatione 37. ff. de legibus; Rota decis. 614. num. 4. cor. Corio.*

Jam vero post praefatam transactionem capellani hospitalis s. Mariae de Vita associare consueverunt cadavera etiam extra septa hospitalis, uti colligitur ex quibusdam deductionibus ab iis propositis, qui rationibus dati et accepti praeerant, et quorum verba ut bene perpendantur exposcunt hospitalis administratores, idcirco ea hic fideliter referuntur. Dopo il Maggio 1725 (epoca, nella quale fù aperto per la prima volta l' ospedale Vita dietro Reno) nel nuovo ospedale esisteva nell' interno un cimiterio detto dello Spedale, altro cimiterio detto dell' ex carità, ed esistevano delle arche sottoposte a quella chiesa, a quella sagrestia, ed a quel Sagrato. Ivi seppellivansi quei defunti, i cui parenti, e le cui pie Compagnie pagavano i suffragi, e gli altri si trasportavano al cimiterio di s. Giovanni del foro Boario, e diversi per espresso volere dei parenti dai capellani dell' ospedale si accompagnavano, e seppellivano alle loro parrocchie.

Tutto ciò resta comprovato non solo dai registri dei defunti esistenti nella camera dei cappellani nell' interno dell' ospedale; ma ancora dalle vacchette e libercoli esistenti nell' archivio della ragioneria segnati 93, 94, 95 e 96, portanti gli accreditamenti all' ospedale ed all' oratorio di quanto competevagli per sepoltura, e queste vacchette si riferiscono dal 1775 al 1776. Allorquando poi fu eretto il comunale cimitero i cappellani accompagnarono od alla camera mortuaria, od al comune cimitero privatamente, o processionalmente i cadaveri, provandolo i registri mortuari.

Patet idcirco ultra annos quadraginta, imo ultra centum, capellanos hospitalis duxisse funera cadaverum in hospitale decedentium cum acquiescentia parochorum, quod sufficiens esset ad eorum jus propugnandum, etiamsi clara non viderentur verba transactionis parocho moderno s. Mariae de charitate quoad cadaverum associationem extra hospitale ejusque coemeteria adnexa; licet et ipse quodammodo acquievisse videtur ex perceptione canonis in vim transactionis ejusdem annuatim ab hospitale persolvendi. Praeterea et titulus intercessit ad praescriptionem introducendam atque perficiendam, idest solutio praedicti canonis, et etiam bona fides, quia in vim transactionis praefatae capellani sibi jus inesse ducendi funera autumarunt, dato, quod expresse jus idem in transactione haud contineatur.

Demum etiamsi fingatur, quod in vim transactionis capellanis inesset tantum jus associandi cadavera ad coemeteria hospitali adnexa eorumque peragendi funera, quum coemeterium publicum successerit et habeatur loco coemeterii privati, seu in themate, hospitalis, integra manere debent capellanis omnia jura, quae ipsis competebant in coemeteriis adnexis hospitali, quaeque translata intelligi debent ad coemeterium publicum, quemadmodum omnia jura, quae parochis competebant super cadaveribus sepeliendis in ecclesiis paroecialibus, servata intelliguntur eorum favore, etiamsi cadavera sepeliantur in publicis coemeteriis, ceu tradit s. Congregatio in *Derthonen. 24. Martii 1821.* §. *In quarto,* et in *Ariminen. Juris tumulandi et funeris 14. Maji 1825.* §. *Animadvertendum.*

Hisce pro utraque parte adductis proponitur dubium:

An capellanis hospitalis s. Mariae de Vita et Morte competat jus ducendi solemniter funera ad publicum coemeterium seu potius spectet ad parochum in casu?

S. C. resp.:

Dilata et coadjuventur probationes super consuetudine.

Die 26. Jan. 1856.

Continuatio.

Quo citius potuit, s. Congregationis jussa fecit parochus s. Mariae de charitate; at non ita curatores hospitalis. Necesse fuit, ut parochus penes s. Congregationem instaret, quo praefigeretur terminus praefatis curatoribus ad parendum mandatis sac. Congregationis uti factum est per archiepiscopalem curiam Bononiensem sub die 23. Aprilis proxime elapsi. Verum nonnisi sub die 25. insequentis Augusti a praedicta curia transmissa fuerunt deducta ab hospitalis curatoribus.

Ad destruendum legitimam consuetudinem

in capellanis hospitalis quoad solemnem cadaverum associationem ad publicum coemeterium, parochus Ricci attestationem protulit octo virorum tum aetate octuagenaria tum ecclesiastica et curionali dignitate necnon arte medica in ipso hospitali ante annum 1860 exercita conspicuorum, qui affirmant ex propria scientia, quod ante erectionem publici coemeterii capellani hospitalis nunquam solemniter cadavera defunctorum ad alia loca perpetuae dormitionis extra hospitalis septa associaverunt »Avanti l' erezione (ita praefati viri) del pubblico cimeterio detto della Certosa avvenuto nel 1801 ed allorquando per necessaria conseguenza esistevano presso le chiese i privati cimeterii, i cappellani del nostro Maggior ospitale non associavano giammai i cadaveri defonti nell' ospitale medesimo fuori dell' ospitale, motivo per cui i trasporti dei cadaveri, se altrove si facevano, o erano privati, o se solemni, col parrocco, e non giammai coi cappellani dell' ospitale, i quali non dovevano portarsi fuori del loro recinto, e non l' avrebbero potuto senza ledere i diritti parrocchiali. Che se in oggi quei cappellani veggonsi accompagnare siffatti trasporti anche publicamente ed in forma solenne, è però fuori di dubbio, che incominciarono a farlo soltanto dopo la erezione del pubblico cimeterio accennata di sopra, e non senza incontrare opposizione e reclamo per parte di chi avea diritto di non lasciare correre in tollerato quell' arbitrio.«

Quae attestatio, ut fidem habeat tamquam emissa a subscribentibus, curiae archiepiscopalis testimonio est vallata.

Statuto per praemissam attestationem, quod solemniter extra hospitale ante annum 1801 capellani nunquam funus duxerint, parochus s. Mariae charitatis aliam addit attestationem ab archiepiscopali curia datam, quod intra legitimae praescriptionis tempus contra capellanorum arbitrium penes eamdem curiam quaerimonias exposuit, ne jura parochialia pessumdarentur. In hac altera attestatione habetur »si certifica, che dagli atti de questa Congregazione consultoria arcivescovile risulta come il praefato signor parrocco sotto il giorno *12. Septembre 1836. Prot. 1392.* movesse istanza presso questo Ordinario intorno alla spirituale giurisditione sull' ospitale maggiore situato nel vicinato di questa sua parrocchia.«

Verum hospitalis curatores pro adstruenda consuetudine favore capellanorum transmiserunt quamdam attestationem illius, qui nosocomii rationes dati et accepti perpendendi officium habet, quique ita se exprimit: »Certifica inoltre (antea enim defunctorum in nosocomio computum exaravit, quod haud ad rem facit) che dal 1725 anno, in cui venne aperto l' ospedale Vita dietro Reno a tutto il 1800. quei malati defunti, i cui parenti, o le compagnie, alle quali erano devotamente ascritti, volevano a loro spese sepoltura con suffragi, venivano sepolti o ne' cimeteri, o nelle arche in quel locale e recinto dell' ospedale esistenti, ed ancora altri cadaveri s' accompagnavano solennemente dalli capellani dell' ospedale alle parrochie, nella periferia delle quali avevano l' abitazione, poichè ogni parrocchia a quell' epoca aveva le arche per sepolture. Ciò rilevandosi, e comprovandosi non solo dalli registri de' defunti esistenti nella camera de' capellani dello spedal maggiore, ma ancora dalle Vacchette e libercoli esistenti nell' archivio di ragioneria di questa pia azienda alli *n. 93, 94, 95 e 96,* recapiti che riferisconsi all' epoca *dal 1705 al 1766.* Gli altri defonti miserabili venivano trasportati senz' accompagno al cimiterio detto di s. Gio. Decollato.«

Erit EE. VV. perpendere, quid valeat hujusmodi attestatio ratiociuatoris hospitalis favore ipsius hospitalis capellanorum, cujus haud absimile exemplar jam in prima propositione causae a nosocomii curatoribus allatum fuit, relatum in folio *die 26. Januarii,* quod, post quam iterum perlegerint EE. VV., enodabunt.

Dubium:

An capellanis hospitalis s. Mariae de Vita et Morte competat jus ducendi solemniter funera ad publicum coemeterium seu potius spectet ad parochum in casu?

S. C. resp.:

Dilata, et exquiratur votum Emmi Archiepiscopi.

Die 22. Novbr. 1856.

Continuatio.

Ad hujus mandati tramites literae datae sunt novo Emmo Archiepiscoo Bononiensi, qui continuo una cum suis literis requisitum transmisit votum, quod heic exscribitur:

»Supplex libellus s. Congregat. Concilii oblatus ab hoc curione s. Mariae de charitate duabus constat partibus. Prima quidem postulat rescissionem transactionis initae anno

1824, si minus, augmentum canonis in eodem statuti; altera vero petit declarari, non licere capellanis hujusce majoris nosocomii defunctorum ad publicum coemeterium.

Quoad primam partem indicasse sufficiat, eamdem nullo legitimo fundamento initi; omnes enim noscunt, transactionem contrahentium quoque successores afficere et generatim retractari non posse, atque ex ipsa litis finitae receptionem oriri.

Quoad alteram partem animadverto, enunciatam transactionem utpote ad hospitalis continentia circumscriptam, extra illud nulla omnino vi pollere ac propterea servandum esse jus commune, ad cujus tramites non licet hospitalium capellanis extra illa ducere funera. Ast subdendum est, non omnes aegrotos decedentes in hoc majori hospitali obnoxios censendos jurisdictioni curionis s. Mariae de Charitate, quamvis intra ejus limites ex accidenti existentes, videlicet ex causa infirmitatis, ad mutandam enim paroeciam animus permanendi requiritur, *cap. 2. qui de sepult. in 6.* Quare opinor caeterorum etiam curionum jura sarta tecta esse tuenda.

Pro mei ratione muneris animadverto, parochum s. Mariae a charitate primae suae petitionis parti jamdiu antequam causa proponeretur valedixisse, satis habens vindicandi sibi jus ducendi solemniter funera ad publicum coemeterium decedentium in hospitali, seu in folio diei 26. Januarii 1856. §. *Alias monebatur.*

Quod vero sapienter perpendit Emmus Archiepiscopus quoad jura aliorum curionum tuenda, quidquid hac desuper re decernendum putent EE. PP., facile addi poterit in responsione ad dubium:

An capellanis hospitalis s. Mariae de Vita et Morte competat jus ducendi solemniter funera ad publicum coemeterium seu potius spectet ad parochum in casu?

S. C. resp.:

Negative ad primam partem et affirmative ad secundam.

Die 24. Jan. 1857.

4) Associatio cadaveris ad aliam urbem.

(Cujus est jus?)

Carolus qui domicilium Romae habebat animi sublevandi causa in urbem N. discessit. Hac in urbe, in paroecia s. Juvenalis, ubi degebat, post octo dierum spatium, apoplectico morbo correptus, mortuus est ejusque cadaver in ecclesia cathedrali est reconditum, deferente cadaver ipso parocho s. Juvenalis.

In more enim est positum in ea urbe N., suffragante etiam synodali constitutione, ut *cadavera viatorum, advenarum seu perfunctorie commorantium in civitate, sepeliantur in ecclesia cathedrali,* quamvis ipsa Cathedralis parochialis non sit.

Verum paucos post dies notitia coepit, Caroli cadaver Romam esse transferendum, ut in sepulchro, quod sibi suisque vivens constituerat, conderetur. Dubitatio itaque orta est inter tres contendentes, quinam ex his jus haberet associandi cadaver usque Romam ad ecclesiam sepulchri: namque capitulum hoc jus sibi competere contendebat; item parochus, intra cujus paroeciae limites capitulum extat, parochus nempe s. Donati; denique parochus s. Juvenalis, in cujus paroecia Carolus decessit.

Ejusmodi quaestiuncula proposita fuit s. Congregationi inter supplices libellos seu, ut modo dicimus, per *summaria precum* et die 10. Junii 1865 s. C. respondit: *Ponatur in folio exquisitis plenioribus informationibus.*

Juxta s. Congregationis praeceptum pleniores informationes sunt exquisitae: exquisitum scilicet est:

Primo: an cadaver in cathedrali ecclesia *loco depositi* permanserit?

Secundo: an defunctus sepulchrum Romae haberet?

Tertio: an denique ex parte defuncti aliqua voluntatis significatio intercesserit, qua sepulturae locum sibi constituerit, vel saltem aliqua a parentibus prodierit declaratio, quae sepulturam in cathedrali ecclesia provisoriam tantum reddiderit.

Ex habitis informationibus sequentia constituerunt:

1o. Defunctum tumulatum fuisse in ecclesia cathedrali, nullo interveniente tractatu, utrum in loco temporanei depositi, an vero ut perpetuae sepulturae ibi reconderetur;

2o. Defunctum sibi suaeque uxori Romae sepulchrum constituisse;

3o. Eundem defunctum, dum Romae degeret, non semel ostendisse, se in constituto sepulchro velle recondi;

4o. In ea dioecesi publicum coemeterium

quidem haberi, legem tamen non existere, cadavera omnia publico coemeterio esse mandanda, sed posse in ecclesiarum sepulturis humari, si duplici capsa, lignea nempe et plumbea claudantur.

Disceptatio synoptica.

Quae observarentur favore capituli.

Quamvis hodie hoc jure utamur, ut regulariter in ecclesia parochiali unusquisque funera suscipiat in eaque, non extante publico coemeterio vel non electa sepultura, tumuletur, nihilominus advertebatur, cathedralem ecclesiam juxta ss. canones censeri veluti paroeciam universalem totius civitatis et districtus, praesertim vero quoad funera peregrinorum et advenarum, *Passerin. de hom. statu et off. t. 2. q. 87. n. 314, Barbosa de offic. paroch. par. 3. cap. 26. n. 35,* ubi docet: »Peregrinus si moriatur dum est in via, sepelitur in cathedrali, uti censuit s. Congreg. Cardinalium negotiis Episcoporum et regularium praeposita sub die 6. Junii 1592 « Et *Card. Petra ad constit. 9. Innocent. III. n. 5. t. 2,* ubi relata prius quadam resolutione s. Congr. Episc. et reg. in una *Fulginaten. 5. Julii 1591,* et expensis discrepantium auctorum opinionibus, animadvertit, in hac re servandam esse consuetudinem.

Jamvero delationem cadaveris ad sepulturam merito reputari observabatur veluti funeris continuationem et implementum, ita ut, cujus est jus exequias persolvendi, illius jus esse debeat cadavera associandi, quocumque tandem loco sepultura donetur. Capitulum ergo quod in praesentia servabat jus peregrinos sepeliendi, jus videbatur habere associandi cadaver usque ad proprium defuncti sepulchrum.

Quae observarentur favore parochi sancti Donati.

Parochus s. Donati, intra cujus limites cathedralis ecclesia reperiebatur, animadvertebat, ad illum parochum pertinere jus associandi cadaver, intra cujus paroeciae limites reperiatur: cadaver autem, de quo est sermo, in praesentia reperiri tumulatum intra paroeciam s. Donati ideoque ad se ejusdem associationem pertinere. Quod quidem duobus exemplis ostendere curabat, exemplo scilicet unius, quod in ecclesia regularium in sua paroecia constituta sepultum fuerat, Romam deinde transferendum; et alterius cadaveris cujusdam Canonici, qui in ipsa Cathedrali decesserat, quod ab aedibus Cathedralis ejusdem extractum pompa funebri idem parochus associaverat usque ad fores ejusdem Cathedralis, etsi idem Canonicus in alia paroecia domicilium habuisset.

Quae observarentur favore parochi s. Juvenalis.

Contendebat in primis hic parochus, loco quoddammodo depositi defunctum Carolum in cathedrali ecclesia fuisse reconditum; et ex eo praesertim id arguebat, quia secus absque ulla contradictione delatum fuisset ad publicum coemeterium. Quoties autem cadaver loco depositi alicui ecclesia sit traditum, ei restitui debere, qui deposuit, *argum. ex cap. 1. de sepult. in 6,* idque perpensum esse in quadam *Brictinor.* 31. Maji 1766. §. *Multa.*

Porro cadaveris associationem usque ad sepulturae locum inter jura parochialia connumerari, *Clem. Dudum, de sepult.,* et in una *Marsorum 30. Januarii* §. *Nullo.* Proindeque ad se pertinere cadaveris Caroli associationem, qui in sua paroecia decessit.

Quod quidem associandi jus eo magis sibi adscribebat, quia ex juris communis dispositione parocho reservantur funera peregrinorum et advenarum, si intra limites suae paroeciae decedant, in qua brevi tempore habitaverint ab eoque sacramenta receperint, ut docet *Card. Petra* et *Passerin. loc. cit.* Quare contrariam consuetudinem, ubi legitime invaluerit quoad funus et sepulcrum, privilegio esse aequiparandam et ideo ultra casum funeris et tumulationis non esse protendendam. In dubio igitur jus proprium parochorum in collisione cum jure privilegiato praevalere debere contendebat.

Quae quidem uno exemplo confirmare curabat, necnon ipso praesenti facto, in quo ipse associaverat defunctum Carolum usque ad cathedralem ecclesiam, prout aliis in adjunctis associaverat defunctos, qui sive in urbe N. sive extra urbem sepulturam elegerant.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum dubium:

»*An et cui competat jus associandi cadaver in casu?*«

S. C. C. respondere censuit: *Affirmative favore parochi s. Juvenalis.*

Die 10. Junii 1865 et 22. Decbr. 1866.

Ex his colligi potest:

I. Quamvis pro varia ecclesiae aetate variisque consuetudinibus varia fuerint loca

fidelium corporibus sepeliendis destinata,*) firmum tamen mansisse fidelium jus sibi constituendi suorum sepulturae locum.

II. Jus sepeliendi, sive ad parochum sive ad alios pertineat, quodque in collisione veniat cum dicto jure sepulturam sibi constituendi, penitus silere debere.

III. Jus tamen associandi defuncti corpus ad constitutam sepulturam regulariter ad proprium parochum pertinere.

IV. Proprium autem parochum ad hunc effectum illum etiam censeri, in cujus paroecia aliquis decessit, quamvis brevi tempore et *perfunctorie* in ea sit moratus et sacramenta recipere ex violento morbo non potuerit.

V. Quare hujus parochiani corpus, quod sepulcro *indebito* ex quavis causa fuerit traditum sive extra paroeciam, in qua decessit, dum ad propriam sepulturam est transferendum, eum parochum jure illud associandi gaudere, in cujus paroecia decessit.

VI. In praesenti autem casu Livii corpus indebitae sepulturae fuisse traditum, cum propriam haberet, ideoque veluti depositi loco in illa tumulatum censendum.*)

*) Compertum est pro varia temporum societatisque conditione varia fuisse loca fidelium corporibus sepeliendis destinata; sed expedit heic veluti quos extremos terminos adnotare. Primis ecclesiae saeculis ejusmodi loca extra urbium moenia constituta erant, cum apud gentes homines mortuos intra urbem sepellire non liceret, uti ex fragmento legum duodecim tabularum: »*Hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito,*« et ut legitur in *l. 3. ff. de sepulcro violato* §. *5:* »*Divus Hadrianus rescripto poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepeliunt, quam fisco inferri jussit, et in magistratus eamdem statuit, qui passi sunt; et locum publicari jussit et corpus transferri . . . Et oportet imperialia statuta suam vim obtinere et in omni loco valere.*« Quod jus confirmarunt Diocletianus et Maximianus, ut legitur in *l. 12 C. de relig. et sumpt. fun.* his verbis: »*Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi jampridem vetitum est.*« Sepelire itaque hominem mortuum intra civitatem habebatur apud gentes veluti civitatis pollutio. Verum decursu temporis paullatim contraria consuetudo apud christianos praevaluit, quorum corpora humo tradi coeperunt intra civitatem. Eo privilegio (uti docet *Devoti institut. tit. IX. de sepulturis* §. *2.*) potiti sunt Imperatores et Reges, qui ut plurimum in ecclesiae atrio et porticibus sepeliebantur. Postea loca haec patuerunt etiam populo universo; et interim illis una cum Abbatibus ac viris pietate praestantibus intra ecclesiam sepultura concessa est, quam pridem Episcopi ante caeteros habuerant. Denique omnibus in ecclesia permissus sepulturae locus.

Innocentius III. Genuensi Archiepiscopo rescripsit, ut legitur in *cap. 3. de sepulturis:* »Fraternitatem tuam non credimus ignorare, mortuorum sepulcra et coemeteria apud illas ecclesias et monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti et orationes atque missarum solemnia tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur. Unde ipsorum devotioni et extremae voluntati, qui apud hujusmodi ecclesias sepeliri desiderant, minime contradicendum. Qui vero relictis antiquis ecclesiis et patrum aliorumque parentum suorum sepulcris, contra consuetudinem Patrum veteris testamenti, qui cum patribus suis sepulti esse leguntur, ad nova et minus religiosa loca se transferunt, irrationabiliter et contra consuetudinem facere videntur.«

Verum in praesenti societatis conditione haec consuetudo immutari coepit per publica coemeteria extra urbes constituta, quae quidem quibusdam in locis sanitatis causa constituta sunt (quamvis non deest qui sentire videatur, cadaverum acervum infestiorem esse aëris sanitati) non impedito tamen jure fidelium aliam sibi eligendi sepulturam: at universim res eo devenisse aut saltem vergere videtur ad antiquas leges, quae non permittebant hominem mortuum in urbibus sepeliri.

Hujus contrariae consuetudinis prima origo mihi petenda esse videtur ex fonte non puro, videlicet ex *naturalismo*, quem impii homines sua cogitandi agendique ratione in societatem christianam majori vel minori influxu induxerunt. Christianam enim veterem consuetudinem pietas fidelium constituerat, qui a primis ecclesiae saeculis quammaxime optarunt apud martyrum reliquias et apud ecclesias sepeliri, ut et martyrum meritis et fidelium precibus coadjuvarentur; quod et pietatem fidelium viventium non parum fovebat; namque frequens cogitatio suorum charissimorum, quorum corpora in templis intra urbes sunt recondita, cogitationem pari frequentia excitat et labilis vitae cursus et resurrectionis quam expectamus et aeternae vitae ad quam tendere debemus etc.

Interea dum haec omnia declinantur sub obtentu prospiciendi et urbium munditiae et aëris salubritati, si qui velint purum aërem aspirare, confugere debent ad oppida, pagos et montes, in quibus adhuc ut plurimum corpora mortuorum in ecclesiis aut prope ecclesias sepeliuntur. Tot enim in magnis urbibus sunt foetores aërem depravantes ex combustibilibus et non combustibilibus vaporibus, ex fossili carbone, bituminibus aliisque substantiis, quas artium progressus induxit, ut aërem, quem natura tribuit, respirare non facile sinant.

*) Ad rem facit *c. 3. de Sepulturis in 6^o* l. III. tit. 12. c. 3. in quo statutum legitur: »Si quis habet domicilium in civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in ecclesia dictae villae sed in sua parochiali vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit: dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari.«

5) Modus vetitus.

Cadavera defunctorum cum ululatibus ad ecclesiam associare non est permittendum. Nos enim christifideles, qui per evangelium Christo post mortem vivimus expectantes resurrectionem, potius in obitu debemus laetari, quam moerore affici, cum ab hac lacrymarum valle ad beatam patriam cum Christo regnaturi transeamus. Unde eliminandi sunt certi constrepentes ululatus et certae neniae et cantilenae pluribus in locis maxime a mulieribus practicari solitae, cum sic non debeant christiani contristari, ut judaei et gentiles aliique extra fidem catholicam existentes, qui infelices post hanc laboriosam vitam sine ulla spe melioris vitae ad aeternas miserias perducuntur, juxta illud Apostoli 1. ad Thessalonicenses *c. 4. n. 12: Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicuti et caeteri, qui spem non habent.* Quare merito hujusmodi ululatus, neniae et cantilenae in variarum dioecesum synodalibus expresse prohibentur, ut inter alias in dioecesi Alexandrina synod. II. *celebrat. 1605. decr. 33; synod. IV. celebrat. 1613. et synod. XII. celebrat. 1732. tit. 27.* et in dioecesi Bovensi, ubi, cum Episcopus in constitutionibus synodalibus decretum edidisset, quod consanguinei defunctorum non comitarentur funus cum ululatu, reclamante universitate dictae civitatis, ut moderaretur poena arbitraria ibi imposita ad censuram tantum, non autem, ut possit statui pecuniaria, laicis non infligenda ab ecclesia, proposita fuere dubia in sac. Congreg. Concil.

I: An poena non tantum excommunicationis, sed etiam pecuniaria potuerit per Episcopum apponi laicis transgressoribus?

II: An poena arbitraria imposita comitantibus funera cum ululatu possit extendi ad pecuniam?

Sac. Congregat. die *28. Januarii 1690.* respondit

Ad I: Affirmative, dummodo excommunicatio sit in subsidium.

Ad II: Negative, sed Episcopus suaviter curet tolli abusus.

Ubi vides sacram Congregationem decrevisse, esse tollendum similem abusum, licet non poena pecuniaria redolente potius avaritiam.

Astrologi planetarii.

Vd.: *Astrologia judiciaria.*

Astrologia judiciaria.

Contra exercentes artem astrologiae judiciariae et alia quaecumque divinationum genera librosque legentes vel tenentes.

Sixtus PP. V. servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Coeli et terrae Creator Deus, quem unum omnipotentem corde credimus ad justitiam et ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem et similitudinem suam creavit, mentem dederit, quae non solum, divino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quae humanam intelligentiam superant, sed etiam naturae suae vi, magno licet cum labore, praeclara multa investigaret atque intelligeret, tamen ut superbum animal homo non altum saperet, sed timeret et immensam Conditoris sui majestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quae eventura sunt, scientiam et futurarum rerum cognitionem reservavit. Solus enim Ipse, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, et ad intimas hominum cogitationes penetrat et consequenter eorum actiones intuetur; solus Ipse, qui vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, omnia praesentia et ante oculos posita habet; solus denique omnia et singula, quaecumque totius temporis decursu et saeculorum aetatibus futura sunt, ab omni aeternitate novit et admirabili providentia disposuit, quae non modo humanae mentis impellicitas ignorat, sed nec daemones ipsi praesentire possunt. Quare idolorum in futuris annunciatis falsitatem et eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus sanctus apud Isaiam illis verbis: *Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dei estis vos.* Et in novo testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris eventibus paullo cupidius inquirentium interrogationem gravi illa re-

sponsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit: *Non est vestrum scire tempore vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.*

Nec vero ad futuros eventus et fortuitos casus praenoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis necessario vel frequenter provenientibus, quae ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) ullae sunt verae artes aut disciplinae, sed fallaces et vanae, improborum hominum astutia et daemonum fraudibus introductae, ex quorum operatione, consilio vel auxilio omnis divinatio dimanat sive quod expresse ad futura manifestanda invocentur, sive quod ipsi, pravitate sua et odio in genus humanum, occulte etiam praeter hominis intentionem se ingerant et intrudant vanis inquisitionibus futurorum, ut mences hominum perniciosis vanitatibus et fallaci tontingentium praenunciatione implicentur et omni impietatis genere depraventur. Quae quidem ipsis cognita sunt, non divinitate aliqua nec vera futurarum rerum scientia, sed naturae subtilioris acumine et aliis quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est, in hujusmodi futurorum contingentium et fortuitorum eventuum inquisitione et praecognitione diaboli operationem se fallaciter imminiscere, ut sua fraude ac dolis miseros homines a via salutis avertat et laqueo damnationis involvat. Quae cum ita sint, nonnulli haec fideliter et religiose, ut debent, non attendentes, sed curiosa sectantes graviter Deum offendunt, errantes ipsi et alios in errorem mittentes, *tales in primis sunt astrologi, olim mathematici, genethliaci et planetarii vocati,* qui, vanam falsamque syderum et astorum scientiam profitentes divinaeque dispositionis ordinationem suo tempore revelandam praevenire audacissime satagentes hominum nativitates seu genituras ex motu syderum et astrorum cursu metiuntur ac judicant futura sive etiam praesentia et praeterita occulta; atque ex puerorum ortu et natali die, sive quavis alia temporum et momentorum vanissima observatione et notatione, de unius cujusque hominis statu, conditione, vitae cursu, honoribus, divitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, caedibus, variis discriminibus aliisque prosperis et adversis casibus et eventibus praecognoscere, judicare et affirmare temere praesumunt, non sine magno periculo errroris et fidelitatis; cum s. Augustinus, praecipuum ecclesiae lumen, eum, qui haec observat, attendit, qui in domum recipit, interrogat, christianam fidem et baptismum praevaricasse affirmet, ut illos merito Apostolus arguat atque increpet illis verbis: *Dies observatis et menses et tempora et annos, timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis.*

Hi igitur levissimi et temerarii homines in miserandam animarum suarum ruinam, grave fidelium scandalum et christianae fidei detrimentum, futuros rerum eventus et quaecumque prospere vel adverse obventura sunt, ac actus humanos, ea denique, quae ex libera hominum voluntate proficiscuntur, astris syderibusque adscribunt eisque eam facultatem, vim seu virtutem et efficaciam tribuunt significandi futura et ad praecognita ita inclinandi, ut sic omnino nec aliter reventura sint, atque ob eam causam de iis rebus omnibus judicia facere, prognostica, praedictiones et praecognitiones sibi assumere et palam venditare non dubitant; quibus pauci rudes et imperiti aliique nimis creduli et imprudentes tantam fidem praestant, ut ex hujusmodi judiciorum et praedictionum praescripto aliquid certi esse credant aut sperent; quorum sane et mendacium magistrorum temeritas et infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel divinis literis admoniti non intelligunt hominis praestantiam, cui coeli et stellae et clarissima coeli sydera, sol et luna, Deo ita disponente, non imperant sed inserviunt; sic enim Moyses populum Dei, ut hunc errorem caveret, praemonebat: *Ne forte, elevatis oculis ad coelum, videas solem et lunam et omnia astra coeli, et errore deceptus adores ea et colas; quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quae sub coelo sunt.*

Sed quid sydera mirandum est homini servire? nonne nobilissimae intelligentiae, angeli ipsi, omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis? Nam rationales oves ita diligit Deus, ut non solum Episcopos, quemadmodum a s. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinaverit, sed etiam angelos destinaverit. Praeclare etiam s. Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. Quodsi angeli homines custodiunt, quid adversus angelorum custodiam et tutelam astra moliri

aut efficere poterunt, quae cum ipsis angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco praetereunda est eximii ecclesiae doctoris et beatissimi Pontificis magni Gregorii sententia, qui Priscillianistas haereticos, unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum et verborum pondere confutat. Absit, inquit, a fidelium cordibus, ut aliquid esse fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creavit, administrat, neque enim propter stellas homo, sed stellae propter homines factae sunt, et si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Utinam insani homines haec saperent et intelligerent ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminí, ut polluamini per eos.* Neque enim quae christiana et vera pietas repellit ac damnat tanto studio investigarent iisdemque misere se decipi atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines et curiosi vel impii et irreligiosi, qui futurarum et occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere student, ut ob eadem praenoscenda et investiganda in divinae legis offensionem multipliciter incurrant. Alii enim geomantiae, hydromantiae, aeromantiae, pyromantiae, onomantiae, chiromantiae, negromantiae aliisque sortilegiis et superstitionibus, non sine daemonum saltem occulta societate aut tacita pactione, operam dare seu illis ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum vel fabarum iactu uti non verentur. Alii vero, aliquas pristinae et antiquitatae ac per crucis victoriam prostratae indololatriae reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auspiciis similibusque signis et vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem sunt, qui cum morte foedus ineunt et pactum faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros vel ad alia facinora perpetranda, etiam expresse cum diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum nefarias magicae artis incantationes, instrumenta et veneficia adhibent, circulos et diabolicos characteres describunt, daemones invocant aut consulunt, ab eis reponsa petunt aut accipiunt, eis preces et thuris aut aliarum rerum suffimenta seu fumigationes aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt aut rebus sacris vel sacramentis aut sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis aut quaevis alia impietatis obsequia praestant, cultum venerationemve tribuunt; aut parvas phialas sibi fabricant aut fabricari curant, ad daemones in eis aligandos seu includendos, ut putant, ad reponsa ab ipsis inde petenda aut habenda.

Alii praeterea etiam in corporibus obsessis vel lymphaticis et fanaticis mulieribus daemones de futuris vel occultis rebus aut factis exquirunt, ut merito ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas mendacesque referant responsiones. Alii quoque praestigiatores, frequentius vero mulierculae quaedam superstitionibus deditae, in phialis seu vasculis vitreis aqua plenis vel in speculo, accensis candelis, etiam benedictis, sub nomine angeli sancti et albi diabolum omnium malorum satorem supplices adorantes vel in unguibus aut palma manus quandoque etiam oleo perunctis eumdem omnium fallaciarum architectum orant, ut similiter futura vel occulta quaevis per spectra et apparentes imagines seu phantasticas visiones sibi ostendat aut ab eodem patre mendacii diabolo aliis incantationibus aut variis superstitionis observationibus futurorum et occultorum hujusmodi veritatem quaerunt et hominibus praedicere contendunt. Quorum omnium, quos supra enumeravimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirum quod daemonis praestigiis ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt, illusi ac delusi miserrime reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in seipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur ut astrologi et alii praedicti, qui hujusmodi futura praenunciare aut praenoscere quocumque modo, nisi Deo revelante, audent, injuste atque impudenter, quod Dei est, sibi assumant et usurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperam creaturis tribuitur, divina Majestas graviter laedatur, fidei integritas violetur et animabus pretioso Christi sanguine redemptis pestis atque exitium importetur.

§ 2. Et licet iampridem regulis indicis librorum prohibitorum, ex decreto sacri generalis Tridentini concilii confecti, *illud inter cetera constitutum fuerit ut Episcopi diligenter providerent, ne hujusmodi astrologiae judiciariae libri, tractatus et judices legerentur, qui de futuris contingentibus successibus fortuitisve casibus aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent,* certo aliquid eventurum affirmare audent, permissis tamen

judiciis et naturalibus observationibus, quae navigationis, agriculturae sive medicae artis juvandae gratia conscripta fuissent. Libros vero omnes et scripta geomantiae, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicae, prorsus rejici et aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum et abusuum praedictorum extirpationi usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis et apud plurimos curiosius vigeant, cum valde frequenter, detectis diaboli insidiis, divinationum, sortilegiorum et variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

§ 3. Nos igitur*), qui pro Nostro pastoralis officii munere fidei integritatem inviolatam conservare debemus et animarum saluti prospicere, quantum *divina gratia adjutrice possumus, ex paternae caritatis visceribus optamus, damnantes et reprobantes omne genus divinationum, quae diabolo auctore ad fidelium deceptionem a praedictis curiosis vel perditis hominibus fieri solent.* Cupientes praeterea sanctam illam christianae religionis simplicitatem, praesertim ubi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia et providentia, ab omni erroris labe integram atque incorruptam, ut par est, retineri. Volentes quoque praedictae falsae, credidulati ac hujusmodi illicitarum divinationum et superstitionum detestabili studio et execrandis flagitiis atque impuritatibus occurrere, ut de christiano populo merito dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est: *Non est augurium in Jacob neque divinatio in Israel*, hac perpetuo valitura constitutione apostolica auctoritate *statuimus et mandamus, ut tam contra astrologos, mathematicos et alios quoscumque dictae judiciariae astrologiae artem*, praeterquam circa agriculturam, navigationem et rem medicam, in posterum exercentes aut facientes judicia et nativitates hominum, *quibus de futuris contingentibus successibus fortuitisque casibus aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent*, etiam si id se non certo affirmare asserant aut protestentur, quam contra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces et perniciosas divinandi artes sive scientias exercent, profitentur et docent aut discunt, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes ac praemissa detestanda scelera et delicta, ut praefertur, faciunt aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscumque dignitatis, gradus et conditionis existant, tam Episcopi et praelati, superiores ac alii Ordinarii locorum, quam inquisitores haereticae pravitatis ubique gentium deputati, etiam in plerisque ex his casibus antea non procedebant aut procedere non valebant, *diligentius inquirant et procedant atque in eos severius canonicis poenis et aliis eorum arbitrio animadvertant.*

§ 4. Prohibentes *omnes et singulos libros, opera et tractatus hujusmodi judiciariae astrologiae, geomantiae, hydromantiae, pyromantiae, onomantiae, chiromantiae, negromantiae, artis magicae aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes ac superstitiones continentur*, ac sub censuris et poenis a quibuscumque christifidelibus legi aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis et Ordinariis locorum vel inquisitoribus praedictis *praesentari et consignari debere.* Et nihilominus eadem auctoritate statuimus et mandamus ut contra scienter legentes aut retinentes libros et scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem inquisitores libere et licite procedant ac procedere et poenis condignis punire et coercere possint.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 5. Jan. 1585. (Bull. r. t. III. p. 646. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Urbanus VIII.

Contra astrologos judiciarios, qui de statu reipublicae christianae vel Sedis apostolicae seu vita romani Pontificis aut ejus consanguineorum judicia facere, nec non eos, qui illos desuper consulere praesumpserint; cum invocatione similis constitutionis Sixti V.

Inscrutabilis judiciorum Dei altitudo non patitur, ut humanus intellectus tenebroso corporis carcere constrictus, super astra se extollens, arcana in sinu divino recondita et ipsis beatissimis spiritibus ignota, nefaria curiositate, non solum explorare sed etiam tamquam explorata in Dei contemptum, reipublicae perturbationem et Principum periculum arroganti et pernicioso exemplo venditare praesumant.

*) Ejusdem tenoris sunt verba bullae Pii V. incip.: *Coeli et terrae Creator* editae 5. Jan 1566.

§ 1. Hinc est, ut, quamvis civilibus canonicisque sanctionibus ac novissime fel. record. Sixti V. Papae praedecessoris Nostri constitutione desuper edita astrologorum, mathematicorum, vaticinatorum et aliorum, qui eventura divinare seu praedicere audent, quosque uti homicidas et maleficos antiquitas aestimavit, illorum potissimum, qui de summa reipublicae vel Principis salute judicia ferre praesumerent, ars, professio sive exercitium gravibus poenis inhibita esse noscantur. Attamen, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii propriae pusillitatis obliti ac lenitate forsan vel conniventia audentiores facti vanamque fatidicorum aestimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem graveque christifidelium scandalum, etiam de reipublicae et Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus vero inquietis rerum novandarum occasionem ea ratione inferre satagentes prognostica et praedictiones verbo vel etiam scripto edere non erubescunt.

§ 2. Nos itaque perniciosis hujusmodi ausibus, quantum Nobis ex alto conceditur, obviam ire ac quos Dei respectus in officio non continet, poenarum gravitate et severioris disciplinae fraeno coercere volentes motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine constitutionem per praefatum Sixtum praedecessorem desuper, ut praefertur, editam apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus.

§ 3. Et insuper omnibus et quibuscumque laicis cujuscumque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis et dignitatis, etiam marchionalis vel ducalis existentibus, qui de statu reipublicae christianae vel Sedis apostolicae sive de vita aut morte romani Pontificis pro tempore existentis ejusque usque ad tertium gradum inclusive consanguineorum mathematicos, ariolos, aruspices vaticinatoresve nuncupatos vel alios astrologiam judiciariam exercentes seu alias quomodolibet profitentes de caetero consuluerint, sive desuper eorum judicia, prognostica, praedictiones seu praecognitiones etiam sibi oblatas receperint illisve quomodolibet usi fuerint vel illas penes se scienter retinuerint aut alicui ostenderint, necnon iisdem mathematicis, ariolis, aruspicibus, vaticinatoribus sive aliis astrologiam judiciariam seu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profitent, qui judicia, prognostica seu praecognitiones et praedictiones super praemissis, etiamsi id non certo se affirmare protestentur, fecerint sive a se vel ab aliis jam facta seu factas imposterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint seu ostenderint, aut de eis quovis modo etiam improbando scripto vel verbis tractaverint, nedum excommunicationis majoris latae sententiae sed etiam uti laesae Majestatis reis ultimi supplicii ac confiscationis omnium bonorum suorum etiam romanae curiae officiorum ac devolutionis quarumcumque civitatum, castrorum et locorum jurisdictionalium et feudalium.

§ 4. *Clericis quoque et presbyteris aliisque personis ecclesiasticis tam saecularibus quam cujusvis ordinis, congregationis*, societatis seu instituti vel militiarum quarumcumque, etiam hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani aliisque quomodolibet exemptis ac Nobis et apostolicae Sedi immediate subjectis, regularibus utriusque sexus, ultra praedictas etiam privationis beneficiorum et dignitatum ac officiorum ecclesiasticorum, etiam monasteriorum, prioratuum et praeceptoriarum ac aliorum quorumcumque et inhabilitatis perpetuae ad illa imposterum obtinenda, ita quod personae ecclesiasticae praevia illarum degradatione curiae seculari tradantur puniendae, in episcopali vero, archiepiscopali, metropolitana, primatiali, patriarchali aut quacumque alia etiam superiori ecclesiastica vel mundana quantumvis sublimi, excellente et speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis ac privationis, etiam regiminis et administrationis ecclesiarum et aliorum quorumcumque beneficiorum et dignitatum, quarumvis amplissimarum, et patriarchali majorum ac officiorum suorum, et inhabilitatis poenas ipso facto incurrent apostolica auctoritate tenore praesentium infligimus et imponimus.

§ 5. Cognitionem autem causarum hujusmodi quoad personas ecclesiasticas tam saeculares quam regulares in Urbe nostra et illius districtu ad dilectos filios, nostrum in eis Vicarium in spiritualibus generalem necnon ejusdem Urbis gubernatorem ac causarum curiae camerae apostolicae auditorem generalem et eorum quemlibet insolidum, extra vero Urbem et districtum in provinciis, Nobis et apostolicae Sedi subjectis, ad S. R. E. Cardinales in eisdem provinciis de latere legatos et pro-

legatos ac praesides in dignitate ecclesiastica constitutos pro tempore existentes, in aliis vero omnibus et singulis provinciis, regnis, civitatibus, oppidis, castris et locis, tam sub Nostra et dictae Sedis quam cujusvis alterius Principis ditione comprehensis, privative quoad omnes etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum, ubilibet vero locorum etiam ad haereticae pravitatis inquisitores spectare volumus.

§ 6. Mandantes dilectis filiis Nostris et dictae Sedis de latere Legatis et eorum vicelegatis et praesidibus praedictis nunc et pro tempore existentibus, necnon venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis singulis, videlicet in suis civitate et dioecesi et quoad loca intra fines alicujus dioecesis, non tamen de dioecesi existentia ipsarum dioecesum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quo vero ad ea, quae extra fines alicujus dioecesis consistunt, vicinioribus eorumdem locorum Ordinariis, ac etiam inquisitoribus praedictis, quatenus ad instantiam cujusvis fisci vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio causarum hujusmodi cognitiones suscipientes, praevia etiam avocatione a quibusvis aliis supra non expressis nec a Nobis specialiter delegatis in causis ipsis modo praemisso procedant omnibus juris et facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachii saecularis.

§ 7. Inhibentes insuper Decanis et capitulis ecclesiarum cathedralium, metropolitanarum et patriarchalium, necnon quorumvis ordinum et locorum regularium, Societatum et institutorum, ac etiam hospitalis praedictorum superioribus convenientibus et fratribus quantumvis exemptis, ne sub privationis beneficiorum et officiorum quorumcumque per eos respective obtentorum ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activae et passivae, necnon legatos seu vicelegatos aliosque praedictos in causis hujusmodi procedentes quoquomodo impedire, molestare seu perturbare audeant vel praesumant; ac etiam mandantes, quoties ad id fuerint requisiti religiosos ipsos, etiamsi alicujus loci regularis Superiores acta fuerint Ordinariis, legatis seu vicelegatis ac aliis praedictis, seu quibus iidem mandaverint consignent cum scripturis et actis si quae facta fuisse reperiantur.

Datum Romae apud santum Petrum 1. Aprilis 1631.

(Bull. r. t. V. p. 218. Ed. Luxbg.)

Asylum ecclesiast.

(Excommunicatio illud violantium).

Excommunicationem latae sententiae romano Pontifici reservatam incurrunt immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes aut ausu temerario violantes.

(Constit. Pii IX. 4. Idus Octob. 1869.)

Vd. *Immunitas.*

Attentata.

Appellatio quoad attentata.

Vd. *p. 590.*

A.

	Pag.
Abacus. (Abbatum et Dignitariorum.)	
Abbas.	
1. Aetas	1
2. Alienare quando potest bona ecclesiast.?	1
3 Altare consecrans	1
4. Assistens missae sol	2
5. Assistentia Monachorum	2
6 Associatio	2
7. Benedicens	2
8. Benedictio Abbatis	2
a) Ab Abbate	2
b) Consensus apostolicus	3
c) Ab Episcopo	3
d) De essentia non est	5
e) Gratis facienda ab Episcopo	5
9. Benedictio paramentorum ab Abbate facienda	6
10. Benedictus	6
a) Benedictus ab Episcopo potest conferre prim. tons. et ord. minores	6
b) Num Abbas benedictus non ab Episcopo sed ab aliis Abbatibus et PP. Generalibus possit conferre tonsuram et ordines minores?	11
c) Usus Pontificalium	15
11. Non benedictus	15
a) Num Abbas non benedictus possit conferre primam tonsuram et ord. minor.	15
b) Privilegiorum usus	22
12. Casinensis	22
a) Benedictio sol. impertiri potest	22
b) Jus	23
c) Ordinare utrum possit Abbas Casin. non benedictus?	24
d) Subd. et Diaconat post Concil. Trid. conferre non potest ut Abbas	24
e) Praecedentia	24
f) Privilegia circa usum Pontifical. et alias functiones	25
13. Celebrans extra s. territorium	28
14. Concursum pro ecclesiis paroch vacantibus quando indicere potest?	28
15. Consecrare non potest ecclesias	29
16. In concilio	29
17. Correctio	29
18. Curam animarum quando potest exercere sine approb. Episcopi?	30
19. Denominatio	30
20. Depositio	30
21. Diaconatum conferre non potest post Tridentinum	33
22. Differentia inter Abbatem et Archimandritam	33
23. Dispensare potestne super aetate ordinandorum?	33
24. Ecclesias aedificare et benedicere etc. potestne inscio Episcopo?	33
25. Electio, qualitas etc.	34
26. Ad episcopatum promovendus abbatia resignata	40
27. Excommunicatio et correctio ab Episcopo	41
28. Exemptionis amissio	41
29. Exemptio quando non constat?	41
30. Exemptus	41
a) Jurisdictio in suos Monachos-Canonicos	41
b) Quando exemptus a jurisdictione Episcopi?	41
c) Species triplex	41
30. Facultatem celebr. pontific. tribuens	44
31. Ab interstitiis dispensat.	44
32. Juramentum Abbatis cum jurisdict. quasi episcopali	44
33. Jurisdictio	44
34. Cum jurisdictione quasi episcopali in territorio nullius dioecesis	44
35. Jus	45
36. Jus et exercitium praelaturae quando acquirit	45
37. Nominatio in canone missae	46
38. Literas dimiss suis subditis saecul. ut Abbas concedere non potest sed solum regularib.	46
39. Literas dimiss ut Ordinarius concedere potest	48
40. Literas dimiss. ad Episcopum monasterii ordinandi regularis dirigere debet	49
41. Num literas obedientiales et dimissoriales concedere potest vel debet?	57
42 Literas testim. conced. num potest?	58
43 Ordinare quando potest?	58
44. Ordinare potest ex privilegio	59
45. Ordinare potest solum subditos	59
46. Num ordinare possit ex delegatione alterius Abbatis non subditos suos?	61
47. Ordinarius	65
48. Ordinatio gratis facienda	65
49. Ordines min. num Abbas clericis saecularibus conferre possit?	65
50. Quando ord. min. valide sed non licite non suis subditis conferre potest?	65
51. Pileolum	65
52. Pontificalia exercens	65
53. Praecedentia	66
a) Inter se	66
b) Super alios	66
54. Processio	66
55. Qualitas	66
56. Reconcil. altaris et ecclesiae	66
57. Saecularis	67
a) Celebrans solemniter	67

Pag.

b) Non eligendus 67
c) Habitus, praecedentia 67
d) Post concil. Trident. potestne conferre ordines minores? 73
e) Quis est? 85
58. Species triplex 85
59. Statum suarum eccles. exhibere debet . 86
60. Subdiaconatum conferre non potest post Tridentinum 86
61. Visitatio 86
62. Visitatio liminum 86

Abbatia.
1. Sine concursu confertur 87
2. Erectio abbatiae simpl. 87
3. Suppressio 89

Abbatissa.
1. Aetas naturalis et factae professionis . 90
2. Annulus, baculus 91
3. Antiquitas 93
4. Benedicens et aspergens Moniales . . 93
5. Benedictio 93
a) Abbatissae temporalis 93
b) Ab Episcopo 93
6. Confirmatio 94
7. Crux pectoralis 94
8 Denominatio 95
9. Depositio 95
10. Egressus e monasterio propter juramentum Domino saecul. praestandum . . . 95
11. Electio 95
a) Dies Episcopo significanda . . . 95
b) Episcopi vel Superioris facultas et praesentia 96
d) Forma observanda in electione Abbatissarum monasterior. Monialium congregationis Casinensis ordinis s. Bened. 99
e) Modus 100
f) Ex alio monasterio 101
g) Publicatio 102
h) Quae et a quibus eligenda? . . . 102
i) Quae non potest eligi? 103
k) Valida quando est? 104
12. Evangelium non osculatur 105
13. Exemptio 105
14. Facultas circa beneficia, beneficiatos, parochias etc. 105
15. Facultas circa observantiam regul. . . 106
16. Facultas praecipiendi 106
17. Facultas circa vota 106
18. Jurisdictio 106
19. Munus 107
20. Officii tempus 107
21. Pax 107
22. Praedicare non potest 107
23. Professionem et velum non recipit . . 107
24. Qualitas 107

Abbreviatores.
1. Denominatio 108
2. Insignia 108
3. Jura et privileg. 108
4. Officium 108
5. Species duplex 108
6. Taxa 108

Abjurans.
1. Regularis 109
2. Sacerdos saecul. 109

Abjuratio. Pag.
1. Abjurare qui debent? 109
2. Modus in priscis ecclesiae temporibus . 109
3. Modus qui hodie servatur . . . 110
4. Quid est? Species quadruplex . . . 110

Ablutio.
1. Corporal., pallarum etc. 110
2. Digitorum cum aqua tantum . . . 111
3. Manuum Episcopi 111

Abortus.
1. Absolutio a confessario 112
2. Quando est causa irregularitatis? . . 112
3. Metus gravis 121
4. Poenae 121
5. Poenarum distinctio 126
6. Poenae quando non statuendae . . 126
7. Remedia mulieris laborantis . . . 126

Abrogatio.
1. Festorum. 127
2. Legis 127
a) Causae 127
b) Lex cessat per abrogationem . . 128

Absentia.
1. A choro 128
2. A dioecesi 128
3. A loco residentiae 136

Absolutio.
1. In articulo mortis 136
2. A casibus reservatis et censuris in articulo mortis 136
3. A casibus reservatis Episcopo . . . 138
a) Facultas necessaria sacerdoti simplici 138
b) A Regularibus Confessariis . . . 139
c) Vi bullae „Cruciatae“ 140
4. A casibus et censuris reservatis Pontifici 140
a) Confessarii (Urbis) a quibus non possunt absolvere? 140
b) Confessarii regulares a quibus casibus etc. possunt absolvere? . . . 141
c) Episcopus a quibus potest absolvere? 142
d) Episcopus a quibus casibus etc. non potest absolvere? 144
e) Facultas est necessaria sacerdoti simpl. 145
f) Impediti accedere ad Sedem apostol. a quibus absolvi possunt? . . . 145
g) Regulares Generales et Provinciales a quibus casibus etc. possunt absolvere? 145
h) Vi bullae »Cruciatae«. 146
5. A censuris 149
a) Absens absolvi potest 149
b) A censuris ex causa viol. libertatis, Immunitatis et jurisd eccles. ab audit. camerae apost. 149
c) A Poenitentiaria apost elargienda . 150
6 Circa Complices 150
7. Pro Defunctis 150
8 Facultas absolv. infra Jubilaeum . . 150
9. Generalis 150
10. Ab Haeresi a Praelatis regularib. . . 150
11 Ab Haeresi a Poenitentiario apost. elarg. 151
12. Infirmi 151
13. Ab oneribus (missis) omissis . . . 151
14. A peccatis 151
a) Actus judicialis est 151
b) Ab Archiepiscopo quoad subditos Suffraganeorum 151

Pag.

c) Capaces qui sunt? 151
I. Constituti in occasione proxima involuntaria 151
II. Moribundi 152
d) Capaces qui non sunt? 154
I. Complices in peccato carnali . 154
II. Constituti in occasione proxima voluntaria 154
III. Consuetudinarii et recidivi . . 155
IV. Ignorantes mysteria fidei ex culpa 156
V. Publicus peccator et insufficienter instructus in cath fide . . 156
e) Sub conditione 158
f) Dilatio 158
g) Facultas delegata 158
h) Forma 158
i) A Laico 161
k) Per literas vel nuntium nulla est . 161
l) Pluribus simul dari potest . . . 163
m) A sacerdote non approb. et non habente jurisdictionem, vel a laico . 163
n) A sacerdote gallicano et intruso . 164
o) Uni a pluribus potest dari . . . 164
p) Valida vel licita 164
q) Valida quoad confessarium . . . 164
r) A venialibus peccatis a sacerd. simplice 164
s) A Suspensione 164

Abstinentia.
1. Advenarum et peregrinorum . . . 165
2. Aetas 165
3. Anticipatio 165
4. A carne in sabbatis 165
5. Dies 165
6. A jejunio distinguenda 166
7. Infra jubilaeum 166
8. Modus 166
9. In Nativit. D, si venerit in fer. VI. . 170
10. Personae, quae dispensantur . . . 170

Abusus. 170

Acceptio Personae.
1. Non habenda in electionibus ad benef. et dignit. 170
2. Non habenda in administrat. Sacrament. 172
3. Peccatum quando est? 172

Accessorium.
1. Quando sequitur principale? . . . 173
2. Quando non sequitur principale? . . 173
3. Quod est? 173

Accessus.
1. Ad altare 174
2. Ad beneficia 174

Acolythatus. 175

Acolythi.
1. Accedunt ad cantandas orationes . . 175
a) In benedictionibus 175
b) In Matutinis, Laud., Vesperis etc. . 175
2. Epistolam cantare non possunt . . 175
3. Munus 175

Actus.
1. Facultativus 176
a) Consuetudinem non inducit . . 176
b) Quando obligationem inducit? . . 176
c) Quando praescriptionem inducit? . 176
2. Irritus 176
3. Reciprocus 176

Accusatio. Pag.
1. Accusari qui non possunt? . . . 177
2. Desisti quando non potest? . . . 178
3 Desistere quando quis tenetur? . . 178
4. Modus 178
5. Poenae 178
6. Probatio a quo facienda? 178

Accusator.
1. Ad expensas et poenas quando tenetur? . 178
2. Ad expensas et poenas quando non tenetur? 179

Adeps. (Licentia in diebus vetitis coquendi) . 179

Aditus. (E domo in ecclesiam) . . . 181

Adjunctus.
1. Absens a choro 181
2. Cathedralium unitarum 182
3. Electio 182
4. Episcopi facultas procedendi sine eo . 182
5. Episcopi facultas procedendi cum eo . 183
6. De gremio capituli esse debet . . 184
7. Juramentum 184
8. Quis potest esse? 184
9. Vicarii capitul. et gener. facult. procedendi cum eo 185

Administratio.
1. Bonorum confraternitat. 185
a) Independens a parocho . . . 185
b) Libera 185
c) Ratio reddenda Episcopo . . . 185
2. Bonorum ecclesiast. 186
a) A Beneficiatis 186
b) Olim Episcopo competebat . . 187
3. Bonorum plurium capellaniarum in eadem ecclesia ab ipsis capellanis . . . 187
4. Ratio reddenda a Vicario capitulari etc. 192
5. Pro revisione et visitat. administrationis Episcopus mercedem exigere non potest 192
5. SS. Sacramentorum 193
a) Acceptio Personae non habenda . . 193
b) A Canonicis 193
c) Canonicis quis administrat? . . . 193
d) Censuris obstrictis 193
e) A Coadjutore 193
f) A Confessario Monialium . . . 193
g) A Criminosis et Haereticis . . . 193
h) Habitus 194
g) Infirmis etc. in Hospitalibus . . 194
h) Laicis vetita 202
i) In Monasteriis Regularium habentibus saeculares deservientes . . . : 202
k) Monialibus a capellano peragenda . 203
l) In Oratoriis 204
m) A Parocho Cathedralis 204
n) A Parocho facienda 204
I. Obligatio 204
II. Tempore pestis 206
III. Parochianis alterius parochiae non potest 206
IV. Parocho invito 207
V. A parocho Protonotario . . . 207
o) A Regularibus 207
p) A Regularibus Missionariis in Oriente 215
q) A Sacerdote non approb. 218
r) A Sacerdote, qui non creditur baptizatus 218
s) A Sacerdote simplici 219

Administrator.
1. Amotio 219

Pag.

2. Bonorum Monialium 219
a) Ratio reddenda Episcopo . . . 219
b) Remotio 220
3. Beneficiatus vel Capellanus ipse . 220
4. Confraternitatis 223
5. Ecclesiae Cathedr. vacantis . . . 224
a) Ab apost. Sede deputandus . . 224
b) Facultates 224
6. Liber rationis reddendae 224
7. Juramentum 224
8. Jus non habet ad rem administratam . 224
9 Laicus 224
10. Monasteriorum Monialium . . . 227
11. Obligatio ejus cessat 228
12. Num portionem stipendiorum missarum pro utensilibus retinere possit? . . . 228
13. Quis esse debet? 228
14. Ratio 229
a) Cui reddere debeat? 229
b) Episcopo rationem reddere debet . 229
c) Episcopo rationem reddere non debet 231
d) Rationis reddendae locus . . . 234
e) Num Regularis esse possit? . . 234
f) Remotio 234

Adoptio.

1. Adoptare quis potest? 235
2. Definitio 235
3. Duplex est. differentia 235
4. Valida quando est? 235

Adoratio.

1. Crucis 236
a) Associatio Episcopi 236
b) Diaconorum assistentium Episcopo . 236
2. SS. Sacramenti Eucharistiae . . . 236
a) Confraternitas 236
b) Habitus et modus adorantium . . 237
c) Signa externa 238

Adrogatio 238

Adulterinus. (Clericus fierine possit?) . . 238

Adulterium.

1. Adultera poenitens 242
2. Adultera prolem spuriam cum periculo vitae et infamiae debetne manifestare? . 242
3. Adulteri si sunt ambo conjuges . . 244
4. Causa separationis thori quando est? . 244
5. Commissum ab una parte matrimonium contrahentium cum subseq. matrimonio . 244
6. Committit, qui accedit ad suam uxorem putans se accedere ad aliam . . . 245
7. Per concupiscentiam committitur . . 245
8. Consentiente marito 245
9. Definitio 246
10. Non dissolvit matrimonium quoad vinculum 246
11. Divortium ob adulterium quando licitum est? 247
12. Divortium quando propter adult. non inducitur? 257
13. Divortium ab auctoritate competente declarandum 259
14. Duplex 259
15. Ab Episcopo patratum 260
16. Ex fornicatione 261
17. Cum homicidio matrimon. dirimit . 261
18. Legitimatio prolis ex adult. procreatae . 261
19. Cum matrimonii tantum promissione . 261
20. Mulieris viri capti vel alias absentis . 262

Pag.

21. Poenae 262
22 Poenae Urbis 263
22. Praecedens 266
23. Probatio 266
24. Estne cum putativa soluta? . . . 269
25. Solum adult. cum alio matrim. contracto 269
26. Num cum sponsa committitur? . . 270

Advenae.

1. Quando lex eos obligat? 270
2. Missam audientes 271
3. Quando et ubi vacare debent ab operibus servilibus? 272

Advocatus.

1. Causarum dilatio 272
2. Causa justa vel injusta 272
3. A causa quando recedere debet? . . 273
4. Clericus quando esse potest? . . . 273
5. Consistorialis 275
6. Contractus cum cliente non contrahendi . 276
7. Falsarius et praevaricator . . . 276
8. Interpres legum etc. 276
9. Judex ejusdem causae esse non potest . 276
10. Laureatusne esse debet? 276
11. Pauperum 276
12. Ad restitutionem quando tenetur? . . 276
13. Taxa 277

Aetas.

1. Ad beneficia requisita 278
2. Ad beneficia simplicia 279
3. Ad canonicatus requisita 279
I In Cathedralibus 279
II. In Collegiata 280
III. Ad canonicatus, beneficia et dignitates cum cura animarum . . 282
IV. Ad beneficia, canonicatus et dignitates sine cura animarum . . 283
V. Defectus aetatis ad obtinendum canonicatum et dignitatem . . 283
a) Dispensatio concessa 283
b) Dispensatio non concessa . . . 293
4. Pro Cardinalatu 311
5. Ad censuram contrahendam . . . 312
6. Pro Coadjutoria Canonicatus . . . 312
7. Ad s. Communionem summendam . . 312
8. Ad Confessionem peragendam . . . 312
9. Conversorum recipiendor. 312
10. Pro Dignitat. et Personat. eccles. colleg. 312
11. Pro Episcopatu suscipiendo . . . 313
12. Ad jejunium servandum a laicis . . 313
13. Ad jejunium servandum a Regularibus . 313
14. Ad matrimonium contrahendum . . 313
a) Aetatis defectus non impedit absolute matrimonium contrahendum . . 313
I. Matrimonium constat . . . 313
II. Matrimonium non constat . . 324
b) Aetas ad matrim. contrah. ex parte viri 328
c) Aetas ad matrimon. contrah. ex parte mulieris 328
d) Cognitio Episcopi 329
e) Quae? 329
f) Vetita 329
14. Ad Missam audiendam 330
15. Ad Ordinationem 330
16. Novitiorum recipiendorum . . . 330
17. Pro Papatu 330
18. Pro Patrinis 331

Pag.

19. Ad Peccatum mortale committend. . . 331
20. Probatio 331
21. Ad Profession. regular. emittendam . 332
22. Ad Sponsalia contrahendum . . . 332
23. Superiorum regularium 332
24. Pro Tonsura et minoribus ordinibus suscipiendis 332

Affectio beneficii 332

Affiliatio.

1. Fratrum minorum et reformatorum . . 333
2. Religiosi 333
a) Causae 333
b) Dispensatio a Requisitis . . . 334
c) Religiosi votantis 334
d) Religiosorum singulorum . . . 334
e) Valida quando est? 335

Affinitas.

1 Adestne? 335
2. Affinitatem non parit 336
3. Ascendens 336
4. Causae contrahendi 336
5. Collateralis sive transversalis . . . 337
6. Ex copula illicita 337
7. Ex copula illicita publica matris sponsae cum subsequenti matrimonio sponsae . 337
8. Ex copula illicita quoad impediment. matrimonii attenditur 341
9. Ex copula illicita non irritat matrimon. de jure naturae 341
10. Ex copula licita quoad impediment. matrimonii 341
11. Ex copula licita utrum dirimit matrimonium jure ecclesiastico vel naturae? . 342
12. Definitio 343
13. In quibus gradibus dirimit matrimonium 344
14. Descendens 344
15. Dispensatio affinitatis ex copula illicita et licita 344
16. Dispens. elargienda a Poenitentiaria apost. 345
17. Dispensatio concessa 345
18. Dispensatio non concessa 348
19. Dispensatio conditionata 349
20. Dispensatio apostolica in I gradu . . 350
21. Dispensatio a Vicario capitul. . . . 351
22. Dispensationis causae et executio . . 351
23. Duplex 353
24. Extinctio 353
25. Ex fornicatione 353
26. Genus unum 354
27. Gradus dignoscendi 354
28. Gradus primus 354
29. Gradus quartus 355
30. Gradus secundus 356
31. Gradus varii 356
32. Impedimentum ex quo tempore? . . 356
33. Impediment. matrimonii estne ex matrim. rato et non consummato? 356
34. De impedimento affinitatis non constat . 360
35. Injusta et illegitima 365
36. Justa seu legitima 365
37. Legalis 366
38. Matrimonium contract. in I. gradu affin. non constat 366
39. Matrimon. contractum in III. affin. gradu 367
40. Nomina 379
41. Perpetua est 379

Pag.

42 Probatio 380
43 Quae est? 380
44. Spiritualis 380
a) Quae est? 380
b) Matrimonium non contrahendum . 380
45. Inter Sponsum et Sponsam, quae prius fuit uxor privigni Sponsi 380

Affrancatio.

1. Est 385
2. Non est 387

Agapae.

1. Christianorum gestus 396
2. Definitio 396
3. Festivitates, in quibus fiebant . . . 396
4. Institutio 397
5. Tempus 397
6. Prohibitio 397
7. Post sumptam ss. Eucharistiam . . 397

Aggregatio.

1. Confraternitatum 398
2. Religiosorum 398

Agnati. (Veniuntne sub nomine familiae?) . 398

Agnus Dei.

1. Asservatio et tractatio 399
2. Consecratio a Pontifice facienda . . 399
3 Definitio 404
4. Distributio absente Papa 404
5. Distributio praesente Papa . . . 405
6. Forma et sensus mysticus . . . 406
7. Indulgentiae deferentium »agnos Dei« . 408
8. Miraculosus 408
9. Mixtio ejus cerae cum alia . . . 410
10. Pinctura, Venditio, Ornatus . . . 410
11. Praeparatio etc. ab Ord. Cisterciens. . 411
12. Veneratio 412
13. Virtus 413

Agonia D. N. J. Ch. (Confraternitas) . . 414

Agonizantes. (Oratio) . . . . . 41.

Alchimia 414

Alea. (Clericis vetita est) 417

Alienatio.

1. Bonorum Confraternitatum . . . 420
2. Bonorum ecclesiasticorum 420
a) Beneplacitum Apostol. 420
b) Causae concedendi 420
I Necessitas, incommoditas, pietas, utilitas 420
II Inopia pauperum 424
III. Ad supplendos sumpt. in bello occursos 424
IV. Constructio viae ferreae . . . 425
V. Solutio debiti 425
c) Concessa 428
d) Non concessa 429
I. In aedificationem palatii episcopalis 429
II. Canonicis colleg. pro obtinendo indulto deferendi cappas etc fieri non potest 432
III. Venditio domus confraternitatis . 433
IV. Pro debitis delendis contractis in aedificationem ecclesiae et domus . 434
e) Consuetudo circa eam 436
f) Ab una ecclesia in aliam et inter earum personas 437
g) Episcopi facultas 438
h) Facultas Apost. est necessaria . . 438
i) Sine apost. facultate 441

Pag.

k) Facultatis Apost. Species . . . 444
l) Intervalla temporis 444
m) Invalida, nulla 445
n) A Monialibus facienda 445
o) Quae sub nomine alienationis comprehenduntur? 446
p) Nulla est sine apost beneplacito . 446
q) Oblationes 446
r) Poenae male alienantium, cooperantium, recipientium etc. 456
s) Prohibita quando est? 462
t) Quae est? 463
u) Quae alienari non possunt . . . 463
v) Per (regulares) Superiores facienda . 464
w) Per regulares Superiores exemptos . 467
x) Requisita 467
y) Restitutio 467
z) Sanatio 468
aa) Solemnitates praescriptae . . . 472
bb) Sine solemnitat. alienari quae possunt? 474
cc) Sine solemnitatibus alienari quae non possunt? 476
dd) Species 478
ee) Valida quae est? 479
ff) Vicarius gener. conced. non potest . 479
3. Bonorum Regularium 479
4. Pensionis ex beneficio perceptae . . 484

Alimenta.
1. Clerici beneficio privati vel suspensi . 485
2. Excommunicati 485
3. Filii illegitimi et spurii ejusque uxoris . 485
4. Monialis ejectae 485
5. Monialis a consororibus expulsae et saecularizatae 486
6. Patroni beneficii 486
7. Regularis ejecti 486
8. Regularis religione dissoluta a donatorio alendus est 487

Almutia.
1 Archipresbyteri 488
2 Canonicorum Cathedr. 488
3 Canonicorum Collegiatarum . . . 489
4 Episcopus eam concedere non potest . 489
5 Forma et modus deferendi . . . 490
6 Mansionar. et praebendarior . . . 490
7 Nomina varia 491
8 . Qui deferebant et qui nunc deferre possunt? 491

S. Aloysius. (Patronus Studiosorum) . . 492

Altare.
1. Certum pro celebrat. missae . . . 492
2. Confraternitatis 492
3. Destinatum a fundatorib. vel eleemosynam praebentibus pro celebrandis missis . 495
a) Cardinalium visitator. facultas circa hoc variandi 495
b) Dispensatio ab hac obligatione . . 495
c) Obligatio 496
4. Erectio 500
a) Episcopi licentia 500
b) In medio ecclesiae in aliquo festo et positio imaginis 500
5. Execratum 500
6. Ornatus et munditia in festis diebus . 500
7. Ornatus in ecclesia Capucinorum . . 503
8. Portatile 503
Utrum competit Card. Episc. et Regular.? 503

Pag.

9. Remotio et restitutio 505
10. Restauratio a patrono 508
11. Tituli translatio 508
12. Translatio ab eccles. diruta ad aliam . 508
13. Translatio ab oratorio publ. in eccles. paroch. concessa 508
14. Visitatio 510

Alternativa.
1. Quoad beneficia 510
a) Quae beneficia complectitur? . . 510
b) Concessa quibus est? 511
c) Contractus est 512
d) Devolutio 512
e) Episcopi, quando intercedit? . . 512
f) Episcopi duarum ecclesiarum . . 515
g) Expiratio 515
h) Initium et finis 515
i) Origo 516
k) Papae 516
l) Recessus Episcopi et Papae . . 516
m) Subscriptio et sigillum . . . 516
2. In capitulo generali vocando . . . 516
3. In electione Superiorum regular. . . 516

Alumni semiuarii clericalis 518

Alumnus.
1. Nominatio pro seminario 518
2. Receptio Dioecesanorum in seminarium . 523
3. Receptio Extraneorum in seminarium . 523

Amentes.
1. Baptizandi quando sunt? 523
2. Obligati quando sunt ad servandam legem humanam? 523

Amplius. (Quid significat in decisionibus ss. Congregationum?) 524

Annatae 524

Anniversarium.
1. In altari destinato celebrandum . . 524
2. Anticipatio 525
3. Cantari quando non debet? 525
4. A capellaniis in quantum differt? . . 525
5. Celebrandum in ecclesiis regularibus . 526
6. Celebrandum estne, si adhuc adest onus descriptum, sed in tabella vel libro missarum nunquam reperitur adimpletum? 530
7. Celebrandum anniversarium, de cujus onere dubitatur 530
8 Celebrandum non est pro testatore se ipsum occidente 531
9. Celebrandi obligatio quando est pro se ipsum occidente 531
10. Convivia 531
11. Denominatio 532
12. Sine certis dispositionibus relictum quomodo est celebrandum? 532
13. Distributiones pro praesentibus in anniversariis celebrandis 533
14. Episcopi vigilantia de eo 533
15. Initium 534
16. In missa privata quando consistit? . . 534
17. Mutatio in missas lectas concessa . . 534
18. Origo 536
19. Perpetuum quando est? 536
20 Reductio 536
a) Causae 536
b) Concessa 537
c) Non concessa 557

Pag.

21. Pro Regularibus extra claustra decedentib. 558
22. Quid significat? Ejus celebrationis modus et tempus 560
23. Suspensum 560
24. Translatio in aliam ecclesiam . . . 560
I. Quando concedenda? 560
II. Non concedenda 560
25. Ex voto celebratum obligatne successores? 561

Annus probationis.
1. Equitum ordinum milit. 561
2. Monialium s. Dominici in articulo mortis 561
3. Regularium 562
a) Aetas admittendi 562
b) Completus esse debet 562
c) Continuus esse debet 562
d) In conventibus designatis fieri debet . 564
e) Initium a susceptione habitus . . 565
f) Institutionis finis 565
g) Interruptio 565
h) Prorogatio 565
i) Renuntiatio 566

Annus sanctus.
1. Initium, publicatio et finis . . . 566
2. Intervalla 567
3. Origo 567

Anticipatio officii divini 568

Apostasia.
1. A Fide 568
a) Definitio 568
b) Differentia inter eam et haeresim . 568
2. Ab Obedientia 569
3. Ab Ordine 569
a) Quae est? 569
b) Poenae 569
4. A Religione 569
a) Absolutio 569
b) Num incurrit, qui aliam religionem ingreditur non petita licentia a Superiore 570
c) Quando incurritur? 570
d) Quando non incurritur? . . . 571
e) Poenae 573
f) Poenae apostatas et fugitivos recipientium etc. 574
g) Quae est? 574
5. Triplex est 574

Apostatae.
1. A Fide 574
a) Abjuratio 574
I. Modus in priscis ecclesiae tempor. 574
II. Modus qui hodie servatur . . 574
III. Abjuratio et habitus . . . 574
b) Absolutio 575
c) Poenae 575
d) Poenitens 575
2. A Religione 575
3. Graeci 576

Apostolatus. (Societas Apostolatus Orationis) 576

Apostoli. (Literae missoriae) 578
1. Conventionales 578
2. Definitio 578
3 Dimissorii 578
4 Refutatorii 578
5. Reverentiales 578
6. Species 578
7. Testimoniales 578

Appellatio. Pag
1. Appellari a quo et ad quem judicem potest? 578
2. Appellatio ad quem fit? 579
3. Appellatio quando fieri potest ad Superiorem mediatum omisso Superiore medio? 579
4. Appellatio quando non admittitur? . . 580
5. Ab arbitrio seu laudo arbitrorum . . 582
6. De Archiepiscopi jure 582
7. Ab Archiepiscopo ad synodum provincialem 582
8. De Appellationibus cum Inhibitionibus in suspensivo concedendis vel denegandis . 583
9. Quoad attentata 590
a) Quae est? 590
b) Pendente appellatione a sententia definitiva 590
c) Pendente appellatione a sententia interlocutoria 591
10. Causae exprimendae 592
11. In causis ecclesiasticis 592
12. In causis matrimonialibus 592
13. In causis de provisionibus ecclesiarum parochialium per concursum . . . 594
14. A censuris absolute ab homine latis . 600
a) Ab Excommunicatione 600
b) Ab Interdicto 601
c) A Suspensione 601
15. A censuris ab homine latis sub conditione et comminatis 601
16. A censura incurrenda quando excusat? . 602
17. Communis 602
18. A Concilio generali ad Papam . . . 602
19. Ad Concilium futurum 604
20. A concursu pro collatione parochiarum facto 607
21. A Congregatione Cardinalium . . . 616
22. A correctione legitima Superioris . . 616
a) Licita 616
b) Prohibita 616
c) Quando suspendit execution. sententiae? 617
23. Denominatio 617
24. Differentia inter judicialem et extrajudicial. 617
25. Differentia inter appellationem ab interlocutoria et a definitiva 617
26. Duae partes appellantes, una ad Archiepiscopum altera ad Papam 618
27. Duplex est 619
28 Effectus 619
a) Devolutivus 619
I. Quis est? 619
II. In appellatione legitima . . . 619
b) Suspensivus 619
I. In appellatione a sententia definitiva 619
II. In appellat. a sententia interlocutor. 621
III. Quis est? 622
29. Extrajudicialis 622
30. Quoad Fatalia 622
31. Frivola ac levis 623
32. Frustratoria 623
33. Generalis 623
34. Illicita est contra justitiam . . . 623
35. Impedimenta appellandi 624
36. Introductionis causae 626
37. Ad Judicem non competentem . . . 626
38. Coram quo judice facienda? . . . 627
39. Judicialis 627

Pag.

40. Ab judicio irrationabili Episcopi . . 628
41. Jus appellandi quis habet? . . . 628
42. Jus appellandi quis non habet? . . 629
43. Contra justitiam 630
44 Legitima 630
45. In Matrimonialibus 630
46. Modus 630
47 Ad Papam quando intercedit? . . . 633
48. Ad Potestatem saecularem . . . 633
49. De Professione regulari 633
50. Prohibita 633
51. Quoties fieri potest? 633
52. Rationabilis seu legitima 634
53. Regularium 634
54. Regularis e monasterio egredientis et ad Superiorem accedentis 637
55. Retardans executionem 637
56. Sententia, a qua appellari potest? . . 637
57. A sententia definitiva 639
a) Ad judicem quae devolvit? . . 639
b) Modus 639
58. A sententia interlocutoria . . . 640
a) Ad judicem quae devolvit? . . 640
b) Modus 640
59. A Suspensione Episcopi ex informata conscientia lata 643
60. Contra synodales constitutiones . . 656
61. Tempus, intra quod appellari debet . 657
62. Ad Tribunalia Romae 659
63. A Vicario gener. ad Archiepiscopum omisso Episcopo 663
64. Appellatione remota 663
a) Hac clausula quis uti possit? . . 663
b) Hac clausula quae appellationes prohibeantur? 663
c) Hujus clausulae effectus . . . 664

Applicatio.

1. Missae 665
a) Anticipatio 665
b) Diversa est a celebratione . . . 666
c) Intentio 666
2. Missae a Canonicis regularibus privilegiatis 666
3. Missae conventualis 668
a) Applicationis mutatio et conventio de ea inter Canonicos et Capellanos non licita 668
b) Obligatio applicandi 674
I. Pro benefactorib. in genere est 674
II. Pro benefact. in genere non est 680
III. Archipresbyteri 685
IV. Beneficiatorum est . . . 685
V. Beneficiatorum non est . . 689
VI. Canonicorum et Dignitariorum 694
VII. Oblig. Canonici jubilati non est 716
VIII. Canonicorum novae et antiquae erectionis 726
IX. Canonici parochi . . . 737
X. Capellanorum missae . . 750
XI. In diebus festis de praecepto tantum 760
XII. Mansionariorum praebendator. 774
XIII. Vicariorum praebend Cathedral. 776
c) Obligatio non est applicandi . . 778
I. Si non fuerit facta mentio de applicat. in fundat. 778
II. In ecclesiis non vere cathedr. et colleg. 778

Pag.

d) Obligatio quotidiana 778
e) Obligatio secundam et tertiam miss. conv. applicandi 783
f) Omissa applicatio 785
g) Origo 785
h) Reductio 786
I. Causae 786
II. Reductio concessa 786
III. Reductio non concessa . . . 798
IV. Reductio iterata 800
V. Reductio partialis 801
VI. Reductio prorogata 802
VII. An satisfit per applicat. unius missae conv. simul applicationi aliarum missarum convent.? 803
VIII. Non satisfit per applicationem missae conv. simul applicationi missae pro populo 806
4. Missae non determinatae 806
5. Missae in die Commemor. omnium fidelium defunctorum 806
6. Missae fundatae 806
I. Causae applicandae 806
II. Causae non applicandi . . . 808
III. In documentis fundat. non expressa 809
IV. Ad libitum 815
V. Obligatio est 816
VI. Obligatio non est 862
7 Missae pro Haereticis 871
8. Missae pro Monialibus 872
9. Omissa 872
10. Partialis est damnata 872
11. Missae pro populo 872
I. Alternativa 872
II. Applicare potestne parochus simul pro populo et benefactore stipendium praebente? 872
III. Applicare debetne parochus secundam missam parochialem, si binatio ei licita sit? 876
IV. Num Missa privata vel solemnis requiratur? 880
V. Munus personale est 881
VI. Obligatio beneficiatorum curam animarum exercentium 881
VII. Obligatio capellani expositi . . 885
VIII. Obligatio capellani perpetui . . 888
IX. Obligatio coadjutorum Canonicorum curam animarum insimul exercentium 890
X. Obligatio coadjutorum parochorum non est 893
XI. Obligatio ex consuetudine introducta 894
XII. Obligatio est Curatorum ecclesiarum cathedr. et collegiatarum . . . 894
XIII. Obligatio non est curatorum ecclesiar. cathedr. et collegiatarum . . . 895
XIV. Obligatio in qua ecclesia adimplenda est? 896
XV. Obligatio eorum, qui curam actualem animarum exercent 896
XVI. Obligatio non est eis, qui curam animarum non habent 904
XVII. Obligatio in diebus festivis suppressis, translatis et reductis 908
XVIII. Obligatio Episcopi 920

Pag.

XIX Obligatio Episcopi, qui simul est parochus 920
XX. Obligatio ex jure divino derivat. . 930
XXI. Oblig. mansionariorum Cathedralis 931
XXII. Obligatio Orientalium . . . 932
XXIII. Oblig. missionariorum parochorum 932
XXIV. Obligatio parochi est in diebus festivis et dominicis 933
XXV. Obligatio estne parochi trium unitarum parochiarum pro singulis? . . 946
XXVI. Obligatio estne parochorum duorum vel plurium in una ecclesia parochiali servientium? 948
XXVII. Obligatio parochor. duab. vel pluribus parochiis praepositorum . . . 953
XXVIII. Oblig. collegii parochorum plurium ecclesiarum alicujus oppidi . . 958
XXIX. Oblig. parochi non est in dieb. feriabus 961
XXX. Oblig. non est parochi, infra hebdomadam ad eccles. filial. accedentis, pro incolis filialibus applicandi . 963
XXXI. Obligatio parochi non est deficiente populo 967
XXXII. Obligatio estne parochi duas missas pro populo applicandi, ut hactenus mos erat, et Episcopus potestne concedere licentiam binandi? . . . 969
XXXIII. Oblig. parochorum Canonicorum in ecclesiis cathedral. et collegiatis . 974
XXXIV. Oblig. parochorum in ecclesiis monasteriorum 981
XXXV. Obligatio parochorum pauperum . 983
XXXVI. Oblig. parochi privatim celebrantis . 984
XXXVII. Oblig. parochi in dominicis et festis, in quibus cadit processio rogationum 984
XXXVIII. Obligatio quotidiana non est . . 985
XXXIX. Obligatio unius etiamsi plures simul curam actualem exercent . . . 985
XXXX. Obligatio ad unam missam, si plures parochiae unitae sint ecclesiae collegiatae etc. 985
XLI. Obligatio Vicarii apostolici . . 985
XLII. Obligatio Vicarii perpetui et amovibilis 985
XLIII. Obligatio non est vicarii perpetui vel amobilis 992
XLIV. Obligatio vicarii capitularis non est 998
XLV. Omissa 998
XLVI. Reductio 999
a) Concessa 999
b) Non concessa 999
XLVII. Satisfieri non potest insimul applicationi missae conventualis . . 1005
XLVIII. Per Substitutum 1005
XLIX. Substitutio non concessa . . . 1007
L. Substitutio dubia 1007
LI. Translatio 1013
a) Causae 1013
b) Non concessa 1014
12. Applicatio missae a Regularibus . . 1016
13. Applicatio missae a regularibus praelatis pro suis subditis 1017
14. Applicatio missae stipendiis plur. acceptis 1017
15. Vivens probabilius invalide applicat animabus purgatorii omnes missas pro se defuncto applicandas 1018

Pag.

Approbatio.

1. Confessarii 1018
2. Pro cura animarum exercenda . . 1018
3. Parochi iterata 1018
4. Sacerdotis saecularis pro cura animarum 1018
5. Sacerdotis regul. pro cura animarum . 1019
6. Sacerdotis regul. jam approbati . . 1051

Aqua.

1. Baptismalis 1056
2. Pro benedictione et reconciliatione ecclesiae 1056

Archiconfraternitas 1057

Archidiaconatus.

1. Dignitas et munus 1057
2. Origo 1058
3. Suspensio 1058

Archidiaconus.

1. Aetas 1059
2. Num capellanum secum ducere possit . 1059
3. Capitulum convocare potest . . . 1059
4. Definitio 1062
5. Ut Diaconus inservieus 1062
6. Differentia inter Archid. et Vicar. general. 1062
7. Distributiones et fructus quando percipit? 1063
8. Doctor quando esse debet? . . . 1063
9. Electio 1063
10. Quoad examen ordinandorum et parochorum 1063
11. Habitus et praesentia in choro . . 1064
12. Jurisdictio 1064
13. Munus 1066
14. Praeeminentia et praecedentia . . 1067
a) Ante Archipresbyterum . . . 1067
b) Super Canonicos 1068
c) In choro 1068
d) Quoad Vicar. generalem . . . 1068
15. Professionem fidei a novo Canonico exicipere potest 1068
16. Protonotarius 1068
17. Quot in dioecesi? 1069
18. Regularis 1069
19. Residentia 1072
20. Subscriptio 1072
21. Vox in capitulo 1072

Archiepiscopus.

1. Appellatio ad synodum provincialem . 1072
2. Censuram non pot. revocare latam ab Ordinario 1072
3. Constitutiones condendi facultas . . 1072
4. Definitio 1072
5. Dispensatio super defectu aetatis, ordinum et aliorum impedimentorum favore Archiepiscopi ecclesiae Olomucensis . . 1073
6. Excommunicatio eorum persecutorum etc. 1074
7. Jurisdictio 1074
8. Translatio in sedem episcopalem . . 1074
9. A quo tempore hic titulus introductus est? 1074

Archipresbyter.

1. Distributiones 1074
2. Missam convent. celebrare et applicare debet 1074
3. Praecedentia 1075
4. Ecclesiae colleg. cum cura animarum . 1075
5. Foraneus seu ruralis celebrans in variis functionibus; ejus praecedentia . . 1080
6. Habitus et sedes in synodo . . . 1081

Archipresbyteratus. (Dignitas etc.) . . 1082

Pag.

Archivium.
1. Capituli cathedr. et colleg. 1086
   a) Clavis 1086
   b) Obligatio 1086
2. Confraternitatis 1086
3. Ecclesiasticum 1086
4. Episcopi 1092
   a) Auctoritas publica 1092
   b) Extractio 1092
   c) Obligatio 1093
   d) Quae sunt asservanda? . . . 1093
5. Pro libris admin. bonorum ecclesiast. 1095
6. Parochiale 1095
7. Scripta efferendi facultas et tempus 1100

Arma. (Num delatio Clericis licita sit?) 1101

Arma seu insignia 1102

Aromataria. Regulares et Moniales possuntne eam pro saecularibus tenere? 1102

Aspersio aquae. In benedictionibus estne necessaria? 1106

Assistens.
1. Canonici Collegiatae 1106
2. Dignitatis Collegiatae 1111

Assistentes Episcopi.
1. In Ecclesia cathedrali 1119
2. In Ecclesia collegiata 1125
3. In missa privata 1128
4. In Ordinationibus 1129

Assistentia.
1. Cleri in functionibus pontifical. Episcopi 1132
2. Cleri in functionibus non pontifical. 1139
3. In matrimoniis contrahendis . . . 1140

Associatio cadaveris.
1. Associantes clerici saeculares . . . 1140
2. Associantes clerici regulares . . . 1144
3. Associatio in hospitali defunctorum 1144
4. Associatio cadaveris ad aliam urbem 1150
5. Modus vetitus 1153

Astrologii planetarii 1153

Astrologia judiciaria 1153

Asylum ecclesiast. (Excommunicatio illud violantium) 1158

Attentata. Appellatio quoad attentata 1158

COLUMBIA UNIVERSITY
0026050811